Ecole Supérieure
de
Théologie

O11

PA
6285
.A2
A27
1631

Nicolas ABRAM, SJ +1655

Commentarius in Totum volumen
Orationum M T Ciceronis
Pars Posterior

Lutetiae Parisiorum
S Cramoisy
1631

2014-07-31 AM

D 93

SERENISSIMO PRINCIPI NICOLAO FRANCISCO A LOTHARINGIA, SERENISSIMI LOTHARINGIÆ DVCIS FRATRI VNICO, S. R. E. CARDINALI EMINENTISSIMO, &c.

QVOD olim nobilis Orator de ſuis Athenienſibus dicebat, eos dandi conſilij proferendæque ſententiæ rationem difficillimam reddidiſſe, quòd non niſi res iam antè priuato conſilio ratas & ſtatutas in publicam deliberationem adducerent; idem de pleriſque noſtri ſeculi viris dicendum puto, qui cùm vel inclinatione naturæ, vel temeritate quadam alicui facultati mentem adiecerint, tum demum deliberant quid ſequàntur. Sed nimirum, vt oculus aliquo colore imbutus, quicquid adſpexerit, eodem colore perfuſum ſibi videtur intueri: ſic animus præiudicatis opinionibus occupatus quicquid deinde ſecum agitarit, ad primas illas cogitationes accommodat; & vt iuſtam illius artis, quæcunque tandem illa fuerit, amplectendæ cauſſam habuiſſe videatur, rationes vndequaque corradit, quibus cæteras facultates poßit in contemptum adducere. Jn hoc genere video fore non paucos, qui non me ſolùm, ſed etiam Societatem noſtram grauiter accuſent. Me, quòd & ſacerdos & religioſus, & iam confectis cæterarum ætatum ſpatiis ad virilem

progreſſus non dubitem puerilibus profanorum auctorum commentatiunculis immorari. illam, quòd, cùm paucis admodum in locis ſacræ Theologiæ ſcholas aperiat, vix tamen habeat vllum collegium, in quo pueri profanis Grammaticæ, Poëſeos, eloquentiæ ſtudiis non initientur. Me & illam, quòd haſce nugas, tuæ Serenitati dicatas, Cardinalis Eminentiſſime, *non dubitemus tanti nominis auſpiciis in lucem emittere.*

His vt te diſceptante reſpondeam, equidem is ego ſum qui nunquam eos audiendos putarim, qui ſic ad humaniores iſtas litteras animum applicuerunt, vt eas vnas in oculis gerant, vt filiolas oſculentur, iis non immorandum modò, ſed immoriendum ſibi putent: Gregorio tamen illi Theologo ſubſcribere non verear, eos qui alterutras litteras contemnunt, perinde facere ac ſi vno duntaxat oculo contenti alterum ſibi effoderent. Eſto ſanè, vilem & abiectam, vt volunt, harum profeſſionem litterarum eſſe faciamus, at indignam ſacerdote & religioſo nemo ſanæ mentis eſſe conceſſerit. Quid enim ſacerdote dignius, quid religioſo, quàm in rebus etiam abiectiſſimis Domino famulari? Quid faceres illi ſeruo, Princeps Sereniſſime, *quid illi aulico faceres, qui tibi tantùm in rebus illuſtribus & ſplendidis obſequium exhiberet? Quantò mercede digniorem eum putares, qui nullo rerum, quæ iuberentur, habito diſcrimine, ſe tibi dicto præſtaret audientem, tuos nutus ſpectaret, ſéque totum in omnibus ad tuam vnius voluntatem in vtramque partem effingeret? Quòd ſi cenſores iſti litterarum me (quod profectò nunquam facient, vel ſi ſe mentiendo diſrumpant) ſi me, inquam, doctiorem Varrone omnium, vt ait Auguſtinus, non Romanorum modò, ſed etiam Græcorum doctiſſimo, ingenioſiorem Cæſare, qui quaternas pluréſve diuerſis de rebus epiſtolas eodem tempore dictabat, acutiorem Auguſtino, religioſiorem Hieronymo, prudentiorem Caſſiodoro, Beda venerabiliorem, Iſidoro ſanctiorem eſſe conuicerint, tum demum ea ſtudia meis indigna vigiliis eſſe confitebor, quæ illi non peſſimi ſcientiarum æſtimatores tanti faciebant, vt Varro libros de lingua Latina, Cæſar de analogia Ciceroni dicatos ediderint, Auguſtinus, Beda, Caſſiodorus artes grammaticas conſcripſerint, origines verborum rimatus fuerit Iſidorus, Hieronymus poëtas pueris quibuſdam prælegendos exponendóſque ſuſceperit. Sin autem tantorum virorum virtutem non dicam imitatione, ſed ne cogitatione quidem aſſequi me poſſe concedunt, cùm illi primas illas loquendi præceptiunculas tanti æſtimarint, quid eſt tandem cur hoc commentandi genus & Criticen tantò cæteris Grammaticæ partibus præſtantiorem ſacerdote & religioſo indignam eſſe contendant?*

Habes, Cardinalis Eminentiſſime, *priuatam inſtituti mei rationem, reſtat vt de communi Societatis vniuerſæ cauſſa paucis agamus, quam eò faciliorem & expeditiorem eſſe conſtat, quòd iiſdem, imò*

potioribus rationibus ea fulcitur, quàm priuatum vnius inſtitutum. Primam enim illam puerorum inſtitutionem Sanctorum auctoritas ſuaſit, ratio induxit, euentus deinde comprobauit. Neque ſanè quiſquam indignum noſtra Societate cenſebit, quod & viros & ordines religioſos morum grauitate cateríſque virtutibus illuſtres magni feciſſe perſpexerit. Quis Gregorio Magno vel grauior, vel occupationibus ad totam Eccleſiam ſpectantibus diſtrictior? Is tamen primis canendi rudimentis pueros inſtruebat. Quis Hieronymo diuinis litteris addictior? Tamen ad Latam, cuius filiolam ad ſe mitti cupiebat in hac verba reſcripſit. Ipſe, ſi Paulam miſeris, & magiſtrum & nutricium ſpondeo, geſtabo humeris, balbutientia ſenex verba formabo, multò glorioſior mundi Philoſopho, qui non Regem Macedonum Babylonico periturum veneno, ſed ancillam & ſponſam Chriſti erudiam, regnis cœleſtibus inſerendam. *Nullus ordo fuit in Occidente Benedictina familia vel clarior, vel antiquior. Non ſolùm in Anglia, Gallia, Germania priuatim magna cum laude docuerunt, ſed etiam publica diuinarum humanarúmque litterarum habuere collegia. Et vt Auguſtinianos, vt Barnabitas, vt cateros ordines omni religione praſtantes omittam, quis ignorat Dominicanam familiam omnibus virtutis doctrinaque partibus abſolutam atque perfectam iam inde ab initio floruiſſe? anno duodecimi ſeculi primo & quinquageſimo, publico totius ordinis conuentu Mettis habito ſtatuerunt vt omnibus in locis deſignarentur è fratribus quidam qui bonis artibus pueros erudirent. Quòd ſi peruicacibus ingeniis hominum auctoritate fieri ſatis non poteſt, ſi hac opinio tam altas egit radices vt humanis viribus euelli non poßit, diuina ſapientia ſaltem acquieſcant.* Sinite, *inquit,* paruulos venire ad me: talium eſt enim regnum cœlorum.

Neque verò grauißimas rationes non habuerunt, cur puerorum inſtitutione putarent felicitatem Eccleſia contineri. Videbant homines ſapientißimi difficulter eradi qua teneris animis imprimuntur: ceream eſſe atatem, & cuiuſuis forma capacem. Nullo negotio teneram plantam in quamcunque partem inflexeris: vetuſtate corroboratam fregeris potiùs, quàm è ſuo ſtatu detorſeris. Tenella naſcentium membra facilè fingunt obſtetrices: diſtorta tantiſper pauco pòſt tempore ars medicorum nulla correxerit: Tenelli belluarum fœtus ſine labore cicurantur: cùm in ſyluis adoleuerint, nunquam exuent feritatem. Iam ſi tyranni quidam conficta Pilati acta omnibus in Chriſtum contumeliis plena pueris pralegi iuſſerunt, vt cum lacte nutricum venenum impietatis haurirent, ſi nihil impenſiùs agere ſolent haretici quàm vt teneros puerorum animos ſuis imbuant erroribus, quis ordinem Religioſum

reprehendendum, & non potiùs laudandum putet, quòd eo ſine iuuentutem Chriſtianam litteris etiam profanis initiandam ſuſceperit, vt cum humanioribus illis ſtudiis diuinam pietatem inſtillet?

Quòd ſi quidam neque rationes audire, neque Sanctorum exempla volunt intueri, vnum illud reſtat, vt eos ad euentum (ſtultorum magiſter is eſſe ſolet) prouocemus. Initio ſeculi ſuperioris pauci erant excellentes Theologi: plerique omnes tam barbari, tam in loquendo & exprimendis animi ſenſibus inquinati, vt ignem ex iis faciliùs eſſet feriendo, quàm interrogando elegantius reſponſum extundere. Teſtis colloquium illud Poſſiacum, in quo Beza præſentium animos inani volubilitate verborum, & velut quibuſdam eloquentiæ præſtigiis ita faſcinarat, vt Catholici penè omnes, quidam etiam apprimè docti, præcluſis quaſi faucibus, obmuteſcerent, & iam mendacium de veritate, impietas de pietate, perfidia de fide triumphare videretur, niſi tuus ille gentilis, Princeps Sereniſſime, *Academiæ noſtræ fundator, S. R. E. Cardinalis, Magnus, inquam, ille Carolus à Lotharingia, verâ eloquentiâ fucatæ loquacitatis offutias eluiſſet, & diuini verbi gladio veteris gladiatoris fregiſſet audaciam. Si qui erant litteris hiſce manſuetioribus politiores, ij vel captantes inanem gloriolam, vel animi leuitate ſtudióque nouitatis impulſi ſtatim ad Caluini Lutherique ſcopulos adhæreſcebant, facto paternæ fidei religioniſque naufragio: ij Grammaticorum & Rhetorum exedras in omnibus penè collegiis obtinebant. Prodibant in dies nouæ gloſſaria, noui linguarum theſauri, nouæ Græcorum Scriptorum verſiones. Horum auctores, ſi quæras, omnes propemodum ſectarij, vt iam homines litteris humanioribus vel mediocriter tinctos tantùm non Catholici nominis ſuppuderet. Quid igitur iuuentute Catholica faciendum eſſe cenſemus? Eámne trademus huiuſmodi diſciplinæ, vt ex aurea patera Babylonicæ meretricis venenum hauriat humanitatis melle circumlitum, an in ſumma rerum & verborum ignoratione verſari, quodam inertiæ ſitu ſqualleret, veterno tabeſcere, vel ſaltem, vt initio dicebamus, neglectis hiſce litteris vno ſacrarum litterarum oculo contentam eſſe patiemur?* Bonum eſt tibi cum vno oculo intrare in vitam, quàm duos oculos habentem mitti in gehennam ignis. *Sed interim quæ barbaries in Eccleſia Romana verſabitur? quod ſupercilium hæreticæ factionis? Vnum erat tot malis remedium, vt religioſi ſcholas pueris aperirent, & amœniorum ſuauitate litterarum ineſcatos à Satanæ laqueis, ad Chriſti ſagenam adducerent. Hoc videre prudentiæ fuit, tentare pietatis, perficere fortitudinis, & videre verò & tentare & perficere virtutis modis omnibus abſolutæ. Vidit, tentauit, perfecit S. Ignatius. Quid iam attinet dicere quos inde fructus Eccleſia tota decerpſerit?*

Quaſi verò quiſquam non intelligat ad horum ſtudiorum gymnaſia

delibatum florem Chriſtianæ iuuentutis ex omnibus prouinciis conuenire. Horum adoleſcentum plerique, præſertim nobiles, ad Philoſophiam non adſpirant: non pauci, cùm Dialecticam labris deguſtarint primoribus, animos ad Iuriſprudentiam appellunt: Pauci decurſis Philoſophiæ ſpatiis ſacræ Theologiæ limen attingunt. Et, ſi verum inquirimus, neque Philoſophis neque Theologis facilè Chriſtianam pietatem inſtilles, niſi priùs in ſcholis illis humanioribus animo mollito & ſubacto veræ germanæque virtutis rorem exceperint. Neque enim, ſi velis, ſuas aures aßiduis hortationibus & catecheſibus facilè commodabunt. Adeò, quicquid in noſtris gymnaſiis, tot religioſi, tot ſæculares, tot Iuriſconſulti, Medici, Iudices, Senatores, aulici, principes, parochi, antiſtites pietatis hauſerunt, id vnis penè ſcholis humanioribus acceptum referet quiuis æquus rerum æſtimator. Quid? quod ipſa veritas extorquet, vt non minus huic politiori litteraturæ, quàm Theologiæ ſacriſque concionibus ob extinctam hæreſim deberi fateamur. Quis enim iam non intelligit poſt apertas à Societate ſcholas eam rerum mutationem contigiſſe, vt, cùm priùs plerique omnes his ſtudiis eruditi aliquam exiſtimationi ſuæ labeculam adſpergi putarent, ſi in ſectanda religione maiorum ſuorum veſtigiis inſtitiſſent, ita vicißim, ſi qui ſunt, qui pauci ſunt, hac elegantiore doctrina paulò cultiores, qui voluptatum licentiæque lenociniis addicti ſe nondum ad Eccleſiæ caſtra receperint, iam tamen Catholicum nomen affectant, rudéſque & imperitos cenſeri ſe putant ſi in Caluini Lutheriue grege numerentur. Non igitur puerili quadam animi leuitate, ſed, vt maiorum exempla docent, ratio perſuadet, experientia confirmat, certo diuinæ gloriæ magis & magis in dies propagandæ conſilio Societas noſtra litteras humaniores, & puerorum inſtitutionem amplexa eſt.

Hæc habui, Princeps Sereniſſime, *quibus & mihi patrocinarer ipſi, & communem noſtræ Societatis cauſſam te diſceptatore, defenderem. Reſtat vt non à me ſolùm, ſed etiam ab eadem Societate temeritatis & impudentiæ notam deprecer, quòd Celſitudini tuæ tam exiguum munus meis manibus offerendum putarit. Verùm & magni viri oblata ſibi munera non ſua magnitudine, non ipſorum munerum pretio, ſed offerentium voluntate metiuntur;*

Paruáque cœleſtes pacauit mica: nec illis
Semper inaurato taurus cadit hoſtia cornu.

Et qui tibi nihil offerendum eſſe contendunt niſi quod tuæ dignitati reſpondeat, eò ſpectant vt nihil penitùs offerendum eſſe videatur, ac proinde viuamus & moriamur ingrati. Quis enim tibi munus tam politum ingenio, tam elucubratum vigiliis, tam elaboratum induſtria poßit offerre, vt non immane quantum, tua illa dignitas antecellat. In te ſumma videmus omnia, Sereniſſime Princeps, & Eminentiſſime Cardinalis, *ſummam generis à Carolo Magno per Duces*

Bullionios propagati claritatem, ſummum ingenium cum ſumma indole, ſummam eruditionem cum ſumma virtute certantem, ſummam in iuuene prudentiam, ſecularem in Ducatu Lotharingiæ poteſtatem ſummæ proximam, eminentiſſimam in Eccleſia dignitatem, vt neque noſtra, neque muneris humilitas ad illud Eminentiæ tuæ faſtigium adſpiret. Quare quod veteres in Coloſſorum veneratione faciebant, id hodierno die citra ſuperſtitionem imitandum putaui, &

Vt caput in magnis vbi non eſt tangere ſignis,
Ponitur hîc imos ante corona pedes.

Muſſiponti 3. Iulij, anno M. DC. XXXI.

Tuæ Celſitudinis

Seruus humillimus & obſeruantiſſimus
NICOLAVS ABRAM
è Societate IESV.

IN

M. TVLLII CICERONIS ORATIONEM PRO TIT. ANNIO MILONE

PRÆFATIO.

LVCIO Craſſo, cùm aliquid accuratiùs dixiſſet, id plerumque contigiſſe ſcribit Orator, nunquam vt meliùs dixiſſe putaretur, quaſi cæteri à Craſſo ſemper omnes, illo autem die fuiſſet à ſe etiam ipſe ſuperatus. Etſi enim ſuperior eius oratio præteruecta non fuerat aures, ſed penitùs in auditorum mentibus inſederat, ſic tamen incredibili dicendi ſuauitate, quibuſdam quaſi blanditiis influebat in animos, ſic irrepebat in ſenſus, vt præſens audiendi iucunditas ſenſum omnem præteritæ voluptatis obtunderet. De Craſſo, quoniam nihil in litteris extat, viderint ij, qui viuam Oratoris diſertiſſimi vocem audire potuerunt. Me certè ſic eloquentia mei Ciceronis afficit, ita me non delectat ſolùm, ſed etiam ſine ſatietate delectat, vt quamcunque eius orationis poſtremam in manus ſumpſero, ea cæteris, vt mihi tum videtur, omnibus antecellat, & quo frequentiùs teritur, eo fragrantiorem, ſuccini inſtar odoris ſuauitatem exhalet. Tanta eſt vbique vel argumentorum ſubtilitas, vel amœnitas dictionis, vel rerum ſententiarúmque maieſtas. Tamen ita me præ cæteris Miloniana demulcet, & propemodum effaſcinat, vt qui hanc nobiliſſimam cum Fabio, primam omnium cum Aſconio, cum aliis perfectam orationis ideam, & exemplar omnibus eloquentiæ numeris abſolutum, ipſámque adeò Suadæ medullam appellant, plus penè quàm poſſunt, minus quàm debent, dicere videantur. Quàm enim tota ex arte? quanta diſſimulatione artis? Quod telum priore confirmationis parte ſubtilius? Quod fulmen poſteriore vibratius? Quid ſublimius peroratione? vbi frequentiùs in amplificationibus exarſit? vbi grauiores intexuit, vberioréſque ſententias? Quando feliciùs aſſurgit, demittitur, hilareſcit, fulgurat, tonat, fulminat, perrumpit, blanditur, ſedat, inflammat, in omnes motus dicendíque formas orationem effingit? modò quadam verborũ tenuitate limatus, modò cõcinnitate feſtiuus, modò ſqualore ſitúque vetuſtatis horridus, & ipſâ quaſi negligentiâ venerabilis. Sollicitum exordium, narratio callida, confirmatio fortis, peroratio luctuoſa, omnes denique partes ſic ad omnis eloquentiæ ſpecimen expolitæ, vt qui hanc vnam orationem legerit, is neque ſplendorem Æſchinis, neque Lyſiæ puritatem, nec ſuauitatem Iſocratis, nec vim Demoſthenis, nec Periclis fulmina deſideret. Adeò maximus Orator, quicquid ab omnis & ingenij & eruditionis antiſtite natura felix, diu-

turnus vſus, doctrina ſingularis, odium Clodij, Milonis amor è pectore tot amici beneficiis obligato, tot inimici maleficiis exulcerato depromere potuit, id in hanc orationem profudit vniuerſum. Ad cuius explanationem priuſquam accedimus, argumentum ab Aſconio mutuemur.

ARGVMENTVM ORATIONIS PRO Milone, ex Aſconio Pediano.

HANC dixit Cn. Pompeio iij. Conſule, ad VI. Idus April. quod iudicium cùm ageretur, exercitum in foro, & omnibus in templis quæ circum forum ſunt, collocatum à Cn. Pompeio fuiſſe, non tantùm ex ea oratione & annalibus, ſed etiam ex libro apparet qui Ciceronis nomine inſcribitur, De optimo genere oratorum. T. Annius Milo, & P. Plautius Hypſæus, & Q. Metellus Scipio Conſulatum petierunt, non ſolùm largitione palàm profuſa, ſed etiam factionibus armatorũ ſuccincti. Miloni & Clodio ſummæ erant inimicitiæ: quòd & Milo Ciceronis erat amiciſſimus, in reducendóq; eo enixè operam Reip. dederat: & P. Clodius reſtituto Ciceroni erat infeſtiſſimus, ideóque ſummè ſtudebat Hypſæo, & Scipioni contra Milonẽ. ac ſæpe inter ſe Milo & Clodius cum ſuis factionibus Romæ depugnauerãt, & erat vtrique audacia par: ſed Milo pro melioribus partibus ſtabat. Præterea in eundem annum Conſulatum Milo, Clodius Præturam petebat, quam debilem futuram Conſule Milone intelligebat. Deinde cùm diu tractata eſſent Comitia Cõſularia, perficíque ob eas ipſas perditas cãdidatorum contentiones non poſſent, & ob id menſe Ianuario nulli, dum neque Conſules, neque Prætores eſſent, traheretúrque dies eodem quo anteà modo, dum Milo quamprimùm comitia confici vellet, conficerétque cum bonorũ ſtudiis, quòd obſiſtebat Clodio, tum etiam populo * (propter effuſas largitiones, impenſas quoque ludorum ſcenicorũ, ac gladiatorij muneris maximas, in quas tria prædia * effudiſſe eum Cicero ſignificat) competitores eius trahere vellent: ideóque Pompeius gener Scipionis, & T. Munatius Tribunus pleb. referri ad Senatum de patriciis conuocandis, qui interregem proderent, non eſſent paſſi cùm inter regem prodere moris eſſet: ad iij. Cal. Febr. (acta enim magis ſequenda, & ipſam orationem, quæ actis congruit, puto, quàm Feneſtellã, qui ad XIV. Cal. Febr tradit.) Milo Lanuuium, ex quo erat municipio, & ibi tum Dictator, profectus eſt ad Flaminem prodendum. Poſtera die occurrit ei circa horam nonam Clodius paulò vltrà Bouillas, rediens ab Aricia, propè eum locum in quo Bonæ Deæ ſacellum eſt. Erat autem allocutus Decuriones Aricinorum. Vehebatur Clodius equo. Serui XXX. ferè expediti, vt illo tẽpore mos erat iter facientibus, gladiis cincti ſequebantur. Erant cum Clodio præterea tres comites eius, ex quibus Eques Rom. vnus C. Caſſinius Schola: duo de plebe noui homines, P. Pomponius, C. Claudius. Milo Rheda, vehebatur cum vxore Fauſta, filia L. Syllæ Dictatoris, & M. Fuſio familiari ſuo. ſequebatur eos magnum ſeruorum agmen: inter quos gladiatores quoque erant. Ex quibus duo noti, Eudamus & Birria. hi in vltimo agmine tardiùs euntes, cum ſeruis P. Clodij rixam commiſerunt. Ad quem tumultum cùm reſpexiſſet Clodius minitabundus, humerũ eius Birria romphea traiecit. Inde cùm orta eſſet pugna, plures Miloniani accurrerunt. Clodius vulneratus in tabernam proximam Bouillano delatus eſt. Milo vt cognouit vulneratum Clodium, cùm ſibi periculoſius illud etiam viuo eo futurum intelligeret, occiſo autem magnum ſolatium eſſet habiturus, etiam ſi ſubeunda eſſet pœna, exturbari tabernam iuſſit. Fuit anteſignanus ſeruorum eius M. Fuſtenus. atque ita Clodius latens extractus eſt, multiſque vulneribus confectus. Cadauer eius in via relictum (quia ſerui Clodij aut occiſi erant, aut grauiter ſaucij latebant) Sex. Tedius Senator, qui fortè ex rure in vrbem reuertebatur, ſuſtulit, & lectica ſua Romam ferri iuſſit. Ipſe rurſus eòdem, vnde venerat, greſſum recepit. perlatum eſt corpus Clodij ante primam noctis horam: infimæque plebis & ſeruorum maxima multitudo magno luctu corpus in atrio domûs poſitum circumſtetit. Augebat autem facti inuidiã vxor Clodij Fuluia, quæ cum effuſa lamentatione vulnera eius oſtendebat. Maior poſtera die, luce prima, multitudo eiuſdem generis confluxit, compluréſque noti ho-

*populi.

*patrimonia.

mines eliſi ſunt, inter quos C. Vibienus Senator. Erat domus Clodij ante paucos menſes empta de M. Scauro in palatio. Eodem Munatius Plancus frater L. Planci oratoris, & Q. Pompeius Rufus Syllæ Dictatoris ex filia nepos, Tribunipleb. accurrerunt: eíſque obſtantibus *, vulgus imperitum corpus nudum calciatum *, ſicut in lecto erat poſitum, vt vulnera videri poſſent, in forum detulit, & in roſtris poſuit. ibi pro concione Plancus & Pompeius, qui competitoribus Miloni ſtudebant, inuidiam Miloni fecerunt. Populus Duce Sex. Clodio ſcribâ corpus P. Clodij in Curiam intulit, cremauítque ſubſelliis & tribunalibus & menſis, & codicibus librariorum. quo igne & ipſa quoque curia flagrauit: & item Porcia baſilica, quæ erat ei iuncta, ambuſta eſt. domum quoque M. Lepidi interregis (is enim magiſtratus Curulis erat creatus) & abſentis Milonis eadem illa Clodiana multitudo oppugnauit. Deinde ſagittis repulſa eſt, tum faſces ex lecto libitinæ raptos attulit ad domum Scipionis & Hypſæi, deinde ad hortos Cn. Pompeij, clamitans eum modò Conſulem, modò Dictatorem. Incendium Curiæ maiorem aliquantò indignationem ciuitatis mouerat, quàm interfectio Clodij. Itaque Milo, quem opinio fuerat iuiſſe in voluntarium exilium, inuidia aduerſariorum recreatus, nocte ea redierat Romam, qua incenſa erat Curia: petebátque nihilo deteriùs Conſulatum. Apertè quoque tributim in ſingulos millia aſſium dederat. Concionem ei poſt aliquot dies dedit M. Cœlius Trib. pleb. accitus * ipſe etiam. Cauſam etiam ad populum dicebant vtrique, Miloni à Clodio factas eſſe inſidias. Fiebant intereà alij ex aliis interreges; quia comitia conſularia propter eorum candidatorum tumultus, & eandem manum armatam haberi non poterant. Itaque primo factum erat S. C. vt interrex & Tribunipleb. & Cn. Pompeius, qui pro conſule ad vrbem erat, viderent ne quid detrimenti Reſp. caperet: Delectus autem Pompeius totâ Italiâ haberet. Qui cùm ſumma celeritate præſidiũ comparaſſet, poſtulauerunt apud eum familiam Milonis, item Fauſtæ vxoris eius adhibendam, duo adoleſcentuli, qui Appij Claudij ambo appellabantur, qui erant C. Claudij filij, qui fuerat frater Clodij, & ob id illi patrui ſui mortem velut auctore fratre perſequebantur. Eaſdem Fauſtæ & Milonis familias poſtulauerunt duo Valerij, Nepos & Leo, vt L. Herennius Balbus P. Clodij quoque familiam & comitum eius poſtulauit. Eodem tempore Cœlius familiam Hypſæi, & Q. Pompei poſtulauit. Affuerunt Miloni Q. Hortenſius, M. Cicero, M. Marcellus, M. Calidius, M. Cato, Fauſtus Sylla. Verba pauca Q. Hortenſius dixit, quæ ſunt, liberos eſſe eos, qui pro ſeruis poſtularentur. Nam poſt recentem cædem manumiſerat eos Milo, ſub hoc titulo quod caput ſuum vlti eſſent. Hæc agebãtur menſe intercalari, poſt diem trigeſimum ferè, quàm erat Clodius occiſus. Q. Metellus Scipio in Senatu contra M. Cæpionem * conqueſtus eſt, ac de cæde P. Clodij falſum eſſe dixit, quòd Milo ſic ſe defenderet, & Clodium Aricinos * Decuriones alloquendi gratia abiiſſe, profectum cum ſex ac xx. ſeruis: Milonem ſubitò poſt horam quartam, Senatu miſſo cum ſeruis amplius c c c. armatis obuiam ei contendiſſe, & ſuprà Bouillas inopinantem in itinere aggreſſum. ibi P. Clodium tribus vulneribus acceptis Bouillas perlatum: tabernam in quam profugerat, expugnatam à Milone, ſemianimem Clodium extractũ, in via Appia occiſum eſſe, annulúmque eius ei morienti extractum. Deinde Milonem, cùm ſciret in Albano paruulum Clodij filium veniſſe ad villam, & cùm puer ante ſubtractus eſſet, de ſeruo Alicore quæſtionem ita habuiſſe, vt eum articulatim conſecaret: villicum & duos prætereà ſeruos iugulaſſe: ex ſeruis Clodij qui dominum defenderint vndecim eſſe interfectos, Miloni duos ſolos ſaucios factos eſſe. Ob quæ Milonẽ poſtero die xii. ſeruos qui maximè operam nauaſſent manumiſiſſe, populóque tributim ſingula millia æris ad defendẽdos de ſe rumores dediſſe. Milo miſiſſe ad Cn. Pompeium dicebatur, quòd Hypſæo ſummè ſtudebat, quòd fuerat eius Quæſtor, deſiſtere ſe petitione Conſulatus, ſi ita ei videretur. Pompeium reſpõdiſſe, nemini ſe neque petendi, neque deſiſtendi auctorem eſſe: neque populi Romani poteſtatem, aut conſilium, aut ſententiam interpellaturum. Deinde per C. Luciliũ, qui propter M. Ciceronis familiaritatem amicus erat Miloni egiſſe quoque dicebatur, ne ſe de hac re conſulendo inuidia oneraret. Inter hæc cùm crebreſceret rumor Cn. Pompeium creari Dictatorẽ, neque opportunè aliter mala ciuitatis ſedari poſſe: viſum eſt optimatibus tutius eſſe, eum Conſulem ſine collega creari. Et cùm tractata ea res eſſet in Senatu, facto in M. Bibuli ſententiam S. C. Pompeius ab interrege Ser. Sulpitio v. Cal. Mart. menſe Intercalario Conſul creatus eſt, ſtatímque Conſulatum iniit. Deinde poſt diẽ tertium de Legibus nouis ferendis retulit. duas ex S. C.

* *hortãtibus*, vel *inſtantibus*.
* alias *caldatum*.
* fortaſſe. *ac eius ipſe etiã cauſam egit ad populum. Dicebant*, &c.
* an *Ciceronem?*
* alias *vicinos*.

promulgauit, alteram de vi qua nominatim cædem in Appia via factam, & incendium curiæ, & domum M. Lepidi interregis oppugnatam comprehendit, alteram de ambitu pœnam grauiorem, & formam iudiciorum breuiorem. vtraque enim lex priùs teſtes dari, deinde vno die atque eodem & ab accuſatore & ab reo perorari iubebat: ita vt duæ horæ accuſatori, tres reo darentur. His legibus obſiſtere M. Cœlius Trib. pleb. ſtudioſiſſimus Milonis, conatus eſt, quòd & priuilegium diceret in Milonem fieri, & iudicia præcipitari. & cùm pertinaciùs legem Cœlius vituperaret, eò proceſſit iræ Pompeius, vt diceret, ſi coactus eſſet, armis ſe Remp. defenſurum. Timebat autem Pompeius Milonem, ſeu timere ſe ſimulabat, plerumque non domi ſuæ, ſed in hortis manebat, idque ipſum in ſuperioribus circa quos etiam magna manus militum excubabat. * Senatum quoque ſemel repetundus erat * Pompeius, quòd diceret timere ſe aduentum Milonis, dein proximo Senatu P. Cornificius ferrum Milonem intra tunicam habere ad femur alligatum dixerat. poſtulauerat vt femur nudaret: & ille ſine mora tunicam leuarat. tum M. Cicero exclamauerat omnia illi ſimilia crimina eſſe, quæ in Milonem dicerētur, alia. deinde Munatius Plancus Trib. pleb. produxerat in concionem M. Æmilium Philemonem, notum hominem, libertum M. Lepidi: is ſe dicebat pariterque ſecū quatuor liberos homines iter facientes ſuperueniſſe cùm Clodius occideretur: & , ob id cùm proclamaſſent, abreptos & per duos menſes in villam Milonis præcluſos fuiſſe: eáque res ſeu vera, ſeu falſa, magnam inuidiam Miloni contraxerat. Idémque Munatius & Pompeius Tribunipleb. in Roſtra produxerant Triumuirum Capitalem: * eúmque interrogauerant, an Galatam Milonis ſeruum cædes facientem deprehendiſſet. ille dormientem in taberna pro fugitiuo deprehenſum, & ad ſe perductū eſſe reſponderat. Denuntiauerant tamē Triumuiro, ne ſeruum remitteret: ſed poſtera die Cœlius Trib. pleb. & Manilius Cauianus collega eius, ereptum è domo Triumuiri ſeruum Miloni reddiderunt. Et ſi nullam de his criminibus mentionem fecit Cicero, tamen quia ita compereram, putaui exponenda. Inter primos & Q. Pompeius, & C. Salluſtius, & T. Munatius Plancus Tribunipleb. inimiciſſimas cōciones de Milone habebant: * Inuidiam etiā de Cicerone, quòd Milonem tanto ſtudio defenderet: atque maxima pars multitudinis infenſa, non ſolùm Miloni, ſed etiā propter inuiſum Ciceroni patrocinium. Poſteà Pompeius & Salluſtius in ſuſpicione fuerunt, in gratiam rediſſe cum Milone ac Cicerone: Plancus autē infeſtiſſimè perſtitit atque in Ciceronē quoque multitudinē inſtigauit. Pompeio autē ſuſpectum faciebat Milonem ad perniciem eius comparari vim * vociferatus: Pompeiúſque ob ea ſæpius querebatur, fieri quoque inſidias, & id palàm: ac maiore manu ſe armabat. Dicturum quoque diem Ciceroni Plancus oſtendebat. Poſteà autem Q. Pompeius idem minitatus * erat. tanta tamen conſtantia ac fides fuit Ciceronis, vt non populi à ſe alienatione, non Cn. Pompeij ſuſpicionibus, non periculi futuri metu, ſi ſibi dies ad populum diceretur, non armis, quæ palàm in Milonem ſumpta erant, deterreri potuerit à defenſione eius, cùm poſſet omne periculum ſuum & offenſionem inimicæ multitudinis declinare: redimere etiam Cn. Pompeij animum, ſi paulùm ex ſtudio defenſionis remiſiſſet. Perlata deinde lege Pompeij, in qua id quoque ſcriptum erat, vt Quæſitor ſuffragio populi ex iis, qui Conſules fuerāt crearetur, ſtatim comitia habuit creatúſque erat L. * Domitius Ænobarbus Quæſitor. Aliorum quoque iudicum, qui de ea re iudicarent, Pompeius tales propoſuit vt nunquam neque clariores viros, neque ſanctiores propoſitos eſſe conſtaret. Poſt quod ſtatim noua lege Milo poſtulatus à duobus Appiis Clodiis adoleſcentibus, iiſdem à quibus anteà familia eius fuerat poſtulata. Itémque de ambitu ab iiſdem Appiis, & prætereà de vi à L. Cornificio, de ſodalitiis à P. Fuluio Nerato. Poſtulatus autem erat & de ſodalitiis, & de ambitu ea ſpe, quòd primum iudicium de vi futurum apparebat, quo eum damnatum iri confidebant, nec poſteà reſponſurum. Diuinatio de ambitu accuſatorum facta eſt, Quæſitore A. Torquato: atque ambo Quæſitores Torquatus & Domitius pridie nonas April. reum adeſſe iuſſerunt: quo die Milo ad Domitij Tribunal venit ad Torquati amicos miſit, ibi poſtulante pro eo M. Marcello obtinuit, ne priùs cauſam de ambitu dicerent *, quam de vi Iudicium eſſet perfectum. Apud Domitium autem Quæſitorem Maior Appius poſtulauit à Milone, ſeruos exhiberi numero 4. & 50. & cùm ille negaret eos qui nominabantur, in ſua poteſtate eſſe: Domitius ex ſententia Iudicum pronunciauit, vt ex ſeruorum eorū numero accuſator quot vellet ederet. Citati deinde teſtes ſecundum legem, quæ vt ſuprà diximus, iubebat, vt prius quàm

* alias *magnanimus multùm excuſabat*. nullo ſenſu.

* fortaſſe *repente dimiſerat.*

* alias *Compitalem.*

* *inuidioſas etiam.*

* alias *comparauit eū*, nullâ ſubiectâ ſententiâ.

* alias *meditatus erat.*

* alias *Cn. Domitius.* malè.

* *diceret.*

cauſa ageretur teſtes per triduum audirētur, dicta eorum Iudices conſignarēt*, quarta die adeſſe omnes in diem poſterum iuberentur. Ac coram accuſatore, ac reo pilæ, in quibus nomina Iudicum inſcripta eſſent æquarētur: dein rurſus poſtera die ſortitio Iudicum fieret vnius & LXXX. qui numerus cùm ſorte obtigiſſet, ipſi protinus ſeſſum irent: tum ad dicendum accuſator duas horas, reus tres haberet, reúſque eodem die illo iudicaretur, priùs autem quàm ſententiæ ferrentur, quinos ex ſingulis ordinibus accuſator, totidem reus reiiceret, ita vt numerus Iudicum relinqueretur qui ſententias ferrent, quinquaginta & vnus. Primo die datus erat in Milonem teſtis Caſſinius Schola, qui ſe cum P. Clodio fuiſſe, cùm is occiſus eſt, dixit, atrocitatémque rei factæ, quàm maximè potuit auxit. quem cùm interrogare M. Marcellus cœpiſſet, tanto tumultu Clodianæ multitudinis circunſtantis exterritus eſt, vt vim vltimam timens, in tribunal à Domitio reciperetur, quam ob cauſam Mar. Marcellus, & ipſe Milo à Domitio præſidium implorauerunt. Sedebat eo tempore Cn. Pompeius ad ærariū, perturbatúſque erat eodem illo clamore: Itaque Domitio promiſit, ſe poſtero die cum præſidio deſcenſurum: idque fecit. quare territi Clodiani, ſilentio verba teſtium per biduum audiri paſſi ſunt. Interrogauerunt eos M. Marcellus & Milo ipſe. multi ex iis qui Bouillis habitabant, teſtimoniū dixerunt de iis quæ ibi facta erant, cauponem occiſum, tabernam expugnatam, corpus Clodij in publicum extractum eſſe: virgines quoque Veſtales dixerunt mulierem ignotam veniſſe ad ſe, quæ Milonis mandato votum ſolueret, quòd Clodius occiſus eſſet. vltimæ teſtimonium dixerunt Sempronia Tuditani filia, ſocrus P. Clodij & vxor Fuluia, & fletu ſuo magnopere eos qui adſtabant commouerunt. Dimiſſo circa horam decimam iudicio T. Munatius pro concione populum adhortatus eſt, vt poſtero die frequens adeſſet, & elabi Milonem non pateretur, iudiciúmque & dolorem ſuum oſtenderet. Euntibus ad tabellam ferendam poſtero die Iudicibus qui fuit ad 3.* Idus April. clauſæ fuerūt tota vrbe tabernæ; præſidia in foro & circa omnes fori aditus Pompeius diſpoſuit. ipſe pro ærario, vt pridie, conſedit, ſeptus delecta manu militū. Sortitio deinde Iudicum à Quæſitore facta eſt. pòſt tantum ſilentium toto foro fuit, quantum eſſe in aliquo foro poſſet; tum intra horam ſecundam accuſatores cœperunt dicere, Appius Maior, & M. Antonius, & P. Valerius Nepos. Vſi ſunt ex lege horis duabus, reſpondit his vnus M. Cicero: & cùm quibuſdam placuiſſet ita defendi crimē, interfici Clodium pro Rep. fuiſſe, quam formam M. Brutus ſecutus eſt in ea oratione, quam pro Milone compoſuit & edidit, quamuis non egiſſet: Ciceroni id non placuit, quòd qui bono publico damnari, idem etiam occidi indemnatus poſſet*. Itaque cùm inſidias Milonē Clodio feciſſe poſuiſſent accuſatores: quia falſum id erat (nam fortè illa rixa commiſſa fuerat) Cicero apprehendit, & contrà Clodium Miloni feciſſe inſidias diſputauit: eóque tota oratio eius ſpectauit. ſed ita conſtitit, vt diximus, neutrius conſilio pugnatum eſſe eo die, verum fortè occurriſſe: ex ea rixa ſeruorum ad eam cædem peruentum. notum tantum erat, vtcumque mortem alteri ſæpè minatum eſſe: & ſicut ſuſpectum Milonem maior, quàm Clodij familia faciebat: ita expeditior & paratior ad pugnam Clodianorum, quàm Milonis fuerat. Cicero cùm inciperet dicere exceptus eſt acclamatione Clodianorum, qui ſe continere ne metu quidem circumſtantiū militum potuerunt: Itaque non ea, qua ſolitus erat, conſtantia dixit. manet autem illa quoque excepta eius oratio. ſcripſit verò hanc, quam legimus, ita perfectè, vt iure prima haberi poſſit. *Hæc Aſconius Pædianus.* Cauſſæ genus eſt iudiciale: Quæſtio qualitatis: dicendi character eſt varius, plerumque tamen magnificus & ſublimis. argumentum principale.

*aliàs *confirmarent.*

*legit Manutius *ad 6. Idus April.* vt initio legitur.

**non poſſet.*

Damnandus non eſt qui inſidiatorem interemit.
Milo Clodium inſidiatorem interemit.
Ergo damnandus non eſt.

Maior propoſitio refutatione præiudiciorum, aſſumptio narratione & priore confirmationis parte, complexio ſyllogiſmi exordio & peroratione continetur. additur & aliud argumentum ex abundanti. *Præmiis donandum qui pernicioſum Reip. ciuem occiderit.* vt è ſubiecta tabula liquebit.

Diuiſio generalis orationis pro Milone.

- 1. Exordium ad §. 6.
- 2. Refutatio præiudiciorum. à 7. ad 24.
  - 1. Nefas eum viuere, qui à ſe hominem occiſum eſſe fateatur. à 7. ad 12.
  - 2. Milo iam damnatus eſt iudicio Senatûs. à 12. ad 15.
  - 3. & ſententia Cn. Pompeij. à 15. ad 24.
- 3. Narratio. à 24. ad 30.
- 4. Conſtitutio quæſtionis. 30. 31.
- 5. Confirmatio, quæ duplex. à 32. ad 93.
  - Prior propria huius queſtionis, Clodium iure cæſum, quòd eſſet inſidiator. à 32. ad 73. & probatur
    - 1. ab antecedentibus, ſiue perſonis, in quibus ſpectatur
      - voluntas inſidiandi. à 32. ad 46.
      - facultas inſidiandi. à 46. ad 50.
    - 2. à comitantibus ſiue facti circunſtantiis. à 50. ad 57. quibus adiungitur cõfutatio quarundam obiectionum. à 57. ad 61.
    - 3. à conſequentibus ſiue facti veſtigiis. cum dilutione ſuſpicionum Cn. Pompeij. à 61. ad 73.
  - Poſterior ex abundanti, etiamſi Clodius inſidiator non fuiſſet, tamen occidi cum interfectoris laude potuiſſe, quia pernicioſus Reipub. ciuis. à 73. ad 93.
- 6. Peroratio. à 93. vſque ad finem.

Exordium §. 6. comprehenſum quo reddit Iudicem

- Beneuolum & miſericordem
  - ſibi
    - ſignificatione amabilium morum
      - pietatis & ſolicitudinis pro amico.
      - ingenuitatis in timore confitendo. 1.
      - ſimilitudinis affectuum cum Iudicibus.
    - laudatione Pompeij
      - à iuſtitia.
      - ſapientia. 2.
    - ſignificatione amoris bonorum. 3. fit enim vt eum facilè diligamus, quem à bonis amari arbitramur.
    - modeſtia petitionis. 4.
  - Milonis
    - magnitudine animi. 1.
    - patriæ charitate. 1.
    - laboribus pro Rep. 3.
    - ſpe fruſtrata. 5.
    - aperta hortatione. 4.
- Infenſum aduerſariis. ab
  - audacia contra quos poſita præſidia
    - ſalutaria.
    - neceſſaria. 2.
  - ab antecedentibus, & ſceleribus duce Clodio patratis.
    - incendiis.
    - ruinis.
    - exitiis publicis. 3
  - inſolentia qua Iudicibus voce præiuerunt, quid iudicarent. 3.
  - indignitate rei & contemptu Iudicum, quod ſperauerint fore, vt viros bonos, quos ferro trucidare non potuerant, Iudicum ſententiis affligerent. 5.
- Attentum. à
  - rei magnitudine ſpectantis ad ſummam Remp. 1. 3.
  - aperta hortatione ad aduertendum animum & deponendum timorem. 4.
  - ab occaſione Iudicibus oblata de Rep. bene merendi. 4.
- Docilem. 6.
  - propoſitione.
  - diuiſione.

M. TVLLII CICERONIS ORATIO

PRO TIT. ANNIO MILONE.

ARGVMENTVM.

Per oratoriam occupationem cauſſas ſui timoris exponit, quædam beneuolentiæ colligendæ, & inuidiæ in aduerſarios concitandæ ſemina paucis interſerens.

I. ETsi vereor, Iudices, ne turpe ſit, pro fortiſſimo viro dicere incipientem, timere; miniméque deceat, cùm Tit. Annius Milo ipſe magis de Reipub. ſalute, quàm de ſua perturbetur, me ad eius cauſſam parem animi magnitudinem afferre non poſſe: tamen hæc noui iudicij noua forma terret oculos, qui, quocumque inciderint, veterem conſuetudinem fori, & priſtinum morem iudiciorum minimè vident. non enim corona conceſſus veſter cinctus eſt, vt ſolebat: non vſitata frequentia ſtipati ſumus.

EXPLANATIO.

ETsi vereor.] Genus cauſſæ dubium eſt, & partim honeſtate, partim turpitudine temperatum. honeſtum eſt vim vi illatam repellere, *quod & ratio doctis, & neceßitas barbaris, & mos gentibus, & feris natura ipſa præſcripſit.* Turpe eſt & ciuem & nobilem in monumentis maiorum ſuorum occidere, quo factum eſt vt Appiæ viæ nomen, in qua occiſus fuerat Clodius, miras tragœdias excitarit. quare, quod in dubio cauſſæ genere fieri debet, in principio ſibi beneuolentiam; aduerſariis inuidiam aucupatur. beneuolentiam tum à ſua, tum à Milonis perſona. à ſuâ, cùm & ſe pro Milone ſollicitum oſtendit, quod pietatis & gratitudinis eſt. & ſe eodem, quo Iudices timore perculſum eſſe demonſtrat. fit enim neſcio quo pacto vt iſta morum & affectuum ſimilitudine beneuolentia comparetur. A perſona Milonis, cùm eius fortitudinem appellat, & ſingularem patriæ charitatem, cuius ille ſalutem ſuæ ipſius ſaluti anteponit. vides quàm miro artificio, dum ea ſibi obiicit, quæ contra ipſum facere videantur, ea ſe vereri dicit, quibus expoſitis in animos iudicum vel leniter influat, vel latenter obrepat.

Magis de Reipvbl.] Non ſolùm, vt dixi, beneuolentiam colligit, dicens Rempub. Miloni eſſe ſalute propria chariorem, ſed etiam attentionem captat, inſinuans cauſſam Milonis tanti eſſe momenti, vt, quod paulò pòſt diſertiùs ediſſeret, ex ea Reipubl. ſalus pendere videatur. quaſi dicat, non timet Milo damnationem, ſed id vnum metuit, ne ex ea ſcelerati magis inſoleſcant, & ita pernicies Reipubl. conſequatur.

Parem animi.] Iudices nouo quaſi momento ad beneuolentiam inclinat. nihil enim magis nos afficit, quàm infirmitatis ingenua confeſſio.

Tamen hæc.] Querela eſt. qua & ſuum timorem excuſat, & aduerſarios in inuidiam adducit. timorem excuſat à iudicij nouitate. nihil enim eſt, quod magis exterreat. inuidiam inflammat aduerſariorum vim & iniuriam innuens, quorum tanta vis fuerat, tantus furor, vt militum præſidia contra eorum impetus fuerint in foro collocanda.

Novi ivdicii nova forma.] Nouum fuit iudicium, quia Pompeius nouam tulit de cæde Clodij quæſtionem. Noua forma, tum ob tempus accuſatori reóque præfixum, tum ob quæſitorem Conſularem alióſque Iudices, ob præſidium militum, & excubias nouas & inſolentes. Pompeius, auctore Pediano, inito Conſulatu, *Poſt diem tertium de legibus nouis ferendis retulit, duas ex S. C. promulgauit. alteram de vi, qua nominatim cædem in Appia via factam, & incendium Curiæ, & domũ M. Lepidi Interregis oppugnatã comprehendit: alteram de ambitu pœnam grauiorem, & formam iudiciorũ breuiorem: vtraq. enim lex priùs teſtes dari, deinde vno die atq. eodem & ab accuſatore, & ab reo perorari iubebat, ita vt duæ horæ accuſatori, tres reo darentur.* Atque hæc legum promulgatio Ciceronẽ meritò terruiſſet,

quemadmodum *His legibus obſiſtere M. Cœlius Tribunusplebis ſtudioſiſſimus Milonis conatus eſt, quod & priuilegium diceret in Milonem ferri & iudicia præcipitari.* Callidè tamen Orator cauſſam ſui timoris aliò deriuat. quaſi non tam propter hanc legum promulgationem, quàm propter illa militum præſidia terreatur. Sic enim ſe iudicibus magis attemperat, & eorum affectibus obſecundat, qui non leges Pompeij, ſed militum præſidia pertimeſcebant. nam quemadmodum artis eſt dolorem præ te ferre, vt alteri poſſis eſſe ſolatio, iracundiam ſimulare, & ei inſultare cui velis alterum mitigare: ita ſummi fuit oratoris timorem oſtendere, vt Iudices militum aſpectu perculſos à timore deduceret.

QVOCVNQVE INCIDERINT.] Non dicit quocunque ſe conuerterint, ſed *inciderint*, vt maiorem timoris ſignificationem oſtendat. quaſi armorum fulgore præſtrictus conniueat. nec, niſi fortuitò aliquam in fori partem inciderint, audeat intueri, verbi etiam proprietatem ſectatus incidere dixit oculos, quod hæc è roſtris & loco eminēti dicerentur. quod autem ait, *veterem conſuetudinem fori, & priſtinum morem iudiciorum.* Vel per epexegeſim idem duobus modis explicat, vel per forum populi circunſtantis frequentiam, per iudicia, Iudicum conſeſſum intelligit.

MINIME VIDENT.] Quintilianus legit *requirunt.* parum refert, niſi ſi cui poſterior lectio elegantior eſſe videatur.

NON ENIM CORONA.] Rationem exponit cur *noui iudicij nouam formam* appellet.

Noua eſt iudicij forma cum coronâ conſeſſus veſter non cinctus eſt, vt ſolebat.

Sed coronâ conſeſſus veſter non cinctus eſt, vt ſolebat.

Ergo noua eſt huius iudicij forma.

CORONA.] Multitudine populi forenſis in orbem diſpoſitâ & circunſtante. non negat adeſſe populi multitudinem, ſed coronam. paulò pòſt enim dicet magnam ciuium multitudinem vndique toto foro ſpectari, ſed eam ciuium multitudinem milites à Roſtris & conſeſſu iudicum ſubmouebant, nec circa ſubſellia in orbem ſtipari permittebant. Libet totum hunc paragraphū bene multis Fabij verbis ſingillatim expendere: *Proponamus nobis illud Ciceronis in oratione nobiliſſima pro Milone principium, nónne ad ſingulas penè diſtinctiones, quamuis in eadem facie tamen quaſi vultus mutandus eſt?* ETSI VEREOR, IVDICES, NE TVRPE SIT PRO FORTISSIMO VIRO DICERE INCIPIENTEM TIMERE. *Etiamſi eſt toto propoſito contractum atque ſummiſſum, quia & exordium eſt, & ſolliciti exordium: tamen fuerit neceſſe eſſe aliquid plenius & erectius dum dicit,* PRO FORTISSIMO VIRO, *quàm cùm* ETSI VEREOR *&* TVRPE SIT: *&,* TIMERE. *Iam ſecunda reſpiratio increſcat oportet, naturali quodam conatu, quo minùs pauidè dicamus quæ ſequuntur, & quæ magnitudo animi Milonis oſtenditur:* MINIMEQVE DECEAT, CVM TITVS ANNIVS IPSE MAGIS DE REIP. SALVTE, QVAM DE SVA PERTVRBETVR. *Deinde quaſi obiurgatio ſui eſt:* ME AD EIVS CAVSSAM PAREM ANIMI MAGNITVDINEM AFFERRE NON POSSE. *tum inuidioſiora* TAMEN HÆC NOVI IVDICII NOVA FORMA TERRET OCVLOS. *Illa verò iam penè apertis, vt aiunt, tibiis,* QVI QVOCVNQVE INCIDERVNT VETEREM CONSVETVDINEM FORI ET PRISTINVM MOREM IVDICIORVM REQVIRVNT. *Nam ſequens latum etiam atque fuſum eſt.* NON ENIM CORONA CONSESSVS VESTER CINCTVS EST VT SOLEBAT. Hæc ille lib. II. cap. 3. quæ quamuis ad pronuntiationem referantur, non minùs tamen ad ſenſum & oſtendendas diuerſas oratoris affectiones inſeruiunt.

NOTÆ.

I. ETSI VEREOR.] Duas quæſtiones morales ſatis difficiles & intricatas inuoluit. Altera eſt an magis in amici cauſsâ, quàm in noſtra ipſorum ſolliciti eſſe, & timere debeamus. altera an vir fortis magis de Reip. quàm de ſua ſalute perturbetur. Priorem quæſtionem non diſſoluit Noſter, ſed in medium relinquit, vt hæſiſſe videatur. de amicitia 51. *Quàm multa enim quæ noſtra cauſsâ nunquam faceremus, facimus cauſſa amicorum: precari amicis ab indigno, ſupplicare, tum acerbiùs in aliquem inuehi, inſectarique vehementiùs, quæ in noſtris rebus non ſatis honeſtè, in amicorum fiunt honeſtiſſimè.* De Tuſculana 3. ſub finem: *Laudant enim eos qui æquo animo moriantur, qui alterius mortem æquo animo ferant, eos putant vituperandos: quaſi fieri vllo modo poſſit, quod in amatorio ſermone dici ſolet, vt quiſquam plùs alterum diligat, quàm ſe. Præclarum illud eſt, & ſi quæris, rectum & verum, vt eos qui nobis chariſſimi eſſe debeant, æqui ac noſtri & ipſos amemus. at verò plùs, fieri nullo pacto poteſt. ne optandum quidem eſt in amicitiâ, vt me ille plùs quàm ſe, ego illum plùs quàm me. Perturbatio vitæ, ſi ita ſit, atque officiorum omnium conſequatur,* &c. Quarum opinionum vtra ſit verior, philoſophis diſcutiendum relinquo. Quod autem publicam vtilitatem priuatis commodis præferre debeamus, vt alia ſexcenta omittam, allegoricè docet Heſiodus in operibus:

Vtrum amicos plus nobis ipſis diligere debeamus.

Μηδέποτ' οἰνοχόην τιθέμεν κρητῆρος ὕπερθε
Πινόντων· ὀλοὴ γὰρ ἐπ' αὐτῷ μοῖρα τέτυκται.
Nec tu crateri calicem præponere debes
Dum bibitur. namq. inde venit teterrima clades.

Communia priuatis præferenda.

Quod præceptū Manuel Moſchopulus, Proclus, & Ioannes Tzetzes vno ore ſic interpretantur: *Μὴ συμβουλῆς γινομένης περὶ τοῦ κοινοῦ, τὸ οἰκεῖον συμφέρον τοῦ κοινοῦ προτίμα, μηδὲ τὸ μέρος τοῦ ὅλου. δυστυχία γὰρ ἐπὶ τούτῳ συμβαίνει. εὐτελέστερον γὰρ ἡ οἰνοχόη τοῦ κρατῆρος. κρατὴρ γὰρ ἀγγεῖόν τι ἦν, ὥσπερ λέβης τιθέμενον ἐν τοῖς συμποσίοις, καὶ πληρούμενον οἴνου κεκραμένου. οἰνοχόη δέ, οἷον κύλιξ ἤ τι τοιοῦτο, δι' οὗ ἐκ τοῦ κρατῆρος ἀφύοντες ἔπινον.* *Ne, cùm de publicis rebus deliberatur, priuatam vtilitatem publicis commodis anteponas, neque partem toti. graues enim inde clades oriuntur. nam vilior eſt calix cratere. crater enim vas quoddam fuit lebetis inſtar, in conuiuiis poſitum, & vino temperato plenum. œnochoë verò, vt calyx, aut aliud eiuſmodi, quo è cratere haurientes bibebant.*

II. IVDICES.] Gloſſa Philoxeni, *Iudex, ἄρχων, κριτής.* Sic Iudicē pro magiſtratu Flauius Vopiſcus vſurpat. in Floriano ab Aruſpicibus Imperatorē prænuntiatū ait: *Qui det Iudicem Parthis, ac Perſis qui Frācos, & Alamanos ſub Romanis legib. habeat.* &c. *qui Sarmatis omnib. iudicet.* & in Aureliano: *Ita vt per ſex menſes Imperatorē Romanus orbis nō habuerit, omnéſq. Iudices ij permanerent, quos aut Senatus, aut Aurelianus elegerat, niſi quod Proconſulē Aſiæ Falconium Probum in locum Aurelij Fuſci delegit.*

Iudex.

Ammianus lib. 17. *Aliique optimates & Iudices, variis populis præſidentes.* Tullius libro 2. de legibus ex duodecim tabulis. *Regio imperio duo ſunto: iique præeundo, iudicando, conſulendo, Prætores, Iudices, Conſules appellantor.* Florus cap. 9. lib. 1. *Mutato tamen & iudice, & nomine*, &c. *Conſuleſque appellauit pro Regibus.* Communior tamen eſt illa iudicis acceptio, quam Varro libro 5. de lingua Latina ſic exponit: *Iudex quod ius dicat accepta poteſtate, id eſt quibuſdam verbis dicendo finit.* Græcè δικάσης, quaſi διχάσης, vt notat philoſophus in moralibus, quod ius ſuum cuique tribuat, & quaſi bifariam partiatur.

III. Terret ocvlos.] Plutarchus in Cicerone: Πρὸς ὄψιν ἀηδεῖ διαταραχθείς. *Ad aſpectum propter inſolentiam turbatus.* Frequens eſt oculos armorum fulgore terreri. Horatius Ode 1. ſecundi carminum:

Iam fulgor armorum fugaces
Terret equos, equitúmque vultus.

IV. Veterem morem ivdiciorvm.] Tacitus ſiue Quintilianus dialogo de cauſſis corruptæ eloquentiæ: *Tranſeo ad formam & conſuetudinem veterum iudiciorum: quæ etſi nunc aptior eſt iſta, eloquentiam tamen illud forum magis exercebat.* Sic emendo, pro eo quod legitur: *Quæ etſi nunc aptior eſt, ita erit eloquentia, tanto illud forum magis exercebat, in quo nemo intra pauciſſimas horas perorare cogebatur, & liberæ comperendinationes erant, & modum dicendi ſibi quiſque ſumebat, & numerus neque dierum, neque patronorum finiebatur. primus tertio Conſulatu Cn. Pompeius adſtrinxit, impoſuítque veluti frænos eloquentiæ: ita tamen vt omnia in foro, omnia legibus, omnia apud prætores gererentur.* Impoſuit, inquit, eloquentiæ frænos. *ita vt*, verba ſunt Aſconij ſuperiùs allata, *duæ horæ accuſatori, tres reo darentur.* Cui adſtipulatur & Dio lib. 40. tantùm non iiſdem verbis, Χρόνον τῷ μὲν διώκοντι δύο ὥρας, τῷ δὲ φεύγοντι τρεῖς δίδοσθαι ἐκέλευσεν. καὶ ὃ μάλιστα πλείστοις ἐλυμαίνετο, τινὰς ἐπαινέτας, ὑπὸ τῶν κρινομένων δίδοσθαι (πολλοὶ γὰρ ὑπὸ τῶν ἀξιοπίστων ἐπαινούμενοι ἐξηρπάζοντο) ἐπηνώρθωσε νομοθετήσας μηδένα ἔτι τοπαράπαν ἐξεῖναι ἐν τοῖς τοιούτοις γίγνεσθαι. *Accuſatori duas horas, reo tres definiit, & quod multis nocuit plurimùm illud etiam correxit, quòd laudatores quidam à reis producebantur, (multi enim à viris grauibus laudati è iudiciis elabebantur, legem ferens ne quiſquam omnino in huiuſmodi rebus, laudator accederet.* Præmiſerat; Καὶ τὸν τῶν συναγορευόντων ἑκατέρῳ τῷ μέρει ἀριθμὸν ὥρισεν, ὥστε μὴ ὑπὸ τοῦ πλήθους αὐτῶν τοὺς δικαστὰς θορυβουμένους ἐκταράττεσθαι. *Et actorum vnicuique parti numerum definiuit, ne propter eorum multitudinem Iudices exterrerentur.* Quod ſpectat ad laudatores Plutarchus in Pompeio: Λύσας νόμῳ τοὺς γινομένους περὶ τῶν κρινομένων ἐπαίνους, αὐτὸς εἰσῆλθε Πλάγκον ἐπαινεσόμενος. καὶ Κάτων (ἔτυχε γὰρ κρίνων) ἐπισχόμενος τὰ ὦτα ταῖς χερσὶν ἔφη οὐ καλῶς ἔχειν αὐτῷ παρὰ τὸν νόμον ἀκούειν τῶν ἐπαίνων. *Cùm lege laudatores reorum ſuſtuliſſet ipſe, vt Plancum laudaret ingreſſus eſt. Et Cato (erat enim in conſilio) aures manibus obſtruens ſibi non conuenire dixit, vt contra legem laudationes audiret.* In forma exercendi iudicij illud etiam fuit non vſitatum, vt militum præſidium ad ſecuritatem iudicij poneretur, quamuis id conſtat etiam alibi contigiſſe. vt in iudicio Clodij de inceſtu religionibúſque pollutis.

Noua iudiciorum forma à Pōpeio inſtituta.

Corona.] Nonnulli coronam ciuium inermium, cohortem armatorum multitudinem eſſe contendunt. aliter explicaui. corona enim ſiue inermium, ſiue armatorum dicitur multitudo in orbem diſpoſita. nam, ſi quælibet inermium turba corona diceretur, ciues inermes ex omnibus fori partibus ad ſpectandum iudicium confluebant: adeóque conſeſſus iudicum coronâ cingebatur. cur igitur non fuit corona iſta ciuium inermium multitudo? quia conſeſſum iudicum non ſtipabat. eos enim propiùs accedere Pompeius cum armatorum præſidio prohibebat. metaphora ducta à floribus qui certo implexu in orbem redeuntes coronæ nominantur. quas Feſtus Pompeius Græcæ originis eſſe & *à choro* dictas exiſtimat. Simonides à Scaligero citatur: V.

Φοῖβος ἐπαγεῖται τοῖς Τυνδαρίδῃσιν ἀοιδῆς
Ἂν ἀμετρεῖ τέττιγες ἀπημείψαντο χορωνῷ.
Phœbus Tindaridis cantu præit, atque cicadæ
Innumeræ densâ circumſtrepuere corona.

Quod nomen multis oſtendi poteſt tam armatis quam inermibus conuenire. armatis vt apud Homerum Iliados ν'.

Πάντῃ γάρ σε περὶ στέφανος πολέμοιο δέδηε.
Vndique te circum belli flagrat eſſe corona.

Maro:

-& rara muros cinxere corona.

Item:

Qua rara eſt acies interlucétque corona Corona armatorum.
Non tam ſpiſſa viris.

Ouidius 13. Metamorphoſeon conſeſſum coronæ coniungit:

Conſedere Duces, & Vulgi ſtante corona.

Liuius lib. 28. agens de ſeditione Hiſpanicâ quam Maior Africanus ſua auctoritate compeſcuit: *Exercitus qui corona concionem circumdederat, gladiis ad ſcuta concrepuit.* Gellius lib. 7. c. 4. *Eſt autem alia rationis huius opinio, cur dici ſolitum ſit captiuos ſub corona venundari: quod milites cuſtodiæ cauſa, captiuorum venalium greges circunſtarent: eaque circunſtatio militum corona appellata ſit.* Lucanus libro 1. de hac ipſa re:

-Quis caſtra timenti
Neſcit mixta foro, gladij cùm triſte minantes
Iudicium inſolita trepidum cinxere coronâ,
Atque auſo medias perrumpere milite leges,
Pompeiana reum clauſerunt ſigna Milonem.

Inermibus, cùm videlicet populi iudicium ſpectātis multitudo corona nuncupatur, vt lib. 3. in Verrem 49. *Taméne putamus patronum tuum in hoc crimine ceruiculam iactaturum, & populo ſe in coronam daturum.* Eodem ſenſu pro Flacco coronę nomen vſurpat: *Idcirco Decianum vſque ad coronam applicuiſti.* 2. de Finibus: *At tu eadem iſta dic in iudicio, aut, ſi coronam times, dic in Senatu.* Martialis lib. 6. epig. quodam de filio Reguli: Corona inermium.

Iam clamor, lentúmque viri, denſúmque coronæ
Vulgus, & infanti Iulia templa placent.

VI. Freqventia.] Qua oratoris ſtudium accenditur. pro Deiotaro 5. *Dico intra domeſticos parietes, dico extra conuentum & eam frequentiam, in qua oratorum ſtudia niti ſolent.* Cuius rei Auctor dialogi de cauſis corruptæ eloquentiæ rationem reddit ſanè luculentam: *Oratori autem clamore plauſúque opus eſt, & velut quodam theatro, qualis cottidiè antiquis oratoribus contingebat: cùm tot pariter ac tam nobiles forum coartarent: cùm clientelæ quoque, & tribus, & municipiorum*

Frequentia excitat.

legationes, ac partes Italiæ periclitantibus aſsiſterent: cùm in pleriſque Iudiciis crederet populus Romanus ſua intereſſe quid iudicaretur, ſatis conſtat Caium Cornelium, & M. Scaurum, & Titum Milonem, & Luc. Beſtiam, & P. Vatinium, concurſu totius ciuitatis & accuſatos & defenſos, vt frigidiſsimos quoque oratores ipſa certantis populi ſtudia excitare & incendere potuerint. Itaque hercule eiuſmodi libri extant, vt ipſi quoque qui egerunt, non aliis magis orationibus cenſeantur. hinc illud:

Excitat auditor ſtudium, laudatáque virtus
Creſcit, & immenſum gloria calcar habet.

VII. Latrones ſtipatores. STIPATI.] A Regum ſtipatoribus ducta tranſlatio. Varro lib. 6. de linguâ Latinâ. *Latrones* dicti *à latere, qui circum latera erant Regi atque ad latera habebant ferrum: quos poſteà à ſtipatione ſtipatores appellarunt.* dixerat lib. 4. ſub finem. *Stipendium ab ſtipe dictum, quod æs quoque ſtipem dicebant. nam quod aſſes libræ pondo erant, qui acceperant maiorem numerum, non in arca ponebant, ſed in aliquâ cellâ ſtipabant, id eſt componebant quo minus loci occuparet. à ſtipando ſtipem dicere cœperunt. ſtipare ab* στείβειν *fortaſſe Græco vocabulo.* Gloſſæ, *ſtipator* σωματοφύλαξ. Virgilius eodem ſenſu quo Varro *ſtipandi* verbum vſurpat, vt 3. Æneidos.

-ſtipántque carinis
Ingens argentum, Dodonæóſque lebetas.

Seruius in eum locum. *ſtipat, denſat. vnde ſtipatores dicuntur, qui in nauibus componunt. à ſtipe.* & libro primo. *-liquentia mella*
Stipant, & dulci diſtendunt nectare cellas.
vide eundem Seruium, & alios interpretes.

AXIOMATA.

Turpe eſt pro forti viro dicentem timere.

Vir fortis de Reip. magis ſalute, quàm de ſua perturbatur.

Nouitas terret oculos.

ARGVMENTVM.

Cauſſa timoris ſui fuſiùs expoſita per oratoriam correctionem eandem timoris cauſſam inuertit, & à laude Pompeij beneuolentiam aucupatus ſenſim ad excutiendum ex iudicum animo metum, ſine ſenſu delabitur.

NAM illa præſidia, quæ pro templis omnibus cernitis, etſi contra vim II. collocata ſunt, afferunt tamen oratori horroris aliquid; vt in foro, & in iudicio, quamquam præſidiis ſalutaribus, & neceſſariis ſepti ſumus, tamen, ne non timere quidem ſine aliquo timore poſſimus. quæ ſi oppoſita Miloni putarem; cederem tempori, Iudices, nec inter tantam vim armorum exiſtimarem oratori locum eſſe: ſed me recreat, & reficit Cn. Pompeij ſapientiſſimi, & iuſtiſſimi viri conſilium: qui profectò nec iuſtitiæ ſuæ putaret eſſe, quem reum ſententiis iudicum tradidiſſet, eundem telis militum dedere, nec ſapientiæ, temeritatem concitatæ multitudinis auctoritate publica armare.

EXPLANATIO.

NAM ILLA.] Reddidit cauſſam ſuæ formidinis, quòd iudicum ſubſellia præter conſuetudinem non corona ciuium, ſed militum præſidio cingerētur. nunc occurrit obiectioni hoc penè pacto. Atenim quiſpiam dicet, nihil eſſe cauſſæ cur ob immutatam iudiciorum conſuetudinem magnopere reformidem: hæc enim præſidia collocata ſunt ad Iudicum ſecuritatem, non ad inferendam vim Miloni, ſed ad prohibendam Clodianæ factionis iniuriam. Reſpondeo, id verum quidem eſſe, ſed tamen hanc rationem minoris eſſe momenti, quàm vt omnem ex animo metum extergat, ita ſum enim rerum inſolentiâ & iudicij nouitate perculſus, vt quamuis ex iſtorum militum aſpectu magna mihi ſpes ſecuritatis affulgeat, tamen non poſſim confidere ſine aliquo timore. Quidam id artificij notant, quòd inde ſe ad bene ſperandum acuat, vnde timere maximè debuiſſet. nam quæ contra Milonis impetum diſpoſita erant præſidia, ea ſui ac rei tuendi cauſſâ comparata eſſe iudicibus inculcat, ducum exemplo qui vt animos erigant militum, inde ſe iuuari fingunt, vnde maximum periculum impendet. Vix aſſentior: nam verè, vt in notis videbimus, illa præſidia non contra Milonem, ſed contra vim Clodianorum ipſo Milone poſtulante fuerant in foro conſtituta. Tamen quoniam, vt refert Aſconius, *Timebat Pompeius Milonem, ſeu ſe timere ſimulabat; & plerumque non domi ſuæ, ſed in hortis manebat, idque ipſum in ſuperioribus, circa quos etiam magna manus militum excubabat.* Et eam ob rem hæc opinio multis inſederat, Pompeium illa præſidia non pro Milone, ſed contra eius vim & impetum in foro collocaſſe: ideo prudenter Marcus Tullius hanc opinionem conatur ex animis iudicum euellere, ne ea perſuaſione imbuti ab abſoluendo Milone deterreantur. Quam vt facilius euellat, ita ſignificat liquere contrarium, vt etiam loco obiectionis aſſumat:

Hæc præſidia pro Milone contra vim poſita ſunt.
Ergo non debes timere qui Milonis es patronus.

Concedit antecedens, cùm tamen nolit conſecutionem admittere, quaſi antecedens illud, niſi planè conſtaret, & ſi quo modo negari poſſet, ad excuſandum ſuum timorem libenter inficiaturus eſſe videatur. Sed miro quodam artificio, id maximè probare intendit, quod ſe fingit inuitum concedere. nunc ad ſingulas partes veniamus.

Pro templis.] Antè omnia templa foro vicina, vt templum Caſtoris, templum Saturni ſiue ærarium.

Contra vim.] Ad prohibendum ne qua vis fiat à Clodianis.

Collocata svnt.] Alij legunt, *collata.* res eſt nullius aut parui momenti.

Non afferunt tamen oratori aliqvid.] Lambinus legit, *adferunt tamen oratori terroris aliquid*, vel *horroris aliquid.* Senſus perſpicuus eſt, & ſequerer, ſi liberet multùm à veteri lectione diſcedere. ſed nos eam ſic explicemus. Etſi illa præſidia ſint contra vim Clodianorum comparata, non adferunt tamen aliquid ſiue fiduciæ. adeò vt in foro iudicióque, ne confidere quidem ſine aliquo timore poſſimus.

Qvæ si opposita.] Iam paulatim ad excutiendum iudicibus timorem ſe accingit. ac primum ſic à ſuo ſenſu argumentatur.

Si iſta præſidia oppoſita Miloni putarem, cederem foro.

Sed non cedo.

Ergo non puto Miloni oppoſita.

Sed me reficit.] Eſt inuerſio, ſiue reiectio dictorum per diſtributionem, quâ poſſunt duo enthymemata contineri. libet ad ſyllogiſmos reuocare.

Vir iuſtus non putat ſuæ iuſtitiæ eſſe, quem reum ſententiis iudicum tradiderit, eundem militum telis obiicere.

Sed Pompeius eſt vir iuſtus.

Ergo ſuæ iuſtitiæ eſſe non putauit, Milonem, quem ſententiis iudicum tradiderit, telis militum obiicere. Subſumit.

Pompeius Milonem telis militum obieciſſet, ſi contra eum hæc præſidia comparaſſet.

Ergo Pompeius contra Milonem iſta præſidia non comparauit.

Alter ſyllogiſmus eſt huiuſmodi.

Vir ſapiens ſuæ ſapientiæ eſſe non putat temeritatem concitatæ multitudinis auctoritate publica armare.

Sed Pompeius eſt vir ſapiens.

Ergo Pompeius ſuæ ſapientiæ eſſe non putauit temeritatem concitatæ multitudinis auctoritate publica armare.

Sed armaſſet, &c. ſi hæc præſidia contra Milonem comparaſſet.

Ergo hæc præſidia contra Milonem non comparauit.

Concitatæ mvltitvdinis.] Plebeculæ turbulentis Munatij Planci Tribuni plebis concionibus ad ſeditionem concitatæ, adeò vt Lepidi domum expugnarit, & curiam ipſam incenderit.

Avctoritate pvblica.] Publicam Pompeij auctoritatem appellat: vel quod Pompeius gerebat conſulatum, vel quia Patres decreuerant, *vt videret, ne quid Reſpub. detrimenti caperet.* Qua formula, vt notat Salluſtius, ſumma quædam auctoritas continetur.

NOTÆ.

I. Præsidia.] Caſſinium Scholam teſtem, *Cùm interrogare M. Marcellus cœpiſſet, tanto tumultu Clodianæ multitudinis circunſtantis exterritus eſt, vt vim vltimam timens in tribunal à Domitio reciperetur. quàm ob cauſſam M. Marcellus & ipſe Milo à Domitio præſidium implorauerunt. ſedebat eo tempore Cn. Pompeius ad ærarium, perturbatúſque erat eodem illo clamore: itaque Domitio promiſit ſe poſtero die cum præſidio deſcenſurum: idque fecit. quare territi Clodiani ſilentio verba teſtium per biduum audiri paſſi ſunt.* Hæc Aſconius. at Cornelius Balbus epiſtola quadam quæ habetur libro nono ad Atticum noua Ciceronem ipſum præſidium petiiſſe teſtatur: *Mihi placet, ſi tibi videtur, te ad eum ſcribere, & ab eo præſidium petere, vt petiſti à Pompeio, me quidem approbante, temporibus Milonianis.* Quare Plutarcho vix aſſentior, qui Ciceronem aſſerit armorum circunſtantium fulgore perterritum fuiſſe: Πομπηίου τὴν ἀγορὰν ἔτι νυκτὸς ἀπὸ τῶν ἄκρων περιλαβόντος τοῖς στρατιώταις, ὁ Μίλων τὸν Κικέρωνα δείσας, μὴ πρὸς τὴν ὄψιν ἀηθείᾳ διαταραχθεὶς χεῖρον διαγωνίζηται, συνέπεισεν ἐν φορείῳ κομισθέντα πρὸς τὴν ἀγορὰν ἡσυχάζειν, ἄχρις οὗ συνιᾶσιν οἱ κριταὶ, καὶ πληρῦται τὸ δικαστήριον. *Cùm Pompeius forum ante lucem è ſuperioribus partibus militum præſidiis occupaſſet, Milo veritus ne Tullius propter inſolentiam armorum aſpectu turbatus, non adeo bene peroraret, ei perſuaſit vt in lectica delatus ad forum quieſceret, cùm Iudices conuenirent, & conſeſſus compleretur.* Pergit: Τότε δ' οὖν τὴν τοῦ Μίλωνος δίκην ἐκ τοῦ φορείου προελθὼν, καὶ θεασάμενος τὸν Πομπήϊον ἄνω καθεζόμενον, ὥσπερ ἐν στρατοπέδῳ, καὶ κύκλῳ τὰ ὅπλα περιλάμποντα τὴν ἀγορὰν, συνεχύθη, καὶ μόλις ἐνήρξατο τοῦ λόγου, κραδαινόμενος τὸ σῶμα, καὶ τὴν φωνὴν ἐνισχόμενος, αὐτοῦ τοῦ Μίλωνος εὐθαρσῶς καὶ ἀνδρείως παρισταμένου τῷ ἀγῶνι, καὶ κόμην θρέψαι, καὶ μεταβαλεῖν ἐσθῆτα φαιὰν ἀπαξιώσαντος. *Tunc igitur ad cauſam Milonis è lectica procedens, intuitus Pompeium, in loco ſuperiore, tanquam in caſtris ſedentem, & toto foro arma in orbem ſplendentia. grauiter animo commotus, & toto corpore iactatus vix orationem ſuam exorſus eſt, lingua metu præpedita, cùm ipſe Milo fidenter & conſtanter illi iudicio adſtaret, nec comam promittere, aut omnino veſtem mutare ſuſtineret.* Hactenus Plutarchus cui adſtipulatur & Lucanus lib. 5. ver. 477.

—Tua claſsica ſeruat
Oppoſitus quondam polluto tyro Miloni.

Sed eum non tam armorum conſpectu, quàm Clodianorum tumultu territum fuiſſe Ciceronem, Aſconio magis aſſentior: *Cicero*, inquit, *cùm inciperet dicere, exceptus eſt acclamatione Clodianorum, qui ſe continere ne metu quidem circunſtantium militum potuerunt: itaque non ea, qua ſolitus erat conſtantiâ dixit.*

Præſidiũ petiit Cicero in cauſsâ Miloniana.

Cicero cur timuerit in cauſſa Milonis.

Cederem tempori.] Publius Mimus: II.

Honeſtè ſeruit qui ſuccumbit tempori.

Hoc videlicet eſt politicorum axioma *tempori ſeruiendum*, quod Noſter pro Plancio 93. his verbis expreſſit, *Stare enim omnes debemus, tanquam in orbe aliquo Reipub. qui quoniam verſetur, eam deligere partem debemus, ad quam nos illius vtilitas ſaluſque conuerterit.* Et 94. *An cùm videam nauem ſecundis ventis curſum tenentem ſuum, ſi non ea eum petat portum, quem ego aliquando probaui, ſed alium non minùs tutum atque tranquillum, cum tempeſtate pugnem periculosè potiùs, quàm illi ſalute præſertim propoſita obtemperem & paream? neque enim inconſtantis puto ſententiam tanquam aliquod nauigium, atque curſum ex Reipub. tempeſtate moderari*, &c. Sed ep. 9. lib. 1. ad famil. conſulatur. inter cætera, *Vt in nauigando tempe-ſtati*

Tempori ſeruiendum.

ſtati obſequi artis eſt, etiamſi portum tenere nequeas: cùm verò id poßis mutata velificatione aſſequi, ſtultum eſt eum tenere cum periculo curſum quem ceperis, potiùs quàm eo commutato, quo velis tamen peruenire: ſic cum omnibus nobis in adminiſtranda Repub. propoſitum eſſe debeat, id, quod à me ſæpißimè dictum eſt, CVM DIGNITATE OTIVM, *non idem ſemper ſpectare debemus.* Quod ex Alcæo apud Interpretem Pindari videri poſſit acceptũ:

Ἐκ γῆς χρὴ κατιδεῖν πλόον,
Εἴ τις δύναιτο καὶ παλάμην ἔχοι.
Ἐπεὶ δὲ κἀν πόντῳ γένηται,
Τῷ παρεόντι τρέχειν ἀνάγκη.

E terrâ oportet veliuolas rates
Spectare, ſi cui vis & adeſt manus.
Sulcante Neptunum carinâ,
Vela noto facienda quouis.

citat Athenæus lib. 15. ſed ſine auctoris nomine. Philo de Ioſepho per tunicam illam polymitam, hanc politicæ vitæ varietatem intelligit: Οὐκ ἀπὸ σκοποῦ μὴν τοι καὶ χιτῶνα ποικίλον ἀναλαμβάνειν λέγεται. ποικίλον γὰρ πολιτεία καὶ πολύτροπον, μυρίας ὅσας ἐνδεχομένη μεταβολὰς, προσώποις, πράγμασιν, αἰτίαις, προαιρέσεων ἰδιότησι, καιρῶν καὶ τόπων διαφοραῖς. ὥσπερ κυβερνήτης ταῖς τῶν πνευμάτων μεταβολαῖς, συμμεταβάλλει τὰς πρὸς εὔπλοιαν βοηθείας εὐθύνων τὸ σκάφος οὐχ ἑνὶ τρόπῳ, &c. οὕτως οἶμαι καὶ τὸν πολιτικὸν εἶναι, καὶ ἀναγκαῖον τινὰ πολυειδῆ καὶ πολύμορφον, &c. *Nec alienum eſt à propoſito quod tunica varia veſtitus dicitur. Nam rerum ciuilium adminiſtratio res eſt multimoda, & varia, multas mutationes recipiens, perſonarum, rerum, cauſarum, ſequeſtrorum proprietates, locorum item diuerſitates, & temporum. ſicut gubernator pro ratione ventorum, mutat nauigationis ſubſidia, non vno modo nauem dirigens,* &c. *ſic opinor & Reipub. moderator debet eſſe multiplex, & multiformis.*

Tunica polymita Ioſephi vitam politicã repræſentat.

III. INTER TANTAM VIM ARMORVM ORATIONI LOCVM, &c.] Noti ſunt illi verſus Enniani qui à M. Tullio pro Murena, & Gellio lib. 20. cap. 9. Noct. Att. referuntur ex octauo Annali.

Pellitur è medio ſapientia, vi geritur res,
Spernitur orator bonus, horridu' miles amatur,
Haud doctis dictis certantes, ſed maledictis
Miſcent inter ſeſe inimicitias agitantes,
Non ex iure manu conſertum, ſe mage ferro
Rem repetunt, regnúmq. petunt, vadunt ſolida vi.

Inter vim armorum non eſt orationi locus.

Hinc Cornelius Tacitus Muſonij Stoici, qui inter vim armorum orationi locum putauit eſſe, intempeſtiuam ſapientiam reprehendit, 3. hiſtoriarum exeunte: *Cœptabátque permixtus manipulis, bona pacis ac belli diſcrimina differens armatos monere, id pleriſque ludibrio, pluribus tædio. nec deerant qui propellerent proculcaréntque, ni admonitu modeſtißimi cuiuſque, & aliis minitantibus, omiſiſſet intempeſtiuam ſapientiam.* Plutarchus orat. 1. de fortuna Alexandri: Ἀντίγονος ὁ γέρων σοφιστοῦ τινος αὐτῷ σύγγραμμα προσφέροντος περὶ δικαιοσύνης. Ἀβέλτερος εἶ, εἶπεν, ὃς ὁρῶν με τὰς ἀλλοτρίας πόλεις τύπτοντα, λέγεις περὶ δικαιοσύνης. *Antigonus ſenior Sophiſta quodam orationem ipſi de iuſtitia ſcriptam occinente, Fatuus es, inquit, qui me videns alienas vrbes oppugnantem, nihilo ſeciùs de iuſtitia diſſeris.*

IV. VIM ARMORVM.] Non violentiam, ſed multitudinem armatorum oſtendit. quamquam vt explanat Seruius illud 4. Æneidos:

Vis. -*& odora canum vis.* *Plus eſt, quàm ſi diceret multitudo. vnde Salluſtius: Qua tempeſtate ex ponto vis piſcium erupit.* Horatius de canibus:

Amica vis paſtoribus.

TEMERITATEM CONCITATÆ MVLTITVDINIS.] Id ſemper ſapientes politici præ oculis habuerunt, non ſolùm, vt temeritatem cõcitatæ multitudinis auctoritate publicâ non armarent, ſed etiam eius inſolentiam compeſcerẽt, & metu in officio continerent. quia vt notat Liuius lib. 4. dec. 3. *Hæc natura multitudinis eſt, aut humiliter ſeruit, aut ſuperbe dominatur.* Halicarnaſſeus lib. 6. Appium Clodium ita loquentem inducit: Πᾶν τὸ ἀνόητον, ἄλλως τε κἂν ὄχλος ᾖ, πρὸς μὲν τοὺς ταπεινοὺς αὐθάδεις γίνεσθαι φιλεῖ, πρὸς δὲ τοὺς αὐθάδεις ταπεινοῦσθαι. *Omne quod ratione caret, maximè verò ſi populus fuerit erga eos qui ſe abiiciunt, ſuperbus, erga eos qui ſuperbiunt, abiectus & humilis.* Quod Tacitus 1. annalium his verbis expreſſit: *Nihil in vulgo modicum terrere ni paueat: vbi pertimuerint impune contemni.* Quare ſapiẽter Romani vilem huiuſmodi plebeculam, & infimã multitudinem penitus ab armorũ tractatione remouerunt. Halicarnaſſeus lib. 4. de cenſu Tullij Regis facta primarũ quinque claſſium mentione: Τοὺς δὲ λοιποὺς πολίτας οἳ τίμησιν εἶχον ἐλάττονα δώδεκα καὶ ἡμίσους μνῶν πλείους ἀριθμὸν ὄντας τῶν προτέρων ἁπάντας εἰς ἕνα συντάξας λόχον, στρατείας τ' ἀπέλυσε καὶ πάσης εἰσφορᾶς ἐποίησεν ἀτελεῖς. *Reliquos ciues qui cenſum duodecim mnis & ſemiſſe minorem habebant, in vnam centuriam deſcriptos tum à militiâ, tum à tributis fecit immunes.* Nec iniuriâ. nam, vt paulò pòſt ex Iulio Exuperantio referemus, *facilè fieri poterant proditores.* Atque haud ſcio an C. Marius qui capitecenſos & infimam illam multitudinẽ auctoritate publica primus armauit: illos tum primùm fluctus excitarit, qui paulò pòſt bellorum ciuiliũ procellis elati Remp. penitus obruerunt. Neque ſanè ſapientiæ fuerit huiuſmodi fucos, vt infimam multitudinẽ Plato, ſed eos præſertim qui ſuo vitio decoxerint, appellat, aculeis armare cõtra Remp. Quòd ſi ſapientiæ non eſt temerariæ multitudini arma committere, multò minùs & committi debent cum fuerit inſanis ſeditioſorum concionibus ad vim concitata. vide quæ paulò pòſt dicentur de fluctibus concionum. V.

Pauperes aduerſus diuites inſoleſcunt.

Non eſt armanda multitudo contra Remp.

MVLTITVDINIS.] Iure *multitudinis* potiùs quàm *plebis*, aut *vulgi* nomen vſurpat: hæc enim voce non ſolùm infimi quique, ſed etiam perditiſſimi & improbiſſimi denotãtur. vt Græci dicũt, οἱ πολλοί. Sic Mamertinus grat. actione *plures* interpretatur, *peiores. Cùm boni rari ſint, improborum vulgus immenſum, in campo autẽ numerus & turba præpolleat, ſine dubio intelligitur eum populi ſuffragiis magiſtratum capere, quem plures, id eſt, quem peiores probarunt.* Horum exempla Nonnius Marcellus haud pauca collegit: *Veterum memorabilis ſcientia paucorũ numerum pro bonis ponebat, multos contra malos appellabat.* Terentius Eunucho: VI.

Multitudo. Multi.

Si quiſquam eſt qui placere ſe ſtudeat bonis,
quam plurimis. Accius ἐπὶ ναυσὶ μάχῃ.
Probis probatus potiùs, quàm multis forem.

Lucil. Sat. lib. 14.

Non paucis malè ſed ſapientibus eſſe probatum.

Marcus Tullius de Rep. lib. 6. *Enimuero in diſſenſione ciuili, cùm boni plùs quàm multi valent expendendos ab his non numerandos puto.*

AVCTORITATE PVBLICA ARMARE.] Hunc locum Martianus Capella libro 5. ſic expendit: *Hiulcæ ſunt cùm in ea parte quam diximus ſimiles vocales, ac ſimiliter longæ colliſam hiantémque ſtructurã faciant, vt ſi quis dicat ſuſcepiſſe ſe liberos* VII.

ſecundo omine: & vt Tullius pro Milone ait: auctoritate publica armare: quod quidem artem diſſimulans plerumque appetit voluntate. Neque is ſolùm, ſed etiam Demoſthenes, vt notat Victorius lib. 18. Var. lect. cap. 12. profert exemplum ex prima Philippica: Ἐν δὲ τοῖς περὶ τοῦ πολέμου καὶ τῆς τούτου παρασκευῆς ἄτακτα, ἀόριστα, ἀδιόρθωτα ἅπαντα. Item tertia: ἀλλ' ἅπαντα ταῦτα ἄχρηστα, ἄπρακτα, ἀνόνητα. *Videlicet vt magis hoc pacto feriret aures eorum, qui audirent.* Qui concurſus etſi plerumque vitandus eſt, non eſt tamen laudanda illa Iſocratis ſuperſtitio in grandi præſertim genere orationis, qui vt eum ſugillat Plutarchus: Ἀντίθετα, καὶ πάρισα, καὶ ὁμοιόπτωτα πολλῶν καὶ συντιθεὶς, μονονοῦ κολαπτῆρσι καὶ ξυστῆρσι τὰς περιόδους ἀπολεαίνων καὶ ῥυθμίζων ἐγήρασε. πῶς οὖν ἂν ἔμελλεν ἄνθρωπος φόβον ὅπλων σοβεῖσθαι, καὶ σύρρηγμα φάλαγγος ὁ φοβούμενος φωνῆεν φωνήεντι συγκρούειν, καὶ συλλαβῇ τὸ ἰσόκωλον ἐνδεὲς ἐξενεγκεῖν. *Oppoſita, paribus membris conſtantia, ſimiliter deſinentia glutinans atque componens, ac tantumnon dolabris atque ſcalpellis læuigans, ac complanans circuitiones verborum conſenuerat. Quomodo itaque non metuiſſet homo ſtrepitum armorum, & acierum armatarum conflictum qui timuiſſet vocalem collidere vocali, & iſocolon vnâ ſyllabâ curtatum enuntiare?* Et certè Dionyſius Halicarnaſſeus in grandi & auſtero dicendi, φωνηέντων πρὸς φωνήεντα ἀντιτυπίας, *colliſiones vocalium inter ſe* non agnoſcit ſolùm, ſed etiam laudat; reuocátque ad πίνον orationis, in quo explicando gnauiter hallucinatur Claudius Salmaſius. ſed adi Antonium Kerkoëtium maſtigophoro tertio. Et habe exemplum illud auſteræ ſqualidæque dictionis ex 11. Æneidos:

Sancta ad vos anima atque iſtius inſcia culpæ
Deſcendam magnorum haud vnquam indignus auorum.

AXIOMATA.

Cedendum tempori.

Inter vim armorum non eſt oratori locus.

Iuſtitiæ non eſt, quem reum ſententiis iudicum tradideris, eundem militum telis dedere.

Sapientiæ non eſt temeritatem concitatæ multitudinis auctoritate publica armare.

ARGVMENTVM.

Ad eximendum Iudicibus metum, enumeratis cauſſæ Milonianæ fautoribus, Clodianorum extenuat factionem, quos in inuidiam adducit, & tum ab aduerſariorum, tum à fautorum, tum à Milonis ipſius perſona attentionem beneuolentiámque captat.

III. QVAMOBREM illa arma, centuriones, cohortes, non periculum nobis, ſed præſidium denuntiant: neque ſolùm, vt quieto, ſed etiam, vt magno animo ſimus, hortantur: neque auxilium modò defenſioni meæ, verùm etiam ſilentium pollicentur. Reliqua verò multitudo, quæ quidem eſt ciuium, tota noſtra eſt: neque eorum quiſquam, quos vndique intuenteis ex hoc ipſo loco cernitis, vnde aliqua pars fori aſpici poteſt, & huius exitum iudicij exſpectanteis, non cum virtuti Milonis fauet, tum de ſe, de liberis ſuis, de patria, de fortunis hodierno die decertari putat. Vnum genus eſt aduerſum, infeſtúmque nobis eorum, quos P. Clodij furor rapinis, & incendiis, & omnibus exitiis publicis pauit: qui heſterna etiam concione incitati ſunt, vt vobis voce præirent, quid iudicaretis. quorum clamor, ſi quis fortè fuerit, admonere vos debebit, vt eum ciuem retineatis, qui ſemper genus illud hominum, clamoréſque maximos pro veſtra ſalute neglexit.

EXPLANATIO.

QVAMOBREM.] Videtur eſſe concluſio ſyllogiſmi, qui ſic contexi poteſt.

Præſidia quæ nec ad opprimendum reum, nec ad temeritatem concitatæ multitudinis armandam poſita ſunt, ea iuſtitiæ fauent, & reo qui cauſſæ ſuæ confidit auxilium, & ſilentium pollicentur.

Sed iſta præſidia neque ad opprimendum Milonem, neque ad temeritatem Clodianorum armandam poſita ſunt.

Ergo Miloni atque adeo nobis auxilium & ſilentium pollicentur.

Maior propoſitio clara eſt. atq. adeo ſubticetur. minor expreſſa eſt, & à Pompeij iuſtitia ſapientiáque probata fuit ſuperiori ſectione. Complexio non ſolùm hîc exprimitur, ſed etiam variis dicendi modis expolitur. Primò, cùm ſi dixiſſet, *illa arma*, id ſufficere potuiſſet, præſidij armorum generali nomine ſignificati partes enumerat, *illa arma, centuriones, cohorte.* quaſi velit aduerſarios hoc pacto percellere. mox per antitheſim ſuam confidentia exponit: *non periculum nobis, ſed præſidium denuntiant.* Et ne ſolum iudicij ſecuritati prouidere, non autem reo fauere videantur. addit, *neque ſolùm vt quieto, ſed etiam vt magno animo ſimus hortantur.* id eſt, non ſolùm nos hortantur, vt nihil timeamus, ſed etiam vt plurimùm audeamus. & quaſi iam aduerſariis inſultet. idem aliis verbis inculcat, *neque auxilium modò*, &c.

RELIQVA VERÒ.] Poſtquam oſtendit milites Milonis eſſe fautores, nunc ciues & inermem multitudinem non ſolùm Miloni fauere demonſtrat, ſed etiam ſic eſſe ſollicitos. vt putent Milonis abſolutione, ſuam, ſuorum, Reíque publicæ ſalutem contineri.

QVÆ QVIDEM EST CIVIVM.] Id addit, vt inuidiam in Clodianos deriuet, quaſi dicat,

non diffiteor quoſdam eſſe in hac circunſtante multitudine qui Miloni non faueant, verùm ij non ſunt ciues Romani,ſed vel peregrini, vel ſerui emiſſi ex carceribus & ergaſtulis ad vexandam Rempublicam,quos iam antè P.Clodius emiſerat ad ſeditiones in comitiis concitandas.

NEQVE EORVM.] Si auderem à vulgari lectione diſcedere,pedibus irem in Lambini ſententiam, ſic è codice quodam corrigentis: *Neque eorum quiſquam, quos vndique intuenteis, vnde aliqua pars fori adſpici poteſt, & huius iudicij exitum expectanteis videtis*, &c. Sic, inquam, libenter legerem, nam & numeroſiùs volueretur oratio, & maior ſignificari videretur hominum multitudo,qui cùm ob milites ad conſeſſum iudicum propiùs accedere non poſſent, ſolaria, feneſtras, tecta toto foro paſſim occupabant; immò in vicis etiam proximis vnde proſpectus in forum pateret, adde quòd abſurdè videtur dicturus fuiſſe Orator, *ex hoc ipſo loco*, id eſt, ex Iudicum ſubſelliis vel oratoris ſuggeſtu, *aliquam fori partem adſpici potuiſſe.* Conſtat enim ex eo loco proſpectum in totum forum longè latéque patuiſſe. alij pro *intuenteis, contuenteis*, alij *confluenteis* legunt,ſed vbi res nullius eſt momenti, nihil libenter innouamus. Porro quod ait, *Neque quiſquam*, &c. *non*, &c. *putat*, id eſt, nullus non putat,ſiue omnes putant ſuam,liberorum,& Reip. ſalutem è Milonis abſolutione pendere. Potuiſſent quidem omnia generali nomine comprehendi *de rebus ſuis decertari putat.* Sed hac partium enumeratione longè auguſtior fit oratio.

VNVM GENVS.] Clodianos in odium adducit, & ab inſectatione ſcelerum P. Clodij T. Annio beneuolentiam aucupatur.

RAPINIS.] P.Clodius pecuniam redimendis agris conſtitutam,vi ereptam dedit. cum Piſone ærarium partitus eſt,bona Ptolemæi Regis Cyprij publicauit, & aliæ rapinæ quæ paſſim à Tullio numerantur.

INCENDIIS.] infrà §. 88. *Me patriâ expulerat, bona diripuerat, domum incenderat.* Mox: *Domum mei fratris incenderat.* Et 74. *Ædem Nympharum incendit, vt memoriam publicæ recenſionis, tabulis publicis impreſſam extingueret.* pro domo ſua 62. *Domus ardebat in palatio non fortuito, ſed oblato incendio.* Et alibi paſſim. de aliis exitiis publicis à Clodio illatis frequentem vbique reperies mentionem.

PAVIT.] Metaphorâ à belluis deductâ ſeditioſorum crudelitatem oſtendit.

HESTERNA CONCIONE.] A Munatio Planco Tribuno plebis incitati. nam, vt verbis vtar Aſconij, *Munatius Plancus pridie pro concione populum adhortatus erat, ne paterentur elabi Milonem.*

VT VOBIS VOCE PRÆIRENT.] Vt vobis ipſis iuratis iudicibus, quod indigniſſimum eſt & contra iuramenti religionem, verba concepta præſcriberent, quibus ferretis damnationis ſententiam.

QVORVM CLAMOR.] Ab odio Clodianorum, beneuolentiam in Milonem deriuat: quòd Clodiani bonis exitium parauerint, Milo ſeditioſos eorum clamores pro bonorum ſalute neglexerit.

NOTÆ.

CENTVRIONES, COHORTES.] Horum explicatione libenter ſuperſederem, quòd Iuſtus Lipſius libro ſecundo de militia Romana dial.2.4. & aliis, Antonius Valtrinus libro tertio de re militari cap. 2. Laſius commentariis Reipub. Romanæ libro ſexto (quales & quanti viri?) aliique non pauci ex profeſſo & eruditè tractauerint: tamen ne adoleſcentum ſtudio defuiſſe videar, pauca decerpam. & quoniam tanta eſt totius & partium inter ſe connexio,vt harum intelligentia ab illius cognitione pendere videatur: priùs de ipſa legione, tum de centuriis, cohortibus & manipulis pauca libabo. Legionis origo ſic à Plutarcho in Romuli vita deſcribitur: I.

Κτισθείσης δὲ τῆς πόλεως, πρῶτον μὲν, ὅσον ἦν ἐν ἡλικίᾳ πλῆθος εἰς συντάγματα στρατιωτικὰ διεῖλεν· ἕκαστον δὲ σύνταγμα πεζῶν τρισχιλίων ἦν, καὶ τριακοσίων ἱππέων. ἐκλήθη δὲ λεγεὼν τῷ λογάδας εἶναι τοὺς μαχίμους ἐκ πάντων. *Condita verò ciuitate, primùm omnes qui ætate florebant, diſtribuit in ordines militares, quorum ſinguli ter mille pedites, trecentos equites continebant. legio dicebatur, quòd qui arma ferre poſſent, ex omnibus legerentur.* Varro libro quarto de lingua Latina dictam eſſe legionem teſtatur, *quod leguntur milites in delectu.* Quod etiam dixerat libro tertio de vita populi Romani, vt auctor eſt Nonnius Marcellus. Initio,vt diximus, legio tria millia peditum,trecentos equites continebat. paulò pòſt ad quatuor millia excreuit, vt narrat Dionyſius ſtatim poſt eiectos Reges, quod Liuius, Polybius & alij ſæpè teſtantur, quamuis,vbi neceſſitas imminebat,iam tùm Polybius quinque millium legionem non ſemel agnouerit. quod bello Punico 2. in mores inductum eſt. Liuius libro 22. tradunt alij *numero quoque peditum equitúmque legiones auctas, millibus peditibus & centenis equitibus in ſingulas adiectis, vt quina millia peditum treceni equites eſſent. ſocij duplicem numerum equitum darent, pedites æquarent.* Immò multis antè annis idem inſinuat eum numerum fuiſſe ſolennem in iuſta legione libro octauo pugnæ inter Romanos & Latinos initæ rationem fusè deſcribens: *Scribebantur autem quatuor fere legiones, quinis millibus peditum, equitibus in ſingulas legiones trecenis. alterum tantum ex Latino delectu adiiciebatur, qui ea tempeſtate hoſtes erant Romanorum.* Sed hunc morem centum & amplius annis intermiſſum, poſt Cannenſem cladem ſuſpicor fuiſſe reuocatum, cùm ſumma certaretur opum vi. Immò paulò pòſt cùm Scipio in Africam traiecit, eas legiones quæ ex clade Cannenſi euaſerant ita ſuppleuit, *vt ſingulæ ſena millia & ducenos pedites, trecenos haberent equites.* Eodem Liuio auctore libro 29. idem libro 42. tradit *In Macedoniam ſena millia peditum ſcribi iuſſa, equites trecenos æqualiter in ſingulas.* Sed adi laudatos. Ordinaria legio ſaltem Polybij tempore, quo maximè floruit res militaris quatuor peditum millia continebat, & ducentos, equites item ducentos.

Legiones quod milites haberent.

Pedites iterum in quatuor genera diuidebant, *Velites, Haſtatos, Principes, triarios.* Polybius libro ſexto: Διαλέγουσι τῶν ἀνδρῶν, τοὺς μὲν νεωτάτους καὶ πενιχροτάτους εἰς τοὺς γροσφομάχους· τοὺς δ' ἑξῆς τούτοις

Velites. Haſtati. Principes. Triarij.

εἰς τοὺς ἀστάτους καλουμένους· τοὺς δ' ἀκμαιοτάτους ταῖς ἡλικίαις, εἰς τοὺς πρίγκιπας· τοὺς δὲ πρεσβυτάτους, εἰς τοὺς τριαρίους. *Iuuenes & pauperes maximè Tribuni ſeligunt in velites. iſtis proximos, in haſtatos: ætate florentiſſimos, in principes: ætate maximos, in triarios.* Atque hæc quatuor militum genera, non appellationibus ſolùm & ætatibus, ſed etiam armaturâ inter ſe differebant, quam diſtinctionem hîc explicare non attinet, cùm præſertim ad alia properemus. Subdit: Διαιροῦσι δ' αὐτοὺς τὸν τρόπον τοῦτον, ὥστε εἶναι τοὺς μὲν πρεσβυτάτους, καὶ τριαρίους προσαγορευομένους ἑξακοσίους· τοὺς δὲ πρίγκιπας χιλίους καὶ διακοσίους, ἴσους δὲ τούτοις τοὺς ἀστάτους· τοὺς δὲ λοιποὺς καὶ νεωτάτους γροσφοφόρους. *Diuidunt autem in hunc modum, vt maximi ætate quos triarios dicunt, ſint ſexcenti; Principes mille ducenti; totidem haſtati; reliqui & ætate minimi, velites.* id eſt, mille velites, vt quatuor millium ſummam faciamus: eámque legionem quadratam nominabant, quod diuideretur æqualiter, licet nullus numerus ad millenarium adderetur: at ad legionem quinque millium vt fieret æqualis diuiſio neceſſe eſſet ducentos accedere. nam in triariorum numero nihil variabant, cæterorum generum numerus pro legionis magnitudine creſcebat: Ἐὰν δὲ πλείους τῶν τετρακισχιλίων ὦσι, inquit Polybius, κατὰ λόγον ποιοῦνται τὴν διαίρεσιν, πλὴν τῶν τριαρίων. τούτους ἀεὶ τοὺς ἴσους. *Si plures quatuor millibus ſint, pro rata diuidunt, exceptis triariis quos habent ſemper numero eodem.* Quare legionem quinque millium ducentorum ſic in ſua genera digerebant: vt eſſent triarij ſexcenti, principes mille ſexcenti, haſtati mille ſexcenti, reliqui velites. Poſtquàm ita legionem in quatuor genera diſtinxerant, rurſum ſingula genera, exceptis velitibus, in decem ordines ſiue manipulos digerebant. Polybius ibidem:

Manipulus.

Διεῖλον ταῖς ἡλικίαις ἑκάστην εἰς δέκα μέρη, πλὴν τῶν γροσφομάχων. *Diuidunt ætates ſingulas (ſiue genera) quamque in decem partes exceptis velitibus.* Et ſic fiebat vt legio manipulos triginta, manipulus autem triariorum ſexaginta. principum centum & viginti, haſtatorum manipulus centum item & viginti milites in legione quadrata contineret. Superſunt velites quos æqualiter in ſingulos manipulos ita diuidebant, vt triginta ferè ſingulis eſſent attributi. Polybius: Τῶν δὲ γροσφομάχων τοὺς ἐπιβάλλοντας κατὰ τὸ πλῆθος, ἴσους ἐπὶ πάντα τὰ μέρη διένειμαν. *E velitibus autem qui numerum augerent æqualiter diſtribuebant in omnes partes.* Hinc Naſonem intelliges 3. faſtorum de Romulo ſic diſſerentem:

-haſtatos inſtituítque decem.
Et totidem Princeps, totidem pilanus habebat
Corpora, legitimo quique merebat equo.

Centuriæ.

Hos iterum manipulos in dextram & ſiniſtram partem diuidebant, quas centurias vocabant: quamuis in legione quadrata centenarium numerum non implerent, ſed ſingulæ Triariorum centuriæ triginta triarios totidémque velites, ſingulæ haſtatorum vel principum ſexaginta principes, vel haſtatos, cum triginta velitibus, id eſt, nonaginta omnino milites continerent. adeò vt in ſola legione ſex millium ſingulæ haſtatorum & Principum centuriæ ad centenarium ſubſignanorum militum peruenirent. Ad centurionum porro, qui centuriis præerant, electionem hoc pacto procedebant, antequam ſingula genera in ſuos eſſent manipulos diſtributa: Ἐξ ἑκάστου δὲ τῶν προειρημένων γενῶν, πλὴν τῶν νεωτάτων ἐξέλεξαν ταξιάρχους δέκα. *Ex quóque autem dictorum generum, exceptis natu minimis, eligunt ordinum ductores, ſecundum virtutem, decem.* Et ſic priore iſta electione triginta Ordinum ductores, quaſi florem è tribus generibus delibatum ſeligebant. verùm quoniam totam legionem diuiſuri erant in ſexaginta centurias. rurſum alteram electionem faciebant: Μετὰ δὲ τούτους ἑτέραν ἐκλογὴν ἄλλων δέκα ποιοῦνται. *Poſt illos altera electione iterum decem ſeligunt ex ſingulis generibus.*

Ordinis ductores.

Cúmque, vt dictum eſt, ſingula genera in decem manipulos, ſingulos manipulos in centurias duas digeſſerant: dextris centuriis præficiebant eos quos priore electione, ſiniſtris eos quos poſteriore capi contigiſſet. quare vt in vno genere ponamus exemplum, in haſtatis centurio qui dextræ parti primi manipuli præerat, is primus haſtatus ſimpliciter dicebatur, & in toto haſtatorum genere primum dignitatis locum obtinebat. proximè ſequebatur ordine dignitatis, non qui ſiniſtræ centuriæ præerat eiuſdem primi manipuli, ſed qui dextræ ſecundi. eóſque omnes vt probabile eſt qui dextras centurias ducebant primos haſtatos nominabant. primum haſtatum, ſecundum primum haſtatum, tertium primum haſtatum, vſque ad decimum primum haſtatum. quem proximè ſequebatur Centurio ſiniſtræ Centuriæ primi manipuli. dictus ſecundus haſtatus abſolutè, tum centurio ſiniſtræ centuriæ ſecundi, ſiue ſecundus. ſecundus haſtatus, mox tertius ſecundus haſtatus vſque ad decimum. quamuis hæc nomina vix poſſunt in hiſtoricis inueniri. id tamen videtur ex Polybio manifeſtum: Παρόντων μὲν οὖν ἀμφοτέρων, ὁ μὲν πρῶτος αἱρεθεὶς ἡγεῖται τοῦ δεξιοῦ μέρους τῆς σπείρας. ὁ δὲ δεύτερος τῶν εὐωνύμων ἀνδρῶν τῆς σημαίας ἔχει τὴν ἡγεμονίαν, μὴ παρόντων δὲ ὁ καταλειπόμενος ἡγεῖται πάντων. *Vtroque igitur præſente, qui prior electus eſt. præeſt dextræ parti manipuli, qui ſecundus ſiniſtræ. cùm autem alter non adeſt, is qui relinquitur, præeſt omnibus.* Legionem in manipulos triginta, centurias ſexaginta diuiſam mox in decem ordines ita reuocabant, vt è tribus manipulis, centuriis ſex vnicam cohortem conflarent, adeò vt ſingulæ cohortes vnum Triariorum manipulum, vnum haſtatorum, vnum item Principum continerent. quæ è primis ſingulorum generum eſſet conſtituta, eam primam cohortem vocabant, quæ è ſecundis, ſecundam, & ita deinceps. Cincius apud Gellium lib. 16. cap. 4. *In legione ſunt centuriæ ſexaginta, manipuli triginta, cohortes decem.* Dictæ cohortes quod inſtructa acie, ſic tres illi manipuli diſponerentur. vt aliquam ædificij ruſtici ſpeciem exhiberent. Varro libro quarto de lingua Latina: *Cohors quòd vt in villa ex pluribus tectis coniungitur, ac quiddam fit vnum: ſic hæc ex manipulis pluribus copulatur.* quod in ſubiecta tabula clariùs videbis.

Cohors.

LEGIO IN ACIEM DIRECTA.

Triarij.	A	B	C	D	E	F	G	H	I	K
Haſtati.	A	B	C	D	E	F	G	H	I	K
Principes.	A	B	C	D	E	F	G	H	I	K

A. prima cohors, B. ſecunda cohors, C. tertia cohors,&c ita deinceps. Cætera quæ de variis cohortium generibus dici poſſent, libenter taceo, quòd parum attinere videantur.

II. ALIQVA PARS FORI.] *Forum, vt auctor Feſtus Pompeius, ſex modis intelligitur. primò* Forum quid? *negotiationis locus, vt forum Flaminium, forum Iulium ab eorum nominibus qui ea fora conſtituenda curarunt, &c. alio in quo iudicia fieri, cum populo agi, conciones haberi ſolent, tertio cùm is qui prouinciæ præeſt forum agere dicitur, cùm ciuitates vocat, & de controuerſiis eorum cognoſcit*, &c. hic ſecundo modo fori nomen vſurpat, vt & Plinius libro 19. cap. 1. *Marcellus Octauia ſorore Auguſti genitus, in ædilitate ſua, auunculo vndecimum Conſule Calendis Auguſti, velis forum inumbrauit, vt ſalubriùs litigantes conſiſterent: quantùm mutatis moribus Catonis Conſorij, qui ſternendum quoque forum muricibus cenſuerat.* Eam videlicet ob cauſſam, ne populus crebrò litigaret. porro hîc forum Romanum intelligit, licet ſecutis temporibus cauſſæ tribus in foris agerentur. Statius ſil.

Forum triplex.

Nec ſaltem tua dicta continentem
Quæ trino iuuenis foro tonabas.

Et Martialis libro 3. ep. 29.

Cauſſas, inquis, agam Cicerone diſertiùs ipſo,
Atque erit in triplici par mihi nemo foro.

In quem locum vide Notas Raderi noſtri ſanè luculentas, & Lipſium in ſuis Admirandis, vt alios omittam qui ab eodem Radero laudantur. nobis ſatis ſit forum hoc Romanum modò forum latium, modò vetus, à bonis ſcriptoribus nominari. Latium, vt Statius initio ſiluarum:

Quæ ſuper impoſito moles gemmata coloſſo
Stat latium complexa forum.-

Martialis libro 9. ep. 3.

Addita quid latio Flauia templa foro.

Vetus Herodianus appellat, Romanum paſſim, aut etiam Magnum. Dio lib. 43. de foro Iulio: Καὶ ἔστι μὲν περικαλλέστερον τῆς Ῥωμαίας· τὸ δ' ἀξίωμα τὸ ἐκείνης ἐπηύξησεν, ὥστε καὶ μεγάλην αὐτὴν ὀνομάζεσθαι. *Et forum quidem Iulium eſt Romano foro pulchrius: ſed tamen Romani ex eo dignitas aucta eſt, vt forum magnum diceretur.*

III. EXITVM IVDICII EXPECTANTES.] Solet Orator ab eorum perſona qui iudicij euentum expectant, iudices hortari, poſt Demoſthenem oratione contra Dionyſiodorum: Μὴ ἀγνοεῖτε, ὅτι νυνὶ μίαν δίκην δικάζοντες, νομοθετεῖτε ὑπὲρ ὅλου τοῦ ἐμπορίου, καὶ παρεστᾶσι πολλοὶ τῶν κατὰ θάλατταν ἐργάζεσθαι προαιρουμένων, ὑμᾶς θεωροῦντες, πῶς τὸ πρᾶγμα τουτὶ κρίνετε. *Neque id ignoretis, quòd nunc hanc vnam cauſſam diſceptantes legem fertis de toto emporio, & adſunt multi eorum qui in mari mercaturam exercent, vos ſpectantes quomodo hanc cauſſam iudicetis.* Et Dinarchum oratione contra Demoſthenem: Πολλοὶ, ὦ ἄνδρες, πολλοὶ τῶν πολιτῶν, καὶ τῶν ἄλλων Ἑλλήνων, ὅπερ καὶ πρότερον εἶπον, θεωροῦσιν ὑμᾶς, πῶς τοῦτον δικάζετε τὸν ἀγῶνα, &c. *Multi, Iudices, multi ciuium aliorúmque Græcorum, vt iam antè dixi, vos ſpectant, & huius iudicij exitum expectant.* Adde Lyſiam oratione in Epicratem: Ἥκουσι δὲ πάντες οἱ τὰ τῆς πόλεως πράττοντες, οὐχ ἡμῶν ἀκροασόμενοι, ἀλλ' ὑμᾶς εἰσόμενοι ἣν τινα γνώμην περὶ τῶν ἀδικούντων ἕξετε, &c. *Veniunt omnes qui aliquam Reipubl. partem attigerunt, non vt nos audiant, ſed vt intelligant quam vos de iis qui iniuſtè viuunt, feratis ſententiam.*

VT VOBIS VOCE PRÆIRENT.] A ſacris deriuata tranſlatio. fuit enim in more poſitum, vt ſolemnia quædam publicarum precationum verba vſurparent: quidámque magiſtratibus voce præirent, ne quid aut præteriretur, aut præpoſterum diceretur. Plinius libro 28. cap. 2. *Vidimus certis precationibus obſecraſſe ſummos magiſtratus, & ne quid verbórum prætereatur, aut præpoſterum dicatur, deſcripto præire aliquem, rurſúſque alium cuſtodem dari qui attendat, alium verò præponi qui faueri linguis iubeat: tibicinem canere, ne quid aliud exaudiatur.* Et paulò pòſt: *Cuius ſacri precationem, qua ſolet præire quindecimuirûm collegij magiſter, ſi quis legat, profectò vim carminum fateatur.* M. Tullius pro domo ſua. 133. *Ades, ades, Luculle, Seruili, dum dedico domum Ciceronis, vt mihi præeatis, poſtémque teneatis.* Liuius libro octauo: *Decius Conſul M. Valerium magna voce inclamat. Deorum, inquit, ope Valeri, opus eſt. agedum Pontifex publicus populi Romani præi verba, quibus me pro legionibus deuoueam.* Notátque Pontifices non verba ſolùm, ſed etiam modum & habitum corporis præcepiſſe: *Pontifex eum togam prætextam ſumere iuſſit, & velato capite, manu ſub togam ad mentum exerta, ſuper telum ſubiectum pedibus ſtantem ſic dicere*, &c. Et libro quarto cùm magnis cladibus, peſtilentia præſertim & terræ motibus Roma quateretur, ait: *obſecrationem à populo duumuiris præeuntibus eſſe factam.* Et Suetonius in Clodio cap. 22. eum obſeruaſſe ſedulò tradit, vt, *Dirâ aui in vrbe, aut in Capitolio viſâ, obſecratio haberetur, eámque iure Maximus Pontifex, commonito pro Roſtris populo præiret, ſubmotáque operariorum ſeruorúmque turba.* Plutarchus in Camillo: ἐξηγουμένου τοῦ ἀρχιερέως ἐπευξάμενοι τοῖς θεοῖς. *Cùm Pontifice Maximo præeunte Deos obſecraſſent.* Sic in inſtauratione Capitolij, quòd ſub Vitellio deflagrarat, vt auctor eſt Tacitus lib. 4. hiſtoriæ: *Heluidius Priſcus Prætor, præeunte Plauto Æliano Pōtifice, luſtrata boue taurîſque area, & ſuper ceſpitem redditis extis, Iouem, Mineruam præſidéſque imperij, Deos, precatus vti cœpta proſperarent, ſedéſque ſuas pietate hominum inchoatas, diuina ope attollerent, vittas quibus ligatus*

IV. (margin) Pōtifices voce præibant magiſtratibus.

Dictare verba.

lapis innexique funes erant, contigit. E quibus intelligis magiſtratus conceptis verbis obſecraſſe, Pontifices verba præiuiſſe, ſiue vt ait Iuuenalis Sat. 6. dictaſſe: *-dictatáque verba Protulit.* Et Valerius Flaccus libro primo:

-dictat pia verba Sacerdos.

Vide Briſſonium lib. 1. formularum. Interdum tamen ipſi magiſtratus præibant. Plinius Iunior ep. 97. ad Traianum: *Propoſitus eſt libellus ſine auctore, multorũ nomina continens, qui negarent ſe eſſe Chriſtianos, aut fuiſſe, cùm præeunte me Deos appellarent, & imagini tuæ, quam propter hoc iuſſeram cum ſimulachris numinum afferri, thure ac vino ſupplicarent, præterea maledicerent Chriſto, quorum nihil cogi poſſe dicuntur, qui ſunt reuera Chriſtiani, ego dimittendos putaui.* Idem Panegyrico Traiani: *Tu comitiis noſtris præſidere, tu nobis ſanctiſſimum illud carmen præire dignatus es, tuo iudicio Conſules facti, tua voce renuntiati ſumus, vt idem honoribus noſtris ſuffragator in curia, in campo declarator exiſteres.*

AXIOMA.

Nonnunquam vnius priuati iudicio de ſalute Reipub. diſceptatur.

ARGVMENTVM.

Extenuata Clodianorum factione, & poſita timoris ſimulatione, Iudices ad fortiter iudicandum, & occaſione bene de Repub. merendi vtendum hortatur, queſdam attentionis beneuolentiæque motus interſerens.

IV. QVamobrem adeſte animis, Iudices, & timorem, ſi quem habetis, deponite. Nam, ſi vnquam de bonis, & fortibus viris, ſi vnquam de bene meritis ciuibus poteſtas vobis iudicandi fuit, ſi denique vnquam locus ampliſſimorum ordinum delectis viris datus eſt, vbi ſua ſtudia erga fortes, & bonos ciues, quæ vultu, & verbis ſæpè ſignificaſſent, re & ſententiis declararent: hoc profectò tempore eam poteſtatem omnem vos habetis, vt ſtatuatis, vtrum nos, qui ſemper veſtræ auctoritati dediti fuimus, ſemper miſeri lugeamus, an diu vexati à perditiſſimis ciuibus, aliquando per vos ac veſtram fidem, virtutem, ſapientiámque recreemur.

EXPLANATIO.

QVAMOBREM ADESTE ANIMIS.] Videtur huiuſmodi ſyllogiſmũ cõcludere.

Vbi milites cauſæ æquitati fauent, & maxima bonorum ciuium multitudo, paucique ſolùm ſeditioſi reclamant, non debent Iudices à fortiter iudicando deterreri.

Sed milites fauent cauſæ Milonianæ æquitati, & maxima bonorum ciuium multitudo, paucique ſolùm ſeditioſi reclamant.

Ergo non debent Iudices paucorum metu à fortiter iudicando deterreri.

ADESTE ANIMIS.] Facite magno animo ſitis, & animos huc illuc varia cogitatione diſtractos diuerſáque pericula circumſpicientes, colligite, & ad vnam cauſſæ conſideratione͂ reuocate.

TIMOREM.] Si quem factionis Clodianæ metum animo præconceptum domo attuliſtis, eum deponite.

NAM SI VNQVAM.] Rationem ſubiungit cur debeant fortiter iudicare.

Occaſionem nacti eſtis diu à vobis expetitam.

Ergo non eſt negligenda. probat antecedens.

Iamdiu expetiiſtis occaſionem ſtudij veſtri erga fortes & bene meritos ciues declarandi.

Sed hanc occaſionem nacti eſtis.

Ergo occaſionem nacti eſtis diu à vobis expetitã. Enthymema ſuperiùs eligi facilè poteſt ex toto paragrapho, licet non adeo verbis conceptis exprimatur. maior propoſitio ſyllogiſmi. *Nam ſi vnquam,* &c. *declararent.* aſſumptio: *hoc profectò, recreemur* expreſsè continetur. concluſio facilè poteſt intelligi.

DE BONIS.] Qui bene volunt Reipub.

ET FORTIBVS.] Qui nullius incommodi terrore impediuntur, quo minùs ſuum in Rempub. ſtudium re ipſa teſtentur, & exequantur.

BENE MERITIS.] De Repub.

LOCVS.] Tempus, occaſio.

AMPLISSIMORVM ORDINVM.] Senatorij, equeſtris, Tribunorum ærarij. Vide Notas.

RE ET SENTENTIIS.] Ipſo facto & bonorum ciuium abſolutione.

EAM POTESTATEM OMNEM VOS HABETIS.] Nam & Iudices electi eſtis, nec veſtræ poteſtatis vſus Clodianorum ſeditionibus poteſt impediri.

VT STATVATIS VTRVM.] Beneuolentiam & miſericordiam aucupatur. beneuolentiã. 1. à morib. ſuis, quibus adeo ſe beneficiorum memorem oſtendit, vt cauſſam ſuam à Milonis cauſſa non ſeiungat, ſuámque ſalutem putet ipſius ſalute contineri. ex quo & maiorem auctoritatem orationi conciliat. quia tam erant illuſtria Ciceronis in Remp. merita, vt de iis dubitaret. 2. dum & ſe & Milonem ſemper & optimatium auctoritati deditum fuiſſe & furori popularium obſtitiſſe declarat. 3. à petitionis tuæ modeſtia iudicem beneuolum reddit. non enim petit, vt ſcelerati ciues puniantur, quod petere potuiſſet. Sed vt ipſe & Milo iudicum virtute recreentur. Miſericordiam accerſit tum ex iiſdem fontibus, è quibus beneuolentiam, tum à miſeriæ deſcriptione, tum pathetica vt ſingulis verbis, aut ipſius rei grauitas, aut indignitas augeatur: *Semper, miſeri, lugeamus, diu, vexati, perditiſſimis ciuibus, aliquando,* &c. cæteris quæ ſequuntur *veſtram fidem, virtutem ſapientiámque.* ad iudicum laudem ſpectantibus in eorum animos magis ac magis influit. *fidem,* quæ neceſſaria fuit, ne quid contra

iuſiurandum iurati iudices iudicarent. *Virtutem*, ſiue fortitudinem, qua opus fuit contra Clodianorum audaciam. *Sapientiam*, contra temeritatem multitudinis concitatæ.

NOTÆ.

I. ADESTE ANIMIS.] Animum ad cauſſam aduertite. quòd qui metuunt aut amant animus non ſit in pectore, ſed in ipſis rebus quæ vel timentur, vel amantur. Lepidè Pſeudolus Plautinus act. I. ſc. I. alloquitur Calidorum.

Amor & metus animum aliò traducit.

Pſ. *Aduertite animum.* Cal. *non adeſt.* Pſ. *at tu cita.*
Cal. *Immò ego taceho, tu hinc eum ex cera cita,*
Nam iſtic meus animus nunc eſt? non in pectore.

Catullus aliter in carmine nuptiali:
Nos aliò mentes, aliò diuiſimus aures.
Iure igitur vincemur, amat victoria curam.

Plautus aliter in prologo Aſinariæ idem expreſſit.
Hoc agite ſultis ſpectatores optumi.

Hoc agite, id eſt, *adeſte animis.* formula in ſacris vſitata. non moror. vide Briſſonium I. formularum.

II. NAM SI VNQVAM.] Solent plerumque oratores ab occaſione oblata argumentum deducere, vt Demoſthenes Olynth. I. ὁ μὲν οὖν παρὼν καιρὸς, μονονουχὶ λέγει φωνὴν ἀφιεὶς, ὅτι τῶν πραγμάτων ὑμῖν ἐκείνων αὐτοῖς ἀντιληπτέον ἐστὶν, εἴπερ ὑπὲρ σωτηρίας αὐτῶν φροντίζετε. ἡμεῖς δὲ οὐκ οἶδ' ὅν τινά μοι δοκοῦμεν ἔχειν τρόπον πρὸς αὐτά. *Præſens occaſio tantùm non clamat vocem emittens, his rebus manum vobis ipſis admouendam eſſe, ſi modò curæ vobis eſt eorum incolumitas. at nos neſcio quomodo affecti videmur.* Item Olynth. 3. Τίνα γὰρ χρόνον, ἢ τίνα καιρὸν, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, τοῦ παρόντος βελτίω ζητεῖτε; εἰ πότε ἃ δεῖ πράξετε εἰ μὴ νῦν; οὐχ ἅπαντα μὲν ὑμῶν τὰ χωρία προείληφεν ἄνθρωπος; εἰ δὲ καὶ ταύτης κύριος τῆς χώρας γενήσεται πάντων αἴσχιστα πεισόμεθα. οὐχ οὓς εἰ πολεμήσειεν ἑτοίμως σώζειν ὑπισχνούμεθα, οὗτοι πολεμοῦνται; οὐκ ἐχθρός; οὐκ ἔχων τὰ ἡμέτερα; οὐ βάρβαρος; οὐχ ὅ,τι ἂν εἴποι τις; *Quod enim tempus, aut quam occaſionem, viri Athenienſes, præſenti quærimus potiorem? aut quando, ſi modò non facitis, quæ par eſt facietis? Ecquid noſtras omnes regiones iſte occupauit? ſi verò & huius terræ victor euaſerit, conditionem omnium deterrimam patiemur. Ecquid iis, quibus ſi iſte bellum intuliſſet, auxilium prompto animo pollicebamur, bellum videmus inferri? non hoſtis? non noſtrorum inuaſor? non barbarus? non iſte vnus omnia quæ quis aut dicere poßit, aut cogitare.* Sic Maro 9. Æneidos:

Argumentum ab occaſione.

Turne quod optanti Diuûm promittere nemo
Auderet, voluenda dies en attulit vltro:
Rumpe moras omnes. & lib. II.
Quod votis optaſtis, adeſt, perfringere dextra
In manibus Mars ipſe, viri.

III. AMPLISSIMORVM ORDINVM.] Infrà 21. *Delegit è florentißimis ordinibus ipſa lumina.* Quidam Senatorium & equeſtrem ordinem ad plebeij diſtinctionem his locis volunt ampliſſimos, & florentiſſimos nominari. vix accedo. quippe cùm vt dicetur paulò pòſt in cauſſa Milonis, *ex cunctis ordinibus amplißimi viri iudicarent.* quare vt iſta conciliemus, operæ fuerit pretium, vt ſuprà militarium ordinum fecimus mentionem, ita populum omnem in ſuos ordines diſtinguere. Populus, qui vt definiebat Tullius 3. de Rep. apud Auguſtinum lib. 2. de Ciuit. cap. 21. eſt *Non omnis cœtus multitudinis, ſed cœtus iuris conſenſu, & vtilitatis communione ſociatus.* Hic, inquam, populus ab ipſo Romulo fuit in ordines duos diſtributus, quorum alterum plebem, alterum Patres ſiue patricios nominauit. Tamen in explicando Patriciorum ordine nonnulla eſt inter ſcriptores diuerſitas. Dionyſius lib. 2. poſtquàm populi Romani deſcriptionem in tribus tres, & triginta curias oſtendit, ſubdit: Τοὺς ἐπιφανεῖς κατὰ γένος, καὶ δι' ἀρετὴν ἐπαινουμένους, καὶ χρήμασιν, ὡς ἐν τοῖς τότε καιροῖς εὐπόρους, οἷς ἤδη παῖδες ἦσαν, διώριζεν ἀπὸ τῶν ἀσήμων, καὶ ταπεινῶν, καὶ ἀπόρων. ἐκάλει δὲ τοὺς μὲν ἐν τῇ καταδεεστέρᾳ τύχῃ πληβείους, &c. τοὺς δ' ἐν τῇ κρείττονι πατέρας, εἴτε διὰ τὸ πρεσβεύειν ἡλικίᾳ τῶν ἄλλων, εἴτε ὅτι παῖδες αὐτοῖς ἦσαν, εἴτε διὰ τὴν ἐπιφάνειαν τοῦ γένους. &c. Plebeij. Patres. *Illuſtres genere, & ob virtutem celebres, opibúſque, vt tum ferebant tempora, abundantes, quibus eſſent liberi ſecreuit ab obſcuris, abiectis & egenis inferioris fortunæ homines, Plebeios vocauit, &c. potioris verò Patres. ſiue quòd ætate anteirent alios, ſiue quòd haberent liberos, ſiue propter claritatem generis.* Addit: Διὰ ταύτας τὰς αἰτίας κληθῆναί φασι ἄνδρας ἐκείνους πατέρας, καὶ τοὺς ἐκ γένους αὐτῶν Πατρικίους. *Has cauſſas afferunt cur illi viri Patres nominati ſint, & progenies eorum Patricij.* atque ex hoc ordine Senatores electos fuiſſe ſubiungit: βουλευτὰς εὐθὺς ἔγνω καταστήσασθαι, μεθ' ὧν πράττειν τὰ κοινὰ ἔμελλε, ἐκ τῶν πατρικίων ἄνδρας ἑκατὸν ἐπιλεξάμενος. *Confeſtim decreuit Senatores creare, vt eſſent quibuſcum adminiſtraret Rempublicam, centúmque viros è patriciis allegit.* Alij tamen ex omni populo Senatores electos fuiſſe volunt, ex quibus deinde Patricius ordo profluxerit. Liuius lib. I. *Centum creat Senatores, ſiue quia is numerus ſatis erat: ſiue quia ſoli centum erant qui creari Patres poſſent. Patres certè ab honore, patricijque progenies eorum appellati.* At Plutarcho in vita Romuli, iidem penitus videntur eſſe Senatores & Patricij: Τοῖς μὲν ἄλλοις ἐχρῆτο δήμῳ καὶ πώπουλος ὠνομάσθη τὸ πλῆθος. ἑκατὸν δὲ τοὺς ἀρίστους ἀπέδειξε βουλευτὰς, καὶ αὐτοὺς μὲν πατρικίους, τὸ δὲ σύστημα σενᾶτον προσηγόρευσεν. *Alios ſecreuit in plebem, & populus nominata eſt ea multitudo. Centum verò optimos Senatores creauit, & ipſos quidem Patricios, ordinem verò Senatum nominauit.* Mox pace cum Sabinis facta centum additi. & Tarquinius Priſcus, eodem Dionyſio auctore libro 3. ἐπιλέξας ἀνδρῶν ἑκατὸν ἐκ πάντων τῶν δημοτικῶν, οἷς ἀρετήν τινα πολεμικὴν ἢ πολιτικὴν φρόνησιν ἅπαντες ἐμαρτύρουν, πατρικίους ἐποίησε, καὶ κατέταξεν εἰς τὸν τῶν βουλευτῶν ἀριθμὸν, καὶ τότε πρῶτον ἐγένοντο Ῥωμαίοις τριακόσιοι, βουλευταὶ τέως ὄντες διακόσιοι. *Selectos ex omni plebeiorum numero viros centum, quibus bellicæ virtutis, aut ciuilis prudentiæ teſtimonium ab omnibus perhiberetur, patricios fecit, & in Senatorum numerum cooptauit, ac tum primùm Roma trecentos habuit Senatores, qui ducenti antè fuerant.* Quos Patres minorum gentium dicebant. Liuius lib. I. *Centum in Patres legit, qui deinde minorum gentium ſunt appellati.* Paulò pòſt de Tarquinio ſuperbi eius filio loquẽs: *Circuire & prehenſare minorum maximè gentium Patres, admonere paterni beneficij, ac pro eo gratiam repetere.* Dionyſius lib. 5. allectos in patriciorum ordinem plebeios tradit, & Senatum Tarquinij crudelitate penè exhauſtum, fuiſſe ſuppletum.

Patricij. E patriciis Senatus initio conſtitutus. Dionyſij, Liuij & Plutarchi diſſenſio. Senatores centum. Ducenti. Trecenti. Patres minorum gentium.

Πρῶτον μὲν ἐκ τῶν δημοτικῶν τοὺς κρατίστους ἐπιλέξαντες, Πατρικίους ἐποίησαν, καὶ συνεπλήρωσαν ἐξ αὐτῶν τὴν βουλὴν εἰς τριακοσίους. *Primùm præcipuos ex plebe allegerunt in patriciorum ordinem, & ex his Senatum ſuppleuerunt ad trecentorum numerum.* quos minorum gentium appellatos fuiſſe tradit Cornelius Tacitus 11. annalium de Claudio Principe loquens. *Iiſdem diebus in numerum Patriciorum adſciuit Cæſar vetuſtiſſimum quemque è Senatu, aut quibus clari parentes fuerant, paucis iam reliquis familiarum, quas Romulus maiorum, & Iunius Brutus minorum gentium appellauerant: exhauſtis etiam quas Dictator Cæſar lege Caſſiâ, & Princeps Auguſtus lege Senia ſublegere.* Atque diu manſit in Repub. iſta ordinum diſtinctio, vt alter patriciorum, alter plebeiorum diceretur: Donec tandem (opinor, vt gliſcentes in Rep. diſcordiæ ſedarentur) ita ordinum iſtorum ratio mutata eſt, vt iam ciuitas non in Patricios & plebeios, ſed in Senatum & populum eſſet diſtributa, adeo vt populi nomen multos etiam patricios qui Senatores non eſſent, nomen verò Senatûs multos contineret etiam plebeios, qui licet in gentem patriciam haudquaquam tranſiiſſent, tamen è plebe in Senatum allecti fuiſſent. quæ appellationum mutatio, quando contigerit, equidem nihil affirmo. Probabile eſt tum contigiſſe, vel cùm plebeiis aditus patuit in Senatum, vel cùm iiſdem lege conceſſum eſt, vt cum Patriciorum familiis matrimonia coniungerent. Tunc enim & minùs odioſa plebi fuit iſta diſtinctio, cùm ſuos, id eſt, plebeios videret poſſe in Senatorium ordinem promoueri, & cùm hac coniugiorum permixtione ordines alter ab altero ſecerni vix poſſet, vt notiorem omnibus diſtinctionem inuenirent. quare ciuitatem omnem in duos alios ordines, Senatum & populum diuiſerunt. De Senatu plebeiis conceſſum fuiſſe ſtatim Regibus exactis, quiſpiam non immeritò ſuſpicetur. Liuius initio libri 2. *Deinde quo plus virium in Senatu frequentia ordinis faceret, cædibus Regis diminutum Patrum numerum primoribus equeſtris gradus lectis, ad trecentorum ſummam expleuit, traditúmque inde fertur, vt in Senatum vocarentur, qui Patres, quique Conſcripti eſſent. Conſcriptos videlicet in nouum Senatum appellabant lectos. id mirum quantum profuit ad concordiam ciuitatis, iungendóſque patribus plebis amicos.* Quibus videtur oſtendere tum primùm plebi ad Senatum aditum patuiſſe, & ex equitibus, qui nondum ordinem ab aliis diſtinctum faciebant, curiam fuiſſe ſuppletam. at Dionyſius aliquantò pòſt demonſtrat id contigiſſe. nam libro 7. commemoratâ Marcij Coriolani damnatione, iſta ſubiungit. Καὶ ἐντεῦθεν ἀρξάμενος ὁ δῆμος ἤρθη μέγας. ἡ δ' ἀριστοκρατία πολλὰ τοῦ ἀρχαίου ἀξιώματος ἀπέβαλε, βουλῆς τε μετέχειν ἐπιτρέπουσα τοῖς δημοτικοῖς, καὶ ἀρχὰς μετιέναι συγχωροῦσα, ἱερῶν τε προστασίας λαμβάνειν οὐ κωλύουσα, &c. *Et inde maximum incrementum poteſtas plebis accepit: & contra optimatum factio maximum priſtinæ dignitatis accepit detrimentum, admiſſis plebeiis hominibus in Senatum, ad magiſtratus & ſacerdotia.* Connubia Patriciorum cum plebeiis permiſſa ſunt anno ab V. C. trecenteſimo nono, vt ex Liuio conſtat libro 4. anno à Regibus exactis ſexageſimo quinto. Aditus plebeiis patuit in Conſulatum anno ab V. C. 388. Liuius ipſo initio libri. *Annus hic erit inſignis noui hominis Conſulatu, inſignis nouis duobus magiſtratibus, pretura & curuli ædilitate. hos ſibi patricij quæſiuere honores pro conceſſo plebi altero conſulatu. Plebes Conſulatum Lucio Sextio, cuius lege partus erat dedit.* Sed ne minutatim ſingula delibem, Pub. Decius Mus oratione qua Sacerdotia communicari plebeiis perſuaſit, apud Liuium initio libri decimi, ſimul omnes patricios honores plebi conceſſos complectitur. *Decemuiros ſacris faciendis, carminum Sibyllæ ac fatorum populi huius interpretes, Antiſtites eoſdem Apollinaris ſacri cæremoniarúmque aliarum plebeios videmus. nec tum patriciis vlla iniuria facta eſt, cùm duumuiris ſacris faciendis adiectus eſt propter plebeios numerus.* Et paulò pòſt: *Lucius Sextius primus de plebe Conſul eſt factus, C. Licinius Stolo primus Magiſter equitum, C. Marcius Rutilius primus & Dictator & Cenſor, Q. Publius Philo primus Prætor.* qua Decij oratione additis ad Patricios plebeiis, *octo Pontificum, nouem Augurum numerus factus.* anno 454.

Senatus & populus.

Patres Conſcripti.

Quando plebeiis aditus in Senatum patefactus.

Cōnubia patriciorū plebeiis cōceſſa.

Aditus ad Cōſulatum datus plebeiis.

Magiſtratus & ſacerdotia data plebeiis.

Quare cùm lapſu temporis adeò detrita fuiſſet patriciorum auctoritas, vt penè ſola prioris dignitatis vmbra remaneret, totâ fermè Rep. ad plebem à patriciis deuolutâ, diſtinctionem ordinum aliunde petere debuerunt, & totam ciuitatem, non iam in *Patricios & Plebeios* vt antea, ſed in Senatum Populúmque diſtinguere. Semper tamen remanſit aliquod prioris illius diuiſionis veſtigium, & Patricij quaſdam in Repub. partes habuerunt, quas plebeiis nefas erat attingere. Tullius pro domo ſua §. 38. ſimul comprehendit. *Vt cuique aliquid acciderit, quare commodius ſit eſſe plebeium, ſimili ratione adoptabitur. Itaque Populus Romanus breui tempore, neque Regem ſacrorum, neque Flamines, nec Salios habebit, nec ex parte dimidia reliquos Sacerdotes, neque auctores centuriatorum, & curiatorum comitiorum auſpiciáque populi Romani, ſi magiſtratus patricij creati non ſint, intereant neceſſe eſt, cùm interrex nullus ſit, quòd & ipſum Patricium eſſe, & à Patricio prodi neceſſe eſt.*

Quibuſdam tamen rebus interdictum plebeiis.

Omitto aliud genus patriciorum, quod ſecutis temporibus in Rempub. inductum eſt, quorum tanta fuit dignitas, vt Patres Imperatoris, & totius Reip. dicerentur. Suidas πατρίκιος ὁ πατὴρ τοῦ κοινοῦ. *Patricius pater communis Reip.* quæ res tantæ fuit dignitatis, vt etiam præfecturæ Prætorij anteponeretur. Zoſimus lib. 2. hiſtoriæ de Optato: παρὰ Κωνσταντίνου τῆς ἀξίας τετυχήκει τοῦ πατρικίου, πρῶτον ταύτην ἐπινοήσαντος τὴν τιμὴν, καὶ προκαθῆσθαι τοὺς ταύτης ἠξιωμένους τῶν τῆς αὐλῆς ὑπάρχων νομοθετήσαντος. *A Conſtantino Patriciatus dignitatem obtinuerat, qui primus hunc honorem excogitauit, legéque ſanxit, vt qui eum adeptus eſſet, is præfectum Prætorio præcederet.* Verùm vt ad diſtinctionem ordinum redeamus, tota ciuitas naſcente Rep. fuit in ordines duos diſtributa, in patricios & plebeios. Patricij alij fuerunt maiorum gentium ab ipſo Romulo, alij minorum, à Tarquinio Priſco in patriciatum adſcripti. Plebeij alij fuerunt Tribuni ærarij, alij aſſidui, alij proletarij, alij denique capite cenſi, de quibus infrà dicemus, nunc Senatum in ſuos etiam ordines digeramus. Videntur Senatores à Romulo in decem fuiſſe decurias diſtributi. Ouidius 3. Faſtorum:

Aliud patriciorum genus.

Inde Patres centum denos ſecreuit in orbes
Romulus.-

Lipſius maximus Criticorum non *Patres*, ſed *pa-*

Decem decuriæ Senatorũ.

res legendum putat, idque refert ad ordines militares. ſed hanc nouitiam emẽdationem antiquat Halicarnaſſeus libro ſecundo huiuſmodi iniens ordinis rationem: Αὐτὸς μὲν ἐξ ἁπάντων ἕνα τὸν ἄριστον ἀπέδειξεν, ᾧ τὰς κατὰ πόλιν ᾤετο δεῖν ἐπιτρέπειν οἰκονομίας, ὅτε αὐτὸς ἐξάγει στρατιὰν ὑπερόριον. τῶν δὲ φυλῶν ἑκάστῃ προσέταξε τρεῖς ἄνδρας ἑλέσθαι, τοὺς ἐν τῇ φρονιμωτάτῃ τότε ὄντας ἡλικίᾳ, καὶ δι' εὐγένειαν ἐπιφανεῖς. μετὰ δὲ τοὺς ἐννέα τούτους, ἑκάστῃ φράτρᾳ πάλιν ἐκέλευσε τρεῖς πατρικίων ἐπιλέξαι τοὺς ἐπιτηδειοτάτους. ἔπειτα τοῖς προτέροις ἐννέα, τοῖς ὑπὸ τῶν φυλῶν ἀποδειχθεῖσι, τοὺς ἐνενήκοντα προσθεὶς οὓς αἱ φράτραι προεχειρίσαντο, καὶ τούτων ὃν αὐτὸς προέκρινεν ἡγεμόνα ποιήσας τὸν τῶν ἑκατὸν ἐξεπλήρωσε βουλευτῶν ἀριθμόν. *Ipſe ex omnibus vnum optimum ſelegit, cui res vrbanas committendas putauit, cùm ipſe exercitum extra fines educeret. vnicuique autem tribuum iuſsit, vt tres viros ſeligeret, qui maximam ab ætate prudentiam tunc haberent, & genere eſſent illuſtres. Poſt hos nouem, vnicuique curiæ rurſum imperauit, vt tres è patriciis aptiſsimos ſeligerent. Deinde nouem primis, qui à tribubus creati fuerant, illos nonaginta coniungens, quos curiæ conſtituerant, iíſque præficiens eum quem ipſe elegerat, centenarium Senatorum numerum impleuit.* Hanc tamen decem decuriarum diuiſionem Liuius poſt mortem Romuli factam fuiſſe teſtatur lib. 1. *Itaque rem inter ſe centum Patres decem decuriis factis, ſingulíſque in ſingulas creatis, qui ſummæ rerum præeſſent, conſociant.* Rurſus Senatorum alij curules fuerunt, alij pedarij, curules rurſum diſtinguebantur ab honoribus geſtis, vt Conſulares, Cenſorij, Prætorij, Ædilitij dicerentur. Agellius libro 3. cap. 18. noct. Attic. laudat C. Baſſum dicentem: *Senatores in veterum ætate qui curulem magiſtratum geſsiſſent, curru ſolitos honoris gratia in curiam vehi, in quo curru ſella eſſet, ſuprà quam conſiderent, quæ ob eam cauſſam curulis appellaretur: ſed eos Senatores qui magiſtratum curulem nondum ceperant, pedibus itauiſſe in curiam, propter Senatores nondum maioribus honoribus functos, pedarios nominatos.* Atque hic fuit primus ordo ciuitatis, & verè ampliſſimus, neque tamen ſoli Senatores, ſed etiam omnes qui curulibus magiſtratibus functi fuerant, videntur ordinis ampliſſimi nomine contineri. Agellius ibidem explicans Varronem qui quadam ſatyra pedariorum equitum meminerat: *Videtur*, inquit, *eos ſignificare qui nondum à Cenſoribus in Senatum lecti, Senatores quidem non erant; ſed quia honoribus populi vſi quidem erant, in Senatum veniebant, & ſententiæ ius habebant. nam & curulibus magiſtratibus functi, qui nondum à Cenſoribus in Senatum lecti erant, Senatores non erant.* & profert verba ſolemnia edicti Conſularis. *Senatores quibúſque in Senatu ſententiam dicere licet.*

Plebs.

Alter ordo ſub Regibus, & aliquandiu Regibus exactis, à Patriciis diſtinctus plebs dicebatur: íſque omnes non patricios continebat. at poſtquam, vt iam dictum eſt, aditus ad Senatum, ad curules magiſtratus, ad ſacerdotia patuit, ipſis

Populus.

etiam plebeiis, Populus dictus eſt, quo nomine cenſebantur quotquot Senatores non erant, aut dicendæ in Senatu ſententiæ ius non habebant. Atque hic Populus prout à Senatu diſtinguitur, quinque fere hominum genera, quaſi minores ordines continebat: aſſiduos, proletarios, capite cenſos, equites, Tribunos ærarios. Aſſidui meminerunt leges duodecim tabularum. *Aſsiduo vindex aſsiduus eſto: Proletario ciui, quiuis volet vindex eſto.* Agellius cap. 10. lib. 16. noct. Att.

Aſſidui.

Aſsiduus in duodecim tabulis, & pro locuplete, & facilè munus faciente. dictus ab aſsibus, id eſt ære dando, cùm id tempora Reip. poſtularent: aut à muneris pro familiari copia faciendi aſsiduitate. Varro de vita pop. Rom. lib. 1. apud Nonnium: *Quibus erant pecuniæ ſatis locupletes, aſsiduos: contrarios proletarios.* Proletarius & capitecẽſus quid

Proletarij.

ſit explicat Iulius Paulus eodem Gellij loco: *Qui in plebe*, inquit, *Romana tenuiſsimi pauperrimique erant, neque amplius quàm mille quingentum æris in cenſum deferebant, Proletarij appellati ſunt. Qui verò nullo aut perquam paruo ære cenſebantur, Capitecenſi vocabantur. Extremus autem cen-*

Capitecenſi.

ſus Capitecenſorum æris fuit CCCXXV. Subdit: *Proletariorum ordo honeſtior aliquanto, & re & nomine quàm Capitecenſorum fuit. nam & aſperis Reip. temporibus, cum iuuentutis inopia eſſet, in militiam tumultuariam legebantur, armáque iis ſumptu publico præbebantur, & non capitis cenſione, ſed proſperiore vocabulo, à munere officióque prolis edendæ appellati ſunt: quòd cùm re familiari parua minus poſſent Remp. iuuare, ſobolis tamen gignendæ copia ciuitatem frequentarent.* hinc explicat illud Ennij 3. annali.

Proletarius publicitus ſcutíſque, feróque
Ornatur ferro, muros vrbémque forúmque
Excubiis curat.

Cato de Tribunis militum apud Nonnium: *Expedito pauperem plebeium atque proletarium.* Caſſius Hemina: *Tunc Marcus præco primum proletarios armauit.*

Capitecenſi.

Capitecensi qui dicantur partim liquet ex dictis, partim tradit Iulius Exuperantius in hiſtoria: *Populus Romanus per partes diuiſus erat, & pro patrimonij facultate cenſebatur. Ex iis omnes, quibus res erat, ad militiam ducebantur, diligenter enim pro victoria laborabant, qui cum libertate bona patria defendebant, illi autem quibus nullæ opes erant, ſecundum caput, quod ſolùm poſsidebant, cenſebantur, & belli tempore in mœnibus reſidebant. facilè enim poterant exiſtere proditores, quia egeſtas haud facilè habetur ſine damno.* Paulo aliter legitur in vulgatis, ſed me vel ipſa ratio ſyntaxeos impulit, vt ita reſcriberem, atque iidem in claſſibus populi cenſiti fuiſſe non videntur. Salluſtius in Iugurtha de C. Mario: *Ipſe interea milites ſcribere, non more maiorum, nec ex claſsibus, ſed vt libido cuiuſque erat. Capitecenſos pleroſque, id factum alij inopia bonorum, alij per ambitionem Conſulis memorabant, quòd ab eo genere celebratus, auctúſque erat: & homini potentiam quærenti, egentiſsimus quiſque opportuniſsimus.* Non ex claſſibus, inquit, videlicet quinque primis militiæ deſtinatis: nam omnes tum proletarij, tum capitecenſi erant in ſextam claſſem non centuriatam reiecti. de quibus Dionyſius lib. 4. fuſiſſimè, & nos aliquid in Piſonem §. 3. nota 6.

Tribuni ærarij.

De Tribunis ærariis Varro lib. 1. de lingua Latina: *Tributum dictum à tribubus, quod ea pecunia quæ à populo imperata erat tributim à ſingulis pro portione cenſus exigebatur. ab hoc quæ aſsignata erat attributum dictum. ab eo quoque, quibus attributa erat pecunia, vt militi reddant tribuni ærarij dicti. ab hoc ea quæ aſsignata erat attributum dictum.* Cicero de prætura vrbana: *Ne diutiùs teneam, pecunia attributa numerata eſt*, &c. quæ

verba explanans Aſconius: *Pecunia*, inquit, *attributa eſt, quæ in ſtipendium militum de ærario à tribunis ærariis adnumerari ſolet.* è quibus locis ita concludit Budæus annotationibus in Pandectas De officio Quæſtoris, lege vnica. *Tribuni igitur ærarij ſecundum Aſconium, ea munera obibant. quæ nunc generales Receptores obeunt, attributam pecuniam quæſtoribus prouincialibus adnumerantes ex ærario promptam. Secundum Varronem ij erant, qui militibus ipſis protinus adnumerabant, qui nunc Theſaurarij ſunt bellici.* hæc ille: ſed Varronem non arbitror ab Aſconio diſſidere. Tribunis enim ærariis *attributa erat pecunia, vt militi reddant*, teſte Varrone, quod verum eſſe poteſt, etiam ſi non *protinus militibus ipſis adnumerarent*, ſed quæſtoribus darent, militi deinde tribuendam. atque hic poſtremus ordo tam honeſtus fuit vt prope ad equitum ſplendorem accederet. De his etiam Varronis verba ſunt ex lib. 1. epiſtolicarum quæſtionum à Gellio citata lib. 7. noct. Attic. *Pignoriſcapio ob æs militare, quod æs à tribuno ærario miles accipere debebat.* Aduerte nonnullas aliquando gentes à patriciis in plebeios, & viciſſim à plebeiis ad patricios tranſiiſſe, idque beneficio vel principum, vel Senatus teſtis eſt gens Octauia. Suetonius in Auguſto cap. 2.

Tranſitus à plebeiis ad patricios, & contrà.

Ea gens à Tarquinio Priſco Rege inter Romanas gentes allecta in Senatum, mox à Seruio Tullio in Patricias tranſducta, procedente tempore ad plebem ſe contulit: ac rurſus magno interuallo per D. Iulium in patriciatum rediit. Legunt Sabellicus & Beroaldus non *Romanas gentes*, ſed *minores.* Equites, naſcente Repub. non effecerunt tertium corpus ciuitatis, ſed vel ex ordine patricio fuerunt, vel è plebeio; quamuis equites à Romulo è patriciis dumtaxat electi fuiſſe videantur. Halicarnaſſeus 2. Τριακοσίους ἄνδρας ἐκ τῶν ἐπιφανεστάτων οἴκων τοὺς ἐρρωμενεστάτους τοῖς σώμασιν ἐπιλεξάμενος. *Cùm trecentos homines fortiſſimos elegiſſet è familiis maximè illuſtribus.* Tamen equites è plebe fuiſſe non paucos, qui licet equeſtrem ſplendorem obtinerent, nihilominùs plebeij dicerentur, conſtat ex Liuio libro 2. vbi poſtquam *cædibus Regis diminutum patrum numerum, primoribus equeſtris gradus lectis ad trecentorum ſummam expletum fuiſſe* narrauit: *Id mirum quantùm profuit ad concordiam ciuitatis, iungendóſque Patribus plebis animos.* quod ſine dubio minimè profuiſſet, ſi equites nulli fuiſſent è plebeiis. Talis videtur è plebe in ordinem equeſtrem allectus, qui à Naſone deſcribitur:

-parto per vulnera cenſu
Præfertur nobis ſanguine factus eques.

Iam ſerò admodum equites à plebe Patriciíſque diſtinctos in tertium corpus ciuitatis coaluiſſe liquet ex Plinio libro 33. cap. 2. *Iudicum autem appellatione ſeparari eum ordinem, primi omnium inſtituère Gracchi diſcordi popularitate, in contumeliam Senatus: mox ea debellata auctoritas nominis vario ſeditionum euentu circa publicanos ſubſtitit, & aliquandiu tertiæ vires Publicani fuere: M. Cicero demum ſtabiliuit equeſtre nomen in conſulatu ſuo, ei Senatum concilians, ex eo ſe ordine profectum eſſe celebrans, eiúſque vires peculiari popularitate quærens. Ab illo tempore planè hoc tertium corpus in Rep. factum eſt, cœpítque adiici Senatui populóque Romano & equeſter ordo. qua de cauſſa & nunc poſt populum ſcribitur, quia nouiſſimè cœptus eſt adiici* Vnde Tullius Philipp. 6. §. 13. ſi equeſter ordo ſibi patronum adſciſceret, eum ſe meritò futurum gloriatur: *Sed hæc vna ſtatua. altera ab equitibus Romanis equo publico, cui item adſcribunt* PATRONO. *quem vnquam iſte ordo patronum adoptauit? ſi quemquam, debuit me.* De huius ordinis in minores velut ordines diuiſione: *cùm alius ſe nongentum, alius Selectum, alius Tribunum appellaret*, Plinius ibidem conſulatur. è recentioribus vide Turnebum, Alexandrum Neapolitanum, & Tiraquellum eius interpretem, Valtrinum 3. de re militari cap. 3. Budæum in Pandectas, lege vltima de Senatoribus. Laſium in ſuis commentariis de Rep. Rom. & alios. *Annulus aureus*, vt Budæi verbis vtar, *inſigne erat ordinis equeſtris. Cenſus autem equeſtris quadringenta ſeſtertia, hic etiam ordo ius habebat ſpectandi in quatuordecim ordinibus theatri.* ſed, vt iam in Piſoniana notauimus, annulus erat inſigne quod equeſtrem ordinem tantùm à populo diſtingueret, nam etiam Senatui ius erat annulorum. & diſtinguebat anguſtus clauus equeſtrem ordinem à Senatu, cùm equites tunicis anguſticlauiis, Senatores laticlauiis vterentur. Sed ne vlterius euagemur. Cùm igitur ex ampliſſimis aut florentiſſimis ordinibus ait orator iudices fuiſſe delectos, non excludit Tribunos ærarios, qui nomine populi, & tertij ordinis iudicabant. & cùm è cunctis ordinibus ait ampliſſimos viros iudicaſſe, proletarios aut capitecenſos non includit. ſatis enim fuit ad propoſitionis huiuſce veritatem, quòd Senatores, Equites, Tribunis ærariis quæ fuit pars nobiliſſima populi iudicarint. Hos autem ordines tres Claudianus eleganter coniunxit lib. 3. de laudibus Stilichonis.

Equeſter ordo à Cicerone ſtabilitus.

Omnis in hoc vno variis diſcordia ceſſit
Ordinibus, lætatur eques, plauditque Senator,
Votáque patricio certant plebeia fauori.

Sed Poëticè *vota plebeia* dicit, pro *populi votis*, & *patricium fauorem*, pro *fauore Senatus* appellat.

ARGVMENTVM.

Rurſum beneuolentiam Iudicum & miſerationem à ſua Milonis Iudicum aduerſariorum perſona, & inexpectato euentu aucupatur.

V. QVID enim nobis duobus, Iudices, laborioſius? quid magis ſollicitum, magis exercitum, dici, aut fingi poteſt: qui ſpe ampliſſimorum præmiorum ad Rempubl. adducti, metu crudeliſſimorum exitiorum carere non poſſumus? Et quidem ceteras tempeſtates, & procellas in illis duntaxat fluctibus concionum ſemper putaui Miloni eſſe ſubeundas,

quod ſemper pro bonis contra improbos ſenſerat: in iudicio verò, & in eo conſilio, in quo ex cunctis ordinibus ampliſſimi viri iudicarent, nunquam exiſtimaui ſpem vllam eſſe habituros Milonis inimicos, ad eius non ſalutem modò exſtinguendam, ſed etiã gloriam per tales viros infringendã.

EXPLANATIO.

QVID ENIM.] Probat & ſe & Milonem à perditiſſimis ciuibus fuiſſe vexatum. Quis enim maioribus laboribus periculiſque vexatus eſt? quis frequentioribus ſollicitudinum æſtibus ac procellis iactatus? cui toties cum ipſa fortuna luctandum fuit, quàm vel mihi qui à perditis ciuibus eiectus ſum ab ea ciuitate, quam ab interitu & coniuratione Catilinaria liberaueram? vel Miloni, qui nunc in capitis periculum vocatur, quòd vim vi repulerit, nec Publ. Clodio, cuius inimicitias Reip. cauſsâ ſuſceperat, ſe præbuerit iugulandum?

QVI SPE.] Ab euentu inopinato miſeriam ſuam & Milonis exaggerat per antitheſim: *Spe, metu, ampliſsimorum, crudeliſsimorum, præmiorum, exitiorum.*

EQVIDEM.] Rei indignitatem auget, ex eo quòd ſperent aduerſarij, ſe per Iudices, viros videlicet optimos poſſe perniciem optimis ciuibus creare. & breuem Milonis commendationem interſerit, quod ad duos ſyllogiſmos poſſit hoc pacto reuocari.

Mirum non eſt eum qui ſemper pro bonis contra improbos ſenſit, ab improbis in concione vexari.

Sed Milo ſemper pro bonis contra improbos ſenſit.

Ergo non eſt mirum eum in concione vexari.

Dicit ſe prouidiſſe has tempeſtates Miloni eſſe ſubeundas, vt Milonis virtus clariùs eluceſcat, quià patriæ charitate abduci non potuit, licet periculum præuideret. quam rationem illuſtrat allegoria mixta, & verbis propriis temperata. ſequitur alter ſyllogiſmus.

Nouum eſt & inexpectatum quod improbi per bonos ciues bonis ciuibus perniciem inferre moliantur.

Sed aduerſarij improbi ciues & turbulenti per vos iudices optimos, Miloni ciui optimo perniciem inferre moliuntur.

Ergo id nouum eſt & inexpectatum, atque adeò non potuit præuideri.

CÆTERAS TEMPESTATES.] Cætera pericula, labores, & moleſtias, quæ tempeſtatis & procellæ cuiuſdam inſtar iis incumbunt, qui ſeditioſis & turbulentis ciuibus volunt obſiſtere.

FLVCTIBVS CONCIONVM.] In concionibus. quæ, quemadmodum fluctus huc illuc ventorum flatibus commouetur, ita ſeditioſorum orationibus in varias cupiditates, iram, odiũ, indignationem, &c. concitantur.

EX CVNCTIS ORDINIBVS.] Ex Senatu, populóque Romano, & equeſtri ordine.

MILONIS INIMICOS.] Omnem Clodianorum factionem, & præſertim duos Appios Clodios adoleſcentes Milonis accuſatores. item Q. Pompeium, C. Salluſtium, & Tit. Munatium Plancum, qui contra eum conciones turbulentas habuerunt.

EXTINGVENDAM, INFRIGENDAM.] Homoioteleuton, vt notat Fabius.

PER TALES VIROS.] Per Iudices ex cunctis ordinibus delectos. Aſconius in præfatione: *Perlatâ deinde lege Pompey, in qua id quoque ſcriptum erat, vt Quæſitor ſuffragio populi ex iis qui Conſules fuerant, crearetur, ſtatim comitia habuit, creatúſque erat Luc. Domitius Ænobarbus Quæſitor, aliorum quoque Iudicum, qui de ea re iudicarent, Pompeius tales propoſuit, vt nunquam neque clariores viros, neque ſanctiores propoſitos eſſe conſtaret.*

NOTÆ.

EXERCITVM.] Eodem ſenſu 1. Æneidos: 1.

Qualis apes æſtate noua per florea rura
Exercet ſub ſole labor.

Et 3. *-nate Iliacis exercite fatis.* Exercitus.

Horatius: *Exercitatas aut petit Syrteis notô.*

SPE AMPLISSIMORVM.] Ab eo quod præter ſpem euenerit ſolent miſerationem excitare. Ariſtoteles 2. Rhet. cap. 8. inter ea quæ ἐλεεινὰ *miſeratione digna* appellat, enumerat. καὶ τὸ ὅθεν προσῆκεν ἀγαθόν τι πρᾶξαι. κακόν τι συμβῆναι. *vnde conueniebat boni aliquid effici, mali aliquid contigiſſe.* Ideóque Lyſias ſuum Areopagiticum à ſpe fraudata ſic auſpicatur. Πρότερον μὲν, ὦ βουλὴ, ἐνόμιζον ἐξεῖναι τῷ βουλομένῳ ἡσυχίαν ἄγοντι, μήτε δίκας ἔχειν, μήτε πράγματα. νυνὶ δὲ οὕτως ἀπροσδοκήτως αἰτίαις καὶ πονηροῖς συκοφάνταις περιπέπλοκα, ὥστε, εἴ πως οἷόν τε, δοκεῖ μοι δεῖν καὶ τοὺς μὴ γεγονότας ἤδη δεδιέναι περὶ τῶν μελλόντων ἔσεσθαι. *Antehac quidem P. C. exiſtimabam facilè eſſe cuilibet volenti & quieſcenti, vt neque cauſſam diceret, neque quiſquam ei moleſtiam exhiberet: nunc verò ita præter expectationem in accuſationes & nefarios calumniatores incidi, vt ſi fieri poteſt, iis etiam qui nondum nati ſunt, de futuris timendum eſſe videatur.* Et Oreſtes ſuam apologiam hinc orditur apud Libaniũ, inter cætera: Ἤλπιζον γὰρ ἡμᾶς οἷα τοὺς ἄλλους ἀνθρώπους, τὰ μὲν δυστυχεῖν, τὰ δὲ πεπαῦσθαι, καὶ μίαν ἔσεσθαί μοι ποτὲ παραμυθίαν εἰπεῖν τι πρὸς τὴν τύχην, ἀεὶ τῶν ἐξ αὐτῆς μεμνημένος, καὶ τῷ πλήθει τῶν δακρύων τῆς διανοίας ἐπικουφίσαι τὰ δυσχερῆ. ἐπειδὴ δὲ σφοδρῶς οὕτω καθ' ἡμῶν ἔπνευσε τὸ δαιμόνιον, ὡς μηδὲ κόρον τὸν εἰς ἡμᾶς λαμβάνειν ἀτυχημάτων, &c. *Etenim ſperabam nos, vt reliqui homines ſolent, partim infortunio premi, partim quiete frui: & vnum mihi ſolamen aliquando futurum, vt dicerem aliquid in fortunam ſemper inſultus illius in memoriam reuocans, & vbertate lacrymarum animi ægritudinem alleuarem. Quoniam verò ita vehementer aduerſus nos malus Genius ſpirauit, vt neque vlla ipſum ſatietas capiat infortuniorum noſtrorum, &c.* Macrobius Saturnal. lib. 4. *Eſt apud oratores & ille locus idoneus ad pathos mouendum, quod dicitur præter ſpem.* hunc Virgilius frequenter exercuit. Pathos ab eo quod præter ſpem.

Nos tua progenies, cœli quibus annuis arcem, &c.

Æneas de Euandro:

Et nunc ille quidem ſpe multum captus inani
Fors & vota facit. & illud:
O Lycida viui peruenimus, aduena noſtri,
Quod nunquàm veriti ſumus, vt poſſeſſor agelli
Diceret, hæc mea ſunt, veteres migrate coloni.

Antiphon apologia de nece inuoluntaria. Ἐδόκουν μὲ οὖν ἔγω γε ταῦτα παιδεύων τὸν υἱὸν, &c. συμβέβηκε δὲ πολὺ παρὰ γνώμην τούτων. *Hac mihi videbar filium docere*, &c. *mihi verò euenit valde præter opinionem.* quare ſapientes nullum ad ægritudinem leniendam remedium præſentius putarunt, quàm ſi longè antè caſus aduerſos præuideant, & cum Theſeo illo:

Futuras ſecum commententur miſerias.

Nimirum, vt eſt in adagio:

Tela minùs præuiſa nocent.

Et illud Horatij:

Sperat aduerſis, metuit ſecundis
Alteram ſortem bene præparatum
Pectus.-

FLVCTIBVS CONCIONVM.] Inuſitatum non eſt magnis Scriptoribus Reip. turbas, & populares motus cum fluctibus & procellis comparare. huc traducit Homerū 2. Iliados. Dio Chryſoſt. oratione ad Alexandrinos: quamuis ille motum corporum cum fluctibus confert, vt poſt eũ fecerunt Maro 2. Georg. Statius 2. Thebaidos, Iuuenalis ſat. Nonnus paſſim: at cæteri, quos citabo ſtudiorum & variarum vulgi cupiditatum magis videntur habere rationem.

Κινήθη δ' ἀγορὴ, ὡς κύματα μακρὰ θαλάσσης
Πόντου Ἰκαρίοιο, τὰ μέν τ' Εὖρός τε Νότος τε
Ὤρορ' ἐπαΐξας πατρὸς Διὸς ἐκ νεφελάων.

Populus cum fluctu comparatus.

Concio commota eſt, magnæ velut æquoris vnda
Icarij Ponti, ſi quando Eurúſque Notúſque
Concitat, erumpítque Iouis de nubibus altis.

Idem populi ad concionem redeuntis clamorem inſtauratâ maris comparatione deſcribit.

Ὡς ὅτε κῦμα πολυφλοίσβοιο θαλάσσης
Αἰγιαλῷ μεγάλῳ βρέμεται, σμαραγεῖ δέ τε πόντος.

Vt cùm multiſoni fluctus ad littora Nerei
Voluuntur magno fremitu, pontúſque remugit.

Comicus neſcio quis apud eundē Chryſoſtomū:

- δῆμος ἄστατον κακὸν
Καὶ θαλάττῃ πάνθ' ὅμοιον, ὑπ' ἀνέμων ῥιπίζεται,
Καὶ γαληνὸς ἐντ' ἤχῳ, τοῦ πνεῦμα βραχὺ κορύσσεται.
Κ'ἄν τις αἰτία γένηται, τὸν πολίτην κατέπιεν.

-vulgus inconſtans malum
Inſtar vndæ fluctuantis concitatur flatibus.
Mox quieſcit, móxque feruet: omnis armatur notus
Cauſſa ſi vel parua ſubſit, illico ciuem vorat.

Sic enim emendo tertium verſum, Καὶ γαληνὸς, εἶτα βρέχει, πνεῦμα τοῦ κορύσσεται. quaſi τὸ βραχὺ pro βρέχει facili mutatione, & gloſſema ἤχει, quod explicabat βρέχει è margine in textum irrepſerit: deinde corruptum degenerarit in ἤχῳ & illud obreptitium βραχὺ fuerit à ſua ſede tranſlatum ad concinnandum trochaicum, ſed lectoris eſto iudicium, mihi certè non arridet emẽdatio Morelli, καὶ γαληνῶς εὖτ' ἴσχων, &c. Nos in viam redeamus pro Murena 35. *Quod enim fretum? quem Euripum tot motus, tantas, tam varias habere putatis agitationes fluctuum, quantas perturbationes & quantos æſtus habet ratio comitiorum? Dies intermiſſus vnus, aut nox interpoſita ſæpe perturbat omnia, & totam opinionem parua nonnunquã commutat aura rumoris.* Item 36. *Nam vt tempeſtates ſæpe certo aliquo cæli ſigno commouentur, ſæpe improuiſo, nulla ex certa ratione, obſcura aliqua ex cauſſa excitantur: ſic in hac comitiorum tempeſtate populari, ſæpe intelligas quo ſigno commota ſit: ſæpe ita obſcura eſt vt caſu excitata eſſe videatur.* pro Plancio 11. *Noſtrum autē eſt qui in hac tempeſtate populi iactemur. & fluctibus, ferre modicè populi voluntates, allicere alienas, retinere partas, placare turbatas.* Et 15. *Si campus atque illæ vndæ comitiorum, vt mare profundum & immenſum ſic efferueſcunt quoſdam quaſi æſtu, vt ad alios accedant, ab aliis recedant, in tanto nos impetu ſtudiorum, & motu temeritatis modum aliquem & conſilium, & rationem requiramus?* Poſtremum illud è Demoſthenis oratione quæ de falſa legatione inſcribitur: ὁ μὲ δῆμός ἐστιν ὄχλος, ἀσταθμητότατον πρᾶγμα τῶν ἁπάντων, καὶ ἀσυνετώτατον, ὥσπερ ἐν θαλάττῃ πνεῦμα ἀκατάστατον, ὡς ἂν τύχοι κινούμενον. ὁ μὲ ἦλθεν, ὁ δ' ἀπῆλθεν. *Vulgus eſt turba rerum omnium inconſtantiſſima, & imprudentiſſima. quemadmodum in mari fluctus inſtab.lis temerè iactatur. hic accedit, ille recedit.* lego enim ἐν θαλάττῃ κῦμα, non πνεῦμα, ex Appiano lib. 3. ciuilium, qui hunc locum citat, & iiſdem verbis transfert in quandam orationem M. Antonij. Huius comparationis cauſam adfert Solon quod hi fluctus in animis vulgi ſeditioſis, furioſorum orationibus ventilati.

Ἐξ ἀνέμων δὲ θάλασσα ταράσσεται· ἢν δέ τις αὐτὴν
Μὴ κινῇ, πάντων ἐστὶ δικαιοτάτη.
Ἀνδρῶν δ' ἐκ μεγάλων πόλις ὄλλυται.

Vt mare turbatur ventis: ſi flamine nullo
Vexatur, iuſtis ſternitur æquor aquis.
Sic vrbs Magnatum furiis corrumpitur.

Quod apud Polybium lib. 11. penè verbatim Scipio Africanus expreſſit: Πᾶς ὄχλος εὐπαράγωγος ὑπάρχει, καὶ πρὸς πᾶν εὐάγωγος. ὅθεν ἀεὶ τὸ παραπλήσιον πάθος συμβαίνει περί τε τοὺς ὄχλους, καὶ τὴν θάλατταν. καθάπερ γὰρ κἀκείνης, ἡ μὲ ἰδία φύσις ἐστὶν ἀβλαβὴς τοῖς χρωμένοις, καὶ στάσιμος. ὅταν δ' εἰς αὐτὴν ἐμπέσῃ πνεύματα βίᾳ, τοιαύτη φαίνεται τοῖς χρωμένοις οἷοί τινες ἂν ὦσιν οἱ κυκλοῦντες αὐτὴν ἄνεμοι, τὸν αὐτὸν τρόπον καὶ τὸ πλῆθος ἀεὶ φαίνεται γίνεσθαι πρὸς τοὺς χρωμένους, οἵους ἂν ἔχῃ προστάτας καὶ συμβούλους. *Nimirum ita eſt: omnis multitudo & in fraudem facilè delabitur, & ad quæuis facilè impellitur. Itaque maris & vulgi ſimilis ſemper eſt natura. Quemadmodum mare ſuapte natura innoxium eſt vtentibus, & quietum, vbi verò cum violentia in ipſum incubuerunt venti, mare quoque erga nauigantes tale exiſtit, quales fuerunt venti à quibus omni ex parte agitatur. Planè ad hoc inſtar etiam multitudo talis ſemper reperitur eſſe erga ſuos rectores, quales ij fuerint quos ipſa patronos nacta eſt & conſiliarios.* Breuius Liuius lib. 38. in eadem militari concione. *Multitudo omnis, ſicut natura maris, per ſe immobilis eſt, vt venti & auræ cient, ita aut tranquillum, aut procellæ in vobis ſunt, & cauſa atque origo omnis furoris penes auctores eſt.* Dio Chryſoſtomus orat. 3. de Regno non abludit. apud quem huiuſmodi ὀχλοκρατίας deſcriptio. Ποικίλη καὶ παντοδαπὴ φορὰ πλήθους, οὐδὲν εἰδότος ἁπλῶς, παραπλουμένη δ' ἀεὶ καὶ ἀγριαίνοντος ὑπ' ἀκολάστων δημαγωγῶν, ὥσπερ κλύδωνος ἀγρίου καὶ χαλεποῦ ὑπ' ἀνέμων σκληρῶν μεταβαλλομένου. *Varius & omnigenus multitudinis impetus, nihil ſcientis ſimpliciter, ſed tumultuantis ſemper atque ferocientis, immodeſtorum opera oratorum, vt fluctus ferus & difficilis à ventis duris huc illuc impulſus.* Hinc procellæ & Reip. turbines vocantur, qui illos fluctus concitant: omitto prudens Ciceronem paſſim. Prudentius in Romano:

Seditioſi populum concitātes, inſtar venti.

Comitiorum tempeſtates.

Infame monſtrum, vilis, inteſtabilis,
Tu ventilator vrbis, & vulgi leuis
Procella mentes inquietas mobiles.

Cyprianus epiſtola ad Cornelium de hæreticis. *Nouatianus fax & ignis ad conflanda ſeditionis incendia*

cendia turbo & tempeſtas ad facienda fidei naufragia. Atque ob iſtos plebeculæ & concionum fluctus vulgus ab Herodoto lib. 3. χειμάρρῳ ποταμῷ ἴκελος, *torrenti flumini ſimilis*: à Phalaride ep. 77. ἑτοιμότατος ἐφ' ὅτι μεταχθῆναι, *ad quiduis mobile.*

Vulgus fluctu mobilius.

Fluctúque magis mobile vulgus.

à Seneca in Hercule furente. *Vana aut leui aura mobile vulgus* à Liuio lib. 24. nominatur. Chryſoſtomus 23. homilia in epiſt. ad Romanos, ὥσπερ κυμάτων τῇδε κἀκεῖσε τῶν δήμων περιαγομένων. *Cùm populi fluctuum inſtar huc illuc circumferantur.* hinc illud præceptum Phocylidis verſ. 90.

Λαῷ μὴ πίστευε, πολύτροπός ἐστιν ὅμιλος
Λαὸς, καὶ ὕδωρ, καὶ πῦρ ἀκατάσχετα πάντα.
Vulgo ne credas, varium & mutabile vulgus.
Ignis, aqua, & vulgus nulla ratione tenentur.

E quibus illuſtres illum Cluentianæ locum 138. *Ex quo intelligi potuit, id quod ſæpe dictum eſt, vt mare quod ſua naturâ tranquillum ſit, ventorum vi agitari atque turbari: ſic & populum Rom. ſuà ſponte eſſe placatum, hominum ſeditioſorum vocibus, vt violentiſsimis tempeſtatibus concitari.*

INFRINGENDAM.] Huiuſmodi ſimiliter deſinentium placet vnum aut alterum exemplũ adferre. Lyſias apologia de populi ſolutione, τὴν γὰρ τούτων πονηρίαν, ἑαυτῶν ἡγοῦνται σωτηρίαν. *horum enim improbitatem, ſuam exiſtimant incolumitatem.* Et paulò antè. Νομίζοντες καὶ τῆς πόλεως ταύτην ἱκανωτάτην εἶναι σωτηρίαν, καὶ τῶν ἐχθρῶν μεγίστην τιμωρίαν. *Rati hanc & vrbis ſufficientiſsimam eſſe ſalutem, & inimicorum maximam vltionem.* c. IV.

NVNQVAM EXISTIMAVI.] Pathos ab inexpectato 3. Æneidos Æneas ita patris mortem deplorat. V.

Nec vates Helenus cùm multa horrenda moneret
Hos mihi prædixit luctus: non dira Celæno.

AXIOMATA.

Miſerum eſt eos qui ſpe ampliſſimorum præmiorum ad Remp. adducti ſunt, metu crudeliſſimorum exitiorum carere non poſſe.

Qui pro bonis contra improbos ſentiunt, iis ſubeundæ ſunt tempeſtates & procellæ in fluctibus concionum.

ARGVMENTVM.

Hæc eſt orationis diuiſio, qua ſtatum quæſtionis §. 30. & 31. *accuratiùs exprimendum breuiter & primis veluti lineamentis informat, & per reiectionem aliorum indicat quàm ſit in dicendo rationem initurus.*

QVAMQVAM in hac cauſſa, Iudices, T. Annij tribunatu, rebus omnibus pro ſalute Reipubl. geſtis, ad huius criminis defenſionem non abutemur, niſi oculis videritis inſidias Miloni à Clodio factas: nec deprecaturi ſumus, vt crimen hoc nobis multa propter præclara in Remp. merita condonetis; nec poſtulaturi, vt, ſi mors P. Clodij ſalus veſtra fuerit, idcirco eam virtuti Milonis potiùs, quàm populi Romani felicitati aſſignetis. ſed, ſi illius inſidiæ clariores hac luce fuerint; tum denique obſecrabo, obteſtabórque vos, Iudices, ſi cetera amiſimus, hoc ſaltem nobis vt relinquatur, ab inimicorum audacia, telíſque vitam vt impunè liceat defendere. VI.

EXPLANATIO.

QVAMQVAM.] Orator vt accuſationis indignitatem augeret, beneficiorum Milonis in Remp. mentionem fecerat, indignúmque oſtenderat eſſe, vt is in iudicio periclitaretur, qui ſemper iudicum auctoritatem contra ſeditioſos defenderat, ne igitur quiſquam putaret Tullium de iuſtitia cauſſæ deſperantem ad deprecationem confugere, per correctionem oratoriam ad propoſitionem delabitur.

TRIBVNATV ET REBVS, &c.] Rebus geſtis in tribunatu, quem geſſit anno poſt Clodium proximo: qui Milonis tribunatus totus in eo poſitus fuit, vt P. Clodiam turbas in Rep. concitantem: *Tot iam in funeribus Reip. exultantem ac tripudiantem, legum ſi poſſet laqueis conſtringeret.* ſed cùm illum vi & armis iudicia diſſipantem videret, vim vi depulit, & præſidium ſibi contra Clodij ſicarios comparauit.

NON ABVTEMVR.] Non vtemur præpoſterè hac meritorum commendatione ad depellendam accuſationem, quaſi verò Titus Annius beneficiis Remp. affecerit, vt hac fiduciâ ciues impunè trucidaret potiùs, quàm ſe ipſum ad maiorem patriæ charitatem accenderet.

NISI OCVLIS VIDERITIS.] Niſi tam clarè intellexeritis inſidias à Clodio Miloni eſſe factas, quàm ſi corporis oculis cerneretis.

NOBIS.] Mihi qui Remp. à coniuratis vindicaui. Miloni qui P. Clodij furorem ſæpe compeſcuit, eúmque depulit à Reip. ceruicibus.

NEC POSTVLATVRI.] Alium colorem reiicit, quem Milo prætexere potuiſſet. poterat enim fateri, ſe Clodio pernicioſo ciui necem intuliſſe, eo concilio non vt priuatas vlciſceretur iniurias, ſed vt Remp. ab exitio liberaret. Id Tullius ita admittit, vt tamen eo ſe vſurum eſſe neget, quòd hic euentus non minùs in populi Romani fœlicitatem, quàm in Milonis virtutem refundi poſſe videatur. Aſconius: *Cùm quibuſdam placuiſſet, ita defendi crimen, interfici Clodium pro Rep. fuiſſe, quam formam M. Brutus ſecutus eſt in ea oratione quam pro Milone compoſuit & edidit, quamuis non egiſſet: Ciceroni id non placuit, quòd qui bono publico damnari, idem etiam occidi indemnatus non poſſet.*

SED SI CLARIORES.] Per hyperbolem ſuam fiduciam oſtendit, ſi id argumentis effecero

vt clariùs inſidias à Clodio contra Milonem poſitas fuiſſe videatis, quàm ſolem videtis meridie lucere.

Tvm deniqve.] Aduerte modeſtiam petitionis ad declinandam inuidiam.

Si cætera amisimvs.] Si illos virtutis fructus amiſimus, ſi honores, & pręmia illa ampliſſima, quorum ſpe ad Remp. adducti ſumus.

Hoc saltem nobis vt relinqvatvr.] Quod negari non poteſt. nam *hoc & ratio doctis, & neceſſitas barbaris, & mos gentibus, & feris natura ipſa præſcripſit, vt omnem ſemper vim, quacunque ope poſſent, à corpore, à capite, à vita ſua propulſarent.* infrà 30. Aduerte verborum ſitum: quantum enim gratiæ deperiret, ſi vnicã particulam bis repetitam aliter collocaret: *Obteſtabórque vos, vt ſaltem nobis hoc relinquatur, vt ab inimicorum audacia, telíſque vitam impunè liceat defendere.*

NOTÆ.

Criminis defensionem.] Depulſionem. vide Cœlianam 10. num. 3.

I. Non abvtemvr.] Pro *non vtemur*, inquit Syluius, *compoſitum pro ſimplici*, loquendi

II. modus ſcriptoribus latiniſſimis vſitatus, vt *adoro* pro *oro* 10. Æneidos:

In rupes, in ſaxa, volens vos Turnus adoro,
Ferte ratem.-

Abuti. & alij frequenter, vt iam Lipſius annotauit. Demoſthenes 59. procœmio verbum καταχρήσασθαι *abuti*, etiam in bonam partem vſurpat. ἡ μὲν οὖν ὑμετέρα προθυμία πάντως ἀξία, καὶ τοιαύτη πάρεστιν, οἵαν ἄν τις εὔξαιτο εὔνοις ὢν τῇ πόλει. νῦν δὲ ὅσῳ τυγχάνει σπουδαιοτέρα, τοσούτῳ δεῖ μᾶλλον προϊδεῖν, ὅπως εἰς δέον καταχρήσεσθε αὐτῇ. *Veſtra animi promptitudo ſanè digniſſima, & ea eſt quam quiuis expeteret beneuolus ciuitati. nunc verò quantò maior eſt, tantò impenſius eſt prouidendum, vt in quas res oportet, ea abutamini.* Lucret. lib. 5.

Sentit enim vim quiſque ſuam quã poſſit abuti.
Cornua nata prius vitulo quam frontibus extent
Illis iratus petit, atque inſenſus inurguet.

Brutus quadam ep. ad Ciceronem: *Tibi perſuadeas non fore illi abutendum gloriâ tuâ vt adipiſcatur honores paternos.*

Popvli Romani foelicitati.] Quicquid proſperè contigerat, id in fortunam

III. ſiue in fœlicitatem populi Romani referebant. Philipp. 1. 89. *Suſtulit illum diem fortuna populi Romani*, &c. Philipp. 5. 29. *Excluſit illum à Rep. diſtraxit, ſegregauit, non ſolùm ſcelus illius, ſed*

Fortuna pop. Rom. *etiam, vt mihi videtur, fortuna quadam Reipubl.* quod adeò frequens eſt, vt fas non ſit in delibandis exemplis immorari, cùm præſertim Plutarchus opuſculum *de fortuna Romanorum* conſcripſerit. ex quo id vnum nolui præterire: Οὐ πτεροῖς ἐλαφρίζουσα κούφοις ἑαυτὴν, οὐδ᾽ ἀκρώνυχον ὑπὲρ σφαίρας τινὸς ἴχνος καθεῖσα περισφαλὴς καὶ ἀμφίβολος προσεισιν, εἶτ᾽ ἄπεισιν ἀειδής. ἀλλ᾽ ὥσπερ οἱ Σπαρτιᾶται τὴν Ἀφροδίτην λέγουσι διαβαίνουσαν τὸν Εὐρώταν, τὰ μὲν ἔσοπτρα, καὶ τοὺς χλιδῶνας, καὶ τὸν κεστὸν ἀποθέσθαι, δόρυ δὲ καὶ ἀσπίδα λαβεῖν κοσμουμένην τῷ Λυκούργῳ. οὕτως ἡ τύχη καταλιποῦσα Πέρσας, &c. τῷ δὲ Παλατίῳ προσερχομένη, καὶ διαβαίνουσα τὸν Θύμβριν (ὡς ἔοικεν) ἔθηκε τὰς πτέρυγας, ἐξέβη τῶν πεδίλων, ἀπέλιπε τὴν ἄπιστον, καὶ παλίμβολον σφαῖραν. οὕτως εἰσῆλθεν εἰς Ῥώμην, ὡς μενοῦσα, &c. *Non pinnis leuibus ſe attollens, aut extremis vnguibus in globo veſtigium ponens lubrica & anceps adeſt, deinde ex oculis aufertur, ſed vt Spartiatæ Venerem aiunt, cùm Eurotam traiecerit ſpecula, luxuriæ inſtrumenta, ceſtúmque ponere, haſtam & clypeum ſumere, Lycurgo ſe ornantem, ita Fortuna relictis Perſis*, &c. *ad Palatium accedens, Tiberímque tranſiens, vt videtur, alas poſuit, talaribus exuta eſt, ancipitem & infidelem globum reliquit, & ita Romam ingreſſa eſt, quaſi manſura.* Vide alia non pauca in hanc ſententiam. Paulò pòſt enumerat templa à Romanis Fortunæ dedicata, vt templum Fortunæ muliebris, Primigeniæ, Obſequentis, Priuatæ, Viſcatæ, Virginis, Bonæ Spei, Fortunæ virilis. addit Plinius libro 36. cap. 32. *Fortunam Seiam à Seruio Rege ſacratam.* & cap. 5. eiuſdem libri: *Boni Euentus & Bona fortunæ ſimulacra* à Praxitele facta *in Capitolio* fuiſſe ſcribit, & lib. 2. cap. 7. *Febri fanum in Palatio, Orbobonæ ad ædem Larium ara, & malæ fortunæ Exquiliis.* S. Auguſtinus lib. 4. cap. 10. de Ciuitate. *Ipſe* Iupiter *ſit* Fortvna Barbata, *quæ adultos barba induit, quos honorare voluerit: vt hoc qualecunque numen ſaltem maſculum Deum, vel à barba Barbatum ſicut à Nodis Nodotum, vel certè non fortunam, ſed quia barbas habet, fortunium nominarent.* & lib. 6. cap. 1. *Si malas cultorum ſuorum ſpecioſiùs & feſtiuiùs fortuna Barbata veſtiret.* Alij fortunæ Paruæ, Fortis in ripa Tiberina: Equeſtris iuxta theatrum, Dubiæ in Auentino, Proſperæ & Matutæ in foro Boario, Conuertentis, Videntis meminerunt. tanti erat apud veteres Romanos Fortuna. Vide Marlianum lib. 4. Rom. Antiq. cap. 7. Ludouicum Viues in cap. 18. libri 4. de Ciuit. vbi Auguſtinus. *Quid? quod & Felicitas Dea eſt? ædem accepit, aram meruit, ſacra ei congrua perſoluta ſunt.* Subdit: *Felicitas illa eſt, quam boni habent præcedentibus meritis. Fortuna verò quæ dicitur Bona, ſine vllo examine meritorum, fortuitu accidit hominibus, & bonis & malis, vnde etiam fortuna nominatur.* Et cap. 23. tempus oſtendit, quo tempore Felicitas fuit conſecrata, licet Fortuna à principio naſcentis Reip. multas iam ædes obtineret. *Cur denique tam ſerò huic tantæ Deæ poſt tot Romanos Principes Lucullus ædem conſtituit?* Plinius libro 35. cap. 12. de Arceſilao L. Luculli familiari loquens ex Varrone refert. *Ab hoc factam Venerem Genitricem in foro Cæſaris, & priuſquam abſolueretur feſtinatione dedicandi poſitam. Deinde eidem à Lucullo H. S. LX. ſignum Felicitatis locatum, cui mors vtriuſque inuiderit.* Idem libro 34. cap. 81. & libro 36. cap. 5. ædem Felicitatis agnoſcit. Quid? quod fortunæ tantum tribuebant, vt ſecutis temporibus præferrent Imperatoribus aureum fortunæ ſimulachrũ, ídque in Imperatorum cubiculo collocarent. vt in Piſonem 92. oſtendimus? *Toto quippe mundo*, vt Plinij verbis vtar lib. 2. cap. 7. *& locis omnibus, omnibúſque horis, omnium vocibus Fortuna ſola inuocatur: vna nominatur, vna accuſatur, vna agitur rea, vna cogitatur, ſola laudatur, ſola arguitur, & cum conuiciis colitur, volubilis, à pleriſque etiam & cœca exiſtimata, vaga, inconſtans, incerta, varia, indignorum fautrix huic omnia expenſa huic omnia feruntur accepta: & in tota ratione mortaliũ, ſola vtramq; paginã facit.* Sed quanto meliùs ille?

Fortuna muliebris. Primigenia. Obſequens. Priuata. Viſcata. Virgo. Bonæ Spei. Virilis. Seia. Bona. Mala.

Barbata.

Parua. Fortis. Equeſtris. Dubia. Proſpera. Matuta. Conuertens. Videns.

Felicitas Dea.

Fortunæ poteſtas.

Nullum numen habes ſi ſit prudentia, nos te
Nos facimus fortuna Deam cœlóque locamus.

IV. CLARIORES HAC LVCE.] Apuleius apologia hunc locum præ oculis videtur habuiſſe: *Quæ ſi omnia palam & dilucidè oſtendero, tunc denique, te Claudi Maxime, & omnes qui adſunt conteſtabor,* &c. Chryſoſtomus in Pſalm. 44. Ἆρα ταῦτα ἑρμηνείας δεῖται; οὐκ ἔγωγε οἶμαι, ὥσπερ οὖν οὐδ᾽ ὁ ἥλιος ὅτε φαιδρὸς ἐστι, τὰ δ᾽ εἰρημένα τούτου φανερότερα.

V. Saltem. SALTEM.] Hanc vocem, *Sicuti quædam ſupplementa orationis temerè & inconditè aſſumptam* videri tradit Gellius cap. 14. lib. 12. noct. Attic. ſed refragantur tum oratores qui hanc vocem frequenter vſurpant, vt

Saltem ſi qua mihi de te ſuſcepta fuiſſet
Ante fugam ſoboles.

Idem Gellius P. Nigidium citari dicit in commentariis grammaticis: *Saltem ex eo dictum quòd eſſet, ſi aliter: ídque ipſum dici ſolitum per defectionem, nam plenam eſſe ſententiam, ſi aliter non poteſt.* Verùm: *Tot verba tamen in pauciſſimas literas eludere improbæ cuiuſdam ſubtilitatis eſſe* exiſtimat, *fuit etiam qui diceret,* &c. *Saltem ſibi dictum videri,* v *media littera extrita: Salutem enim ante dictum, quod nos ſaltem diceremus. Nam cùm alia quædam petita ei non impetrata ſunt; tum ſolemus, inquit, quaſi extremum aliquid petituri, & quod negari minimè debeat, dicere hoc ſaltem fieri aut dari oportere: tanquam ſalutem poſtremò petentes, quam & impetrari certè, & obtineri ſit æquiſſimum.* quod cùm idem non illepidè quidem fictum, minùs tamen commentitium putet, ac proinde cenſeat amplius quærendum, addamus bona eius venia *ſaltem* potuiſſe dici quaſi, *ſaltim, ſiue ſaltuatim*, vt cætera tranſiliantur, & quaſi ſaltentur. Gloſſæ, *ſaltem*, κᾂν γοῦν. videtur tamen vſurpari ſaltem pro τοὐλάχιστον.

AXIOMATA.

Rebus antè præclarè geſtis ad criminis defenſionem abuti non oportet.

Ab inimicorum audacia telíſque vitam impunè licet defendere.

Præiudicia contra Milonem ab aduerſariis iactata

- 1. Nefas intueri lucem eum qui à ſe hominem occiſum eſſe fateatur. confutatur à §. 7. ad 12
  - 1. à primo populi iudicio qui Horatium abſoluit, cùm is à ſe ſororem occiſam eſſe fateretur. 7.
  - 2. à conſuetudine iudiciorum. 8. vbi cùm de homine occiſo quæritur
    - aut negatur factum.
    - aut rectè factum eſſe defenditur.
  - 3. auctoritate Minoris Africani, qui Tiberium Gracchum iure cæſum dixit videri. 8.
  - 4. Exemplo clarorum virorum, qui homines non ſolùm impunè, ſed etiam rectè occiderunt, vt
    - Hala Seruilius Sp. Melium.
    - P. Naſica Tib. Gracchum.
    - L. Opimius C. Gracchum.
    - C. Marius Saturninum.
    - Senatus Coſſ. Cicerone coniuratos. 8.
  - 5. auctoritate fabulæ non ſine cauſſa confictæ. 8.
  - 6. auctoritate XII. tabularum, quæ occidi permittunt
    - nocturnum furem quoquo modo.
    - diurnum ſi ſe telo defenderit. 9.
  - 7. ab ipſo iure naturali, quo licet alterum occidere vitæ tuendæ cauſſa. 10. idque confirmatur à Minori
    - licet pudicitiæ tuendæ cauſsâ,
    - ergo & vitæ.
  - 8. à communi hominum conſuetudine, qui gladios non geſtarent, ſi vti illis nullo pacto liceret. 10.
  - 9. Interpretatione legis 11. quæ
    - conſilium cædis damnat.
    - non ipſam cædem abſolutè.
- 2. Senatus damnauit Milonem: iudicans cædem qua P. Clodius occiſus eſt, contra Remp. eſſe factam. confutatur a §. 12. ad 15.
  - 1. Præciſa negatione per aſſertionem contrarij. 12.
  - 2. Teſtimonio inimici, videlicet Munatij Planci, qui inuidioſè criminabatur Senatum decernere.
    - non quòd ipſe ſentiret contra Milonem.
    - ſed quòd Cicero vellet pro Milone. 12.
  - 3. euerſione fundamentorum aduerſarij, quibus efficere volebat cauſsâ Milonis à Senatu eſſe damnatam.
    - Nouam quæſtionem de cæde Clodij Senatus inſtituit, quòd fundamentum conuellitur
      - à ſuperfluo. erant leges
        - vel de cæde.
        - vel de vi. 13.
      - ab affectu Senatus, qui non ita Clodij necem dolebat, vt eius cauſſa nouam quæſtionem decerneret.
      - deriuatione inuidiæ in Munatium, qui impediuit, quo minùs Senatus quæ volebat, decerneret. 12.
    - cenſuit cædem Clodij eſſe contra Remp. quòd explicatione mitigat. 14.
- 3. Pompeius nouam inſtituens quæſtionē, oſtēdit Milonē eſſe damnandū confutatur à § 15. ad 23.
  - à fine ſiue intentione Pompeij
    - Tulit vt quæreretur.
      - non factáne cædes eſſet.
      - ſed an iure facta eſſet.
      - ergo non damnauit.
      - ſed oſtendit in confeſſione facti iuris defenſionem eſſe poſſe. 15.
    - neque tulit
      - Clodij cauſsâ quòd probatur à Maiori. non eſt inſtituta noua quæſtio
        - ob cædem illatam
          - P. Africanus.
          - L. Druſo. 16.
        - ob inſidias comparatas
          - Ciceroni. 19.
          - Pompeio. 18. 19.
      - aut propter indignitatem cædis, quia Clodius in Appia via & monumentis maiorum ſuorum occiſus eſt, quam inuidiam remouet compenſatione necis Papyrij. 17. 18.
      - aut propter virtutes Clodij. 20.
    - ſed hanc quæſtionem inſtituit temporis cauſſa. 21. videns
      - fuiſſe ſibi Clodij inimicum.
      - familiarem Milonem.
      - fortiter iudicaturos eſſe iudices, & innocentem abſoluturos quantumuis atroci quæſtione.
  - ab ipſo iudicum delectu, in quo non aduerſatus eſt Miloni, ſecernens amicos Ciceronis, vt aduerſarij iactabant.
    - neque enim id cogitauit vir iuſtiſſimus.
    - neque in bonis viris legendis id aſſequi potuiſſet quia Ciceronis gratia continetur
      - non familiaritatibus.
      - ſed communi ſtudio gerendæ Reip. 21.
    - neque nominatim Luc. Domitium præficiendo quæſtioni ſpectauit aliud, quam
      - iuſtitiam.
      - grauitatem.
      - humanitatem.
      - fidem. 21.

ARGVMENTVM.

Tria contra Milonem obiecerant aduerſarÿ, quæ ſi vera fuiſſent, plurimum cauſſæ nocuiſſent. vnum, quòd in Rep. bonis legibus inſtituta, viuere non deberet, qui quouis modo hominem occidiſſet. alterum erat præiudicium Senatus, qui cædem P. Clodÿ iudicauerat contra Remp. eſſe factam. tertium, præiudicium Pompeÿ, qui tam atrocem cenſuerat eſſe P. Clodij cædem, vt nouam de ea inſtitueret quæſtionem. Ea ſingillatim refutat orator: & hoc loco facta peculiari propoſitione ad primum diluendum delapſus, hanc obiectionem demonſtrat eſſe contra mores ciuitatis.

SED, antequam ad eam orationem venio, quæ eſt propria noſtræ quæſtionis, videntur ea eſſe refutanda, quæ in ſenatu ab inimicis ſæpè iactata ſunt, & in concione ab improbis, etiam paullo ante ab accuſatoribus: vt, omni errore ſublato, rem planè, quæ venit in iudicium, videre poſſitis. Negant intueri lucem fas eſſe ei, qui à ſe hominem occiſum eſſe fateatur. In qua tandem vrbe hoc homines ſtultiſſimi diſputant? nempe in ea, quæ primum iudicium de capite vidit M. Horatij fortiſſimi viri: qui, nondum libera ciuitate, tamen populi Romani comitiis liberatus eſt, cùm ſua manu ſororem interfectam eſſe fateretur. VII.

EXPLANATIO.

SED ANTEQVAM.] Superiùs totam orationem quę eſt propria huius quæſtionis in duas partes diuiſerat, in probationē inſidiarum à Clodio poſitarum, & in deprecationem pro Milone. nunc recenti velut propoſitione, oſtendit ſe de quibuſdam præiudiciis quæ aduerſarij cōtra Milonem eſſe iactabant pauca dicturum. quaſi diceret, hæc oratio partes omninò tres continebit. Primo loco refutabo ea præiudicia quæ ab inimicis contra Milonem ſæpe iactata ſunt. Secundo locò tam clarè oſtendam Clodium inſidiatum fuiſſe Miloni, vt eius inſidiæ fiant meridiana luce clariores. Tertio deprecabor ne Milo propterea damnetur, quòd inſidiis appetitus haudquaquam occidi ſe permiſerit, ſed vim illatā vi defenderit.

AD EAM ORATIONEM.] Vulgus diceret, antequam veniam ad punctum principale. Quærat hîc aliquis, cur hæc tria pręiudicia cauſſæ propria non putet: nam, vt concedam primum hoc præiudicium, quod velut è communi omnium mortalium ſenſu ſibi aſſumebant, generale atque indefinitum eſſe, atque adeò minùs propriè ad cauſſam Milonis pertinere, id tamen de duobus aliis dici non poteſt, quibus iactabant aduerſarij Milonem nominatim tum Senatûs, tum Pompeij iudicio iam antè fuiſſe damnatum.

Reſpondeo, propria quæſtio huius cauſſæ fuit qualitatis, quia quærebatur, non occiſúſne fuiſſet Clodius (id enim fatebatur Milo) ſed iure an iniuriâ fuiſſet occiſus. aduerſarij tribus his præiudiciis volebant hanc quæſtionem iuris, ſiue *quale ſit*, ad quæſtionem facti, ſiue *an ſit* deducere, dicebántque puniendum eſſe Milonem, quoquo modo Clodio necem intuliſſet.

Puniendus eſt qui hominem occiderit.
Sed Clodium occidit Milo.
Ergo eſt puniendus.

hunc ſyllogiſmum confirmabant præiudicio Senatûs & Pompeij, qui videbantur Milonis cauſſam improbaſſe. Sed Orator hanc aduerſariorum orationem negat propriam eſſe præſentis quæſtionis, neque enim poſitum erat in quæſtione, vtrùm Titus Annius Clodio necem intuliſſet, ſed iure an iniuriâ. atque ex refutatione maioris illius ſyllogiſmi demonſtrat, non de facto, ſed de iure eſſe quærendum.

QVÆ IN SENATV.] Ordinem verborum in vulgatis mirè perturbatum è codicibus M. S. reſtituit Lambinus: *Quæ & in Senatu ab inimicis ſæpe iactata ſunt, & in concione ſæpe ab improbis, & paulò antè ab accuſatoribus.* ſuffragante Fr. Modio ep. 39.

VT OMNI ERRORE SVBLATO.] Vt ſublatis iis, quæ, cùm ad cauſſam minùs pertineāt, auditores poſſent à conſideratione propriæ quæſtionis in errorem & alienarum rerum conſiderationem abducere, rem, quæ poſita eſt in quæſtione, ad liquidum videre poſſitis, vtrùm videlicet Clodius iure, an iniuriâ fuerit occiſus.

NEGANT.] Primum eſt præiudicium, contendunt nefas eſſe eum viuere, ac proinde morte plectendum quia ſe hominem occiſum eſſe fateatur.

IN QVA TANDEM VRBE.] Refutat ſuperius præiudicium hoc ſyllogiſmo.

Stultiſſimi ſunt qui aliquid aſſerunt contrarium moribus ciuitatis.
Sed hoc præiudiciū eſt contrarium morib. ciuitatis.
Ergo ſtultiſſimi ſunt qui hoc præiudiciū aſſumunt.

IN QVA PRIMVM.] Probat ab exemplis minorem ſuperioris ſyllogiſmi. hoc loco Vitus Amperpachius, ne quid inauſum, aut intentatum relinquat. *Faciunt*, inquit, *hæc facta pro Cicerone ac Milone omnia, ſed infirmiſſima quæque plurimum, vt Horatÿ, qui proculdubio ſi res geſta eſt, vt hiſtoria continent, peccauit, ac ideo miſericordia magis liberatus eſt, aut vi, quàm iure, aut æquitate, cùm ſororem & mulierculam occiderit, ob hoc tantùm, quòd interfectum ſponſum ab eo doluerit, & fleuerit.* Itáne verò, Vite, inuitis Muſis Tullium vellicabis? parum fuit infirma dicere argumenta, niſi infirmiſſima dixiſſes? & ne à Tullio quem carpis latinitatem hauſiſſe videare, *infirmiſſima quæque* non *infirmiſſima omnia*, & *infirmiſſima plurimum*, dicere debuiſti? quid? quòd omnis hiſtoriæ fidem, vt argumenti infirmitatem oſtenderes, in dubium reuocaſti? *ſi res geſta eſt*, inquis, *vt hiſtoria continent*. geſta fuerit ſanè, quid tum? *peccauit*. Quaſi verò Tullius eum non peccaſſe contendat. *& ideò miſericordia magis liberatus eſt, aut vi, quàm iure & æquitate.* De vi quis fecit vn-

quam præter vnum te mentionem? fuerit ſanè miſericordia liberatus magis quàm cauſſæ iure & æquitate, quid hinc efficies, *infirmiſſima quæque plurimum* argumenta eſſe quæ à Tullio proferuntur. at vide ne parum ſit æqui iudicis, cùm tibi vnicum non arriſerit, cætera improbare. deinde vide quantopere à te diſſentiam. Si non peccaſſet Horatius, ſi cauſæ potiùs æquitate fuiſſet quàm miſericordiâ liberatus, vim minorem ratio Ciceronis habuiſſet. Longè enim ſtultior eſt, qui in ea vrbe nefas eſſe contendit eum lucem intueri, qui à ſe hominem occiſum eſſe fateatur, in qua tanta eſt iudiciorum humanitas, vt qui id fatentur, tamen miſericordiâ & gratiâ liberentur, quàm qui idem diſputat in ea vrbe, in qua tanta eſt iudiciorum ſeueritas, vt ij ſoli, qui iuſtè occiderint, æquitate ſuæ defenſionis abſoluantur. Quid? quòd vt Horatij peccatum exaggeres, eum dicis & ſororem occidiſſe, & mulierculam: quaſi verò atrocius ſit mulierculam occidere quàm ſororem.

Sed non videmus manticæ quod in tergo eſt.

Et dum neſcio quid ex venerandæ antiquitatis inſectatione ſectamur, noſtros ipſi errores non cognoſcimus.

Nondvm libera civitate.] Ante reges exactos. vide Notas.

NOTÆ.

I. INtveri lvcem.] Viuere. Euripides Iphig. in Aulide.

Τὸ φῶς τόδ' ἀνθρώποισιν ἥδιστον βλέπειν.

Lucem intueri grata res mortalibus.

Andocides de myſteriis: οἳ νῦν ὁρῶσι τοῦ ἡλίου τὸ φῶς δι' ἐμέ. *Qui nunc per me ſolis lucem intuentur.*

Homerus:

Εἴπου ἔτι ζώει, καὶ ὁρᾷ φάος ἠελίοιο.

Quòd ſi viuit adhuc, ſolis lucémque tuetur.

Lucretius lib. 3.

Et ſæpe vſque adeò mortis formidine, vitæ
Percipit humanos odium luciſque videndæ,
Vt ſibi conſciſcant mœrenti pectore lethum.

Ouidius in Triſt.

Dũmq; (quod ô breue ſit) lumen vitale videbis.

Sophocles Electra.

Lucem intueri eſt viuere.

Ἐς τ' ἂν λεύσσω παμφεγγεῖς ἄστρων
Ῥιπὰς, λεύσσω δὲ τόδ' ἦμαρ.

Quamdiu intuebor præfulgentes aſtrorum coruſcationes, intuebor iſtum diem.

Euripides in Hecuba:

Οὐκοῦν τόδ' αἰσχρὸν εἰ βλέποντι μὲν φίλῳ
Χρώμεσθ', ἐπεὶ δ' ὄλωλε μὴ χρώμεσθ' ἔτι.

Num turpe amicis ſi vtimur videntibus:
Vbi perierunt ampliùs non vtimur?

Item in Alceſtide:

Θανεῖν πρὸ κείνου, μηκέτ' εἰσορᾶν φάος.

Mori ante, nec videre lucem in poſterum.

Sicut contrà Æſchylus in Agamemnone cum enallage non minùs eleganti:

Εἰ δ' οὖν τις ἀκτὶς ἡλίου νιν ἱστορεῖ
Καὶ ζῶντα, καὶ βλέποντα. –

At ſi quod illum reſpicit ſolis iubar
Viuum & videntem.

II. Homines stvltissimi.] Eandem ob cauſſam Piſonis ſtultitiam ſugillat, quòd non cognoſceret ciuitatem. Piſ. 47. *Quid eſt aliud furere, niſi non cognoſcere homines, non cognoſcere leges, non ſenatum, non ciuitatem.* nam vt cum Horatio loquar, ſtultus & commotus habebitur:

Stultus.

Qui ſpecies alias veri, ſceleriſque tumultu
Permixtas capiet. ſiue qui
Ambiguis fruitur, veri falſique figuris.

ſed hîc nõ moror.

Primvm ivdicivm.] Quid igitur? ante Horatios, id eſt Tulli Hoſtilij regnum Roma Iudicia non viderat? immò Romulus: τῶν εἰς ἀλλήλους ἀδικημάτων οὐ χρονίους, ἀλλὰ ταχείας ἐποιεῖτο τὰς κρίσεις, τὰ μὲν αὐτὸς δικάζων, τὰ δ' ἄλλοις ἐπιτρέπων. *Iudicia verò de iniuriis quas ſibi inuicem intuliſſent, non diutiùs extrahebat, ſed primo quoque tempore partim ipſe, partim alij cum eius bona venia controuerſias dirimebant.* neque ſanè ſine iudiciis aut Romana, aut alia quæuis Reſp. cohærere potuiſſet. primum itaq; iudicium ait, quia tum primùm populo conceſsũ eſt, vt comitiis de ciuis capite iudicaret. Γενόμενος δὲ θανατηφόρου κρίσεως τότε πρῶτον ὁ Ῥωμαίων δῆμος κύριος τῇ γνώμῃ τοῦ πατρὸς προσέθετο, καὶ ἀπέλυσε τοῦ φόνου τὸν ἄνδρα. *Populus Romanus iudicandi tùm primùm in cauſſa capitis poteſtatem adeptus ad patris ſententiam accedens, hominem ſororis occiſæ crimine liberauit.* Hæc Dionyſius lib. 3. qui ſuperiora lib. 2. III.

Quando primũ populus iudicandi poteſtatem habuerit.

Marci Horatii.] Liuius lib. 1. *Horatios, Curiatióſq; fuiſſe ſatis conſtat, nec ferè antiqua res alia eſt nobilior: tamen in re tam clara nominum error manet, vtrius populi Horatij, vtrius Curiatij fuerint. Auctores vtroque trahunt, plures tamen inuenio qui Romanos Horatios vocent, hoc vt ſequar inclinat animus.* De re geſta vide eundem Liuium ibidem, Florum c. 3. lib. 1. Halicarnaſſeum lib. 3. Valerium lib. 6. & 8. Plutarchum, Auguſtinum & alios. Operæ tamen pretiũ facturus videor, ſi quæ alij prætererierunt, ex Dionyſio attexam: Ὁρατίῳ τινὶ Ῥωμαίῳ καὶ Κουριατίῳ τὸ γένος Ἀλβανῷ κατὰ τὸν αὐτὸν χρόνον ἐνεγγύησε θυγατέρας διδύμους Σεκίνιος Ἀλβανὸς τούτοις ἀμφοτέροις αἱ γυναῖκες ἔγκυμονες ἅμα γενόμεναι τὰς πρωτοτόκους ἐκφέρουσι γονὰς ἄρρενα βρέφη, τρίδυμα καὶ αὐτά, &c. ἐν μιᾷ προελθόντας εἰς φῶς ἡμέρᾳ. *Horatio cuidam Romano, & Curiatio Albano, eodem tempore filias gemellas Secienius Albanus deſponderat. his ambobus mulieres ſimul grauidæ primo partu, maſculos fœtus eóſque tergeminos pepererunt,* &c. *qui vno eodémq; die in lucem editi ſunt.* Expoſita ſororis cæde patrem ait comperto obitu filiæ adeò grauiter nõ tuliſſe, vt & eam iure cæſam dixerit. nec filiæ corpus aut ſuis tectis, aut patriis monumentis inferri, aut ei iuſta perſolui permiſerit: ſed & eodem die tanquã re benè geſta Deos ſacrificio, conſanguineos epulo ſplẽdidiſſimo, nulla habita priuati doloris, ſed publicæ felicitatis ratione exceperit, ſubditque: Ἔστι δὲ καὶ νόμος παρ' αὐτοῖς δι' ἐκεῖνο τὸ πάθος, ᾧ καὶ εἰς ἐμὲ χρῶνται, τιμὴν καὶ δόξαν ἀθάνατον τοῖς ἀνδράσιν ἐκείνοις περιτιθεὶς, ὁ κελεύων οἷς γίνωνται τρίδυμοι παῖδες ἐκ τοῦ δημοσίου τὰς τροφὰς τῶν παίδων χορηγεῖσθαι μέχρι ἥβης. *Eſt verò quædam lex apud Romanos, Horatiis iſtis perhonorifica, quæ ab hoc facto manauit, quáque etiamnũ vtuntur, vt ſi quibus tergemini nati fuerint, ii de publico alantur ad pubertatem.* Poſtremò non omittam quod refert Plutarchus in parallelis, ſi tamen ſuppoſito hoc partu Plutarchus non accipit iniuriam. Sed quiſquis ille fuit narratiuncularum conſarcinator, auctor eſt, in tribus Demoſtrati Pheneatæ filiis tergeminis, & totidem Reximachi Tegeatæ Horatiorum & Curiatiorum planè expreſſam fuiſſe pugnam, & eundem euentum. IV.

Horatij & Curiatij.

Tergemini ſumptu publico educati.

Comitiis.] Curiatis nimirum: nondum enim id temporis centuriata comitia à Seruio Tullio fuerant inſtituta. poſteà verò legibus cautum fuit, *ne ſine comitiis centuriatis de capite ciuis ageretur:* vt ait noſter pro domo ſua.

ARGVMENTVM.

A conſuetudine iudiciorum oſtendit, non ſtatim morte, aut exi lio plectendum eſſe qui hominem à ſe occiſum eſſe fateatur: & id ipſum confirmat partim exemplis veris & ex hiſtoria Romana repetitis, partim vno fictitio & fabuloſo.

VIII. AN eſt quiſquam, qui hoc ignoret, cùm de homine occiſo quæratur, aut negari ſolere omninò eſſe factum; aut rectè, ac iure factum eſſe defendit? Niſi verò exiſtimetis dementem P. Africanum fuiſſe, qui cùm à C. Carbone Tribuno pleb. in concione ſeditiosè interrogaretur, quid de Tib. Gracchi morte ſentiret, reſpondit, iure cæſum videri. Neque enim poſſet aut Ahala ille Seruilius, aut P. Naſica, aut L. Opimius, aut C. Marius, aut, me Conſule, Senatus non nefarius haberi, ſi ſceleratos ciues interfici nefas eſſet. Itaque hoc, Iudices, non ſine cauſſa fictis fabulis doctiſſimi homines memoriæ prodiderunt, eum, qui patris vlciſcendi cauſſa matrem necauiſſet, variatis hominum ſententiis, non ſolùm humana, ſed etiam Deæ ſapientiſſimæ ſententia liberatum.

EXPLANATIO.

AN EST QVISQVAM.] Cùm de homine occiſo quæritur, duæ ſolent in iudiciis inſtitui quæſtiones, quarum altera eſt coniecturæ, cùm reus inficiatur factum; altera qualitatis, cùm iure factum eſſe defendit. quo epichiremate hic ſyllogiſmus inuoluitur.

Nulla eſſet in iudiciis quæſtio qualitatis, ſi fas non eſſet eum viuere, qui hominem à ſe occiſum eſſe fateatur.

Sed eſt in iudiciis quæſtio qualitatis.

Ergo fas eſt aliquando eum viuere, qui à ſe hominem occiſum eſſe fateatur.

Plana eſt minor & concluſio, ſequela mâioris oſtenditur. quia ſi cauſſæ æquitas, & ius necis inferendæ, ad abſolutionem nihil conferret, fruſtra de iure quæreretur, ac proinde non quæreretur.

NISI VERÒ.] Probat ſuum inſtitutum P. Cornelij Scipionis Æmiliani, eius qui Carthaginem Numantiámque deleuit, auctoritate. Tiberius Gracchus multis diſcordiis ob leges agrarias concitatis: *Cùm iterum Tribunus plebis creari vellet*, vt ait epitome Liuiana libro 58. *auctore P. Cornelio Naſica in Capitolio ab Optimatibus occiſus eſt, ictus primùm fragmentis ſubſelliorum; & inter alios qui in eadem ſeditione occiſi erant, inſepultus eſt in flumen proiectus.* Anno ſequenti Numantiâ deletâ: *Cùm Carbo Tribunus plebis rogationem tuliſſet, vt eundem Tribunum plebis, quoties quidem vellet creari liceret, rogationem eius P. Africanus grauiſſimâ oratione diſſuaſit, in qua dixit Tiberium Gracchum iure cæſum videri.* Ibidem libro 59. Florus lib. 3. cap. 13. Velleius lib. 2. Appianus 1. ciuilium, Plutarchus in Gracchis, Valerius lib. 6. cap. 2. & alij meminerunt.

IN CONCIONE.] Quæ Tiberij Gracchi mortem indignè ferebat, propter leges eius imprimis populares.

SEDITIOSE.] Eo conſilio, vt ſi iure cæſum reſponderet, populi indignationem in ſeipſum accenderet, eius necem probans qui erat apud populum gratioſus. ſi iniuſtè cæſum diceret, plebem commoueret in Optimates, qui Tiberium Gracchum indictâ cauſsâ occiderant, & Scipionem ipſum apud Optimates in inuidiam vocaret.

NEQVE ENIM.] Multis exemplis conglobatis, probat indemnatos ciues poſſe nonnunquam interfici.

AVT HALA ILLE.] Alij legunt, *Ahala ille Seruilius.* Epitome Liuiana lib. 4. *Cùm fame populus Romanus laboraret, Spurius Melius eques Romanus frumentum populo ſuâ impensâ largitus eſt: & ob id factum conciliata ſibi plebe, regnum affectans, à C. Seruilio Hala Magiſtro equitum, iuſſu Quintij Cincinnati dictatoris occiſus eſt.* Immò non tam iubente Quintio vt fieret, quàm factum approbante, vt tradit Liuius, cùm ad dicendam cauſſam vocatus apparitori, & ipſi Magiſtro equitum parere noluiſſet.

AVT P. NASICA.] Tib. Gracchi conſobrinus, cuius hortatu Gracchus occiſus eſt.

AVT LVC. OPIMIVS] Qui C. Gracchum Tiberij fratrem nouas diſcordias excitantem iuſſit interfici.

AVT C. MARIVS.] Qui Conſul ciues ad arma conuocauit, quibus Apuleius Tribunus plebis cum Glaucia Prætore oppreſſus eſt. vide Appianum primo ciuilium, Plutarchum in Mario, Velleium, Florum, epitomen Liuianam, &c.

SENATVS.] Qui me Conſule decreuit, vt Lentulo, Cethego, & aliis coniuratis fauces in carcere frangerentur. Tullius, Saluſtius, Dio, Plutarchus, &c

ITAQVE HOC IVDICES.] Probat indemnatum hominem nonnunquam interfici poſſe auctoritate veterum Poëtarum, qui nunquam Oreſtem de matris cæde confitentem Palladis ipſius calculo abſolutum fuiſſe finxiſſent, niſi aliquando hominem occidi poſſe cenſuiſſent. quod argumentum quamuis à fabula ductum nemo ſanæ mentis infirmum exiſtimet: non enim vim ſumit à re geſta, ſed ab eorum ſapientiſſimorum hominum ſenſu, qui iſta fabulis prodiderunt.

EVM.] Oreſtem *qui patris* Agamemnonis, quem Clytæmneſtra ipſius coniux è Troiana ex-

peditione redeuntem occidit: *Vlciſcendi cauſſa matrem* Clytemneſtram *necauiſſet, variatis hominum ſententiis*, ita vt ſexdecim Areopagitæ damnarent, quindecim abſoluerent, *non ſolùm humana* illorum quindecim qui abſoluebant, *ſed etiam Deæ ſapientiſſimæ* Mineruæ, quæ ſuum calculum addidit, vt abſoluentes ſententias, cum damnantibus æquaret, *ſententia liberatum*. Siquidem ea iudiciorum conſuetudo fuit, vt ſi æquales eſſent vtrimque ſententiæ, præponderarent eæ quæ reum abſoluebant.

NOTÆ.

I. IVRE CÆSVM VIDERI.] Duæ hîc formulæ continentur in iudiciis vſitatæ. Nonnulla exempla protulimus in Piſonem 97. ad illa, *tum tu ipſe de te feciſſe videri pronuntiaſti*. nunc iis exemplis contenti erimus, quibus vtraque formula includitur. Sidonius Apollinaris lib. 3. epiſt. ad Secundum: *Cùm nihil ampliùs ego quàm veniam poſtularem, pronuntians more maiorum reos tantæ temeritatis iure cæſos videri*. Seneca libro primo naturalium quæſt. *Auguſtus non pronuntiauit*, IVRE CÆSVM VIDERI. Tacitus lib. 14. *pronuntiemus vltrò* IVRE CÆSVM VIDERI.

Iure cæſum videri.

II. DOCTISSIMI HOMINES.] Poëtæ omnis doctrinæ Patres, vt à Platone in Lyſide nuncupantur: Οὗτοι γὰρ ἡμῖν, ὥσπερ πατέρες τῆς σοφίας εἰσὶ καὶ ἡγεμόνες. *Hi enim nobis ſunt, velut Patres & Duces ſapientiæ*. Lucretius lib. 2. de Cybele:

Poëtæ doctrinæ Patres.

Hanc veteres Graiûm docti cecinere poëtæ
Sublimem in curru biiugos agitare leones.

III. PATRIS.] Paternas iniurias perſequi honeſtum putabant. Plutarchus in Catone Cenſorio: Λέγεται δὲ καὶ νεανίσκῳ τινὶ τεθνηκότος πατρὸς ἐχθρὸν ἠτιμωκότι, καὶ πορευομένῳ δι' ἀγορᾶς μετὰ τὴν δίκην, ἀπαντήσας ὁ Κάτων δεξιώσασθαι· καὶ εἰπεῖν ὅτι ταῦτα χρὴ τοῖς γονεῦσιν ἐναγίζειν, οὐκ ἄρνας, οὐδ' ἐρίφους, ἀλλ' ἐχθρῶν δάκρυα καὶ καταδίκας. *Dicitur adoleſcenti qui patris mortui inimicum damnatione afflixerat, per forum incedenti poſt iudicium occurrens Cato gratulatus fuiſſe ac dixiſſe: Hæc oportet iuſta parentibus ſoluere, non agnos aut hircos immolare, ſed inimicorum lacrymas & damnationes*. Vnde natum videtur prouerbium illud immane quidem, ſed tamen callidum ex Staſino Poëta:

Filij patres vlciſcũtur.

Νήπιος ὃς πατέρα κτείνας, παῖδας καταλείπει.
Demens qui patrem interimit, natóſque relinquit.

Poſt quem Herodotus libro I. Ὁμοίως γάρ μοι νῦν γε φαίνομαι πεποιηκέναι, ὡς εἴ τις πατέρα ἀποκτείνας τῶν παίδων αὐτοῦ φείσατο. *Perinde enim mihi feciſſe videor, atque ille qui patre necato filiis ignoſceret*. Quæ verba citans Clemens Alexandrinus 6. ſtromatum, vt obiter id notem, perperam tribuit Xenophonti. Homerus Odyſſeæ 3. de hoc ipſo Oreſte:

Ὡς ἀγαθὸν καὶ παῖδα καταφθιμένοιο λιπέσθαι
Ἀνδρός.
Sic iuuat occiſo natum genitore relinqui.

IV. PATRIS VLCISCENDI.] Iuuenalis Sat. 8.

Par Agamemnonidæ crimen, ſed cauſſa facit rem
Diſſimilem: quippe ille Deis auctoribus vltor
Patris erat cæſi media inter pocula. -

Oreſtes ipſe apud Æſchylum in Eumenidibus:

Ἔκτεινα τὴν τεκοῦσαν, οὐκ ἀρνήσομαι
Ἀντικτόνοις ποιναῖσι φιλτάτου πατρός.
Matrem interemi, non nego, vlciſcens patrem.

Quæ eadem à Sophocle, Euripide & aliis paſſim referuntur. Honeſtiſſimam autem rebantur huiuſmodi paternæ necis vltionem: adeò ſi quis Athenis violenta morte cecidiſſet, & cædis auctor quæreretur, haſta in elatione funeris inferretur: quæ indicio eſſet, de cædis auctoribus inquiri oportere. Iulius Pollux lib. 8. obſcuriùs hunc morem oſtendit: Δόρυ ἐπὶ τῇ ἐκφορᾷ, ἐπὶ τῶν βιαίως ἀποθανόντων ἐπεφέρετο. καὶ αἱ προθέσεις δὲ διὰ τοῦτο ἐγίγνοντο, ὡς ὁρῷτο ὁ νεκρὸς, μή τι βιαίως πέπονθε. *Haſta in elatione funeris eorum qui violenta morte ceciderant, ferebatur. & eiuſmodi propoſitiones ideò fiebant, vt videbatur mortuus, ecquid violentiæ paſſus eſſet*. Clariùs videbitur ex Demoſthene contra Euergum & Mneſibulum, agente de quadam muliere necata, cùm teſtes non adeſſent, conſultum fuiſſe: Πρῶτον μὲν ἐπενεγκεῖν δόρυ ἐπὶ τῇ ἐκφορᾷ, καὶ προαγορεύειν ἐπὶ τῷ μνήματι, εἴ τις προσήκων ἐστὶ τῆς ἀνθρώπου. ἔπειτα τὸ μνῆμα φυλάττειν ἐπὶ τρεῖς ἡμέρας. *Haſtam inferri in funeris elatione, & in monumento per præconem inquiri, quiſnam eſſet mulieri conſanguineus. deinde monumentum triduo ſeruari*. Subdit: Κελεύει ὁ νόμος τοὺς προσήκοντας ἐπεξιέναι μέχρις ἀνεψιαδῶν. *Lex iubet vt vlciſcendæ necis auctorem inquirant conſanguinei, vſque ad conſobrinos*. Quæ lex Platoni ſic arriſit, vt eam in decimum legum ſuarum admiſerit: cùm homicidam dixiſſet à cæterorum conſortio penitus arcendum. ſubdit: Ὁ δὲ μὴ ἐπεξιὼν δέον ἢ μὴ προαγορεύων εἴργεσθαι τῶν ἐντὸς ἀνεψιότητος πρὸς ἀνδρῶν τε καὶ γυναικῶν προσήκων τῷ τελευτήσαντι, πρῶτον μὲν τὸ μίασμα εἰς αὐτὸν, καὶ τὴν τῶν θεῶν ἔχθραν δέχοιτο, ὡς ἡ τοῦ νόμου ἀρὰ τὴν φήμην προτρέπεται. τὸ δὲ δεύτερον ὑπόδικος τῷ ἐθέλοντι τιμωρεῖν ὑπὲρ τοῦ τελευτήσαντος γιγνέσθω. *Is qui homicidam non perſequitur, vt decet, nec ab his*, à templis, à foro, à portubus, & ab omni cœtu communi, *arcet, de cognatione interfecti vſque ad patrueles & conſobrinos, primùm ſcelus Deorúmque odia in ipſum vertantur, ſicut vulgo legis imprecatio & maledictio dictat: deinde reus ſit cuique interfectum vlciſci volenti*. Sequor Marcilium. nam Serranus dum ſtrepitum verborum plus æquo ſectatus eſt, non videtur Philoſophi mentem attigiſſe. Nobile verò fuit illud genus vltionis quo vſus eſt Giſcon Carthaginenſis in eos qui & ipſum eiecerant, & fratrem Amilcarem morte multarant. Verba ſunt Polyæni ſtratagematum lib. 5. Γέσκων δὲ παραλαβὼν αὐτοὺς δεδεμένους, προσέταξε τοῦ πλήθους ἐναντίον κατὰ γαστέρα κατακλῖναι χαμαί· τοὺς δ' ἑκάστοις ἐλαφρῷ τῷ ποδὶ ἐπὶ τὸν τράχηλον ἐπιβὰς, ἱκανὴν ἔφη τιμωρίαν ἔχειν τῆς τοῦ ἀδελφοῦ προαναιρέσεως. *Giſcon vinctos iuſſit in conſpectu populi in ventrem humi procumbere: atque ter leui pede ſingulorum colla calcauit, inquiens ſe ſatis magnas pœnas fraternæ cædis ab iis repetiuiſſe*. Atque hoc vlciſcendi ſtudium inde manauit, quòd miſeros putarent eos qui inulti morerentur. 2. diuini operis:

Haſta poſita in funere cæſorū.

Vltio.

Giſconis vltio memorabilis.

- nuſquam omnes hodie moriemur inulti.

Et libro quarto:

- - Moriemur inultæ?
Sed moriamur, ait.

Vſque adeò vt in prouerbium abiiſſe videatur. Horatius ſatyra omnium poſtrema.

Nos niſi damnosè bibimus, moriemur inulti.

Atque hinc immanis illa feritas emerſit, vt temporibus Heroicis Magnorum ducum vmbris captiuos:

-Cæſo ſparſuros ſanguine flammas

immolarent. Homerus Iliados 22. Virgilius 11. Æneidos, &c. Id videlicet pietati tribuebant, & Niſus

-placida demum morte quieuit.

poſtquam Volſcentis nece Euryali occiſi manes expiauit. Achilles Homericus:

Αὐτίκα τεθναίην, ἐπεὶ οὐκ ἄρ' ἔμελλον ἑταίρῳ
Κτεινομένῳ ἐπαμῦναι.
Nunc ô nunc moriar, ſi non vlturus amicum
Occiſum fueram.

Quod vnum, etiam eodem verſu Auguſtus ille:

-patiens vocari Cæſaris vltor,

ſuæ cupiditati prætexuit. vt auctor eſt Appianus 2. ciuilium, & confectis bellis ciuilibus, Bruto & Caſſio necatis, tum demum ædem MARTI VLTORI dedicauit. Sed, vt ad Oreſtem redeamus, de eo ſic Velleius lib. 1. *Factum eius à Diis immortalibus comprobatum ſpatio vitæ & felicitate imperij apparuit: quippe vixit annis X C. regnauit L X X.*

v. VARIATIS HOMINVM SENTENTIIS.] Bene longam diſputationem inſtituit Lambinus, vtrum voce *hominum* inductâ, *variatis ſententiis* legendum eſſe videatur: ſiquidem non homines, ſed Δικάζεσθαι δὲ Εὐμενίσι, καὶ Ὀρέστῃ οἱ δώδεκα θεοί. *Iudices ſediſſe Dij duodecim inter Eumenidas & Oreſtem.* à Demoſthéne oratione contra Ariſtocratem memorantur. & paulo pòſt cuius veſtigiis Noſter videtur preſſiùs inſtitiſſe. Τρίτον δ' ἕτερον πρὸς τούτοις δικαστήριον, ὃ πάντων ἁγιώτατα τούτων ἔχει καὶ φρικωδέστατα, ἄν τις ὁμολογῇ μὲν κτεῖναι, ἐννόμως δὲ φῇ δεδρακέναι. τοῦτο δ' ἐστὶ τὸ ἐπὶ Δελφινίῳ. Δοκοῦσι γάρ μοι, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, ζητῆσαι πρῶτον ἁπάντων οἱ περὶ τούτων ἐν ἀρχῇ τὰ δίκαια ὁρίσαντες, πότερ' οὐδένα χρὴ φόνον ὅσιον εἶναι νομίζειν, ἤ τινά γ' ἐστὶν ὅσιον νομιστέον. λογιζόμενοι ὅτι μητέρα Ὀρέστης ἀποκτονὼς, ὁμολογῶν, θεῶν δικαστῶν τυχὼν, ἀποφεύγει, νομίσαι δίκαιόν τινα εἶναι φόνον, οὐ γὰρ τά γε μὴ δίκαια θεοὺς ψηφίσασθαι. *Præter iſta tertium aliud iudicium anguſtiſsimum maximique terroris, ſi quis hominem à ſe occiſum fateatur, ſed iure factum eſſe contendat. id autem iudicium eſt in Delphinio. Videntur enim mihi. Iudices, quæſiſſe primùm omnium qui de his initio iudicia conſtituerunt, vtrùm nullam cædem oporteat iuſtam arbitrari, an aliqua iuſta putanda ſit. & reputantes Oreſtem, cùm à ſe occiſam matrem eſſe fateretur, Deorum quos Iudices ſortitus erat, ſententia liberatum fuiſſe, exiſtimaſſe aliquam iuſtam eſſe cædem, non enim Dij iniuſta iudicaſſent.* Atque hæc ſunt quæ ſuadeant vocem *hominum* eſſe delendam. nolim tamen expungere, tùm ne à vulgata lectione diſcedam, tùm quòd, vt etiam Lambinus aduertit, tradat Æſchylus homines ex Athenienſi populo ſelectos iudicaſſe. Sic enim in Eumenidibus Mineruam loquentem inducit:

Vtrùm Dij an homines cauſſam Oreſtis diſceptaiint.

Κρίνασα δ' ἀστῶν τῶν ἐμῶν τὰ βέλτατα
Ἥξω διαιρεῖν· τοῦτο πρᾶγμ' ἐτητύμως,
Ὅρκον πορῶντας μηδὲν ἔκδικον φρεσίν.
E ciuibus iuſtiſsimum quemque eligens
Ducam vt negotia iſta diſceptent probè
Iurati iniquè ſe eſſe facturos nihil.

Vbi pro ἥξω legendum arbitror ἄξω, pro φρεσὶν, autem φρονεῖν, vt conſtet ſententia. Paulò pòſt:

-λεὼς

Ὅσπερ τέτακται τήνδε κυρῶσαι δίκην.
Qui populus huius litis eſt iudex datus.

Item:

Κλύοιτ' ἂν ἤδη θεσμὸν Ἀττικὸς λεὼς,
Πρώτας δίκας κρίνοντες αἵματος χυτοῦ.
Audite legem plebs Athenienſium
Iudicia fuſi ſanguinis prima exequens.

Ex quibus concludit idem Lambinus: *Nihil eſſe mutandum, nihilque delendum, & M. Tullium Æſchyli auctoritatem ſecutum, ita ſcripſiſſe, quamuis eum non fugeret, aliter à Demoſthene eſſe litteris mandatum.* Nunc de modo quo fuit abſolutus, pauca dicenda ſunt. qui Oreſtem ferunt à Diis duodecim iudicatum, vt Ariſtides, qui in Panathenaico de hac cauſsâ loquens, κρίσιν θείαν τοῖς δικασταῖς, *quoad Iudices attinet diuinam* appellat, fabulantur Oreſte à ſex diis damnato, à totidem abſoluto, cùm par eſſet vtrimque ſententiarum numerus, Mineruam ſuffragantem abſoluentibus ſuum calculum addidiſſe. Sic enim idem Ariſtides oratione de Minerua: Τὴν δὲ φιλανθρωπίαν οἱ περὶ Ὀρέστην λόγοι μαρτύρονται, ὃν φυγόντα μὲν ἐξ Ἄργου Ἀθήναζε, φυγόντα δ' Ἀθήνησι δίκην ὑπ' Εὐμενίδων, ἴσων τῶν ψήφων γενομένων, προσθεμένη τὴν παρ' αὑτῆς σώζει. *Mineruæ autem humanitatem teſtantur, & ea quæ de Oreſte litteris & memoriæ prodita ſunt, quem Argis Athenas in exilium pulſum, & Athenis à furiis reum factum exæquatis ſententiis, ſuâ ſententiâ additâ ſeruauit.* At qui ab hominibus iudicatum fuiſſe prodiderunt, eum tradunt à ſexdecim fuiſſe damnatum, à quindecim verò abſolutum, & accedente Mineruæ calculo exæquatas vtrimque fuiſſe ſententias, quibus exæquatis Oreſtes euaſerit. Æſchylus in Eumenidibus:

Ἐμὸν τόδ' ἔργον λοισθίαν κρῖναι δίκην.
Ψῆφον δ' Ὀρέστῃ τήνδ' ἐγὼ προσθήσομαι,
Μήτηρ γὰρ οὔ τίς ἐστιν ἥ μ' ἐγείνατο.
At iudicare hoc vltimum incumbit mihi.
Ego hunc Oreſti calculum optatum feram,
Me quippe nulla mater in lucem edidit.

Calculus Mineruæ.

Mox:

Νικᾷ δ' Ὀρέστης κἂν ἰσόψηφος κριθῇ.
Ἐκβάλλεθ' ὡς τάχιστα τευχέων πάλους,
Ὅσοις δικαστῶν τοῦτ' ἐπέσταλται τέλος.
Superat Oreſtes calculis æqualibus
Sortes ab vrna Iudices educite
Prouincia quibus iſta mandata eſt.

Item:

Ἀνὴρ ὅ γ' ἐκπέφευγεν αἵματος δίκην.
Ἴσον γάρ ἐστι τἀρίθμημα τῶν πάλων.
Hic abſolutus ſanguinis cauſâ vir eſt.
Nam calculorum numerus æqualis fuit.

Interpres: Ὁ ἀριθμὸς τῶν Ἀρεοπαγιτῶν λ' καὶ εἷς. *Areopagitarum numerus triginta & vnus erant.* Cum Æſchylo ſentit Euripides Iphigenia in Tauris:

Ὡς δ' εἰς Ἄρειον ὄχθον ἧκον, ἐς δίκην
Τ' ἔστην, ἐγὼ μὲν θάτερον λαβὼν βάθρον
Τὸ δ' ἄλλο πρέσβειρ' ἥπερ ἦν Ἐριννύων,
Εἰπὼν ἀκούσας θ' αἵματος μητρὸς πέρι,
Φοῖβος μ' ἔσωσε μαρτυρῶν, ἴσας δέ μοι
Ψήφους διηρίθμησε Παλλὰς ὠλένῃ,
Νικῶν δ' ἀπῆρα φόνια πειρατήρια.
Vt in iudicium veni in vico Martio
Egóque in altero ſubſellio ſteti.
In altero quædam, dicens pro Erynnibus,
Hic Phœbus cædis audiens cauſſam piam
Defendit ipſe teſtis: at Pallas mihi
Effecit vt ferrentur calculi pares

Victor remoui ſigna parricidij.

Ita quidem Melancthon Poëtam nullo modo, ſeipſum vix intelligens. quid enim eſt hoc ὄχθον, *vicum*, πρέσβειρα Ἐριννύων; *dicens pro Erinnybus?* Atque, vt obiter id notem, hæc duo actoris & rei ſubſellia, quorum meminit Euripides, alterum impudentiæ, alterum contumeliæ nominabant, fortaſſe quòd actor pleraque per contumeliam obiectet, reus reſpondeat impudenter. Pauſanias in Atticis facta huius ipſius iudicij mentione: Τοὺς δ' ἀργυροῦς λίθους ἐφ' ὧν ἑστᾶσιν ὅσοι δίκας ὑπέχουσι, καὶ οἱ διώκοντες, τὸν μὲν ὕβρεως, τὸν δ' ἀναιδείας ὀνομάζουσιν. *Argenteos verò lapides in quibus ſtant reus & actor, alterum contumeliæ, alterum impudentiæ appellant.* Stabant igitur tum actor, tum reus, ita tamen vt actori locus eſſet ad ſiniſtram, reo ad dextram iudicum conſtitutus. Ariſtoteles in problematis 29.§. Διὰ τί ποτε τῷ φεύγοντι ἐν τῷ δικαστηρίῳ τὴν δεξιὰν στάσιν διδόασιν; ἢ διότι ἐπανισοῦν βούλονται· πλεονεκτοῦντος οὖν τοῦ διώκοντος, τὴν στάσιν (κρείττονα) τῷ φεύγοντι διδόασιν. *Cur in iudiciis reo locum ſiue ſtationem dextram aßignant? an quia æqualitatem conſtituere volunt. cùm igitur potior ſit actoris conditio, locum reo potiorem aßignant.* Agathias tamen libro quarto hiſtoriæ videtur ſenſiſſe contrarium: Ρουστικός τε καὶ Ἰωάννης ἐκ τοῦ δεσμωτηρίου ἠγμένοι ἀνὰ τὸ λαιὸν μέρος ἑστήκατον, οἷα δὴ φεύγοντε, ἐπὶ θάτερα δὲ πάρησαν κατηγορησείοντες. *Ruſticus & Ioannes è carcere educti ſtabant ad læuam, tanquam rei; ex altera verò parte accuſaturi.* Dicerem Ariſtotelem loqui de more Attico, Agathiam de Romano, niſi idem Agathias paulò antè, Ῥωμαϊκὸν δικαστήριον, μᾶλλον μὲν οὖν Ἀττικώτατον. *Romanum iudicium, vel potius Atticißimum* nominaſſet. Hunc autem iudiciorum morem fuiſſe, vt æquatis vtrimque ſententiis reus abſolueretur, tum ex citatis Æſchylo & Euripide colligi poteſt, tum ex Æſchyli interprete liquet, qui verſum

Subſellia accuſatoris & rei, contumeliæ & impudentiæ.

Ἴσον γάρ ἐστι τἀρίθμημα τῶν πάλων.

Nam calculorum numerus æqualis fuit.

enarrans ait: Κἂν ἴσαι γὰρ γένωνται αἱ ψῆφοι, ὁ κατηγορούμενος νικᾷ. *Nam etiamſi pares ſint calculi, vincit reus.* Adſtipulatur & Stagirites in probl. 29.§. Διὰ τί ποτε ὅταν καὶ τῷ φεύγοντι, καὶ τῷ διώκοντι φαίνωνται ψῆφοι ἴσαι, ὁ φεύγων νικᾷ; *Quam ob rem cùm & actori & reo calculi ſunt æquales, vincit reus.* De Romanis dubium videri poſſit, vtrùm eadem apud eos conſuetudo vim obtineret, an verò æquatis ſententiis cauſſa ampliaretur. Neceſſarium videtur, vt abſoluendus vna ſaltem ſententia ſuperaret. Plutarchus in Cicerone de Lentulo Sura: Δίκην ἔχων καὶ διαφθείρας ἐνίους τῶν δικαστῶν, ἐπεὶ δυσὶ μόναις ἀπέφυγε ψήφοις, ἔφη παρανάλωμα γεγονέναι τῷ θατέρῳ κριτῇ δοθέν. ἀρκεῖν γὰρ εἰ καὶ μιᾷ ψήφῳ μόνον ἀπελύθη. *Cùm cauſſam diceret, & è iudicibus nonnullos corrupiſſet, poſtquam duabus ſolis ſententiis eſt abſolutus in vno ſuperfluos ſumptus feciſſe ſe dicit. vna enim ſententia abſolui potuiſſe.* Sed difficile eſt hanc rationem expedire: Eſto enim: fuerint in illo Conſilio, triginta: fuit igitur à quatuordecim damnatus, à ſexdecim abſolutus. Quòd ſi è duobus illis, quorum ſententiis ſuperabat, vnum non corrupiſſet, fuiſſent æquatæ ſententiæ, & à quindecim damnatus fuiſſet, à quindecim abſolutus. quomodo igitur vnâ ſuperare ſententiâ diceretur. Sic opinor, quia cùm æquatæ fuiſſent hominum ſententiæ, vt reus dimitteretur, putabatur Mineruæ calculus ad abſoluentes accedere, & ita dicebatur reus vnam ſententiam obtinere, &c. vt ex Ariſtidis loco citato τὴν δὲ φιλανθρωπίαν, &c. colligitur.

Paribus ſuffragiis reus abſolutus.

Alij tamen calculum Mineruæ vim aliam habuiſſe teſtantur, vt non ſolùm æquatis iam antè iudicum ſententiis reum ſui acceſſione liberaret, ſed etiam ſi reus fuiſſet vnâ ſententiâ ſuperatus, calculus Mineruæ accedens, æquaret ſententias, reúmque abſolueret. Conſtat è dictis, Areopagitæ fuerunt vnus & triginta. ex his ſexdecim damnauerant Oreſtem, quindecim abſoluerant, Mineruæ calculus in fauorem acceſſit, & ex æquatis ſententiis reum è Iudicij laqueis expediuit. Lucianus in Harmonide: Ἦν που καὶ νῦν ἐμοὶ εἰς τὸ χεῖρον ῥέπωσιν αἱ ψῆφοι ἐν τῷ λόγῳ καὶ ἐλάττους ὦσιν αἱ ἀμείνους, σὺ τὴν τῆς Ἀθηνᾶς προσθεὶς ἀναπλήρου τὸ ἐνδέον παρὰ σεαυτοῦ. *Si nunc mihi in loquendo calculi vergant in deterius, & qui meliores ſunt, fuerint pauciores, tu Mineruæ calculum adiungens ſupple defectum ex teipſo.* Hinc intelligas illud, quod Auguſto poſt pugnam Aſtiacam, honoris cauſſa conceſſum fuiſſe, Dio libro 51. memoriæ mandauit: Ἔκκλητόν τε δικάζειν, καὶ ψῆφόν τινα αὐτοῦ ἐν πᾶσι τοῖς δικαστηρίοις, ὥσπερ Ἀθηνᾶς, φέρεσθαι. *Vt etiam non vocatus, iudicaret, & vt in omnibus iudiciis calculus eius ferretur, inſtar Mineruæ.* Id eſt, opinor, vt in omnibus iudiciis, quoties reus, vna tantùm ſententia damnatus fuiſſet, ipſe adiecto in fauorem calculo, reum poſſet abſoluere. priori tamen ſententiæ fauent illa, quæ à Iuliano traduntur oratione 2. ſiue encomio Euſebiæ Imperatricis: Ἀθηναίοις μὲν οὖν φασιν, ὅτε τοῖς πρώτοις ἔπεσιν ἐχρῶντο, καὶ ἔζων τοῖς οἰκείοις πειθόμενοι νόμοις, μεγάλην καὶ πολυάνθρωπον οἰκοῦντες πόλιν, εἴ ποτε τῶν δικαζόντων αἱ ψῆφοι κατ' ἴσον γένοιντο τοῖς φεύγουσι πρὸς τοὺς διώκοντας, τὴν τῆς Ἀθηνᾶς ἐπιτιθεμένην τῷ τὴν δίκην ὀφλήσειν μέλλοντι, ἀπολύειν ἄμφω τῆς αἰτίας, τὸν μὲν ἐπάγοντα τὴν κατηγορίαν τοῦ δοκεῖν εἶναι συκοφάντην, τὸν δέ, ὡς εἰκός, τοῦ δοκεῖν ἔνοχον εἶναι τῷ πονηρεύματι. *Athenis quidem olim ferunt, cùm patriis legibus vterentur, ac domeſticis inſtitutis viuerent, quo tempore magna illorum erat, & amplißima ciuitas, ſi par reo cum accuſatore ſuffragiorum numerus eſſet, tum Mineruæ ſuffragio ei, qui condemnandus eſſet, adiuncta, vtrumque ab omni crimine liberatum, ac tam eum qui crimen intulerat ab calumniæ ſuſpicione, quàm eum qui accuſatus fuerat ab obiecto crimine liberum & immunem extitiſſe.*

Calculus Mineruæ.

Deæ sapientissimæ.] Mineruam intelligit ſapientiæ præſidem, cuius vis à Martiano Capella lib. 6. ita deſcribitur:

VI. Mineruæ ſapientiæ præſes.

Virgo armata, decens rerum ſapientia Pallas,
Atherius fomes, mens & ſollertia fati,
Ingenium mundi, prudentia ſacra tonantis:
Ardor doctificus, noſtræque induſtria ſortis:
Quæ facis arbitrium ſapientis præuia curæ:
Ac rationis apex, Diuûmque hominúmque ſacer νοῦς, &c.
Quam docto aßimilant habitu qui agalmata firmant.
Hinc nam tergemina rutilant de vertice criſtæ:
Quod dux ſanguineo, præſúlque coruſca duello:
Vel tibi quod fulget, rapitúrque triangulus ignis.
Hinc tibi dant clypeum, ſapientia quod regat orbem:

Vel rationis opem quod ſpumea prælia poſcant.
Haſta etiam vibrans penetrabile monſtrat acumen.

Verſum, qui ſequitur non intelligo, nec facilè mederi poſſim, ſi quod mendum ſubrepſerit: nec enim ſum aut Oedipus, aut Machaon:

Limphaſeum magis eſt, & ſcutum circulus ambit:
Hinc iam vernicomæ frondent tibi munera oliuæ
Artes cura vigil per te quòd diſcat oliuo, &c.

Paulò pòſt:

An mage noctiuidæ tibi traditur alitis vſus,
Quod vigil inſomnes ducat ſollertia curas?
Pectore ſacrificam (lege ſaxificam) *dicunt horrere Meduſam*
Quod pauidum ſtupidet ſapiens ſollertia vulgus,
Arcibus vrbanis veteres tibi templa dicarunt,
Quod ratio amplificet, (quódque eſt elatior) vrbes.
Hinc de patre ferunt ſine matris fœdere natam.
Prouida conſilia quod neſcit curia Matrum,
Conſultíſque virûm præſis, hinc dicta virago.

Virago, inquit, Sapientia & eam ob cauſam: Ἀθηνᾶ, ſiue potiùs Ἀθηλᾶ, tanquam non muliebris nominatur. Athenagoras in legatione pro Chriſtianis: καὶ τὸ τῆς Ἀθηνᾶς, μᾶλλον δ' Ἀθηλᾶς (Ἀθηλᾶ γὰρ,) ὡς οἱ μυστικώτεροι. *Et Mineruæ ſimulacrum, quæ Athena ſiue potiùs, vt myſtici, volunt Athela nominatur.* Quam eſſe puriorem ætheris partem atque adeò mentem Iouis myſtici fabulantur. Orpheus tùm ab aliis citatus, tum ab Euſebio lib. 3. præp. Euang.

Νοῦς δέ γε ἀψευδὴς, βασιλήϊος, ἄφθιτος αἰθήρ. &c.

AXIOMATA.

Cùm de occiſo homine quæritur, aut negari ſolet omnino eſſe factum, aut rectè, aut iure factum eſſe defenditur.

Non ſine cauſſa fingitur qui patris vlciſcendi cauſa matrem necauerat Deæ ſapientiſſimæ iudicio fuiſſe liberatus.

ARGVMENTVM.

Ab auctoritate legum Romanarum, & à C. Marij facto, probat quædam eſſe tempora, quibus impunè liceat hominem occidere.

QVòD ſi duodecim tabulæ nocturnum furem quoquo modo; diurnum autem, ſi ſe telo defenderit, interfici impunè voluerunt: quis eſt, qui, quoquo modo qui interfectus ſit, puniendum putet, cum videat aliquando gladium nobis ad occidendum hominem ab ipſis porrigi legibus? Atqui, ſi tempus eſt vllum, iure hominis necandi, quæ multa ſunt, certè illud eſt non modò iuſtum, verùm etiam neceſſarium, cum vi vis illata defenditur. Pudicitiam cum eriperet militi Tribunus militaris in exercitu C. Marij propinquus eius Imperatoris, interfectus ab eo eſt, cui vim afferebat: facere enim probus adoleſcens periculosè, quàm perpeti turpiter maluit. Atque hunc ille vir ſummus ſcelere ſolutum periculo liberauit. Inſidiatori verò, & latroni, quæ poteſt afferri iniuſta nex? IX.

EXPLANATIO.

QVòD SI.] *Iure fit, quod legibus permittitur.*

Sed legibus aliquando permittitur hominem occidere.

Ergo homo aliquando iure occiditur.

Maior plana eſt, probat minorem, quia lex duodecim tabularum nocturnum furem quocunque modo occidere permittit, diurnum autem ſi ſe telo defenderit.

DVODECIM TABVLÆ] Metonymia, lex quæ duodecim tabulis continetur.

QVIS EST.] Concluſio ſyllogiſmi, quæ quodammodo maiorem inuoluit.

ATQVI SI TEMPVS.] *Si in aliquo caſu homo iure occiditur, tum maximè cum vi vis illata defenditur.*

Sed homo aliquando iure occiditur.

Ergo tum iure occiditur cùm vi vis illata defenditur.

Maior expreſſa eſt. minor fuit concluſio ſuperioris ſyllogiſmi, & repetitur his verbis, *quæ multa ſunt.* concluſio tum facilè poteſt intelligi, tum habetur his verbis, *inſidiatori verò*, &c. *iniuſta nex.*

NON SOLVM IVSTVM, VERVM ETIAM NECESSARIVM.] Aduerte vbertatem ingenij. plus etiam probat quàm neceſſe ſit, iure non contentus, etiam neceſſarium fuiſſe contendit.

PVDICITIAM.] Tria ſunt genera bonorum, bona fortunæ, bona corporis, bona animi. His accedit & vita quæ eſt veluti baſis & fundamentum cæterorum, licet ad bona corporis, magis ſpectare videatur. ex quibus videtur conficere hoc argumentum.

Licitum eſt ad defenſionem bonorum fortunæ furem, item ad defenſionem bonorum animi pudicitiæ violatorem occidere.

Ergo & ad bonorum corporis tuitionem, & maximè vitæ, à qua cætera omnia dependent, & quodam modo continentur.

Superiùs probauit priorem antecedentis partem, nunc ad poſterioris probationem delabitur.

C. Marius militem abſoluit qui Tribunum militum occiderat ad pudicitiæ defenſionem.

Ergo abſolui poteſt, & nonnunquam etiam debet qui hominem occiderit.

Multas circunſtantias interſerit quæ Marium ad pœnam irrogandam poterant impellere. vt

quòd miles eſſet qui ſuum Tribunum occiderat. quòd in exercitu necaſſet, vbi ſumma obedientia militum exigitur. quòd propinquus eſſet Imperatoris, qui occiſus eſt.

FACERE ENIM.] Probus & pudicus adoleſcens Trebonius maluit Tribunum militarem occidere, & ita periculum ſibi capitis ob patratam cædem accerſere, quàm per ſummam turpitudinem pati, vt ille Tribunus ſuæ pudicitiæ labem inferret.

ATQVE HVNC.] Probum adoleſcentem.

ILLE VIR SVMMVS.] C. Marius pro Cornelio Balbo 46. *Poſſumúſne igitur tibi probare auctorem exempli atque facti illius, quod à te reprehenditur Caium Marium? quæris aliquem graniorem? conſtantiorem? præſtantiorem virtute, prudentiâ, religione, æquitate?*

SCELERE SOLVTVM.] Eum qui ſine ſcelere ſuum Tribunum occiderat.

PERICVLO LIBERAVIT.] capitis. Vide quàm bellè ſingula ſingulis quadrent. adoleſcens facere periculosè maluit, eum vir ſummus periculo liberauit: perpeti turpiter voluit: fuit ſcelere ſolutus.

INSIDIATORI VERÒ ET LATRONI.] Concludit ſuos ſyllogiſmos. aduerte numerum, & quàm aptè monoſyllabo terminetur: quod liquidiùs aduertes ſi ordinem verborum tantiſper inuerteris.

NOTÆ.

I. Duodecim Tabulæ. ἄξονες. XII. tabulæ æreæ.

DVODECIM TABVLÆ.] Leges intelligit à decemuiris perlatas, & in XII. tabulis æreis inciſas, vnde & nomen habuerunt. *tabulas vocare placuit*, verba ſunt Iuſti Lipſij in veterum legum collectione, *exemplo Athenienſium, qui Solonis leges dixerunt ἄξονας, tabulis ligneis inciſas, quamuis iſtas æreas fuiſſe conſtet, diſſentiente Pomponio.* Dionyſius libro 10. Ἐπικυρωθέντας δὲ καὶ τῷ δήμου τοὺς νόμους, στήλαις χαλκαῖς ἐγχαράξαντες αὐτοὺς, ἐφεξῆς ἔθεσαν ἐν ἀγορᾷ τὸν ἐπιφανέστατον ἐκλεξάμενοι τόπον. *Populi iuſſu quoque confirmatas leges, & in æreas columnas inciſas vna ſerie propoſuerunt, in loco fori maximè conſpicuo.* Liuius libro tertio: *Leges Decemuirales, quibus tabulis duodecim eſt nomen, in æs inciſas in publico propoſuerunt.* Fixæ ſunt ad Curiam Hoſtiliam. Diodorus Siculus lib. 12. Ταύτην (τὴν νομοθεσίαν) εἰς δώδεκα χαλκοῖς πίνακας οἱ ὕπατοι χαράξαντες προσήλωσαν τοῖς πρὸ τοῦ βουλευτηρίου τότε κειμένοις ἐμβόλοις. *Has leges duodecim tabulis æreis inciderunt, eáſque pro curia roſtris adfixerunt.* eáſque, quamuis poſt varia vrbis incendia, vltra Septimij Seueri Imperatoris tempora manſiſſe teſtantur. quas leges Theodorus Marcilius modò *legem duodecim tabularum*, modò *legem XII.* modò verbulo vno XII. & à Græcis δυοκαιδέκατον, δωδεκάδελτον, δωδεκάδελτον. modò præcisè *legem*, tanquam legum aliarum dominam ac Reginam. Modò *legem decemuiralem*, modò *ius ciuile*, modò *legem antiquam*, *ius antiquum*, *ius exploratum*, *legem Romanam*. ab optimis quibuſque ſcriptoribus dici annotauit.

XII. tabularũ præſtantia. Non fruſtra autem à XII. tabulis probationem accerſit, quippe quæ in omni ratione iuris præcipuam auctoritatem obtinerent. Liuius libro tertio: *Centuriatis comitiis X. tabularum leges perlatæ ſunt: qui nunc quoque in hoc immenſo aliarum ſuper alias aceruatarum legum cumulo fons omnis publici priuatíque eſt iuris.* Diodorus Siculus lib. 12. Ἡ δὲ κατὰ ταῦτα νομοθεσία βραχέως καὶ ἀπερίττως συγκειμένη διέμεινε θαυμαζομένη μέχρι τῶν καθ' ἡμᾶς χρόνων. *Hæc legum deſcriptio breuis admodum, & ſuperflui verborum apparatus expers in omnium admiratione ad noſtram hanc ætatem perſeuerat.* Iuſtinianus l. penult. C. de legit. hered. *Lege XII. tabularum bene humano generi proſpectum eſt.* Et paulò pòſt: *Huiuſmodi itaque legis antiquæ reuerentiam & nos anteponi nouitati legis cenſemus.* Tullius 4. de Repub. apud Nonnium: *Admiror nec rerum ſolùm, ſed verborum etiam elegantiam,* &c. Et libro primo de Oratore, tum multa alia plenâ congerit manu in laudem XII. tabularum, tum iſta præcipuè. *Fremant omnes licet, dicam quod ſentio, bibliothecas mehercule omnium philoſophorum vnus mihi videtur duodecim tabularum libellus, ſi quis legum fontes & capita viderit, & auctoritatis pondere, & vtilitatis vbertate ſuperare.*

NOCTVRNVM FVREM.] Priùs de nomine *nocturni furis*, deinde de ipſa lege diſſeremus. Quis dicatur *fur* oſtendit Paulus D. de furtis l. 1. *Furtum à furuo, id eſt, nigro dictum. Labeo ait: quòd clam & obſcuro fiat, & plerumque nocte, vel à fraude, vt Sabinus ait; vel à ferendo & auferendo, vel à Græco ſermone qui φῶρας appellat fures. immò & Græci ἀπὸ τοῦ φέρειν φῶρας dixerunt.* Vide Nonnium ex Varrone & Homero: II. Fur.

Κλέπτῃ δέ τε νυκτὸς ἀμείνω. an νύκτας ἀμείνους.

E quibus vides furis nomen nocturno imprimis conuenire. quem Næuius Agrypnuntibus, præmiatorem, id eſt, interprete Nonnio, nocturnum prædonem vocat: *Nam in ſcena nos nocturnos cœpit præmiatores tollere.* Ad quam appellationem alluſit Tibullus lib. 1. elegiâ 2. Præmiator.

Nec ſinit occurrat quiſquam qui corpora ferro
Appetat, aut raptâ præmia veſte ferat.

Dormitatorem Plautus, ἡμερόκοιτον Heſiodus appellat. ille in Trinummo ſc. 13. Dormitator.

-mira ſunt
Ni illic homo 'ſt aut dormitator, aut ſector honorarius.
Loca contemplat, circumſpectat ſeſe, atque ædeis noſcitat.
Credo ædepol quo mox furatum veniat, ſpeculatur loca.

Ille in operibus verſu 602.

Καὶ κύνα καρχαρόδοντα κομεῖν, μὴ φείδεο σίτου ἡμερόκοιτος.
Μήποτέ σ' ἡμερόκοιτος ἀνὴρ ἀπὸ χρήμαθ' ἕληται.
Dentatum nutrito canem, neu parcito pani
Ne dormitator vacuas exhauriat ædes.

Gloſſ. Vet. ἡμερόκοιτος, *dormitator, fur nocturnus.* contráque fur diurnus interdiarius, vt gloſſis iiſdem. *Interdiarius*, ἡμεροκλέπτης. Iam vt de ipſa lege dicamus, huius legis initium conceptis verbis apud Macrobium inuenitur. lib. 1. Sat. cap. 4. *Si nox furtum factum ſit, ſi im aliquis occiſit, iure cæſus eſto.* legunt Marcilius, Lipſius, & Cuiacius, *Si nox furtum faxit, ſi im aliquips occiſit,* &c. alias *occirit.* De vtroque genere furti Gellius cap. 18. libri 11. Noct. Att. *Furem, qui manifeſto furto prehenſus eſſet, tum demum occidi permiſerunt, ſi aut cùm faceret furtum nox eſſet: aut interdiu ſe telo cùm prehenderetur defenderet. Ex cæteris autem manifeſtis furibus, liberos verberari, addicíque iuſſerunt ei cui factum furtum eſſet: ſi modo id luci feciſſent, neque ſe telo defendiſſent; Seruos item furti manifeſti prehenſos verberibus affici,* Interdiarius. Nocturnum furẽ licet occidere.

affici. & è ſaxo præcipitari, ſed pueros impuberes prætoris arbitratu verberari voluerunt, noxámque ab his factam ſanciri. Quæ leges vt aliæ pleræque, è Solonis legibus manarunt. quarum vnam refert Demoſthenes in Timocratem: Εἰ μέν τις μεθ' ἡμέραν ὑπὲρ πεντήκοντα δραχμὰς κλέπτοι, ἀπαγωγὴν πρὸς τοὺς ἕνδεκα εἶναι. εἰ δέ τις νύκτωρ ὁτιοῦν κλέπτοι, τοῦτον ἐξεῖναι, καὶ ἀποκτεῖναι, καὶ τρῶσαι διώκοντα, καὶ ἐπαγαγεῖν τοῖς ἕνδεκα εἰ βούλοιτο, &c. *Si quis interdiu ſupra quinquaginta drachmas furto abſtulerit, ad vndecimuiros abducitur. ſi noctu furtum faxit, quæcunque res ea fuerit, eum & occidere, & inſectando vulnerare, & ad vndecimuiros rapere, ſi velit, ius eſto.* Nec iniuriâ nocturni fures, quàm diurni grauiùs puniuntur: Ἐν γὰρ ἡμέρᾳ δυνατόν τις, inquit Vlpianus in illum locum Demoſthenis, καὶ βοηθοὺς καλέσαι ἑαυτῷ· ἐν δὲ νυκτὶ, οὐκ ἔστι. *Nam interdiu aliquos auxilio implorare poſſis, noctu verò non item.* Seneca controuerſia ſexta: *Fur nocturnus non multùm abeſt à proditore.* Cuiatius libro ſexto obſeruat. cap. 6. *Cur nocturni effractores grauiùs coërcentur quàm diurni: cur nocturni fures quàm diurni? cur balneary quam reliqui? nimirum quia maior delinquendi facultas & occiſio, eò maiore pœna quiſque in officio continendus eſt. Faciliùs porro eſt noctu & in balneis furari.* Et eam Platonis lex cum Solonis lege conſpirat: Νύκτωρ φῶρα εἰς οἰκίαν εἰσιόντα ἐπὶ κλοπῇ χρημάτων, ἐὰν ἑλὼν κτείνῃ τις, καθαρὸς ἔστω. *Furem noctu domum furandi cauſſa endogredientem, qui apprehenſum occiſit, purus eſto.* 9. de legibus. Libanius Martis apologia: Ἕτερος ἕτερον νυκτὸς ἀπολλύμενον τῶν αὑτοῦ διαφθείρας, ἐτιμήθη. *Alius altero noctu res ſuas contrectante à ſe interfecto, laudatus eſt.* Huius porrò legis ſeueritatem dicam? an acerbitatem? Iuriſconſulti poſtea mitigarunt. Vlpianus D. ad leg. Corn. de Sic. l. 19. *Furem nocturnum ſi quis occiderit, ita demum impune feret, ei ſi parcere ei ſine periculo ſuo non potuit.* Cuiacius libro 14. obſeruat. cap. 15. *Vlpianus in D. l. furem idem ſtatuit in fure nocturno, quòd lex XII. in diurno. nec enim nocturnum aliter vult occidi, quàm ſi quis eum apprehendere non potuerit ſine periculo ſuo, puta quòd is cum telo eſſet, ſéque telo defenderet ne apprehenderetur.* Caius D. ad l. Aquiliam. *Lex XII. tabularum furem noctu deprehenſum occidere permittit: vt tamen id ipſum cum clamore teſtificetur: interdiu autem deprehenſum ita permittit occidere: ſi is ſe telo defendat: vt tamen æquè cum clamore teſtificetur.* Vides igitur nouo iure non quocunque modo fas eſſe furem nocturnum occidere: ſed requiri primò, *vt parcere & ſine periculo non poſſit.* 2. vt, *cum clamore teſtificetur*, id eſt, ſi occiſor clamore priùs teſtatus fuerit ſibi vim inferri. Iulius Clarus Sententiarum libro quinto ex communi, vt ait ſententia ſic loquitur: *Scias tamen quòd ad hoc vt licitum ſit occidere furem nocturnum, multa requiruntur: primò quòd iſtud fiat pro defenſione ſui ipſius vel rerum ſuarum, aliàs non poteſt quis occidere furem, ſi recedat ſine rebus ſuis. Secundò requiritur, quòd volens occidere furem nocturnum, clamet. Tertiò, requiritur quòd cùm non cognouerit, neque haberet teſtes qui potuerint illum cognoſcere, & contra eum deponere de furto. Quartò, requiritur quòd eum capere non potuerit.* Poſtrema conditio ex Vlpiano deſumpta eſt D. ad legem Aquiliam l. 5. *Sin autem cùm poſſet apprehendere, maluit occidere: magis eſt vt iniuria feciſſe videatur. Ergo & Cornelia tenebitur.* Vides quibus veluti cancellis ſecuti Iuriſconſulti legis antiquæ ſeueritatem reſtrinxerint. cuius tamen fontem in lege diuina poſſumus oſtendere, Exodi 22. *Si effringens fur domum, ſiue ſuffodiens fuerit inuentus, & accepto vulnere mortuus fuerit: percuſſor non erit reus ſanguinis. Quod ſi ſole exorto fecerit, homicidium perpetrauit, & ipſe morietur.* Quod etiam poſt mitigatam hanc legem in agris Impp. Theodoſius & Arcadius locum habere voluerunt. C. QVANDO LICEAT VNICVIQVE SINE IVDICE SE VINDICARE *l. 1. Liberam reſiſtendi cunctis tribuimus facultatem: vt quicunque militum vel priuatorum ad agros nocturnus populator intrauerit, aut itinera frequentata inſidiis aggreſſionis obſederit, permiſſa cuicunque licentia digno illicò ſupplicio ſubiugetur: ac mortem quam minabatur excipiat, & id quod intendebat incurrat.* nec iniuria, vt notat Cuiacius, valet in agris lex XII. ſed non etiam in vrbibus, quia *quò eſt in agris maior graſſandi facultas, eò qui in agris noctu furantur odio ſunt digni maiore.* Vide C.Theod. ad leg. Corn. de Sicariis placet Harmenopuli textum lib. 6. promptuarij cap. 6. ſupra dictis concinentem adſcribere: Τὸν νυκτερινὸν κλέπτην, τὸν ἔξω τῆς πόλεως, ἔξεστι φονεύειν, κἂν στρατιώτης ᾖ· τὸν δ' ἐν πόλεσιν οὐκ ἔξεστι φονεύειν, εἰ μὴ ἀκόντιον ἐπιφέρεται. πάντα δὲ τὰ βλάπτοντα ἀκόντια λέγεται· ἐπὶ ἑκατέρου δὲ δεῖ μετὰ κραυγῆς διαμαρτύρεσθαι. ἐὰν τὸν ἐν νυκτὶ κλέπτοντα φονεύσῃ τις, τότε ἀτιμώρητος μένει, ὅτι μὴ ἠδυνήθη δίχα κινδύνου ἰδίου φείσασθαι αὐτοῦ. *Nocturnum ciuem extra ciuitatem licet occidere, etiamſi miles eſt; in vrbibus autem non licet, niſi telum geſtarit. Teli autem appellatione omne, quod nocendi cauſſâ habetur, ſignificatur, ac vtrobique oportet eum qui furem occidat, clamore teſtificari. Si nocturnum furem quis interfecerit, ita demum impune feret, ſi parcere ei ſine ſuo periculo non potuit.* Hæc pene verbatim ex Vlpiano.

DIVRNVM AVTEM.] Interdiarium gloſſæ appellant. *Interdiarius* ἡμεροκλέπτης. de hoc III. Fur diurnus.
Caius D. de furtis l. Si pignore. *Furem interdiu deprehenſum non aliter occidere lex duodecim tabularum permiſit, quàm ſi telo ſe defendat. teli autem appellatione, & ferrum, & fuſtis, & lapis & denique omne quod nocendi cauſſa habetur, ſignificatur.* De voce teli idem Caius D. De verborum ſignificatione l. 233. cuius verba bene multa libet adſcribere: *Telum vulgo quidem appellatur quod* Telum.
ab arcu mittitur, ſed nunc omne ſignificatur quod mittitur manu. ita ſequitur, vt & lapis, & lignum, & ferrum hoc nomine contineatur, dictúmque ab eo quod in longinquum mittitur, voce Græca figuratum ἀπὸ τοῦ τηλοῦ, *ab eo quod eſt longè, & hanc ſignificationem inuenire poſſumus & in Græco nomine, nam quod nos telum appellamus, illi* βέλος *appellant,* ἀπὸ τοῦ βάλλεσθαι, id eſt, à iaciendo. admonet nos Xenophon 5. ἀναβάσεως. nam ita ſcribit: Καὶ τὰ βέλη ὁμόσε ἐφέρετο, λόγχαι, τοξεύματα, σφενδόναι, πλεῖστοι δὲ καὶ λίθοι. *Et tela ſimul ferebantur, haſtæ, ſagittæ, fundæ, plurimi item lapides, & id quod ab arcu mittitur apud Græcos quidem proprio nomine* τόξευμα *vocatur, apud nos autem communi nomine*

telum appellatur. Verùm lex XII. latiori ſignificatione teli nomen vſurpat. neque enim ſolùm diurnum furem occidi permittit, qui ſe iaculo aut ſaxo eminus, ſed etiam qui comminus gladio, aut pugione defenderit. Paulus D. ad legem Iuliam de vi publica l. 11. *Telorum autem appellatione omnia, ex quibus ſinguli homines nocere poſſunt, accipiuntur.* Notat Dionyſius Gothofredus legi apud Paulum 5. ſent. 3. §. 3. in fin. *Ex quibus ſoluti homines nocere poſſunt.*

IV. Quando liceat hominē occidere.

QVÆ MVLTA SVNT.] Quædam hominis nec audi tempora, ſiue caſus quibus liceat hominem occidere, percenſet Plato 9. de legibus: Ὃν δὲ ὁ κτείνας ἐφ' οἷς τε ὀρθῶς καθαρὸς εἴη τάδ' ἔστω. νύκτωρ φῶρα εἰς οἰκίαν εἰσιόντα ἐπὶ κλοπῇ χρημάτων, ἐὰν ἑλὼν κτείνῃ τις, καθαρὸς ἔστω. καὶ ἐὰν λωποδύτην ἀμυνόμενον ἀποκτείνῃ, καθαρὸς ἔστω. καὶ ἐὰν ἐλευθέραν γυναῖκα βιάζηταί τις ἢ παῖδα περὶ τὰ Ἀφροδίσια, νηποινεὶ τεθνάτω ὑπό τε τοῦ βιασθέντος, καὶ ὑπὸ πατρὸς ἢ ἀδελφῶν ἢ υἱέων. ἐάν τ' ἀνὴρ ἐπιτύχῃ γαμετῇ γυναικὶ βιαζομένῃ, κτείνας τὸν βιαζόμενον, ἔστω καθαρὸς ἐν τῷ νόμῳ. καὶ ἐάν τις πατρὶ βοηθῶν θάνατον μηδὲν ἀνόσιον δρῶντι κτείνῃ τινὰ, ἢ μητρὶ, ἢ τέκνοις, ἢ ἀδελφοῖς, ἢ ξυγγεννήτορι τέκνων παίδων, καθαρὸς ἔστω. Vertit Serranus: *Nunc verò eos caſus oſtendamus in quibus minimè imputatur cædes. Qui noctu furem ædes ſuas ingreſſum interemerit mundus eſto. Qui latronem dum ſeſe ab eo defendit interfecerit, mundus quoque eſto. Qui mulierem liberam puerúmve ad rem Veneream vi ſubegit, non ab eo ſolùm cui vis illata eſt, verùm à patre, fratribus, filiis impunè occiditor. Maritus ſi vim vxori inferentem occiderit, mundus quoque eſto. Si quis etiam patri haudquaquam per ſcelus & nefas cædem patranti, aut matri, aut filiis, fratribúſve, aut coniugi opem ferens quempiam interfecerit, mundus eſto.* Primùm, itaque tempus eſt. cùm fur nocturnus occiditur. 2. cùm diurnus qui ſe telo defenderit. 3. qui ingenuo ſtuprum infert, impune tum ab eo cui vis infertur, tum ab eius patre, fratribus, marito, liberis occiditur. 4. cùm infertur iniuſta nex parentibus, liberis, coniugibus, &c. Alias cauſſas adfert Iulius Clarus ſentent. lib. 5. §. *homicidium*, quas operæpretium fuerit ſummatim excerpere. 5. igitur impune quis occiditur: cùm vi vis illata defenditur, de quo fuſiùs modò diſſeremus. 6. vt elegantibus eius verbis exornem orationem meam, *Non ſolùm licet inſultato occidere ipſum inſultantem, ſed etiam licet occidere alium non offendentem, ſi ab illo inſultante ſe aliter defendere non poterat, niſi iſtum interficeret.* Verbi cauſſa, Caius me inuaſit, fugam expedire non poſſum, niſi deiecto puero qui pontis tranſitum occupauit, poſſum deiicere. 7. poteſt impune quis inſidiatorem necare, ſi aliter qui inſidiis eſt appetitus non poteſt ſalutem ſuam expedire. 8. ad defenſionem ſui, rerum ſuarum aut honoris, verbi cauſſa, vbi quis inuaderetur, cui dedecori eſſet fuga, verbi cauſſa, nobili aut profitenti artem militarem. 9. adulter cum muliere in flagranti delicto deprehenſus poteſt eodem temporis & loci veſtigio, cum adultera, ab eius marito, patre, aut fratribus interfici. 10. bannitus, vt vocant, id eſt, publica auctoritate proſcriptus. quamuis poſtremus hic caſus iam non videtur ad rem, qua de agitur, attinere. quæritur enim vtrùm liceat hominem indemnatum occidere, at ille iam publica auctoritate damnatus eſt. niſi intelligas eum, cui aqua & igni interdictum ſit, de quo idem Iulius Clarus ibidem conſulatur. vndecimum tempus refert Marcianus D. ad legem Corneliam de ſicariis: *Transfugas licet vbicunque inuenti fuerint, quaſi hoſtes interficere.* Curtius 8. vt refert Gothofredus: *Transfugam iure belli perſequimur.* Inuenti capite puniuntur. transfugis dextras præcidit Fabius Maximus teſte Frontino 4. ſtratagematum. 2. Valer. 2. Claudius Flaccus apud Appianum in Annibalicis. Cæſar apud Hirtium. Africanus ſuperior ciues fugitiuos crucibus affixit, ſocios ſecuri percuſſit. poſterior verò Africanus beſtiis & elephantis obiecit. 2. Valer. 2. Florus 51. Romæ primùm verberati, & de ſaxo Tarpeio præcipitati. Liuius libro 3. Adi P. Fabrum 1. ſemeſtrium, poſt quem iſta Gothofredus. Vide Petrum Gregorium libro 36. Syntagmatis iuris cap. 21. Transfugæ.

V. Ius aut conſenſus facit, aut neceſſitas aut conſuetudo.

NON MODÒ IVSTVM, VERVM ETIAM NECESSARIVM.] Modeſtinus D. De legibus S. C. &c. l. 4. *Omne ius aut conſenſus fecit, aut neceſſitas conſtituit, aut firmauit conſuetudo.* Cuiacius 14. obſeruat. cap. 16. hanc iuris diuiſionem ſumptam ait, ex illo Menandri loco: Τρία γάρ ἐστι, δέσποτα, δι' ὧν ἅπαντα γίγνεται, ἢ κατὰ νόμους, ἢ ταῖς ἀνάγκαις, ἢ τὸ τρίτον ἔθει τινί. *Tria enim ſunt, ô here, quibus omnia fiunt, aut ſecundum leges, aut neceſſitate, aut, quod tertium eſt conſuetudine aliqua.* Quo loco, vt ingenuè fatear, Cuiacius aliter explicat neceſſitatem, quàm ad Tullium facere videatur: *Ius*, inquit, *quod conſenſus fecit, lex eſt, quæ populi aut plebis iuſſu ſancita eſt. Ius autem quod neceſſitas fecit, eſt Senatusconſultum, vt in lege 2. §. Deinde quia difficile. De origine iuris ſcriptum eſt, aucto numero populi, neceſſitatem ipſam curam Reipubl. ad Senatum deduxiſſe. & inde nata S. C. eſſe, ius quod firmauit conſuetudo eſt quod inueteratus mos attulit, ſed & hoc ius conſenſus fecit, verùm tacitus, & illiteratus legem expreſſus & litteratus. quin & S. C. conſenſus facit, ſed non hic ſolùm, verùm etiam neceſſitas, aut neceſſitas ſanè potiùs principium eius eſt non conſenſus nudus.*

VI. Vim vi repellere licet.

CVM VI VIS ILLATA DEFENDITVR.] Vlpianus D. Quod metus cauſſa. l. 12. ex Pomponio I. C. *Cùm liceat vim vi repellere, quod fecit paſſus eſt.* Caius D. ad leg. Aquiliam leg. 4. *Si ſeruum tuum latronem inſidiantem mihi occidero, ſecurus ero: nam aduerſus periculum naturalis ratio permittit ſe defendere.* Vlpianus D. De vi & de vi armata. l. 1. §. 27. *Vim vi repellere licere Caſſius ſcribit, idque ius naturâ comparatur. apparet autem, inquit, ex eo arma armis repellere licere.* Idem tamen lege 3. generalem hanc permiſſionem limitat, & certis circunſtantiis comprehendit: *Eum igitur qui cum armis venit, poſſumus armis repellere, ſed hoc confeſtim, non ex interuallo: dummodo ſciamus, non ſolùm reſiſtere permiſſum, ne deiiciatur; ſed etſi deiectus quis fuerit, eundem deiicere non ex interuallo, ſed ex continenti.* Hanc legem explicat Iac. Cuiacius libro quinto obſeruationum cap. 18. *Confeſtim, id eſt, illico, in ipſa concertatione atque congreſſu*, &c. *quæ enim ex interuallo vis*

infertur, cogitatè infertur, nec tam ad defenſionem, quàm ad vltionem ſpectat, & ob id in lege quoque Athenienſium de vi & contumelia propulſanda apud Demoſthenem additur articulus εὐθύς. Theodorus Hermopolites ad l. 2. D. Quod met. cauſa: τὸ παραχρῆμα, τουτέστιν ἐντὸς δύο τῶν ὡρῶν. *Confeſtim, intra duas horas intellige.* Quod ſumpſit ex contextu libro 60. βασιλικῶν tit. 17. cap. 9. in quo ita eſt εὐθὺς οὐ μετὰ τὸ μετὰ δύο ὥρας, *confeſtim, non ſanè poſt horas duas*, &c. in qua propulſatione illud Imperatorum Diocletiani & Maximiani decretum ſeruandum eſt. C. Vnde vi. l. *Rectè poßidenti ad defendendam poſſeßionem quam ſine vitio tenebat, inculpatæ tutelæ moderatione illatam vim propulſare licet.* id eſt, vt loco proximè citato Cuiacius obſeruat, *cum defenſione æquabili, & remota ab omni culpa.* quæ defendendo non vlciſcendo ſeruatur. Quod ad naturæ legem pertinet, licet Florentinus D. *de iuſtitia & iure*, ad ius gentium referre videatur. *Vt vim atque iniuriam propulſemus. nam iure hoc euenit, vt quod quiſque ob tutelam corporis ſui fecerit, iure feciſſe exiſtimetur, & cùm inter nos cognationem quandam natura conſtituit, conſequens eſt hominem homini inſidiari nefas eſſe.* Quamuis, vt ait Paulus D. ad legem Aquiliam l. 45. *Vim vi repellere omnes leges, omniáque iura permittunt.* Ouidius 3. de arte:

Iudice me, fraus eſt conceſſa repellere fraudem,
Armáque in armatos ſumere iura ſinunt.

Huc ſpectat & illud Demoſthenis de Rhodiorum libertate: Ἁπάντων δὲ τῶν ἄλλων, ὅπως ἀδικεῖν δυνήσονται παρασκευαζομένων, μόνους ὑμᾶς τὰ δίκαια προαιρεῖσθαι, μηδενὸς ἀντιλαμβανομένους, οὐ δικαιοσύνην, ἀλλ' ἀνανδρείαν ἡγοῦμαι. *Cæteris vt iniuriâ nos afficere poßint ſe comparantibus, nos ſolos ius præferre nihil aggredientes, non iuſtitiam, ſed ignauiam eſſe puto.* Libanius declamat. Achillis: Νόμος δὲ κοινὸς Ἑλλήνων καὶ βαρβάρων ἀμύνεσθαι τὸν ἀπάρξαντα. *Lex autem communis apud Græcos & Barbaros eſt, vlciſci eum qui laceßiuit.*

VII. PVDICITIAM.] Conſtantinus Harmenopulus libro ſexto promptuarij iuris titulo 7. Ὁ φονεύσας τινὰ βιαζόμενον πρὸς ἀσέλγειαν, ἀνεύθυνος. *Qui ſtuprum per vim inferentem occiderit, dimittatur.* Ex Marciano D. ad leg. Corn. de ſic. l. 1. *Diuus Hadrianus reſcripſit, eum qui ſtuprum ſibi vel ſuis per vim inferentem occidit, dimittendum.* Multa Libanius Martis apologia:

Pudicitiæ vim inferens iure occiditur.

Ἰδοὺ δὴ λέγω, καὶ πάλιν ἀκουέτω. ἀπέκτεινα, ἀλλὰ βιαζόμενος· τὸν παῖδ' οὐκ ἔχεις; οὐδ' ἐγὼ τὴν παῖδα παρθένον. ὤφειλον ἂν δίκην, εἰ μὴ ἀμυνόμενος ἀπεκτόνειν. νῦν δὲ δίκαιον ποιεῖ τὸν φόνον τὸ τετιμωρῆσθαι· ἤδη τις ζῶν τινα ἀποτειμνόμενον κωλύειν πειρώμενος, ἀποκτείνας οὐκ ἔδοξεν ἀδικεῖν· ἕτερος ἕτερον νύκτωρ ἀπολόμενον τῶν αὐτοῦ διαφθείρειν ἐπηνέθη· καὶ λοιδορία πολλάκις ἔδειξε φόνον· καὶ οὐδεὶς ἐμέμψατο. διὰ τί γάρ φησιν οὐκ ἐσωφρονεῖτε, καὶ οὐκ ἂν ἦν ὁ ἀμυνόμενος. εἰ δὲ ἀντ' ἐκείνων ἤδη τινὲς τεθνᾶσι, τί πάσχοιεν εἰκότως οἱ ἀδικοῦντες οἷα Ἁλιρρόθιοι· οὐκ ἴστε ὅτι παρθένῳ πάντα ἐστὶν ἡ παρθενία; γάμος, ἀνήρ, παῖδες, ἐλπίδες, βίος, τὸ δύνασθαι γυναιξὶν ὁμιλεῖν. *Ecce igitur dico, & rurſus audiat, Interfeci. Sed coactus: filium non habes, ſed nec ego filiam virginem. pœnas dare debuiſſem, niſi vlciſcens occidiſſem. nunc verò iuſtam facit cædem quòd vlciſcendo factum eſt. cùm aliquis olim terram quampiam proſcindentem & vaſtantem prohibere conatus interemit, non viſus eſt ius violare: alius alter noctu res ſuas contrectante à ſe interfecto laudatus eſt. Conuitium etiam plerumque produxit cædem: neque vllus reprehendit. cur enim, inquit, non ſapitis, & non eſſet qui vindicaret. Quòd ſi pro illis quidam iam perierunt, quid iure paterentur qui iniuriam faciunt, vt Halirrhothius? an eſtis neſcij virginitatem omnium inſtar eſſe virgini? nuptias, virum, liberos, ſpem vitam, facultatem cum mulieribus conuerſandi.* Porro rem geſtam refert Plutarchus in apopht. Ἐπεὶ δὲ Λούσιος ὁ ἀδελφιδοῦς, αὐτοῦ τὸ δεύτερον ὑπατεύοντος, ἐβιάζετο τῶν ἐν ὥρᾳ στρατευομένων τινὰ ὀνόματι Τρεβώνιον, ὁ δ' ἀπέκτεινεν αὐτόν, καὶ πολλῶν κατηγορούντων οὐκ ἠρνήσατο κτεῖναι τὸν ἄρχοντα, τὴν δ' αἰτίαν εἶπε, καὶ ἀπέδειξε. κελεύσας οὖν ὁ Μάριος τὸν ἐπὶ ταῖς ἀριστείαις διδόμενον στέφανον κομισθῆναι, τῷ Τρεβωνίῳ περιέθηκε.

Luſius à Trebonio cuius pudicitiæ vim inferebat, occiſus.

Cùm verò Luſius ſororis eius filius in ſecundo ipſius Conſulatu, Trebonio cuidam vni eorum qui in flore ætatis ſtipendia faciebant, vim inferret, Trebonius Luſium interemit, & à multis accuſatus factum non negauit, ſed facti cauſſam demonſtrauit. quare Marius coronam ob res fortiter geſtas dari ſolitam adferri iuſſit, eiúſque capiti circumdedit. Hinc lex illa Platonis nono de legibus paulò antè prolata: Καὶ ἐὰν ἐλευθέραν γυναῖκα βιάζηταί τις, ἢ παῖδα περὶ τὰ ἀφροδίσια, νηποινὶ τεθνάτω ὑπό τε τοῦ βιασθέντος, καὶ ὑπὸ πατρός, &c. *Et ſi mulieri ingenuæ, aut puero quis per vim ſtuprum inferre tentauerit, iure cæſus eſto, ſiue ab eo cui vis infertur, ſiue à patre*, &c. Refert Demoſthenes oratione contra Ariſtocratem Draconis legem in eandem planè ſententiam: Ἐάν τις ἀποκτείνῃ ἐν ἄθλοις ἄκων, ἢ ἐν ὁδῷ καθελών, ἢ ἐν πολέμῳ ἀγνοήσας, ἢ ἐπὶ δάμαρτι, ἢ ἐπὶ μητρί, ἢ ἐπ' ἀδελφῇ, ἢ ἐπὶ θυγατρί, ἢ ἐπὶ παλλακῇ, ἣν ἂν ἐπ' ἐλευθέροις παισὶν ἔχῃ, τούτων ἕνεκα μὴ φεύγειν κτείναντα. *Si quis in certaminibus occiderit contra voluntatem, aut in via, aut in bello per ignorantiam, aut coniugi, aut matri, aut ſorori, aut filiæ, aut pellici, aut ei quam ad tollendos ingenuos filios habet, vim inferentem; eas ob cauſſas qui occiderit ne exulato.* Facilè crediderim verba, ἣν ἂν ἐπ' ἐλευθέροις παισὶν ἔχῃ, gloſſema eſſe ad explicandam vocem δάμαρτος, quod è margine in textum alieno loco irrepſerit. vel ſic eſſe digerenda, ἢ ἐπὶ παλλακῇ, ἣν ἂν ἔχῃ, ἢ ἐπ' ἐλευθέροις παισίν, τούτων ἕνεκα, &c. quæ lectio probari poſſet ex Lyſia de nece Eratoſthenis.

PROBVS ADOLESCENS.] Lyricus quodam epodo: VIII.

-ſiue mendaci lyra
Voles, ſonari, tu pudica, tu proba
Perambulabis aſtra ſidus aureum.

Salluſtius in Catilina Semproniæ mulieris parum pudicæ mores deſcribens eodem ſenſu probitatis nomen vſurpat: *Saltare elegantiùs quàm neceſſe eſt probæ.* Sic contra improbum pro petulante & impudico impurus ille Neronis aulicus vſurpat in ſuo ſatyrico: *Illinc candidus Hylas repellebat improbam Naiada.* alibi, *improbam manum*, id eſt, *libidinoſam* appellat. ſed pudet referre. huc ſpectat & ille verſus Lucilij:

Phryne nobilis illa vbi amatorem improbiùs quem.

Statius 3. Achilleidos, vel, vt alij diuidunt, primo:

-illam ſequitúrque, premítque
Improbus, illam oculis iterúmque iterúmque reſumit. &c.

Liuius libro 34. *Eiectus à matre quòd probus adoleſcens; (Dij propitij eſſent) obſcœnis, vt fama*

eſſet, ſacris initiari nollet. Saluianus lib. 7. de gub. Dei: *Timuerunt videlicet ne nimis caſti homines ac puri eſſent, ſi ab omni eos penitùs improbitate prohiberent.* Rurſum Papinius 7. Thebaidos Lapithoniam Nympham cupido flagrantem amore *improbam connubij* nuncupauit. Sicut contra primo ſiluarum Epithalamio Stellæ & Violantillæ:

Ipſa manu nuptam genitrix Æneia ducis
Lumine demiſſam & dulci probitate rubentem.

Ouidius lib. 3. de ponto eleg. 1. ad coniugem:

Nota tua eſt probitas, teſtatáque tempus in omne,
Sit virtus etiam non probitate minor.

IX. ADOLESCENS.] Quandam ſpeciem habet antitheſis: quòd adoleſcentia ſit ad improbitatem propenſior, vnde & *adoleſcentiari.* Nonnius Marcellus: *Adoleſcentiari, luxuriari. Varro: Tum quidem vt faciat cenſeo, quoniam tu quoque adhuc adoleſcentiaris.*

X. AGERE PERIC. QVAM PERPETI TVRP.] Alia rurſum eáque duplex oppoſitio *periculosè, turpiter, agere, perpeti.* periculum enim honeſtatem non ſolùm ſequitur, ſed etiam commendat, & turpitudini frequenter opponitur. vide infrà §. 83. De altera oppoſitione Lyricus:

Quiduis, & facere, & pati.

XI. INSIDIATORI VERO ET LATRONI.] Harmenopulus lib. 6. cap. 6. promptuarij iuris: Τὸν λῃστὴν ἔξεστιν ἑκάστῳ ἀκινδύνως φονεύειν. *Latronem cuique licet, citra diſcrimen vllum occidere.* Bene autem vocem vtramque coniungit. nam Varro lib. 6. de lingua Latina, latrones dictos putat, *quòd latent ad inſidias faciendas.* Sed quid prohibet locum integrum exhibere: *Latrones dicti ab latere, qui circum latera erant Regi, atque ad latera habebant ferrum, quos poſtea à ſtipatione ſtipatores appellarunt. & qui conducebantur mercede: ea enim merces dicitur Græcè λάτρον καὶ σάτρον. ab eo veteres poëtæ nonnunquam milites appellant latrones, quòd item vti milites cum ferro, aut quòd latent ad inſidias faciendas.* Adſtipulatur & Feſtus: *Latrones eos antiqui dicebant, qui conducti militabant ἀπὸ τῆς λατρείας. at nunc viarum obſeſſores dicuntur, quòd à latere adoriuntur, vel quòd latenter inſidiantur.* Eodem ſenſu Maro 12. Æneidos Venatores *latrones* appellat, quòd feris inſidientur:

-fixúmque latronis
Impauidus frangit telum, & fremit ore cruento.

Frequentiùs tamen latro eſt miles mercede conductus. Plautus Cornicularia laudatus à Nonnio & Varrone:

Qui Regi latrocinatus decem annos Demetrio.

Idem apud Nonnium in Tiberio: *Qui decem annos in latrocinio fuiſti, ſtipendium acceptitaſti.* Et Pyrgopolinices in milite glorioſo ſcena 1.

Vt in tabellis, quos conſignaui hic heri
Latrones, ibus dinumerem ſtipendium.
Nam Rex Seleucus me opere orauit maximo,
Vt ſibi latrones cogerem & conſcriberem.

Ennius Annali 1. à Scaligero citatus:

Hæc effatus vbi, latrones dicta faceſſunt.

Idem apud Nonnium emendante eodem:

Fortunas ecquas cepere latrones
Inter ſe memorent.

Vbi notat idem Scaliger: *Vt* λάτρον *latronum, ſic ſtips ſtipatorum eis nomen fecit.*

NEX.] Caſus non frequentiſſimus. Siſenna tamen apud Nonnium: *Quoniam neque mea nex, neque interceſſio poſſe videtur illorum dementem reprimere audaciam.* Hanc autem vocem à Græcis deductam Feſtus ait, qui mortuum νέκυν appellãt. XII. Nex.

AXIOMATA.

Nocturnum furem quoquo modo, diurnum ſi ſe telo defenderit licet occidere.

Gladius aliquando nobis ad occidendum hominem ab ipſis legibus porrigitur.

Non modò iuſtum tempus eſt hominis occidendi, verùm etiam neceſſarium, cùm vi vis illata defenditur.

Præſtat periculosè facere, quàm perpeti turpiter.

Scelere ſoluti periculo ſunt liberandi.

ARGVMENTVM.

A communi conſuetudine, & à iure naturali per oratoriam expolitionem fuſiùs explicato eandem concluſionem confirmat.

X. QVID comitatus noſtri, quid gladij volunt? quos habere certè non liceret, ſi vti illis nullo pacto liceret. Eſt enim hæc, Iudices, non ſcripta, ſed nata lex, quam non didicimus, accepimus, legimus, verùm ex natura ipſa arripuimus, hauſimus, expreſſimus; ad quam non docti, ſed facti; non inſtituti, ſed imbuti ſumus; vt, ſi vita noſtra in aliquas inſidias, ſi in vim, ſi in tela aut latronum, aut inimicorum incidiſſet, omnis honeſta ratio eſſet expediendæ ſalutis. Silent enim leges inter arma, nec ſe exſpectari iubent, cùm ei, qui exſpectare velit, antè iniuſta pœna luenda ſit, quàm iuſta repetenda.

EXPLANATIO.

QVID COMITATVS.] A conſuetudine & cauſſa finali.

Gladios habere non liceret ſi vti illis nullo pacto liceret.
Sed gladios habere licet.
Ergo & vti.

Deinde ſubſumit.

Licet gladiis vti.
Sed gladiorum vſus in occidendo conſiſtit.
Ergo licet aliquando occidere.

Maior & minor ſuperioris ſyllogiſmi penè conceptis verbis expreſſæ ſunt: cætera facilè poſſunt intelligi. Atque hæc ratio à iure gentium deſumitur.

Est enim hæc Ivdices.] A iure naturali ſuam probationem accerſit. quod argumentum Cælius Secundus exponit hoc ſyllogiſmo.

Quæ à natura homini tributa ſunt, ea honeſta ſunt.

At ex principiis naturæ pendet ſui ipſius defenſio.

Ergo honeſta eſt.

Aduerte concinnitatem orationis, & quàm bellè raſis in antithetis oratio libretur, & paria paribus reſpondeant. Sed vereor ipſum orationis ſaporem verbis meis obtundere. Tullius ipſe loquatur in Oratore ad Brutum: *Sed finiuntur, aut compoſitione ipſa, & quaſi ſponte, aut quodam genere verborum, in quibus ipſis concinnitas ineſt: quæ ſiue caſus habent in exitu ſimiles, ſiue paribus paria redduntur, ſiue opponuntur contraria ſuapte natura nermeroſa ſunt, etiamſi nihil eſt factum de induſtria, in huius concinnitatis conſectatione Gorgiam fuiſſe principem accepimus, quo de genere illa noſtra ſunt, in Miloniana. Eſt enim, Iudices, hæc non ſcripta, &c. imbuti ſumus. hæc enim talia ſunt, vt quia referuntur ad ea, ad quæ debent referri, intelligamus non quæſitum eſſe numerum, ſed ſecutum.*

Non scripta.] Iure poſitiuo, ſcripta à legiſlatoribus.

Sed nata.] Innata omnibus animantibus, & velut ex ipſius naturæ principiis hauſta.

Qvam non didicimvs.] à præceptoribus.

Accepimvs.] à maioribus noſtris.

Legimvs.] in philoſophorum ſcriptis.

Sed ex ipsa natvra arripvimvs.] auidè accepimus.

Havsimvs.] ex ipſo naturæ fonte ſitienter hauſimus.

Expressimvs.] quaſi non ipſo ſucco contenti qui ſponte flueret, totum illum naturalis legis, vt ſic loquar, humorem eduximus.

Ad qvam non docti, sed facti.] Epexegeſis ſiue expolitio oratoria, *non docti* à præceptoribus, sed facti à natura.

Omnis honesta.] Omnis illa euadendi ratio probaretur, quæ nos poſſet ab interitu liberare.

Silent enim leges.] Ita contemnuntur, vt buccinis & tubis obſtrepentibus audiri non poſſint. Eſt autem αἰτιολογία, qua reddit legis naturalis rationem.

Nec se expectari ivbent.] Videtur hunc ſyllogiſmum contexere.

Non oportet expectare dum res ad iudicium deferatur, ſi expectanti periculum impendet priùs, quàm inſidiator puniatur.

Sed inter arma periculum impendet priùs, quàm inſidiator puniatur.

Ergo non oportet expectare dum res ad iudicium deferatur.

Ante inivsta poena.] Antitheton. antè ſit iniuſtè necandus, quàm ſit effecturus vt inſidiator iuſta morte plectatur. per iniuſtam pœnam intelligit necem iniuriâ illatam, per iuſtam pœnam ſupplicium legibus & iudicio irrogatum.

NOTÆ.

Qvid comitatvs nostri.] Credi non poteſt quanto cum comitatu procederent. Aſconius in præfatione huius ipſius orationis, *Vehebatur Clodius equo, ſerui triginta fere expediti. Milo verò in ſuſpicionem inſidiarum vocatus eſt, quod cum ſeruis amplius* CCC *armatis obuiam ei contendiſſe* diceretur. & ne id præter conſuetudinẽ factũ putes, *conſtitit neutrius conſilio pugnatũ eo die, verùm fortè occurriſſe*, &c. *& ſicut ſuſpectum Milonem, maior quàm Clodij familia faciebat: ita expeditior & paratior ad pugnam Clodianorum, quàm Milonis fuerat.* qui procedendi mos ab Ammiano graphicè deſcribitur, lib. 14. *Sine periculi metu properanter equos velut publicos, ſignatis, quod dicitur calceis, agitant, familiarum agmina tanquam prædatorios globos poſt terga trahentes, ne Sannione quidem, vt ait Comicus, domi relicto. quo comitatu matronæ complures, opertis capitib. & baſternis, per latera ciuitatis cuncta diſcurrunt. Vtque præliorum periti rectores, primo cateruas denſas opponũt & fortes, deinde leues armaturas, pòſt iaculatores, vltimáſque ſubſidiales acies, ſi fors adegerit, inuaſuras. Ita Præpoſitis vrbanæ familiæ ſuſpenſæ digerentibus ſollicitè, quos inſignes faciunt virgæ dextris aptatæ, velut teſſera data caſtrenſi, iuxta vehiculi frontem omne textrinum incedit.* lego *ſuſpensè*, & deleo τὸ *ſollicitè*, tanquam gloſſema, quo particula *ſuſpensè* explicetur. pergit: *Huic atratum coquinæ adiungitur miniſterium, deinde totum promiſcuè miniſterium, cum otioſis plebeiis de vicinitate coniunctis: poſtrema multitudo ſpadonum à ſenibus in pueros deſinens, coloris obluridi, diſtortáque lineamentorum compage deformis.* Adeò vt in viis non ſolùm magno ſeruorum comitatu, ſed etiam multis iumentis & vehiculis vterentur. Plutarchus in Catone: Καθ᾽ ὁδὸν πολλοῖς τισιν ὑποζυγίοις, καὶ σκεύεσι, καὶ ἀκολούθοις ἀπαντήσας, καὶ πυθόμενος Νέπωτα Μέτελλον εἰς Ῥώμην ἐπανέρχεσθαι. *Cùm multis iumentis, impedimentis, & aſſeclis obuiam factus, Metellum Nepotem in vrbem redire comperiſſet.* Sed ne te morer, mirum eſt illud Athenæi lib. 6. de Romanis: Μυρίους καὶ δισμυρίους πάμπολλοι κέκτηνται. οὐκ ἐπὶ προσόδοις δὲ, ὥσπερ ὁ τῶν Ἑλλήνων ζάπλουτος Νικίας· ἀλλ᾽ οἱ πλείους τῶν Ῥωμαίων συμπροϊόντας ἔχουσι τοὺς πλείστους. *Decem, immò & viginti ſeruorum millia plerique habent. non ad prouectus augendos, vt ille Græcorum ditiſſimus Nicias, ſed Romanorum plerique eorum plurimos habent in comitatu quocunque proceſſerint.* Seneca 7. de beneficiis c. 10. *Familia bellicoſis nationibus maior.*

Comitatus numeroſus.

Multitudo ſeruorum.

Qvid gladii.] Aſconius ſuprà: *Vehebatur Clodius equo, ſerui triginta expediti, vt illo tempore mos erat iter facientibus gladiis cincti ſequebantur.* Quo penè ſolùm tempore videtur armorum vſus fuiſſe permiſſus. Marcianus D. ad leg. Iuliam de vi publica. l. 1. *Lege Iulia de vi publica tenetur, qui arma, tela, domi ſuæ, agróve præter vſum venationis, vel itineris, vel nauigationis coẽgerit.* Militibus tamen gladios in vrbem inferre conceſſum eſt. Dio lib. 42. Ἐπέτρεψε μὲν αὐτοῖς ἐς τὴν πόλιν ἄνευ τῶν ὅπλων, πλὴν τῶν ξιφῶν ἐσελθεῖν. ταῦτα γὰρ καὶ ἐν τῷ ἄστει ἄλλως φορεῖν εἰώθεσαν. *Permiſit illis vt inermes præter gladios in vrbem venirent. Gladios enim in vrbe etiam alias geſtare conſueuerant.* Porro vſum priuatum gladij demonſtrat Phocylides v. vigeſimo nono: II.

Gladiorum vſus.

Τὸ ξίφος ἀμφιβαλοῦ, μὴ πρὸς φόνον ἀλλ᾽ ἐς ἄμυναν.
Tutelam ad propriam, non ad cædem vtere ferro.

11. NON SCRIPTA SED NATA LEX.] Operæpretium fuerit Philoſophiæ principes proferre, è quorum ſcriptis, tanquam è fonte lympidiſſimo iſta legum diſtinctio manauit. Plato philoſophorum, vt cum Tullio loquar, Deus, 7. de legibus commemorat, τὰ καλούμενα ὑπὸ τῶν πολλῶν ἄγραφα νόμιμα, καὶ οὓς πατρίους νόμους ἐπονομάζουσι, *quæ vocantur à multis non ſcriptæ leges, & quas patrias leges appellant.* Subdit: δεσμοὶ γὰρ οὗτοι πάσης εἰσὶ πολιτείας, μεταξὺ πάντων ὄντες τῶν ἐν γράμμασι τεθέντων τε καὶ κειμένων, καὶ τῶν ἔτι τεθησομένων ἀτεχνῶς οἷον πάτρια καὶ παντάπασιν ἀρχαῖα νόμιμα. *Hæc enim vincula ſunt omnis Reipub. in medio poſita legum omnium, tum quæ iam ſcriptæ ſunt, tum quæ deinceps ſcribentur, omnino tanquam patriæ leges & penitus antiquæ.*

Leges ſcriptæ. Non ſcriptæ.

Mellitus Xenophon 4. memorabilium: Ἀγράφους δέ τινας οἶσθα, ἔφη, ὦ Ἱππία, νόμους; τούς γ' ἐν πάσῃ, ἔφη, χώρᾳ κατὰ ταὐτὰ νομιζομένους. ἔχοις ἂν οὖν εἰπεῖν, ἔφη, ὅτι οἱ ἄνθρωποι αὐτοὺς ἔθεντο; καὶ πῶς ἄν; ἔφη. οἵ γ' οὔτε συνελθεῖν ἅπαντες ἂν δυνηθεῖεν, οὔτε ὁμόφωνοί εἰσι. τίνας οὖν, ἔφη, νομίζεις τεθεικέναι τοὺς νόμους τούτους; ἐγὼ μὲν, ἔφη, θεοὺς οἶμαι τοὺς νόμους τούτους τοῖς ἀνθρώποις θεῖναι. *An quaſdam leges non ſcriptas eſſe arbitraris, ô Hippia? Eas, inquit, quæ vbique terrarum latæ ſunt eodem modo. Potes igitur dicere eas à quoquam mortalium fuiſſe latas? Et quomodo, inquit, id fieri poteſt? quippe qui conuenire nec poßint, nec eadem voce loquantur? A quibus igitur has leges latas fuiſſe exiſtimas? A Diis, inquit.* Ariſtoteles 1. Rhet. cap. 10. Νόμος δ' ἐστὶν ὁ μὲν ἴδιος, ὁ δὲ κοινός. λέγω δὲ ἴδιον μὲν, καθ' ὃν γεγραμμένον πολιτεύονται. κοινὸν δὲ ὅσα ἄγραφα παρὰ πᾶσιν ὁμολογεῖσθαι δοκεῖ. *Lex verò eſt vna propria, altera communis. Voco propriam ſecundum quam ſcriptam ciuiliter agitur: communem quæcunque non ſcripta apud omnes conſtare videtur.* Et cap. 13. Λέγω δὲ νόμον τὸν μὲν ἴδιον, τὸν δὲ κοινόν· ἴδιον μὲν τὸν ἑκάστοις ὡρισμένον πρὸς ἑαυτούς· καὶ τοῦτον τὸν μὲν ἄγραφον, τὸν δὲ γεγραμμένον. κοινὸν δὲ, τὸν κατὰ φύσιν· ἔστι γὰρ ὃ μαντεύονταί τι πάντες φύσει κοινὸν δίκαιον καὶ ἄδικον, κἂν μηδεμία κοινωνία πρὸς ἀλλήλους ᾖ, μηδὲ συνθήκη. οἷον καὶ ἡ Σοφοκλέους Ἀντιγόνη φαίνεται λέγουσα, ὅτι δίκαιον ἀπειρημένον θάψαι τὸν Πολυνείκην, ὡς φύσει ὂν τοῦτο δίκαιον. *Dico autem legem partim propriam, partim communem. propriam quidem ſingulis definitam inter ipſos, eámque aut non ſcriptam, aut ſcriptam. communem verò, ſecundum naturam. eſt enim quoddam, quod augurantur omnes, natura commune iuſtum & iniuſtum etiamſi nulla ſocietas inuicem ſit nulláque pactio: vt Sophoclis Antigone videtur dicere, iuſtum eſſe interdictum ſepelire Polynicem, quaſi natura ſit id iuſtum.* Vnum deinde ex Antigones oratione verſum excerpit: libet locum integrum exhibere. Creonti ita interroganti:

Καὶ δῆτ' ἐτόλμας τούσδ' ὑπερβαίνειν νόμους;
Etiámne legem tranſgredi audebas meam?

Reſpondet:

ΟΥ γάρ τί μοι Ζεὺς ἦν ὁ κηρύξας τάδε,
Οὐδ' ἡ ξύνοικος τῶν κάτω θεῶν δίκη,
ΟΙ τούσδ' ἐν ἀνθρώποισιν ὥρισαν νόμους.
Οὐδὲ σθένειν τοσοῦτον ᾠόμην τὰ σὰ
Κηρύγμαθ' ὥστ' ἄγραπτα, κἀσφαλῆ θεῶν
Νόμιμα δύνασθαι θνητὸν ὄνθ' ὑπερδραμεῖν.
ΟΥ γάρ τι νῦν γε κἀχθὲς, ἀλλ' ἀεί ποτε
Ζῇ ταῦτα, κοὐδεὶς οἶδεν ἐξ ὅτου φάνη.

Lex æterna.

Nam Iuppiter non iſta mandauit mihi
Non inferorum iuſtitia Diuûm comes
Sanxere leges qui ſuas mortalibus.
Neque arbitrabar poſſe tam multùm tua
Edicta, vt vnus iura mortalis Deûm
Non ſcripta poſſet funditus conuellere.
Nam nec hodie, nec herè, ſed omni tempore
Hæc iura viuunt, noſſe nec quiſquam queat
Quo fonte deriuata promanauerint.

Sed ad Ariſtotelem redeamus, qui cap. 15. eiuſdem libri facit eiuſdem diſtinctionis & verborum Antigones mentionem lib. 5. eth. Τοῦ δὲ πολιτικοῦ δικαίου, τὸ μὲν φυσικόν ἐστι, τὸ δὲ νομικόν. φυσικὸν μὲν τὸ πανταχοῦ τὴν αὐτὴν ἔχον δύναμιν, καὶ οὐ τῷ δοκεῖν ἢ μή· νομικὸν δὲ ὃ ἐξ ἀρχῆς μὲν οὐδὲν διαφέρει οὕτως ἢ ἄλλως, ὅταν δὲ θῶνται διαφέρει. *Ciuilis autem iuris partim naturale eſt, partim legitimum ſiue legale, naturale vbiuis gentium eandem vim habet, nec hominum opinione conſtitutum eſt. legitimum ab initio quidem nihil refert hoc vel illo modo ſtatuatur: poſt poſitionem verò tum demum refert.* Idem lib. 8. Τὸ δίκαιον ἐστι διττὸν, τὸ μὲν ἄγραφον, τὸ δὲ κατὰ νόμον. *Ius duplex eſt, aliud non ſcriptum: aliud ſecundum legem.* Et lib. 3. Τῶν νόμων τῶν τε κατὰ γράμματα, καὶ τῶν κατὰ τὰ ἔθη. *Legum tum quæ ex ſcriptura, tum quæ ex conſuetudine oriuntur.* Cuius diſtinctionis etiam meminit 3. politic. cap. 18. Κυριώτεροι καὶ περὶ κυριωτέρων τῶν κατὰ γράμματα οἱ κατὰ τὰ ἔθη εἰσιν. *Potiores & de potioribus rebus eæ ſunt leges, quæ moribus & conſuetudine, quàm quæ ſcriptura conſtant.* Hæc iſti philoſophiæ antiſtites, quibus leges in ſcriptas & non ſcriptas diſtinguunt. poſſumus tamen liquidiùs ius vniuerſum ſiue legem in ſuas partes, & quaſi membra diſtinguere. Ius aliud eſt naturale, aliud gentium, aliud ciuile. ius naturale & ius gentium, leges ſunt non ſcriptæ, ſed in cuiuſuis animo quaſi naturaliter impreſſæ & tam altis defixæ radicibus, vt lex præſertim naturalis non poſſit vlla ratione conuelli. ius ciuile partim ſcriptum eſt, partim non ſcriptum. de quo Vlpianus D. de iuſtitia & iure. l. 6. *Hoc igitur ius noſtrum conſtat aut ex ſcripto, aut ſine ſcripto: vt apud Græcos* τῶν νόμων οἱ μὲν ἔγγραφοι, οἱ δ' ἄγραφοι. *legum aliæ quidem ſcriptæ, aliæ verò non ſcriptæ.* Leges ſcriptæ ſunt, tum leges propriè dictæ, tum plebiſcita, tum Senatuſconſulta, non ſcriptæ. mos maiorum ſiue longa conſuetudo, & inſtituta. de quibus alibi. *Ius naturale*, vt definit Vlpianus D. de iuſtitia & iure l. 1. *Eſt quod natura omnia animalia docuit. nam ius iſtud non humani generis proprium, ſed omnium animalium, quæ in terra, quæ in mari naſcuntur: auium quoque commune eſt. hinc deſcendit maris atque fœminæ coniunctio, quàm nos matrimonium appellamus: hinc liberorum procreatio, hinc educatio eſt. Videmus etenim cætera quoque animalia, feras etiam iſtius iuris peritia cenſeri. Ius gentium eſt quo gentes humanæ vtuntur, quod à naturali recedere facilè intelligere licet: quia illud omnibus animalibus, hoc ſolis hominibus inter ſe commune ſit.* Quæ eadem referuntur 1. Inſtitutionum. De iure naturali gentium & ciuili Theologi, & meritò illi quidem diſſentiunt. definiúntque *ius naturale, quod ex inſtinctu naturæ rationalis omnibus hominibus inter ſe commune eſt. ius gentium quod ex conſenſu populorum, illis omnibus aut fere omnibus commune eſt.* Quis enim concedat *religionem erga Deum, vt parentibus & patriæ pareamus.* Non ad ius naturale, ſed vt voluit Pomponius, ad ſolum ius gentium pertinere?

Ius naturale, ſecundum Iuriſconſultos.

Ius gentium ſecundum Theologos.

quaſi verò ſi vel gens vna ſit, vel vnus tantùm mortalis exiſtat, nulla diuinæ maieſtati religio debeatur, & ſanè Xenophon loco citato has leges iuris naturalis videtur agnoſcere. παρὰ πᾶσιν ἀνθρώποις πρῶτον νομίζεται τοὺς θεοὺς σέβειν. οὐκοῦν καὶ γονέας τιμᾶν πανταχοῦ νομίζεται; καὶ τοῦτ' ἔφη, οὐκοῦν καὶ μήτε γονέας παισὶ μίγνυσθαι, μήτε παῖδας γονεῦσιν. *Apud omnes homines primùm lex eſt vt Deos veneremur. Item parentes honorare ecquid vbique lex eſt? eſt inquit. ecquid vt neque parentes liberis, neque liberi parentibus miſceantur? quam poſtremam legem apud omnes ſeruari negat, licet à Deo conſtitutam.* Et paulò pòſt: τοὺς εὖ ποιοῦντας ἀντευεργετεῖν οὐ πανταχοῦ νόμιμόν ἐστι; νόμιμον, ἔφη. *Benefactoribus vicem rependere nunquid vbique lege ſancitum eſt? ſancitum, inquit.* Quod aiunt, *ius naturale eſſe quod ex conſenſu populorum illis omnibus, aut ferè omnibus commune eſt*, non ita debet intelligi. quaſi verò omnes gentes aliquid inſtituerint ex mutuo conſenſu: πῶς ἄν, inquit Xenophon, οἵ γε οὔτε συνελθεῖν ἅπαντες ἂν δυνηθεῖεν, οὔτε ὁμόφωνοί εἰσι. *Quomodo id facere potuiſſent, qui neque omnes conuenire poſſunt, neque ſunt linguæ eiuſdem.* addunt: *omnibus aut ferè omnibus.* volentes opinor ius gentium à iure naturæ hac ratione diſtinguere, quòd ius naturæ omnibus planè gentibus commune ſit, ius gentium commune eſſe omnibus non ſit neceſſe. Verùm vt ingenuè animi ſenſum expromam, vix aſſentior. Etenim quàm multa ſunt quæ de lege naturæ eſſe conſtat, quæ tamen non vbique ſeruantur? Quid magis eſt de iure naturæ, quàm ne maſculi maſculis præpoſterâ libidine miſceantur? quàm ne liberi parentibus, aut liberis parentes? hanc legem Perſæ, illam Celtæ, Cretenſes, & primus omnium Laius contrariis legibus abrogarunt. De Cretenſibus tum alij, tum Heraclides in politiis, & Plato 8. de legibus: ſubdit pulcherrimè. Εἰ γάρ τις ἀκολουθῶν τῇ φύσει, θήσει τὸν πρὸ Λαΐου νόμον, λέγων ὡς ὀρθῶς εἶχε τὸ τῶν ἀρρένων, καὶ νέων μὴ κοινωνεῖν, καθάπερ θηλειῶν πρὸς μῖξιν ἀφροδισίων, μάρτυρα παραγόμενος τὴν τῶν θηρίων φύσιν, καὶ δεικνὺς πρὸς τὰ τοιαῦτα οὐχ ἁπτόμενον ἄρρενα ἄρρενος διὰ τὸ μὴ φύσει τοῦτο εἶναι, τάχα ἂν χρῷτο πιθανῷ λόγῳ, καὶ ταῖς ὑμετέραις πόλεσιν οὐδαμῶς ξυμφωνεῖ. *Si quis naturæ obſecutus, legem quæ ante Laium vigebat, ſanciendam putet, dicens ſanctam hanc eſſe legem ne quis maribus & adoleſcentibus vt mulieribus vtatur, teſtem adducens ipſam naturam belluarum, oſtendénſque inter illas maſculum à maſculo non attingi, quod id natura non ferat, probabiliter, opinor, loquetur, veſtrarúmque ciuitatum moribus nentiquam conſentiet.* Concludit: σμικρὸν ῥῆμα καταζβέννυσι πάσας τὰς τοιαύτας ἡδονάς. Τὸ ποῖον δὴ λέγεις; τὸ ταῦτα εἶναι μηδαμῶς ὅσια, θεομισῆ δὲ καὶ αἰσχρῶν αἴσχιστα. *Exiguus ſermo omnes huiuſmodi libidines extinguit. Quid illud ais? ſi dicamus, ea ſancta non eſſe, ſed Deo ipſi odioſa, & omnium turpium turpiſsima.* Quæ proferre volui, partim quòd cum Iuriſconſultis legem naturæ belluis etiam communem facere videatur, partim vt eum ab huius flagitij infamia vindicarem. De Celtis Ariſtoteles in Ethicis. De Perſis tum alij, tum Timas Pythagoreus. Sed vt conciliemus ſententias, quædam ad legem naturæ ſpectant quæ ſunt omnibus animantibus communia, licet brutæ animantes ad eorum obſeruationem non iudicio aut ratiocinatione, ſed ſolo naturæ impetu propendeant: quædam in ſolum hominem cadunt, quæ ſi homini ſimpliciter & abſolutè quatenus homo eſt conueniant, ad legem naturæ reuocantur: ſin homini conueniant, non præcisè vt homo eſt, ſed prout in has & illas gentes eſt diſtributus, ius illud quod intercedit gentibus inter ſeſe, ius gentium nominatur. verbi cauſſa, ſi tantùm eſſet vna gens omnium mortalium, nihilominùs homini Dei cultus, ſuæ vitæ defenſio, & alia huiuſmodi conuenirent: non conueniret autem, niſi facta fuiſſet gentium diuiſio, quòd bella inferantur, capti bello in ſeruitutem redigantur, legati ſacroſancti habeantur, & alia quæ dubium non eſt ad ius gentium pertinere. ſed, ne ſutor vltra crepidam. Hunc locum tractat Cic. 1. de officiis: *Principio generi animantium omni à natura tributum eſt, vt ſe vitam corpúſque tueatur, declinétque ea quæ ei nocitura videantur.* Gellius cap. 5. lib. 12. Taurum Philoſophum ita loquentem inducit. *Natura*, inquit, *omnium rerum, quæ nos genuit, induit in nobis inoleuítque ipſis ſtatim principiis quibus nati ſumus, amorem noſtri & charitatem, ita prorſus vt nihil quicquam eſſet charius penſiúſque nobis quàm nobis ipſi,* &c. atque iſta lex eſt de qua Iuuenalis ſatyra 15.

Senſum à cœleſti demiſſum traximus arce,
Cuius egent prona & terram ſpectantia. mundi
Principio indulſit communis conditor illis
Tantùm animas, nobis animum quoque: mutuus vt nos
Affectus petere auxilium, & præſtare iuberet.

Sed vt à diuerticulo redeamus, Orator Græcus de corona: Φανήσεται τοίνυν ταῦτα πάντα οὕτως οὐ μόνον ἐν τοῖς νόμοις, ἀλλὰ καὶ ἡ φύσις αὐτὴ τοῖς ἀγράφοις νομίμοις, καὶ τοῖς ἀνθρωπίνοις ἤθεσι διώρικεν. *Sic hæc omnia conſtabunt non ſolùm in legibus, ſed etiam natura iure non ſcripto & humanis moribus definiit.*

SILENT ENIM LEGES INTER ARMA.] III. Silent leges inter arma.
Simile eſt illud Marij apud Plutarchũ in apopht. ἐν τοῖς Κιμβρικοῖς πολέμοις Καμαρίνων χιλίους ἄνδρας ἀγαθοὺς γενομένους, ὁμοῦ Ῥωμαίοις ἐποίησε. πρὸς δὲ τοὺς ἐγκαλοῦντας ἔλεγε τῶν νόμων μὴ ἀκοῦσαι διὰ τὸν τῶν ὅπλων ψόφον. *In Cimbricis bellis Camarinos mille, qui fortiter ſe geſſerant, ciuitate donauit. & accuſantibus reſpondit, ſe propter ſtrepitum armorum leges non audiiſſe.* In Pompeio de Mamertinis: Παραιτουμένων γὰρ αὐτῶν τὸ βῆμα, καὶ τὴν δικαιοδοσίαν, ὡς νόμῳ παλαιῷ Ῥωμαίων ἀπειρημένα, οὐ παύσεσθε εἶπεν, ἡμῖν ὑπεζωσμένοις τὰ ξίφη νόμους ἀναγινώσκοντες; *Recuſantibus ad eius tribunal accedere, & eius iudicium ſubire, tanquam antiqua Pop. Rom. lege prohiberetur. Nobis, inquit, gladio accinctis leges recitare non deſinetis.* Item in Cæſare: Τοῦ δὲ δημάρχου Μετέλλου κωλύοντος αὐτὸν ἐκ τῶν ἀποθέτων χρήματα λαμβάνειν, καὶ νόμους τινὰς προφέροντος, οὐκ ἔφη, τῶν ὅπλων καὶ νόμων καιρὸν εἶναι. *Tribuno Metello quicquam è pecuniis in ærario ſacro depoſitis capere prohibente, & leges quaſdam proferente, Non idem ait legum & armorum tempus eſſe.* Lucanus lib. 1.

Sed poſtquam leges bello ſiluere coactæ.

Nec immeritò ſanè ſilent leges inter arma. nam, vt ait Dio Chryſoſtomus περὶ νόμου, lex eſt τῇ μὲν εἰρήνῃ σύμμαχος, τῷ δὲ πολέμῳ ἐναντίος. *Paci quidem ſocia adiungitur, bello autem aduerſatur.* Plutarchus in Hyperide: Αἰτιωμένων δέ τινων αὐτὸν ὡς παραιδόντα πολλοὺς νόμους ἐν τῷ ψηφίσματι. Εἰ μὴ ἐπεσκότει (ἔφη) μοι τὰ Μακεδόνων ὅπλα. οὐκ ἐγὼ τὸ ψήφισμα ἔγραψα, ἡ δ' ἐν Χαιρωνείᾳ μάχη. libenter legerem,

Ἐμοὶ ἐπεσκότει, ἔφη, τὰ Μακεδόνων ὅπλα. *Quibuſdam culpantibus quod in decreto multas leges quaſi non videns eas præteriiſſet: Arma, inquit, Macedonum mihi tenebras offuderant: neque id à me decretum, ſed à Chæronenſi pugna confectum eſt.*

AXIOMATA.

Gladios habere non liceret, ſi vti illis nullo pacto liceret.

Eſt hæc non ſcripta, ſed nata lex, vt, ſi vita noſtra in aliquas inſidias aut latronum aut inimicorum inciderit, omnis ſit honeſta ratio expediendæ ſalutis.

Silent leges inter arma.

ARGVMENTVM.

Poſtquam oſtendit lege naturæ fas eſſe nonnunquam inſidiatorem occidere, idem licere ſcriptæ legis, videlicet legis Corneliæ de ſicariis à L. Cornelio Sylla perlatæ interpretatione contendit.

XI. ETSI perſapienter, & quodammodo tacitè dat ipſa lex poteſtatem defendendi: quæ non hominem occidi, ſed eſſe cum telo hominis occidendi cauſſa vetat: vt, cum cauſſa, non telum quæreretur, qui ſui defendendi cauſſa telo eſſet vſus, non hominis occidendi cauſſa habuiſſe telum iudicaretur. Quapropter hoc maneat in cauſſa, Iudices. non enim dubito, quin probaturus ſim vobis defenſionem meam, ſi id memineritis, quod obliuiſci non poteſtis, inſidiatorem iure interfici poſſe.

EXPLANATIO.

ETSI PERSAPIENTER.] Franciſcus Syluius vir eruditus, legit non *etſi*, ſed vel *ſui*, vel *ergo ſui*. quaſi particula aduerſatiua *etſi* non poſſit cohærere, nihil muto. eſt correctio oratoria. Etſi quid dico leges ſilere inter arma? cùm lex Cornelia de ſicariis, quodammodo inter arma tacitè clamare videatur, & dare poteſtatem defendendi ſui. Quid dico, ei qui inſidiis appetitur, mortem oppetendam priùs, quàm ſupplicium ab inſidiatore ſecundum ſcriptas leges eſſe repetendum, cùm lex ſcripta inſidiatorem occidere permittat.

IPSA LEX.] Cornelia de ſicariis, & L. Cornelio Sylla Dictatore perlata.

QVÆ NON MODÒ.] Delet Lambinus *modò*, & legit: *Quæ non hominem occidi, ſed eſſe cum telo hominis occidendi cauſſâ vetat.* neque hic libēter à vulgata lectione diſceſſero. interpretor *modò, ſolùm, præcisè.*

Si lex Cornelia cædem quocunque modo prohiberet, præcisè vetaret hominem occidi.

Sed non vetat præcisè hominem occidi.

Ergo cædem quocunque modo non prohibet.

Propoſitio clara eſt, aſſumptio ex interpretatione legis magis eluceſcet.

VT CVM CAVSSA.] Hunc locum Lambinus putat eſſe corruptum, & proinde tum alias adfert lectiones, tum hanc imprimis probat: *Vt cum cauſſa, non telum quæreretur, qui ſui defendendi cauſſa telo eſſet vſus, non hominis occidendi, ſed ſui defendendi cauſſâ habuiſſe telum iudicaretur.* Ego cum Godefredo locum hunc ſincerum eſſe ratus ſic interpretor. Lex Cornelia non præcisè hominem occidi, aut præcisè eſſe cum telo, ſed eſſe cum telo hominis occidendi cauſſa vetat: eo conſilio, vt cùm, non quæreretur de ſola teli geſtatione, ſed de finali cauſſa geſtationis illius, lex oſtenderet non omnem telorum vſum, ſed prauam vtentis intentionem prohiberi, ac proinde, qui telo vitam ſuam defenderit, non eſſe ſine vlla diſcuſſione damnandum, perinde ac ſi qui telo vtitur, non ſui defendendi, ſed hominis occidendi cauſſa telum habere ſit continuò iudicandus: ſed fortaſſe tibi Gothefredi verba magis arrideant: *Cum cauſſa, non teli geſtatio quæritur, id eſt, damnatur, ſanè qui ſui defendendi cauſſâ telo eſt vſus, non hominis occidendi cauſſa telum habuiſſe iudicatur.*

QVAPROPTER.] Concluſio eſt ſuperioris refutationis, qua more dialecticorum altera parte contradictionis negatâ, alteram partem affirmat. duæ contradictionis partes ſunt iſtæ.

Nunquam fas eſt hominem ne inſidiatorem quidem occidere.

Aliquando fas eſt hominem præſertim inſidiatorem occidere.

Refutata priore parte, poſteriorem pro vera aſſumit pro maiore ſyllogiſmi, in quo totius quæſtionis cardo conſiſtit.

Iure inſidiator occiditur.

Clodius fuit inſidiator.

Ergo iure occiſus eſt.

QVOD OBLIVISCI NON POTESTIS.] Quod tam perſpicuum eſt ipſo lumine naturali, vt obliuiſci non poſſitis.

NOTÆ.

IPSA LEX.] Lex Cornelia de ſicariis & veneficis. Pomponius D. de origine iuris. l. 2. *Cornelius Sylla quæſtiones publicas conſtituit: veluti de falſo, de parricidio, de ſicariis.* Hanc enim ipſam legem hîc intelligendam eſſe, conſtat ex Marciano D. ad leg. Corn. de ſic. & venef. l. 1. *Lege Cornelia de ſicariis & veneficis, tenetur, qui hominem occiderit: cuiúſue dolo malo incendium factum erit: quíve hominis occidendi furtíue faciendi cauſſâ cum telo ambulauerit.* cui concinit citatus iampridem Phocylidis verſus: I. Lex Cornelia de ſicariis.

Τὸ ξίφος ἀμφιβαλοῦ μὴ πρὸς φόνον, ἀλλ' ἐς ἄμυναν.

Vt te defendas, non cædas, cingere ferro.

CVM TELO.] Vide ſupra 9. §. III. armà offenſiua, & defenſiua vulgus diſtinguit. Veteres Latini arma & tela nominabant, arma loricam & clypeum, quòd armos tegerent, tela quòd eminus iacerentur. poſteà tamen omnibus defenſiuis armorum nomen, offenſiuis omnibus II. Arma telam.

telorum indiderunt, vt

Frange manu telum Phrygij prædonis, &c.

Item:

Et nos tela, pater, ferrúmque haud debile dextra
Spargimus, & noſtro ſequitur de vulnere ſanguis.

INSIDIATOREM.] Iſidorus Etymol. lib. 10. *Inſidioſus quòd inſidiatur. Nam propriè inſidere eſt doloſè aliquem expectare. vnde & inſidiæ nominatæ ſunt.*

IV. INSIDIATOREM IVRE INTERFICI POSSE.] Antequam ad refutationem ſecundi pręiudicij veniamus, in rem fuerit Fabij verba lib. 5. cap. 14. expendere, quibus hanc totam probationem examinat. *Aliquando ſufficiunt intentio ac ratio.* SILENT LEGES, &c. IVSTA REPETENDA. *ideóque id enthymema quod eſt ex conſequentibus, rationi ſimile dixerunt. ſed & ſingula quoque interim rectè ponuntur, vt ipſum illud,* SILENT LEGES INTER ARMA. *& à ratione fas eſt incipere. deinde concludere: vt ibidem.* QVOD SI DVODECIM TABVLÆ, &c. PVNIENDVM PVTET? *variat autem hic adhuc, & rurſus rationem tertio loco ponit.* CVM VIDEAT ALIQVANDO GLADIVM NOBIS AD OCCIDENDVM HOMINEM, AB IPSIS PORRIGI LEGIBVS. *prioris autem partis duxit ordinem.* INSIDIATORI AVTEM LATRONI QVÆ POTEST ADFERRI INIVSTA LEX? *hæc intentio.* QVID COMITATVS NOSTRI, QVID GLADII VOLVNT? *hæc ratio.* QVOS HABERE CERTE NON LICERET, SI VTI ILLIS NVLLO PACTO LICERET. *hæc ex intentione & ratione connexio.* Hæc Quintilianus, quibus animaduertis, quàm incredibili varietate Tullius orationem diſtinguat ſuam, nec recreet ſolùm auditorem, ſed etiam ſine ſatietate delectet.

AXIOMATA.

Non hominem occidi, ſed eſſe cum telo hominis occidendi cauſſa vetatur.

Qui ſui defendendi cauſſa telo eſt vſus, non hominis occidendi cauſſa telum habuiſſe eſt iudicandus.

ARGVMENTVM.

Poſtquam quinque ſuperioribus paragraphis id refellit, quod aduerſarij quoddam eſſe naturæ præiudicium aſſerebant, ad alterum Senatus præiudicium explicandum, & ad cauſæ vtilitatem trahendum delabitur.

SEQVITVR illud, quod à Milonis inimicis ſæpiſſimè dicitur, Cædem, qua P. Clodius occiſus eſt, Senatum iudicaſſe contra Remp. eſſe factam. Illam verò Senatus non ſententiis ſuis ſolùm, ſed etiam ſtudiis comprobauit. Quoties enim eſt illa cauſſa à nobis acta in Senatu? quibus aſſenſionibus vniuerſi ordinis? quam nec tacitis, nec occultis? Quando enim frequentiſſimo Senatu quatuor, ad ſummum quinque, ſunt inuenti, qui Milonis cauſſam non probarent? declarant huius ambuſti Tribuniplebis illæ intermortuæ conciones, quibus quotidie meam potentiam inuidioſè criminabatur, cùm diceret, Senatum non quod ſentiret, ſed quod ego vellem, decernere. Quæ quidem ſi potentia eſt appellanda potiùs, quàm propter magna in Rempub. merita, mediocris in bonis cauſſis auctoritatis, aut propter officioſos labores meos nonnulla apud bonos gratia; appelletur ita ſanè, dummodo ea nos vtamur pro ſalute bonorum contra amentiam perditorum. XII.

EXPLANATIO.

SEQVITVR ILLVD.] Secundum præiudicium proponit.

ILLAM VERÒ.] Negare non potuit Tullius duo Senatuſconſulta de cauſſa Milonis extitiſſe alterum. HANC CÆDEM CONTRA REMP. ESSE FACTAM. alterum, VIDERET POMPEIVS NE QVID RESP. DETRIMENTI CAPERET. quorum priore iudicabatur hoſtis qui contra Remp. feciſſet, poſteriore Pompeio permiſſum fuit exercitum parare, bellum gerere, coërcere omnibus modis ſocios atque ciues, domi militiæque imperium atque iudicium ſummum habere. quæ Senatuſconſulta Milonis cauſſam ſine dubio ſic prægrauabant, vt iam Senatus iudicio damnatus fuiſſe videretur. Eam ob rem Orator, priùs illud S. C. quod inficiari non poteſt, conatur aliquantiſper mitigare. ac primò negat vnquam fuiſſe Senatus mentem, vt factum Milonis damnaret, immò per oratoriam inuerſionē, contendit eam cædem fuiſſe Senatus ſententiâ comprobatam. laborabant enim aduerſarij in æquiuoco. nam aliud erat Clodij cædem eſſe contra Rempublicam, aliud Milonis culpa contigiſſe, vt ea cædes eſſet contra Rempublicam. Senatus Clodij cædem contra Remp. factam eſſe decreuerat, at tantùm abeſt vt id Milonis culpa contigiſſe cenſuerit, vt potiùs Milonis cauſſam non ſententiis ſolùm ſuis, ſed etiam ſtudiis comprobarit.

QVOTIES ENIM.] Quatuor veluti ſyllogiſmis probat cauſſam Milonis Senatui probatam fuiſſe. primus ſit:

Senatus, ſi cauſſam Milonis non probaſſet, me toties de eo dicere haudquaquam permiſiſſet.

Sed me frequentiſſimè dicere permiſit.
Ergo probauit.
2. *Mihi dicenti aſſenſus eſt.*
Ergo ſua ſententiâ comprobauit.
3. *Nec tacitè, nec occultè, ſed palam aſſenſus eſt.*
Ergo non ſententiis ſolùm ſuis, verùm etiam ſtudiis & ſignificatione beneuolentiæ comprobauit.

DECLARANT.] Quartum argumentum attexit.

Si cauſſam Milonis Senatus non probaret, non quereretur Munatius Plancus aduerſarius Milonis Senatum, non quod ipſe ſentiret, ſed quod ego vellem decernere.
Sed conqueſtus eſt Munatius.
Ergo Senatus probauit.

AMBVSTI TRIBVNI PLEBIS.] Titi Munatij Planci Burſæ, qui curiam incendit, è cuius incendio vix effugit ſemiuiuus. ambuſtum appellat, alludens partim ad incendium curiæ, tum per iocum ad illos Ambuſtos, qui quondam in Rep. floruerant. nonnunquam enim Marc. Tullius aduerſariis ab aliquo vitio cognomen accerſit, quod illuſtre fuerat in veteri Rep. vt cùm Calenus Calatinus à calatis granis ſiue egeſtate, Gabinius Cincinnatus Conſul à cirrhis cincinnorúmque fimbriis nominatur.

INVIDIOSE CRIMINABATVR.] Dicebat me tam eſſe potentem in Senatu, vt Senatorum nemo contra me hiſcere auderet, ídque faciebat eo conſilio vt me in inuidiam adduceret, quaſi potentior eſſem, quàm ciuem eſſe in libera Rep. conueniret.

QVÆ QVIDEM.] Lenit dicti illius inuidiam explicatione imprimis populari auctoritatem extenuans, & labores inſinuans quibus eam fuerat conſecutus. non eſt, inquit, potentia, ſed auctoritas, neque ea magna, ſed mediocris, neque ea, qua poſſim nocentes & conſceleratos à iudiciorum laqueis eximere, ſed ea tantùm qua poſſim innocentibus opitulari, ne improborum calumniis opprimantur. huius tamen nominis inuidiam non recuſo, dum poſſim prodeſſe quamplurimis & innocentibus ſubuenire.

NOTÆ.

CONTRA REMP.] Duobus modis Senatus factum aliquod improbabat. ſi vel factum ipſum *contra Rempublicam eſſe*, vel eum qui feciſſet *in hoſtium numero ducendum eſſe* decerneret. prior formula verbis tenus leuior erat, cùm in re nihil eſſet diſcriminis. vide Piſonianam §. 35. Nota 2. Cic. lib. 2. epiſt. ad Quintum fratrem: *S. C. factum eſt, ea quæ facta eſſent, ad* VIII. *Idus contra Remp. eſſe facta.* Liuius lib. 3. *In reliquum magiſtratus continuari, & eoſdem Tribunos refici, iudicare Senatum contra Remp. eſſe.* Idem libro 9. *Coitiones honorum adipiſcendorum cauſſa factas aduerſus Remp. eſſe.* Et lib. 15. *Hæc cùm ab optimo quoque pro atrocitate rei acta eſſent, vímque eam contra Rempub. pernicioſo exemplo factam Senatus decerneret.* vide Briſſonium l. 2. formularum. I.

SI POTENTIA.] Oſtendit noſter 2. de Oratore §. 210. quibus modis inuidia leniatur. *Ad ſedandum autem magno illa labore, magnis periculis eſſe parta, ſeſéque, ſi quam gloriam peperiſſe videatur, tametſi ea non ſit iniqua merces periculis, tamen ea non delectari, totámque abiicere, atque deponere: omninóque perficiendum eſt (quoniam multi ſunt inuidi, maximéque eſt hoc commune vitium & peruagatum, inuidetur autem præſtanti, florentique fortunæ) vt hæc opinio minuatur, & illa excellens opinione fortuna cum laboribus & periculis permiſta eſſe videatur.* Vide quàm aptè Orator ſuis illis præceptis ſit obſecutus, vt potentiam appellandam neget, ſed gratiam, & eam mediocrem, & officioſis laboribus partam: & alia de quibus enucleatiùs in explanatione. II.

AXIOMATA.

Inuidioſum eſt quemquam tantùm habere potentiæ, vt dicatur Senatus, non quod ipſe ſentiat, ſed quod ille velit decernere.

Propter magna in Rempublicam merita, debetur ſaltem mediocris in bonis cauſſis auctoritas, & propter officioſos labores nonnulla apud bonos gratia.

Non eſt fugienda inuidioſa potentiæ appellatio, dummodo ea nos vtamur pro ſalute bonorum contra amentiam perditorum.

ARGVMENTVM.

Vt clariùs oſtendat Senatum, licet P. Clodij cædem contra Remp. factam eſſe decreuerit, non fuiſſe tamen à cauſſa Milonis alienum, hanc noui iudicij nouam formam negat ipſius auctoritate conſtitutam fuiſſe: deinde reddit rationem cur Senatus hoc decretum emiſerit.

XIII. HANC verò quæſtionem, etſi non eſt iniqua, nunquam tamen Senatus conſtituendam putauit. erant enim leges, erant quæſtiones vel de cæde, vel de vi: nec tantùm mœrorem, ac luctum Senatui mors P. Clodij afferebat, vt noua quæſtio conſtitueretur. Cuius enim Senatui, de illo inceſto ſtupro iudicium decernendi poteſtas eſſet erepta: de eius interitu, quis poteſt credere Senatum iudicium nouum conſtituendum putaſſe? Cur igitur incendium curiæ, oppugnationem ædium M. Lepidi, cædem hanc ipſam, contra Rempubl. Senatus factam eſſe decreuit? quia nulla vis vnquam eſt in libera ciuitate ſuſcepta inter ciues, non contra Rempub.

EXPLANATIO.

HANC VERÒ QVÆSTIONEM.] Formam iudiciorum breuiorem lege Pompeiâ conſtitam. quæ lex, vt verbis vtar Aſconij, *Priùs teſtes dari, deinde vno die atque eodem & ab accuſatore, & ab reo perorari iubebat: ita vt duæ horæ accuſatori, tres reo darentur.*

Etsi non est iniqva.] Marcus Cœlius iniquam eſſe pertinaciùs contendebat. *Quod & priuilegium diceret in Milonem ferri, & iudicia præcipitari.* vt notat Aſconius. negat tamen Orator prudenter ad deprecandam offenſionem Pompeij,qui nouam hanc conſtituerat quæſtionem.

Vel de cæde.] Vt lex Cornelia de ſicariis & veneficis, item lex Aquilia de cæde, quam, vt auctor eſt Vlpianus: *Aquilius Tribunus plebis à plebe rogauit.* Lex Plautia de vi publica,&c.

Cvivs enim.] Oſtendit cauſſæ nihil fuiſſe, cur Senatus nouam inſtitueret quæſtionem de Clodij cęde.quia videlicet à ratione fuit alienum, vt Senatus de illius cæde nouam conſtitueret quæſtionem, à quo tantam iniuriam acceperat, vt cùm Senatus iudicium de violata religione decerneret, huius Iudicij decernendi poteſtas ei fuerit erepta, Iudicéſque alij ſubrogati ſint in eorum locum, quos Senatus decreuerat.

De illo incoesto stvpro.] Quod ſtuprum arguebatur Clodius in domo Cæſaris Pompeiæ ipſius vxori, in ipſis Bonæ Deæ puluinaribus intuliſſe.

Cvr igitvr incendivm cvriæ.] Poſtquam Senatus voluntatem oſtendit alienam à cauſſa Milonis non fuiſſe, reddit rationem cur cædem in Appia via factam contra Remp. eſſe decreuerit, & ne Senatus infeſtior Miloni eſſe videatur, oſtendit eodem Senatus Conſulto aduerſarios etiam fuiſſe comprehenſos.

Incendivm cvriæ.] Aſconius in præfatione. *Populus duce Sexto Clodio ſcriba corpus P. Clodij corpus in curiam intulit, cremauítque ſubſelliis, & tribunalibus & menſis, & codicibus librariorum, quo igne & ipſa quoque curia flagrauit: & ita Porcia baſilica, quæ erat ei iuncta ambuſta eſt.*

Oppvgnationem ædivm M. Lepidi.] Interregis factam à Clodianis, quod comitia conſularia habere noluiſſet. vide Notas.

Qvia nvlla vis.] Reddit dictorum rationem. cur Senatus cædem contra Remp. factam eſſe decreuerit. quia, inquit, in ciuitate bonis legibus conſtituta,vis omnis eſt cõtra Remp. non tamen ſequitur eum feciſſe contra Rempublicam, à quo vi vis depulſa eſt. ſæpe enim neceſſarium eſt vim vi propulſare, ſed is demum contra Remp. feciſſe dicendus eſt, qui inſidias collocarit, alterúmque coegerit, vt vim ferro defenderet.

NOTÆ.

I. Quærere. Qvæstionem.] Quærere, vt notat Budæus prioribus annot. in Pandectas, in lege poſteriorem de origine iuris: *eſt informationem facere, & legibus vſu dicare.* ab iſtâ quærendi ſignificatione quæſtio pro iudicio publico accipitur. vnde iudex quæſtionis Quæſitor dicebatur, ſiue Prætor quod præeſſet quæſtioni. Quæſitor vt 6. Æneidos:

Quæſitor. *Quæſitor Minos vrnam mouet.*

Prætor, vt Iuuenalis:

-prima eſt hæc vltro, quòd ſe
Iudice nemo nocens abſoluitur, improba quamuis
Gratia fallacis Prætoris vicerit vrnâ.

Addit Budæus: *Quærere iudicum eſt, & magiſtratuum: inquirere aliorum.* Cicero in Verrem, oratione 2. *Itaque cùm ego diem in Siciliam inquirendi perexiguam poſtulauiſſem, inuenit iſte, qui ſibi in Achaiam biduò breuiorem poſtularet.* Non erat autem Cicero Iudex, ſed accuſator, idémque inquiſitor. Lactantius lib. 2. cap. 7. *Tantaque eſt auctoritas vetuſtatis, vt inquirere in eam ſcelus eſſe ducatur.* Inquirere igitur non eſt iudicare, ſed vt acta vetera cauſſarum curiæ Pariſienſis loquuntur: *anqueſtam facere*, vel *adornare proceduras.* Quid ſit autem conſtituere quæſtiones liquere poteſt ex M. Tullio in partitionibus: *Atque etiam ante iudicium de conſtituendo ipſo iudicio ſolet eſſe contentio, cùm aut ſitne actio illi qui agit, aut iámne ſit, aut num eſſe deſierit, aut illáne lege hiſne verbis, quæritur: quæ etiamſi antequam res in iudicium venit, aut concertata, aut diiudicata, aut confecta non ſunt: tamen in ipſis iudiciis permagnum ſæpe habent pondus.* concertata dixit, quod *debatuta.* ſed adi Budæum. Moris autem fuiſſe vt Senatus in criminibus grauioribus decerneret quęſtionem, planum eſt ex multis ſcriptoribus. exemplo ſit illa quæſtio quam in cauſſa Clodij de pollutis ceremoniis conſtitutam fuiſſe dicemus ſequenti notâ. vide quæ à Briſſonio 2. formularum ex Liuio libris 9. 31. 32. 37. 38. 39. 40. & aliis referuntur. qui mos adeò ſolennis fuit, vt ante Sullam dictatorem in omnibus, & ſingulis cauſſis grauioribus Senatus nouas quæſtiones inſtituiſſe videatur. Pomponius D. de origine iuris l. poſteriore. *Cornelius Sylla quæſtiones publicas conſtituit: veluti de falſo, de parricidio, de ſicariis.* Cui adſtipulatur & Tullius in Bruto de C. Carbone loquens: *Hic optimus illis temporibus eſt patronus habitus, eóque forum tenente plura fieri iudicia cœperunt, nam & quæſtiones perpetuæ hoc adoleſcente conſtitutæ ſunt, quæ antea nullæ fuerunt (Luc. enim Piſo tribunus plebis legem primus de pecuniis repetundis Cenſorino & Manlio Coſſ. tulit, &c.) & Iudicia populi quibus aderat Carbo, iam magis patronum deſiderabant, tabella datâ.* Perpetuas, inquit, quæſtiones tum primùm fuiſſe conſtitutas. alij tamen, vt Sebaſtianus Corradus, non *perpetuas*, ſed *pro rep.* legendum eſſe contendunt. Cuiacius reponit *pecuniarum repetũdarum*, alij *quæſtiones pecuniæ publicæ*, ſed non facilè à veteri lectione diſceſſerim, cùm præſertim, vt ſupra dixi, ſexcentis exemplis conſtet, iudicia fuiſſe Senatus auctoritate conſtituta, prout noua ſuboriretur occaſio.

Senatus decernebat quæſtiones.

Vel de cæde, vel de vi.] De legibus & iudiciis de cæde conſtitutis. vide D. ad legem Corneliam de ſicariis, ad legem Aquiliam, &c. de vi. vide exordium orationis Cœlianæ de lege Plautia. II.

Incesto.] Vide infrà 60. *niſi de inceſtu.* vbi dicemus inceſtum eſſe ſtuprum non modò conſanguineis oblatum, ſed etiam cum Virginalibus Veſtalibus, & omne flagitium quod per ſacrilegium perpetratur. Iſidorus lib. 10. Orig. *Inceſtus propter illicitam commixtionem, quaſi incaſtus, ſicut qui Virginem ſacram vel affinitatis ſuæ proximam ſtuprauerit.* Pompeia autem nec Veſtalis erat, nec Clodio propinqua, vt videtur: inceſtus tamen dicitur, quòd eo tempore ſacris Bonæ Deæ daret operam, adeóque ſe ab omni marium contactu continere deberent, vt mares ab ædibus non modò ſubmouerent, ſed etiam animorum maſculorum effigies velarent. III. Inceſtus.

Stvpro.] Imò adulterio: quanquam lex IV.

Iulia de adulteriis, ſtuprum ab adulterio non diſtinguit. Propriè tamen adulterium committitur cum vxore aliena, ſtuprum cum virgine. de quo vide Briſſonium libro ſingulari ad legem citatam. Vbi habet inter cætera : *Stuprum non in virgine tantùm, ſed & in puerum admittitur. Eſt enim generale verbum, tantúmque apud eos valet, quantum apud Græcos* φθορά. ſed de his alibi plura. Stuprum.

v. IVDICIVM DECERNENDI.] Tranquillus in Iulio cap. 6. Cum Pompeiâ *diuortium fecit*, inquit, *adulteratam opinatus à Clodio: quem inter publicas cerimonias penetraſſe tam conſtans fama erat, vt Senatus quæſtionem de pollutis ſacris decreuerit.* Cur igitur hoc loco iudicij decernendi poteſtatem ereptam Senatui fuiſſe dicit Orator? Quia nimirum Senatus iudicium ipſe quidem decreuerat, & rem ad Pontifices & Veſtales reiecerat. Cic. lib. 1. ad Attic. ep. 10. *Credo te audiſſe cùm apud Cæſarem pro populo fieret, veniſſe eò muliebri veſtitu Clodium: ídque ſacrificium cùm Virgines inſtauraſſent mentionem à Q. Cornificio in Senatu factam*, &c. *Poſteà ex S.C. ad Virgines atque ad Pontifices relatam, idque ab eis nefas eſſe decretum: deinde ex S. C. Conſules rogationem promulgaſſe.* Quid autem ea rogatio contineret, epiſtola ſequenti proponitur. *Quæſiuit ex eo placerétne ei iudices à Prætore legi, quo conſilio idem prætor vteretur.* atq; hæc eſt quæſtio quam Suetonius tradit à Senatu fuiſſe decretam: quo minùs tamen ea quæſtio conſtitueretur Clodiani ſuis factionibus obſtiterunt. *nam*, vt ſubiicit Tullius, *cùm dies veniſſet rogationi ex S. C. ferendæ, concurſabant barbatuli iuuenes, totus ille grex Catilinæ, duce filiola Curionis, & populum, vt antiquaret, rogabant. Piſo autem Conſul lator rogationis, idem erat diſſuaſor: operæ Clodianæ ponteis occuparant, tabellæ miniſtrabantur, itaut nulla daretur* VTI ROGAS. Itaque cùm hæc rogatio fuiſſet illis factionibus impedita, *legem de religione Fufius Tribunusplebis* tulit, *in qua nihil aliud à Conſulari rogatione differebat niſi iudicum genus; in eo autem erant omnia.* vt dicitur epiſtola 13. Erepta eſt igitur poteſtas Senatui, non abſolutè decernendi nouam quæſtionem, eam enim decreuerat, ſed faciendi vt ea quæſtio populi ſuffragiis probaretur. non enim vt volebat Senatus Iudices à Prætore lecti ſunt, quorum conſilio Prætor vteretur, ſed iudicum genus ita mutatum eſt, vt non Prætoris arbitrio legerentur, ſed multis propoſitis poteſtas tum actori, tum reo reiiciendi, quos videretur. eadem epiſtola: *Vt reiectio facta eſt clamoribus maximis, cùm accuſator tanquam cenſor bonus homines nequiſſimos reiiceret, reus, tanquam clemens laniſta, frugaliſſimum quemque ſecerneret: vt primùm Iudices conſederunt, diffidere valde boni cœperunt. non enim vnquam turpior in ludo talario conceſſus fuit, maculoſi Senatores, nudi equites, tribuni non tam ærarij, vt appellantur, quàm ærati.* quod plenius vt intelligas, aduerte moris fuiſſe, vt in quæſtione conſtituenda ad S.C. populi conſenſus accederet. vt notat Briſſonius ex Liuio libro 42. *Rogationem Marciam de Liguribus magno conſenſu plebes ſciuit, iuſſitque: ex eo plebiſcito C. Licinius Prætor conſuluit Senatum. Quem quærere ex rogatione vellet: Patres eum ipſum quærere iuſſerunt.* & ex Tullio 2. de finibus.

Quæſtio de incœſtu Clodij quomodo impedita.

VI. CVRIÆ.] Triplex fuit huius nominis acceptio. prima vt triceſima pars vrbani populi curia diceretur. Halicarnaſſeus libro ſecundo de Romulo: Τειχῆ νείμας τὴν πληθὺν ἅπασαν, &c. ἔπειτα τῶν τριῶν πάλιν μοιρῶν ἑκάστην εἰς δέκα μοίρας διῃρῶν, &c. *Tota multitudine in partes tres, &c. ſingulis partibus in alias decem diſtributis, &c.* ἐκάλει δὲ τὰς μὲν μείζους μοίρας τρίβους, τὰς δὲ ἐλάττους κουρίας, ὡς καὶ κατὰ τὸν ἡμέτερον βίον ἔτι προσαγορεύονται. *Maiores partes tribus, minores curias nominauit, vt etiamnum vocantur* Altera nominis huius acceptio eſt locus in quem ſolebant huiuſmodi curiales *calati*, id eſt *vocati* ſacrorum cauſſa conuenire. Feſtus: *Calabra curia dicebatur, vbi tantùm ratio ſacrorum gerebatur.* Halicarnaſſeus lib. 2. ἑστίας appellat. Tertia pro ipſo Senatu, vt hoc loco, & Varro lib. 2. de vita populi Romani apud Nonium: *Itaque propter curam locus quoque. quo ſententiam quiſque Senator confert, curiam appellat.* ita legit Lipſius cùm priùs non *ſententiam*, ſed *ſuam* legeretur. Gloſſarium. *Calebra*, ἱππων βουλή. Vulcanius emendat. ἱερέων βουλή. ſed Sacerdotum conſilium, vel Pontificum collegium, nemo quod ſciam hactenus *calebram* vel *calabram* nominauit. quare vulgaris emendatio magis arridet. *Calabra*, ἱππὼν, βουλή. quia fortaſſe iam tùm inualuerat vſus, vt ἱππῶνες, ſiue ſtabula *curiæ*, ac proinde calabræ dicerentur. vulgo *vne eſcurie, vn eſcuyer.*

Curia trigeſima pars populi.

Curia Calabra.

Curia Senatus.

Eſcurie.

VII. OPPVGNATIONEM ÆDIVM M. LEPIDI.] Aſconius hoc loco. *Poſt biduum medium quàm Clodius occiſus erat, Interrex primus proditus eſt M. Æmilius Lepidus. non fuit autem moris ab eo qui primus Interrex proditus erat, comitia haberi, ſed Scipionis & Hipſæi factiones, quia recens inuidia Milonis erat, cùm contra ius poſtularent, vt Interrex ad comitia Conſulum creandorum deſcenderet, idque ipſe non faceret, domum eius per omnes interregni dies, (fuerant autem ex more quinque) obſederunt: deinde omni vi ianuâ expugnata, & imagines maiorum deiecerunt, & lectulum aduerſum vxoris eius Corneliæ, cuius caſtitas pro exemplo habita eſt, fregerunt. Itémque telas quæ ex vetere more in atrio texebantur, diruerunt. póſtque ſuperuenit Milonis manus, & ipſa poſtulans comitia, cuius aduentus fuit ſaluti Lepido. in ſe enim ipſæ conuerſæ ſunt factiones inimicæ, atque ita oppugnatio domus Interregis omiſſa eſt.* Hæc ille, quibus quinque mores antiquorum attingit. duo primi ad interregem ſpectant: quòd & qui primus proditur Interrex, comitia non habeat, & quinque dies, ſint interregni: tres poſtremi ſpectant ad atria veterum: quod inibi & maiorum imagines, & lectus genialis poneretur, & tela texerentur.

VIII. DIGRESSIO DE INTERREGE.] Interreges primùm creati ſunt vt Regem Romulo ſubrogarent. Liuius libro primo, Dionyſius libro ſecundo, Plutarchus in Numa, Appianus 1. ciuilium. *Non fuit autem moris ab eo qui primus Interrex proditus erat comitia haberi.* Huius rei in antiquis ſcriptoribus reperire eſt multa & non obſcura veſtigia. Liuius lib. 3. *Cùm aliquot interregna exiſſent, P. Valerius Publicola tertio die quàm interregnum inierat, Conſules creat.* lib. 5. *Interreges tres deinceps fuere.* Nunquam autem à primo habita fuiſſe comitia, ſed moris

Interrex.

Primus interrex comitia non habebat.

moris fuiſſe vt ea ſecundus Interrex indiceret. Dionyſius libro 8. ſic oſtendit. ἀποδείκνυνται πρὸς αὐτῶν μεσοβασιλεῖς, res ipſa exigit vt legamus ἀποδείκνυται πρὸς αὐτῶν μεσοβασιλεὺς Αὖλος Σεμπρώνιος Ἀτρατῖνος. αἱ δ' ἄλλαι κατελύθησαν ἀρχαί. οὗτος ἐπιτροπεύσας τὴν πόλιν ἀστασίαστον ὅσας ἐξῆν ἡμέρας, ἕτερον ἀποδείκνυσιν, ὥσπερ αὐτοῖς ἔθος ἦν Σπόριον Λάρκιον. κἀκεῖνος συγκαλέσας τὴν λοχῖτιν ἐκκλησίαν, καὶ τὰς ψήφους, κατὰ τὰ τιμήματα ἀναδούς, ἐκ τῆς ἀμφοτέρων εὐδοκήσεως ἀποδείκνυσιν ὑπάτους. *Interrex ab eis nominatus eſt Aulus Sempronius abrogatis reliquis magiſtratibus, qui Rep. ſine ſeditione diebus quot licebat adminiſtrata, alium ex more deſignauit Sp. Largium. is indictis comitiis centuriatis, diſtributiſque ſecundum cenſum ſuffragiis cum bona vtriuſque partis gratia deſignauit Coſſ.* Hinc eſt quod apud Liuium lib. 6. & alibi ſecundus interrex comitia ſcribitur habuiſſe. Quod ſi plures nonnunquam leguntur fuiſſe, id ea cauſſa contingebat, quòd ſeditio comitiorum diem extraxerat. vt idem Liuius libro 7. Interregibus octo deinceps enumeratis, reddit hanc illius rei rationem. *In ſecundo interregno orta contentio eſt, quòd duo Patricij Conſules creabantur.* Dionyſius libro 9. τοῦ δευτέρου μεσοβασιλέως συγκαλέσαντος εἰς τὸ πεδίον τοὺς ὄχλους. *Secundo Interrege multitudinem in campum vocante.* Vnum reperio Valerium Flaccum primum Interregem, quem cõſtet comitia habuiſſe, vt innuit Appianus 1. ciuilium: ſed mirum non fuerit tum intermiſſam fuiſſe maiorum conſuetudinem, cùm vis & Sullana dominatio non ius & æquitas Remp. obtineret. Atque ex dictis Dionem intelligas lib. 46. Τήν τ' οὖν πόλιν οὕτως ὁ Καῖσαρ ἀμαχεὶ κατέσχε, καὶ ὕπατος καὶ πρὸς τοῦ δήμου ἀπεδείχθη, δύο τινῶν ἀνθυπάτων πρὸς τὰς ἀρχαιρεσίας αἱρεθέντων, ἐπειδὴ ἀδύνατον ἦν μεσοβασιλέα δι' ὀλίγου οὕτως ἐπ' αὐτὰς κατὰ τὰ πάτρια γενέσθαι. *Ita Cæſar Octauianus Romam nullo certamine occupauit, ac quia comitiis habendis interrex in tantâ temporis anguſtiâ, comitia more maiorum habere non poterat, proconſules duo qui comitiis præeſſent, creati ſunt.* Quem locum Xylander intellexiſſe non videtur. Maluerunt autem per Proconſules quàm per Interreges haberi comitia, quia ſi more maiorum ſecundus Interrex expectandus fuiſſet, plus temporis quàm Cæſar expeteret, fuerat exigendum. *Interregni dies erant ex more quinque*, res omnibus comperta eſt. Dionyſius lib. 2. οὐχ ἅμα πάντες ἐβασίλευον, ἀλλ' ἐκ διαδοχῆς ἡμέρας πέντε ἕκαστος. *Hi non ſimul, ſed vnus ex alio quinis diebus regnum obtinebant.* Liuius in 1. *Quinque dierum ſpatio finiebatur imperium.* Appianus 1. bellorum ciuilium. Ῥωμαίοις πάλαι κατ' ἀρετὴν ἦσαν οἱ βασιλέες, καὶ ὁπότε τις αὐτῶν ἀποθάνοι, βουλευτὴς ἕτερος παρ' ἕτερον ἐπὶ πέντε ἡμέρας ἦρχεν. ἕως τινὰ ἄλλον ὁ δῆμος δοκιμάσειε βασιλεύειν, καὶ τόνδε τὸν πενθήμερον ἄρχοντα Ἰντέρρηγα ἐκάλουν. εἴη δ' ἂν ἐν τοσῷδε βασιλεύς, ἀρχαιρέσια δ' ὑπάτων οἱ λήγοντες τῆς ἀρχῆς ἀεὶ προὐτίθεσαν. καὶ εἴ ποτε κατὰ δυστυχίαν ὕπατος οὐκ εἴη ὁ δ', ὁ ἐν τοσῷδε βασιλεύς, καὶ τότε ἐγίνετο ἐς τὴν τῶν ὑπάτων χειροτονίαν. *Olim Romæ regnabat quiſque virtute præſtantiſſimus, & quoties aliquis eorum vita decederet, Senatores alij poſt alios quinis diebus Reip. præerant, donec alius quiſpiam in regnum ſuccederet, cui fauiſſent ſuffragia populi. Is quinque dierum magiſtratus Interrex vocabatur, quaſi interim Rex. Conſularis verò comitia more ſolenni erant penes decedentes Conſules: qui ſi fortè deeſſent, tum interrex creabatur qui comitiis præeſſet.* Vnus Plutarchus horas duodecim videtur, diurnas ſex, nocturnas totidem tribuiſſe: ſic enim ait in Numa Interregi conceſſum fuiſſe: θύειν τε τοῖς θεοῖς τὰ νενομισμένα καὶ χρηματίζειν, ἐξ μὲν ὥρας τῆς νυκτός, ἐξ δὲ τῆς ἡμέρας Κυείνῳ. locus ſine dubio corruptus eſt, alij legunt κύειον, quàm lectionem diſertiſſimus Amyotus magis probauit. Plutarcho Zonaras de ſex horis totidémque nocturnis ſuffragatur. Aduerte poſtremo Interregem non Patrum, ſed omnium Patriciorum ſuffragiis factum fuiſſe. Aſconius in præfatione: *Ideóque Pompeius gener Scipionis, & Lucius Numatius Tribunus plebis, referri ad Senatum de Patriciis conuocandis, qui Interregem proderent, non eſſent paſſi.*

Interregni dies erant quinque.

Plutarchus ab aliis diſſentiens.

Nõ à Senatu, ſed ab omnibus Patriciis creabatur Interrex.

IX.

DIGRESSIO DE ATRIIS.] *Atrium*, vt ait Feſtus Pompeius, *propriè eſt genus ædificÿ ante ædem continens mediam aream, in quam collecta ex omni tecto pluuia deſcendit. dictum autem atrium, vel quia id genus ædificÿ atria primum in Etruria ſit inſtitutum: vel quia à terra oriatur, quaſi aterreum.* de Etruſcis Atriatibus adſtipulatur Varro. at Iſidorus *atrium* quaſi *atrum*, ab igne & fumo qui in atriis excitatur, dictum exiſtimat. de quo, ne pluribus morer Simon Schardius in Penu iuridica conſulatur. de ſtructura, vide Vitruuium lib. 6. cap. 4. & 8. & tum eius interpretes, tum Petauium Notis in Syneſij orationem de caluitio. Mihi, ſi licet in tanta doctorum diſſenſione, ingenij mei ſenſum expromere, videtur atrium nihil aliud eſſe quàm aula quædã ampla & laqueata, quæ ingredientibus ædes à veſtibulo ſtatim occurreret. Atrium autem tectum erat ſuperiúſque laqueatum. Auſonius in Moſella:

I nunc & Phrygiis ſola læuia conſere cruſtis
Tandem marmoreum laqueata per atria campũ.

Vitruuius lib. 6. cap. 3. *Trabes in atrÿ latitudine traiectæ habeant interpenſiua.* cap. 4. *Altitudo corũ* atriorum, *quanta longitudo fuerit, quarta dempta ſub trabes extollatur, reliquum lacunariorum, & arcæ ſupra trabes ratio habeatur.* In quo mireris inſolentiam Scaligeri, qui *atrÿ* etymon perperam à Varrone traditum aiens, atrium quaſi αἴθριον *ſubdiuale* appellat. videlicet atrium tectum, & laqueatum fuiſſe illo contracto cenſoriæ animaduerſionis epiſcynio non aduerterat. ſed ad rem. Breuiter atrium erat eiuſmodi vt aula & eſſet & diceretur. Gloſſæ veteres αὐλή, *atrium*, quo ſenſu Lipſius Horatium intelligit.

-lectus genialis in aula eſt.
Nil ait eſſe prius, melius nil cœlibe vitâ.

Gloſſæ alibi *atrium* μεσαύλιον, περιστῷον, prior appellatio aulam fuiſſe in medio duarum alarum demonſtrat, poſterior eandem aulam innuit periſtyliis & pergulis fuiſſe circumdatam, quòd ex lib. 6. Vitruuij cap. 3. & 8. non obſcuris indiciis colligetur. Muſonio περίστυλοι αὐλαὶ apud Stobæũ. Corippus lib. 3. in laudem Iuſtini minoris vtrumque coniunxit. *-longíſque implent ſpatioſa capillis*
Atria & anguſtam membris immanibus aulam.

Varro lib. 7. de lingua, *atrium* περίστυλον. Porrò in eorum ædibus qui nobilitate vel ciuili gratia præ cæteris eminebãt, diuerſa fuerunt atria vt maiorum imagines laxiùs diſponerent, tum vt diſtinctione quadã amicos admitterẽt. Ouid. 1. Amor. el. 8. *Nec te decipiant veteris quinque atria ceræ,*
Tolle tuos tecum pauper amator auos.

Quanquam alij legunt *plena atria ceræ.* alij *quinquatria.* Lipſius, *veteri cincta atria cera.* Seneca 6. de beneficiis, cap. 43. *Non ſunt amici qui*

Atrium, quid?

Atrium tectũ & laqueatum.

Scaligeri hallucinatio.

Atrium aula.

Pluráne atria in eadem domo.

agmine magno ianuam pulſant, qui in primas & ſecundas admiſſiones digeruntur. Conſuetudo iſta vetus eſt Regibus, Regéſque ſimulantibus populum amicorum deſcribere. Eſt proprium ſuperbiæ magno æſtimare introitum, ac tactum ſui liminis, pro honore dare vt oſtio ſuo propiùs aſſideas, vt gradum prior intra domum ponas, in qua deinceps multa ſunt oſtia, quæ receptos quoque excludunt. & capite ſequenti. *Amicum vocas, cuius diſponitur ſalutatio, qui per fores malignè apertas non intrat, ſed illabitur.* Atque vt cum loqui ſcias de variis atriis, in quæ cum diſcrimine quodam admitterentur, ſubiicit. *In pectore amicus non in atrio quærendus eſt.* Non tamen hinc certò efficitur atria diuerſa fuiſſe, cùm ad varias admiſſiones velum, ſiue aulæum interiectum ſuffecerit, vt latum diſcrimen in eodem atrio poneretur. Gratianus ex epiſtola Syluerij Papæ 23. q. 4. *Beliſarius Patricius noſter mandauit me ad ſe venire pacificè pro quibuſdam eccleſiaſticis diſpoſitionibus: & ad primum & ſecundum velum retinuit omnem clerum & populum qui mecum veniebat, & nullum permiſit introire niſi me ſolum & Vigilium diaconum meum.* Corruptè habetur in Decreto *Syluestris Papæ*, & *Guiliſarius*, ſed eruditè Noſter Turrianus hunc locum emaculat. Adde & Synodum Romanam ſub Zacharia, vbi Regionarius & Nomenclator ait: *Reuerendus & religioſus preſbyter legatus Bonifacij ſanctiſſimi Archiepiſcopi Germaniæ, apud veſtrum ſanctiſſimum Apoſtolatum præ velo eſt & petit ingredi.* Plura congeri poſſent, ſed ea ad ſecundam Philipp. differemus. §. 31.

Admiſſionum diſcrimina.

Vela oppanſa ad admiſſiones.

Vſus atriorũ varij. Primus ad ſalutationes.

Vſus atriorum varij fuerunt. Primus vt cum in locum clientes, alióſque amicos ſalutationis cauſsâ venientes admitterent, liquet ex dictis. Iuuenalis:

-tu nobilium magna atria curas.

Secundus ad diſtributionẽ ſportularum.

Secundus vt ibidem ſportulæ diſtribuerentur, ſaltem vt ibi pararentur. indéque promerentur ad limen, ſiue ianuam deferendæ. Iuuenalis:

-ſportula primo
Limine parua ſedet turbæ rapienda togatæ.

Vnde & ignem in atriis excitabant, vt ex S. Luca planum eſt, cap. 22. *Accenſo autem igne in medio atrij.* & Iſidoro qui *atrium*, quaſi *atrum* ab igne & fumo dictum arbitratur. vnde propter fuliginem inde contractum *fumoſas imagines* dici oratione in Piſonem oſtendimus.

Ignis in atrio.

Imagines in atrio.

Tertius, vt maiorum imagines in atriis ponerentur, & ibi ſuis diſponerentur armariis. de quo plura diſſeremus in Philippicam ſecundam. §. 19.

Quartus atriorum vſus, lectus aduerſus.

Quartus vſus is fuit vt *lectus aduerſus* in atrio ſterneretur. de quo Ioſephus Scaliger caſtigationibus in feſtum poſt vocem *putus*, & Lipſius 1. elect. cap. 17. *Cauſſa nominis quòd hunc lectulum religiosè ſeruari mos fuit, & in atrio collocari, ianuæ ex aduerſum. ſcilicet coniugij monimentum, & quaſi pignus, ab eâ poſitura aduerſus.* Laberius apud Gellium lib. 16. cap. 9.

Nunc lentus es tu, nunc tu ſúſque déque fers
Mater familias tua in lecto aduerſo ſedet.

Propertius lib. eleg.

Seu tamen aduerſum mutarit ianua lectum
Sederit, & noſtro cauta nouerca thoro.

è quibus verbis *ſederit*, *ſedet* hunc lectum non tam ad vſum quàm ad religionem ſeruatũ fuiſſe: aut ſi ad vſum, non promiſcuum coniugum, ſed matronarum tantùm, quæ in eo ſolitæ ſedere & operari. qui lectus aduerſus idémne fuerit cum *thoro geniali*, & cum eo quem Pilumno & Picumno ſternere conſueuerant, vide apud citatos.

Quintus vſus vt tela in atrio texeretur.

Quintus, vt in atriis telæ texerentur, vt conſtat ex Pediano, huc alluſit & Claudianus tertio de raptu.

Succidui titubant greſſus, foribúſque recluſis
Dum vacuas ſedes, & deſolata pererrat
Atria, ſemirutas confuſo ſtamine telas,
Atque interceptas agnoſcit pectinis artes.

& libro 1. poſt deſcriptionem atrij ſtatim telæ facit mentionem:

Atria cingit ebur, trabibus ſolidatur ahenis
Culmen, & in celſas ſurgunt electra columnas.
Ipſa domum tenero mulcens Proſerpina cantu
Irrita texebat rediture munera matri.

Quæ proferre volui, quòd etiam ſuperiùs dicta firmare videantur. *atria cingit ebur*, eburnea videlicet armaria. *trabibus ſolidatur ahenis culmen.* quas Vitruuius, *trabes in atrij latitudine traiectas appellat:* columnas etiam in Atrio ſuperiùs Muſonius agnouit. ſed pergamus telam noſtram detexere. Arnobius aduerſus gentes lib. 2. *Matresfamilias veſtræ in atriis operantur domorum, induſtrias teſtificantes ſuas.* huc alluſit Æmilius Probus, aliis Cornelius Nepos, in præfatione. *Quem enim Romanorum pudet vxorem ducere in conuiuium? aut cuius materfamilias, non primum locum tenet ædium, atque in celebritate verſantur?* eodem ſenſu capio Naſonem 2. Faſtorum de Lucretiâ.

-cuius
Ante thorum calathi, lanáque mollis erat.
Lumen ad exiguum famulæ data penſa trahebãt.

Ante thorum genialem videlicet, ſiue lectum aduerſum in atrij medio collocatum. nec refert quod atrium ſit prima pars ædium, & eandem Lucretiam Liuius: *Nocte ſerâ deditam lanæ, inter lucubrantes in medio ædium ancillas ſedentem* deſcripſerit. Nam lectus etiam genialis, quem in atrio fuiſſe conſtat, *ſedibus in mediis* poſitus à Catullo deſcribitur:

Puluinar verò Diuæ geniale locatur
Sedibus in mediis, Indo quod dente politum
Tincta tegit roſeo conchilis purpura fuco.

Et atrium quæ prima pars erat ædificij, medium ædium dici potuit, quòd vtrimque duabus alis cingeretur. placet his Lipſij verba cedro digna ſubtexere. *Lanificium Romanis antiquis impenſæ curæ docent nuptiæ, in quibus ſponſæ colus præferebatur cum lana: cingulum erat è lana, poſtes velati lana: omnia videlicet ſigna & indicia matronis operæ futuræ. lanam enim domi ſedulo exercebant, telam texebant, conficiebant veſtem.* hinc conſuetudo manauit, vt matresfamilias in atrio loco celebri, & in omnium oculis telam texentes, induſtriæ ſuæ ſpecimen omnibus exhiberent.

Sextus vſus conuiuia.

Sextus vt in atriis cõuiuia celebrarent. Iuuenalis ſat. 1. cœnas in ſecreto non autem in propatulo factas reprehendit. *-quis fercula ſeptem*
Secreto cœnauit auus?

Ideóque Papinius in Hercule Epitrapeſio apud Vindicem cœnaſſe ſe dicit:

Mille vbi tunc ſpecies æriſque eboriſque vetuſti,
Atque locuturas mentito corpore ceras
Edidici.-

Valerius lib. 2. de inſtitutis: *Maximis viris prandere & cœnare in propatulo, verecundiæ non erat: nec ſanè vllas epulas habebant, quas populi oculis ſubiicere erubeſcerent.* huc digreſſi ſumus in gratiam Aſconij: nunc ad Ciceronem.

Quod ait *oppugnationem*, Aduerte nonnullas etiam priuatorum ædes vrbium inſtar ferreis clatris fuiſſe munitas, in quibus oppugnandis magnâ certandum eſſet opum vi. Iuuenalis ſat. 7.

Et longè ferrata domus ſeruire iubetur,
In qua ſollicitas imitatur ianua portas.

Ad hoc ferreos vectes alludit Toxilus Plautinus in Perſa, act. 4. ſc. 4.

At enim illi noctu occentabunt oſtium, exurent fores.
Proinde tu tibi iubeas concludi ædes foribus ferreis,
Ferreas ædes commutes, limina indas ferrea,
Ferream ſeram, atque annulum, ne ſi ferro parſeris,
Ferreas tute tibi impingi iubeas craſſas compedes.

Claudianus primus de raptu:

-ſtant ardua ferro
Mœnia, ferrati poſtes, immenſáque nectit
Clauſtra chalybs.-

Nec ſanè mirum eſt amplas huiuſmodi domos quaſi caſtella quædam aut etiam vrbes dici expugnata. Nam vt ſcribit Olympiodorus apud Photium de Romanorum magnificentia loquens. Ἕκαστος τῶν μεγάλων οἴκων τῆς Ῥώμης ἅπαντα εἶχεν ἐν ἑαυτῷ ὁπόσα πόλις σύμμετρος ἠδύνατο ἔχειν. ἱππόδρομον, καὶ φόρους, καὶ ναούς, καὶ πηγάς, καὶ λουτρὰ διάφορα. διὸ καὶ ὁ συγγραφεὺς ἀπεφθέγξατο.

Ædium Romanarum amplitudo.

Εἷς δόμος ἄστυ πέλει, πόλις ἄστεα μυρία τεύχει.

Vnaquaque magnarum domorum Romæ, omnia in ſe ipſa habet, quæ vrbs mediocris poßit continere, circum, fora, templa, fontes, & balnea diuerſa, vnde & Poëta dixit:

Vna domus vrbs eſt, vrbs oppida plurima claudit.

Neque ſolùm amplitudine, ſed etiam altitudine mira ſpectabiles fuerunt ædes Romanæ. vnde doctiſſimus Briſſonius antiquitates ex iure ciuili ſelectas auſpicatur. Huic altitudini Cæſar Auguſtus modum impoſuit, vt ſcribit Strabo libro 5. Geographiæ: περὶ δὲ τὰς συμπτώσεις τὰ ὕψη τῶν οἰκοδομημάτων καθελών, καὶ κωλύσας ἐξαίρειν ποδῶν ο΄ τὸ πρὸς ταῖς ὁδοῖς, ταῖς δημοσίαις. *Contra tectorum ruinas altitudines ædificiorum tollens, & prohibens ea quæ ad vias publicas pertinebant ſupra ſeptuaginta pedes extollere.* Quod Tranquillus in eius vita ſignificat iampridem à Rutilio prohibitum fuiſſe. cap. 89. *Etiam libros totos & Senatui recitauit, & populo notos per edictum ſæpe fecit, vt orationes Q. Metelli De prole augenda, & Rutilij De modo ædificiorum: quo magis perſuaderet vtramque rem non à ſe primùm animaduerſam, ſed antiquis iam tunc curæ fuiſſe.* Ad pedes etiam ſexaginta reduxit Traianus. Sextus Aurelius Victor: *Quibus omnibus Traianus per exquiſita remedia plurimùm opitulatus eſt, ſtatuens ne domorum altitudo ſexaginta pedes ſuperaret ob ruinas faciles & ſumptus, ſi quando talia contingerent exitioſes.* Neque tamen tot legum vinculis potuit luxus contineri, nam paulò pòſt ita ſe extulerunt ædificia, vt hæc ſcripſerit Ariſtides Romæ encomio: Καὶ ὥσπερ τις ἀνὴρ πολὺ νικῶν τοὺς ἄλλους μεγέθει τε καὶ Ρώμῃ οὐκ ἀγαπᾷ μὴ καὶ ἄλλους ὑπὲρ αὑτὸν ἀράμενος φέρειν, ὧδε καὶ ἥδε ἐπὶ τοσαύτης τῆς γῆς ᾠκισμένη οὐκ ἀγαπᾷ, ἀλλ' ἑτέρας ἰσομετρήτους ὑπὲρ αὐτὴν ἀραμένη φέρει ἄλλας ἐπ' ἄλλαις, ὡς ἄρ' ἐπώνυμον αὐτῇ τοὔνομα, καὶ οὐδὲν ἄλλο ἢ Ρώμη τὰ τῇδε. ὥσθ' εἴ τις αὐτὴν ἐθελήσειε καθαρῶς ἀναπτύξαι, καὶ τὰς νῦν μετεώρους πόλεις ἐπὶ γῆς ἐρείσας θεῖναι ἄλλην παρ' ἄλλην, ὅσον νῦν Ἰταλίας διάλοιπόν ἐστι, ἀναπληρωθῆναι τοῦτο πᾶν ἄν μοι δοκεῖ, καὶ γενέσθαι πόλις συνεχὴς μία ἐπὶ τὸν Ἰόνιον τείνουσα. vertit Canterus, *Sicut vir aliquis qui cæteris magnitudine ac robore multùm præſtet, alios quoque in ſe ſublatos ferre gaudeat: eodem modo & hæc cùm tantùm terræ ſpatium contineat, non tamen quieſcit antequam & alias æquales ſibi ſuperimpoſitas vrbes, alteram ſuper alteram ferat, vt eius fert nominis ratio: totúmque quod hic videmus robur eſt. Quocirca ſi quis eam diligenter vellet euoluere, & quæ nunc in ſublimi ſunt vrbes humi iuxta ſe inuicem deponere, exiſtimarem fore vt omnis Italiæ reliqua pars compleretur, atque vna vrbs ad Ionium vſque mare continua protenderetur.* Vide Vitruuium libro 2. cap. 9. & Plinium lib. 3. cap. 5. vt cùm altitudinem hanc ædificiorum Romanorum miratus fueris, minùs mireris ædes etiam priuatas cum caſtellis comparari. Verùm, vt propiùs ad ædes M. Lepidi veniamus, fuerunt eæ pulcherrimæ. Plinius libro 36. cap. 15. *Marco Lepido, Quinto Catulo Coſſ. vt conſtat inter diligentißimos auctores, domus pulchrior non fuit Romæ quàm Lepidi ipſius. at Hercule intra annos* XXXV. *eadem centeſimum locum non obtinuit: Computet in hac æſtimatione qui volet, marmorum molem, opera pictorum, impendia regalia, & cum pulcherrima laudatißimáque certantes centum domos, poſteáque eas ab innumerabilibus aliis in hanc diem victas.* Dixerat cap. 6. eiuſdem libri: *M. Lepidus Catuli in Conſulatu Collega, primus omnium limina ex Numidico marmore in domo poſuit magna reprehenſione. is fuit Conſul anno vrbis* DCLXVI. *hoc primùm inuecti Numidici marmoris veſtigium inuenio, non in columnis tantùm cruſtíſve vt Mamurra Caryſtium poſuit, ſed in maſſa, ac viliſſimo liminum vſu.* quas ædes probabile eſt ad M. hunc Lepidum hereditate perueniſſe.

Domus Lepidi magnificentia.

AXIOMATA.

Quando ſunt leges & quæſtiones vel de cæde, vel de vi opus non eſt inſtituere nouam quæſtionem.

Nulla vis vnquam eſt in libera ciuitate ſuſcepta inter ciues, non contra Rempublicam.

Non eſt vlla defenſio contra vim vnquam optanda; ſed nonnunquam eſt neceſſaria.

ARGVMENTVM.

Pergit reddere rationem cur Senatus, etſi Milonis cauſſam non damnaret, nihilominùs P. Clodij cædem cenſuerit eſſe contra Rempub. tum redit ad conſtitutionem nouæ quæſtionis, quam negat Senatus auctoritate decretam.

XIV. NON enim eſt vlla defenſio contra vim vnquam optanda: ſed nonnunquam eſt neceſſaria. Niſi verò aut ille dies, in quo Tiber. Gracchus eſt cæſus, aut ille, quo Caius, aut quo arma Saturnini oppreſſa ſunt, etiam ſi è Republica, Rempublicam tamen non vulnerarunt. Itaque ego ipſe decreui cùm cædem in Appia factam eſſe conſtaret, non eum, qui ſe defendiſſet, contra Remp. feciſſe: ſed, cùm ineſſet in re vis & inſidiæ, crimen iudicio reſeruaui, rem notaui. Quòd ſi per furioſum illum tribunum, Senatui, quod ſentiebat, perficere licuiſſet, nouam quæſtionem nunc nullam haberemus. decernebat enim, vt veteribus legibus tantummodò extra ordinem quæreretur. Diuiſa ſententia eſt; poſtulante neſcio quo (nihil enim neceſſe eſt omnium flagitia proferre) ſic reliqua auctoritas Senatus, empta interceſſione ſublata eſt.

EXPLANATIO.

NON ENIM.] *Si vis non eſſet contra Remp. optanda eſſet aliquando.*

Sed nulla vis eſt vnquam optanda.

Ergò vis omnis eſt contra Remp.

Probat aſſumptionem:

Nunquam eſt optandum quod vulnerat Remp.

Sed vis omnis vulnerat Remp.

Ergo nulla vis eſt vnquam optanda.

Poſterius argumentum tribus exemplis continetur, quibus alius etiam ſyllogiſmus inuoluitur.

Cædes Gracchorum & Saturnini fuerunt contra Remp.

Sed damnandi non ſunt Opimius, Naſica, Marius, qui illas perpetrarunt.

Ergo damnandus non eſt quilibet qui perpetrarit cædem contra Remp.

quibus poſitis poſſumus ita ſubſumere.

Si non eſt damnandus omnis qui cædem fecit contra Remp. is qui præcisè iudicat cædem factam eſſe contra Rempub. non eum qui cædem fecerit hoc ipſo condemnat.

Sed Senatus præcisè iudicauit Clodij cædem eſſe contra Remp.

Ergo non damnauit Milonem, atque adeò nihil eſt cur præiudicium Senatus contra Milonem afferatur.

TIBERIVS GRACCHVS EST CÆSVS.] Auctoritate Scipionis Naſicæ. AVT ILLE QVO CAIVS. Iuſſu Opimij Conſulis interfectus. AVT QVO ARMA SATVRNINI OPPRESSA SVNT. auctoritate Marij ſexto ipſius Cõſulatu. vide §.8.

REMP. NON VVLNERARVNT.] Ciuibus interemptis, improbis illis quidem, ſed tamen ciuibus. quo factum eſt, vt quamuis illæ cædes eorum, qui ſeditiones excitabant ſaluti fuerint Reip. eadem tamen Reſp. vulnerata ſit, & numero ciuium diminuta.

ITAQVE EGO IPSE] Aliud argumentum.

Si qui decernit cædem eſſe contra Remp. damnaret eum qui perpetrarit, ego qui faueo Miloni, cædem Clodij à Milone factam non cenſuiſſem eſſe contra Remp. Sed cenſui.

Ergo qui decernit cædem contra Remp. eſſe, non damnat eum qui perpetrauit.

EVM QVI SE DEFENDISSET.] Milonem, qui vim illatam vi repuliſſet.

CVM ESSET IN RE VIS ATQVE INSIDIÆ.] A quocunque tandem illata fuiſſet, & inſidiæ comparatæ, *crimen iudicio reſeruaui*, nec definiui cuius ſcelere id contigiſſet. ratus illud crimen in iudicio diſcutiendum eſſe accuratiùs, ſed rem ipſam quæ vim & inſidias continebat, *notaui* atque damnaui.

QVOD SI PER.] Oſtendit non ex Senatus voluntate decretam fuiſſe nouam quæſtionem.

PER FVRIOSVM ILLVM TRIB. PLEBIS.] Titum Munatium Plancum, qui pecunia corruptus ab aduerſariis Milonis interceſſit Senatuſconſulto, quo ſtatuebatur vt veteribus legibus de cæde Clodij quæreretur, nihilque in hac quæſtione innouaretur aliud quàm vt id extra ordinem & primo quoque tempore fieret, quia periculum in mora.

DECERNEBAT ENIM.] Q. Hortenſio principe ſententia.

DIVISA SENTENTIA EST.] Cùm illa ſententia Hortenſij duo capita contineret. alterum vt veteribus legibus de cæde Clodij quæreretur: alterum vt extra ordinem, id eſt, vt id iudicium, prætermiſſis aliis de vi reis omnibus quamuis priùs factis, de Milone quæreretur. ita diuiſa ſententia eſt, vt non de ambobus ſimul, ſed ſingillatim referretur, & vnum ex alio diſceptaretur in Senatu.

POSTVLANTE NESCIO QVO.] Q. Fuſio Senatore.

RELIQVA AVCTORITAS.] Illa pars, quæ veteribus legibus quæri iubèbat ſublata eſt interceſſione Salluſtij & Planci, qui mercede corrupti tribunatum ſuum Clodianis addixerant.

NOTÆ.

NON ENIM EST VLLA.] Notum illud Neſtoris libro 9. Iliados verſ. 63. 1.

Belli ciuilis deteſtatio.

Ἀφρήτωρ, ἀθέμιστος, ἀνέστιός ἐστιν ἐκεῖνος
Ὃς πολέμου ἔραται ἐπιδημίου ὀκρυόεντος.
Is demum ſine lege vir eſt, ſiue gente, tribúque
Quem bella oblectant duri ciuilia Martis.

Valerius Maximus lib. 2. cap, 8. *Quamuis quis praeclaras res, maximéque vtiles Reip. ciuili bello geſſiſſet, Imperator tamen eo nomine appellatus non eſt, nec vllæ ſupplicationes decretæ ſunt, neque aut ouans aut curru triumphauit: quia vt neceſſariæ iſtæ, ita lugubres ſemper exiſtimatæ victoriæ ſunt, vtpote non externo, ſed domeſtico partæ cruore.* vide Sextianam 46. 47.

II. Vulnus Reip.

REMP. NON VVLNERARVNT.] Valerius loco citato has eaſdem cædes Reip. vulnera appellat. *Piget tædétque per vulnera Reip. vlterius procedere: lauream nec Senatus cuiquam dedit, nec quiſquam ſibi dari deſiderauit, ciuitatis parte lacrymante.* Noſter in Vatinium 20. *Si ad cætera vulnera quibus putaſti Remp. poſſe deleri, hanc quoque mortiferam plagam inflixiſſes auguratus tui.* Pro Sextio 78. *Accepiſſet Reſpub. plagam, ſed eam, quam acceptam gemere poſſet, ſi interceßiſſet collega Fabricio læſiſſet Remp. ſed Remp. iure læſiſſet.*

III

FVRIOSVM.] Furioſi paſſim dicuntur Tribuniplebis qui popularibus concionibus quaſi quodam flabello ſeditiones ventilant. Exemplis ſuperſedeo: plenæ ſunt orationes poſt reditum, pro domo, de haruſpicum reſponſis, pro Sextio: vbi Clodius cùm ad plebem tranſiret dicitur *homo furibundus.* §. 15. & pro Cœlio 60. *incipientem furere.* Id eſt Tribunumplebis fieri cupientem ad vexandam Remp. quemadmodum inſanire dicuntur qui profuſis ſumptibus ſuam rem familiarem exhauriunt. Quæ ſit autem propriè inter furorem & inſaniam diſtinctio declarat noſter 3. Tuſcul. quæſt. vbi dixit inſaniam Græcis μανίαν, furorem μελαγχολίαν minùs aptè quàm apud Latinos nominari, ſic explicat hanc legem XII. tabularum. SI FVRIOSVS ESSE INCIPIT. *Stultitiam cenſuerunt, id eſt inconſtantiam ſanitate vacantem, poſſe tamen tueri mediocritatem officiorum & vitæ communem cultum atque vſitatum. furorem autem eſſe rati ſunt mentis ad omnia cæcitatem. quod cùm maius eſſe videatur quàm inſania, tamen eiuſmodi eſt, vt furor in ſapientē cadere poßit, non poßit inſania.* Non diſſimulabo tamen videri Tullium Græcos perperam reprehendere quòd omnem furorem μελαγχολίαν vocent. *Quaſi verò atra bili ſolùm mens, ac non ſæpe vel iracundia grauiore, vel timore, vel dolore moueantur.* Nam Plato furorem μανίαν videtur appellare in Phædro: Μανίας δέ γε εἴδη δύο. τὴν μὲν ὑπὸ νοσημάτων ἀνθρωπίνων, τὴν δ᾽ ὑπὸ θείας ἐξαλλαγῆς. *Furoris, ſiue inſaniæ genera duo, alterum morbis humanis contractum, alterum diuina quadam motione,* &c. Pergit: Τῆς δὲ θείας τεττάρων θεῶν τέτταρα μέρη διελόμενοι. μαντικὴν μὲν ἐπίπνοιαν, Ἀπόλλωνος θέντες, Διονύσου δὲ τελεστικήν, Μουσῶν δ᾽ αὖ ποιητικήν. τετάρτην δ᾽ Ἀφροδίτης καὶ Ἔρωτος. *Diuini furoris quatuor Deorum, quatuor genera diuidentes. Diuinatoriam inſpirationem Apollini tribuentes, initiatoriam Baccho, Muſis poëticam, quartam Veneri & Amori.*

Furor. Inſania.

IV Extraordinè quærere.

EXTRA ORDINEM QVÆRERETVR.] Extra ordinem quærere dicunt Iuriſconſulti, cùm non ordinariis iudiciis res diſceptatur, ſed conſtituuntur nouæ quæſtiones. Vlpianus D. de furtis l. vltima. *Meminiſſe oportebit nunc furti plerumque crimine aliter agi, & eum qui agit in crimen ſubſcribere: non quaſi publicum ſit iudicium, ſed quia viſum eſt temeritatem agentium etiam extraordinaria animaduerſione coërcendā.* & alibi paſſim, qua de re Simon Schardius in Penu iuridica conſulatur, aliter hoc loco noſter orator. extra ordinem enim quærere, nihil eſt aliud quàm nō expectato ordine, prætermiſſis aliis, quibus priùs nomen delatum fuerat, cauſſam expedire. vnde & eos quorum cauſſæ non ſeruato legitimo cauſſarum ordine in iudicium veniebant, *extraordinarios reos* M. Cœlius appellat lib. 8 ep. ad familiares ep. 8. *M. Tuſcium accuſatorem ſuum, poſt ludos Romanos reum lege Plotia de vi fecit, hoc conſilio quòd videbat, ſi extraordinarius nemo reus acceßiſſet: ſibi hoc anno cauſſam eſſe dicendam.* quo de vide Hotomanum. Ego quod ſatis eſt ad hunc locum ſic interpretor, videbat ſi extraordinarius nemo reus interueniſſet, cuius neglecto cauſſarū ordine, cauſſa ante alias eſſet diſceptāda, ſibi hoc anno cauſſam eſſe dicendam. Et verò fuiſſe certum ordinem in litibus iudicandis oſtendunt iſta. Iuuen. ſat. 16.

Extraordinarius reus.

Expectandus erit qui lites inchoet annus
Totius populi.-

in quem verſum Iſaacus Grangæus vir eruditus: *Tantam,* ait, *Romæ forenſiū rerum copiā, tantámque litigantium multitudinem, quorum lites ſingulæ ordine dirimuntur, & vt in foro Gallorum dicitur,* à tour de roolle, *vt eo anno, quo quis nomen alicuius ad prætorem retulerit, in ordinem venire non poßit, itaut ad annum ſequentem, cùm res redeunt illi expectandum ſit, quod tempus Seruius vocat litium annum.* contra militibus extra ordinem data fuiſſe iudicia ſubiicit eodem loco Iuuenalis.

à tour de roolle.

Aſt illis quos arma tegunt, & balteus ambit,
Quod placitum eſt, ipſis præſtatur tempus agendi,
Nec res atteritur longo ſufflamine litis.

V.

DIVISA SENTENTIA EST.] Dixi diuiſam fuiſſe ſententiam, cuius princeps erat Hortēſius poſtulante Q. Fuſio Senatore. liquet è verbis quæ profert Aſconius ex ipſius Munatij concione deprompta, in qua concione hæc dixit ad verbū: *Quæ Q. Hortenſium dixiſſe, vt extra ordinem quæreretur apud Quæſtorem, æſtimare futurum vt cùm puſillum ediſſet dulcedinis, largiter acerbitatis deuoraret: aduerſus hominem ingenioſum ingenio vſi ſumus, inuenimus Fuſium qui diceret, diuideret ſententiam. reliquæ parti ego & Salluſtius interceßimus.* Notat deinde Aſconius: *Per Q. Fuſium illo quoque tempore, quo de inceſtu P. Clodij actum eſt, factum ne à Senatu aſperius decerneretur.* Quid ſit autem diuidere ſententiam oſtendit his verbis quæ in vulgatis mirè perturbata ſic repono. *Cùm aliquis in dicenda ſententia duas pluréſue res complectitur, ſi non omnes eæ probantur, poſtulat vt diuidantur, id eſt de rebus ſingulis referatur. non eſt autem ei qui hoc poſtulat longa oratione vtendum, ac ne conſurgendum quidem vtique eſt, multi enim ſedentes hoc vnum verbū pronuntiant.* DIVIDE. hactenus clarè, quòd ſequitur obſcuriùs. *Quod cùm auditum eſt liberū et qui facit orationem diuidere.* Quid enim? Senator orationem habens diuidere non poterit, niſi id ab alio ſuggeratur? ſed hanc nebulam magis excitare poſſim quàm diſſoluere. Feſtus Pompeius: *Numera Senatum ait quiuis Senator Conſuli, cùm impedimento vult eſſe, quo minùs faciat Senatuſconſultum, poſtulátque, vt aut res quæ referūtur, diuidantur, aut ſinguli conſulantur, aut ſi tot non ſint Senatores, quo numero liceat præſcribi Senatuſconſultum.* Seneca ep. 21. *Quod in Senatu fieri ſolet,*

Diuidere ſententiam.

Numera Senatum.

faciendum eſſe in philoſophia quoque exiſtimo. cùm cenſuit aliquis quod ex parte mihi placeat, iubeo illum diuidere ſententiam, & ſequor. huc alluſit & libro de beata vita ad Gallionem. *Eſt & mihi cenſendi vis. itaque aliquem ſequar, aliquem iubebo ſententiam diuidere.* Tullius lib. 1. ad familiares epiſt. 2. *Itaque cùm ſententia prima Bibuli pronuntiata eſſet, vt tres legati Regem reducerent: ſecunda Hortenſij vt tu ſine exercitu reduceres, tertia Volcatij vt Pompeius reduceret: poſtulatum eſt vt Bibuli ſententia diuideretur. quatenus de religione dicebat, ei rei, quia iam obſiſti non poterat, Bibulo aſſenſum eſt: de tribus legatis frequentes ierunt in alia omnia.* Plinius Iunior lib. 8. epiſt. 14. *Quid? lex non apertè docet dirimi debere ſententias occidentis & relegantis, cùm ita diſceſſionem fieri iubet qui hæc ſentitis in hanc partem: qui alia omnia in illam partem ite.* ſed hæc ab aliis iam tractata fuſiùs erat in animo præterire.

VI. FLAGITIA.] Vide Piſonianam. Notat tamen Spiglius, & ex eo Simon Schardius: *Non tantùm pro turpibus peccatis flagitium accipi, verùm his etiam quæ per negligentiam, imprudentiam, obliuionémque committuntur.* quo ſenſu Horatius vſurpat lib. 3. carm. ode 5.

Auro repenſus ſcilicet acrior
Miles redibit? flagitio additis
Damnum, nec amiſſos colores
Lana refert medicata fuco.

Cicero pro Cluentio: *Statuerunt enim ita maiores noſtri, vt ſi à multis eſſet flagitium rei militaris admiſſum, ſortitione in quoſdam animaduerteretur: vt metus videlicet ad omnes, pœna ad paucos pertineret.* vulgo *vne laſcheté.* Flagitio, id eſt probroſæ & ignominioſæ militum ignauiæ. nam *flagitium, inquit Donatus, more militari dicitur res flagitatione, hoc eſt increpatione digna.* quo ſenſu interpretor illa Lucilij verba quæ apud Nonniũ ex l. 29. referuntur. *Quiete poſcente minùs & præbent rectiùs multò, & ſine flagitio.* hinc flagitium idem cum probro & infamia in XII. tabulis: (Flagitium.) *Si quis occentaſit malum carmen ſiue condidiſit, quod infamiam faxit, flagitiúmue alteri. capital eſto.* Iucunda videlicet Decemuiris apud populum Martium verba, quæ à militia ducerentur. hinc, *omnium flagitia proferre*, idem eſt atque omnium probra narrare. Quod etiam citra culpam aut ſcelus in rebus turpiculis vſurpatur. Cic. ad Pætũ. *Suppedit, flagitium eſt.* Plautus Pœnulo.

Hæ fores fecerunt magnum flagitium modo.
Quid flagitij eſt? crepuerunt clarè.

VII. (Senatus auctoritas.) AVCTORITAS SENATVS.] Aliud eſt Senatuſconſultum, aliud auctoritas. vide 2. Philip. §. 35. aliàs tamen auctoritas Senatus pro quouis decreto ſiue ſententia ſumitur. nam auctoritas erat in Senatu, poteſtas in populo. Liuius lib. 8. *Bellum ex auctoritate Patrum populus aduerſus Veſtinos iuſsit.* & lib. 1. *Regem populus iuſsit, Patres auctores facti.* & alibi ſæpe. vide Briſſonium primo formularum.

VIII. (Tribunorum plebis intercesſio & poteſtas.) EMPTA INTERCESSIONE SVBLATA EST.] Quidam interpretes Senatorem neſcio quem à Munatio pecuniâ volunt fuiſſe corruptũ, qui ſuâ interceſſione S. C. impediret. quaſi verò Tribunusplebis Senatuſconſultis intercedere nõ potuerit. quod longè ſecus eſt. nam vt cuiuis cõpertum eſt intercedere fuit Tribunorum. Plutarchus in Catone Vticenſi: Τὸ γὰρ ἰσχυρὸν ἡ ἀρχὴ πρὸς τὸ κωλύειν ἔχει μᾶλλον ἢ πρὸς τὸ πράττειν. κἂν πάντες οἱ λοιποὶ παρ' ἕνα ψηφίσωνται, τοῦ μὴ θέλοντος μηδ' ἐῶντος τὸ κράτος ἐστίν. *Huius magiſtratus vis omnis & poteſtas in prohibendo magis, quàm in faciendo conſiſtit. & ſi reliqui omnes præter vnum quid faciendum decreuerint, maior eſt eius auctoritas qui intercedit.* Plutarcho adſtipulatur Appianus 1. ciuilium, ἀρχὴν ἑαυτοῦ προστάτην ἀπέφηνε καὶ ἐκάλεσε δημαρχίαν, ἐς κώλυσιν μάλιστα τῶν ὑπάτων ἀπὸ τῆς βουλῆς αἱρουμένων, μὴ ἐντελὲς αὐτοῖς ἐπὶ τῇ πολιτείᾳ τὸ κράτος εἶναι. *Magiſtratum quendam, qui ſibi præeſſet, creauit, Tribunatumplebis appellans, qui maximè Conſulum è Senatu lectorũ actionibus intercederet, ne poteſtas eorum in Rep. eſſet omninò abſoluta.* (Etiam Senatuſconſultis intercedebãt.) Quod autem non ſolùm Conſulum aut Prætorum edicta, ſed etiam ipſa Senatuſconſulta poſſent interceſſione ſua prohibere liquet ex Valerio lib. 2. cap. 2. *Tribunisplebis intrare curiam non licebat: ante valuas autem poſitis ſubſelliis decreta Patrum attentiſſimâ curâ examinabant: vt ſi qua ex eis improbaſſent, rata eſſe non ſinerent. Itaque veteribus Senatuſconſultis T. littera ſubſcribi ſolebat: eáque notâ ſignificabatur, ita Tribunos quoque cenſuiſſe.* (Litera T, veteribus S.C. ſubſcripta.) Sed æuo Ciceronis ratio mutata: non enim ſolùm Tribunisplebis curiam intrare fas erat, ſed etiam nefas Tribunum ex alio ordine creari quàm ex Senatu: vt doctiſſimus Lipſius aduertit 2. electorum cap. 13. Tranquillus in Auguſto cap. 10. *Et quo conſtantiùs cætera exequeretur, in locum Tribuniplebis demortui candidatum ſe oſtendit: quanquam patricius, necdum Senator.* (Tribuni è Senatu.) vbi diſertè & extra cauillum, impedimenta duo Cæſari ad Tribunatum ponit, quòd gente patricius, & quòd honore nondum Senator. Itẽ cap. 40. *Comitiis Tribunitiis, ſi deeſſent candidati Senatores; ex equitibus Romanis creauit.* Dio lib. 45. τοῖς ἱππεῦσι τὴν δημαρχίαν αἰτῆσαι προσέτρεψε. *equitibus Romanis Tribunatumplebis petere conceſsit.* ex quo diſcis nec equitibus quidem tunc fuiſſe petendi ius, adeò non imæ plebi, huc Lipſius etiam aptat Plinium lib. 2. epiſt. 9. *Ego Sexto latum clauum à Cæſare, ego quæſturam impetraui, meo ſuffragio peruenit ad ius tribunatus petendi.* Ius enim petendi tribunatus, non hìc aliud quàm dignitas Senatoria & latus clauus. Id à Cornelio Sylla inſtitutum fuiſſe tradit Appianus 1. ciuiliũ: Τὴν δὲ τῶν δημάρχων ἀρχὴν ἴσα καὶ ἀνεῖλεν ἀσθενεστάτην ἀποφήνας, καὶ νόμῳ κωλύσας μηδεμίαν ἄλλην τὸν δήμαρχον ἀρχὴν ἔτι ἄρχειν, καὶ οὐκ ἔχω σαφῶς εἰπεῖν τοῦ εἰ Σύλλας αὐτὴν καθὰ νῦν ἐστὶν εἰς τὴν βουλὴν ἀπὸ τοῦ δήμου μετήνεγκεν. *Tribunitiam poteſtatem tantùm non ſuſtulit, eneruatam eam prorſus relinquens, lege latâ ne quis qui Tribunus fuiſſet, alium vllum caperet magiſtratum, nec liquidò poſsim dicere an Sulla, hunc magiſtratum, vt nunc eſt, à plebe tranſtulerit ad Senatum.* licet Atteius Capito apud Gellium id inſtitutum Attinio plebiſcito acceptum referre videatur. *Tribunisplebis Senatûs habendi ius erat, quanquam Senatores non eſſent ante Attinium plebiſcitum.* Mirum igitur non eſt Tribunosplebis, cùm iidem Senatores eſſent, Senatuſconſultis intercedere potuiſſe. Adde quod non ſolùm Senatores erant, ſed etiam Senatus habendi poteſtatem obtinebant. nam Varro litteris ad Oppianum datis apud Gellium lib. 14. cap. 7. *Ponit qui fuerint per quos more maiorum Senatus haberi ſoleret, eóſque nominat, Dictatorem, Conſules, Prætores, Tribunosplebis, Interregem, Præfectum vrbis.* Atenim idem Varro: *dixit, intercedendi ne Senatuſconſultum fieret, ius fuiſſe iis*

ſolis, qui eadem poteſtate, qua iÿ qui Senatuſconſultum facere vellent, maioréſve eſſent. Quare Tribuniplebis ei Senatuſconſulto haudquaquam intercedere potuerunt, quod Pompeius Conſul facere cupiebat. Sed hoc vt de aliis magiſtratibus verum eſſe fateamur. Tribunos tamen excipiendos putamus, quorum tanta fuit auctoritas, vt Conſules qui ipſorum interceſſionibus non paruiſſent, frequenter legamus in carcerem impactos fuiſſe, quod in Vatinium 22. non paucis exemplis oſtendimus. Clarè Appianus 2. ciuilium de Curione: Διέλυε τὴν βουλὴν ἐπὶ ἀτελέσι πᾶσι. δύναται, ἐς ταῦτα ὁ δήμαρχος. *Senatum ita diſſoluit, vt quæcunque decreta fuerant vim nullam obtinerent. Ea enim tribunoplebis poteſtas eſt.* Cæſar commentario 1. de bello ciuili, cùm dixiſſet: *Referunt Conſules de Repub.* Subiecit: *Intercedunt M. Antonius, Q. Caßius Tribuniplebis.* De cuius poteſtatis amplitudine ſic paulò pòſt: *Nouum in Repub. introductum exemplum queritur, vt Tribunitia interceßio armis opprimeretur, quæ ſuperioribus annis armis eſſet reſtituta. Syllam nudata omnibus rebus Tribunitiâ poteſtate tamen interceßioncem liberam reliquiſſe: Pompeium, qui amiſſam reſtituiſſe videatur, dona etiam quæ ante habuerit, ademiſſe.* Liberam, inquit, atque adeo liberam, vt qui intercedebat, nullam interceſſionis ſuæ rationem reddere cogeretur. Appianus 1. ciuilium: Λίβιόν τε Δροῦσον ἕτερον δήμαρχον ἔπεισεν (ἡ βουλὴ) κωλύσαι τοὺς Γράκχου νόμους, οὐκ ἐπιλέγοντα τῷ δήμῳ τὰς αἰτίας· δέδοται δὴ τῷ κωλύοντι μηδ' ἐπιλέγειν. *Liuium Druſum collegam in Tribunatu Senatus induxit, vt Gracchi legibus intercederet, nullâ ad populum redditâ interceßionis cauſâ, intercedenti enim cauſam non addere permittitur.*

Tribunitia poteſtas etiã in Conſules.

AXIOMATA.

Non eſt vlla defenſio contra vim vnquam optanda, ſed nonnunquam eſt neceſſaria.
Multa fiunt è Repub quæ Rempub. tamen vulnerant.
Nihil neceſſe eſt omnium flagitia proferre.

ARGVMENTVM.

Tertium præiudicium quod videbatur Milonis cauſam conuellere petebatur, à rogatione Pompeÿ quam ipſe tulerat, vt de cæde in Appiâ viâ facta non ſolùm extra ordinem, ſed etiam nouo iudicio quæreretur, id refellit Orator.

AT enim Cn. Pompeius rogatione ſua & de re, & de cauſa iudicauit. tulit enim de cæde, quæ in Appia via facta eſſet in qua P. Clodius occiſus fuit. Quid ergo tulit? nempe vt quæreretur. Quid porrò quærendum eſt? factúmne ſit? At conſtat, à quo? At patet. Vidit, etiam in confeſſione facti, iuris tamen defenſionem ſuſcipi poſſe. Quod niſi vidiſſet, poſſe abſolui eum, qui fateretur: cùm videret nos fateri: neque quæri vnquam iuſſiſſet, nec vobis tam ſalutarem hanc in iudicando litteram, quàm illam triſtem dediſſet. Mihi verò Cn. Pompeius non modò nihil grauius contra Milonem iudicaſſe, ſed etiam ſtatuiſſe videtur, quid vos in iudicando ſpectare oporteret. Nam qui non pœnam confeſſioni, ſed defenſionem dedit, is cauſam interitus quærendam, non interitum putauit. XV.

EXPLANATIO.

AT ENIM. Aduerſariorum obiectio. Eſto: Senatus de re tantummodo iudicarit, cenſueritque Clodij cædem, cuiuſcunque tandem ſcelere contigiſſet, eſſe contra Remp. At Cn. Pompeius, non ſolùm de re ſed etiam de cauſâ iudicauit, quòd probat hoc pacto.

Qui tulit vt de cæde Clodij nouo iudicio quæreretur, non ſolùm de re, ſed etiam de causâ iudicauit, damnauítque cædis auctorem.

Sed Pompeius tulit vt de cæde Clodij nouo iudicio quæreretur.

Ergo non ſolùm de re, ſed etiam de causâ iudicauit, damnauítque cædis auctorem.

Alij nomine *rei* theſim, ſiue quæſtionem infinitam, nomine *cauſæ* hypotheſim intelligunt. ſuperiùs: *Crimen iudicio reſeruaui, rem notaui.*

ROGATIONE SVA.] Lege quam promulgauit, rogans Quirites, vt vellent & iuberent eam communi ſuffragio ſanciri. vide Notas.

QVID ERGO TVLIT.] Refutatio eſt ſuperioris ſyllogiſmi, per quam argumentum in aduerſarios retorquet, à vi & interpretatione legis Pompeiæ.

Qui fert vt de cæde quæratur, quam reus à ſe factam eſſe confitetur, is videt etiam in confeßione facti iuris tamen defenſionem ſuſcipi poſſe.

Sed Pompeius tulit vt de cæde Clodij, quam fatetur Milo, quæreretur.

Ergo Pompeius vidit etiam in confeßione cædis Clodij iuris defenſionem ſuſcipi poſſe.

QVOD NISI VIDISSET.] Confirmatio eſt ſuperioris ſyllogiſmi, non eſt tamen expreſſa concluſio. aſſumptio his verbis, *cùm videret nos fateri*, propoſitio reliquis continetur.

NEC VOBIS.] Neque vobis permiſiſſet, tam vt abſolueretis, & litteram A. ſalutarem & abſolutionis indicem in tabellâ ſcriptam in quæſtoris vrna poneretur, quàm vt condemnaretis, & triſtem litteram C. condemnationis notam daretis.

Sed permiſit.

Ergo vidit eum qui fateretur poſſe abſolui.

MIHI VERÒ.] Præiudicium Pompeij in cauſæ ſuæ vtilitatem conuertit, liquent omnia.

NOTÆ.

I. Rogatio. ROGATIONE SVA.] *Rogatio eſt*, vt auctor eſt Feſtus Pompeius, *cum populus conſulitur de vno pluribúſve hominibus quod non ad omnes pertineat, & de vnâ pluribúſve rebus, de quibus, non omnibus ſanciatur. nam quod in omnes* Lex. *homines réſve populus ſciuit, lex appellatur. Itaque Gallus Ælius ait, inter legem & rogationem hoc intereſt, rogatio eſt genus legis, quia lex non continuò rogatio eſt. rogatio non poteſt non eſſe lex, ſi modò iuſſu comitiis rogata eſt.* Atteius Capito apud Gellium lib. 10. cap. 20. *Lex*, inquit, *eſt generale iuſſum populi aut plebis rogante magiſtratu.* Et Plebiſcitum. paulò pòſt Gellius: *Plebiſcitum eſt, ſecundum eundem Capitonem, lex quam plebs non populus accipit: ſed totius huius rei iuríſque, ſiue cùm populus, ſiue cùm plebs rogatur, ſiue quod ad vniuerſos pertinet caput ipſum & origo, & quaſi fons rogatio eſt. iſta enim omnia vocabula cenſentur continentúrque rogationis principali genere & nomine. nam niſi populus aut plebs rogetur, nullum plebis aut populi iuſſum fieri poteſt.* Vides quàm commodè Tullius Pompeiam legem non dicat; nam, vt ait ibidem Gellius: *Ea definitio ſi probè facta eſt, neque de imperio Cn. Pompeij, neque de reditu M. Ciceronis,* Priuilegium. *neque de cæde P. Clodij quæſtio, neque alia id genus populi plebíſve iuſſa leges vocari poſſunt. non ſunt enim generalia iuſſa, neque de vniuerſis ciuibus, ſed de ſingulis concepta: quocirca priuilegia potiùs vocari debent.* Conſultò tamen priuilegij nomine abſtinuit Orator, generali rogationis voce contentus, ne Cnei Pompeij animum iam ſatis M. Cœlij concionibus exulceratum, magis offenderet. Aſconius in præfatione: *His legibus obſiſtere M. Cælius Tribunus plebis ſtudioſiſſimus Milonis conatus eſt, quod & priuilegium diceret in Milonem ferri, & iudicia præcipitari, & cùm pertinaciùs legem Cælius vituperaret, eò proceſſit iræ Pompeius, vt diceret, ſi coactus eſſet, armis ſe Rempub. defenſurum.* Rogationis porro nomen inde manauit, quòd magiſtratus legem, plebiſcitum, priuilegium ferens his ſolemnibus verbis vteretur: VELITIS IVBEATIS QVIRITES, &c. Et populus legem ſuis ſuffragiis hâc verborum formula comprobaret: VTI ROGAS. qua de re vide Briſſonium libro 2. formularum.

II. Res. Crimen. ET DE RE ET DE CAVSA.] Superiùs: *Crimen iudicio reſeruaui, rem notaui.* Rem, id eſt, cædem in communi, crimen. cædem ipſam ſuis circunſtantiis veſtitam, vt cædem Clodij, cædem in Appia via factam, & factam à Milone pro Cælio 6. *Accuſatio crimen deſiderat, rem vt definiat, hominem vt notet, argumento probet, teſte confirmet.* Fabius lib. 3. cap. 5. *Cauſſam finit Apollodorus, vt interpretatione Valgij diſcipuli eius vtar, ita. Cauſſa* Cauſſa. *eſt negotium omnibus ſuis partibus ſpectans ad quæſtionem, aut, cauſſa eſt negotium cuius finis eſt controuerſia*, &c. *Iſocrates cauſſam eſſe ait, quæſtionem finitam ciuilem, aut rem controuerſam in perſonarum finitarum complexu. Cicero his verbis in topicis, Cauſſa certis perſonis, locis, temporibus, actionib. negotiis cernitur, aut in omnibus, aut in pleriſque eorum.* Vide Ariſtot. in Rhet. ad Alexandrum, Ciceronem paſſim, & è recentioribus Petrum Gregorium ſyntagmatis iuris vniuerſi lib. 47. frequẽter tamen rem cum lite confundunt vnde *reus*, cuius *res* agitur. ſic Paulus ex Feſto: *res comperendinata ſignificat iudicium in diem tertium conſtitutum.* Noſter pro Murena 27. *Iam illud mihi quidem mirum videri ſolet, tot homines, tam ingenioſos, per tot annos etiam nunc ſtatuere non potuiſſe, vtrùm diem tertium an perendinum, iudicem an arbitrum, rem an litem dici oporteret.* Et alibi paſſim, vt non ſit opus ea ſemper religioſè diſtinguere.

QVID ERGO TVLIT.] Subiectio eſt oratoria, cuius imitationis facilioris cauſſa aliqua exempla ſubiungam. Timocles comicus apud Athenæum libro ſexto: III.

Ὀφθαλμιᾷ τις, εἰσὶ Φινεῖδαι τυφλοί. Subiectionis Rhetoricæ exempla.
Τέθνηκε τῳ παῖς; ἡ Νιόβη κεκούφικε.
Χωλός τις ἐστιν; τὸν Φιλοκτήτην ὁρᾷ.
Γέρων τις ἀτυχεῖ; κατέμαθε τὸν Οἰνέα.
Oculo dolet quis? cæca proles Phinei eſt.
Natus moritur? at Niobe mœrorem leuat.
Eſt claudus aliquis? at Philoctetem videt.
Miſera eſt ſenectus? mente verſate Oenea.

Dinarchus contra Demoſthenem: Ἔγραψας σὺ τοῦτο Δημόσθενες; ἔγραψας, οὐκ ἔστιν ἀντειπεῖν. ἐγένετο ἡ βουλὴ κυρία σοῦ προστάξαντος; ἐγένετο. τεθνᾶσι τῶν πολιτῶν ἄνδρες; τεθνᾶσι. κύριον ἦν τὸ σὸν ψήφισμα κατ᾽ ἐκείνων; ἀδύνατον ἀντειπεῖν. *Hoc ſcripſiſti Demoſthenes? ſcripſiſti. Inficias ire non potes. Data eſt Senatui auctoritas ex edicto tuo? data eſt. Perempti ſunt ciues? perempti ſunt. Ratum contra illos decretum tuum fuit? Refragari nullo modo potes.* Demoſthenes de falſa legatione: ΟΥ τὸ μὲν ψήφισμα Ἀθηναίοις καὶ τοῖς Ἀθηναίων συμμάχοις εἶναι κελεύει τὴν εἰρήνην; οὗτοι δὲ Φωκέας ἐκσπόνδους ἀπέφηναν. οὐ τὸ μὲν ψήφισμα τοὺς ἄρχοντας ὁρκοῦν ἐν ταῖς πόλεσιν; οὗτοι δὲ οὓς ὁ Φίλιππος αὐτοῖς προσέπεμψε τούτους ὥρκωσαν. οὐ τὸ μὲν ψήφισμα οὐδαμοῦ μόνοις ἐντυγχάνειν Φιλίππῳ; οὗτοι δ᾽ οὐδὲν ἐπαύσαντο ἰδίᾳ χρηματίζοντες. *Ecquid decretum Athenienſibus eorúmque ſociis pacem eſſe iubet? Iſti Phocæos extra fœdus eſſe declararunt. Ecquid decretum magiſtratus in ſingulis ciuitatibus iurare? Iſti ab iis qui à Philippo miſſi fuerant, iuramentum exegerunt. Ecquid decretum ſingulos ſeorſum ad Philippum vetat accedere? Iſti priuatim cum eo tranſigere non deſtiterunt.* Vide paulò pòſt aliam item pulcherrimam: Ἦσαν ἐν Ἤλιδι κλέπτοντες τὰ κοινά τινες, &c. ſed putidum ſit iſta tam facilia inuentu conquirere.

NEC VOBIS TAM SALVTAREM.] IV. Variæ fuerunt rationes ferendæ ſententiæ. Ouidius 15. Metamorph.

Mos fuit antiquis niueis atriſque lapillis
His damnare reos, illis abſoluere culpâ.

Ad quem, ni fallor, morem alluſit Horatius lib. 2. Sat. 3.

Quorſum abeunt ſani, creta an carbone notandi. Calculi albi & nigri in iudiciis.

Et Perſius Sat. 5.

Quæque ſequenda forent, & quæ vitanda viciſſim
Illa priùs cretâ, mox hæc carbone notaſti.

Interpres Ariſtophanis ad illa verba Ranarum, ἀπολεῖται κἂν ἴσαι γένωνται, *actum eſt de illa etiamſi ſortes æquales fuerint.* αἱ ψῆφοι δηλονότι αἱ λευκαὶ καὶ μέλαιναι. *ſortes nimirum candidæ & atræ.* Ælianus lib. 14. variæ hiſtoriæ cap. 38 de Alcibiade: Εἰπόν-

-τος δέ τινος· οὐ πιστεύεις τῇ πατρίδι τὴν περί σου κρίσιν; εἶπεν, οὐδὲ τῇ μητρίδι. lego ex Plutarcho in apophth. & in Alcibiade: οὐδὲ τῇ μητέρι. δέδοικα γὰρ μὴ ἀγνοήσασα καὶ σφαλεῖσα τοῦ ἀληθοῦς, εἶτα τὴν μέλαιναν ἐμβάλῃ ἀντὶ τῆς λευκῆς ψῆφον. *Dicenti cuidam, non permittis patriæ de te ferre ſententiam? Ne matri quidem, inquit. metuo enim ne ex errore & ignoratione veritatis, atrum calculum, pro candido ſubiiciat.* Elegantiùs apud Plutarchum: Μή πως ἀγνοήσασα τὴν μέλαιναν βάλῃ ψῆφον ἀντὶ τῆς λευκῆς. *Ne fortè per ignorationem atrum pro candido calculum in vrnam immittat.* Elegantiùs, inquam. longè enim meliùs iudiciorum diſcrimen oſtenditur, ſi etiam illi, qui abſoluendi ſtudio tabellam mittunt, errare poſſint in ipſo tabellarum delectu. Aliquando tabellas mittebant non ſolùm colore, ſed etiam figura litterarum diſtinctas. Et quidem quæ eſſet apud Græcos littera ſalutaris, mihi ſatis non liquet. quidam apud Græcos & Hebræos T fuiſſe litteram ſalutarem exiſtimant. lege Gretſerum de Cruce. Liquidior res eſt de triſti & ſeuera littera damnationis: quàm noſter triſtem, Perſius nigram, Martialis peſtiferam, auſteram Propertius appellat. Perſius Sat 4.

Theta Θ nota damnationis.

Et potis es nigrum vitio præfigere Theta.

Martialis libro 7. ep.

Noſti mortiferum Quæſtoris, Caſtrice, ſignum,
Eſt operæpretium diſcere Theta nouum.

Propertius lib. 4. el. 2.

Quælibet auſteras de me fert vrna tabellas.

Auſonius in Eunum liguritorem ep. 119.

Miſelle doctor ȣ tibi ſit obſcœno
Tuúmque nomen theta ſectilis ſignet.

Quem verſum Ioſephus Scaliger meritò de nota condemnationis intelligit, vt & ſuperiorem, quod diphthongus ȣ ſuſpendium, & ſpeciem laquei in collum inſerti exhibere videatur. Ad hanc condemnationis notam aliqui putant Plautinam Staphylam alludere Aululariæ ſc. 1.

Longa littera quid apud Plautum?

-neque quicquam melius eſt mihi,
Vt opinor, quàm ex me vt vnam faciam litteram
Longam, meo laqueo collum quando obſtrinxero.

Cœlius lib 10. cap. 8. litteram T intelligit, fretus auctoritate Luciani in iudicio vocalium: Τῷ γὰρ τούτου σώματί, φασι, τοὺς τυράννοις ἀκολουθήσαντας, καὶ μιμησαμένους αὐτοῦ τὸ πλάσμα, ἔπειτα σχήματι τοιούτῳ ξύλα τεκτήναντας ἀνθρώπους ἀνασκολοπίζειν ἐπ' αὐτά. *Huius enim corpus ſequentes tyrannos aiunt, & eius figuram imitantes, deinde hac forma ligna compingentes, homines in iis ſuſpendere.* Quibus verbis, crucem ſiue patibulum deſcripſit. Item: Πόσων θανάτων τὸ ταῦ ἄξιον εἶναι νομίζετε; ἐγὼ μὲν γὰρ οἶμαι δικαίως τοῦτο μόνον ἐς τὴν τοῦ Τ τιμωρίαν ἀπολείπεσθαι, τὸ τῷ σχήματι τῷ αὐτοῦ τὴν δίκην ἀποδοῦναι, &c. *Quot mortibus litteram T dignam arbitramini? Ego verò exiſtimo iuſtè hoc ſolum in eius ſupplicium ſupereſſe, quod ad eius figuram effectum eſt, vt ſupplicium luat.* Sed non valdè arridet hac littera hominis pendentis ſpeciem exhiberi. quod linea tranſuerſa, trabis, directa pendentis hominis imaginem referre videatur. Libens de littera π interpreter. eſt enim hæc littera conflata tum ex littera ┐ inſtar patibuli, & alia linea veluti pendula, quod ad pendentis imaginem accedit. verùm vt ad litteram Θ redeamus, eam fuiſſe damnationis notam, liquet ex Sidonio Carmine 1. ad Magnum Felicem:

Iſti qui valet exarationi
Diſtrictum bonus applicare theta.

Mortem enim ſignificat, vt ſcribit Valerius Probus in libello notarum. Vide Ioannem Sauarum ad Sidonium. laudat & P. Diaconum ad Conradum Imp. hinc inuaſit conſuetudo, vt nominibus militum qui perierant Θ præfigerent, atque id erat expungere. Ruffinus in Hieronymum: *Si quis accepto breuiculo, in quo militum nomina continentur, nitatur inſpicere quanti ex militibus ſuperſint, quanti in bello ceciderint, & requirens qui inſpicere miſſus eſt, propriam notam, verbi cauſſa, vt dici ſolet Θ ad vniuſcuiuſque nomen adſcribat, & propriâ rurſus notâ ſuperſtitem ſignet: nunquid videtur is qui notam ad defuncti nomen apponit, & propriâ rurſus notâ ſuperſtitem ſignat, quod egerit aliquid, vt vel hic defuncti, vel ille viuentis cauſſam acciperet.* Cui penè ad verbum adſtipulatur Iſidorus, vnum hoc addens, *T nota in capite verſiculi poſita ſuperſtitem deſignabat.* Ex quo ſuſpicari poſſis in Iudicum tabellis T fuiſſe litteram ſalutarem. Θ verò triſtem & auſteram. ac proinde verum eſſe quod refert Eraſmus Chil. 1. cent. 5. n. 56. ex Aſconio Pediano: *Olim in iudiciis ſortes quæ mittebantur in vrnam triplicem notam habere ſolere: ac Θ quidem damnationis fuiſſe ſymbolum, T abſolutionis, Λ ampliationis.* Verùm nihil ſimile apud Aſconium potui reperire. immò in primam Verrinam, quæ *diuinatio* inſcribitur ita ſcribit: *In diuinatione & in aliis cauſis maioribus vniuerſi Iudices, in ciſtam tabulas ſimul conîiciebant ſuas, eáſque inſculptas litteras habentes A abſolutionis, C condemnationis, cùm de alicuius capite agebatur. N ampliationis. his enim litteris ſignificabant non liquere.* Item Verrina 3. *Inter comperendinationem & ampliationem hoc intereſt, quod comperendinatio ex vna tantùm re dabatur, cùm cauſſam iudex non intelligeret. & omnino ſi videbatur iudicibus bona cauſſa, abſoluebant reum, ſi mala, non ſtatim damnabant, ſed hac excuſatione parcebant. nam cùm damnandi nota eſſet C. littera, abſoluendi A, ampliandi ſignum N L dabant, quo ſignificabant non liquere, vnde ampliatio naſcebatur.*

A littera abſolutionis.

C. damnationis,

N. L. ampliationis.

Addam poſtremò Athenienſes cùm abſoluerent calculos verbi cauſſa fabas integras & ſolidas in vrnam demiſiſſe, cùm autem damnarent perforatas. Æſchines contra Timarchum: Ὁ δὲ κῆρυξ ὁ νυνὶ παρεστηκώς ἐμοὶ ἐπηρώτα ὑμᾶς τὸ ἐκ τοῦ νόμου κήρυγμα· τῶν ψήφων ἡ τετρυπημένη ὅτῳ δοκεῖ πεπορνεῦσθαι Τίμαρχος, ἡ δὲ πλήρης ὅτῳ μή. *Preco qui mihi nunc aſſiſtit id vos rogabat, quod ex legibus rogari ſolet. calculorum qui perforatus eſt, ei cui videtur Timarchus impudicus fuiſſe, plenus & integer cui non videtur.* Harpocration: Ἀριστοτέλης ἐν Ἀθηναίων πολιτείᾳ γράφει ταυτί. ψῆφοι δέ εἰσι χαλκαῖ αὐλίσκον ἔχουσαι ἐν τῷ μέσῳ· αἱ μὲν ἡμίσειαι τετρυπημέναι· αἱ δ' ἡμίσειαι πλήρεις. οἱ δὲ λαχόντες ἐπὶ ταῖς ψήφοις, ἐπειδὰν εἰρημένοι ὦσιν οἱ λόγοι, παραδιδόασιν ἑκάστῳ τῶν δικαστῶν δύο ψήφους, τετρυπημένην καὶ πλήρη, φανερὰς ὁρᾶν τοῖς ἀντιδίκοις, ἵνα μήτε πλήρεις, μήτε πάντῃ τετρυπημένας λαμβάνωσιν. *Ariſtoteles in Athenienſium Repub. ita ſcribit. Calculi ſunt ærei paruum foramen fiſtulæ inſtar habentes in medio. Eorum media pars eſt perforata, media ſolida, qui autem calculorum præfecturam ſortiti ſunt, dictis orationibus, vnicuique iudicum binos*

Calculi iudiciorum, alter ſolidus, alter perforatus.

calculos tradunt, ſolidum & perforatum, videntibus actore & reo, ne aut ſolidos omnes, aut perforatos accipiant.

AXIOMATA.

In confeſſione facti, iuris tamen ſuſcipi poteſt defenſio.

Nonnunquam poteſt abſolui is qui fatetur.

Qui non pœnam confeſſioni, ſed defenſionem dedit, is cauſam interitus quærendam non interitum putauit.

ARGVMENTVM.

Oſtendit duobus exemplis M. Liuij Druſi, & Pub. Scipionis Aemiliani cædem Clodij tanti non fuiſſe, vt propter eam inſtitui debuerit noua quæſtio: ídque Pompeij ipſius auctoritate confirmat.

XVI. IAM illud dicet ipſe profectò, quod ſua ſponte fecit, P. ne Clodio tribuendum putet, an tempori. Domi ſuæ nobiliſſimus vir, Senatus propugnator, atque illis quidem temporibus pænè patronus, auunculus huius noſtri iudicis, fortiſſimi viri, M. Catonis, Tribunus plebis M. Druſus occiſus eſt. nihil de eius morte populus conſultus, nulla quæſtio decreta à Senatu eſt. Quantum luctum in hac vrbe fuiſſe à noſtris patribus accepimus, cum P. Africano domi ſuæ quieſcenti illa nocturna vis eſſet illata? quis tum non gemuit? quis non arſit dolore? quem immortalem, ſi fieri poſſet, omnes eſſe cuperent, eius ne neceſſariam quidem exſpectatam eſſe mortem?

EXPLANATIO.

IAM ILLVD.] Miro artificio, dum oſtendere nititur cauſſæ nihil fuiſſe, cur de cæde Clodij nouam inſtitueret quæſtionem Pompeius, ipſius conſcientiam teſtatur, & ipſius factum excuſat. Iam illud dicet ipſe Pompeius profectò, vtrum hanc quæſtionem, quam ſua ſponte, nullâ Senatus auctoritate compulſus decreuit. ideò decreuerit quòd cædem Clodij damnaret, an potiùs quòd tempori putaret eſſe ſeruiendum, & placandos hac quęſtionis inſtitutione plebis animos, qui in ſeditionem exarſerant, & euellendam ſuſpicionem quæ in imperitorum animis inſidere potuiſſet, Pompeium non bona fide in gratiam cum Clodio rediiſſe.

SENATVS PROPVGNATOR.] Qui iudicia Senatui Gracchanis legibus erepta, ad Senatum ab equeſtri ordine referre cupiebat.

AVVNCVLVS.] Maior auunculus, ſiue matris auunculus. vide quomodo cædis atrocitatem exaggeret. 1. à loco: domi ſuæ, *quæ cuique tutiſſimum refugium & receptaculum eſt.* 2. à nobilitate. 3. à meritis in Senatum atque adeo in Rempub. 4. à conſanguinitate Catonis iudicis. quod tum Catonis ipſius, tùm cæterorum iudicum animos magis feriebat. 5. à magiſtratu, & tribunatu qui magiſtratus erat ſacroſanctus, & inuiolabilis. è quibus confici poteſt hic ſyllogiſmus.

Multò minùs tribuendum Clodio putauit Pompeius, quàm maiores noſtri Liuio & Iuniori Africano.

Sed non tantùm tribuendum iis putauerunt, vt propter eorum cædem nouas inſtitueret quæſtiones.

Ergo Pompeius tantùm tribuendum Clodio non putauit, vt propter eius cædem nouas inſtituerent quæſtiones.

Propoſitio facilè potuit intelligi. maior aſſumptio & complexio conceptis verbis continetur: ita tamen vt concluſio minorem antecedat.

QVANTVM LVCTVM.] P. Scipionis Æmiliani Africani Numantini cædem, auget ab iiſdem locis: addit & alias circunſtantias duas, tempus nocturnum, & populi ſenſum dolorémque, quem ex illius cæde hauſerunt vniuerſi. tum per antitheſim *mortis, immortalis*, facti atrocitatem oſtendit.

NOTÆ.

DOMI SVÆ.] Caius D. *De in ius vocando plerique putauerunt nullum de domo ſua in ius vocari debere, quia domus tutiſſimum cuique refugium atque receptaculum ſit.* Qua de re fusè D. de S. C. Silaniano lege 1. & quæ nos diximus in Vatinium §.2. quare Tullius licet eandem Liuij domum poſſideret, atque adeo *domi meæ* dicere potuiſſet, *domi ſuæ* dicere maluit, vt vehementior eſſet ipſius oratio. Velleius libro 2. *Cùm ædificaret domum, in palatio in eo loco, vbi eſt, quæ quondam Ciceronis, mox Cenſorini fuit, nunc Statilij Siſennæ eſt, promitterétque ei architectus, ita ſe eam ædificaturum vt libera à conſpectu, immunis ab omnibus arbitris eſſet, neque quiſquam in eam deſpicere poſſet: Tu verò, inquit, ſi quid in te artis eſt, ita compone domum meam, vt quicquid agam ab omnibus perſpici poſſit.* I. Domus Liuij Druſi.

NOBILISSSMVS VIR.] Velleius lib. 2. *M. Liuius Druſus vir nobiliſſimus, eloquentiſſimus, ſanctiſſimus.* Appianus 1. ciuilium: ἀνὴρ ἐπιφανέστατος ἐκ γένους. *vir genere illuſtriſſimus.* De Liuiæ gentis nobilitate Tranquillus cap. 3. *Quæ familia quamquam plebeia, tamen & ipſa admodum floruit, octo conſulatibus, cenſuris duabus, triumphis tribus: dictaturâ etiam, ac magiſterio equitum honorata: clara & inſignibus viris.* Subdit de Druſorum cognomine: *Druſus hoſtium duce Drauſo comminus trucidato. ſibi poſteriſque ſuis cognomen inuenit.* Hunc autem Druſum Richardus Stren- II. Druſorum nobilitas.

nius noſtri proauum fuiſſe opinatur.

III. Druſus Senatus propugnator.

SENATVS PROPVGNATOR.] Velleius libro 2. *Cùm Senatui priſcum reſtituere cuperet decus, & iudicia ab equitibus ad eum transferre ordinem*, &c. *in iis ipſis quæ pro Senatu moliebatur, Senatum habuit aduerſarium, non intelligentem ſi qua de plebis commodis ab eo agerentur, veluti ineſcandæ illiciendæque multitudinis cauſſâ fieri, vt minoribus perceptis, maiora permitteret.*

IV. Et patronus.

PENE PATRONVS.] Addit *penè*, quia non ipſi, ſed patri conceſſum id fuerat, vt patronus ordinis Senatorij diceretur. Suetonius loco proximè citato: *Eius abnepos ob eximiam aduerſus Gracchos operam patronus Senatus dictus, filium reliquit, quem in communi diſſenſione multa variè molientem, diuerſa factio per fraudem interemit.*

V.

AVVNCVLVS.] Valerius libro tertio cap. 1. adſtipulatur de Catone: *Cùm in domo M. Druſi auunculi ſui educaretur*, &c. Plutarchus in Catone Vticenſi, non Catonis, ſed matris eius auunculum appellat: Παρὰ Λιβίῳ Δρούσῳ τροφὴν καὶ δίαιταν εἶχον, θείῳ μὲν ὄντι τῆς μητρὸς, ἄγοντι δὲ τὴν πολιτείαν τότε. *Apud Liuium Druſum educabantur, matris auunculum, qui tum præcipuas in Republica partes obtinebat.* Paulò pòſt tamen Catonis auunculum ſimpliciter appellat, cùm Poppedium Silonem ita Catoni loquentem inducit: Οὐχ οἷος εἶ τοῖς ξένοις συλλαμβάνεσθαι πρὸς τὸν θεῖον, ὥσπερ ὁ ἀδελφός; *Non potes, vt frater tuus, hoſpitibus eſſe auxilio, apud auunculum tuum?* Auunculorum autem, vt id breuiter notemus, ea fuit diſtinctio, vt alius *auunculus* abſolutè, alius *magnus auunculus*, alius *maior*, alius denique *maximus* diceretur. Paulus D. de gradibus & adfinibus. l. Iuriſconſultus: *Auunculus eſt matris frater*, &c. *auunculus magnus eſt auiæ frater. quatuor perſonæ huic nomini eadem ratione ſubiectæ ſunt. mihique is eſt auunculus magnus, qui patri meo vel matri meæ auunculus eſt*, &c. Item: *Auunculus maior, is eſt proauiæ frater, eadem dinumeratione hic quoque octo perſonas computabimus.* Aliquantò pòſt: *Auunculus maximus, is eſt abauiæ frater. quod nomen, vt innuit, perſonas duas & triginta complectitur. atque auunculus quidem tertio, magnus auunculus quarto, maior quinto, maximus ſexto conſanguinitatis gradu continetur.* Vide tit. laudatum lib. 38. D. Feſtus: *Maior auunculus aui & auiæ auunculus.* Suetonius tamen eo ſenſu *maiorem auunculum*, quo Tullius auunculum ſimpliciter appellat. in Auguſto cap. 7. *Profectum mox auunculum in Hiſpanias, aduerſus Cn. Pompeij liberos*, &c. *ſubſecutus.* Nam Iulius Cæſar Atiæ matris Auguſti fuit auunculus, & auiæ frater. idem cap. 3. *Atia M. Atio Balbo, & Iulia ſorore C. Cæſaris genita eſt.* laxiùs etiam Maro auunculi nomen vſurpat:

Auunculus.

Magnus auunculus.

Maior.

Maximus.

Et pater Æneas & auunculus excitet Hector.

Sic Græci vocem θεῖος, ſiue ἠθεῖος, modò pro auunculo propriè dicto, modò pro fratre ſeniore, & colendo, modò pro quauis perſona veneranda vſurpant. Sed de his Euſtathius Iliados ζ. & vt te onere leuem, Henricus Stephanus in ſuo theſauro conſulatur.

VI. Sacroſanctus Tribunus plebis.

TRIBVNVS PLEBIS.] Sacroſanctus fuit Tribunatus plebis. lege ſacrata quæ à Dionyſio lib. 6. ſic concipitur: Ὁ δὲ νόμος ἐστὶ, Δήμαρχον ἄκοντα, ὥσπερ ἕνα τῶν πολλῶν μηδεὶς μηδὲν ἀναγκαζέτω δρᾶν, μηδὲ μαστιγούτω, μηδ' ἐπιτρεπέτω μαστιγοῦν ἑτέρῳ, μηδ' ἀποκτιννύτω, μηδ' ἀποκτείνειν κελευέτω. ἐὰν δέ τις τῶν ἀπηγορευμένων τι ποιήσῃ ἐξάγιστος ἔστω, καὶ τὰ χρήματα αὐτοῦ Δήμητρος ἱερά. καὶ ὁ κτείνας τινὰ τῶν ταῦτ' εἰργασμένων, φόνου καθαρὸς ἔστω. &c. *Lex autem ſic habet, Tribunum plebei inuitum, vt vnum è multis quicquam facere nemo cogito, ne verberato, ne verberari imperato, ne occidito, ne occidi iubeto. ſi quis prohibitorum quicquam faxit, ſacer eſto, & eius bona Cereri conſecrantor. qui legis violatorem occiderit, purus eſto.* &c. Vide Liuium libro 3. oratorem in Sextiana 79. alibi paſſim.

OCCISVS EST.] Velleius libro ſæpè laudato: *Tum conuerſus Druſi animus, quando bene cœpta malè cedebant, ad dandam ciuitatem Italiæ: quod cùm moliens reuertiſſet è foro, immenſa illa & incognita, quæ eam ſemper comitabatur, cinctus multitudine, in atrio domus ſuæ cultello percuſſus, qui affixus lateri eius relictus eſt, intra paucas horas deceſſit. ſed cùm vltimum redderet ſpiritum, intuens circunſtantium mœrentiúmque frequentiam, effudit vocem conuenientiſſimam conſcientiæ ſuæ: Ecquando, inquit, propinqui, amicíque, ſimilem mei ciuem habebit Reſpublica?* Eum autem ferunt à Qu. Vario ſublatum. Cicero in Bruto, pro domo, 5. de finibus, 2. de legibus, 3. de natura Deorum, & alij faciunt eius mentionem.

VII. Cædes Liuij Druſi.

POPVLVS CONSVLTVS.] Et hoc è veteri more. populum enim rogationibus conſuli dicebant. Noſter pro domo ſua: *Si populus Romanus de iſta re conſultus eſt.* Varro libro quarto de lingua Latina: *Conſul nominatus, quòd conſulere populum & Senatum debet.* Liuius lib. 22. *L. Cornelius Pontifex Maximus conſulente collegio Pontificum omnium primum populum conſulendum de verè ſacro cenſet.* Feſtus Pompeius: *Rogat, eſt conſulit populum, vel petit ab eo, vt id ſciſcat quod ferat.* Hanc notam debes Briſſonio.

VIII.

Conſulere populum.

ILLA NOCTVRNA VIS.] Facta quæ legibus puniuntur, *Conſideranda ſunt ſeptem modis.* vt notat Claudius Saturninus D. de pœnis. l. 16. *Cauſa, perſona, loco, tempore, qualitate, quantitate, & euentu.* Noſter paucis verbis penè omnia comprehendit. perſonam, *quem immortalem*, &c. locum, *domi ſuæ.* tempus *nocturna vis.* qualitatem *illa*, qua particula etiam cauſſa necis emphaticè continetur. euentum: *Quis tum non ingemuit?* &c. Valerius lib. 4. cap. 1. *Acerrimè cum Scipione Africano Macedonicus diſſenſerat*, &c. *ſed tamen cùm interemptum Scipionem conclamari audiſſet, in publicum ſe proripuit, mœſtóque vultu, & voce confuſa: Concurrite, concurrite, inquit, ciues: mœnia noſtræ vrbis euerſa ſunt. Scipioni enim Africano, intra ſuos penates quieſcenti nefaria vis illata eſt.* Plutarchus in Romulo de morte Scipionis varias ait fuiſſe ſententias: Σκιπίωνος Ἀφρικανοῦ μετὰ δεῖπνον οἴκοι τελευτήσαντος, οὐκ ἔσχε πίστιν, οὐδ' ἔλεγχον ὁ τρόπος τῆς τελευτῆς· ἀλλ' οἱ μὲν αὐτομάτως, ὄντα φύσει νοσώδη, καμεῖν λέγουσιν, οἱ δ' αὐτὸν ὑφ' ἑαυτοῦ φαρμάκοις ἀποθανεῖν, οἱ δὲ τοὺς ἐχθροὺς τὴν ἀναπνοὴν ἀπολαβεῖν αὐτοῦ, νύκτωρ παρεισπεσόντας. *Cùm Scipio Africanus poſt cœnam domi mortuus eſſet, probari conuincique non potuit quo pacto id accidiſſet: alij enim caſu factum fuiſſe dicunt, cùm natura valetudinarius eſſet, alij ipſum ſibi veneris mortem intuliſſe, alij impetu noctur-*

IX.

Cædes Minoris Africani.

no inimicos ei ſpiritum præcluſiſſe.

X. IMMORTALEM.] Seneca epiſt. ad Lucilium 53. adeo hanc immortalitatem non requirit, vt ex hominis mortalitate virtutis dignitatem oſtendat: *Omnes mortales multò antecedes, non multò te Dij antecedent. Quid inter te & illos interfuturum ſit, quæris? Diutiùs erunt. At mehercule magni artificis eſt clauſiſſe totum in exiguo. Tantùm ſapienti ſua, quantùm Deo omnis ætas patet*, &c. Mox: *Ecce res magna, habere mortalitatem hominis, ſecuritatem Dei.* Et epiſt. 73. *Iupiter quo antecedit virum bonum? diutiùs bonus eſt.* ſed adeatur.

Mortalitas virtuti non nocet.

XI. NECESSARIAM.] Trebellius Pollio in Claudio, cùm dixiſſet neceſſariam illam mortem anno CXXV. ſingulis euenire, ſubdit: *Quare etiamſi centum & viginti quinque annos Claudius vixiſſet, neceſſariam quidem mortem eius expectandam fuiſſe, vt Tullius de Scipione loquitur pro Milone, ſtupenda & mirabilis docet vita.* Ex quibus intelligis neceſſariam mortem dici, quæ ſit ſingulis conſtituta, eóque anno contingat vltra quem vita non poſſit propagari. de quo plura dicentur 97. ſectione, nullum tamen annum huic neceſſitati mortis eſſe fixum & ſtatutum, tum alia vitæ longioris exempla quæ ibi referentur, probant, tum iſtud è libro vndecimo Petri Maffeij rerum Indicarum: *Quidam è Gangaridum gente, quam hodie Bengalam vocant, ad Prætorem adiit, natus vt ferebatur, annos trecentos triginta quinque. neque mendacij ſuſpicio ſuberat. nam & ſeniores qui tum erant, ſe de hoc eodem grandæuo aiebant à maioribus accepiſſe, & ipſe filium habebat nonagenarium; & cùm litteram noſſet nullam, quæ referebantur ab eo de veterum geſtis rebus, ad fidem annalium optimè congruebant. Huic aliquoties iam deciderant dentes, aliis continuò ſubnaſcentibus: & barba vbi prorſus incanuiſſet, in atrum denuo colorem, idque paulatim ſemetipſa vertebat.* Hæc ille, ad quæ non inuitus deflexi.

Mors neceſſaria.

Indi ſenectus.

AXIOMATA.

Sæpè multa non perſonis ipſis tribuuntur, ſed tempori

Luctuoſum eſt, quam immortalem ſi fieri poſſet omnes cuperent, eius neceſſariam quidem mortem expectari.

ARGVMENTVM.

Nullam de Africani morte quæſtionem nouam ferri debuiſſe, rationibus è Stoicorum ſchola petitis oſtendit. pedetentim ad partem turpitudinis, quæ cauſſam Milonis dubiam faciebat, diluendam accingitur.

XVII. NVM igitur vlla quæſtio de Africani morte lata eſt? certè nulla. quid ita? quia non alio facinore clari homines, alio obſcuri necantur. interſit inter vitæ dignitatem ſummorum, atque infimorum: mors quidem illata per ſcelus iiſdem pœnis teneatur, & legibus. niſi fortè magis erit parricida, ſi quis conſularem patrem, quàm ſi quis humilem necauerit, aut eo mors atrocior erit P. Clodij, quod is in monumentis maiorum ſuorum ſit interfectus. hoc enim ſæpè ab iſtis dicitur: perinde quaſi Appius ille Cæcus viam munierit, non qua populus vteretur, ſed vbi impunè ſui poſteri latrocinarentur.

EXPLANATIO.

NVM IGITVR.] Totus hic paragraphus his argumentationibus continetur.

Clarorum & obſcurorum hominum cædes iiſdem legibus ſunt puniendæ.

Sed propter obſcurorum hominum cædes non inſtituuntur nouæ quæſtiones.

Ergo nec inſtitui debent propter cædes clarorum virorum, atque adeo ipſius Africani.

Probat maiorem ſiue propoſitionem illius ſyllogiſmi.

In pari ſcelere par debet eſſe pœna.

Sed eodem facinore clari homines & obſcuri necantur.

Ergo clarorum & obſcurorum hominum cædes iiſdem legibus ſunt puniendæ.

NON IGITVR.] Complexio prioris ſyllogiſmi per ſubiectionem & dialogiſmum expreſſa.

QVID ITA?] Minor ſiue aſſumptio poſterioris ſyllogiſmi.

INTERSIT.] Conceſſio.

MORS QVIDEM.] Propoſitio poſterior, in qua duobus apicibus ſublatis libenter legerim, *Mors idem illata per ſcelus.*

NISI FORTE.] Probat aſſumptionem ſyllogiſmi poſterioris.

Non magis eſt parricida qui conſularem patrem, quàm qui obſcurum occiderit.

Ergo eodem facinore clari homines & obſcuri necantur.

AVT EO MORS.] Accuſatores Milonis atrocitatem, & indignitatem cædis Clodianæ exaggerebant eo nomine, quod in ipſa via Appia, quam ipſius maiores ſilice ſtrauerant, fuiſſet occiſus. Hanc conſiderationem ait Orator tanti non fuiſſe, vt propterea quærendum fuerit noua quæſtione.

IN MONVMENTIS MAIORVM TVORVM.] In Appia via quam Appius Clodius Cæcus Pub. Clodij atauus muniuit.

PERINDE.] Obiectionem de Appia via prudenter eludit ab intentione Appij Clodij, qui viam muniens non id ſpectabat, vt poſteri ſui in ea impunè latrocinarentur, ſed vt ea populus teretur.

NOTÆ.

NOTÆ.

1. CLARI HOMINES.] Nobiles, metaphora illa quidem, ſed quæ propriæ vocis locum obtinere videatur: ſiue quia frequentior eſt, ſiue quia neceſſitate inducta, nobis ſatis erit exempla ex vno Homero depromere. à quo Achilles paſſim φαίδιμος nominatur. vt Iliados ι.v.434. Clarus.

Εἰ μὲν δὴ νόστον γε μετὰ φρεσὶ φαίδιμ' Ἀχιλλεῦ Βάλλεαι.

Si reditum clare Æacida iam mente volutas.

Iliados τ'. 160.

-νῦν αὖτε μαχώμεθα φαίδιμ' Ἀχιλλεῦ.

Nunc autem nobis pugnandum illuſtris Achilles.

φαίδιμος. Et 583. Ἠ δή που μάλ' ἔολπας ἐνὶ φρεσὶ φαίδιμ' Ἀχιλλεῦ.

Te clare Æacida nimium ſpes pauit inanis.

Quod & aliis virtute florentibus paſſim tribuit, vt Odyſſeas κ'. 251.

Ἤϊομεν, ὡς ἐκέλευες, ἀνὰ δρυμά, φαίδιμ' Ὀδυσσεῦ.

Iuimus imperio per ſiluam illuſtris Vlyſſes.

Et Odyſſ. λ'. 99.

Νόστον δίζηαι μελιηδέα, φαίδιμ' Ὀδυσσεῦ

Τὸν δέ τοι ἀργαλέον θήσει θεός.

Exquiris reditum iucundum illuſtris Vlyſſe,

Quem tibi difficilem faciet Deus.

Et ne morer, vide eundem librũ 201. 487. & alibi.

Sic φαίδιμος Ἕκτωρ. Iliados λ'. 505. ζ'. 466. & 472.

Αὐτίκ' ἀπὸ κρατὸς κόρυθ' εἵλετο φαίδιμος Ἕκτωρ.

Clarus Priamides galeam de vertice traxit.

& alibi paſſim. φαίδιμος Αἴας. Iliados ε'. 617. & Iliados η'. 187. vt alia omittam:

Ὅς μιν ἐπιγράψας κυνέῃ βάλε φαίδιμος Αἴας.

Qui ſcriptam immiſit galeæ clariſſimus Aiax.

Sic Iliados ν'. φαιδιμόεντες Ἐπειοὶ nominantur.

φαίδιμοι heroes, quaſi Illuſtriſſimi. Atque hoc φαιδίμου epitheton præcipuis tantum heroibus tribuit: nos receptâ conſuetudine, *Illuſtriſſimos*, diceremus, alios ſecundi ordinis, & adoleſcentes adhuc, magnorúmque virorum filios mauult. ἀγλαοὺς, quàm φαιδίμους nominare. Sic enim plus vicies tum Iliados ε'. tum alibi de Pandaro loquitur:

ἀγλαὸς, quaſi inclytus.

-Λυκάονος ἀγλαὸς υἱός.

-Lycaonis inclyta proles.

De Eurypylo frequenter, vt Iliados β'. 136.

Τῶν ἦρχ' Εὐρύπυλος Εὐαίμονος ἀγλαὸς υἱός.

Dux erat Eurypylus Euæmonis inclyta proles.

De Periphante Iliados ζ'. 843. De Clito ο'. 445. de Euodoro π'. 185. de Philoctete Odyſſeas γ'. 190. de Eurymacho π'. 520. de Antilocho paſſim, nec infrequentiùs de eiuſdem fratre Piſiſtrato:

Ἥρως Τηλέμαχος καὶ Νέστορος ἀγλαὸς υἱός.

Heros Telemachus & Neſtoris inclyta proles.

Quod nomen ad Deos, aut Deorum filios ti aducitur, ſed cum adiecto υἱοῦ, vt conſtet non tam magnis heroibus, quàm eorum liberis conuenire. vt Ὀδυσσείας λ'. 567.

Ἔνθ' ἤτοι Μίνωα ἴδον Διὸς ἀγλαὸν υἱόν.

Hic mihi conſpectus Minos Iouis inclyta proles.

Hymno in Mercurium 497.

Λητοῦς ἀγλαὸς υἱὸς ἄναξ ἑκάεργος Ἀπόλλων.

Inclyta Latonæ ſoboles iaculator Apollo.

Sic ibidem Mercurius, Bacchus hymno εἰς Διόνυσον, ἀγλαὸς etiam nominatur. atque eadem diſtinctione, ni fallor, mos inualuit apud Romanos, vt principes ciuitatis & ipſa Senatus lumina, *viri clariſſimi*, Equitum primores, *viri ſplendidi*, dicerentur. Clariſſimi. Splendidi. Aliam appellationem adfert Homerus illuſtriorem opinor, quàm iis ſolùm qui maximam armis gloriam eſſent conſecuti, vel Regibus ætate prouectioribus, & maiori auctoritate pollentibus tribuebant, vnde verſus ille Odyſſeæ θ'. λ'. pluries repetitus:

Ἀλκίνοε κρεῖον πάντων ἀειδείκετε λαῶν.

Totius Rex Alcinoë illuſtriſſime gentis. ἀειδείκετος.

Ob gloriam militarem Neoptolemus dictus ἀειδείκετος. vide Odyſſ. λ'. 539. & Coon Iliados, qui Agamemnonem præclariſſimè ſe gerentem ſaucium coëgit pugnâ excedere. Iliados χ. dicitur:

-Κόων ἀειδείκετος ἀνδρῶν.

Coon clariſſimus ille virorum.-

Maro tamen tam accuratè non diſtinxit Pandarum: Λυκάονος ἀγλαὸν υἱόν. *clariſſimum* appellans 5. Æneidos:

-tuus, ô clariſſime, frater

Pandare, qui quondam iuſſus confundere fœdus, &c.

AXIOMATA

Non alio facinore clari homines, alio obſcuri necantur.

Intereſt inter vitæ dignitatem ſummorum atque infimorum: mors quidem illata per ſcelus iiſdem pœnis teneatur, & legibus.

Non magis erit parricida, ſi quis conſularem patrem, quàm ſi quis humilem necauerit.

ARGVMENTVM.

Inuidiam quæ ex Clodij cæde in Milonem manabat, regerit in Clodium, qui & in eadem Appia via ſplendidiſſimum equitem Romanum occiderat, & ſeruum ad inferendam Pompeio necem in veſtibulo Curiæ collocarat.

ITAQVE in eadem iſta Appia via cùm ornatiſſimum equitem Rom. M. Papirium occidiſſet, non fuit illud facinus puniendum. homo enim nobilis in ſuis monumentis equitem Rom. occiderat. Nunc eiuſdem Appiæ nomen quantas tragœdias excitat? quæ cruentata antea cæde honeſti, atque innocentis viri ſilebatur, eadē nunc crebro vſurpatur, poſtea quam latronis, & parricidæ ſanguine imbuta eſt. Sed quid ego illa commemoro? comprehenſus eſt in templo Caſtoris ſeruus P. Clodij, quem ille ad Cn. Pompeium interficiendum collocarat. extorta eſt confitenti ſica de manibus. caruit foro poſtea Pompeius, caruit Senatu, caruit publico: ianua ſe ac parietibus, non iure legum iudiciorúmque texit. XVIII.

EXPLANATIO.

ITAQVE.] Argumentatio eſt ironica illa quidem, ſed grauitèr inuidiam inflammans.

Non eſt facinus puniendum quod homo nobilis in monumentis maiorum ſuorum commiſerit.

Sed Clodius homo nobilis in via Appia & monumentis maiorum ſuorum Papyrij cædem admiſit.

Ergo Papyrij cædes non fuit punienda.

Grauiùs inuidiam retorquet quàm ſi citra ironiam ita loqueretur.

Grauiſſimo ſupplicio dignus eſt qui in monumentis maiorum ſuorum ad vſum populi excitatis latrocinatur.

Sed Clodius in Appia via latrocinari conatus eſt.

Ergo grauiſſimo ſupplicio dignus fuit.

Quippe qui adeo degenerauit à ſuis maioribus, vt quæ illi ad populi commoda deſtinarant, ipſe ad latrocinia exercenda & Reip. perniciem conuerterit.

M. PAPYRIVM OCCIDISSET.] Non poſſum diſertiùs quàm Aſconij verbis rem explicare: *Pompeius poſt triumphum Mithridaticum Tigranis filium in catenis depoſuerat, apud Flauium Senatorem: qui poſteà cùm eſſet Prætor eodem anno, quo Trib. pleb. Clodius, petit ab eo Clodius, ſuper cœnam, vt Tigranem adduci iuberet, vt eum videret. adductum collocauit in conuiuium, deinde Flauio non reddidit: dimiſit, & habuit extra catenas, nec repetenti Pompeio reddidit: poſtea in nauem depoſuit, & cùm profugeret ille tempeſtate delatus eſt, tantùm ille vt deduceretur ad ſe, Clodius Sextum Clodium de quo ſupra diximus, qui eum reduceret.* Vides hoc loco verba penitus eſſe corrupta, ſenſus apparet: *Poſtea in nauem depoſuit, & cùm profugeret ille tempeſtate relatus eſt in portum, Ille (videlicet Pompeius) vt deduceretur ad ſe poſtulauit, Clodius Sextum Clodium appoſuit qui eum reduceret.* Pergit Aſconius: *Flauius quoque re cognita, ad diripiendum Tigranem profectus eſt, ad quartum lapidem ab vrbe pugna facta eſt. in qua multi ex vtraque parte ceciderunt. plures tamen ex Flauij. inter quos & M. Papyrius eques Romanus, publicanus, familiaris Pompeio. Flauius ſine comite Romam vix perfugit.*

NVNC EIVSDEM.] Per comparationem Papyrij cum Clodio indignitatem obiectionis exaggerat.

QVANTAS TRAGOEDIAS EXCITAT.] Quam inuidioſè obiicitur?

LATRONIS ET PARRICIDÆ.] Clodij inſidiatoris & homicidæ.

SED QVID EGO ILLA COMMEMORO?] Quæ parua ſunt & ſilentio prætereunda, ſi cum aliis grauioribus conferantur.

COMPREHENSVS EST.] Idem Aſconius: *Piſone & Gabinio Conſulibus pulſo Cicerone in exilium, cùm III. Idus Sextiles Pompeius in Senatum venit, dicitur ſeruo Pub. Clodij ſicam excidiſſe, eáque ad Gabinium Conſulem delatâ dictum eſt, ſeruo imperatum à Pub. Clodio, vt Pompeius occideretur. Pompeius ſtatim domum rediit.*

IN TEMPLO CASTORIS.] In æde Caſtoris & Pollucis, quæ in foro Romano fuit, vbi tum Senatus habebatur.

NOTÆ.

HOMO ENIM NOBILIS.] Thucydides 1.
libro tertio oratione Thebanorum contra Platæenſes: Καὶ μὴ παλαιαὶ ἀρεταί, εἴ τινες ἄρα καὶ ἐγένοντο, ἀκούοντες ἐπικλασθῆτε, ἃς χρὴ τοῖς μὲν ἀδικουμένοις ἐπικούρους εἶναι, τοῖς δ' αἰσχρόν τι δρῶσι, διπλασίας ζημίας. ὅτι οὐκ ἐκ προσηκόντων ἁμαρτάνουσιν. *Neque maiorum virtutibus, ſi quæ vnquam extiterunt, auditis flectamini, quas oportet iniuria affectis auxilio eſſe, iis autem qui turpiter fecerint, duplicem inferre mulctam, quod peccarint cùm minimè conueniret.* Neſcio tamen quo modo eadem nobilitas & crimen grauius facit, & tamen minùs puniendum. Grauius eſt quod turpe ſit à maiorum ſuorum virtute deflectere. pulchrè Iuuenalis Sat. 8.

Quòd ſi præcipitem rapit ambitus, atque libido.
Si frangis virgas ſociorum in ſanguine, ſi te
Delectant hebetes laſſo lictore ſecures,
Incipit ipſorum contra te ſtare parentum
Nobilitas, clarámque facem præferre pudendis. Nobiliū peccata magis apparent.
Omne animi vitium tanto conſpectius in ſe
Crimen habet, quanto maior qui peccat habetur.

Quod in bello Iugurthino Marius Salluſtianus his verbis oſtendit: *Quanto vita illorum præclarior, tanto horum ſocordia flagitioſior. & profectò ita ſe res habet: maiorum gloria poſteris quaſi lumen eſt, neque bona eorum, neque mala in occulto patitur.* Videtur Iſidorus vtriuſque veſtigiis inſtitiſſe: *Quanto ſplendoris honore celſior quiſque eſt, tanto, ſi delinquit, peccato maior eſt.* Mox: *Tanto enim maius cognoſcitur eſſe peccatum, quanto maior eſt qui peccat: creſcit enim delicti cumulus iuxta ordinem meritorum, & ſæpè quod minoribus ignoſcitur, maioribus imputatur.* Et verò quis cinctum in Cæſare, ſomnum in Scipione, in aliis alia notauiſſet, niſi ipſorum nobilitas facem huiuſmodi vitiis prætuliſſet? Plutarchus in præceptis politicis: Πομπήιον δὲ Μάγνον ἐλοιδόρουν οἱ ἐχθροὶ παραφυλάξαντες ἑνὶ δακτύλῳ τὴν κεφαλὴν κνώμενον. ὡς γὰρ ἐν τῷ προσώπῳ φακὸς καὶ ἀκροχορδὼν διαχερεῖνεται μᾶλλον, ἢ στίγματα, καὶ κολοβότητες, καὶ οὐλαὶ τοῦ λοιποῦ σώματος· οὕτω τὰ μικρὰ φαίνεται μεγάλα τῶν ἁμαρτημάτων ἐν ἡγεμονικοῖς καὶ πολιτικοῖς ὁρώμενα βίοις. *Pompeio Magno conuitium faciebant inimici cùm eum aduertiſſent caput vno digito ſcalpentem. ſicut enim in facie lens & verruca moleſtiores ſunt, quàm reliquæ corporis maculæ, mutilationes & cicatrices: ſic exigua peccata vbi in principis cernuntur vita pro magnis habentur,* &c. Galenus protreptico: Καταγινώσκονται μᾶλλον οἱ ἀνάξιοι τοῦ γένους, ὅτε εἰ καί τις κλεινὸς ὢν ὑπομιμνήσκῃ τὸ λαμπρὸν τοῦ γένους, ἀσυγγνωστότερον ἑαυτῷ τὸ κακὸν ἀποφαίνει. οὐ γὰρ ὁμοίως ἐξετάζομέν τε καὶ βασανίζομεν τοὺς ἐντυχόντας ἀνθρώποις τοῖς ἐκ γένους λαμπροῦ. ἀλλὰ τοὺς μὲν, κἂν μέτριοί τινες ὦσιν, ἀποδεχόμεθα τῇ δυσγενείᾳ τῆς ἐνδείας τὴν αἰτίαν ἀναφέροντες. τοὺς δ' εἰ μηδὲν τῶν προγόνων ἄξιον ἔχοιεν, οὐδέπω θαυμάζομεν, ἂν καὶ τῶν δήμων ἁπάντων πολὺ διαφέρωσιν. *Qui generi ſuo non reſpondent, maiore reprehēſione digni ſunt, quàm obſcuro loco nati: Itaque fit vt ſi vecors prædicet claritatem generis, declaret ſuum ipſius vitium minùs venia dignum eſſe. neque enim eadem trutinâ æſtimamus aut exploramus plebeios homines, qua claro genere natos. ſed illos ſi vel mediocri virtute præditi ſint, probamus & amplectimur, quod deeſt illorum virtuti, generis obſcuritati attribuentes. Rurſum hoc qui nihil habent dignū imaginib. maiorū, etiamſi cæteris omnib. antecellant, nondum tamen ſuſpicimus.*

Nihilo tamen ſeciùs nobilibus viris, ſi quid deliquerint, faciliùs ignoſcitur. Lucilius libro ſexto:

-Peccare impune rati ſunt
Poſſe ac nobilitate facul propellere iniquos.

Marius apud Salluſtium: *Alij ſi deliquere vetus nobilitas, maiorum fortia facta, cognatorum & affinium opes, multæ clientelæ, omnia hæc præſidio adſunt: mihi ſpes omnes in memet ſitæ.* Tiraquellus libro De nobilitate cap. 20. & De pœnis temperandis cauſſa 31. rem ex profeſſo tractat, & quidem eruditè, nos ex eo pauca ſeligemus. citatis multis legibus in hanc ſententiam laudat Quintilianum lib. 6. cap. 1. *Periclitantem verò commendat dignitas, & ſtudia fortia, & ſuſceptæ bello cicatrices, & nobilitas, & merita maiorum.* Vide eundem lib. 7. cap. 4. Tullium 2. Rhetoricorum, Valerium lib. 8. cap. 4. de Æmilio Scauro, Liuium libro tertio de Appio Clodio, Suetonium in Auguſto cap. 5. de C. Lectorio, Tullius 2. de lege agraria: *Quemadmodum cùm petebam nulli me vobis auctores generis mei commendabant: ſic ſi quid deliquero, nullæ ſunt imagines, quæ me à vobis deprecentur.* Minùs igitur puniuntur nobiles ob eadem delicta, niſi perſonæ dignitas aut nobilitas augeat delictum. tunc enim grauiùs puniuntur, vt pœna delicto reſpondeat. vide Tiraquellum loco citato à numero 17. multis id legum ſanctionibus comprobantem. *Tum autem*, vt idem ait numero 19. *dicitur crimen augeri dignitate, cùm in his peccamus quæ dignitatem noſtram concernunt, vel in his propter quæ dignitatem vel honorem ſumus conſecuti*, &c. *vel etiam quando delinquimus prætextu, colore, & velamento dignitatis.* Atque hinc infert nobilem ſi proditionis crimen admiſerit, grauiùs puniendum: adeo enim nobilitati repugnat proditio, vt proditor nobilitatem amittat. quod ex eo conſtat quòd nobilitatis illius indicia delenda ſunt. D. de pœnis. l. Eos qui, &c. Hinc item fit, vt nobilis crimine falſi deuinctus, aut in fide errans, aut mandatum Principis contemnens grauiori quàm ignobilis, aut ſaltem æquali ſupplicio ſit puniendus. Atque hęc, vt ait, de cauſſis criminalibus debet intelligi, nam vt plurimũ in cauſſis pecuniariis, ſi cætera ſint paria, nobiles grauiore pœna mulctantur. Sed præſtat dictorum rationem inquirere.

Minùs puniũtur nobiles ob eadem delicta.

Pœnis corporalibus.

Pecuniariis non item.

Prima huius diſcriminis cauſſa à Iuriſconſultis adfertur. *Nam affligitur magis nobilis ex parua quapiam pœna corporali, quàm ex magna ignobilis: ideóq. modica pœna maior in eo cenſetur, quàm magna in plebeio, & è diuerſo in pecuniariis.* Cùm enim, vt ait Plato in Protagora, pœna ideo infligatur, vt eius metus à peccãdo mortales abſterreat: Ὁ δὲ μετὰ λόγου ἐπιχειρῶν κολάζειν, οὐ τοῦ παρεληλυθότος ἕνεκα ἀδικήματος τιμωρεῖται (οὐ γὰρ ἂν τό γε πραχθὲν ἀγένητον θείη) ἀλλὰ τοῦ μέλλοντος χάριν, ἵνα μὴ αὖθις ἀδικήσῃ, μήτε αὐτὸς οὗτος, μήτ' ἄλλος ὁ τοῦτον ἰδὼν κολασθέντα. καὶ τοιαύτην διάνοιαν ἔχων διανοεῖται παιδευτὴν εἶναι ἀρετήν· ἀποτροπῆς γοῦν ἕνεκα κολάζει. *Qui cum ratione punire conatur, non præteriti facinoris cauſſa caſtigat (neque enim efficere poteſt, vt quod factum eſt, factum non ſit) ſed propter futurum, vt neque ipſe iterum delinquat, neque alius vllus cùm eum puniri aduerterit. quod qui in animum induxit ſuum is doceri poſſe virtutem arbitratur: nam ideo punit, vt homines à peccando deterreat.* Cùm igitur leuis pœna corporis nobiles non minùs abſterreat, quàm grauis plebeios, meritò nobiles leuius, quàm plebeij pœna corporis puniuntur, at in pecuniariis contra, non minùs abſterret leuis, multa plebeios, quàm grauis nobiles, ideóque plebeij leuiore pœna plectuntur.

Altera, quia nobiles ſunt in Rep. pauciores, atque adeo quàm fieri poterit rariſſimè ſunt morte plectendi, ne frequentia ſuppliciorum Rempub. nobilibus viris exhauriat. Hinc illud Euripidis apud Stobœum ſermone 84.

Φειδώμεθ' ἀνδρῶν εὐγενῶν, φειδώμεθα,
Κακοὺς δ' ἀποπτύωμεν, ὥσπερ ἄξιοι.

Parcamus nobilibus viris, parcamus,
Malos autem reſpuamus, vt digni ſunt.

Quemadmodum enim magis auro quàm cæteris metallis parcimus. ſic nobilib. generis aurei reliquiis meritò parcit Reſp. Plato 3. Reipublicæ: Ὁ θεὸς πλάττων ὅσοι μὲν ὑμῶν ἱκανοὶ ἄρχειν, χρυσὸν ἐν τῇ γενέσει συνέμιξεν αὐτοῖς. διὸ τιμιώτατοί εἰσιν. *Deus hominem fingens, in eorum productione qui apti ſunt ad gerendos magiſtratus aurũ immiſcuit. ideóque ſummo in pretio ſunt habendi.* Nobilitas enim eſt *blanda conciliatricula*, vt dicit Orator pro Sextio 11. *Omnes boni nobilitati fauemus, & quia vtile eſt homines nobiles eſſe dignos maioribus ſuis.*

Cauſſæ huius diſcriminis.

Tertia cauſſa eſt, quam eodem loco ſubiungit: *Quia valet apud nos clarorum hominũ, & bene de Rep. meritorum memoria, etiam mortuorum.* Hinc fit vt id Reſpublica clarorum virorũ poſteris debere videatur, & ingrata ſit niſi horum poſteros, quãtum poterit, propagare conetur. eam ob rem Auguſtus, vt notat Appianus 2. ciuilium: Ἀθηναίοις αἰτήσασι συγγνώμην ἐπεδίδου, καὶ ἐπεῖπε, ποσάκις ὑμᾶς ὑπὸ σφῶν αὐτῶν ἀπολλυμένους ἡ δόξα τῶν προγόνων περισώσει; *Athenienſibus veniam petentib. conceſſit, & adiecit, Quoties vos veſtris flagitiis pereuntes maiorũ gloria ſeruabit?* Idẽ cùm Alexandrinis condonaret apud Dionem lib. 51. Πρόφασιν προὐβάλετο τόν τε Θεὸν τὸν Σάραπιν, καὶ τὸν Ἀλέξανδρον τὸν οἰκιστήν, καὶ τρίτον Ἄρειον τὸν πολίτην, ᾧ που φιλοσοφοῦντί τε καὶ συνόντι ἐχρῆτο. *Prætexebat Deum Serapidem, Alexandrum conditorem, & tertium Arium cuius philoſophiâ & conſuetudine vtebatur.*

Quarta quia, vt dicunt Theologi, legiſlator ſuis legibus non tenetur, quoad vim coactiuam, ſed tantùm quoad vim directiuam: vnde, vt ait Vlpianus, *Princeps legibus ſolutus eſt.* Non quòd legibus ſuis obtemperare non debeat, ſed quòd tranſgredienti ſuam legem nullum ſupplicium impendeat. Sic enim explicat Harmenopulus libro primo tit. 48. Ὁ βασιλεὺς νόμοις οὐχ ὑπόκειται, ἤγουν ἁμαρτήσας οὐ κολάζεται. *Princeps legibus ſolutus eſt, id eſt, ſi peccauerit non punitur.* Dio libro 53. Λέλυνται γὰρ δὴ τῶν νόμων, ὡς αὐτὰ τὰ λατινικὰ ῥήματα λέγει. τοῦτ' ἔστιν ἐλεύθεροί ἀπὸ πάσης ἀναγκαίας νομίσεως εἰσι, &c. *Principes legibus ſunt ſoluti, vt conceptis Latinè verbis dicitur, hoc eſt ab omni neceſſitate legis immunes.* Cùm igitur leges vel à nobilibus, vel ſaltem à Principe de nobilium conſilio ſanciantur, meritò nobiles pœnis legum ſuo modo ſunt ſoluti, quòd illis ſuorum priuilegiorum partem Princeps communicet. ſicut ibidem ait Vlpianus: *Auguſta autem licet legibus ſoluta non eſt, tamen eadem illi priuilegia tribuunt, quæ ipſi habent.* Hæc ex D. De legibus. l. *Princeps.*

Quinta, quia corporali pœnæ ſemper annexa eſt infamia. atque adeo nobilis vtpote honoris cupidus pœna corporali magis, quàm homo obſcurus affligitur. Ariſtoteles 2. Rhetoric. cap.15. Εὐγενείας μὲν δὲ ἦθος ὅτι φιλοτιμότερον εἶναι τὸν κεκτημένον αὐτήν. *Solent nobiles honoris eſſe cupidiores.*

Sexta ratio addi poſſet, quod nobilis libertati, plebeius ſeruituti magis natus eſſe videatur, atque adeo nobilis minùs ſeruilibus pœnis obnoxius. Pœnas autem corporales eſſe ſeruiles, quòd Romani ſolos ciues perduelles, aut ſeruos verberibus & cruce puniebant. De iis qui natura ſerui ſunt aut liberi Ariſtoteles 1. politic. cap. 3. conſulatur.

II. IN MONVMENTIS.] Eodem pacto Appius ille Cæcus in Cœliana Clodiæ profligatam impudicitiam exaggerat. 36. *Ideo aquam adduxi, vt ea tu inceſtè vterere? ideo viam muniui, vt eam tu alienis viris comitata celebrares?* Iuuenalis Sat. 8. ver.142.

Quo mihi te ſolitum falſas ſignare tabellas
In templis quæ fecit auus? ſtatuámque parentis
Ante triumphalem? &c.
Præter maiorum cineres atque oſſa volanti
Carpento rapitur pinguis Lateranus, & ipſe
Ipſe rotam ſtringit multo ſufflamine Conſul.

III. EIVSDEM APPIÆ NOMEN.] Ab Appio Clodio Cæco Publij Clodij abauo ſic appellatæ. Vide Notas in Cælianam 36.

IV. QVANTAS TRAGOEDIAS EXCITAT.] Quàm tragicè exaggeratur. ita Plautus in Pſeudolo:

Tragœdias excitare.

Illic homo eſt, vide vt paratragœdiat carnufex.

Iuuenalis Sat. 6. longè pulcherrimè, paululum deflexit:

Fingimus hæc altum ſatyra ſumente cothurnum
Scilicet, & finem egreſſi legémque priorum
Grande Sophocleo carmen bacchamur hiatu, &c.

Frequentiùs etiam Græci. Demoſthenes pro corona: Οὐκ ἂν αὐτὸν οἶμαι τοιαῦτ' εἰπεῖν, οὐδ' ἂν οὕτως ἐπαχθεῖς λόγους πείσεσθαι, ὥσπερ ἐν τραγῳδίᾳ βοῶντα, ὦ γῆ, καὶ ἥλιε, καὶ ἀρετή, καὶ τὰ τοιαῦτα. *Non eum puto talia dicturum fuiſſe, neque tam odioſos ſermones exhibiturum, vt in tragœdia vociferantem ô ſol, ô terra, ô virtus*, &c. Quod Nazianzenus epiſt. quadam ad Baſilium præ oculis videtur habuiſſe: Ὦ γῆ καὶ ἥλιε, ἀὴρ καὶ αἰθήρ. τραγῳδήσω γάρ τι μικρόν. *O terra & ſol, aër & æther. tantiſper enim paratragœdiabo.* Demoſthenes loco citato: Οὐδὲ γε τηλικούτοις ἡλίκια νῦν ἐτραγῴδει. *Cùm tanta ſint quanta nunc paratragœdiabat.* Idem Orator oratione de falſa legatione: Ποῦ ἅλες; ποῦ τράπεζαι; ποῦ σπονδαί; ταῦτα γὰρ ἐτραγῴδει περιιών. *Vbi mola ſalſa? vbi menſa? vbi libationes? hæc enim circuiens tragicè exaggerat.* Libanius Martis apologia: Καὶ τὸ μὲν τῆς χειρὸς ἔργον τραγῳδῶν, τὴν γνώμην δὲ, ᾗ ἡ χεὶρ ὑπηρέτησεν, περὶ τῶν ἀπὸ χειρὸς οὐ βουλόμενος ἐξετάζειν. *Et manus quidem opus tragicè extollens, conſilium verò, cui manus ſubminiſtrabat, ante manus acta expendere negligens.* Polybius tragœdias excitare idem eſſe, atque ſupra modum exaggerare oſtendit: Καὶ μὴν τὰς ἀτυχίας τῶν ἡγουμένων ἐκτραγῳδῆσαι καὶ συναυξῆσαι. *Ducum fortunas paratragœdiare & exaggerare.* Sed de his Budæus in commentariis linguæ Græcæ, Henricus Stephanus in theſauro, & alij paſſim conſulantur. Fabius lib. 6. cap.1. *In paruis quidem litibus, has tragœdias mouere, tale eſt, quale ſi perſonam Herculis & cothurnos aptare infantibus velis.* è 2. de oratore expreſſum. Athenagoras de reſurrectione mortuorum: Εἶτα τούτοις ἐπιτραγῳδοῦσι τὰς ἐν λιμοῖς καὶ μανίαις ἐπιτολμηθείσας τεκνοφαγίας. *Ad hæc filiorum manducationes in fame & furore tragicè exaggerant.*

CREBRO VSVRPATVR.] In Vatinium 27. *Et quoniam crebro vſurpas legem te de alternis iudiciis reiiciendis tuliſſe.* V.

PARRICIDÆ.] Nota eſt lex XII. tabularum. *Si quis hominem liberum dolo ſciens morti duit, parricida eſt. Aſt ſi telum manu fugit, pro capite & natis eius in concione arietem ſubicito.* Quæ loquendi forma ab ipſo Romulo profluxerat. in cuius legibus, auctore Plutarcho: Πᾶσα ἀνδροφονία, πατροκτονία. *Omne homicidium, parricidium.* At M. Ciceroni 2. de legibus. parricida dicitur, non is qui hominem occiderit, ſed qui ſacrilegium admiſerit: *Sacrum ſacróve commendatum qui clepſit rapſítve, parricida eſto.* vt, *parricida.* idem, atque, *capital*, eſſe videatur. Hinc lex Numæ Pompeij: *Si quis hominem liberum morti ſciens duit, parricida eſto.* Priſcianus: *Parricida tam à pari quàm à patre deduci poteſt.* Tranquillus in Iulio 42. *Pœnas facinorum auxit, & cùm locupletes eo faciliùs ſcelere ſe obligarent, quod integris patrimoniis exulabant, parricidas (vt Cicero ſcribit) bonis omnibus, reliquos dimidia parte multauit.* VI. Parricida.

SVA.] Vide infrà §.28. VII.

IANVA.] Ianua priuatarum ædium. Iuuenalis Sat. 7. VIII.

At longè ferrata domus ſeruire iubetur Ianua.
In qua ſollicitas imitatur ianua portas. Porta.

Eadem Græcis diſtinctio Thucydides in 2. Οἰόμενοι πύλας τὰς θύρας τοῦ οἰκήματος εἶναι. *Portas ædium ianuam eſſe rati.* vbi interpres: Θύραι αἱ τοῦ οἴκου, πύλαι, αἱ τοῦ τείχους. *Ianuæ domus, portæ muri.* Vnus quod ſciam confudit. Perſius Sat. 3.

-craſſíſque lutatus amomis
In portam gelidos calces extendit.

In portam i. in ianuam priuatæ domus. quamuis fortaſſe, quia beatulum deſcribit, eum inſinuat non tam in domo, quàm in vrbe habitare. tales enim erant, multæ priuatorum domus, vt cum vrbibus bene magnis poſſent contendere. Vide dicta ſuperiùs 13. digreſſione de atriis.

AXIOMATA.

Homo nobilis impune non debet in ſuis monumentis latrocinari, & homines occidere.

Summa eſt Reipub. perturbatio, ſi ianua nos & parietibus, non iure legum & iudiciorum tegamus.

ARGVMENTVM.

A variis circunſtantiis exaggerat factum Clodij, qui ſeruum ad inferendam Pompeio necem in veſtibulo curiæ collocarat, ex quo efficit, ſi nulla de his inſidiis decreta quæſtio eſt, multò minus de Clodij cæde decerni debuiſſe.

NVM quæ rogatio lata? num quæ noua quæſtio decreta eſt? atqui, XIX.
ſi res, ſi vir, ſi tempus vllum dignum fuit, certè hæc in illa cauſſa ſumma omnia fuerunt. Inſidiator erat in foro collocatus, atque in veſtibulo ipſo Senatus: ei viro autem mors parabatur, cuius in vita nitebatur ſalus ciuitatis: eo porro Reipub. tempore, quo ſi vnus ille occidiſſet, non hæc ſolùm ciuitas, ſed gentes omnes concidiſſent. niſi fortè, quia perfecta res non eſt, non fuit punienda. perinde quaſi exitus rerum, non hominum conſilia legibus vindicentur. minus dolendum fuit, re non perfecta, ſed puniendum certè nihilo minùs.

EXPLANATIO.

NVM QVÆ ROGATIO LATA?] Vt de Clodio & eius inſidiis quæreretur. quaſi dicat,

Si vnquam noua quæſtio decernenda fuit, maximè de inſidiis paratis Pompeio.

Sed de illis inſidiis noua quæſtio decreta non eſt.

Ergo nunquam decernenda eſt.

Concluſio ſubticetur. probatur ſequela maioris, à loco, à tempore, à perſona eius cui paratæ fuerant inſidiæ. *Inſidiator* ſeruus P. Clodij, *erat in foro*, vbi leges maximè vigere debent, vnde vis excludi, & *in ipſo Senatus veſtibulo* collocatus, qui locus adeo auguſtus eſt, vt *templum ſanctitatis, amplitudinis, mentis, conſilij publici, caput vrbis, ara ſociorum, portus omnium gentium* eſſe videatur. *Ei viro*, Cn. Pompeio, per antitheſim factum exaggerat, *vita, mors.*

EO PORO.] A tempore. cùm iam vix vlli eſſent qui Rempub. contra improborum conatus poſſent defendere. me in exilium, M. Catone procellâ tribunitiâ in inſulam Cyprum ſpecie honeſtæ prouinciæ procul amandato, Clodius & eius factio de pernicie non vrbis ſolùm, ſed etiam omnium gentium cogitabant.

NISI FORTE.] Occurrit tacitæ obiectioni, qua videbatur Clodij factum eleuari. Dices quæſtionem nouam ferendam non fuiſſe, quia res perfecta non eſt, nec Pompeius occiſus eſt. Reſpondeo non minùs puniri debuiſſe, quia non exitus rerum, ſed hominum conſilia legibus vindicantur.

MINVS DOLENDVM FVIT RE NON PERFECTA.] Quia Reſpub. tantum vulnus non accepit, quantum ſi Pompeius inſidiis fuiſſet oppreſſus.

SED PVNIENDVM CERTE NIHILOMINVS.] Quia nihilo minor fuit improbitas Clodij, quàm ſi Pompeius reuera cecidiſſet.

NOTÆ.

I. Inſidiator. INSIDIATOR.] Ductum, opinor, inſidiatum nomen, quòd milites locis quibuſdam abſtruſis ſoleant inſidere, & ex improuiſo in hoſtes inſurgere. Sic Græci τὸ ἐνεδρεύειν vſurpant. ab hac voce in re militari non pauca verba fluxerunt, vt ſubſidium, præſidium. præſidium, quòd qui erant præſidio, ij præ caſtris aut etiam præ mœnibus ſederent, vt primum hoſtium impetum ab vrbibus & muris prohiberent. Subſidium contra, quod ij qui ſubſidium ferebant, ſub ſiue poſt exercitus ſederent, vt poſtremos hoſtium impetus ſuſtinerent, ac in hoſtes iam certamine fatigatos inſurgerent. quales fuiſſe triarios in acie Romana Liuius, Polybius, & alij prodiderunt.

II. IN FORO.] Quàm atrox fuerit gladius in forum inferre, & quàm ſerò hoc etiam nefas irrepſerit, liquet ex Appiano primo ciuilium: Ξίφος δ' οὐδὲν πω παρενεχθὲν ἐς ἐκκλησίαν, οὐδὲ φόνον ἔμφυλον, πρίν γε Τιβέριος Γράκχος δημαρχῶν καὶ νόμους ἐσφέρων πρῶτος ἐν στάσει ἀπώλετο. *Nullum priùs gladium in concionem illatum, aut cædem ciuilem factam priùs quàm Tiberius Gracchus Tribunus plebis leges ferens in ſeditione omnium primùs occiſus eſt.* Subdit: Καὶ οὐκ ἀνέσχον ἔτι αἱ στάσεις ἐπὶ τῷδε τῷ μύσει. *Neque poſt hoc piaculum fuit vllus ſeditionum finis.* Paulò pòſt enim collatis ſignis in ipſo foro pugnatum eſt, à Sylla & Mario: Ἐς τοσοῦτον αὐτοῖς κακοῦ τὰ τῶν στάσεων ἀμεληθέντα προέκοψε. *Tantùm iis mali inuexit negligentia in ſeditionibus comprimendis.* Adeò vt etiam Lucius Antonius aliquantò pòſt, ſed tamen aliquando, paludatus auſus fuerit habere concionem. Dio Caſſius lib. 48. Ἔν γε τῇ στρατιωτικῇ σκευῇ ἐδημηγόρησεν, ὃ μηδεὶς ἄλλος ἐπεποιήκει. *Et in veſte militari concionem habuit, quod nemo hactenus fecerat.* Quod non Romanorum modò leges, ſed etiam Thuriorum fieri prohibebant. Diodorus Siculus lib. 12. ſuæ Bibliothecæ de Charonda: Ἐπὶ τὴν χώραν ἐξιὼν μετὰ ξιφιδίου διὰ τοὺς λῃστάς, καὶ κατὰ τὴν ἐπάνοδον ἐκκλησίας συνεστώσης, καὶ ταραχῆς ἐν τοῖς πλήθεσι, προσῆλθε πολυπραγμονῶν τὰ κατὰ τὴν στάσιν· νομοθετηκὼς δ' ἦν μηδένα μεθ' ὅπλου ἐκκλησιάζειν. καὶ ἐπιλαθόμενος ὅτι τὸ ξίφος παρέζωσται, παρέδωκεν ἐχθροῖς τὴν ἀφορμὴν κατηγορίας. ὧν ἑνὸς εἰπόντος, καταλέλυκας τὸν ἴδιον νόμον. μὰ Δί', εἶπεν, ἀλλὰ κύριον ποιήσω, καὶ σπασάμενος τὸ ξιφίδιον, ἑαυτὸν ἀπέσφαξεν. *Cùm in agrum gladio accinctus propter latronum incurſationes exiuiſſet, interim dum ille reuertitur, accidit vt populus in concionem aduocatus inter ſe tumultum excitaret. curioſiùs ergo ſeditionem peruestigaturus, in medium procedit. legem autem tulerat ne quis in concionem cum armis prodiret. immemor ergo gladij quem femori ſubligatum*

Quando primùm gladius in forum illatus.

Charondas ſeipſum interfecit, quòd imprudens gladium in forum intuliſſet.

habebat, cùm in concionem aduolaſſet, anſam maleuolis criminandi præbuit, è quorum numero vnus exclamat: Legem abs te conditam ipſe deſtruis. Ita hercle, inquit, ſed faxo vt ea dominetur, & ſtricto gladio ſeipſum interficit.

III. PERINDE QVASI EXITVS RERVM, NON HOMINVM CONSILIA.] Calliſtratus D. ad legem Corn. de ſic. *D. Hadrianus in hæc verba reſcripſit: in maleficiis voluntas ſpectatur, non exitus.* Item Papinianus D. de reg. iuris l. 79. *Fraudis interpretatio ſemper in iure ciuili, non ex euentu duntaxat, ſed ex conſilio quoque deſideratur.* Clariſſimè Harmenopulus lib. 6. cap. 6. Φονεὺς ἐστιν, ὁ σκοπὸν ἔχων φονεῦσαι, κἂν φονεύσῃ, κἂν μὴ φονεύσῃ, ἀλλὰ τύχοι τραυματίσῃ, ἢ πλήξῃ μετρίως ὃν φονεῦσαι ἐβούλετο. ὁμοίως καὶ ἐκ τοῦ ἐναντίου, οὐκ ἔστι φονεὺς ὁ μὴ θελήσας φονεῦσαι, εἰ καὶ φονεύσῃ. *Homicida eſt qui quempiam eo animo percuſſit, vt occideret, ſiue occiderit, ſiue non occiderit, ſed fortè vulnerarit, aut leuiter eum percuſſerit, quem occidere decreuerat. itidem & è diuerſo, homicida non eſt qui interficere noluit, etſi interfecerit.* Libanius Martis apologia: Τοσοῦτον ἰσχὺν ἔχουσαν ὁρῶμεν πανταχοῦ τὴν αἰτίαν, ὥστε καὶ βουλόμενός τις δρᾶσαι κακῶς, οὐ μὴν δὲ δυνηθεὶς μισεῖται, καὶ βλάψας εὖ ποιῆσαι βουληθεὶς, καὶ μὴ δυνηθεὶς, ἐν εὐεργέταις ἐστίν. οὕτως ἀεὶ τοῦ τέλους γνώμη πλέον ἔχει. *Vbique cauſam videmus tantam vim habere, vt cùm aliquis etiam malè agere vult, tametſi non poſſit odio habeatur: & qui læſerit, benefaciendi animo, inter bene meritos ſtatuatur. ita ſemper voluntati plùs quàm effectui tribuetur.* Seneca 4. cont. 7. *Scelera, quamuis citra exitum ſubſederunt, puniuntur.* Paterculus libro ſecundo: *Cato Conſularis M. Catonis nepos, Africani ſororis filius repetundarum ex Macedonia damnatus eſt, cùm lis eius IV. mill. æſtimaretur; adeo viri illi magis voluntatem peccandi intuebantur, quàm modum, factáque ad conſilium dirigebant, & quid, non in quantum admiſſum foret, æſtimabant.* Apuleius 4. floridorum: *Omnibus bonis in rebus conatus in laude, effectus in caſu eſt.* Mox: *In maleficiis etiam cogitata ſcelera, non perfecta adhuc vindicantur,* non *iudicantur.* vt aliqua exempla habent, *cruenta mente, pura manu. Ergo ſicut ad pœnam ſufficit meditari punienda, ſic & ad laudem ſatis eſt conari prædicanda.* & meritò.

Conſilia multata, etiam ſi nullus effectus fuerit ſecutus.

Nam ſcelus intra ſe tacitum qui cogitat vllum
Facti crimen habet.-

ait alicubi Iuuenalis. Et Seneca libro ſecundo de tranquillitate cap. 7. *Poteſt aliquis nocens fieri quamuis non nocuerit.* Paucis interiectis: *Aliquis mihi venenum dedit, ſed vim ſuam remixtum cibo perdidit. venenum illud dando ſceleri ſe obligauit, etiamſi non nocuit: non minùs latro eſt cuius telum oppoſita veſte eluſum eſt. omnia ſcelera, & ante effectum operis, quantum culpæ ſatis eſt, perfecta ſunt.* Quintilianus quadam declamat. *Inſidiatus ciui, etiamſi non effecerit ſcelus, pœnas tamen legibus ſoluit.* Maximus Tyrius: Καὶ μοιχὸν κολάζει ὁ νόμος, οὐ τὸν δράσαντα μόνον, ἀλλὰ καὶ τὸν βουληθέντα. *Et adulter legibus punitur, non qui crimen patrauerit ſolùm, ſed etiam qui voluerit.* Demoſthenes contra Ariſtocratem: ΟΥ τὸ συμβὰν ὁ νόμος ἐσκέψατο, ἀλλὰ τὴν τοῦ δεδρακότος διάνοιαν. *Non exitum rei, ſed eius qui fecit conſilium lex ſpectauit.* Placet lepidam fabellam Phædri longè terſiſſimi ſcriptoris attexere:

Calui momordit muſca nudatum caput,
Quam opprimere captans, alapam ſibi duxit grauem.
Tunc illa irridens: Punctum volucris paruulæ
Voluiſti morte vlciſci, quid facies tibi.
Iniuriæ, eam qui dederis contumeliam?
Reſpondit: mecum facilè redeo in gratiam,
Quia non fuiſſe mentem lædendi ſcio,
Sed te contempti generis animal improbum,
Quæ delectaris bibere humanum ſanguinem
Optem necare, vel maiore incommodo.
Hoc argumentum veniam mage dari docet
Qui caſu peccat, quàm qui conſilio eſt nocens.
Illum eſſe, quamuis pœna dignum iudico.

Non igitur magis exitus rerum quàm hominum conſilia puniuntur: *Summa enim profeſſio ſtultitiæ eſt*, inquit Tiro Tullius apud Gellium cap. 3. libri 7. Noct. Attic. *Non ire obuiam ſceleribus cogitatis, ſed manere, opperirique, vt cùm admiſſa, & perpetrata fuerint, tum denique, vbi quæ facta ſunt, infecta fieri non poſſunt, puniantur.*

Contrà verò ſenſerunt alij non eſſe ſolam & nudam maleficij voluntatem ciuilibus legibus puniendam. Cato pro Rhodienſibus, cuius verba à Gellio referuntur. *Et quis eſt tandem noſtrorum, qui quod ad ſeſe attineat, æquum cenſeat quemquam pœnas dare, ob eam rem quod arguatur malè facere voluiſſe? Nemo opinor. nam ego, quod ad me attinet nolim.* Deinde paulò infrà dicit: *Quid nunc & quæ tandem lex tam acerba quæ dicat, Si quis illud facere voluerit, mille nummis dimidium familiæ multa eſto: ſi quis plus quingenta iugera habere voluerit, tanta pœna eſto: ſi quis maiorem pecudum numerum habere voluerit, tantum damni eſto. atqui nos omnes plura habere volumus, & nobis impune eſt.* Poſtea ita dicit: *Sed ſi honorem non æquum eſt habere, ob eam rem quod bene facere voluiſſe quis dicit, neque fecit tantum Rhodienſibus tale erit, non quod malè fecerunt, ſed quia voluiſſe dicuntur.* hæc Cato quæ explicans Gellius: *Facta ſola,* inquit, *cenſenda dicit, atque in iudicium vocanda: ſed voluntates nudas, inanéſque, neque legibus, neque pœnis fieri obnoxiam.* Vlpianus D. de pœnis. leg. 18. *Cogitationis pœnam nemo patitur.* Hanc legem enarrans Gothofredus controuerſiam ita componit: *Conatus mediis ad extremum finem tendentibus coniunctus etiam punitur, præſertim ſi grauiorum delictorum numero finis ille continetur,* &c. *nuda verò ſimplex latens in animo, ac nemini detecta cogitatio, vt ab hominibus ignorata, ita ab iiſdem puniri non poteſt.* Atque hoc ſenſu accipienda ſunt, tum illa quæ ſuperiùs allata ſunt, tum Seruius qui illum 6. Æneidos verſum explanans:

Nuda maleficij voluntas legibus humanis non punitur.

Volũtas peccandi quando puniatur.

Auſi omnes immane nefas, auſóque potiti.

Illic ſunt, inquit, *& qui fecerunt, & qui conati ſunt. dicit autem ſecundum Romanum ritum, in quo non tantùm exitus punitur, ſed & voluntas.* Negare tamen non poſſum euentum, etiam præter voluntatem humanis legibus vindicari. Claudius Saturninus D. de pœnis leg. 16. §. 8. *Euentus ſpectetur, vt à dementiſſimo quoque facta. quamquam lex non minùs eum qui occidendi hominis cauſſa cum telo fuerit, quàm eum qui occiderit, puniat. & ideo apud Græcos exilio voluntario fortuiti caſus luebantur, vt apud præcipuum poëtarum ſcriptum eſt:*

Εὖτε με τυτθὸν ἐόντα Μενοίτιος ἐξ Ὀπόεντος
Ἤγαγεν ὑμέτερον δ' ἀνδροκτασίης ὕπο λυγρῆς
Ἤματι τῷ ὅτε παῖδα κατέκτανον Ἀμφιδάμαντος

Νήπιος, οὐκ ἐθέλων, ἀμφ' ἀστραγάλοισι χολωθείς.
Quando me paruulum exiſtentem Menœtius ex Opunte
Duxit veſtram ad domum, parricidium ob triſte,
Die illo cùm filium occidi Amphidamantis
Imprudens, inuitus, circa talos iratus.

Et quamuis, vt contra Ariſtocratem refert Demoſthenes. Draco legem tulerat, ἐάν τις ἀποκτείνῃ ἐν ἄθλοις ἄκων, &c. τοῦτον ἔταξε μὴ φεύγειν κτείναντα. *Si quis quempiam contra voluntatem occiderit, is eam ob rem ne exulato.* Tamen hæc lex poſterioribus ita fuit abrogata, vt qui re in Palladio diſceptata necis contra voluntatem illatæ conuictus fuerat, is ſolùm vertere cogeretur. Τὸν ἁλόντα ἐπ' ἀκουσίῳ φόνῳ, ἔν τισιν ὡρισμένοις χρόνοις ἀπελθεῖν ταχτὴν ὁδὸν καὶ φεύγειν, ἕως ἂν αἰδέσηταί τις τῶν ἐν γένει τοῦ πεπονθότος. *Eum qui præter voluntatem patratæ cædis compertus eſt, definitis quibuſdam temporibus exire iubetur, & exulare donec eum aliquis è propinquis occiſis reuereatur.* Eadem penè Plato 9. de legibus, iubens præterea eum qui hominem vel ignorans, vel contra voluntatem occiderit, certis ſacrificiis expiari. quod adeò ſancitum eſſe voluit, vt ne brutas quidem animantes exceperit. Ἐὰν δ' ἄρα ὑποζύγιον ἢ ζῷον ἄλλο τι φονεύσῃ τινά, &c. ἐπεξίτωσαν μὲν οἱ προσήκοντες τοῦ φόνου, τῷ κτείναντι. διαδικαζόντων δὲ τῶν ἀγρονόμων, οἷσιν ἂν καὶ ὁπόσοις προστάξῃ ὁ προσήκων. τὸ δ' ὄφλον ἔξω τῶν ὅρων τῆς χώρας, ἀποκτείναντας διορίσαι. *Si iumentum aut quodpiam aliud animal quemquam occiderit, &c. eius conſanguinei homicidã iudicio perſequuntor. Iudicanto autem agrorũ magiſtri quos & quot occiſi conſanguineus voluerit. Animal autem cædis conuictum morte plectitor, & extra fines eiicitor.* Quod etiam noſtri iuris vſu receptum eſſe refert & probat Tiraquellus de pœnis, cauſſa 49. num. 39. Quod minùs mirum ei fuerit, qui ne res quidem inanimes, quæ hominem extinxerint, iudicij immunes eſſe cogitarit. Demoſthenes cõtra Ariſtocratem, de Iudicio Prytanei. Ἐὰν λίθος ἢ ξύλον, ἢ σίδηρος, ἤ τι τοιοῦτον ἐμπεσὸν πατάξῃ, καὶ τὸν μὲν βαλόντα ἀγνοῇ τις, αὐτὸ δὲ εἰδῇ καὶ ἔχῃ τὸ τὸν φόνον εἰργασμένον, τούτοις ἐνταῦθα λαγχάνεται. εἰ τοίνυν τῶν ἀψύχων καὶ μὴ μετεχόντων τοῦ φρονεῖν, οὐκ ἔνεστ' ὅσιον, τοιαύτην ἔχον αἰτίαν, ἐᾶν ἄκριτον, &c. *Si lapis, aut lignum, aut ferrum, aut aliud eiuſmodi decidens quemquam percuſſerit, nes is qui coniecit notus fuerit, & illud cædis inſtrumentum in poteſtate habuerit, huiuſmodi rebus iudicium eſt ſortiendum. Si igitur inanimatorum & rationis expertium nullum fas eſt iniudicatum hac in cauſſa relinquere, &c.* Plato 9. de legibus: Ἐὰν δ' ἄψυχόν τι ψυχῆς ἄνθρωπον στερήσῃ, πλὴν ὅσα κεραυνὸς, ἤ τι παρὰ θεοῦ τοιοῦτον βέλος ἰόν, τῶν δ' ἄλλων ὅσα τινὸς προσπεσόντος ἢ αὐτὸ ἐμπεσὸν κτείνῃ τινά, δικαστὴν μὲν αὐτῷ καθιζέτω τῶν γειτόνων, τὸν ἐγγύτατα ὁ προσήκων γένει ἀφοσιούμενος ὑπὲρ αὐτοῦ τε καὶ ὑπὲρ τῆς συγγενείας ὅλης, τὸ δ' ὄφλον ὑπερορίζειν, καθάπερ ἐρρήθη τὸ τῶν ζῴων γένος. *Si quid inanimum hominem anima priuauerit, exceptis fulminibus & telis huiuſmodi quæ à Deo iaciuntur, cæterorum quæcunque aliquo incidente, aut ipſa delabentia quemquam occiderint, conſanguineus iudicem conſtituat proximum vicinorum, expians tum ſeipſum, tum cæteram omnem cognationem: & quod cædis patratæ conuictum fuerit, extra fines eiiciatur, quemadmodum de animantibus dictum eſt.* Dio Chryſoſtomus & Pauſanias in Eliacis ſimilem apud Thaſios legem agnoſcunt loquentes de ſtatua Theagenis. vide.

Inuoluntarij homicidæ.

Beſtiæ quæ hominem necauerint, quomodo puniãtur.

Iudicium de rebus ſenſu carẽtibus quæ quempiam occiderint.

AXIOMATA.

Indignum eſt inſidiatores in foro collocari atque ipſo veſtibulo Senatus.

Non exitus rerum, ſed hominum conſilia legibus vindicantur.

Minùs dolendum eſt re non perfecta: ſed puniendum certè nihilominùs.

ARGVMENTVM.

Per ironiam vim obiectionis eludit, & breui recapitulatione omnia exempla ſuperiùs prolata complectitur.

XX.

QVOTIES ipſe, Iudices, ex P. Clodij telis, & ex cruentis eius manibus effugi? ex quibus ſi me non mea, vel Reip. fortuna ſeruaſſet, quis tandem de interitu meo quæſtionem tuliſſet? Sed ſtulti ſumus, qui Druſum, qui Africanum, Pompeium, noſmetipſos, cum P. Clodio conferre audeamus. tolerabilia fuerunt illa. P. Clodij mortem æquo animo nemo ferre poteſt: luget Senatus: mœret equeſter ordo: tota ciuitas confecta ſenio eſt: ſqualent municipia: afflictantur coloniæ, agri denique ipſi tam beneficum, tam ſalutarem, tam manſuetum ciuem deſiderant.

EXPLANATIO.

QVOTIES IPSE.] Ter videtur inſidiis Clodij appetitus. primò antequam ex vrbe pelleretur. deinde paulò pòſt quàm in vrbem rediit. denique paulò antè quam hæc haberetur oratio. ſic enim infrà 38. de Clodij ſica loquitur: *Hæc intentata nobis eſt, &c. hæc eadem longo interuallo conuerſa rurſus eſt in me: nuper quidem vt ſatis me ad Regiam penè confecit.* vide locum.

SED STVLTI.] Correctio oratoris, recapitulatio, ironia, quarum concentu, vt alias figuras omittam, mirè oratio temperatur. quid enim aut numero concinnius? aut figuris ornatius? aut ſenſu argutius? ac primùm, vt de numero dicamus, totus hic paragraphus membro longiuſculo inchoatur: *quoties ipſe, &c. effugi.* ſequitur bimembris periodus, cuius vtrumque membrum eodem exitu terminantur. alterum eſt: *Ex quibus ſi me non mea vel Reip. fortuna ſeruaſſet.* alterum: *quis tandem de interitu meo quæſtionem tuliſſet.* Sequitur alia periodus, ſed alterius generis, quæ nullis diſtincta membris ad ſententiæ finem euoluitur. *Sed ſtulti ſumus, &c. conferre audeamus.* quæ

proximè ſequuntur duobus membris altero breuiuſculo, *tolerabilia fuerunt illa*, iuſto altero continentur. *Publij Clodij mortem æquo animo nemo ferre poteſt.* Sequuntur inciſa quinque, & tandem tota hæc ironica correctio, periodo, quam monocolon appellant, finitur. figuræ, qui accuratè rem expenderet, ſupra viginti poſſent numerari. vt percunctatio *quoties? quis tuliſſet?* ſimiliter cadens: *ſeruaſſet, tuliſſet.* correctio, *ſed ſtulti ſumus.* diſſolutum & repetitio. *Qui Druſum, qui Africanum, Pompeium.* vbi & recapitulatio. antitheton, *tolerabilia, nemo ferre poteſt.* diſtributio, ſiue partium enumeratio: *Senatus, equeſter ordo,* &c. metonymia *ciuitas pro ciuibus.* tranſlatio *confecta ſenio eſt.* De ſenſus grauitate dicere non attinet, is enim eſt qui ex tot figuris ſententiarum eſfloreſcit.

TOLERABILIA FVERVNT ILLA.] Quod Druſus & Africanus domi ſuæ necati fuerint, ego & Pompeius Clodij inſidiis fuerimus appetiti.

LVGET SENATVS.] Qui Piſone & Gabinio Conſulibus ſic Clodij factionibus oppreſſus eſt. vt ne legere quidem impunè poſſet, ſed ad veſtitum redire cogeretur.

MOERET EQVESTER ORDO.] Quem ordinem propemodum extinxit, méque toti illi ordini chariſſimum eiecit è ciuitate.

TOTA CIVITAS.] Quam ille ſuis ſeditionibus afflixit & vexauit.

CONFECTA SENIO.] Luctu, & tædio, deſiderióque Clodij contabeſcit.

SQVALENT MVNICIPIA, AFFLICTANTVR COLONIÆ.] Quæ exilium à Clodio mihi irrogatum tam iniquo animo tulerunt, vt ex omnibus municipiis & coloniis, qui Remp. ſaluam eſſe cupiebant, ad ſuffragandum legi de meo reditu concurrerint.

AGRI DENIQVE.] Quos ille vaſtauerat, præſertim in Hetruria, & de quibus dominos eiecerat. atque ita vides, quemadmodum ironicè loquens grauem Clodio non benefici manſuetique ciuis, ſed crudelis tyranni notam impreſſerit.

NOTÆ.

I. EX P. CLODII TELIS, ET CRVENTIS MANIBVS.] Innuit ſe à Clodio fuiſſe manu cominus, telis eminus appetitum. de voce *teli* ſupra §. 9. n. III.

II. REIP. FORTVNA.] Vide ſupra §. 6. n. 2.

III. CONFECTA SENIO EST.] Nouum non eſt ciuitatibus & ædificiis ſenectutem accommodare, vt & iuuentutem. Pulchrè Florus in prologo: *Si quis ergo populum Rom. quaſi hominem conſideret, totámque eius ætatem percenſeat, vt cœperit, vtque adoleuerit, & quaſi ad quendam iuuentæ florem peruenerit, vt poſteà velut conſenuerit, quatuor gradus progreſſúſque eius inueniet.* Paulò pòſt: *Senectus Imperij, quaſi redditâ iuuentute reuireſcit.*

Senectus ciuitatum.

Senectus ædificiorum.

Ædificiis frequentiùs accommodāt. Symmachus lib. 7. epiſt. 20. de ædibus. *Perge igitur vt facis, & victis æuo redde nouitatem, multo hoc factu promptius, quàm quod Heſiodum ferunt poſito ſenio in virides annos rediiſſe.* & lib. 1. ep. 10. *quare animus eſt amoliri ædium ſenectutem.* quem in locum citat Iuretus Caſſiodorum lib. 1. var. ep. 25. *Vt antiqui principes nobis meritò debeant ſuas laudes, quorum fabricis dedimus iuuentutem: vt priſtina nouitate reluceant, quæ veternoſa iam fuerant ſenectute fuſcata.* Ouidius 1. Amor. 8.

Æra nitent vſu; veſtis bona quærit haberi,
Caneſcunt turpi tecta relicta ſitu.

2. Faſtor. *Sub quo delubris ſentitur nulla ſenectus.* Laudat & Mammertinum in panegyrico Iuliani, C. Theod. de oper. publ. l. 15. 19. Ennodium Ticinenſem ep. ad Boœtium: *ædificia eius ſub negligentia conſeneſcunt.* & quodam carmine:

Abiurant priſcam te præſule tecta ſenectam.

Quanquam quid mirum eſt ſenium tribui ciuitatibus & ædificiis, cùm iiſdē natiuitas, mors, morbi, cæteríque corporis humani affectus tribuantur? vt doctiſſimus Faber annotauit primo ſemeſtriū. Nobis ſatis erit vnum vel alterum exemplum è multis excerpere. Rutilius Itinerario:

Non indignemur mortalia corpora ſolui:
Cernimus exemplis oppida poſſe mori. Oppida mori dicuntur.

Lycurgus contra Leocratem: πόλεως ἐστι θάνατος ἀνάστατον γενέσθαι. *Ciuitatis mors eſt, cùm excinditur.* vide Andream Scotum lib. 4. nod. Ciceron. c. 7.

Verùm hoc loco ſenium alio ſenſu pro luctu, mœrore, & tædio Noſter vſurpat. ſic apud Nonnium ipſo ſuorum librorum initio. Titinnius Veliterna: *Quot peſtes, ſenia, & iurgia ſæpe meis ædibus emigrarunt?* Nonius Gallinaria: *Operæ coactor, cantor, curſor, ſenium ſonticum.* Accius ἐπὶ ναυσὶ μάχῃ. *Mors amici ſubigit, quod mihi eſt ſenium multò acerrimum.* Pomponius Præcone poſteriore: *Calue apportas nuntium nobis diſparem, diuiſum, huic ſeni ſenium & metum.* Lucil. ſat. 15.

Senium pro luctu & mœrore.

In numero quorum nunc primus Trebellius multo
Obmarceſcebat febris, ſenium, vomitus, pus.

Turpilius Demurgo. *Quia enim odio ac ſenio, mihi hæ ſunt nuptiæ.* Pacuuius Peribœa: *Metus, egeſtas, mœror, ſenium, exiliúmque & ſenectus.* Nec longè alio flexu Seneca in Hippolyto act. 3.

Morúmque ſenium triſte, & aſpectu graue.

& Varro lib. 2. de re ruſtica cap. 2. *Cùm depulſi ſunt agni à matribus, diligentia adhibenda eſt, ne deſiderio ſeneſcant.* Apuleius 5. Metam. *Interea parentes eius indefeſſo luctu atque mœrore conſeneſcebant.*

SQVALENT.] Accius apud Nonnium, luctui ſquallorem adiungit. *Nam etſi operta ſqualitate eſt luctúque horrificali.* Pacuuius Teucro etiam pœnitudini & deſiderio. IV.

Quæ deſiderio alumnûm, pœnitudine
Squale ſcapréque, inculta vaſtitudine.

MVNICIPIA.] De municipiis & coloniis Sigonius conſulatur. V.

AFFLICTANTVR.] Et hic alius mos lugentium, qui ſe afflictare ſolebant, id eſt, crebro ad terram affligere, ſiue allidere. Lucianus de luctu. Οἱ ζῶντες οἰκτρότεροι τοῦ νεκροῦ· οἱ μὲν γὰρ χαμαὶ κυλινδοῦνται πολλάκις, καὶ τὰς κεφαλὰς ἀράττουσι πρὸς τὸ ἔδαφος. *Et viuentes mortuo ſunt miſerabiliores, hi enim & humi ſe volutant, & caput ad pauimentum frequenter affligunt,* &c. VI.

TAM MANSVETVM.] Libenter hunc verborum ordinem mutans ita reſcripſerim: *Tam manſuetum ciuem, tam beneficum, tam ſalutarē deſiderant.* Parum eſt enim eſſe manſuetum ſi cum cæteris comparetur. manſuetū enim dicitur quod innoxium eſt, & ſine periculo manum palpantis admittit. *quaſi manu aſſuetum*, vt notat Nonnius, *quod omnia quæ ſunt natura fera manuum permulſione miteſcant.* Virg. 7. Æneidos. VII. Manſuetus.

Ille manum patiens menſæque aſſuetus herili.

Varro ὄνος λύρας. *Non vidiſti ſimulachrum leo-*

nis ad Idam, è loco vbi quondam ſubito eum cùm vidiſſent, quadrupedem Galli tympanis adeò ferunt manſuem, vt tractarent manibus. Græcè χειροήθεις, lege in Varrone, *adeò fecerunt manſuem.*

AXIOMA.

Præſtantes ciues vel ſua cuiuſque, vel Reip. fortuna ſæpe conſeruat.

ARGVMENTVM.

Poſtquam oſtendit in cæteris nouas quæſtiones decerni non debuiſſe, cauſſas exquirit, cur Pompeius in Clodij cæde decerni rogauerit, alterique obiectioni reſpondit, qua iactabatur Pompeius in iudicibus legendis ſecreuiſſe amicos Ciceronis, nequis eorum de Milonis cauſſa iudicaret.

NON fuit ea cauſſa, Iudices, non fuit, cur ſibi cenſeret Pompeius quæſtionem ferendam: ſed homo ſapiens, & alta quadam mente præditus, multa vidit: fuiſſe ſibi illum inimicum, familiarem Milonem: in communi omnium lætitia ſi etiam ipſe gauderet; timuit, ne videretur infirmior fides reconciliatæ gratiæ. multa etiam alia vidit, ſed illud maximè: quamuis atrociter ipſe tuliſſet, vos tamen fortiter iudicaturos. Itaque delegit è florentiſſimis ordinibus ipſa lumina: neque verò, quod nonnulli dictitant, ſecreuit in iudicibus legendis amicos meos. neque enim hoc cogitauit vir iuſtiſſimus, neque in bonis viris legendis id aſſequi potuiſſet, etiam ſi cupiſſet. non enim mea gratia familiaritatibus continetur, quæ late patere non poſſunt; propterea quòd conſuetudines victus non poſſunt eſſe cum multis: ſed, ſi quid poſſumus, ex eo poſſumus, quod Reſpub. nos coniunxit cum multis, ex quibus ille cùm optimos viros legeret, idque maximè ad fidem ſuam pertinere arbitraretur, non potuit legere non ſtudioſos mei. XXI.

EXPLANATIO.

NON FVIT.] Non ideò Pompeius tulit nouam quæſtionem, quòd P. Clodij mortem æquo animo nemo ferre poſſet.

HOMO SAPIENS.] Pompeius.

FVISSE SIBI ILLVM INIMICVM.] Quas inimicitias Clodius exercuerit cum Pompeio notius eſt, quàm vt dicendum eſſe videatur. Eum in foro contumeliis vt mollem & impudicum palam affecit, quòd vno digito caput ſcalperet exprobrauit, Tigranem, quem in vinculis habebat Pompeius, eripuit, eum denique per ſeruos & libertos bis interficere conatus eſt.

FAMILIAREM MILONEM.] Qui dignitatem ipſius contra P. Clodij furorem, & conatus ſemper & vbique defenderat.

IN COMMVNI OMNIVM LÆTITIA.] Quam è Clodij morte perceperant.

RECONCILIATÆ GRATIÆ.] Videtur Clodius in gratiam rediiſſe cum Pompeio paulò pòſt reditum Ciceronis, vt obſcurè innuitur. ep. 9. lib. 1. ad fam. vide Notas.

QVAMVIS ATROCITER.] Miro artificio ita Pompeij legem improbat, vt tamen laudet ipſum legis auctorem, Iudicúmque laudes cum legiſlatoris honore coniungat. Tantam, inquit, opinionem de veſtra virtute concepit Pompeius, vt quamuis pro ſua iuſtitia & ſapientia Milonis ſaluti conſultum vellet, tulerit vt extra ordinem de Milonis cauſſa quæreretur. quam legem, etſi aliquam ſeueritatis & atrocitatis ſpeciem præ ſe ferat, ſciebat tamen Miloni non obfuturam, videbátque vos tam eſſe fortes & conſtantes, vt fortiter eſſetis iudicaturi, nec condemnaturi Milonem, quantumuis illa conſtitutio nouæ quæſtionis, illius damnationem expetere videretur.

ITAQVE.] Vt eſſent iudices ij, qui conſtanter & fortiter iudicarent, nec ſe illo legis Pompeiæ præiudicio ſinerent occupari.

DELEGIT.] Præſtantiſſimos quoſque ſelegit, è Senatoribus, Equitibus, & Tribunis ærariis.

NEQVE VERÒ.] Aduerſarij, vt Pompeium à cauſſa Milonis alienum eſſe oſtenderent, iactabant in vulgus, ita ſelectos fuiſſe iudices à Pompeio, vt in eorum delectu Ciceronis amicos ſecreuerit, nec eorum quemquam voluerit de Milonis cauſſa cognoſcere. Cicero vt obiectionem hanc refellat, diſtinguit familiares ab amicis, & iudices amicos ſuos eſſe dicit, quamuis non adeò familiares eſſe videantur. vis autem huius refutationis hoc enthymemate & antecedentis probationibus continetur.

Nec voluit, nec potuit in iudicum delectu meos amicos ſecernere.

Ergo non ſecreuit.

Totum enthymema verbis conceptis expreſſum eſt: ſed concluſio priorem obtinet locum. probat non voluiſſe.

Optimus quiſque mihi amicus eſt.

Sed non voluit niſi optimum quemque legere.

Ergo neminem voluit niſi amicum mihi legere.

Probat maiorem:

Optimus quiſque amicus eſt illi quem ſecum Reſp. coniunxit.

Sed me reſp. cum optimo quoque coniunxit.

Ergò optimus quiſque mihi amicus eſt.

Probat minorem:

Vir iuſtus facit quod maximè putat ad fidem ſuam pertinere.

Pompeius eſt vir iuſtiſſimus.

Ergo fecit quod maximè ad fidem ſuam pertinere putauit.

Maximè ad fidem ſuam pertinere putauit vt optimum quemque eligeret.

Ergo optimum quemque elegit.

Iam non potuiſſe probat altero veluti ſyllogyſmo, hunc in modum.

Qui eligit optimum quemque, non poteſt non eligere amicos eius, cui optimus quiſque amicus eſt.

Sed & Pompeius optimum quemque elegit, & mihi optimus quiſque amicus eſt.

Ergo non potuit non eligere amicos meos, & ſtudioſos mei.

NON ENIM.] Reddit rationem cur omnes bonos amicos habeat, & amicos à familiaribus diſtinguit. quaſi dicat, Eſto Pompeius familiares meos non elegerit: at certè neceſſe fuit vt amicos eligeret. non enim mea gratia, id eſt, hominum amor & ſtudium erga me, familiaritatibus & conſuetudine vitæ continetur, quæ vitæ conſuetudo inter paucos admodum poteſt reperiri, atque ideò non difficilè fuiſſet familiares meos in iudicum delectu ſecernere.

NOTÆ.

I. RECONCILIATÆ GRATIÆ.] Occaſionē reconciliatæ gratiæ tradit Dio lib. 39. ſecundum Conſulatum Pompeius & Craſſus contra voluntatem Senatus ambiebant: cùm obſiſtere non poſſet, tanquam in publico luctu veſtem mutandam eſſe decreuerat: Marcellinus Conſul habita concione Patres in Curiam reuocabat: κλώδιος δ' ἐν τούτῳ μεταπηδήσας αὖθις πρὸς τὸν Πομπήϊον, καὶ τὰ ἐκείνου πάλιν ἀντιλαβόμενος, ἐλπίδι τοῦ εἴ τι οἱ τῶν τότε πραττομένων συγκατεργάσαιτο, πάνυ αὐτὸν ἰδιώσασθαι, παρῆλθέ τε ἐς τὸν ὅμιλον ἐν τῇ καθηκούσῃ στολῇ, μηδὲν αὐτῆς πρὸς τὸ δόγμα μεταλλάξας, καὶ κατά τε τοῦ Μαρκελλίνου, καὶ κατὰ τῶν ἄλλων ἐδημηγόρει. *Clodius interim reſiliens rurſum ad Pompeium, eiúſque partes complexus, ratus ſe ſi quid ei in iis quæ tum gerebantur, operæ præſtitiſſet, fore vt eius gratiam penitùs obtineret, ad populum proceſſit in habitu ordinario nulla facta ſecundum Senatuſconſultum veſtis mutatione, & contra Marcellinum & alios habuit concionem.* (Reconciliatio Clodij & Pōpeij.)

II. ATROCITER.] Nimium crudè. Feſtus Pōpeius: *Atroces appellantur ex Græco, quia illi atrocia appellant quæ cruda ſunt.* legendum putat Scaliger. *quia illi* ἄτρωκτα, vel Latinis litteris: *quia illi atrocta.* ἀτρὼξ ἄβρωτος, *quod nondum eſt maturum eſui, ſiue crudum.* Næuius apud Nonnium: (Atrox.)

Simul atrocia porricerent exta miniſtratores.

Gloſſarium *atrox*, δεινός, σκαιός, ἀνήκεστος. vnde atroces animi dicuntur auſteri & ſeueri, qui nullo pacto molliuntur aut liqueſcunt. Horat. 2. carm. Ode 1.

Et cuncta terrarum ſubacta.

Præter atrocem animum Catonis.

quo ſenſu alibi Priſcum Catonem appellat. Iuuenalis ſat. 2.

Hiſpida membra quidē, & duræ per brachia ſetæ

Promittunt atrocem animum.

Cuiuſmodi animos Plato 9. de legibus, ἀτεράμονας, & κεραςβόλους appellat, licet hic illos vituperet, illi in meliorem partem interpretari videantur. pro Murena de Catone 64. *Quod atrociter in Senatu dixiſti, aut non dixiſſes, aut ſi potuiſſes, meliorem in partem interpretares.*

E FLORENTISSIMIS ORDINIBUS.] III.
Vide quæ dicta ſunt hac ipſa oratione 4.

IPSA LVMINA.] Nonnus in Ioannem. IV.

Ἀρχοὶ Ἰουδαίων ὑψαυχένος ὄμματα βουλῆς.

Principes Iudæorum glorioſi lumina Senatus.

Pindarus Olymp. Ode 6.

Ποθέω στρατιᾶς ὀφθαλμὸν ἐμᾶς.

Deſidero exercitus mei oculum. Eodem ſenſu Euryphamus Pythagoreus hominem, ὀφθαλμὸν τᾶς τῶν ὄντων διακοσμάσιος, *oculum mundi & rerum vniuerſitatis appellat.* Ioannes Tzetzes Chiliade 10. hiſt. 35. cuius titulus eſt, Περὶ τοῦ ὀφθαλμοῦ γερουσίας. *De oculo Senatus* rem ſic explanat.

Οἱ παλαιοὶ μὲν ὀφθαλμοὺς ἐκάλουν βασιλέων
Τοὺς περιβλέπτους τῶν ἀνδρῶν, τοὺς πρώτους τῆς συγκλήτου.

Antiqui quidem oculos vocabant Regum
Illuſtres viros, primos è Senatu. (Oculus Senatus.)

Profert deinde citatum Pindari locum: & alterum Æſchyli è Perſis ſub finem.

Ἦ καὶ τῶν Περσῶν αὐτοῦ
Τὸν σὸν πιστὸν πάντ' ὀφθαλμὸν, &c.

libenter legerim αὐτοῦ τέ σου. *An & Perſarum, tuique ipſius fidelem in omnibus oculum* reliquiſti? vbi Interpres. Οἱ Περσῶν γὰρ βασιλεῖς εἶχον δύο τινὰς οἷς ἐπίτρεπον τὴν τῶν κοινῶν ἐπιτήρησιν, οὓς βασιλέως ἐκάλουν ὀφθαλμούς. *Perſarum enim Reges duos habebant, quibus Reſp. cuſtodiam committebant, quos & Regis oculos nominabant.* pergit Tzetzes:

Ἡμεῖς δ' ἀπό τε τῶν Περσῶν καὶ παλαιῶν Ἑλλήνων
Πάντας καλοῦμεν ὀφθαλμοὺς τοὺς ἐμφανεῖς κατά τι.
Nos autem à Perſis & ab antiquis Græcis
Omnes vocamus oculos illuſtres in aliquo.

Hæc ille aítque eos Perſarum lingua dictos fuiſſe *oroſangas*, è quibus difficile non fuerit exponere, quid per ampliſſimorum ordinum lumina, ſiue oculos Orator intelligat.

V. IVDICIBVS LEGENDIS.] Propriè pro Roſcio Amerino 8. *Qui ex ciuitate in Senatum propter dignitatem, ex Senatu in hoc conſilium delecti eſtis propter ſeueritatem.* hinc *Iudices* dicti *Selecti.* Plinius lib. 33. cap. 2. de equeſtri ordine. *Et diuiſus hic quoque ordo erat, ſuperba vſurpatione cùm alius ſe nongentum, alius Selectum, alius tribunum appellaret.* De quibus Rænardus, Poletus, Turnebus, Sigonius, alij varia prodiderunt. (Iudices ſelecti.)

CONSVETVDINES VICTVS.] Iam alibi id ipſum oſtendimus ex Ariſtotele 8. Ethic. c. 6. Πολλοῖς δ' ἅμα τῷ αὐτῷ ἀρέσκειν σφόδρα οὐ ῥᾴδιον. *Eundem ſimul multis valdè placere, facilè non eſt.* Δεῖ δὲ καὶ ἐμπειρίαν λαβεῖν, καὶ ἐν συνηθείᾳ γενέσθαι, ὃ παγχάλεπον. *Oportet verò & amicos periclitari, & in eorum conſuetudine verſari, quod planè difficillimum eſt.* Plutarchus opuſculo περὶ πολυφιλίας, tum alia multa habet in hanc ſententiam, tum ait, ὥσπερ οἱ ποταμοὶ πολλὰς σχίσεις, καὶ κατατομὰς λαμβάνοντες ἀσθενεῖς, καὶ λεπτοὶ ῥέουσιν, οὕτω τὸ φιλεῖν σφόδρα ἐν ψυχῇ πεφυκὸς εἰς πολλοὺς μεριζόμενον ἀμαυροῦται. *Vt fluuij cùm in multos riuulos diuiduntur, infirmi fluunt & tenues, ita ingens amor in anima inſitus in multos diſpertitus langueſcit.* Subdit quàm difficilè ſit cum multis habere conſuetudinem, & eorum obſequi voluntati. ſed hæc fuſiùs in Cœliana. aduerte ſapienter M. Tullium, *victus* non *vitæ conſuetudines* nominare: quia negare non potuit VI. (Difficile eſt multis eſſe amicum.)

aliquam vitæ conſuetudinem requiri. nam, vt ait Ariſtoteles 8. Ethic. cap. 3. φιλία προσδεῖται χρόνου καὶ συνηθείας. *Amicitia tempus & conſuetudinem requirit.* & Plutarchus loco citato. Ἀληθὴ ἡ φιλία τρία ζητεῖ μάλιστα, τὴν ἀρετὴν ὡς καλὸν, καὶ τὴν συνήθειαν, ὡς ἡδὺ, καὶ τὴν χρείαν ὡς ἀναγκαῖον. *Vera amicitia tria maximè requirit, virtutem vt honeſtum, conſuetudinem vt iucundum, vtilitatem vt neceſſarium.* Nimirum ait Themiſtius orat. 3. φιλίας μελέτην νομιστέον τὴν συνουσίαν. *Exiſtimandum eſt conſuetudinem amicitiæ exercitationem eſſe.* tamen vt cap. 5. notat Philoſophus: οἱ τόποι οὐ διαλύουσι τὴν φιλίαν, ἀλλὰ τὴν ἐνέργειαν. *Locorum interualla amicitiam non diſſoluunt, ſed eius exercitationem.* & quamuis propter abſentiam amicitiæ nonnunquam obrepat quædam obliuio, vnde & adagium:

Πολλὰς μὲν φιλίας ἀπροσηγορία διέλυσεν.
Soluit amicitias nullam impertire ſalutem.

Poteſt alterius amicus appellari, cum quo victus conſuetudinem non habueris, τὸν θρυλλούμενον ἐκεῖνον, vt Plutarchi verbis vtar, χρόνῳ τῶν ἁλῶν συγκατεδηδοκὼς μέδιμνον. *diuturnitate temporis vulgatum illum ſalis modium manducans.* cuius adagij facit Ariſtoteles loco proximè citato mentionem.

Quare, vt nodum hunc ſoluamus, quadruplex videri poteſt amicitia. prima virtute & honeſtate, altera vtilitate, tertia iucunditate continetur. quarta demum eſt omnibus numeris abſoluta, quæ videlicet honeſtatem, vtilitatem, & iucunditatem complectitur: quæ ob iucunditatem & mutuam delectationem initur amicitia, ea familiaritatem amici conſuetudinémque vitæ, immò etiam victûs deſiderat: cæteræ non adeò requirunt, vt ſine ea cohærere non poſſint: vt & citati & cæteri philoſophi paſſim aduertût. quare cùm amicitias Tullianas non voluptas & oblectatio, ſed honeſtas & adminiſtrandæ Reip. ratio conglutinarit, iure negat ſuas amicitias familiaritatibus contineri. Quatuor amicitiarum genera.

AXIOMATA.

Quamuis Princeps atrociter ferat, Iudices debent fortiter iudicare.

Non debet noſtra gratia familiaritatibus contineri, quæ latè patere non poſſunt.

Conſuetudines victus non poſſunt eſſe cum multis.

Illius potentia & gratia inuidioſa non eſt, qui ſi quid poteſt ex eo poteſt, quòd ipſum Reſpublica coniunxerit cum multis.

ARGVMENTVM.

Rationem reddit cur Pompeius Domitium quæſitorem & cauſſæ huius diſceptatorem elegerit, & honorifica Domitij mentione, eius beneuolentiam aucupatur, quem fortaſſe ſciebat à cauſſa Milonis eſſe nonnihil alienum.

QVOD verò te, Cn. Domiti, huic quæſtioni præeſſe maximè voluit, nihil quæſiuit aliud, niſi iuſtitiam, grauitatem, humanitatem, fidem. tulit, vt conſularem neceſſe eſſet: credo, quod principum munus eſſe ducebat, reſiſtere & leuitati multitudinis, & perditorum temeritati. ex cóſularibus te creauit potiſſimum. dederas enim, quàm contemneres popularesinſanias, iam ab adoleſcentia documenta maxima. XXII.

EXPLANATIO.

QVOD VERÒ.] Cùm te Pompeius quæſitorem ſiue prætorem eſſe voluit, vt iudicio præeſſes, & ſententias diriberes, non id ſpectauit vt Iudicem conſtitueret, Milonis inimicum, ſed quæſiuit in te, *iuſtitiam*, vt Milonem innocentem, calumniis oppreſſum abſolueres, *grauitatem*, vt tuam auctoritatem animíque robur plebis temeritati opponeres, nec te ſeditioſorum flabello quamlibet in partem abripi patereris, *humanitatem*, vt te ſineres miſericordia commoueri, & Miloni, ſi quid fortè deliquiſſet ignoſceres. *fidem*, vt ſecundum leges iudicares, nec iuriſiurandi religionem falſo iudicio violares.

TVLIT VT CONSVLAREM.] Aſconius in præfatione perlatam fuiſſe dicit legem Pompeij: *In qua id quoque ſcriptum erat, vt quæſitor ſuffragio populi ex iis qui Cóſules fuerant crearetur.*

CREDO.] Elegans ratio, qua & officij ſui commonet L. Domitium, & eius beneuolentiam captat, & inuidiam in aduerſarios omnem deriuat.

EX CONSVLARIBVS.] Videtur ab Aſconio diſcrepare. hic enim electionem Domitij ad Pompeij voluntatem refert, ille dicit in comitiis electum fuiſſe pop. Rom. ſuffragio. *Statim comitia habuit* Pompeius, *creatúſque erat L. Domitius Ænobarbus quæſitor.* Verùm vt conciliemus has ſententias, fieri poteſt vt Pompeius tribus & centurias rogauerit vt potiſſimùm Domitium eligerent, & populus ad eius nutum Quæſitorem elegerit, vel vt populus rogatus ſuâ tabella vices ſuas Pompeio & poteſtatem Quæſitoris eligendi commiſerit.

DEDERAS ENIM.] Quemadmodum in orationis exordio militibus perſuadere conatus eſt, ſe contra vim Clodianorum pro foribus templorum omnium eſſe collocatos, ita iudicibus ſuadere contendit, ſe potiſſimùm eſſe delectos, qui Clodianorum audaciam refrenarent. *Conſtantiam autem Domitij, quàm in prætura præſtitit ſignificari* docet Aſconius. *nam eo tempore cùm Cn. Manlius Tribunuſplebis, ſubnixus libertinorum & ſeruorum manu, perditiſſimam legem ferret vt libertinis in omnibus tribubus ſuffragium eſſet, idque per tumultum ageret & cliuum Capitolinum obſideret, diſcuſſerat, perruperátque cœtum Domitius, itaut multi Manlianorum interficerentur. quo facto ex plebem infimam offenderat, ac Senatus magnam gratiam inierat.* hæc Aſconius. ſed fortaſſe iam aliis in rebus ſuam conſtantiam Domitius ante prætorem oſtenderat: tunc enim erat ætate prouectior quàm vt adoleſcens commodè diceretur. quamuis etiã 2. Philippica Brutus & Caſſius Prætores adoleſcentes dicuntur. vide

NOTÆ.

L. Domiti.] Vulgo *Cn. Domiti.* Malim Lucium cum Aſconio. Suetonius dum huius patrem Cneium appellat, ſatis innuit, hunc noſtrum Lucij prænomen habuiſſe. in Nerone cap. 1. *Ac ne prænomina quidem vlla præterquam Cneij & Lucij vſurparunt: eáque ipſa notabili varietate, modò continuantes vnumquodque per ternas perſonas, modò alternantes per ſingulas. nam primum ſecundúmque ac tertium Ænobarborum Lucios: rurſus ſequentes tres ex ordine Cneios accepimus: reliquos non niſi viciſſim tum Lucios, tum Cneios.* Adde quod Tullius Philipp. 2. huius filium Cneum etiam appellat, ergo Lucius hic fuit. & quoniam nugari incœpimus, de cognomine pauca dicenda ſunt. Ænobarbi dicti ſunt, vt notat ibidem Tranquillus, quia Luc. Domitio *rure quondam reuertenti, iuuenes gemini auguſtiore forma ex occurſu imperaſſe traduntur, nuntiaret Senatui ac populo victoriam, de qua incertum adhuc erat, atque in fidem maieſtatis, adeò permulſiſſe malas, vt è nigro rutilum æriquе aſſimilem capillum redderent.*

Ænobarbi vnde?

II. Quæſtores.

Qvæstioni præesse.] Hinc dicti *quæſtores*, ſiue *quæſitores*, quòd iudicia & quæſtiones moderarentur, & *prætores* quòd iis præeſſent, ſiue præirent. Feſtus, vt è quibuſdam fugientium apicum notis, apparet: *Quæſtores creabantur, qui cognoſcerent de rebus capitalibus. vnde & Quæſtores parricidij appellatur.* Pomponius D. de origine iuris. l. 2. §. 23. *Quia de capite ciuis Romani iniuſſu populi non erat lege permiſſum Conſulibus ius dicere, propterea quæſtores conſtituebantur à populo qui capitalibus rebus præeſſent. hi appellabantur Quæſtores parricidij: quorum etiam meminit lex duodecim tabularum.* hinc Virg. 2. Æneidos.

Quæſitores.

Nec verò hæ ſine ſorte datæ, ſine iudice ſedes
Quæſitor Minos vrnam mouet.

Quod ipſum iudicandi officium cùm alij, tum Iuuenalis ſat. 11. nomine Prætoris expreſſit.

Exemplo quodcunque malo committitur, ipſi
Diſplicet auctori, prima eſt hæc vltio, quòd ſe
Iudice nemo nocens abſoluitur, improba quamuis
Gratia fallaci Prætoris vicerit vrna.

Prætores.

Prætor itaq; dictus Iudicij moderator, quòd præeſſet, ſiue præiret quæſtioni. Nonnius Marcellus: *Conſulum & Prætorum proprietas, quòd conſulant & præeant populis auctoritate Varronis oſtenditur de vita populi Romani lib. 2. Quod iidem dicebantur Conſules, & Prætores, quod præirent populo prætores, quod conſulerent Senatui Conſules.* Lucilius apud Varronem lib. 4. de ling. lat. ad hanc etymologiã alluſit. *Prætorum eſt endo præire.* endo, videlicet in foro vel in exercitu, vt notat Marcilius. lex duodecim tabularum: *Si vindiciam falſam tulit rei, ſiue ſtlitis prætor, arbitros tris dato.* Verùm vt habeas aliquid diſtinctiùs, aduerte Regibus exactis inſtitutos fuiſſe magiſtratus, qui vel Conſules, vel Prætores, vel Iudices dicerẽtur. Conſules, auctore Floro cap. 9. lib. 1. Varrone, & aliis: *Vt conſulere ſe ciuibus ſuis debere meminiſſent.* Iudices, quòd de cauſſis ciuiũ, excepta perduellione, & aliis paucis criminibus cognoſcerent, Prætores quòd populo præirent. Liuius lib. 3. ternum illud nomen agnoſcit. *Sed refellitur hæc interpretatio, quòd his temporibus nondum Conſulem iudicem, ſed prætorem appellari mos fuerit.* Paulò pòſt creati ſunt prætores qui eſſent in adminiſtranda Rep. Conſulum adminiſtri. Hos annuos Magiſtratus Budæus putat Iudiciis ita præfuiſſe, vt Prætor vrbanus, qui & maior Prætor, idem penitus eſſet cum Quæſtore. at alij tria veluti genera Prætorũ agnoſcunt: alios qui Conſules iidem eſſent, & dicerẽtur, alios, qui ius dicerent, de quibus, vt alios omittam, Pomponius de origine iuris, lege 2. *Cúmque Conſules auocarentur bellis finitimis: neque eſſet qui in ciuitate ius reddere poſſet, factum eſt vt Prætor quoque crearetur, qui vrbanus appellatus eſt, quod in vrbe ius diceret.* Sed de Prætorum id genus origine & progreſſu. vide Lipſium commentariis in Tacitum lib. 1. annalium. Tertium prætorum genus fuit eorum qui iudicabant, & quæſtionibus præerant. huius autem & ſuperioris generis diuerſitatem intelliges, ſi aduerteris quæ ſit inter *ius dicere & iudicare* diſtinctio. Manutius lib. de legibus Romanis circa mediũ: *Vnum excipio Prætorem vrbanũ, qui nullo de crimine publico quærebat: itaque nec Quæſitor dicebatur, tantùm ciuilibus controuerſiis ad eam delatis, ius dicebat, hoc eſt iudices, & iudicij formulam quam ſequerentur dabat,* &c. Vnum excipit Prætorem vrbanum, immò & prætorem peregrinum, cæteróſque qui in prouincias mittebãtur libenter exceperim: neque enim tam quæſtionibus præerant, quàm ille inter Peregrinos in ipſa vrbe, hi inter prouinciales & in prouinciis ius dicebant. ſed de his alibi fortaſſe commodiùs.

Conſules.

Iudices.

Prætores vrbanus, ſiue Maior.

Tria Prætorũ genera.

Ius dicere, iudicare.

Nihil qvæsivit alivd nisi ivstitiam.] Vna iudicis virtus eſt iuſtitia, vt neque perſonas ſpectet, neque blanditiis aut precibus molliatur, aut ſe corrumpi patiatur. quare Chryſippus apud Gellium lib. 14. cap. 4. Iuſtitiam ita deſcribit: Παρθένος δ' εἶναι λέγεται, κατὰ σύμβολον τοῦ ἀδιάφθορος εἶναι, καὶ μηδαμῶς ἐνδιδόναι τοῖς κακούργοις. μηδὲ προσίεσθαι, μήτε τοὺς ἐπιεικεῖς λόγους, μήτε παραίτησιν, καὶ δέησιν, μήτε κολακείαν, μήτε ἄλλο μηδὲν τῶν τοιούτων. οἷς ἀκολούθως, καὶ σκυθρωπὴ γράφεται, καὶ συνεστηκὸς ἔχουσα τὸ πρόσωπον, καὶ εὔτονον, καὶ δεδορκὸς βλέπουσα. ὥστε τοῖς μὲν ἀδίκοις φόβον ἐμποιεῖν, τοῖς δὲ δικαίοις θάρσος, τοῖς μὲν ὡς πρὸς φίλους ὄντος τοιούτου προσώπου, τοῖς δ' ἑτέροις προσάντους. *Dicitur virgo eſſe iudicio eam eſſe incorruptam, improbis nunquam concedere, non orationem modeſtam, non precationem, non adulationem, non denique quicquã aliud pati. Quas ob res meritò triſtis etiam ac contracta fronte pingitur, vultu graui aſpectu contento & toruo, vt iniuſtis terrorem incutiat, iuſtis fiduciam præbeat: quando huiuſcemodi facies iuſtis grata, iniuſtis moleſta eſt.* Alio tamen ſenſu Plato 12. de legibus Iuſtitiam virginem appellat. χρὴ μὲν δὴ πᾶσαν ἀποφέροντα δίκην αἰδεῖ πάντ' αἴδεα φοβηθέντα, τὸ μήτ' ἐπενεγκεῖν ψευδῆ τιμωρίαν, μήτ' οὖν ἑκόντα, μήτ' ἄκοντα κατὰ δύναμιν. Παρθένος γὰρ αἰδοῦς δίκη λέγεταί τε καὶ ὄντως εἴρηται. *Quicunque alterum accuſat, eum oportet metuere. ne falſam alteri multam irroget, quoad eius fieri poterit, ſiue ſponte. ſiue inuitus. Virgo enim verecunda Iuſtitia vulgo dicitur, & quidem verè nominatur.* hæc ille. ſed ad rem: ea demum vera iudicis virtus eſt veritatem & iuſtitiam intueri. Plato in apologiæ exordio: αὐτὸ δὲ τοῦτο σκοπεῖν, καὶ τούτῳ τὸν νοῦν προσέχειν. εἰ δίκαια λέγω, ἢ μή. δικαστοῦ μὲν γὰρ αὕτη ἀρετή. ῥήτορος δὲ τ' ἀληθῆ λέγειν. *Hoc ſpectandum, hoc aduertendum iuſtáne dicam an ſecus. hæc enim Iudicis eſt virtus. at oratoris, vera proferre.* Vnde & apud Ægyptios iudices ferebant inſigne veritatis. Diodorus lib. 1. bibliothecæ fuiſſe dicit in quodam periſtylio: πλῆθος ἀνδριάντων ξυλίνων διασημαῖνον τοὺς τὰς ἀμφισβητήσεις ἔχοντας, καὶ προσβλέποντας τοὺς τὰς δίκας κρίνοντας, τούτους δ' ἐν ἐνὶ τῶν τοίχων ἐγγεγλύφθαι τριάκοντα

III.

Iuſtitiæ imago.

Iuſtitia virgo incorrupta.

Vultu ſeuero.

Iuſtitia virgo verecunda.

Virtus Iudicis.

Virtus Oratoris.

τὸν

τὸν ἀριθμὸν, καὶ κατὰ τὸ μέσον τὸν ἀρχιδικαστὴν ἔχοντα τὴν ἀλήθειαν ἐξηρτημένην τοῦ τραχήλου. καὶ τοὺς ὀφθαλμοὺς ἐπιμύοντα. καὶ βιβλίων αὐτῷ παρακειμένων πλῆθος. *Multas ex ligno ſtatuas quibus diſceptantes in iudicio, & reſpectantes ad iuri dicundo præfectos ſignificantur. hi numero triginta in vno parietum exſculpti. In medio eſt Prætor iudicij veritatem clauſis oculis collo appenſam, plurimóſque ſibi libros adiacentes habens.* Libenter hîc vnam vocem interſererem, legerémque ἐγκεγλύφθαι ἀχείρους τριάκοντα τὸν ἀριθμόν. ſubdit enim: ταύτας δὲ τὰς εἰκόνας, ἐνδείκνυσθαι διὰ τοῦ σχήματος ὅτι τοὺς μὲν δικαστὰς, οὐδὲν δεῖ λαμβάνειν. τὸν ἀρχιδικαστὴν δὲ πρὸς μόνην βλέπειν τὴν ἀλήθειαν. *Hac imaginum figura oſtenditur iudicum eſſe nihil accipere, & iudiciorum præſidem ad ſolam reſpicere veritatem oportere.* Neque enim huius rei, ſignum eſſet, niſi iudices ſine manibus ponerētur. Plutarchus de Iſide & Oſiride lectionem illam confirmat: ἐν δὲ Θήβαις εἰκόνες ἦσαν ἀνακείμεναι δικαστῶν ἄχειρες. ἡ δὲ τοῦ ἀρχιδικαστοῦ, καταμύουσα τοῖς ὄμμασιν, ὡς ἄδωρον ἅμα τὴν δικαιοσύνην, καὶ ἀνέντευκτον οὖσαν. *Apud Thebas imagines erant iudicum, manibus deſtitutæ. Prætoris effigies etiā oculis conniuens, quod iuſtitia nullis aut muneribus aut precibus flectatur.* Erat autem id veritatis ſignum è lapidibus pretioſis. Diodorus infrà: Ἐφόρει δὲ οὗτος περὶ τὸν τράχηλον ἐκ χρυσῆς ἁλύσεως ζῴδιον τῶν πολυτελῶν λίθων, ὃ προσηγόρευον ἀλήθειαν, τῶν δ' ἀμφισβητήσεων ἤρχοντο, ἐπειδὰν τὴν τῆς ἀληθείας εἰκόνα ὁ ἀρχιδικαστὴς προσθεῖτο. *Geſtabat Prætor in collo ex aurea catena dependens è lapillis pretioſiſsimis ſimulacrum, cui Veritas nomen, hoc à iudiciorū principe aſſumptum diſceptandi lites auſpicium erat.* Ælianus lib. 14. variæ hiſtoriæ cap. 34 Εἶχεν ἄγαλμα περὶ τὸν αὐχένα ἐκ σαπφείρου λίθου, καὶ ἐκαλεῖτο τὸ ἄγαλμα ἀλήθεια. *Simulachrum habebat circa collum, & id Veritas dicebatur.* quod autē dixerat, δικασταὶ δ' ἱερεῖς ἦσαν. *Iudices verò ſacerdotes erant.* Libenter legerim, ἄχειρες ἦσαν. fieri enim poteſt, vt facili lapſu mendū irrepſerit. Etſi non ignoro, non iudices ſolùm apud Ægyptios, ſed etiam Reges è ſacerdotibus eligi conſueſſe, vt Plato in politico. Syneſius de Iſide, Oſiride, aliíque teſtantur. Sed vt ad Veritatē & Iuſtitiam redeamus, aliquot infrà paginis ait eodem libro Diodorus: ὑπάρχειν καὶ ἄλλας πύλας ἀληθείας, καὶ πλησίον τούτων εἴδωλον ἀκέφαλον ἑστάναι δίκης. *Alias Veritatis portas eſſe, cui Iuſtitia abſque capite ſimulachrū proximè adſtaret.* Sed præclarè capite citato Ælianus: Ἐγὼ δ' ἀξιῶ μὴ λίθου πεποιημένην, καὶ εἰκασμένην τὴν ἀλήθειαν περιφέρειν τὸν δικαστὴν, ἀλλ' ἐν αὐτῇ τῇ ψυχῇ ἔχειν αὐτήν. *Ego verò Iudicem veritatem non è lapide exſculptam circumferre, ſed in ipſo corde defixam habere velim.*

Imago Veritatis appenſa collo Iudicis Ægyptij.

Iudices ſine manibus.

Quæſitor claudens oculos.

Imago Veritatis è ſapphiro.

IV. GRAVITATEM.] Opinor, nomine grauitatis tranquillitatem animi, conſtantiam & cupiditatū vacuitatem intelligit, quæ nec iræ aut ambitionis aurâ iactetur, nec deprimatur aduerſis, nec rebus ſecundis inſoleſcat. Hæc enim grauitas, ſiue mentis conſtantia, eſt quoddam veluti pondus & momentum. quo mens in eodem ſtatu retinetur, quemadmodum apes apud nobilem pöetam.

-Sæpe lapillos
Vt vento inſtabiles fluctu iactante ſaburram
Tollunt. his ſeſe per inania nubila librant.

Grauitas in Iudice requiſita.

Huiuſmodi Bruti virtus à Silio pulchrè deſcribitur 8. Punic.

Læta viro grauitas & mentis amabile pondus,
Et ſine triſtitia vultus, non ille rigoris
Ingratas laudes, nec nubem frontis amabat.

Seneca lib. 1. de ira, cap. 26. *Itaque etſi peruerſa induenda magiſtratui veſtis, & conuocanda claſsico concio eſt, procedam in tribunal, non furens nec infeſtus, ſed vultu legis, & illa ſolennia verba, leui magis grauique, quàm rabida voce concipiam, & lege agi iubebo, non iratus, ſed ſeuerus.* Et infrà: *Non frendens, nec caput quaſſans, nec quidquam indecorum iudici faciens, cuius tum maximè placidus eſſe debet in ſtatu vultus, cùm magna pronuntiat,* &c. Atque hæc illa grauitas eſt quā hoc loco Noſter in iudice requirit, non illa fucata grauitas, & adumbrata quam Ammianus in Conſtantio deſcribit lib. 16. *Corpus perhumile curuabat portas ingrediens celſas, & velut collo munito rectam aciem luminum tendens, nec dextrâ vultum, nec læuâ flectebat, tanquam figmentum hominis, non cùm rota concuteret nutans, nec ſpuens, aut os, aut naſum tergens, vel fricans manúſve agitans eſt viſus vnquam.* quaſi veru deuoraſſet, vt loquitur Epictetus apud Arrianum lib. 1. cap. 21. Τί ἡμῖν ὀβελίσκον καταπιὼν περιπατεῖς; ἤθελον ἵνα με καὶ οἱ ἀπαντῶντες θαυμάζωσι. *Quid veru deglutito incedis? id quidem velim vt me obuij demirentur.* Pergit Ammianus: *Per omne tempus imperij, nec in conſeſſum vehiculi quemquam ſuſcepit, nec in trabea ſocium priuatum adſciuit, vt facere principes conſueuere.*

Fucata grauitas Conſtātij.

V. HVMANITATEM.] Vereor vt non poſſim Tullium ab aſſentatiuncula liberare, qui Domitium à grauitate & humanitate commendans Iudicibus palpum obtruſerit. fuit enim Domitius, vt cum Suetonio loquar in Nerone cap. 2. *Vir neque ſatis conſtans, & ingenio truci.* Themiſtius oratione de clementia Theodoſij videtur humanitatem à Iudicum virtutibus ſeiungere: Ἄλλη μὲν δικαστοῦ, ἄλλη δὲ βασιλέως ἀρετή, καὶ τῷ μὲν προσήκει ἕπεσθαι τοῖς νόμοις, τῷ δὲ ἐπανορθοῦν καὶ τοὺς νόμους, καὶ τὸ ἀπηνὲς αὐτῶν, καὶ ἀμείλικτον παραδεικνύναι, ἅτε νόμῳ ἐμψύχῳ ὄντι, καὶ οὐκ ἐν γράμμασιν ἀμεταθέτοις, καὶ ἀσαλεύτοις. *Alia Iudicis, alia Imperatoris eſt virtus. & huic quidem conuenit legibus obtemperare, illi etiam leges emendare, earúmque rigorem & aſperitatem moderari: quippe qui ſit lex animata, non litteris mandata quæ mutari & moueri non poſſunt.* Sed hæc benigna iuris interpretatio fuerat Conſtantini reſcripto ad Præfectum Prætorij ſublata. *Inter æquitatem iúſque interpoſitam interpretationem ſolis nobis, & oportet & licet inſpicere.* Cùm priùs nonnullis in Iudiciis clementia locum obtineret. Fabius: *In Senatu verò apud populum, & vbicumque iuris clementia eſt, habet locum deprecatio.* Quæ Iudicia Tullius in partitionibus *liberas diſceptationes* appellat. *Nam quæ motu animi & perturbatione facta, ſine ratione ſunt, ea defenſiones contra crimen in legitimis iudiciis non habent, in liberis diſceptationibus habere poſſunt.* Quidquid ſit tamen cùm ius eſt dubium, nec adiri poteſt iudex ſupremus, nemo, opinor, ἐπιείκειαν, ſiue benignam iuris interpretationem excluſerit. vnde illud effatum *odia reſtringenda, priuilegia amplianda.*

Humanitas an Iudici cōueniat?

FIDEM.] De fide Iudici neceſſaria, lepidum eſt dictum Philippi apud Plutarch. in apophth. Τῶν δ' Ἀντιπάτρου φίλων τινὰ κατατάξας εἰς τοὺς δικαστὰς, εἶτα τὸν πώγωνα βαπτόμενον αἰσθανόμενος, καὶ τὴν κεφαλὴν, ἀνέστησεν. εἰπὼν τὸν ἄπιστον ἐν θριξὶ μὴ νομίζειν ἀξιόπιστον ἐν πράγμασι. *Cùm vnum ex amicis Antipatri in Iudicum numerum allegiſſet, eúmque barbam & capillos tingere animaduertiſſet, ab iudicum albo expunxit, aiens eum qui ne in pilis quidem fidelis eſſet, in negotiis fide dignum non eſſe.* Præclarum illud in Cluentiana quam Ammianus & Sidonius

Fides Iudici neceſſaria.

Tullianarum orationum principem arbitrantur. *Eſt enim ſapientis Iudicis meminiſſe ſeſe hominem: cogitare tantùm ſibi à populo Romano eſſe permiſſum, quantum commiſſum & creditum ſit: & non ſolùm ſibi poteſtatem datam, verùm etiam fidem habitam eſſe meminiſſe.* Et poſt pauca longè pulcherrima: *Illud eſt hominis, magni Iudices, atque ſapientis, cùm illam iudicandi tabellam ſumpſerit, non ſe putare eſſe ſolùm, neque ſibi, quodcunque concupierit, licere: ſed habere in conſilio, legem, religionem, æquitatem, fidem: libidinem autem, odium, inuidiam, metum, cupiditatéſque omnes amouere: maximíque æſtimare conſcientiam mentis ſuæ, quam ab Diis immortalibus accepimus, quæ à nobis diuelli non poteſt.* Quibus magno, ni fallor, interuallo Græcum ſuperauit de falſa legatione. Οὐ γὰρ εἰ κρύβδην ἐστὶν ἡ ψῆφος λήσει τοὺς θεούς. *Non enim etiamſi occultè feratur ſententia, Deos latebit.* Mox: Οἱ θεοὶ δ' εἴσονται καὶ τὸ δαιμόνιον τὸν μὴ τὰ δίκαια ψηφισάμενον. παρ' ὧν κρεῖττόν ἐστιν ἑκάστῳ τὰς ἀγαθὰς ἐλπίδας τοῖς παισὶ καὶ ἑαυτῷ τὰ δίκαια γνόντα καὶ προσήκοντα, περιποιήσασθαι, ἢ τὴν ἀφανῆ, καὶ ἄδηλον χάριν τούτοις καταθέσθαι. *Dij verò noſcent, & ſupremum numen quis iniquã tulerit ſententiam. à quibus vnicuique melius eſt, rectè &, vt par eſt, iudicando ſibi & liberis ſpem bonam comparare, quam latentem & obſcuram iſtis gratiam conferre.* vſque adeò verum eſt illud,

Πολλοὶ μαθηταὶ κρείττονες διδασκάλων.

Superat magiſtrum ſæpe diſcipulus ſuum.

PRINCIPVM.] Qui ſunt principes ciuitatis fusè pro Sextio 96. 97. vbi poſtquam de optimatibus diſſeruit: *Horum*, inquit, *qui voluntati, commodis, opinioni in gubernanda Rep. ſeruiunt, defenſores optimatium, ipsique optimates grauiſſimi, & clariſſimi ciues nominantur, & principes ciuitatis.* VII.

AXIOMATA.

In Iudice nihil quærendum aliud niſi iuſtitia, grauitas, humanitas, fides.

Principum munus eſt reſiſtere & leuitati multitudinis, & perditorum temeritati.

Si Iudices eligendi ſunt, qui quàm contemnant populares inſanias dederint ab adoleſcentia ſua documentum.

ARGVMENTVM.

Tranſitio eſt ad narrationem, cum breui repetitione dictorum, vt ea ſuis auditoribus magis inculcet, quòd in iis cardo totius defenſionis vertatur.

XXIII. QVAMOBREM, Iudices, (vt aliquando ad cauſſam, criménque veniamus) ſi neque omnis confeſſio facti eſt inuſitata; neque de cauſſa quidquam noſtra aliter, ac nos vellemus, à Senatu iudicatum eſt; & lator ipſe legis, cùm eſſet controuerſia nulla facti, iuris tamen diſceptationem eſſe voluit; & electi Iudices, & iſti præpoſitus quæſtioni, qui hæc iuſtè, ſapientérque diſceptet: reliquum eſt, Iudices, vt nihil iam aliud quærere debeatis, niſi vter vtri inſidias fecerit: quòd quo faciliùs argumentis perſpicere poſſitis, rem geſtam vobis dum breuiter expono, quæſo diligenter attendite.

EXPLANATIO.

VT ALIQVANDO.] Vt tandem aliquando poſt tam longam theſim & generalem facti controuerſiam, ad hypotheſim & cauſſam ſuis circunſtantiis veſtitam veniamus.

SI NEQVE OMNIS.] Vt à §. 8. ad 12. iam oſtenſum eſt.

NEQVE DE CAVSSA.] Vt dictum eſt, 12. 13 14. Senatus ita decreuit Clodij cædem videri contra Remp. eſſe, vt tamen eam Milonis culpa factam eſſe non decreuerit.

ET LATOR IPSE LEGIS.] Cn. Pompeius. à §. 15. fusè oſtenditur.

ET ELECTI IVDICES.] *Delegit è florentiſſimis ordinibus ipſa lumina.* 21.

ET ISTI PRÆPOSITVS QVÆSTIONI.] Luc. Domitius Ænobarbus.

VTER.] Clodius an Milo alteri fecerit inſidias.

REM GESTAM.] Tria præſtat hoc verſiculo: ſilentium petit, docilitatem captat dum dicenda proponit, leuat tædium dum breuitatem pollicetur.

NOTÆ.

I. Iudex debet eſſe iuſtus & ſapiens. IVSTE SAPIENTERQVE.] De iuſtitia Iudicis fusè ſuperiori ſectione. de ſapientia pro Rabirio Poſthumo 12. *Vbi eſt igitur ſapientia Iudicis? in hoc vt non ſolùm quid poſſit, ſed etiam quid debeat, ponderet: nec quantum ſibi permiſſum meminerit ſolùm, ſed etiam quatenùs commiſſum.* & is Iudex verè ſapiens dicendus eſt qui, vt ait Perſius ſat. 4. ſic *-iuſtum gemina ſuſpendere lance*

Ancipitis libræ, rectum diſcernit, vbi inter
Curua ſubit, vel cùm fallit pede regula varo.

QVÆSO DILIGENTER ATTENDITE.] II. Attentionis petitio. More apud Poëtas tum apud oratores recepto. Homerus:

Ἄλλο δέ τοι ἐρέω, σὺ δ' ἐνὶ φρεσὶ βάλλεο σῇσι.

Immò aliud dicam, tu mentem aduerte loquenti.

Virgilius, *animos aduerte, docebo.* item: *animos aduertite, pandam.* maiore cum apparatu petit attẽtionem Demoſthenes oratione contra Ariſtocratem: Εἰκότως δ' ἂν, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, καὶ προσέχοιτέ μοι τὸν νοῦν, καὶ μετ' εὐνοίας ἀκούσαιτε. *Meritò ſanè, viri Athenienſes, & animum mihi aduertetis, & me cum beneuolentia audietis.* Subdit alia plura, ſed tu adi. Ariſtophanes Equitibus:

Ἄκουε δὴ νῦν, καὶ πρόσεχε τὸν νοῦν ἐμοί.

Plautus Pſeudolo:

Fac ſis vacinas Pſeudole ædis aurium.
Mea vt migrare dicta poſſint quo volo.

& alibi paſſim:

AXIOMA.

Præficiendus eſt quæſtionibus, qui lites iuſtè ſapientérque diſceptet.

Narratio ſuſpicioſè tractata, quæ exponuntur

- Conſilia
  - Clodij, ſtatuerat in Prætura omni ſcelere vexare Remp. 24. id vt aſſequeretur, cupiebat
    - habere annum integrum ad Præturam gerendam.
    - & eo anno Prætor eſſe quo magiſtratus nulli eſſent, qui poſſent eius ſceleribus obſiſtere. Itaque
      - Præturam petens ſubitò reliquit annum ſuum, cùm videret ita tracta eſſe comitia vt pauci menſes ad Præturam gerendam ſupereſſent
        - non ſolùm vt annum integrum haberet.
        - ſed etiam vt collegam in Prætura Luc Paulum effugeret, cuius virtutem & conſtantiam metuebat.
      - & tranſtulit ſe in ſequentē, ſed cùm in eum annū Milo peteret Conſulatum, viderétque Clodius mancam ac debilem Præturam ſuam futuram eo Conſule
        - primo impedire conatus ne Conſul fieret
          - conuocabat tribus.
          - ſe interponebat
          - coloniam ſcribebat.
          - delectum habebat perditorum. 25.
        - ſed cùm magis in dies conualeſceret Milo, & certiſſimo Cōſul futurus eſſet, Clodius palam agere cœpit & dictitare
          - occidendū Milonem.
          - eripi Miloni
            - Conſulatū non poſſe.
            - vitā poſſe.
          - Milonem triduo, ad ſummum quatriduo periturum. 26.
  - Milonis non exponuntur, ſed ſatis indicat de inſidiis Clodio ſtruēdis non cogitaſſe, è quibuſdam circunſtantiis
    - eo die fuit in Senatu quoad dimiſſus eſt.
    - calceos & veſtimenta mutauit.
    - pauliſper, dum ſe vxor, vt fit, comparat, commoratus eſt. 28.
- Profectio in qua ſpectatur
  - tempus
    - Clodius profectus eſt
      - pridie quàm ſciebat profecturū Milonem.
      - eo ipſo die quo habita fuit concio turbulenta. 27.
    - Milo ſuſcepit iter
      - ſolemne.
      - legitimum.
      - neceſſarium.
      - Quo tempore Clodius Romam iam redire potuiſſet. 27
  - modus
    - Clodius ſubitò.
    - Milo cunctanter & quietè. 28.
  - finis
    - Clodius vt Miloni inſidias ante fundum ſuum collocaret.
    - Milo vt proderet Flaminem Lanuuinis.
  - comitatus & apparatus
    - Clodius
      - expeditus in equo.
      - nulla rheda.
      - nullis impedimentis.
      - nullis Græcis comitibus, vt ſolebat.
      - ſine vxore quod nunquam ferè. 28.
    - Milo
      - cum vxore.
      - in rheda.
      - penulatus.
      - vulgi magno impedimento.
      - cum pueris & ancillis. 28.
- Pugna 29. in qua ſpectantur
  - tempus. hora vndecima.
  - locus
    - ante fundum Clodij.
    - Clodianis è ſuperiore loco pugnantibus.
  - duces
    - Milo acriter ſe defendens.
    - Clodius temerè exclamans occiſum Milonem.
  - euentus
    - Multi è ſeruis Milonis occiſi.
    - Pub. Clodius necatus
      - à ſeruis Milonis.
      - ipſo Milone
        - neque imperante.
        - neque ſciente.
        - neque præſente.

NARRATIO.

ARGVMENTVM.

Narrationem auſpicatur ab expoſitione conſiliorum P. Clodij: qua & inuidia in Clodium concitatur, & probabilior redditur narratio.

XXIV. P. Clodius, cùm ſtatuiſſet omni ſcelere in Prætura vexare Rempub. viderétque ita tracta eſſe comitia anno ſuperiore, vt nõ multos menſes Præturam gerere poſſet: qui non honoris gradum ſpectaret, vt ceteri, ſed & L. Paullum collegam effugere vellet, ſingulari virtute ciuem, & annum integrum ad dilacerandam Rempub. quæreret: ſubitò reliquit annum ſuum, ſéque in annum proximum tranſtulit, non religione aliqua, ſed vt haberet, quod ipſe dicebat, ad Præturam gerendam, hoc eſt, ad euertendam Rempub. plenum annum, atque integrum.

EXPLANATIO.

IN PRÆTVRA.] Quemadmodum iam vexauerat in Ædilitate & Tribunatu.

TRACTA.] De die in diem dilata, adeò vt Conſules Domitius Caluinus, & Valerius Meſſala ſeptimo menſe vix tandem inierint Conſulatum: quòd etiam in comitiis Prætoriis videtur contigiſſe: vt quinque menſes, ad ſummum geſſerint præturam. vide Notas.

LVC. PAVLLVM COLLEGAM.] Qui Caluino & Meſſala Coſſ. iniit Præturam, erátque Caluini competitor.

EFFVGERE VELLET.] Veritus ne L. Paulus ſua virtute & magnitudine animi ipſius conſilia impediret.

AD DILACERANDAM REMP.] Ad gerendam Præturam, quo in magiſtratu Remp. omni ſcelere lacerare decreuerat.

SVBITO RELIQVIT ANNVM SVVM.] Deſtitit petere Præturam anno ſuò, id eſt eo anno, quo per legem Corneliam, Præturam gerere poterat agens annum ætatis nonum & trigeſimum.

NON RELIGIONE ALIQVA.] Non ideò permotus eſt ad relinquendam eo anno Præturæ petitionem, quia viderat non ſemel inauſpicatis auibus, & aliis ſiniſtris auſpiciis, comitia prohiberi.

AD EVERTENDAM.] Vide quemadmodum ſenſim exaggeretur oratio. *vexare, dilacerare, euertere.*

NOTÆ.

I. VEXARE REMP.] Vexare, vt ait Pedianus Verr. 2. *ingentis calamitatis vſum ſignificat.* vide dicta in Vatinium 7.

II. TRACTA ESSE COMITIA.] De impedimentis quæ illo anno comitiis magiſtratuum obiecta ſunt, fusè Dio lib. 40. placet pauca de multis exhibere: ἄλλα τε ἐν τῇ πόλει στασιώδη πολλὰ, κἀν ταῖς ἀρχαιρεσίαις μάλιστ' ἐγίγνετο. ὥστε μόλις ἑβδόμῳ μηνὶ τόν τε Καλουῖνον, καὶ τὸν Μεσσάλαν ὑπάτους ἀποδειχθῆναι. καὶ οὐδ' ἂν τότε ἡρέθησαν, εἰ μὴ Κύϊντός τε Πομπήϊος ὁ Ῥοῦφος, ἐς τὸ δεσμωτήριον ὑπὸ τῆς βουλῆς, καίτοι τοῦ τε Σύλλου θυγατριδοῦς ὢν, καὶ δημαρχῶν ἐνεβλήθη. *Tum aliæ multæ ſeditiones in urbe, tum maximè in comitiis magiſtratuum contigerunt, adeò ut vix menſe ſeptimo Caluinus & Meſſala declarati fuerint Conſules: neque ſanè tunc creati fuiſſent, niſi Q. Pompeius Rufus, quamuis & Syllæ ex filia nepos, & Tribunusplebis, auctoritate Senatus in carcerem impactus fuiſſet.* Aliquantò pòſt: ἔστι μὲν γὰρ ὅτε καὶ οἱ ὄρνιθες τὰς ἀρχαιρεσίας ἐπέσχον, οὐ βουλόμενοι τοῖς μεσοβασιλεῦσι γενέσθαι. *Nonnunquam etiam aues haberi comitia prohibebant, nolentes Interregibus addicere.* Dubito, vel de lectione, vel de auctoris fide: licet enim in veteri Rep. neceſſe eſſet fauſtas & proſperas aues comitia habituris aduolare, tamen æuo Ciceronis ſatis erat ſi nullum eſſet aduerſum auſpicium quod haberi comitia prohiberet. Dionyſius lib. 2. ἱκανὸν ὑπολαμβάνοντες εἶναι τὸ μηδένα γενέσθαι τῶν ἐναντιουμένων τε καὶ κωλυόντων οἰωνῶν. *Satis eſſe rati nullum auſpicium eſſe contrarium, aut comitia prohibere.* vide. Pergit Dio: Μάλιστα δὲ οἱ δήμαρχοι τὰ πράγματα τὰ ἐν τῇ πόλει διέποντες, ὥστε καὶ τὰς πανηγύρεις, καὶ ἀντὶ τῶν στρατηγῶν ποιεῖν, ἐκώλυον τὰς ἀρχὰς αἱρεθῆναι. *Maximè verò Tribuniplebis res vrbanas adminiſtrantes, adeò vt etiam vice Prætorum ludos publicos ederent, magiſtratus eligi prohibebant.*

Seditiones in comitiis.

ANNVM SVVM.] Initio certos annos non habebant quibus honores mandarentur, vt liquet è Liuio lib. 7. apud quem M. Manlius Torquatus Dictator M. Valerium Coruinum, *Summo fauore tres & viginti natum annos Conſulem renuntiauit.* Poſteà tamen certos ſingulis magiſtratibus annos fuiſſe deſtinatos, conſtat ex lege quam tulit Luc. Villius Annalis Tribunusplebis Aulo Poſthumio, & C. Piſone Coſſ. Item ex lege Cornelia, quæ iubebat, vt ordine certo magiſtratus caperentur, videlicet Quæſtura anno ætatis ſeptimo & viceſimo, Tribunatusplebis anno trigeſimo, Ædilitas anno ſeptimo & trigeſimo, Prætura nono & trigeſimo, & tandem Conſulatus anno quadrageſimo tertio. quæ temporũ interualla haudquaquam in Clodio ſeruata ſunt: ſex enim anni tantùm à Cõſulatu Piſonis & Gabinij, quo anno geſſit Tribunatumplebis, ad Caluinum & Meſſalam effluxerant, in quorum Conſulatum annus Prætoris Clodij trigeſimusnonus incidebat. eam ob rem opinor, quod Clodius anno ætatis trigeſimo, quo ſecundum legem Corneliam Tribunus eſſe poterat, nondum ad plebeios tranſiiſſet. quod ſpectat ad has antiquas leges, etiam priores Cornelia, eas ſumma iã religione ſeruabãt, placet locum bene longũ exſcribere ex Lybicis Appiani. III.

Leges annales.

Καὶ ὁ Σκιπίων (ἐπεὶ δ' ἡλικία οὐκ ὑπατεύειν αὐτῷ οὐ συνεχώρουν οἱ νόμοι) ἀγορανομίαν μετῄει, καὶ ὁ δῆμος αὐτὸν ὕπατον ᾑρεῖτο. παρανόμου δ' ὄντος, καὶ τῶν ὑπάτων προφερόντων αὐτοῖς τὸν νόμον, ἐλιπάρουν, καὶ ἐνέκειντο, καὶ ἐνεκεκράγεσαν, &c. καὶ ἡ βουλὴ τοῖς δημάρχοις ἐπείθετο λῦσαι τὸν νόμον τόνδε, καὶ μετ' ἔτος ἓν αὖθις ἀναγράψαι. οἷόν τι καὶ Λακεδαιμόνιοι λύσαντες ἐν χρείᾳ τὴν ἀτιμίαν τῶν ἁλόντων περὶ Πύλον ἔφασαν, Κοιμάσθων οἱ νόμοι τήμερον. *Scipio, cùm ipſi propter ætatem Conſulem fieri leges haudquaquam permitterent) ædilitatem petebat: & populus ſuis eum ſuffragiis Conſulem elegit. Cùm verò id contra legem eſſet, eámque Conſules exhiberent, precabantur, vrgebant, clamabant, &c. & Senatus Tribunisplebis perſuaſit vt eam legem tum ſoluerent: & anno ſequenti renouarẽt, quemadmodum fecerunt Lacedæmonij cùm neceſsitas vrgeret, & tollentes infamiam Captiuorum ab iis qui in Pylo capti fuerant dixerunt, Hodie dormiant leges.* Idem in Hibericis: ὁ δὲ Σκιπίων καὶ τότε ὢν νεώτερος τοῖς νενομισμένοις (lege τῆς νενομισμένης) τοῖς ὑπατεύουσιν ἡλικίας, ἡ οὖν βουλὴ πάλιν, ὥσπερ ἐπὶ Καρχηδονίοις αὐτοῦ χειροτονουμένου Σκιπίωνος, ἐψηφίσατο τοὺς δημάρχους λῦσαι τὸν περὶ τῆς ἡλικίας νόμον, καὶ τοῦ ἐπιόντος ἔτους θέσθαι. *At Scipio etiam tum minor erat ætate legibus conſtituta. eam ob rem Senatus iterum, vt cùm in Carthaginenſes creatus eſt Conſul, decreuit vt Tribuniplebis legem annalem antiquarent, & anno ſequenti renouarẽt.* Quare Latinus Pacatus Panegyrico Theodoſij non videtur meminiſſe Scipionis, dum ait: *Nec quiſquam tanta valuerit nobilitate, vel gratia, vel pecunia, qui annos comitiali lege præſcriptos feſtinatis honoribus occuparit.* Noſter de ſuo Conſulatu:

> *Omnia fixa tuus glomerans determinat annus.*

2. Agraria. §. 3. *Qui autem anno ſuo petierint, ſine repulſa non eſſe factos.* & 4. *quòd prima petitione, quòd anno meo.* id eſt vt paulò antè dixerat: *qui Conſulatum petierim, cùm primùm licitum ſit: Conſul factus ſim, cum primùm petierim.*

Ad dilacerandam.] Dixerat: *Omni ſcelere vexare Remp.* ſolent vt plurimùm iſta coniungi, pro domo 59. *Quid enim vos vxor mea miſera violarat? quam vexauiſtis, raptauiſtis, omni crudelitate lacerauiſtis?* Maro in bucolicis: IV.

> *Quid loquar aut Scyllam Niſi, aut quam fama ſecuta eſt,*
> *Candida ſuccinctã latrantibus inguina monſtris*
> *Dulichias vexaſſe rates, & gurgite in alto.*
> *Ah! timidos nautas canibus laceraſſe marinis.*

Eſt enim vt videtur *lacerare*, idem quod crudeliter *vexare.* Iuuenalis ſat. 4. Lacerare.

> *Cùm iam ſemianimum laceraret Flauius orbem*
> *Vltimus, & caluo ſeruiret Roma Neroni.*

ARGVMENTVM.

Pergit conſiliorum Clodij ſeriem euoluere, & oſtendere quomodo ſenſim ad intentandam Miloni necem, quaſi gradibus quibuſdam, peruenerit.

OCCVRREBAT mancam, ac debilem Præturam ſuam futuram, Conſule Milone: eum porrò ſummo conſenſu populi Rom. Conſulem fieri videbat. contulit ſe ad eius competitores, ſed ita, totam vt petitionem ipſe ſolus etiam, inuitis illis, gubernaret, tota vt comitia ſuis, vt dictitabat, humeris ſuſtineret. conuocabat tribus, ſe interponebat: coloniam nouam, delectum perditiſſimorum ſcribebat ciuium. quanto ille plura miſcebat, tantò hic magis in dies conualeſcebat. vbi vidit homo ad omne facinus paratiſſimus fortiſſimum virum, inimiciſſimum ſuum, certiſſimum Conſulem, idque intellexit non ſolùm ſermonibus, ſed etiam ſuffragiis populi Romani ſæpe eſſe declaratum: palam agere cœpit, & apertè dicere, occidendum Milonem. XXV.

EXPLANATIO.

OCCVRREBAT.] Clodio veniebat in mentem fore, vt in Prætura ſua Rempublicam vexare non poſſet, ſi eodem anno, quo Prætor futurus erat, Milo gereret conſulatum.

Mancam.] Metaphora pulcherrima.

Consvlem fieri.] Videbat tam accenſa ciuium ſtudia in Milonem, vt eum Conſulem ſuis ſuffragiis creauerit, quoties comitia ſunt inchoata, quæ tamen abſolui non potuerunt, vel Tribunorum interceſſionibus, vel morbo comitiali, vel aduerſis auſpiciis impedita. vel fortaſſe, cùm, vt ait Aſconius, *bina de ſingulis candidatis comitia fierent*, prioribus comitiis iam creatus fuerat Conſul. Aduerte quẽmadmodum inſidiarum ſuſpicionem à Milone remoueat, ad Clodium conuertat. Clodio viuẽte ſummo conſenſu pop. Rom. Conſul fiebat Milo, ergo nulla ratio fuit cur Milo ad adipiſcendum Conſulatum Clodio necem vellet inferre: at contrà Clodius videbat Milonem fore conſulem, ergo magna ratio fuit cur eum vellet occidere.

Contvlit se ad eivs competitores.] Cœpit fauere Pub. Plautio Hipſeo & Q. Metello Scipioni, qui cum Milone conſulatum petierunt.

Ipse solvs.] Et impudentiam Clodij declarat violẽtiâ implicatam, & omnes ſeditiones quæ hactenus in comitiis euenerant in eum refundit, quaſi illas excitauerit inuitis etiam Hipſeo & Scipione: quod etiam iuuat ad inſidiarũ ſuſpicionẽ.

Convocabat tribvs.] Etiamſi centuriatis comitiis crearentur Conſules, tamen ante illa comitia populum tributim conuocabat, eíque commendabat ipſos candidatos.

Se interponebat.] Sequeſtrum ſe conſtituebat ad corrumpenda populi ſuffragia.

Coloniam.] Legunt alij *Collinam nouam ex dilectu perditiſsimorum ciuium ſcribebat.* & ſenſus eſſet. vt plures Tribus Hypſeo & Scipioni ſuffragarentur, Tribuum numerum augebat, & ad veteres triginta quinque Tribus vnam

addebat. quam Collinam nouam vocabat ad differentiam alterius collinæ quæ in veteribus tribubus cenſebatur. malim tamen veterem lectionem retinere: vt ſit ſenſus. Clodius vt conciliaret ſibi candidatiſque ſuis plebeculam, delectum habebat egentiſſimorum quorumque ciuium, quibus agros diuideret, eóſque in coloniam tranſcriberet. Lambinus tamen ſe pulchrum & beatum putat, quòd collinā in duob. M.S. inuenerit. vide.

ILLE CLODIVS. HIC.] Milo. aduerte orationem membratim diſcerptam perſpicuitatis cauſſa. & ſimiliter cadentibus diſtinctam ſuauitatis.

VBI VIDIT.] Aduerte epitheta Clodij & Milonis huic loco & cauſſæ aptiſſima.

SVFFRAGIIS.] Quia, vt dixi, populus iam frequenter ad comitia conuenerat: ſed ea vel obnuntiationibus, vel auſpiciis fuerant impedita.

NOTÆ.

I. CONSVLEM FIERI.] Aſconius in præfatione: *Dum Milo quamprimùm comitia confici vellet, conficerétque cum bonorum ſtudiis, quòd obſiſtebat Clodio, tum etiam populo,* lege populi, ſupple *ſtudiis, propter effuſas largitiones, impenſas quoque ludorum ſcenicorum, ac gladiatorij muneris maximas, in quas tria patrimonia effudiſſe eum Cicero ſignificat, competitores eius trahere vellent,* &c.

II. CONVOCABAT TRIBVS.] Dixi, etiamſi comitiis centuriatis fierent Conſules, tamen ante populum fuiſſe tributim collectum, quadam veluti præluſione ad legitima ſuffragia. lib. 4. ad Atticum, ep. 16. *Putaui de nummis ante comitia tributim diuiſis,* &c. Quintus Cic. de petitione Cōſulatus. *Ita cùm & hos ipſos propter ſuam ambitionem, qui apud tribules ſuos plurimùm gratia poſſint, ſtudioſos in centuriis habebis, & cæteros qui apud aliquam partem tribulium, propter municipij aut ciuitatis, aut collegij rationem valent, cupidos tui conſtitueris, in optimâ ſpe eſſe debebis.* Item: *In conuiuiis quæ facere te oportet, & amicis tuis concelebrētur, & paſſim & tributim.* Aſconius in præfatione de hoc ipſo noſtro Milone. *Petebátque nihilo deteriùs conſulatum, apertè quoque tributim in ſingulos millia aſſium dederat.* pro Murena 72. *At ſpectacula ſunt tributim data, & ad prandium vulgo vocati.* & 73. *Præfectum fabrûm ſemel locum tribulibus ſuis dediſſe: quid ſtatuent in viros primarios, qui in circo totas tabernas, tribuliū cauſsâ compararunt.* Pro domo 58. *Quid? ſi vocatæ tribus eſſent, proſcriptionem non dicam in me, ita de ſuâ ſalute meritum, ſed omninò in vllo ciue comprobauiſſent.* At conſules non fiebant niſi centuriatis de quo pro Murena, neque aliis comitiis agebatur de capite ciuis Romani, de quo pro domo ſua. E quibus locis intelligis populum ante centuriata comitia tributim collectū fuiſſe, & largitionibus ſupplicationibúſque tentatum, vt cùm legitimorum comitiorum dies illuxiſſet, ſua tum denique centuriatim ferrent ſuffragia. Sed hæ, vt plurimum, tribuum conuocationes illegitimæ fuerūt, & magis ad corrumpendam largitionibus plebē, quàm ad rectam adminiſtrationem comparatæ. quare dubitari poteſt an tribus ante centurias iure & more maiorum aliquando conuenerint. Omninò videtur: & ſic intelligi poſſunt auctores quoties in comitiis Conſularibus tribuum faciūt mentionem, vt Auſonius in gratiarum actione. *Valete modo claſſes populi, & vrbanarum tribuum prærogatiuæ, & centuriæ iure vocatæ.* Aſconius in illa verba 2. Verrinæ: *Dedit enim prærogatiuam ſuæ voluntatis eiuſmodi, vt iſti pro prærogatiuis eam reddidiſſe videatur.* Ait: *Prærogatiuæ ſunt tribus, quæ primæ ſuffragium ferunt ante iure vocatos. mos enim fuerat quo faciliùs in comitiis concordia firmaretur, bina de iiſdem candidatis, comitia fieri,* &c. qua de re iam plura dicta ſunt & intricata oratione contra Piſonem §. 11. nunc ſic videor aliquo pacto tricas expedire. Ad creandos conſules habebantur bina comitia de ſingulis candidatis: & primùm quidem populus tributim conuocatus rogabatur à candidatis, vt ſibi faueret in ferendo ſuffragio: vnde factum eſt vt priora illa comitia tribus prærogatiuæ dicerentur, quòd rogarentur præ ſiue ante centurias. 2. Agraria 4. *Itaque me non extrema tribus ſuffragiorum, ſed primi illi veſtri concurſus, neque ſingulæ voces præconum, ſed vnâ voce vniuerſus populus Rom. Conſulem declarauit.* Per extremam tribum vnam è quatuor vrbanis intelligo, quæ inferioris erant dignitatis quā ruſticanæ: ſolæ tamē erant prærogatiuæ tribus vt mox è Varrone colligemus. quæ cauſſa Clodium mouere potuit, vt præter quatuor vrbanas collinam nouam conſcriberet, eo conſilio vt eius prærogatiuum ſuffragium ferrent. Hipſeus & Scipio candidati. Harum tamen tribuum ſuffragium auctoritatis nihil obtinebat: niſi centuriarū conſenſus accederet: ideóq; centuriata comitia fiebant, quæ tribuum voluntatem ſuis ſuffragiis comprobarēt. In quibus centuriatis comitiis, aliæ rurſus erant centuriæ quæ prærogatiuæ, aliæ quæ iure vocatæ dicerentur. prærogatiuæ, quòd eæ, quibus ſors obtigiſſet, priore loco rogarentur ſuffragium. iure vocatæ, quòd vocarentur ad ſuffragia ſecundū ius à Seruio Tullio conſtitutum: vt in comitiis Conſularibus non ſolùm prærogatiuæ Centuriæ, ſed etiam prærogatiuæ Tribus fuiſſe videantur. reddit Aſconius rationem: *quò faciliùs in comitiis concordia firmaretur.* quia nimirum, vt alibi diximus in comitiis centuriatis, diuites & primarum claſſiū ciues totam ſuffragiorum vim obtinebant: *Mos fuerat, quò faciliùs in comitiis concordia firmaretur, bina de iiſdem candidatis comitia fieri.* Ac primò quidē tributa, in quibus diuites pauperibus mixti, non maiorem illis ſuffragandi vim habebant: deinde centuriata. aliam apud Feſtum Varro dat rationem: *Vt ruſtici Romani, qui ignorarent petitores, faciliùs eos animaduertere poſſent.* Aliam Verrius: *Vt cùm eſſent deſignati à prærogatiuis in ſermonē res veniret populi de dignis indigniſue, & fierent cæteri diligentiores ad ſuffragia de his ferenda.* Quod autē Aſconius id etiam de Conſularibus candidatis intelligat, probant quæ ſequuntur. *Vult enim illum Verris pecuniâ conſulem factum intelligi.* Scio me aliter in Piſoniana ſenſiſſe: ſed & aliter fortaſſe alibi, neque enim adhuc mihi penitùs acquieſco. his interim eſto contentus, vide infrà 44.

Etiam in comitiis Conſulum tributim vocatus populus.

III. SE INTERPONEBAT.] Vario modo ſe Iudiciis & comitiis interponebāt. alij vt interpretes, alij vt ſequeſtres, alij denique vt diuiſores. Tullius Verrina 2. §. 36. *Qui aut deponere, aut accipere, aut recipere, aut polliceri, aut ſequeſtres corrumpēdi Iudicij ſolent eſſe.* quod de corrumpendis ſuffragiis poſſit intelligi. Aſconius: *Sequeſtres ſunt apud quos pecunia deponitur, interpretes per quos indicitur pactio.* Quintus Cicero de pet. Conſ. *ſi ſequeſtribus,*

Sequeſtres diuiſores interpretes.

lege *ſi ſequeſtribus metu iniicimus, diuiſores ratione aliqua coërcemus, perfici poteſt vt largitio nulla fiat, aut nihil valeat.* Verrina 2. §. 22. *Reperiebam, fiſcos plures cum pecuniâ Sicilienſi à quodam Senatore ad equitem Romanum eſſe tranſlatos: ex his quaſi decem fiſcos ad Senatorem illum relictos eſſe, comitiorum nomine: diuiſores omnium tribuum noctu ad iſtum vocatos.* Et vt videas etiam his tribuum diuiſoribus locum fuiſſe in comitiis prætoriis, atque adeo conſularibus, pergit §. 23. *Commemoraſſe iſtum quàm liberaliter eos tractaſſet, etiam antea, cùm ipſe præturam petiſſet, & proximis conſularibus, prætoriíſque comitiis.* lib. 1. ad Atticum epiſt. 15. *Tribulis enim tuus eſt, & Sextus pater eius nummos vobis diuidere ſolebat.* In Planciana 45. *Decuriatio Tribulium, deſcriptio populi, ſuffragia largitione deuincta, ſeueritatem Senatus, ac bonorum omnium vim, ac dolorem excitarunt. Hæc doce, hæc profer, huc incumbe Laterenſis, decuriaſſe Plancium, conſcripſiſſe, ſequeſtrem fuiſſe, pronuntiaſſe, diuiſiſſe.* vbi, *pronuntiaſſe*, eſt *fuiſſe interpretem.*

ARGVMENTVM.

Deſcribit Clodij apparatum ad ſuſpicionem magis & magis mouendam, & minas quas longè antè palam præmiſerat: vt iampridem locum & tempus inſidiarum meditatus eſſe videatur.

SERVOS agreſtes, & barbaros, quibus ſiluas publicas depopulatus erat: XXVI. Etruriámque vexarat, ex Apennino deduxerat, quos videbatis. res erat minimè obſcura. etenim palam dictitabat, conſulatum Miloni eripi non poſſe, vitam poſſe. ſignificauit hoc ſæpè in Senatu, dixit in concione. quin etiam Fauonio fortiſſimo viro quærenti ex eo, qua ſpe fureret, Milone viuo: reſpondit, triduo illum, ad ſummum quatriduo periturum. quam vocem eius ad hunc M. Catonem ſtatim Fauonius detulit.

EXPLANATIO.

SERVOS.] Clodij violentiam deſcribit à comitatu, à conditione comitum, ab eorum moribus, à rebus antè actis exaggerat. infrà 75. *Qui non calumnia litium, non iniuſtis vindiciis ac ſacramentis alienos fundos, ſed caſtris, exercitu, ſignis inferendis petebat: qui non ſolùm Etruſcos, eos enim penitus contempſerat,* &c. vide.

QVOS VIDEBATIS.] Probabilem efficiunt orationem, ſi teſtata & clara dici videantur.

AT ENIM.] Iterum ſuſpicionem mouet à dictis & denuntiationibus Clodij.

AD HVNC M. CATONEM.] Iudicem noſtrum & ad Qu. Petilium.

STATIM.] Ne quis putet interceſſiſſe tempus quo Fauonius corrumperetur, & ſubornaretur ad hoc fingendum.

NOTÆ.

1. BARBAROS.] *Barbari*, vt notat Feſtus, *dicebantur antiquitùs omnes gentes exceptis Græcis. vnde Plautus Næuium Poëtam barbarum dixit.* Ammonius de differentiis:

Βάρβαρον μὲν γάρ ἐστιν ὄνομα τὸ οὐχ Ἑλληνικόν.
Barbarum enim nomen eſt non Græcum.

Quibus adſtipulantur reliqui omnes, Ioſephus, Euſtathius, Philoſtratus, Strabo, è Patribus Iuſtinus, Tatianus, Clemens, Euſebius, Theodoretus, & alij paſſim. Sed hoc ſenſu non loquitur Tullius, cùm hanc appellationem probro vertat: & Latini non ſolùm ſe Barbaros, id eſt, non Græcos eſſe fateantur, ſed etiam aſpernentur Græcorum leuitatem. Plautus in prologo Mercatoris:

Marcus vortit barbarè. id eſt Latinè.

Barbari omnes non Græci.

Preſſiùs Phrygas Barbaros nominabant, vnde 2. Æneidos:

Barbarico poſtes auro ſpoliíſque ſuperbi.

Horatius:

Græcia Barbariæ lento colliſa duello. Item:
Sonante mixtum tibiis carmen lyra
Hac Lydium, illis Barbarum.

Barbari Phryges.

id eſt, Phrygium. Sic veſtes acu pictæ non ſolùm Phrygiæ, ſed etiam Barbaræ dicuntur vndecimo Æneidos:

Pictus acu tunicas, & Barbara tegmina crurum.

De quo ne te morer vide Cerdanum noſtrum tanto Poëta non indignum interpretem, ſed neque hoc ſenſu Noſter illos Clodij Barbaros nominauit.

Tertiò, Barbaros vocabant qui non humano more loquerentur. Ariſtoph. in Auibus:

Ἐγὼ γὰρ αὐτοὺς βαρβάρους ὄντας πρὸ τοῦ
Ἐδίδαξα τὴν φωνήν.
Ego enim ipſos Barbaros exiſtentes antea
Docui vocem.

Barbari non eadem lingua loquentes.

In quem verſum Scholiaſtes: Βαρβάρους ὄντας, ἀντὶ τοῦ ἀφώνους, ἢ ἀνηκόους ἀνθρώπων, καὶ μὴ εἰδότας αὐτῶν φωνήν. *Barbaros, id eſt, non loquentes, qui homines non intelligant, aut eorum linguam ignorent.* Herodotus libro 2. Βαρβάρους δὲ πάντας οἱ Αἰγύπτιοι καλέουσι τοὺς μή σφι ὁμογλώσσους. *Omnes qui eiuſdem linguæ non ſunt Barbaros vocant Ægyptij.*

Quartò, Barbari dicuntur feroces, immanes, nullis ſtudiis aut legibus ad humanitatem expoliti. vt 1. Æneidos:

Quod genus hoc hominum? quæve hunc tam Barbara morem
Permittit patria? Hoſpitio prohibemur arenæ.

Barbari immanes.

pro Marcello: *Domuiſti gentes immanitate Barbaras.* Sed hic morari diutiùs nihil ſit aliud quàm *laureolam in muſtaceo quærere.* Nota tantum vt Noſter ait, *agreſtes & Barbaros.* Ita dici apud Martialem rus Barbarum illud quod verè ſit agreſte, nec in hortorum amœnitatem excultum. lib. 3. epigr. 58.

Baiana noſtri villa, Baſſe, Fauſtini
Non otioſis ordinata myrtetis,

Viduáque platano tonſilíque buxeto
Ingrata lati ſpatia detinet campi:
Sed rure vero Barbaróque lætatur.

II. RES ERAT MINIME OBSCVRA.] *Hæc ego cum viderem, neque enim erant occulta.* Demoſth. pro corona: Ταῦτα δ' ὁρῶν ὁ Φίλιππος, οὐ γὰρ ἦν ἀφανῆ. *Hæc cū videret Philippus, res erat minimè obſcura.*

PALAM.] Vlpianus D. Qui teſtament. facere poſſ. lege Heredes: *Quid eſt palam? non vtique in publicum, ſed vt exaudiri poſſit: exaudiri autem non ab omnibus, ſed à teſtibus*, &c. D. de verbor. ſignificat. leg. 33. *Palam, eſt coram pluribus.* Et ita frequenter in iure, ſed breuitati conſulo. III.

ARGVMENTVM.

Expoſitis Clodij conſiliis, apparatu, & dictis eiuſdem, pergit reliquam narrationem attexere, eámque circunſtantiis temporis veſtit, ſingulorùmque factorum reddit rationem, tum vt probabilior fiat oratio, tum vt Confirmationis ſemina iaciantur.

XXVII. INTERIM cùm ſciret Clodius (neque enim erat difficile ſcire) iter ſolenne, legitimum, neceſſarium, ante diem XIII. Kalend. Febr. Miloni eſſe Lanuuium ad flaminem prodendum, quòd erat dictator Lanuuij Milo: Roma ſubitò ipſe profectus pridie eſt, vt ante ſuum fundum (quod re intellectum eſt) Miloni inſidias collocaret. atque ita profectus eſt, vt concionem turbulentam, in qua eius furor deſideratus eſt, quæ illo ipſo die habita eſt, relinqueret: quam, niſi obire facinoris locum tempúſque voluiſſet, nunquam reliquiſſet.

EXPLANATIO.

INTERIM CVM.] Reddit rationem propter quam Clodius facilè reſciuerit Milonem eſſe profecturum, quia Milonis iter erat ſolenne, & ſingulis annis certo die fieri conſuerat, quia legitimum, & legibus conſtitutum, quia denique neceſſarium: quæ neceſſitas ratione dictaturæ Milonem vrgebat: quæ res magnopere & Milonem abſoluit, & Clodium in ſuſpicionem inſidiarum adducit.

ANTE DIEM XIII. CALEND. FEB.] Ianuarij viceſimo. Calendas, id eſt, ante Calendas.

AD FLAMINEM PRODENDVM.] Cauſſam reddit cur debuerit Milo proficiſci. Vt Flaminem nominaret, quem Dictatores in oppidis Italiæ prodere ſeu nominare conſueuerant.

PRIDIE.] Decimo nono Ianuarij.

ANTE SVVM FVNDVM.] Quem habebat in via Appia.

CONCIONEM TVRBVLENTAM.] Infrà 46. *At quo die? quo vt antè dixi, inſaniſſima concio ab ipſius mercenario Tribunoplebis eſt concitata.* Aſconius: *Sunt autem concionati eo die, vt ex actis apparet, C. Salluſtius, & Qu. Pompeius, vtrique & inimici Milonis & ſatis inquieti, ſed videtur mihi Qu. Pompeium ſignificare. nam eius ſeditioſior fuit concio.*

QVAM NISI.] Cic. ibidem: *Quem diem ille, quos clamores, quam concionem, niſi ad cogitatum facinus approperaret, nunquam reliquiſſet.*

NOTÆ.

I. Iuno Soſpita. AD FLAMINEM.] Arbitror Iunonis Soſpitæ. pro Murena 90. *Date etiam Lanuuio, municipio honeſtiſſimo.* Mox: *Nolite à ſacris propriis Iunonis Soſpitæ, cui omnes Conſules facere neceſſe eſt, domeſticum & ſuum Conſulem potiſſimùm auellere.* Liuius libro 22. *Iunoni Reginæ in Auentino Iunoníque Sophiſtæ Lanuuij maioribus hoſtiis ſacrificaretur.* Primo de natura Deorum III. *Illam veſtram Soſpitam, quam tu nunquam, ne in ſomnis quidem vides, niſi cum pelle caprinâ, cum haſtâ, cum ſcutulo, cum calceolis repandis. At non eſt talis Argia nec Romana Iuno. Ergo alia ſpecies Iunonis Argiuis, alia Lanuuinis.* De eadem Soſpitæ Iunonis haſta Liuium intelligo lib. 21. *Lanuuij haſtam ſe commouiſſe, & coruum in Ædem Iunonis deuolaſſe, atque in ipſo puluinario conſediſſe.* Feſtus: *Siſpitem Iunonem, quam vulgo Soſpitem appellant, antiqui vſurpabant.*

DICTATOR.] Spartianus in Adriano: *Per Latina oppida Dictator, & Ædilis, & Duumuir fuit. apud Neapolim Demarchus, in patria ſua Quinquennalis. & item Hadriæ Quinquennalis, quaſi in alia patria, & Athenis Archon fuit.* Liuius lib. 6. *Dictator Tuſculanus ita verba fecit*, &c. Dictator itaque Lanuuij flaminem certo die prodere debebat, quem diem ſcire difficile non fuit, propter horum ſacrorum celebritatem quæ Romanis erat, cum Lanuuinis communis. Liuius: *Lanuuinis ciuitas data, ſacráque ſua reddita, cum eo, vt ædes lucúſque Soſpitæ Iunonis communis Lanuuinis Municipibus cum populo Romano eſſet.* Summus igitur magiſtratus Tuſculi & Lanuuij Dictator. Ædilis apud Arpinates vt epiſt. II. lib. 13. ad famil. Duumuir vt Corfinij. Cæſar lib. I. de bello ciuili. Quatuoruir vt Neapoli 10. ad Attic. II. & Cluentiana. Quæſtores fereti. Gellius lib. 10. cap. 3. Prætor apud Fundanos & Præneſtinos. Liuius lib. 23. *Præneſtini cum ſuo Prætore*, &c. Horatius Sat. 2. lib. 2. II.

Fundos Aufidio Luſco Prætore libenter
Linquimus inſani ridentes præmia ſcribæ
Prætextam & latum clauum prunæque batillū.

OBIRE.] Tranquillus in Iulio: *Tanuſius adiicit Craſſum pœnitentia vel metu diem cædi deſtinatum non obiiſſe.* III. Diem obire.

ARGVMENTVM.

Ab aliis circunſtantiis, morâ & cunctatione Milonis, veſtimentis, rheda vtriuſque comitatu, inſidiarum ſuſpicionem à Milone in Clodium retorquet.

MILO autem cùm in Senatu fuiſſet eo die, quoad Senatus dimiſſus eſt, domum venit: calceos, & veſtimenta mutauit: pauliſper, dum ſe vxor (vt fit) comparat, commoratus eſt: deinde profectus eſt id temporis, cùm iam Clodius, (ſi quidem eo die Romam venturus erat,) redire potuiſſet. obuiam fit ei Clodius expeditus in equo, nulla rheda, nullis impedimentis, nullis Græcis comitibus, vt ſolebat, ſine vxore, quod nunquam fere: cùm hic inſidiator, qui iter illud ad cædem faciendam apparaſſet, cum vxore veheretur in rheda penulatus, vulgi magno impedimento, ac muliebri, & delicato ancillarum, puerorúmque comitatu. XXVIII.

EXPLANATIO.

MILO AVTEM.] Fabius libro 4. inſtitut. *Optimæ verò præparationes erunt quæ latuerint, vt à Cicerone ſunt quidem vtiliſſimè omnia prædicta, per quæ Miloni Clodius, non Clodio Milo inſidiatus eſſe videatur; plurimum tamen facit illa callidiſſima ſimplicitatis imitatio, Milo autem cùm, &c. commoratus eſt. Quàm nihil præparatò, nihil feſtinatò feciſſe videtur Milo? quod non ſolùm rebus ipſis vir eloquentiſſimus, quibus moras & lentum profectionis ordinem dicit, ſed verbis etiam vulgaribus & quotidianis, & arte occulta conſecutus eſt. quæ ſi aliter dicta eſſent, ſtrepitu ipſo iudicem deinde patronum excitaſſent. frigida videntur iſta pleriſque: ſed hoc ipſo manifeſtum quomodo iudicem fefellerint, quòd vix à lectore deprehenditur.*

EO DIE.] Quo profectus eſt, viceſimo Ianuarij.

CALCEOS.] Calceos Senatorios & vrbanos, togámque poſuit, vt viatorios calceos perones fortaſſe, & penulam aſſumeret.

VXOR.] Fauſta filia Cornelij Syllæ, vt colligitur ex epiſt. ad Atticum: & tradit Pedianus in præfatione.

SIQVIDEM.] Si Clodius rediturus erat Romam vt fingebat.

NVLLIS GRÆCIS.] Infrà 56. *Comites Græculi quocunque ibat, etiam cùm in caſtra Etruſca properabat, tum nugarum in comitatu nihil.*

SINE VXORE.] Fuluia, quæ deinde nupſit Antonio: &, vt refert Dio lib. 47. allatum Ciceronis demortui caput conſputauit, linguam extraxit, acu crinali perforauit, antequam in Roſtris poneretur.

CVM HIC INSIDIATOR.] Milo à quo contendunt aduerſarij inſidias fuiſſe comparatas. eſt ironia.

MAGNO IMPEDIMENTO.] Operæpretium eſt numerum orationis aduertere, cùm iter expediti latronis deſcribitur, nullis hiatibus, nullo concurſu aſperiore, retardatur: pleræque ſyllabæ breues, vt iſta narratio non minùs expedita, quàm iter Clodij videatur. at contrà in deſcriptione impedimentorum Milonis, non ſolùm crebri hiatus, ſed etiam longarum ſyllabarum continuatio, & ipſa vocabulorum longitudo orationem remorantur.

NOTÆ.

QVOAD SENATVS DIMISSVS EST.] Modum & formulam dimittendi Senatus deſcribit Capitolinus in Marco: *Comitiis præterea etiam vſque ad noctem frequenter interfuit, neque vnquam receſſit de Curiâ, niſi Conſul dixiſſet. Nihil vos moramur, P. C.* I. Formula dimittendi Senatus.

CALCEOS ET VESTIMENTA MVTAVIT.] Non eſt animus multa de calceis generatim hoc loco dicere, cùm Roſinus lib. 5. antiq. cap. 36. Thomas Dempſterus & alij locum hunc occuparint. Vide Raderum in Martialem lib. 2. cap. 29. Alexandrum Neap. lib. 5. cap. 18. & quædam à nobis dicta pro Cœlio & in Piſonem. nunc illud vnum examinare ſuffecerit, fuerintne proprij Senatorum, quos Milo viam initurus dimiſerit. Ac primùm conſtat Senatorios calceos ab aliis fuiſſe diuerſos. Noſter Philippica 13. §. 28: *Eſt etiam Aſinius quidam Senator voluntarius, lectus ipſe à ſe, apertam curiam vidit poſt Cæſaris mortem: mutauit calceos; Pater Conſcriptus repente factus eſt.* Themiſtius Gratiarum actione in Senatu: Ὑμεῖς δ' ὥσπερ ἐν ταῖς πανηγύρεσι μεταμφιεσάμενοι τὰς τηβέννας, καὶ τὰ ὑποδήματα ἀλλαξάμενοι, συγκαθεζόμενοι ἐπὶ τῶν δίφρων ἐξεβοᾶτε ἐπὶ τοῖς ῥήμασι θαμινὰ, &c. *Vos autem, poſtquam, vt in conuentibus fieri ſolet, togas induiſtis, & calceos mutaſtis, in ſellis conſidentes ad verba frequenter acclamauiſtis.* Sed facile non eſt hanc diuerſitatem oſtendere. Videri poſſint Senatorum calcei fuiſſe lunati. Statius lib. 5. ſil. 2. II.

-Genitum ſibi curia ſenſit,
Primáque patriciâ clauſit veſtigia lunâ.

Verùm cùm multi eſſent Senatores è plebeiis, ſolíque Patricij lunatis calceis vterentur, vnde & à Statio patricia nuncupatur luna, Milo qui plebeius fuit, vt liquet è Tribunatu, huiuſmodi calceos non habebat, atque adeò fas non eſt à lunatis plantis Senatorij ordinis à reliquis ordinibus diſtinctionem arceſſere. Arbitror Senatorios calceos reliquis altiores fuiſſe, & ad mediam tibiam deuinctos. Horatius lib. 1. Sat. 6. cùm Senatorem recens allectum deſcriberet:

Nam vt quiſque inſanus nigris medium impediit crus
Pellibus & latum demiſit pectore clauum.

Vides duo Senatoriæ dignitatis inſignia, latum clauum, & calceos ad mediam tibiam pertinen-

tes. in quem locum Acron: *Altiores ſunt calcei Senatorum.* Quamuis enim in fœminarum calceis ſolùm altius, cothurni inſtar fuiſſe fateamur, non eſt tamen quod cum Thoma Dempſtero veterem interpretem aut negligentiæ, aut falſitatis accuſes. nam & calcei mulicbres altiores fuerunt quoad ſolum, vt ipſæ grandiores apparerent: & Senatorij mediam tibiam tegebant, ne nuditas videretur deformior: vix enim inferiùs anteriores lati claui oras ſolebant demittere.

Senatorij calcei fuerũt cæteris altiores.

Quintilianus lib. 11. cap. extremo: *Cui lati claui ius non erit, ita cingatur, vt tunicæ prioribus oris infra genua paulùm poſterioribus ad medios poplites vſque perueniant. nam infrà mulierum eſt, ſuprà Centurionum: vt purpuræ rectæ deſcendant leuis cura eſt. Notatur interim negligentia. latum habentium clauum modus eſt, vt ſit paulùm cinctus ſummiſſior.* Quo alluſit Tertullianus lib. de pallio cap. 1. *Exinde tunicam longiorem cinctu arbitrante ſuſpenditis, & pallij iam teretis redundantiam tabulatâ congregatione falcitis.* Cinctu arbitrante pro cuiuſque videlicet conditione: vt anguſto clauo ſit altior, lato demiſſior. Cùm igitur dedoceret Senatores, vt viros graues aliquam corporis partem nudam oſtendere, & laticlauias tunicas cæteris longiores, & calceos altiores habuerunt. quo ſenſu intelligo illud Martialis epig. 29. lib. 2. de quodam maſtigia qui ſe & Senatorem & Patricium eſſe fingebat:

Non extrema ſedet lunata lingula planta,
Coccina non læſum cingit aluta pedem.

Lingula extrema non ſedet, ſed eſt ſubrectior: ecce calceum Senatorium, cæteris altiorem, lunatâ planta: ecce lunæ figuram ſiue litteram C. quæ inſigne fuit Patriciæ dignitatis: quod videtur ſequenti verſu explicare: aluta coccinea non cingit pedem, ſed ad mediam vſque tibiam extenditur: quod perinde eſt atque ſi diceret tibiatim calceatur, vt legit Scaliger apud Feſtum Pompeium verſum Titinnij: *Iam cum mulleis te oſtendiſti, quos tibiatim calceas.* Tibiatim, id eſt, mediâ tibiâ tenus. Mulleus autem videtur fuiſſe calceus Senatorum. Marcus Cato originum lib. 7. apud eũdem Feſtum: *Qui magiſtratum cuculem cepiſſet, calceos mulleos allucinatos, cæteri perones.* Libenter legerim *alutatos*, alij legunt *alutacintos*, alij *lunatos*. Scaliger legit, *alij vncinatos.* non dubium quin de aluta, luna, vncino commodè poſſit explicari. nam calceos vncinatos fuiſſe tradit. Tertullianus de pallio capite vltimo: *Calceos nihil dicimus proprium togæ tormentum, immundiſſimam pedum tutelam immò & falſam. quem enim non expediat in algore & ardore rigere nudipedem, quàm in calceo vncipedem.* Quæ verba facem tibi præferent ad intelligendum Martialem, qui pedem læſum aluta ſtringi negauit, quia nimirum calceus pedem vt plurimum ſauciabat. Obiici poteſt ſuperiùs dictis Zonaras libro 2. qui cùm à Seruio Tullio plebeios in Senatum allectos eſſe dixiſſet; ſolis Patriciis calceos illos altiores, & alutâ ad mediam tibiam vinctos videtur concedere: Τοῦ χρόνου δὲ προϊόντος, πλὴν τῆς μεσοβασιλείας καί τινων ἱερωσυνῶν τῶν ἴσων μετεῖχον τοῖς εὐπατρίδαις. καὶ διέφερον ἄνευ τῶν ὑποδημάτων οὐδέν. *Succeſſu verò temporis, excepto interregno & Sacerdotiis quibuſdam, paris erant conditionis cum patriciis, & nulla re alia quàm calceis differebant.* Hactenus verè: & nos aliquam inter Patricios Senatores, & plebeios, ſiue inter Senatores maiorum & minorum gentium diſtinctionem à calceis petitam agnoſcimus. Pergit: Τοῖς γὰρ εὐπατρίδαις τὰ ὑποδήματα ἀστεῖα, καὶ τῇ τ' ἐπαλλαγῇ τῶν ἱμάντων, καὶ τῷ τύπῳ τοῦ γράμματος ἐκεκόσμηντο, ἵν' ἐκ τούτων δοκοῖεν ἀπὸ τῶν ἑκατὸν ἀνδρῶν τῶν κατ' ἀρχὰς βουλευσάντων κατιέναι. *Patriciis enim calceamenta vrbana, & alutarum implexione, & litteræ figurâ ornabantur, vt ex iis viderentur à centum primis illis Senatoribus oriundi.* Sed tanti non eſt eius authoritas, vt propter eum ſententiam mutare debeamus: cùm præſertim verbis ſequentibus earum rerum, ſe non peritiſſimum oſtenderit. audierat quadam littera, in patriciorum calceis numerum centenarum denotari. at Græcus qui Latinè neſciret, Græcam putauit: Τὸ γράμμα δὲ ρ'. φασιν εἶναι ἢ τοῦ ἀριθμοῦ τῶν ἑκατὸν ἐκείνων ἀνδρῶν δηλωτικὸν εἶναι, ἢ τοῦ τῶν Ῥωμαίων κατάρχων ὀνόματος. *Litterâ autem ρ' dicunt aut centum illos viros denotari, aut propterea quòd ab ea Romanorum nomen inchoetur.* Hæc ille: ſed quia non videt fuiſſe litteram C. quæ propter ſimilitudinem ab aliis luna nominetur. Martialis lib. 1. epig. 50.

Zonaræ error.

Lunata nuſquam pellis & nuſquam toga.

Iuuenalis Sat. 7.

-Et nobilis & generoſus
Appoſitam nigræ lunam ſubtexit alutæ.

Philoſtratus libro ſecundo de vitis Sophiſtarum, vita Herodis Attici: Καὶ τὸ ξύμβολον τῆς εὐγενείας περιηρτημένος τῷ ὑποδήματι. τοῦτο δέ ἐστιν ἐπισφύριον ἐλεφάντινον μηνοειδές. *Nobilitatis notam appoſitam calceis geſtans. hoc verò ſignum talare eburneum eſt, lunulæ inſtar.* Cuiuſmodi homines nobilitatem generis inſolentiùs iactantes: Τὴν εὐγένειαν ἐν τοῖς ἀστραγάλοις ἔχειν. *Nobilitatem in pedum malleolis habere* dicebat Herodes. Atque, vt Plutarchum alióſque ſexcentos omittam, Cœlius lib. 20. lect. antiq. cap. 28. non Romanorum modò, ſed etiam aliarum gentium inſtituti fuiſſe putat lunulas in calceis geſtare, quando Iſaiæ 3. ita legimus v. 18. *In die illa aufert Dominus ornamentum calceamentorum, & lunulas, & torques*, &c. Sunt tamen, inquit, qui lunulas ibi accipiant aureas bullulas collo circumiectas. Et ſanè Acmes eas ſolis Romanis videtur tribuere, quamquam Iudææ vicinior. Sic enim ille onirocriticis c. 229. agens de ſandaliis: Εἰ δέ εἰσιν ἀπὸ δορᾶς βοείας, γεννήσει θυγατέρα ἀπὸ εὐγενοῦς Ῥωμαίας μεγιστᾶνος διὰ τὸ κέρας τὸ ἐν βοός. *Sandalia viſa in ſomniis ſi facta ſunt de corio bubulo, filiam ſuſcipiet ex nobili Romana, patricij ordinis propter cornu bouis.* id eſt, propter litteram C. inſtar cornu bouis expreſſam. Iam ea fuit inter patricios & plebeios calceos diſtinctio: quod patricij lunæ figuram haberent, plebeij non item. Senatorius calceus erat erectior, & ad mediam tibiam pertinebat, vulgaris quo populus vtebatur, erat demiſſior, nec ſupra pedem elatus. Rurſum ſenatorius diuerſus fuit: nam vt Senatorum alij fuerunt è plebe, alij è patriciis allecti. Patricij Senatores lunam illam patriciam retinebant: plebeij ſola calceorum altitudine alutâ vinctorum à populo differebant. Denique Senatorum alij fuerũt curules, alij pedarij. curules mulleis, id eſt, rubris, vt interpretatur Iſidorus, pedarij nigris vtebãtur, vt Horatius oſtendit: & ita Senatores qui & patricij ſimul eſſent, & curules mulleis lunatis: qui patricij tantùm, nigris lunatis, qui plebeij & curules mulleis non lunatis, qui plebeij & pedarij nigris non lunatis calceis vtebantur: vt in Senatu calceorum gene-

Lunula calceorum.

Nobilitatem in pedũ malleolis habere.

An Iudæi lunulas in calceis habuerint.

Calcei mullei nigri.

Mullei.

Vncinati.

ra quatuor fuiſſe videantur. Sed videantur: neque enim certò affirmare poſſim vtrùm à mulli colore, an à mullando, vt ait Feſtus, id eſt, ſuendo mulleus nomen acceperit, cùm præſertim rubros calceos probabile ſit Senatoribus curulibus in vſu non fuiſſe. cùm Dio Caſſius id tanquam ſingulare & arrogans in Iulio Cæſare notarit. lib. 43. Τῇ τε γὰρ ἐσθῆτι χαυνοτέρᾳ ἐν πᾶσιν ἐνηβρύνετο, καὶ τῇ ὑποδέσει, καὶ μετὰ ταῦτα ἐνίοτε καὶ ὑψηλῇ καὶ ἐρυθροχρόῳ κατὰ τοὺς βασιλέας τοὺς ἐν Ἄλβῃ ποτὲ γενομένους, ὡς καὶ προσήκων σφισὶ, διὰ τὸν Ἴουλον, ἐχρῆτο. *Nam & veſte luxurioſiore in omnibus molliciem præ ſe ferebat, & calceo, interdum etiam altiore & rubri coloris, vt veteres Albani Reges fere conſueuerant, vtebatur, quippe qui ab illis propter Iulum eſſet oriundus.* Adde quòd etiamſi mullei nomen à colore mulli peteretur, non rubri, vt voluit Iſidorus ſuffragante Turnebo lib. 19. aduerſ. cap. 24. ſed varij coloris fuiſſe mulleos diceremus. Plinius libro 9. cap. 17. *Nomen his Feneſtella à colore mulleorum calciamentorum datum putat.* Iterum: *Mullum expirantem verſicolori quadam & numeroſa varietate ſpectari, proceres gulæ narrant, rubentium ſquamarum multiplici mutatione pallentem, vtique ſi vitro ſpectetur incluſus.* Seneca libro 3. naturalium quæſt. cap. 18. *Ipſa colluctatione animam afficienti rubor primùm, deinde pallor, quàm æquè variatur.* Item: *Da mihi in manus vas vitreum in quo exultet, in quo trepidet: vbi multùm diúque laudatus ex illo perlucido viuario extrahitur, tunc vt quiſque peritior eſt, monſtrat. Vide quomodo exarſerit rubor omni acrior minio. vide quas per latera venas agat. Ecce ſanguineum putes ventrem, quàm lucidum quiddam cæruleúmque ſub ipſo tempore effulſit. iam porrigitur. & pallet, & in vnum colorem componitur.* Hæc ille, quibus inducor vt credam mulleos calceos non omnino fuiſſe rubri coloris, ſed potiùs varia & mutabili colorum diuerſitate diſtinctos, quem colorem vulgò, *couleur changeante* nominamus. nam ſi de calceis omnino rubris ſiue purpureis loquamur, Imperio Conſtantinopolim tranſlato, Imperatorum proprij ſic fuerunt, vt iis nemo alios vteretur. Corippus lib. 2.

Calcei rubri Regum Albanorum.

Calcei Imperatorum purpurei, vel punicei.

Purpureo ſuræ reſonant fulgente cothurno,
Cruráque puniceis induxit regia vinclis,
Parthica campano dederant quæ tergora fuco, &c.
Sanguineis prælata roſis, laudata rubore, &c.
Auguſtis ſolis hoc cultu competit vti.

Notatu dignum eſt quod refert Zonaras 3. annalium. Baſilinus quidam adulatoriè laudauerat Michaëlem Imperatorem ipſe imperatoriæ triremis remex: Ὁ δὲ (ἤδη γὰρ ἠκρατίσατο, καὶ τὸν νοῦν ἐκπεπόλωτο) ἡσθεὶς τοῖς ἐπαίνοις, ἐδίδου αὐτῷ τὰ φοινικόχροα καὶ περιστέπτειν ὑποδήσασθαι, καὶ βασιλέα εἶπεν. *Quibus laudibus ille multo iam hauſto mero, & mente turbata delectatus, calceos puniceos ei tradit, ac induere iubet, & Imperatorem ſalutat.* Et dixit Baſilio Macedoni quem ſucceſſorem ſibi deſtinarat: Τούτῳ μᾶλλον ἢ σοὶ τὰ τῆς βασιλείας παράσημα ἐπρέπον(?)ἐποίκασι. ἢ οὐκ ἔξεστί μοι, ὥς σε βασιλέα πεποίηκα, ποιῆσαι καὶ ἕτερον; *Imperij inſignia iſti aptiora ſunt quàm tibi. an verò mihi non licet, quemadmodum te Imperatorem feci, ita & alium facere?* Quo dicto Baſilius ſic exarſit, vt paulò pòſt Michaëlem occiderit. His porro Imperatorum calcei loco lunæ patriciæ aquilas habebant. Georgius Curopalates, libro de officiis aulæ Conſtantinop. Καὶ ἕτερον εἶδος ὑποδημάτων, ἃ καλοῦνται τζαγγία, ἔχοντα ἐκ πλαγίων κατὰ τὰς κνήμας, καὶ ἐπὶ τῶν ταρσῶν, ἀετοὺς διὰ λίθων καὶ μαργάρων, ἃ τινα καὶ φορεῖ ὁ βασιλεὺς εἴς τε τὰς περιπάτους, καὶ τὰς προσκυνήσεις. *Et alterum calceamentorum genus quæ dicuntur tzangia, habentia ex tranſuerſo ſecundum ſuras, & in calcaneis aquilas ex lapillis & margaritis, quæ fert etiam Imperator, ad ambulationes, & adorationes.* Item: Ἔχοντα ἀετοὺς μαργαριταρίνους ἐκ πλαγίων τε καὶ ἐπὶ τῶν ταρσῶν, ἤτοι ἐπάνω τῶν ὑποδημάτων μουζακίων. *Habentem aquilas è margaritis tum ex tranſuerſo, tum ſupra calcaneos, id eſt ſupra calceos qui tzangia nominantur.* Lego enim τζαγγίων, pro μουζακίων. Sed non eſt quod de colore mulleorum magnopere laboremus, cùm Milo & plebeius Senator, & adhuc pedarius nullo geſto curuli magiſtratu, mulleos non habuit, neque lunatos, ſed ſolùm calceos puros, & vulgaribus altiores, quos vel in caligas, vel in crepidas militares mutauit. Vides quàm nihil ſit quod curioſitas noſtra non tentet, & pro virium mediocritate rimetur. Hæc eadem penè alij libarunt è citatis auctoribus: fateor. ſed vix vllum reperias, qui tam ſcrupuloſè hæc expenderit: & inde hanc calceorum diuerſitatem deduxerit. De veſtis mutatione nihil dico: quòd iam in Piſoniana de toga & lato clauo quædam dicta ſunt, & paulò pòſt facturi ſumus penulæ mentionem.

Aquilæ in calceis.

DVM SE VXOR.] Terentius: III.

-noſtri mores mulierum
Dum moliuntur, dum comuntur annus eſt.

IMPEDIMENTIS.] *Impedimenta* propriè vox caſtrenſis. vernaculè: *le bagage.* exemplis ſuperſedeo. veteres *impelimenta* dixiſſe notat Feſtus Pompeius. IV.

IN RHEDA.] Varia vehiculorum genera ab Alexandro numerantur 2. genial. cap. 30. *Nam & eſſedum, & petoritum, ciſium, carruca, carpentum, pilentum, arcera, plauſtrum, rheda, ſarracum, epirhedium, carri, couinum, & arcirma, licet diuerſi generis, omnes tamen vehiculorum numero fuere.* Rhedam Gallicanam vocem Fabius eſſe teſtatur. hanc tamen vocem Cic. lib. 5. ad Atticum epiſt. 17. & alij frequenter vſurpant. Varro Marcipore à Nonnio citatus: *Medeam aduectam per aëra in rheda anguibus.* Currus quatuor rotarum, ciſium duarum Iſidoro, Græcici τετράκυκλον. Xiphilinus in Adriano: Οὐδ' ἔστιν ὁπότε ὀχήματος, οὔτε τετρακύκλου ἐπέβη. *Nunquam eo itinere aut currum, aut rhedam adſcendit.* Malè interpres τετρακύκλου quadrigas vertit, vt notat Caſaubonus in Suetonij Iulium, & ex eo Raderus Noſter in Martialem libro 10. epig. 13. V.

Varia vehiculorum genera.

Rheda.

Cùm cathedralitios portet tibi rheda miniſtros.

Dio diſertè ὄχημα, & τετράκυκλον *ſeparat: quamuis* ὄχημα *commune ſit nomen ad omnes currus. ſpeciatim tamen pro carpento, aut alio maioris artificij curru accipitur. gloſſarium* ὄχημα *vehiculum currúmve interpretatur,* ὀχημάτιον, *rhedam, alioquin &* τετράκυκλον, *ſiue rheda* ὄχημα *eſt. Eunapius in Ædeſio:* διὰ δ' εὐδαιμονίαν ἐπὶ τετρακύκλου ὀχήματος ἐφέρετο. Hæc ille.

PENVLA.] Vide infrà §. 55. VI.

PVERORVM ANCILLARVMQVE.] Pro ſeruis Varro Eumenidibus: *Vix vulgus confluit non furiarum, ſed puerorum atque ancillarum.* Maluit tamen hoc verbo vti, vt earum VII.

Pueri pro ſeruis.

mollitiem denotaret. nam puellaſcere eſt effœminari auctore Nonnio. Varro Baia: *Quod non*
Puellaſcere. *ſolùm innubæ ſiunt communes, ſed etiam veteres*
Ancilla. *puellaſcunt, et multi pueri puellaſcunt.* Ancillæ porro, vt auctor eſt Feſtus dictæ *ab Anco Martio, quòd is bello magnum fœminarum numerum*
ceperit. ſiue ideo ſic appellantur, quòd antiqui an- Anculare.
culare dicebant, pro miniſtrare. Ex quo Dij quoque, ac Deæ feruntur coli, quibus nomina ſunt Dij Anculi.
Anculi & Anculæ.

ARGVMENTVM.

Clodij cum Milone congreſſus, pugna, & cædes deſcribitur.

XXIX. FIT obuiam Clodio ante fundum eius hora fere vndecima, aut non multo ſecus. ſtatim complures cum telis in hunc faciunt de loco ſuperiore impetum: aduerſi rhedarium occidunt. cùm autem hic de rheda, reiecta penula, deſiluiſſet, ſéque acri animo defenderet: illi, qui erant cum Clodio, gladiis eductis, partim recurrere ad rhedam, vt à tergo Milonem adorirentur; partim, quod hunc iam interfectum putarent, cædere incipiunt eius ſeruos, qui pòſt erant, ex quibus qui animo fideli in dominum erant, & præſentes fuerunt, partim occiſi ſunt, partim, cùm ad rhedam pugnari viderent, & domino ſuccurrere prohiberentur, Milonémque occiſum etiam ex ipſo Clodio audirent, & ita eſſe putarent: fecerunt id ſerui Milonis (dicam enim non deriuandi criminis cauſſa, ſed vt factum eſt) neque imperante, neque ſciente, neque præſente domino, quod ſuos quiſque ſeruos in tali re facere voluiſſet.

EXPLANATIO.

ANTE FVNDVM.] Hinc poſtea firmum ducet argumentum 54. *Ante fundum Clodij, qui in fundo propter inſanas illas ſubſtructiones facilè mille hominum verſabatur valentium.*

DE LOCO SVPERIORE.] Ergo Clodius locum ad pugnam elegerat.

REIECTA PENVLA.] Qua erat irretitus, vt dicet infrà.

QVI ANIMO.] Longè terſiùs & elegantiùs, *qui animo fideli in Dominum, & præſenti fuerunt,* quàm *præſentes,* vt in vulgaribus.

DERIVANDI CRIMINIS.] Conuertendi à Milone in eius ſeruos, & præſertim in Birriam gladiatorem, qui Clodij minitantis humerum romphæa traiecit, vt auctor eſt Pedianus.

FECERVNT ID SERVI MILONIS.] Quintilianus libro quarto de narratione: *Ne ſententiâ quidem, velut fatigatum intentione ſtomachum iudicis reficere diſſuaſerim, maximè quidem breuiter iniectâ, qualis eſt illa: fecerunt ſerui Milonis quod ſuos quiſque ſeruos in re tali facere voluiſſet.* Sed aliud quoque ſpectauit ſummus orator. dicere enim potuit, quod dixit Aſconius: *Cùm reſpexiſſet Clodius minitabundus humerum eius Birria romphæa traiecit.* Item: *Clodius latens iuſſu Milonis è taberna extractus eſt, multiſque vulneribus confectus.* Sed illud de primo vulnere, quod inſcio Milone reuera inflictum eſt, leuioribus verbis expreſſit, ne iudicum aures offenderet. cædem verò omnino tacuit, quod iuſſu Milonis contigiſſet. vide Notas.

NOTÆ.

I. FVNDVM.] De vocis huius etymo circumfertur diſtichon Ciceroni:

…s. *Fundũ Varro vocat, quem poſſis mittere funda,*
Ni tamen exciderit qua caua funda patet.

At ipſe Varro lib. 1. de lingua Latina: *Ager quod videbatur pecudum ac pecuniæ fundamentum fundus dictus: aut quod fundat quotquot annis multa.*

HORA FERE VNDECIMA.] Vide quæ de horarum ratione diſſeremus ad illa verba ſecundæ Philippicæ. *Cùm horâ diei fere ad ſaxa rubra veniſſet.* II.

REIECTA PENVLA.] Vt eſſet ad pugnam magis expeditus. Phædrus 3. Fabellarum: III.

Latrone occiſo timidus occurrit comes,
Stringítque gladium, dein reiecta penula
Cedo, inquit, illum; iam curabo ſentiat
Quos attentarit, &c.

Erat enim penula pugnæ impedimento. infrà 55. *Cùm alter veheretur in rheda penulatus, vna ſederet vxor: quid horum non impeditiſſimum? quid minùs promptum ad pugnam, cùm penula irretitus, rheda impeditus, vxore penè conſtrictus eſſet?*

FECERVNT ID SERVI MILONIS.] Neſtor Homericus 3. Odyſſeæ cum odioſum eſſet dicere matrem ab Oreſte fuiſſe interemptam, tacet cædem contentus funebris epuli mentione: IV.

-Ἤλυθε δῖος Ὀρέστης
Ἂψ ἀπ' Ἀθηνάων, κτ' δ' ἔκτανε πατροφονῆα
Αἴγισθον δολόμητιν, ὅς οἱ πατέρα κλυτὸν ἔκτα.
Ἤτοι ὁ τὸν κτείνας δαίνυ τάφον Ἀργείοισιν
Μητρός τε στυγερῆς καὶ ἀναλκίδος Αἰγίσθοιο.

-A terris acceſſit Dius Oreſtes
Cecropiis lethóque homicidam patris ademit
Ægiſthum aſtuto voluentem pectore fraudes. Cautè dicenda quæ eſſent odioſa
Hunc vbi mactauit ferro, tum præbuit Argis
Ferales Ægiſthi epulas diræque parentis.

Vides quàm prudenter cædis mentionem vitet vt odioſam: ita Chorus apud Æſchylum in Agamemnone, cùm fusè deſcripſiſſet ea quæ Iphigeniæ immolationem præceſſerant:

Τὰ δ' ἔνθεν, οὔτ' εἶδον, οὔτ' ἐννέπω.
Τέχναι δὲ Κάλχαντος οὐκ ἄκραντοι.

Quæ

Quæ ſecuta ſunt, neque vidi, neque loquor,
Calchantis verò artes ſine effectu non fuerunt.

Vbi interpres, id ab Æſchylo inſinuatum potiùs, quàm explicatum fuiſſe notat: Διὰ τὸ ἀπάνθρωπον εἶναι τὴν σφαγήν. *Propter cædis immanitatem.* Commodè notat Fuluius Vrſinus hanc ſententiam ex oratione Demoſthenis expreſſam videri contra Midiam: Ἐγὼ δὲ, ὅπερ ἂν ὑμῶν ἕκαστος ὑβρισθεὶς προείλετο πρᾶξαι, τοῦτο καὶ αὐτὸς ἐποίησα. *Ego verò id feci, quod quiſque veſtrûm pari affectus contumelia facere voluiſſet.* Muretus tum eundem citat, tum Lyſiam oratione de cæde adulteri: Οὕτως, ὦ ἄνδρες, ἐκεῖνος τούτων ἔτυχεν, ὧνπερ καὶ νόμοι κελεύουσι τοὺς τὰ τοιαῦτα πράττοντας. *Sic Iudices ille conſecutus eſt ea, quæ leges iis irrogari iubent qui talia perpetrarint.* Sed quid prohibet ipſa Mureti verba ſubſcribere? *Callidè & ingenioſè locutus eſt Cicero in Miloniana, cùm illuc veniſſet vt fatendum eſſet Clodium à ſeruis Milonis occiſum fuiſſe. nam qui perſpiceret rem ipſam per ſe odioſam eſſe (nemo enim ferè eſt qui ad cædis mentionem non exhorreſcat, & auerſetur eum à quo illa perpetrata dicitur) noluit eam ſuo ac proprio nomine appellare: ſed eam orationi ſuæ ſententiam intexuit, quæ ad auertendum odium & facinus ipſum excuſandum cogitari poſſet aptiſſima, &c. neque enim non ſatis intelligitur ex eo occiſum eſſe Clodium: ſed aſperitas rei tollitur, mitigatur quidem certè, cùm cogitat quiſque ſe quoque idem facturum fuiſſe, ſi in tale diſcrimen incidiſſet. omnes enim facilè ignoſcunt, cùm quis id fecit, quod ipſi quoque feciſſent.* Hæc ille var. lect. lib. 7. cap. 23. Herodotus libro primo non abludit: Ἑώρα ἀναγκαίην ἀληθέως προκειμένην, ἢ τὸν δεσπότεα κτείνειν, ἢ αὐτὸν ὑπ' ἄλλων ἀπόλλυσθαι· αἱρέεται αὐτὸς περιεῖναι. *Propoſitam ſibi neceſſitatem cernit, aut interimendi herum, aut per alios pereundi, elegit vt ipſe ſupereſſet.* Quod longè mollius dicitur quàm *Elegit vt ipſe herum occideret.*

Conſtitutio cauſſæ duabus partibus conſtat.

- Seiunctione, qua ſeparantur ea de quibus non eſt agendum.
  - Siue quòd de iis inter vtramque partem conueniat, vt hoc loco non quæritur
    - vtrùm Clodius occiſus ſit, quod fatemur.
    - vtrùm factæ fuerint inſidiæ, quod conſtat.
  - Siue quòd non propriè ſpectent ad cauſſam, ideò non quæritur quantam vtilitatem Reſpub. è Clodij nece perceperit.
- Propoſitione qua ſuperfluis vndique amputatis proponitur
  - ſtatus quæſtionis
    - vter vtri fecerit inſidias,
    - *ſiue*
    - Iuréne an iniuria Clodius fuerit occiſus.
  - finis, vt Milo
    - vel puniatur ſi fecit inſidias.
    - vel abſoluatur ſi nullas fecit.

ARGVMENTVM.

Poſt narrationem ad conſtitutionem cauſſæ delabitur, & primùm quid non ſit dicturus exponit, vt omni errore ſublato liquidiùs quæſtionis ſtatus appareat.

HÆC, ſicut expoſui, ita geſta ſunt, Iudices: inſidiator ſuperatus, vi victa vis, vel potiùs oppreſſa virtute audacia eſt. Nihil dico, quid Reſpub. conſecuta ſit: nihil, quid vos: nihil, quid omnes boni: nihil ſanè id proſit Miloni, qui hoc fato natus eſt, vt ne ſe quidem ſeruare potuerit, quin vnà Rempub. vóſque ſeruaret. Si id iure non poſſet, nihil habeo, quod defendam. ſin hoc & ratio doctis, & neceſſitas Barbaris, & mos gentibus, & feris natura ipſa præſcripſit, vt omnem ſemper vim, quacunque ope poſſent, à corpore, à capite, à vita ſua propulſarent: non poteſtis hoc facinus improbum iudicare, quin ſimul iudicetis, omnibus, qui in latrones inciderint, aut illorum telis, aut veſtris ſententiis eſſe pereundum. XXX.

EXPLANATIO.

HÆC SICVT EXPOSVI.] Concludit narrationem, & ſe vnico veritatis ſtudio duci profitetur. Fabius lib.4.cap.2. *Ne illud quidem præteribo, quantam afferat fidem expoſitioni, narrantis auctoritas: quam mereri debemus ante omnia quidem vitâ, ſed & ipſo genere orationis. quod quo fuerit grauius, ſanctius, hoc plus habeat neceſſe eſt in affirmando quoque ponderis. effugienda igitur in hac præcipuè parte omnis calliditatis ſuſpicio.*

INSIDIATOR SVPERATVS.] Epiphonema totius narrationis.

NIHIL DICO.] Remouet à cauſſa per diſſimulationem quæ dici potuiſſent. per diſſimulationem, inquam, nam à §.73. ea dicit, quæ ſe hoc loco negat eſſe dicturum. Fabius lib.4.c. 5. *Egregiè verò Cicero pro Milone inſidiatorem primo Clodium oſtendit: tum addit ex abundanti, etiamſi id non fuiſſet, talem tamen ciuem cum ſumma virtute interfectoris & gloria necari potuiſſe.* Hoc igitur aſſerit, non vt planè neget horum ſe facturum eſſe mentionem, ſed vt maiorem oſtendat in cauſſa fiduciam.

NIHIL SANE.] Conceſſio oratoria.

QVI HOC FATO.] Captat beneuolentiam: Milo adeò coniunctas habet omnes vitæ ſuæ rationes cum Rep. vt nemo Reip. ſit hoſtis, qui non ipſi quoque bellum indixerit, atque adeò non poſſit vitam ſuam ab inimicorum telis defendere, quin hoſtes Reip. profliget.

SI ID IVRE.] Si ius ſui defendendi non habuit.

SIN HOC ET RATIO.] Egregiè quatuor veluti legum fontes, rationem, conſuetudinem, neceſſitatem, naturam complectitur, licet Modeſtinus D. de legibus.l.4. à tribus tantùm capitibus arceſſere videatur. *Ergo omne ius, aut conſenſus fecit, aut neceſſitas conſtituit, aut firmauit conſuetudo.*

NON POTESTIS.] Non poteſtis Milonem damnare quòd Clodium inſidiatorem occiderit, quin præiudicium feratis in omnes qui vim vi repulerint, & eos damnandos in iudicio ſtatuatis, qui non à latronibus occidi ſe permiſerint. à quo Iudices ipſa rei indignitate deterret.

NOTÆ.

I. HÆC SICVT EXPOSVI.] Lucianus in Phalaride priore: Ταῦτα μὲν, ὦ Δελφοί, τὰ παρὰ τοῦ Φαλάριδος ἀληθῆ πάντα, καὶ οἷα ἐπράχθη ἕκαστα, καὶ δίκαιοι ἂν εἴημεν πιστεύεσθαι ὑφ' ὑμῶν, μαρτυροῦντες, ὡς ἂν καὶ εἰδότες, καὶ μηδεμίαν τοῦ ψεύδεσθαι νῦν αἰτίαν ἔχοντες. *Hæc quidem, ô Delphi, quæ ad Phalaridem ſpectant, vera omnia, & ſingula, ſicut expoſui, ita geſta ſunt, párque eſt vt teſtimonio noſtro fidem adhibeatis, quippe qui & rem ſciamus, & nullam mentiendi cauſſam habeamus.* Antiphon de nece Herodis: Τὰ μὲν γενόμενα ταῦτ' ἐστίν· ἐκ δὲ τούτων ἤδη σκοπεῖτε τὰ εἰκότα. *Hæc ſicut expoſui ita geſta ſunt: vos autem ex his probabilia conſiderate.*

NIHIL SANE ID PROSIT MILONI.] Quod tamen prodeſſe potuiſſet. vt oſtendũt Iuriſconſulti ad leg.2. de origine iuris. §. 7. ideóque nonnulli hanc defendendi Milonis rationẽ inierũt. Aſconius in Præfatione: *Cùm quibuſdam placuiſſet ita defendi crimen, interfici Clodium pro Rep. fuiſſe, quam formam M. Brutus ſecutus eſt in ea oratione, quam pro Milone compoſuit & edidit, quãuis non egiſſet: Ciceroni id non placuit,* &c. Et Fabius lib.3.cap.6. *Pro Milone aliud Ciceroni agenti placuit, aliud Bruto, cùm exercitationis gratia componeret orationem: cùm ille iure tanquam inſidiatorem occiſum, & tamen non Milonis conſilio, dixerit: hic etiam gloriatus ſit occiſo malo ciue.* Sic apud Senecam controuerſia vltima fur qui eſſractâ domo litteras proditoris inuenerat, dicitur prẽmium cõſecutus. Timo inferorum Deorum adminiſtra, Miltiadi Parios obſidenti aditum oſtenderat. res in Pariorum commodum fracto Miltiadi crure atque adeò ſoluta obſidione ſucceſſit. voluerunt illi punire patriæ proditricem: Ἡ δὲ Πυθίη οὐκ ἔα, inquit Herodotus lib.6. qui Erato inſcribitur: φᾶσα οὐ Τιμοῦν εἶναι τὴν αἰτίην τουτέων, ἀλλὰ δεῖν τὸν Μιλτιάδεα τελευτᾶν μὴ εὖ, φανῆναί οἱ τῶν κακῶν κατηγεμόνα. *Id verò Pythia non permiſit, eam dicens non fuiſſe rerum iſtarum auctorem: ſed in Miltiadis factis fuiße, vt miſera morte occumberet, eam ad malum ipſi ducem ſe præſtitiſſe.* Sed cùm vt ſuprà oſtendimus, *in maleficiis voluntas ſpectetur, non exitus,* ea ratio parum virium habuiſſet. II.

SIN HOC ET RATIO DOCTIS.] Vide quæ dicta ſunt 9. & 10. ſupra. Ammianus lib. 23. *Ita demum hæc & ſimilia contemni oportere firmantes, cùm irruentibus armis externis, lex vna ſit & perpetua, ſalutem omni ratione defendere, nihil renitente vi moris.* III.

AVT ILLORVM TELIS AVT VESTRIS SENTENTIIS.] Vide Sext. 80. Nec iniuriâ ſanè rei indignitatẽ exaggerat, pro Roſcio Amerino 8. & alibi ſæpè: referri dignum eſt in hac indignitate quod habet §. 15. *Ad eámne rem vos reſeruati eſtis? ad eámne rem delecti vt eos condemnaretis, quos ſectores ac ſicarij iugulare non potuiſſent? Solent hoc boni Imperatores facere, cùm prælium committũt, vt in eo loco, quo fugam hoſtium fore arbitrentur, milites collocent, in quos ſi qui ex acie fugerint, de improuiſo incidant. Nimirum ſimiliter arbitrantur iſti bonorum emptores vos hic tales viros ſedere, qui excipiatis eos qui de ſuis manibus effugerint,* &c. Dixerat iam §.28. *Quem ipſi, cùm cuperent, non potuerunt occidere, eum iugulandum vobis tradiderunt.* Vide §.33. de Fimbria. IV.

AXIOMATA.

Vi vincitur vis, virtute opprimitur audacia.

Hoc & ratio doctis, & neceſſitas barbaris, vt & mos gentibus, & feris natura ipſa præſcripſit, vt omnem ſemper vim, quacunque ope poſſent, à corpore, à capite, à vita ſua propulſarent.

ARGVMENTVM.

Remotis iis quæ minùs ad cauſſam faciebant, conſtituit quæſtionem, & nonnullos motus lenes illos quidem, ſed tamen accommodatos interſerit.

XXXI. QVOD ſi ita putaſſet: certè optabilius Miloni fuit dare iugulum P. Clodio, non ſemel ab illo, neque tum primum petitũ, quàm iugulari

à vobis, quia ſe illi non iugulandum tradidiſſet. ſin hoc nemo veſtrûm ita ſentit: illud iam in iudicium venit, non, occiſúſne ſit, quod fatemur; ſed iure, an iniuria: quod multis antea in cauſſis iam quæſitum eſt. Inſidias factas eſſe conſtat: & id eſt, quod Senatus contra Rempublicam factum eſſe iudicauit: ab vtro factæ ſint, incertum eſt: de hoc igitur latum eſt, vt quæreretur. Ita & Senatus rem, non hominem notauit, & Pompeius de iure, non de facto quæſtionem tulit. Num quid igitur aliud in iudicium venit, niſi vter vtri inſidias fecerit? profectò nihil. ſi hic illi. vt ne ſit impune: ſi ille huic, tum nos ſcelere ſoluamur.

EXPLANATIO.

QVOD SI ITA PVTASSET.] Si putaſſet ſibi vel Clodij telis, vel veſtris ſententiis eſſe pereundum, à Clodio interfici maluiſſet. Sic enim amat Rempub. ſic vos omnes diligit, vt mortem non tam reformidet, quàm veretur, ne, ſi illum damnaueritis qui ſe Clodio non præbuit iugulandum, in vos tam iniqui iudicij infamia & à vobis in totam Remp. redundat.

NON SEMEL AB ILLO.] A quo frequenter inſidiis appetitus fuit, etiam domus oppugnata. pro Sextio 85. πάθος à Clodij & Milonis perſona, quô accuſationis indignitatem exaggerat.

ILLVD IAM.] Propria conſtitutio quæſtionis, quod eſt neceſſarium oratori ne animi iudicum, ad ea, quæ parum attinent intenti, longiùs euagentur.

QVOD FATEMVR.] Negat tamen eam cædem Milonis conſilio contigiſſe. *Fecerunt id ſerui Milonis, neque imperante, neque ſciente, neque præſente domino.*

MVLTIS ANTEA IN CAVSSIS.] In cauſſa Horatij qui ſororem, in cauſſa Trebonij qui Tribunum militum ſtuprum inferentem occiderat.

INSIDIAS FACTAS ESSE CONSTAT.] A quocunque tandem ſiue à Clodio, ſiue à Milone fuerint comparatæ.

ET HOC EST.] Cùm cædem in Appia via factam contra Rempub. eſſe decreuit.

AB VTRO.] Clodióne, an Milone.

DE HOC IGITVR LATVM EST.] Lege Pompeij inſtituentis nouam quæſtionem.

ITA ET SENATVS.] Rem, cædem ipſam & inſidias, *non hominem*, non Milonem potiùs, quàm ipſum Clodium ſuo decreto damnauit.

SI HIC ILLI.] Milo Clodio.

SI ILLE HVIC.] Clodius Miloni. tantùm Oratoris perſpicuitatem aduerte.

NOTÆ.

I. QVOD SI ITA PVTASSET.] Liuius decade 4. libro 10. Perſeam ita loquentem inducit: *Aperienda nimirum nocte ianua fuit, & armati comeſſatores accipiendi, quando non creditur niſi perpetratum facinus, & eadem petitus inſidiis audio quæ latro & inſidiator.* Lyſias orat. priore in Theomneſtum: Πολλοὶ μὲν ἡμῶν ἀπέθανον, οἱ δὲ σώσαντες τὰ ὅπλα ὑπὸ τῶν ἀποβαλόντων ψευδομαρτυριῶν ἑαλώκασι. κρεῖττον δ' ἦν αὐτῷ τότ' ἀποθανεῖν, ἢ οἴκαδ' ἐλθόντι τοιαύτῃ τύχῃ χρῆσθαι. *Multi noſtrûm necem oppetierunt: ij verò qui ſaluis armis è pugna redierunt, eorum qui clypeos abiecerunt, falſis teſtimoniis perierunt. Melius erat ipſi tunc interire, quàm domum reuerſum in hanc calamitatem incidere.*

DARE IVGVLVM.] Lucianus Phalaride II.
priore: Μᾶλλον δὲ γυμνὴν ἤδη ὑπέχειν τὴν σφαγὴν, Dare iugulum.
καὶ τὰ φίλτατα ὁρᾶν ἐν ὀφθαλμοῖς ἀπολλύμενα. *Potiùs verò nudum dare iugulum & affectus ſuos videre in ſuis oculis iugulatos.* Pro Roſcio Amerino 29. *Vtrùm malit ceruices Roſcio dare,* &c. Pro Sextio 89. *Ceruices tribunus plebis priuato, præſtantiſſimus vir profligatiſſimo homini daret.*

ILLVD IAM.] Similis apud Demoſthenem III.
conſtitutio quæſtionis oratione contra Phormionem: Σκέψασθε δὲ, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, τί ὁμολογεῖται παρ' αὐτῶν τούτων, καὶ τί ἀντιλέγεται. οὕτω γὰρ ἂν ἄριστα ἐξετάσαιτε. *Animaduertite, Iudices, quid horum in confeſſo ſit, quid ab iis negetur. ſic enim optimè controuerſiam diſceptabitis.* Et orat. contra Leocharem: Ἀμφισβητεῖται δὲ παρὰ μὲν ἡμῶν κατὰ γένος ἡ ἀγχιστεία, παρὰ δὲ τούτων κατὰ ποίησιν. ὁμολογοῦμεν δ' ἐναντίον ὑμῶν δεῖν τὰς ποιήσεις κυρίας εἶναι ὅσαι ἂν κατὰ τοὺς νόμους γίνωνται, &c. ἓν μὲν οὖν ὁμολογεῖται τὸ κρατεῖν τῶν κληρονόμων, τοὺς ἄρρενας, καὶ τοὺς ἐκ τῶν ἀρρένων. *In dubium reuocatur à nobis generis propinquitas, ab aduerſariis adoptionis. Confitemur coram vobis adoptionibus ſecundum leges factis ſuam auctoritatem eſſe tribuendam,* &c. *vnum etiam in confeſſo eſt, heredes maſculos & ex iis prognatos primas partes obtinere,* &c. vide.

SI HIC ILLI.] Demades oratione de duo- IV.
dennio: Ἐὰν μὲν οὖν φαίνωμαι τοῖς ἐγκαλουμένοις ἔνοχος, καταψηφίσασθε, μὴ φείσησθε, οὐ παραιτοῦμαι· ἂν δὲ εὑρίσκωμαι τῶν ἐγκεκλημένων κεχωρισμένος, τοῖς τῷ δικαίῳ, τοῖς νόμοις, τῷ συμφέροντι, μὴ προῆσθέ με τῇ τῶν κατηγόρων ὠμότητι. εἰ δὲ πάντως ἀποθανὼν συμβαλοῦμαί τι πρὸς τὴν κοινὴν σωτηρίαν, ὡς οὗτοι λέγουσιν, ἑτοίμως ἔχω τελευτᾶν. κτήσασθαι γὰρ ἰδίῳ θανάτῳ δημοσίαν εὔνοιαν καλὸν ἂν ἡ χρεία τῆς πατρίδος. *Si ergo eorum quæ obiiciuntur conuictus fuero, me damnate, ne ignoſcite non recuſo. Sin inuentus fuero criminibus obiectis ſolutus & liber, æquitate, legibus, vtilitate, ne me accuſatorum crudelitati condonate. Quòd ſi omnino morte mea ſum ad Reipub. ſalutem profuturus, mori ſum paratus. Pulchrum enim eſt, cùm id Reip rationes exegerint, propria ſibi morte publicam beneuolentiam comparare.* Lyſias apologia ad Simonem: Ἀξιῶ δ', ὦ βουλὴ, εἰ μὲν ἀδικῶ, μηδεμιᾶς συγγνώμης τυγχάνειν. εἰ δὲ, &c. *Poſtulo P. C. vt ſi iniuriam feci, mihi ſit impune, ſin autem,* &c.

Prima pars confirmationis per coniecturam vter fuerit inſidiatus ab antecedentibus ſiue perſonis, in quibus conſideratur

- Voluntas inſidiandi
  - 1. à ſpe vtilitatis à §. 31. ad 35.
    - quã Clodius aſſequebatur occiſo Milone
      - vt Prætor eſſet
        - non Conſule Milone.
        - ſed iis Conſulibus
          - qui nec eum reprimere vellent.
          - nec ſi vellẽt, fortaſſe poſſent. 32.
      - vt legibus, quas iam ſcriptas habebat, impunè vexaret Remp. 33. 35. qua occaſione Sext. Clodium earum ſcriptorem vrbanè inuadit. 33. 34.
    - Milo
      - factus fuiſſet Conſul Clodio viuo.
      - Quod non ſperat mortuo.
  - 2. ab odio
    - Milo oderat Clodium odio peculiari, materiam ac ſegetem ſuæ gloriæ.
    - Clodius oderat Milonem
      - defenſorem Ciceronis.
      - domitorem armorum ſuorum.
      - accuſatorem ſuum. 36.
  - 3. ab vtriuſque natura, à §. 37. ad 43.
    - Clodius fuit violentus, quod probatur ab effectis
      - 1 Ciceronem vi non legibus & iudiciis expulit, quippe cui
        - nec diem dixerat.
        - nec multã irrogarat.
        - nec actionẽ perduellionis intenderat.
      - 2. Hortenſium penè occidit.
      - 3 C. Vibienum interemit.
      - 4. Inſidiatus eſt
        - Ciceroni.
        - Pompeio.
    - Milo à vi ſemper abhorruit, quod probatur à multis occaſionibus occidendi Clodij prætermiſſis. à 38. ad 43.
      - In ſeditionibus excitatis abſente Cicerone. 38.
      - Eo die quo lata lex eſt de reditu Ciceronis fauentibus Miloni contra Clodium
        - Conſulibus.
        - Septem Prætorib.
        - octo Tribuniſpleb.
        - Cn. Pompeio.
        - Italia tota.
      - Cùm Clodius Milonem accuſans contumeliis affecit Pompeium.
      - Quo die Clodius fauentibus vniuerſis a M. Antonio penè occiſus eſt. 41.
      - Cùm comitiis in campo Clodius ſeditionem excitauit. 42.
  - à tempore comitiorum quo
    - non auſus fuiſſet Milo cæde Clodij plebis animos offendere. 43.
    - Clodius occiſo Milone ſe regnaturum eſſe ſperabat.
  - à ſpe impunitatis
    - non ſperabat impunitatem Milo qui nũc reus eſt facti
      - aut præclari, ſi Clodium occidit Reipub. cauſſa.
      - aut neceſſarij, ſi vitæ tuendæ, víſque propulſandæ cauſſa eundem interemit.
    - Sperabat Clodius, ſolitus pœnas & iudicia contemnere. 44.
  - à dictis Clodij. 45. Dixit Fauonio triduo periturum Milonem. Poſt diem tertium geſta res eſt quam dixerat. Ex quibus omnibus efficitur Clodium non Milonem inſidiari voluiſſe.
- facultas inſinuandi
  - Clodius facilè reſciuit quo die profecturus erat Milo. quia
    - Lanuuij erant ſtata ſacrificia.
    - & flamen iis ſacrificiis prodendus à Milone Lanuuij dictatore.
  - Milo de Clodij reditu nihil ſcire potuit, quantumuis quæſiſſe dicatur. quod probat ipſo aduerſariorũ teſtimonio, qui dicebant Clodium eo die rediturum non fuiſſe, niſi de morte Cyri audiiſſet. his quaſi aliquod corollariũ addit, & probat
    - ſeipſum non potuiſſe hortari Milonem, vt eo die Clodium occideret.
    - Clodium tamen ab inſidiarum ſuſpicione non eo teſtimonio liberari. quia reuera non redierat in vrbem
      - propter Cyri mortem.
      - ſed ad inſidiandum Miloni.

ARGVMENTVM.

Primam confirmationis partem ab inſidiarum cauſſis auſpicatur: ac primùm ab vtilitate probat non fuiſſe cauſſam, cur Titus Annius inſidias Clodio pararet: ſed contrà ſperauiſſe Clodium fore, vt occiſo Milone poſſet impunè vexare Rempub.

QVONAM igitur pacto probari poteſt, inſidias Miloni feciſſe Clodium? ſatis eſt quidem in illa tam audaci, tam nefaria bellua docere, magnam ei cauſſam, magnam ſpem in Milonis morte propoſitam, magnas vtilitates fuiſſe. Itaque illud Caſſianum, CVI BONO FVERIT, in his perſonis valeat: etſi boni nullo emolumento impelluntur in fraudem, improbi ſæpe paruo. Atqui, Milone interfecto, Clodius hoc aſſequebatur, non modò vt Prætor eſſet, non eo Conſule, quo ſceleris nihil facere poſſet: ſed etiam vt, his Conſulibus, Prætor eſſet, quibus ſi non adiuuantibus, at conniuentibus certè ſperaſſet ſe poſſe Rempub. eludere in illis ſuis cogitatis furoribus. cuius illi conatus, vt ille ratiocinabatur, nec, ſi cuperent, reprimere poſſent, cùm tantum beneficium ei ſe debere arbitrarentur: &, ſi vellent, fortaſſe vix poſſent frangere hominis ſceleratiſſimi corroboratam iam vetuſtate audaciam. XXXII.

EXPLANATIO.

QVONAM IGITVR.] Tranſitio per quam à conſtitutione cauſſæ ad confirmationis partem delabitur.

SATIS EST.] Argumentum, quod ſumpturus eſt à ſpe vtilitatis propoſitæ, perſonarum qualitate confirmat & corroborat. Diximus alibi rationem, in qua totius orationis cardo verſatur, hac ſyllogiſmi forma concipi potuiſſe.

Poteſt inſidiator iure interfici.

Clodius fuit inſidiator.

Ergo iure potuit interfici.

Propoſitio, eiúſque probatio ſuperiorum præiudiciorum, de quibus ſuprà confutatione continetur: nunc ad minoris probationem rationes vndequaque corradit. ac primùm à ſpe & vtilitate propoſita.

Veroſimilius eſt eum feciſſe inſidias cui maius commodum inſidiæ pariebant.

Sed maius commodum Clodio pariebant inſidiæ, quàm Miloni.

Ergo veroſimilius eſt Clodium feciſſe Miloni inſidias, quàm Clodio Milonem.

Maior & eius probatio his *ſatis quidem*, &c. *ſæpè paruo.* Minor & probatio illis, *atqui Milone interfecto*, ad finem 36. numeri continetur.

ITAQVE ILLVD CASSIANVM.] Probat maiorem auctoritate L. Caſſij, qui, vt ait Aſconius ad hunc locum, *Fuit ſummæ vir ſeueritatis. Quoties quæſitor alicuius iudicij eſſet, in quo quæreretur de homine occiſo, ſuadebat, atque etiam præibat iudicibus hoc, quod Cicero nunc admonet, vt quæreretur cui bono fuiſſet perire eum, de cuius morte quæreretur.* Et is illius cædis auctor iudicaretur, cui ea cædes vtilitatem peperiſſet.

IN HIS PERSONIS.] In Clodio & Milone.

QVANQVAM.] Hæc ſententia moralis quandam veluti correctionem complectitur. qua dicit hoc argumentum à ſpe compendij & emolumenti petitum in perſona Clodij, non in Milonis, locum obtinere, quaſi dicat.

Boni nullo emolumento impelluntur in fraudem, improbi ſæpè paruo.

Sed Milo bonus eſt, improbus fuit Clodius.

Ergo Milo nullo emolumento, Clodius etiam paruo potuit in fraudem impelli.

ATQVI MILONE.] Probat aſſumptionem ſuperiùs allatam, *Maius commodum Clodio pariebant inſidiæ quàm Miloni.* Enumeratione emolumentorum quæ ſperabat Clodius, ſi Miloni necem attuliſſet.

NON EO CONSVLE.] Vide quomodo ſemina confirmationis iecerit in narratione: *Cùm ſtatuiſſet omni ſcelere in prætura vexare Rempub.* &c. *occurrebat mancam ac debilem præturam ſuam futuram, Conſule Milone.* Veroſimile eſt igitur eum de Milonis nece iniiſſe conſilium, ne Milone Conſule Prætor eſſet.

HIS CONSVLIBVS.] P. Plautio Hypſæo, & Qu. Metello Scipione.

SI NON ADIVVANTIBVS.] Cauet Scipionem offendere, quòd Pompeij ſocer eſſet, ideóque non abſolutè negat hos Conſules non fuiſſe Clodio reſtituros, ſed *vt ille ratiocinabatur.*

CVM TANTVM BENEFICIVM.] Cùm P. Clodij beneficio ſe factos eſſe Conſules arbitrarentur. Clodius enim contulerat ſe ad Milonis competitores: *Sed ita totam vt petitionem ipſe ſolus, etiam inuitis illis gubernaret: tota vt comitia ſuis, vt dictabat, humeris ſuſtineret.* Egregiè verò Lambinus veteribus libris adiutus ita legit: *Nec ſi poſſent, reprimere vellent.* Hæc enim duo membra inter ſe debent opponi.

FRANGERE VIX POSSENT.] Allegoria ab arboribus ducta, quæ dum teneræ ſunt, facilè flectuntur, dum corroboratæ, ne frangi quidem facilè poſſunt.

NOTÆ.

1. ILLVD CASSIANVM.] Philippic.2. §. 23. *Quòd ſi te in iudicium quis abducat, vſurpétque illud Caßianum*, CVI BONO FVERIT: *Vide quæſo ne hæreas.* pro Roſcio Amerino 84. *Luc. Caßius ille, quem populus Romanus veriſsimum & ſapientiſsimm iudicem putabat, identidem in cauſis quærere ſolebat*, CVI BONO FVISSET. Subdit: *Hunc quæſitorem ac iudicem fugiebant atque horrebant, ij quibus periculum creabatur: ideò quòd tametſi veritatis erat amicus, tamen natura non tam propenſus ad miſericordiam,*

Luc. Caſſij ſeueritas.

quàm implicatus ad ſeueritatem videbatur. Quare, vt ait Valerius lib.3.cap.7. *Eius tribunal propter nimiam ſeueritatem ſcopulus reorum dicebatur.* Ammianus Marcellinus libro 22.de Iuliano: *Ille iudicibus Caßiis triſtior & Lycurgis, cauſarum momenta æquo iure perpendens, ius ſuum cuique tribuebat.* Aſconius hoc loco: *Ob quam ſeueritatem quo tempore Sext. Peduceus Tribunus plebis criminatus eſt Luc. Metellum pontificem maximum, totúmque collegium Pontificum malè iudicaſſe de inceſtu Virginum Veſtalium, quòd vnam modò Æmiliam damnauerat, abſoluerat autem Liciniam & Marciam: populus hunc Caßium creauit, qui de iiſdem Virginibus quæreret, iiſque & vtraſque eas, & præterea complures alias, nimia, vt exiſtimatio eſt, aſperitate vſus damnauit.*

Iudices Caſſiani.

Hinc prouerbium *Iudices Caßiani.* pro Roſcio Amerino 85. Verrina tertia 38. *Etiam illum ipſum, quem tu in cohorte tua Caßianum iudicem habebas.* Ammianus libro 30.de Valentiniano: *Iudices nunquam conſultò malignos elegit: ſed ſi ſemel promotos agere didicit immaniter Lycurgos inueniſſe ſe prædicabat, & Caßios, columina iuſtitiæ priſca.*

CVI BONO FVERIT.] Commodè Godefredus citat Lyſiam orat. Areopagitica: Καὶ ὑμᾶς εἰκὸς οὕτω σκοπεῖν, καὶ ἀντιδίκους ἐκ τούτων τὰς κατηγορείας ποιεῖσθαι ἀποφαίνοντας ἥ τις ὠφέλεια τοῖς ἀδικήμασιν ἐγένετο· οὗτος μὲν τοι οὐκ ἂν ἔχοι ἀποδεῖξαι. *Et vos par eſt ita conſiderare, & actores ex his accuſationes ducere, declarantes quænam ex iniuriis vtilitas fuerit conſecuta. Hic autem non poteſt oſtendere,* &c. Et meritò quidem, nam cùm omnium ſiue bonorum, ſiue malorum actiones, ad bonum tanquam ad ſcopum collineent, qui nihil boni ſperauiſſe probabitur, is ab omni facti ſuſpicione eximetur. Ariſtoteles 3. ethic. cap. 4. Ἁπλῶς μὲν καὶ κατ' ἀλήθειαν, βουλητὸν εἶναι τἀγαθόν. ἑκάστῳ δὲ τὸ φαινόμενον. τῷ μὲν οὖν σπουδαίῳ τὸ κατ' ἀλήθειαν εἶναι· τῷ δὲ φαύλῳ τὸ τυχόν. *Simpliciter &*

Aliud verè bonum. Aliud bonum appetens.

ſecundum veritatem expetendum eſt bonum. vbicuique verò quod apparet. Et viro quidem bono bonum eſt ſecundum rei veritatem: malo quodcunque fors obiecerit. Vide Maximum Tyrium decima nona concione: quam integram libenter exſcriberem: Κοινὸς μὲν πᾶσιν ὁ τοῦ ἀγαθοῦ πόθος, τυγ-

Omnes bonũ appetunt.

χάνει δὲ τοῦ ζητουμένου οὐδὲν μᾶλλον ἄλλος ἄλλου. ἀλλ' ὥσπερ οἱ ἐν σκότῳ χρυσὸν καὶ ἄργυρον μαστεύοντες, ἄποροι ὄντες τοῦ τὸ θηρώμενον ἐξελέγξαντος φθόγγου, βέβαιοι καὶ ἐπαφῇ ἄπιστον εἰκασίαν λαβόντες, περιπίπτοντες ἀλλήλοις καὶ διαδάκνοντες, οὔτ' ἀφιέναι τολμῶσι μὴ ἄρα ἔχωσιν, οὔτε παύσασθαι πονοῦμενοι, μὴ ἄρα μὴ ἔχωσιν. ἔνθα δὴ θόρυβος καὶ ὠθισμοί, καὶ παρακελεύσεις, φωναὶ ζητούντων, στενόντων, διωκόντων, ὀδυρομένων, ἁρπαζόντων, ἀφαιρουμένων. καὶ βοῶσι μὲν πάντες καὶ παιανίζουσιν, ὡς δῆτα ἐντετυχηκότες τῷ ἀγαθῷ, ἔχει δ' οὐδείς. τοῦτο τὸ πάθος παρέλθει τὴν γῆν καὶ τὴν θάλατταν, &c. *Cum omnibus vnus ſit boni ipſius amor inſitus, nec tamen hic magis quod quærit, quàm ille conſequitur. Sed vt qui noctu aurum aut argentum quærunt, neque lumen habent. quo illud quod quæritur, dignoſcant, ſed ex pondere tantum & tactu coniecturam faciunt incertam: pugnis ſæpè & dentibus inter ſe velitantur, dum nemo quod in manu habet, vult dimittere, ne fortè habeat, neque à quærendo abſtinere, ne fortè non habeat. Hinc tumultus oritur & contentio. hinc clamores diuerſi: dum alij adhortantur, alij quærunt, alij gemunt, alij inſequuntur alios, alij lamentantur, alij rapiunt, eripiunt alij. Sæpè omnes clamant præ gaudio, & exultant, tanquam bonum omnes repererint, cùm tamen habeat nemo. hoc eſt illud quod terram turbat & mare,* &c. Item: Ἐνέφυσε γάρ τι ὁ Θεὸς ζώπυρον τῷ τῶν ἀνθρώπων γένει τῆς προσδοκίας τοῦ ἀγαθοῦ. ἀπέκρυψε δ' αὐτοῦ τὴν εὕρεσιν.

Ῥίζη μὲν μέλαν ἔσκε, γάλακτι δ' εἴκελον ἄνθος.

Expectationem namque boni tanquam ſcintillam aliquam mortalium animis inſeuit Deus, inuentionem verò abſcondit:

Nigra illi radix. par flos albedine lactis.

Et omnium optimè trigeſima ſeptima concione homines quicquid agunt, id omne tum amore, tum ſpe boni moderari teſtatur. ſed quoniam diffluere cœpimus, locum etiam proferamus: Συγκατῴκισε δ' ὁ Θεὸς τοῖς λογισμοῖς ἔρωτα καὶ ἐλπίδα, τὸν μὲν ὥσπερεὶ πτέρωμά τι κοῦφον, καὶ μετάρσιον, ἐπαῖρόν τε καὶ μετακουφίζον τὴν ψυχήν, καὶ παρέχον αὐτῇ δρόμον ἐπὶ τὰς αὐτῆς ὀρέξεις· καλοῦσι δὲ τὸ πτέρωμα οἱ φιλόσοφοι τοῦτο, ὁρμὴν ἀνθρωπίνην. Αἱ δ' ἐλπίδες συγκατῳκισμέναι τῇ ψυχῇ παραμύθιον ταῖς ἑκάστου ὁρμαῖς, οὐ κατὰ τὸν Ἀττικὸν ποιητὴν τυφλαί, ἀλλ' ὀξυωπεῖς πάνυ, οὐκ ἐῶσαι αὐτὴν ἀπαγορεῦσαι πονοῦσαν, ὡς τευξομένην πάντως ὧν ἐρᾷ. πάλαι γὰρ ἂν ἀπούσης ἐλπίδος καὶ ὁ χρηματιστὴς ἐπαύσατο χρηματιζόμενος, καὶ ὁ μισθοφόρος στρατευόμενος, καὶ ὁ ἔμπορος πλέκων, καὶ ὁ λῃστὴς ληϊζόμενος, καὶ ὁ ἀκόλαστος μοιχεύων. ἀλλ' οὐκ ἐῶσιν Appetitio ἐλπίδες, προστίθουσαι τούτοις ἀεὶ ὄντα πεσεῖν, καὶ ἀτε- boni.
λεύτητα, τὸν μὲν χρηματιστὴν ὡς πλουτήσοντα, τὸν δὲ πολεμοῦντα ὡς νικήσοντα, τὸν δὲ πλέοντα ὡς σωθησόμενον. τὸν δὲ ληϊζόμενον, ὡς κερδανοῦντα. τὸν δὲ μοιχεύοντα, ὡς λησόμενον. *Rationibus autem humanis contubernales duos adiunxit Deus, Amorem ac* Spes.
Spem: alteram quidem tanquam alarum remigium leue, quod in altum per ſe feratur, animámque ſecum ſurſum ferat & extollat, viámque qua id quod petit conſequatur oſtendat. Quod quidem appetitionem humanam vocant philoſophi. Spes verò animam comitantur, vt illam quam diximus appetitionem ſuſtineant ac ſolentur: non illæ quidem cæcæ, vt ab Attico dicuntur poëta, ſed perſpicaciſsimæ, ne antè deficiat anima, ſed ea quæ maximè optat conſecuturam ſe confidat. Quæ quidem ſpes ex humanis ſi exulaſſet rebus, iamdiu commercia ſua negotiator, & ſtipendia miles, & nauigationem mercator, & rapinas ſuas prædo, & nocturna intermiſiſſet furta ſcortator. Quod illa neutiquam permittit, ſed illarum rerum ſtudio accendit: quæ nec fieri poſſunt, nec ad finem interdum peruentura ſunt ſuum. Certò enim diuitias ſibi negotiator proponit, miles ſperat vincere, euadere mercator, prædo lucrari, ſcortator fallere. Sequor Danielis Heinſij verſionem. Hic autem quem citat, Atticus Poëta, eſt Æſchylus in Prometheo:

Προμηθεύς. Θνητοὺς ἔπαυσα μὴ προδέρκεσθαι μόρον.

Χορός. Τὸ ποῖον εὑρὼν τῆσδε φάρμακον νόσου.
Προμηθεύς. Τυφλὰς ἐν αὐτοῖς ἐλπίδας κατῴκισα.
Χορός. Μέγ' ὠφέλημα τοῦτ' ἐδωρήσω βροτοῖς, &c.
Prometheus. *Homines prohibui cernere inſtantem necem.*
Chorus. *Quod peſtis huius reperiſti remedium?*
Prometh. *Cæcas inipſis ſpes locans mortalibus.*
Chorus. *Magno æſtimanda dona tribuiſti omnibus.*

III. BONI NVLLO EMOLVMENTO, &c.] Contra vt auctor eſt Clemens Alexand. quarto ſtromatum. ὅγ' Ἐπίκουρος ἀδικεῖν ἐπὶ κέρδει τινὶ βούλεσθαί φησι τὸν κατ' αὐτὸν σοφόν. πίστιν γὰρ λαβεῖν περὶ τοῦ λαθεῖν οὐ δύνασθαι. ὥστε εἰ πεπείσεται λήσειν, ἀδικήσει κατ' αὐτόν. legerim μὴ βούλεσθαι. *Epicurus ſuum ſapientem dicit nolle iniuriam facere ſpe lucri alicuius inductum. Eum enim ſibi perſuadere fieri non poſſe vt lateat, atque adeò ſi ſibi perſuaſerit fore vt lateat, iniuſtè faciet ſecundum illius ſententiam.*

IV. IMPROBI SÆPE PARVO.] Dio Chryſoſtomus orat. de incredulitate. ὥσπερ αἱ τὸν ἄνεμον σημαίνουσαι ταινίαι κατὰ τὴν στάσιν ἀεὶ τοῦ πνεύματος αἰωροῦνται, νυνὶ μὲν οὕτως, πάλιν δ' ἐπὶ θάτερα. τὸν αὐτὸν τρόπον ἡ τῶν φαύλων διάνοια πρὸς πᾶσαν φορὰν οὕτως ἔχει. *Quemadmodum enim faſciæ, quæ ventum indicant, ſemper iuxta venti ſtatum attolluntur, nunc quidem ſic, rurſus verò in alteram partem, eo modo & malorum animus ad omnem impetum affectus eſt.* in lucro præſertim & emolumento. Hinc eſt quòd *vulgus amicitias vtilitate probat*, & ſibi fraudem improbi faciunt, cùm vel tenuis emolumenti ſpes affulſerit. οἷόν τι καὶ οἱ κύνες πάσχουσιν, inquit optimè Lucianus in Piſcatore, ἐπειδάν τις ὀστοῦν ἐς μέσους αὐτοὺς ἐμβάλῃ ἀναπηδήσαντες δάκνουσιν ἀλλήλους, καὶ τὸν προαρπάσαντα τὸ ὀστοῦν ὑλακτοῦσι. *Vt etiam canes faciunt, qui, ſi quis os in medium obiecerit, exilientes mordent inuicem, & eum qui primus corripuerit, impetunt latratibus.* Quod Arriano diſſert. Epict. lib. 2. cap. 22. ſic arriſit, vt tantum non iiſdem verbis hanc imaginem expreſſerit: κυνάρια οὐδέποτ' εἶδες σαίνοντα, καὶ προσπαίζοντ' ἀλλήλοις ἵνα εἴπῃς οὐδὲν φιλικώτερον. ἀλλ' ὅταν, lege ὡς ἂν ἴδῃς τίς ἐστι φιλία, βάλε κρέας εἰς μέσον, καὶ γνώσῃ. *Catellos vidiſtíne aliquãdo ſibi mutuò caudis abblandientes & inter ſe colludentes, vt nihil amicius aut familiarius dicas. Sed vt cognoſcas quid ſit amicitia, in medium proiice carnem & intelliges.* Et poſt vtrumque Themiſtius oratione de amicitia, nec minùs eleganter: ὁρῶμεν γάρ που τοὺς καλουμένους φίλους, ὅτι τέως μὲν τὰς δεξιὰς τ' ἀλλήλοις συμβάλλουσι, καὶ συμπεριπατοῦσι καὶ συνδιάγουσιν, ἐπειδὰν δ' ὀλίγα κέρματα μεταξὺ τύχη τις βάλῃ, ὥσπερ τὰ κυνάρια μεθαλλόμενοι δάκνουσί τ' ἀλλήλους, καὶ σπαράττουσι. *Videmus eos qui amici dicuntur ad tempus quidem ſibi mutuo dextras tendere, ſimul ambulare, ſimul verſari, quod ſi quam in medium pulpam fortuna obiecerit, catellorum inſtar, inſiliunt, inuicem mordent, & ſe diſcerpunt.* Vnus videtur fuiſſe Plato, qui potuerit horum elegantiam ſuperare 9. de Rep. βοσκημάτων δίκην κάτω ἀεὶ βλέποντες καὶ κεκυφότες εἰς γῆν, καὶ εἰς τραπέζας, βόσκονται χορταζόμενοι καὶ ὀχεύοντες καὶ ἕνεκα τῆς τούτων πλεονεξίας λακτίζοντες, καὶ κυρίττοντες ἀλλήλους σιδηροῖς κέρασί τε καὶ ὁπλαῖς ἀποκτιννύασι δι' ἀπληστίαν. *Veluti pecora humum proni ſpectant, ventríque obedientes paſcendo coeundóque ætatem conterunt, próque his rebus vberiùs potiundis calcibus inter ſe & cornibus ferreis vnguibúſque decertant, ſeſe inuicem ob inexplebilem libidinem trucidantes.* Pindarus ode 3. Pyth.

Ἐντὶ μὲν θνατῶν φρένες ὠκύτεραι
Κέρδος αἰνῆσαι πρὸ δίκας δόλιον.
Sunt quidem mortalium mentes promptiores
Ad laudandum lucrum doloſum præ iuſtitia.

NEC SI POSSENT REPRIMERE VELLENT.] Gorgias pro Palamede: οὔτε γὰρ βουληθεὶς ἐδυνάμην ἄν, οὔτε δυνάμενος ἠβουλήθην ἐπιχειρεῖν τοιούτοις. *Neque enim volens potuiſſem, neque potens hæc tentare voluiſſem.* Talis penè eſt illa repetitio Theocriti Eidyll. ſexto v. decimoſexto.

Καὶ φεύγει φιλέοντα, καὶ οὐ φιλέοντα διώκει.

& illa Theognidis 137.

Πολλάκι γὰρ δοκέων θήσειν κακὸν, ἐσθλὸν ἔθηκε,
Καί τε δοκῶν θήσειν ἐσθλὸν, ἔθηκε κακόν.

Agathon apud Athenæum lib. 5.

Εἰ μὲν φράσω τ' ἀληθὲς, οὐχὶ σ' εὐφρανῶ
Εἰ δ' εὐφρανῶ, τί σ' οὐχὶ τ' ἀληθὲς φράσω.

Latina his non attexui, quòd elegantiam me aſſequi poſſe diffiderem.

AXIOMA.

Boni nullo emolumento impelluntur in fraudem, improbi ſæpe paruo.

Malorum inconſtantia.

Vulgus amicitias vtilitate probat.

Improbi lucro dicuntur.

ARGVMENTVM.

Probat Clodium inſidiarum auctorem fuiſſe, quòd quaſdam in Pretura leges pernicioſas Reip. ferre decreuerat, quas Milone viuo ferre haudquaquam potuiſſet. & ad Sextum Clodium harum legum ſcriptorem digrediens, eum vrbanè exagitat.

AN verò, Iudices, vos ſoli ignoratis? vos hoſpites in hac vrbe verſamini? veſtræ peregrinantur aures? neque in hoc peruagato ciuitatis ſermone verſantur, quas ille leges (ſi leges nominandæ ſunt, ac non faces vrbis, & peſtes Reipub.) fuerit impoſiturus nobis omnibus, atque inuſturus? Exhibe quæſo, Sexte Clodi, exhibe librarium illud legum veſtrarum, quod te aiunt eripuiſſe è domo, & ex mediis armis, turbáque nocturna, tanquam Palladium, ſuſtuliſſe, vt præclarum inde munus, atque inſtrumentum tribunatus ad aliquem, ſi nactus eſſes, qui tuo arbitrio tribunatum gereret, deferre poſſes. XXXIII.

EXPLANATIO.

AN VERÒ.] Probabile eſt certum nondum fuiſſe, quid P. Clodius in Prætura facere, aut quas leges promulgare decreuerit. quare Tullius eleganti quodam artificio iudicū oculos præſtringere, & primùm ipſos iudices per interrogationem Rhetoricam atteſtans, ſic expolit orationem, vt in eadem remorans, aliud atque aliud dicere videatur. Et ſanè quàm frigida fuiſſet oratio, ſi ieiunè dicere voluiſſet, *pernicioſas leges laturus fuerat in Prætura mortuo Milone.* quòd facilè negari potuiſſet: at cùm iudices interrogat, cùm inſiſtit, cùm vrget, fit neſcio quo pacto vt cùm idem, vel potiùs penè nihil dicat, alias tamen atque alias probationes in vnum conglobare videatur. & ne tum Iudices, tum aduerſarij orationis infirmitatem aduertant, ſumma cum vrbanitate, & familiari compellatione digreditur ad Sextum Clodium, vt, quod negari poterat, ſuauitate digreſſionis obruatur.

SI LEGES.] Correctio oratoria, qua Clodium magis in inuidiam vocet.

FVERIT IMPOSITVRVS.] Tanquam onus grauiſſimum impoſiturus Reip. oppreſſæ.

INVSTVRVS.] Quemadmodum ſeruorum fugitiuorum frontes punctis quibuſdam inuruntur. atque his verbis Clodij tyrannidem oſtendit, à quo opprimendà fuerit Reſp.

EXHIBE QVÆSO.] Blanda & familiaris compellatio.

LIBRARIVM.] Alij *libellarium.* ciſtellam vbi cuſtodiuntur libelli.

ERIPVISSE E DOMO.] P. Clodij, vt opinor, *ante paucos menſes empta de M. Scauro in palatio.*

TVRBAQVE.] Aſconius: *Infimaque plebis & ſeruorum maxima multitudo corpus in atrio domus poſitum circumſtetit.*

NOCTVRNA.] Nam *perlatum eſt corpus Clodij ante primam noctis horam, quo tempore illa turba ſeruorum & infimæ plebis cadauer inſpectura confluxit.*

TANQVAM PALLADIVM.] Quemadmodum Metellus Pontifex eripuit Mineruæ ſimulacrum ex ædis Veſtæ deflagrantis incendio.

VT PRÆCLARVM.] Inuidioſè cauſſam exponit cur eripuerit illud librarium.

NOTÆ.

1. AN VERÒ IVDICES VOS SOLI IGNORATIS.] Callidè, nam vt verbis vtar Demoſthenis oratione aduerſus Bœotum de dote materna, περὶ ὧν ἂν μὴ ἔχῃ μάρτυρας παρασχέσθαι, τοῦτό φησιν ὑμᾶς (τοὺς δικαστὰς) εἰδέναι, ὃ πάντες ποιοῦσιν οἱ μηδὲν ὑγιὲς λέγοντες. *De quibus teſtes exhibere non poteſt, hoc à Iudicibus ſciri dicit, quod faciunt ij qui ſani nihil habent quod loquantur.* Sed hunc locum fuſiùs expendimus §.1. Vatinianæ. *feciſſem id quod his vehementer placebat.* Hoc etiam artificium aduertit Ariſtoteles 3. Rhetoricorum, cap. 7. Πάσχουσι δέ τι οἱ ἀκροαταὶ, καὶ ᾧ κατακόρως χρῶνται οἱ λογογράφοι. τίς οὐκ οἶδεν; ἅπαντες ἴσασιν. ὁμολογεῖ γὰρ ὁ ἀκούων αἰσχυνόμενος ὅπως μετέχῃ οὗπερ καὶ οἱ ἄλλοι πάντες. *Afficiuntur verò aliquantiſper auditores eo ipſo quo affatim vtuntur orationum ſcriptores. Quis autem non intelligit? omnes ſciunt. Confitetur enim audiens pudore captus, vt particeps ſit eius cuius alij omnes.* Quia tamen huiuſmodi technas facilè iudex oculatus aduertit, ideò magna opus eſt cautione, magno artificio, vt lateas, & nebulam oculis poſſis offundere. Callidè an malitioſè, Demoſthenes oratione de Corona: Μισθωτὸν ἐγώ σε Φιλίππου πρότερον, καὶ νῦν Ἀλεξάνδρου καλῶ, καὶ οὗτοι πάντες. Εἰ δ' ἀπιστεῖς, ἐρώτησον αὐτούς. Μᾶλλον δ' ἐγὼ τοῦτο ὑπὲρ σοῦ ποιήσω. Πότερον ὑμῖν, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, μίσθωτος Αἰσχίνης, ἢ ξένος εἶναι Ἀλεξάνδρου δοκεῖ; ἀκούεις ἃ λέγουσι. *Mercenarium ego te Philippi olim, & nunc Alexandri voco, & hi omnes. Quòd ſi id non credis, interroga eos. Atque adeò ego ipſe tuo loco id faciam: Vtrum vobis, Athenienſes, mercenarius Æſchines an hoſpes Alexandri videtur? Audis quid dicant?* Quem in locum Vlpianus. Τινὲς εἰρήκασιν ὅτι ἑκὼν ἐν τῷ ἐρωτᾶν ὁ ῥήτωρ ἐβαρβάρισεν ἐξεπίτηδες, μίσθωτος λέγων. εἶτ' ἐπέλαβέ τις αὐτοῦ, ὡς διορθούμενος, καὶ ἐβόησε τῷ ἰδίῳ τόνῳ, μισθωτός. εἶτα τὴν διόρθωσιν ἀπόκρισιν καὶ βεβαίωσιν εἴρηκεν. *Quidam dixerunt oratorem vltro & de induſtria* μίσθωτος *barbarè pronuntiaſſe inter interrogandum: ac deinde ab aliquo reprehenſum, emendante & clamante iam ſuo tono* μισθωτός, *poſteà Demoſthenem correctionem pro reſponſione & confirmatione amplexum.* Verùm locus lubricus hic fuit, & verendum ne lepor ille, & vis orationis in ſcurrilitatem vaneſceret. Callidiùs & artificioſiùs Noſter, vt opinor, qui 1. non contentus dixiſſe: *An verò, Iudices, vos ſoli ignoratis?* vrget, inſtat, obruit, nec reſpirare patitur auditorem, vna & eadem re, variis & variis modis expolitâ, *ignoratis, hoſpites in hac vrbe verſamini, veſtræ peregrinantur aures, neque in hoc peruagato ciuitatis ſermone verſantur.* Tum ibi repetitis ictibus ſuum fixit aculeum, ab illius conſideratione Iudicum animos ad ſententiam moralem diuertit. *Si leges nominandæ ſunt ac non faces vrbis, & peſtes Reip.* adhibet deinde tranſlationes quæ ſenſum feriant, alióque diuertant, nec patiantur animum ad artificij conſiderationem aduertere. *faces, peſtes, impoſiturus, inuſturus.* Tum vt maiorem oſtendat in cauſſa fiduciam, non iam Iudices interrogat, ſed ipſum aduerſarium rogat illas leges exhibere: neque vllum iterum dat ei reſpirandi locum, ſed eum mira vrbanitate proſcindit, vt Sextus Clodius in dicacitatis illius cogitatione defixus, ne renuere quidem poſſit, & geſtu ſignificare tales apud ſe non eſſe leges, quales Cicero fingebat. Hinc Palladij comparationem vſurpat, feſtiuitatis captandæ cauſſa, addit *aiunt.* ſecuritatis, ne ſi contra hiſcere Sextus auderet, impingere poſſet culpam mendacij. Hoc enim verbum eſt quod falſis frequenter obtenditur. Quid illa? *Et aſpexit,* &c. quàm commodè priorum temporum & turbarum memoriam renouauit? Quid? quod ſequitur? *mouet me quippe lumen curiæ?* Quantus in ambiguitate aculeus aduerſus Sextum? quanta in Iudicum animis, & ad quàm ſeriam rem animi diſtractio, ne artificium oratoris expendant? Quid illa familiaris compellatio pauciſſimis verbis cōprehenſa? Quid huius familiaritatis prætextu illa crudelitatis exprobratio! Quid tot rituum ſepulturæ deſcriptio? Quid verbi illius inſolentia? *Inimicum meum punitus eſt?* Quantam ſingula vel ſi ſola fuiſſent, aliò diuertendi animi vim habuerunt:

Οὕτως ἐκήλει, καὶ μόνος τῶν ῥητόρων

Calliditas oratoria ad faciendam fidē in rebus dubiis.

Calliditas Demoſthenis.

Τὸ κέντρον ἐγκατέλιπε τοῖς ἀκροωμένοις.
Sic leniebat vnicus Rhetor, ſuis
Fixum relinquens aculeum auditoribus.

Cur enim mihi dicere de Cicerone non liceat, quod Eupolidi licuit de Pericle? Summopere autem tanquam ſcopulus, in hoc genere vitari debet impudentia hæreticis familiaris, & imprimis Ioanni Caluino, qui vbique ſuis impudentiſſimis mẽdaciis, dum fucum conatur facere veritati, ſuã illam impietatem ex inferorum faucibus erupiſſe demonſtrat. Quæ enim (malum) iſtæc impudẽtia eſt? lib. 4. Inſtitut. cap. 7. num. 27. *Ad homines autem ſi veniamus, ſatis ſcitur quales reperturi ſimus Chriſti vicarios: Iulius ſcilicet, & Leo, & Clemens, & Paulus Chriſtianæ fidei columnæ erunt, primíque religionis interpretes, qui nihil aliud de Chriſto tenuerunt, niſi quod didicerant in ſchola Luciani. Sed quid tres aut quatuor Pontifices enumero?* Impudentia Caluini. *Quaſi verò dubium ſit qualem religionis ſpeciem profeſſi ſint iampridem Pontifices cum toto Cardinalium collegio, & hodie profiteantur. Primum enim arcanæ illius Theologiæ, quæ inter eos regnat, caput eſt,* NVLLVM ESSE DEVM. *Alterum.* QVÆCVMQVE DE CHRISTO SCRIPTA SINT AC DOCENTVR, MENDACIA ESSE ET IMPOSTVRAS. *Tertium*, DOCTRINAM DE FVTVRA VITA ET VLTIMA RESVRRECTIONE MERAS ESSE FABVLAS. Sed deſinamus chartam his impuriſſimis vocibus inceſtare, & potiùs miremur eorum cœcitatem quibus tam impudens mendacium non extorquet, vt eum non veritatis vindicem, ſed magiſtrum erroris eſſe fateantur.

II. VOS SOLI HOSPITES.] Hæc verba *peregrinantur, hoſpites*, &c. ignorantiam quandam & oſcitantiam demonſtrant. Homerus 9. Odyſſ.

Νήπιος εἶ ὦ ξεῖν᾽ ἢ τηλόθεν εἰλήλουθας.
Stultus es, aut procul hîs veniſti à ſedibus hoſpes.

Ariſtophanes in Equitibus ſanè eleganter.

—πρὸς δὲ τὸν λέγοντ᾽ ἀεὶ
Peregrinari. Κέχηνας ὁ νοῦς δέ σου παρὼν ἀποδημεῖ.
Inhias loquenti, mens tibi & longè tamen
Peregrina.-

Tullius lib. 1. Academic. quæſt. *Sunt iſta, inquam, Varro: nam nos in noſtra vrbe peregrinantes, errantéſque, tanquam hoſpites, tui libri quaſi domum deduxerunt: vt poſſemus aliquando qui, & vbi eſſemus agnoſcere.*

III. SI LEGES NOMINANDÆ SVNT.] Tres videtur adferre rationes cur leges non debuerint appellari. 1. quia faces erant vrbis ad excitanda ſeditionum incendia. 2. quia peſtes ad interitum Reip. 3. quia non eas conſenſu populi ferre volebat, ſed imponere, inurere, & per vim intrudere, quas conditiones ad perfectam legem requiri conſtabit ex iis definitionibus, quas ex grauiſſimis auctoribus delibatas in medium proferemus. Demoſthenes contra Ariſtogit. ex quo Papinianus ſuam videtur hauſiſſe: Πᾶς ἐστι νόμος εὕρημα μὲν καὶ δῶρον θεοῦ, δόγμα δὲ ἀνθρώπων φρονίμων, ἐπανόρθωμα δὲ τῶν ἑκουσίων, καὶ ἀκουσίων ἁμαρτημάτων. πόλεως δὲ συνθήκη κοινή, καθ᾽ ἣν ἅπασι προσήκει ζῆν τοῖς ἐν τῇ πόλει. *Omnis lex inuentum ac munus Dei eſt: decretum verò prudentium hominum, coërcitio eorum quæ ſponte, vel inuoluntariè delinquuntur: communis ſponſio ciuitatis, ad cuius præſcriptum omnes, qui in ea Rep. ſunt, vitam inſtituere debent.* Hunc locum Legis variæ definitiones. profert Marcianus D. de legibus, ſubdítque ex Chryſippo Stoico: ὁ νόμος πάντων ἐστὶ βασιλεὺς θείων τε καὶ ἀνθρωπίνων πραγμάτων, δεῖ δὲ αὐτὸν προστάτην τε εἶναι τῶν καλῶν, καὶ τῶν αἰσχρῶν, καὶ ἄρχοντα, καὶ ἡγεμόνα, καὶ κατὰ τοῦτο κανόνα τε εἶναι δικαίων, καὶ ἀδίκων, καὶ τῶν φύσει πολιτικῶν ζώων προστακτικὸν μὲν ὧν ποιητέον, ἀπαγορευτικὸν δὲ ὧν οὐ ποιητέον. *Lex eſt omnium diuinarum & humanarum rerum Regina. Oportet autem eam eſſe præſidem & bonis & malis, & principem, & ducem eſſe: & ſecundum hoc regulam eſſe iuſtorum, & iniuſtorũ, & eorum quæ natura ciuilia ſunt animantium, præceptricem quidem faciendorum, prohibitricem autem non faciendorum.* qua in definitione Chryſippus videtur Orphei veſtigiis inſtitiſſe.

Ἀθανάτων καλέω, καὶ θνητῶν ἁγνὸν ἄνακτα
Οὐράνιον Νόμον, ἀστροθέτην σφραγῖδα δικαίαν
Πόντου τ᾽ εἰναλίου, καὶ γῆς φύσεως τε βεβαίαν.
Imploro caſtam Reginam hominúmque, Deûmq;
Cœleſtem legem, cœlo quæ ſidera ſparſit
Iuſtum naturæ, terræque maríſque ſigillum.

Sed, vt ad philoſophos redeamus, Plato in Minoë legem, ἀληθὲς δόγμα πόλεως. *verum ciuitatis decretum*, & τοῦ ὄντος εὕρεσιν, *eius quod verè eſt inuentionem* appellat. Speuſippus in definitionibus Platonicis. Νόμος δόγμα πλήθους πολιτικόν, οὐκ εἰς τινα χρόνον ἀφωρισμένον. *Lex decretum ciuile non in tempus aliquod definitum.* Xenophon 4. memorabilium leges appellat: ἃ οἱ πολῖται συνθέμενοι ἅ τε δεῖ ποιεῖν, καὶ ὧν ἀπέχεσθαι ἐγράψαντο. *Quæ ciues ex pacto ſcripſerunt, tum quæ facere quemque oporteat, tum à quibus abſtinere.* Ariſtoteles Rhet. ad Alexand. cap. 1. ὁ νόμος ἐστὶ λόγος ὡρισμένος καθ᾽ ὁμολογίαν κοινὴν πόλεως, μηνύων πῶς δεῖ πράττειν ἕκαστα. *Lex eſt ratio definita ſecundum pactum ciuitatis ſignificans, quomodo ſit vnumquodque faciendum.* M. Tullius 2. de legibus: *Eſt lex iuſtorum iniuſtorúmque diſtinctio, ad illam antiquiſſimam & rerũ omnium principem expreſſa naturam ad quam leges hominum diriguntur, quæ ſupplicio improbos afficiunt, defendunt & tuentur bonos.* Ex quo infert Quintus nullam aliam legem non modò non habendam, ſed ne appellandam quidem, *etiamſi pernicioſum aliquid populus acceperit.* Idem Philipp. vndecima c. 28. *Qua lege? quo iure? eo quod Iupiter ipſe ſanxit, vt omnia quæ Reip. ſalutaria eſſent, legitima & iuſta haberentur. Eſt enim lex nihil aliud niſi recta, & à numine Deorum tracta ratio, imperans honeſta, prohibens contraria.* Non igitur leges Clodij, leges fuerunt, quippe quæ non eſſent Reip. ſalutares, nec ſeruarent ciuiũ concordiã. Pindarus Olymp. Ode 9. Antiſtrophe 1. bonam legum conſtitutionem σώτειραν appellat. Ἃν Θέμις, θυγάτηρ οἱ
Σώτειρα λέλογχε Μεγαλόδοξος Εὐνομία.
Quam Themis, filiáque ei ſeruatrix ſortita eſt valde glorioſa Eunomia. & Ode 13. Strophe 1. de Corintho bonis legibus conſtitutã ita loquitur.

Ἐν τᾷ δὲ Εὐνομία ναίει, καϲίγνη- τά τε, βάθρον πολίων, Eunomia;
Ἀσφαλὴς Δίκα, καὶ ὁμό- τροπος Εἰρήνα, ταμίαι
Ἀνδράσι πλούτου, χρύσεαι Παῖδες εὐβούλου Θέμιτος.
In hac Eunomia habitat ſororéſque fundamentum vrbium, ſecura iuſtitia, & eiuſdem moris pax, promacondæ hominibus diuitiarum, aureæ filiæ Themidis. Et verè. nam, vt ait Xenophon 4. memorabilium: Πανταχοῦ ἐν τῇ Ἑλλάδι νόμος κεῖται τοὺς πολίτας ὀμνύναι ὁμονοήσειν. *Vbique in terra Græcia lex poſita eſt, vt ciues iurent fore vt inter ſe conſentiant.* & : Τούτοις τῶν πολιτῶν ἐμμενόντων αἱ πόλεις ἰσχυρόταταί τε, καὶ εὐδαιμονέσταται γίγνονται. ἄνευ δὲ ὁμονοίας οὔτ᾽ ἂν πόλις εὖ πολιτευθείη, οὔτ᾽ οἶκος καλῶς οἰκηθείη.

Ciuibus his leges ſeruantibus firmiſſimæ fiant & beatiſſimæ ciuitates, ſine concordia autem, neque ciuitas bene gubernari, neque domus, réſque familiaris bene adminiſtrari poteſt. Solon apud Demoſthenem de falſa legatione.

Εὐνομία δ' εὔκοσμα καὶ ἄρτια πάντ' ἀποφαίνει
Καὶ θαμὰ τοῖς ἀδίκοις ἀμφιτίθησι πέδας.
Τραχέα λειαίνει, παύει κόρον, ὕβριν ἀμαυροῖ,
Αὐαίνει δ' ἄτης ἄνθεα φυόμενα.
Εὐθύνει δὲ δίκας σκολιάς, ὑπερήφανά τ' ἔργα
Πραΰνει, παύει δ' ἔργα διχοστασίης.
Παύει δ' ἀργαλέης ἔριδος χόλον, ἔστι δ' ὑπ' αὐτῆς
Πάντα κατ' ἀνθρώπων ἄρτια καὶ πινυτά.
Compedibus ſtringunt ſceleratos, ordinis æqui
Conſeruatrices, nil niſi recta ſinunt.
Aſpera complanant, ſedant faſtidia, frenant
Indomitos, abigunt ſemina quæque mali.
Iura regunt, manſuefaciunt turgentia corda,
Compeſcunt miſeræ ſeditionis opus.
Iurgia litis acerba premunt, ac denique vitam
Humanam erudiunt, vt ſapienter eat.

Quid autem propriè ſit εὐνομία, Philoſophus explicat 4. polit. cap. 8. οὐκ ἔστιν εὐνομία τὸ εὖ κεῖσθαι τοὺς νόμους, μὴ πείθεσθαι δέ. διὸ μίαν εὐνομίαν ὑποληπτέον εἶναι τὸ πείθεσθαι τοῖς κειμένοις νόμοις. ἑτέραν δὲ τὸ καλῶς κεῖσθαι τοὺς νόμους οἷς ἐμμένουσιν. *Non eſt eunomia bene poſitas eſſe leges, niſi iis obtemperetur. quare vna eunomia exiſtimanda eſt poſitis legibus obedire. alteram verò bene poſitas eſſe leges quibus obtemperatur.* & 7. polit. cap. 4. ὁ νόμος τάξις ἐστί, καὶ τὴν εὐνομίαν ἀναγκαῖον εὐταξίαν εἶναι. *Lex ordo eſt: & eunomiam neceſſe eſt bonam eſſe ordinationem.* Vnde fit vt orbis terrarum legibus ornatus ſenium poſuiſſe, & ad iuuentutem rediiſſe dicatur. Nonnus lib. 41. Dionyſ. verſ. 182.

Legum vtilitas. Ὡς ὄφις ἀδρανέων φολίδων σπείρημα τινάξας
Ἔμπαλιν ἡβήσειε λελουμένος οἴδματι θεσμῶν.
Vt poſitis ſolet exuuiis iuueneſcere ſerpens,
Flumine ſic legum lotus renouabitur orbis.

IV. INVSTVRVS.] Vide Piſonianam 30. *Quæ lex priuatis hominibus eſſe lex non videbatur, inuſta per ſeruos, inciſa per vim, impoſita per latrocinium.* vbi diximus ad ſeruorum inuſtionem alludi. de qua Plutarchus in Nicia, καὶ τούτους ὡς οἰκέτας ἐπώλουν στίζοντες ἵππον εἰς τὸ μέτωπον. *& eos vt ſeruos vendebant equum in frontibus inurentes.* Idem in Pericle. τοὺς αἰχμαλώτους τῶν Ἀθηναίων ἀνθυβρίζοντες ἔστιζον εἰς τὰ μέτωπα γλαῦκας. *Athenienſium captiuis noctuas in fronte per contumeliam inurebant.* ſed omnium feſtiuiſſimè Diphilus Curioſo apud Athenæum lib. 6.

Seruorum inuſtio. Κόμην τρέφων μὲν πρῶτον ἱερὰν τῷ θεῷ
Ὥς φησιν, οὐ διὰ τοῦτό γ'. ἀλλ' ἐστιγμένος
Πρὸ τοῦ μετώπου παραπέτασμ' αὐτὴν ἔχει.
Primùm dicatos nutriens crines Deo
Vt inquit. at non ideo, ſed inuſtus notis
Fronti vt tapetem geſtat oppanſos ſuæ.

Non igitur leges appellandæ fuerunt, quas ille ciuibus & Reip. fuerat inuſturus tanquam auctoramentum ſeruitutis. nam, vt ait Noſter in Cluentiana, libertas vnis legibus continetur. *Hoc enim vinculum eſt huius dignitatis qua fruimur in Rep. hoc fundamentum libertatis, hic fons æquitatis. mens & animus & conſilium, & ſententia ciuitatis poſita eſt in legibus, vt corpora noſtra ſine mente, ſic ciuitas ſine lege, ſuis partibus, vt neruis ac ſanguine, & membris vti non poteſt. Legum miniſtri, magiſtratus: legum interpretes, Iudices: legum denique idcirco omnes ſerui ſumus, vt liberi eſſe poſſimus.*

LIBRARIVM.] Alias *libellarium*, eſt capſa librorum. Iuuenalis. V. Capſæ librorum.

Quem ſequitur cuſtos anguſtæ vernula capſæ.

Noſter diuinatione in Q. Cecilium 51. *Cuſtodem*, inquit, *Tullio me apponite. Quid? mihi quàm multis cuſtodibus opus erit, ſi te ſemel ad meas capſas admiſero.* Has autem capſas, ſiue ſcrinia librorum ſecum ad forum & Curiam deferebant. Dio lib. 44. ξιφῶν ἐν κιβωτίοις ἀντὶ γραμμάτων τινῶν ἐσκομισθέντων. *gladiis in ſcriniis loco libellorum importatis.* Vlpianus D. de manumiſſis vindicta l. ſi collectaneus. *Capſarius, id eſt, qui portat libros.* Paulus D. de ſuppellectile legata. l. ſupellectili. *Sunt qui rectè putant capſas & armaria, ſi librorum aut veſtium, aut armamentorum*, lego *armorum gratia parata ſunt, non eſſe in ſupellectili.* Videntur etiam hæc libraria, ſiue libellaria loculorum nomine comprehendi. Nihil enim fuerunt aliud loculi quàm capſulæ quædam quæ in itinere ferebantur, vt diximus olim ad illum verſum Nonni cap. 13. paraphraſis in Ioannem. Loculi lignei.

Δουρατέην ὅτι χηλὸν ἀνηέρταζεν Ἰούδας.
Capſellam è ligno factam portabat Iudas.

Appellarat Ioannes γλωσσόκομον. Ratio nominis quòd huiuſmodi capſas geſtarent tibicines, in iiſque tibiarum lingulas ad neceſſarios vſus ſecū ferrent. Vide Galenum commentario 2. de fracturis 64. vbi poſtquam dixit multa in eiuſmodi loculis reponi, ſubdit: ἔνιοι δ' εἰς ὁδοιπορείας χρῶνται. *Nonnulli verò in itineribus iis vtuntur.* Hos loculos ligneos Nonnus appellat, quales fuerunt tenuiorum, cùm lautiores ebeninis aut eburneis vterentur. Iuuenalis ſat. 13. Ebenini.

-gemmáque princeps
Sardonyche, loculis quæ cuſtoditur eburnis.

Ouidius 6. Faſtorum ſub finem de Æſculapio herbas ad reddendam Hippolyto vitam exerente: Eburnei.

Gramina continuò loculis depromit eburnis.

Apuleius apologia priore: *Impetratos ebeni loculos à muliere honeſtiſſima Capitolina ad ſe attuliſſe.*

VI. PALLADIVM.] Cedrenus in hiſtoriarum compendio: Τὸ Παλλάδιον λεγόμενον ξύλινον ὑπῆρχεν εἴδωλον τῆς Παλλάδος. *Palladium lignea fuit Palladis imago.* contra Clemens Alexandrinus in protreptico ait, τὸ Παλλάδιον τὸ διοπετὲς καλούμενον. *Palladium quod cœlitùs miſſum vocatur.* ἐκ τῶν Πέλοπος ὀστῶν κατασκευάσθαι. *è Pelopis oſſibus fuiſſe fictum.* Iulius Firmicus de erroribus prophanorum religionum cap 16. *Palladij etiam quid ſit numen audite, ſimulachrum eſt ex oſſibus Pelopis factum, hoc auarus Scytha feciſſe perhibetur.* libenter legam *Vranus Scytha.* vt inde fabula de eo tanquam cœlitus miſſo profluxerit, quemadmodum Mercurius Triſmegiſtus Saturni patrem ait Vranum dictum fuiſſe, ex quo Saturnum cœli filium eſſe fabulantur. Hoc Palladium in ædem Martis tranſlatum fuiſſe dicit Cedrenus, verius eſt in æde Veſtæ fuiſſe ſeruatum ab ipſis Veſtalibus. Dionyſius Halicarnaſſeus lib. 1. (vt Herodianum lib. 1. Plutarchum in parallelis & alios omittam.) tum fusè deſcribit, quomodo Dardanus à Chryſæ filia Pallantis duo Mineruæ ſimulachra in dotem acceperit, & in vrbe Dardania collocarit, quorum vnum deinde Troiam, pòſt in Italiam Palladium.

fuerit ab Ænea deuectum, tum hæc addit, καὶ τὸ μεμυθευμένον Παλλάδιον ὅ φασι τὰς ἱερὰς φυλάττειν παρθένους ἐν ναῷ κείμενον Ἑστίας. *Et fabuloſum illud Palladium quod aiunt à Veſtalibus in æde Veſtæ ſeruari.* quare quod ait libro 6. Ναύτιος ἀπὸ τῶν σὺν Αἰνείᾳ στειλάντων τὴν ἀποικίαν, ὡς τῆς Ἀθηνᾶς ἱερεὺς Πολιάδος, καὶ τὸ ξόανον ἀπηνέγκατο τῆς θεᾶς μετανιστάμενος, ὃ διεφύλαττον ἄλλοι παρ' ἄλλων μεταλαμβάνοντες οἱ τοῦ γένους ὄντες τῶν Ναυτίων. *Nautius, vnus ex iis qui cum Ænea coloniam deduxerunt, Mineruæ Vrbanæ ſacerdos, ſolum vertens ſecum auexit Deæ ſimulacrum, quod eius poſteri per manus traditum ſeruarunt.* Hoc, inquam, non ita debet intelligi, quaſi Nautij ſoli Palladium ſeruarent, ſed vt opinor, quòd ipſi vnam, Veſtales aliam loculamenti claues obtinerent. Et ſi, vt iſte, ex Calliſtrato, Satyro, Aratino, & Clemens Alexandrinus ex Apella teſtantur, duo Palladia Dardanus acceperat, facilè extricabis hunc nodum quemadmodũ Vlyſſes & Diomedes *Fatale aggreſſi ſacrato auellere templo Palladium* fuerint: & nihilo ſeciùs Romani ſuum habuerint. quamuis Diomedem Cedrenus Æneæ petenti poſtmodum in Italia Palladium reddidiſſe. vt & Romani vnum habere potuerint, & tamen verum eſſe quod narrat Appianus in Mithridaticis: Τὸ δὲ τῆς Ἀθηνᾶς ἕδος ὃ Παλλάδιον καλοῦσι, καὶ διοπετὲς ἡγοῦνται, νομίζουσί τινες εὑρεθῆναι τότε ἄθραυστον, καὶ ἐπιπεσόντων τειχέων αὐτὸ περικαλυψάντων. *Mineruæ ſimulacrum quod Palladiũ appellant, & è cœlo demiſſum arbitrantur, quidam putant inuentum eſſe integrum inter ruinas.* loquitur de poſtrema Ilij euerſione, Duce Fimbria Romano. Videtur autem Noſter hoc loco ad Metelli Pontificis factum alludere, de quo tum alij, tum Dionyſius lib. 2. Valerius lib. 1. *Inſequente noctu ædes Veſtæ arſit: quæ incendia Metellus inter ipſos ignes raptum Palladium incolume ſeruauit.*

INSTRVMENTVM.] Inſtrumenta à Iuriſconſultis dicuntur ea omnia quibus cauſſa inſtrui poteſt. Vnde inſtrumentum ſumitur etiam pro quauis ſupellectile. Vide Tranquillum in Auguſto, cap. 71. & in Caligula 39. Sed hic inſtrumentum, nihil eſt aliud quàm ſcriptura quædam, ſiue vt I.C. vocant inuentarium quo Clodius ad gerendam Præturam vteretur. ſic apud Tranquillum in Veſpaſiano cap. 8. *Vndique inueſtigatis exemplaribus, exemplum imperij pulcherrimum ac venuſtiſſimum confecit, quo continebantur pene ab exordio vrbis, Senatuſconſulta, plebiſcita de ſocietate & fœdere ac priuilegio cuicunque conceſſis.* VII.

AXIOMA.

Leges iniuſtæ & inuſtæ per vim leges nominandæ non ſunt, ſed faces vrbis & peſtes Reip.

ARGVMENTVM.

Vrbana digreſſio, qua dum Sextum Clodium ſibi placare videtur, eum grauiùs offendit, & apud Iudices exprobratione crudelitatis in patronum ſuum exprompta in odium adducit.

ET aſpexit me illis quidem oculis, quibus tum ſolebat, cùm omnia omnibus minabatur. Mouet me quippe lumen curiæ. Quid? tu me iratum, Sexte, putas tibi, cuius tu inimiciſſimum multò crudeliùs etiam punitus es, quàm erat humanitatis meæ poſtulare? Tu P. Clodij cruentum cadauer eieciſti domo, tu in publicum eieciſti? tu ſpoliatum imaginibus, exſequiis, pompa, laudatione, infeliciſſimis lignis ſemiuſtulatum, nocturnis canibus dilaniandum reliquiſti. quam rem etſi neceſſariò feciſti, tamen, quoniam in meo inimico crudelitatem exprompſiſti tuam, laudare non poſſum, iraſci certè non debeo. XXXIV.

EXPLANATIO.

ET ASPEXIT.] Fingit ſe arripere digreſſionis occaſionem ex tempore, & ex Clodij oculorum coniectu, ne domo præmeditata proferre videatur.

QVIBVS TVM SOLEBAT.] Cùm miniſter aut Dux ſeditionis eſſet in Clodij tribunatu, cùm Catuli monumentum affligeret, meam domum dirueret, mei fratris incenderet, in palatio atque in vrbis oculis ſeruitia ad cædem & inflammandam vrbem incitaret. vide Cœlianam 78. & alibi paſſim.

MOVET ME QVIPPE LVMEN CVRIÆ.] Iocus in ambiguo. innuit enim Curiæ incẽdium, cùm Sext. Clodium clariſſimum Senatorem vocare videatur.

QVID TV ME IRATVM.] Familiaris compellatio ad lepôrem mirè comparata. Aſconius: *Vulgus imperitum corpus nudum, diſcalciatum, ſicut in lectulo erat poſitum, vt vulnera videri poſſent, in forum detulit, & in roſtris poſuit,* &c. *populus duce Sexto Clodio ſcriba corpus P. Clodij in Curiam intulit, cremauítque ſubſelliis & tribunalibus, & menſis, & codicibus librariorum. quo igne & ipſa quoque Curia flagrauit: & item Porcia baſilica, quæ erat ei iuncta, ambuſta eſt.* Sextum appellat prænomine, quia id familiaritatis eſt, & honoris.

INIMICISSIMVM.] P. Clodium qui me eiecerat è ciuitate, puniuiſti.

HVMANITATIS MEÆ.] Antitheſis inter Cic. humanitatem & Sextij crudelitatem, vt ſibi beneuolentiam, odium Sexto Clodio captet.

TV P. CLODII.] Ritus exequiarum à Sexto Clodio neglectos ediſſerit, quo neglectu ſuam in Clodium crudelitatem exprompſit.

CRVENTVM CADAVER.] Oblitum cruore,

non lotum de more, non amomo & caſia delibutum, *eiecisti foras*, non autem pedibus ad ianuam extentis in veſtibulo poſuiſti. neque tibi fuit ſatis illud foras eiicere, ſed in forum & *in publicum eieciſti*, vt tota ciuitas illius dedecoris teſtis eſſet.

Tv spoliatvm imaginibvs.] Cereis maiorum imaginibus quæ ex atrio prolatæ cæterorum nobilium funera comitantur. vnde & funeris pompa dicitur quaſi imaginum & tædarum tranſuectio.

Lavdatione. Oratione funebri, quæ vel à filio vel à propinquis defuncti fieri conſuerat.

Infelicissimis lignis semivstvlatvm.] Curiæ ſubſelliis & tribunalibus media parte crematum.

Qvam rem.] alij legunt, *quare etſi nefariè feciſti.* & ſanè vix apparet quæ neceſſitas incubuerit id faciẽdi, niſi ſi fortè dicamus Sextum populi tumultuantis inſaniâ compulſum fuiſſe, vt & cadauer eiiceret, & Curiam incenderet. vel ſenſus erit *quam rem etſi P. Clodio, qui tibi erat neceſſarius, feciſti.*

NOTÆ.

I. Et aspexit.] Nimirum vt Hector ille Homericus Iliados θ.

Γοργοῦς ὄμματ' ἔχων ἠδὲ βροτολοιγοῦ Ἄρηος.

Gorgonis intorquens & ſaui lumina Martis.

Nec abludit Noſter ab illo verſu Theocriti Εἰδυλλίῳ κ'.

Οἷα βλέπεις; ὁποῖα λέγεις; ὡς ἄγρια φράζεις;

Quàm ſpectas ſauum, vt loqueris, quàm agreſtia faris?

II. Sexte.] Horatius 2. ſermonum ſat. 5. *Prænomina.*

Quinte puta aut Publi, gaudẽt prænomine molles
Auriculæ.

Hinc Philippica 2. *à Marco tabellarius.* Perſius:

-has ſigna Marce tabellas.

III. Pvnitvs es.] De officiis lib. 1. *Neque ad eius, qui punitur aliquem, aut verbis caſtigat, ad Reip. vtilitatem referri.* & Tuſcul. 1. *Quo multi inimicos etiam mortuos puniuntur.* Hæc nobis Nonnius exempla ſuggeſſit. adde 2. de Inuentione. *Tum leges quoque & iudicia demonſtranda ſunt, per quæ potuerit id peccatum, quod ſponte ſuâ reus punitus ſit, moribus & iudicio vindicari.* Philipp. 8. §. 7. *Vt clariſſimorum hominum crudeliſſimam puniretur necem.* eodem flexu Tranquillus in Auguſto cap. 21. *Neque aut crebriùs, aut perfidioſiùs rebellantes grauiore vnquam multatus eſt pœna, quàm vt captiuos ſub lege venundaret, ne in vicina regione ſeruirent, néve intra triceſimum annum liberarentur.* *Puniri.*

IV. Crventvm cadaver.] Scio pleroſque ritus funerum explicaſſe: non abs re tamen fuerit quædam excerpere. crudelitatis fuit cadauer cruentum, cœno & cruore oblitum relinquere. defunctorum enim corpora lota priùs & vnguentis delibuta in ædium veſtibulo collocabant. de lotione Ælianus lib. 4. var. hiſt. cap. 10. ὅτι Δαρδανεῖς τοὺς ἀπὸ τῆς Ἰλλυρίδος ἀκούω τρὶς λούεσθαι μόνον παρ' ὅλον τὸν ἑαυτῶν βίον, ἐκ ὠδίνων, καὶ γαμοῦντας, καὶ ἀποθανόντας. *Dardanenſes Illyricos ter tantùm lauari audio per vniuerſam vitam, poſt partum, cùm nuptias ineunt, & poſt mortem.* Euripides in Phœniſſis:

Σὺ δ' ἀλλὰ νεκρῷ λουτρὰ περιβάλλειν μ' ἔα.

At tu lauacrum mortuo detur ſine, *Cadauera aquis calidis lauabant.*

Ex hoc more tritus Ennij verſus:

Tarquinij corpus bona fœmina lauit & vnxit.

Idque aquâ calidâ Homerus 18. Iliados verſ. 349.

Αὐτὰρ ἐπειδὴ ζέσσεν ὕδωρ ἐνὶ ἤνοπι χαλκῷ
Δὴ τότε δὴ λοῦσάν τε, καὶ ἤλειψαν λίπ' ἐλαίῳ.

At poſtquam ære cauo bullans efferbuit vnda
Lauerunt, pinguique vnxerunt corpus oliuo.

& 24. Odyſſeæ verſu 44.

Κάτθεμεν ἐν λεχέεσσι καθήραντες χρόα καλὸν,
Ὕδατί τε λιαρῷ, καὶ ἀλείφατι.-

Tum feretro imponunt feruenti flumine corpus,
Purgatum, vnguentóque nitens.-

Sed ne diutiùs morer. vide Virgilij interpretes ad ſextum Æneidos:

Pars calidos latices & ahena vndantia flammis
Expediunt, corpúſque lauant frigentis & vngunt.

Eiecisti.] Quid ſit *eiectum cadauer.* Iam contra Piſonem oſtendimus. 19. 11. ritus collocandi cadaueris à Cerda & aliis in 2. Æneidos: V.

Sic ô ſic poſitum affati diſcedite corpus. & 11. *Cadauera in veſtibulis poſita.*

-recipítque ad limina greſſum
Corpus vbi exanimi poſitum Pallantis Acetes
Seruabat ſenior.-

à Lipſio cap. 6. lib. 1. electorum fusè explicatur. Apud Suetonium Auguſti corpus *à Bouillis equeſter ordo ſuſcepit, vrbíque intulit, atque in veſtibulo domus collocauit.* id autem obſeruabant vt cadauer foras ſpectaret, & facie pedibúſque eſſet in publicum verſis. Perſius:

Hinc tuba, candelæ, tandémque beatulus alto
Compoſitus lecto, craſſiſque lutatus amomis
In portam rigidos calces extendit.-

Homerus Iliados τ'. verſu 212.

Ὅς μοι ἐνὶ κλισίῃ δεδαϊγμένος ὀξέϊ χαλκῷ
Κεῖται ἀνὰ πρόθυρον τετραμμένος.-

Qui mihi in tabernaculo laceratus acuto ære
Iacet ad veſtibulum conuerſus.

Ad quem verſum citant Lipſius & Cerda interpretem. κεῖται ἐπὶ τὴν θύραν ὁρῶν, *iacet ſpectans ad ianuam.* cuius rei reddit rationem: οὕτω γὰρ τίθενται οἱ νεκροὶ διὰ τὸ ἐξερχομένου τοῦ ἀνθρωπίνου βίου, μηκέτι ἀναστρέφειν εἰς τοὺς οἴκους. *Ita enim componuntur mortui ad ſignificandum, nunquam iam deinde illos redeunte vita ad domum reuerſuros.* Heſychius: *Ritus locandi cadaueris.* Τοὺς νεκροὺς οὕτω φασὶν ἐδράζεσθαι ἔξω τοὺς πόδας ἔχοντας, πρὸς αὐλίους θύρας. *Dicuntur mortui ita collocari vt pedes habeant ad atrienſes ianuas.* huc alluſit Seneca epiſt. 12. *Conuerſus ad ianuam, quis eſt, inquam, iſte decrepitus, & meritò ad oſtium admotus? foras enim ſpectat.* Sed vide modò laudatos Criticæ rei antiſtites. Vlpianus D. De Relig. & ſumpt. fun. hoc etiam eiiciendi verbum vſurpat lege Oſſa: *Alioquin iniuriarum fore actionem aduerſus eum qui eiecit.* Horat. lib. 1. ſat. 8. *Eiectura cadauer.*

Huc priùs anguſtis eiecta cadauera cellis
Conſeruus vili portanda locabat in arca.

Tv in pvblicvm abiecisti.] *In forum detulit, & in roſtris poſuit.* vt ſuprà dicebat Aſconius. ſed fortaſſe dubitet quiſpiam cur id factum Tullius non probarit. nam nihil præter morem feciſſe videri poteſt. ὅταν γὰρ, verba ſunt Polybij lib. 6. μεταλλάξῃ τις παρ' αὐτοῖς τῶν ἐπιφανῶν ἀνδρῶν, συντελουμένης τῆς ἐκφορᾶς κομίζεται μετὰ τοῦ λοιποῦ κόσμου πρὸς τοὺς καλουμένους ἐμβόλους εἰς τὴν ἀγορὰν, ποτὲ μὲν ἑστὼς ἐναργὴς, σπανίως δὲ κατακεκλιμένος. *Cùm enim* VI. *Cadauer ad roſtra ferebatur.*

enim clarorum virorum quis diem obiit, elatione perfecta, cùm cætero ornatu, ad roſtra deſertur in forum, aliquando ſtans, raro verò in lectulo collocatus. Non igitur præter morem fecit quòd in publicum & in roſtra tulerit, ſed, quòd *ſicut in lectulo poſitum erat* in roſtra detulerit, vt notat Aſconius, &, vt Noſter loquitur, in publicum abiecerit. ſic Libanius actione contra adulterum, ἄταφον ἐρρίφθαι. *proiici inſepultum.* Dio Chryſoſtomus orat. 2. de fortuna, ἄταφον ῥίπτεσθαι.

VII. Tv spoliatvm imaginibvs.] Plinius: *Expreßi cera vultus ſingulis diſponebantur armariis, vt eſſent imagines quæ comitarentur gentilitia funera, ſempérque defuncto aliquo totus aderat familiæ, qui vnquam fuerat populus.* Hæc ille lib. 35. cap. 2. Polybius lib. 6. Τιθέασι τὴν εἰκόνα τοῦ μεταλλάξαντος εἰς τὸν ἐπιφανέστατον τόπον τῆς οἰκίας, ξύλινα ναΐδια περιτιθέντες. ἡ δ' εἰκών ἐστι πρόσωπον εἰς ὁμοιότητα διαφερόντως ἐξειργασμένον, καὶ κατὰ τὴν πλάσιν, καὶ κατὰ τὴν ὑπογραφήν, ταύτας δὲ τὰς εἰκόνας, ἔν τε ταῖς δημοτελέσι θυσίαις ἀνοίγοντες κοσμοῦσι φιλοτίμως. ἐπὰν δὲ τῶν οἰκείων μεταλλάξῃ τις ἄγουσιν ἐς τὴν ἐκφοράν. *Imaginem defuncti in celeberrima ædium parte ponunt, lignea quadam ædicula circumtectam. eſt autem hæc imago vultus ſimilitudo quàm accuratißimè expreſſa, tum deformatione figuræ, tum & pigmentis. has imagines per ſolemnitates publicas aperiunt, & cum ſtudio exornant. cùm autem illuſtris vir aliquis ex eadem gente vel familia diem clauſit vltimum, ad funeris elationem eas proferunt.* Silius libro 10. de funere Pauli:

> *Non coniux natíve aderant, non iuncta propinquo*
> *Sanguine turba virûm: aut celſis de more feretris*
> *Præcedens priſcâ exequias decorabat imago.*

Horatius Epodon Ode 8.

> *Eſto beata: funus atque imagines*
> *Ducant triumphales tuum.*

Sed in re tam trita nihil eſt quòd moremur. tantùm aduerte aliquod funebrium imaginum apud Æthiopas extitiſſe veſtigium, qui defunctos vitro circundatos ſeruabant, ne eorum aſpectus poſteris eſſet ignotus, vt ſcribit Siculus Diodorus. Imagines etiam producit Statius in funere Archemori 6. Thebaidos:

> *Exin magnanimûm ſeries antiqua parentum*
> *Inuehitur miris in vultum animata figuris.*

VIII. Pompa Circenſis. Exeqviis, Pompa.] Non ſatis liquet quæ tandem ſit inter exequias & pompam diſtinctio: liceat diuinare. Exequias eorum ratione dictas puto, qui corpus demortui ſequerentur, pompam eorum qui anteirent. De Pompa Tertullianus lib. de Spectaculis: *Sed circenſium paulo pompatior ſuggeſtus, quibus propriè hoc nomen pompa præcedens, quorum ſit in ſemetipſa probauit, de ſimulachrorum ſerie, de imaginum agmine, de curribus, de thenſis, de harmamaxis.* quo ſenſu Ouidius 3. Amorum eleg. 1.

> *Sed iam pompa venit: linguis animíſque fauete*
> *Tempus adeſt plauſus: aurea pompa venit.*

Item:

> *Per tibi tot iuro teſtes pompámque Deorum.*

atque vt videas pompam ludos ipſos anteiſſe, ſubdit tertio pòſt verſu.

> *Maxima iam vacuo Prætor ſpectacula circo*
> *Quadriiuges æquo carcere miſit equos.*

Pompa igitur ipſa ſimulachrorum tranſuectio licet nobilis, ſeculi noſtri Poëta dignis cedro verſibus alio ſenſu, & pro ipſo curſu pompã acceperit.

> *Hinc Rheſi alipedes & germina Centaurea*
> *Hinnitúque auras & calce repagula pulſant.*
> *Cum tuba Tyrrhenos proculo inſpirata canores*
> *Inſonat, & raſa pompam traducit arena.*

Hinc pompæ nomen ad triumphos & tranſuectionem ferculorum tranſlatum. vide Piſonianam 60. Pompa triumphalis.

Tertiò pompæ nomen in funeribus pro imaginum traductione frequenter vſurpan . Tacitus annalium libro 4. *Funus imaginum pompa maximè illuſtre fuit, cum origo Iuliæ gentis Æneas, omnéſque Albanorum Reges & conditor vrbis Romulus,* &c. *longo ordine ſpectarentur.* Propertius: Pompa funebris.

> *Nec mea tam longa ſpatietur imagine pompa.*

Tertullianus de habitu mulierum: *Omnia iſta damnatæ & mortuæ mulieris impedimenta ſunt, quaſi ad pompam funeris conſtituta.* Tacitus lib. 2. *Funus ſine imaginibus & pompa per laudes & memoriam virtutum eius celebre fuit.* Sed fortaſſe operæpretium fuerit totam pompam paucis deſcribere. Pompæ nomen non ſolùm imaginum tranſuectionem denotat, ſed aliquando cum funere & exequiis confunditur. vt apud D. Ambroſium de viduitate: *Vel cum accenſis funalibus mox ducitur, nónne pompæ funebris exequias magis putat quàm thalamum præparari?* Donatus in Andria Terentij: *Funus eſt pompa exequiarum dictum à funalibus.* Propriè tamen, vt dixi, pompa eos, qui præibant cadaueri, continebat.

Primo loco videntur proceſſiſſe tubicines, tibicines, & ſiticines. de quibus infrà 87. plura dicimus. Deinde proceſſiſſe videntur ij qui candelas, faces, & cereos funeri præferebant. alios omitto. in funere Pallantis Arcades 11. Æneidos. Candelæ & cerei in funeribus.

> *-de more vetuſto*
> *Funereas rapuere faces: lucet via longo*
> *Ordine flammarum, & latè diſcriminat agros.*

Rem alij fusè probarunt. non exiſtimo tamen certum iis facibus locum fuiſſe conſtitutum, ſed ita per totam pompam fuiſſe diſperſas, vt aliæ funus præirent. Iſidorus: *Funus dictum à funalibus accenſis, quos ante feretrum papyris cera circundatis ferebant.* Aliæ fortaſſe ſequerentur.

Tertiò probabile fuerit proceſſiſſe buſtuarios gladiatores, ludios, hiſtriones. de quibus, ne te morer, Kirchmannus lib. 2. de funeribus, cap. 7. conſulatur. de hiſtrionibus citat Dionyſ. libro 7. Buſtuarij & hiſtriones. Εἶδον δὲ καὶ ἐν ἀνδρῶν ἐπισήμων ταφαῖς ἅμα ταῖς ἄλλαις πομπαῖς προηγουμένους τῆς κλίνης τοὺς σατυριστὰς χορούς κινουμένους, τὴν σικιννὶν ὄρχησιν μάλιστα δ' ἐν τοῖς τῶν εὐδαιμόνων κήδεσι. *Quin etiam in illuſtrium virorum funeribus, præter alias pompas vidi & ſatyricos choros qui lectulum præcedebant, & ſicinnem ſaltationem ſaltabant: præcipuè verò in fortunatorum virorum funeribus.*

Quartò, ſequebantur maiorum imagines: & quamuis expreſſi cerâ vultus pectore tenus in atriis ponebantur, tamen cùm ad funus producebantur, iuſtam virorum magnitudinem, & magiſtratuum quos in vita geſſerant ſimilitudinem exprimebant. quod haud ſcio an quiſquam hactenus è Polybio obſeruandum iudicarit. ſic ille lib. 6. Ἐπὰν δὲ τῶν οἰκείων μεταλλάξῃ τις, ἄγουσιν εἰς τὴν ἐκφοράν, περιτιθέντες ὡς ὁμοιοτάτοις (lege ὁμοιότατοι) εἶναι δοκοῦσι, κατά τε τὸ μέγεθος, καὶ τὴν ἄλλην περικοπήν. οὗτοι προσαναλαμβάνουσιν ἐσθῆτας ἐὰν μὲν ὕπατος, ἢ στρατηγὸς ᾖ γεγονώς περιπορφύρους, ἐὰν δὲ τιμητὴς πορφυρᾶς. ἐὰν δὲ καὶ τεθριαμβευκώς, ἤ τι τοι- Maiorũ imagines in exequiis.

οὕτως κατειργασμένος, διαχρύσους. αὐτοὶ μὲν οὖν ἐφ' ἁρμάτων οὗτοι πορεύονται. *Cùm autem illuſtris vir aliquis diem clauſit vltimum, ad funeris elationem eas proferunt, vt ei quàm ſimillimæ ſint defuncto, reliquum etiam corporis truncum adiiciunt. hæc porrò ſimulachra togas aſſumũt, ſi vir Conſularis aut Prætorius fuerit, prætextas: ſi Cenſorius, purpureas: ſi triumphalis aut ſimili quo alio honore functus, auro radiantes, & hi quidem curru verſi procedunt.* Cereis his magiſtratibus ſui lictores anteibant: ῥάβδοι δὲ καὶ πελέκεις καὶ τἄλλα, τὰ τοῖς ἀρχαῖς εἰωθότα συμπαρακεῖσθαι προηγεῖται, κατὰ τὴν ἀξίαν ἑκάστῳ τῆς γεγενημένης κατὰ τὸν βίον ἐν τῇ πολιτείᾳ προαγωγῆς. *Faſces verò & ſecures, & quæcumque alia magiſtratus comitari ſolent inſignia, ibi quoque præcedunt, pro honore & dignitate quam quiſque in Rep. dum viueret, obtinuit.* Hæc Polybius, quibus referendis, malui ſequi Caſauboni verſionem quàm Muſculi, vt penè ſemper inſulſam. Cæterùm ad hunc morem crediderim ſatyricum alludere, ſat. 8.

Quibus lictores anteibant.

-multâ deducere virgâ
Fumoſos Equitum cum Dictatore Magiſtros.

Quintò, in clarorum ducum & triumphalium virorum funeribus præferebantur oppidorum captorum ſimulachra, victarum gentium tituli, exuuiæ hoſtium. vt Dionyſius libro 8. factum fuiſſe dicit in funere Coriolani, Tacitus 1. annalium in funere Auguſti, cui adſtipulatur Dio libro 56. Xiphilinus in funere Pertinacis: Lucanus de funere Pompeij magni, loquens, eius virtutibus debitum fuiſſe innuit.

Præferat vt veteres feralis pompa triumphos.

Appianus in 1. bellorum ciuilium tum cæteram funeris Syllani pompam fusè deſcribit, tum hæc ait, στέφανοί τε γὰρ δισχιλίων πλείους ἀπὸ χρυσοῦ κατὰ σπουδὴν γενόμενοι παρεφέροντο. *Coronæ plures binis millibus ex auro feſtinanter facta ferebantur.*

Imago mortui cum lictoribus.

Sextò, ſequebatur vel imago ipſius demortui, præcedentibus fortaſſe tot lictoribus, verſis faſcibus, quot faſces obtinebant ij magiſtratus quos ille geſſerat, vel minùs qui inceſſum, geſtus, & verba demortui per imitationem exhiberet. de imagine. Plutarchus in funere Syllano: Λέγεται δὲ τοσοῦτον πλῆθος ἀρωμάτων ἐπενεγκεῖν τὰς γυναῖκας αὐτῷ, ὥστε ἄνευ τῶν ἐν φορήμασι διακοσίοις διακομιζομένων, πλασθῆναι εἴδωλον μέγα τοῦ Σύλλα, πλασθῆναι δὲ καὶ ῥαβδοῦχον, ἔκ τε λιβανωτοῦ πολυτελοῦς καὶ κινναμώμου. *Dicuntur tantam vim aromatum mulieres intuliſſe, vt præter ea quæ ducentis & decem vehiculis ferebantur, effigies bene magna ipſius Syllæ & lictoris è ture pretioſo & cinnamomo fingeretur.* Et in funere Auguſti, vt notat Dio lib. 56. εἰκὼν δή τις αὐτοῦ κηρίνη ἐν ἐπινικίῳ στολῇ ἐξεφαίνετο. *Imago quædam ipſius cerea in veſte triumphali viſebatur.* Herodianus lib. 4. hunc morem in Imperatorum apotheoſi fuiſſe teſtatur. κηροῦ δὲ πλασάμενοι εἰκόνα, πάντα ὁμοίαν τῷ τετελευτηκότι. *E cera imaginem omni ex parte demortuo ſimilem effingentes.* De mimo diſertè Suetonius in Veſpaſiano cap. 19. *Sed & in funere Fauo archimimus, perſonam eius ferens imitánſque, vt eſt mos, facta ac dicta viri interrogatis palam procuratoribus, quanti funus & pompa conſtaret, vt audiit centies, exclamauit, centum ſibi ſeſtertia darent, ac ſe vel in Tiberim proiicerent.* vt non tam mortuus efferri, quàm viuus in pompam procedere videretur.

Mimus in funere.

Præficæ.

Septimò Præficæ, nam qui præibant magnificentiæ potiùs cuiuſdam & maieſtatis, quàm luctus & funeris ſpeciem exhibebant. Gloſſarium: *Præfica*, ἡ πρὸ τῆς κλίνης ἐν τῇ ἐκφορᾷ κοπτομένη. *quæ ante pheretrum in elatione plangit.* qua de re fuſiùs infra.

Octauò, De libertis dubium eſt debeántne in pompa, an in exequiis cenſeri. nam alij præiuiſſe funeri dicũt, alij fuiſſe ſubſecutos, præiuiſſe Cod. de lat. libert. Liuius libro 38. de Q. Terẽtio Culleone, Appianus in Mithridaticis. vnus Halicarnaſſeus lib. 8. innuit, non tamen ſatis liquidè eos fuiſſe ſubſecutos. Tum demum ſequebatur ipſum funus, ſiue corpus defuncti quod vel liberti, vel liberi, vel nobiliſſimi quinque adoleſcentes honoris cauſsâ offerebant. De libertis Perſius:

Liberti in funere.

Liberti corpus deferebant.

In portam gelidos calces extendit, at illum
Heſterni capite induto ſubiere Quirites.

De liberis Velleius, Plinius, & alij de Metello Macedonico, qui *à quatuor filiis illatus eſt rogo, vno Prætore, tribus Conſularibus, duobus triumphalibus, vno cenſorio.* De nobilibus & equitum aut Senatorum primoribus Tacitus 1. ann. Dionyſius Halicarnaſſ. lib. 8. & alij paſſim, non eſt quòd hîc immoremur. de funere alibi.

EXEQVIÆ dictæ ſunt à ſequendo funere, vel etiam vt loquuntur exequendo. Tullius 1. Tuſc. hos Euripidis verſus interpretans ex Chreſphõte.

Exequiæ.

Τὸν δ' αὖ θανόντα καὶ πόνων πεπαυμένον
Χαίροντας, εὐφημοῦντας ἐκπέμπειν δόμων.
At qui labores morte finiſſet graues
Omnes amicos laude & lætitia exequi.

Gellius lib. 10. cap. 15. de Flamine diali. *Mortuum nunquam attingit, funus tamen exequi non eſt religio.* In exequiis familiariſſimi quique primũ locum obtinebant, vt coniuges parentes & liberi. Propertius lib. 2. eleg.

Tu verò nudum pectus lacerata ſequeris,
Nec fueris nomen laſſa vocare meum.

qualis Acetes in funere Pallantis deſcribitur:

Ducitur infœlix æuo confectus Acetes
Pectora nunc fœdans pugnis, nunc vnguibus ora
Sternitur, & toto proiectus corpore terræ.

cuiuſmodi perſonas tradit Seruius funeras nominari. in illud 9. Æneidos:

-nec te tua funera mater produxi.

Funeræ.

his verbis: *Apud maiores funeras dicebant, eas ad quas funus pertinebat, vt ſororem, matrem. nam præficæ ſunt planctus principes, non doloris, funeras autem dicebant quaſi funereas,* &c. Tum ſequebatur cætera familiarium multitudo, qui officij cauſsâ conuenerant. Terentius in Andria, actu 1.

-funus interim
Procedit: ſequimur, ad ſepulchrum venimus.

LAVDATIONE.] Funebres orationes etiam apud Græcos vſitatas fuiſſe conſtat, tum è rerum geſtarum monumentis, tum ex iis quas Thucydides libro 1. Plato & Demoſthenes in lucem ediderunt. quæ conſuetudo à Græcíſne an à Romanis manauerit, bene multis diſputat Dionyſius Halicarnaſſeus lib. 5. ita concludit: ὅτι δὲ Ῥωμαίων ἀρχαῖον ἐστὶν εὕρημα τὸ παρὰ ταῖς ταφαῖς τῶν ἐπιφανῶν ἀνδρῶν ἐπαίνοις τὰς ἀρετὰς αὐτῶν λέγεσθαι, καὶ οὐχ Ἕλληνες αὐτὸ κατεστήσαντο πρότερον παρὰ τῆς κοινῆς ἱστορίας οἶδα μαθών. Vertit Æmilius Portus: *Quod tamen hoc ſit Romanorum vetus inuentum, in funere illuſtrium virorum, virtutes eorum laudari, neque à Græcis primum inſtitutum fuerit, ex communis hiſtoriæ ſcriptis didici.* Poſſemus tamen aliunde hoc inſtitutum accerſere: Diodorus enim Siculus lib. 2. biblioth. de funere Regum Ægypti, qui longè ante tempora Romana floruerunt,

IX.

Laudationes funebres, à quibus originem habuerint.

hæc memoriæ mandauit ante ſepulturam: τῷ βουλομένῳ κατηγορεῖν ὁ νόμος ἐξουσίαν δίδωσιν. *quiſquis accuſare velit, à lege poteſtatem habet.* vt malæ vitæ conuictus ſepulturæ arceatur, ſi non conuincitur: εἰ μὲν συγγενεῖς ἀποθέμενοι τὸ πένθος ἐγκωμιάζουσι τὸν τετελευτηκότα. *Depoſito cognati luctu ad mortui laudes procedunt.* Τὸ δὲ πλῆθος ἐπευφημεῖ, καὶ συναποσεμνύνει τὴν δόξαν τοῦ τετελευτηκότος, ὡς τὸν αἰῶνα διατρίβειν μέλλοντος καθ' ᾅδου μετὰ τῶν εὐσεβῶν. *Laudes clamore ſecundo vulgus excipit, & magnificis ſimul laudibus defunctum prædicat, vt qui ſempiternum cum piis æuum ſit in Ditis regno peracturus.* vide locum, nobis ſatis fuit rem attigiſſe. Sed vndecunque profluxerit hæc conſuetudo, ſic à Polybio libro ſexto deſcribitur: Ὅταν γὰρ μεταλλάξῃ τις παρ' αὐτοῖς τῶν ἐπιφανῶν ἀνδρῶν, συντελουμένης τῆς ἐκφορᾶς κομίζεται μετὰ τοῦ λοιποῦ κόσμου πρὸς τοὺς καλουμένους ἐμβόλους εἰς τὴν ἀγορὰν, ποτὲ μὲν ἑστὼς ἐναργὴς, σπανίως δὲ κατακεκλιμένος, πέριξ δὲ παντὸς τοῦ δήμου στάντος, ἀναβὰς ἐπὶ τοὺς ἐμβόλους, ἂν μὲν υἱὸς ἐν ἡλικίᾳ καταλείπηται, καὶ τύχῃ παρὼν οὗτος. εἰ δὲ μὴ τῶν ἄλλων εἴ τις ἀπὸ γένους ὑπάρχει, λέγει περὶ τοῦ τετελευτηκότος τὰς ἀρετὰς, καὶ τὰς ἐπιτετευγμένας ἐν τῷ ζῆν πράξεις. *Nam quoties aliquis vir illuſtris apud illos migrauit de vita, is cùm funus effertur, præter reliquos honores quibus ornatur, in forum ad roſtra, vt vocant, ſolet efferri: ſtans interdum vt ſit omnibus conſpicuus, rariùs iacens, ibi populi totius corona circumſtante, aut filius, contingat filium ab eo eſſe relictum, atque ille præſens adſit. ſin minùs è ſanguine iunctis aliquis roſtra conſcendit, defunctique laudes commemorat, & ſi quæ dum viueret, feliciter ab eo fuerunt geſta.* Mox vbi verbis ſuperiùs allatis pompam imaginúmque tranſuectionem fusè deſcripſit. ſubdit: ὅταν δ' ἐπὶ τοὺς ἐμβόλους ἔλθωσι καθίζονται πάντες ἑξῆς ἐπὶ δίφρων ἐλεφαντίνων. *Cùm ad roſtra peruenerint hæ cereæ imagines omnes ordine conſident in ſellis eburneis.* Mox: Τὸ γὰρ τὰς τῶν ἐπ' ἀρετῇ δεδοξασμένων ἀνδρῶν εἰκόνας ἰδεῖν ὁμοῦ πάσας οἱονεὶ ζώσας καὶ πεπνυμένας τίνα οὐκ ἂν παραστήσαι, τί δ' ἂν κάλλιον θέαμα τούτου φανείη; πλὴν ὅ γε λέγων ὑπὲρ τοῦ θάπτεσθαι μέλλοντος, ἐπὰν διέλθῃ τὸν ἐπὶ τούτου λόγον, ἄρχεται τῶν ἄλλων ἀπὸ τοῦ πρεσβυτάτου τῶν παρόντων, καὶ λέγει τὰς ἐπιτυχίας ἑκάστου, καὶ τὰς πράξεις, &c. *Quis eſt enim quem impetus ad laudem non capiat, cùm imagines virorum, quos ſua virtus fecit inſignes, velut viuas omnes ſpectet, ac ſpirantes? aut hoc ſpectaculo quod poteſt eſſe pulchrius? cæterùm qui mox ſepeliendum laudat, abſoluta huius laudatione, ad alios orationem transferens, ab maximo natu omnium qui adſunt, orditur, & decora ſingulorum ac res geſtas commemorat.* Malim poſtrema ſic efferre. *ab antiquiſſimo eorum quorum imagines adſunt.* De his laudationibus Noſter in Bruto. *Ipſæ enim familiæ ſua quaſi ornamenta, ac monumenta ſeruabant, & ad vſum, ſi quis eiuſdem generis occidiſſet, & ad memoriam laudum domeſticarum, & ad illuſtrandam nobilitatem ſuam.*

Laudationes funebres apud Romanos.

X. Infelicia ligna.

INFELICISSIMIS LIGNIS.] Catullus ep. 37.

Electiſſima peſſimi poëtæ
Scripta tardipedi Deo daturam
Infœlicibus vſtulanda lignis.

Minutius Fœlix in Octauio: *Deus enim ligneus, rogi fortaſſe, vel infœlicis ſtipitis portio, ſuſpenditur, cæditur, dolatur, runcinatur.* Plinius lib. 16. c. 35. de ſmilace: *Infauſta omnibus ſacris, & coronis, quoniam ſit lugubris.* quæ ſint autem arbores felices, quæ infelices explicat Macrob. ſat. lib. 3. cap. vlt. *Tarquinius Priſcus in oſtentario arborario ſic ait: Arbores quæ inferûm Deorum, auertentiúmque in tutela ſunt, eas infelices nominant.* Docuerunt me Palladius Fuſcus & Feſtus Pompeius Catonem dicere: *Felices arbores eſſe quæ fructum ferunt: infelices quæ non ferunt.* Infelices etiam arbores dicuntur quæ ſunt inauſpicatæ, & ad ſuppliciū deſtinatæ, vt in antiquo illo carmine. I. *I lictor, &c. infelici arbori ſuſpendito.* Infelicia igitur curiæ ſubſellia, quæ fuerunt ad feralem Clodij rogum deputata.

XI. SEMIVSTVLATVM.] Varij fuerunt mores quibus mortuis iuſta ſoluerentur. Lucianus de luctu: ὁ μὲν Ἕλλην ἔκαυσεν, ὁ δὲ Πέρσης ἔθαψεν, ὁ δὲ Ἰνδὸς ὑάλῳ περιχρίει, ὁ δὲ Σκύθης κατεσθίει, ταριχεύει δ' ὁ Αἰγύπτιος. *Græcus vrit, Perſa ſepelit, Indus vitro circumlinit, deuorat Scytha, exſiccat Ægyptius.* Taprobanenſes, vt refert Diodorus lib. 2. Θάπτουσι τοὺς τελευτήσαντας, ὅταν ἄμπωτις γένηται, κατακχωννύντες εἰς τὴν ἄμμον, ὥστε κατὰ τὴν πλημμυρίδα τὸν τόπον ἐπιχώννυσθαι. *Defunctos reciprocante mari humant arenis obruentes, vt per æſtus inundationem tumulus illis aggeretur.* Ichthyophagi, eodem auctore lib. 3. Τοὺς τελευτήσαντας θάπτουσι κατὰ μόνον τὸν τῆς ἀμπώτεως καιρὸν, ἐῶντες ἐρριμμένους. ὅταν δὲ ἡ πλημμυρὶς ἐπέλθῃ ῥίπτουσιν, εἰς τὴν θάλατταν τὰ σώματα. *Defunctos ſolùm refluxus tempore ſepeliunt cadauera proiecta relinquentes: redeunte autem maris æſtu fluctibus auferenda tradunt.* Baleares (idem libro 5.) Συγκόψαντες ξύλοις τὰ μέλη τοῦ σώματος, εἰς ἀγγεῖον ἐμβάλλουσι, καὶ λίθους ἀθρόους ἐπιτιθέασιν. *Cadaueris membra lignis contuſa in vrnam coniiciunt, magnúmque lapidum aceruum ſuperſtruunt.* & lib. 3. Troglodytæ Megabarei: Θέντες τὸν νεκρὸν ἐπί τινος ὑψηλοῦ ἀναστήματος βάλλουσι λίθοις χειροπληθέσι γελῶντες, μέχρις ἂν ὅτου τοῖς λίθοις περιχώσαντες ἀποκρύψωσι τὰ σώματα. *Corpus certo interuallo poſitum lapidibus plena manu congeſtis ridentes impetunt, quoad congeſtu lapidum obruatur.* Sed ne neceſſe ſit multos auctores euoluere, Silius lib. 13. Punicorum omnes penè ſepeliendi ritus exequitur.

-tumuli & cinerum ſententia diſcors
Tellure, vt perhibent, is mos antiquus Ibera,
Exanima obſcœnus conſumit corpora vultur.
Regia cùm lucē poſuerunt membra, probatū eſt
Hyrcanis adhibere canes: Ægyptia tellus
Claudit odorato poſt funus ſtantia ſaxo
Corpora, & à menſis exanguem haud ſeparat vmbram.
Exhauſto inſtituit Pontus vacuare cerebro
Ora virûm, & longū myrrhata reponit in æuum.
Quid? qui recluſa nudos Garamanthes arena
Infodiunt? Quid? qui ſæuo ſepelire profundo
Exanimes mandant Libycis Naſamones in oris?
At Celtæ vacui capitis circundare gaudent
Oſſa (nefas) auro & menſis ea pocula ſeruant.
Cecropidæ ob patriam Mauortis ſorte peremptos
Decreuere ſimul communibus vrere flammis.
At gente in Scythica ſuffixa cadauera truncis,
Lenta dies ſepelit patri liquentia tabo.

De Colchis pulchrè Apollonius Rhodius 3. Argonauticon, ſed parco Græcis.

Ordine ſurgebant ſalices ripámque tenebant,
Quarum è verticibus pendebant vincta catenis
Corpora. Namq; nefas Colchis exurere flammâ,
Aut mandare ſolo, tumulíque imponere molem.

Ἀλλ' ἐν ἀδεψήτοισι κατειλύσαντε βοείοις
Δενδρέων ἐξάπτειν ἑκὰς ἄστεος. ἠέρι δ' ἴσην
Καὶ χθὼν ἔμμορεν αἶσαν, ἐπεὶ χθονὶ ταρχύουσι
Θηλυτέρας. ἡ γάρ τε δίκη θεσμοῖο τέτυκται.

Sed crudo inuoluunt corio pendentia celſis
Arboribus procul vrbe: nec vnus poſſidet aër,
Partem æquam ſortitur humus: nam ceſpite glebæ
Iniectæ lex æqua iubet tumulare puellas.

XII. NOCTVRNIS CANIBVS.] Hinc frequenter magni ſcriptores rei funeſtæ atrocitatem oſtendunt. vt Homerus 1. Iliados:

-αὐτοὺς δ' ἑλώρια τεῦχε κύνεσσιν Οἰωνοῖσί τε πᾶσι.
Obiecit canibus laniandos alitibúſque.

ſic Virgilius 11. Æneidos nihil habuit aliud vnde miſerationem accerſeret.

Heu terrâ ignotâ canibus data præda Latinis,
Alitibúſque iaces.

Catullus in Nuptiis:

Pro quo dilaceranda, feris dabor, alitibúſque
Præda, nec iniectâ tumulabor mortua terrâ.

Ex epiſt. 109.

Non equidem dubito; quin primùm inimica bonorum
Lingua execta auido ſit data vulturio.
Effoſſos oculos voret atro gutture coruus,
Inteſtina canes, cætera membra lupi.

Horatius Epodon, Ode 17.

Luxere matres Iliæ addictum feris
Alitibus, atque canibus homicidam Hectorem.

dixerat iam Ode 5.

Poſt inſepulta membra diſſecent lupi
Et exquilinæ alites.

Neque quicquam habuit atrocius Priamus, quo futuram ſuam calamitatem deſcriberet Iliados χ. verſu 66.

Summæ crudelitatis eſt corpora mortuorum canibus lanianda relinquere.

Αὐτὸν δ' αὖ πύματόν με κύνες πρώτῃσι θύρῃσιν
Ὠμησταὶ ἐρύουσι.
Veſtibulũ ante domus ipſum mandétq; trahétq;
Inſatiata canum rabies. & verſu 73.
Ἀλλ' ὅτε δὴ πολιόν τε κάρη, πολιόν τε γένειον
Αἰδῶ τ' αἰσχύνωσι κύνες κταμένοιο γέροντος
Τοῦτο δὴ οἴκτιστον πέλεται δειλοῖσι βροτοῖσι.
At quando canúmque caput, canentiáque ora,
Atque verenda canes turpant ſenioris adempti.
Nil demum lachrymabilius mortalibus ægris.

Eodem libro Hecuba v. 59.

Ἀργείων παρὰ νηυσὶ κύνες ταχέες κατέδονται.
Velox turba canum ante rates laniabit Achiuas.

Nihil dirius habuit Hector, quod poſſet ignauis militibus comminari. Iliados ο. verſu 348.

Ὃν δ' ἂν ἐγὼν ἀπάνευθε νεῶν ἑτέρωθι νοήσω,
Αὐτοῦ οἱ θάνατον μητίσομαι, οὐδέ νυ τόν γε
Γνωτοί τε, γνωταί τε πυρὸς λελάχωσι θανόντα,
Ἀλλὰ κύνες ἐρύουσι πρὸ ἄστεος ἡμετέροιο.
A ratibus quemcunque fugæ dare terga videbo,
Moliar huic lethum, neque fratres atque ſorores
Illum funereis poterunt exurere flammis,
Diſcerpéntque canes ante vrbis mœnia noſtræ.

Et quos verſus citat Ariſtoteles 3. Ethic.

Ὃν δέ κ' ἐγὼν ἀπάνευθε μάχης πτώσσοντα νοήσω
Οὔ οἱ ἄρκιον ἐσσεῖται φυγέειν κύνας.
A pugna ſi terga fugæ dare videro quemquam
Non poterit vitare canes.

Idem Hector ad Aiacem Iliados ν. verſu 831.

Ἀτὰρ ἐπεὶ Τρώων κορέσεις κύνας, ἠδ' οἰωνοὺς
Δημῷ καὶ σάρκεσσι πεσὼν ἐπὶ νηυσὶν Ἀχαιῶν.
Ipſe canes pingui ſatiabis corpore Teucros,
Et volucres Graïs pro auibus.-

quem verſum Iuno Troianis infeſta vſurparat, Iliad. θ. verſ. 380. vide etiam ρ. 154. & 240. Nihil habuit Hector in morte quod magis metueret. Iliados χ. verſu 437.

Τὸν δ' ὀλιγοδρανέων προσέφη κορυθαίολος Ἕκτωρ.
Λίσσομ' ὑπὲρ ψυχῆς καὶ γούνων, σῶν τε τοκήων,
Μή με ἔα παρὰ νηυσὶ κύνας καταδάψαι Ἀχαιῶν.
Talia Priamides media iam in morte profatur.
Te per ego hæc genua atque animam charóſque parentes,
Oro ne canibus linquar laniandus Achiuis.

Nihil habuit Achilles atrocius, in quo ſuum odiũ & crudelitatem exponeret. ibidem 346.

Μή με κύον γούνων γουνάζεο, μηδὲ τοκήων.
Αἲ γάρ πως αὐτόν με μένος καὶ θυμὸς ἀνείη
Ὠμ' ἀποταμνόμενον κρέα ἔδμεναι, οἷά μ' ἔοργας.
Ὡς οὐκ ἔσθ' ὃς σῆς γε κύνας κεφαλῆς ἀπαλάλκοι.
Ne me per genua implores charóſque parentes
Dira canis. nam me iubet ira dolórq; cruentus
Mandere diſſectas carnes pro talibus auſis.
Vt nemo eſt, qui te à canibus defendere poßit.

Sed vide Sophoclem in Antigone, Euripidem in Phœniſſis & Electra, & alios paſſim. Mirum tamen cur Priamus, Hector & alij Phryges laniari à canibus adeò perhorreſcant, cùm Phryges non aliam ſepulturam, quàm auium ventrem, ſacerdotibus ſuis conceſſerint. quod idem teſtatur Noſter de magis 1. Tuſcul. *Magorum mos eſt non humare corpora ſuorum, niſi à feris ſint antè laniata: in Hircania plebs publicos alit canes: optimates domeſticos. Nobile autem genus canum illud ſcimus eſſe, ſed pro ſua quiſque facultate parat, à quibus lanietur. eámque optimam illi eſſe cenſent ſepulturam.* quo in genere lepidum eſt illud quod ibidem de Diogene narratur. *Proiici ſe iuſſit inhumatum, tum amici: volucribúſne & feris? minimè verò, inquit, ſed bacillum prope me, quo abigam, ponitote. Qui poteris? illi, non enim ſenties. Quid igitur mihi ferarum laniatus oberit nihil ſentienti?* De magis adſtipulatur Herodotus lib. 1. de Neoritis Indiæ populis. idem teſtatur Diodorus Siculus lib. 17. bibliothecæ, cuius verba mox proferentur. ídque inſtitutum propter diritatem vocat παντελῶς ἄπιστον. *omnino fidem excedens.* ſed non poſſum præterire quod de Perſis tradit Agathias lib. 2. θήκῃ γάρ τινι ἐνθέμεν, &c. ſed parco Græcis. Philoſophi non pauci à Chriſtianis Imperatoribus ſolum vertere coacti ad Parthos profugerãt, & in cadauer eiectum atque inſepultum cùm incidiſſent, glebam iniecerunt: terra corpus à ſe reiecit: illis iterum ſepelire volentibus, datum in ſomnis oraculum.

Quæ gentes ſuorum corpora canibus obiecerint lanianda.

Μὴ θάψῃς τὸν ἄθαπτον. ἔα κυσὶ κύρμα γενέσθαι
Γῆ μήτηρ πάντων μητροφθόρον οὐ δέχετ' ἄνδρα.
Priuatum tumulo haud tumula, canibúſque relinque,
Nil tibi terra parens cum corruptore parentis.

RELIQVISTI. Eodem ſenſu Maro 10. Æneidos, v. 559. *Alitibus linquêre feris.* XIII.

& Silius lib. 2.

Deforme alitibus liquêre cadauer Iberis.

ſuprà Homerus:

Μή με ἔα παρὰ νηυσὶ κύνας καταδάψαι Ἀχαιῶν.
Ne rogo me canibus laniãdum linquito Achiuis. Linquere cadauer.

Euripides in Phœniſſis:

Ἐᾶν δ' ἄκλαυστον, ἄταφον, οἰωνοῖς βοράν.
Infletus, inſepultus, alitibus feris Linquatur eſca.

Dicunt etiã καταλείπειν. vt idem Euripides in Supplicibus, paulò pòſt initium. Relinquere.

-οἳ καταλείπουσι μέλη
Θανάτῳ λυσιμελεῖ Θηρσὶν ὀρείοισι βοράν.
-qui relinquunt membra,
Morte artus ſoluente, Feris montanis eſcam.

Diodorus Siculus libro 16. de Neoritis. τὸ δὲ σῶμα τοῦ τετελευτηκότος καταλείπουσιν εἰς βορὰν τοῖς θηρίοις.

corpus verò demortui feris eſcam relinquunt. Plutarchus in Nicia: καταλιπεῖν ἀτάφους δύο τῶν πολιτῶν. *Relinquere duos ciues inſepultos.* hinc illud:

Nec tumulum curo. ſepelit natura relictos.

XIV. CRVDELITATEM.] Ea demum ingens eſt crudelitas quæ in mortuum expromitur. hinc Tullius orationem Verrinam de ſuppliciis grauiter inflammat. 118. *Multi & graues dolores inuenti parentibus, & propinquis, multi. verumtamē mors ſit extrema, non erit. Eſtne aliquid vltrà, quò progredi crudelitas poſſit? reperietur. nam illorum liberi cùm erunt ſecuri percuſſi, ac necati, corpora feris obiicientur.* hinc illa Creontis immanis oratio 12. Thebaidos:

Crudele eſt in corpora mortuorum ſæuire.

Sæuum agedum, immitémque vocent, nunc funera Lernæ
Tecum ardere veto, longos vtinam addere ſenſus
Corporibus, cœlóque animas, Erebóque nocentes
Pellere fas, ipſúmque feras, ipſum ora volucrum
Ora ſequi, atque artus Regum mōſtrare nefandos.
Hei mihi quòd poſitos humus alma diéſque reſoluit.

quare ſapienter 5. de Rep. nec cadauera quidē hoſtiū voluit ſpoliari, ratus γυναικείας τε καὶ σμικρᾶς διανοίας πολέμιον νομίζειν τὸ σῶμα τοῦ τεθνεῶτος ἀποπταμένου τοῦ ἐχθροῦ, λελοιπότος δ' ᾧ ἐπολέμει. ἢ οἴει τι διάφορον δρᾶν τοὺς τοῦτο ποιοῦντας τῶν κυνῶν, αἳ τοῖς λίθοις οἷς ἂν βληθῶσι χαλεπαίνουσι τοῦ βάλλοντος οὐχ ἁπτόμεναι. *Muliebris & parui animi demortui corpus hoſtem arbitrari, cùm verus hoſtis auolarit, & loco ceſſerit is, qui cùm bellum gerebat, an qui hæc faciunt aliud facere quàm canes exiſtimas, qui lapidibus coniectis ſunt infenſi, eos non attingunt qui coniecerint?* & verè. nam, vt ait Homerus:

Οὐχ ὁσίη κταμένοισιν ἐπ' ἀνδράσιν εὐχετάασθαι.
Inſultare nefas violenta morte peremptis.

Archilochus:

Οὐ γὰρ ἐσθλὰ κατθανοῦσι κερτομεῖν ἐπ' ἀνδράσι.
Sed nec inſultare fas eſt morte functis aſpera.

Cratinus:

Κταμένοις ἐπ' αἰζηοῖσι καυχᾶσθαι μέγα.
Iuuenibus inſultare mactatis graue eſt.

melius ſanè quàm Agamemnon Sophocleus in Aiace:

Οὐ γὰρ θανόντι καὶ προσεμβῆναί σε χρή.
Nam mortuo inſultare nequaquam decet.

Neque ſanè vnquam laudata, aut Achillis in Hectorem crudelitas, aut Seueri in Albinum, Tydei in Menalippum, &c.

ARGVMENTVM.

Redit ad propoſitum, & quia paulò antè probauerat Clodium in Milonis morte magnas ſpes habuiſſe: nunc contrà oſtendit Clodij necem Milonis gloriæ & dignitati, quæ frangendis eius furoribus augebatur in dies, plurimùm obfuiſſe.

P. Clodij præturam non ſine maximo rerum nouarum motu proponi ſolitam eſſe videbatis; niſi eſſet is Conſul, qui eam auderet, poſſétque confringere. Eum Milonem eſſe cùm ſentiret vniuerſus populus Rom. quis dubitaret ſuffragio ſuo ſe metu, periculo Remp. liberare? At non P. Clodio mortuo, vſitatis iam rebus obnitendum eſt Miloni, vt tueatur dignitatem ſuam. ſingularis illa huic vni conceſſa gloria, quæ quotidie augebatur, frangendis furoribus Clodianis, iam morte Clodij cecidit: vos adepti eſtis, ne quem ciuem metueretis: hic exercitationem virtutis, ſuffragationem conſulatus, fontem perennem gloriæ ſuæ perdidit. Itaque Milonis conſulatus, qui, viuo Clodio, labefactari non poterat, mortuo denique tentari cœptus eſt. Non modò igitur nihil prodeſt, ſed obeſt etiam P. Clodij mors Miloni. XXXV.

EXPLANATIO.

P. CLODII PRÆTVRAM.] Videtur hic inuolui ſyllogiſmus.

Illi obeſt mors P. Clodij, cui difficiliorem reddit adeptionem conſulatus.

Sed mors Clodij difficiliorem reddit Miloni adeptionem conſulatus.

Ergo obeſt Miloni.

Propoſitionem omittit, quippe quæ nullo negotio queat intelligi: aſſumptionem probat.

Viuo Clodio facilius erat Miloni conſulatum adipiſci.

Ergo mors Clodij difficiliorem Miloni reddit adeptionem conſulatus.

Probat antecedēs: quia populus à Clodij prætura ſibi metuens conſulatum ad Milonem, qui poſſet eius furores reprimere, ſuo ſuffragio deferebat.

RERVM NOVARVM MOTV.] Alij, *metu*, & quidem meliùs, vt opinor.

PROPONI.] Longè ante denuntiari, tanquam conditionem miſerrimæ ſeruitutis.

QVIS DVBITARET.] Dicere potuiſſet, *Quis dubitaret Miloni deferre conſulatum?* Sed longè maiore cum emphaſi, priuatam cuiuſque & communem Reip. ſalutem dicere maluit, vt Miloniani conſulatus fructum oſtenderet.

AT NON.] Hactenus vſitatum Miloni fuit frāgere furores Clodij, & ita dignitatem ſibi maiorē in dies comparare: nunc verò poſt mortē Clodij aliam viā ſibíque hactenus inuſitatā tenere debet, vt ſuā dignitatem communi ſaltē ratione tueatur. legit Lambinus elegātiùs fortaſſe. *At nunc P. Clodio remoto vſitatis iam rebus*, &c. quaſi dicat: Viuo Clodio ſingularem, & aliis inuſitatam Milo rationem habebat tuendæ dignitatis ſuæ, at nunc P. Clodio remoto, vſitatis iam rebus & communi via obnitendum eſt Miloni, vt tueatur dignitatē ſuam. vide Petrum Victorium lib. 21. cap. 19. variarum lectionum.

Hvic vni concessa gloria.] Ac proinde aliis inuſitata.

Vos adepti estis.] Libenter communem ſalutem cum priuato Milonis incommodo coniungit, vt non ſolùm orationi fidem, ſed etiam Miloni beneuolentiam acquirat.

Svffragationem.] Effectus pro cauſſa, neque enim Clodij vita & hæc reprimendi Clodiani furoris occaſio ſuffragabatur, ſed cauſſa erat cur populus ab eo ſibi metuens deferret Miloni conſulatum.

Itaqve.] A conſequentibus probat Miloni Clodij mortem obfuiſſe.

NOTÆ.

I. Nouitas fugienda. Rervm novarvm.] Epiſt. 1. lib. 15. *Etſi intelligebam ſocios infirmè animatos eſſe, & nouarum rerum expectatione ſuſpenſos.* Lyſias contra Agoratum: Οἱ βουλόμενοι νεώτερα πράγματα ἐν τῇ πόλει γίγνεσθαι, ἐπεβούλευον, *inſidiabantur qui nouis rebus ſtudebant.* hinc νεωτερίζειν, νεωτερισμὸς frequēter, ſed omitto. Quod nimirùm, nihil ſit in Rep. periculoſius nouitate. vnde illud, *viuendum moribus antiquis, loquendum præſentibus.* & illud Ennianum:

Moribus antiquis res ſtat Romana viriſque.

Antiphon de nece Herodis, quæ verba repetit etiam oratione de Saltatore: Πάντας ἂν οἶμαι ὁμολογῆσαι κάλλιστα νόμων ἁπάντων κεῖσθαι, καὶ ὁσιώτατα. ὑπάρχει μέν γ' αὐτοῖς ἀρχαιοτάτοις εἶναι ἐν τῇ γῇ ταύτῃ, ἔπειτα τοὺς αὐτοὺς εἶναι ἀεὶ περὶ τῶν αὐτῶν, ὅπερ μέγιστόν ἐστι σημεῖον νόμων καλῶς κειμένων. ὁ γὰρ χρόνος καὶ ἡ ἐμπειρία τὰ μὴ καλῶς ἔχοντα ἐκδιδάσκει τοὺς ἀνθρώπους. *Apud omnes in confeſſo eſſe arbitror has leges omnium optimas eſſe, atque ſanctiſſimas. Quibus etiam hoc ineſt, vt in his terris ſint antiquiſſimæ. & eædem ſemper de rebus iiſdem, quod maximo argumento eſt eas leges eſſe optimè conſtitutas. tempus enim & experientia mala dedocet mortales.* Vide Notas ad Piſonianam 10. *Centum propè annos legem Æliam & Fuſiam tenueramus.* & ad Sextianam 104. *Nec flagitat rem vllam, neq; nouarum rerū eſt cupidus.*

Fontem perennem.] Pro Cœlio 6. *Ab his fontibus profluxi ad hominum famam.* II.

AXIOMATA.

Optandum eſt vt eos habeat Reſp. magiſtratus qui audaciam improborum audeāt poſſintque confringere.

Inimici ſunt fontes perennes gloriæ bonorum & fortium virorum.

Augetur bonorum gloria frangendis furoribus improborum.

ARGVMENTVM.

Poſtquam à ſpe vtriuſque inſidias à Clodio paratas fuiſſe docuit, idem ab odio quo alter alterum proſequebatur oſtendit, & cauſſas exponit cur Clodius Milonem odiſſet.

XXXVI. At valuit odium: fecit iratus, fecit inimicus, fecit vltor iniuriæ, punitor doloris ſui. quid, ſi hæc, non dico maiora fuerunt in Clodio, quàm in Milone; ſed in illo maxima, nulla in hoc? quid vultis amplius? quid enim odiſſet Clodium Milo, ſegetem, ac materiam ſuæ gloriæ, præter hoc ciuile odium, quo omnes improbos odimus? ille erat vt odiſſet primum defenſorem ſalutis meæ, deinde vexatorem furoris, domitorem armorum ſuorum: poſtremo etiam accuſatorem ſuum. reus enim Milonis lege Plotia fuit Clodius, quoad vixit. quo tandem animo hoc tyrannum tuliſſe creditis? quantum odium illius, & in homine iniuſto, quàm etiam iuſtum eſſe?

EXPLANATIO.

At valvit.] Aduerſariorum obiectio variis & variis modis expolita.

Qvid si.] *Si non oderat Clodium Milo, ſed Clodius oderat Milonem, non Milo Clodio, ſed Clodius Miloni parauit inſidias.*

Atqui non Clodium Milo, ſed Clodius oderat Milonem.

Ergo non Milo Clodio, ſed Clodius Miloni parauit inſidias.

Maior vel ſilente Oratore facilè potuit intelligi, concluſio his verbis videtur inuolui. *Quid vultis amplius?* aſſumptio probatur à cauſſis, cur non odiſſet Clodium Milo, Clodius odiſſet Milonē.

Qvid enim.] Probat priorem minoris partem, quo talis ſyllogiſmus inuoluitur.

Nemo odit ſegetem & materiam gloriæ ſuæ.

Sed Clodius erat ſeges & materia gloriæ Milonis.

Ergo non oderat Clodium Milo,

Eum autem ſegetem & materiam Milonis appellat, quia frangendis eius furoribus Milo ſuam augebat dignitatem.

Præter hoc civile odivm.] Videbat Tullius quàm infirmo argumēto niteretur: ideóque aliquid in Milone odij fuiſſe cōcedit, ſed illud Miloni cum cæteris bonis commune fuiſſe prudenter addit, tum vt hoc velut integumēto argumenti ſui debilitatē inuoluat, tum, vt obiter, laudet Milonem, quem ait ab omnibus improbis, etſi nulla prouocatus iniuria, tamen ſolo improbitatis odio diſſidere. Victorius *commune odium* legendum arbitratur.

Ille erat.] Iam cauſſas exponit cur Clodius Milonem odiſſet. vna eſt, quòd Milo Ciceronem contra vim Clodij defenderat. altera quòd eum in Rep. noua molientem ſæpe vexarat, & contra ipſius arma præſidium ſibi compararat, eiúſque vim vi repreſſerat. tertia, quòd eum lege Plotia de vi accuſarat Milo. quas deinde cauſſas à tyrannica & impotente Clodij natura exaggerat.

Qvoad vixit.] Licet iudicium illud Metelli Nepotis Conſulis edicto diſcuſſerit, non tamen ideò reus eſſe lege Plotiā deſinebat. quia cōtra ius fáſque ex illis legū & iudiciorū vinculis euolarat.

Tyrannvm.] Superius argumentū videri poterat nullius eſſe momenti: ſiquidē in Milonem retorqueri facilè potuiſſet. nam & eum Clodius eadē lege accuſarat. & eam ob rem Tullius hanc rationē à tyrannica Clodij natura corroborat: tyranni enim nullis volunt legibus teneri; maximé-

que indignantur, ſi quiſquam velit eorum effrenatam audaciam iudiciorũ laqueis conſtringere.

NOTÆ.

I. AT VALVIT ODIVM.] Eodem penè pacto Libanius Martis apologia cædem Halirrhothij defendit, quia Mars odio ad eam impulſus non fuerat. placet integrum locum exſcribere: Ἀπέκτεινα. διὰ τί; φθονῶν τούτῳ τοῦ παιδός; μηδὲν ἔχων ἐγκαλεῖν· ἐμαυτοῦ κέρδος ἡγούμενος τὴν τούτου ζημίαν; τερπόμενος εἰ αἰτιῷτο; χαίρων εἰ λυποῖτο, γεγηθὼς ἢν στένῃ, ἐχθρὸς ὢν Ποσειδῶνι παλαιός, καὶ διάφορος, καὶ δυσμενὴς, καὶ τρυφῶν ἐν ταῖς τοῦ βίου συμφοραῖς; εἰ μέν τις ἔχοι ταῦτ᾽ ἐπιδεικνύναι, πονηρὸς εἰμὶ καὶ φαῦλος Θεὸς, καὶ δίκην ὀφείλω, καὶ σιωπῶ, καὶ καταψηφίσασθε. εἰ δὲ οὐδὲν μὲν τούτων ἂν ἐξελεγχθείην, Ἁλιρροθίου δ᾽ ἀμφότερα, καὶ ἃ δέδρακε, καὶ ἃ πέπονθεν. *Occidi. quamobrem? nunquid quòd huic filium inuiderem? nihílne quod criminarer habens? an meum commodum ducens huius incommodum? oblectatus ſi mœreret, lætatus ſi doleret, gauiſus ſi gemeret, hoſtis antiquus & infeſtus Neptuno, & in patrui calamitatibus delicians? Certè ſi quis hæc comprobare poteſt, improbus ſum & vilis Deus, & cauſſa cado, & ſileo, & veſtrum eſt me condemnare. At ſi nihil iſtorum arguatur, Halirrhothij verò vtraque, tam ea quæ fecit quàm quæ perpeſſus eſt*, &c. Ita vertit Federicus Morellus, & videtur legiſſe τρυφῶν ἐν ταῖς τοῦ θείου συμφοραῖς, non, τοῦ βίου. initium ita legerim ſine diſtinctione, φθονῶν τούτῳ τοῦ παιδὸς μηδὲν ἔχων, &c. vt ſenſus ſit. *Nunquid quòd huic filium inuiderem, cùm quod de ipſo quererer non haberem*. id eſt, cùm ipſe nulla me affeciſſet iniuria. idem in apologia cæci: Τί δὲ τοσοῦτον ἀδικηθεὶς οὕτως ἀνηλεῶς ἠμυνάμην; &c. ὠργιζόμην, εἰπέ μοι, πρὸς θεῶν, ἐφ᾽ οἷς ὑπὲρ ἐμοῦ βουλευσάμενος ἔπραξεν, &c. *Qua verò in re tanta laceßitus iniuria tam crudeliter vltus fuiſſem?* &c. *Iratúſne fuerim rogo te per Deos, ob ea quæ mihi conſulens fecerat?* &c. Lyſias oratione prima eodem argumento Eratoſthenem iure cæſum eſſe demonſtrat: Σκέψασθε δὲ παρ᾽ ὑμῖν αὐτοῖς οὕτως περὶ τούτου τοῦ πράγματος ζητοῦντες, εἴ τις ἐμοὶ καὶ Ἐρατοσθένει ἔχθρα πώποτε γεγένηται πλὴν ταύτης. οὐδεμίαν γὰρ εὑρήσετε, οὔτε γὰρ συκοφαντῶν γραφάς με ἐγράψατο, οὔτ᾽ ἐκβάλλειν ἐκ τῆς πόλεως ἐπεχείρησεν, &c. *Sic autem in hac quæſtione in animo veſtro conſiderate. An præter hanc vnam vllæ inter me & Eratoſthenem ſimultates fuerint. nullam inuenietis, neque enim per calumniam nomen mihi detulit, neque me ex vrbe eiicere conatus eſt*, &c. Nec alio ſenſu Antiphon de nece Herodis: Τίνος γε δὴ ἕνεκα τὸν ἄνδρ᾽ ἀπέκτεινα; οὐδὲ γὰρ ἔχθρα οὐδεμία ἦν ἐμοὶ καὶ ἐκείνῳ. λέγειν δὲ τολμῶσιν ὡς ἐγὼ χάριτι τὸν ἄνδρ᾽ ἔκτεινα. καὶ τίς πώποτε χαριζόμενος ἑτέρῳ τοῦτ᾽ εἰργάσατο; οἶμαι γὰρ οὐδένα. ἀλλὰ δεῖ μεγάλην τὴν ἔχθραν ὑπάρχειν τῷ τοῦτο μέλλοντι ποιήσειν, καὶ τὴν πρόνοιαν ἐκ πολλῶν εἶναι φανερὰν ἐπιβουλευομένην. ἐμοὶ δὲ κἀκείνῳ οὐκ ἦν ἔχθρα οὐδεμία. *Cuius rei gratia hominem necaui? Neque enim vllæ mihi inimicitiæ cum eo fuerunt. Audent dicere id à me factum in alterius gratiam. Itáne verò? Quiſquam vt alteri gratificaretur aliquid vnquam fecit huiuſmodi? Nemo, opinor. Sed magnum oportet odium ſubeſſe illi qui aliquid huiuſmodi facturus eſt: diuturnámque facti præuiſionem multis indiciis manifeſtam & animo præceptam. Inter me verò & illũ inimicitiæ non fuerũt.*

Argumenta ab odio petita.

ILLE ERAT VT ODISSET.] Eodem modo tractat argumentum Antiphon prima quatuor illarum orationum de cæde, quas tam actori quàm reo vltro citróque conſcripſit: Ἐπιθέσθαι δὲ τίνα μᾶλλον εἰκός ἐστιν ἢ τὸν μεγάλα μὲν κακὰ προπεπονθότα, ἔτι δὲ μείζονα ἐπίδοξον ὄντα πάσχειν; ἔστι δὲ ὁ διωκόμενος οὗτος. ἐκ παλαιοῦ γὰρ ἐχθρὸς ὢν αὐτοῦ, πολλὰς μὲν καὶ μεγάλας γραφὰς διώξας, οὐδεμίαν εἷλεν. ἔτι δὲ μείζους καὶ πλείους διωχθεὶς, οὐδεπώποτε ἀποφυγὼν, ἱκανὸν μέρος τῶν ὄντων ἀποβέβληκε. τὰ δ᾽ ἔσχατα ἱερῶν κλοπῆς δυοῖν ταλάντοιν γεγραμμένος ὑπ᾽ αὐτοῦ, συνειδὼς μὲν αὑτῷ τὸ ἀδίκημα. ἔμπειρος δ᾽ ὢν τῆς τούτου δυνάμεως, μνησικακῶν δὲ τῶν ἔμπροσθεν, εἰκότως μὲν ἐπεβούλευσεν, εἰκότως δ᾽ ἀμυνόμενος τὴν ἔχθραν, ἀπέκτεινε τὸν ἄνδρα. *Quem alteri moliri inſidias veroſimilius eſt, quàm eum qui magnis ante damnis affectus maioribus afficiendus manifeſtè videtur? Eſt autem hic qui accuſatur. Iampridem enim cùm eſſet inimicus, multáſque & magni momenti lites intuliſſet, nullam obtinuit. Cúmque plurium maioríſque momenti cauſſarum reus fuiſſet, nullis fuerat abſolutus, ſed magnam partem bonorum ſuorum amiſerat. Proximè autem ſacrilegij duorum talentorum accuſatus ab eo, ſibique facinoris admiſsi conſcius, vim eius & vehementiam expertus, præteritorum memor, meritò inſidiatus eſt, meritò inimicitias vlciſcens hominem interemit.* II.

AXIOMATA.

Nemo odit ſegetem ac materiam gloriæ.
Ciuile eſt odium improbos odiſſe.

ARGVMENTVM.

A Milonis & Clodij tum natura, tum conſuetudine inſidias à Clodio poſitas fuiſſe contendit.

XXXVII. RELIQVVM eſt, vt iam illum natura ipſius, conſuetudóque defendat: hunc autem hæc eadem coarguant. nihil per vim vnquam Clodius, omnia per vim Milo. Quid ergo, Iudices? cum mœrentibus vobis vrbe ceſsi: non ſeruos, non arma, non vim intentauit? quæ fuiſſet igitur cauſſa reſtituendi mei, niſi fuiſſet iniuſta eiiciendi? Diem mihi, credo, dixerat, multam irrogarat, actionem perduellionis intenderat: & mihi, Iudices, in cauſſa aut veſtra mala, aut mea nec præclariſſima, etiam iudicium timendum fuit? ſeruorum, & egentium ciuium, & facinoroſorum armis meos ciues, meis conſiliis, periculíſque ſeruatos, pro me obiici nolui.

EXPLANATIO.

RELIQVVM EST.] Tranſitio ironica. Reliquum eſt vt aduerſarij Clodium defendant, eúmque inſidiarum auctorem fuiſſe negẽt, quia ſemper à vi & armis fuit alienus: & contrà Milonem inſidiatorem fuiſſe conuincant, quia ſemper illa per vim patrauit, quæ iure & iudiciis exequi potuiſſet. *Reliquum eſt, vt hunc* Clodium, *natura ipſius* Clodij, *conſuetudóque defendat: hunc autem* Milonem, *hæc eadem* natura & conſuetudo *coarguant.*

QVID IGITVR.] Probat Clodium fuiſſe violentum, ex eo quòd ipſe Cicero per vim, & Clodianorum armorum terrorem eiectus eſt. hoc pacto.

Niſi me Clodius per vim expuliſſet, non fuiſſem iuſtè patriæ reſtitutus.

Sed iuſtè fui patriæ reſtitutus.

Ergo per vim me expulit.

minor tacetur, & facilè potuit intelligi, & apud eos loquebatur quorum ſuffragiis fuerat patriæ reſtitutus.

MOERENTIBVS VOBIS.] Aliud argumentum à conſequentibus ductum inuoluitur.

Niſi vim intuliſſet, mœrorem bonis non attuliſſet.

Sed mœrorem bonis attulit.

Ergo, &c.

NON SERVOS.] Pro Sextio 34. *Seruorum delectus habebatur pro tribunali Aurelio, nomine collegiorum, cùm vicatim homines conſcriberentur, decuriarentur, ad vim, ad manus, ad cædem, ad direptionem incitarentur.*

NON ARMA.] Ibidem: *Arma in templum Caſtoris palam comportabantur*, &c.

VRBE CESSI.] Quidam ex V.C. legendum aiunt: *Vrbe ceßi, iudiciúmne timui?* Senſus exigeret vt legeremus: *Iudiciúmne timui? non ſeruos? non arma? non vim? Quæ fuiſſet igitur vobis iuſta cauſſa reſtituendi mei, niſi ei fuiſſet iniuſta eiiciendi?* id eſt, nónne potius timui ſeruos, arma, vim, quàm iudicium.

DIEM MIHI.] Ironia eſt, quæ reſolui poteſt in huiuſmodi ſyllogiſmum.

Qui cives eiicit quibus nec diem dixerit, nec multam irrogarit, nec actionem intenderit, eſt violentus.

Sed Clodius me eiecit, cui nec diem dixerat, nec multam irrogarat, nec actionem intenderat.

Ergo Clodius fuit violentus.

DIEM MIHI CREDO DIXERAT.] Nomen mihi detulerat, diémque certum conſtituerat, quo & ipſe me apud Iudices accuſaret, & ego me defenderem.

MVLTAM IRROGARAT.] Rogationem tulerat ad populum, vt mihi multam imponeret.

PERDVELLIONIS.] Cædis Lentuli, Cethegi, & aliorum coniuratorum, quos de ſententia Senatus iuſſeram interfici.

ET MIHI IVDICES.] Videtur argumentari hoc dilemmate.

Si mihi diem dixiſſet Clodius, aut veſtra cauſſa acta fuiſſet, aut mea.

Sed neque mihi in cauſſâ veſtra mala, neque in mea non præclariſſima iudicium timendum erat.

Ergo mihi iudicium timendum non fuit, atque adeo cùm vrbe ceßi, non iudicium, ſed vim & arma metuebam.

Porro cauſſam iudicum actum iri dicit, quia multi Senatores erant in illo conſeſſu, quorum auctoritate coniuratos iuſſerat in carcere iugulari. at quantumuis mala cauſſa Senatus eſſet Ciceroni non fuerat metuendum. Et quamuis, in Ciceronem aliqua cædis inuidia redundaſſet, ipſi tamen timendum iudicium non fuiſſet, quia tanta gratia, tanta apud ciues auctoritate pollebat, vt facilè poſſet abſolui. quia tamen id ſi apertè dixiſſet, inuidiam poterat concitare, perpaucis id inſinuat, & quaſi ſuſpenſo pede tranſilit.

SERVORVM.] Finitâ ironiâ veram reddit diſceſſus ſui rationem: quia videbat ſibi vel vim vi repellendam, & ita ciues quondam ſuis conſiliis à coniuratione Catilinæ & exitio ſeruatos, obiiciendos armis Clodij, vel exeundum è ciuitate.

NOTÆ.

CONSVETVDO.] Quanta vis ſit conſuetudinis Chryſoſtomus eleganter oſtendit in primam epiſtolam ad Corinthios homilia 7. Οὐδὲν οὕτως ἰσχύει παρ' ἀνθρώποις, ὡς συνηθείας παλαιᾶς ἡ τυραννίς. *Nihil eſt quod tantam vim habeat apud homines quàm conſuetudinis antiqua tyrannis.* Ex qua ſummam oſtendit Apoſtolis difficultatem fuiſſe Euangelij prædicandi: Ἐπὶ δὲ τῶν Ἑλλήνων μεγάλη συνηθείας ἦν τυραννίς. καὶ γὰρ εἰ καὶ δέκα ἐτῶν μόνων, οὐ λέγω χρόνου τοσούτου, καὶ εἰ ἀνθρώπων ὀλίγων, οὐ λέγω τῆς οἰκουμένης ἁπάσης, ὑπὸ συνηθείας προκατειλημμένων ἐπῆλθον οὗτοι, καὶ οὕτως δύσκολος ἦν ἡ μετάστασις. *Græcis verò magna conſuetudinis erat tyrannis. etenim, ſi conſuetudine per decennium, non dicam per tot annos roborata, ſi paucis hominibus, non dicam toto orbe hac conſuetudine occupatis, veniſſent, etiam hac ratione difficilis fuiſſet conuerſio.* Et alia in hanc ſententiam. Auguſtinus pulchre 8. Confeſſionum cap. 5. *Cui rei ego ſuſpirabam ligatus non ferro alieno, ſed meâ ferreâ voluntate. velle meum tenebat inimicus, & inde mihi catenam fecerat, & conſtrinxerat me. Quippe ex voluntate, peruerſa facta eſt libido: & dum ſeruitur libidini facta eſt conſuetudo: & dum conſuetudini non reſiſtitur, facta eſt neceßitas. quibus quaſi anſulis quibuſdam ſibimet innexis (vnde Catenam appellaui) tenebat me obſtrictum dura ſeruitus.* Hæc Auguſtinus. vnde &, vt ait ibidem Chryſoſtomus: Τινὲς τῶν ἔξωθεν δευτέραν φύσιν τὴν συνήθειαν ἐκάλεσαν. *Externorum quidam aliam naturam conſuetudinem nominarunt.* Euenus apud Ariſtotelem 6. Eudemiorum cap. 6.

1. Vis conſuetudinis.

Φημὶ πολυχρόνιον μελέτην ἔμμεναι, φίλε, καὶ δὴ
Ταύτην ἀνθρώποισι τελευτῶσαν φύσιν εἶναι.

Multos, quod docuit meditatio, durat in annos
Atque in naturam tandem conuertitur vſus.

Conſuetudo altera natura.

Quia tamen, vt ait Ariſtoteles 7. ethic. Nicomach. cap. 8. Ῥᾷον ἔθος μετακινῆσαι φύσεως. *Facilius eſt conſuetudinem mutare quàm naturam.* Eam ob rem magni oratores argumentum à conſuetudine ductum ipſa natura corroborant, nec facilè alterum ab altero ſeiungunt, vt Noſter hoc loco & Æſchines contra Timarchum: Ἐπειδὴ δὲ ταῦτα μὲν ἀπολώλει, καὶ κατεκεχύβευτο, καὶ κατωψοφάγητο, οὑτοσὶ δ' ἔξωρος ἐγίγνετο, ἐδίδου δ' εἰκότως οὐδεὶς οὐδέν· ἡ δὲ βδελυρὰ φύσις καὶ ἀνόσιος ἀεὶ τούτου τῶν αὐτῶν ἐπεθύμει, καὶ ὑπερβολὴ ἀκρασίας ἕτερον ἐφ' ἑτέρῳ ἐπίταγμ' ἐπέταττε, καὶ μηδὲν ἀπεφέρετο εἰς τὸ καθ' ἡμέ-

ρας ἔθος, ἐνταῦθ' ἤδη ἐτράπετο ἐπὶ τὸ καταφαγεῖν τὴν πατρῴαν οὐσίαν, καὶ οὐ μόνον κατέφαγε, ἀλλ' εἰ οἷόν τ' εἰπεῖν, καὶ κατέπιεν. *Poſtquam igitur hæc aleis & comeſſationibus conſumpta ſunt, ipſe verò factus eſt exoletus, iure nemo ei quicquam amplius dabat, at lutulenta eius & impura natura ſemper eadem expetebat, & intemperantia modum omnem ſupergreſſa aliud ſuper aliud facere iubebat, neque quicquam ad quotidianam viuendi conſuetudinem impendij faciebat, ad abliguriendum deuorandúmque patrimonium conuerſus eſt, neque comedit ſolùm, ſed etiam, ſi dici fas eſt, epotauit.* Iure igitur à naturâ, atque vtriuſque conſuetudine ſiue vitâ anteactâ ducit argumentum: quod Hermogenes lib. I. de Inuentionibus cap. Περὶ ἀσεβείας ἢ φόνου faciendum monet: Ὁμοίως κἂν φόνου κατηγορῶμεν, ἢ βίας, ἢ τοιούτων ἀδικημάτων, τὸν αὐτὸν τρόπον, τὰ πρεσβύτερα βίαια ζητήσομεν, εἰ ἔχοιμεν ἀπὸ ἱστορίας. εἰ δὲ μὴ κατὰ παράλειψιν θέντες. Καὶ ἐν ταῖς ἀπολογίαις ὁμοίως τὰς ἐπιεικείας ἢ ἀπὸ ἱστορίας βοηθουμένας τιθέντες ἢ κατὰ παράλειψιν εἰσάγοντες. *Similiter ſi de cæde, de vi, de alio huiuſmodi facinore accuſemus, eodem pacto ea quæ priùs violenter egit, inquiremus, ſi qua in noſtram notitiam peruenerint: ſi nulla fuerint, tum fingemus nos ea ſilentio præterire. Et in defenſionibus ſimiliter ea quæ manſueti ab reo facta comperimus, aut proferemus, aut per præteritionem indicabimus.*

II. DIEM MIHI CREDO DIXERAT.] Plautus in Captiueis: *His diem dicam, irrogabo multam.* Et in Menæchmis: *Iuris vbi dicitur dies, ſimul patronis dicitur.* Diem autem dicere non ad priuatos, vt videtur, ſed ad magiſtratus. & id quidem in publicis iudiciis pertinebat. cùm videlicet Tribuni plebis concione aduocatâ, certum diem definiebant, quo die reum accuſarent. Multa huius rei exempla à Sigonio proferuntur de iudiciis lib. 3. cap. 7. vnum aut alterum libaſſe ſuffecerit. Liuius lib. 37. *Gracchus & Rutilius Tribuni plebis M. Acilio Glabrioni diem dixerunt.* Libro 43. *Tribunus P. Claudio diem dixit.* Et lib. 2. Aulus Virginius Tribunus plebis Cæſoni *diem capitis dixit.* Vide Dionyſium libro 9. ſemel & iterum. At verò in cauſis priuatis non accuſator, ſed prætor diem ſtatuebat. Sic apud Plutarchum Noſter Tullius Prætor: Αἰτουμένου ἡμέραν Μανιλίου μίαν, ὁ Κικέρων μόνην τὴν ἐπιοῦσαν ἔδωκε· καὶ ὁ δῆμος ἠγανάκτησεν, εἰθισμένων τῶν στρατηγῶν δέκα τοὐλάχιστον ἡμέρας διδόναι τοῖς κινδυνεύουσι. *Manilio vnam diem petente, Cicero ſequentem ſtatuit diem. & indignatus eſt, populus, cùm id moris eſſet pretoribus, vt iis qui cauſſam dicebant, decem minimùm dies concederent.* Subdit: Εἶπεν ὡς ἔτι μόνης κύριος ἦν ἡμέρας στρατηγῶν, ταύτην ἐπίτηδες ὁρίσαι. τὸ γὰρ εἰς ἄλλον ἄρχοντα τὴν κρίσιν ἐκβαλεῖν, οὐκ εἶναι βουλομένου βοηθεῖν. *Dixit eam ſe de induſtriâ diem ſtatuiſſe, cuius in pretura ſuâ poteſtatem habebat: quod eius qui auxiliari vellet, non eſſet in alium magiſtratum cauſſæ, cognitionem reiicere.* Atqui is dies non tam dici quàm ſtatui dicebatur. Feſtus: *Status dies vocatur qui iudicij cauſa eſt conſtitutus cum peregrino. eius enim generis ab antiquis hoſtes appellabantur, quod erant pari iure cum populo Romano, atque hoſtire ponebatur pro æquare. Plautus in Curculione:*

Si ſtatus condictus cum hoſte intercedit dies,
Tamen eſt eundum quo imperant ingratiis.

Diem dicere quid?

Statu. dies.

III. MVLTAM.] *Multam*, vt auctor eſt Feſtus, *oſce dici putant pœnam quandam. M. Varro ait pœnam eſſe, ſed pecuniariam.* Varro libro 4. de linguâ Latinâ: *Mula, à pecunia, quæ a magiſtratu dicta, vt exigi poſſit ob peccatum: quod ſingulæ dicuntur appellatæ eſſe, multæ: quod vnum dicebant multa. Itaque cùm in dolium aut culeum vinum addunt ruſtici, primâ vrnâ additâ, dicunt etiam nunc multa.* Hanc ſubtilitatem & λεπτολογίας ridet Ioſephus Scaliger, & *multam* dici putat, quaſi *numeratam*, quod *numerata pecunia ſolueretur. multare enim idem eſt atque numerare. Plautus Sticho:*

-quam multas tecum miſerias multauerim.

Multa.

Multaee.

Quanta autem hæc *multa* diceretur, non facilè poteſt explicari. cùm Feſtus Pompeius à ſeipſo diſſentiat. nam in voce *multa*; *Multam maximam, inquit, dixerunt trium millium & viginti aſsium, quia non licebat quondam pluribus triginta bobus, & duobus ouibus quemquam multari. æſtimabatúrque bos centuſsibus, ouis decuſſibus.* at alibi: *Ouibus duobus multabantur apud antiquos in minoribus criminibus, in maioribus autem triginta bobus, nec vltra hunc numerum excedebat multatio.* Poſtea tamen, vt ait, *Facta eſt æſtimatio pecoralis multæ, & boues centenis aſsibus, oues denis æſtimatæ. inde ſuprema multa, id eſt, maxima appellatur tria millia æris: item viceſis minoribus delictis.* Immo & multa Menenio Agrippæ filio viro Conſulari dicta fuit, διχιλίων ἀριθμῷ ἀσσαρίων, *duobus millibus æris*, vt auctor eſt Dionyſius libro 9. Antiquitatum. neque ſanè æuo Ciceronis tam tenues fuiſſe multas credendum eſt, cùm ita de hac Menenij multâ loquatur idem auctor: Ὃ πρὸς μὲν τοὺς νῦν ἐξεταζόμενον βίους, γέλωτος ἂν ἄξιον φανείη. *Quòd ſi cum moribus præſentibus compararetur, ridiculum appareat.* Hîc porro notandum veteres ouem cùm multæ mentio fieret in maſculino genere vſurpaſſe. Varro apud Nonnium Marcellum: *M. Terentio, quando citatus, neque reſpondit, neque excuſatus eſt, ei ego vnum ouem multam dico.* Agellius lib. II. cap. I. tum eadem refert, tum addit: *Ac niſi eo genere diceretur, negarunt iuſtam videri multam.* Vide locum. Magna eſt autem inter pœnam & multam diſtinctio. quatuor adfert diſtinctionis rationes Vlpianus D. De verborum ſignif. l. 131. Duas ſuper addit Labeo. eodem l. 244. adi fontes. & Notas Gothofredi ſanè eruditas.

Quanta fuit multa.

Vnus ouis in multâ.

IRROGARAT.] Multam irrogare eſt rogationem ſcriptam promulgare, quæ rogatio multam & pœnam imponendam reo continebat: *Rogatio autem dicebatur*, vt bene notat Sigonius, *quòd de ea rogandus erat populus; irrogatio, quòd aduerſum reum cônſcripta eſſet.* Cic. 3. de legibus, *Cùm Magiſtratus iudicaſſit irrogaſsitue, per populum multæ pœnæ certatio eſto.* quo loco, vt id breuiter notem *iudicaſſit*, idem eſt atque, *diem dixerit.* Liuius libro *Tum Sempronius perduellionis ſe iudicare Cn. Fuluio: diémque comitiis Calphurnio pratore petit.* Imitatione Græcorum qui κρίνειν dicunt, pro *diem dicere.* IV.

Irrogare.

Iudicare diē dicere.

ACTIONEM PERDVELLIONIS INTENDERAT.] De perduellione dictum eſt in Piſoniana 4. tantum aduerte Budæi verba annotationibus reliquis in Pandectas: *Priſci perduellionem vocabant, quam coniurationem hiſtorici* V.

Perduellio.

appellant, & quicquid ita committebatur, vt in euerſionem libertatis Romanæ cederet. Antiquiùs tamen perduellio dicebatur quæuis cædes, vt liquet ex cauſâ Horatij, cui cùm ſororem occidiſſet, perduellionis dictam fuiſſe diem Hiſtorici prodiderunt. vtroque igitur modo potuit Clodius Marco Tullio perduellionis actionem intendere: vel quòd homines necaſſet, vel quòd ciuibus in carcere iugulatis libertatem Romanam minuiſſet.

ARGVMENTVM.

Oſtendit naturam conſuetudinémque P. Clodij fuiſſe violentam, iis cædibus enumeratis quas Clodius vel fecerat, vel ſaltem facere tentarat, niſi aliorum cautio obſtitiſſet.

XXXVIII. VIDI enim, vidi hunc ipſum Qu. Hortenſium, lumen, & ornamentum Reipub. pæne interfici ſeruorum manu, cùm mihi adeſſet: qua in turba C. Vibienus Senator vir optimus, cum hoc cùm eſſet vnà, ita eſt multatus, vt vitam amiſerit. Itaque, qùando illius poſtea ſica illa, quam à Catilina acceperat, conquieuit? hæc intentata nobis eſt: huic ego vos obiici pro me non ſum paſſus: hæc inſidiata Pompeio eſt: hæc iſtam Appiam viam, monumentum ſui nominis, nece Papirij cruentauit: hæc eadem longo interuallo conuerſa rurſus eſt in me: nuper quidem, vt ſcitis, me ad regiam pænè confecit.

EXPLANATIO.

VIDI ENIM.] Hæc à ſuperioribus pendent: quibus probat ſe exiuiſſe de ciuitate ne ciues ſuos in periculum offerret: & oſtendit periculum quod cæteris imminebat, Hortenſij & Vibieni exemplo, quorum Hortenſius penè eſt interemptus ſeruorum manu, Vibienus etiam occiſus eſt, quam rem exaggerat tum verbo *videndi*, tum repetitione *vidi, vidi*, tum à perſona *Quintum Hortenſium hunc ipſum.* videlicet Iudicem Noſtrum: ab eius dignitate *lumen & ornamentum Reipubl.* ab eorum conditione qui vim intulerunt; *ſeruorum manu.* à tempore & occaſione: *cùm mihi adeſſet.* id eſt, cùm mihi aſſiſteret, meámque cauſſam ſua præſentia & auctoritate defenderet.

CVM HOC CVM ESSET VNA.] Cùm eſſet vnà cum Qu. Hortenſio, mihíque pariter adeſſet.

ITAQVE.] Pergit ad cætera Clodij facinora, qui ab ipſo Catilina edoctus fuerat ſicas vibrare, venena ſpargere, latrociniis omnia complere. Hanc autem ſicam ait à Catilina fuiſſe acceptam, quia Clodius Catilinam ſequi, & ad Caſtra Manlij ire in Hetruriam cogitarat, vt dicetur infrà §. 56.

HÆC INTENTATA NOBIS EST.] Cùm videlicet in veſte equeſtri plebis & ciuium opem imploraremus contra vim, & arma Clodij, paulò antè quàm vrbe cederemus, aut cùm tabulas meæ fugæ è Capitolio refixi, ac ſuſtuli. vide Notas.

HVIC EGO.] Ceſſi ex vrbe, ne mea cauſſa boni ciues cum perditis confligerent.

HÆC INSIDIATA POMPEIO EST.] Suprà 18. *Comprehenſus eſt in templo Caſtoris ſeruus Pub. Clodij, quem ille ad Cn. Pompeium interficiendum collocarat. extorta eſt confitenti ſica de manibus.* Sed præſtat audire Pedianum: *Piſone & Gabinio Conſulibus, pulſo Cicerone in exilium cùm III. Idus Sextiles Pompeius in Senatum venit, dicitur ſeruo Pub. Clodij ſicam excidiſſe, eáque ad Gabinium Conſulem delata, dictum eſt ſeruo imperatum à P. Clodio, vt Pompeius occideretur. Pompeius ſtatim domum rediit, ex eo domi obſeſſus eſt etiam à liberto Clodij Damione, vt ex actis eius cognoui, in quibus* XV. *Calend. Septembris Luc. Nonius Tribunus plebis Collega Clodij, cùm Damio aduerſus Flauium prætorem appellaret Tribunos, & Tribuni de appellatione cognoſcerent ita ſententiam dixit. Et hoc apparitore P. Clodij vulneratus ſum, & hominibus armatis, præſidiis diſpoſitis à Repub. remotus ſum, Cn. Pompeius obſeſſus eſt*, &c. Hæc Aſconius.

HÆC ISTAM APPIAM VIAM.] Aſconius omittit *iſtam.* placet retinere. iſtam, cuius nomen miras tragœdias excitauit.

MONVMENTVM NOMINIS SVI.] Quæ ab Appio Claudio Cœco, vno ex Clodij maioribus nomen ſortita eſt. aduerte *ſui*, pro *eius*: quod exemplum rarius eſt in illis priſcæ Latinitatis auctoribus.

NECE PAPIRII.] Cùm Clodius, Tigranem è Pompeij vinculis exemptum inuito Pompeio retineret, Flauius Prætor: *Ad diripiendum Tigranem profectus eſt, ad quartum lapidem ab Vrbe pugna facta eſt, in qua multi ex vtraque parte ceciderunt. plures tamen ex Flauij. inter quos, & M. Papirius eques Romanus, publicanus, familiaris Pompeio.* Hæc Aſconius.

HÆC EADEM.] Aſconius: *Videtur mihi loqui de eo die, quo Coſſ. Domitio & Meſſala, qui præceſſerant eum annum cùm hæc oratio dicta eſt, inter candidatorum Hypſæi & Milonis manus in via ſacra pugnatum eſt. multique ex Milonis ex improuiſo ceciderunt. de cuius cæde & periculo ſuo, vt putem loqui eum, facit & locus pugnæ, nam in ſacra via traditur commiſſa, in qua eſt Regia. & quod ad id timuerunt cum candidatis, ſuffragatores Milonis Cicero, Hypſæi Clodius.* Libenter legerim, *de quorum cæde*, vel, *de qua cæde*, non, *de cuius cæde.* &, *attinuerunt*, non, *timuerunt.*

NOTÆ.

1. **V**IDI ENIM VIDI.] Et ſi veriſſimum eſt quod ait Theophraſtus: Τὴν ἀκουστικὴν αἴσθησιν παθητικωτάτην εἶναι πασῶν. *Senſum auditus maximè omnium eſſe paßionibus obnoxium.* Tamen id, vt Plutarchus explicat opuſculo de audiendo, de perturbatione terroris debet intelligi: Οὔτε γὰρ ὁρατὸν οὐδὲν, οὔτε γευστὸν, οὔθ' ἁπτὸν ἐκστάσεις ἐπιφέρει καὶ ταραχὰς, καὶ πτοίας τηλικαύτας, ἡλίκαι καταλαμβάνουσι τὴν ψυχὴν, κτύπων τινῶν, καὶ πατάγων, καὶ ἤχων τῇ ἀκοῇ προσπεσόντων. *Neque enim quicquam eorum quæ viſu, quæ guſtatu, quæ tactu percipiuntur, tantas alienationes mentis, tumultus, conſternationéſque affert, quantæ animum occupant, ſtrepitibus quibuſdam, & fragoribus, & ſonitibus ad aures accedentibus.* Licet enim magis, vt plurimùm, auditu, quàm viſu terreamur, magis tamen viſu quàm auditu, miſericordiâ commouemur: &, vt ait Horatius in arte:

> *Segniùs irritant animum demiſſa per aures*
> *Quàm quæ ſunt oculis ſubiecta fidelibus.*

Vnde maximi quique vtriuſque linguæ ſcriptores, cùm rem miſerabilem volunt deſcribere: eam aut oculis oratione ſubiiciunt, aut oculis aiunt fuiſſe reuera ſubiectam. Noſter pro Cœlio. 50. *Vidi enim vidi, & illum hauſi dolorem vel acerbiſſimum in vita.* 12. Æneidos:

> *Vidi oculos ante ipſe meos me voce vocantem*
> *Murrhanum.*

Immò auribus vocantem audierat, ſed maluit ab oculis πάθος arceſſere. Virgilius 3.

> *Vidi egomet duo de numero cùm corpora noſtro*
> *Frangeret ad ſaxum, ſaniéque aſperſa natarent*
> *Limina, & eliſi tremerent ſub dentibus artus.*

Poſt quem Ouidius 14. Metamorph.

> *- Mentíque hærebat imago*
> *Temporis illius quo vidi bina meorum*
> *Ter, quater affligi ſociorum corpora terræ,* &c.

Sed vterque poſt Homerum 10. Odyſſeæ, verſu 194.

> Ἡμεῖς δὲ κλαίοντες ἀνεσχέθομεν Διὶ χεῖρας
> Σχέτλια ἔργα ἰδόντες.
> *Cum gemitu palmas nos tollebamus olympo*
> *Cernentes miſeranda.*

Et Iliados χ'. Priamus nihil habet quo magis ſuas calamitates exaggeret, quàm quòd ait ſe,

> - κακὰ πόλλ' ἐπιδόντα
> Υἷάς τ' ὀλλυμένους ἑλκυσθείσας τε θυγατέρας, &c.
> *- mala multa videntem*
> *Mactatos letho pueros, tractáſque puellas,* &c.

Vide planè. Idem 2. Æneidos:

> *- Qui nati coram me cernere lethum*
> *Feciſti, & patrios fœdaſti ſanguine vultus.*

Horatius Ode 3. libri 1. Carminum:

> *Vidimus flauum Tyberim,* &c.

Et Epodon:

> *Videre matres Iliæ addictum feris*
> *Alitibus atque canibus homicidam Hectorem.*

Et alibi ſæpè, vt *vidi ego ciuium retorta tergo brachia libero.* &, *Vidimus ciues acuiſſe ferrum.* Demoſthenes de falſa legatione: Ἐξ ἀνάγκης ἦν ὁρᾶν ἡμῖν πάντα ταῦτα. οἰκίας κατεσκαμμένας, τείχη περιῃρημένα, χώραν ἔρημον τῶν ἐν ἡλικίᾳ, γύναια δὲ καὶ παιδάρια ὀλίγα, καὶ πρεσβύτας ἀνθρώπους οἰκτρούς. *Neceßitas nobis incumbebat, vt hæc omnia cerneremus. domus ſuffoſſas, muros euerſos, vacuam hominibus ætate florentibus regionem, mulierculas & pueros perpaucos, & ſenes miſerandos.* Æſchines contra Cteſiphontem: Ἐπειδὴ τοῖς σώμασιν οὐ παρεγένεσθε, τοῖς γε διανοίαις ἀποβλέψατ' αὐτῶν εἰς τὰς συμφορὰς, καὶ νομίζετε ὁρᾶν ἁλισκομένην τὴν πόλιν, τειχῶν κατασκαφὰς, ἐμπρήσεις οἰκιῶν, ἀγομένας γυναῖκας καὶ παῖδας εἰς δουλείαν, πρεσβύτας ἀνθρώπους, πρεσβύτιδας γυναῖκας, ὀψὲ μεταμανθάνοντας τὴν ἐλευθερίαν, κλαίοντας, ἱκετεύοντας, &c. *Quandoquidem corporibus non adfuiſtis, mentis oculis intuemini Thebanorum clades, & videre vos putatote vrbem captam, murorum euerſionem, domorum incendia, mulierculas & pueros in captiuitatem abductos, anus & vetulos ſerò dediſcentes libertatem, plorantes, ſupplicantes.* Hinc illud antiqui Poëtæ:

> *Hæc omnia vidi inflammari,*
> *Priamo vi vitam euitari,*
> *Iouis aram ſanguine turpari.*

Sophocles in Oedipo Tyranno:

> - θέαμα δ' εἰσόψει τάχα
> Τοιοῦτον, οἷον καὶ στυγοῦντ' ἐποικτίσαι.
> *- oculis hauries ſpectaculum*
> *Miſerandum & hoſti.-*

Philo in Flaccum: Καὶ γυναῖκα καὶ τέκνα νήπια ὁρῶντες ἐν ὀφθαλμοῖς παρὰ τοῖς ἐχθροῖς λιμῷ χειροποιήτῳ. *Inſpectantéſque paruos liberos & vxores ante oculos ſuos fame per aduerſarios inducta interire.* Ioſephus 4. de excidio cap. 13. de Anano Pontifice: Ἦ καλόν γε, εἶπεν, ἦν ἐμοὶ τεθνάναι, πρὶν ἐπιδεῖν τὸν οἶκον τοῦ Θεοῦ τοσούτοις ἄγεσι καταγέμοντα, καὶ τὰς ἀβάτους καὶ ἁγίας χώρας ποσὶ μιαιφόνων στενοχωρουμένας. *Certè mihi mors expetenda fuit priuſquam viderem domum Dei plenam tot piaculis, & ſanctas illas, quas adiri fas non eſt, partes ſicariorum pedibus arctatas.* Idem Ioſephus cap. 18. de iiſdem Anano & Ieſu Principibus Sacerdotum, ἐρριμμένοι γυμνοὶ βορὰ κυνῶν καὶ θηρίων ἐβλέποντο. *Eiecti & nudi canum & ferrarum eſca videbantur.*

11. SICA QVAM A CATILINA ACCEPERAT.] Quid ſit ſica docet Suidas: Σικὰς δὲ τὰ ἐπικαμπῆ ξίφη Ῥωμαῖοι καλοῦσιν. ὡς οἱ χρώμενοι ἐλέγοντο σικάριοι. *Sicas verò Romani gladios incuruos appellant. quibus qui vtuntur vocantur ſicarij.* Artemidorus libro ſecundo cap. 33. Εἰ μὲν Θρᾳκὶ πυκτεύειν, lego, Θρᾳκὶ πυκτεύειν τις, λήψεται γυναῖκα πλουσίαν, πανοῦργον, καὶ φιλόπρωτον, πλουσίαν μὲν, διὰ τὸ κατεσκεπάσθαι ὅπλοις. πανοῦργον δὲ διὰ τὸ μὴ ὀρθὸν ἔχειν τὸ ξίφος. φιλόπρωτον δὲ διὰ τὸ ἐπιβαίνειν. *Si quis cum Threce ſibi certare videatur, coniugem accipiet opulentam, callidam, primi loci cupidam, opulentam; quod Threx armis tegatur. callidam, quod gladium rectum non habeat. primi loci cupidam, quod inſurgat & inuadat* Bene. nam à Thracibus, vnde Threcum nomen deductũ ſica inuenta eſt. Clemens Alex. 1. Stromatum, & ex eo Euſebius 10. præp. Euang. Καὶ μὴν Θρᾷκες πρῶτοι τὴν καλουμένην ἅρπην εὗρον. ἔστι δὲ μάχαιρα καμπύλη. *Thraces primi gladium inuenerunt qui harpe ſiue ſica nominatur. eſt autem gladius incuruus.* Ioſephus libro 20. Antiquitatum: Καὶ οἱ σικάριοι καλούμενοι, (λησταὶ δὲ εἰσὶν οὗτοι) τότε μάλιστ' ἐπλήθυνον χρώμενοι ξιφιδίοις παραπλησίοις μὲν τὸ μέγεθος τοῖς τῶν Περσῶν ἀκινάκαις, ἐπικαμπέσι δὲ καὶ παραπλησίοις ταῖς ὑπὸ Ῥωμαίων σίκαις καλουμέναις. *Ii qui ſicarij appellati (latronum genus eſt) tunc ſanè excreuerant. vtebantur gladiolis, quod ad magnitudinem attinet, haud longè ab Perſarum acinace diuerſis: ſed incuruis tamen inflexíſque, quales ſunt eæ quæ Romanis appellantur ſicæ.* quam falcem ſupinam Iu- Sica.

uenalis alicubi nominauit. Hæc Lipſius. Vellem tamen ſolemnis illius ſuæ modeſtiæ meminiſſet,
Sicæ nomen vnde? liberiùs carpens Iſidorum ita dicentem: *Sica à ſecando. Tranquillus autem dicit, dum cuiuſdam gladiatoris in ludum emiſſi gladius, curuatus fuiſſet ex acie recta: procurrit vnus ad eum corrigendum, túmque à pugnante reſponſum. Sic pugnabo, inde ſicæ nomen datum eſt.*

III. A CATILINA.] Infrà. §. 56. *Comites Græculi quocunque ibat, etiam cùm in caſtra Hetruſca properabat.* vbi Aſconius: *Sæpè obiecit Clodio*
Clodius an fuerit vnus è coniuratis. *Cicero ſocium eum coniurationis Catilinæ fuiſſe, quam rem nunc quoque reticens oſtendit: fuerat enim opinio vt Catilina ex vrbe profugerat in caſtra Manlij Centurionis, qui tum in Hetruria ad Feſſulas exercitum et comparabat, Clodium ſubſequi eum voluiſſe, & cœpiſſe, tum demum mutato conſilio in vrbem rediſſe.* Videtur refragari. Plutarchus in Cicerone: Κικέρων δὲ ἦν μὲν αὐτῷ φίλος, καὶ τῶν περὶ Κατιλίναν πραττομένων ἐχρῆτο προθυμοτάτῳ συνέργῳ, καὶ φύλακι τοῦ σώματος. *Cicero verò Clodio amicus erat, & in iis quæ contra Catilinam egerat, vtebatur adiutore promptiſſimo & corporis ſui cuſtode.* Sed tanti non eſt eius auctoritas, vt Ciceronem in re tam comperta mentitum fuiſſe dicamus.

IV. HÆC INTENTATA NOBIS EST.] Diximus id contigiſſe cùm Tullius in veſte equeſtri pro ſuâ ſalute populum ſupplicaret. Plutarchus in eius vita: Πανταχοῦ δὲ ὁ Κλώδιος ἀπήντα κατὰ τοὺς στενωπούς, ἀνθρώπους ἔχων ὑβριστὰς περὶ αὐτὸν, καὶ θρασεῖς, οἳ πολλὰ μὲν χλευάζοντες ἀκολάστως εἰς τὴν μεταβολὴν καὶ τὸ σχῆμα τοῦ Κικέρωνος, πολλαχοῦ δὲ πηλῷ, καὶ λίθοις βάλλοντες, ἐνίσταντο ταῖς ἱκετείαις. *Vbique verò occurrebat Clodius circa compita, hominibus contumelioſis & audacibus ſeptus, qui plurimum Ciceronis mutationem & habitum ridentes, iactis etiam lapidibus & luto, officiebant ſupplicanti.* Dici etiam poſſet factum id fuiſſe, cùm Cicero poſt reditum, vt auctor eſt Dio lib. 39. Τόν τε Μίλωνα καὶ δημάρχους τινὰς παραλαβὼν, ἀνῆλθέ τε ἐς τὸ Καπιτώλιον, καὶ τὰς στήλας ἐπὶ τῇ ἑαυτοῦ φυγῇ ἐπὶ τοῦ Κλωδίου σταθείσας, καθεῖλε· καὶ τότε γὰρ αὐτὰς ἐκείνου σὺν Γαΐῳ ἀδελφῷ στρατηγοῦντι ἐπελθόντος, ἀφῃρέθη. *Milonem & quoſdam Tribunos plebis aſſumens in Capitolium aſcendit, & tabulas de fuga eius à Clodio columnis affixas ſuſtulit. & tunc quidem eæ tabulæ Clodio cum fratre Caio Prætore occurrente, ipſi ereptæ ſunt.* Vel potiùs cùm id contigit quod narrat epiſt. 3. lib. 4. ad Atticum: *Ante diem tertium Idus Nouembreis, cùm ſacrâ viâ deſcenderem, inſecutus eſt me cum ſuis, clamor, lapides, fuſtes, gladij, hæc improuiſa omnia, diſceſſimus in veſtibulum M. Tetij Damionis. qui erant mecum, facilè operas aditu prohibuerunt, ipſe occidi potuit. Sed ego diæta curari incipio: chirurgiæ tædet.*

AD REGIAM.] Multa Romæ monumenta fuiſſe conſtat, quæ Græco nomine baſilicas nominarunt. vt Porcia de qua Pedianus in diuinationem à Catone Porcio excitata. vt baſilica Pauli, de qua illud notandum refert Appianus 2. ciuilium. Paulus Æmilius ſub initium belli Pompeiani gerebat cum M. Marcello Conſulatum Cæſar: Παῦλον χιλίων καὶ πεντακοσίων ταλάντων ἐπρίατο, μηδὲν αὐτῷ μήτε συμπράττειν, μήτ᾽ ἐνοχλεῖν, &c. Παῦλος μὲν δὴ τὴν Παύλου λεγομένην βασιλικὴν, ἀπὸ Baſilicæ. τῶνδε τῶν χρημάτων ἀνέθηκε Ῥωμαίοις οἰκοδόμημα περικαλλές. *Paulum mille & quingentis talentis emit, vt ipſum Paulus neque oppugnaret, neque adiuuaret, &c. Paulus verò his pecuniis eam baſilicam, quæ Pauli dicitur, Romanis opus pulcherrimum excitauit.* Nouies centenis millibus aureorum, huiuſmodi baſilicas recenſet decem libellus qui vocatur deſcriptio Vrbis Romæ, nouemdecim Victor. nos eas præterimus, quod aliud Baſilicæ, aliud Regiæ fuiſſe videantur de Regiis Alexander Neapolitanus lib. 3. genial. dier. cap. 6. cuius verba huc transferemus: *Sex aut ad ſummum ſeptem Romæ fuiſſe Regias compertum habemus. vnam ad ædem Veſtæ iuxta forum, quam Numa incoluit.* Solinus cap. 2. *Sibíque atrium regium fuit.* Ex Liuio dec. 3. lib. 6. *Eámque Regiam longo tempore præcipuam fuiſſe, cùm religione, tum antiquitate multi prodiderunt: quæ poſtea incendio Neronis vnà cum æde Veſtæ deflagrauit.* Tacitus 15. annalium: *Alteram in Cœlio monte vbi Tullus Hoſtilius, quo frequentius incoleretur Regiam ædificauit.* Liuius lib. 1. *Tertiam* Regiæ. *in ſacrâ viâ in qua Ancus Martius ſedem habuiſſe fertur.* Auctore Solino cap. 2. *De qua Ciceronem nunc intelligere Aſconius ſentit, quippe inter ſeruos Hipſei & Milonis pugnam ibi commiſſam, & Ciceronem opera Clodij vitæ periculum adiiſſe tradunt. Aliámque in Pompeij Theatro, quod in campo fuit, fuiſſe memorant. Iuxta theatra enim Regias ſæpe perſæpe inuenimus, ſicut Marcelli theatrum quod Regiam habuit, &c. & Pauli Regiam ad Curtium lacum, & aliam in Sacrario.* Hanc porro quæ Regia κατ᾽ ἐξοχὴν diceretur, in ſacrâ viâ fuiſſe teſtatur etiam Feſtus his verbis, *October equus appellatur, qui in campo Martio menſe Octobri immolatur quotannis Marti, bigarum victricum dexterior: de cuius capite non leuis contentio ſolebat eſſe inter Sacranienſes, vt hi in Regiæ pariete, illi ad turrim Maniliam id figerent: eiuſdémque cauſa tanta celeritate perfertur in Regiam, vt ex eâ ſanguis diſtillet in focum, participandæ rei diuinæ gratia.*

ARGVMENTVM.

Superioribus duobus paragraphis Clodij violentiam oſtendit: nunc contra Milonem probat à violentia fuiſſe penitus alienum, eo maximo argumento quod Milo multas occaſiones omiſerat Clodij per vim opprimendi.

XXXIX. QVID ſimile Milonis? cuius vis omnis hæc ſemper fuit, ne P. Clodius cùm in iudicium detrahi non poſſet, vi oppreſſam ciuitatem teneret. quem ſi interficere voluiſſet, quantæ, quoties occaſiones, quam præclaræ fuerunt? potuítne, cùm domum, ac Deos penates ſuos, illo oppugnante

pugnante, defenderet, iure ſe vlciſci? potuítne, ciue egregio, & viro fortiſſimo P. Sextio collega ſuo vulnerato? potuítne Fabricio viro optimo, cùm de reditu meo legem ferret, pulſo, crudeliſſima in foro cæde facta? potuítne L. Cœcilij iuſtiſſimi, fortiſſimíque prætoris oppugnata domo? potuítne illo die, cùm eſt lata lex de me; cùm totius Italiæ concurſus, quem mea ſalus concitarat, facti illius gloriam libens agnouiſſet, vt, etiam ſi id Milo feciſſet, cuncta ciuitas eam laudem pro ſua vendicaret?

EXPLANATIO.

QVID SIMILE.] Superiùs fecerat complexum huiuſmodi ſyllogiſmum, qui ſic diuidi poteſt.

Qui fuit natura & conſuetudine violentus, eum probabile eſt inſidias comparaſſe.

Sed Clodius fuit natura & conſuetudine violentus.

Ergo probabile eſt Clodium inſidias comparaſſe.

Item:

Qui nec natura nec conſuetudine eſt violentus, eum probabile non eſt inſidias comparaſſe.

Sed Milo nec natura nec conſuetudine eſt violentus.

Ergo probabile non eſt eum inſidias comparaſſe.

Hactenus tractauit priorem ſyllogiſmum, nunc ad poſteriorem delabitur, & minorem ſic probat.

Qui occaſiones multas & præclaras opprimendi per vim inimici prætermittit, is non eſt violentus.

Sed Milo multas & præclaras occaſiones opprimendi, per vim Clodij inimici prætermiſit.

Ergo non fuit violentus.

minorem iterum probat ab exemplis conglobatis occaſionum quas prætermiſit.

CVIVS VIS OMNIS.] Non negat Milonem vi vſum eſſe: ſed ideo vſum eſſe dixit, vt vi vim & arma Clodij propulſaret, quod & fatetur, & ſummis effert laudibus in Sextiana, à n. 86.

CVM IN IVDICIVM.] Vide Sextianam 88. 89. &c. in iudicium detrahi non potuit, quia cùm ei diem dixiſſet Milo: *Ecce tibi Conſul.* Metellus Nepos, *Prætor.* Appius Clodius Clodij Frater, vt notat Pedianus in Piſonianam: *Tribunus plebis.* Sext. Statilius Serranus, vel Quintus Numerius, quos de lapide emptos in Piſoniana, nominauit. Hi inquam, *Conſul, Prætor, Tribunus plebis, noua noui generis edicta proponunt, ne reus adſit, ne citetur, ne mentionem omnino cuiquam iudicum, aut iudiciorum facere liceat.* Vide.

CVM DOMVM] In Sextiana 88. de Clodio: *Domum oppugnare, itineribus occurrere, vi laceſſere, & terrere cœpit.* Et de Milone 90. *An qui ſua tecta defendit, qui ab aris, focis, ferrum flammámque depellit.* Porro vt occaſionis magnitudinem exaggeret, facit religionis & penatium mentionē.

P. SEXTIO.] Vide Sextianam 79. collegam Milonis appellat, quia tum erat vterque Tribunus plebis.

FABRICIO.] Pro Sextio 75. id ait octauo Calendas Februarij contigiſſe. *Impetum faciunt in Fabricium, manus afferunt, occidunt nonnullos, vulnerant multos.*

LVC. CECILII.] alij legunt, *Cœlij*, rectè vt opinor, quia Rufum cognominat Pedianus: quod cognomen adhæſerat familiæ Cœliorum: *Luc. Cœlius Rufus, de quo dicitur, Prætor fuit Lentulo Spinthere & Qu. Metello Coſſ. quo anno Cicero reſtitutus eſt. is cùm faceret ludos Apollinares, ita infima coacta multitudo annonæ caritate tumultuata eſt, vt omnes qui in theatro ſpectandi causâ conſederant, pellerentur. de oppugnata domo nuſquam adhuc legi. Pompeius tamen cùm defenderet Milonem apud populum de vi accuſante Clodio obiecit. & legimus apud Tironem libertum Ciceronis in libro quarto de vita eius oppreſſum à Clodio L. Cœlium Prætorem.* Repoſui Cœlium pro Cecilio, & ob rationem allatam, & obiecit pro obſtitit. quòd ſenſus id exigere videatur.

CVM EST LATA LEX DE ME.] In Piſonem 35. *De me, &c. legem comitiis centuriatis tulit Pub. Lentulus Conſul de Collegæ Qu. Metelli ſententia. qua lege Tullius eſt patriæ reſtitutus.*

CVM TOTIVS ITALIÆ.] Hæc liquidiora fient ex ſequenti ſectione. id eſt, omnes ciues Romani, qui ex totâ Italiâ ad me reuocandum conuenerant, ſic exarſerant odio Clodij, vt ſi Milo Clodium occidiſſet, omnes huius facti gloriam quaſi propriam ſibi tribuiſſent, & cædis auctores videri voluiſſent.

NOTÆ.

CVIVS VIS OMNIS.] Hæc verbis Dionis clariùs intelliges. Clodius vim fecerat eo die quo lata lex eſt de Cicerone. lib. 39. Ἐν αὐτῇ τῇ διαψηφίσει ὁ Κλώδιος γνοὺς τὸ πλῆθος πρὸς τοῦ Κικέρωνος ἐσόμενον, τοὺς μονομάχους, οὓς ὁ ἀδελφὸς αὐτοῦ πρὸς ἀγῶνας ἐπιταφίους, ἐπὶ τῷ Μάρκῳ τῷ συγγενεῖ προπαρεσκευάσατο, λαβὼν, ἐσεπήδησεν ἐς τὸν σύλλογον, καὶ πολλοὺς μὲν ἔτρωσε, πολλοὺς δ' ἔκτεινεν. *In ipſa ſuffragatione Clodius cognito multitudinem pro Cicerone futuram acceptis gladiatoribus, quos frater eius parauerat ad ludos funebres, quos Marco propinquo ſuo inſtituerat, in concionem inſiluit, multíſque ſauciatis, multis occiſis legis lationem impediuit.* Ei diem dixit Milo. in iudicium trahi non potuit: Ἀγορανομίαν τε ᾔτει, ὡς καὶ τὴν δίκην τῆς βίας, ἂν ἀποδειχθῇ διαφευξόμενος. ἐγράψατο γὰρ αὐτὸν ὁ Μίλων, καὶ οὐκ ἐσήγαγεν. οὔτε γὰρ οἱ ταμίαι, δι' ὧν τὴν ἀποκλήρωσιν τῶν δικαστῶν γενέσθαι ἐχρῆν, ᾕρηντο· καὶ ὁ Νέπως ἀπεῖπε τῷ στρατηγῷ, μηδεμίαν πρὸ τῆς κληρώσεως αὐτῶν, δίκην προσέσθαι. *Ædilitatémque petebat, quòd eum adeptus iudicium de vi ſubterfugiturum ſe cogitaret. Detulerat enim nomen eius Milo: non tamen accuſauit. Nondum enim conſtituti erant quæſtores, à quibus ſortitionem iudicum fieri oportebat: Nepóſque Prætori edixerat ne quod iudicium, antequam Iudices ſorte deligerētur, admitteret.* Coactus eſt Milo vim vi propulſare: Καὶ τέλος μονομάχους τινὰς καὶ αὐτὸς, καὶ ἄλλους τῶν τὰ αὐτὰ οἱ

Clodij ſeditiones.

βουλομένων ἀθρόιτας, ἐς χεῖρας τῷ Κλωδίῳ συνεχῶς ᾔει, καὶ σφαγαὶ κατὰ πᾶσαν, ὡς εἰπεῖν, τὴν πόλιν ἐγίγνοντο. *Denique gladiatores quoſdam etiam ipſe, & alios eadem cum ipſo ſentientes, vbi congregauit: manus quotidie cum Clodio conſerebat, & cædes per totam, vt ſic loquar, vrbem fiebant.* Non eſt tamen quod Milonem putes à vi fuiſſe tam alienum. Noſter ad Atticum lib. 4. epiſt. 3. *Comitia fore non arbitror, reum Publium niſi antè occiſus erit. Fore à Milone puto, ſe interim obuiam obtulerit occiſum iri ab ipſo Milone video. non dubitat facere, præ ſe fert: caſum illum noſtrum non extimeſcit.* De eodē Appianus 2. ciuilium: Ὁ Πομπήϊος Μίλωνα τὸν συνάρχοντα τῷ Κλωδίῳ τὴν ἀρχὴν παραδεδεγμένον θρασύτερον ὄντα τοῦ Κλωδίου, εἰς ὑπατείαν ἐπῆλπισε. *Pompeius Milonem, qui Clodio in tribunatu ſucceſſerat, audaciorem Clodio ad conſulatus ſpem promouebat.*

II. OCCASIONES.] *Occaſio*, vt notat Feſtus eſt: *Opportunitas temporis caſu quodam prouenientis.* aut, vt ait Tullius lib. 1. Rhet. *Eſt pars temporis habens in ſe alicuius rei idoneam faciendi, aut non faciendi opportunitatem.* Vbi M. Fabius Victorinus: *In tempore*, inquit, *menſura ac ſpatium conſideratur, in occaſione qualitas temporis, ex quo opportunitas naſcitur faciendi aliquid vel non faciendi.* Plato in definitionibus: Καιρὸς χρόνου ἀκμὴ πρὸς τὸ συμφέρον. *Occaſio temporis oportunitas, ad id quod expedit.* Item: Καιρὸς ἐν ᾧ ἕκαστον ἐπιτήδειον παθεῖν ἢ ποιῆσαι. *Occaſio qua quidque aptum eſt aut facere aut pati.* Philo l. de opificio mundi: Ἔννοια γὰρ καιροῦ τίς ἂν εἴη πλὴν χρόνος κατορθώσεως. *Quæ enim eſt alia occaſionis notio, quàm tempus rei bene gerendæ.* Malè Sigiſmundus Gelenius in verſione καιρὸν nomine temporis expreſſerat. Hippocrates in præceptis: Χρόνος ἐστὶν ἐν ᾧ καιρός. καὶ καιρὸς ἐν ᾧ χρόνος οὐ πολύς. ἄκεσις χρόνῳ· ἔστι δ' ὅτε καὶ καιρῷ. *Tempus eſt in quo occaſio. & occaſio in quo tempus non multum. Sanatio tempore, etiam occaſione nonnunquam.* Frequenter boni ſcriptores tempus ab occaſione diſcriminant: vt De-

Occaſio quid? moſthenes de falſa legatione: Πολλάκις συμβαίνει πολλῶν πραγμάτων, καὶ μεγάλων καιρὸν ἐν βραχεῖ χρόνῳ γίγνεσθαι. *Frequenter accidit vt paruo tempore multarum, & magnarum rerum detur occaſio.* Vides occaſionem tempore vt partem toto contineri. Olynthiaca 3. Τίνα γὰρ χρόνον, ἢ τίνα καιρὸν, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, τοῦ παρόντος βελτίω ζητεῖτε; ἢ πότε ἃ δεῖ πράξετε ἢ νῦν; &c. *Quod tempus, aut quam occaſionem, Athenienſes, quæritis iſta meliorem?* Nec immeritò ſanè ex occaſione ducit argumentum. quia ſcilicet, vt ait Pindarus Pyth. Ode 9. Epodo 3.

Ὁ δὲ καιρὸς ὁμοίως παντὸς ἔχει κορυφάν.

Similiter occaſio omnis rei obtinet faſtigium. Et Euripides in Electra:

καιρὸς γὰρ ὥσπερ ἀνδράσι,
Μέγιστος ἔργου παντὸς ἐστ' ἐπιστάτης.
Permagna præſes operis eſt occaſio.

Polybius libro 9. Κρατεῖ δ' ἐπὶ πάντων μὲν τῶν ἀνθρωπείων ἔργων ὁ καιρός. μάλιστα δὲ τῶν πολεμικῶν. *Omnibus rebus, maximè verò bellicis occaſio dominatur.* Quare à Poſidippo quodam eleganti epigrammate deſcribitur, & καιρὸς ὁ πανδαμάτωρ, *occaſio omnia domans* nominatur. Validum eſt autem argumentum à capta vel omiſſa occa-

Vis occaionis. ſione deductum. quia viri prudentis eſt occaſionem non præterire. nam, vt ait Dionyſius Cato:

Fronte capillata eſt, ſed poſt occaſio calua.

quod Poſidippus, & ex eo Alciatus eleganter expreſſerunt. Vide emblema 121. & præcipuè Claudium Minoem eius Interpretem. Cæterùm, quando diuerſitatis quæ eſt inter occaſionem & tempus meminimus, placet ex Euſebio lib. 3. de præparat. Euangelica paucula non præterire. Ἀποτυποῦσι τ' αὐτὸν ἑστῶτα, πολιὸν, πρὸς ἔμφασιν τοῦ γηράσκειν τὸν χρόνον. τῶν δὲ καιρῶν σύμβολα οἱ Κούρητες, τὸν Κρόνον βουκολοῦντες, ὅτι διὰ τῶν καιρῶν ὁ χρόνος παροδεύει. *Saturnum figurant ſtantem & canum, vt ſignificent tempus veteraſcere. Occaſionum verò figuræ ſunt Curetes, Saturnum decipientes, quia per occaſiones tempus præterit.*

DEOS PENATES.] Liceat in nugis tan- III.
tiſper immorari. Halicarnaſſeus 1. Antiquitatum: Τοὺς δὲ θεοὺς τούτους Ῥωμαῖοι μὲν Πενάτας καλοῦσιν, οἱ δ' ἐξερμηνεύοντες εἰς τὴν Ἑλλάδα γλῶσσαν τοὔνομα οἱ μὲν πατρῴους ἀποφαίνουσιν, οἱ δὲ γενεθλίους, εἰσὶ δ' οἱ κτησίους, ἄλλοι δὲ μυχίους, οἱ δ' ἑρκίους. *Hos Deos Romani quidem Penates appellant: Qui verò hanc vocem Græcè interpretari voluerunt, alij patrios aiunt, alij geniales, alij poſſeßioni præſides, abſtruſos alij vocant, alij penetrales.* Penates. Quinam autem ij Dij fuerint variè à variis diſputatur ibidem: Σχήματος δὲ καὶ μορφῆς αὐτῶν πέρι Τίμαιος μὲν ὁ συγγραφεὺς, ὧδε ἀποφαίνεται, κηρύκια σιδηρᾶ καὶ χαλκᾶ, καὶ κέραμον Τρωϊκὸν εἶναι τὰ ἐν τοῖς ἀδύτοις τοῖς ἐν Λαουϊνίῳ κείμενα ἱερά. *De forma verò eorum & figura Timæus ita loquitur, aliud nihil eſſe quàm caducea ferrea & ærea, teſtámque Troianam, ea ſacra quæ in Lauinienſibus adytis repoſita fuerunt.* Arnobius aduerſus gentes libro 3. *Nigidius Penates Deos Neptunum eſſe atque Apollinem prodidit, qui quondam muris vrbem Ilium conditione adiuncta cinxerunt. Idem rurſus in libro ſexto exponit, & decimo diſciplinas Hetruſcas ſequens genera eſſe Penatium quatuor, & eſſe Iouis ex his alios, alios Neptuni, inferorum tertios, mortalium hominum quartos, inexplicabile neſcio quid dicens. Cæſius & ipſe aſſequens.* Legerim, *has ſequens*, videlicet Hetruſcas diſciplinas: *Fortunam arbitratur & Cererem, Genium Iouialem, ac Palem, ſed non illam fœminam, quam vulgaritas accipit, ſed maſculini neſcio quem generis, miniſtrum Iouis ac villicū. Varro qui ſunt introrſus atq. intimis penetralibus, cœli, Deos eſſe cenſet quos loquimur, nec eorum numerum nec nomina ſciri, hos Conſentes & Complices Hetruſci aiunt, & nominant, quod vna oriantur, & occidant vna: ſex mares & totidem fœminas nominibus ignotis, & iis nationis barbariſſimæ: ſed eos ſummi Iouis conſiliarios ac Principes exiſtimari. Nec defuerunt qui ſcriberent Iouem, Iunonem ac Mineruam Deos penates exiſtere.* Conſentes. Complices. Dionyſius loco citato ſuam ipſius profert ſententiam his verbis, Ἔτι δὲ νεανίαι δύο καθήμενοι δόρατα διειληφότες τῆς παλαιᾶς ἔργα τέχνης. πολλὰ δὲ καὶ ἄλλα ἐν ἱεροῖς ἀρχαίοις εἴδωλα τῶν θεῶν τούτων ἐθεασάμεθα, καὶ ἐν ἅπασι νεανίσκοι δύο στρατιωτικὰ σχήματα φαίνονται ἔχοντες. *Sunt verò adoleſcentes duo ſedentes opere antiquo facti haſtas manu tenentes. multa & alia in antiquis templis vidimus horum Deorum ſimulacra: & in omnibus adoleſcentes duo in veſte militari cernuntur.* cur haſtas geſtarent reddit Iuſtinus lib. 43. rationē: *Reges haſtas pro diademate habebant* in Italia, *quas Græci* σκῆπτρα *dixere, nam & ab origine rerum, pro Diis immortalibus veteres haſtas coluere: ob cuius religionis memoriam adhuc Deorum ſimulacris haſtæ adduntur.* Hastæ pro Deo cultæ. Phœnices non haſtas, ſed virgas quas fortaſſe κηρύκια Timæus appellat, diuinis

honoribus coluerunt. citat Euſebius libro primo de præpar. Euang. Philonem ex Sanchuniatone Virgæ & columnæ pro Deo cultæ. Phœnicum hiſtoriographo teſtantem eos : ῥάβδους αὐτοῖς ἀφιερῶσαι, καὶ τὰς στήλας προσκυνεῖν. *Virgas Diis conſecraſſe, & columnas adoraſſe.* Sed ad rem. de Penatibus ita Iulius Firmicus de erroribus prophanarum religionum cap. 15. *Qui nihil aliud putant eſſe vitam, niſi veſcendi & potandi licentiam hos ſibi Deos ex cupiditatis ſuæ humilitate finxerunt. nutrimenta corporis quæ ex quotidianis epulis comparantur, hoc nomine pro ſalute hominum conſecrantes.* Item : *Quotidianas epulas hoc nomine conſecrarunt, nam omne quo veſcuntur homines, penus vocatur, hinc & cella penaria.* Vide Macrobium quatuor Penatum genera numerantem. Porro de expugnata Milonis domo eiúſque penatibus Noſter lib. 4. ad Attic. epiſt. 3. *Milonis domum, meamque Ceramio*, lege, *Damio: is enim libertus* Clodij fuit, qui & in veſtibulo Curiæ cum ſica deprehenſus fuerat, in inſidiis ad occidendum Pompeium collocatus: *Pridie Idus Nouemb. expugnare, & incendere ita conatus eſt, vt palam hora quinta cum ſcutis homines, eductis gladiis, alios cum accenſis facibus adduxerit. ipſe domum P. Sullæ pro caſtris ad oppugnationem ſumpſerat. tum ex Anniana Milonis domo Qu. Flaccus eduxit, viros, acies occidit homines ex omni latrocinio Clodiano notiſſimos: ipſum cupiuit. Sed ille ſe in interiorem partem ædium abdidit.*

IV. EGREGIO.] *Egregius* hoc loco & æuo Ciceronis nihil fuit aliud quàm eximius, & quaſi è grege delectus: at ſecutis temporibus, quemadmodum *Illuſtrium, Spectabilium, Clariſſimorum, Perfectiſſimorum, Nobiliſſimorum* nomina certis fuerunt dignitatibus attributa, ita fuerunt quidam qui peculiaris dignitatis & officij cauſſa *egregij*, vel *optimi* dicerentur. de egregiis Guidus Pancirolus vir doctus ſuis in notitiam vtramque Imperij commentariis multa diſputat. Egregius. ad propoſitum ſatis erit vnam vel alteram auctoritatem producere. Conſtantinus ad Bithynios lege 1. C. Th. de murileg. *Monetariis nec dignitas perfectiſſimatus tribuitur, nec ducenæ, vel centenæ, vel egregionatus.* Huc alluſit Lactantius diuinarum inſtitut. 15. *Nemo Egregius niſi qui bonus & innocens fuerit: nemo Clariſſimus, niſi qui opera miſericordiæ largiter fecerit: nemo Perfectiſſimus, niſi qui omnes gradus virtutis impleuerit.*

VIRO OPTIMO.] Nomen Optimi ſecutis temporibus non hominis fuiſſe, ſed dignitatis auctor eſt Cæſar Baronius anno 58. adeò vt V. Paulus in Actis citra aſſertationis ſuſpicionem Feſtum & Fœlicem Præſides viros nefarios *Optimos* nominarit. Id moris enim fuiſſe probabile eſt, vt quemadmodum Candidatos omnes Optimus. bonos vocabant, ita magiſtratum iam adepti Optimi dicerentur: vnde & Optimates. de Candidatis Seneca epiſt. 3. ad Lucilium : *Sic illum amicum vocaſti, quomodo omnes Candidatos Bonos viros dicimus, quomodo obuios, ſi nomen non ſuccurrit, Dominos ſalutamus.*

AXIOMA.

Cuius domus oppugnatur, iure ſe poteſt vlciſci.

ARGVMENTVM.

Enumerat ea quibus incitari potuit Milo, vt oblatis occaſionibus ad necem Clodio inferendam vteretur, & fautores quos habuiſſet, ſi tunc intuliſſet.

ATQVI erat id temporis clariſſimus, & fortiſſimus Conſul inimicus XL. Clodio, P. Lentulus vltor ſceleris illius, propugnator Senatus, defenſor veſtræ voluntatis, patronus illius publici conſenſus, reſtitutor ſalutis meæ; ſeptem Prætores, octo Tribuni plebis, illius aduerſarij, defenſores mei: Cn. Pompeius auctor, & dux mei reditus, illius hoſtis : cuius ſententiam Senatus omnis de ſalute mea grauiſſimam & ornatiſſimam ſecutus eſt: qui populum Romanum cohortatus : qui cùm de me decretum Capuæ feciſſet, ipſe cunctæ Italiæ cupienti, & eius fidem implorantì ſignum dedit, vt ad me reſtituendum Romam concurrerent, omnia tum denique in illum odia ciuium ardebant deſiderio mei : quem qui tum intereміſſet, non de impunitate eius, ſed de præmiis cogitaretur.

EXPLANATIO.

ERAT ID TEMPVS.] Eo tempore quo lata lex eſt de meo reditu.

P. LENTVLVS.] Spinther, vltor ſceleris Clodij, propugnator & defenſor auctoritatis Senatus, quæ diminuta fuiſſet niſi rogatus fuiſſet populus de meo reditu, vt Senatus decreuerat. pro Sextio 74. quæ ſequuntur, vel per expolitionem oratoriam idem ſignificant, vel ait *defenſor veſtræ voluntatis.* Quia Senatores equites Tribuni ærarij Ciceronis reditũ expetebant, quorum voluntati obſecundabat. Lentulus: *Patronus publici conſenſus.* Populi qui vno conſenſu legem de reditu Ciceronis ſuis ſuffragiis comprobabat.

SEPTEM PRÆTORES.] In Piſonem 35. *De me cùm omnes magiſtratus promulgaſſent, præter vnum Prætorem.* Appium Clodium: *Fratrem inimici mei, prætérque duos de lapide emptos Tribunos plebis.* Sext. Attilium Serranum, & Numerium Quintium corruptos à Clodio, *legem comitiis centuriatis tulit P. Lentulus Conſul de*

Collegæ Qu. Metelli ſententia. E quibus locis ſi inter ſe conferantur, facilè aduertes tum Prętores fuiſſe octo, Tribunos plebis decem.

Cn. Pompeivs.] Ibidem: *De me Senatus ita decreuit, Cn. Pompeio auctore, & eius ſententiæ Principe, vt ſi quis impediſſet reditum meum, in hoſtium numero putaretur.*

Illivs hostis.] Quia Clodius & Tigranis filium contra Pompeij voluntatem è vinclis exemerat, & ſeruum ad inferendam Pompeio necem in veſtibulo curiæ collocarat, & eum multis contumeliis affecerat.

Qvi popvlvm.] Vide orationem poſt reditum ad Quirites 15. vbi ſynopſis quædam concionis Pompeij continetur.

Cvm de me decretvm.] In Piſonem 25. de Campanis: *Me & præſentem contra latrocinium tuum ſuis decretis legatiſque defenderant, & abſentem principe. Cn. Pompeio referente, & de corpore Reipub tuorum ſcelerum tela reuellente, reuocarunt.*

Cvnctæ Italiæ.] In Piſonem 34. *Mei capitis ſeruandi cauſſa Romam vno tempore, quaſi ſigno dato, Italia tota conuenit.*

Odia civivm.] Pro Sextio 108. *Cedo nunc eiuſdem illius inimici mei de me eodem ad verum populum in campo Martio concionem. quis non modò non approbauit, ſed non indigniſſimum facinus putauit, illum non dicam loqui, ſed viuere ac ſpirare? quis fuit qui non eius voce maculari Rempub. ſéque, ſi eum audiret, ſcelere aſtringi arbitraretur?*

Desiderio mei.] In Vatinium 8. *Cuius deſiderio, vt hæc minima dicam, forum mœſtum, muta curia, omnia denique bonarum artium ſtudia ſiluerunt.*

NOTÆ.

I. Clarissimvs et fortissimvs.] Vocem Clariſſimi conſtat etiam ſecutis tēporibus peculiaris fuiſſe dignitatis. Vlpianus D. de Senator. l. Fœminæ. *Clariſſimarum ait fœminarum nomine Senatorum filias non haberi, niſi* Clariſſimatus dignitas. *clariſſimos viros ſortitæ ſunt; tamdiu enim clariſſima fœmina erit, quamdiu Senatori nupta eſt, vel clariſſimo.* Valentinianus l. 2. C. De his qui venal. ætat. &c. *Equites Romanos ſecundum gradum poſt clariſſimatus dignitatem obtinere iubemus.* Ammianus lib. 21. de Conſtantio: *Nec ſub eo dux quiſquam clariſſimatu prouectus eſt.* Spartianus in Heliogabalo: *Sòlus omnium Imperatorum fuit, ſub quo mulier quaſi clariſſima loco viri Senatum ingreſſa eſt.* Lampridius in Alexandro: *Præfectis Prætorio ſuis Senatoriam addidit dignitatem, vt viri clariſſimi & eſſent, & dicerentur. quod antea vel raro fuerat, vel omnino non fuerat, eo vſque vt ſi quis Imperatorum ſucceſſorem Præfecto prætorio dare vellet, laticlauiam eidem per libertum ſummitteret.*

II. Patronvs.] Quid ſit patronus fusè à Plutarcho in vita Romuli, & Dionyſio libro ſecundo antiquitatis explicatur: nos ſuperſedemus quod hîc ab propria ſignificatione ad aliam transferatur.

III. Septem Prætores.] Omnes, vt dixi, præter vnum Prætorem. de numero Prætorum, & quomodo ſenſim ab vno ad numerum octauum æuo Ciceronis, immo poſtea ad alterum tantum peruenerint, Lipſius commentariis in Tacitum conſulatur lib. 1. annalium. Cicero tamen pro domo 87. innuit etiam Appium Clodij Fratrem Prætorem ſibi fauiſſe: *Fratre tuo altero Conſule reducente, altero Prætore petente.* Sed fortaſſe locus corruptus eſt, & legendum *Prætore non impediente.*

Octo Tribvni plebis.] Omnes vt dixi, *Præter duos de lapide emptos Tribunos plebis.* IV. Ergo decem fuerunt, initio tamen, vt auctor eſt Dionyſius libro ſexto legibus in ſacro monte conſtitutis anno 260. Δημαρχικὴν ἐξουσίαν πρῶτοι παρέλαβον οἱ πέντε ἄνδρες ἡμέρᾳ τετάρτῃ πρὸ εἰδῶν Δεκεμβρίων, ὥσπερ καὶ μέχρι τοῦ καθ' ἡμᾶς χρόνου γίγνεται. *Primi tribunitiam poteſtatem inierunt viri quinque quarto Idus Decembris, quemadmodum ad noſtram vſque ætatem fieri conſueuit.* Quæ poſtrema verba non ad numerum Tribunorum, ſed ad diem ſunt referenda. Octo Tribuni plebis. nam, vt idem teſtatur libro decimo, & Liuius libro 3. decadis primæ: *Trigeſimo ſexto anno à primis Tribunis plebis decem creati ſunt bini ex ſingulis claſsibus, itáque cautum eſt vt poſtea crearentur.* Et quidem notanda eſt ratio quæ Patres commouerit, vt numerum duplicari volentes lubentéſque permitterent auctore Quintio: Ὅτι πρὸς τῆς βουλῆς εἴη τὸ πολλοὺς εἶναι τοῦ δήμου προστάτας. ἧττον γὰρ ὁμονοήσειν τοὺς πλείστους τῶν ἐλαττόνων. *E re Patrum eſſe vt multi magiſtratus plebeij crearentur. fore enim vt plures minùs inter ſe conſentirent, quàm pauciores.*

Illivs hostis.] Inimicitiæ cum ciuibus exercentur, cum exteris hoſtilitas. V. ſed atrocius vocabulum vſurpat, vt rem, & occaſionem magis exaggeret. porro quod ſpectat ad vocem *hoſtis.* Varro libro quarto de lingua Latina: *Multa verba aliud nunc oſtendunt, aliud antè ſignificabant, vt hoſtis. nam tum eo verbo dicebant peregrinum, qui ſuis legibus vteretur: nunc dicunt eum quem tum dicebant perduellem.* Hoſtis. Quo pacto à Græcis voces ξένου, & ξενίζειν translatæ ſunt. Seruius Danielis: *Perſas qui erant Græcorum hoſtes,* ξένους *à Lacedæmoniis appellatos refert Herodotus.* Pollux libro primo de hoſtibus loquens: τοὺς δὲ βαρβάρους καὶ ξένους ἐκάλουν. Tullius 1. de officiis: *Illud etiam animaduerto quòd qui proprio nomine perduellis eſſet, is hoſtis vocaretur, lenitate verbi triſtitiam rei mitigante. hoſtis enim apud maiores noſtros is dicebatur, quem nunc peregrinum dicimus.* Vide locum fusè 56. 57. Sophocles in Electra:

τὸν δύστηνον ἐμὸν θρηνῶ,
Πατέρ' ὃν κατὰ μὲν βάρβαρον αἶαν
Φοίνιος Ἄρης οὐκ ἐξείνισε.
-lugeo miſerum
Patrem, quem non in barbaris
Sanguinolentus Mars hoſtiuit.

Pacuuius apud Nonium:

Nunc quod meum admiſſum nocens hoſtit voluntatem meam.

Id eſt, offendit, cædit, Nonnio interprete. alias *hoſtire, comprimere, retundere.* Pacuuius Teucro: *Niſi coërceo proteruitatem atque hoſtio ferociam.* Suidas: Ξένια Ἄρεος τραύματα καὶ φόνοι. *Xenia ſiue ſtrenæ Martis vulnera & cædes.* Archilochus: Ξένια δυσμενέεσσι λυγρὰ χαριζόμενος. *Xenia maleuolis triſtia gratificans.* Libenter legerem verſum pentametrum:

ξείνια δυσμένεσιν λυγρὰ χαριζόμενος.

Signvm dedit.] Vide dicta in Piſonianam 34.

VII. Desiderio mihi.] Quanto ſtudio ciuium fuerit in patriam reuocatus, liquet ex Plutarcho: *Λέγεται μηδέποτε μηδὲν ἐκ τοσαύτης ὁμοφροσύνης ἐπιψηφίσασθαι τὸν δῆμον. Dicitur nihil vnquam tanto conſenſu fuiſſe populi ſuffragiis decretum.*

ARGVMENTVM.

Hactenus de occaſionibus Clodij necandi, quas Milo offenderat in ſuo tribunatu: nunc de iis quæ Miloni priuato obtigerunt, quas ſine cuiuſquam odio arripere potuiſſet.

TAmen ſe Milo continuit, & P. Clodium ad iudicium bis, ad vim num- XLI.
quam vocauit. Quid? priuato Milone, & reo ad populum, accuſante P. Clodio, cùm in Cn. Pompeium pro Milone dicentem impetus factus eſt, quæ tum non modò occaſio, ſed etiam cauſſa illius opprimendi fuit? Nuper verò, cùm M. Antonius ſummam ſpem ſalutis bonis omnibus attuliſſet, grauiſſimámque adoleſcens nobiliſſimus Reipub. partem fortiſſimè ſuſcepiſſet, atque illam belluam iudicij laqueos declinantem iam irretitam teneret: qui locus, quod tempus illud, Dij immortales, fuit? cùm ſe ille fugiens in ſcalarum tenebris abdidiſſet: magnum Miloni fuit conficere illam peſtem nulla ſua inuidia, Antonij verò maxima gloria?

EXPLANATIO.

TAmen.] Tot occaſionibus oblatis non vſus eſt Milo, & ſemper à vi facienda ſibi temperauit: non enim Clodium ad vim vnquam vocauit, licet vim vi propulſarit, & armis prouocatus armis ſuam Reíque publicæ ſalutem defenderit.

Ad ivdicivm bis.] Clodio dixit diem Tit. Annius, vt conſtat, ſed an bis dixerit, præter hunc vnicum locum vix reperies.

Qvid privato Milone.] Poſtquam Milo depoſuit tribunatum, & accuſatus eſt de vi ad populum à P. Clodio Ædile. fuiſſe autem à Pompeio defenſum iam ſuperiùs vidimus ex Aſconio: *Pompeius tamen cùm defenderet Milonem de vi apud populum accuſante Clodio,* &c.

Non modo occasio.] Opportunitas Clodij interficiendi.

Sed etiam cavsa.] Vt Pompeium patronum ſuum, cui vis inferebatur, vi defenderet.

Nvper verò.] Difficile eſt expedire quam M. Antonius Reip. partem ſuſceperit: niſi ſi fortaſſe Clodio, *cùm Coloniam,* vel, vt alij malunt, *Collinam nouam delectum perditiſſimorum ſcriberet ciuium.* Vt dictum eſt initio narrationis, ei ſe oppoſuit M. Antonius, cúmque iure & legibus huic delectum impedire non poſſet, ferro conatus eſt occidere. Philipp. 2. §. 21. *P. Clodium meo conſilio interfectum eſſe dixiſti. Quidnam homines putarent, ſi tum occiſus eſſet, cùm tu illum in foro ſpectante populo Romano, ſtricto gladio inſecutus es, negotiúmque tranſegiſſes, niſi ille ſe ſub ſcalas tabernæ librariæ conieciſſet.*

Adolescens nobilissimvs.] Qui ſuam originem ad ipſum Herculem refert.

Illam bellvam.] Clodium, quem & paulò pòſt *peſtem* appellat.

NOTÆ.

I. ACcvsante P. Clodio.] Pro Sextio 95. *Nam quid ego de Ædile ipſo loquar, qui etiam diem dixit, & accuſauit de vi Milonem.* Dio libro 39. Ὁ Κλώδιος, ἐπειδὴ τάχιστ' ἐς τὴν ἀγορανομίαν ἐπί τε τοῦ Φιλίππου, καὶ ἐπὶ τοῦ Μαρκελλίνου παρελήλυθε (πρὸς γὰρ τὴν ἀπόδρασιν τῆς δίκης παρεσκευασμένος ᾑρέθη) γραφὴν καὶ τοῦ Μίλωνος, τῆς τῶν μονομάχων παρασκευῆς ἀπήνεγκεν. ἃ γὰρ αὐτὸς ἔπραττε, καὶ ἐφ' οἷς ἐκρίνετο, ταῦτ' ἐκείνῳ ἀντενεκάλει. *Clodius vt primùm Philippo, & Marcellino Conſulibus ædilitatem adeptus eſt (collata autem ei hæc vltro erat vt iudicium effugere poſſet) Miloni diem dixit, quòd gladiatorum manum coëgiſſet: quæ enim ipſe fecerat, & quorum cauſſa accuſabatur, de his contra Milonis nomen deferebat.* Sequor Guillelmi Xylandri verſionem. Cæterùm non ait manus illatas Pōpeio, vt innuere videtur Orator, ſed eum modò fuiſſe tradit Clodianorum conuitiis appetitū, eáſque contumelias paſſum quas Plutarchus in id tempus reiicit, quo Noſter Tullius exulabat: *Τίς ἑνὶ δακτύλῳ κνᾶται; Πομπήϊος. Quis digito ſcalpit vno caput? Pompeius.* Vide vtrumque & dicta à nobis in Piſoniana. Tullius epiſt. 3. lib. 2. ad Quintum Fratrem: *Ad IV. Iduum Feb. Milo affuit. dixit Pompeius, ſiue voluit. nam, vt ſurrexit, operæ Clodianæ clamorem ſuſtulerunt: ídque ei perpetua oratione contigit, non modò vt acclamatione, ſed vt conuitio & maledictis impediretur,* &c. Et paulò pòſt: *Ille furens & exãguis interrogabat ſuos in clamore ipſo, quis eſſet qui plebem fame necaret? reſpondebant operæ, Pompeius. Quis Alexandriam ire cuperet? reſpondebant, Pompeius. Quem ire vellent? reſpondebant, Craſſum. Is aderat tùm, Miloni animo non iniquo. Hora fere nona, quaſi ſigno dato, Clodiani noſtros conſputare cœperunt. Exarſit dolor, vrgere illi, vt loco nos mouerent. Factus eſt à noſtris impetus, fuga operarum. Eiectus de Roſtris Clodius, ac nos quoque tum fugimus, ne quid in turba.* hæc ille.

Cvm M. Antonivs.] Vel vt dixi cùm coloniam vel Collinam nouam conſcriberet, vel cùm Marcellino & Philippo Cōſulibus, facto de mutanda veſte S. C. ipſe nec veſtē mutauit, & contra Conſules & Patres habuit concionem, quibus ad Curiam redeuntibus, eodem ipſe, vt intercederet, perrexit, vt teſtatur Dio lib. 39. hiſtoriæ: Ὀλίγου διεφθάρη· τῆς γὰρ γερουσίας ἀπαντησάσης αὐτῷ, εἴσω τ' II.

ἐπελθεῖν ἐκωλύθη, κἂν τούτῳ ὑπὸ ἱππέων περισχεθεὶς διεσπάσθη ἄν, εἰ μὴ ἀνακραγόντος αὐτοῦ, καὶ τὸν ὅμιλον ἐπιβοησαμένου, προσέδραμον πολλοὶ πῦρ φέροντες, ὡς καὶ μετὰ τοῦ βουλευτηρίου σφᾶς καταπρήσοντες, εἴ τι αὐτὸν ἐξεργάσαιντο. καὶ ὁ μὲν παρὰ τοσοῦτον ἐλθὼν ἀπολέσθαι, οὕτως ἐσώθη. *Penè occiſus eſt. nam Patribus obuiam factis ingreſſu prohibitus eſt, & ab equitibus circumſiſtentibus diſcerptus fuiſſet, niſi eo clamante & plebis auxilium implorante, multi cum facibus accurriſſent, Patres cum ipſa curia combuſturi, ſi quo modo Clodio nocuiſſent. & ille quidem hoc pacto è tam præſenti vitæ periculo ſeruatus eſt.* Quo tempore probabile fuerit adoleſcentem Antonium, & tum inter equites verſantem Clodio manus inferre voluiſſe. Duo tamen ſunt cur addubitem ſitne factum Antonij ad illam occaſionem referendum. alterum eſt quòd nuper dicat id contigiſſe: at à Philippi & Marcellini conſulatu duo iam anni effluxerant. alterum quia vix credibile eſt Oratorem Antonij factum laudare voluiſſe cum offenſione Pompeij, cuius in gratiam Clodius contra Conſules & Patres illam habuerat concionem. quare res in medio relinquatur.

III. Nobiliſſimatus. ADOLESCENS NOBILISSIMVS.] Etiam hoc adiectum ſub Imperatoribus peculiaris fuit inſigne dignitatis. Zoſimus lib. 2. de Conſtantio & Annibaliano: ἐσθῆτι χρώμενοι κοκκοβαφεῖ καὶ περιχρύσῳ, τῆς τοῦ λεγομένου νωβελίσιμου παρ' αὐτῷ Κωνσταντίνου τυχόντες ἀξίας. *Veſte vtentes coccineâ & auratâ nobiliſmi dignitatem ab ipſo Conſtantino conſecuti.* Sed hîc non moramur, nunc ad nobilitatem Antonij: de hoc Plutarchus in eius vita:

Nobilitas Antonij. Προσῆν δὲ καὶ μορφῆς ἐλευθέριον ἀξίωμα, καὶ πώγων τις οὐκ ἀγεννής, καὶ πλάτος μετώπου, καὶ γρυπότης μυκτῆρος ἐδόκει τοῖς γραφομένοις καὶ πλαττομένοις Ἡρακλέους προσώποις ἐμφερὲς ἔχειν τὸ ἀρρενωπόν. ἦν δὲ καὶ λόγος παλαιὸς Ἡρακλείδας εἶναι τοὺς Ἀντωνίους, ἀπ' Ἀντέωνος παιδὸς Ἡρακλέους γεγονότας. καὶ τοῦτον ᾤετο τὸν λόγον, τῇ τε μορφῇ τοῦ σώματος, (ὥσπερ εἴρηται) καὶ τῇ στολῇ βεβαιοῦν. ἀεὶ γὰρ ὅτε μέλλοι πλείοσιν ὁρᾶσθαι, χιτῶνα εἰς μηρὸν ἔζωστο, καὶ μάχαιρα μεγάλη παρῄρητο, καὶ σάγος περιέκειτο τῶν στερεῶν. lege, τῶν στιφρῶν. *Erat verò ei facies honeſta, & liberalis, & barba non indecens, & frontis latitudo, & aduncitas naſi, quandam inſtar imaginum Herculis, quæ vel pinguntur, vel finguntur, virilem videbatur habere dignitatem. & fama erat antiqua Antonios ab Hercule eiúſque filio Anteone eſſe oriundos. & hunc ſermonem ſe confirmare arbitrabatur, tum facie corporis, vt dictum eſt, tum veſtitu. Quoties enim in publicum procedens, pluribus ſe viſendum exhibebat, tunicam habebat ad crura ſuccinctam, prælongum enſem è collo pendentem, & ſagum ad terga deiectum.* Qua nobilitatis ſuæ vel opinione, vel conſcientia, auſus eſt etiam Auguſto generis obſcuritatem exprobare. Suetonius in Auguſto, cap. 2. *M. Antonius libertinum ei proauum exprobrat Reſtionem, è pago Thurino: auum argentarium.* & cap. 4. *M. Antonius deſpiciens etiam maternam Auguſti originem, proauum eius Afri generis fuiſſe, & modò vnguentariam tabernam, modò piſtrinum Ariciæ exercuiſſe obiicit.* Vide 3. Philipp.

IV Laquei iudiciorum. IVDICII LAQVEOS DECLINANTEM.] Allegoria ducta à belluis, quæ venatorum tendiculas & laqueos declinant. Themiſtius Sophiſta: Ἀνάσχεσθε οὖν μου πρὸς χαρίτων, ὥσπερ μὲν ἐξαριθμουμένου, ὁποσάκις οὗτος ὁ νομοθέτης, οἷον κυνηγέτης κύκλῳ θηρεῖον περιδραμὼν αἱρεῖ τὸν ἄνδρα καὶ σαγηνεύει. *Suſtinete igitur per Deos ediſſerentem quoties iſte legiſlator, inſtar venatoris feram circumeuntis hominem captum irretit.* Demoſthenem citat Plinius lib. 9. epiſt. 26. De iudiciorum Athenienſium laqueis ita loquentem: Ἀπεσχοινισμένος ἅπασι τοῖς ἐν τῇ πόλει δικαίοις. *Illaqueatus omnibus iuribus ciuitatis.* Vide Vatinianam: *Iniquiſſimis iudiciis irretires.* Et pro Sextio 88. *Illum tot iam in funeribus Reip. exultantem ac tripudiantem: legum ſi poſſet, laqueis conſtringeret.* Prudentius in Romano:

Sed credo magni limen amplectar Iouis.
Qui ſi citetur legibus veſtris reus
Laqueis minacis implicatus Iuliæ
Luat Seueram victus & Scautiniam.

Demoſthenes ſiue Dinarchus in Ariſtogitonem: Γραφῇ καὶ μονονουχὶ ἁλύσει σιδηρᾷ δεδεμένος ὑποδύῃ παρὰ ταῦτα καὶ διασπᾷς. *Scripto & tantum non ferrea catena conſtrictus declinas & obluctaris.* Porcius Latro: *Quam beſtiam irretitam iudicio tenemus, diſſolutam atque conſtantem Reipub. immittere.*

ARGVMENTVM.

Aliam interficiendi Clodij opportunitatem exponit, & argumentum concludit quod ab obeundæ cædis occaſione toties prætermiſſâ deduxerat.

XLII. QVID? comitiis in campo quoties poteſtas fuit? cùm ille vi in ſepta irruiſſet, gladios diſtringendos, lapides iaciendos curaſſet, deinde ſubito, vultu Milonis perterritus fugeret ad Tiberim, vos, & omnes boni vota faceretis vt Miloni virtute ſua liceret? Quem igitur cum omnium gratia noluit, hunc voluit cum aliquorum querela? quem iure, quem loco, quem tempore, quem impune non eſt auſus: hunc iniuria, iniquo loco, alieno tempore, periculo capitis non dubitauit occidere?

EXPLANATIO.

QVID? COMITIIS.] Quoties oblata fuit occaſio Clodij occidendi, cùm in campo Martio, comitia conſularia, ſuis ſe dictitabat humeris ſuſtinere, id agens vt Milo repulſam ferret, & Scipio, Hipſeúſque Conſules crearentur.

CVM ILLE VI IN SEPTA IRRVISSET.] Cùm videret Clodius populi non dubiis ſuffragiis Conſulem fieri Milonem, vi & armis conſilia diſcuſſit.

IN SEPTA.] In certum locum campi Martij clatris & ligneis repagulis diſcluſum, vbi populus per cẽturias diſtributus ferebat ſuffragium.

VVLTV MILONIS.] Qui ſe eius furori obiecerat.

AD TIBERIM.] Qui Campum Martium præterfluit.

VTI VIRTVTE SVA.] Fortiter facere, & Clodium occidere. id tamen apertè non dixit, ſed prudenter orationem molliuit, ne iudicum aures offenderet. quemadmodum ſuprà 29. *Fecerunt id ſerui Milonis, &c. quod ſuos quiſque ſeruos in tali re facere voluiſſet.*

QVEM IGITVR.] Mirus artifex dicendi Cicero plus etiam probat quàm probandum ſuſceperat, numero 39. ingreſſus fuerat eam partem orationis, qua Milonem à violentia & cædibus alienum eſſe oſtenderet, at ita tractauit argumentum vt non ſolùm id probauerit: (quod ſanè non adeò fuiſſet efficax, fieri enim poterat vt Milo quamuis non eſſet natura violentus, tamen vel odio, vel ſpe lucri, vel alia ratione permotus manus inferret Clodio violentas) ita, inquam, tractauit argumentum, vt non ſolùm probarit Milonem non eſſe cædibus aſſuetum, ſed etiã oſtenderit eum ne hanc quidem cædem, qua de agitur, perpetraſſe. hoc pacto.

Qui hominem cum omnium gratia, loco commodo, & tempore non vult occidere, multo minùs hominem cum aliquorum querela, alieno loco & tempore vult occidere.

Sed Milo Clodium cum omnium gratia, loco, commodo & tempore voluit occidere.

Ergo multo minùs eum alieno loco, & tempore, cum aliquorum querela voluit occidere.

NOTÆ.

1. COMITIIS IN CAMPO.] De comitiis alibi. comitia quæ fiebant in campo Martio erant, vt plurimùm, centuriata ſiue militaria: ſic dicta quòd populus diuiſus in ſex claſſes, centum & nonaginta centurias, in Campum Martium conueniret. qua de re Dionyſius libro 4. & 7. cõſulatur. Martius autem dictus eſt, Dionyſio & Liuio auctoribus, quòd expulſis Tarquiniis Marti fuerit conſecratus, cùm, vt notat Gellius Tiberinus anteà diceretur. Sic autem à Strabone libro 5. deſcribitur: Τὸ μέγεθος τοῦ πεδίου θαυμαςὸν ἅμα, καὶ τὰς ἁρματοδρομίας, καὶ τὴν ἄλλην ἱππασίαν, ἀκώλυτον παρέχον τῷ τοσούτῳ πλήθει, τῶν σφαίρᾳ, καὶ κίρκῳ, καὶ παλαίςρᾳ γυμναζομένων, καὶ τὰ περικείμενα ἔργα, καὶ τὸ ἔδαφος ποάζον δι' ἔτους, καὶ τῶν λόφων ςεφάναι τὸ ὑπὲρ τοῦ ποταμοῦ μέχρι, τοῦ ῥείθρου σκηνογραφικὴν ὄψιν ἐπιδεικνύμεναι, δυσαπάλλακτον παρέχουσι τὴν θέαν. *Campi admirabilis magnitudo, ſimul & curules pariter curſus, & alia equeſtria certamina expedita ſuppeditans, tam multis pilam, circulum, palæſtram exercitatione tractantibus, aliáque circumpoſita opera, & ſolum herbis perennibus veſtitum, & collium flumini incumbentium corona vſque ad alueum ſcenicam ſpeciem exhibentes, ſpectatores ita retinent, vt difficulter poſſint auelli.* Hunc locum tres interpretes Guarinus Veronenſis, Gregorius Trifernas, & Conradus Hereſbachius intellexiſſe non videntur. eum tamen ſic interpretari videtur Auſonius, & præ oculis habuiſſe in Moſella:

Campi Martij amplitudo & amœnitas.

Inducant aliam ſpectacula vitea pompam,
Solliciténtque vagos Baccheia munera viſus.
Qua ſublimis apex longo ſuper ardua tractu,
Et rupes, & aprica iugi, flexúſque ſinúſque
Vitibus aſſurgunt naturalíque theatro.

& paulò pòſt:

Nec ſolos homines delectat ſcena locorum.

IN SEPTA.] Seruius in Virgil. Eclog. 1. in illum verſum: 11.

Quamuis multa meis exiret victima ſeptis.

Septa, inquit, *ſunt loca in campo Martio incluſa tabulatis, in quibus populus Romanus ſuffragia fert.* Fuerunt autem illa, vt notat Marlianus lib. 6. c. 16. *Inter columnam Antonini & aquam Virginem.* in 9. vrbis regione. Sexto Rufo, & P. Victore auctoribus. De his Ouidius 1. Faſtorum dies comitiales deſcribens:

Septa in campo Martio.

Eſt quoque, quo populum ius eſt includere ſeptis.

Auſonius in panegyrico:

Comitia in ſeptis.

Non paſſus ſepta, non campum, non ſuffragia.

quibus locis vides ſepta fuiſſe locum habendis comitiis deſtinatum. Non ſolùm tamen comitiis ſepta, ſed etiam mercibus & ambulationibus erant celebria. mercibus, vt auctor eſt Martialis lib. 9. ep. 60.

In ſeptis Mamurra diu, multúmque vagatus
Hic vbi Roma ſuas aurea vexat opes.

Et lib. 10. ep. 80.

Plorat Eros quoties maculoſa pocula murrhæ
Inſpicit, aut pueros, nobiliúſve citrum.
Et gemitus imo promit de pectore, quòd non
Tota miſer coemat ſepta, ferátque domum.

Septa merci bus & ambulationibus celebria.

Ambulationibus colliges ex eodem lib. 2. ep. 14.

Si nihil Europe fecit, tum ſepta petuntur, &c.

& ep. 57.

Hic quem videtis greſſibus vagis lætum,
Amethyſtinatus media qui ſecat ſepta.

Hæc porrò ſepta Tullius noſter ornare decreuerat. lib. 4. ad Atticum, epiſt. 15. *Efficiemus rem glorioſiſſimam, nam in campo Martio ſepta tribunitiis comitiis marmorea ſumus & tecta facturi, eáque cingemus excelſa porticu, vt mille paſſuum conficiantur. ſimul adiungetur huic operi villa publica.* quod ne efficeret, impedierunt bella ciuilia. paulò pòſt tamen Agrippa multis decorauit ornamentis. vt æde Neptuni quam & τῇ τῶν Ἀργοναυτῶν γραφῇ ἐπελάμπρυνε. *Argonautarum pictura illuſtriorem effecit.* vt auctor eſt Dio libro 53. hanc autem porticum argonautarum ſeptis vicinam fuiſſe Martialis oſtendit loco citato.

Ab Agrippa magnificè ornata.

-tum ſepta petuntur
Si quid Phyllirides præſtet & Æſonides.

Hoc loco quæſtio moueri poſſit illa propter quam Marlianus, & Fuluius Blondus à ſe diſſentiunt; an eadem eſſent ſepta quæ ab aliis ouilia dicerentur. eadem eſſe teſtatur Seruius de ſeptis. *Quia ſunt ſimilia ouilibus duo hæc inuicem ponuntur.* citat deinde Lucanum de Sylla loquentem libro 2. verſu 195.

Tunc flos Heſperiæ, Latij iam ſola iuuentus
Concidit, & miſeræ laceraujt Ouilia Romæ.

& Iuuenalem ſat. 6.

A Meroë portabit aquas quas ſpargat in æde
Iſidis, antiquo quæ proxima ſurgit Ouili.

Producere potuiſſet & Liuium dec. 3. lib. 6. de comitiis loquentem, quibus Tit. Manlius Torquatus Conſul creabatur Centuria ſeniorum. *Petit à Conſule vt centuriam ſeniorum citaret. citatis centuriæ ſenioribus datum ſecreto in ouili cum his colloquendi tempus.* Sed hæc, ni fallor, infirma ſunt, cùm hæc Ouilium appellatio non minùs villæ publicæ conuenire poſſit, in qua Samnites

illi à Sylla ſunt interempti. Florus lib. 3. cap. 21. *Quatuor millia deditorum inermium ciuium in villa publica interfici iuſſit.* Idem Epit. Liuiana, niſi quòd aliquibus exemplaribus habetur *in via publica.* Hæc autem villa ſeptis vicina. Varro lib. 3. de re ruſtica, cap. 2. *Axius mihi. Dum diribentur, inquit, ſuffragia, vis potiùs villæ publicæ vtamur vmbra,* &c. Neque verò eſt quod incredibile exiſtimes tãtam in villa publica ſtragem fieri potuiſſe, aut omninò tot hominum millia in ea contineri: cùm populum vniuerſum capere potuiſſe videatur. P. Victor in regione 9. *Villa Publica, vbi primùm populi cenſus actus eſt in campo Martio.* Varro loco citato: *Cùm ad Remp. adminiſtrandam hæc ſit vtilis, vbi cohortes ad delectum Conſuli adductæ conſidant, vbi arma oſtendant, vbi cenſores cenſu admittant populum.* In ea igitur villa Samnites conſederant, vbi fuerunt à Sylla iugulati, & ita *miſeræ lacerata ouilia Romæ*, id eſt *villa publica.* Adde quod Strabo lib. 5. extremo, cùm hanc ipſam ſtragem deſcriberet, vocem δημοσίαν adiecit. quæ vox ad villam potiùs quàm ad ſepta refertur, neque enim quiſquã hactenus repertus eſt, qui ad diſtinctionem priuatorum ſepta publica nominarit. Strabonis verba ſunt: Τοὺς δὲ ῥίψαντας τὰ ὅπλα περὶ τρισχιλίους ἄνδρας, ἢ τετρακισχιλίους φασὶν εἰς τὴν δημοσίαν ἔπαυλιν, τὴν ἐν τῷ Μαρτίῳ κάμπῳ καταγαγὼν εἷρξε. τρισὶ δ' ὕστερον ἡμέραις ἐπιπέμψας στρατιώτας, ἅπαντας ἀπέσφαξε. *Qui arma proiecerant ad millia tria, vel, vt alij, quatuor, in campo Martio ad Ouilia publica coactos, immiſſis militibus triduo poſt iugulauit.* Locus Iuuenalis non video cur de ſeptis potiùs, quàm de villa debeat intelligi: Liuium de ſeptis non auſim explicare, cùm huiuſmodi conſultationes in villa fieri conſueſſent. Varro ibidem: *Venimus in villam. ibi Appium Claudium Augurem ſedentem inuenimus in ſubſelliis, vt conſuli, ſi quid vſus popoſciſſet, eſſet præſto.* ſed in viam redeamus. Hæc ſepta tot fuiſſe variis diſtincta vel tabulatis, vel poſtmodum columnis marmoreis exiſtimo quot erant centuriæ in ciuitate, vt in ſingulis ſeptis ſingulæ centuriæ diſtinctum ab aliis ferrent ſuffragium. quare ſi fortè alibi comitia centuriata, quàm in campo haberentur, funibus extenſis ſepta faciebant. Appianus 3. ciuilium: ἡ μὲν βουλὴ τὴν φυλέτιν ἐνόμιζεν ἐκκλησίαν συλλεγήσεσθαι. οἱ δὲ νυκτὸς ἔτι τὴν ἀγορὰν περισχοινισάμενοι, τὴν λοχῖτιν ἐκάλουν ἀπὸ συνθήματος ἐληλυθυῖαν, καὶ ὁ δημότης λεὼς ἀχθόμενος τῷ Ἀντωνίῳ, συνέπραττεν ὅμως διὰ τὸν Καίσαρα ἐφεστῶτα τοῖς περισχοινίσμασι, καὶ δεόμενον. *Senatus quidem tributa comitia haberi decreuerat. illi verò ante lucem funibus forum circumſepientes, centuriata comitia ex condicto venientia conuocarunt. Et plebs quamuis infenſa eſſet Antonio, nihilo tamen ſeciùs ei ſuffragabatur in gratiam Cæſaris, qui funium ſeptis adſtans populo ſupplicabat.* quod tamen nonnullam difficultatem parit: nam hic ait forum ad comitia centuriata fuiſſe circundatum: ad diſtinctionem tributorum. at Dionyſius lib. 7. antiquitatis idem ad tributa factum eſſe teſtatur: οἱ δὲ δήμαρχοι συνεκάλουν τὸ πλῆθος ἐπὶ τὴν φυλέτιν ἐκκλησίαν, χωρία τῆς ἀγορᾶς περισχοινίσαντες ἐν οἷς ἔμελλον αἱ φυλαὶ στήσεσθαι κατ' αὐτάς. *Tribuni plebis multitudinem conuocarunt ad tributa comitia, regionibus in foro fune circumſeptis, in quas debebant tribus ſingulæ ſeorſum conſiſtere.* Verùm difficile non fuerit eos inter ſe conciliare, ſi dicamus pro diuerſitate comitiorum diuerſa fuiſſe ſeptorum diſcrimina: vt in curiatis comitiis, ſingula ſepta ſingulis Curiis, id eſt triginta, in tributis ſingula item ſingulis tribubus, id eſt triginta quinque ſepta ponerentur. in centuriatis verò tot eſſent maiora ſepta quot claſſes, tot minora tabulatis in eodem ſepto diſcluſa quot centuriæ.

Villa publica.

VVLTV PERTERRITVS.] Hoc ipſum voluit nobilis Poëta, cùm Troianos dixit flammis ex Achillis capite vibrantibus fuiſſe perterritos. Iliados χ. verſu 225. III.

Ἡνίοχοι δ' ἔκπληγεν, ἐπεὶ ἴδον ἀκάματον πῦρ
Δεινὸν ὑπὲρ κεφαλῆς μεγαθύμου Πηλεΐωνος
Δαιόμενον. τὸ δ' ἔδαιε θεὰ γλαυκῶπις Ἀθήνη.
Inuaſit timor aurigas, vbi vertice magni
Pelidæ accenſos oculis trepidantibus ignes
Hauſerunt. illos Pallas ſuccenderat ignes.

Sed tu vide locum, eum ego Poëtam quoties attingo libenter totum deſcriberem. hoc ipſum eſt quo Achilles gloriatur lib. 16. verſu 70.

-οὐ γὰρ ἐμῆς κόρυθος λεύσσουσι μέτωπον
Ἐγγύθι λαμπομένης.-
-poterunt galeam nec cernere contrà
Ære renidentem.-

& libro ſequenti Glaucus Hectorem ita compellat, verſu 166.

Ἀλλὰ σύγ' Αἴαντος μεγαλήτορος οὐκ ἐτάλασσας
Στήμεναι ἄντα κατ' ὄσσε ἰδὼν δηΐων ἐν ἀϋτῇ.
Sed tu magnanimo in faciem nec ſiſtere contra
Aiaci medio potuiſti in turbine Martis.

Theocritus Eidyllio 4. verſu 35.

-μέγα δ' ἄχθομαι, εἴ τύ με τολμῇς
Ὄμμασι τοῖς ὀρθοῖσι ποτιβλέπεν.-
-æſtuat ingens
Corde dolor, ſi vel recto me lumine cernas.

Liuius lib. 7. *Samnites, cùm quæreretur quanam prima cauſſa tam obſtinatos mouiſſet in fugam, oculos ſibi Romanorum ardere viſos aiebant, veſanóſque vultus & furentia ora, inde plùs quàm ex alia vlla re terroris ortum.*

AXIOMATA.

Solus virorum fortium vultus perterret inimicos.

Quod omnium gratia facere noluimus, velle non debemus cum aliquorum querela.

ARGVMENTVM.

Argumentum ſuperiùs tractatum circunſtantia temporis corroborat, quia noluiſſet vllam Milo populi offenſionem incurrere, quo tempore comitiorum conſularium dies imminebant, atque adeò, quamuis cæteroquin Clodium occidere voluiſſet, tunc tamen metu offenſionis à cæde, & inſidiis ſibi temperaſſet.

XLIII. PRæſertim, Iudices, cùm honoris ampliſſimi contentio, & dies comitiorum ſubeſſet: quo quidem tempore (ſcio enim quàm timida ſit

ambitio, quantáque, & quàm ſollicita cupiditas conſulatus) omnia non modò, quæ reprehendi palàm, ſed etiam quæ obſcurè cogitari poſſunt, timemus: rumorem, fabulam fictam, falſam perhorreſcimus, ora omnium, atque oculos intuemur. nihil enim eſt tam molle, tam tenerum, tam aut fragile, aut flexibile, quàm voluntas erga nos, ſenſúſque ciuium: qui non modò improbitati iraſcuntur candidatorum, ſed etiam in rectè factis ſæpe faſtidiunt.

EXPLANATIO.

PRÆSERTIM.] *Candidatus non ponit inſidias.*

Sed Milo fuit candidatus.

Ergo non poſuit inſidias.

Maior in ſua probatione continetur. minor his verbis *præſertim*, &c. *ſubeſſet.* probatio maioris eſt huiuſmodi.

Timidus & ſollicitus de ſua exiſtimatione non ponit inſidias.

Sed candidatus eſt timidus & ſollicitus de ſua exiſtimatione.

Ergo candidatus non ponit inſidias.

Maior iterum plana eſt, minor his verbis inuoluitur. *quo quidem tempore*, &c. *intuemur.* probat deinde minorem, reddita ratione cur metuant candidati. *nihil enim eſt*, &c. *ſæpe faſtidiunt.*

HONORIS.] Cùm comitia conſularia imminerent, quibus comitiis cum Hipſæo & Scipione contendebat de Conſulatu adipiſcendo, qui honor & magiſtratus eſt omnium ordinariorum ampliſſimus.

SCIO ENIM.] Experientia compertum habeo, fui enim candidatus.

RVMOREM.] Placet quorundam lectio. *Rumorem, fabulam falſam, fictam, leuem perhorreſcimus.* Fr. Modius ep. 39. legit *leuem rumorem, fabulam fictam perhorreſcimus.*

ORA OMNIVM.] Ita timidi ſumus, vt ex ore & oculis omnium pendeamus, & ex eorum nutibus indicia captemus, quibus poſſimus eorum erga nos voluntatem agnoſcere.

NIHIL EST.] Reddit rationem quare timida ſit ambitio. quia videlicet facilè populus offenditur vitiis candidatorum, ergo meritò timetur.

NOTÆ.

I. HONORIS AMPLISSIMI.] Maximi, ſupremi. quo ſenſu Græci ὕπατον & ὑπατείαν nominarunt.

II. QVAM TIMIDA SIT AMBITIO.] Tertullianus de pallio cap. 4. vim ambitionis ita deſcribit: *Calor eſt omnis affectus, verùm cùm in affectationem (honoris) flabellatur, iam de incendio gloriæ ardor eſt. habes igitur ex iſto fomite æſtuantem magnum Regem ſola gloria minorem. vicerat Medicam gentem, & victus eſt Medica veſte. triumphalem cataphractem amolitus in captiua ſarabara deceſſit: pectus ſquamarum ſignaculis diſculptum textu pellucido nudauit, anhelum adhuc ab opere belli, vt molliùs ventilante ſerico extinxit.* Nota tamen ambitionis nomen non ſoli honorum cupiditati, ſed etiam auaritiæ conuenire. Feſtus, Ambitus: *crimen auaritiæ aut affectati honoris appellatur.* vbi notat Scaliger Lucilium citari à Probo vetere Iuuenalis interprete.

Ambitionis vis.

Ambitio auaritiæ.

Aurum atque ambitio ſpecies virtutis vtrique eſt

Quantum habeas, tanti ipſe ſies, tantiq́; habearis.

Ouidius 2. Faſtorum:

Nulla tibi ambitio eſt, nullo corrumperis auro.

Plerumque tamen ambitus crimini datur, ambitio non item, vt hoc loco, & alibi. Quod ſpectat ad ambitionis timiditatem fusè Dio Chryſoſtomus orat. 1. de gloria: Ὅσῳ μὲν τοι προχωρεῖ τὸ τῆς δόξης, ἐπὶ πλέον, τοσούτῳ μᾶλλον οὐκ ἔστι λαχεῖν ὕπνου. ἀλλ' ὥσπερ οἱ φρενετίζοντες, οὕτως ἀεὶ μετέωρος οὗτος, καὶ νύκτωρ καὶ μεθ' ἡμέραν. *Quanto enim magis proceſſerit gloriæ ſtudium, tanto magis ſomnum capere non datur, ſed quemadmodum phrenetide laborantes, ita hic ſemper eſt ſuſpenſus, noctu & interdiu.* Item: Ἀνάγκη τὸν ὑπὸ τῆς νόσου ταύτης ἐχόμενον ὑπεύθυνον περιέρχεσθαι καὶ προσέχειν ἑκάστῳ, καὶ δεδοικέναι, μή τι τινὰ ἑκὼν ἢ ἄκων λυπήσῃ, μάλιστα τῶν ἑτοίμων τινὰ καὶ τῶν εὐτραπέλων. *Neceſſe eſt hoc morbo laborantem ſententiis omnium obnoxium circuire, & attendere vnicuique, metueréque ne quem nolens aut volens offendat, & præcipuè promptum aliquem & facetum.* Καθάπερ, οἶμαι, τῶν παιδαρίων ἕκαστον ἰδιότροπόν τινα μορμὼ δέδοικε, καὶ ταύτην συνείθισται φοβεῖσθαι. τὰ μὲν γὰρ φύσει δειλά, πᾶν ὅ, τι ἂν δείξῃ τις, ὡς φοβερὸν βοᾷ. *Sicuti, opinor, puerorum quiſque ſuo modo terriculamenta metuit, atque timere aſſuetus eſt. Qui enim natura timidi ſunt, ob vnumquodque tanquam terribile oſtenſum, clamant.* Concludit hunc locum: Ἀεὶ βίον ἄθλιον ζήσεις καὶ χαλεπὸν πᾶσιν ὑποκείμενος τοῖς βουλομένοις λυπεῖν, καὶ τοῦτο δὴ τὸ τοῦ λόγου, λαγὼ βίον ζῶν. ἀλλ' ἐκεῖνοι μὲν τοὺς κύνας, καὶ τὰ δίκτυα, καὶ τοὺς αἰετοὺς δεδοίκασι, σὺ δὲ τοὺς λόγους ἐπτηχὼς καὶ τρέμων περιελεύσῃ. *Semper miſeram viues vitam atque difficilem, omnibus ſubiectus, qui te volent vrere, atque ita iuxta prouerbium, Leporis vitam ages. At illi quidem canes, & plagas, & venatores metuunt, tu verò ſermones formidans ac metuens circumibis.*

Ambitionis timiditas.

QVAM SOLLICITA.] Hanc Candidatorum ſollicitudinem pulchè deſcripſit Tertullianus lib. de pœnitentia: *Sed enim illos qui ambitu obeunt capeſſendi magiſtratus, neque pudet, neque piget incommodis animæ & corporis, nec incommodis tantùm, verùm & contumeliis omnibus eniti in cauſſa votorum ſuorum. Quas non ignobilitates veſtium affectant? quæ non atria nocturnis & crudis ſalutationibus occupant? omnem occurſum maioris cuiuſque decreſcentes, nullis conuiuiis celebres, nullis comeſſationibus congreges, ſed exules à libertatis & lætitiæ fœlicitate: idque totum propter vnius anni volaticum gaudium. nos quòd ſecurium virgarúmque petitio ſuſtinet, in periculo æternitatis tolerare dubitamus?* Claudius Mamertinus in gratiarum actione. *Quis ignorat tum quoque cùm honores populi Romani ſuffragiis mandabantur, multos fuiſſe candidatorum labores? ediſcenda omnium nomina, tributim homines atque etiam ſinguli ſalutandi, prehenſandæ obuiorum*

III. Ambitioſi ſollicitudo.

manus, omnibus arridendum, non ſolùm cum infimis, ſed etiam cum ignotis familiaritatis imago ſimulanda, multáque alia propter honorem agenda, quæ aliàs virum honore dignum facere non liceret. Plutarchus in quæſt. Romanis, prob. 49. Καθάπερ τῷ δεξιοῦσθαι καὶ παρακαλεῖν, καὶ ὑποπίπτειν. οὕτω τῇ γυμνότητι ταπεινοῦντες ἑαυτοὺς ἐδημαγώγουν. *Quemadmodum prehenſando, & nominatim inuocando, & ſe demittendo, ita corporis nuditate ſe abiicientes populi gratiam captabant.* Plinius Iunior lib. 1. epiſt. 9. *Itaque prendo amicos, ſupplico, ambio domos, ſtationéſque circumeo, quantúmque vel authoritate, vel gratia valeam, precibus experior.* Quintus Cic. de petitione conſulatus hanc candidatorum ſollicitudinem ad ſex capita reuocat. *Ea deſiderat nomenclationem, blanditiam, aſsiduitatem, benignitatem, rumorem, ſpem in Rep.* vide de ſingulis. Cyprianus ad Donatum. *Illum vides qui amictu clariore conſpicuus fulgere ſibi videtur in purpura, quibus hoc ſordibus emit vt fulgeat? quos arrogantium faſtus priùs pertulit? quas ſuperbas fores matutinus ſalutator obſedit? quot tumentium contumelioſa veſtigia in clientium cuneis antè præceſſit, vt ipſum etiam ſalutatum comes poſtmodum pompa præcederet obnoxia non homini, ſed poteſtati?* Placet huc ambitioſi dæmonis picturam, è Dione Chryſoſtomo oratione 4. de regno exhibere, qua ambitionis timiditas & ſollicitudo mirè deſcribitur: φέρε δὴ ποῖόν τι πλάττωμεν, πότε σχῆμα καὶ εἶδος τοῦ φιλοτίμου δαίμονος; ἢ δῆλον ὅτι πτερωτόν τε καὶ ἀερώμενον; κατὰ τὸ ἦθος αὐτοῦ, καὶ τὴν ἐπιθυμίαν ἅμα τοῖς πνεύμασι φερόμενον. *Age verò, qualem fingere debemus, & habitum & ſpeciem ambitioſi Genij? An conſtat quòd alatum, & ventis expoſitum, ſecundum illius mores atque cupiditates cum ventis pariter ruentem?* &c. Paulò pòſt: ὁ δὲ τῶν φιλοδόξων ἀνδρῶν προστάτης ἀεὶ μετέωρος, οὐδὲ γῆς ἐφαπτόμενος, οὐδὲ ταπεινοῦ τινος ἀλλ' ὑψηλὸς καὶ μετάρσιος. ὅταν μὲν αἰθρίας τύχῃ καὶ γαλήνης, ἢ ζεφύρου τινὸς ἐπιεικῶς πνέοντος, ἀεὶ μᾶλλον ἀγαλλόμενος τε καὶ ἰὼν εἰς αὐτὸν τὸν αἰθέρα. Καὶ πολλάκις δ' ἐν σκοτεινῷ νέφει κρυπτόμενος ἀδοξίας τινὸς συντεχούσης, καὶ φόβου παρὰ τῶν πολλῶν ἀνθρώπων, οὓς ἐκεῖνος θεραπεύει τε καὶ τιμᾷ, καὶ τῆς εὐδαιμονίας τῆς αὐτοῦ κυρίους ἀπέδειξεν. *Ambitioſorum autem virorum præfectus, ſemper eſt in ſublimi ſuſpenſus, neque vnquam contingit terram, aut aliquid humile, ſed excelſus & ſublimis fertur. Quãdo nactus fuerit ſerenitatem & tranquillitatem, aut fauonium leuiter ſpirantem, ſemper magis exultat & vadit in æthera ipſum. Et frequenter ſeſe in tenebroſa abſcondit nube, concurrente aliqua ignominia, & timore, à vulgaribus hominibus, quos ille colit & honorat, & felicitatis ſuæ dominos conſtituit.* Eum deinde cum Icaro confert & Ixione. vide. Οὐ γὰρ ἀπεοικός, οὐδὲ μακρὰν δὴ τῶν σοφῶν τι καὶ κομψῶν εἰκασμάτων εἴη ἂν καὶ ὁ τροχὸς δόξῃ παραβαλλόμενος, τῇ τε κινήσει, καὶ μεταβολῇ τῇ ῥᾳδίως περιδινῶν, ἐν δὲ τῇ περιφορᾷ παντοῖα σχήματα τὴν ψυχὴν ἀναγκάζει λαμβάνειν μᾶλλον, ἢ ὁ τῶν κεραμέων τὰ ἐπ' αὐτῷ πλαττόμενα. αὐτὸν δὲ δὴ τοιοῦτον εἰλούμενον ἀεὶ καὶ περιφερόμενον, κόλακα δήμων τε καὶ ὄχλων, ἐν ἐκκλησίαις ἢ ἐπιδείξεσι, βασιλέων ἢ τυράννων λεγομένων φιλίαις καὶ θεραπείαις, τίς οὐκ ἂν ἐλεήσειε τῆς φύσεως καὶ τοῦ βίου; *Neque enim abſonum, neque alienum à ſapientibus ſcitíſque imaginibus eſſet rota comparata gloriæ, & motu & mutatione facillimè in orbem currens. In circumuolutione verò omnifarias figuras cogit animam recipere, magis quàm figulorum rota ea quæ ſuper illam finguntur. Talem igitur hominem volutum ſemper & circumrotatum, adulatorem populorum & turbarum in concionibus, & ſalutationibus, ſuique oſtentationibus, Regum aut Tyrannorum amicitiis & obſequiis, quis non miſeraretur ob hanc naturam & vitam?* Malim ἐπιλέξεσι, quàm ἐπιδείξεσι. Lucretius lib. 3. mauult ambitioſum Siſypho comparare, lib. 3.

Dæmon ambitionis eiuſque pictura.

Siſyphus in vita quoque nobis ante oculos eſt,
Qui petere à populo faſceis ſæuáſque ſecures
Imbibit, & ſemper victus triſtíſque recedit.
Nam petere imperium, quod inane eſt, nec datur vnquam,
Atque in eo ſemper durum ſufferre laborem,
Hoc eſt aduerſo nixantem trudere monte,
Saxum, quod tamen à ſummo iam vertice, rurſum
Voluitur & plani raptim petit æquora campi.

Syneſius in Dione ambitioſum populares auras aucupantem ita deſcribit: ὁ δοῦλος, ὁ δημόσιος, ὁ πᾶσιν ἔνοχος, ὃν ἔξεστι τῷ βουλομένῳ διαθεῖναι κακῶς. *Publicum mancipium, omnibus obnoxius, quem in cuiuſuis poteſtate eſt moleſtè afficere.*

RVMOREM, FABVLAM.] Pro Murena 35. de his ipſis comitiis agens: *Totam opinionem parua nonnunquam commutat aura rumoris.* Rumor frequenter in hoc ſenſu, vt IV.

Et rumor de te non bonus vrbe fuit.

Idem fama vt Catullus:

Lædit te quædam mala fabula qua tibi fertur
Valle ſub alarum trux habitare caper.

vide dicta pro Cœlio.

CANDIDATORVM.] Candidati dicti ſunt, quòd magiſtratum petentes candidâ togâ vterentur. Macrobius lib. 1. Saturn. cap. 16. *Mos fuit petitoribus vt ſumptâ candidâ togâ nundinis in comitium venirent, & in colle conſiderent, vnde coram poſſent ab vniuerſis videri.* Verùm cùm omnes togæ albi coloris eſſent, vt nos in Piſoniana iam oſtendimus, dubitare poſſis, vnde qui magiſtratum petebant, candidati potiſſimùm dicerentur. Duæ poſſunt adferri rationes. Altera quòd magiſtratum petentes, nihil haberent antiquitus in veſtimentis præter album, atque adeò tunicam, quæ vel purpurea fuit, vt defendit Aldus Manutius lib. 2. de Quæſitis per Epiſtolam ep. 2. vel, ſi fuit albi coloris, vt mauult Lipſius elect. 1. cap. 13. ſaltem tunica Senatorum latos è purpura clauos, equitum anguſtos, inſutos aut intextos habuit, hanc inquam tunicam vel purpuream, vel ſaltem purpura variatam deponerent. Certè, vt obiter id dicam, Aldo magis aſſentior, Ciceronis authoritate permotus in Cluentiana de Quintio Tribunoplebis ita loquentis: *Facite, vt non ſolùm mores eius & arrogantiam, ſed etiam vultum atque amictum, atque illam vſque ad talos demiſſam purpuram recordemini.* quod ſine dubio vel de toga prætexta, vel de tunica debet intelligi: de toga prætexta non poteſt, tum quòd probro non eſſet togam ad talos demittere, ſaltem æuo Ciceronis. Quintilianus libro vndecimo, cap. 1. *Togam veteres ad calceos vſque demittebant, vt Græci pallium, idque vt fiat qui de geſtu ſcripſerunt, Plotius Nigidiúſque præcipiunt.* Nigidius amiciſſimus ille Ciceronis: tum maximè quòd Tribuniplebis toga prætexta non vterentur. Plutarchus in quæſtionibus Romanis, probl. 81. Διὰ τί περιπόρφυρον ὁ δήμαρχος οὐ φορεῖ, τῶν ἄλλων ἀρχόντων φορούντων; *Cur prætexta non vtitur Tribunuſplebis, cæteris magiſtratibus vtentibus?* Adde

V. Candidati.

Tunicæ antiquorum purpureæne an albæ.

quòd, vt iam diximus alibi, Tullius in Sextiana, purpuræ plebeiæ faciat mentionem: eius opinor qua etiam homines plebeij in tunicis vti conſueuerant. Sed cuiuſcunque tandem coloris fuerit, eam ſolebant candidati deponere: vt ne vnum quidem è purpura clauum retinerent, atque adeò eſſent omninò candidati. Plutarchus in quæſt. Rom. probl. 49. Διὰ τί τοὺς παραγγέλλοντας ἀρχὴν, ἔθος ἦν ἐν ἱματίῳ τοῦτο ποιεῖν ἀχίτωνας, ὡς Κάτων ἱστόρηκε; *Cur qui magiſtratus petebant, id in toga ſine tunica facere conſueuerant, vt auctor eſt Cato?*

Candidati ſine tunica.

Addit: Τοὺς ἀξίους ἄρχειν οὐ γένεσιν, οὐδὲ χρήμασιν, οὐδὲ δόξαις, ἀλλὰ τραύμασι καὶ ὠτειλαῖς ἔκρινον. ὅπως οὖν ταῦτα καθορῷτο, τοῖς ἐντυγχάνουσιν ἀχίτωνες ἐπὶ τὰς ἐπαγγελίας κατῄεσαν. *Dignos magiſtratu non genere, neque diuitiis, neque gloria, ſed vulneribus & cicatricibus dignoſcebant. vt igitur hæc conſpicua eſſent occurrentibus, ſine tunicis ad petendos magiſtratus deſcendebant.* ἀχίτωνες ſine tunica: vnde & candidatorum in toga candida, ſæpe inuenias mentionem, nuſquam autem tunicæ, teſtis oratio quam habuit Noſter IN TOGA CANDIDA contra competitores ſuos Catilinam & Antonium: teſtes ſexcenta paſſim veterum exempla: ne te ab Alexãdro Neapolitano patiaris induci, cuius verba ſunt libro 3. Genial. dier. cap. 3. *Candidatorum verò mos fuit, cùm comitia fiunt, & in ſuffragium cives vadunt, in candida veſte, ſine toga in campum deſcendere, cum clientibus gentilibúſque, ſingulaſque tribus prehenſare, & circuire.* Vellem ſine tunica dixiſſet: Neque ſanè eſt quòd deformem verearis in candidatorum corpore nuditatem, ita enim poterant cicatrices in aduerſo pectore receptas oſtendere, vt tamen nuditas indufio, vel ſubligaribus tegeretur. Altera ratio cur *candidati* dicerentur, refertur ab Iſidoro: *Erat enim candida, cui intendendæ albedinis cauſſa Cretam addiderant.* Hinc à Perſio ſat. 5. *Cretata ambitio* nominatur. quo ſenſu capiendus eſt Liuius dec. 1. lib. 4. anno ab V.C. 323. *Placet tollendæ ambitionis cauſsâ Tribunos legem promulgare, ne cui album in veſtimentum addere petitionis cauſsâ liceret. parua nunc res, nec ſeriò agenda videri poſſit, quæ tunc ingenti certamine Patres ac plebem accendit.* quo loco *album in veſtimentum addere*, eſt cretâ perlitâ accerſitium candorem albedini natiuæ adiungere. Plinius lib. 35. cap. 17. quinque enumerat cretæ genera ad veſtium vſus, & ait inter cætera: *Vmbrica non niſi poliendis veſtibus aſſumitur. Neque enim pigebit hanc quoque partem attingere, cùm lex Metella extet fullonibus dicta, quam C. Flaminius, L. Æmilius Cenſores dedêre ad populum ferendam. adeò omnia maioribus curæ fuere.*

Creta addita veſtibus candidatorum.

VI. RECTE FACTA SÆPE FASTIDIVNT.] Plutarchus in præceptis politicis hoc ipſum populi faſtidium deſcribens:

Πλάτων ὁ κωμικὸς τὸν δῆμον αὐτὸν λέγοντα ποιεῖ.
Λαβοῦ, λαβοῦ τῆς χειρὸς ὡς τάχιστά μου,
Μέλλω στρατηγὸν χειροτονεῖν Ἀγύρριον.
καὶ πάλιν αἰτοῦντα λεκάνην καὶ πτερὸν, ὅπως ἐμέσῃ λέγοντα.
Προσίσταταί μου πρὸς τὸ βῆμα Μαντίλη· καὶ
Βόσκει δυσώδη κεφαλὴν αἰσχίστην νόσον.

Plato comicus populum ipſum ita loquentem inducit.

Faſtidioſus populus.

Prehende, prehende quàm celerrime manum,
Agyrrium creare Prætorem volo.
& rurſus petentem peluim & pennam vt vomat ac dicentem.
Hîc ad tribunal Mantile aſſiſtit mihi. &
Alit caput fœtens luem turpiſſimam.

Ad hoc ipſum faſtidium alluſit ibidem Themiſtocles dicens: Τί ὦ μακάριοι κοπιᾶτε πολλάκις εὖ πάσχοντες; *Quid, ô boni viri, defatigamini tot bonis acceptis?* quare ſapienter idem monet Plutarchus: Δεῖ δὲ ὥς φασιν, ἐρῶντι τῷ δήμῳ τὸν πολιτικὸν προσφέρεσθαι, καὶ μὴ παρόντος ἑαυτοῦ πόθον ἐναπολείπειν. *Oportet politicum ad populum tanquam ad amatorem accedere, & interdum ſui abſentis deſiderium relinquere.* Maieſtati enim, vt ait Tacitus 1. annalium, *maior è longinquo reuerentia.* Thucydides lib. 6. Τὰ γὰρ διὰ πλείστου πάντες ἴσμεν θαυμαζόμενα, καὶ τὰ πεῖραν ἥκιστα τῆς δόξης δόντα. *Quæ enim rara ſunt & remota ſcimus omnes maiori admirationi eſſe, quæque minimam ſuæ gloriæ experientiam dederunt.* hinc illud boni Poëtæ:

-minuit præſentia famam.

Minuit præſentia famã.

Pulchrè etiam Liuius decadis 4. lib. 5. *Maior gloria Scipionis, at quo maior, eo propior inuidiæ. Quintij recentior, vt qui eo anno triumphaſſet. accedebat quòd alter decimum iam propè annum aſſiduus in oculis dominum fuerat, quæ res minus verendos magnos homines ipſa ſatietate facit*, &c. Tullius lib. 2. ad Atticum, epiſt. 5. *Cupio equidem & iampridem cupio Alexandriam, reliquámque Ægyptum viſere, & ſimul ab hac hominum ſatietate noſtri diſcedere, & cum aliquo deſiderio reuerti.* pro Murena 21. *Iſta noſtra aſſiduitas, Serui, neſcis quantum interdum afferat hominibus faſtidij, quantum ſatietatis.* ad hoc faſtidium referri poſſit, & illud Ariſtophanis in Equitibus:

-νῷν γάρ ἐστι δεσπότης
Ἄγροικος ὀργὴν, κυαμοτρὼξ, ἀκράχολος,
Δῆμος πυκνίτης, δύσκολον γερόντιον,
Ὑπόκωφον.-

- nobis enim dominus eſt
Agreſtis ira, fabiuorus, in iracundiam pronus
Populus concionibus gaudens, moroſus ſenex,
Surdaſter.-

Κυαμοτρὼξ quòd fabis, id eſt magiſtratuum creationibus cum faſtidio veſceretur. Interpres: Τρεφόμενος ἀπὸ τῶν κυάμων ἐπεὶ ἀντὶ ψήφων ἐχρῶντο, ἐν ταῖς χειροτονίαις τῶν ἀρχόντων, καὶ ταῖς ἐκκλησίαις. *Qui fabis nutritur, quia fabis vtebantur in magiſtratuum comitiis loco calculorum, item in concionibus.*

AXIOMATA.

Timida & ſollicita eſt ambitio.

Ambitioſi omnia non modò quæ reprehendi palàm, ſed etiam quæ obſcurè cogitari poſſunt, timent, rumorem fictum, fabulam leuem perhorreſcunt, omnium ora atque oculos intuentur.

Nihil eſt tam molle, tam tenerum, tam fragile, tam flexibile, quàm hominum voluntas qui in rectè factis ſæpe faſtidiunt.

ARGVMENTVM.

Primò loco ponitur ſuperioris argumenti concluſio: deinde oſtendit potiorem fuiſſe rationem cur ante comitia, Clodius inſidias compararet: denique idem efficit ex pœna quam Milo metuebat, & impunitate quam ſperabat Clodius.

XLIV. HVNC diem igitur campi ſperatum, atque exoptatum ſibi, proponens Milo cruentis manibus ſcelus & facinus præ ſe ferens, & confitens, ad illa auguſta centuriarum auſpicia veniebat? quàm hoc non credibile in hoc? quàm idem in Clodio non dubitandum, qui ſe, interfecto Milone regnaturum putaret? Quid quod caput audaciæ eſt, Iudices: quis ignorat, maximam illecebram eſſe peccandi impunitatis ſpem? in vtro igitur hæc fuit? in Milone, qui etiam nunc reus eſt facti aut præclari, aut certè neceſſarij; an in Clodio qui ita iudicia, pœnámque contempſerat, vt eum nihil delectaret, quod aut per naturā fas eſſet, aut per leges liceret?

EXPLANATIO.

HVNC DIEM.] Concluſionem obiecta religione corroborat: quaſi dicat: etiamſi Milo de retinenda Ciuium beneuolentia non cogitaſſet, tamen, quæ ipſius eſt pietas & religio, comitiorum auſpicia & diei ſanctitatem polluere noluiſſet: quæ ſine dubio polluta fuiſſet, ſi manibus cruentis poſt cædem patratam candidatus in campum auſus fuiſſet deſcendere.

CENTVRIARVM.] Quæ auſpicatò conueniunt, & auguriis ex arce captatis.

QVAM NON CREDIBILE IN HOC?] Rurſus argumentum à Milonis natura confirmat: qui fuit ſemper religionibus deditus, & à vi alienus.

QVAM IDEM IN CLODIO NON DVBITANDVM.] Qui & contemptor fuit auſpiciorum & religionum, quas in ſacris bonæ Deæ polluit, & ſperabat ſe, occiſo Milone, impediri non poſſe, quo minùs in Prætura ſua vexaret omni ſcelere Remp.

QVID?] *Spes impunitatis eſt maxima peccandi illecebra.*

Sed ſpem impunitatis habuit Clodius, non Milo.

Ergo Clodius habuit maximam peccandi illecebram.

QVI ETIAM NVNC.] Probat minorem quoad poſteriorem partem: argumento à conſequentibus deducto.

Non habuit impunitatem.

Ergo non ſperauit.

FACTI, AVT PRÆCLARI.] Cædis Clodio illatæ per facinus, aut præclarum, ſi Clodium occidit, vt Remp. ab eius furore vindicaret: aut certè neceſſarium, ſi id egit, vt ſe capútque ſuum Clodij inſidiis appetitum tueretur.

AN IN CLODIO.] Probat priorem partem eiuſdem minoris, ab antecedentibus & anteactâ Clodij vitâ: qui iudicia contempſerat, & primò quidem Iudices corruperat, cùm accuſatus eſt de inceſtu Bonæ Deæ puluinaribus illato: deinde cùm de vi accuſatus eſt à Milone, iudicium Metelli Nepotis Conſulis auctoritate diſcuſſit. eius autem nequitiam mirè exaggerat, quòd non ſolùm eſſet malus, ſed etiam ſolo boni faſtidio malus: & omnia tum naturæ, tum legum iura violaret.

NOTÆ.

CAMPI.] Iam antè Martium campum ex Strabone deſcripſimus. nunc obiter Varro lib. 4. de lingua Latina. *Quod primum ex agro plano fructus capiebant, Campus dictus.* Scaliger nomen aliunde deriuat. quia *Siculi circum, aut hippodromum* καμπὸν *vocabant à flexu equorum & quadrigarum quæ ibi certabant. inde omnia plana* καμπὶ *dicti: Poëtæ vocant Æquora terræ.* Quæ ſi ita ſunt, peculiaris erit ratio cur campus Martius diceretur. propter illas ἁρματοδρομίας quarum Strabo ſuperius fecit mentionem. I. Campi nomen.

AVGVSTA.] Suetonius in Auguſto cap. 7. Præualuit *vt Auguſtus potiùs vocaretur, non tantùm nouo, ſed etiam ampliore cognomine, quod loca quoque religioſa, & in quibus auguratò quid conſecratur, auguſta dicantur, ab auctu, vel ab auium geſtu, guſtúve, ſicut etiam Ennius docet ſcribens:* II. Auguſtus.

Auguſto augurio, poſtquam inclyta condita Roma eſt.

Feſtus: *Auguſtus locus ſanctus, ab auium geſtu, id eſt, quia ab auibus ſignificatus eſt ſic dictus: ſiue ab auium guſtatu, quia aues paſtæ id ratum fecere.* Ouidius 4. Faſtorum:

Sancta vocant auguſta Patres, Auguſta vocātur
Templa ſacerdotum rite dicata manu.

CENTVRIARVM AVSPICIA.] Auſpicia comitiorum, vt ſumma quæque libemus, ſpectionem augurum, obſeruationem tripudij, & aliorum omnium, fauſtam precationem eius qui habebat comitia præcipuè cōtinebat. Nos, quāuis in hoc puluere viri eruditi iam antè ſudarunt, tamen de ſingulis pauca dicamus, & primo de augurum ſpectione. Augur è collegio à magiſtratu qui habebat comitia lectus nominatim, ſilentio ſurgebat, & ſi nec ipſe vlcus haberet, nec cœlum turbidum eſſet aut procelloſum, in trabea partim purpurea, partim coccinea, lituum manu gerens habénſque laternam apertam ipſo comitiorum die ſedens in Pompeio, tabernaculum capiebat certum aëris ſpatium lituo definiens, in quod aues præpetes aduolarent, ad ſiniſtram auguris ſi erant fauſtæ, ad dextram ſi infauſtæ. ex quarum volatu auguria captabant, quaſi quidam diuinæ voluntatis interpretes. Et ſi aduerſis auſpiciis inita comitia vellent diſſoluere, *alio die,* dicebant ſin rata haberi vellēt, & aues addixiſſent, ſiniſtrum III. Ritus auguriorum.

ſiniſtrum auſpicium, id eſt fauſtum, ſi nec aduerſa quæ impedirent, nec proſpera quæ confirmarent auſpicia viſa eſſent, *ſilentium* eſſe dicebant. nunc ad ſingula veniamus.

1. Dixi augurem à magiſtratu qui comitiis præerat lectum fuiſſe nominatim. Marcus Tullius 2.
Augur lectus a magiſtratu qui comitiis præerat. de Diuinatione 108. *Hæc certè quibus vtimur, ſiue tripudio, ſiue de cœlo, ſimulachra ſunt auſpiciorum, auſpicia nullo modo. Quinte Fabi, te mihi in auſpicio eſſe volo. reſpondet, Audiui. hic apud maiores adhibebatur peritus, nunc quilibet.*

2. *Silentio ſurgebat.* Feſtus ſupplente aliquot lacunas Scaligero. *Silentio ſurgere Verrius ait dici, vbi qui poſt mediam noctem auſpicandi cauſſa ex lectulo ſuo ſurgit, & liberatus à lecto, in ſolido ſedet, ſiléque ne quid eo tempore deiiciat, inde ſe in lectum repoſuit.* vbi Scaliger: *Apertè ſolidam ſellam fuiſſe ait, vt ſtabilior eſſet, ne fortè quid in ſedendo deiiceret, & vitium auſpicio ſtrepitu faceret.* Has enim, ſi ſuperis placet, nugas etiam obſeruitabāt, vt ait Cato Cenſorius apud Feſtum in prohibere. *Serui ancillæ, ſi quis eorum ſub centone crepuit.* vide etiam eundem in *ſolida ſella.*

Si nec vlcus haberet. 3. *Si nec vlcus haberet.* Plutarchus in quæſtionib. Rom. 73. Διὰ τί ἀπείρηται τοῖς ἕλκος ἔχουσιν ἱερεῦσιν ἐπ' οἰωνῶν καθίζεσθαι; *Quare auguribus vlcus habentibus ad auguria ſpectanda ſedere prohibetur?* vbi reddit hanc potiſſimùm rationem, quòd non deceret ἕλκος ἴδιον, καὶ πάθος ἔχοντας ἐν τῇ ψυχῇ τὰ θεῖα χρηματίζειν. *Eos qui vulnus haberent, aut perturbationem in animo, diuina tractare, de iiſque aliquid nuntiare.*

4. *Si nec cœlum turbidum eſſet.* Plutarchus
Nec cœlum turbidū eſſet. ibidem 72. Πνευμάτων δὲ ὄντων οὐκ εὐσταθοῦσιν οἱ ὄρνιθες, οὐδὲ βέβαια σημεῖα παρέχουσι διὰ τὴν πλάνην, καὶ τὴν ἀνωμαλίαν. διδάσκουσιν οὖν τῷ ἔθει μὴ πνευμάτων ὄντων, ἀλλὰ νηνεμίας καὶ καταστάσεως, ἐπὶ ταῦτα προϊέναι τοὺς οἰωνοπόλους, ὅτε δύνανται τοῖς λαμπτῆρσιν ἀνεῳγμένοις χρῆσθαι. *Ventis exiſtentibus non rectè conſiſtunt aues, neque certa ſigna præbent propter errores & inæqualitatem volatus. Docent igitur hac conſuetudine non ventis ſpirantibus, ſed arridente ſerenitate, auguria eſſe captanda, cùm poſſunt apertis laternis vti.*

5. Trabeam augures partim purpuream, par-
Trabea & purpura auguralis. tim coccineam habuerunt. de augurum purpura Noſter ad Atticum lib. 2. epiſt. 9. *Etiam Vatinij ſtrumam Sacerdotij* διβάφῳ *veſtiant.* Vatinius autem, vt alibi dictum eſt, Augur in Q. Metelli locum fieri cogitabat. Seruius in 7. Æneidos ad illa,

Ipſe Quirinali lituo paruáque ſedebat
Succinctus trabea.-

Toga eſt augurum, inquit, *de cocco & purpura.* & rurſum ad illa,

Ipſe Quirinali trabea cinctúque Gabino
Inſignis.

Suetonius in libro de genere veſtium dicit tria eſſe genera trabearum, vnum Diis ſacratum quod eſt tantùm de purpura. Aliud Regum, quod eſt purpureum, habet tamen album aliquid. tertium augurale de purpura & cocco.

6. *Lituum gerens & laternam apertam.* Liuius libro 10. in Decij Muris oratione. *Cui hominum*
Lituus. *Deorúmque indignum videri poteſt, eis viris quos vos ſellis curulibus, toga prætexta, tunica palmata, & toga picta, & corona triumphali laureáque honoraritis, quorum domos ſpoliis hoſtium affixis inſignes inter alias feceritis, pontificialia atque auguralia inſignia adiicere? qui Iouis Opt. Max. ornatu decoratus curru aurato per vrbem vectus in Capitolium adſcenderit, ſi conſpiciatur cum capide ac lituo, capite velato victimam cædat, auguriúmve ex arce capiat.* Noſter 1. de Diuinatione 57. *Quid lituus iſte veſter? (quod clariſſimum eſt inſigne auguratus) vnde vobis eſt traditus? nempe eo Romulus regiones direxit tum, cùm vrbem condidit. qui quidem Romuli lituus (id eſt incuruum & leuiter à ſummo inflexum bacillum, quod ab eius litui quo canitur, ſimilitudine nomen inuenit) quum ſitus eſſet in curia Saliorum, quæ eſt in palatio eáque deflagrauiſſet, inuentus eſt integer.* eadem Plutarchus, Liuius, Dionyſius, & alij prodiderunt.

7. De laterna Plutarchus citato, problemate 72. Διὰ τί τῶν ἐπ' οἰωνοῖς ἱερέων (οὓς αὐσπίκας πρότερον, αὔγουρας δὲ νῦν καλοῦσιν) ᾤοντο δεῖν ἀεὶ τοὺς λαμπτῆρας ἀνεῳγμένους εἶναι, καὶ τὸ πῶμα μὴ ἐπικεῖσθαι. *Cur eorum qui auſpicia capiunt, quos priùs auſpices, nunc augures appellant, putabant laternas apertas ſemper eſſe relinquendas impoſito operculo.* Laternis porrò **Laterna augurum.** vtebantur, quia noctu, & à media nocte auguria captabant. Gellius lib. 3. noct. Attic. cap. 2. *Ad hoc ritus quoque & mos auſpicandi eandem eſſe obſeruationem docet. nam magiſtratus* quod de auguribus poſſit intelligi, *quando vno die eis auſpicandum eſt, & id ſuper quo auſpicauerunt agendum, poſt mediā noctem auſpicantur, & poſt meridiem ſole magno.* quod etiam in cenſu fiebat. Varro lib. 5. de lingua Latina ſub finem. *Vbi noctu in templum cenſura auſpicatur, atque de cœlo nuntium erit, præconi ſic imperat vt viros vocet, Quod bonum, fortunatum,* &c. vide modò dicta ex Feſto.

8. *Sedens.* Plutarchus ſuprà ἐπ' οἰωνῶν καθίζεσθαι. *ad auſpicia ſedere.* Varro lib. 5. de lingua Latina **Augur ſedebat.** hæc verba ex M. Sergij commentario refert, *auſpicio orando, ſede in templo auſpicij.*

9. *In pomœrio.* Pomœrium, vt ait Gellius lib. 13. cap. 13. *Eſt locus intra agrum effatum per totius* **In pomœrio.** *vrbis circuitum pone muros regionibus certis determinatus, qui facit finem vrbani auſpicij.*

10. *Tabernaculum capiebat.* Liuius lib. 4. de primis Tribunis militum Conſulari poteſtate. **Tabernaculū capere.** *Tertio menſe poſtquàm inierunt, augurum decreto, perinde ac vitio creati, honore abiere, quòd C. Curiatius qui comitiis eorum præfuerat, parum rectè tabernaculū cepiſſet.* M. Tullius 2. de natura Deorum 17. *Poſt autem è prouincia litteras ad collegium miſit, ſe cùm legeret libros recordatum eſſe vitio ſibi tabernaculum captum fuiſſe in hortos Scipionis: quod cùm pomœrium poſteà intraſſet habendi Senatûs cauſſa, in redeundo cùm idem pomœrium tranſiret, auſpicari eſſet oblitus.* 2. de Diuinatione 114. *Quid enim ſcire Etruſci aruſpices, aut de tabernaculo non rectè capto, aut de pomœrij iure potuerunt?* Idem iiſdem penè verbis Valerius lib. 1. de cultu Deorū. atque haud ſcio an tabernaculum capere fuerit idem, atque templum capere, vt loquitur Liuius lib. 1. *Palatinum Romulus, Remus Auentinum ad inaugurandum templa capiunt.* Sic planè videtur **Templum capere.** in auguriis, vt tabernacula, in ſolo & pomœrio capta, minora templa dicerentur, Feſtus: *Minora templa fiunt ab auguribus, cùm loca aliqua tabulis aut linteis ſepiuntur, ne vno ampliùs oſtio pateant, certis verbis definita. Itaque templum eſt locus ita effatus, aut ita ſeptus, vt ea vna parte pateat, angulóſque affixos habeat ad terram.* Tabernacula quod ſepirentur tabulis. *vnde* vt eiuſdem verbis in vtar in Contubernalis, *& tabernacula dicta ſunt.* Templa verò ſimpliciter dicta non videntur hos tabularum cancellos habuiſſe, ſed

certis arboribus, ad libitum auguris proſpectum latè in ſubiectam arci planitiem petentis fuiſſe definita. Varro lib. 6. de lingua Latina ex emendatione Scaligeri: *In terris dictum templum locus augurij, aut auſpicij cauſſa conceptis verbis finitus.* Feſtus: *Contemplari dictum eſt à templo, id eſt loco qui ab omni parte adſpici, vel ex quo omnis pars videri poteſt, quem antiqui templum nominabant.* Varro: *Concipitur verbis non iiſdem vſquequaque, in arce autem ſic*: TESQVA DVMECTA SVNTO, QVOAD EGO CASTE LINGVA NVNCVPAVERO, OLLA VETER ARBOR QVISQVIS EST, QVAM ME SENTIO DIXISSE, TEMPLVM TECTVMQVE ESTO IN SINISTERVM, OLLA VETER ARBOR QVISQVIS EST, QVICQVID EST, QVOD ME SENTIO DIXISSE, TEMPLVM TECTVMQVE ESTO IN DEXTERVM, INTRA EA CONRECIONE, CONSPICIONE, CORTVMIONE, VTIQVE EA RECTISSIME SENSI. Huius autem templi in auguratione obſeruatum vt æream ſtellam infigerent. Feſtus: *Stellam ſignificare ait Atteius Capito lætum & proſperum, auctoritatem ſecutus P. Seruilij Auguris, quæ ex lamella ærea aſſimilis ſtellæ locis inauguratis infigatur.* Templi porrò cœleſtiúmque regionum per lituum fiebat deſcriptio. 1. de Diuinatione 58. *Quis veterum ſcriptorum non loquitur quæ ſit ab Attio Nauio per lituum facta deſcriptio?* vide Plutarchus in Romulo: Τὸν Ῥωμύλον διαφερόντως θεοσεβῆ, ἔτι δὲ μαντικὸν ἱστοροῦσι γενέσθαι, καὶ φορεῖν ἐπὶ μαντικῇ τὸ καλούμενον λίτυον. ἔστι δὲ καμπύλη ῥάβδος, ᾗ τὰ πλινθία καθεζομένους ἐπ' οἰωνῶν διαγράφειν. *Romulum præ cæteris religionibus & diuinationibus deditum fuiſſe tradunt, ſolitúmque ferre ſcipionem. eſt autem baculus incuruus, qua ſedens ad auſpicia cœli regiones deſcribebat.* Hæc autẽ tabernacula è locis editioribus, puta vel è Capitolio, vel è parte pomœrij eminentiore capiebant, & vt loquebantur ex Arce, ſic apud Ennium.

- Romulus pulcher in alto
Quærit Auentino, ſeruat genus altiuolantum.

Hinc Feſtus: *Auguraculum appellabant antiqui quam nos arcem dicimus: quòd ibi augures publicè auſpicarentur.* huc alluſit & Papinius 3. Thebaid.

Mons erat audaci ſeductus in æthera dorſo, &c.
Huc gemini vates, ſanctam canentis oliuæ
Fronde comam & niueis ornati tempora vittis
Euadunt pariter, &c.

Plutarchus in Numa: Παραλαβὼν δὲ μάντεις καὶ ἱερεῖς ἀνέβαινεν εἰς τὸ Καπιτώλιον, &c. ἐνταῦθα τῶν μαντέων ὁ προτεύων τὸν μὲν εἰς μεσημβρίαν τρέψας ἐγκεκαλυμμένον, αὐτὸς δὲ παραστὰς ἐξόπισθεν, καὶ τῇ δεξιᾷ τῆς κεφαλῆς ἐφαπτόμενος αὐτοῦ, κατηύξατο καὶ περιεσκόπει τὰ παρὰ τῶν θεῶν οἰωνοῖς ἢ συμβόλοις προφαινόμενα, πανταχόσε τὰς ὄψεις περιφέρων, &c. μέχρις οὗ προὐφαίνοσαν ὄρνιθες ἀγαθοὶ, καὶ δεξιοὶ ἐπέτρεψαν. *Aſſumptis verò auguribus & ſacerdotibus in Capitolium adſcendit, &c. hic princeps collegij eum velatum ad meridiem conuertens, ipſe à tergo aſſiſtens, & dextris caput attingens precabatur, & vndequaque tum ex auibus, tum ex aliis ſignis Deorum auſpicia captans, & circumſpectans, &c. quoad apparuerunt aues præpetes, & addixerunt.* quem locum eò libentiùs adduco, quod ſuſpicari poſſumus idem in cæteris magiſtratuum candidatis fuiſſe ſeruatum, vt cum auguribus in arcem aſcenderent, & capite velato, auſpicio deuouerentur. Ennius 1. Annalium:

Hinc Remus auſpicio ſe deuouet, atque ſecundam
Solus auem ſeruat.

Quam deuotionem non ſolùm conceptis verbis faciebant: *Solita prece numen amicantes,* vt cum Papinio loquar: ſed etiam, vt opinor, *genere quodam ſacrificij quod in arce fieri ab auguribus*, auctor eſt Feſtus: *Adeò remotum à notitia vulgari, vt ne litteris quidem mandetur, ſed per memoriam ſucceſſorum celebretur.*

10. *Aues præpetes.* vide Feſtum in præpetes. Higinus apud Gellium lib. 6. cap. 6. *Præpetes, inquit, aues appellantur, quæ aut opportunè præuolant, aut idoneas ſedes capiunt.* id eſt, opinor, quæ ante auguris ſpecientis, & auguria captantis oculos intra deſcriptum aëris ſpatium volarent, aut in definito terræ templo conſiderent. quem locum augurio capiendo commodum etiam præpetem dicebant. Ennius loco citato:

Intereà ſol albus receſſit in infera noctis
Exin candida ſe radiis dedit icta foras lux:
Et ſimul ex alto longè pulcherrima præpes
Læua volauit auis: ſimul aureus exoritur ſol.
Cedunt ter quatuor de cœlo corpora ſancta
Auium præpetibus ſeſe pulchríſque locis dant.

quo alluſit etiam alibi pro commodo & opportuno hanc vocem vſurpans.

Brunduſium pulchro præcinctum præpete portu.

vnde & Tullius eleganter in Mario:

Hanc vbi præpetibus pennis lapsúque volantem
Conſpexit Marius diuini muneris augur.

Hanc etiam augurum ſpectionem Statius 3. Thebaidos ita deſcribit:

Poſtquam rite diu partiti ſidera, cunctas
Perlegere animis, oculíſque ſequacibus auras.

De ſiniſtris & dextris auibus Plutarchus adeatur in quæſt. Rom. Feſtus in *ſiniſtræ aues*. M. Tullius 2. de Diuinatione 124. & alij paſſim. vnus Varro ſufficiat 6. de lingua Latina: *Quæ ſiniſtra ſunt, bona auſpicia exiſtimantur. à quo dicuntur comitia, aliúdve quod fit aui ſiniſtra ſcæua.* quem in locum notat Scaliger: *Contra impedientes aues aut dicuntur Arculæ ab arcendo: aut Cliuiæ quia difficilia vocabant cliuia, ad verbum* προσάντη: *aut Remores aues à remorando: aut Inebræ & Enebræ, eo nomine omne obſtaculum intelligebatur, aut Alteræ aues, cùm alteræ ſuperuenirent, quæ fœlici auſpicio vitium facerent: aut Volſgræ, quæ ſe vellendo malum auſpicium faciebant.* hæc ille nullo citato authore, quæ apud Feſtum diſſipata, & ſuis quæque locis poſita in vnum collegit, dextras etiam Statius appellat loco citato.

Si prohibes, hic necte moras, dextríſque profundum
Alitibus prætexe diem.

Aliunde etiam quàm ab auibus auſpicia captabant. Feſtus in *Quinque*: *Quinque genera ſignorum obſeruant augures, ex cœlo, ex auibus, ex tripudiis, ex quadrupedibus, ex diris.* De auibus iam dictum, è cœlo fulgura, tonitrua, fulmina ſpectabant: quæ ſi incœptis iam comitiis obtigiſſent ea dirimebant: vt diximus in Vatinium. Sin ante comitia, auguribus adhuc cum ſuis candidatis auſpicia in arce captantibus læua accidiſſent: id verò ſignum erat longè proſperrimum: adeò vt etiamſi nulla extitiſſent, tamen ominis cauſſà dicerent extitiſſe. Dionyſius lib. 2. antiquitatis, vbi Romulo auſpicanti ſiniſtrum fulgur viſum fuiſſe narrauit, fuſéq; rationẽ expoſuit cur læua dextris auſpicia præferãtur, ſubdit: ἐπαινίζονται καὶ γὰρ οἱ τὰς ἀρχὰς μέλλοντες λαμβάνειν, καὶ περὶ τὸν ὄρθρον ἀνιστάμενοι, ποιοῦνταί τινας εὐχὰς ὑπαίθριοι. τῶν δὲ παρόντων τινὲς ὀρνιθοσκόπων μισθὸν ἐκ τοῦ δημοσίου φερόμενοι, ἀστραπὴν αὐτοῖς μηνύειν φασὶν, ἐκ τῶν ἀριστερῶν τὴν οὐ γενομένην. οἱ δὲ

Stella defixa in templi auguratione.
Templorum deſcriptio per lituum facta.
Auguraculũ.
Templa capiebant ex arce.
Augurio ſe deuouebant.
Aues præpetes.
Præpes quid?
Siniſtræ aues.
Arculæ.
Cliuiæ.
Remores.
Inebræ.
Enebræ.
Alteræ.
Volſgræ.
Dextræ.
Auguria è cœlo.

τὸν ἐκ τῆς φωνῆς οἰωνὸν λαβόντες ἀπέρχονται ταύτας ληψόμενοι. *Candidati enim è tentoriis diluculo prodeuntes, preces quaſdam ſub diuo peragunt. Ibi aliqui ex auguribus, qui ære publico ad huiuſmodi negotia adhibentur, fulguris ſignum à ſiniſtris datum pronuntiant, etiamſi nullum ſit datum. At illi vocis omine contenti ad ſumendum magiſtratum abeunt.* Hæc ille. quibus confirmatur id, quod paulò antè de candidatorum deuotione ex Plutarchi Numa colligebam: ex quibus prætereà colligere eſt tot augures fuiſſe inuitatos, tótque tabernacula templáque diuerſa capta fuiſſe. quot eſſent eorum comitiorum candidati: ne ſi in eodem templo ſpectarent, candidatorum inter ſe confunderentur auſpicia, nec liquidò videri poſſet quæ ad quem pertinerent.

Tripudium. 11. *De tripudio.* Noſter 2. de Diuinatione 110. *Attulit in cauea pullos is qui ex eo ipſo nominatur pullarius. Hæ ſunt igitur aues internuntiæ Iouis quæ paſcantur nécne quid refert? nihil ad auſpicia. ſed quia cùm paſcuntur, neceſſe eſt aliquid ex ore cadere, & terram pauire, terripauium primò, pòſt terripudium dictum eſt, hoc quidem iam terripudium dicitur. quum igitur offa cecidit ex ore pulli, tum auſpicanti tripudium ſoliſtimum nuntiatur.* vide Feſtum in *pula*, & Scaligerum in Feſtū *Somnio.*

Pedeſtria auſpicia. De quadrupedibus idem Feſtus Pompeius: *Pedeſtria auſpicia nominabantur, quæ dabantur à vulpe, lupo, ſerpente, equo, cæteriſque animalibus quadrupedibus.* De his Horatius lib. 3. carm. Ode 27. conſulatur.

Diræ. De diris Papinius loco ſæpe citato.

Monſtra volant, diræ ſtrident in nube volucres,
Nocturnæque gemunt ſtriges & feralia bubo
Damna canens.

Poſtquam ex his quinque ſignorum generibus auſpicia captarant, illuceſcente comitiorum die deſcendebant in campum cum ſuis quiſque candidatis, & ab eo qui comitiis præerat, interrogati, ſuam ſpectionem, id eſt auſpicia quæ viderant ediſſerebant, & ſi auſpicia prohiberēt. ALIO DIE, dicebant, quo verbo diſſoluebantur comitia. ſi nihil obſtaret, ſiniſtras aues, tripudium ſoliſtimum, aut ſaltem ſilentium nuntiabant. Interrogatos fuiſſe iudicio ſunt illa verba Ciceronis 2. de Diuinatione 109.

Auguris interrogatio. *Illi autem qui in auſpicium adhibetur, cùm ita imperauit is qui auſpicatur, Dicito, ſilentium eſſe videtur, nec ſuſpicit, nec circumſpicit, ſtatim reſpondet, Silentium eſſe videri. tum ille, Dicito ſi paſcuntur. Paſcuntur. quæ aues? aut vbi,* &c.

12. *Si auſpicia prohiberent alio die dicebant.* Tullius 2. de legibus 51. *Quid enim maius eſt ſi de iure quærimus, quàm poſſe à ſummis imperiis, & ſummis poteſtatibus comitia.* legunt alij, *comitiatus, & concilia vel inſtituta dimittere, vel habenda reſcindere? quid grauius quàm rem ſuſceptam dirimi. ſi vnus Augur,* ALIO DIE *dixerit?* ſic enim lego non ALIVM vt in vulgatis, vide quæ dicemus Philippica ſecunda 69. *Bonus augur (Lælium diceres)*

Alio die vox augurum. ALIO DIE, *inquit.* de ſiniſtris auibus iam dictū: ſolitum autem tripudium ſoliſtimum ab auguribus nuntiari etiam ex dictis conſtat: nunc ad ſilētium veniamus. Orator 2. de Inuentione 109. *Peritum autem eſſe neceſſe eſt eum, qui ſilentium quid ſit intelligat. id enim ſilentium dicimus in auſpiciis, quod omni vitio caret, hoc intelligere perfecti*

Silentium auguriis. *in Auguris eſt.* Feſtus in Siniſtrū: *Siniſtrum in auſpicando ſignificare, ait Atteius Capito lætum & proſperum auſpicium. At ſilentium vbi duntaxat vacat vitio. igitur ſilentio ſurgere cùm dicitur, ſignificat nō interpellari, quò minùs rem gerat. at ſiniſtrum hortari quoque auſpicia ad agendum. quod animo quis propoſuerit.* Halicarnaſſeus 2. antiquitatis Romanæ: Οἱ μὲν αὐτὸ τοῦτο ἱκανὸν ὑπολαμβάνοντες εἶναι τὸ μηδένα φθέγξασθαι τῶν ἐναντιουμένων τε καὶ κωλυόντων οἰωνῶν. *Alij quidem ſatis eſſe rati,* ad capeſſendos magiſtratus, *ſi nulla auſpicia aduerſa prohiberent.* Poſtquam augur hęc nuntiarat, ſi nihil acciderat quod comitia impediret, Conſul conceptis quibuſdam verbis comitia auſpicabatur, Augure verba præeunte. Varro lib. 5. de lingua Latina extremo ex emēdatione Scaligeri, loquens de comitiis centuriatis, ſiue exercitu vrbano vt appellat. *Hoc nunc aliter ſit atque olim: quod Augur Conſuli adeſt, tum cùm exercitus imperatur, ac præit quid eum oporteat dicere. Conſul Auguri imperare ſolet, vt inlicium vocet non accenſo, aut præconi. id incœptum credo cùm non adeſſet accenſus, & nihil intereſſet cui imperaret: & dicis cauſſa fiebant, quædam, neque item facta, neque item dicta ſemper.* — Augur voce præibat Conſuli auſpicāti comitia.

Vt primùm igitur augur ſuum cādidatum adduxerat, & auſpicia fauſta vel ſilentium Conſuli nuntiarat, iiſdem penè verbis ad augurem vſus videtur Conſul, quibus accenſo ſolebat imperare. Varro ibidem ait ſe in commentariis Conſularibus ſcriptum ſic inueniſſe. *Qui exercitum imperaturus erit accenſo dicit hoc, Calpurni vocat inlicium omnes Quirites huc ad me. Accenſus dicit ſic. Omnes Quirites inlicium viſite huc ad Iudices. C. Calpurnius dicit,* lego: *Conſul, Calpurni, dicit, voca ad conuentionem omnes Quirites huc ad me. accenſus dicit ſic. omnes Quirites, ite ad conuentionem huc ad Iudices. Deinde Conſul loquitur ad exercitum, Impero qua cōuenit ad comitia centuriata.* hæc ille, & ita concludit. *Quare non eſt dubium quin hoc inlicium ſit, cùm circum mœros itur vt populus illiciatur ad magiſtratus conſpectum.* — Inlicium.

Iiſdem igitur verbis Conſul vtebatur ad augurem, & Augur ad populum: ſed vt notat *dicis cauſſa,* neq; enim credendum eſt augures tantæ viros dignitatis, circum muros iuiſſe vt populum ad comitia contenta voce conuocarent: ſed his populum affabatur poſtquam iam in campum conuenerat. verboſius fortaſſe: ſed hinc liquidò videre poſſis quæ fuerint centuriarum auſpicia. Quæ verba præiret augur Conſuli comitia auſpicanti, non adeò planū eſt. Cic. 1. de Diuinat. 165. *Neque ſolùm Deorum voces Pythagorei obſeruitauerunt, ſed etiam hominum quæ vocant omina: quæ maiores noſtri quia valere cenſebant, idcirco omnibus rebus agendis, Quod bonum, fauſtum, fœlix, fortunatúmque eſſet præfabantur.* vide apud Varronem loco ſæpe laudato formulam cenſus indicendi ex tabulis cenſoriis. — Omina.

Sequitur omen prærogatiuæ, de qua Tullius 1. de Diuinat. 166. *Quod idē in delectu Conſules obſeruant, vt primus miles fiat bono nomine,* &c. *Prærogatiuam etiā maiores omnes iuſtorum comitiorum eſſe voluerunt.* lego *omen,* pro *omnes,* & ſic interpretor, vt quemadmodum in delectu primus miles boni nominis fiebat, ita in ſortitione prærogatiuæ boni ominis eſſe duceretur, ſi centuria boni nominis obtigiſſet. earum autem appellatio videtur petita fuiſſe ab earum tribuum appellationibus è quibus fuerant ſelectæ, cùm enim verbi cauſſa prima claſſis, præter equites octo & nonaginta peditum decurias contineret, videntur ij pedites non tenere, & vt ſors obuenerat, ſed ſecundum tribus in ſuas centurias fuiſſe deſcripti. quare ſi prærogatiuæ — Prærogatiuæ omen.

ſors centuriæ, è tribu verbi cauſſa Romulia vel Quirina conflatæ obtigiſſet, boni ominis eſſe putabatur: atque hoc eſſe prærogatiuum omen exiſtimo. Hic obiter nota à centuria prærogatiua appellationem in ſuam tribum redundaſſe, vt etiam in comitiis centuriatis eæ tribus prærogatiuæ dicerentur, quarum centuriis prærogatiuæ ſors obuenerat. Aliud etiam auſpicium prærogatiuæ centuriæ putabatur, quia videlicet qui prærogatiuam tuliſſent, bene augurabantur de comitiorum ſucceſſu. M. Tullius in Planciana 49. *An tandem vna centuria prærogatiua tantum habet auctoritatis, vt nemo vnquam prior eam tulerit, quin renuntiatus ſit*, &c. Sed ad augurem redeamus. Vbi conſuli auſpicanti verba præiuerat ad villam publicam ſecedebat, ibíque ad finem comitiorum ſuſtinebat, vt Conſuli præſto eſſet, & auſpiciorum eſſet interpres, ſi vel diræ aduolaſſent, vel quis rogatorum repentè cecidiſſet, vel quiſquam omninò in morbum comitialem incidiſſet, ſi tonuiſſet, ſi cantus ſoricis auditus eſſet, ſi quod aliud vitium comitiis obtigiſſet. de quibus vitiis alibi fortaſſe. Varro 3. de re ruſtica, cap. 2. poſtquam dixit comitiis ædilitiis ſe villam publicam petiiſſe. *Ibi*, inquit, *Appium Claudium Augurem ſedentem inuenimus in ſubſelliis, vt Conſuli ſi quid vſus popoſciſſet, eſſet præſto.* Confectis comitiis videtur ad ſepta rediiſſe, vt iterum Conſuli magiſtratus creatos renuntianti verba præiret. pro Murena initio innuit hanc precationem certis & ſolennibus verbis fuiſſe conceptam: *Auſpicatò comitiis centuriatis L. Murenam Conſulem renuntiaui, vt ea res mihi magiſtratuíque meo, populo plebíque Romanæ bene atque feliciter eueniret.* Mox: *Illa ſolennis comitiorum precatio Conſularibus auſpiciis conſecrata.* Plinius Iunior in panegyrico Traiani: *Perpeſſus es longum illud comitiorum carmen, nec iam irridendam moram.* Mox: *Alio præeunte iuraſti.* quæ licet de Conſule renuntiato dicantur, tamen dubium non eſt etiam renuntianti Conſuli Augurem præiuiſſe. Poſtremò notandum æuo Ciceronis has comitiorum nugas, dicis cauſſa fuiſſe vſurpatas, vt non tam auſpicia quàm auſpiciorum ſimulachra remanerent, 2. de Diuinatione 108. *Etenim vt ſint auſpicia, quæ nulla ſunt, hæc certè quibus vtimur, ſiue tripudio, ſiue de cælo, ſimulachra ſunt auſpiciorum, auſpicia nullo modo.* Dionyſius libro 2. antiquitatis: Πέπαυται δ' ἐν τοῖς καθ' ἡμᾶς χρόνοις (τὸ περὶ τοὺς οἰωνισμοὺς νόμιμον, vt dixerat) πλὴν οἷον εἰκών τις αὐτοῦ λείπεται τῆς ὁσίας ταύτης ἕνεκα γινομένη. *Ceſſauit noſtra ætate* (mos auſpiciorum veteri lege firmatus) *niſi quòd dicis cauſſa relictum eſt aliquod eius ſimulachrum.* Atque hinc vides quæ fuerint anguſta illa centuriarum auſpicia. Scio & alia fuiſſe ineunti magiſtratum auſpicia. de quibus Liuius initio libri 22. *Quod enim illi iuſtum imperium, quod auſpicium eſſet magiſtratus, id à domo publicis priuatiſque penatibus, Latinis feriis actis, ſacrificio in monte perfecto, votis rite in Capitolio nuncupatis, ſe conferre, nec priuatum auſpicia ſequi, nec ſine auſpiciis profectum in externo ea ſolo noua atque integra concipere poſſe.* Sed de his alibi fortaſſe: parum attinent ad rem qua de nunc agitur. obiter tamen nota videri legendum, *id à domo priuatiſque penatibus, nec Latinis*, vt & negatio addatur, & vox *publicis* deleatur. De auſpiciorum vanitate. vide dicta in Piſonem 14.

Augur in villa publica.

Præibat Conſuli renuntianti magiſtratus.

Auſpicia vſurpata dicis cauſſa æuo Ciceronis.

IV. IMPVNITATIS SPEM.] Libanius Patrocli declamatione: ὁ μὲν γὰρ ἀσεβήσας πολλάκις, τιμωρίαν δὲ μηδαμῶς ὑποσχὼν, ἥκιστ' ἂν φυλάξαι τὸ πλημμελεῖν. ἀγνοίᾳ τῆς παρὰ θεῶν ἐπιούσης τοῖς ἁμαρτάνουσι δίκης. *Nam qui ſæpe impiè ſe geſſit, neque vllas vnquam pœnas dedit, minus à peccandi ſibi cauerit, impendentis delinquentibus ſupplicij à Diis illati ignorantia.*

AXIOMATA.

Impunitatis ſpes caput audaciæ eſt, & maxima peccandi illecebra.

Improbiſſimus eſt quem nihil delectat, quod aut per naturam fas ſit, aut per leges liceat.

ARGVMENTVM.

Superioris argumenti vim noui acceſſione cumulat: quod ab ipſis Clodij verbis accerſit, eo vehementiùs quod duo è conſeſſu Iudicum grauiſſimi teſtes adhibentur.

XLV. SED quid ego argumentor? quid plura diſputo? te, Quinte Petili, appello optimum, & fortiſſimum ciuem: te, M. Cato, teſtor: quos mihi diuina quædam ſors dedit iudices: vos ex M. Fauonio audiſtis, Clodium ſibi dixiſſe, & audiſtis, viuo Clodio, periturum Milonem triduo: poſt diem tertium geſta res eſt, quàm dixerat. cùm ille non dubitaret aperire quid cogitaret, vos poteſtis dubitare quid fecerit?

EXPLANATIO.

SED QVID.] Correctio oratoria qua & ſuam fiduciam oſtendit, & ſe veluti ad infirmiora labentem, ſiſtit, & ad firmiora feſtinat.

QVOS MIHI.] Qui cùm Iudices ſorte fierent, mihi non ſine diuina prouidentia Iudices obtigiſtis.

VOS EX M. FAVONIO.] Suprà 26. *Fauonio fortiſſimo viro quærenti ex eo, qua ſpe fureret, Milone viuo: reſpondit triduo illum, ad ſummum quatriduo periturum, quam vocem eius ad hunc M. Catonem ſtatim Fauonius detulit.*

ET AVDISTIS, VIVO CLODIO.] Prudenter addit *viuo:* ne quis putet id à Fauonio poſt mortem Clodij fuiſſe confictum, vt Milonem à periculo liberaret: quod poterit ad huiuſmodi ſyllogiſmum reuocari.

Is inſidiarum auctor fuit, qui dixit fore vt eo

die quo inſidiæ poſitæ ſunt, inimicus interiret.
Sed id dixit Clodius.
Igitur inſidiarum auctor fuit.
Atque hæc ſunt, quibus in Clodio voluntatem inferendæ Miloni necis fuiſſe declarant.

NOTÆ.

1. SED QVID.] Iliad.
Ἀλλά τί ἤ μοι ταῦτα φίλος διελέξατο θυμός;
Æneid. 2.
Sed quid ego hæc autem nequicquam ingrata reuoluo?
Catullus de Nuptiis:
Sed quid ego ingratis nequicquam conqueror auris
Externata malo? quæ nullis ſenſibus auctæ,
Nec miſſas audire queunt, nec reddere voces?

PETILI.] Id nominis deductum opinor à corporis paruitate, vnde & Pauli nominantur. Nonnius Marcellus: *Petilum tenue & exile.* Lucilius 12. *Inſignis variis cruribus, & petilis.* II. Petilus.
Plautus Plocino:
Nam coloratam frontem habet petilis labris.
vnde & vox gallica manauit. paruus, petilus, *petit.* atque haud ſcio an Poëta ad hoc etymon alluſerit 3. diuini operis.
Parua Philoctetæ ſubnixa Petilia muro.

ARGVMENTVM.

In coniectura duobus inſiſtendum aiunt Rhetores: vt & facultas & voluntas faciendi probetur: hactenus oſtendit, voluntatem inſidiarum Miloni defuiſſe, Clodio non item: nunc ad facultatem delabitur.

QVEMADMODVM igitur eum dies non fefellit? dixi equidem modo. Dictatoris Lanuuini ſtata ſacrificia noſſe, negotij nihil erat: vidit neceſſe eſſe Miloni proficiſci Lanuuium illo ipſo, quo profectus eſt, die. itaque anteuertit. at quo die? quo, vt antè dixi, inſaniſſima concio ab ipſius mercenario Tribuno plebis eſt concitata: quem diem ille, quam concionem, quos clamores, niſi ad cogitatum facinus approperaret, nunquam reliquiſſet. Ergo illi ne cauſſa quidem itineris etiam cauſſa manendi: Miloni nulla facultas manendi, exeundi non cauſſa ſolùm, ſed etiam neceſſitas fuit. Quid, ſi, vt ille ſciuit Milonem fore eo die in via, ſic Clodium Milo ne ſuſpicari quidem potuit? XLVI.

EXPLANATIO.

QVEMADMODVM.] Poterat aliquis obiicere, hanc Clodij vocem ipſi per iracundiam & imprudentiam excidiſſe, non quòd ex certo conſilio Miloni necem inferre ſtatuiſſet: hanc obiectionem ſoluit cauſſas exponens cur potuerit reſcire Clodius, quo die Milo exiret, & ipſe inſidias collocaret. Quomodo, inquit, tam certò potuit diem profectionis inimici ſui præuidere, eiúſque mortem prædicere? quia videlicet, *Sciebat Clodius, neque enim erat difficilè ſcire, iter ſolemne, legitimum, neceſſarium ante diem* XIII. *Calendas Februarij Miloni eſſe Lanuuium, ad Flaminem prodendum, quod erat Dictator Lanuuij Milo.* vt dictum eſt 27.

ITAQVE ANTEVERTIT.] Ibidem: *Roma ſubito ipſe profectus pridie eſt, vt ante ſuum fundum, quod re intellectum eſt, Miloni inſidias collocaret.*

AT QVO DIE.] XIV. Calendas Februarij: *Sunt autem concionati eo die*, vt iampridem diximus verbis Pediani, *C. Salluſtius & Q. Pompeius, vtrique & inimici Milonis, & ſatis inquieti, ſed videtur mihi Q. Pompeium ſignificare. nam eius ſeditioſior fuit concio.*

QVEM DIEM.] Quam concionem. *Niſi obire facinoris locum, tempúſque voluiſſet, nunquam reliquiſſet.*

NECESSITAS.] Iter ſolemne, legitimum, neceſſarium. vides duplex argumentum.
Qui exiit cùm ſubeſſet cauſſa manendi, is exiit eo conſilio, vt inſidias collocaret.
Sed Clodius exiit cùm ſubeſſet cauſſa manendi.
Ergo exiit vt inſidias collocaret. Item:
Qui exiit neceßitate compulſus, non exiit eo conſilio, vt inſidias alteri collocaret.
Sed Milo exiit neceßitate compulſus.
Ergo non exiit eo conſilio, vt inſidias Clodio collocaret.
vtriuſque ſyllogiſmi propoſitionem & complexionem reticet ſola aſſumptione contentus.

QVID SI VT ILLE.] Aliud argumentum de facultate vtriuſque: quod ſequẽti paragrapho exequetur.

NOTÆ.

STATA SACRIFICIA.] Feſtus Pompeius: *Stata ſacrificia, quæ certis diebus fieri debent.* I. Stata ſacrificia.
Cato in ea quam ſcribit de Luc. Veturio de ſacrilegio commiſſo cùm ei equum ademit. Quod tu, quod in te fuit ſacra ſtata ſollemnia capite ſancta deſeruiſti. idem confirmat Ouidius 1. Faſt.
Tum mihi (ſenſit enim) lux hæc indicitur, inquit
Muſa, quid à faſtis non ſtata ſacra petis?
Vtque dies incerta ſacris, ſic tempore certo
Seminibus iactis eſt vbi fœtus ager.
Item libro 2. agens de fornacalibus:
Curio legitimis tunc fornacalia verbis
Maximus indicit, nec ſtata ſacra facit.
E quibus aduertis quæ fuerit inter *ſtata ſacrificia* & *ferias conceptiuas* diſtinctio. quòd nimirum ſtata ſacrificia quotannis certo & cõſtituto die recurrerẽt, vt Feſti verbis vtar, *conceptiuæ feriæ feſta* Feriæ conceptiuæ.

dicebantur, quæ incertis diebus ſeruabantur quotannis, vt ſementinæ, compitalitiæ. ſic dictæ quòd eas Curio Maximus, aut Rex etiam ſacrorum certis & conceptis verbis indiceret. Varro lib. 5. de lingua Latina, de compitalibus: *Quotannis is dies concipitur. ſimiliter Latinæ feriæ, dies conceptiuus.* Item: *Præterea feriæ conceptiuæ quæ non ſunt annales.* De indictione prætoria feriarum, vide Agellium lib. 10. cap. 24. Macrobium ex eo lib. 1. Saturn. cap. 4. Tranquillus in Claudio: *Ferias aduocata concione Prætor in vrbe indiceret.* Quæri poſſit in quem diem ſtata hæc ſacrificia Lanuuinis inciderent. fateor me neſcire. ſuſpicor tamen in Calendas Februarias, quo die Romani dedicationem ædis Iunonis Soſpitæ celebrabant. atque ita Flaminem Lanuuinum, qui paucis antè diebus à Dictatore proditus eſſet, ſuum ſacerdotium ab his ſacrificiis ſolitum auſpicari. Naſo 2. Faſtorum de Calendis Februariis agens.

Principio menſis Phrygiæ contermina matri
Hoſpita delubris dicitur aucta nouis.

II. Inſania. INSANISSIMA CONCIO.] Frequenter apud Latinos ſcriptores furores tribunitij dicuntur, & populares inſaniæ. ſuprà 22. *Dederas enim quàm contemneres populares inſanias, iam ab adoleſcentia documenta maxima,* ſiue propter clamores illos inconditos & inſanos. vnde Maro,

Inſanúmque forum & populi tabularia vidit.

ſiue propter tempeſtates & fluctus concionum, hoc enim epitheton concitatis fluctibus conuenire liquet. ex eo

Inſani feriant ſine littora fluctus.

Lyricus:

Inſanientem nauita Boſphorum
Tentabo.

III. Demoſthenes mercenarius. MERCENARIO TRIBVNO PLEBIS.] Mercede conducto vt ſeditioſas haberet conciones. ſic in Piſonem 35. *de lapide emptos Tribunos plebis* appellat. quantùm autem hæc μισθαρνία ab iis qui Remp. attingunt ſit aliena, videre licet ex orationibus Æſchinis & Demoſthenis De falſa legatione & De corona. Quamuis ipſe etiam Græcus orator acceptæ mercedis nomine frequenter accuſatus fuerit, ſiquidem, vt ſcribit in eius vita Plutarchus: Ἐπῃνεῖτο μὲν ἱκανώτατος ὢν τὰ τῶν προγόνων καλά, μιμεῖσθαι δ' οὐχ ὅμοιος. *Maiores impensè laudabat, ſed non perinde imitabatur.* Quo in genere lepidum illud. Ab Harpalo, ne ſe opponeret, ingentem pecuniæ vim acceperat, poſtero die, collo focalibus, ſiue faſciis inuoluto proceſſit in concionem, cúmque ſurgere & dicere iuberetur, nutu ſignificauit, ſibi vocem eſſe obtuſam. οἱ δ' εὐφυεῖς χλευάζοντες οὐχ ὑπὸ συνάγχης ἔφραζον, ἀλλ' ὑπ' ἀργυράγχης εἰλῆφθαι νύκτωρ τὸν δημαγωγόν. *Qui erant acutiores, per luſum dicebant oratorem non angina, ſed argentangina noctu fuiſſe correptum.* vide & in vitis decem Rhetorum: Πώλου δέ ποτε τοῦ ὑποκρίτου πρὸς αὐτὸν εἰπόντος ὅτι δυσὶν ἡμέραις ἀγωνισάμενος τάλαντον λάβοι μισθὸν, Ἐγὼ δ', εἶπε, πέντε τάλαντα μίαν ἡμέραν σιωπήσας. *Polo hiſtrioni dicenti ſe biduò in ſcenam prodeuntem vnum talentum pro mercede accepiſſe. Ego, inquit, quinque talenta, cùm vno die tacuiſſem.* Plato autem de Rep. dialogo tertio exeunte, hanc magiſtratibus legem præſcribit: Μόνοις αὐτοῖς τῶν ἐν τῇ πόλει μεταχειρίζεσθαι, καὶ ἅπτεσθαι χρυσοῦ, καὶ ἀργύρου οὐ θέμις, οὐδ' ὑπὸ τὸν αὐτὸν ὄροφον ἰέναι, οὐδὲ περιάψασθαι, οὐδὲ πίνειν ἐξ ἀργύρου, καὶ οὕτως μὲν σῴζοιντ' ἄν, καὶ σῴζοιεν τὰς πόλεις. *Solis illis eorum qui in ciuitate verſantur, neque in manus aurum & argentum ſumere, neque omninò contrectare fas iiſque eſto, neque ſub idem tectum accedere, neque collo circundare, neque bibere in argento, & ita tum ſeruabuntur ipſi, tum ſeruabunt Remp.* Auaritia à magiſtratibus quàm aliena.

Clamores concionum. QVOS CLAMORES] Meritò clamores in concionibus reprehendit, & pro Flacco §. 15. pſephiſmata Græcorum irridet, perlata *porrigenda manu profundendóque clamore multitudinis concitatæ.* & Homerus 3. Iliados Troianorum Græcorúmque copias non aliunde quàm à clamore & ſilentio diſcriminat.

Τρῶες μὲν κλαγγῇ τ' ἐνοπῇ τ' ἴσαν ὄρνιθες ὥς.
Ἠΰτε περ κλαγγὴ γεράνων πέλει οὐρανόθι πρό,
Αἵ τ' ἐπεὶ οὖν χειμῶνα φύγον, καὶ ἀθέσφατον ὄμβρον.
Κλαγγῇ ταί γε πέτονται ἐπ' ὠκεανοῖο ῥοάων
Ἀνδράσι πυγμαίοισι φόνον καὶ κῆρα φέρουσαι.
Ἠέριαι δ' ἄρα ταί γε κακὴν ἔριδα προφέρονται.
Οἱ δ' ἄρ' ἴσαν σιγῇ μένεα πνείοντες Ἀχαιοί,
Ἐν θυμῷ μεμαῶτες ἀλεξέμεν ἀλλήλοισι.

Troiani, vt volucres, fremitu, & clangore ruebant.

Vt reſonant clangore grues, quas frigidus annus
Trans pontum fugat, & terris immittit apricis.
Ingenti clangore grues glomerantur ab alto
Æquore Pygmæis mortem fatúmque ferentes,
Aëriíque ſecant duro in certamine tractus.
At Græci tacito ſpirantes pectore martem,
Ibant auxilium ardentes ſibi ferre viciſſim.

ARGVMENTVM.

Oſtendit inſidias à Milone non potuiſſe comparari, quippe qui nihil de Clodij profectione reſcire potuerit: & contrà Milonis iter à Clodio facilè ſciri, atque adeò inſidias poni potuiſſe.

XLVII. PRimùm quæro, quî ſcire potuerit? quod vos idem in Clodio quærere non poteſtis. vt enim neminem alium, niſi T. Patinam familiariſſimum ſuum rogaſſet, ſcire potuit illo ipſo die Lanuuij à Dictatore Milone prodi Flaminem neceſſe eſſe: ſed erant permulti alij, ex quibus id facillimè ſcire poſſet, omnes ſcilicet Lanuuini. Milo de Clodij reditu vnde quæſiuit? quæſierit ſanè (videte, quid vobis largiar) ſeruum etiam, vt Arrius meus amicus dixit, corruperit. Legite teſtimonia teſtium veſtrorum. dixit C. Caſſinius, cognomento Schola, Interamnis familiariſſimus, & idem comes

P. Clodij, cuius iampridem teſtimonio Clodius eâdem horâ Interamnæ fuerat, & Romæ, P. Clodium illo die in Albano manſurum fuiſſe: ſed ſubitò ei eſſe nunciatum Cyrum architectum eſſe mortuum, itaque Romam repente conſtituiſſe proficiſci. dixit hoc comes item P. Clodij, C. Clodius.

EXPLANATIO.

PRIMVM QVÆRO.] *Is inſidias alteri fecit, qui profectionem alterius reſciuit, is non fecit qui non potuit profectionem alterius præuidere.*

Sed Clodius Milonis profectionem reſciuit, nihil potuit Milo de Clodij reditu præuidere.

Ergo Clodius inſidias fecit, non Milo.

QVI SCIRE POTVIT.] Quo tandem pacto ſcire potuit Milo Clodium eo die Romam, primis intendentibus ſe tenebris, eſſe rediturum.

QVOD VOS IDEM.] Quia conſtabat Milonem eo die exiturum: quod probat à facultate quam habebat Clodius id ſciſcitandi à ſuis familiaribus.

TITVM PATINAM.] Videtur is fuiſſe Lanuuinus, qui tantopere oppidi illius inſtituta calleret.

ILLO IPSO DIE.] XIII. Calendas Februarij.

PRODI FLAMINEM.] Sacerdotem Iunonis Soſpitæ creari & declarari.

MILO.] Nec quæſiuit Milo de reditu Clodij, nec ſi quæſiuiſſet, quicquam certi habere potuiſſet. quod probat hoc ſyllogiſmo:

Nihil certi haberi potuit de eius reditu qui non rediturus erat niſi aliqua cauſſa repente extitiſſet, & ex improuiſo mutaſſet voluntatem.

Sed Clodius rediturus non fuit niſi aliqua cauſſa extitiſſet, cur repente conſtitueret proficiſci.

Ergo de Clodij reditu certi nihil haberi potuit.

Ergo non profectus eſt Milo, vt inſidias in via Clodio præpararet.

SERVVM.] Conceſſio oratoria, quæ oritur ex cauſſæ fiducia: neque enim Milo reuera Clodij ſeruum corruperat, vt ſe de profectione Clodij faceret certiorem. ſed etiamſi corrupiſſet, tamen nihil inde efficiebatur contra Milonem: quia ſeruus ille nihil potuiſſet certi de reditu Clodij nunciare: atque adeo non potuiſſet Milo eo conſilio proficiſci, vt Clodio occurreret.

LEGITE TESTIMONIA.] Aduerſariorum teſtimonio probat aſſumptionem ſuperioris ſyllogiſmi.

C. CASSINIVS.] Quidam legunt è duobus, vt aiunt, codicibus manu exaratis. *C. Auſinius Schola Interamnanus.* alij: *Dixit C. Caſſinius cognomento Schola Interamnas familiariſſimus & idem comes P. Clodij.* Quam lectionem Ianus Grutterus probat auctoritate duorum M. S. vt Franciſci Modij epiſt. 39. certè adſtipulatorem habet Aſconium. & illud, *familiaris meus*, non videtur optimè conuenire.

CVIVS IAMPRIDEM.] Qui C. Caſſinius, cùm Publio Clodio dies de ſtupro Bonæ Deæ puluinaribus illato, violatiſque ceremoniis diceretur, teſtatus eſt Clodium eo die quo ſacra facta ſunt Bonæ Deæ apud ſe fuiſſe Interamnæ, cùm tamen conſtaret Clodium eo die mecum fuiſſe. fuit igitur Romæ teſtimonio Ciceronis, qui id teſtatus eſt: Interamnæ verò teſtimonio Caſſinij. quamuis aliquid addit Tullius: eiuſdem videlicet teſtimonio eadem hora Romæ fuiſſe Clodium & Interamnæ. quia nimirum Clodij accuſator Caſſinium refellerat, & ab eodem extorſerat, vt fateretur Clodium eo quidem die Romæ viſum fuiſſe: nihilo tamen minùs Interamnam fuiſſe profectum tanta celeritate, vt tribus horis iter confecerit: quod trium horarum ſpatium eandem horam, id eſt, breuiſſimum tempus noſter appellat. vide Notas. hoc autem argumentum eſt ad hominem, vt loquuntur: neque enim fidem Caſſinij teſtimonio vult adhiberi, immò potiùs paulò pòſt ſuadebit Clodium eo die in Albano non fuiſſe manſurum, ideóque iam nunc teſtis fidem eleuat: ſed ſatis fuit oſtendere Clodium præ ſe tuliſſe ſe non eſſe rediturum, atque adeo eius reditum à Milone non potuiſſe cognoſci.

NOTÆ.

DICTATORE.] De dictatorib. Latinorum oppidorum ſuperiùs 27. de Dictatoribus in genere, alibi fortaſſe dicemus. nunc ſatis fuerit dicere eum Dictatorem fuiſſe qui ab antiquis Magiſter populi diceretur. Seneca epiſtola quadam agens de libris Ciceronis de Repub. Philologus: *Notat eum quem nos Dictatorem dicimus & in hiſtoriis ita nominari legimus, apud antiquos magiſtrum populi vocatum. hodiéque id extat in Auguralibus libris, & teſtimonium eſt quòd qui ab illo nominatur, Magiſter equitum eſt.* Tamen aduerte has municipiorum dictaturas non videri fuiſſe magiſtratus legibus conſtitutos: neque quemadmodum Dictatores Romani aut faſces, aut vitæ & necis ius habuiſſe, alioquin fuiſſet deterrima municipiorum conditio. ſi ſemper αἱρετοὺς, vt ita loquar τυράννους habuiſſent, qui ſine prouocatione quemlibet poſſent occidere. iis magiſtratibus ſimiles quos Græci Αἰσυμνήτας appellant, de quibus Dionyſius 5. antiquitatis eos Romanis Dictatoribus conferens: Οἱ γὰρ Αἰσυμνῆται καλούμενοι παρ' Ἕλλησι τὸ ἀρχαῖον, ὡς ἐν τοῖς περὶ βασιλείας ἱστορεῖ Θεόφραστος, αἱρετοί τινες ἦσαν τύραννοι. *Qui apud veteres Græcos vocabantur Æſymnetæ, ij, vt auctor eſt Theophraſtus in libris de Regno, electi quidam erant Tyranni.* Sed de Dictatura Romana 2. Philippica plura dicemus. Nam municipiorum Dictatores, vt opinor, non aliam quàm patronorum auctoritatem in municipiis obtinebant. de quibus patronis dictum in Piſoniana 25. I.

Dictator Magiſter populi.

PRODI FLAMINEM.] Quæri poteſt an inter Romana Sacerdotia Lanuuinus Flamen fuerit numeratus. ſic videtur. nam vt vidimus ſuprà 27. eadem Iunonis Soſpitæ Sacra cum Lanuuinis populo Romano fuerunt communia: II.

plures enim fuerunt Flamines, etſi tres potiſſimùm, & quaſi κατ' ἐξοχὴν dicerentur, Dialis, Martialis, Quirinalis. plures inquam. Varro ex

Flamines varij.

emendatione Scaligeri: *Flamines quòd licio capite velato erant ſemper, ac caput cinctum habebant filo, Flamines dicti.* tùm aliquot Flamines nominantur. Martialis, Volcanalis, Dialis, Furinalis, Falacer. Feſtus in *Maximæ*, 15. fuiſſe teſtatur. *Maximæ dignationis Flamen Dialis eſt inter quindecim, & cùm cæteri diſcrimina maieſtatis ſuæ habeant, minimi habetur Pomonalis, quòd Pomona leuiſſimo fructui agrorum præſidet pomis.* Quidni igitur Flamen Iunonis Soſpitæ inter tot Flamines Romanos locum potuit obtinere? cùm præſertim eæ religiones tantæ auctoritatis eſſent, vt Iunoni Soſpitæ *omnes conſules facere neceſſe eſſet.* vt dicitur pro Murena. aliunde tamen Romanum id fuiſſe Sacerdotium non videtur, quòd is Flamen & à Dictatore qui Romæ priuatus, vt plurimùm, erat, & Lanuuij proderetur. de Flaminibus, vide Vatinianam 25. De his municipiorum Flaminibus Latinus Pacatus Paneg. Theod. *Quid ego referam pro mœnibus ſuis feſtum liberæ nobilitatis occurſum, conſpicuos veſte niuea Senatores, reuerendos municipali purpura Flamines, inſignes apicibus Sacerdotes? quid aulæis vndantes plateas, accenſiſque funalibus auctum diem?*

III. CORRVPERIT.] Maximam credebant ſeruorum corruptelam, ſi enuntiarent quæ domi & intra priuatos parietes agerentur. & verè.

Nam lingua mali pars maxima ſerui.

vt ait Iuuenalis: quare vt monet Qu. Cicero de petit. Conſ. negligendum non eſt, quid ſerui de nobis ſentiant: *Nam ferè omnis ſermo ad forenſem famam à domeſticis emanat auctoribus.* Plutarchus in Catone Cenſorio: ὁ δ' ἐρωτηθεὶς τί πράττει ὁ Κάτων, οὐδὲν ἀπεκρίνατο, πλὴν ἀγνοεῖν. *Seruus rogatus quid ageret Cato, nihil reſpondebat aliud quàm ſe neſcire.* Vide D. De ſeruo corrupto ad edictum Prætoris: *Qui ſeruum, ſeruam, alienum, alienam recepiſſe perſuaſiſſéve quid ei dicetur dolo malo, quo eum, eam deteriorem faceret: in eum, quanti ea res erit, in duplum iudicium dabo.* Vide Vlpianum l. 1. Paulum l. Vel luxur. Caium l. Corrumpitur.

IV. LEGITE TESTIMONIA.] Teſtimonia ſcripta accuſatoribus tradebant, eóſque, & Iudices quibuſdam libellis inſtruebant. in Vatinium 3. *Ei te quos rogaſſet, ad accuſandum libros dixeris dediſſe.* Hos autem libellos actores in capſa deferebant. Cicero in diuinatione 51. *Cuſtodem,* inquit, *Tullio me apponite. Quid mihi quàm multis cuſtodibus opus erit, ſi te ad meas capſas admiſero.*

Teſtimonia ſcripta tradita.

Iuuenalis Sat. 10.

Quiſquis adhuc vno partam colit aſſe Mineruam,
Quem ſequitur cuſtos anguſtæ vernula capſæ.

Et Sat. 7.

Dic igitur, quid cauſidicis ciuilia præſtent
Officia, & magno comites in faſce libelli.

Quo in genere notanda eſt illa conſuetudo, quæ ſecutis temporibus videtur inualuiſſe, vt in perduellium conuictorum faciem huiuſmodi libellos impingerent. cuius conſuetudinis veſtigia in vno Nicephoro Conſtantinopolitano potui reperire, qui ſub initium ſui compendij Heraclium ait de Criſpi cauſſa cognoſcentem: Καὶ ἅμα λαβόντα τόμον κατ' κόρρης τύπτον παίειν. *Simul accepto libello malas eius verberaſſe.* Ex hac conſuetudine, cùm, vt ait in fine eiuſdem compendij, Copronymus ſuam in Catholicos crudelitatem exprimeret, ſcriba accuſationes in Patriarcham Conſtantinopolitanum, ἀνέγνω, παίων αὐτὸν κατ' κόρρης ἐφ' ἑνὶ ἑκάστῳ τῶν κατηγορημάτων. *Legebat libellum ad ſingula accuſationis capita in faciem impingens.* De his accuſationum libellis in cauſſa Ligarij ait Plutarchus: Τῶν κατὰ Φάρσαλον ἁψάμενον τῷ ῥήτορος ἀγώνων, ἐκπαθῆ γενόμενον παλλῆναι τῷ σώματι, καὶ τῆς χειρὸς ἐκβαλεῖν ἔνια τῶν γραμμάτων. *Cùm pugnam Pharſalicam Orator attigiſſet, quaſi è mentis poteſtate exiiſſe, corpore cohorruiſſe, & quoſdam è libellis de manibus eieciſſe* Cæſarem.

INTERAMNÆ.] Hac de re pro domo 80. V.
Cur non iuret ſe Gadibus fuiſſe, cùm tu te fuiſſe Interamnæ probaueris. Ad Atticum libro 2. epiſt. 1. *Cùm ſe ille ſeptimo die veniſſe à freto, &c. in eóque ſe in concione iactaſſet, nihil & noui accidiſſe.* dixi, *ex Sicilia ſeptimo die Romam: tribus horis Roma Interamnam.* In qua lectione, vt verum fatear, vix acquieſco. quid enim erat in quo Clodius ſe iactaret, ſi à freto Siculo ſiue Sicilia ſeptimo die veniſſet? quare libenter legerim *ex Sardinia*, vt fretum Gaditanum ad columnas Herculeas Sardiniæ vicinum intelligat. vel potiùs *ex Cilicia*, quæ tam anguſto freto ab inſula Cypro diuiditur, vt illud fretum Ptolemæus prima Aſiæ tabula propter anguſtias Κιλίκιον αὐλῶνα nominarit. Sed ad Clodium. Rem ita narrat Plutarchus in Cicerone: ἰσχυριζομένου δὲ πρὸς τὸ ἔγκλημα τὸ μήτε γεγονέναι κατ' ἐκεῖνον ἐν Ῥώμῃ τὸν χρόνον, ἀλλ' ἐν τοῖς πορρωτάτω χωρίοις διατρίβειν, κατεμαρτύρησεν, ὡς ἀφιγμένου πρὸς αὐτὸν οἴκαδε, καὶ διαλεγομένου περί τινων. ὅπερ ἦν ἀληθές. *Cùm aduerſus accuſationem Clodius eo maximè niteretur, quòd eo die ſe diceret in remotiſſimis ab vrbe locis fuiſſe verſatum, Cicero aduerſus ea teſtatus eſt, aſſerens eum ſe domi conueniſſe, & quod veriſſimum erat quibuſdam de rebus collocutum.* Aſconius: *Fuit hic Caſinius apud quem Clodius manſiſſe Interamnæ videri volebat. qua nocte deprehenſus eſt in Cæſaris domo, cùm ibi in operto virgines pro populo Romano ſacra facerent.* Fidem autem teſtis eleuat tum propter allatam in explanatione rationem, tum quia, vt idem ait Aſconius in præfatione: *Primo die datus erat in Milonem teſtis Caſinius Schola, qui ſe cum P. Clodio fuiſſe, cùm is occiſus eſſet, dixit, atrocitatémque rei factæ quam maximè potuit, auxit.*

CYRVM ARCHITECTVM.] Vide §. ſe- VI.
quenti.

ARGVMENTVM.

Eodem aduerſariorum teſtimonio, orationem eorum confutat, qui Clodium Milonis quidem manu, ſed conſilio Ciceronis, ſi non clarè & diſertè, at obſcurè ſaltem & ſtrictim occiſum eſſe dicebant.

VIDETE, Iudices, quantæ res teſtimoniis ſint confectæ. Primùm certè liberatur Milo, non eo conſilio profectus eſſe, vt inſidiaretur in via Clodio: quippe qui ei obuius futurus omnino non erat. deinde (non enim video, cur non meum agam negotium) ſcitis, Iudices, fuiſſe, qui in hac rogatione ſuadenda dicerent, Milonis manu cædem eſſe factam, conſilio verò maioris alicuius, videlicet me latronem, ac ſicarium abiecti homines, & perditi deſcribebant. Iacent ſuis teſtibus ij, qui Clodium negant eo die Romam niſi de Cyro audiſſet, fuiſſe rediturum. Reſpiraui: liberatus ſum: non vereor, ne quod ne ſuſpicari quidem potuerim, videar id cogitaſſe. XLVIII.

EXPLANATIO.

PRIMVM QVIDEM.] Superioris argumenti repetitio paucis comprehenſa.

EI OBVIVS FVTVR. OMNINO NON ERAT.] Si, vt teſtes aſſerunt, Clodius fuit in Albano manſurus.

NON VIDEO.] Non video, cur non confutem eos qui ad me cædis Clodianæ conſilium deriuare voluerunt.

IN HAC ROGATIONE.] Cùm populum rogarent, vt iuberent nouam inſtitui de nece Clodij quæſtionem. Aſconius: *Quint. Pompeius & C. Salluſtius Tribuni plebis fuerunt, quos ſignificat, hi enim primi de ea lege ferenda populum hortati ſunt, & dixerunt à manu Milonis, occiſum eſſe Clodium.*

ME VIDELICET.] Huius accuſationis indignitatem, à ſua & aduerſariorum perſona exaggerat: quid enim minùs credibile fuit quàm Ciceronem latronem & ſicarium fuiſſe, qui & ferrum è Catilinæ manibus non armis, ſed conſiliis extorſerat, & exierat è ciuitate ne cum Clodianis ferro dimicaret.

DE CYRO.] De morte Cyri architecti.

RESPIRAVI.] Ab intentatæ calumniæ metu.

NOTÆ.

ROGATIONE.] Vide Feſtum Pompeium. I.

LATRONEM.] Vide ſuprà 9. *Inſidiatori verò & latroni quæ poteſt afferri iniuſta nex?* II.

SICARIVM.] Suprà 38. *Quando illius poſtea ſica illa quam à Catilina acceperat conquieuit?* III.

DE CYRO.] Fuit is architectus, vt vidimus ſuperiore §. de quo etiam libro 2. ad Fratrem epiſt. 2. *De ædificatione tua Cyrum vrgere non ceſſo. ſpero eum in officio fore.* Fuiſſe autem eum & Græcum & ſtudiis mathematicis eruditum, & Tullio familiarem conſtat ex epiſt. 3. lib. 2. ad Atticum: *Feneſtrarum anguſtias quòd reprehendis, ſcito te* κύρου παιδείαν *reprehendere. Nam cùm ego idem iſtud dicerem, Cyrus aiebat radiorum* τὰς διαφάσεις *latis luminibus non tam eſſe ſuaues. Etenim* ἔσω ὄψις μὲν ἡ α, τὸ δ' ὁρώμενον β. γ. ἀκτῖνες δὲ δ. καὶ ε. *vides enim cætera. Nam ſi* κατὰ εἰδώλων ἐμπτώσεις *videremus, valde laborarent* εἴδωλα *in anguſtiis.* Quàm commodis autem moribus fuerit, vel ex eo liquere poteſt, quòd Clodio & Ciceroni familiaris ita fuit, vt vtrumque moriens inſtituerit heredem. IV.

ARGVMENTVM.

Poſtquam Milonem & ſeipſum ab inſidiarum ſuſpicione vel ipſo Clodianorum teſtimonio liberauit, inuidiam in Clodium refundit, oſtenditque eum in Albano non fuiſſe manſurum, ſed tantùm ſimulaſſe, quod ſatis fuit ad Milonis innocentiam comprobandam.

NVNC perſequar cætera. nam occurrit illud: ne Clodius quidem de inſidiis cogitauit, quoniam fuit in Albano manſurus, ſi quidem exiturus ad cædem è villa non fuiſſet. video enim illum, qui dicitur de Cyri morte nuntiaſſe, non id nuntiaſſe, ſed Milonem appropinquare. nam quid de Cyro nuntiaret, quem Clodius Roma proficiſcens reliquerat morientem? vnà fui, teſtamentum ſimul obſignaui cum Clodio: teſtamentum autem palam fecerat, & illum heredem, & me ſcripſerat, quem pridie horâ tertiâ animam efflantem reliquiſſet, cum mortuum poſtridie horâ decimâ ei nuntiabatur? XLIX.

EXPLANATIO.

OCCVRRIT.] Obiici poteſt: ſi admittimus illud C. Caſſinij Scholæ & C. Clodij teſtimonium, hinc efficietur Clodium haudquaquam de inſidiis cogitaſſe. nam

Qui fuit in Albano manſurus, de inſidiis non cogitauit.

Sed Clodius fuit in Albano manſurus.

Ergo Clodius de inſidiis non cogitauit.

negat aſſumptionem Orator: ſed ait Clodium id ſimulaſſe: item ſimulatam fuiſſe cauſſam cur ex Albano Romam repentè diſcederet. rationéſque profert cur inutile fuerit de Cyri morte Clodio nuntiari: ac proinde dicit non ea de re Clodio fuiſſe nuntiatum, ſed de Milonis aduentu, vt id reſciens Clodius obuiam occurreret.

RELIQVERAT MORIENTEM.] Et inuidiam in Clodium inflammat, qui tam ingratus fuit, ne dicam, impius, vt eum reliquerit morientem à quo fuerat heres inſtitutus, & inſidiarum ſuſpicionem adſtruit, quia iuſtam manendi cauſſam habebat Clodius, qui eo die Roma profectus non fuerat, niſi locum tempúſque facinoris obire voluiſſet.

TESTAMENTVM SIMVL OBSIGNAVI.] Vide Notas.

PALAM FECERAT.] Quidam ante mortem ſciri non volebant quos heredes ſcripſiſſent. ideóque teſtamentum obſignatum tradebant, defunctis teſtatoribus reſignandum: alij palam faciebant. Quare obiici potuit Clodium properato opus habuiſſe, vt teſtamentum Cyri reſignatum legeret: ſed hæc cauſſa non fuit, quia teſtamentum palam fecerat.

QVEM PRIDIE.] Alio argumento negat de Cyri morte fuiſſe nuntiatum. quia ſi ea de re Clodius nuntiari ſibi voluiſſet, maturiùs fuiſſet nuntiatum.

NOTÆ.

I. IN ALBANO.] Ibi villam habuit Pompeius, vt ſcribit Plutarchus, & conſtat ex epiſtolis ad Attic. Ianus Grutterus putat etiam Clodium ibidem villam habuiſſe, & ex Manuſcripto Colonienſi legit infrà §. 52. *Deuertit Clodius ad ſe ad Albanum.* id eſt, ad villam ſuam, vt interpretatur. viderint eruditi.

II. TESTAMENTVM SIMVL OBSIGNAVI.] Non eſt præſentis operæ fuſiùs de teſtamentis hoc loco diſputare. Cùm I. C. his lib. D. 28. & 29. C. libri 6. aliquot titulos, lib. 2. tit. 10. & aliquot ſequentes impenderint, & Iuris interpretes nullo negotio poſſint adiri. tantùm ex hoc loco aduerte ipſos heredes potuiſſe teſtamentis obſignatores, & teſtes adhiberi. I. de teſtamentis ordinandis. Sed neque. *Heredi autem & iis qui per poteſtatem ei coniuncti fuerant, concedebant teſtimonia in teſtamentis præſtare: licet ij qui id permittebant hoc iure minimè abuti eo debere ſuadebant: tamen nos eandem obſeruationem corrigentes, &, quod ab illis ſuaſum eſt, in legis neceſſitatem transferentes*, &c. *nec heredi*, &c. *licentiam concedimus.* & meritò quidem. mirum enim quàm multæ fraudes, & quàm frequenter irreperent. Iuuenalis Sat. 1.

Heredes poterant teſtamentum obſignare.

Signator falsò qui ſe lautum atque beatum
Exiguis tabulis, & gemma fecerat vdâ.

Exemplum eſt in Cluentiana 37. *Aulius, vt erat conſtitutum, ſimulat ſe ægrotare, & teſtamentum facere velle. Oppianicus obſignatores ad eum, qui neque Aſinium, neque Aulium noſſent, adducit & illum Aſinium appellat: ipſe teſtamento Aſinij nomine obſignato, diſcedit, Aulius illico conualeſcit. Aſinius autem breui illo tempore, quaſi in hortulos iret, in arenarias quaſdam extra portam Exquilinam perductus, occiditur.* Quibus fraudibus vt obuiam irent, & heredum teſtimonium excludi voluerunt, & ſeptem teſtes adhiberi, etiam ante Iuſtinianum, vt opinor. nam Vlpianus D. Qui teſtamenta facere. *Qui teſtamento*, inquit, *heres inſtituitur, in eodem teſtamento teſtis eſſe non poteſt.*

Quod poſteriori iure vetitum.

OBSIGNAVI.] Duo fuerunt teſtibus facienda, vt & nomen ſuum & teſtantis adſcriberent, & ſignum imprimerent. D. Qui teſtim. fac. poſſunt. leg. Ad. teſtium. Vlpianus: *Si quis ex teſtibus nomen ſuum non adſcripſerit, veruntamen ſignauerit, pro eo eſt atque ſi adhibitus non eſſet: etſi, vt multi faciunt, adſcripſerit ſe, non tamen ſignauerit, adhuc idem dicemus.* Et ibidem Paulus l. penult. *Singulos teſtes, qui in teſtamento adhibentur, proprio chirographo adnotare conuenit.* De obſignatione Vlpianus l. citata: *Signum autem vtrùm annulo tantùm impreſſum adhibemus: an verò, etſi non annulo, verùm alio quodam impreſſo: variè enim homines ſignant, & magis eſt, vt tantùm annulo quis poßit ſignare.* Item: *Signatas tabulas accipi oportet, etſi linteo, quo tabulæ ſunt, ſigna impreſſa fuerint.* Quo in genere mirari ſatis non poſſum quod eadem lege præmiſerat. *Si ab ipſo teſtatore annulum accepero, & ſignauero, teſtamentum valet, quaſi alieno ſignauerim.* Fortaſſe: *quamuis alieno ſignauerim.* I. de teſtam. ordinandis. *Poſſunt autem omnes teſtes & vno annulo ſignare teſtamentum. Quid enim ſi ſeptem annuli, vna ſculptura fuerint, ſecundum quod Papiniano viſum eſt? ſed & alieno quoque annulo licet ſignare teſtamentum.* Mirari, inquam, ſatis non poſſum. nam ſi, vt ait Seneca lib. 3. de beneficiis cap. 15. inuenta eſt obſignatio, vt *pacta conuentáque impreßis ſignis cuſtodirentur.* Ideóque interponerentur pararij, vt ille vocat, vel vt Tullius tabelliones, ratio inueniri non poteſt cur vti poſſent annulis etiam alienis. adeò vt hæc etiam lex inter παραλόγους νόμους cenſeri poſſit, quæ à Plutarcho De ſera numinis vindicta numerantur. III.

Teſtes ſubſcribebant teſtamentis.

Et eadem obſignabant.

Annulo vel ſuo, vel etiam alieno.

PALAM FECERAT.] Frequenter cùm teſtamenta feciſſent, ea claudebant, nec ea volebant ante ſuam mortem aperiri: & eam ob cauſſam teſtantes nullos teſtes adhibebant, ſed tantùm ſuo ſigillo & chirographo muniebant, quo à pluribus obſeruarentur, ratis ſingulis ſed hereditatem adituros. Sicut Iulius Cæſar teſtamentum obſignatum ad virgines Veſtales tranſmiſerat, ſi quid ei humanitus accidiſſet: ſic alibi paſſim exempla. hinc illæ captatorum technæ qui orborum hereditati miris artificiis inhiabant. Vide Horatium Sat. 5. lib. 2. IV.

--turdus
Siue aliud primum dabitur tibi, deuolet illuc
Res vbi magna nitet domino leue, &c.
--captes aſtutus vbique
Teſtamenta ſenum, neu ſi vafer vnus & alter
Inſidiatorem præroſo fugerit hamo

Captatores teſtamentorum.

Aut ſpem deponas, aut artem illuſus omittas.
Iuuenalis paſſim, vt Sat. 4.

Conſilium laudo artificis, ſi munere tanto
Præcipuam in tabulis ceram ſenis abſtulit orbi.

Et Sat. 5.

Inſtruit ergo focum prouincia, ſumitur illinc
Quod captator emat Lenas, Aurelia vendat.

Et alibi ſæpè, vnde & *captatorem macellum* eleganter appellat, quòd munera orbis transmittenda à captatoribus è macello peterentur. Ammianus lib. 14. *Nunc verò inanes flatus quorundam, vile eſſe quicquid extra vrbis pomœrium naſcitur, æſtimant, præter orbos & cœlibes: nec credi poteſt, qua obſequiorum diuerſitate colantur homines ſine liberis Romæ.* Et eam ob rem ſuam voluntatem tegebant, quo à pluribus colerentur. pulchrè Horatius loco citato:

Qui teſtamentum tradet tibi cunque legendum,
Abnuere, & tabulas à te remouere memento,
Sic tamen vt limis rapias, quid prima ſecundo
Cera velit verſu.

Ita deceptus eſt ille Naſica, qui multùm negatas Corani tabulas accipiens, legit & inuenit:

Nil ſibi legatum præter plorare, ſuiſque.

Suauiſſimè Lucianus in Nigrino: Μετὰ δὲ ταῦτα ἑτέρου δράματος ἥπτετο, τῶν ἀμφὶ νεκρίας τε καὶ διαθήκας καλινδουμένων, προστιθεὶς ὅτι μίαν φωνὴν οἱ Ῥωμαίων παῖδες ἀληθῆ παρ' ὅλον τὸν βίον προΐενται, τὴν ἐν ταῖς διαθήκαις λέγων, ἵνα μὴ ἀπολαύσωσι τῆς σφετέρας ἀληθείας. *Poſt hæc aliam tragœdiam attingebat eorum qui circa ſolicernia & teſtamenta voluntantur, addens à Romanis vnicam in vita veram vocem emitti, (eam, quæ in teſtamentis eſt, intelligens) vt ſua veritate non fruantur.* Alias tamen heredes palam declarabant, non ſolùm extremo ſpiritu, vt iſte Cyrus, ſed etiam cùm proſpera valetudine vterentur. Tranquillus in Iulio cap. 83. *Qu. Tubero tradit heredem ab eo ſcribi ſolitum ex conſulatu ipſius, primo vſque ad initium ciuilis belli Cn. Pompeium: ídque militibus pro concione recitatum.*

V. ET ILLVM HEREDEM ET ME SCRIPSERAT.] E iam dictis colligi poteſt plures heredes fuiſſe ſcriptos. Eorum fuerunt duo genera, vt alij inſtitui heredes, alij ſubſtitui dicerentur. de quibus, vide Iuriſconſultos in Pandectas, & alibi, & præcipuè Gregorium Tholoſanum libro 42. ſui ſyntagmatis. Teſtantes porro ſolebant heredes plurimos, vel hereditatis adeundæ, vel ſolùm honoris cauſsâ nominare. Tacitus 3. annalium Aſinij Salamini: *Teſtamentum multo apud vulgum honore fuit: quia in magnis opibus cùm fermè cunctos proceres cum honore nominauiſſet, Cæſarem omiſit, quod ciuiliter acceptum, neque prohibuit quo minùs laudatione funebri pro Roſtris, cæteriſque ſolemnibus funus honeſtaretur.* & libro 2. Tiberius: *Neque hereditatem cuiuſquam adiit, niſi cum amicitia meruiſſet, ignotos & aliis infenſos, eóque principem nuncupantes, longè arcebat.* Quam animi moderationem ab Auguſto didicerat, qui vt auctor eſt Dio libro 56. agens de ipſius teſtamento: Καὶ τοῖς παισὶν, ὧν μικρῶν ἔτι ὄντων τοὺς πατέρας τῶν οὐσιῶν ἐκεκληρονομήκει, προσέταξε πάντα μετὰ τῶν προσόδων ἐπειδὰν ἀνδρωθῶσιν ἀποδοθῆναι, ὅπερ που καὶ ζῶν ἐπεποιήκει. εἰ γάρ τινα τέκνα ἔχοντα διεδέξατο τοῖς παισὶν αὐτοῦ πάντως, εἰ μὲν ἤδη τότε τέλειοι ἦσαν εὐθὺς, εἰ δὲ μὴ μετὰ τοῦτο πάντα ἀπεδίδου. *Pueris etiam, quorum parentum, ipſis adhuc teneram ætatem agentibus hereditates adierat, paternas facultates, cum redditibus iuſſit reddi, ſimul ac virilem ætatem attigiſſent: quod idem ſuperſtes etiam obſeruauerat, vt ſi cuius heres fieret cui liberi eſſent, omnino his paterna bona, vel ſtatim, ſi adulti eſſent, vel pòſt omnia reſtitueret.* Noſter pro domo 85. *Quis meorum amicorum teſtamentum diſceſſu meo fecit, qui mihi non idem tribuerit, quod & ſi adeſſem.* Adeò vt non dici heredem ab amicis probro duceretur. Philipp. 2. §. 27. *Hereditates mihi negaſti venire. vtinam hoc tuum verum crimen eſſet: plures amici mei & neceſſarij viuerent. Sed qui iſtuc tibi venit in mentem? Ego enim amplius HS. ducenties acceptum hereditatibus retuli.* Idem Clodio Noſter exprobrauit 1. ad Att. ep. 15. *Quouſque*, inquit, *hunc Regem feremus? Regem appellas, inquam, cùm Rex tui mentionem nullam fecerit? ille autem Regis hereditatem ſpe deuorarat.* Quare Nero apud Tranquillum cap. 3. lepidam rationem inuenit vſciſcendi eos qui ſe præteriſſent: *Vt ingratorum in principem teſtamenta ad fiſcum pertinerent.* Plures autem heredes nominabant, non quod eſſent omnes hereditatem adituri, ſed vt eam inſtituti heredes cernerent, non cernerent autem ſubſtituti, niſi ſi quid primis heredibus humanitus contigiſſet. Perſius Sat. 3.

-Pupillúmque vtinam quem proximus heres
Impello, expungam, námque eſt ſcabioſus, & acri
Bile tumet.-

Horatius loco citato:

Si cui præterea validus malè filius in re — Primi & ſecundi heredes.
Præclara ſublatus aletur: ne manifeſtum
Cœlibus officium nudet te, leniter in ſpem
Arrepe officioſus, & vt ſcribare ſecundus
Heres, & ſi quis caſus puerum egerit orco
In vacuum venias, perraro hæc alea fallit.

Appianus 2. ciuilium: Τῶν αὐτοφόνων Δέκιμος ὁ Βροῦτος ἐν τοῖς δευτέροις κληρονόμοις ἐγέγραπτο παῖς. ἔθος γάρ τοι Ῥωμαίοις παραγράφειν τοῖς κληρονόμοις ἑτέρους, εἰ μὴ κληρονομοῖεν οἱ πρότεροι. *E percuſſoribus Decimus Brutus adoptatus ſcribebatur in ſecundis heredibus. Id enim moris eſt apud Romanos, vt heredibus alios adſcribant, ſi primi hereditatem non adierint.* Hi ſecundi heredes fuiſſe videntur priorum tutores, vt indicat Dio lib. 44. agens de hoc ipſo Cæſaris teſtamento: Τόν τ' Ὀκτάουιον υἱὸν πεποίηται, καὶ τὸν Ἀντώνιον, τόν τε Δέκιμον, καί τινας ἄλλους τῶν σφαγέων ἐπιτρόπους αὐτοῦ, καὶ κληρονόμους τῆς οὐσίας, ἂν γε μὴ ἐς ἐκεῖνον ἔλθοι, καταλέλοιπε. *Et Octauium adoptauit, & Antonium, Decimum, alióſque nonnullos è percuſſoribus, eius procuratores, & bonorum heredes inſtituit, ſi ille hereditatem non adiſſet.* Priores illi heredes primam ſiue præcipuam ceram, id eſt, ſupremam tabulæ partem ſic obtinebant, vt eorum nomina ſecundo teſtamenti verſu ſcriberentur, ſecundi in ima cera ſcribebantur. Horatius verſu iam laudato:

Sic tamen vt limis rapias, quid prima ſecundo
Cera velit verſu: ſolus, multiſne coheres
Veloci percurre oculo. --

Iuuenalis:

Præcipuam in tabulis ceram ſenis abſtulit orbi.

Suetonius in Iulio cap. 83. *Nouiſſimo teſtamento tres inſtituit heredes ſororum nepotes: C. Octauium ex dodrante, & L. Pinarium & Qu. Pedium ex quadrante: reliquos in ima cera.*

HORA TERTIA.] De ratione horarum apud antiquos plura diſſeremus Philipp. 2. §. 65. VI.

VII. ANIMAM EFFLANTEM.] Videtur ad vocabuli proprietatem alludere. Anima enim quaſi ἀήτας, pro vento ſiue flatu frequenter. vt 8. Æneidos:

Quantum ignes animæque valent.-

Anima ventus. Horatius:

Iam veris comites, quæ mare temperant,
Impellunt animæ lintea Thraciæ, &c.

Et Stoici animam definiebant, Πνευματικὴν οὐσίαν πλείστου μετέχουσαν τοῦ θερμοῦ. *Spiritalem ſubſtantiam plurimi caloris participem.* Hinc ſpirare dicitur viuere, expirare mori. item vitam exhalare, animam efflare. 2. Æneidos:

Vt Regem æquæuum crudeli funere vidi
Vitam exhalantem.-

Exhalare animam. Poſt quem Naſo 5. Metam.

-Exhalantem ſub acerbo funere vitam.

Vndecimo Æneidos exeunte:

-Sed limine in ipſo
Mœnibus in patriis atque inter tuta domorum
Confixi expirant animas.-

Propertius:

Exſpirare. *Atque animam in teges putrem expirare paternas.*

Nec Græcis ignota locutio. Iliados δ'. verſu 523.

Κάππεσεν ἄμφω χεῖρε φίλοις ἑτάροισι πετάσσας
Θυμὸν ἀποπνείων.- ἀποπνεῖν.
Concidit, atque manum ſociis vtramque tetendit
Exſpirans animam.-

Item Iliados ν'. verſu 653.

-φίλων ἐν χερσὶν ἑταίρων
Θυμὸν ἀποπνείων, ὥστε σκώληξ ἐπὶ γαίῃ
Κεῖτο ταθείς. ἐκ δ' αἷμα μέλαν ῥέε, δεῦε δὲ γαῖαν.
In manibus comitum vitam expirauit, humique
Extentus, vermis proiecti more, iacebat.
Humectabat humũ cruor atro flumine manans.

Euripides Phœniſſis:

Ἄμφω δ' ἅμ' ἐξέπνευσαν ἄθλιον βίον.
Vitam ambo miſera pariter efflarunt nece.

Et Oreſte:

Ἐγὼ δὲ πάντως ἐκπνέων ψυχὴν ἐμήν. ἐκπνεῖν.
Efflans ego animam penitus.-

Nimirum, inquit Germanus Valens, alludunt ad ſententiam eam, quam perſtrinxit ſub perſona Cebetis ad Socratem Plato in Phædone, eo loco, quo multos in eo errore verſari dicit, vt credant animam ita ab hominibus efflari, vt tanquam fumus dilabatur & diſſipetur: εὐθὺς ἀπαλλαττομένη τοῦ σώματος, ὥσπερ πνεῦμα ἢ καπνὸς διασκεδασθεῖσα οἴχεται διαπταμένη. *Statim è corpore ſoluta, ſpiritûs aut fumi inſtar diſſipata, abit auolans.*

ARGVMENTVM.

Probat nihil cauſæ fuiſſe cur repente Clodius ſtatueret Romam proficiſci, etiamſi, quod aduerſarij iactabant, de obitu Cyri, non de itinere Milonis fuiſſet ei nuntiatum.

L. AGE, ſit ita factum: quæ cauſſa cur Romam properaret? cur in noctem ſe coniiceret? quid afferebat feſtinationem? quod heres erat? primùm erat nihil, cur properato opus eſſet; deinde ſi quid eſſet, quid tandem erat, quòd ea nocte conſequi poſſet? amitteret autem, ſi poſtridie manè Romam veniſſet? Atque vt illi nocturnus ad vrbem aduentus vitandus potiùs, quàm expetendus fuit, ſic Miloni, cùm inſidiator eſſet, ſi illum ad vrbem noctu acceſſurum ſciebat, ſubſidendum atque exſpectandum fuit.

EXPLANATIO.

AGE, SIT ITA FACTVM.] Eſto, vt volunt aduerſarij, ſeruus ille non de profectione Milonis, ſed de Cyri morte Clodium fecerit certionem. ex quo facit hoc dilemma.

Vel eo conſilio Romam profectus eſt, vt Cyri hæreditatem adiret, vel vt in via Milonem occideret,
Non vt hæreditatem adiret.
Ergo vt Milonem occideret.

probat aſſumptionem, quia etiamſi hæreditatem fuerat aditurus, tamen cauſæ nihil fuit cur ſe in noctem coniiceret, & Romam ſubito properaret. propter cauſas quæ in Notis adferuntur.

QVID AFFEREBAT FESTINATIONEM?] aliàs, *Quid afferebat feſtinatio?* Ianus Grutterus: *Quid adferebat cauſa feſtinationis?*

CVR IN NOCTEM.] Cur hora diei decima, duabus ante noctem horis ſe viæ committeret?

ATQVE VT ILLI.] Hactenus oſtendit Clodium inſidiatorem fuiſſe: nunc iiſdem penè argumentis Milonem docet non fuiſſe.

SVBSISTENDVM.] Alij legunt, *ſubſidendum.* quod placet.

NOTÆ.

ERAT NIHIL.] Duas potuit Claudius cauſſas prætexere cur Romam properaret, vel vt funus procuraret, vel vt hereditatem ſibi relictam venderet, & ex ea pecuniam conflaret. Sed hæ cauſſæ locum non habuerunt: non poſterior quia res feſtinationem non adferebat, & id per alios fuerat exequendum. Plutarchus De ſera numinis vindicta: Ῥωμαῖοι δ' οὓς ἂν εἰς ἐλευθερίαν ἀφαιρῶνται, κάρφος αὐτῶν λεπτὸν ἐπιβάλλουσι τοῖς σώμασιν. ὅταν δὲ διαθήκας γράφωσιν, ἑτέρους μὲν ἀπολείπουσι κληρονόμους, ἕτεροι δὲ πωλοῦσι τὰς οὐσίας· ὃ δοκεῖ παράλογον εἶναι. *Romani verò, quos libertate donant, eorum corporibus tenuem paleam iniiciunt. cùm verò teſtamenta ſcribunt, alios inſtituunt heredes, alij bona vendunt; quod à ratione videtur alienum.* Prior autem illa funeris cauſſa in Clodio herede locum habuiſſet, niſi Cyrus teſtator hanc alij curam mãdaſſet. Vide Vlpianum l. Si quis. D. de religioſis & ſumpt. I. Heredes bona defuncti non vendunt.

& ſumpt. *Funus autem cum facere oportet, quem decedens elegit*, &c. *Sin autem de hac re defunctus non cauit, nec vlli delegatum id munus eſt, ſcriptos heredes ea res contingit. Si nemo ſcriptus eſt, legitimos vel cognatos quoſque ſuo ordine, quo ſuccedunt.*

II. Subſidere. SVBSIDENDVM.] Ita legit Franciſcus Modius epiſt. 39. Eſt autem, inquit, *ſubſidere* vocabulum caſtrenſe, quod non ſimpliciter ſubſiſtere ſignificat, ſed in inſidiis ſubſiſtere. Hinc *Subſeſſæ* Vegetio libro 3. cap. 22. *Penè vtrique parti in itinere ad ſubſeſſas communis occaſio eſt.* Ac paulò antè: *Qui verò ſuperuentus & ſubſeſſas paſſus eſt.* Subſeſſæ. Seruius ad II. Æneidos:

-ſubſedit adulter:

Subſeſſores dicuntur qui inſidiis tauros interimunt, & hoſtiū dolo ſubſeſſos vocamus. Emendat Modius:

Et hoſtium dolos ſubſeſſus vocamus.

Coniectura à comitantibus, ſiue ab ipſis facti circumſtantiis:

- à loco. Si Milo fuiſſet inſidiator
  - vel ſubſtitiſſet prope vrbem Clodium expectans
    - inuidioſo & pleno latronibus loco.
    - vbi neque cæca nox, neque muta ſolitudo oſtendiſſet Milonem. 51.
    - vbi multi in ſuſpicionem cædis vocarentur, qui
      - vel à Clodio fuerant
        - violati.
        - ſpoliati.
        - bonis expulſi.
      - vel hæc timebant. 51.
  - vel antè occurriſſet, quàm ille ad villam ſuam accederet.
  - Non autem illum adortus fuiſſet
    - ante fundum ipſius Clodij, vbi facilè mille hominum verſabatur valentium. 54.
    - è loco incommodo & inferiore. 54.
- ab habitu
  - Milo
    - in rheda.
    - penula irretitus. 55.
  - Clodius
    - in equo.
    - expeditus. 56.
- à comitatu
  - Milo
    - vxore penè conſtrictus.
    - cum pueris ſymphoniacis vxoris.
    - cum ancillis.
  - Clodius
    - ſine vxore.
    - ſine Græcis comitibus.
    - ſine ſcortis & lupis, vt ſolebat.
    - cum hominibus ad pugnam expeditis. 56.

ARGVMENTVM.

Probat Milonem de inſidiis non cogitaſſe, quia ſi Clodio necem inferre voluiſſet, prope vrbem, ad monumentum Baſilij, qui locus erat inſidiis aptiſſimus, ſubſtitiſſet, & ibi Clodium exſpectaſſet.

NOCTV inuidioſo & pleno latronum in loco occidiſſet. nemo ei negantì non credidiſſet, quem eſſe omnes ſaluum etiam confitentem volunt. Suſtinuiſſet hoc crimen primum ipſe ille latronum occultator, & receptator locus, dum neque muta ſolitudo indicaſſet, neque cæca nox oſtendiſſet Milonē: deinde vbi multi ab illo violati, ſpoliati, bonis expulſi, multi etiā hæc timentes in ſuſpicionē caderent: tota deniq. rea citaretur Hetruria. LI.

EXPLANATIO.

NOctv.] *Si Milo Clodium occidere voluit, vel ſubſiſtere debuit, & Clodium expectare prope vrbem, vel antè occurrere quàm Clodius potuerit ad villam ſuam peruenire.*

Sed neutrum fecit.

Ergo noluit occidere.

probat ſatiùs fuiſſe Miloni expectare prope vrbem: quia ſi ad monumentum Baſilij occidiſſet, cædem facilè negare potuiſſet hoc pacto.

Cædem noctu factam, inuidioſo & pleno latronum in loco facilè negare potuiſſet.

Sed ad monumentum Baſilij Clodius noctu perueniſſet, & is locus eſt inuidioſus & plenus latronũ.

Ergo cædem eo loco factam facilè negare potuiſſet.

Quam inficiandi facilitatem probat altero ſyllogiſmo.

Homines facilè credunt quod deſiderant.

Sed Milonem videri innocentem deſiderant.

Ergo ſi cædem in monumento Baſilij factam negaſſet, omnes facilè credidiſſent.

Aſſumptionem ſuperioris ſyllogiſmi, non tam probat, quàm explanat expolitione rhetorica: *Suſtinuiſſet*, &c. *Hetruria*. Etſi his verbis nonnulla probatio continetur.

Si in pleno latronum loco cæſus eſſet, non à Milone cæſus, ſed ab illis latronibus diceretur: ſi in ſolitudine, nulli teſtes potuiſſent adhiberi, ſi noctu facilè latere potuiſſet.

Sed hæc omnia contigiſſent, ſi expectaſſet Milo.

Ergo debuit expectare.

Deinde vbi.] Hactenus locum plenum latronibus fuiſſe dicit: nunc inuidioſum Clodio futurum fuiſſe demonſtrat. id eſt, omnes qui Clodiũ eo loco cæſum audiiſſent, cædem approbaturos fuiſſe, & conuerſuros omnem facti inuidiam in Clodium. quia facilè credidiſſent Clodiũ ibi ſtruxiſſe inſidias, vbi iam multos antè vexarat, & ſpoliarat: & alios fuiſſe cædis auctores, qui ſibi timerent ab inſidiis Clodij, & iure quidem ſibi timerent, ſiquidem Clodius multos alios ibi ſpoliarat.

Tota deniqve rea.] Facilè omnes credidiſſent Hetruſcos fuiſſe cædis auctores: ob illas iniurias, quib. totam Hetruriam lacerauerat, ſuprà 26. *Seruos agreſtes & barbaros, quibus ſiluas publicas depopulatus fuerat, Hetruriámq. vexarat, ex Apennino deduxerat.*

NOTÆ.

1. Latronvm occvltator.] Aſconius: *Via Appia eſt prope vrbem monumentum Baſilij, qui locus latrociniis fuit per quàm is.* lege, *per quàm infamis, quod ex aliis quoque multis intelligi poteſt.* Neque ſanè mirum fuerit, Appiam viam fuiſſe latronibus infeſtam, cùm eam mendici vt plurimùm obſiderent. Perſius Sat. 6.

-*accedo Bouillas*
Cllémq; ad Virbi præſto eſt mihi Manius heres
Progenies terræ.

Iuuenalis Sat. 4.

Cæcus adulator, dignúſque à ponte Satelles
Dignus Aricinos qui mendicaret ad axes,
Blandáque deuexæ iactaret baſia Rhedæ.

Via Appia latrociniis infamis.

deuexæ, inquit, rhedæ, in valle igitur cliuo ſubiecta fuit ille locus *latronum occultator*. immò etiam in vrbe. Iuuenalis Sat. 3.

-*Nam qui ſpoliet te*
Non deerit, clauſis domibus poſtquam omnis vbique
Fixa cathenatæ ſiluit compago tabernæ.
Interdum & ferro ſubitus graſſator agit rem,
Armato quoties tutæ cuſtode tenentur
Et Pomptina palus, & Gallinaria pinus.

Et Sat. 10.

Pauca licet portes argenti vaſcula puri
Nocte iter aggreſſus, gladium contúmq. timebis
Et motæ ad lunam trepidabis arundinis vmbrã.

Pomptina palus.

Pontinam autem ſiue Pomptinam paludem ad Appiam viam fuiſſe conſtat è Lucano lib. 3.

Iámq. & præcipites ſuperauerat Anxuriis arces,
Et qua Pontinas via diuidit vnda paludes,
Qua ſublime nemus, Scythicæ qua regna Dianæ,
Quáque iter eſt Latiis ad ſummam faſcib. Albã
Excelſa de rupe procul iam reſpicit vrbem.

Neqve mvta solitvdo indicasset.] 11.

Notæ ſunt grues Ibyci. Latrones in ſolitudine Ibycum Poëtã ſuperuolantibus gruib. occiderãt: eíſque prædixerat Ibycus fore vt factum non lateret, ſed potiùs à quibus detegeretur: ΟΙ δ' Ἴβυκον ἀποκτείναντες οὐχ ἑάλωσαν, inquit Plutarchus opuſculo de garrulitate, ἐν θεάτρῳ καθήμενοι, καὶ γεράνων παραφανεισῶν, ἅμα γέλωτι πρὸς ἀλλήλους ψιθυρίζοντες ὡς αἱ Ἰβύκου ἔκδικοι πάρεισιν, &c. vide. *Qui Ibycum occiderant, nónne conuicti ſunt in theatro? gruibus apparentibus, tum riſu ſibi in aurem inſuſurrantes, adeſſe qui Ibyci cædem perſequerentur.* Quo iudicio comprehenſi, & expreſſa facinoris confeſſione puniti ſunt. Nec minùs illud inſigne videri debet ad memoriam hominũ, quod mihi certis auctoribus compertum nõ debeo præterire. Noſtra ætate graſſatores in muta Catalauniæ ſolitudine viatorem occiderant, eum, cùm, facinus ſe tegere rati, terra obruerent, hanc vocem Ivstitia Dei in Maiorica ter repetitam audierunt. Eorum vni cùm ea vox penitus inſidens nullam quietis partem concederet, viſum eſt fallendæ conſcientiæ vitandæque Maioricæ cauſſa in Italiam nauigare. Ad Maioricam tempeſtate appulſus diu ſecum ipſe luctatus eſt ne ad terram exſcenderet. tandem vrbis videndæ cupiditate victus, emptum è macello veruecinum caput, inuolutum linteo in nauim referebat. Enimuerò caput illud copioſam vim ſanguinis emittere: mirari qui aderant, quid ferret ſciſcitari, aienti caput eſſe veruecinum linteum euoluere, cæteris omnibus apparere caput humanũ: ipſi vni, vt erat, veruecinum. Illi vbi truncum corporis humani reliquiſſet inquirere: hic ridere hominum inſaniã: clamare illi nihil eſſe quòd tergiuerſetur, ipſa facinoris voce conuictus. hic facinus etiam atq. etiam pernegare. Quid plura? obtorto collo ad iudicum tribunal rapitur: accuſatur, humani capitis producti ſpecie conuincitur, & damnatur. Tandem cùm rem agi ſeriò videret admiſſam in Catalaunia fraudem confeſſus, auditæ vocis in ſolitudine veritatem expertus eſt.

Detecta ſcelera in ſolitudinibus perpetrata.

Neqve cæca nox.] Nox ſcelerum adminiſtra. quia videlicet, vt ait Deianira Sophocles in Trachiniis:

-Σκότῳ
Κἂν αἰσχρὰ πράσσῃς, οὔποτ' αἰσχύνῃ πεσῇ.

-*Nocte ſi cæca facis*
Inhoneſta, nullus ora ſuffundet pudor.

Plutarchus in Arato: ΟΥ μόνον θηρίων τινῶν ὄψεις ἔνεργοι διὰ σκότους οὖσαι μεθ' ἡμέραν ἀποτυφλοῦνται, ξηρότητι καὶ λεπτότητι τῆς περὶ τὸν ὀφθαλμὸν ὑγρότητος μὴ φερούσης τὴν πρὸς τὸ φῶς σύγκρασιν, ἀλλὰ καὶ δεινότης

Nox ſcelerũ adminiſtra.

τῆς ἐστιν ἀνθρώπου καὶ συνέσεις ἐν τοῖς ὑπαιθρίοις, καὶ διακεκηρυγμένοις εὐτάρακτος ἔσται, πρὸς δὲ τὰς ἐπικρύφους καὶ λαθραίους ἀναθαρσοῦσα πράξεις. *Non ſolùm beſtiarum quarundam oculi in tenebris viuidi, media nocte cœcutiunt, ſiccitate & tenuitate humoris oculo circumfuſi lucis admixtionem non ferente, ſed etiam hominis impetus & prudentia in rebus luci expoſitis & propalatis facilè natura ſua turbatur, ad res occultas & clancularias fit audacior.* Hinc illud Satyrici:

Nocte quidem ſed luna videt, ſed ſidera teſtes
Aduertunt oculos.

Sicut contra Orpheus, ſiue quiſquis eſt auctor hymnorum Solem ita compellat.

Εὐσεβέσιν, καθοδηγὲ καλῶν, ζαμενὴς ἀσεβοῦσι.
Dux ad iuſta piis, ſcelerato infenſus & aſper.

Bene etiam Æſchylus à Theophilo Antiocheno citatus libro 2. ad Autolycum:

Οὐκ ἐγκαλύπτει νὺξ κακῶς εἰργασμένον,
Ὅτι ἂν ποιῇς δεινὸν, νόμιζ' ὁρᾶν τινα.
Non cœca nox quod improbè factum eſt, tegit,
Puta videri ſi quid iniuſtè facis.

& Heſiodus in Operibus etiam in tenebris corpus nudari vetat, aut etiam quicquam fieri indecorum:

Μηδ' ἀπογυμνωθεὶς, μακάρων τοι νύκτες ἔασιν.
Nec te nudaris, nam præſunt numina nocti.

Interpretatur Moſchopulus: Ὥστε εἰ καὶ μὴ ἄνθρωπος δηλονότι ὁρᾷ τότε τὴν σὴν ἀσχημοσύνην, ἀλλ' οἱ θεοὶ ὁρῶσιν, οὓς αἰδούμενος μὴ ἀπογύμνου. *Etſi nemo mortalium tuam indecentiam videat, at Dij vident, quorum reuerentiâ caue nuderis.* Libanius loco communi contra homicidam: Καταλαβὼν γὰρ τόπον ὑψηλόν τε καὶ ἀπόκρημνον, τοὺς μὲν προσιόντας ὁρᾷ πόρρωθεν, τοὺς δ' ᾑρημένους ἀφανίζει, τὴν νύκτα λαβὼν εἰς τὸ τόλμημα συνεργόν. *Loco enim edito & eminenti occupato, aduenientes longè obſeruat, interfectos apparere nuſquam patitur, noctem adiutricem audaciæ aſſumit.* Apuleius lib. 4. Mileſiorum: *Iámque prouecta veſpera, abuſi beneficio tenebrarum, &c.* Item: *Et de diſciplina ſectæ* latrocinandi *ſeruato noctis illumino tempore, &c.* Heliodorus octauo Æthiopic. Ὦ Θεαγένης, εὖ γε ἡ ἀλάστωρ Ἀρσάκη, ἀνεβόησεν, ὅτι νυκτὶ καὶ ζόφῳ τὰς ἑαυτῆς ἀθεμίτους πράξεις ἐπικρύπτειν οἴεται. Δεινὸς δ' ὁ τῆς δίκης ὀφθαλμὸς ἐλέγχων καὶ τὰ ἀμαυρὰ κρύφια, καὶ ἀθέμιτα φωτίζων. *Tum Theagenes, Bene eſt, exclamauit, quod nefaria Arſace nocte & caligine ſceleratas ſuas actiones occultare ſe arbitratur. At potens eſt iuſtitiæ oculus ad occulta & abſcondita ſcelera arguenda & res nefarias in lucem extrahendas.* Philo Iudæus libello de ſua ad Caium legatione effigiẽ Apollinis deſcribens: Στέφανον ἀκτινωτὸν φορεῖ, εὖ πως ἀπομαξαμένου τὰς ἡλιακὰς ἀκτῖνας τοῦ τεχνίτου. ἐκείνῳ δ' ἥλιος ἢ φῶς Qui malè agit odit lucem.
συνόλως ἄσπαστόν ἐστιν, ἀλλ' οὐχὶ νὺξ, καὶ εἴ τι σκότους ἀφεγγέστερον, εἰς τὴν τῶν ἀνόμων ἔργων διάθεσιν. ἐπειδὴ τὰ μὲν καλὰ περιαυγείας μεσημβρινῆς δεῖται πρὸς ἐπίδειξιν, τὰ δ' αἰσχρά φασιν ἐσχατιᾶς ταρτάρου, εἰς ὃν ἄξιον συνωθεῖσθαι δεόντως ἐπικρυφθησόμενα. *Coronam radiatam geſtat, effectis bellè ab artifice radiis ſolaribus: quaſi aut ſol aut in vniuerſum lux magis placere poßit, quàm nox & tenebræ denſißimæ ad perpetrandas res nefarias. Siquidem honeſta opus habent luce meridiana, vt conſpicua fiant, turpes verò ſunt relegandæ in extremum tartarum, dignum omnium quæ celari debent receptaculum.* Sic apud Xenophontem Ageſilaus exiſtimabat: Αἰσχρουργίᾳ μὲν τὸ ἀφανίζεσθαι πρέπειν, τὸ δ' εἰς κάλλος βίῳ τὸ φῶς μᾶλλον κόσμον παρέχειν. *Turpibus actionibus tenebras conuenire, vita autem ad honeſtatem exacta lucem maiori eſſe ornamento.*

AXIOMA.

Nemo ei neganti non crederet, quem eſſe ſaluum etiam confitentem volunt.

ARGVMENTVM.

Explicatur altera pars ſuperioris dilemmatis, tum antequam progrediatur vlteriùs, dicta tota confirmatione breuiter repetuntur.

ATQVE illo die certè Ariciâ rediens diuertit Clodius ad Albanum. LII.
quod niſi ſciret illum Milo Ariciæ fuiſſe, ſuſpicari tamen debuit, eum, etiam ſi Romam illo die reuerti vellet, ad villam ſuam, quæ viam tangeret, diuerſurum. cur neque antè occurrit, ne in villa reſideret, nec eo in loco ſubſedit, quo ille noctu venturus eſſet?

Video adhuc conſtare omnia, Iudices, Miloni etiam vtile fuiſſe Clodium LIII.
viuere, illi ad ea, quæ concupierat optatiſſimum interitum Milonis fuiſſe: odium illius in hunc acerbiſſimum, in illum huius nullum: conſuetudinem illius perpetuam in vi inferenda, huius tantùm in repellenda: mortem ab illo denuntiatam palam Miloni, & prædictam, nihil vnquam auditum ex Milone: profectionis huius diem illi notum, reditum illius huic ignotum fuiſſe: huius iter neceſſarium, illius etiam potiùs alienum: hunc præ ſe tuliſſe ſe illo die Roma exiturum, illum eo die ſe diſſimulaſſe rediturum: hunc nullius rei mutaſſe conſilium, illum cauſam mutandi conſilij finxiſſe: huic ſi inſidiaretur nocte prope vrbem expectandum, ille etiam ſi hunc non timeret, tamen acceſſum ad vrbem nocturnum fuiſſe metuendum.

EXPLANATIO.

ATQVE.] Clodius aliquantum ab Aricia rediens, à ſolita via deflexerat: & ad villam Pompeij poſitam in Albano monte deuerterat: ex quo inſinuat Orator, Milonem non inſidiandi animo fuiſſe profectum, vt mox dicetur.

ARICIA.] Oppidum iuxta viam Appiam, vltra Bouillas, ad collem Virbij.

QVOD NISI SCIRET.] leguntalij, *Quod vt ſciret.* libenter legerim, *Quidni, ſi ſciret.* vt vocem *diuerſurum* interrogationis nota ſubſequatur. vel, quod magis arridet, *Quod, ſi ſciret,* &c. id eſt, Quòd ſi Milo, vt Arius obiecit, Clodij ſeruum corruperat, & ex eo ſciebat, Clodium Ariciæ fuiſſe, nihil tamen hinc efficietur, quo probetur eo conſilio profectus vt inſidias Clodio compararet. nam ſi putauit Clodium eo die Ariciâ rediturum, ſuſpicari debuit eum non in Villam Albanam Pompeij aliquot paſſibus à via remotam, ſed potiùs ad villam ſuam quæ viam tangeret eſſe diuerſurum. Quòd ſi Clodium ſuſpicabatur, ad villam ſuam eſſe digreſſurum: debuit Milo præuenire, & antè occurrere Clodio, quàm ille in villa ſua reſideret. atqui non occurrit, ergo de inſidiis non cogitauit.

NEC IN EO LOCO.] Ad monumentum Baſilij prope vrbem.

SVBSEDIT.] Expectauit Milo.

ILLE.] Clodius.

VIDEO ADHVC.] Recapitulatio omnium quæ in confirmatione huc vſque tractata ſunt.

MILONI ETIAM.] 35.

ILLI AD EA.] 32. 33. 34.

ODIVM.] 36.

CONSVETVDINEM.] 37. 38. 39. 40. 41. 42.

MORTEM.] 45.

PROFECTIONIS.] 46. 47.

ALIENVM.] 46. quo die inſaniſſima concio eſt concitata.

HVNC.] 47.

CAVSAM MVTANDI.] 49.

NOCTE.] 50.

NOTÆ.

1. OPeræpretium fuerit aliquot recapitulationum exempla producere, vel potiùs in certa genera deſcribere. Quædam apertæ ſunt & ſimplices, vt illa Demoſthenis de Cherſoneſo. Ἐν κεφαλαίῳ δ' ἃ λέγω φράσας, καταβῆναι βούλομαι, &c. *Vbi orationem meam in ſummam & capita redegero, deſcendam.* Et illa eiuſdem de falſa legatione medio ferè orationis decurſu: Συλλογίσασθαι δὲ βούλομαι τὰ κατηγορημένα ἀπ' ἀρχῆς, ἵνα ὅσα ὑμῖν ὑπεσχόμην ἀρχόμενος τοῦ λόγου, δείξω πεποιηκώς. ἐπέδειξα οὐδὲν ἀληθὲς ἐπηγγελκότα, &c. *In ſumma igitur capita accuſationis ab initio colligam, vt ea me præſtitiſſe demonſtrem quæ in principio orationis me vobis oſtenſurum eſſe ſum pollicitus. Demonſtraui eum nihil renuntiaſſe veri,* &c. Aut illa Æſchinis peroratione de falſa legatione: Ἅμα μὲν ὑμᾶς, ἅμα δ' ἐμαυτὸν εἰς ἀνάμνησιν τῶν κατηγορημένων ἀγαγεῖν βούλομαι. σκοπεῖτε δὲ καθ' ἕκαστον, ὦ Ἀθηναῖοι, &c. *Simul & vobis & mihi obiecta crimina in memoriam reuocabo. Conſiderate igitur ſingula, Athenienſes.* Et alibi frequenter vbi palam ſuperiùs dicta colligunt Oratores. Aliæ recapitulationes figuratæ ſunt, & cum arte tractantur, vt illa Homerica Odyſſeæ viceſimo tertio, vbi Poëta ſuum Vlyſſem Penelopæ coniugi in lectulo ſuos caſus narrantem inducit, & totam Odyſſeam in certa capita reuocans, omnia ſuperiùs narrata duobus & triginta verſibus comprehendit. Verſu 320. Recapitulatio aperta & ſimplex.

Ἤρξατο δ' ὡς πρῶτον Κίκονας δάμασ', αὐτὰρ ἔπειτα
Ἦλθ' ἐς Λωτοφάγων ἀνδρῶν πίειραν ἄρουραν, &c.
Principio Ciconas domitos narrauit, & inde
Lotophagos, pingues vt eorum acceſſerit oras,
&c. Vide.

Elegans illa Ciceronis Verrina de ſuppliciis. 135. *His tu etiam dicere audebis: Eſt in iudicibus ille familiaris meus, eſt paternus amicus ille?* &c. *Ipſe pater ſi iudicaret, per Deos immortales! quia facere poſſet cùm tibi diceret? Tu in prouincia populi Romani,* &c. Et hoc pacto omnia Verris crimina inductâ patris perſonâ coaceruat, & in peroratione per implorationem Deorum qui fuerãt à Verre ſpoliati, omnia eius ſacrilegia conglobat, à §. 183. Vide Catilinaria prima patriam loquentem inducens omnia crimina ſummatim repetit, quæ toto decurſu orationis obiecerit. Nec mihi diſplicet illa ἀνακεφαλαίωσις Apuleij apologia ſecunda, qua priuſquam finiat obiecta ſibi crimina, confutationéſque ſuas ita complectitur: *Cæterùm ad hæc quæ obieciſtis innumera binis verbis reſpondeam. Dentes ſplendidas: ignoſce munditiis. Specula inſpicis: debet philoſophus. Verſus facis: licet fieri. Piſces exploras: Ariſtoteles docet. Lignum conſecras: Plato ſuadet. Vxorem ducis: leges iubent. Prior natu eſt: ſolet fieri. Lucrum ſectatus es dotis: dotis tabulam accipe, donationem recordare, teſtamentum lege,* &c. Artificioſa etiam eſt illa Æſchinis contra Cteſiphontem recapitulatio, qua criminum ſummã faciens Demoſtheni præſcribit ordinem quo ad obiecta reſpondeat: Ἀξιώσατε τὸν Δημοσθένην τὸν αὐτὸν τρόπον ἀπολογεῖσθαι, ὅν περ κἀγὼ κατηγόρηκα. οὐδέ πως, ἵνα καὶ ὑπομνήσω ὑμᾶς, &c. *Poſtulate, vt Demoſthenes eodem modo ſe defendat, quo ego accuſaui: ſic ferè, vt vobis orationem meam in memoriam reuocem.* Et eadem oratione exeunte, Solonem, Ariſtidem, Themiſtoclem ab inferis excitans, eorúmque virtutes Demoſthenis criminibus opponens, renouat obiectorum memoriam. ſed adi.

ARGVMENTVM.

Aliud argumentum ducit ab opportunitate loci in quo congreſſi ſunt: & eum inſidiatorem fuiſſe dicit, qui ex excelſo loco & commodiore ad pugnam impetum fecerat, longè videlicet antè meditatus.

LIV. VIdeamus nunc id, quod caput eſt: locus ad inſidias ille ipſe, vbi congreſſi ſunt, vtri tandé fuerit aptior. Id verò, Iudices, etiam dubitandũ, & diutiùs cogitandũ eſt? ante fundum Clodij, quo in fundo propter

inſanas illas ſubſtructiones facile mille hominum verſabatur valentium. Atqui excelſo loco ſuperiorem ſe fore putabat Milo, & ob eam cauſſam eum locum ad pugnam potiſſimùm delegerat. at in eo loco potiùs expectandum ab eo, qui ipſius loci ſpe facere impetum cogitarat. Res loquitur, Iudices, ipſa, quæ ſemper valet plurimùm.

EXPLANATIO.

VIDEAMVS NVNC.] *Ille inſidias facere cogitauit, qui ex commodiore loço congreſſus eſt.*

Sed Clodius è loco commodiore congreſſus eſt.

Ergo inſidias facere cogitauit.

ID QVOD CAPVT.] Id quod eſt maximi momenti in hac cauſſa, id ex quo firmiſſimum argumentum deducitur. elegit enim commodum pugnæ locum, qui inſidias facere cogitaret, non autem is qui cùm fortuitò in inſidias incidiſſet, ex eo loco pugnare coactus eſt, vbi fuerat deprehenſus.

ANTE FVNDVM CLODII.] A circunſtantia loci criminis ſuſpicionem exaggerat. Ante fundum Clodij pugnatum eſt, vbi facilè mille homines tùm ſerui tùm architecti verſabantur, qui Clodio ſuccurrere potuiſſent: at probabile eſt Milonem non fuiſſe adeo cœcum audacia & temeritate, vt eo loco Clodio parare inſidias, quo in loco à Clodij mercenariis auxilium Domino ferentibus opprimi facilè potuiſſet.

MILLE HOMINVM VERSABATVR VALENTIVM.] Petrus Victorius legit *valentium aduerſari.* Manutius & Lambinus delent *aduerſari*, retinent *valentium.* Ant. Auguſtinus, & Fuluius Vrſinus vtramque vocem ſuſtulerunt: & bene, ni fallor. videtur enim eſſe gloſſemation, quod è margine in textum irrepſerit: tamen *valentium* Gellius agnouit.

ATQVI EXCELSO LOCO.] Subobſcurum. videtur eſſe quædam aduerſariorum obiectio. Atenim dicet aliquis, etiamſi noſſet Milo Clodij villam eſſe vicinam, non dubitauit tamen eo loco ponere inſidias, quia videlicet tumulum excelſum occuparat, vnde maiore cum impetu in Clodianos impreſſionem faceret: adeò vt illam Clodianæ villæ propinquitatem, ſuperioris loci commoditate penſaret, & ita Clodium priùs occideret, quàm poſſet illud mille, quod verſabatur in villa Clodij, domino ſuo periclitanti ſubuenire.

AN IN EO LOCO.] Obiectionem retorquet.

Clodius locum ſuperiorem occupauit.

Non autem Milo. Ergo.

RES LOQVITVR.] Tam clara eſt, vt mea non indigeat oratione, ſed ipſa loqui, & per ſe lucere videatur.

NOTÆ.

I. FVNDVM.] Notum illud Ciceronis & iam alicubi, ni fallor, à me prolatum.

Fundum Varro vocat quo poßis mittere fundâ,
Ni tamen exciderit qua caua funda patet.

Ipſe tamen Varro 4. de lingua Latinâ vult *fundum* dici, *quòd quotannis multa fundat.* Feſtus *fundum* appellat, *agrum planum, ad ſimilitudinem fundi vaſorum.* Iſidorus, *quòd in eo fundetur, & ſtabiliatur patrimonium.* Hæc congeſſit Gothofredus ad D. De verborum ſignific. l. 60. vbi Vlpianus: *Locus eſt non fundus, ſed portio aliqua fundi: fundus autem integrum aliquid eſt & plerumque ſine villa locum accipimus. Cæterùm adeo opinio noſtra & conſtitutio locum à fundo ſeperat, vt & modicus locus poßit fundus dici, ſi fundi animo eum habuimus. non etiam magnitudo locum à fundo ſeparat, ſed noſtra affectio, & quælibet portio fundi poterit fundus dici, ſi iam hoc conſtituerimus. Nec non & fundus locus conſtitui poteſt. Nam ſi eum alij adiunxerimus fundo, locus fundi efficietur.* Paulò pòſt: *Sed fundus quidem ſuos habet fines, locus verò latere poteſt, quatenus determinetur, ac definiatur.*

Fundus quid?

INSANAS ILLAS SVBSTRVCTIONES.] Infrà 86. *Vos enim Albani tumuli, atque luci, vos, inquam, imploro atque obteſtor, vóſque Albanorum obrutæ aræ ſacrorum populi Romani ſociæ, & æquales, quas ille præceps amentia, cæſis proſtratíſque ſanctißimis lucis, ſubſtructionem inſanis molibus oppreſſerat.* Miram enim fuiſſe villarum ædificandarum inſaniam iam antè in Piſonem 48. oſtendimus. de villa Gabinij vide pro Sextio 93. Cornificina ad Herennium 4. *In Tuſculano quidem cœpi inſanire, & in iiſdem fundamentis ædificare.* Inſanæ verò ſubſtructiones nihil aliud ſunt quàm valdè magnæ, vt auctor eſt Feſtus Pompeius, & ex eo Franciſcus Sylvius Ambianus. 2. Æneidos: II.

Subſtructiones inſanæ.

-Inſano iuuat indulgere labori.

Item:

Inſano Caſſandræ accenſus amore.

Et in Bucolicis:

-Inſani feriant ſine littora fluctus.

Liuius libro 32. *Ita turrim inclinauit, vt ſpeciem ruentis hoſtibus trepidationémque inſanam ſuperſtantibus armatis præbueret.* Plautus Bacchidibus:

Inſanium valde magnum.

Inſanùm magnum molior negotium,
Metuóque vt hodiè poßim emolirier.

Idem Milite glorioſo:

-Et ego me illi mancupio dabo,
Ni vnum epityrum apud illum eſuriens inſanè edam.

quem locum exponens M. Varro lib. 6. de lingua Latina: *Vehementer,* inquit, *cùm vellet dicere, dicit inſana, quod inſani faciunt omnia vehementer.* quare idem Plautus Neruolaria apud Nonnium *inſanum* & *valde* connexuit. *Inſanum valdè vterque deamat.*

Sed vt ad villas redeamus, talis fuit Caligulæ inſania, qui, vt ait Tranquillus cap. 37. *in exſtructionibus prætoriorum atque villarum omni ratione poſthabita nihil tam concupiſcebat, quàm quod poſſe effici negaretur.* Noſter ad Quintum Fratrem epiſt. 1. lib. 3. *Ea villa quæ nunc eſt, tanquam philoſophia videtur eſſe, quæ obiurget cæterarum villarum inſaniam.*

III. Mille hominvm versabatvr.] Hunc locum profert Gellius lib. 1. cap. 16. noct. Attic. & hanc ſyntaxim multis exemplis illuſtrat. Quadrigarius 3. annalium: *Ibi occiditur mille hominum.* Lucilius 3. Sat.

A porta mille ad portam eſt, exinde Salernum.

Mille, inquit, eſt, non, mille ſunt. Varro in 18. rerum humanarum: *Ad Romuli initium, plus mille & centum annorum eſt* Cato in libro Originum: *Inde eſt ferme mille paſſus.* Mille enim non pro eo ponitur, quod Græcè χίλιοι dicitur, ſed quod χιλιάς, & ſicuti vna χιλιὰς & duæ χιλιάδες, ita vnum mille & duo millia certa atque directa ratione dicitur. eadem Macrobius lib. 1. Sat. cap. 5. ſed ſuo more tacuit auctorem, ex quo verbatim exſcripſerat.

IV. Res loqvitvr ipsa.] Theophraſtus in characteribus: περὶ λογοποιΐας ait, τὸ πρᾶγμα βοᾶσθαι γὰρ ἐν τῇ πόλει, καὶ τὸν λόγον ἐπιτείνειν, καὶ πάντας συμφωνεῖν. *Rem ipſam tota vrbe loqui, rumorem creſcere, omnes conſonare.* Pulchrè Nonnus in paraphraſi cap. quinto:

Ἔργα γὰρ ὅπποτα δῶκε πατὴρ ἐμὸς ὄφρα τελέσσω,
Φθέγγεται αὐτοβόητα λάλῳ σάλπιγγι σιωπῆς.
Nam quæcunque dedit Genitor facienda, loquuntur
Sponte ſuâ clamoſa tubâ clangente ſilentij.

Chryſoſtomus in epiſtolã ad Romanos homilia 26. Οὐχ ὁρᾷς τὰ πράγματα ἀληθεύοντα; *Nónne vides res ipſas dicere veritatem?* Philo de legatione ad Caium: Περιττὸν ἐστι διηγεῖσθαι, τοῦ πράγματος ἐξ αὑτοῦ φωνὴν ἀφιέντος. *Narrare ſuperuacaneum eſt, cùm res ipſa per ſe vocem emittat.* Item: Τὰ πράγματα αὐτὰ βοᾷ, καὶ φωνὴν ἀφίησι. *Res ipſa clamat, & vocem emittit.* Demoſthenes in Æſchinem: Ἡ γὰρ ἀλήθεια καὶ τὰ πεπραγμένα αὐτὰ βοᾷ. *Veritas enim & res ipſa clamat.*

ARGVMENTVM.

A Milonis habitu, vehiculo, comite; à Clodianæ profectionis repentino conſilio, & tempore quo profectus eſt, inſidiarum ſuſpicione liberat Milonem, & eam in Clodium conuertit.

LV. Si hæc non geſta audiretis, ſed picta videretis, tamen appareret, vter eſſet inſidiator, vter nihil cogitaret mali, cum alter veheretur in rheda penulatus, vnà ſederet vxor. quid horum non impeditiſſimum? veſtitus, an vehiculum, an comes? quid minùs promptum ad pugnam? cum penulâ irretitus, rhedâ impeditus, vxore pæne conſtrictus eſſet. Videte nunc illum primùm egredientem è villa ſubitò. cur veſperi? quid neceſſe eſt tardè? quî conuenit, præſertim id temporis? Deuertit in villam Pompeij, Pompeium vt videret? ſciebat in Alſienſi eſſe procul inde. villam vt perſpiceret? millies in ea fuerat. quid ergo erat moræ & tergiuerſationis? dum hic veniret, locum relinquere noluit.

EXPLANATIO.

Si hæc.] Res adeo clara eſt, vt oratione non debeat exponi, ſed ſufficiat ad videndum vter vtri fecerit inſidias, pugnam & congreſſum in tabula depictum intueri. quod oſtendit. hoc ſyllogiſmo.

Non fecit inſidias qui cum vxore vehebatur in rheda penulatus.

Sed Milo cum vxore vehebatur in rheda penulatus. *Ergo non fecit inſidias.*

Propoſitio & complexio videtur his verbis, *Si hæc*, &c. *cogitaret mali* contineri, aſſumptio ſequentibus *cùm alter*, &c. *conſtrictus eſſet.* non ſolùm ponitur, ſed etiam probatur, & expolitione oratoria per diſtributionem explicatur.

Cvm alter.] Milo, *veheretur in rheda.* currus ad mollitiem potiùs vecturæ, quàm ad celeritatem & pugnam comparato. *penulatus*, indutus & inuolutus veſte ad prohibendum frigus & pluuiam, quàm ad pugnam aptiore.

Vxor.] Fauſta filia Sullæ.

Qvid horvm.] Ab impedimentis incommodis ſingulorum efficit Milonem ſi de inſidiis cogitaſſet, his vſurum non fuiſſe.

Penvla irretitvs.] Propter illius veſtimenti anguſtias.

Rheda impeditvs.] Ob vehiculi quatuor rotarum tarditatem.

Vxore pene constrictvs.] Quæ muliebri timore perculſa eum non patiebatur ad pugnam deſcendere.

Videte nvnc.] Antequam à Clodij habitu, & comitibus idem argumentum ducat, quædam repetit de tempore profectionis Clodij, diuerticulo, & conſilij mutatione, vt plus momenti obtineat ſequens ſyllogiſmus.

Illvm.] Clodium.

Egredientem e villa.] Fateor me ignorare quid hoc velit. neque enim hoc intelligi debet de villa Clodij, neque item de Pompeij. nam neque Clodius Aricia rediens ad villam ſuam diuerterat, quod debuit Milo ſuſpicari, 52. neq. item de villa Pompeij Albana egreſſus hoc loco dicitur, cùm potiùs, vt ſubiungitur, egreſſus ad villam Pompeij diuerterit. quare libenter legerem, *egredientem Aricia*, niſi ſequeretur *cur veſperi?* quod neceſſe eſt de villa Pompeij intelligas, & ὕστερον πρότερον hîc agnoſcas, vt dicere videatur. videte nunc Clodium primùm egredientem è villa, & ſubitò mutata voluntate, vt ſimulabat, & hora diei decima, ſiue duabus horis ante noctem, quod neceſſe non erat ad funus Cyri procurandum, nec cõueniebat hiberno tempore

&. Ianuario menſe; videte, inquam, Clodium egredientem è villa Pompeij, ad quam diuerterat, non alio conſilio, quàm vt tempus hac ratione extrahens, ad villam ſuam veniret eo tempore quo Milonem ſciebat eſſe venturum. probat non alio conſilio Clodium eò diuertiſſe, quia neque vt villam inſpiceret, neque vt Pompeium videret, diuerterat: ergo, &c.

IN ALSIENSI.] Alſium oppidum fuit in Hetruria, vt auctor eſt Plinius libro 3. cap. 5. in cuius territorio villam habuiſſe videtur Pompeius.

QVID ERGO.] Quæ cauſſa fuit cur Clodius à recta via deflecteret, & cunctaretur ad villam ſuam accedere, niſi quia videbat trans villam ſuã locum eſſe pugnæ commodum & excelſum, quẽ occupare volebat, vt illic Miloni occurreret, nec eum locum volebat præterire, donec Milo veniret.

NOTÆ.

I. *Penula ſcortea.* PENVLA IRRETITVS.] Nonnius Marcellus lib. de genere veſtimentorum. *Penula eſt veſtis quam ſupra tunicam accipimus. Pomponius Pannuceatis. Penulam in caput induce, ne te noſcat.* ea autem fuit vel ſcortea, id eſt, è ſcorto ſiue corio confecta, vel villoſa & gauſapina. de ſcortea Martialis lib. 14. ep. 130.

Ingrediare viam cœlo licet vſque ſereno
Ad ſubitas nuſquam ſcortea deſit aquas. lege *deſit.*

Varro Manio: *Cùm corrigias diſruptas tenet, penula reliquum pedem ſcortea pertegere.* lego, *cùm corrigiâ diſruptâ tentet penulâ*, &c. Citat Nonnius præmittens. *Penulam abuſiuè omne quicquid tegit, nobiliſſimi veteres tranſtulerunt.* Sed nihil euincit, hic enim Varronis locus de penula propriè dicta belliſſimè poterit explicari, hoc ſenſu: cum corrigia diſrupta, tentet penulam qua indutus eſt ad pedes dimittere: ne videlicet calceus detritus appareat. de villoſa ſiue gauſapina ep. 145.

Penula villoſa.
Is mihi candor ineſt, villorum gratia tanta eſt,
Vt me vel media ſumere meſſe velis.

Eam ſumebant viatores, & cùm vel imber caderet, vel ſe vis frigoris paulò vehementiùs intenderet, quod fecit Milo 13. Cal. Februar. proficiſcens. hæc tria probari iam poſſunt ex Martiale. Lucilius ſat. lib. 15.

Penula, ſi quæris, cantherius, ſeruus, ſegeſtre
Vtilior mihi, quàm ſapiens.

Vtilior videlicet ad iter faciendum, vt patet ex cautherio & ſegeſtri. de cautherio planum: de ſegeſtri Varro lib. 1. de vita pop. Romani. *Quod*, lege, *Quo frontem lectica ſtruebant, ex ea herba torta torum appellatum, hoc quod iniicitur etiamnum toral dicitur: lecticam qua inuoluebant, ſegeſtria appellabant.* Idem Varro, Virgula diuina: *Non quærenda eſt homini qui habet virtutem penula in imbri.* Iuuenalis: *Segeſtre.*

-fremeret cùm frigore vernus
Iupiter, & multo ſtillaret penula nimbo.

Penulæ ad imbrem & frigus arcendum. Ælius Lampridius in Alexandro: *Penulis intra frigoris cauſa vt ſenes*, legunt alij, *vt Senatores vterentur permiſit, cùm id veſtimenti genus ſemper itinerarium aut pluuiæ fuiſſet.* Ælius Spartianus in Adriano: *Ad perpetuam tribunitiam poteſtatem omnium ſibi factum aſſerit, quòd penulas amiſerit, quibus vti tribuniplebis pluuiæ tempore ſolebant, Imperatores autem nunquam, vnde hodiéque Imperatores ſine penulis à togatis videntur.* quod de Imperatoribus ait non adeò certum. Lampridius enim de Alexandro: *Veſte, vt & pingitur, alba vſus eſt, nec aurata, penulis togiſque communibus.* Fuerunt & alij vſus penularum. Lampridius in Commodo: *Contra conſuetudinem penulatos iuſſit ſpectatores, non togatos ad munus conuenire, quod funeribus ſolebat.* Id ipſum Dio deſcribens item in Commodo μανδύαι appellat, vnde vernaculum nomen, *vne mandille, vn mandillon*, defluxerit. Μέλλων αὖθις μονομαχῆσαι παρήγγειλεν ἡμῖν ἔν τε τῇ στολῇ, τῇ ἱππάδι, καὶ ἐν ταῖς μανδύαις ἐς τὸ θέατρον εἰσελθεῖν. ὅπερ οὐκ ἄλλως ποιοῦμεν εἰσιόντες ἐς τὸ θέατρον, εἰ μὴ τῶν αὐτοκρατόρων τις μεταλλάξειε. *Rurſum digladiaturus nobis Senatoribus edixit, in tunica equeſtri & penulis ad ſpectaculum conuenire. quod facere non ſolemus ingredientes in theatrum, niſi ſi quis Imperatorum è vita deceſſerit.* Sed hæc parum ad Ciceronem. magis illud, quod id veſtimenti genus adſtrictum eſſet, & hominem incluſum irretiret. auctor dialogi de cauſſis corruptæ eloquentiæ. *Et ridiculum fortaſſe videatur, quod dicturus ſum, dicam tamen vel ideo vt rideatur, quantum humilitatis putamus eloquentiæ attuliſſe penulas iſtas quibus adſtricti, & velut incluſi cum Iudicibus fabulamur.* Poſtremò nota frequenter legi penulam per e, ſimplex, vna vocali, vt videtur extrita, pro pœnula, vt videtur ſcripſiſſe Martialis. E qua ſcriptione, ſi licet hariolari, ſuſpicor id veſtimenti genus Pœnorum, ſiue vt loquitur Plautus, Pœnulorum fuiſſe priuſquam togis Romanis vterentur. quod ſic à Tertulliano deſcribitur libro de Pallio. *In viris autem pallij extrinſecus habitus, & ipſe quadrangulus ab vtroque laterum regeſtus, & ceruicibus circumſtructus, in fibulæ morſu humeris acquieſcebat.* idque paulò pòſt *pœnicum* appellat. *ne pœnicum inter Romanos erubeſcat.* Et quando Tertulliani fecimus mẽtionem, is in apologetico cap. 6. *Ne vel in hieme voluptas impudica frigeret, primi Lacedæmonij penulam ludis excogitauerunt.* Horum pleraque iam alij protulerunt, vt Baronius, Lipſius, Baifius. ſed quid faciam? Verè Seneca epiſt. 79. *Iuriſconſulti negant quicquam publicum vſu capi.*

Penulæ in funeribus.

Penula ſtriſtum veſtimenti genus.

RHEDA IMPEDITVS.] De rheda dictum 28. non autem erat apta pugnæ, quia, vt ibi dictum eſt, erat πετόρυτον, ſiue quatuor rotarum, ac proinde tardiùs mouebatur. II. *Rheda.*

VXORE CONSTRICTVS.] Cùm, vt dixit, *vna ſederet vxor.* de more, Feſtus emendatore Scaligero. *Communi vehiculo vehitur vir & vxor.* Paulus ex Feſto: *Sed nec viri earum ſedentes cum vxoribus in vehiculo, deſcendere cogebantur.* huius rei attulimus rationem in Cœliana. Iuuenalis ſat. 1.

- dum peruolat axe citato
Flaminiam: puer Automedon nam lora tenebat
Ipſe lacernatæ dum ſe iactaret amicæ.

Lucianus in Toxari: παρεκάθητο δ' αὐτῷ γυνὴ ἐπὶ ζεύγους ἐφιππεύοντι. *Ei verò viam facienti in curru mulier aſſidebat.*

MILLIES IN EA FVERAT.] Millies, numerus certus pro incerto, Latini ſexcenties libentiùs vſurpant. Ariſtophanes in Veſpis: III.

Εἰσὶν γε πόλεις χίλιαι αἳ νῦν τὸν φόρον ἡμῖν ἀπάγουσι.
Mille ſunt vrbes quæ nobis tributum ferunt.

vbi interpres χίλιαι. ἀντὶ τοῦ πολλαί, τῷ ἀπηρτισμένῳ ἀριθμῷ ἐχρήσατο. *Mille, id eſt, multæ; numerum certum vſurpat*, &c.

IV. Tergiuerſari. TERGIVERSATIONIS.] *Tergiuerſari, fallere, & dicta mutare, & eſt quaſi tergum vertere.* profert Varronem: *Itaque illa tergiuerſari non ſinent, ſecúmque rapient.* Apud Iuriſconſultos, vt notat Ioannes Saraſberienſis. *Eſt autem calumniari crimina falſa intendere: præuaricari vera abſcondere. at in vniuerſum ab accuſatione deſiſtere tergiuerſari eſt.* hæc ante ipſum Marcianus ad S. C. Turpilianum lege prima. ſed parum ad Ciceronem.

ARGVMENTVM.

Poſtquam egit de impedimentis Milonis, oſtendit quàm procinctus fuerit Clodius, & ad pugnam expeditus, reiectis omnibus nugis, & comitibus quos ſecum de more ducebat, & iter Milonis confert cum illius apparatu.

LVI. AGE nunc, iter expediti latronis cum Milonis impedimentis comparate. Semper ille anteà cum vxore, tum ſine ea: nunquam non in rheda, tum in equo: comites Græculi quocumque ibat, etiam cùm in caſtra Etruſca properabat: tum nugarum in comitatu nihil. Milo, qui nunquam, tum caſu pueros ſymphoniacos vxoris ducebat, & ancillarum greges. ille, qui ſemper ſecum ſcorta, ſemper exoletos, ſemper lupas ducebat, tum neminem, niſi vt virum à viro lectum eſſe diceres.

EXPLANATIO.

EXPEDITI LATRONIS.] Clodij qui nunquam ſolita impedimenta reieciſſet, niſi ſe ad pugnam & latrocinium certo conſilio comparaſſet.

SEMPER ILLE.] A conſuetudine Clodij ſuſpicionem exaggerat, qui nunquam defeciſſet à ſua conſuetudine, niſi de inſidiis cogitaſſet.

VXORE.] Fuluia quæ poſtmodum nupſit M. Antonio. aduertendus numerus celer, conciſus, & ſolutus, vt non videatur expeditior fuiſſe Clodius quàm Ciceronis oratio.

COMITES GRÆCVLI.] Serui Aſiatici & Græci, magis ad adulationem & delitias quàm ad pugnam facti.

CVM IN CASTRA ETRVSCA PROP.] Supra 38. *Quando illius poſtea ſica illa, quam à Catilina acceperat conquieuit?* Aſconius hoc loco, *Sæpe obiecit Clodio Cicero ſocium eum coniurationis Catilinæ fuiſſe, quam rem nunc quoque reticens oſtendit. Fuerat enim opinio, vt Catilina ex vrbe profugerat in caſtra Manlij Centurionis, qui tum in Hetruria ad Feſſulas exercitum ei comparabat, Clodium ſubſequi eum voluiſſe, & cœpiſſe, tum dein mutato conſilio in vrbem rediſſe.*

NVGARVM.] Nullæ ancillæ, aut pueri ad nugas & ludicra comparati.

MILO.] Iam Milonis impedimenta confert. & vt eum magis ab omni ſuſpicione remoueat, ait eum tunc caſu impeditiorem fuiſſe, quàm aliàs ſoleret. quibus pariter eiuſdem factum excuſat, quippe qui pueros & ancillas caſu duxerit præter morem, &, quæ fuit eius frugalitas, huiuſmodi delicatorum puerorum, & ancillarum greges ſibi non haberet, ſed vxori.

PVEROS SYMPHONIACOS.] Muſicos qui cantu & ſymphonia Fauſtam oblectabant.

ILLE QVI.] P. Clodius, qui ſemper mulieres impudicas & aliorum libidini proſtitutas, ſemper exoletos, qui videlicet florem ætatis in impudicitia tranſegerant, ſemper lupas impudentiſſimè ſcortantes, ſecum ducebat, eo die quo pugnare voluit cum Milone, neminem duxit qui non eſſet valens, & ad pugnam expeditus, quales eſſe ſolent ij qui viritim leguntur: cùm qui primus à Duce electus eſt, alterum eligit quem iudicat eſſe fortiſſimum, ille rurſus alium, & ita deinceps.

CVR IGITVR.] Reddit rationem cur victus fuerit Clodius, ne, quæ dixerat de vtriuſque apparatu incredibilia videantur.

MVLIER.] Clodius eneruis, effœminatus, animum gerens muliebrem.

NOTÆ.

I. Particulæ age conſtructio. AGE NVNC, &c. COMPARATE.] Fruſtrà ſunt Calepiniſtæ, qui particulam *age* cum ſola ſecunda perſona ſingularis numeri coniungi voluerunt: ſexcenta ſunt apud vtriuſque linguæ ſcriptores exempla contraria. vt Iliados α. verſu 62.

Ἀλλ' ἄγε δή τινα μάντιν ἐρείομεν, ἢ ἱερῆα.
Verùm age, ſacrificum quendam, vatémue rogemus.

Iliados δ'. verſu 418. & ι. 718.

Ἀλλ' ἄγε δὴ καὶ νῶϊ μεδώμεθα θούριδος ἀλκῆς.
Verùm age, curemus validas in prælia vires.

Iliados β'. 331.

Ἀλλ' ἄγε μίμνετε πάντες ἐϋκνήμιδες Ἀχαιοί.
Verùm age ſtate omnes fortes in prælia Graij.

Iliados ζ'. verſu 376.

Εἰ δ' ἄγε μοι δμῳαὶ νημερτέα μυθήσασθε.
Verùm age nunc nobis ancillæ dicite verum.

Cum tertia etiam perſona in numero multitudinis Iliados β'. v. 435.

Ἀλλ' ἄγε κήρυκες μὲν Ἀχαιῶν χαλκοχιτώνων
Λαὸν κηρύσσοντες ἀγειρόντων κατὰ νῆας.
Verùm age præcones Graiorum, è nauibus omnem
Accerſant populum.

Noſter pro lege Manilia: *Age verò cæteris in rebus quali ſit temperantia conſiderate.* & pro Fonteio 33. *Age verò, nunc inferte oculos in curiam, introſpicite penitus in omnes Reip. partes.* & alibi frequenter.

CVM VXORE.] Ea fuit Fuluia quæ poſtmodum nupſit Antonio, virilis animi fœmina, & ad huiuſmodi turbas aptiſſima. Plutarchus in Antonio: Γάμῳ προσέσχε Φυλβίαν ἀγάμενος (lege II.

ἀγόμθρος) τὴν Κλωδίῳ τῷ δημαγωγῷ συνοικήσασαν, οὐ ταλασίαν, οὐδὲ οἰκουρίαν φρονοῦσαν γύναιον, οὐδ' ἀνδρὸς ἰδιώτου κρατεῖν ἀξιοῦν, ἀλλ' ἄρχοντος ἄρχειν, καὶ στρατηγοῦντος στρατηγεῖν βουλόμενον, &c. *Nuptiis dedit operam, ducta Fuluiâ, quæ olim Clodio populari nupſerat, non lanificio deditam, aut ſedentariam mulierem, neque dignantem priuato viro imperare, ſed magiſtratum gerenti praeſſe, & ducentem exercitus ducere volentem.* Dio libro 48. de eadem: Fuluiæ mores. καὶ ξίφος παρεζώννυτο, καὶ συνθήματα τοῖς στρατιώταις ἐδίδου. *& gladio accingebatur, & militibus teſſeram dabat.* Quid? quòd, ſi ſuperis placet, eadem tantumnon triumphauit? ibidem. Luc. Antonio triumphum petente: Τέως μὲν ἡ Φουλβία ἀντέλεγεν οὐδεὶς οἱ συνεχώρησεν. ἐπεὶ δ' ἐκείνη θεραπευθεῖσα ἐπέτρεψε, πάντες ἐψηφίσαντο. ὥστε λόγῳ τὸν Ἀντώνιον, &c. τῇ δ' ἀληθείᾳ τὴν Φουλβίαν, καὶ τιμηθῆναι καὶ πομπεῦσαι. *Quamdiu repugnauit Fuluia ei nemo concedebat triumphum. Poſtquam illa rogata permiſit, decreuerunt omnes, vt nomine quidem Antonius, reuera autem Fuluia, & honoraretur, & triumpharet.*

III. Græculi. COMITES GRÆCVLI.] De peregrinis qui ex Græcia præſertim Aſiatica Romam confluebant.

Viſcera magnarum domuum dominíque futuri.

quædam diximus in Piſonem 67. & Lucianus περὶ τῶν ἐπὶ μισθῷ συνόντων, Iuuenalis ſat. 3. conſulendi. Nota tantùm id moris fuiſſe vt contemptus cauſſâ Græculi dicerentur. Iuuenalis:

Græculus eſuriens in cœlum, iuſſeris, ibit.

eodem ſenſu Macrobius 2. ſat. cap. 4. libet totum locum exhibere. *Solebat deſcendenti à Palatio Cæſari honorificum aliquod epigramma porrigere Græculus. Id cùm fruſtra ſæpe feciſſet, rursúſque eum id facturum vidiſſet Auguſtus, breue manu ſua in charta exarauit Græcum epigramma, pergenti deinde ad ſe obuiam miſit. ille legendo laudare, mirari, tam voce quàm vultu. cúmque acceßiſſet ad ſellam, demiſſa in fundam pauperem manu, paucos denarios protulit*, quos principi daret. Adiectus hic ſermo, μὴ κατὰ τὴν τύχην σήν, Σέβαστε, εἰ πλέον εἶχον, πλέον ἐδίδουν. *Non ſecundum fortunam tuam, Auguſte, ſi plus haberem plus darem. Secuto riſu, diſpenſatorem vocauit Cæſar, & H S. centum millia Græculo numerari iuſſit.* Rationem adfert Lucianus loco citato, cur vel ſolum Græcorum nomen probro duceretur. Οὐ δ' Ἕλλην, καὶ ῥᾴδιος, τὸν τρόπον, καὶ πρὸς πᾶσαν ἀδικίαν εὔκολος, τοιούτους γὰρ ἅπαντας ἡμᾶς εἶναι οἴονται, καὶ μάλα εἰκότως. δοκῶ γάρ μοι καὶ τῆς τοιαύτης δόξης αὐτῶν, ἣν ἔχουσι περὶ ἡμῶν κατανενοηκέναι τὴν αἰτίαν. πολλοὶ γὰρ οἱ ἐς τὰς οἰκίας παρελθόντες, ὑπὲρ τὸ μηδὲν ἄλλο χρήσιμον εἰδέναι, μαντείας καὶ φαρμακείας ὑπέσχοντο, καὶ χάριτας ἐπὶ τοῖς ἐρωτικοῖς, καὶ ἀπαγωγὰς τοῖς ἐχθροῖς. καὶ ταῦτα πεπαιδεῦσθαι λέγοντες, καὶ τρίβωνας ἀμπεχόμενοι, καὶ πώγωνας οὐκ εὐκαταφρονήτους καθειμένοι. *Tu Græcus & facilis moribus qui facilè iniuſtitiam, & quamuis fraudem admittas. tales enim nos omnes eſſe arbitrantur, neque ſanè iniuriâ. huius enim exiſtimationis quam de nobis conceperunt, cauſſam mihi videor cognoſcere. Multi enim qui in domos ſe inſinuant, cùm ſciant aliud nihil, diuinationes & veneficia profitentur, amoris conciliaturas, & inimicorum deceptiones pollicentur, harum rerum ſcientiam vendidantes, palliati, & barbam liberaliter promittentes.*

IV. NVGARVM.] Nugæ ponuntur pro rebus friuolis quæ non ad virorum ſeria, ſed ad mulierum ludicra & delitias ſunt comparatæ. Nonnius: *Nugiuendos Plautus dici voluit omnes eos qui aliquid mulieribus vendant. nam omnia quibus matronæ vtuntur, nugas voluit appellari. Plautus Aulularia.*

Vbi nugiuendis res ſoluta eſt omnibus. Nugæ.

Sæpe tamen nugæ, vt hoc loco pro ſaltatoribus & ludicras artes exercentibus. Iuuenalis ſat. 11.

Forſitan expectes vt Gaditana canoro
Incipiat prurire choro, &c.
Non capit has nugas humilis domus.

Plato in Protagorâ. Ὅπου δὲ καλοὶ κἀγαθοὶ συμπόται καὶ πεπαιδευμένοι εἰσίν, οὐκ ἂν ἴδοις, οὔτ' αὐλητρίδας, οὔτ' ὀρχηστρίδας, οὔτε ψαλτρίας, ἀλλ' αὐτοὺς αὑτοῖς ἱκανοὺς ὄντας συνεῖναι ἄνευ τῶν λήρων τε, καὶ παιδιῶν τούτων. *Vbi verò boni conuiuæ & eruditi conuenerint, videre non poßis aulœdas, ſaltatrices aut pſaltrias ſiue cantatrices, ſed ipſos ſibi ipſis ac conuictum ſufficientes, ſine nugis & ludicris eiuſmodi.*

PVEROS SYMPHONIACOS VXORIS.] V. Præ ſe ferebant viri graues huiuſmodi nugas non ad ſe, ſed ad vxores ſuas pertinere. Seneca epiſt. 50. *Harpaſten vxoris meæ fatuam ſcis hæreditarium onus in domo mea remanſiſſe. ipſe enim auerſiſſimus ab iſtis prodigiis ſum. ſi quando fatuo delectari volo, non eſt mihi longè quærendus. me rideo. Hæc fatua ſubitò deſiit videre. incrdibilem tibi narro rem, ſed veram. neſcit eſſe ſe cæcam, ſubinde pœdagogum ſuum rogat, vt migret. ait domum tenebroſam eſſe, hoc quod in illa ridemus, omnibus nobis accidere liqueat tibi.* Et ſanè mulieres potiſſimum huiuſmodi pueros & nugas habebant. Lucianus de his qui mercede conducuntur. Μόνος οὐκ ἐπῄνεσας τὸν τῆς δεσποίνης παιδίσκον ὀρχούμενον, ἢ κιθαρίζοντα. *Solus non laudaſti dominæ puellum ſaltantem, aut cithara modulantem.* Dio libro 48. παιδίον τι τῶν ψιθύρων, οἷα αἱ γυναῖκες γυμνὰ, ὡς τὰ πολλὰ, ἀθύρουσαι τρέφουσι. *Puellus è numero illorum garrulorum & nugacium, qui nudi à mulieribus eorum multitudine ſe oblectantibus nutriuntur.*

SCORTA, LVPAS.] Variæ fuerunt proſti- VI. tutarum mulierum appellationes, vt aliæ meretrices, aliæ ſcorta, proſtibula, alicariæ, lupæ, frictrices, tribades, nonariæ dicerentur. piget in his immorari: tantùm dicamus, quantum videbitur auctoris explanandi ratio poſtulare. Ammianus lib. 28. diſtinctionem agnoſcit. *Vbi*, &c. *apparuiſſe ſubitò ignotam compererint meretricem, aut oppidanæ quondam proſtibulum plebis, vel meritorij corporis veterem lupam.* Nonnius Marcellus. *Inter meretricem & proſtibulum hoc intereſt, quod* Meretrix. *meretrix honeſtioris loci eſt, & quæſtus. nam meretrices à merendo dictæ ſunt, quod copiam ſui tantummodo noctu faciant. Proſtibula quòd ante ſta-* Proſtibulum *bulum ſedet quæſtus diurni & nocturni cauſſa. Plautus Ciſtellaria manifeſtiſſimè diſcreuit. Intro ad bonam meretricem, ea adſtat in via ſola proſtibulum.* Talis eſt illa meretrix quæ à Iuuenale deſcribitur.

Quæ vehitur clauſo latis ſpecularibus auro.

Atque hæc opinor cauſſa fuit cur non dixerit orator meretrices eſſe ſolere in Clodij comitatu, ſed ſcorta & lupas, quæ duo ſunt proſtibulorum genera: inter quæ videtur hæc fuiſſe diſtinctio, quòd lupæ ſcortorum impudentiam longè ſuperarent. Scorta enim, licet vulgatum haberent corpus, tamen pudorem toga velabant. Horatius.

Cum tibi veſtiti facies ſcorti placet, hæres. Scortum.

Toga, inquam, non ſtola aut palla, calliendro & cæteris ornamentis matronarum. Idem ſat. 2.

-bonam deperdere famam
Rem patris oblimare malum eſt vbicumque, quid inter
Eſt in matrona, ancilla, peccéſve togata.

Item: *-atque etiam melius perſæpe togata.*

Lupa. At lupæ maiore cum impudentia, more planè ferino, nudo corpore, vel pellucidis veſtibus indutæ conſpatiabantur, aut etiam circi, theatri, balnearum aditus proſtantes obſidebant. D. Cyprianus de Spectaculis: *Si rurſus perrogem quo ad illud ſpectaculum itinere peruenerit, confitebitur per lupanarium, per proſtibularum nuda corpora, per publicam libidinem, per dedecus publicum, per vulgarem laſciuiam, per communem omnium contumeliam.* hinc Iuuenalis ſat. 3. cùm dixiſſet:

-& ad circum iuſſas proſtare puellas
Ite quibus grata eſt pictâ lupa barbara mitrâ.

Ob hãc nudati corporis fœditatem & belluinam impudentiam huiuſmodi proſtibula Romani lupas appellant, τὰς τῶν γυναικῶν ἑταιριζούσας, *quæ ex mulieribus meretricium exercent.* Dionyſius lib. I. exeunte notat hanc eſſe locutionem à Græco fonte detortam: Λαυρεντίαν ἡ δημοσιευούσῃ ποτὲ τὴν τοῦ σώματος ὥραν οἱ περὶ τὸ παλάτιον διατελοῦντες, ἐπίκλησιν ἔθεντο λοῦπαν. ἔστι δὲ τοῦτο Ἑλληνικόν τε καὶ ἀρχαῖον ἐπὶ ταῖς μισθαρνούσαις τὰ ἀφροδίσια τιθέμενον. *Laurentiam cui quod ſe proſtituiſſet aliquando, Palatini montis incolæ lupæ nomen indiderant. Hoc autem Græcum eſt & antiquum, vt quæ mercede ſui copiam faciunt lupæ nominentur.* hinc Nonnius: *Lupari vt proſtitui, & ſcortari. Turpilius Acta:*

Atqui ſcalis cum meretrice è noſtro ornatu per vias lupantur.

Lucilius lib. v.

-& diuos thure precemur
Conſilium, fas, ſi placeat, tu impunè luperis.

ſic enim lego, non vt in vulgatis. *Fas ſi placent tunc impunè ſuperbis.* vbi per vias, inquit Turpilius, vt lupina libidinandi impudentia denotetur. Tertullianus de Pallio: *Aſpice lupas populorum libidinum nundinas, ipſas quoque frictrices. etſi præſtat oculos abducere, ab eiuſmodi propudiis occiſæ in publico caſtitatis.* & apologetici cap. 24. *Nec tantùm tamen, honoris Romani dicauerunt fatis dedentibus ſibi Carthaginem, aduerſus deſtinatum, votúmque Iunonis quantum lupæ Larentiæ.* Quamuis dictas lupas exiſtimo propter rapacitatem & auaritiam qua ſolent amatorum ſuorum bonis ὥσπερ λύκοι κεχηνότες inhiare. Plautus prologo Truculenti.

Lupæ ne rapiant domini parſimoniam.

Et eam ob rem, ni fallor, Sylla.

Delphinum caudas vtero commiſſa luporum

à Marone deſcribitur. qua fabula vt idem teſtatur in Ceiri.

Inguinis eſt vitium, & Veneris deſcripta libido.

Fuit enim Scylla meretrix ea lupa quæ,

-forma cùm vinceret omnes,
Et cupidos quæſtu paſſim ſpoliaret amantes
Piſcibus & canibus rapidis vallata repente
Horribiles circum vidit ſibi ſiſtere formas.

Hæc Virgilius ex Palæphato, cui Euſtathius etiam ſuffragatur. Quo ſenſu etiam amatores, pecudes nominantur, quòd eorum bona à lupis meretriciis deuorentur, vt Propertius.

Amatores pecudes. *Et ſtolidum pleno vellere carpe pecus.*

Hinc verſus ille citatus etiam à Platone, & notiſſimus.

Ὡς λύκοι ἄρνα φιλοῦσ' ὣς παῖδα φιλοῦσιν ἐρασταί.
Quiſquis amat molles pueros, amat vt lupus agnum.

Non enim aut amatores ſuas delicias, aut ſcorta ſuos amaſios amant ex beneuolentia, ſed potiùs amorem ſolis ſuis aut voluptatibus, aut commodis metiuntur. & quo magis amant, eo magis oderunt. Catullus,

-quia amantem iniuria talis
Cogit amare magis, ſed bene velle minùs.

Vide Platonem in Phædro pulcherrimè de præpoſteris amatoribus ea dicentem, quæ in lupas optimè quadrant.

EXOLETOS.] Meritoria, ſiue adoleſcentes qui libidinibus & impudicitiis florem ætatis atriuerint: qualis neſcio quis περὶ τῶν ἐπὶ μισθῷ συνόντων à Luciano deſcribitur, nomen frequens apud Latinos. Lampridius in Alexandro. *Habuit in animo, vt exoletos vetaret, quod poſteà Philippus fecit.* Nimirum ea laus ſeruabatur Principi primo omnium Chriſtiano. VII.

VIRVM A VIRO LECTVM.] Operæpretium fuerit huc P. Victorij verba. ep. 18. var. lect. cap. 19. exſcribere. *Diligenter animaduertendus eſt mos Romanæ militiæ: videntur enim aliquando ſoliti in delectu habendo poteſtatem facere militibus, vt ſinguli ſingulos, notos ſibi, quorúmque virtute confiderent, legerent: atque id potiſſimùm, cùm periculum aliquod maius inſtaret: atque aliquis grauior caſus vrgeret, & vt cùm domi exercitum cogerent, ita fortaſſe etiam cùm à parte copiarum pugna perículoſior cum hoſtibus erat committenda: vt qui ad expeditionem illam proficiſcerentur, à ſemetipſis lecti forent conſcij inter ſe mutuæ virtutis, appellabant autem hoc virum à viro legi,* &c. præter hunc Ciceronis locum, profert Titum Liuium libro 9. *Et ad Vadimonis lacum Hetruſci lege ſacratâ coacto exercitu, quum vir virum legiſſet, quantis nunquam aliàs antea ſimul copiis, ſimul animis dimicarunt.* & Tacitum libro 17. Annalium de Galba qui auditâ rebellione legionum, adoptauit ſibi Piſonem, remedium malorum fore id ratus. *Apud frequentem militum concionem, imperatoriâ breuitate adoptari à ſe Piſonem more D. Auguſti, & exemplo militari, quo vir virum legeret, pronuntiat.* Addit Turnebus locum Liuij libro 10. de Samnitibus pulcherrimum. *Primoribus Samnitum ea deteſtatione obſtrictis, decem nominatis ab Imperatore, eis edictum vt vir virum legeret, donec ſexdecim millium numerum confeciſſent.* ſic, vt eiuſdem Turnebi 25. aduerſ. cap. 7. verbis vtar: *Apud Virgilium lib. 11. Æneidos Thuſci bis à Rutulis pulſi hoc genere aciei, maiore coorti mole magnam ſtragem fecerunt.* VIII. Vir à viro lectus.

Tertia, ſed poſtquam congreſſi in prælia, totas
Implicuere inter ſe acies, legítque virum vir.

Idque ex conſuetudine Perſarum. Xenophon primo Cyropędiæ: Οὕτω δὴ δοξαζομένου Κύρου, οἱ βουλεύοντες γεραίτεροι αἱροῦνται αὐτὸν ἄρχοντα τῆς εἰς Μήδους στρατιᾶς. ἔδοσαν δ' αὐτῷ διακοσίους τῶν ὁμοτίμων προσελέσθαι. τῶν δ' αὖ διακοσίων ἑκάστῳ τέτταρας ἄνδρας ἐκ τῶν ὁμοίων ἔδοσαν προσελέσθαι. γίγνονται μὲν δὴ οὗτοι χίλιοι. τῶν δ' αὖ χιλίων ἑκάστῳ ἔδοσαν προσελέσθαι ἐκ τοῦ δήμου τῶν Περσῶν. δέκα μὲν πελταστάς, δέκα δὲ σφενδονήτας, δέκα δὲ τοξότας. καὶ οὕτως ἐγίνοντο μύριοι μὲν τοξόται, μύριοι δὲ πελτασταί, μύριοι δὲ σφενδονῆται. χωρὶς δὲ

τούπον οἱ χίλιοι ὑπῆρχον. *Ita igitur cùm Cyrus rem approbaſſet, ſeniores qui conſiliarij erant, legunt eum exercitus Imperatorem qui mittatur in Medos. Ad hæc ei dederunt vt ducentos ex iis legeret, qui ab honoris æqualitate homotimi vocantur: quibus item ſingillatim dederunt electionem quaternorum virorum, & horum quoque homotimorum. Ac ſunt hi quidem mille. Quibus etiam ſingillatim conſtituerunt electionem ex populo Perſarum denorum ſcutatorum, & funditorum denorum, ac ſagittariorum item denorum. Et ita fuere ſagittariorum decem millia, & ſcutatorum decem millia, & funditorum quoque decem millia. Præter hos autem erant ij mille homotimi.* Qui legēdi modus nonnunquam etiam in Senatu ſeruatus eſt. Trāquillus in Octauio cap. 54. *Antiſtius Labeo Senatus lectione cùm vir virum legeret, M. Lepidum hoſtem olim eius, & tunc exulantem legit, interrogatúſque ab eo an eſſent alij digniores, ſuum quemque iudicium habere reſpondit.*

Confutatio quorundam quæ obiiciebantur

- 1. Cur igitur victus eſt Clodius
  - Quia nonnunquam latro à viatore occiditur. 57. ac proinde leuis eſt obiectio.
  - Milo imparatus fortior erat Clodio parato, vt vir ſemper fortior eſt muliere. 57.
  - Milo ſemper ſatis erat paratus
    - non quidem ad vim inferendā.
    - ſed ad propulſandam. 57.
  - Incerti ſunt exitus pugnarum, Márſque communis. 57.
  - Clodius erat
    - oſcitans.
    - pranſus.
    - potus.
    - rei bellicæ imperitus.
- Cur ſeruos manumiſit. 58. 59.
  - Non quòd conſcientia preſſus metueret, ne illi darentur in quæſtionem. quia vbi reus factum confitetur, non opus eſt quæſtione.
  - ſed vt præmium libertate repræſentaret iis, qui vitam ipſius defenderant, qua in re reprehendi debet
    - Potiùs quòd nimis paruo præmio ſeruos affecerit.
    - Quam quòd eos libertate donarit.
- Quæſtiones vrgent Milonem. quas Orator reprehendit
  - à perſonis
    - ſeruis Clodij contra Milonem illius inimicum datis quæſtioni, cùm ne contra dominum quidem torqueri debeant. 60.
    - Appio Clodio qui præfuit quæſtioni, cùm eſſet
      - conſanguineus Clodij.
      - accuſator Milonis. 60.
  - à modo
    - centum prope dies retenti ſunt apud accuſatorem. 61.
    - Crux intentata declarantibus Milonem innocentem. 61.
    - Promiſſa libertas contra Milonem dicentibus. 61.

ARGVMENTVM.

Pergit rationes reddere cur Clodius fuerit à Milone ſuperatus. prima fuit quia Milo, etſi nihil mali cogitaret, tamen non erat ad ſe defendendum imparatus. altera petitur ab incertis pugnarum euentu. tertia à Clodij ducis inſcitia.

LVII. CVR igitur victus eſt? quia non ſemper viator à latrone, nonnunquam etiam latro à viatore occiditur: quia quanquam paratus in imparatos Clodius, tamen mulier inciderat in viros. nec verò ſic erat vnquam non paratus Milo contra illum, vt non ſatis ferè eſſet paratus. ſemper ille, & quantum intereſſet P. Clodij ſe perire, & quanto illi odio eſſet, & quantum ille auderet, cogitabat. quamobrem vitam ſuam, quam maximis præmiis propoſitam, & pænè addictam ſciebat, nunquam in periculum ſine præſidio, & ſine cuſtodia prouehebat. Adde caſus, adde incertos exitus pugnarum, Martémque communem: qui ſæpe ſpoliantem iam & exſultantem euertit, & perculit ab abiecto. adde inſcitiam pranſi, poti, oſcitantis ducis: qui cùm à tergo hoſtem interclusum reliquiſſet, nihil de eius extremis comitibus cogitauit: in quos incenſos irâ, vitámque domini deſperantes cùm incidiſſet, hæſit in his pœnis, quas ab eo ſerui fideles pro domini vita expetiuerunt.

EXPLANATIO.

CVR IGITVR.] Prima victoriæ ratio ducitur à timiditate & ignauia Clodij, item à fortitudine Milonis: altera petitur à Milonis apparatu, hoc pacto.

Qui præuidet vitæ ſuæ parari inſidias, is nunquam ad eas propulſandas eſt imparatus.

Sed Milo præuidebat vitæ ſuæ parari inſidias à Clodio.

Ergo nunquam erat ad propulſandas illius inſidias imparatus.

SEMPER ILLE.] Cauſſas adfert cur debuerit Milo inſidias Clodij præuidere.

QVANTVM INT. P. CL. SE PER.] Qui Clodius *Milone interfecto hoc aſſequebatur, non modò vt Prætor eſſet non eo Conſule, quo ſceleris nihil facere poſſet: ſed etiam vt his Coſſ. Prætor eſſet,* &c. vide 32.

ODIO.] 36. *Ille erat vt odiſſet, primùm defenſorem ſalutis meæ: deinde vexatorem furoris, domitorem armorum ſuorum: poſtremò etiam accuſatorem ſuum.*

ET QVANTVM ILLE AVDERET. De audacia & violentia Clodij 37. 38.

QVAM MAXIMIS.] Cùm ſciret Milo vitam ſuam à multis peti, & maxima præmia iis eſſe propoſita qui ipſi necem intuliſſent, vt penè caput Milonis addictum, & venditum eſſe videretur, nunquam ſe in periculum coniciebat, ſine præſidio, quo vitam ſuam defenderet.

ADDE CASVS.] alia ratio, Milonis victoriam refert ad incertos pugnarum euentus.

SPOLIANTEM IAM.] Spolia ad hoſte deiecto detrahentem.

ET EXVLTANTEM.] Quaſi partâ iam integrâ victoriâ gaudio geſtientem & tripudiantem, euertit Mars ille communis, & perculit manu illius, qui deiectus erat, & grauiter ſauciatus.

ADDE INSCITIAM.] Poſtrema causâ victoriæ, quæ cum Clodij vituperatione profertur.

OSCITANTIS.] Pigri, ignaui, non attenti.

HOSTEM INTERCLVSVM.] Milonem qui iam tranſiuerat, interclusum, & à ſuis comitibus ſeparatum, interpoſitis Clodianis.

NIHIL DE.] Clodius nihil de Euclamo ſiue Eudamo & Birrhia gladiatoribus Milonis, qui in vltimo agmine tardiùs euntes, ſic pugnauerunt vt humerum eius Birrhia romphæâ traiecerit.

IN QVOS.] In Euclamum & Birrhiam ratos occiſum iam eſſe Milonem cùm incidiſſet Clodius, ab iis occiſus eſt.

NOTÆ.

MVLIER.] Homo effœminatus & ineptus rei militari. Homerus: I.

--Ἀχαιΐδες οὐκ ἔτ᾽ Ἀχαιοί.

Maro:

O veræ Phrygiæ, neque enim Phryges.

Ennius:

Vos etenim iuuenes animum geritis muliebrem,
Illáque virgo viri.

INCIDERAT IN VIROS.] Fortes & ad pugnam ſemper paratos & expeditos. Homerus: II.

Ἀνέρες ἔστε φίλοι καὶ αἰδῶ θέσθ᾽ ἐνὶ θυμῷ.

Eſte viri, & mentem ſtimulet pudor intus, amici.

Vide infrà §. 83.

PENE ADDICTAM.] Quaſi deuotam & III. conſecratam victimam. Nonnius: *Addictum eſt* Addicere. *quaſi deuotum vel obnoxium.* Cic. Tuſcul. lib. 2. Deuouere. *Qui certis quibuſdam, deſtinatíſque ſententiis addicti, conſecrati ſunt.* Budæus annotationibus prioribus in pandectas. Addicere eſt licitanti rem auferendam permittere, &c. ex quo factum vt addicere, pro deſtinare deuouerêque ponatur. Cicero libro 3. de Officiis: *Cùm is qui morti addictus eſſet, paucos dies commendandorum ſuorum*

gratiâ

Auctionem facere.

gratiâ poſtulaſſet. Addicere eſt etiam auctionem facere, hoc eſt, bona ſua proſcribere & licitantibus obiicere. Quintil. *Omnes facultates in pretia collegi: rus ſeruos & omnia viliora properanti feſtinatione parentis addixi.* Addicere, venundare. Tranquillus in Cæſare: *Bello ciuili ſuper alias donationes ampliſſima prædia nummo addixit.* Valerius lib. 5. *Marco Cornuto Prætore funus Hirtij & Panſæ iuſſu Senatus locante, qui tum libitinam exercebant, tum rerum ſuarum vſum, tum miniſterium gratuitum polliciti ſunt, quia ij pro Rep. dimicantes occiderant: perſeuerantique poſtulatione extuderunt, vt exequiarum apparatus ſeſtertio nummo ipſis præbentibus addiceretur.* Cicero pro Rabirio Poſthumo: *Tua, Poſthume, nummo ſeſtertio à me addicuntur.* Horat. lib. 2. ſat. 5.

Venundare.

Dicex parte tua, ſeu fundi, ſiue domus ſit
Emptor gaudentem nummo te addicere.

addicere, *deliurer.*

IV.

Mars & Minerua præſides bellorum.

Adde casvs.] Duo fuerunt Dij qui bellis præſiderent, Mars & Minerua. Libanius Martis apologia: ἐμοὶ δ' ἀρχὴ μέν εἰσιν οἱ πόλεμοι, &c. κοινωνοὶ δὲ τῆς ἀρχῆς ταύτης εἰσί μοι καὶ ἄλλοι θεοὶ, ὥσπερ ἀμέλει καὶ ἡ Ἀθηνᾶ. καὶ ὅπουπερ ἂν συμπεσόντα στρατόπεδα μάχηται, χωροῦμεν ἐπὶ τὴν τούτων θέαν. *Mihi verò principatus eſt bellorum, &c. huius quoque imperij conſortes mihi ſunt etiam alij Dij, vt Minerua vtique ipſa, & vbicunque locorum concurrentes exercitus pugnauerint, ad eorum ſpectaculum procedimus.* Tamen, quemadmodum lucris fortuitis Hercules, induſtriâ quæſitis Mercurius præerat, ita caſus & incertos exitus pugnarum Marti, eos verò qui certo conſilio contigiſſent Mineruæ tribuebant. hinc eſt quod maximus Poëta Martem à Troianis, Mineruam à Græcis ſtetiſſe fabulatur, quod Troiani caſu & impetu valerent, Græci conſilio & ratione. quam diuerſitatem eleganter expreſſit tertio Iliados, initio:

Τρῶες μὲν κλαγγῇ τ' ἐνοπῇ τ' ἴσαν ὄρνιθες ὥς.
Troiani, vt volucres, fremitu & clangore ruebãt.

& paulò poſt:

Οἱ δ' ἄρ' ἴσαν σιγῇ μένεα πνείοντες Ἀχαιοὶ,
Ἐν θυμῷ μεμαῶτες ἀλεξέμεν ἀλλήλοισι.
Procedunt tacitè ſpirantes robur Achiui,
Auxilium ardentes animo ſibi ferre viciſſim.

Et eam ob cauſam Martem his verbis Minerua compellat. 15. Iliad. v. 128.

Οὐλόμενε, φρένας ἠλὲ, διέφθορας. ἦ νύ τοι αὔτως
Οὔατ' ἀκουέμεν ἐστί; νόος δ' ἀπόλωλε, καὶ αἰδώς.
Pernicioſe, excors, corrumperis. an tibi fruſtra
Auris ad auditum eſt? periit tibi ménſque, pudórque.

Sed ſapienter idem Poëta exitus bellorum, ſiue qui caſu, ſiue qui conſilio prouenirent ſummi Dei prouidentiæ ſubiecit, Vlyſſem ita loquentem inducens, Iliad. 18. v. 221.

Caſus bellorũ Dei prouidẽtiæ ſubiecti.

Αἶψά τε φυλόπιδος πέλεται κόρος ἀνθρώποισιν
Ἧς τε πλείστην μὲν καλάμην χθονὶ χαλκὸς ἔχευεν,
Ἄμητος δ' ὀλίγιστος, ἐπὴν κλίνησι τάλαντα
Ζεὺς, ὅς τ' ἀνθρώπων ταμίης πολέμοιο τέτυκται.
Mortales ſubitò ſatiant certamina Martis,
Qui fruge exigua numeroſam effundit ariſtam,
Iupiter inclinat cum certo examine lancem,
Quo genus humanum diſpenſatore duelli
Gaudet.

De his bellorum caſibus vide Agathiam libro 3. hiſtoriæ vergente ad finem.

Martemqve commvnem] Et hoc Homericum, apud quem Hector Iliados 18. verſu 308.

Ξυνὸς ἐνυάλιος, καί τε κτανέοντα κατέκτα.
Communis Mauors, perimentem interficit olim.

Poſt quem Archilochus apud Clementem Alexandrinum 6. ſtromatum.

Ἐτήτυμον γὰρ ξυνὸς ἀνθρώποις Ἄρης.
Nam verè vt aiunt Mars viris communis eſt.

Mars communis.

Eumenus panegyrico Conſtantij: *Nec vereri dubia bellorum, nec Martem, vt dicitur, putare communem.* huc alluſit etiam Nazarius paneg. Conſtantini, quanquam ſolenne verbum non vſurpat. *Non enim (qui bellorum euentus ſolent eſſe) per varios, & volubiles caſus Mars dubius errauit, nec fortunæ viciſſitudo quæ plerumque proſperis rebus triſte aliquid agglutinat, victorum lætitiam vulnerauit.* Quod magnus dicendi artifex eleganter expreſſit, & quidem magis emphaticè, quam ſi conſueto ſermone loqueretur, dum Martem, & dubium & in mediis armis errantem appellat. ſed quid prohibet verba adſcribere?

-necdum horrida miſcent
Prælia, ſed dubius mediis Mars errat in armis.

hinc frequenter *alea belli.* quia, vt ait Æſchylus, ἑπτὰ ἐπὶ Θήβαις

Ἔργον ἐν κύβοις Ἄρης κρίνει.

In hunc locum citat Siluius Liuium lib. 37. *Cùm Mars communis & incertus belli euentus eſſet.* libro 28. *In acie Mars communis, & victum ſæpe erigeret, & affligeret victorem.* & lib. 30. Annibalem ita Scipioni loquentem inducit: *Melior tutiórque eſt certa pax, quàm ſperata victoria, hæc in tuâ, illa in Deorum manu eſt, ne tot annorum fœlicitatem in vnius horæ dederis diſcrimen, cùm tuas vires tum vim fortunæ, Martémque belli communem propone animo.* Maro 12. Æneidos.

In medióque focos & Diis communibus aras.

quo loco Seruius Honoratus per *Deos communes,* Martem, Bellonam, & Victoriam intelligit. ſicut contra *cùm illius Mars eſſe videatur.* verba ſunt Turnebi lib. 23. aduerſ. cap. 14. *Qui victoriam obtinet, idcirco à Virgilio ibi dictum exiſtimo,*

Sin noſtrum annuerit nobis victoria Martem,

Mars noſter.

nam illorum eſſe videtur quibus fauet. id igitur eſt, Si nobis fauerit, victoriámque dederit. contra non videtur eſſe illorum, quibus aduerſatur, quique vincuntur. ſic alibi Maro:

-ferunt ſua flamina claſſem.

Item: *-nec Dij texere cupentum*
Ænea veniente ſui.- id eſt fauentes.

Horatius: *Ventis iturus non ſuis.*

Id eſt non fauentibus, non obſecundantibus. Nec iniuriâ, quia, vt auctor eſt Plato in Sympoſio, τὸ μὲν ἀγαθὸν οἰκεῖον καλεῖ καὶ ἑαυτοῦ, τὸ δὲ κακὸν, ἀλλότριον. *Quod cuique bonum eſt, id proprium & ſuum appellat, quod verò malum eſt alienum.* vnde & Latini frequenter vſurpant, *alieno tempore nauigare,* &c. immò Heſiodus in operibus χρῆμα ἄλλο, ſiue rem noxiam, aduerſam, alienam appellat, v. 342.

Εἰ γάρ τοι καὶ χρῆμ' ἐγχώριον ἄλλο γένηται,
Γείτονες ἄζωστοι ἔκιον, ζώσαντο δὲ πηοί.
Quòd ſi continget tibi res aliena, ſoluti
Vicini accurrent, cingentur ſanguine iuncti.

quo ſenſu capi poſſit, & ille verſus 347. vigeſimi libri Odyſſeæ.

Οἱ δ' ἤδη γναθμοῖσι γελώων ἀλλοτρίοισι.
Aſt illi malis iam ridebant alienis.

& ille Horatij.

Cùm rapies in tuis malis ridentem alienis.
Item Valerij Flacci:
Errantéſque genæ atque alieno gaudia vultu.
vbi alienum vultum, alienas malas appellant, riſui aduerſantes & quaſi contrarias.

VI. Evertit.] Videtur ad etymon alludere, Mauors enim quod magna vortat & percellat, vt ait Tullius de natura Deorum.

VII. Percvlit ab abiecto] Mars vſus eſt abiecti & perculſi manu tanquam inſtrumento, quo ſpoliantem iam & exultantem occideret. & hoc ab Homero deſumptum: apud quem Hector Iliad. ζ'. verſu 367.

Οὐ γάρ᾽ οἶδ᾽ εἰ ἔτι σφιν ὑπότροπος ἵξομαι αὖτις,
Η ἤδη μ᾽ ὑπὸ χερσὶ θεοὶ δαμόωσιν Ἀχαιῶν.
Sìmne reuerſurus rurſum non conſtat ad illos,
An ſuperi Argiuâ ſtatuant me occidere dextrâ.

Plutarchus in præceptis politicis: Τιμολέων ὁ τὰς ἐν Σικελίᾳ καταλύσας τυραννίδας, Αὐτοματίας ἱερὸν ἱδρύσατο. καὶ Πύθων ἐπὶ τῷ Κότυν ἀποκτεῖναι θαυμαζόμενος, ὁ θεὸς, ἔφη, ταῦτ᾽ ἔπραξε τὴν χεῖρα παρ᾽ ἐμοὶ χρησάμενος. *Timoleon cùm Tyrannos è Siciliâ ſuſtuliſſet Caſus templum excitauit, & Python cùm ob Cotys cædem, mirè laudaretur, hæc inquit, Deus fecit manum à me mutuatus.* Titus exciſis Hieroſolymis apud Philoſtratum in vitâ Apollonij lib. 6. cap. 13. Ἐπεὶ δὲ Τίτος ᾑρήκει τὰ Σόλυμα, καὶ νεκρῶν πλέα ἦν πάντα, τὰ ὅμορά τε ἔθνη ἐστεφάνουν αὐτόν. ὁ δὲ οὐκ ἠξίου ἑαυτὸν τούτου. μὴ γὰρ αὐτὸς ταῦτα εἰργάσθαι, θεῷ δὲ ὀργὴν φήναντι ἐπιδεδωκέναι τὰς ἑαυτοῦ χεῖρας. *Intereà Titus captis Hieroſolymis omnia circum loca cadaueribus compleuerat. Finitimæ autem gentes ob victoriam coronare ipſum voluerant. Ille verò tali honore indignum ſe eſſe reſpondit: non enim ſe eſſe talium operum auctorem, ſed Deo iracundiam contra Iudæos demonſtranti, ſuas manus præbuiſſe.* Quod ad phraſim attinet, è Græcis deducitur, apud quos frequenter ἀποθανεῖν ὑπό τινος, πεσεῖν ὑπό τινος, &c. Euripides Medeæ,

-Θεῶν
Δ᾽ αἷμα πιτνεῖν φόβος ὑπ᾽ ἀνέρων.
Deorum
Sanguinem cadere metus à viris. id eſt, *manu virorum.*

Eodem penè flexu Plautus Pænulo, ſcena *Satis ſpectatum.*
Dum hero inſidias parem, ne à te perdeam.
Poëta frequenter, vt
-πολλοὶ ὑφ᾽ Ἕκτορος ἀνδροφόνοιο
Θνήσκοντες πίπτωσι.- Item:
Θεσπεσίῳ ἀλαλητῷ ὑφ᾽ Ἕκτορος ἀνδροφόνοιο
Φεύγοντες.

VIII. Oscitantis.] Pigri, ignaui, non aduertentis. Laërtius in Arceſilao: Διήκουσε καὶ Ἱππονίκου τοῦ γεωμέτρου, ὃν καὶ ἔσκωψε τὰ μὲν ἄλλα νωθρὸν ὄντα καὶ χασμώδη, ἐν δὲ τῇ τέχνῃ τεθεωρημένον, εἰπὼν τὴν γεωμετρίαν αὐτοῦ χάσκοντος εἰς τὸ στόμα ἐμπτῆναι. *Audiuit etiam Hipponicum Geometram, eúmque ridebat ad cætera pigrum & oſcitantem, ſed in ſuâ arte ſpectatum, dicens geometriam in ipſius oſcitantis ora deuolaſſe.* Plautus in Menæchmis, ſcen. *Vt ætas aliquantùm deflexerit. Vt pandiculans oſcitatur,* id non tam pro negligentiæ aut ſomnolentiæ ſigno, quàm furoris vſurpat. quãuis vt bene Lambinus ibi notat. *Oſcitare, ſeu oſcitari eſt, vel ob negligentiam & incuriam, vel ob laſſitudinem, vel ob ſomnolentiam, vel ob aliquam corporis infirmitatem, os aperire.* Feſtus: *Pandiculari dicuntur, qui toto corpore oſcitantes extenduntur, eo quòd pandi fiunt.* Carolus Sigonius rationem adfert cur oſcitantes ſibi ſignum crucis imprimant, libro 1. de regno Italiæ ad annum 590. ſub Gregorio Magno Pontifice. *In dies magis peſtilentia ſæuiebat. ad cæteros autem caſus quibus homines fœdè paſsim abſumebantur, hoc etiam mali acceſſerat, quod multi cùm ſternutarent, alij cùm oſcitarent, repentè ſpiritum emittebant. quod cùm ſæpiùs eueniret, conſuetudo inducta eſt, quæ nunc etiam obſeruatur, vt ſternutantibus ſalutem precando, oſcitantibus ſignum crucis ori admouendo, præſidium quærerent.* Sed ſit fides penes authorem. nam quod ſpectat ad ſternutationem eum noſter Famianus Strada vir eruditus egregiè confutat in Piſtore Saburrano. Nos in viam redeamus. Terentius actu 1. Andriæ ſcen. 2.

Id voluit nos ſic nec inopinantes duci falſo gaudio,
Sperantes iam amoto metu, intereà oſcitantes opprimi.

Vbi Donatus: *Oſcitatio eſt animi otium & ſecuritas, dictum ab ore ciendo, id eſt commouendo oſcitantes ſecuri, vel nihil prouidentes.* Gellius lib. 4. Noct. Attic. Scipionis Æmiliani verbis: *Deliberatum eſt de nota eius qui ad Cenſorem ab amico aduocatus eſt, ac in iure ſtans clarè nimis ac ſonorè oſcitauit, atque inibi propè vt plecteretur fuit, tanquam illud indicium vagi animi foret, & hallucinantis, & fluxæ atque apertæ ſecuritatis. ſed cùm ille deieraſſe inuictiſſimum ſeſe ac repugnantem oſcitatione victum, tenerique eo vitio quod oſcedo appellatur, tum notæ iam deſtinatæ exemptus eſt.* Quæ oſcitantia licet nonnunquam è corporis vitio contingat, certum eſt tamen frequenter è potu, & à prandio prouenire. Hippocrates lib. de veterum medicinâ: Οἱ μὲν γὰρ ἢν ἀριστήσωσι μὴ ξυμφέροντος αὐτέοισιν, εὐθὺς βαρέες, καὶ νωθροὶ τὸ σῶμα, καὶ τὴν γνώμην, χάσμης τε καὶ νυσταγμοῦ καὶ δίψης πλήρεες. *Alij quidem ſi prandꝫrint cum ipſis non expedit, ſtatim graues & pigri tum corpore, tum animo, oſcitatione, dormitatione, & ſiti pleni, &c.*

Oſcitatio ſignum pigritiæ.

Aut etiam furoris.

Pandiculari.

Cur oſcitãtes ſibi ſignum crucis imprimant.

Oſcedo

AXIOMA.

Non ſemper viator à latrone, nonnunquam etiam latro à viatore occiditur.

Incerti ſunt exitus pugnarum, Márſque communis, qui ſæpe ſpoliantem iam & exultantem euertit, & perculit ab abiecto.

ARGVMENTVM.

Poſtquam Milonis innocentiam comprobauit, prioremque ſoluit obiectionem de victoria quam relaturus fuiſſe non videbatur, ſi ipſe imparatus in Clodium paratum incidiſſet, ſoluit alteram obiectionem de ſeruis, quos, quaſi ſibi conſcius eſſet, libertate donarat, ne quæſtioni ſubderentur, & rem, vt geſta fuerat, indicarent.

CVR igitur eos manumiſit? metuebat ſcilicet ne indicarent, ne do- LVIII.
lorem perficere non poſſent, ne tormentis cogerentur, occiſum eſſe à ſeruis Miloni in Appia via P. Clodium confiteri. Quid opus eſt tortore? quid quæris? occideritne? occidit. iure, an iniuria? nihil ad tortorem. facti enim in equuleo quæſtio eſt, iuris in iudicio. quod igitur in cauſa quærendum eſt, id agamus: hoc quod tormentis inuenire vis, id fatemur. Manu verò cur miſerit, ſi id potiùs quæris, quàm cur parum amplis affecerit præmiis: neſcis inimici factum reprehendere.

EXPLANATIO.

CVR IGITVR.] Hæc videtur eſſe obiectio.
Niſi ſibi conſcius eſſet Milo, ſeruos ſuos non manumiſiſſet, ne tormentis ſubditi rem indicarent.
Sed eos manumiſit.
Ergo ſibi conſcius fuit.

METVEBAT SCILICET.] Per ironiam obiectionem exponit, & ita vt ſeipſam refutare videatur. Eos quidem manumiſerat, ne tormentis & quæſtioni ſubderentur, liberos enim ſubdi non licebat: ſed tamen non metuebat, ne illi tormentis coacti cædem indicarent, quia factum ipſe fatebatur, nec opus erat quæſtione ad extorquendam veritatem: quod probat hoc ſyllogiſmo.
Quæſtiones ſunt facti dubij, non iuris.
Sed ad neutrum neceſſarium ſeruos ſubdere quæſtioni.
Ergo non eſt omninò opus quæſtione.
de iure planum eſt, de facto ſic probat.
Non eſt opus quæſtione ad extorquendam facti confeſſionem, vbi reus factum confitetur.
Sed Milo reus factum, ſiue cædem in via Appia factam confitetur.
Ergo non eſt opus quæſtione.
Ratio huius eſt, quia ſublato fine, tolluntur etiam ea quæ ad illum finem referuntur.

NE INDICARETVR] Ita malui cum Gruttero, quàm vt in vulgatis *indicaretur*.

FACTI ENIM.] In quæſtione ſolùm factum inquiritur, in iudicio de iure & cauſſa facti diſceptatur. Equuleus autem fuit inſtrumentum tortorium.

QVOD IGITVR.] Concludit obiectionem alienam eſſe, nec eò ſpectare ſtatum quæſtionis.

MANV VERO.] Eleganter infert omninò contrarium. nam criminabantur Milonem quod ſeruos ſuos libertate donaſſet, ait Noſter eum potiùs criminandum eſſe, quod iis non ſatis ampla præmia contuliſſet.

NOTÆ.

1. Manumiſſio quid? MANVMISIT.] Iuſtinianus I. De libertinis. *Manumiſſio autem eſt de manu datio. nam quandiu aliquis in ſeruitute eſt, manui & poteſtati ſuppoſitus eſt, & manumiſſus liberatur poteſtate.* quaſi è manu domini miſſus, vt explicat Iſidorus lib. 19. or. cap. 4. Nobis hoc loco tria dicenda ſunt. 1. de cauſis manumiſſionis. 2. de ipſa manumiſſione. 3. de eius effectis.

Cauſæ manumiſſionum poſſunt ad capita quatuor reuocari, de quibus Dionyſius Halicarnaſſ. lib. 4. Prima cauſa fuit eorum probitas, vel beneficia quæ ſerui in dominos contuliſſent, altera cū ſeruus ſuis nummis, ſuóve peculio ſe redimebat. Cauſſæ manumiſſionū. ἐτύγχανον δὲ τῆς ἐλευθερίας οἱ μὲν πλεῖστοι προῖκα διὰ καλοκαγαθίαν, καὶ κράτιστος ἀπαλλαγῆς δεσποτῶν τρόπος οὗτος ἦν. ὀλίγοι δέ τινες λύτρα κατατεθέντες ἐξ ὁσίων καὶ δικαίων ἐργασιῶν συναχθέντα. *Conſequebantur verò libertatem, ob ſuam probitatem vt plurimum: & hic erat optimus manumiſſionis modus. pauci verò pretium redemptionis conferentes è peculio quod ex iuſtis & probis operibus conflauerant.* De prima cauſa Iuriſc. D. De manum. vind. Marcianus lib. 9. *Iuſta cauſa manumiſſionis eſt, ſi periculo vitæ infamiæve dominum ſeruus liberauerit.* Paulus leg. Etiam. *Ex præterito tempore plures cauſæ eſſe poſſunt. veluti quòd dominum in prælio adiuuerit, contra latrones tuitus ſit, quòd ægrum ſanauerit, quòd inſidias detexerit, & longum eſt ſi exequi voluerimus quia multa merita incidere poſſunt, quibus honeſtum ſit libertatem cum decreto præſtare.* Beneficia in dominos. Exemplum eſt apud Senecam lib. 3. de beneficiis, cap. 23. pulcherrimū. vide, ita concludit. *Manumiſit vtrumque è veſtigio illa: nec indignata eſt ab his ſe vitam accepiſſe, in quos vitæ neciſque poteſtatem habuiſſet.* non potui tamen illud præterire ex Appiano 4. ciuilium de proſcripto quodam. Θεράπων αὐτὸν ἐς τὸν μυχὸν τοῦ ἄντρου περιπέμψας, ἐνέδυ τὸν τοῦ δεσπότου χιτωνίσκον, καὶ ὑπεκρίνατο ἐκεῖνος εἶναι, καὶ δεδιέναι, καὶ τάχ' ἂν ἀπέτυχεν ἀναιρεθείς, εἰ μὴ τῶν ὁμοδούλων τις ἐνέφηνε τὴν ἐνέδραν. ἀναιρεθέντος δ' ὧδε τοῦ δεσπότου ὁ δῆμος ἀγανακτῶν περὶ τοῖς ἄρχουσιν, οὐκ ἐπαύσατο μέχρι τὸν μὲν ἐνδείξαντα κρεμασθῆναι, τὸν δὲ περισώσαντα ἐλευθερῶσαι ἔπεισεν. *Cùm enim ſeruus in cauernam intimam abdidiſſet, domini tunicam induit, ſéque dominum eſſe atque adeò metuere ſimulauit, & forſan è medio ſublatus fuiſſet, niſi conſeruorum aliquis detexiſſet inſidias. ſic igitur domino interempto, populus apud magiſtratū indignans, non priùs quieuit, quàm, eum qui rem detexerat, in crucem agi, eum qui dominum ſeruare voluerat, libertate donari impetrauit.* Atque hanc cauſſam habuit Milo quā manumiſſioni prætexeret.

De ſecunda manumiſſionis cauſſa. D. de Manumiſſionibus. Vlpianus lege *Is qui.* Marcianus lege *Si quis,* Alphenus l. *Seruus pec.* & alij conſulantur. Item Maronis interpretes in illud, ecl. 1.

Serui ſe peculio redimebant.

Nec ſpes libertatis erat, nec cura peculi.

Tertia cauſa fuit quædam ſordida dominorum auaritia quæ inualuerat æuo Ciceronis. Νῦν δ' ἐλευθεροῦνται, ait Dionyſius loco citato, ἵνα τὸν δημοσίως διδόμενον σῖτον λαμβάνοντες κατὰ μῆνα, καὶ εἴ τις ἄλλη παρὰ τῶν ἡγουμένων, legerim ἡγεμόνων, γίγνοιτο τοῖς ἀπόροις τῶν πολιτῶν φιλανθρωπία, φέρωσι τοῖς δεδωκόσι τὴν ἐλευθερίαν. *Nunc libertate donantur, vt datum è publico frumentum quot menſibus accipientes, & ſi quid aliud ex Imperatorum humanitate pauperibus ciuibus conceditur, iis qui libertate donarunt, impertiant.* Quia videlicet nec decorum erat ingenuis & nobilibus, tanquam pauperes frumentum è publico accipere, neque ſerui quandiu in aliâ familiâ cenſerentur, eâ donatione ſuo nomine frui potuiſſent. Vnde, quòd ſummam Romanæ ciuitatis magnitudinem oſtendat, id quod ait Tranquillus in Iulio cap. 41. non de capitibus, ſed de familiis debet intelligi. *Ex viginti trecentíſque millibus accipientium frumentum è publico ad centum quinquaginta retraxit.* quod cum ſiue apud Tranquillum, ſiue alibi legeret Plutarchus intellexiſſe non videtur. nam de cenſu ciuium Romanorum, non de pauperum libertinorúmque, qui frumentum è publico acciperent, catalogo dictum putauit. eius verba ſunt in Cæſare: Γενομένων τιμήσεων ἀντὶ τῶν προτέρων δυεῖν καὶ τριάκοντα μυριάδων ἐξητάσθησαν αἱ πᾶσαι πεντεκαίδεκα. *Cenſu habito pro viginti trecentiſque millibus cenſa ſunt omnino centum quinquaginta millia.* legerem γενομένων σιτηρεσιῶν, *facta frumentatione.* ſed quæ ſequuntur hãc emendationem repudiant. Τηλικαύτην ἡ στάσις ἀπειργάσατο συμφορὰν, καὶ τοσοῦτον ἀπανήλωσε τοῦ δήμου μέρος. *Tantam bellum ciuile cladem inuexit, tantámque ciuium partem abſumpſit.* vt hinc etiam probari poſſit, quod alibi vir doctiſſimus & grauiſſimus de ſe ipſo non dubitat ingenuè confiteri. ſe tam perfectam Latinæ linguæ cognitionem non habere, vt omnia prorſus intelligat. ſed malim eius bene dicta mirari, quem perperam intellecta rimari.

Auaritia dominorum nõ nullos manumittebat.

Quarta manumiſſionis cauſſa refertur ad teſtantium vanitatem: Οἱ δὲ διὰ κουφότητα τῶν δεσποτῶν, καὶ κενὴν δοξοκοπίαν. ἔγωγ' οὖν ἐπίσταμαί τινας ἅπασι τοῖς δούλοις συγκεχωρηκέναι εἶναι ἐλευθέροις μετὰ τὰς ἑαυτῶν τελευτὰς, ἵνα χρηστοὶ καλῶνται νεκροὶ καὶ πολλοὶ ταῖς κλίναις αὐτῶν ἐκκομιζομέναις παρακολουθῶσι, καὶ πίλους ἐπὶ ταῖς κεφαλαῖς ἔχοντες. *Alij verò per ſummam dominorum leuitatem & inanis gloriæ ſtudium. Noui ego qui ſeruis omnibus poſt mortem ſuam libertatem conceſſerint, vt & ipſi boni mortui dicerentur, & multi pileati feretrum ipſorum ſequerentur.* Ad hanc teſtantium leuitatem Perſius alluſit ſat. 4.

Vanitas teſtãtium quoſdã manumittebat.

In portam gelidos calces extendit, at illum
Heſterni capite induto ſubière Quirites.

& Liuius libro 8. dec. 4. de Q. Terentio Culleone, tum Prætore, hunc morem inſinuat. *Qui Romæ mortuum elatúmque P. Scipionem (eſt enim ea quoque fama) tradunt, pileatum ſicut in triumpho ierat, in funere quoque ante lectum iſſe memoriæ prodiderunt, & ad portam Capenam mulſum proſecutis funus dediſſe.* hactenus de cauſſis, nunc ad ipſam manumiſſionem veniamus.

Liberti pileati in exequiis.

Tribus modis fiebat, cenſu, vindicta, teſtamento. nec plures agnoſcit Noſter in Topicis: *Tum partium enumeratio, quæ tractatur hoc modo: Si neque cenſu, neque vindicta, neque teſtamento liber factus eſt, non eſt liber: neque eſt vlla earum rerum: non eſt igitur liber.* Conſtat autem id genus argumenti vim non habere, ſi non omnes partes comprehẽdat. Conſtitutiones Imperatorum alios modos addiderunt. Iuſtinianus 1. De libertinis, libro 1. *Multis autem modis manumiſſio procedit. aut enim ex ſacris conſtitutionibus in ſacroſanctis Eccleſiis, aut vindicta, aut inter amicos, aut per epiſtolam, aut per teſtamentum, aut per vltimam quamlibet aliam voluntatem,* &c. Fuerunt & alij modi cùm ſeruis matrimonium cum libero inire permitterent, cùm ad libertatis iudicium ſeruos ſuis menſis adhiberent: ſed vide Iuriſconſultos: conſtat enim, cùm plures tribus modis non fuerint in vſu æuo Ciceronis, de illis hoc loco non fieri mentionem. ſupereſt igitur vt tres illas manumiſſionis rationes explicemus, & quanam ſeruos manumiſerit Milo quæramus.

Varij manumiſſionum modi.

Cenſu libertatem poterant obtinere, Boëthius in Topica Ciceronis: *Cenſebantur enim antiquitus ſoli ciues Romani, ſi quis ergo conſentiente vel iubente domino, nomen detuliſſet in cenſum ciuis Romanus fiebat, & ſeruitutis vinculo ſoluebatur: atque hoc erat cenſu fieri liberum, per conſenſum domini, nomen in cenſum deferre, & effici ciuem Romanum.* Vlpianus in Corpore, titulo 1. §. 8. *Cenſu manumittebantur olim qui luſtrali cenſu Romæ, iuſſu dominorum, inter ciues Romanos cenſum profitebãtur.*

Manumiſſio fiebat aut cenſu,

Sed de hac manumiſſione Noſter non poteſt intelligi, nam cenſores qui Pompeio & Craſſo 11. Coſſ. creati fuerant, cenſum non habuerunt, vt Cicero teſtari videtur lib. 4. ad Att. ep. ſcripta Claudio & Domitio Coſſ. vno penè anno ante cædem Clodij: *Non enim puto te de luſtro, quod iam deſperatum eſt, quærere.* neque verò, etiamſi ea dies cenſui habendo dicta fuiſſet, tamen haberi cenſus potuiſſet poſtridie necis Clodij, propter turbas quæ ob eam cædem extiterunt, at poſtridie ſerui Milonis libertate donati ſunt. Aſconius præfatione tradit obiectum fuiſſe. *Milonem poſtero die duodecim ſeruos, qui maximè operam nauaſſent, manumiſiſſe.* quare ad alterã manumiſſionis formam tranſeamus.

Teſtamento manumittebantur. Boëthius: *Illa etiam pars faciendi liberi eſt, ſi quis ſuprema voluntate in teſtamenti ſerie ſeruum ſuum liberum ſcripſerit.* De qua vide tit. 4. lib. 40. Pandect. de manumiſſis teſtamento, & quæ quarta cauſſa modo protulimus. Conſtat enim Tullium hoc loco huius manumiſſionis nullam facere mentionem, abſurdi enim ſimus, ſi tum temporis Milonem teſtamentum feciſſe dicamus. Reſtat igitur vt vindicta fuerint manumiſſi.

aut teſtamento,

Vindicta his ritibus peragebatur. Qui manumittendus erat, id eſt, qui libertate donandus capite raſo ad Prætorem vel ad Conſulem ibat. Dominus qui eum deduxerat, ſeruum manu tenens, manumiſſionis cauſſas exponebat: eas ſi probaret magiſtratus, ſeruum bis térve manu in faciem percuti iubebat, vt ille ſe ſeruilis conditionis atque adeò colaphis expoſitum eſſe meminiſſet, mox virgula quadam caput tangebat, & à lictore feſtucam in eius dorſum iactari iubebat, vigeſimã exigebat, & cùm dominus eum circumegiſſet, è manu dimittebat, & liber à Prætore pronuntiabatur in templo Feroniæ, pileum & coronam ſumebat: ſingula nobis probanda ſunt.

aut vindicta.

Capite raſo. Nonnius Marcellus : *Qui liberi fiebant, ea cauſſa calui erant, quod tempeſtatem ſeruitutis videbantur effugere, vt naufragio liberati ſolent.* vbi notanda eſt peculiaris ratio cur raderentur, ad imitationem videlicet nautarum qui è periculo tempeſtatis euaſerant, quem ritum expoſuimus in Cœliana, inter cætera proferentes Petronium in ſatyrico: *Ergo illi qui ſunt, qui nocte ad Lunam radebantur? peſſimo medius fidius exemplo. audio enim non licere cuiquam mortalium in naue neque vngues, neque capillos deponere, niſi cum pelago ventus iraſcitur.* Item : *Notauit ſibi ad lunam tonſorem intempeſtiuo inhærentem miniſterio, execratúſque omen quod imitaretur naufragiorum vltimum votum in cubile reiectus eſt.* vnde & explicabam illud Iuuen. -*gaudent ibi vertice raſo*

Capitis raſio in manumiſſione.

Garrula ſecuri narrare pericula nautæ.

Adde Lucianum de his qui mercede conuiuunt. Οὐ παρέργως οὖν οὐδ' ἀμελῶς ὑπήκουον αὐτῶν καθάπερ ναυαγίαν τινά, καὶ σωτηρίαν παράλογον διηγουμένων, οἷοί εἰσιν οἱ πρὸς τοῖς ἱεροῖς ἐξυρημένοι τὰς κεφαλάς, σύναμα πολλοὶ τὰς τρικυμίας, καὶ ζάλας, καὶ ἀκρωτήρια, καὶ ἐκβολάς, καὶ ἱστῶν κλάσεις, καὶ πηδαλίων ἀποκαυλίσεις διεξιόντες. *Non perfunctoriè & negligenter ipſos audiebam, quaſi naufragium & inſperatam ſalutem narrarent, qualesij ſunt qui ad templa capite raſo ſimul multi fluctus, procellas, promontoria, iacturas, velorum ſciſſiones, gubernaculorum fractiones commemorant.* Quod non ſolùm ad Iuuenalem, ſed etiam ad Nonnium, atque adeò ad rem noſtram mirè facere videatur. Laudat Nonnius Plautum actu I. verſu vltimo.

Vt ego hic hodie raſo capite caluus capiam pileum. Titus Liuius libro 34. agens de triumpho Flaminini. *Præbuerunt ſpeciem triumpho capitibus raſis, qui ſeruitute exempti fuerant.* Sed hic mos ex dicendis etiam de alapa & pileo fiet illuſtrior.

Conſules manumittebant.

Cōſules, aut prætores manumittebant. de Conſulibus liquet vel ex prima miſſione facta per vindictam. Liuius libro 2. Plutarchus & alij. Vlpianus de officio Coſſ. *Conſules & ſeorſum ſinguli manumittunt.* Adde Caſſiodorum lib. 6. variarum in formula Conſulatus. idque alternis menſibus videntur feciſſe, prout faſces obtinerent, de qua faſcium alternatione, ne repetere cogamur, vide Piſonianam §. 3. Nota 8. Ammianus Marcellinus libro 22. de Iuliano Auguſto Conſule. *Mamertino ludos edente Circenſes, manumittendis ex more inductis per admiſſionum proximum ipſe lege agi dixerat, vt ſolebat, ſtatimque admonitus iuriſdictionem eo die ad alterum pertinere, vt errato obnoxiam Decembris auroram & ipſe mutauit.* vnde & prior Conſul ipſis Calendis Ianuariis à vindicta & manumiſſione ſuum magiſtratum ſolebat auſpicari : eo fortaſſe conſilio mos inductus, vt oſtenderet ſe magiſtratum gerere. Claudianus quarto Honorij Conſulatu.

Aſpice, mox lætum ſonuit lictore tribunal,
Te faſtos ineunte quater, ſolemnia ludit
Omina libertas, deductum vindice morem
Lex celebrat, famulúſque iugo laxatur herili.

Deductum vindice morem, id eſt vindictam, quæ à Vindice, ſiue Vindicio qui Brutorum, & aliorum de reducendis Tarquiniis coniurationem detexerat, nomen accepit. Liuius lib. 2. *Pecunia ex ærario, libertas & ciuitas data, ille primùm dicetur vindictâ liberatus. quidam vindictæ, quoque nomen tractum ab illo putant, Vindicio ipſi nomen fuiſſe.* Alij tamen à vindicando nomen deducūt, quòd in libertatem vindicentur, id eſt aſſerantur. Sed quid, ſi hoc etiam verbum ab eodem Vindicio profluxerit? De Prætore etiam liquet. Iulianus D. de manumiſſis vindicta, lege *An apud. Et in Pratura, & Conſulatu meo quoſdam è ſeruis meis vindicta liberaui, & quibuſdam Prætoribus conſulentibus me, idem ſuaſi.* & Vlpianus: *Ego cùm in villa cum Prætore fuiſſem, paſſus ſum apud eum manumitti, etſi lictoris præſentia non eſſet.* Item Caius: *Non eſt omninò neceſſe pro tribunali manumittere, itaque plerumque ſerui in tranſitu manumitti ſolent, cùm aut lauandi, aut geſtandi, aut ludorum gratia prodierit Prætor, aut Proconſul aut legatus Cæſaris.* Perſius ſatyra 5.

Vindictæ nomen.

Prætores manumittebant.

Vindicta poſtquam meus à Prætore receſſi.

& alibi paſſim. Dominus coram magiſtratu manu ſeruum tenebat. Feſtus ſupplēte lacunas Scaligero partim ex Pauli verbis, partim ex propriis coniecturis. *Manumittens modò caput, modo membrum aliud manu tenet, & dicit. Hunc hominem liberum eſſe volo, & pro eo auri x... ſoluit, vt priuſquam digreditur, efficiatur iuris ſui, dum his verbis hominem liberum mittit.* quæ manu prehenſio ſignum erat poteſtatis, & dominij. hinc illa ſolemnis manus iniectio. Ouidius:

Manumittens ſeruum manu tenebat.

Et dicam mea ſunt iniiciámque manus.

10. Æneid.

Iniecere manum parcæ, telíſque ſacrarunt
Euandri.

Hinc illæ loquendi formulæ *in manu eſt, in manibus eſt.* videlicet in poteſtate. 9. Æneidos.

In manu eſſe; quid?

Terra autem in manibus noſtris.

vide interpretes. hinc ille mos *ex iure manu conſertum* vocandi, qui pulchrè explicatur à Gellio lib. noct. Attic. vigeſimo cap. 9. cùm *de qua re diſceptabatur in iure præſenti, ſiue ager, ſiue quid aliud eſſet, cum aduerſario ſimul manu prenderet*, &c. Ex hoc opinor manus apprehendēdæ ritu vindex, ſiue aſſertor καρπιστής eſt vocatus. quam vocem Paulus Leopardus lib. 6. emendationum c. 9. ter apud Arrianum in diſſertationibus Epicteti notauit. primus locus eſt lib. 4. cap. 24. Τί λέγεις πρὸς τοῦτον δουλαγωγοῦντά σε; ποῖον αὐτῷ καρπιστὴν δίδως; *Quid ais illi qui te in ſeruitutem agit? quem ei das vindicem?* ſecundus ex eiuſdem lib. cap. 26. Καὶ λέγε γυμναζόμενος καθ' ἡμέραν, ὡς ἐκεῖ μὴ ὅτι φιλοσοφεῖς, ἔστω φορτικὸν τὸ ὄνομα, ἀλλ' ὅτι καρπιστὴν δίδως. τοῦτο γάρ ἐστιν ἡ ταῖς ἀληθείαις ἐλευθερία. *Et dic, cùm te ſingulis diebus exerces, te non philoſophari, quod nomen inſolens & odioſum, ſed vindicem ſiue manumiſſorem qui te in libertatem aſſerat, exhibere. id enim demum eſt vera libertas.* Tertius ex eodem capite. Λέγε οὖν τὰς ἀληθείας δοῦλε, καὶ μὴ δραπέτευέ σου τοὺς κυρίους, μηδ' ἀπαρνοῦ, μηδὲ τόλμα καρπιστὴν διδόναι τοσούτους ἔχων τῆς δουλείας ἐλέγχους. *Dic igitur verum, ô ſerue, & fugitiuus ne ſis dominorum ſuorum, nec recuſes, nec audeas vindicem dare, cùm tot habeas ſigna & indicia ſeruitutis.* Vbi interpres, nec Arrianum, nec ſeipſum, opinor, intelligens primo loco *fructuoſum*, altero *penſionarium*, tertio *tributarium* vertit. Cæterùm vt meam fidem in citādis auctoribus agnoſcas, hæc vt ſecuriùs proferrem, totum Arriani librum tertium ad vmbilicū euolui: nec primum aut tertiū memini me inuenire. Sed ad rem. Clarè Tertullianus aduerſus Valentinianos. *Quem & crucem appellant, & Lytrotem, & Carpiſten.* Epiphanius in eoſdem, καὶ σταυροῦ, καὶ λυτρωτοῦ, καὶ καρπιστοῦ. Chariſius. *Vindiciæ*, καρπιστεία. vide infra 75. ad illa, *non iniuſtis vindiciis.*

καρπιστής.

Tomus II.

Manumiſſionis cauſſas exponebat.

Manumiſſionis cauſſas exponebat, quas magiſtratus expenderet. Vlpian. 2. de manum. vind. *Illud in cauſſis probandis meminiſſe Iudices oportet, vt non ex luxuria, ſed ex affectu deſcendentes cauſſas probent: neque enim deliciis, ſed affectionibus dediſſe iuſtam libertatem legem Æliam Sextiam credendum eſt.* adde Dionyſium Halicarn. lib. 5. Serui caput bis terve percutiebatur. quo Iuuenalis ſat. 4. videtur alludere.

Serui manumittendi caput percutiebatur.

-pulſandum vertice raſo
Præbebis quandoque caput.

Immò & tergum, vt innuit Claudianus 4. Honorij conſulatu.

-famulúſque iugo laxatus herili
Ducitur, & grato remeat ſecurior ictu.
Triſtis conditio pulſata fronte recedit,
In ciuem rubuere genæ, tergóque remouit
Verbera promiſſi fœlix iniuria voti, &c.

Iſidorus lib. 9. orig. cap. 4. *Quando manumittebant alapa percuſſos circumagebant.* Baſilius Magnus oratione protreptica ad baptiſmum: ἦπου καὶ ῥάπισμα τὴν τελευταίαν τῶν δούλων πληγὴν ὑπὲρ τῆς μετὰ ταῦτα τῶν αἰκισμῶν ἀπαλλαγῆς κατεδέξω; *An alapam, extremam ſeruorum percuſſionem, vt poſteà contumeliis eximantur, accepiſti?* Atque hæ ſunt alapæ quas Iuſtinianus C. de emancip. *Iniuria rapiſmata* appellat, & Nouella 81. ἡ τῆς ἀντιξιότητος πρᾶξις πάλαι μὲν ὑπὸ ταῖς καλουμέναις LEGIS ACTIONES χρωμένη καὶ μεθ' ὕβρεων, καὶ ῥαπισμάτων ἀπήλλαττεν αὐτοὺς τῶν τοιούτων δεσμῶν. *Emancipationis actio dudum quidem, & per eas quæ nunc nuncupantur* LEGIS ACTIONES *facta cum iniuriis & alapis liberabat eos huiuſmodi vinculis.* quo loco profert Dionyſius Gothofredus Cornutum Perſij ſcholiaſtem: *Quoties manumittebant eos alapa percuſſos circumagebant.* Quas alapas non domini, ſed lictoris manu inflictas fuiſſe conſtare videtur ex Ambroſio epiſt. 2. *Libertas quam manumiſſus accipit, & palma lictoris donatus adquirit.*

Iniuria rapiſmata.

Lictor virgula caput tangebat.

Lictor virgula quadam caput tangebat. Boëtius in Topica: *Vindicta verò eſt virgula quædam, quam lictor manumittendi ſerui capiti imponens, eundem ſeruum in libertatem vindicabat, dicens quædam verba ſolemnia: atque ideò illa virgula vindicta vocabatur.* Horatius 2. ſat. 6.

-quem ter vindicta, quatérque
Impoſita haud vnquam miſera formidine priuet.

Vbi Acron vetus interpres, Iſidorus 9. Orig. cap. 4. Cornutus in Perſij ſat. 5. & alij conſulantur.

Feſtucam lictor in ſeruũ iaciebat.

Feſtucam in eum iactabat lictor. Perſius ſat. 5.

Non in feſtuca lictor quam iactat ineptus.

Ineptum lictorem appellat: vt etiam Plutarchus huius moris nullam ait conſtare rationem: ἔνια καὶ δοκεῖ κομιδῇ γέλοια τῶν πρασσομένων. *Nonnulla etiam videntur fieri planè ridicula quæ imperantur.* vtitur exemplo: Ῥωμαῖοι δ' οἷς ἂν εἰς ἐλευθερίαν ἀφαιρῶνται, κάρφος αὐτῶν λεπτὸν ἐπιβάλλουσι τοῖς σώμασιν. *Romani verò quibus libertatem concedunt, iis tenuem feſtucam in corpus immittunt.*

Prætor ab eo qui manumittebatur, vel potiùs ab manumittente vigeſimam exigebat. quod Scaligero acceptum referre debes, qui me docuit. Ex lege Manlia. de qua Liuius lib. 7. Cn. Manlius Conſul: *Legem nouo exemplo ad Sutrium in caſtris tributim de viceſima eorum qui manumitterentur, tulit. Patres quia ea lege haud paruum vectigal inopi ærario additum eſſet, auctores fuere.* è quibus intelligas Feſti fragmentum *pro eo auri* x... id eſt manumittens pro manumittente viceſimam ſoluit. Epictetus apud Arrianum: ὁ δοῦλος εὐθὺς εὔχεται ἀφεθῆναι ἐλεύθερος. Διὰ τί; δοκεῖτε ὅτι τοῖς εἰκοστώναις ἐπιθυμεῖ δοῦναι ἀργύριον; *Seruus ſtatim appetit libertate donari. Quamobrem? putatis quia viceſimarum exactoribus argentum dare deſiderat?* ſic libro tertio cap. 26. item libro 2. καὶ εἰκοστὴν αὐτοῦ δοῦναι ὀφείλει. *& ipſius debet dare viceſimam.* Fatetur Scaliger ſe non videre, *quænam ſumma definienda ſit.* Nos, ne quid intactum relinquat noſtra curioſitas, ſuſpicionibus indagemus. Etiamſi Romani ſeruos libertate donari iuſtis de cauſſis permitterent, nemini tamen id concedebant qui non centum, H.S. opinor, vel ex domini liberalitate, vel ex peculio ſuo poſſideret, ne ciuitas pauperibus ciuibus, & capitecenſis oppleretur. Vlpianus: *Serui qui in peculio centum haberent, aut quibus eas facultates domini impartirent, ſi eos domini in cenſum ciuium à cenſoribus adſcribi iuberent, libertatem conſequebantur.* Eandem probabile fuerit in vindicta requiſitam fuiſſe poſſeſſionum rationem, cùm nihilo ſeciùs, ac ſi cenſi fuiſſent, ius ciuitatis obtinerent. quorum centum ſeſtertiorum viceſima pars efficit quinque ſeſtertia, quàm illi videntur in ærariũ contuliſſe. Notandum porrò è fragmẽto illo Feſti viceſimã non quauis pecunia, ſed auro fuiſſe perſolutam. idem alibi: *Puri, probi, prophani, ſui auri dicitur in manumiſſione ſacrorum cauſſa. ex quibus puri ſignificat, quod in vſu ſpurco non fuerit, probi quod rectè excoctum purgatúmque ſit. profani quod ſacrum non ſit, & quod omni religione ſolutum ſit, ſui quod alienum non ſit.* quæ verba de hac ipſa ciuili manumiſſione & vindicta intelligo, non de neſcio qua liberatione à ſacris in qua explicanda multa Scaliger intricat, veriſſima quidem illa, ſed quæ vim verbis inferre videãtur. quare quod ait *ſacrorum cauſſa*, id non arbitror ad manumiſſionem, ſed ad priora, *puri, probi, profani* verba eſſe referendum. hanc autem vigeſimam ſoluiſſe videntur non ipſi prætori, ſed quibuſdam viceſimarum Quæſtoribus quos Epictetus εἰκοστώνας ſuperius, id eſt *viceſimarios* nominauit: vbi quod ait δοῦναι ἀργύριον, id non de argento ſpeciatim, ſed de quauis pecunia dictum interpretor. Hoc aurum in ſacratius ærarium referebant. Liuius libro 27. *Aurum viceſimarium quod in ſanctiore ærario ad vltimos caſus ſeruaretur, promi placuit. Prompta ad quatuor millia pondo auri.* E quibus illa Feſti verba *ſacrorum causâ* poſſis explicare, vt videlicet in ſacrum ærarium referatur. Meritò autem ad vltimos caſus ſeruari placuit, vt quoniam ex adeptione libertatis corrogatum fuiſſet, non niſi ad defenſionem libertatis erogaretur.

Viceſima perſoluta.

εἰκοστῶναι.

Aurum viceſimarium in ſacratiore ærario ſeruatũ.

Dominus ſeruum circumagebat. Perſius ſat. 5.

-heu ſteriles veri, quos vna Quiritem
Vertigo facit: hic Dama eſt non treſſis agaſo
Vappa & lippus, & in tenui farragine mendax,
Verterit hunc dominus, momento turbinis exit
Marcus Dama, papæ! &c.

Dominus ſeruum circumagebat.

Arrianus lib. 2. verbis Epicteti: ὅταν οὖν στρέψῃ τις ἐπὶ στρατηγοῦ τὸν αὐτοῦ δοῦλον, οὐδὲν ἐποίησεν; ἐποίησε. τί; ἔστρεψε τὸν αὐτοῦ δοῦλον ἐπὶ στρατηγοῦ. ἄλλ' οὐδέν; ναί. καὶ εἰκοστὴν αὐτοῦ δοῦναι ὀφείλει. τί οὖν; ὁ ταῦτα παθὼν οὐ γέγονεν ἐλεύθερος; *Cùm quis apud Prætorem ſeruum ſuum conuerterit, nihilne fecit? fecit ſanè. Quid? ſeruum ſuum conuertit ante prætorem, nihilne*

aliud? ita ſanè: Quid illud tandem? debet etiam viceſimam illius perſoluere: Quid igitur in quem iſta collata ſunt num liber euaſit? Appianus 4. bell. ciuil. ſub finem de Labeone patre Iuriſconſulti Labeonis poſt Auguſti victoriam de Bruto & Caſſio reportatam : Τοῦ πιστοτάτου τῆς δεξιᾶς λαβόμενος, καὶ περιστρέψας αὐτὸν, ὡς ἔθος ἐστὶ Ῥωμαίοις ἐλευθεροῦν, ἐπιστρεφομένῳ ξίφος ἔδωκε, καὶ τὴν σφαγὴν ὑπέσχε. *Fidiſsimum è ſeruis dextra prehenſum circumegit, vt mos eſt Romanis libertos facientibus: móxque gladium ei dedit & iugulum præbuit.*

Circumactũ è manu dimittebat. *Circumactum è manu dimittebat.* Planum eſt vel ex ipſo manumiſſionis nomine: quod omnes teſtantur, ſed clariſſimè Iſidorus libro 9. cap. 4. *Apud veteres enim quando manu mittebant, alapa percuſſos circumagebant, & liberos confirmabant. vnde & manumiſsi dicti, eo quod de manu mitterentur.*

Tùm demum liber à Prætore pronuntiabatur. ſuprà Boëtius: *Seruum in libertatem vindicabat dicens quædam verba ſolemnia.* Hermogenianus Tum liber à prætore pronuntiabatur. D. de manum. vind. *Manumiſsio per lictores hodie Domino tacente expediri ſolet, & verba ſolemnia, licet non dicantur, vt dicta accipiuntur.* Domini ſolemnia verba fuerunt, vt vidimus apud Feſtum: *Hunc hominem liberum eſſe volo.* Quæ autem ſolemnia Prætoris eſſent, oſtendunt his verbis I. C. Græci: Βινδίκτα ἡ ῥάβδος ἐφ' ἧς ὁ ἄρχων ἢ ὁ πραίτωρ τὴν τοῦ ἐλευθερουμένου κεφαλὴν ἐπαιον φάσκοντες, φαμὲν τὸν παρόντα ἄνθρωπον εἶναι ἐλεύθερον, καὶ πολίτην Ῥωμαῖον. *Vindicta eſt virgula qua Conſul aut Prætor manumittendi caput percutiebant, dicentes. Dicimus hunc hominem præſentem liberum eſſe & ciuem Romanum.* Latinè tamen pro his verbis, πολίτην Ῥωμαῖον, videntur ita protuliſſe IVRE QVIRITIVM. Seneca lib. 3. nat. Quæſt. *Hæc res efficit non è* IVRE QVIRITIVM LIBERVM. *ſed è iure naturæ.*

Necdum tamen planè liber putabatur, niſi ædem Feroniæ petiſſet, vbi cùm aliquandiu ſediſſet pileum & coronam capiebat. De Feronia Ser- Manumiſſi ſedebãt in templo Feroniæ. uius 8. Æneidos: *Feronia mater. nympha Campaniæ. Hæc etiam Libertorum Dea eſt, in cuius templo raſo capite pileum accipiebant.* Dixi ſediſſe. teſtis eſt hic verſus quem in templo Feroniæ, quod Terracinæ cultum fuit, inciſum fuiſſe teſtatur Cerdanus Noſter: BENEMERITI SERVI SEDEANT SVRGANT LIBERI. Inde eſt quod ait Liuius lib. 22. *Inter prodigia procuranda ſtatutum fuiſſe, vt libertinæ mulieres Feroniæ Deæ pro facultatibus donum darent.*

Pileum ferebant. *De pileo res eſt notiſsima.* Plautus citatus:

Vt ego hic hodie raſo capite caluus accipiam pileum.

Perſius Sat. 5.

Hæc mera libertas, hanc nobis pilea donant.

Appianus in Mithridaticis de Prusia Rege Bithyniæ : Περσέως δ' ἁλόντος ἀπήντησε τοῖς Ῥωμαίων στρατηγοῖς εἱμά τε Ῥωμαϊκὸν ἀμπεχόμενος, ὃ καλοῦσι τήβεννον, καὶ ὑποδήματα ἔχων Ἰταλικὰ, τὴν κεφαλὴν ἐξυρημένος, καὶ πῖλον ἐπικείμενος, ὥσπερ τινὲς θεράπουσι τῶν ἐν διαθήκαις ἐλευθερωθέντων. ἀγεννὴς ὢν δὲ τἄλλ' ὀφθῆναι, καὶ βραχὺς, ἐντυχὼν δ' αὐτοῖς ἔφη Ῥωμαϊστὶ τῷ ῥήματι, Ῥωμαίων εἰμὶ λίβορτος. *Capto autem Perſeo ducibus Romanis togatus occurrit, & calceatus more Italico, pileatúſque, raſo capite, quo cultu vtuntur qui ex teſtamento libertatem accipiunt, illiberali alioqui facie, & puſillâ ſtaturâ ad eos accedens Latinè dixit, Populi Romani libertus ſum.*

Idem 2. ciuilium de percuſſoribus Iulij : Ἐβόων δ' ἐγένοντο βασιλέα καὶ τύραννον ἀνῃρηκέναι, καὶ πῖλόν τις ἐπὶ δόρατος ἔφερε σύμβολον ἐλευθερώσεως. *Currebant vociferantes ſe Regem & tyrannum ſuſtuliſſe, & aliquis pileum haſta pendentem ferebat, ſymbolum libertatis.* Plutarchus in Tito Flaminino : Ἔθος ἐστὶ τοῖς οἰκέταις, ὅταν ἐλευθερωθῶσι, ξύρεσθαι τὰς κεφαλὰς, καὶ πιλία φορεῖν. *Mos eſt ſeruis, cùm in libertatem aſſeruntur, radi capita, & pileos geſtare.* Et vt alios ſexcentos prætermittam, Dio Chryſoſtomus in fine orationis prioris De ſeruitute & libertate: Δεῖ τῆς ἐλευθερίας τοιαῦτα ὑπάρχειν σύμβολα, καὶ βαδίζειν πῖλον ἔχοντα ἐπὶ τῆς κεφαλῆς. *Oportet libertatis talia eſſe ſymbola, & ingredi pileum habentem in capite.*

De corona manumiſſorum ritus eſt obſcu- Corona manumiſſorum. rior, eam tamen ante paucos annos notis in paraphraſim Nonni Poëtæ à nobis editam oſtendimus. Tertullianus de corona Militis: *Coronat & libertas ſecularis, ſed tu iam redemptus es à Chriſto, & quidem magnò: ſeruum alienum quomodo ſeculum manumittet? etſi libertas videtur. Sed & ſeruitus videbatur. omnia imaginaria in ſeculo, & nihil veri. nam & tunc liber homini eras redemptus à Chriſto: & nunc ſeruus es Chriſti, licet manumiſſus ab homine. ſi veram putes ſeculi libertatem, vt & coronam conſignes, rediſti in ſeruitutem hominis quam putas libertatem: amiſiſti libertatem Chriſti, quam putas ſeruitutem.* Nonnus cap. 8. in Ioannem ver. 95.

Εἰ δέ κεν ὑμείων ἐλάσας δούλειον ἀνάγκην
Υἱὸς ἐλευθερίοισι κόμην στέψειε πετήλοις.

Quod ſi ſeruitium veſtris ceruicibus olim
Filius, ingenua texens de fronde coronam
Depulerit.

Licet hæc coronandi libertos conſuetudo moribus Romanis antiquior fuiſſe videatur. Simonides apud Dionem Chryſoſtomum in Corinth.

Ἑλλὰς ἐλευθερίας ἀμφέθετο στέφανον.

Græcia libertatis circumpoſuit coronam.

Thucydides libro quarto : Οἱ μὲν ἐστεφανώσαντό τε καὶ τὰ ἱερὰ περιῆλθον, ὡς ἠλευθερωμένοι. *Hi verò & corónati ſunt, & templa adierunt, vt in libertatem vindicati.*

O miſeram togam, calceos & annulum, quem Tertullianus libro de reſurrectione carnis cap. 57. tribuit vindicta liberatis : *Oro te ſi famulum tuum libertate mutaueris, quia eadem caro atque anima permanebunt, quæ flagellis & compedibus, & ſtigmatibus obnoxiæ retrò fuerant, idcircóne illas eadem pati oportebit? non opinor. atquin & veſtis albæ nitore, & annuli aurei honore, & patroni nomine, & tribu menſáque honoratur.* De toga & calceis ſuprà citatus Appianus, vbi Pruſias deſcribitur : εἱμά τε Ῥωμαϊκὸν ἀμπεχόμενος ὃ καλοῦσι τήβεννον, καὶ ὑποδήματα ἔχων Ἰταλικά. *Veſte indutus Romana, quam togam appellant, & calceos habens Italicos.* Alias enim veſtes ſeruorum fuiſſe, alias liberorũ, iam fusè in Piſoniana oſtendimus.

Quod ſpectat ad annulos aureos non eſt quòd Ius annulorũ aureorum. eos omnibus conceſſos fuiſſe arbitremur. Nam Dio æqualis Tertulliano loquens de Mena Põpeij liberto qui Auguſtum defecerat. Cæſar, inquit, Δακτυλίοις τε χρυσοῖς ἐκόσμησε, καὶ ἐς τὸ τῶν ἱππέων τέλος ἐσέγραψε. τὸ δὲ δὴ τῶν δακτυλίων τοῖσδε ἔχειν. οὐδενὶ τῶν πάλαι Ῥωμαίων, οὐχ ὅτι τῶν δουλευσάντων ποτὲ, ἀλλ' οὐδὲ τῶν ἐν ἐλευθέρῳ γένει τραφέντων, δακτυλίοις χρυσοῖς, πλὴν τῶν τε βουλευτῶν, καὶ τῶν ἱππέων, χρῆσθαι, ὥσπερ εἴρηταί μοι, ἐξῆν. καὶ διὰ τοῦτο

τοῖς ἐξελευθέροις, ὡς καὶ βελτίοσι ἢ κατ' ἐλευθερίαν, ἐπιπνέυειν τι δυναμένοις δίδοντα. *Annulis aureis ornauit, & in ordinem equeſtrem tranſcripſit. quod autem ſpectat ad annulos, ita ſe res habet. nemini veterum Romanorum, non ſolùm iis qui ſeruitutem aliquando ſeruierant, ſed ne iis quidem qui in ingenua familia fuerant educati, annulis aureis vti licebat, vt iam diximus, niſi Patribus aut equitibus: & eam ob cauſſam, iis libertinis, qui non ſola libertate, ſed etiam Senatu aut equeſtri ordine digni videntur, aureis annulis vti conceſſum eſt.* Sic Antonio Muſæ qui Auguſtum ſanarat conceſſum fuiſſe Dio teſtatur lib. 53. Καὶ χρυσοῖς δακτυλίοις (ἀπελεύθερος γὰρ ἦν) χρῆσθαι. *Etiam annulis aureis vti. libertinus enim erat.* Sic Galba liberto qui ipſi de imperio nuntiarat, dedit annulum aureum: τῷ δ' ἀπελευθέρῳ δακτυλίους τε χρυσοῦς ἔδωκε, &c. vt ait Plutarchus in Galba. & hac quidem traditione annulorum, non ſolùm liberti dicebantur, ſed etiam in ingenuitatem aſſerti. Suetonius in Auguſto cap. 74. *Valerius Meſſala tradit, neminem vnquam libertorum adhibitum ab eo cœnæ, excepto Mena, ſed aſſerto in ingenuitatem.* Vide Iuriſconſultos D. De iure aureorum annulorum. Sed fortaſſe annulus iſte, de quo Tertullianus, non ex eorum numero fuit, quos digitis gerebant, ad equeſtris ordinis indicium: ſed ſigillaris, quo ſignum tabellis imprimebant: & hoc ſymbolo oſtendebatur libertinos fieri teſtabiles: poſſéque aut ipſos teſtari, aut aliis teſtantibus adhiberi. Verùm hæc iam ſpectant ad effecta vindictæ, ad quæ iampridē feſtinat oratio.

Effecta vindictæ poſſunt ad hæc capita reuocari. Ius ciuitatis, ac tribus, teſſeræ frumentariæ, prænominis, immunitatis à quæſtione, teſtamenti faciendi obtinebant. Quod liquidiùs intelliges ſi aduertas ex Iſidoro, lib. 9. Iuſtiniano 1. inſt. cap. de Libertinis, & aliis auctoribus, tria fuiſſe libertinorum genera. hic poſtremus: *Libertinorum autem ſtatus tripertitus anteà fuerat. Nam, qui manumittebantur, modò maiorem & iuſtam libertatem, conſequebantur, & fiebant ciues Romani: modò minorem, & Latini ex lege Iuniâ Norbana fiebant: modò inferiorem & fiebant ex lege Ælia Sentia dedititij.* Et primi quidem ius perfectum teſtandi obtinebant. Saluianus ſub perſona Timothei ad Eccleſiam Catholicam libro 3.

Libertini Romani. *In vſu ſiquidem quotidiano eſt, vt ſerui, etſi non optimæ, certè non improbæ ſeruitutis, Romana à dominis libertate donentur: in qua ſcilicet & proprietatem peculij capiunt, & ius teſtamentarium conſequuntur: ita vt & viuentes cui volunt res ſuas tradant, & morientes donatione tranſcribant.* Subdit de Latinis Iunianis: *Quid eſt aliud quàm ſeruituti addicere, quos non vis aliquid quaſi ingenuos poſſidere? more ergo illorum vteris, qui ſeruos ſuos non bene de ſe meritos, quia ciuitate Romana indignos iudicant, iugo Latinæ libertatis addicunt: quos ſcilicet iubent quidem ſub libertorum titulo agere viuentes, ſed nolunt quicquam habere morientes. negato enim iis vltimæ voluntatis arbitrio, etiam quæ ſuperſtites habent, morientes donare non poſſunt. Ita ergo & tu religioſos filios tuos, quaſi Latinos iubes eſſe libertos: vt viuant ſcilicet quaſi ingenui, & moriantur vt ſerui, & iuri fratrum ſuorum, quaſi per vinculum Latinæ libertatis adſtricti, etiamſi videatur arbitrij ſui eſſe dum viuunt, quaſi ſub illorum poſiti poteſtate moriantur.*

Libertini Latini Iuniani.

Dedititiorum Iuſtinianus *peſſimam cõditionem,* appellat, quippe quæ parum diſtaret à ſeruitute, & C. de dedititia libertate tollenda, *vanum libertatis nomen.* Dedititij liberti dicti ſunt ij, qui cùm manumiſſi eſſent, nullum tamen ius aliud aut beneficium obtinebant, quàm ne ſeruirent, aut ſeruilibus pœnis ſubderentur, à magiſtratibus, honoribus, immò & ſuffragiis excluſi, inſtar eorum qui victi aut mox vincendi ſe dedunt victoribus, quales fuerunt vt plurimùm ſtigmatiæ & inuſti. Iſidorus 9. orig. *Quidam poſtea à dominis manumiſſi propter ſuppliciorum notas quas manifeſtè perpeſſi ſunt, ad dignitatem ciuium Romanorum non peruenerunt.* Atque hæc libertas adeo tenuis fuit, vt ne eadem quidem veſte cum ingenuis vterentur. Tertull. de Pallio: *Enimuero iamdudum cenſoriæ intentionis epiſcynio diſperſo, quantum denotatui paſſiuitas effert, libertinos in equeſtribus, ſubuerbuſtos in liberalibus, dedititios in ingenuis, rupices in vrbanis, paganos in militaribus?* Libertini dedititij.

Atque hi tres fuerunt libertatis modi: quamquam, vt ait Iuſtinianus I. de Libert. *A primis vrbis cunabulis, vna atque ſimplex libertas, competebat, id eſt eadem quam habebat manumiſſor.* Per quam videlicet habebat ius Romanæ ciuitatis. Qui primus fuit vindictæ effectus, qui cæteros omnes continebat. & notat Noſter Lælius Biſciola libertinos Iunianos ante Tiberium Auguſtum non fuiſſe.

Vindicta datum fuiſſe ius ciuitatis liquet ex Liuij 2. *Præmium indici pecunia ex ærario, libertas & ciuitas data. ille primùm dicitur vindictâ liberatus, quidam vindictæ quoque nomen ab illo tractum putant: Vindicio ipſi nomen fuiſſe: poſt illum ſeruatum, vt, qui ita liberati eſſent, in ciuitatem accepti viderentur.* Liuio ſuffragantur omnes, vnde & apud Plutarchum in Publicola vindicta: ἡ παντελὴς ἀπελευθέρωσις. *perfectiſſima & abſolutiſſima manumiſſio* nominatur. Auguſtus tamen, vt auctor eſt Tranquillus cap. 4. *Seruos non contentus multis difficultatibus à libertate iuſta remouiſſe: cùm & de numero, & de conditione, ac differentia eorum, qui manumitterentur curioſè, cauiſſet, hoc quoque adiecit: ne vinctus vnquam tortúſve quis vllo libertatis genere ciuitatem adipiſceretur.* Sed non eſt operæpretium omnia iura ciuium Romanorum exponere, ſatis fuerit ea breuiter attingere, quæ ab auctoribus manumiſſionis effecta numerantur. Vindicta datũ ius ciuitatis.

In tribum cenſebantur manumiſſi, non ſolùm vindicta, ſed etiam teſtamento aut cenſu, quod Dionyſius 4. antiq. refert ad Seruij Tullij inſtitutum: Ὁ δὲ Τύλλιος καὶ τοῖς ἐλευθερουμένοις τῶν θεραπόντων, ἐὰν μὴ θέλωσιν εἰς τὰς ἑαυτῶν πόλεις ἀπιέναι, μετέχειν τῆς ἰσοπολιτείας ἐκέλευσεν. ἐπιτρέψας γὰρ ἅμα τοῖς ἄλλοις ἅπασιν ἐλευθερίαν, καὶ τούτοις τιμᾶσθαι τὰς οὐσίας, εἰς φυλὰς κατέταξεν αὐτοὺς τὰς κατὰ πόλιν τέτταρας ὑπαρχούσας, ἐν αἷς καὶ μέχρι τῶν καθ' ἡμᾶς χρόνων ταττόμενοι διετέλουν. *At Tullius ſeruis libertate donatis, ſi in patriam redire ſuam noluiſſent, iuſſit participes eſſe ciuitatis. concedens enim eandem cum aliis libertatem, eorum etiam bona cenſeri voluit, & eos in quatuor tribus vrbanas referri, in quibus ad noſtram ætatem cenſeri perſeuerant.* Plutarchus tamen in Valerio Publicola ius ciuitatis ſeriùs ait libertinis fuiſſe conceſſum, de Vindicio ſic loquens, quem Valerius: Ἐψηφίσατο πρῶτον ἀπελεύθερον ἐκεῖνον ἐν τῇ Ῥώμῃ γενέσθαι πολίτην, καὶ φέρειν ψῆφον ᾗ βούλοιτο φρατρίᾳ προσνεμηθέντα· τοῖς δ' In tribum ferebantur libertini.

ἄλλοις ἀπελευθέροις οὐδὲ χρὶ μετὰ πολὺν χρόνον ἐξουσίαν δήμου συναγωγῶν ἔδωκεν Ἄππιος. *Primum illum libertinum decreuit ius habere Romanæ ciuitatis, & ferre ſuffragium in quâcunque curiâ voluiſſet allectum. Aliis verò libertinis, ſerò & multis poſt annis ius ſuffragij dedit Appius, infimam plebem ſibi concilians.* Quod ait de Appio non memini me legere alibi: opinor eum fuiſſe Appium Claudium Decemuirum, & eam legem in decemuiratu latam, atque fortaſſe duodecim tabulis fuiſſe contentam. teſtatur enim Liuius lib. 3. eum ſummè fuiſſe popularem: *Adeóque nouum ſibi ingenium induerat, vt plebicola repentè, omníſque auræ popularis captator euaderet.* Porro libertinorum tribus fuerunt vrbanæ Saburrana, Exquilina, Palatina, Collina. Liuius lib. 5. dec. 5. *In quatuor vrbanas tribus deſcripti erant libertini.* dubito an à Rege Seruio, vt voluit Halicarnaſſeus, an à Fabio, de quo Liuius lib. 9. extremo: *Fabius ſimul concordiâ cauſſa, ſimul ne humillimorum in manu comitia eſſent, omnem forenſem turbam excretam in quatuor tribus coniecit, vrbanáſque eas appellauit, adeóque eam acceptam gratis animis ferunt, vt Maximi cognomen quod tot victoriis non pepererat, hac ordinum temperatione pareret.* Poſtea tamen vt narrat libro quinto dec. 5. citato Claudio & Tiberio Graccho Cenſoribus in vnam Exquilinam coniecti ſunt: *Eò deſceſſum eſt, vt ex quatuor vrbanis tribubus vnam palam in atrio libertatis ſortirentur, in quam omnes, qui ſeruitutem ſeruiſſent, coniicerent. Exquilina ſors exiit: in ea Tiberius Gracchus pronuntiauit Libertinos omnes cenſeri placere.* Secutis tamen temporibus in aliis tribubus locum videntur habuiſſe. Perſius:

Tribus vrbanæ libertinorum.

> *Libertate opus eſt, non hac, qua vt quiſque Velina*
> *Publius emeruit.*

Velina, inquit, quæ non fuit inter vrbanas, è quo etiam intelligis Libertinos acquiſiuiſſe.

Ius prænominis.

Ius prænominis. idem paulò pòſt:

> *-Hic Dama eſt non treſsis agaſo*
> *Vappa, & lippus & in tenui farragine mendax,*
> *Verterit hunc dominus: momento turbinis exit*
> *Marcus Dama. papæ! Marco ſpondente recuſas*
> *Credere tu nummos? Marco ſub iudice palles.*
> *Marcus dixit, ita eſt. has ſigna Marce tabellas.*

Hinc eſt quod Tireſias Horatianus ait:

> *Quinte puta aut Publi, gaudent prænomine molles*
> *Auriculæ.*

vnde & Iuuenali: *Habere tria nomina.* idem eſt atque *liberum eſſe.* Quod ſpectat ad libertinorum nomen, notandum quod tradit Varro extremis penè verbis lib. 7. de lingua Latina: *Nominantur à libertinis orti publici ſerui, Romani, qui manumiſsi antequam ſub magiſtratus nomina, qui eos liberarunt, ſuccedere cœperunt.*

Teſſeram denique manumiſſi ad petendum frumentum è publico obtinebant. Perſius eodem loco:

Teſſera frumentaria.

> *-vt quiſque Velina*
> *Publius emeruit, ſcabioſum teſſerula far*
> *Poſsidet. heu ſteriles veri quos vna Quiritem*
> *Vertigo facit.*

Hinc Dionyſius citatus in cauſſis: Τὸν δημόσιον διδόμενον σῖτον λαμβάνοντες κατὰ μῆνα. *Frumentum publicè datum quot menſibus accipientes.* Ex quo colligis morem vix fuiſſe ingenuis ad hanc frumentationem accedere, idque viſum fuiſſe indecorum.

NE DOLOREM PERFERRE.] Ne ſi in ſeruitute manerent quæſtioni ſiue tormentis ſubderentur, à quibus fuerunt per manumiſſionem liberati. Noſter pro Rabirio perd. reo. 16. *An verò ſeruos noſtros horum ſuppliciorum omnium metu, dominorum benignitas vna vindicta liberabit: nos à verberibus, ab vnco, à crucis denique terrore, neque res geſtæ, neque acta ætas, neque noſtri honores vindicabunt.* Idem de Athenienſibus Demoſthenes in Timotheum: Ἠξίουν αὐτὸν παρὰ τῷ διαιτητῇ εἰ ἔτι δοῦλος εἴη ὁ Αἰσχρίων αὐτοῦ, καὶ ἠξίουν αὐτὸν ἐν τῷ αὐτοῦ σώματι τὸν ἔλεγχον διδόναι. *Rogabam eum coram arbitro, vtrùm ſeruus ipſius adhuc eſſet Æſchrion, eúmque poſtulabam in ſua cute probationem exhibere.* II.

Immunitas à quæſtione.

NE TORMENTIS COG.] Huc ſpectat quod ait Vlpianus D. De quæſt. l. 1. §. 13. *Si ſeruus ad hoc erit manumiſſus, ne torqueatur; dummodò in caput domini non torqueatur: poſſe eum torqueri D. Pius reſcripſit.* Vide Cœlianam 68. III.

QVID OPVS EST TORTORE.] Vlpianus refert reſcriptum Hadriani in hæc verba D. de quæſt. l. 1. *Ad tormenta ſeruorum ita demum veniri oportet, cum ſuſpectus eſt reus, & aliis argumentis, ita probationi admouetur, vt ſola confeſsio ſeruorum deeſſe videatur.* IV.

EQVVLEO.] De equuleo multi multa tradiderunt, vt Sigonius lib. 3. de iudiciis cap. 18. & Baronius ad 22. Ianuarij in Martyrologio Romano. Et omnium fuſiſſimè Antonius Gallonius Baronij inſiſtens veſtigiis libro de tormentis Martyrum cap. 3. operæpretium fuerit pauca de multis excerpere. Equuleus fuit lignum tortorium; quo cochleis quibuſdam & fidiculis reorum membra curuarent, modò extenderent ad extorquendam veritatem. Citatur ab omnibus Pomponius apud Nonnium: *Et vbi inſilui in cochleatum equuleum, ibi tolutim tortor.* Sed hæc duo verba *tolutim* & *inſilire.* cogitationem meam ad rem militarem adducunt, & ad illos equuleos ligneos quibus exercebantur tyrones. Vegetius lib. 1. c. 18. *Equi lignei hyeme ſub tecto, æſtate ponebantur in campo. ſuper hos iuniores primò inermes, dum conſuetudine proficerent, demum armati cogebantur adſcendere. tantáque cura erat, vt non ſolùm à dextris, ſed etiam à ſiniſtris partibus & inſilire, & deſilire condiſcerent, euaginâtes etiam gladios vel contos tenentes.* Quo pacto pueri Græcorum ſolebant in arietes inſilire, vt equitare condiſcerent. Heſychius: οἱ γὰρ τῶν βασιλέων υἱοὶ πρῶτον ἐπὶ τῶν κριῶν ἱππεύειν ἐμάνθανον. *Regum enim filij in arietibus primùm diſcebant equitare.* Ex quo docuit me Petrus Victorius quid ſibi voluerit Homerus Ὀδυσσ. ν΄. verſu 221. V.

Equuleus quid?

Equi lignei in quos tirones diſcebant inſilire.

Regum pueri in arietibus diſcebant equitare.

> -σχεδόθεν δέ οἱ ἦλθεν Ἀθήνη
> Ἀνδρὶ δέμας εἰκυῖα νέῳ ἐπιβώτορι μήλων (lege ἐπιβώτορι)
> Παναπάλῳ, οἷοί τε ἀνάκτων παῖδες ἔασιν.
> *-Acceſsit propiùs Tritonia, corpus*
> *Adſcenſori ouium ſimilis, puerilibus annis*
> *Molliculo. quales Regum de ſanguine nati.*

Eadem videtur eſſe Nonni ſententia de Phaëthonte puero ſic loquentis lib. 38.

> Πλέξας λεπταλέοισι λύγοις πολύπλοκον ἱμάσθλην
> Ἀρνειοῖς πισύρεσσιν ἑοῖς ἐπέθηκεν χαλινούς.
> *Lorum conficiens tenui de vimine terno*
> *Implexu lora impoſuit ſua quatuor agnis.*

Sed ad inſtitutum redeamus, à quo deflexímus occaſione equuleorum ligneorum, in quos ſole-

bant tirones inſilire : quos probabile eſt fuiſſe cochleatos, & pedibus rotarum ſubiectos fuiſſe lapſus, vt eos tolutim & volubiliter torquerent tirones, & in quamcunque partem conuerterent. quare cochlearum probationem malim ab ipſo vſu, quàm à veterum teſtimoniis arceſſere. vtar verbis Sigonij, *Equuleus cataſta fuit lignea cochleata ad intendendum ac remittendum apta, atque ad torquendos homines, vt facti veritas eliceretur, inſtituta.* Quæ intenſio & remiſſio fieri commodiùs non potuit, quàm adminiculo cochlearum. Pergit ille tormenti genus deſcribere, ad quem te remitto. non enim probat Baronius tùm quòd equuleum cataſtam appellarit, tùm quòd fidiculas putauerit eſſe funiculos illos quibus deligabantur, & extendebantur equuleo, tùm denique quòd equuleum à compedibus craſſis, quibus rei in carcere poſiti diuaricatis cruribus detinebantur, haudquaquam diſtinxerit.

Atque vt primùm de poſtremo dicamus: etſi hæc pedum diuaricatio non ſemper ad equuleum referatur, ſitque quoddam genus vinculorum, aliquando tamen de ipſa ad equuleum extenſione debet intelligi. Compedes craſſas fuiſſe liquere videtur ex Euſebio libro 5. hiſtor. cap. 1. verba epiſtolæ Lugdunenſium referente: Καταργηθέντων δὲ τῶν τυραννικῶν κολαστηρίων ὑπὸ τοῦ Χριστοῦ διὰ τῆς τῶν μακαρίων ὑπομονῆς, ἑτέρας μηχανὰς ὁ διάβολος ἐπενόει τὰς κατὰ τὴν εἱρκτὴν ἐν τῷ σκότει καὶ τῷ χαλεπωτάτῳ χωρίῳ συγκλείσας, καὶ τὰς ἐν τῷ ξύλῳ διατάσεις τῶν ποδῶν ἐπὶ πέμπτον διατεινομένων τρύπημα. *Abſumptis ope Chriſti per martyrum patientiam omnibus tyrannicis torturæ inſtrumentis, alias machinas in carcere diabolus excogitauit, in tenebris & loco teterrimo claudens, & extenſiones pedum ad quintum foramen.* Diſertè Ariſtophanes in Equitibus:

Sigonius defenſus contra Baronium.

Δησαί σ' ἐκέλευε πεντεσυρίγγῳ ξύλῳ.

vbi interpres, Πεντεσυρίγγῳ, πέντε ὀπὰς ἔχοντι, δι' ὧν οἵ τε πόδες, καὶ αἱ χεῖρες καὶ ὁ τράχηλος ἐνεβάλλετο.

Machina quinque foraminum.

Iuſsit ligari quinquefore te machina.

Quinquefore, id eſt, quinque habente foramina, in quæ pedes, manus, & collum immitebantur.

Euſebius tamen in libro 6. cap. 39. de Origene loquens, videtur intelligendus de equuleo, cum diſertè à pœnis vinculorum diſtinguat: τάς τε ὑπὸ σιδήρῳ κλοιῷ καὶ μυχοῖς εἱρκτῆς τιμωρίας. *quæ in crate ferrea & carceris fundo perpeſſus eſt.* Subdit: Καὶ ὡς ἐπὶ πλείσταις ἡμέραις τοὺς πόδας ὑπὸ τέτταρα τοῦ κολαστηρίου ξύλου παραταθεὶς διαστήματα, καὶ πυρὸς ἀπειλάς, καὶ ὅσα ἄλλα πρὸς τῶν ἐχθρῶν ἐπενεχθέντα καρτερῶς ὑπέστη. *Et quemadmodum per multos dies pedibus ad quatuor cruciatorij ligni interualla diuaricatis, & intentati ignis minas, & alia quæcunque ab inimicis inferebantur, fortiter pertulit.* Hoc inquam de equuleo videtur intelligendum, tùm propter ignis cuius facit mentionem, tùm quòd κολαστήριον ξύλον appellet. de quo diſertè Sozomenus libro 5. hiſtor. cap. 20. apud quem Salluſtius Præfectus Prætorio Iuliani; Ἕνα δέ τινα νεανίαν πρῶτον προσαγαγών, Θεόδωρος δ' ὄνομα αὐτῷ, τῷ βασανιστηρίῳ ξύλῳ προσῆψεν· ὁ δ' ἐπὶ πολὺ τοῖς ὄνυξι πληττόμενος, οὐχ ἡττήθη τῶν βασάνων, οὐδὲ τὸν ὕπαρχον ἐλιπάρησεν. *Iuuenem primùm adducens, (Theodoro nomen fuit) ad lignum tortorium alligauit: ille verò diu multúmque vngulis ſulcatus, non ſuperatus eſt tormentis, neque præfecto ſupplicauit.* Quare deceptus videtur Baronius, quod Euſebium ipſum non adierit, interpretatione contentus. Sic

Equulei foramina.

enim reddit interpres: *pedes in compedes ligneos intruſi.* Hui compedes ligneos! ſaltem Latinè. Idem Euſebius libro 8. cap. 10. epiſtolam Phileæ martyris refert in hæc verba: Ἤσαν δέ οἱ καὶ μετὰ τοὺς αἰκισμοὺς ἐπὶ τοῦ ξύλου κείμενοι διὰ τῶν τεσσάρων ὀπῶν διατεταμένοι ἄμφω τὼ πόδε, ὡς καὶ κατ' ἀνάγκην αὐτοὺς ἐπὶ τοῦ ξύλου ὑπτίους εἶναι, μὴ δυνάμενοι διὰ τὸ ἔναυλα τὰ τραύματα ἀπὸ τῶν πληγῶν καθόλου τοῦ σώματος ἔχειν. contentus eſt Baronius huiuſmodi verſione: *Poſt verbera in compedibus ligneis poſiti erant & pedes alter ab altero ad quartum foramen diſtenti diſtrictique adeo, vt neceſſariò ſupini iacerent, nec poſſent propter plagarum vulnera recens toto corpori inflicta, ſe vllo modo commouere.* Sed longè aliam mentem Phileas videtur habuiſſe, vult enim Sanctos martyres adeò fuiſſe cruciatos, vt diſtractis articulatim diſſolutiſque membrorum commiſſuris, poſtquam iam laxati fuiſſent funes & remiſſi ſurgere non poſſent, ſed ſupini & eodem ſitu corporis quo ad quartum foramen extenſi fuerant, iacere cogerentur. verto de verbo ad verbum: *Erant verò poſt tormenta nonnulli in ligno iacentes, pedibus ad quartum vſque foramen extenſis, adeò vt ex neceſsitate in equuleo ſupini iacerent.* Hactenus clarè quæ ſequuntur corrupta ſunt. Putem vnam vocem deeſſe, & alteram gloſſema eſſe quæ in textum irrepſerit, ac proinde legendum, Μὴ δυνάμενοι [ἀνίστασθαι] διὰ τὸ ἔναυλα τὰ ἀπὸ τῶν πληγῶν καθ' ὅλου τοῦ σώματος ἔχειν. *Non valentes ſurgere, propterea quòd ſulcos è vulneribus toto corpori inflictis haberent.* Hanc verò fuiſſe auctoris ſententiam liquet è verbis, quæ proximè ſequuntur, Ἕτεροι δ' εἰς τοὔδαφος ἔκειντο ὑπὸ τῶν βασάνων ἀθρόως συμβολῆς, δεινοτέραν τὴν ὄψιν τῆς ἐνεργείας τοῖς ὁρῶσι παρέχοντες. *Alij verò ad pauimentum iacebant afflicti conferto tormentorum concurſu, & grauius ipſis tormentis ſpectaculum intuentibus præbebant.* Et vt tollat omnem dubitationem, his enarratis eos teſtatur in carcerem fuiſſe coniectos, poſtquam illa ſupplicia perpeſſi fuerant: Τούτων οὕτως ἐχόντων οἱ μὲν ἐναπέθνησκον ταῖς βασάνοις τῇ καρτερίᾳ καταισχύναντες τὸν ἀντίπαλον. οἱ δ' ἡμιθνῆτες ἐν τῷ δεσμωτηρίῳ συγκλειόμενοι, μετ' οὐ πολλὰς ἡμέρας ταῖς ἀλγηδόσι συνεχόμενοι ἐτελειοῦντο. *His ita ſe habentibus alij tormentis immoriebantur, ſua conſtantia aduerſario pudorem inferentes, alij ſemimortui & in carcerem incluſi poſt non multos dies præ dolore extremum vitæ diem obibant.* E quibus, opinor, ſatis apparet Equuleum machinam fuiſſe è ligno compactam, multis foraminibus inſtructam, per quæ foramina funes quoſdam reorum corporibus ſtrictè implexos immitterent, & pedes manúſque modo ad primum, aut ſecundum, modo ad tertium, quartum, quintum foramen extenderent, magis aut minùs pro iudicis arbitratu, luxatis interdum laxatiſque membrorum compagibus. Quod equuleus membra extenderit, egregiè probat Baronius ex Cypriano de lapſis *nunc equuleus extenderet.* cùm enim equuleus extenderetur corpora ſimul extēdi neceſſe erat. vnde Ammianus Marcellinus lib. 14. *intendebātur equulei.* & Hieronymus epiſt. 49. ad Innocentium: *cum equuleus corpus extenderet.* Phileas epiſtola citata: ΟΙ μὲν γὰρ ὀπίσω τὼ χεῖρε δεθέντες, περὶ τὸ ξύλον ἐξηρτῶντο καὶ μαγγάνοις τισὶ διετείνοντο πᾶν μέλος. *Manibus à tergo religatis ligno appenſi, & machinis quibuſdam ſecundum omnia membra diſtenti.* Quod autem equuleus diſtentus oſſium commiſſuras cum do-

Phileas explicatus.

Equuleus quid?

lore diſtraxerit, probant ex Hymno Prudentij de S. Vincentio, vbi tyrannus imperat:

Equuleus oſſium commiſſuras cum dolore diſtrahebat.

Vinctum retortis brachiis
Surſum ac deorſum extendite,
Compago donec oſſium
Diuulſa membratim crepet.

Et de ſancto Romano:

Miſerum putatis, quod retortis pendeo
Extentus vlnis, quod reuelluntur pedes,
Compago neruis quod ſonat crepantibus.

E quibus aduertis eos qui equuleo torquerentur, manus ad tergum retortas habuiſſe, illi videlicet ſtipiti alligatos qui in medio equuleo extendebatur, vt mox docebimus. adde S. Hieronymum epiſt. 49. *Cùm equuleus corpus extenderet & ſordidas fœtore carceris manus poſt tergum vincula cohiberent.*

Corpus in poſteriorem partem curuabat.

Neque ſolùm equuleus extendebat, ſed etiam in partem poſteriorem curuabat, vnde propriè factum vt tormentum diceretur. Ammianus à Baronio citatus lib. 16. prope finem: *Innocentes tortoribus expoſuit multos, aut ſub equuleo cepit incuruos.* lib. 18. *Quamquam incuruus ſub equuleo ſtaret, pertinaci negabat inſtantiâ.* curuabatur, inquam, ſed ſupinus & oculis ad cœlum conuerſis. Hieronymus epiſt. 49. de muliere ſepties ictâ. *Oculis quos tantùm tortor alligare non poterat, ſuſpexit ad cœlum.* Item: *Soluuntur membra compagibus, illa oculos ad cœlum tendit.*

Secundò, non placet Baronio equuleum cataſtam nominari. Sed res eſt parui momenti. & cùm ipſe 16. Martij cataſtam de compéde lignea ſeruorum, de cratibus ferreis, de ſuggeſtu è lignis compacto ſuper quem torquerentur martyres, dictam eſſe fateatur, non video cur non poſſit etiam equuleo conuenire. cùm præſertim locus ille Prudentij quem citat, huic interpretationi fauere videatur, de Romano. Nam cùm iuſſiſſet Aſclepiades Sanctum Martyrem:

Equuleus cataſta.

Euiſcerandum corpus equuleo eminus
Perdere, & vncis vinculiſque creſcere.

Ita exclamauit:

Audite cuncti, clamo longè, & prædico,
Emitto vocem de cataſta celſior.

E quibus etiam aduertis eos aliquando pependiſſe dum torquerentur. ſuprà Phileas Περὶ τὸ ξύλον ἐξηρτῶντο. *Ad lignum pendebant.* Prudentius loco citato:

Scindunt vtrimque milites teterrimi
Mucrone hiulco penſilis latus viri.

Equuleum igitur fulcris quibuſdam impoſitum nunc menſæ inſtar in longum protendebant, nunc inſtar crucis ſubrigebant. vnde & Prudentius *noxialem ſtipitem* appellat:

Iubet amoueri noxialem ſtipitem.

Denique negat Baronius fidiculas fuiſſe neruos ſiue funes, quibus homines ad equuleum alligarent: mauúltque eſſe vngulas illas ferreas, quibus tortores reorum latera ſulcabant. Fretus auctoritate Iſidori lib. 5. cap. 17. *Vngulæ dictæ quod effodiant: hæc & fidiculæ, quia iis rei in equuleo torquentur, vt fides inueniatur.* Addit vir eruditus dictas videri vel à findendo, quaſi findiculas, vel à fodiendo & fodicando, quaſi fodiculas, quod iis reorum latera foderentur, aut etiam finderentur. Sed feram eius verba, *His imprimis adſtipulatur Prudentius hymno 10. periſteph. in Romano, cùm quas vocat fidiculas eaſdem vngulas dicat. ſunt hæc verba Aſclepiadis Iudicis:*

Fidiculæ.

-vertat ictum carnifex
In os loquentis, inque maxillas manum,
Sulcóſque acutos & fidiculas transferat:

Et paulò poſt per fidiculas Aſclepiadem intellexiſſe vngulas, quas mox auctor ſubdit, declarat his verſibus:

Implet iubentis dicta lictor improbus,
Charaxat ambas vngulis ſcribentibus
Genas, cruentus & ſecat faciem notis.

Sed penes lectorem eſto iudicium. Ego certè etiamſi concederem vngulas Prudentij & Iſidori æuo fidiculas fuiſſe dictas (quamquam nihil admodum conuincit:) non poſſem tamen de vngulis illis ferreis explicare, quæ de fidiculis ſcriptores claſſici & antiqui prodiderunt. vt Valerius Maximus lib. 3. cap. 3. de Theodoro: *Rupit ergo verbera, fidiculas laxauit, ſoluit equuleum, laminas extinxit priùs, quàm efficeret vt tyrannidis conſcios indicaret.* Quintilianus declam. vltima: *Ideo enim equuleos monebam artifex ſenex, tenebam fidiculas ratione ſæuitiæ, vt leniter ſedibus ſuis remota compago per ſingulos artus membra laxaret.* Ex quibus vides fidiculas vſui fuiſſe, non vt latera fodicarent & ſulcarent, ſed vt equuleum contenderent, & artuum commiſſuras equulei contentione laxarent. omitto Suetonium in Tiberio, qui fidiculas pro paruis fidibus vſurpat, vt nec ipſe Baronius diffitetur. Gregorius certè Nazianzenus priore in Iulianum: Πιέσμασι ταῖς κνήμας ἐθλίζετο μέχρις ὀστέων αὐτῶν λίνοις τὰ ὦτα διετείνετο, καὶ τούτων τοῖς στερροτάτοις καὶ λεπτοτάτοις, σαργάνῃ πρὸς ὕψος αἰρόμενος. *Tibiæ terebantur ad oſſa ipſa vinculis, iiſque firmiſſimis, & tenuiſſimis, cum reticulo in altum tolleretur.* Quid quod vngulæ illæ biſulcæ videntur nouitium fuiſſe inuentum in Chriſtianos, nec vllam huius hominis ante Traiani tempora reperias mentionem, cùm frequenter ſtimulos, fidiculas, laminas, ignes, & alia quæſtionum inſtrumenta ſcriptores appellent? Quid quod nec extendi potuit corpus, aut alligari ſine funibus & fidibus, quas niſi fidicularum nomine appellent, mirum eſt ab auctoribus omnino reticeri? Sed hæc dicta ſint, non tam quod velim Baronium virum longè doctiſſimum reprehendere, quàm Sigonium de litteris etiam bene meritum defendere. Tantùm illud dico: Mirus eſt planè, Baronius: mirior tamen fuerat ſi minùs Græcorum ſcriptorum interpretibus crediṁiſſet.

Idem deſcribit equuleum hoc pacto, vt fuerit *Erectus ſtipes validus & cochleatus, qui tranſuerſum habeat lignum, quod intendatur ac remittatur, ad quod ligata membra diſtendantur, tortoris arbitrio.* Sed iam nos ſuperiùs oſtendimus, quid nobis tum de cochleâ, tum de ipsâ machinâ probabile videatur.

Homines autem ad equuleum deligatos, vt extorquerent veritatem variis modis inſuper cruciabant. nam & flagris lacerabant, & vngulis latera ſulcabant, & candentes laminas, picem liquidam, tædas ardentes admouebant, & ignem ſub pedibus pendentium excitabant, & ſtimulis pungebant, & carptim vellicebant. de ſingulis pauca dicemus. De his Lucretius:

Verbera, carnifices, robur, pix, lamina, tædæ.

Et Plautus in Aſinaria ſc. *perfidiæ.*

Scapularum confidentia, virtute armorum freti,
Aduerſum ſtimulos, laminas, crucéſque, compedéſque, &c.

Vbi ſine dubio per *cruces*, equuleos ipſos intelligit: nam oſtendit Leonidas ſe hæc omnia tormenta iam eſſe expertum.

De verberibus in quæſtione Fabius declam. 18. *At tu, pro nefas! verberibus, ignibus, & tota crudelitatis arte ſcrutaris rem, de qua non deberes interrogare ſeruos, de qua vernilium quoque corporum patientiam petulanter excuteres.* Et, *Excedit omnem immanitatem, filium ideo torquere vt ſcias an innocens torqueatur. vnicum pater ignibus verberibúſque interrogas?* &c. & ſequenti decl. *Verbera ignéſque animum pariter vocémque eluſerunt.* (Verbera.) Prudentius periſteph. hymno 1.

Illa virgas & ſecures & biſulcas vngulas
Vltro fortis expetebat.

Item:

Verberum poſt vim crepantum, poſt catuſtas igneas. Et:
Audias, nec tortor adſtat, eiulatus flebiles,
Scinditur per flagra corpus, nec flagellum cernitur.
Creſcit & ſuſpenſus ipſe vinculis latentibus.

De vngulis iam multa: Prudentius in Eulalia:

Nec mora, carnifices gemini
Iuncea pectora dilacerant,
Et latus vngula virgineum
Pulſat vtrimque, & ad oſſa ſecat
Eulaliâ numerante notas.

Idem in Romano:

-ſponte nudas offerens
Coſtas biſulcis exarandas vngulis.

Ibidem longè pulcherrimè:

(Vngulæ.)
Scindunt vtrumque milites teterrimi
Mucrone hiulco penſilis latus viri,
Sulcant per artus longa tractim vulnera,
Obliqua rectis, recta tranſuerſis ſecant,
Et iam retectis pectus albet oſſibus.

Idem in Hippolyto:

Vngula fixa canis coſtar::m cratibus altos
Pandere ſeceſſus & lacerare iecur.

Ammianus 14. *Sulcatis lateribus, mortíſque metu admoto.* atque has vngulas Græci ὄνυχας & ἀμυντήρια nominarunt: Sozomenus lib. 5. hiſtoriæ, (ὄνυχας. ἀμυντήρια.) Ἐπὶ πολὺ τοῖς ὄνυξι πληττόμενος, οὐχ ἡττήθη τῶν βασάνων. *Vngulis diu multúmque percuſſus, non ſuperatus eſt tormentis.* Phileas apud Euſebium lib. 8. hiſt. c. 10. ΟΥ καθάπερ τοῖς φονεῦσιν ἐπὶ τῶν πλευρῶν μόνον, ἀλλὰ καὶ τὴν γαστέρα, καὶ κνημῶν, καὶ παρειῶν τοῖς ἀμυντηρίοις ἐκόλαζον. *Non ſolùm vt homicidis latera, ſed venter, crura, genæ vngulis ſulcabantur.* Atque hos vngularum ſulcos ὤτειλα τὰ ἀπὸ τῶν πληγῶν appellat. ſed putidum ſit omnia quæ dici poſſunt de vngulis huc conglobare, cùm præſertim, vt prædiximus, nouitium in Chriſtianos inuentum eſſe videatur.

(Candentes laminæ.) Candentium laminarum, ignium, picis & tædarum vſus antiquior, vt liquet è citatis Plauto & Lucretio. Marcus Tullius Verrina 7. *Quid cùm ardentes laminæ, ceteríque cruciatus admouebantur.* Fabius declamat. 18. *Laminas accendis, equuleos moues*, &c. Item: *Vt amplectaris peruſta vitalia, & laceri pectoris vulnera pietati rurſus admoueas.* Hieronymus de muliere ſepties icta: *Crines ligantur ad ſtipitem, & toto corpore ad equuleum fortiùs alligato, vicinus pedibus ignis apponitur, vtrumque latus carnifex fodit, nec papillis dantur induciæ.* quod tormentum propter aſperitatem extremum nominabant. Prudentius de S. Eulalia:

(Vltima carnificina.)
Vltima carnificina dehinc,
Non laceratio vulnifica,
Crate tenus, nec arata cutis,
Flamma ſed vndique lampadibus
In latera, ſtomachúmque furit.

Et de Sancto Vincentio:

Tùm deinde cunctatus diu
Decernit extrema omnium
Igni, grabato, & laminis
Exerceatur quæſtio.

Lugdunenſis clerus apud Euſebium lib. 5. cap. 1. Ὁπότε μηδὲν εἶχον ὃ ποιήσωσιν αὐτῷ, τὸ τελευταῖον χαλκᾶς λεπίδας διαπύρους προσεκόλλων τοῖς τρυφερωτάτοις μέλεσι τοῦ σώματος αὐτοῦ. *Poſtquam tortores quod ipſi facerent, reliqui nihil habebant, ad poſtremum æreas ſquamas ignitas molliſſimis quibuſque corporis partibus applicabant.* Profert Baronius & Cyprianum lib. de lapſis. *Nunc equuleus extenderet, nunc vngula effoderet, nunc flamma torreret.* Et Auguſtinum epiſt. 59. ad Marcellinum: *Non extendente equuleo, non ſulcantibus vngulis, non vrentibus flammis*, &c. Martyrologium Romanum paſſim, vt 30. Decembris: *Primùm equuleo ſuſpenſi, deinde fuſtibus grauiter mactati, poſtea vngulis abraſi, & laterum exuſtione aſſati.* Hiſpanus Cornelius apud Senecam libro 2. controu. 6. *Aſſiduè tormenta variantur, accenduntur extincti ignes.* Iunius Gallio: *Inſtabat tyrannus: Torque illa pars etiam poteſt ſubiici in ignes, in illa parte iam exaruit cruor: ſeca, verbera, oculos lancina.* Papyrius Fabianus: *Extincti ſanguine refouebantur ignes.* Immo vt grauior doloris morſus exiſteret, vngulis etiam candentibus latera fodicabant. Prudentius de S. Vincentio:

-Et ſtridentibus
Laniatur vncis denuò.

Videntur etiam nonnunquam in quæſtionibus tunica moleſta cruciati, de qua Iuuenalis Sat.

Auſi quod liceat tunica punire moleſta.

quam Seneca epiſt. 14. graphicè deſcribit: *Illam tunicam alimentis ignium & illitam & intextam.* (Tunica moleſta.) Eæ cùm non ſemper mortem afferrent, potuerunt quæſtionibus adhiberi. Tertullianus libro ad martyres: *Iam & ad ignes quidam ſe auctorauerunt, vt certum ſpatium in tunica ardente conficerent.*

Stimulis etiam pungebant & lancinabant. vt paulò antè Plautus: *Aduerſum ſtimulos, laminas cruceſque.* (Stimuli.) Qui videtur à Seneca tribularia nuncupari. 3. de ira. *Torſerat per omnia quæ in reum natura triſtiſſima ſunt, fidiculis, tribularibus, & equuleo, igne, vultu ſuo.*

Carptim miſeros vellicabant forcipibus etiam fortaſſe candentibus. (Vellicatio.) M. Tullius in paradoxis de Attilio Regulo: *Cùm corpus eius carperetur, carpi certè ipſe non potuit.*

Omitto & alia genera quæſtionum, vt cippos quos toti corpori apprimebant, taxillos quibus digiti comprimuntur, cuneos qui mediis tibiis compreſſis magna vi adiguntur, cothurnos vel ſolea candenti ſuffultos, clauíſque ſuffixos, vel, vt etiamnum apud aliquos vſu receptum eſt, oleo reſináque feruente oppletos, funiculos ſiue fidiculas nodoſas fronti & temporibus adſtrictas, pœnalem illam apud milites machinam, quam vulgo *aſtrapade* appellant, ſic dictam opinor à Græco ἀςραβὴς, quod ea corpus curuetur, item illam Sinenſium tabulam rotundam, & latā, quæ vt author eſt Noſter Trigautius ſuis rerum Sinicarum

carum commentariis, collo inſeritur, & ita circumſtruitur, vt nec cibum capere poſſint, nec ori manum admouere. Omitto etiam illud mantile quod in fauces immittitur, & cum aliqua conuulſione inteſtinorum extrahitur. neque enim exiſtimo calamum hic diutius eſſe torquendum, cùm æuo Ciceronis quæſtiones vel ſolo, vel penè ſolo equuleo & membrorum extenſione exercitæ fuiſſe videantur. Adde tamen Ariſtophanem in Ranis:

Καὶ πῶς βασανίζω;
Πάντα τρόπον, ἐν κλίμακι,
Δήσας, κρεμάσας, ὑστριχίδι μαστιγῶν, δέρων,
Στρεβλῶν, ἔτι τε ταῖς ῥῖνας ὄξος ἐγχέων,
Πλίνθους ἐπιθεὶς, πάντα τἆλλα πλὴν πράσῳ
Μὴ τύπτε τοῦτον, μηδὲ γητείῳ νέῳ.
At quomodo rem quæram ex ipſo?
Omni modo
Scalæ alliga, ſuſpende, loris perdoma,
Cæde, rape, torque, naribus acetum ingere,
Lateres admoue, & omnia tenta; ſolummodo
Ne porro, neu recenti gitio feri.

Syneſius ep. 58. Ἄτοπα κολαστηρίων ὀργάνων γένη καὶ σχήματα. *Horrenda ad carnificinam inſtrumentorum genera ac formas.* his verbis enumerat, Δακτυλήθρας, καὶ ποδοστράβην, καὶ πιεστήριον, καὶ ῥινολαβίδα, καὶ ὠτάγρας, καὶ χειλοστρόφιον. *Digitale, pedum diſtortorium, prælum & naſi preſſorium, & auribus, ac labris diſtrahendis forcipes.* Sed, vt in re tam auſtera nonnihil elegãtius adferamus, nota eſt Nabidis Tyranni Lacedæmoniorum Apega è libro Polybij 13. Κατεσκευάσατο δὲ καί τινα μηχανήν, εἰ μηχανὴν ταύτην χρὴ λέγειν. ἦν γὰρ εἴδωλον γυναικεῖον, πολυτελέσιν ἱματίοις ἠμφιεσμένον, κατὰ δὲ τὴν μορφὴν εἰς ὁμοιότητα τῇ τοῦ Νάβιδος γυναικὶ διαφόρως ἀπειργασμένον, &c. *Idem Nabis machinam quoque, ſi tamen machina eſt dicenda, talem ſtruxerat. Simulacrum muliebre erat pretioſis veſtibus adornatum formæ ſimilitudine Nabidis vxorem arte eximia referens. Quoties ciuium aliquos tyrannus ad ſe vocabat, vt pecuniis eos emungeret, principio longa oratione, eáque perbenigna ipſe compellabat: periculum quod regioni & vrbi etiam ab Achæis imminebat, ob oculos ponebat: quantum ſtipendiariorum numerum ſalutis ipſorum cauſſa aleret, ſignificabat, quantos in ſacris procurandis aut publicis negotiis ſumptus faceret. Euiſmodi ſermonibus ſi qui audiebant, commouerentur, ad deſtinata exequenda hoc illi ſatis erat. Sin aliqui eſſent, qui pecunias pendere recuſantes, iuſſa capeſſere detrectarent, in hæc tum verba Tyrannus erumpebat: Equidem fortaſſe, quod cupio, perſuadere tibi non valeo: Apegam verò hanc (id nomen Nabidis coniux habebat) puto tibi perſuaſuram.* Καὶ ταῦτ' ἔλεγε, καὶ παρῆν, ὃ μικρῷ πρότερον ἔλεγον εἴδωλον. καὶ δεξιωσάμενος, ἐπειδὰν ἐκ τῆς καθέδρας ἀνέστησε τὴν γυναῖκα, καὶ περιέπτυξε ταῖς χερσί, προσηγάγετο κατὰ βραχὺ πρὸς τὰ στέρνα. τοὺς δὲ πήχεις εἶχε καὶ τὰς χεῖρας πλήρεις σιδηρῶν γομφῶν ὑπὸ τοῖς ἱματίοις. ὁμοίως δὲ καὶ τοὺς μαστούς. ὅταν οὖν προσερείσῃ τὰς χερσὶ πρὸς τὰ νῶτα τῆς γυναικός, κἄπειτα διὰ τῶν ὀργάνων ἑλκόμενον, ἐπιτείνει καὶ προσάγει πρὸς τοὺς μαστούς, κατ' ἐλάχιστον πᾶσαν ἠνάγκαζε φωνὴν προΐεσθαι τὸν πιεζόμενον. *Simul hæc ille dicebat, & ſtatim aderat ſimulacrum, de quo ſumus locuti. Tum autem Tyrannus vbi de ſede ſua mulierem excitaſſet, per ſpeciem comitatis dexteram prehendens, vtraque manu collocutorem amplectebatur, ac paullatim ad pectus admouebat. Erant autem illi cubiti & brachia ferreis clauis plena, quos veſtis occultabat. Similiter etiam in mammis infixos habuit clauos. Quando igitur brachia impreſſerat dorſo mulieris, mox organis quibuſdam attractum intendebat, & paullatim ad mammas adducens eum, qui premebatur, omne genus voces cogebat edere.* Apega Nabidis.

AXIOMA.

Facti in equuleo quæſtio eſt, iuris in iudicio.

ARGVMENTVM.

Probat auctoritate Catonis, quod ſuperiùs aſſumpſerat, reprehendendum potiùs Milonem eſſe, quòd parum amplis præmiis affecerit ſeruos, quàm quòd eos manumiſerit, & exaggerato eorum beneficio Milonis gratitudinem oſtendit.

DIXIT enim hic idem, qui omnia ſemper conſtanter, & fortiter, M. Cato: dixítque in turbulenta concione, quæ tamen huius auctoritate placata eſt: non libertate ſolùm, ſed etiam omnibus præmiis digniſſimos fuiſſe, qui domini caput defendiſſent. quòd enim præmium ſatis magnum eſt tam beneuolis, tam bonis, tam fidelibus ſeruis, propter quos viuit, etſi id quidem non tanti eſt, quàm quòd propter eoſdem non ſanguine, & vulneribus ſuis crudeliſſimi inimici mentem oculóſque ſatiauit. quos niſi manumiſiſſet, tormentis etiam dedendi fuerunt conſeruatores domini, vltores ſceleris, defenſores necis? Hic verò nihil habet in his malis, quòd minùs moleſtè ferat, quàm, etiam ſi quid ipſi accidat, eſſe tamen illis meritum præmium perſolutum. LIX.

EXPLANATIO.

DIXIT ENIM.] Auctoritate Catonis rem confirmat, & tum à Catonis grauitate, tum à loco & tempore ſuam probationem exaggerat. & ex eo maximè quòd dicens Milonis ſeruos omni eſſe præmio digniſſimos concionem turbulentam placarat, quæ profectò placata non fuiſſet, niſi Catoni dicenti credidiſſet.

IN TVRBVLENTA CONCIONE.] Aſconius in præfatione: *Inter primos & Qu. Pompeius & C. Salluſtius, & T. Munatius Plancus Trib. pleb. inimiciſſimas conciones de Milone habebant, inuidioſas etiam de Cicerone, qui Milonem tanto ſtudio*

defenderet. Cuius autem concionem, & quo die Cato ſua auctoritate placauerit, adhuc quærendum eſt.

QVOD ENIM.] probat ratione quòd aſſumpſerat.

Nullum ſatis eſt præmium ſeruis qui domino vitam ſeruarunt.

Sed ſerui Milonis domino vitam ſeruarunt.

Ergo, &c.

PROPTER QVOS.] Per quos, quorum opera vita Miloni ſeruata eſt.

ET SI QVIDEM.] Non tanti æſtimat Milo vitam ſuam à ſeruis ſuis eſſe ſeruatam, quàm quòd Clodij crudelitatem ſua morte non expleuit & ſatiauit. Etſi enim vir fortis & magnanimus mortem contemnit, magnopere tamen cauet ab inimicis ſuis interfici, ne ipſos ſua morte oblectet.

QVOS NISI.] Niſi Milo ſeruos ſuos libertate donaſſet, quæſtioni dedendi fuerunt. Siquidem, vt nos docet Aſconius in præfatione, cùm Pompeius, *Summâ celeritate præſidium comparaſſet, poſtulauerunt apud eum familiam Milonis, itē Fauſtæ Vxoris eius exhibendam, duo adoleſcentuli qui Appij Claudij ambo appellabãtur, qui erant C. Claudij filij, qui frater fuerat Clodij, & ob id patrui ſui mortem velut authore fratre perſequebantur. Eaſdem Fauſtæ & Milonis familias poſtulauerunt duo Valerij Nepotes, & Leo. & L. Herennius Balbus.*

DEFENSORES.] Prohibitores & propulſatores necis, quam Miloni Clodius inferebat.

HIC VERÒ.] Quia ſuperiùs ſic egerat, vt negaret ſatis amplum præmium ſeruis Milonis eſſe perſolutum, ne Milonem ingrati animi accuſare videatur, gratitudinem Milonis oſtendit, ex eo quòd præmia iis dederit, quàm pro ratione temporis poterat, ampliſſima, ſéque, licet damnetur, conſolaturus ſit videns aliquod præmium eorum meritis eſſe perſolutum.

NOTÆ.

1. SEMPER CONSTANTER.] vel in pueritia: adferamus Plutarchi locum in eius vita, ne vulgaria reſpuere videamur. Poppedius Silo petierat à Catone puero, vt Italos ius ciuitatis petentes apud Liuium Druſum auunculum ſuum adiuuaret, & iam Cæpio frater Catonis annuerat: Μὴ φθεγγομένου δὲ τοῦ Κάτωνος, ἀλλὰ τῇ σιωπῇ καὶ τῷ προσώπῳ δοκοῦντος ἀπολέγεσθαι τὴν δέησιν, ἀράμενος αὐτὸν ὁ Πομπαίδιος ὑπὲρ θυρίδος, ὡς ἀφήσων, ὁμολογεῖν ἐκέλευσεν, ἢ ῥίψειν ἔφασκεν. ἅμα τῇ τε φωνῇ τραχυτέρᾳ χρώμενος, καὶ ταῖς χερσὶν ἀπηρτημένον τὸ σῶμα πολλάκις ὑπὲρ τῆς θυρίδος κραδαίνων· ἐπεὶ δὲ πολὺν χρόνον οὕτω διεκαρτέρησεν ὁ Κάτων ἀνέκπληκτος, καὶ ἀδεής, καταθέμενος αὐτὸν ὁ Πομπαίδιος ἡσυχῆ πρὸς τοὺς φίλους εἶπεν. Οἷον εὐτύχημα τῆς Ἰταλίας ὁ παῖς οὗτός ἐστιν. εἰ δ' ἀνὴρ ἦν, μίαν οὐκ ἂν οἶμαι ψῆφον ἡμῖν ἐν τῷ δήμῳ γενέσθαι. *Cùm nihil Cato loqueretur, ſed ſilentio & vultu ſe petitionem aſpernari oſtenderet, extollens eum Poppedius ad feneſtram, quaſi demiſſurus, iubebat annuere, aut ſe proiecturum eſſe dicebat, ſimul aſperiore voce vtens, & manibus ſublatum corpus frequenter ſuper feneſtram concutiens, poſtquàm verò longo tempore Cato perſeuerauit intrepidus, deponens eum Poppedius amicis præſentibus ſubmiſſa voce dixit. O fœlicem Italiam huius pueritiâ. ſi iam vir eſſet, ne vnum quidem, vt arbitror, obtineremus in comitiis populi Romani ſuffragium.* Quorſum iſta tam multis? inquies. quod tibi diſplicet, forſan alius non improbabit.

Catonis conſtantia.

HVIUS AUCTORITATE PLACATA EST.] Huc vulgo referunt interpretes illud primi Æneidos:

Ac veluti magno in populo cùm ſæpè coorta eſt
Seditio, &c.

Poſſent multa huiuſmodi exempla proferri. Lucianus in vita Demonactis: Στάσεως δέ ποτε Ἀθήνησι γενομένης, εἰσῆλθεν εἰς τὴν ἐκκλησίαν. καὶ φανεὶς μόνον σιωπᾶν ἐποίησεν αὐτούς· ὁ ἰδὼν ἤδη μετεγνωκότας, οὐδὲν εἰπὼν καὶ αὐτὸς ἀπηλλάγη. *Seditione Athenis concitata venit in concionem, ſoláque ſui præſentia, ſilentium impoſuit. & ille cùm eos iam in meliùs mutatos aduerteret, ne verbo quidem facto diſceſſit.* Philoſtratus in vita Apollonij Tyanei (qui ſibi quinquennale ſilentium indixerat) lib. 1. cap. 11. Cùm Aſpendenſes in ſumma fame cum tædis & facibus ad cremandas Magiſtratus ædes concurrerent: Μετεστράφη τι εἰς τοὺς παρεστηκότας ὁ Ἀπολλώνιος, καὶ ἔνευσεν ὡς χρὴ ἀκοῦσαι. οἱ δ' οὐ μόνον ἐσιώπησαν ὑπ' ἐκπλήξεως τῆς πρὸς αὐτόν, ἀλλὰ καὶ τὸ πῦρ ἔθεντο ἐπὶ τῶν βωμῶν τῶν αὐτόθι. *Conuerſus ad circunſtantes Apollonius, vt magiſtratus excuſationes audirent nutibus admonuit, illi autem reuerentiâ viri, & quodam quaſi horrore perculſi non modò ſiluerunt, verùm etiam ignem quem ferebant, in proximam aram depoſuerunt.* Vide. locus planè dignus qui conſulatur. Libet exemplum è politicis impij ſcriptoris producere: Florentia ſuperiore ſeculo in duas diſtracta fuerat factiones, quam altera *Frateſchi*, altera *arRabiati* diceretur. Gliſcente diſcordia ad manus ventum, Frateſchi ſuperati. Victores Arrabiati, Pagolantonij Soderini, qui factionis alterius Princeps fuerat, ædes oppugnaturi conuolant: at cùm iam propè abeſſet incendium, Franciſcus Pagolantonij frater, tum Volaterranus Epiſcopus, poſtea Cardinalis in epiſcopali ſpectanaus infula, graſſantibus occurrit, eóſque vel ſolâ præſentiâ, vel partâ meritis auctoritate, vel oris ipſius maieſtate ſic placauit, vt quieti domum quiſque ſuam ſeceſſerit. Tacitus primo annalium de Druſo Tiberij filio qui miſſus fuerat, vt Pannonicam ſeditionem compeſceret: *Stabat Druſus ſilentium manu poſcens: illi quoties oculos ad multitudinem retulerant, vocibus truculentis ſtrepere: rurſum viſo Cæſare trepidare.* Item: *D. Iulius ſeditionem verbo vno compeſcuit, Quirites vocando, qui ſacramentum eius detrectabant. Diuus Auguſtus vultu & aſpectu Actiacas legiones exterruit.* Plurimùm tamen huiuſmodi turbæ non ſolâ grauium virorum præſentia, ſed etiam oratione mitigantur. vnde Maro:

Seditiones ſola magnorum virorum præſentia compreſſæ.

Ille regit dictis animos & temperat iras.

Heſiodus in Theogn. cùm dixiſſet de Muſa Calliope:

Ἡ γὰρ καὶ βασιλεῦσιν ἅμ' αἰδοίοισιν ὀπηδεῖ.
Calliope Auguſtos reges comitatur euntes.

Subiecit verſu 85.

Τοῦ δ' ἔπ' ἐκ στόματος ῥεῖ μείλιχα. οἱ δέ νυ λαοὶ
Πάντες ἐς αὐτὸν ὁρῶσι διακρίνοντα θέμιστας
Ἰθείῃσι δίκῃσι· ὁ δ' ἀσφαλέως ἀγορεύων
Αἶψά τε καὶ μέγα νεῖκος ἐπισταμένως κατέπαυσε.
Melleus ore fluit ſermo, populique frequentes
Intendunt oculos in eum, dum iudicat, æquam
Iuſtitiæ certos librans examine lancem,
Ille regit dictis animos ſedátque tumultum.

Eloquentia ſeditiones placat.

à quo non abludit Perſius Sat.

Ergo vbi commota feruet plebecula bile,
Fert animus calidæ feciſſe ſilentia turbæ
Maieſtate manus, quid deinde loquere? Quirites,
Hoc puto non iuſtum eſt: illud bene, rectius illud.

Plutarchus in præceptis politicis, tùm multa habet in hanc ſententiam, tùm iſtud: Τὸν μὲν δὴ λύκον οὔ φασι τῶν ὤτων κρατεῖν, δῆμον δὲ καὶ πόλιν ἐκ τῶν ὤτων ἄγειν δεῖ μάλιστα. *Lupum aiunt auribus non tenendum: at populus & ciuitas vel maximè auribus ducendus eſt.* Atque adeo turbulentam hanc concionem Cato oratione ſua placauit: quamquam ſola tam grauis viri præſentia vim non mediocrem obtinebat. Quantæ enim maieſtatis id fuit, quod refert Valerius lib. 2. cap. 5. *Eodem ludos Florales, quos Meſſius Ædilis faciebat, ſpectante, populus vt mimæ nudarentur poſtulare erubuit: quod cùm ex Fauonio amiciſſimo ſibi vna ſedente cognouiſſet, diſceſſit è theatro, ne præſentia ſua ſpectaculi conſuetudinem impediret, quem abeuntem ingenti plauſu populus proſecutus, priſcum morem iocoſum in cœnam reuocauit, confeſſus ſe plus maieſtatis illi vni tribuere, quàm vniuerſo ſibi vindicare.* Quid deinde quod refert M. Tullius 4. ad Attic. epiſt. 14. *Tribunitij candidati iurarunt ſe arbitrio Catonis petituros. apud eum H. S. quingena depoſuerunt, vt qui à Catone damnatus eſſet, id perderet & competitoribus tribueretur*, &c. Subdit: *Tota comitia perſcribam: quæ ſi, vt putantur, gratuita fuerint, plus vnus Cato potuerit, quàm omnes quidem Iudices.* quod factum tradit Plutarchus, & vnum qui largitionem fecerat iudicio Catonis eſſe damnatum: Ἀλλ' ἐκεῖνοι μὲν ἐπαινέσαντες αὐτοῦ τὴν ὀρθότητα, καὶ θαυμάσαντες, ἀνεῖλον τὸ πρόστιμον. *Sed cæteri candidati laudantes & admirationi habentes Catonis æquitatem, multam impoſitam remiſerunt.* Atque, vt liquidiùs videas quanta fuerit Catonis auctoritas, teſtis eſt idem Plutarchus in eius vita: Ῥήτορα μὲν δίκῃ τινὶ μαρτυρίας μιᾶς φερομένης, εἰπεῖν πρὸς τοὺς δικαστάς, ὡς ἑνὶ μαρτυροῦντι προσέχειν, οὐδὲ Κάτωνι, καλῶς ἔχει. πολλοὺς δ' ἤδη περὶ τῶν ἀπίστων καὶ παραδόξων, ὥσπερ ἐν παροιμίᾳ τινὶ λέγειν, ὅτι τοῦτο μὲν οὐδὲ Κάτωνος λέγοντος πιθανόν ἐστι. *Oratorem certum quadam actione vnico teſte producto, dixiſſe iudicibus, vnico teſti, ne Catoni quidem eſſe credendum. & multos iam de rebus incredibilibus & fidem excedentibus prouerbij loco dicere, id probabile non eſſe ne ſi Cato quidem ipſe diceret.* Hinc illud ſatyrici Sat. 3.

Catonis auctoritas.

-Habeat iam Roma pudorem
Tertius è cœlo cecidit Cato.

Vide Senecam paſſim & Plinium Iuniorem ep. 12. lib. 3. *Quem tamen C. Cæſar ita reprehendit vt laudet, deſcribit enim eos quibus obuius fuerat, cùm caput ebrij retexiſſent, erubuiſſe, deinde adiicit, Putares non ab illis Catonem, ſed illos à Catone deprehenſos. potuítne plus authoritatis tribui Catoni, quàm ſi ebrius quoque tam venerabilis erat.* Verúmne retulerit Cæſar non inquiro, eum ſanè Tullius ait impudenter in Anticatone & non ſemel eſſe mentitum. & Plutarchus cùm ex eodem libro, ſine Cæſaris aut libri nomine, calumniam aliam protuliſſet, adiecit: Οὕτως οὐ τῷ ξίφει μόνον, ἀλλὰ καὶ τῷ γραφείῳ τὸ ἀνυπεύθυνον καὶ ἀνυπόδικον ἐπίστευεν. lego, τὸ ἀνυπεύθυνον καὶ ἀνυπόδικον ἐπίστευεν ἔχειν. *Ita non ſolùm gladio, ſed etiam ſtylo ſe impunitatem & immunitatem à reddenda ratione habere credebat.* Sed quicquid ſit, luculenta eſt vel ab hoſte, huius, de qua loquimur, auctoritatis extorta confeſſio, vt mirum non ſit ſeditiones ab eo fuiſſe placatas. quod etiam teſtatur Plutarchus aliàs obtigiſſe: Ἕωθεν οὖν ἐπὶ τὸ βῆμα τοῦ Κάτωνος προελθόντος ἀθρόοι προσπεσόντες ἐβόων, ἐβλασφήμουν, ἔβαλλον. ὥστε φεύγειν ἀπὸ τοῦ βήματος ἅπαντας, αὐτὸν δὲ ἐκεῖνον ἐξωσθέντα τῷ πλήθει καὶ παραφερόμενον μόλις ἐπιλαβέσθαι τῶν ἐμβόλων. ἐνταῦθα ἀναστὰς τῷ μὲν ἰταμῷ καὶ θαρροῦντι τῆς ὄψεως, εὐθὺς ἐκράτησε τοῦ θορύβου, καὶ τὴν κραυγὴν ἔπαυσεν. εἰπὼν δὲ τὰ πρέποντα καὶ μεθ' ἡσυχίας ἀκουσθείς, παντάπασι διέλυσε τὴν ταραχήν. *Mane igitur Catone ad roſtra prodeunte confertim irruentes vociferabantur, conuitiabantur, lapides iaciebant, adeò vt omnes è roſtris profugerint: ipſe verò multitudine depulſus, & in varias partes circumlatus vix roſtra apprehenderit. Inde ſurgens vultûs audacia, ſtatim tumultum ſuperauit, clamorémque ſedauit. Dictis autem quæ tempori conueniebant, & quietè auditis, turbulentam ſeditionem omnino diſſoluit.* Sed nihil eſt quod magis Catonis auctoritatem oſtendat, quàm quod Lucanus libro 1. eum etiam Diis ipſis opponit verſu 226.

-Quis iuſtiùs induit arma
Scire nefas, magno ſe iudice quiſque tuetur
Victrix cauſſa Deis placuit, ſed victa Catoni.

QVOD ENIM PRÆMIVM.] Hoc loco inſtitui poſſet quæſtio quam Seneca libro 3. de beneficiis à capite decimo octauo ad trigeſimum fusè tractat, AN BENEFICIVM DARE SERVVS DOMINO POSSIT. Sed ad eum te remitto, ad Valerium libro 6. cap. 8. ad Appianum libro 4. de bellis ciuilibus, Dionem libro 47. rurſus ad Senecam epiſt. 47. & alios paſſim.

III. Fidelitas ſeruorum.

NON TANTI EST QVAM QVOD, &c.] Philo contra Flaccum: Διπλοῦν ἐνδεχόμενος κακὸν τὸ μὲν ἥττης γελᾶσθαι πρὸς ἐχθρῶν ἐφηδομένων, ὃ καὶ θανάτου χεῖρόν ἐστι τοῖς εὖ φρονοῦσιν. *Duplex malum recipiens, vt cùm ſuccubuerit, ab inimicis inſultantibus rideatur, quod prudentibus ipſa morte deterius eſt.* Publius Mimus:

IV. Miſerum eſt mori arbitrio inimici.

Bis emori eſt alterius arbitrio mori.

AXIOMATA.

Serui ſunt omni præmio digni qui domini caput defenderint.

Nullum præmium ſatis magnum eſt beneuolis, bonis, fidelibus ſeruis.

Non tanti eſt viuere, quàm non ſanguine & vulneribus ſuis inimicorum mentem oculóſque ſatiare.

ARGVMENTVM.

Confutat quæſtiones quæ habitæ fuerant contra Milonem, oſtendens neque contra Clodium dicentibus fidem eſſe adhibendam, ex eóque concludens multò minùs credendum ii eſſe contra Milonem, quòd in gratiam Clodij facilè mentiri potuiſſent.

LX. SED quæſtiones vrgent Milonem, quæ ſunt habitæ nunc in atrio Libertatis. quibúſnam de ſeruis? rogas? de P. Clodij. quis eos poſtulauit? Appius. Quis produxit? Appius. vnde? ab Appio. Dij boni, quid poteſt agi ſeuerius? de ſeruis nulla quæſtio eſt in dominum, niſi de inceſtu, vt fuit in Clodium. proximè deos acceſſit Clodius, propiùs quàm tum, cùm ad ipſos penetrarat: cuius de morte tanquam de ceremoniis violatis quæritur. Sed tamen maiores noſtri in dominum de ſeruo quæri noluerunt, non quia non poſſet verum inueniri, ſed quia videbatur indignum eſſe, & domini morte ipſa triſtius. in reum de ſeruis accuſatoris cùm quæritur, verum inueniri poteſt?

EXPLANATIO.

SED QVÆSTIONES.] Cùm accuſatores Milonis & Fauſtæ familiam ad quæſtionem poſtulaſſent, Milo ſeruorum præcipuos manu miſit, ne illi quæſtioni ſubderentur. quare Appius Clodius, cùm Milonis ſeruos non impetraſſet, de Clodij ſeruis habuit quæſtionem in atrio Libertatis, id eſt, in aula quadam porticibus circundata ante ædem Libertatis.

QVIBVSNAM.] Hinc infirmatur fides quæſtionis, quod & eſſent ſerui Clodij, & è domo accuſatoris producerentur, & ipſe accuſator haberet quæſtionem. vtitur autem ſubiectione, vt Appij nomen crebriùs repetitum magis in auditorum animis infigatur, & abſurdior queſtionis modus appareat. poſtea Epiphonema ſubiungit eodem penè modo quo 2. Agraria 22.

DE P. CLODII.] Hinc ſeruorum fides eleuatur, quòd facilè in Clodij gratiam mentiri potuerint, & quòd accuſator qui eos produxit, facilè corruperit. familiam ſiue ſeruos poſtulare, eſt petere vt ſubiiciantur quæſtioni. producere eſt exhibere: & quod maximam corruptelæ ſuſpicionem adfert eſt è domo ſua productos exhibere.

DII BONI.] Epiphonema ironicum.

DE SERVIS.] Si præſagire aut liceret, aut liberet, hæc verba, *De ſeruis, &c. morte ipſa triſtius.* tollerem ex hoc loco, & ita ſententiam connecterem. *Quid poteſt agi ſeuerius? in reum de ſeruis accuſatoris.* Et ea verba ad ſect. 58. transferrem hoc pacto: *Hoc quod tormentis inuenire vis id fatemur. De ſeruis nulla quæſtio eſt, &c. morte ipſa triſtius. Manu verò cur miſerit.* Hoc enim pacto clariſſima eſſet mens auctoris, quæ, vt legitur, non parum eſt inuoluta. Sed quoniam vetuſtatis auctoritatem nouellis huiuſmodi coniecturis antepono, me quocunque modo expedire conabor. videtur hunc facere ſyllogiſmum.

Si quæſtio de ſeruis contra dominum haberi non debet, multò minùs debet haberi contra eius inimicos.

Sed quæſtio de ſeruis contra dominum haberi non debet.

Ergo neque contra inimicos. Subſumit.

Atqui Milo fuit Clodio inimicus.

Ergo de ſeruis Clodij quæſtio haberi non debuit contra Milonem.

Sequela propoſitionis oſtēditur hoc ſyllogiſmo.

Præcipuus finis quæſtionum eſt, vt per eas poſſit veritas inueniri.

Sed contra dominos veritas inueniri poteſt, non poteſt contra inimicos.

Ergo multò minùs habenda eſt quæſtio contra dominorum inimicos, quàm contra ipſos dominos.

Iam quod aſſumpſerat, nimirum *contra dominos de ſeruis quæſtionem habendam non eſſe*, probat duplici ratione. altera ab ipſa lege arceſſitur: altera ex eo quòd indignum eſſet & morte ipſa triſtius dominorum vitam, famam & fortunas ſeruorum arbitrio & teſtimonio permitti.

VT FVIT IN CLODIVM.] Duobus modis res poſſet explicari, vt hæc verba vel ad inceſtum, vel ad quæſtionem referantur. ſi ad inceſtum, ſenſus erit. *Nulla quæſtio eſt de ſeruis in dominum niſi de inceſtu, vt aliquando contra Clodium de ancillis habita eſt, cùm eum accuſaret Lucullus inceſtûs cum ſorore ſua commiſſi.* Sin malis ad quæſtionem referre, ſic explicabis: *de ſeruis nulla quæſtio eſt in dominos, quemadmodum de nece Clodij vos habuiſtis, quærentes à ſeruis an Clodius inſidias feciſſet: niſi in ſola cauſſa inceſtus, tunc enim quæſtio de ſeruis haberi poteſt in domini caput: cùm ad huius flagitij probationem, nemo præter domeſticos teſtis eſſe poſſit.* Magis adlubeſcit ad inceſtum referre: quòd ille ſenſus magis cum ſequentib. cohærere videatur.

PROXIME AD DEOS.] Petrus victorius lib. 19. Variarum c. 20. legit ex M. S. & Priſciano *proximè Deos*, extrita præpoſitione. res eſt parui momēti. Iocus autem in eò conſiſtit. Clodius moriens proximè acceſſit ad Deos, quia de eius morte quæſitum eſt ab ipſius ſeruis, tāquam de ceremoniis violatis. & hoc pacto propiùs acceſſit, quàm tū, cùm ad opertū Bonæ Deæ penetrauit P. Clodius cum veſte muliebri. habitu tibicinæ domi C. Cæſaris Cōſulis, cùm in ea domo pro populo fieret, & Bonæ Deæ ſacrificia celebrarentur tum à Veſtalibus, tum à Pompeia Cæſaris Cōſulis vxore, tum ab aliis matronis primariis, excluſo mariū conſortio, per manus ſeruulæ ſeruatus & eductus fuerat. res erat inſigni infamia. accuſatus fuit violatæ religionis, quòd ſtuprum Pompeiæ in ipſis Bonæ Deæ puluinarib. inferre voluiſſet: producti

multi teſtes varias eius libidines, ſtupra, flagitia protulerunt. inter cæteros Lucullus eũ cum Clodia ſorore fuiſſe teſtatus eſt, & ancillas quaſdam teſtes produxit. Iocatur itaq. M. Tullius P. Clodium proximè ad Deos acceſſiſſe, quia quemadmodum cùm illas Bonæ Deæ cerimonias violauit, habitæ ſunt de ancillis Clodiæ contra dominam actiones, ita & de eius morte quaſi de cerimoniis violatis quæſitum eſt.

Cvm ad ipsos penetrarat.] cùm in opertum Bonæ Deæ ſolis mulieribus patens & maribus interdictum ingreſſus eſt.

Verum inveniri potest.] Extorqueri veritatis confeſſio.

I. NOTÆ.

IN atrio.] Libertas inter cæteros Deos etiã ſuum numen obtinebat: quæ ædes habuit in monte Auentino, vt auctor eſt Victor. de cuius Atrio Thomas Dẽpſterus paralipomenis in Roſinum, Marlianus libro 5. topographię cap. ſecundo, aliíque tractarunt. Liuius decadis tertiæ libro quarto loquens de Volonibus qui ob egregiè nauatam contra Pœnos operam libertatem acceperant: *Pileati, aut lanâ albâ velatis capitibus volones epulati ſunt* (Beneuenti;) *accubantes alij, aliíque ſtantes, qui ſimul miniſtrabant, veſcebantúrque: digna res viſu. id ſimulacrũ celebrati eius diei Gracchus* (Tiberius) *poſteaquam Romam rediit, pingi iubet in æde Libertatis, quam pater eius in Auentino ex multatitia pecunia faciendam curauit, dedicauítque.* Poſteà eodem lib. 4. dec. quartæ. *Atrium Libertatis & villa publica ab eiſdem* (Sexto Ælio Pæto, & C. Cornelio Cethego Cẽſoribus) *refecta amplificatáque.* Et tandem ab Aſinio Pollione fuit inſtauratum, vt auctor eſt Trãquillus in Auguſto c. 29. *Multáque à multis extructa ſunt,* &c. *ab Aſinio Pollione atrium Libertatis.* Videtur autẽ hoc atrium Libertatis fuiſſe ingens aula ante Libertatis ædem porticibus & periſtyliis circundata. qualis à Marone deſcribitur 3. diuini operis: (Atrium Libertatis,)

Illos porticibus Rex accipiebat in amplis,
Aulâi in medio libabant pocula Bacchi.

Aulam autem atrium fuiſſe ſuprà iam oſtendimus §. 13. In hoc atrio Libertatis videntur tabulæ cenſoriæ, quibus cenſus populi Romani continebatur, aliquãdo fuiſſe ſeruatæ. Liuius lib. 3. dec. quintæ de C. Clodio Pulchro, & Tib. Sẽpronio Graccho Cenſoribus, quibus à Rutilio Tribunoplebis dies dicta perduellionis fuerat ad populum: *Cenſores extemplo in atrium Libertatis adſcenderunt, & ibi ſignatis tabellis publicis, clauſóque tabulario, & dimiſsis ſeruis publicis, negarunt ſe priùs quicquã publici negotij geſturos, quam iudicium populi de ſe factum eſſet.* Poſtea tamen tabulæ publicæ ab atrio Libertatis ad ædem nympharum tranſlatæ ſunt. infrà 74 *Ædem nympharum incendit, vt memoriam publicæ recenſionis tabulis publicis impreſſam extingueret.* Vide. Nec mirum eſt ibi ſeruatas fuiſſe tabulas cẽſorias, cùm eo loci præcipuas, quaſdam cenſuræ functiones exercuiſſe videãtur. libro 5. decadis proximè citatæ de iiſdem cenſoribus: *Poſtremo eo deſcenſum eſt, vt ex quatuor vrbanis tribubus vnam palam in atrio Libertatis ſortirentur, in quam omnes qui ſeruitutem ſeruiſſent, coniicerent.* Aduertit Dempſterus in hoc atrio Bibliothecam fuiſſe. Ouidius lib. 3. triſtium eleg. 1.

Nec me, quæ doctis patuerunt prima libellis
Atria Libertas tangere paſſa ſua eſt.

Dedicationis huius templi & atrij dies in Idus Apriles incidebat. Ouid. 4. Faſt.

Occupat Aprileis Idus cognomine Victor
Iuppiter, hac illi ſunt data templa die.
Hac quoque, ni fallor, populo digniſsima noſtro
Atria Libertas cœpit habere ſua.

Vnde? ab Appio.] Meritò quæſtionis fidem eleuat, quia Appius ſeruos & apud ſe habuerat, & è domo ſua produxerat. Vlpianus D. de quæſt. refert reſcriptum DD. fratrum, *ad quæſtionem non eſſe prouocandos eos. quos accuſator de domo ſua produxit.* Antiphon de nece Herodis: ἡγοῦμαι δ' ὑμᾶς ἐπίστασθαι τοῦτο, ὅτι ἐφ' οἷς ἂν τὸ πλεῖστον μέρος τῆς βασάνου, περὶ τούτων εἰσὶν οἱ βασανιζόμενοι λέγειν ὅτι ἂν ἐκείνοις μέλλωσι χαριεῖσθαι. ἐν τούτοις γὰρ αὐτοῖς ἐστιν ἡ ὠφέλεια ἄλλως τε κἂν μὴ παρόντες τυγχάνωσιν ὧν ἂν καταψεύδονται. *Neminem veſtrûm ignorare arbitror, quòd ſi apud eos quorum cauſſa quæſtionibus agitur, ij fuerint qui traduntur quæſtioni, ea dicturi ſint quæ ipſis grata fore videantur. Hoc enim ipſis vtile eſt, præſertim ſi non adfuerint ij contra quos mentiuntur.* II. (Ad quæſtionem non vocandi, quos accuſator de ſua domo produxerit.)

De servis nvlla qvæstio est in dominvm.] Pro Deiotaro 3. *Cùm more maiorum de ſeruo in dominum ne tormentis quidem quæri liceat: in qua quæſtione dolor veram vocem elicere poſſet etiam ab inuito: exortus eſt ſeruus qui quem in equuleo appellare non poſſet, eum accuſet ſolutus.* Tacitus tamen ſecundo annalium id non ad morem maiorum, ſed ad S. C. refert: *Quia vetere S. C. quæſtio in caput domini prohibebatur, callidus & noui iuris repertor Tiberius, mancipari publicos actori publico iubet. ſcilicet vt in Libonem ex ſeruis ſaluo S. C quæreretur.* Id tamen iam ab Auguſto fuerat factitatum, ſi fides habetur Dioni lib. 55. vt ante me Lipſius aduertit: Ὅτι δ' οὐκ ἐξὸν ἦν δοῦλον κατὰ δεσπότου βασανισθῆναι, ἐκέλευσεν ὁσάκις ἂν χρεία τοιούτου γένηται τῷ δημοσίῳ αὐτὸν, ἢ καὶ ἑαυτῷ πιπράσκεσθαι, ὅπως ἀλλότριος τοῦ κρινομένου ὢν ἐξετάζηται. *Quia verò fas non erat de ſeruo in caput domini quæſtionem habere, iuſsit, quoties neceſsitas incumberet, eos actori publico, vel ſibi ipſi venundari, vt cùm iam ad reum non pertinerent, de iis quæreretur.* Sed Tacitus & Dione antiquior, & hæc eludendi iuris calliditas ab Auguſti moribus videtur penitus aliena. quod ius etiam ſecuti I. C. vel maximè comprobarunt. Vlpianus D. de quæſt. l. 1. *D. Antoninus, & D. Hadrianus Seruio Sabino reſcripſerunt cùm ſerui pariter cum domino aurum & argentum exportaſſe dicerentur, non eſſe de domino interrogandos. Ne quidem ſi vltro aliquid dixerint obeſſe domino.* & §. 15. *Item Seuerus Spicio Antigonio ita ſcripſit. Cùm quæſtio de ſeruis contra dominos neque haberi debeat, neque ſi facta ſit dicturi ſententiam conſilium inſtruat: multò minùs indicia ſeruorum contra dominos admittenda ſunt.* Vide Marcianum lege *Diuus.* Immo Paulus l. *Vnius, §. Seruus,* commentum illud Tiberij oſtendit vim nullam habuiſſe: *Seruus in caput eius domini, à quo diſtractus eſt, cuique aliquando ſeruiuit, in memoriam prioris dominij interrogari non poteſt.* Quare ſatis vituperari non poteſt Caligula qui ſuper cætera flagitia, laudabilem hunc morem leuiter à Tiberio tentatum peſſundare penitúſque profligare conatus eſt, vt auctor eſt Suidas: Καὶ δουλοκρασίαν νομοθετήσας ἐπέτρεψε κατηγορεῖν τῶν δεσποτῶν εἴ τι ἂν αὐτοῖς εἰδεῖεν πλημμέλημα. κἀντεῦθεν δεινὴ συμφορὰ κατειλήφει τὴν οἰκουμένην πᾶσαν τῶν οἰκετῶν μεγάλαις τιμω- III. (De ſeruis in dom nũ quæ. non poteſt.) (Quod ius eluſit Tiberius.) (Vel ipſe Auguſtus.) (Caligula penitus ſuſtulit.)

εἰκὸς ὑποβαλλόντων τοὺς δεσπότας. *Seruorum dominatum inſtituit, lege lata vt iis dominos accuſare liceret, ſi quod eorum peccatum vidiſſent: & ex eo magna calamitas orbem terrarum inuaſit, cùm ſerui magnis ſupplicijs dominos ſubiicerent.* Sed Caij ſucceſſor Claudius, auctore Dione lib. 6. ἐντυχόντος τινὸς τοῖς δημάρχοις κατὰ τοῦ ἐξελευθερώσαντος αὐτὸν, καὶ ὑπηρέτην ἐπ' αὐτὸν αἰτήσαντος καὶ λαβόντος, ἠγανάκτησε, καὶ ἐκεῖνόν τε τοὺς συμμεταθέντας αὐτῷ ἐκόλασε, καὶ προσέτι καὶ ἀπηγόρευσε, μηδὲ τοῖς οὕτω κατὰ τῶν δεσποτευσάντων αὐτῶν βοηθεῖν, εἰ δὲ μὴ, στέρεσθαι τὴν δίκην αὐτοὺς ἑτέροις λαγχάνειν. *Cùm quidam Tribunos appellaſſet, contra eum à quo manumiſſus fuerat, & in caput eius ſeruum poſtulaſſet, atque adeo impetraſſet, indignatus eſt, & tùm eum tùm ſocios puniuit. & inſuper edixit, ne quis auxilium ferret eis, qui contra dominos aliquid molirentur, & qui opem tuliſſet, is ius alios accuſandi amitteret.* Quare ſapienter Scaurus, ne viam huic flagitio aperiret, vt auctor eſt Plutarchus opuſculo de vtilitate ex inimicis percipienda: Σκαῦρος ἐχθρὸς ἦν τοῦ Δομιτίου καὶ κατήγορος. οἰκέτης οὖν τοῦ Δομιτίου πρὸ τῆς δίκης ἧκε πρὸς αὐτὸν, ὡς ἔχων τι μηνῦσαι τῶν λανθανόντων ἐκεῖνον. ὁ δ' οὐκ εἴασεν εἰπεῖν· ἀλλὰ συλλαβὼν τὸν ἄνθρωπον ἀπέστειλε πρὸς τὸν δεσπότην. loco verſionis afferam verba Valerij lib. 6. cap. 5. vt alterutrius errorem aduertas. nam Plutarchus vt vides Scaurum actorem, Domitium reum facit. Valerius contra poſt Ciceronem oratione pro Deiotaro §. 31. *Cn. Domitius Tribunusplebis M. Scaurum principem ciuitatis in iudicium populi deuocauit,* &c. *Seruus Scauri ad eum noctu peruenit, inſtructum ſe eius accuſationem multis & grauibus domini criminibus promittens,* &c. *duci eum ad Scaurum iuſſit,* &c. Lucius Craſſus, vt idem teſtatur: *Cn. Carbonis nomen infeſto animo, vtpote inimiciſſimum ſibi detulerat: ſed tamen ſcrinium eius à ſeruo illatum ad ſe, complura continens, quibus facilè opprimi poſſet, vt erat, ſignatum, cum ſeruo catenato ad eum remiſit.* Sylla cùm Sulpitium Rufum *in villa latentem, à ſeruo proditum comperiſſet, manumiſſum parricidam, vt fides edicti ſui extaret, præcipitari protinus è ſaxo Tarpeio, cum illo ſcelere parto pileo iuſſit, victor alioquin inſolens, hoc imperio iuſtiſſimus.* Hæc ille. epitome Liuiana lib. 77. refert & Appianus 4. ciuilium, Brutum Patareenſibus edixiſſe, vt pecunias ſuas in medium proferrent, ſtatuto in eos vltimo ſupplicio qui non protuliſſent: Θεράπων δὲ τὸν δεσπότην ἐμήνυσε χρυσίον κρύψαι, καὶ πεμφθέντι λοχαγῷ τὸ χρυσίον ἔδειξεν. ἀγομένων δ' ἁπάντων, ὁ μὲν δεσπότης ἐσιώπα, ἡ δ' ἐκείνου μήτηρ περισώζουσα τὸν υἱὸν εἵπετο, βοῶσα αὐτὴν τὸ χρυσίον κρύψαι, ὁ δ' οἰκέτης οὐδ' ἀνερωτώμενος τὴν μὲν ἤλεγχε ψευδομένην, τὸν δὲ κρύψαντα. καὶ ὁ Βροῦτος τὸν μὲν νεανίαν ἀπεδέξατο τῆς σιωπῆς, καὶ τὴν μητέρα τοῦ πάθους, καὶ μεθῆκεν ἀμφοτέρους ἀπαθεῖς ἀπιέναι τὸ χρυσίον φερομένους, τὸν δ' οἰκέτην, ὡς πέρα τοῦ προστάγματος ἐπιβουλεύσαντα τοῖς δεσπόταις ἐκρέμασε. *Seruus autem quidam aurum à domino abditum prodidit, & centurioni ad id miſſo indicauit. Quúmque omnes domeſtici ducerentur, dominus ſiluit. mater verò illius, vt eum ſeruaret, ſequebatur clamans à ſe aurum abſconditum: ſeruus ſuper ea re non interrogatus, alteram mentiri, alterum aurum celaſſe coarguit. Brutus laudatâ tum iuuenis patientiâ, tum matris pietate, ambos cum auro dimiſit incolumes: ſeruum qui præter æquum heris inſidias ſtruxerat, in crucem egit.*

Claudius reſtituit.

Exempla eorum qui ſeruos contra dominos non audierunt.

IV. NISI DE INCESTV.] *Inceſtus* vel quaſi *incaſtum*, vel quaſi ceſtu Veneris non conciliatum, de quo Veneris ceſtu Homerus Iliad. Nonnus in Dionyſiacis conſulantur, vel quod zonæ ſiue cæſtus virginales qui ſoluebantur à maritis, iuſtè & legitimè non ſoluerentur. Ouidius:

Cui mea virginitas auibus libata ſiniſtris,
Caſtáque fallaci Zona recincta manu.

Inceſtus vnde?

Feſtus inceſtum dici ait, quaſi ἀνήκεστον, inſanabile, nullo tempore expiandum. quemadmodum Plato in Phædone peccata in ἰάσιμα & ἀνίατα diſtinxit, quæ omnia ἀνηκέστων genera à Marone numerantur 6. Æneidos:

ἀνήκεστον.

Si quibus inuiſi fratres
Pulſatúſve parens aut fraus innexa clienti,
Vendidit hic auro patriam. &c.
Hic thalamum inuaſit natæ, &c.

Tullius certè, ni fallor, inceſtus nomine præter concubitum cum affinibus aut conſanguinibus, etiam ſacrilegium cum Veſtalibus, aut cum alijs in loco ſacro, perduellionem, parricidium & alia comprehendit, quibus in flagitiis licebat de ſeruis in dominos habere quæſtionem.

Marcianus D. de quæſt. l. Si quis. *Si quis viduam vel alij nuptam cognatam, cum qua nuptias contrahere non poteſt, corruperit, in inſulam deportandus eſt: quia duplex crimen eſt: & inceſtum, quia cognatam violauit contra fas: & adulterium vel ſtuprum adiungit, denique in hoc caſu ſerui in perſonam domini torquentur.* Valerius libro 6. *M. Antonius,* &c. *inceſti reus agebatur, cuius in iudicio accuſatores ſeruum in quæſtionem perſeuerantiſſimè poſtulabant, quòd ab eo, cùm ad ſtuprum iret, laternam prælatam contenderent.* cur autem in cauſſâ inceſtus neceſſe ſit ſeruos in teſtimonium adhibere, ea videtur cauſſa, quam profert Fabius decl. penult. quia id flagitium tam occultè peragitur, vt ne domeſtici quidem frequenter agnoſcant, nec aliter notum eſſe poſſit, niſi à domeſticis manarit auctoribus. Sed quid prohibet eius verba adducere? *Video cur adulteria proferantur in fabulas, explicantur per miniſteria, per conſcios habent inconſulta gaudia. pars voluptatis videtur eſſe iactatio. facinus verò* inceſti *cui fas eſt vt illud humanæ mentis capiat audacia, circundatur vndique nox profunda, denſior caligo tenebrarum, quòd nocentes ſuis quoque oculis vix fatentur, non ſeruo, non creditur ancillæ. Quid internuntiis, quid opus eſt miniſteriis? ſufficit animus duorum, explicat omne filius matérque ſecretum.* Ea tamen quæſtio recentiore iure videtur fuiſſe ſublata. Vlpianus D. de quæſt. *In inceſto ſeruorum tormenta ceſſant: quia & lex Iulia ceſſat de adulteriis.* Papiniana D. Ad legem Iuliam de adulteriis mediam viam videtur tenuiſſe. l. 35. §. 8. *De ſeruis quæſtionem in dominos inceſti poſtulatos, ita demum habendam reſpondi, ſi per adulterium inceſtum eſſe contractum dicatur.*

In inceſtu ſerui poſtulatur in quæſtionem.

Frequenter etiam inceſtus pro flagitio quo non ſolùm pudicitia, ſed etiam religio violatur, vt de Veſtalibus. Liuius lib. 4. *Poſthumia Virgo Veſtalis de inceſtu cauſam dixit, crimine innoxia, ob ſuſpicionem propter cultum amœniorem ingeniúmque liberius, quàm virginem decet, parum abhorrens famam. Ampliatam, deinde abſolutam pro collegij ſententiâ, Pontifex Maximus abſtinere iocis colíque ſanctè potiùs, quàm ſcitè iuſſit.* Tranquillus in Domitiano cap. 8. *Inceſta Veſtalium Virginum,* &c. *variè ac ſeuerè coërcuit.* Aſconius orat. in Ant. & Catil. *Fabia Virgo Veſtalis cauſ-*

ſam inceſti dixerat. Epitome Liuiana lib 3. dec. 7. *Æmilia, Licinia & Marcia Virgines Veſtales inceſti damnatæ ſunt, idque inceſtum quemadmodum commiſſum*, &c. Iuuenalis ſat. 4.

Inceſtus, cum quo nuper vittata iacebat
Sanguine adhuc viuo terram ſubitura ſacerdos.

Immò inceſtus de quouis ſacrilegio. Horatius in Arte: *Aut triſte bidental Mouerit inceſtus.* Claudian. 3. de raptu. *Quas inceſtauimus aras!* De crimine maieſtatis Modeſtinus D. ad legem Iuliam maieſt. l. famoſi. *Serui quoque deferentes audiuntur, & quidem dominos ſuos, & liberti patronos.* Aliæ etiam cauſſæ referuntur quibus ſeruus in dominum interrogari poſſit. D. de quæſt. l. Extraord. vide Imp. Seuerus & Antoninus. C. de quæſt. l. 1. *Quæſtionem de ſeruis contra dominos haberi non oportet exceptis adulterij criminibus, item fraudati cenſus accuſationibus, & crimine maieſtatis quod ad ſalutem Principis pertinet.* vide. Ammianus lib. 27. *Mancipia ſquallore diuturno marcentia in domini caput ad vſque vltimum lacerabat exitium: quod in ſtupri quæſtione fieri vetuere clementiſſimæ leges.*

V. VT FVIT CLODIVM.] Clodius vtroque ſe inceſtus genere obligarat. nam & cum ſorore ſtuprum admiſerat, & ingreſſus fuerat domum Cæſaris, vt Pompeiæ cum Veſtalibus ſacris operam danti in operto, & ipſis Bonæ Deæ puluinaribus ſtuprum inferret. de Bona Dea tritum eſt. de ſorore Plutarchus in Cicerone. Cicero ipſe pro domo ſua, de haruſpicum reſponſis, infrà §. 74. & alibi paſſim, vt non ſit operæpretium diutiùs hærere.

VI. PROXIME AD DEOS.] Pro Ligario 39. *Homines enim ad Deos nulla re propius accedunt, quàm ſalute hominibus danda.*

VII. Cerimoniæ. TANQVAM DE CERIMONIIS.] Vides hoc loco ſacrilegium inceſtus nomine contineri, & in eo crimine etiam de ſeruis habitam fuiſſe quæſtionem. Feſtus: *Cærimoniarum cauſſam alij ab oppido Cære dictam exiſtimant: alij à caritate dictam iudicant.* Sed Scaligerum audiamus: *Cerus veteri lingua ſanctus, à quo cerimonia, vt à ſanctus ſanctimonia. & myſticum erat nomen Iani Cerus Manus in carmine ſaliari. quamuis & Creator bonus exponatur à quibuſdam veteribus. nonnulli à Cerere Cerimonias. propterea gloſſarium. Cerimonia* Δημήτρεια. libenter à cera deduxerim, quod in ſuis illis cerimoniis cera plurimùm vterentur. vnde Iuuenalis ſat. 10.

Propter quæ fas eſt genua incerare Deorum.

Prudentius lib. 2. contra Symmachum:

-guſtauerat inter
Vagitus de farre molæ, ſaxa illita ceris
Viderat, vnguentóque Lares humeſcere nigros.

Quia nimirum vota ſua idolorum genibus cera affigebant, & quaſi glutinabant. Philoſtratus: αὐτὸ (τὸ ἄγαλμα) ὁ χρόνος, καὶ νὴ Δία. οἱ ἀλείφοντές τε καὶ οἱ ἐπισφραγιζόμενοι τὰς εὐχὰς ἐξηλλάχασι τοῦ εἴδους. *Huius ſimulacri formam tempus, & inungentes & vota ſigillantes mutauerunt.* Vide Turnebum lib. 1. aduerſariorum cap. 17. & libro 30. cap. 19. Aulus Gellius lib. 4. cap. 9. vt *religiones à relinquendo*, ita *cerimonias à carendo*, deducit.

VIII. VERVM INVENIRI.] Eleganter, quaſi vngulis illis præcordia rimarentur, vt inde veritatem extraherent. D. Hieronymus epiſt. 49. de muliere ſepties icta: *Cùm liuidas carnes vngula cruenta pulſaret, & ſulcatis lateribus dolor quæreret veritatem.* ſed omnium pulcherrimè Syneſius epiſt. 44. ἀλλὰ καὶ δεθήσεται, καὶ κρεμήσεται, καὶ τὼ πλευρὼ διορυχθήσεται. δεινοὶ ἐξελέγξαι προσποίησιν οἱ βασανισταί. καί τινες αὐτοῖς ὄνυχές εἰσιν ἐξευρημένοι, συλλογισμῶν ἐπιστημονικῶν ἔχοντες δύναμιν. ὥστε ὅτι ἂν ἐκείνων κρατούντων ἀναφανῇ, τοῦτ᾽ ἔστι τὸ αὐτὸ ἀληθές. *Sed & vincietur, & ſuſpendetur, & latera fodietur. Mirifici enim ad conuincendam ſimulationem ſunt carnifices, & vngues quidam ab illis excogitati ſunt, eadem vi præditi, qua ſcientiarum ratiocinationes ac ſyllogiſmi. vnde quicquid præualentibus iis elicitum fuerit, idipſum certiſſima veritas eſt.* Quæſtionibus verum inuenitur. Nec abludit Demoſthenes contra Onctorem: Τῶν μαρτυρησάντων ἤδη τινὲς οὐ τἀληθῆ μαρτυρῆσαι ἔδοξαν, δούλων δὲ βασανισθέντων οὐδένες πώποτε ἐξηλέγχθησαν ὡς οὐκ ἀληθῆ τὰ ἐκ τῆς βασάνου εἶπον. *Teſtium nonnulli falſitatis comperti ſunt: ſeruorum verò in quæſtionem datorum, nulli vnquam deprehenſi ſunt qui mentiti fuerint in quæſtione.* Quod ad modum loquendi ſpectat, eum Iuriſconſulti frequenter vſurpant, vt Marcianus D. de quæſt. l. 9. *Diuus Pius reſcripſit poſſe de ſeruis haberi quæſtionem in pecuniariâ cauſſâ, ſi aliter veritas inueniri non poſſit.*

INDIGNVM.] Non ſolùm indignum, ſed IX. etiam periculoſum, *neque enim*, vt ait Paulus D. de quæſt. l. vnius. §. ſeruo, *oportet ſalutem dominorum, ſeruorum arbitrio committi.* Xenophon de Athenienſium Rep. μισεῖσθαι μὲν ἀνάγκη τὸν ἄρχοντα ὑπὸ τοῦ ἀρχομένου. *Neceſſe eſt vt domini à ſeruis odio habeantur.* Ariſtoteles 2. polit. cap. 7. Δοῦλοι ἀνιέμενοί τε ὑβρίζουσι, καὶ τῶν ἴσων ἀξιοῦσιν ἑαυτοὺς τοῖς κυρίοις, καὶ κακοπαθῶς ζῶντες ἐπιβουλεύουσι καὶ μισοῦσι. *Serui licentiam nacti contumelioſè ſe gerunt, & audent ſe dominis cõparare, ſi arctiùs teneantur, inſidiantur & oderunt.* Philo contra Flaccum: χαλεπὸν δ᾽ οὐδὲν οὕτως, ὡς ὑπ᾽ ἐλαττόνων κρείττους, καὶ πρὸς ὑπηκόων ἄρχοντάς ποτε γενομένους, malim γενομένους, κατηγορεῖσθαι, ὥσπερ ἂν εἰ καὶ δεσπότας ὑπ᾽ οἰκοτρίβων καὶ ἀργυρωνήτων. *Nihil autem eſt moleſtius quàm maiores ab inferioribus, & magiſtratus accuſari à ſubditis, haud ſecus quã ſi herus poſtuletur à vernis ſuis, aut emptis mancipiis.* Periculoſum ſeruis dominorum ſalutẽ committere. Tanto ſanè id indignius, quòd vt ait Theognis v. 235.

Οὔποτε δουλείη κεφαλὴ ἰθεῖα πέφυκε
Ἀλλ᾽ αἰεὶ σκολιή, καὐχένα λοξὸν ἔχει.
Non ſeruile caput rectum eſt, ſed in ima reflexũ,
Ceruicem inflexam ſeruus habere ſolet.

Plato ſexto de legibus: Ὑγιὲς οὐδὲν ψυχῆς δούλης, οὐδὲ πιστεύειν οὐδέποτε τῷ γένει δεῖ τὸν νοῦν κεκτημένον. ὁ δὲ σοφώτατος ἡμῖν τῶν ποιητῶν καὶ ἀπεφήνατο ὑπὲρ τοῦ Διὸς ἀγορεύων, ὡς

Ἥμισυ γάρ τε νόου ἀπαμείβεται εὐρύοπα Ζεὺς
Ἀνδρῶν, οὓς ἂν δὴ κατὰ δούλιον ἦμαρ ἕλῃσι.
Mentis enim medium Diuûm pater eripit illis
Quos adigit fortuna iugum ſeruile ſubire.

MORTE IPSA TRISTIVS.] Franciſcus Modius epiſt. 39. hunc locum duobus aliis illuſtrat. veteri Epitaphio Homonœæ.

Nec pro me queror, hoc morte eſt mihi triſtius ipsâ,
Mœror Arimeti coniugis ille mei.

Plato in Axiocho: Τὴν δ᾽ ἀπότευξιν ἀλγεινήν, καὶ θανάτων μυρίων χείρω. *Repulſam verò triſtem & mille mortibus peiorem.* Idem non *domini morte ipſa triſtius*, ſed *dominis morte ipſa triſtius* legendum eſſe contendit. quam lectionem Ianus Grutterus mirè probat, & manuſcripto Colonieñſi cõfirmat.

AXIOMATA.

De ſeruis nulla quæſtio eſt in dominum niſi de inceſtu.
De ſeruis in dominum quæri indignum eſt, & morte ipſa triſtius.

ARGVMENTVM.

Poſtquam quæſtionis fidem eleuauit ex eo quòd ſerui vel contra dominum, vel contra inimicum domini torquerentur, eandem confutat à modo quo habita eſt, ſeruis ab ipſo accuſatore detentis, & centeſimo die productis.

LXI. AGE verò, quæ erat, aut qualis quæſtio? heus vbi Ruſcio, vbi Caſca? Clodius inſidias fecit Miloni? fecit: certa crux. nullas fecit? ſperata libertas. quid hac quæſtione certius? ſubito arrepti in quæſtionem tamen ſeparantur à cæteris, & in arcas coniiciuntur, ne quis cum iis colloqui poſſit: hi centum dies penes accuſatorem cùm fuiſſent, ab eo ipſo accuſatore producti ſunt, quid hac quæſtione dici poteſt integrius? quid incorruptius?

EXPLANATIO.

AGE.] Quæſtionis habitæ modum deſcribit, vt ex ea doceat verum non potuiſſe inueniri.

HEVS VBI.] Locus corruptus eſt. legit Lambinus, *Heus tu Ruſcio, verbi cauſſa, caueſis mentiaris.* nec improbanda eſt planè lectio, quam ipſe teſtatur in antiquis Codicibus inueniri. *heus, vbi reſponſio, vbi cauſſa?* quaſi interrogaſſet Appius ſeruos: *Heus tu, quid reſpondes? penes quem inſidiarum cauſſa conſiſtit? penes Clodium an Milonem?* vide Grutterum.

CLODIVS INSIDIAS.] Et hoc contra quæſtionis morem, quam qui habebat, nullum debebat ſuggerere nominatim: deinde fas non erat minis aut promiſſis ad hoc potiùs, quàm illud dicendum, eos qui torquebantur, impellere.

SVBITO ARREPTI.] Probat quæſtioni fidem non eſſe adhibendam, quod habita fuerit contra morem aliarum: in aliis enim quæſtionibus, ſeruis etiam illis qui ſubitò & ex improuiſo in quæſtionem abripiuntur antequam meditari potuerint quid reſpondeant, facultas non fit cum vllo colloquendi, ne aut præmiis propoſitis illiciantur ad mendacium, aut comminationibus abſterreantur à dicenda veritate. at iſti cùm penes Appium manſerint centum dies, fuerintque ab ipſo accuſatore producti, nullo negotio corrumpi potuerunt.

QVID HAC.] Ironia.

NOTÆ.

I. CLODIVS INSIDIAS FECIT MILONI.] Vlpianus D. de quæſt. lib. I. *Qui quæſtionem habiturus eſt, non debet ſpecialiter interrogare an Lucius Titius homicidium fecerit, ſed generaliter quis id fecerit. alterum enim magis ſuggerentis, quàm requirentis videtur. & ita D. Traianus reſcripſit.*

II. CERTA CRVX.] Bene libertati crucem opponit, & eam ſeruis intentat. Crux enim ſeruile ſupplicium. Vide Lipſium libello ſingulari de Cruce, & alios paſſim.

III. Arca, robur. IN ARCAS CONIICIVNTVR.] Arca videtur fuiſſe cataſta ſiue machina cui ſeruos alligabãt. Tertullianus ad Martyres de Regulo: *Maluit hoſtibus reddi, & in arcæ genus ſtipatus vndique extrinſecus clauis transfixus tot cruces ſenſit.* Feſtus: *Robur quoque in carcere dicitur is locus, quo præcipitatur maleficorum genus, quod antè arcis robuſteis includebatur.* Plautus Pœnulo, ſcena *Quis pultat.*

-quos ego iam detrudam ad molas

Inde porrò ad puteum, atque ad robuſtum codicẽ.

Valer. lib. 6. c. 3. de Gracchis: *Quin etiã familiares eorum, ne quis Reſp. inimicis amicus eſſe vellet, de robore præcipitati ſunt.* Liuius lib. 38. *Atenim quod ex bonis redigi non poſſit, ex corpore & tergo per vexationem & contumelias Luc. Scipionis extituros inimicos, vt in carcere inter fures nocturnos & latrones vir clariſſimus intercludatur; & in robore ac tenebris expiret, deinde nudus ante carcerem proiiciatur.* Enumerat Plautus multa genera vinculorum Aſinaria, ſc. Perfidiæ. *-compedéſque*

Neruos, catenas, carceres, numellas pedicas, boias. Nerui.

Tria ſunt quæ explicatione egere videantur. *nerui, numellæ, boiæ.* nam compedes, catenas, carceres, pedicas nemo non intelligit. nerui fuerunt funes quidam è neruis animalium torti quibus captorum tibias numellis alligabant, de quibus Tertullianus lib. De cultu fœminarum: *Neſcio an manus ſpathalio circundari ſolita, in duritia catenæ ſtupeſcere ſuſtineat, neſcio an crus de periſcelio in neruum ſe patiatur artari.* Numellæ autem, vt auctor eſt Nonnius Marcellus, *Machinæ genus ligneum ad diſcruciandos noxios paratum, quo & collum & pedes immittunt.* quæ machina, vt reor, à Prudentio in Vincentio deſcribitur:

Lignóque plantas inſerit Diuaricatis cruribus. Numellæ.

& paulò pòſt: *Dupléxque morſus ſtipitis*

Ruptis cauernis diſſilit.

E quibus vides numellas fuiſſe machinam, vel ex aſſeribus, vel è ſtipitibus compactam, quibuſdam, vt cum Prudentius loquar, cauernulis perforatã, quibus diſtractas & diuaricatas noxiorum tibias, & caput ad genua repandum immitterẽt. de quibus videntur intelligenda quæ §. 58. Nota *equuleo*, de Martyribus Lugdunenſibus, & fortaſſe de Origene referuntur. τὰς ἐν τῷ ξύλῳ διατάσεις τῶν ποδῶν ἐπὶ τὸ πέμπτον διατεινομένων τρύπημα. *Pedum in ligno diuaricationes ad quintum foramen extenſorum.* vide. Lucianus in Toxari: ὑπενόσει τοιγαροῦν ἤδη, καὶ πονηρῶς εἶχεν, οἷον εἰκὸς χαμαὶ καθεύδοντα, καὶ τῆς νυκτὸς οὐδ' ἀποτείνειν τὰ σκέλη δυνάμενον, ἐν τῷ ξύλῳ κατακεκλεισμένα. *Iam igitur ſubægrotabat, & malè habebat, vt par eſt eum habere qui humi dormit, nec nocte tibias ligno incluſas poteſt extendere.* Parum abeſt, quin ad has numellas referam illud Horat. 2. ſat. 7.

Quid refert vri virgis, ferróque necari
Auctoratus eas, an turpi clauſus in arca
Quo te demiſit peccati conſcia herilis
Contractum genibus tangas caput.

Sed hoc de domeſticis arcis poteſt intelligi, in quas ſe abſcondere potuerunt. Appianus 4. ciuilium: Ἰούνιον δ' ἀπελεύθερος αὐτοῦ Ἰουνίου Φιλήμων, οἰκίαν κεκτημένος λαμπρὰν ἐν τῷ μεσαιτάτῳ τῆς οἰκίας ἔκρυψεν

ἐν λάρνακι, αἳ ἀπὸ σιδήρου εἰς χρημάτων ἢ βιβλίων ἔχουσι φυλακὴν, καὶ νύκτωρ ἔτρεφε μέχρι τῶν σπονδῶν. *Iunium verò Philemon libertus, cùm domum ſplendidam poßideret, medio domus in arcam abdidit, cuiuſmodi arcas ferreas habent ad librorum & pecuniarum cuſtodiam, & noctu nutriuit, donec pax fuit conſtituta.* Interdum verò noxios arcis exemptos ad crates vel ligneas, vel etiam ferreas catenis alligabant. Lucianus vbi ſuprà: Τῆς μὲν γὰρ ἡμέρας ὁ κλοιὸς ἤρκει, καὶ ἡ ἑτέρα χεὶρ πεπεδημένη, εἰς δὲ τὴν νύκτα ἔδει ὅλον καταδεδέσθαι. *Interdiu ſatis erat cratis & altera manus impedita, at noctu oportebat totum deligari.* Item Demetrius: Πολλὰ ἱκετεύσας τὸν δεσμοφύλακα, ἐξειργάσατο παρ' αὐτὸν πλησίον τοῦ Ἀντιφίλου, καὶ ὑπὸ τῷ αὐτῷ κλοιῷ δεδέσθαι. *Multis precibus vix tandem à cuſtode carceris impetrauit, vt iuxta Antiphilum & ſub eadem crate vinciretur.* Mox: Εἷς γὰρ τῶν δεδεμένων, οὐκ οἶδ' ὅθεν ῥίνης εὐπορήσας, καὶ συνωμότας πολλοὺς τῶν δεσμωτῶν προσλαβὼν ἀποπρίει τε τὴν ἅλυσιν, ᾗ ἐδέδεντο ἑξῆς, τῶν κλοιῶν εἰς αὐτὴν διειρημένων. *Vnus igitur vinctorum, limâ neſcio vnde comparatâ, multiſque vinctorum in conſpirationis ſocietatem aſſumptis, catenam, qua ordine ligabantur, cratibus in ipſam connexis, diſſecuit.*

Boiæ. *Boiæ*, vt auctor eſt Feſtus: *Id eſt genus vinculorum, tam ligneæ quàm ferreæ dicuntur.* Prudentius præfatione in ψυχομαχίαν.

Attrita boias colla liber erigit.

Et periſtephanon hymno primo.

Carcer illigata duris colla boiis impedit.

quæ boiæ ſiue colli vincula videntur etiam crates à Maximo Tyrio nominari viceſima concione, vbi de fucata ſceleratorum felicitate, & vera eorum miſeria loquens, ait. Ὥστε εἰκάσαιμ' ἂν ἔγωγε ἑκάτερον τῶν βίων, τὸν μὲν ἡδοναῖς τοῦτον καὶ παντοδαπὸν δεσμωτηρίῳ χαλεπῷ κακοδαιμόνων ἀνδρῶν καθειργμένων ἐν ἀφεγγεῖ μυχῷ, πολλῷ μὲν τοῖς ποσὶν σίδηρον περιβεβλημένοι, βαρὺν δὲ κλοιὸν περὶ τῷ αὐχένι. κὰκ τῶν χεροῖν ἐξηρτημένων δεσμὰ δυσχερῆ, ῥυπώντων, καὶ αἰσχρῶν, καὶ ῥιπτομένων, καὶ στενόντων, ὑπὸ δὲ χρόνου καὶ ἔθους εὐημερίας τινὰς ἑαυτοῖς ἔνδον εὐθυμίας μηχανωμένων, μεθυσκομένων ἐνίοτε ἐν τῷ δεσμωτηρίῳ, καὶ ᾀδόντων ἀναμὶξ, καὶ γαστριζομένων, καὶ ἀφροδισιαζόντων, καὶ μεστῶν ἠρέμα ἑκάστου ἐμπεπλασμένων διὰ δέος καὶ ἀπιστίαν, καὶ μνήμην τῶν παρόντων κακῶν. ὥστ' ἀκοῦσαι ἄν τις παρ' ἑκάστῳ δεσμωτηρίῳ οἰμωγῆς ὁμοῦ καὶ ᾠδῆς, καὶ στόνου καὶ παιᾶνος. Has crates Ariſtophanes in Pluto nominauit, niſi ſi fortaſſe numellas ipſas intelligit.

Ὦ τύμπανα καὶ κύφωνες οὐκ ἀρήξετε; meliùs τύπανα.

O verbera, ô crates opem haud fertis mihi?

Interpres, κύφων δὲ δεσμὸς ἐστὶ ξύλινος. ὃν οἱ μὲν κλοιὸν ὀνομάζουσιν. οἱ δὲ καλιόν. *Cyphon verò vinculum eſt ligneum, quod alij cratem, alij calium appellant.* Mox: Εἴρηται δὲ κύφων παρὰ τὸ τοὺς δεσμίους ἀναγκάζεσθαι κύφειν, διπλῶς ἅμα κολαζομένοις. τῇ τε τοῦ τραχήλου πιέσει, καὶ τῷ μηδαμῶς ἀνανεύειν δύνασθαι. Dictus κύφων, *quòd vincti incuruari cogerentur, & duobus modis ſimul cruciarentur, cùm & collum comprimeretur. nec vllo modo poſſent ſe erigere.*

- *A conſequentibus ſiue facti veſtigiis probat Milonem inſidiatorem non fuiſſe.*
  - ab ipſa Milonis conſcientia quæ elucet. *62. 63.* à
    - celeritate reditus.
    - ingreſſu in vrbem ardente Curia.
    - magnitudine animi.
    - vocis vultúſque conſtantia.
    - à ſecuritate qua ſe tradidit
      - Populo Romano.
      - Senatui.
      - Præſidiis militum.
      - ipſi Pompeio.
  - auctoritate Senatus qui cauſſam probauit.
  - opinione & ſermonibus
    - inimicorum Milonis, qui Milonem cædis conſcium iactitabant bellum ciuile excitaturum. *64.*
    - vel imperitorum, qui cùm Milonem ſceleris conſcium putarent, eum putabant in exilium abiturum non auſum ad vrbem accedere. *64.*
  - à magnitudine animi
    - qua contempſit ſparſos de ſe rumores, quaſi iam haberet
      - magnam vim armorum
        - in villa Ocriculana.
        - in omnibus Vrbis angiportis.
        - in domo Palatina. *65.*
      - & malleolos ad vrbis incendium comparatos. *65.*
    - nec formidauit ſuſpiciones Pōpeij, qua oblata ocſione Pompeij
      - diligentiam laudat. *66.*
      - ſuſpiciones
        - à neceſſitate excuſat.
        - tribuit
          - non timori.
          - ſed cautioni.
        - diluit
          - exemplo vnius quæ falſa comperta eſt, cùm Milo ad necandum Pompeiū ſicam geſtare diceretur.
          - explicatione finis cuius gratia exercitum cōtraxit Pōpeius.
            - non propter ſolum Milonem.
            - ſed vt omnibus ægris Reip. partibus mederetur. *69.*
          - ſignificatione beneuolētiæ Milonis
            - in vniuerſam Rempub. cuius cauſſa ſi neceſſe ſit paratus, ſit in exilium abire.
            - in ipſum Pompeium
              - à rebus antè geſtis in gratiam Pompeij. *70.*
              - à Pompeij beneficiis in Milonem, per proſopopœiam Milonis.
  - à ſenſu ipſius Pompeij qui legem tulit, qua
    - vt Cicero ſentit Milonem abſolui oporteret.
    - vt omnes confitentur, liceret.

ARGVMENTVM.

A conſequentibus & ipſius Milonis conſcientia & ſecuritate qua in vrbem regreſſus eſt, probat inſidias eius conſilio non fuiſſe factas.

QVOD ſi nondum ſatis cernitis, cùm res ipſa tot, tam claris argumen- LXI.
tis, ſigníſque luceat, pura mente atque integra Milonem, nullo ſcelere imbutum, nullo metu perterritum, nulla conſcientia exanimatum Romam reuertiſſe: recordamini per Deos immortales, quæ fuerit celeritas reditus eius? qui ingreſſus in forum ardente curia? quæ magnitudo animi? qui vultus? quæ oratio? Neque verò ſe populo ſolùm, ſed etiam ſenatui tradidit: neque ſenatui modò, ſed etiam publicis præſidiis & armis: neque his tantùm, verùm etiam eius poteſtati, cui ſenatus totam Rempublicam, omnem Italiæ pubem, cuncta populi Romani arma commiſerat. cui ſe nunquam profectò tradidiſſet, niſi cauſæ ſuæ cófideret, præſertim omnia audienti, magna metuenti, multa ſuſpicanti, nonnulla credenti.

EXPLANATIO.

QVOD SI.] Aduerte quemadmodum omnia argumenta vndiquaque corradat, ab antecedentibus, id eſt, à facultate & voluntate tum Clodij, tum Milonis, ſuſpicionem inſidiarum in Clodium conuerterat, idem effecerat à circunſtantiis rei gerendæ à loco, à tempore, à comitatu: reſtabat vt à conſequentibus idem comprobaret, & argumenta quæ à quæſtionibus poſt habitis ducebantur, diſſolueret: quod vbi perfecit, à conſequentibus & potiſſimùm à reditu & ſecuritate Milonis coniecturæ ſuæ probationem accerſit, vt nullum non lapidem mouere videatur.

NVLLO SCELERE IMBVTVM.] Quo fuiſſet imbutus ſi de inſidiis cogitaſſet.

ROMAM REVERTISSE.] Milo enim, vt auctor eſt Pedianus in præfatione, *Inuidia aduerſariorum recreatus, nocte ea redierat Romam, qua incenſa erat curia, petebátque nihilo deteriùs conſulatum.* Poſtridie quàm cædes facta eſt, curia deflagrauit, vt idem auctor eſt, quare non tanta fuit celeritas reuerſionis, quanta iactatur.

ARDENTE CVRIA.] Cùm, vt notat idem Aſconius, *Populus duce Sexto Clodio ſcriba corpus P. Clodij in Curiam intulit, cremauítque ſubſelliis & tribunalibus, & menſis, & codicibus librariorum, quo igne & ipſa quoque Curia flagrauit, & item Porcia baſilica, quæ erat ei iuncta, ambuſta eſt.*

QVI VVLTVS.] Index animi & conſcientiæ.

NEQVE VERO.] *Milo ſe populo, Senatui, Pompeio minimè tradidiſſet, niſi cauſſæ ſuæ confideret, nullóque ſcelere fuiſſet imbutus.*

Sed Milo ſe tradidit populo, Senatui, ipſi Pompeio.

Ergo cauſſæ ſuæ confidebat, nec vllo ſcelere erat imbutus.

quod argumentum per gradationem oratoriam tractat, quam figuram rarò magni ſcriptores vſurpant, non quòd non ſit belliſſima, ſed quòd nimis lucere & eminere, immò neſcio quam affectationem redolere videatur. exempla tamen in Notis adferemus.

PVBLICIS PRÆSIDIIS.] Non quòd eo die quo reuerſus eſt Milo iam eſſent in vrbe delecti milites, & in foro ad Reip. præſidium collocati, aut ipſe Pompeius iam poteſtatem haberet facto SC. vt videret ne quid Reſp. detrimenti caperet. nam inter incendium Curiæ & illud SC. multi dies effluxerant, & facti fuerant alij ex aliis Interreges, vt Aſconius in præfatione demonſtrat. Sed dicitur iis præſidiis & Pompeio ſe tradidiſſe, quòd ex vrbe non diſceſſerit, & voluntario exilio iudicium declinauerit, etiamſi Pompeius ſumma cum celeritate præſidium compararet.

OMNEM ITALIÆ PVBEM.] Aſconius: *Factum erat SC. vt Interrex, & Tribuni plebis, & Cn. Pompeius qui Proconſul ad vrbem erat, viderent ne quid detrimenti Reſp. caperet, delectus autem Pompeius tota Italia haberet.*

OMNIA AVDIENTI.] Quæ fuerint illa, proximis ſectionibus fusè narrabitur.

MAGNA METVENTI.] Legit Modina. *& magna intuenti.*

NOTÆ.

CVM RES IPSA TOT, TAM CLARIS ARGVMENTIS SIGNISQVE LVCEAT.] Antiphon de Choreuta: Τούς τε λόγους ὑμῖν εἰκότας ἀποφαίνω, καὶ τοῖς λόγοις τοὺς μάρτυρας ὁμολογοῦντας, καὶ τοῖς μάρτυσι τὰ ἔργα, καὶ τεκμήρια ἐξ αὐτῶν τῶν ἔργων. *Orationem vobis probabilem exhibeo, & teſtes orationi adſtipulantes, & rem ipſam teſtibus, & ſigna ex ipſis rebus.* I.

VVLTVS.] Vultum eſſe animi indicem initio Piſonianæ iam oſtendimus. adde 3. Tuſcul. 55. de Socrate: *Iure autem erat ſemper idem vultus, quum mentis à qua is fingitur nulla fieret mutatio.* Lib. 3. de orat. §. 221. *Animi eſt enim omnis actio, & imago animi vultus eſt, indices oculi.* Quod iiſdem penè verbis repetit in Bruto. §. 60. *Vt imago eſt animi vultus, ſic indices oculi.* Nonnius Marcellus: *Vultus & facies hoc diſtant. Vultus eſt voluntas quæ promotu animi in facie oſtenditur: facies ipſa oris ſpecies. Salluſt. Catil. Prorſus in facie vultúque vecordia inerat. Lucilius ſat. lib. 1. Vultus item vt facies*, &c. Sidonius quadam epiſtola, II. Vultus.

vultuoſam faciem appellat. & Noſter in Bruto 60. efficiendum monet in vultu, *ne quid ineptum aut vultuoſum ſit*. & 1. De legibus 39. *Nam & oculi nimis arguti, quemadmodum animo affecti ſumus, loquuntur, & is qui appellatur vultus, qui nullo in animante eſſe præter hominem poteſt, indicat mores, cuius vim Græci norunt, nomen non habent.* quia nimirum Græci à moribus qui vultu indicātur, vultum ἦθος appellant. Theophraſtus in characteribus de famigeratione: ὁ δὲ λογοποιὸς τοιοῦτός τις οἷος ὑπαντήσας τῷ φίλῳ, εὐθὺς καταβαλὼν τὸ ἦθος καὶ μειδιάσας ἐρωτῆσαι, πόθεν σὺ καὶ τί λέγεις. legit Caſaubonus μεταβαλὼν, & ſic interpretatur. *Famigerator autem is eſt qui obuius amico factus, ſtatim mutato vultu ac renidens interroget, Vnde tu & quid ais?* Id deinde pluribus exemplis illuſtrat. Ariſtoteles in phyſiognomicis: κατὰ τὰ ἤθη φυσιογνωμονεῖν, & ἐκ τῶν ἐπιφαινομένων ἠθῶν. Item: τὸ ἦθος τὸ ἐπὶ τοῦ προσώπου μεταβάλλειν. quod paulò antè dixerat: κατὰ χρόνους τινὰς τὰ ἤθη οὐ τὰ αὐτὰ, ἀλλ᾽ ἑτέρων ἔχειν. Plutarchus in Alexandro: τὰ περὶ τὴν ὄψιν εἴδη, οἷς ἐμφαίνεται τὸ ἦθος. *Oris ſpecies quibus mores indicantur.*

III. SENATVI TRADIDIT, NEQVE SENATVI MODO.] Figura, vt dixi, pulcherrima, ſed vel ideò rarior, ne ſatietas pariatur. Eam bis (ni fallor) Demoſthenes vſurpat, pro Corona: Οὐκ εἶπον μὲν ταῦτ᾽ οὐκ ἔγραψα δὲ, οὐδ᾽ ἔγραψα μὲν, οὐκ ἐπρέσβευσα δὲ, οὐδ᾽ οὐκ ἐπρέσβευσα μὲν, οὐκ ἔπεισα δὲ Θηβαίους. vertit Fabius: *Nec hæc dixi quidem, ſed nec ſcripſi, nec ſcripſi quidem, ſed nec obij legationem: nec obij quidem, ſed nec perſuaſi Thebanis.* Et oratione contra Cononem: Τὸ φαυλότατον οἶμαι τὸ τῆς λοιδορίας πρὸ τοῦ τελευταίου καὶ δεινοτάτου προεωρᾶσθαι τοῦ μὴ φόνον γίγνεσθαι, μηδὲ κατὰ μικρὸν ὑπάγεσθαι, ἐκ μὲν λοιδορίας εἰς πληγὰς, ἐκ δὲ πληγῶν εἰς τραύματα, ἐκ δὲ τραυμάτων εἰς θάνατον. *Quod peßimum eſt, opinor, in conuicio ante vltimum & grauißimum præuiſum eſt ne cædes conſequatur. Ex conuicio ad percußiones, à percußionibus ad vulnera, è vulneribus autem ad cædem.* Adfert Fabius exemplum ex Caluo oratore: *Non ergo magis pecuniarum repetundarum, quàm maieſtatis, neque maieſtatis magis quàm Plautiæ legis, neque Plautiæ legis magis, quàm ambitus, neque ambitus magis quàm omnium legum Iudicia perierunt.* Sed hi vt dixi rariùs, frequentiùs alij qui bellè, quam benè dicere maluerunt. inter cæteros vbique Maximus Tyrius, vt vnum in locum duas gradationes conglobarit 6. concione: Τὸ δὲ σώζον τὰς πόλεις ἡ ἁρμονία, καὶ ὁ τῆς πολιτείας κόσμος. φημὶ κἀγώ. ταῦτα δ᾽ ὑπὸ τῆς εὐνομίας γίγνεται. τὴν δ᾽ εὐνομίαν ἡ τῶν χρωμένων ἀρετὴ φυλάττει. τὴν δ᾽ ἀρετὴν διδάσκουσιν οἱ λόγοι. τοὺς δὲ λόγους ἡ ἄσκησις. τὴν δ᾽ ἄσκησιν ἡ ἀλήθεια. τὴν δ᾽ ἀλήθειαν ἡ περὶ αὐτὴν σχολή. οὐ γάρ ἐστιν οὐκ ἔστιν ἄλλ᾽ ὄργανον, ᾧ κτητὸν ἀρετὴ πλὴν ἀληθὴς λόγος. ὑφ᾽ οὗ παροξύνεται ἡ ψυχὴ καὶ ζωπυρεῖται, καὶ οὐκ εἰδυῖα μὲν μανθάνει. μαθοῦσα δὲ φυλάττει, ἃ ἔμαθεν. φυλάττουσα δὲ χρῆται, χρωμένη δ᾽ οὐ σφάλλεται. *Quod ſeruat ciuitates, eſt quidam concentus & Reſp. concinnitas. hæc autem à bona legum conſtitutione naſcitur. Bonam legum conſtitutionem eorum qui vtuntur virtus cuſtodit. virtutem exhibent ſermones. Sermones autem exercitatio. Exercitationem veritas, virtutem ſtudium quod ei impenditur. Non enim eſt, non eſt aliud inſtrumentum, præter veram rationem, quo virtus comparetur. à quo acuitur anima, & quaſi ſubiectis igniculis excitatur, & neſciens quidem diſcit, cùm didicerit autem cuſtodit quæ didicit. cuſtodiens autem vtitur, vtens verò non labitur.* Baſilius Magnus oratione contra iratos verba ſuperiora Demoſthenis tantum non expreſſit: Θυμὸς μὲν γὰρ ἐγείρει μάχην. μάχη δὲ γεννᾷ λοιδορίας. αἱ δὲ λοιδορίαι πληγάς. αἱ δὲ πληγαὶ τραύματα. ἐκ δὲ τραυμάτων πολλάκις θάνατοι. *Ira enim excitat concertationem. concertatio verò generat conuitia. conuitia percußiones, percußiones autem vulnera. è vulneribus frequenter cædes.*

Gradationis exempla.

PVBEM.] Iuuentutem. vox, vt videtur, poëtica. Virgilius 1. Æneidos. IV.

-puppéſque tuæ pubéſque tuorum.

& alibi:

-vna omnis Scyria pubes.

ARGVMENTVM.

Superius argumentum loco morali & ſententia illuſtrat, & tum Senatus auctoritate, tum vulgi opinione magis corroborat.

LXIII. MAGNA vis eſt conſcientiæ, Iudices, & magna in vtramque partem: vt neque timeant, qui nihil commiſerint, & pœnam ſemper ante oculos verſari putent, qui peccarint. Neque verò ſine ratione certa, cauſſa Milonis ſemper à ſenatu probata eſt. videbant enim ſapientiſſimi homines, facti rationem, præſentiam animi, defenſionis conſtantiam. An verò obliti eſtis, Iudices, recenti illo nuntio necis Clodianæ non modò inimicorum Milonis ſermones & opiniones, ſed nonnullorum etiam imperitorum, qui negabant eum Romam eſſe rediturum?

EXPLANATIO.

MAGNA VIS.] Plurimùm momenti habet conſcientia, ſiue benefactorum in bonam partem, ſiue malefactorum in malam.

NEQVE VERÒ.] Milonis illam ſecuritatem & magnitudinem animi à bona conſcientia profectam, præcipuam ait fuiſſe rationem, quæ ſenatum apud probandam defenſionem Milonis induxerit.

FACTI RATIONEM] Ratio in Iudiciis eſt illa quæ accuſatoris firmamento opponitur, & color qui facto prætexitur. Hanc autem Milo rationem adferebat quòd liceret inſidiatorem & latronem occidere, ſiue vim vi propulſare. Senatus autem animaduertebat iuſtam eſſe huiuſmodi rationem.

PRÆSENTIAM ANIMI.] Securitatem & magnitudinem animi ſibi præſentis, & conſtantis.

DEFENSIONIS CONSTANTIAM.] Quæ conſtantia ſignum eſt bonæ conſcientiæ & veritatis: mendaces enim ſibi ipſis non conſtant, ſed loquuntur pugnantia.

AN VERÒ.] Aliud argumentum orditur ex vulgi opinione ſumptum, quod ſequentibus duobus paragraphis exequetur.

NONNVLLORVM IMPERITORVM.] Qui Milonis innocentiam & cædis illatæ Clodio rationem compertam non habebant.

EVM.] Milonem.

NOTÆ.

1. MAGNA VIS EST CONSCIENTIÆ.] Licebítne huc in locum communem ſelectas veterum ſententias in vnum conglobare? Mercurius Triſmegiſtus in claue; Πῶς οὖν κολάζεται, ὦ πάτερ, ἀνθρωπίνη ψυχή; Καὶ τίς ἐστι μείζων κόλασις ἀνθρωπίνης ψυχῆς, ὦ τέκνον, ἢ ἡ ἀσέβεια; ποῖον πῦρ τοσαύτην φλόγα ἔχει, ὅσην ἡ ἀσέβεια; ποῖον δὲ δάκετον θηρίον, ὥστε λυμᾶναι σῶμα, ὅσον αὐτὴν τὴν ψυχὴν ἡ ἀσέβεια; ἢ οὐχ ὁρᾷς ὅσα κακὰ πάσχει ψυχὴ ἡ ἀσεβὴς, βοώσης αὐτῆς καὶ κεκραγυίας, καίομαι, φλέγομαι· τί εἴπω, τί ποιήσω οὐκ οἶδα. διεσθίομαι ἡ κακοδαίμων ὑπὸ τῶν κατεχόντων με κακῶν, οὔτε βλέπω, οὔτ' ἀκούω, &c. *Quomodo igitur, ô pater, anima humana cruciatur? Et qui maior eſſe poteſt animæ humanæ cruciatus, ô fili, quam impietas? Quis ignis tantam flammam habet, quãtam impietas? quæ fera bellua, tantas corpori clades & laniatus adferre poſſit, quantas animæ impietas? an non vides quot mala mens impia patiatur, exclamans & eiulans, ardeo, vror. Quid dicam, quid faciam neſcio, dilanior infœlix à malis quæ circunſtant, neque video, neque audio*, &c. Plato 9. de Repub. Tyranni miſeriam ita deſcribit. Ἐάν τις ὅλην ψυχὴν ἐπίστηται θεάσασθαι, καὶ φόβου γέμων διὰ παντὸς τοῦ βίου, σφαδασμῶν τε καὶ ὀδυνῶν πλήρης, &c. *Si quis totam animam introſpicere valeat, timore plenus eſt per totam vitam, & conuulſionibus quibuſdam doloribúſque oppletus*, &c. Quia nimirum peccatum ipſum ſibi ipſi pœna eſt, vt eleganter Auguſtinus in Confeſſionibus, & Xenophon 3. memorabilium: Εἰ δέ τις πρὸς ταῦτα λέγοι ὅτι τῷ τυράννῳ ἔξεστι μὴ πείθεσθαι τοῖς ὀρθῶς λέγουσι. καὶ πῶς ἄν, ἔφη, ἐξείη μὴ πείθεσθαι ἐπικειμένης τῆς ζημίας; ἐὰν γὰρ τῷ εὖ λέγοντι μὴ πείθηται, ἁμαρτήσεται δήπου. ἁμαρτάνων δὲ ζημιωθήσεται. *Si quis ad hæc dixerit licere tyranno ſe vera dicentibus non præſtare dicto audientem. Qui, inquit, liceat impendente ſtatim ſupplicio. Si enim vera dicenti non paruerit, peccabit certè: peccans autem damnum incurret.* hæc Xenophon. Quæ omnia vno Cornelij Taciti loco 6. annalium egregiè comprobantur de Tiberio ſcelerum conſcientia iactato. *Inſigne viſum eſt earum Cæſaris litterarum initium. Quid ſcribam vobis P. C. aut quomodo ſcribam, aut quid omninò non ſcribam hoc tempore? Dij me, Deæque peiùs perdant, quàm perire quotidie ſentio, ſi ſcio. Adeò facinora atque flagitia ſua ipſi quoque in ſupplicium verterant. Neque fruſtra præſtantiſſimus ſapientiæ firmare ſolitus eſt, ſi recludantur tyrannorum mentes, poſſe adſpici laniatus & ictus, quando, vt corpora verberibus, ita ſæuitia, libidine, malis conſultis animus dilaceretur. quippe Tiberium non fortuna, non ſolitudines protegebant, quin tormenta pectoris ſuáſque ipſe pœnas fateretur.* Sed vt ad Platonem redeamus, ita Cephalum primo de Rep. loquentem inducit. Ὁ μὲν οὖν εὑρίσκων ἑαυτοῦ ἐν τῷ βίῳ πολλὰ ἀδικήματα, καὶ ἐκ τῶν ὕπνων, ὥσπερ οἱ παῖδες, θαμὰ ἐγειρόμενος δειμαίνει, καὶ ζῇ μετὰ κακῆς ἐλπίδος. τῷ δὲ μηδὲν ἑαυτῷ ἄδικον ξυνειδότι ἡδεῖα ἐλπὶς ἀεὶ πάρεστι, καὶ ἀγαθὴ γηροτρόφος, ὡς καὶ Πίνδαρος λέγει. *Qui inuenit in vita multa iniuſtè facta, etiam è ſomno, puerorum inſtar, frequenter excitatus cohorreſcit, & cum mala ſpe viuit. Qui autem nullius ſibi iniuſtitiæ conſcius eſt, ei ſemper præſto eſt ſpes iucunda, bona ſenectutis altrix, vt etiam inquit Pindarus.* Præclarè Philo πλατωνίζων lib. de opificio mundi, οἱ ἀξιοῦντες τῷ φιλοσοφεῖν, εἰς βελτίωσιν ἠθῶν, καὶ τὸν τοῦ συνειδότος ἔλεγχον. ὃς ἐνιδρυμένος τῇ ψυχῇ, καθάπερ δικαστὴς ἐπιπλήττων οὐ δυσωπεῖται. τὰ μὲν σφοδροτέραις ἀπειλαῖς, τὰ δὲ καὶ μετριωτέραις νουθεσίαις χρώμενος. περὶ μὲν ὧν ἐδόκει ἀπιθεῖν ἐκ προνοίας ἀπειλαῖς. περὶ δὲ ὧν ἀκούσια, διὰ τὸ ἀπροοράτως ἔχειν, νουθεσίαις. ὑπὲρ τοῦ μηκέτι ὁμοίως ὀλισθεῖν. *Vacantes vni philoſophiæ ſtudio, corrigendíſque moribus & examini conſcientiæ: quod inſitum in anima tanquam iudex obiurgare non veretur, aliis intentando minas vehementiùs, alios admonendo moderatiùs: eos quidem qui ſponte ſua contumaces ſunt, minis territans, eos verò qui peccant inuiti per imprudentiam, ciuiliter admonens, ne poſthac labantur ſimiliter.* Idem libro de confuſione linguarum: Τὸ συνειδὸς ἔνδοθεν ἐλέγχει, καὶ σφόδρα ἐπιτηδεύοντας ἀθεότητα κεντεῖ, ὡς ἄκοντας εἰς συναίνεσιν ἐπισπᾶσθαι περὶ τοῦ τὰ κατ' ἀνθρώπους πάντα πρὸς ἀμείνονος φύσεως ἐφορᾶσθαι, καὶ δίκην ἐφεστάναι τιμωρὸν ἀδικαστον, ἀσεβῶν πράξεις ἐχθαίρουσαν ἀδίκους, καὶ λόγους τοὺς συνηγόρους αὐτοῖς. *Profectò conſcientia redarguit in pectore, & vel atheiſmum inducere conantes ſtimulat & pungit, vt vel inuiti cogantur intelligere, humanas res adminiſtrari à natura præſtantiore, & iuſtitiam inſtare vindicem incorruptam, infeſtam iniuſtis impiorum facinoribus, & verbis quæ factis huiuſmodi patrocinantur.* Sed nihil poſſum eloquentius exhibere quàm ex eodem Philone libro in Flaccum deſinente, vbi inter alia longè pulcherrima. Πολλάκις δ' ἐδειματοῦτο καὶ ἐπτόητο, καὶ φρίκῃ μὲν τὰ μέλη καὶ μέρη τοῦ σώματος κατέσειστο, φόβῳ δ' ὑπότρομον εἶχε τὴν ψυχὴν, ἄσθματι καὶ παλμῷ γυμναζομένην, ἅτε τοῦ μόνου παρηγορεῖν τὸν ἀνθρώπινον βίον ἐκ φύσεως δυναμένου στερόμενος χρηστῆς ἐλπίδος. οὔτε οἰωνὸς αἴσιος οὐδεὶς αὐτῷ προυφαίνετο, πάντες δυσοιώνιστοι, κληδόνες παλίμφημοι, ἐπίπονος ἐγρήγορσις, πειδειὴς ὕπνος, ἡ μόνωσις θηριώδης. *Sæpe terrore quatiebatur, horrore quatiente membra omnia, animo quoque contremiſcente, anhelóque pectore, quandoquidem ſpes eum deſtituebat, vnica vitæ mortali addita conſolatio: nullum vnquam ſollicito felix oblatum eſt auſpicium, omnia inauſpicata, rumores aduerſi, moleſtæ vigiliæ, ſomnus turbidus, ſolitudo belluina.* & alia planè conſulenda. quare veriſſimum eſt quod ait Cicero 1. de legibus de nefariis & ſceleratis. *Itaque pœnas luunt, non tam iudiciis, quæ quondam nuſquam erant, hodie multifariam nulla ſunt: vbi ſunt tamen perſæpe falſa ſunt, vt eos agitent inſectentúrque furiæ: non ardentibus tædis, ſicut in fabulis, ſed angore conſcientiæ, fraudiſque cruciatu.* Sed de his furiarum tædis ardentibus vide dicta in Piſonianam 46. Præclarè Syneſius ep. 44. ὥσπερ εἰσὶν ἐν ταῖς πολιτείαις οἱ δήμιοι, χεῖρες τῶν νόμων, τὴν αὐτὴν αἱ ποιναὶ χρείαν τῇ φύσει τοῦ κόσμου παρέχοιντο. δαίμονές εἰσι καθαρτήριοι, τέχνην ἔχοντες ἐπὶ ταῖς ψυχαῖς, ἣν οἱ κναφεῖς, ἐπὶ τοῖς ἱματίοις τοῖς πιναροῖς. ἀλλ' εἴ τις ἱματίοις αἴσθησις ἦν, τί ἂν οἴει παθεῖν αὐτὰ λακτιζόμενα, καὶ νιτρούμενα, καὶ πάντα τρόπον κναπτόμενα. διὰ πόσων δ' ἂν ὀδυνῶν, ἐκπλύνεσθαι κηλῖδας ἀρχαίας, καὶ προ-

Vis conſcientiæ.

σεσηπότα ἐμόργματα. *Quem in Rebus publicis vſum habent carnifices, vt legum veluti manus ſint, idem vniuerſæ naturæ officium præſtant vindices Diræ. Dæmones quidam expiandis ſceleribus præſunt, eandem in animis hominum artem exercentes quam in ſordidis veſtibus fullones habent. Quod ſi quis veſtibus ſenſus ineſſet, quid eas demum facturas arbitraris, cùm & calcibus ſubiguntur, & nitro perfricantur, & omni ratione depectuntur? quantis verò cum cruciatibus veteres ſordes & inſitas penitùs maculas elutum iri?* & alia in hanc ſententiam. Vide planè Philoſtratum de vita Apollonij libro ſeptimo, cap. item 7. exeunte, Plutarchum de ſera numinis vindicta, Iuuenalem ſat. 13. & alios paſſim. ego hic finio, & ne Polyanthea, ne Stobæum, à quibus mihi conſultò temperaui,

-ne me Criſpini ſcrinia lippi
Compilaſſe putes, verbum non ampliùs addam.

II. NEQVE TIMEANT QVI NIHIL COMMISERINT.] Vt in gratiam cum Stobæo redeamus, dictum eſt Biantis: Ἐρωτηθεὶς τί ἂν εἴη τῶν κατὰ τὸν βίον ἄφοβον, εἶπεν ὀρθὴ συνείδησις. *Rogatus quid ſit in vita vacuum timore, reſpondit, Bona conſcientia.* Sed non ſolùm timoris vacuitatem, verùm etiam bonam ſpem parere conſueuit. Ariſtoteles 9. Ethic. cap. 4. Τῶν εὖ πεπραγμένων ἐπιτερπεῖς αἱ μνῆμαι, καὶ τῶν μελλόντων ἐλπίδες ἀγαθαί. αἱ δὲ τοιαῦται ἡδεῖαι. *Rectè factorum iucunda eſt recordatio & ſpes bona futuri. quod verò tale eſt mira ſuauitate conditur.* Iterum cap. 7. ἡδεῖα δ' ἐστὶ τοῦ μὲν παρόντος ἡ ἐνέργεια. τοῦ δὲ μέλλοντος ἡ ἐλπίς, τοῦ δὲ γεγενημένου ἡ μνήμη. *Iucunda verò eſt præſentis quidem operatio, ſpes autem futuri, præteriti verò recordatio.* Quod à ſuo magiſtro didicerat, apud quem Cephalus verbis proximè citatis è libro primo de Rep. iſta ſubnectit: Χαριέντως γάρ τοι, ὦ Σώκρατες, τοῦτ' ἐκεῖνος εἶπεν, ὅτι ὃς ἂν δικαίως καὶ ὁσίως τὸν βίον διαγάγῃ, Γλυκεῖά οἱ καρδίαν ἀτάλλοισα γηροτρόφος συναορεῖ ἐλπὶς, ἃ μάλιστα θνατῶν πολύστροφον γνώμαν κυβερνᾷ. *Eleganter enim, ô Socrates, Pindarus hæc ait, Quod qui vitam iuſtè & piè traduxerit, Dulcis ei cor alens, ſenectutis nutrix ſpes comitatur, quæ maximè mortalium verſatiles mentes gubernat.* Nec deteriùs Euripides epiſtola quadam ad Archelaum: Τὸ δὲ συνειδὸς ὧν τ' ἔπαθον τοῖς παθοῦσι, καί σοι τῷ πεποιηκότι ἀεὶ μένει, οὐ μικρὸν οὔτε κτῆμα, οὔτ' ἀπόλαυσμα, ἀλλ' ἀρκοῦν τοῦτο καὶ ἐν δυσπραγίαις ἡδονὰς παρέχειν. *Conſcientia verò acceptorum iis qui acceperint, & tibi qui beneficia contuliſti ſemper manet, non parua poſſeſſio paruúſue fructus, ſed valens vel in mediis aduerſitatibus voluptates exhibere.* vide Plutarchum περὶ εὐθυμίας in fine vbi tum alia multa, tum illud Diogenis ἀνὴρ ἀγαθὸς οὐ πᾶσαν ἡμέραν ἑορτὴν ἡγεῖται; *Nunquid vir bonus omnem diem feſtum arbitratur?*

Bonæ conſcientiæ fructus & ſecuritas.

III. ET POENAM SEMPER.] Edictis primâ notâ iam ſatis hoc poteſt intelligi. nunc è Plutarcho aliquot exempla libemus. Beſſus patrem occiderat: χελιδόνων τινὰ νεοσσιὰν τῇ λόγχῃ νύξας κατέβαλε, καὶ τοὺς νεοσσοὺς διέφθειρε. *Hirundinum nidulum haſtâ deiecit, & pullos interfecit.* Rogatus cur id faceret. Οὐ γάρ, ἔφη, μου πάλαι καταμαρτυροῦσιν ψευδῶς, καὶ καταβοῶσιν ὡς ἀπεκτονότος τὸν πατέρα. *Nunquid enim ait, iampridem falsò me accuſant, quaſi patrem occiderim?* & hoc iudicio detectus, parricidij conuictus & punitus eſt. Φασὶν Ἀπολλόδωρόν ποτε κατὰ τοὺς ὕπνους ὁρᾶν ἐκδερόμενον ἑαυτὸν ὑπὸ τῶν Σκυθῶν, εἶτα καθεψόμενον, τὴν δὲ καρδίαν, ἐκ τοῦ λέβητος ὑποφθεγγομένην, Ἐγώ σοι τούτων αἰτία. *Apollodorum ferunt in ſomnis vidiſſe ſe excoriatum decoqui, & cor è lebete ſubclamans, Ego tibi horum cauſſa fui.* vide locum opuſculo de ſera numinis vindicta, De Hipparcho, Ptolemæo Cerauno, & Pauſania. Inter cætera τῷ μὲν σώματι τῶν κολαζομένων ἕκαστος τῶν κακούργων ἐκφέρει τὸν αὑτοῦ σταυρόν, ἡ δὲ κακία τῶν κολαστηρίων ἕκαστον ἐξ αὑτῆς τεκταίνεται. *Corpore quidem malefactorum quiſque ſupplicio deſtinatus ſuam crucem exportat, at improbitas tormentum ſibi ex ſeipſa fabricat & machinatur.* Item: Ἔχει τοι ἕκαστος ἀδικήσας τὴν δίκην, καὶ τὸ γλυκὺ τῆς ἀδικίας, ὥσπερ δέλεαρ εὐθὺς ἐξεδήδοκε. *Vt quiſque peccauerit, punitur, & iniuſtitiæ ſuauitatem, vt hamum eſca coopertum, deuorauit.* Sed vt noſtros quoque attingam, Chryſoſtomus in epiſtolã ad Romanos in morali homiliæ 12. habet de bona & mala conſcientia longè pulcherrima, vbi mala conſcientia cum gladiatoribus diſertiſſimè comparatur.

Malæ conſcientiæ exempla.

IV. DEFENSIONIS CONSTANTIAM.] Non abludit locus ille Demoſthenis de falſa legatione: Τί ποτ' οὖν ἐστὶ τὸ αἴτιον, ὅτι οἱ βδελυρώτατοι πάντων τῶν ἐν τῇ πόλει, καὶ μέγιστον φθεγγόμενοι τοῦ καὶ ἀτολμοτάτου πάντων ἐμοῦ, καὶ οὐδενὸς μεῖζον φθεγγομένου τοσοῦτον ἡττῶνται; ὅτι τἀληθὲς ἰσχυρόν ἐστι, καὶ τοὐναντίον ἀσθενές. τὸ συνειδέναι πεπραχόσιν ἑαυτοῖς τὰ πράγματα, τοῦτο παραιρεῖται τὴν θρασύτητα τὴν τούτων. τοῦτ' ἀποστρέφει τὴν γλῶτταν, ἐμφράττει τὸ στόμα, ἄγχει, σιωπᾶν ποιεῖ. *Quid igitur cauſſa eſt cur impudentiſſimi omnium qui in vrbe verſantur, & altiſſima voce loquentes, à me qui minimè omnium ſum audax, cuique nemo vocis claritate concedit, tanto interuallo ſuperantur? quod firma eſt veritas, infirmúmque mendacium. factorum conſcientia eorum retundit audaciam, hoc linguam præpedit, fauces obturat, angit & ſtrangulat, ſilentium indicit.* Subdit paucis interiectis: Ταῦτα μὲν αὐτῷ συνῄδει πεπραγμένα, καὶ δοῦλος ἦν τῶν ῥημάτων τούτων. οὐκοῦν προσῄει πρὸς ταῦτα ἡ διάνοια. ἐπέλαμπε γὰρ αὐτοῖς τὸ συνειδέναι. *Horum ſibi factorum conſcius erat, horum verborum ſeruus. nec quid his reſponderet mens quicquam ſuggerebat. ex iis enim conſcientia emicabat.* Chryſoſtomus in epiſtolam ad Romanos, homilia 12. Οὐχ ὁρᾷς δὲ ἐν τοῖς δικαστηρίοις, ὅτι οἱ μὲν ἠδικημένοι λαμπροί, καὶ μετὰ πολλῆς ἑστήκασιν τῆς παρρησίας ἐλευθεροστομοῦντες, οἱ δ' ἠδικηκότες κάτω κύπτοντες μετ' αἰσχύνης καὶ φόβου; *Nónne vides in iudiciis, eos qui iniuriam acceperint vultu explicato cum magna verborum libertate ſecurè loquentes? eos verò qui intulerint deiectos cum pudore & pauore?* Noſter pro Cluentio: *Oculi omnium Iudicum non in Scamandrum, ſed in Oppianicum coniiciebantur: timor eius perturbatio, ſuſpenſus incertúſque vultus, crebra coloris mutatio, quæ erant antea ſuſpicioſa, hæc aperta ac manifeſta faciebant.*

Orationis conſtantia ſignum bonæ conſcientiæ.

V. OPINIONES.] Quid ſit opinio, vide in Vatiniana §. 2. Aduerte tantùm hoc loco non eſſe nudas animi cogitationes, ſed earum etiam ſignificationem externam. Tranquillus Octauio cap. 51. *Quadam verò cognitione cùm Æmilio Æliano Cordubenſi inter cætera crimina vel maximè obiiceretur, quòd malè opinari de Cæſare ſoleret: conuerſus ad accuſatorem, commotóque ſimilis: Velim, inquit, hoc mihi probes: faciam ſciat Ælianus & me linguam habere: plura enim de eo loquar.* Eodem ſenſu Philipp. 2. §. 7. *Omne autem crimen tuum eſt quod de te in his litteris non malè exiſtimem.* vide locum. Iuſtinus libro duodecimo de Alexandro: *Hortatur milites*

Opinari.

ſuis ſcribere, rariorem habituros occaſionem propter militiam remotiorem. datos faſces epiſtolarum ad ſe tacitè deſerri iubet: ex quibus cognito de ſe ſingulorum iudicio, in vnam cohortem eos qui de Rege durius opinati fuerant, contribuit, aut conſumpturus eos, aut in vltimis terris in colonias diſtributurus. Rurſum Tranquillus libro citato cap. 67. *Coſmũ ſeruum grauiſſimè de ſe opinantem non vltrà quàm compedibus coërcuit.* in Caligula 27. *Serra diſſecuit. Nec omnes grauibus ex cauſſis, verum malè de ſuo munere opinatos, vel quòd nunquam per Genium ſuum deieraſſent.*

AXIOMATA.

Magna vis eſt conſcientiæ, & magna in vtramque partem, &c.

Cùm de facto vel iure quæritur, ſapiens Iudex conſiderat facti rationem, præſentiam animi, defenſionis conſtantiam.

Non ſolùm inimici malè de fortibus viris loquuntur, & exiſtimant, ſed etiam imperiti.

ARGVMENTVM.

Pergit rationes exponere, cur tum inimici Milonis, tum imperiti eum non putarent Romam eſſe rediturum, vt inde quòd fruſtrati ſunt opinione ſua, conſcientia Milonis magis eluceat.

SIVE enim illud animo irato, ac percito feciſſet, vt incenſus odio LXIV. trucidaret inimicum, arbitrabantur eum tanti mortem P. Clodij putaſſe, vt æquo animo patria careret, cùm ſanguine inimici expleſſet odium ſuum: ſiue etiam illius morte patriam liberare voluiſſet, non dubitaturum fortem virum, quin cùm ſuo periculo ſalutem Reip. attuliſſet, cederet æquo animo legibus, ſecum auferret gloriam ſempiternam, nobis hæc fruenda relinqueret, quæ ipſe ſeruaſſet. Multi etiam Catilinam, atque illa portenta loquebantur: erumpet, occupabit aliquem locum, bellum patriæ faciet. miſeros interdum ciues optimè de Republica meritos: in quibus homines non modò res præclariſſimas obliuiſcuntur, ſed etiam nefarias ſuſpicantur.

EXPLANATIO.

SIVE ENIM.] Exponit priùs quàm opinionem de Milone rerum imperiti concepiſſent, quorum ratiocinatio poteſt hoc dilemmate comprehendi.

Milo Clodium occidit, vel vt odium ſuum expleret, vel vt Remp. ab eius tyrannide liberaret.

Sed ſiue hac ſiue illa cauſſa occiderit non eſt Romam rediturus.

Ergo non redibit.

Aſſumptionem probat appoſita ad vtrumque membrum ratione, petita tùm à natura odij, tùm à fortitudine Milonis, qui patriam ſuis commodis præferebat.

TRVCIDARET INIMICVM.] Milo Clodium occideret.

FORTEM VIRVM.] Prudenter hanc Milonis laudem, vel ex opinione imperitorum interſerit, tum vt beneuolentiam captet, tum vt oſtẽdat adeò claram Milonis eſſe virtutem, vt nota ſit etiam imperitis. vbi etiam atque etiam aduerte ſingulorum verborum energiam. *Suo periculo ſalutem Reip. &c. cederet legibus,* &c. ſed tu, vt dixi attentè conſidera, vereor enim meis verbis eloquentiæ ſaporem obtundere.

CEDERET.] In exilium iret, & legibus hoc pacto parêret, quæ prohibent eum in vrbe remanere qui ciuem occiderit.

MVLTI.] Hactenùs de imperitorum ſermonibus, nunc oſtendit quos de Milone rumores ſparſerint eius inimici. Multi, inquit, dicebant Milonem id eſſe facturum, quod fecerat Catilina, qui portentoſo quodam ſcelere & monſtruoſa inſania iactatus patriæ bellum indixit, & eiectus è ciuitate *Quoniam quidem circumuentus, inquit, ab inimicis præceps agor, incendium meum ruina extinguam.* vt refert Salluſtius.

ERVMPET.] Non eo ſenſu, opinor, dicitur erupturus Milo quo noſter de Catilina: *Diſceſſit, abiit, euaſit, erupit:* ſed ſenſus eſt. Milo erumpet in lucem, ſuáque conſilia proferens patriæ bellum indicet, eáque palàm faciet, quæ iampridem molitur.

OCCVPABIT.] Aliquam vrbem munitam inuadet, ex qua patriæ bellum poſſit inferre.

MISEROS.] Commodè & ſuo loco locum moralem interſerit, tum vt auditores illa varietate delectet, tùm vt iudicium animos leuiter tracter & afficiat erga Milonem: tum vt hac lamentatione verè & ex animo loqui videatur.

NOTÆ.

ANIMO PERCITO] Ad cædem faciendam inſtigato, &, vt explicat Nonnius perculſo. Plautus in Amphitruone: I.

Delirat vxor, atrâ bili percita eſt.

Totus autem hic locus ex Andocide oratione de Myſteriis videtur expreſſus qui ipſo exordio ſuam innocentiam hinc oſtendit, quod ſe cùm fugere poſſet iudicio ſe voluntarius obtuliſſet. eius verba ſunt pauca de multis. ὁπόσοι δὲ πιστεύσαντες μηδὲν ἀδικεῖν, ὑπέμειναν, δίκαιοι ἐστὲ καὶ ὑμεῖς περὶ τούτων τοιαύτην ἔχειν τὴν γνώμην, οἵαν περ καὶ αὐτοὶ περὶ αὑτῶν ἔσχον, καὶ μὴ καταγινώσκειν ἀδικεῖν. *Quotcunque verò nullam ſe feciſſe iniuriam rati ſubſtiterunt, & vos debetis de iiſdem eandem opinionẽ habere, quam ipſi de ſeipſis habuerunt, nec eos admiſſi facinoris dãnare.* Mox vt hic Tullius imperitos, ita ille ſuos ini-

micos loquentes inducit: ὅτι λέγουσιν οἱ ἐχθροί, ὡς ἄρα ἐγώ, οὔτ' ἂν ὑπομείναιμι, οἰχήσομαί τε φεύγων. Τί γὰρ ἂν καὶ βουλόμενος Ἀνδοκίδης ἀγῶνα τοσοῦτον ὑπομένοι; *Dixerint inimici, necnon remanſurum fuiſſe, ſed fugiturum. Quid enim ſibi volens Andocides hoc iudicium ſubeat?* &c.

II. SANGVINE INIMICI EXPLESSET ODIVM.] Supra 59. *Non ſanguine & vulneribus ſuis crudeliſsimi inimici mentem, oculóſque ſatiauit.* quem loquendi modum Noſter paſſim vſurpat. Maro 2. Æneidos.

-tamen & ſumpſiſſe merentis
Laudabor pœnas, animúmque expleſſe iuuabit.

5. *Iunonis grauis ira, & inexſaturabile pectus.*
7. *-odiis haud exſaturata quieui.*

Quæ loquendi ratio ab ipſa odij natura profluxit. qui enim alium peſſimè oderunt, eius expeterent carnibus ſaturari. Achilles Hectori 22. Iliados v. 346.

Αἲ γάρ πως αὐτόν με μένος καὶ θυμὸς ἀνείη
Ὠμ' ἀποταμνόμενον κρέα ἔδμεναι, οἷά μ' ἔοργας.
Atque vtinam nudis laniatos dentibus artus
Manducare queam (tanta eſt iniuria) crudos.

4. Iliados v. 35.

Ὠμὸν βεβρώθοις Πρίαμον, Πριάμοιό τε παῖδας,
Ἄλλους τε Τρῶας, τότε κεν χόλον ἐξακέσαιο.
Crudum manduces Priamum, Priamiq; titinnos
Troianóſque alios, ſic tandem expleueris iram.

Summi odij ſignum velle crudas inimici carnes mãducare, ſanguinémque ſorbere.

Priorem verſum à Labeone latinitate donatum ridet Cornutus, ſed nec ego potui meliùs, & vellem ipſe vno verſu elegantius protuliſſet. Xenophon lib. 3. Græcanicorum: Οὐδεὶς ἂν δύνασθαι κρύπτειν, τὸ μὴ οὐχ ἡδέως ἂν καὶ ὠμῶν ἐσθίειν αὐτῶν. *Cùm non poſſent quin eos libenter, crudos etiam manducarent.* quam crudelitatem Nero cùm per ſe exercere non poſſet, conatus eſt per alium expromere. Tranquillus cap. 37. *Creditur etiam polyphago cuidam Ægyptij generis, crudam carnem, &, quicquid daretur, mandere aſſueto, concupiſſe viuos homines laniandos abſumendóſque obiicere.* Exempla poterant exhiberi, vt de Tentyreis apud Iuuenalem ſat. 15. de Tydeo apud Statium 8. Thebaidos & aliis. ſed tu vide. Atque ex hac odiorum immanitate fortaſſe factum fuerit cur à culina ad pugnam metaphoræ ducerentur. Theophraſtus in characteribus de famigeratione. ταὐτὰ γὰρ λέγειν περὶ τῆς μάχης, καὶ πολὺν τὸν ζωμὸν γεγονέναι. *Eadem enim de prælio ab omnibus narrari: magnum nimirum ea pugna fartum eſſe factum.* & Comicus ipſo initio Militis glorioſi.

Nam ego hanc machæram mihi conſolari volo,
Ne lamentetur, néve animum deſpondeat,
Quia ſe iampridem feriatam geſtitem,
Quæ miſera geſtit fartum facere ex hoſtibus.

Tractum vt notant Lambinus in eum locum, & Muretus lib. 3. var. lect. cap. 9. à fartoribus, vt quoniam farcimina, & iſitia. *E carnibus minutiſsimè diſſectis fieri ſolent, diceretur machæra geſtire hoſtes ita minutatim concidere, vt ex eis farcimen fieri poſſet.* Ariſtophanes, vt Lambinus & Caſaubonus notant, idem vſurpat, ſed nec locum citant, & aliquid mutant in verbis auctoris, quæ ſic habentur in Equitibus.

Περικόμματ' ἐκ σοῦ σκευάσω.
Fartum ex te faciam.

Vbi Scholiaſtes: Περικόμματα τὰ ἐκ τῶν μαγείρων περικοπτόμενα τῶν κρεῶν. ὃ δὲ βούλεται λέγειν τοιοῦτόν ἐστι, κατὰ μέρος σου κόψω τὸ σῶμα. *Farta dicuntur carnes à coquis circumabſciſſæ. Quod autem vult dicere hoc eſt, tuum corpus in fruſta comminuam.* Huc referri poſſint & illa D. Laurentij ad Tyrannum verba apud Prudentium:

Tunc ille, coctum eſt deuora,
Et experimentum cape
Sit crudum, an aſſum ſuauius.

Et iocus ille Ciceronis de Antonio, qui habetur lib. 10. ad famil. epiſt. ad Trebonium 28. *Quàm vellem ad illas pulcherrimas epulas me Idibus Martiis inuitaſſes: reliquiarum nihil haberemus. at nunc cum his tantùm negotij eſt vt veſtrum illud diuinum in Rempub. beneficium nonnullam habeat querelam.* Sic etiam vt ſuum in garrulos odium oſtenderet: Ἄλεξις σκωπτόμενος ὑπό τινων σπερμολόγων εἰς ὀψοφαγίαν, ἐρομένων δ' ἐκείνων, τί ἂν ἥδιστα φάγοι, ὁ Ἄλεξις, Σπερμολόγους, ἔφη, πεφρυγμένους. *Alexis à quibuſdam loquacibus ob voracitatem irriſus, rogatúſque quid iucundiſsimè manducaret, garrulos, inquit, frixos.*

SVO PERICVLO.] Bene facit periculi mentionem, vt virtutem Milonis magis oſtendat, ita Pindarus in Olympiis, Ode 5. ſtrophe 1. III.

-ἀκίνδυνοι δ' ἀρεταὶ
Οὔτε παρ' ἀνδράσιν, οὔτ' ἐν ναυσὶ κοίλαις
Τίμιαι. πολλοὶ δὲ μέμνανται, καλὸν εἴ τι ποναθῇ.
-quæ ſine periculo ſunt virtutes
Neque apud homines, neque in nauibus cauis
Sunt honoratæ. multi verò faciunt mentionem, ſi quid pulchrum cum labore perfectum eſt.

Labor & periculum gloriæ pater.

Euripides Heraclidis:

Πόνος γάρ, ὡς λέγουσιν, εὐκλείας πατήρ.
Eſt namque, vt aiunt, Gloriæ pater labor.

& alibi apud Stobæum, ſermone περὶ πόνου.

Οὐδεὶς γὰρ ὢν ῥάθυμος εὐκλεὴς ἀνήρ
Ἀλλ' οἱ πόνοι τίκτουσι τὴν εὐδοξίαν.

Seneca epiſtola quadam. *Scit illum ſine gloria vinci, qui ſine periculo vincitur.*

CEDERET ÆQVO ANIMO LEGIBVS.] IV. Legibus cedendum diuina quadam eloquentia probat. Plato in Critone ſub finem, vbi leges ipſas ita loquentes inducit. ἢ οὕτως εἶ σοφὸς ὥστε λέληθέ σε ὅτι μητρός τε καὶ πατρὸς, καὶ τῶν ἄλλων προγόνων ἁπάντων τιμιώτερόν ἐστι πατρὶς καὶ σεμνότερον, καὶ ἁγιώτερον, καὶ ἐν μείζονι μοίρᾳ καὶ παρὰ θεοῖς καὶ παρ' ἀνθρώποις τοῖς νοῦν ἔχουσι; καὶ σέβεσθαι δεῖ, καὶ μᾶλλον ὑπείκειν, καὶ θωπεύειν πατρίδα χαλεπαίνουσαν ἢ πατέρα; καὶ ἢ πείθειν, ἢ ποιεῖν ἃ ἂν κελεύῃ; καὶ πάσχειν, ἐάν τι προστάττῃ παθεῖν ἡσυχίαν ἄγοντα; ἐάν τε τύπτεσθαι, ἐάν τε δεῖσθαι, ἐάν τε εἰς πόλεμον ἄγῃ τρωθησόμενον καὶ ἀποθανούμενον ποιητέα ταῦτα, καὶ τὸ δίκαιον οὕτως ἔχει; καὶ οὐχ ὑπεικτέον, οὐδ' ἀναχωρητέον, οὐδὲ λειπτέον τὴν τάξιν; &c. βιάζεσθαι δ' οὐχ ὅσιον οὔτε μητέρα, οὔτε πατέρα; πολὺ δὲ τούτων ἧττον τὴν πατρίδα. *Taliſne eſt tua ſapientia vt ignores patriam & matre & patre & maioribus omnibus pretioſiorem, auguſtiorem, ſanctiorem & maioris cuiuſdam ſortis pretio & reuerentia, & apud Deos & apud prudentes homines eſſe colendam atque venerandam? iratæque adeò patriæ & excandeſcenti potiùs cedendum, & quaſi aſſentandũ quàm ipſi patri? & ipſi perſuadendum, aut quicquid imperarit faciendum? & quicquid nos pati voluerit, patiendum? patientérque acquieſcẽdum, licet grauia impoſuerit: ſed ſubeunda verbera ſeu vincula, ſeu ad bellum vbi vulnera ſua accepturus, præſentémque adeò mortem proficiſcendum: hæc omnia facienda, & æquum iuſtúmque ita poſtulat. Nimirum nec cedendum aut declinandum, neque ſtatio eſt deſerenda, &c. Vim autem inferre, neque matri, neque patri fas eſt, multo profectò minus patriæ?*

Cedendum patriæ.

longiorem, inquies, orationem, & ſine delectu, ſed vbi cuncta eminent quia poſſit haberi delectus? plura proferrem, ſed laſſatus magis quam ſatiatus abſiſto.

V. Erumpere bellum. ERVMPET.] Pro Sextio 9. *Cùm illa coniuratio ex latebris atque ex tenebris erupiſſet, palamque armata volitaret.* & alibi frequenter, translatio ducta videtur ab apoſtematibus cùm humores noxij diu collecti tandem erumpunt, ſic bella ciuilia quæ clãdeſtinis conſiliis diu conflata ſunt, rupto vt ita dicam tumore ſe expromunt. ſic Valerius lib. 2. *Mors Druſi iampridem tumeſcens bellum excitauit Italicum.* Maro 1. Georg. de Sole:

-ille etiam cæcos inſtare tumultus
Inſidias, fraudémque & operta tumeſcere bella
Admonet.

RES PRÆCLARISSIMAS OBLIVISCVNTVR.] Non abludit illud comici Pœnulo, ſcen. *Age tu.*

Si quid bene facias, leuior pluma eſt gratia.
Si quid peccatum eſt, plumbeas iras gerunt.

AXIOMATA.

Nonnulli æquo animo patria carent, cùm ſanguine inimici expleſſint odium ſuum.
Vel cum capitis periculo ſalus Reip. eſt adſerenda.
Cedendum æquo animo legibus.
In ciuibus optimè de Rep. meritis homines interdum non modò res præclariſſimas obliuiſcuntur, ſed etiam nefarias ſuſpicantur.

ARGVMENTVM.

Concludit ſuperius argumentum, & enumerat ea crimina, quæ in Milonem etiam poſtquam reuerſus eſt, congeſta ſunt, quaſi ſe ille ad bellum ciuile, & vrbis incendium compararet, ex quorum criminum falſitate Milonis innocentiam, tot inimicorum calumniis appetitam magis illuſtrat.

ERGO illa falſa fuerunt, quæ certè vera extitiſſent, ſi Milo admiſiſſet aliquid, quod non poſſet honeſtè veréque defendere. Quid, quæ poſtea ſunt in eum congeſta? quæ quemuis etiam mediocrium delictorum conſcientiâ perculiſſent, vt ſuſtinuit, dij immortales! ſuſtinuit? immò verò vt contempſit, ac pro nihilo putauit! quæ neque maximo animo nocens, neque innocens, niſi fortiſſimus vir, negligere potuiſſet. ſcutorum, gladiorum, frenorum, ſparorum, pilorúmque etiam multitudo deprehendi poſſe iudicabatur: nullum in vrbe vicum, nullum angiportum eſſe dicebant, in quo Miloni non eſſet conducta domus: arma in villam Ocriculanam deuecta Tiberi: domus in cliuo Capitolino ſcutis referta: plena omnia malleolorum ad vrbis incendia comparatorum. Hæc non delata ſolùm, ſed pænè credita: nec ante repudiata ſunt, quàm quæſita. LXV.

EXPLANATIO.

ERGO ILLA] Vide qua ratione ſyllogiſmum tractarit, qui fieri poterat hoc pacto.

Si Milo ſibi ſceleris conſcius fuiſſet, non reuerſus fuiſſet in vrbem, ſed ea feciſſet quæ & imperiti ſuſpicabantur, & inimici iactabant in vulgus.

Atqui Milo reuerſus eſt in vrbem, nec ea fecit quæ iactabantur.

Ergo nullius ſibi ſceleris conſcius fuit.

Propoſitio poſtremis verbis continetur. *quæ certè vera*, &c. *veréque defendere.* Aſſumptio eiúſque probationes ab illis verbis. §. 63. *An verò obliti*, &c. ad illa §. 65. *Ergo illa falſa fuerunt* extenditur. at §. 62. & 63. partim concluſio, partim aliqua propoſitionis ſemina clauduntur.

QVID.] Altera pars de criminibus quæ poſt reditum congeſta ſunt.

QVÆ QVAMVIS.] Emendat Lambinus: *Quæ quemuis etiam mediocrium delictorum conſcium perculiſſent.* Verùm vt Andreæ Schotti libro 3. nodorum Ciceronianorum, cap. 13. verbis vtar. *Quidni Latinè dixerim criminum aliquem conſcientia percelli, non ſecus atque ira furiis ac furore agitari.* quare legit, è membranis, & tuetur hanc lectionem. *Quæ poſtea ſunt in eum congeſta, quæ quemuis etiam mediocrium delictorum. conſcientia perculiſſent, vt ſuſtinuit, Dij immortales!* Sed in his libenter non tricor: nec video quid opus ſit à vulgata lectione diſcedere, quidni enim liceat hunc locum ſine vlla mutatione ſic explicare. *Crimina tam atrocia congeſta ſunt in Milonem, vt ea ſua atrocitate percellere & terrere potuerint conſcientiam Milonis, ſi delictorum quantumuis mediocrium conſcientiam habuiſſet.* Atque hæc dicta ſint non in contumeliam doctorum virorum, ſed, vt videas quantum litteris emolumenti parere potuerint, ſi aciem illam ingenij ſui ad res maioris momenti ab his emendationum apicibus traducere voluiſſent.

VT SVSTINVIT.] Orationem triplici figura illuſtrat interrogatione, exclamatione correctione. quaſi diceret, quanquam lapſus ſum verbo, quid dico ſuſtinuit?

QVÆ NEQVE.] Aduerte antitheſim pulcherrimam.

SCVTORVM.] Enumerat varia armorum genera quæ Milo tanquam bellum ciuile concitaturus eſſet, dicebatur iam ſibi comparaſſe. de quibus vide Notas.

FRÆNORVM, SPARORVM.] Monet Lambinus vocem *frænorum* commodam non

videri, ideóque delendam. *ſparorum* etiam in quibuſdam exemplaribus deeſſe. ego neutram auſim inducere, nec tamen legero *framearum*, loco *frænorum*. quæ vox margini paſſim adſcribitur.

NVLLVM ANGIPORTVM.] Vicum auguſtiorem quo tanquam compendio ex vno vico in alium commeatur, in quo Milo domum non conduxiſſet, vt in eam arma comportaret, quibus ad delendam & incendendam vrbem vteretur.

MALLEORVM.] Vide Notas.

DELATA.] Ad Cn. Pompeium.

REPVDIATA.] Fides eis denegata.

NOTÆ.

I. Correctionis oratoriæ exempla. SVSTINVIT?] Auſonius in gratiarum actione. *Quis enim locus eſt, aut dies qui non me huius aut ſimilis gratulationis admoneat? admoneat autem? ô inertiam ſignificationis ignauæ! quis, inquam, locus eſt qui non beneficiis tuis agitet, inflammet?* Crebro noſter, vt libro 5. ad Attic. epiſt. 4. *O Prouincia! Prouincia! Etiámne hic mihi curandus eſt? curandus autem?* Pro Sextio 53. *Illo, inquam, ipſo die, die dico? immò horâ atque etiam puncto temporis eodem mihi Reique publicæ pernicies, Gabinio & Piſoni prouincia rogata eſt.*

II. Scutum à Græco σκύτους. SCVTORVM.] Scuti & clypei diuerſitatem oſtendit Lipſius de militia Romana lib. 3. dialogo 2. tantùm aduerte nomen à Græco σκύτους videri deductum, quòd taurorum pellibus & coriis tegerentur. Virgilius 10. Æneidos:

Scutus. *Cùm pellis toties obeat circumdata tauri.*

& alibi paſſim, ne morer. Turpilius apud Nonnium vſurpat genere maſculino.

Quia non minùs res hominem, quàm ſcutus tegit.

Abs re non fuerit optima Turnebi verba exſcribere è libro 11. aduerſ. cap. 27. vbi laudauit Liuium lib. 8. *Clypeis antea Romani vſi ſunt, deinde poſtquam facti ſunt ſtipendiarij, ſcuta pro clypeis fecere.* Subiungit: Sed & Liuius lib. 1. primæ claſſi imperatum dicit eſſe clypeum cum galea, ocreis, lorica; ſecundæ pro clypeo ſcutum, & præter loricam eadem omnia. vbi Dionyſius Halicarnaſſ. lib. 4. antiq. Rom. pro clypeo ἀσπίδα Græcè ſcribit, pro ſcuto θυρεόν. Igitur clypeus rotundus erat, vt Virgilio auctore intelligi poteſt 3. Æneidos.

Argolici clypei aut Phœbææ lampadis inſtar.

vnde & paſſim orbis clypei nominatur. 2.

-clypeíque ſub orbe teguntur.

Scuti & clypei diuerſitas. pergit. Scutum formæ oblongæ maiúſque clypeo. Itaque pro clypeo ſecundæ claſſi datum, quod ſine lorica eſſent, vt ſcutum & clypei & loricæ loco eſſet, & totum corpus protegeret. 8. Æneid. *-ſcutis protecti corpora longis.* hinc & θυρεὸν Græci vocant, quod referat ſimilitudinem forium, quæ longiores quàm latiores ſolent eſſe. Sed Lipſius conſulatur: neque enim operæ fuerit hîc notare, quæ ſit inter hæc duo & parmam, aclidem, cetram, peltámque diſtinctio.

III. Gladij. GLADIORVM.] De gladiis ibidem Lipſius. aduerte milites non ſolùm gladium habuiſſe, ſed etiam pugionem, vt nunc vſu receptum eſt. Ioſephus lib. 3. de excidio, cap. 6. Οἱ μὲν πεζοὶ θώραξί τε πεφραγμένοι, καὶ μαχαίρας φοροῦντες ἀμφοτέρωθεν. μακρότερον δ' αὐτῶν τὸ λαιὸν ξίφος πολλῷ, τὸ γὰρ κατὰ δεξιὸν ἀποσπιθαμῆς οὐ πλέον ἐστὶ μῆκος. *Pedites loricis armati & gladios vtrimque geſtantes, longiorem quidem illum ad ſiniſtrum latus: nam qui ad dextrum eſt palmi, ſine duodecim digitorum menſuram non excedit.* Varia porrò fuerunt genera gladiorum, *enſes, ſicæ, machæræ, ſpatæ, lingulæ, pugiones, climaculæ.* quæ à Gellio numerantur cap. 25. lib. 10. Noct. Attic. vide etiam Alexandrum lib. 6. Genalium dierum, & Tranquillum interpretem. & nos ad Philipp. 2. §. 20.

FRAMEARVM.] Vereor vt hoc vocabulum ſit in peregrinitatem redigendum, cùm æuo Tullij, ante cognitos Germanos, vix dum in vſu fuiſſe videatur. Cornelius Tacitus de moribus Germanorum. *Rari gladiis aut maioribus lanceis vtuntur. haſtas, vel ipſorum vocabulo frameas gerunt, anguſto & breui ferro, ſed ita acri, & ad vſum habili, vt eodem telo, prout ratio poſcit, vel eminus vel comminus pugnent.* Iuuenalis ſat. 3. IV Framea.

Et Martis frameam, & Cirrhæi ſpicula vatis.

Gloſſæ Græcolatinæ. Ῥομφαία, *framea, gladium.* Sed neutrum bene, vt arbitror. Frameam enim gladium fuiſſe diſertis verbis negat Tacitus, & innuit ne quidem fuiſſe romphæam. nam frameas ait fuiſſe haſtas breuiores. at Liuius dec. 4. lib. 1. romphæam ita deſcribit: *Thracas romphææ ingentis & ipſæ longitudinis inter adiectos vndique ramos impediebant.* Adde quod romphæa Thracum fuit, framea Germanorum, vt Romanorum Pila, Geſa Gallorum & Maſſagetarum, ſariſſa Macedonum, lancea Hiſpanorum, acinacis Medorum, gladius Lacedæmoniorum, falarica Saguntinorum, ſagaris Perſarum, Teutonum cateiæ, ſecuris Amazonum, &c. Rhomphæa.

SPARORVM.] Nonnius de genere armorum. *Sparus telum agreſte.* Virg. V. Sparus.

Agreſtiſque manus armat ſparus.

Varro Meleagris.

Aut ille ceruum qui volatilem currens
Sparo ſecutus tragulâve traiecit.

Sic enim malo cum viris doctis, quàm *volabile & traiecit.* Siſenna hiſt. lib. 3. *Sparis ac lanceis eminus peterent hoſtes.* Paulus ex Feſto: *Spara minimi generis iacula, à ſpargendo dicta.* Lucilius.

Tum ſpara, tum rumices portantur, tragula porro.

Sic enim vt legam facit tum ratio quantitatis, non *murices*, tum Nonnius idem citans, tum Feſtus ipſe alibi. *Rumex, genus teli ſimile ſpari Gallici.* vbi & hoc ipſum protulerat, vt liquet è relictis ſcripturæ veſtigiis. atque facilè inducor vt credam hos eſſe quos loco citato Gellius *rumigeſtios* appellat ſtatim poſt *ſpari* mentionem. Qui tamen hanc vocem è textu Ciceronis explodunt, ſuam videntur habere rationem. nam ſi de bello cogitaſſet, nō ſparos ſibi, ſed tela militaria comparaſſet. nam vt ait Marcellus: *Sparos lanceæ,* lego *Spari & lanceæ tela ſunt non militaria.* Salluſtius Catilinæ bello: *Sed ex omni copia circiter pars quarta erat militaribus armis inſtructa: cæteri, vt quoſque caſus armauerat, ſparos aut lanceas, alij præacutas ſudes portabant.* Rumex. Lancea.

PILORVM.] Vide Piſon. §. 38. & præcipuè Lipſium de Militia Romana, lib. 3. dial. 4. VI.

ANGIPORTVM] *Angiportus* auctore Feſto: *iter compendiarium in oppido: eo quod ſit anguſtus portus, id eſt aditus ad portum.* Vereor vt Paulus hunc locum mutilando corruperit. notat tamen Feſtus alibi. *Portum in duodecim pro domo poſitum omnes fere conſentiunt.* CVI TESTI- VII. Angiportus.

MONIVM DEFVERVNT, IIS TERTIIS DIEBVS OB PORTVM OBVAGVLATVM ITO. Cùm autem noſter in ſingulis angiportis ædes fuiſſe conductas, per angiporta ſiue angiportus, non ipſos anguſtos & compendioſos tranſitus quibus à vico ad vicum commeatur, intelligit, ſed ipſos domorum ordines qui ſunt interiecti, & hinc inde illis viarum anguſtiis finiuntur. ita Plautus in Pſeudolo Sc. *Minus malum.*

Habui numerum ſedulo, hoc eſt ſextum à porta proximum
Angiportum, in id angiportum me deuorti iuſſeras.
Quotumas ædeis dixerit id ego admodum incerto ſcio.

Commodum autem in angiportis locum ad inſidias, & vrbis incẽdium fingebant à Milone fuiſſe delectum, quia angiportus fuerunt vicis occultiores & tegendis armis, eruptionique faciendæ aptiores. Plautus Moſtell. Sc. *Qui homo.*

Abij illà per angiportum, ad hortum noſtrum clanculum.
Oſtium quod in angiportu eſt, horti patefeci fores
Eâque eduxi omnem legionem, &c.

Et ob has latebras in angiportis videntur verſatæ præcipuè meretrices. Catullus:

At nunc in triuiis & angiportis
Glubit magnanimos Remi nepotes.

Vlpianus D. De verb. ſignif. 59. *Portus appellatus eſt concluſus locus, quo importantur merces, & inde exportantur. Eâque nihilominùs ſtatio eſt concluſa, atque munita. inde angiportum dictum eſt.*

VIII. OTRICVLANAM.] Immò Ocriculam, vt notam Lambinus & Fabricius. Strabo libro 5. Κατ' αὐτὴν μὲν τὴν Φλαμινίαν οἵ τ' Ὀκρίκολοι πρὸς τῷ Τιβέρει. *Iuxta viam Flaminiam Ocriculi ad Tiberim.* Stephanus: Ὀκρίκολα πόλις Τυῤῥηνῶν. *Ocricula vrbs Tyrrhenorum*, &c.

MALLEOLORVM.] Ammianus l. 20. *Faceſque cum tædis & malleolis ad exurendum imminens malum vndique conuolabant.* Quos lib. 23. accuratè deſcribit: *Malleoli autem, teli genus figurantur hac ſpecie. Sagitta eſt cannea inter ſpiculum & arundinem multifido ferro coagmentata, quæ in muliebris coli formam qua nentur lintea ſtamina concauatur ventre ſubtiliter, & pluriſariàm patens, atque in alueo ipſo.* legerim: *in aluo ipſa ignem cum aliquo ſuſcipit alimento. & ſic immiſſa lentiùs arcu inualido (ictu enim rapidiore extinguitur) ſi hæſerit vſquam tenaciter cremat, aquiſque conſperſa acriores excitat æſtus incendiorum, nec remedio vllo quàm ſuperiecto puluere conſopitur.* Nonnius de genere armorum aliter videtur deſcribere: *Malleoli manipuli ſpartei pice contecti, qui incenſi aut in muros, aut in teſtudines iaciuntur.* Siſenna hiſtor. lib. 4. *De quibus partim malleolos, partim faſces ſarmentorum incenſos ſupra vallum frequentes* iaciebant. Gloſſarium: *malleolus*, πυρέκβολα. quod inſtrumentum, vt Bonifacius Vulcanus me docuit, Heſychius ἀσύοχον appellat: ἀσύοχος ἄγγος περιφερὲς εἰς ὃ ἐγχέοντες πίσσαν καὶ θεῖον καὶ στυπεῖον ἠκόντισαν, καὶ ἔνθα ἐφέρετο ἔκαιε τὰ προσυγχάνοντα. ἔστι δὲ καὶ γένος λίθου, καὶ ξηροῦ ξύλου, καὶ πεπισσωμένου. *Malleolus vas rotundum, quod infuſa pice, ſulphure, & ſtupis ingeſtis iaciebant. & quacunque ferebatur, vrebat quicquid occurreret. eſt etiam lapidis genus, & ligni aridi, pice alliti.* De his etiam ignibus intelligendus & Dio lib. 55. Τοῦ δὲ δήμου σφόδρα ἐγκειμένου τῷ Αὐγούστῳ ἵνα καταγάγῃ τὴν θυγατέρα αὐτοῦ, θᾶσσον ἔφη πῦρ ὕδατι μιχθήσεσθαι, ἢ ἐκείνην καταχθήσεσθαι. καὶ ὁ δῆμος πῦρα ἐς τὸν Τίβεριν πολλὰ ἐνέβαλε, καὶ τότε μὲν οὐδὲν ἤνυσεν, &c. *Populo multis precibus obſecrante Auguſtum vt filiam reuocaret, reſpondit ignem aquæ potiùs eſſe miſcendum, quàm tam ab exilio reuocandam. & populus multos ignes in Tiberim iniecit, neque tamen quicquam tum impetrauit.* Cur autem hos ignes Græcos vulgus appellet, ea videtur eſſe ratio vel quod Græci contra Troiam inuenerint, ad quos malleolos alluſerit Homerus, dum Vulcanum cum Xantho pugnare, & ignes in mediis aquis ardere fabulatur, Iliados φ'. à verſu 330. ad 382. quos ignes ſola Iuno repreſſerit. cuius nomine multi terram intelligunt. Theodoretus de curat. Græc. affect. tertia oratione: Πλούταρχος γὰρ ὁ Χαιρωνεὺς τὴν γῆν προσαγορεύει Ἥραν. *Plutarchus enim Chæroneus terram Iunonem nominauit.* Plutarchi verba refert Euſebius lib. tertio præp. Euangelicæ cap. primo, ex opuſculo de Dædalis apud Platæas. vide. vel Græci dicti ſunt, quòd ſulphur Græcum eorum temperaturæ miſceatur. de quorum confectione vide quæ Albertus Magnus, Ioãnes Baptiſta à Porta, Cardanus de ſubtilitate, Iulius Cæſar Scaliger exercitatione decima tertia in eundem, Iacobus Vvekecius ex iis, & alij litteris prodiderunt. vt iam fabuloſa non arbitrer quæ à variis traduntur de ignibus qui aqua magis inardeſcant, & ſola iniectione pulueris extingui poſſe videantur, quale illud eſt apud Antigonum in mirabilium narrationum congerie hiſtoria CLXXXII. & Plinium libro 2. cap. CVI. *Flagrat in Phaſelide mons Chimæra, & quidem immortali diebus & noctibus flamma. ignem eius accendi aquâ, extingui verò terrâ aut fœno Gnidius Cteſias tradit.* Dio lib. 41. ignem Apolloniæ deſcribit, qui πρός τε τὰς ἐπιχύσεις τῶν ὄμβρων ἐπαύξει καὶ ἐς ὕψος ἐξαίρεται. *imbrium effuſionibus augetur, & in altum attollitur.* Vide immò & mirum illud incendium ex cauſſa naturali prouenire potuit, de quo Tacitus decimo tertio annalium: *Ciuitas Iubonum ſocia nobis malo improuiſo afflicta eſt, nam ignes terra editi villas, arua, vicos paſſim corripiebant, ferebanturq. in ipſa conditæ nuper coloniæ mœnia. neque extingui poterant non ſi imbres caderent, non ſi fluuialibus aquis, aut quo alio humore niterentur, donec inopiâ remedij, & irâ cladis, agreſtes quidem eminùs ſaxa iacere, dein deſidentibus flammis propiùs ſuggreſſi, ictu fuſtium aliiſque verberibus vt feras abſterrebant: poſtremò tegmina corpori direpta iniiciunt, quanto magis profana, & vſu polluta, tanto magis oppreſſura ignes.* Hæc, inquam fabulis non aſcribo, cùm ars naturæ imitatrix hanc inuenire potuerit temperiem qualitatum, quæ ignem in mediis aquis ſeruaret. fabuloſius eſt oleum illud quod ex ingenti verme exprimi Cteſias refert apud Photium: Καὶ τὸ ἔλαιον ἀποσφραγισάμενοι, ἄγουσι τῷ βασιλεῖ τῶν Ἰνδῶν. ἄλλῳ δ' οὐκ ἔξεστιν ἐξ αὐτοῦ ἔχειν. τοῦτο δ' ἔλαιον, ὡς πῦρ ἐστίν, ᾧ ἂν ἐπιχυθῇ, ἀνάπτει καὶ καταφλέγει ξύλα καὶ ζῶα. καὶ ἂν ὡς οὐ σβέννυται εἰ μὴ πηλῷ πολλῷ τε καὶ παχεῖ. *Oleum autem, adhibitis cuſtodibus, ad ſolum Indorum Regem mittunt. alij enim id habere non licet. oleum hoc id cui ſuperfuſum fuerit, accendit, & ligna pariter animaliáque comburit: ſolóque luto & eo quidem craſſo extinguitur.*

Ignes Græci.

Malleoli deſcriptio.

ARGVMENTVM.

Occaſione rumorum qui fuerant de Milone diſſipati, ſuſpiciones & metus Pompeij diluit, & ne eius animum iam ſatis à cauſſa Milonis alienum exulceret, miro artificio tractat, & ſuſpicionum cauſſas emollit.

LXVI. LAVDABAM equidem incredibilem diligentiam Cn. Pompeij, ſed dicam, vt ſentio, Iudices, nimis multa audire coguntur, neque aliter facere poſſunt ij, quibus tota commiſſa eſt Reſpub. quin etiam audiendus ſit Popa Licinius neſcio quis de Circo maximo, ſeruos Milonis apud ſe ebrios factos, ſibi confeſſos eſſe, de interficiendo Cn. Pompeio coniuraſſe: deinde poſtea ſe gladio percuſſum eſſe ab vno de illis, ne indicaret. Pompeio in hortos nunciauit. arceſſor in primis. de amicorum ſententia rem defert ad Senatum: non poteram in illius mei, patriæque cuſtodis tanta ſuſpicione non metu exanimari: ſed mirabar tamen credi Popæ: ebrioſorum confeſſionem ſeruorum audiri: vulnus in latere, quod acu punctum videretur, pro ictu gladiatoris probari.

EXPLANATIO.

LAVDABAM.] Aduerte Oratoris prudentiam, quod in his ſuſpicionibus leui & beneuola interpretatione virtuti dari potuit, id tribuit ipſi Pompeio: quod vituperari, id excuſat à neceſſitate, neque Pompeio peculiare eſſe dicit, ſed iis omnibus commune quibus tota Reſpub. commiſſa eſt.

POPA LICINIVS.] Aſconius rem ita declarat: *Priùs etiam quàm Pompeius ter Conſul.* (legerim *tert. Coſſ.* id eſt, tertio vel tertium Coſſ. de qua locutione Gellius habet elegantem hiſtoriam) *Priuſquam Pompeius tert. Coſſ. crearetur tres Tribuni Qu. Pompeius Rufus, C. Salluſtius Criſpus, L. Munatius Plancus cùm cotidianis concionibus ſuis magnam inuidiam Miloni propter Clodium excitarant, produxerant ad populum Cn. Pompeium, & ab eo quæſierant, num ab eo delatum eſſet, illud quoque indicium, ſuæ vitæ inſidiari Milonem. Reſponderat Pompeius Licinium quendam de plebe ſacrificorum, qui ſolitus eſſet familias purgare, ad ſe detuliſſe ſeruos quoſdam Milonis, itémque liberos comparatos eſſe ad cædem ſuam, nomina quoque ſeruorum edidiſſe, ad Milonem miſiſſe vt eos in poteſtate ſua haberet, à Milone reſponſum eſſe ex iis ſeruis, quos nominaſſet, partim neminem ſe vnquam habuiſſe, partim manumiſiſſe, deinde cùm Licinium apud ſe haberet, Lucium quendam de plebe ad corrumpendum indicem veniſſe, qua re cognita in vincla eum publica eſſe coniectum.* Quæ res ſi contigit ante tertium Pompeij conſulatum, vt iſte refert, iam Ciceronis excuſatio vix locum obtinebit, niſi fortaſſe dicatur totam Rempub. etiam tum fuiſſe commiſſam, quia iam tum decreuerat Senatus, vt cum interrege & Tribunisplebis Pompeius, qui tum Proconſul ad vrbem erat, daret operã ne quid Reſp. detrimenti caperet.

DE CIRCO.] Hic Licinius ad Circum maximum popinam videtur habuiſſe, & ibi vinum vendidiſſe.

SERVOS MILONIS.] Suſpicor Euclamum & Birriam gladiatores intelligi. nam eos qui ſunt nominati, partim libertate donauerat, vt vidimus, & probabile eſt hos duos, cùm Milo *duodecim ſeruos qui maximè operam nauaſſent*, manumiſit, non fuiſſe prætermiſſos.

IN HORTOS.] Ad quos Pompeius ſeceſſerat. Pedianus præfat. *In hortis manebat, ídque ipſe ipſum in ſuperioribus, circa quos etiam magnanimus multum excuſabat.* Lego, ita me Critica iuuet: *Idque ipſum in ſuperioribus circa quos etiam magna manus militum excubabat.*

ARCESSOR IN PRIMIS.] A Pompeio mecũ & cum aliis amicis ſuis deliberaturo, quomodo ſe gerere deberet. aduerte rurſum quàm prudenter mentionem ſuæ cum Pompeio familiaritatis interſerat; & eandem ob cauſſam meminit Pompeij meritorum tum in ſe tum in vniuerſam Rempub. quòd niſi præmitteret, maleuolus fuiſſe videretur in Pompeium: ſiquidem, vt ait Virgilius, amantes *immatura timent*, quare antequam dicat ſe miratum, fuiſſe fidem huiuſmodi ſuſpicionibus adhiberi, & familiaritatis, & beneficiorum Pompeij meminit, & ſe fuiſſe metu exanimatum confitetur.

CREDI POPÆ.] Sacrificulo viliſſimo, & abiectiſſimo.

EBRIOSORVM.] Fuluius mauult *ebriorum.* Lambinus ex antiquis Codicibus cenſet eſſe delendam: quod mihi quoque arridet; hæc enim circunſtantia fidem potiùs addebat eorum teſtimoniis, quàm detrahebat.

QVOD ACV PVNCTVM.] Propter ſuam paruitatem.

GLADIATORIS.] Quales fuerunt Euclamus & Birrias: & eam ob cauſſam hos duos reor fuiſſe delatos. Hinc autem indicium refellit, quia *leuem plagam*, vt verbis vtar P. Victorij, *in corporis parte non opportuna letho, vel potius notam in ſumma cute deſcriptam, veriſimile non erat à robuſto ſeruo, ad cadémque faciendam delecto, impoſitam, ſed ab eo auctore mendacij ad fidem faciendam deſcriptam.*

PROBARI.] Ita malui quàm vulgatum putari cum Gruttero, Modio, & aliis viris eruditis.

NOTÆ.

1. POPA.] Aſconius: *De plebe ſacrificorum, qui ſolitus eſſet familias purgare.* nos priùs de nomine *popæ*, deinde de familiarum purgationibus diſſeremus. Popa fuit ſacrorum adminiſter. Maro 1. Georg.

Inter cunctantes cecidit moribunda miniſtros.

Popa. Suetonius in Caligula cap. 32. *Admota altaribus victima, ſuccinctus poparum habitu, elato altè malleo, cultrarium mactauit.* E quo intelligis inter ſacrorum miniſtros, alios fuiſſe qui *cultrarij*, alios qui *popæ* dicerentur, quorum popæ impacto in frontem malleo victimas mactarent, cultrarij eaſdem ictu mallei iam ſtupefactas iugularent, & ſacrum cruorem è iugulo demitterent. Adrianus Turnebus aduerſ. libro decimo octauo, capite quinto rationem reddit cur dixerit *ſuccinctum.*

Succinctus popa. *Popæ*, inquit, *qui victimas immolabant, alio corpore nudo ab vmbilico ad pedes, inuoluti erant veſte quæ limus dicebatur.* Propertius libro quarto eleg. tertiâ:

Illa dies hornis cædem denuntiat agnis
Succinctique calent ad noua lucra popæ.

Limus. legit ille *noua ſacra.* Seruius in 12. Æneidos: *Limus eſt veſtis, qua ab vmbilico vſque ad pedes teguntur pudenda poparum.* Videntur etiam fuiſſe laureati ſacris operantes. Prudentius lib. priore in Symmachum:

Laurigeróſque Deum templis adſtare miniſtros.

Et apotheoſi aduerſus Iudæos:

Flamen & ipſe ſuas miratur vertice laurus
Cedere.

Popana. Videntur autem huiuſmodi popæ panes quos *popana* dicebant altaribus oblatos, & quædam hoſtiarum inteſtina domum retuliſſe, vnde & huiuſmodi liba *popanorum* nomen acceperint. Iulianus in Miſopogone: Ὑμῶν δ᾽ ἕκαστος ἰδίᾳ μὲν εἰς τὰ δεῖπνα, καὶ τὰς ἑορτὰς τοῦ Μαιουμᾶ χρήματ᾽ ἀπολέσαντες, ὑπὲρ δ᾽ ὑμῶν αὐτῶν, καὶ τῆς σωτηρίας τῆς πόλεως οὐδεὶς θύει, οὔτ᾽ ἰδίᾳ τῶν πολιτῶν, οὔτε ἡ πόλις κοινῇ. μόνος δὲ ὁ ἱερεύς, ὅν, οἶμαι, δικαιότερον ἦν ἀπὸ τοῦ πλήθους τῶν προσφερομένων τῷ θεῷ παρ᾽ ὑμῶν οἴκαδε ἀπιέναι μερίδας ἔχοντα. τοῖς μὲν γὰρ ἱερεῦσιν οἱ θεοὶ καλοκἀγαθίᾳ τιμᾶν αὐτοὺς, καὶ ἀρετῆς ἐπιτηδεύσει προσέταξαν, καὶ λειτουργεῖν σφίσι τὰ εἰκότα. *Cùm vnuſquiſque veſtrum priuatim ad cœnas & feſtiuitates Maiumæ pecunias inſumpſerit, nemo tamen pro vobis ipſis, & pro ſalute ciuitatis ſacrificat, neque ciuis priuatim, neque ciuitas publicè. ſolus verò ſacerdos, quem, opinor, æquius fuerat à multitudine eorum, quæ à vobis offeruntur, partes habentem domum diſcedere. Sacerdotibus enim Dij morum probitate & virtutis ſtudio volunt honorari, iiſque conuenientia publicè exhiberi.* Halicarnaſſeus 2. antiquit. Rom. Ἐγὼ γοῦν ἐθεασάμην ἐν ἱεροῖς οἰκίαις δεῖπνα προκείμενα θεοῖς, ἐν τραπέζαις ξυλίναις ἀρχαϊκαῖς, ἐν κανοῖς καὶ πινακίσκοις κεραμίοις ἀλφίτων μάζας, καὶ πόπανα, καὶ ζέας, καὶ καρπῶν τινῶν ἀπαρχὰς, καὶ ἄλλα τοιαῦτα λιτὰ καὶ εὐδάπανα, &c. *Ego in ſacris ædibus appoſitas Diis cœnas ſpectaui, in menſis ligneis operis antiqui, in caniſtris & tabellis fictilibus farinæ placentas, & popana, & far, & frugum quarundam primitias, & alia huiuſmodi vilia & parabilia.* Iuuenalis:

-vili popano placabis Oſirim.

Gloſſarium: *Popa* πλακοῦς, καὶ πόπανον. Item: *popa* θύτης, *popax* θύτης. popas igitur placentas appellat, ſiue liba, vt opinor, pinguiora. onomaſticon G. L. *Popa* λίπος, ex quo factum arbitror, vt non ſolùm viliores illi ſacrorum miniſtri, ſed etiam cupedarij & placentarij popæ dicerentur, & quia multa liba, multas etiam hoſtiarum particulas domum referebant. ne id periret, poſtea vendebant & iidem erant œnopolæ. qualis fuit hic Noſter Licinius popa, apud quem ſerui Milonis ebrij facti fuiſſe dicuntur. atque hic etiam ex cauſſa ganeæ & illa compotationum gurguſtia *popinarum* nomen habuerunt. Hinc obiter explico Perſium Sat. 6.

-illi tremat omento popa venter.

Popa, vt dixi, vel cupedarium ſignificat, vel libum ſiue placentam pinguiorem. *vne coucluche.* popa igitur venter, eſt venter qui inſtar coci cupedarij, multos cibos & pingues coquat aſſiduè, vel qui inſtar popæ ſiue placentæ pinguis, multa pinguedine farciatur. Quod ſpectat ad formam huiuſmodi popas vmbilicatas fuiſſe tradit Polybius lib. 6. multis diſtinctas vmbilicis. Clemens Alexandrinus in protreptico, hic πόπανα πολυόμφαλα, ὀμφαλωτὰ alter appellans. De purgatione familiæ Feſtum intelligo: *Euerriator, &c. Nam exuerræ ſunt purgatio quædam domus, ex quo mortuus ad ſepulchrum ferendus eſt, quæ fit per euerriatorem certo genere ſcoparum adhibito, ab extra verrendo dictæ.* Euerriator. euerræ. Huiuſmodi popas Athenis inuenio περιστιάρχους fuiſſe nominatos. Suidas: Περιστίαρχος ὁ περικαθαίρων τὴν ἑστίαν, καὶ τὴν ἐκκλησίαν καὶ τὴν πόλιν. *Periſtiarchus qui purgat domum, & concionem, & vrbem.* περίστια. Ἴστρος δ᾽ ἐν τοῖς Ἀττικοῖς, περίστια, φησι, προσαγορεύεται, τὰ καθάρσια, καὶ οἱ τὰ ἱερὰ καθαίροντες περιστίαρχοι. περιστίαρχος. *Iſter verò in Atticis περίστια, inquit, nominantur purgamenta, & qui templa purgant, περιστίαρχοι.* Ariſtophanes Concionantibus ſub initium:

Ὁ περιστίαρχος περιφέρειν χρὴ τὴν γαλῆν.

vide interpretem. legerim, Ω περιστίαρχος. Atticè vocandi caſu.

Purgator circumferre te felem decet.

In purgationibus felem, ſcyllam, catulum circũferebant. Neque felem ſolùm in huiuſmodi purgationibus circumferebant, ſed etiam ſcyllam & catulum. Theophraſtus in Characteribus de ſuperſtitione: Καὶ ἱερείας καλέσας σκύλλῃ ἢ σκύλακι κελεῦσαι αὐτὸν περικαθᾶραι. *Piatricibus adſcitis ſe ſquillæ aut catuli circumlatione purgari.* Quem ritum ibidem Caſaubonus illuſtrat. Sed hæc Athenis. Romæ purgationes vt plurimùm, factas fuiſſe reor vel accenſis tædis ſulphuratis, vel aquæ adſperſione. Iuuenalis Sat. 2.

-Cuperent luſtrari, ſi qua darentur
Sulphura cum tædis, & ſi foret humida laurus.

de quo ritu, ne te morer, vide Iuuenalis in hunc verſum, & Maronis interpretes in illum 6. Æneidos:

Aqua luſtralis.

Idem ter ſocios pura circumtulit vnda.
Spargens rore leui & ramo felicis oliuæ,
Luſtrauitque viros. -

Quæ luſtratio præſertim fiebat in funeribus. Pollux libro 8. cap. 8. Καὶ οἱ ἐπὶ τὴν οἰκίαν τοῦ πενθοῦντος ἀφικνούμενοι ἐξιόντες ἐκαθαίροντο ὕδατι περιρραινόμενοι. τὸ δὲ προὔκειτο ἐν ἀγγείῳ κεραμεῷ ἐξ ἄλλης οἰκίας κεκομισμένον. τὸ δ᾽ ὄστρακον ἐκαλεῖτο ἀρδάνιον. *Et qui ad lugentis domum veniebant egredientes purgabantur aqua circumadſperſi. Ea verò propoſita erat in vaſe fictili ex alia domo allata. fictile verò illud* ἀρδάνιον.

vocabatur ἀρδάνιον, *quaſi irrigatorium.* Hæc Pollux. Licinius igitur fuit ex eo genere poparum qui familias & domos funere quopiam familiari funeſtas tæda, ouis, ſulphure, exuerris, aquæ circumlatione purgabant. quod officium vt apud Latinos, ſic etiam apud Græcos probrō fuiſſe liquet ex Demoſthenis oratione de corona, in qua extrema Glaucotheam ſiue Empuſam Æſchinis matrem huiuſmodi piatricem fuiſſe exprobrauit. Porcam etiam immolabant. Feſtus Pompeius:

Præſentanea porca. *Præſentanea porca dicitur, vt ait Veranius, quæ familiæ purgandæ cauſſa Cereri immolatur. quòd pars quædam eius ſacrificij, fit in conſpectu mortui eius, cuius funus inſtituitur.* Tullius 2. de legibus. Victorio emendante menda quæ irrepſerant. *Nā priuſquam in os iniecta gleba eſt, locus ille, vbi crematum eſt corpus, nihil habet religionis; iniectâ glebâ tùm is & humatus eſt, & gleba vocatur. ac tùm denique multa religioſa iura complectitur. Itaque in eo qui in naui necatus, deinde in mare proiectus eſſet, decreuit P. Mutius familiam puram: quòd os ſupra terram non extaret, porcam hæredi eſſe. Cotta cenſet habendas triduum ferias, & porco fœmina piaculum pati: ſi in mari mortuus eſſet, eadem præter piaculum & ferias.* Varro libro 3. de vita pop. Rom. apud Nonnium: *Quod humatus non ſit hæredi porca præcidanea ſuſcipienda Telluri, & Cereri, aliter familia pura non eſt.* Ex quo præter ſuperiores illas emendationes Victorij, libenter legerim in Tullio, *porcam hæredi eſſe ſuſcipiendam*, vel *mactandam*, vel *faciendam*, vel quid eiuſmodi. Vide Gellium lib. 4. cap. 6. Poſtremo popano quodam ſiue farcimine in familiis purgandis: vnde & purgator familiæ meritò Popæ nomen obtinebat. Paulus ex Feſto: *Silicernium erat genus farciminis quo fletu familia purgabatur.* Sed de his hactenus.

II. NESCIO QVIS DE CIRCO.] Magna huiuſmodi ſuperſtitioſorum ſeges in Circo. Noſter 1. de diuinatione in fine verſus huiuſmodi laudat:

In circo popæ & haruſpices.

Non vicanos haruſpices non de circo aſtrologos,
Non Iliados coniectores, nō interpretes ſomniûm.
Non enim ſunt ij aut ſcientia, aut arte diuini.
Sed ſuperſtitioſi vates impudentéſque harioli.
Aut inertes, aut inſani, aut quibus egeſtas imperat.
Qui ſibi ſemitam non ſapiunt, alteri monſtrant viam.

Iuuenalis Sat. 6.

-Spatium luſtrabit vtrumque
Metarum, & ſortes ducet frontémque manúmque
Præbebit vati crebrum poppyſma roganti.

Item:

Plebeium in circo poſitum eſt & in aggere fatum.

Id eſt, *in circo frequens eſt hariolus qui dicat fatum plebeiis.* Immò popinæ circa theatra & circos. Plautus prologo Pœnuli:

Dum ludi fiunt in popinam pediſequi
Irruptionem facite, nunc dum occaſio eſt,
Nunc dum ſcriblitæ æſtuant, occurrite.

III. EBRIOS FACTOS, SIBI CONFESSOS.] Ebrietatem, vt ait Lyricus 1. carminum:

-Conſequitur cœcus amor ſui
Arcaníque fides prodiga perlucidior vitro.

Et alibi,

Quid non ebrietas deſignat? operta recludit.

Hinc prouerbium, *In vino veritas.* Athenæus lib. 2. Dipnoſoph. Καὶ τὸ νικητήριον Διονύσου τρίπους· καὶ γὰρ ἐκ τρίποδος λέγειν φαμὲν τοὺς ἀληθεύοντας. *Et niceterium Bacchi ſiue victoriæ præmium eſt tripus; eos enim ex tripode loqui dicimus, qui dicunt veritatem.* Vnde frequenter in Rhetoricis Orator maiorem iis fidem adhiberi dicit, quæ vel imprudentia, vel ebrietas expreſſerit. Theocritus εἰδυλλίῳ 29. In vino veritas.

Οἶνος, ὦ φίλε παῖ, λέγεται καὶ ἀλάθεα.
Κἄμμες χρὴ μεθύοντας ἀλάθεας ἔμμεναι.
Vinum, ô chare puer, vt prouerbio dicitur, & Veritas.
Nos quoque ebrios oportet veraces eſſe.

Iſacius Tzetzes in Lycophronem: Οἱ οἰνωθέντες τὰ τοῦ λογισμοῦ ἀπόρρητα ἐκφαίνουσιν. ὅθεν καὶ Ἀλκαῖός φησιν, Οἶνος γὰρ ἀνθρώποις δίοπτρον. *Ebrij ſecreta cogitationis enuntiant. vnde & Alcæus ait,*

Vinum ſeminibus ſpeculum.

IV. CREDI POPÆ.] Cui videlicet *egeſtas imperat.* Dio in Troicis: Τοὺς δὲ νῦν πτωχοὺς οὐδὲν φασιν ὑγιὲς λέγειν, οὐχ μάρτυρα οὐδεὶς ἂν οὐδένα ἐκείνων ποιήσαιτο ὑπὲρ οὐδενός. οὐδὲ τοὺς ἐπαίνους τοὺς παρ' αὐτῶν ἀποδέχονται, ὡς ἀληθεῖς· ἴσασι γὰρ ὅτι πάντα θωπεύοντες ὑπ' ἀνάγκης λέγουσιν. *Sanè mendicos qui nūc viuunt, nihil ſani ferunt dicere, neque vllus illorum quempiam teſtem aliqua in re adhibuerit, neque laudes ab illis profectas accipiunt, vt veras: norunt enim quòd omnia adulantes dicant compulſi neceſſitate.* Eam ob rem fidem popæ detrahit.

V. QVOD ACV PVNCIVM.] Commodè profert Victorius Lyſiam pro reo vulneris conſulto impoſiti: Ὁ δὲ εἰς τοῦτο βαρυδαιμονίας ἥκει, ὥστε οὐκ αἰσχύνεται τραῦμά γ' ὀνομάζων τὰ ὑπώπια, καὶ ἐν κλίνῃ περιφερόμενος, καὶ δεινῶς προσποιούμενος διακεῖσθαι, &c. *Hic autem eò perditæ impudentiæ prouectus eſt, vt non erubeſcat liuores ſiue contuſiones vulnus appellare, & in lecto decumbens & ſimulans malè ſe habere.* Addi poſſet & Demoſthenes contra Bœotium: Οὗτος δ' ἐμοὶ μετὰ Μενεκλέους τοῦ πάντων τούτων ἀρχιτέκτονος ἐπιβουλεύσας καὶ ἐξ ἀντιλογίας καὶ λοιδορείας πληγὰς συναψάμενος, ἐπιτεμὼν τὴν κεφαλὴν αὐτοῦ τραύματος, lego τραυματίας, εἰς Ἄρειον πάγον με προὐκαλέσατο, ὡς φυγαδεύσων τῆς πόλεως. καὶ εἰ μὴ Εὐθύδικος ἰατρὸς (πρὸς ὃν οὗτοι τὸ πρῶτον ἦλθον δεόμενοι ἐπιτεμεῖν τὴν κεφαλὴν) αὐτὸς πρὸς τὴν ἐξ Ἀρείου πάγου βουλὴν εἶπε τὴν ἀλήθειαν πᾶσαν, &c. *Hic mihi cum Menecle horum omnium architecto inſidiatus, cùm ex rixa & conuicio mihi plagas impoſuiſſet, ſciſſo capite vulneratus in Areopagum me citauit, quaſi me eiecturus è ciuitate. Et niſi Euthydicus medicus (ad quem illi primò acceſſerant, rogantes vt caput diſcinderet) ipſe apud Areopagitas dixiſſet veritatem.* &c. Notæ Piſiſtrati artes ex Herodoto lib. 1. hiſtoriæ: Notæ technæ Tarquinij in Gabios, Zopyri in Babylonios, Sinonis in Troianos apud Tryphiodorum: ſed omitto. Plutarchus in Dione de Soſide quodam planè videndus.

ARGVMENTVM.

Pergit breuiter & velut in tranſcurſu calumnias exponere, quæ in Milonem ab inimicis iactatæ ſunt, vt eum tanquam ſeditioſum & turbulentum apud Pompeium ſuſpectum redderent, & apud plebem in inuidiam adducerent.

VERVMTAMEN, vt intelligo, cauebat magis Pompeius, quàm timebat, LXVII. non ea ſolùm quæ timenda erant, ſed omnia, ne aliquid vos timeretis. Oppugnata domus C. Cæſaris clariſſimi & fortiſſimi viri per multas noctis horas nunciabatur: nemo audierat tam celebri loco, nemo ſenſerat: tamen audiebatur. non poteram Cn. Pompeium præſtantiſſima virtute ciuem, timidum ſuſpicari: diligentiam, tota Republica ſuſcepta nimiam nullam putabam. Frequentiſſimo Senatu nuper in Capitolio Senator inuentus eſt, qui Milonem cum telo eſſe diceret, nudauit ſe in ſanctiſſimo templo, quoniam vita talis & ciuis, & viri fidem non faciebat, niſi, eo tacente, res ipſa loqueretur. omnia falſa, atque inſidioſè ficta comperta ſunt.

EXPLANATIO.

VERVMTAMEN.] Lenitate verbi Pompeij metus & ſuſpiciones emollit. Cùm Pompeius Licinij popæ delationem audiebat, & ad Senatum deferebat, non tam timebat Milonem, aut de eius fide & beneuolentia dubitabat, quàm oſtendebat ſe nihil quantumuis minimum, & ne leniſſimam quidem ſuſpicionis aut rumoris auram negligere, quæ ad ſecuritatem Reipub. pertineret. aduerte luſum in verbis: cauebat, timebat, omnia, aliquid, timenda timeretis, & quanto artificio Pompeij prouidentiam & curam oſtendat.

OPPVGNATA.] A Milonianis. inter Cæſarem & Milonem ſimultatem fuiſſe, vel hinc conſtat quòd cum bellis ciuilibus factus dictator omnes exules edicto reuocaſſet, ſolùm Milonem nominatim exceperit.

CELEBRI LOCO.] Frequenti, πολυανθρώπῳ. in ſacra via.

NON POTERAM.] Vide quantâ cauſſæ fiduciâ, magis conetur excuſare Pompeij timorem, quàm à Milone ſuſpiciones amoliri.

FREQVENTISSIMO.] Alia calumnia, quæ Milonem apud Pompeium in ſuſpicionem adduceret. Aſconius præfatione: *Proximo Senatu P. Cornificius ferrum Milonem intra tunicam habere ad femur alligatum dixerat. poſtulauerat vt femur videret, & ille ſine mora tunicam leuarat. tum M. Cicero exclamauerat omnia illi ſimilia crimina eſſe, quæ in Milonem dicerentur.*

IN SANCTISSIMO TEMPLO.] Capitolio, loco inaugurato.

VITA.] Duplici modo poteſt intelligi, vel enim ſenſus eſt. quoniam vita Cnei Pompeij cui inſidiæ fieri à Milone dicebantur, tanti erat momenti, adeóque ſalutem Reipubl. continebat, vt ſatis magna cautio adhiberi non poſſet. vel, quod magis arridet, quoniam vita Milonis, & priſtina conſuetudo fidem non faciebat, vt innoxius crederetur, &c.

OMNIA.] Concluſio & ſuſpicionum refutatio.

NOTÆ.

I. CAVEBAT MAGIS QVAM TIMEBAT.] Eleganter Plutarchus ad Ducem imperitum: Δεδίασιν οἱ βασιλεῖς ὑπὲρ τῶν ἀρχομένων, οἱ δὲ τύραννοι τοὺς ἀρχομένους. *Timent Reges pro ſubditis, ſubditos verò tyranni.* Item: Ἐπαμινώνδας εἰς ἑορτήν τινα καὶ πότον ἀνειμένως τῶν Θηβαίων ῥυέντων, μόνος ἐφώδευε τὰ ὅπλα καὶ τὰ τείχη, νήφειν λέγων καὶ ἀγρυπνεῖν, ὅπως ἐξῇ τοῖς ἄλλοις μεθύειν καὶ καθεύδειν. *Epaminondas cùm in feſtiuitatem quamdam & compotationes Thebani deflaxiſſent, ſolus armamentarium & muros obibat, dicens ſe ſobrium eſſe & vigilare, vt alij ſomno & vino vacare poſſent.* Quo in genere laudabile fuit Perſarum inſtitutum. eodem auctore: Ὁ μὲν τῶν Περσῶν βασιλεὺς ἕνα τῶν κατευναστῶν εἶχε πρὸς τοῦτο τεταγμένον, ὥστε ἕωθεν εἰσιόντα λέγειν πρὸς αὐτόν, ἀνάστα, ὦ βασιλεῦ, καὶ φρόντιζε πραγμάτων, ὧν σε φροντίζειν ὁ Μεσορομάσδης ἠθέλησε. *Rex autem Perſarum vnum è cubiculariis habebat ad id conſtitutum, vt mane ingreſſus ſic ad eum loqueretur. Surge ô Rex, & eorum curam habe, quæ tibi Meſoramaſdes commendauit.* Quæ ſit autem inter *cauere*, & *timere* diſtinctio liquet ex epiſt. Cicer. ad D. Brutum 20. libri ad familiares vndecimi: *Quòd mihi præcipis vt caueam ne timendo magis timere cogar, & ſapienter, & amiciſſimè præcipis. Sed velim tibi perſuadeas cùm te conſtet excellere hoc genere virtutis, vt nunquam extimeſcas, nunquam perturbere: me huic tuæ virtuti proximè accedere. Quamobrem neque metuam quicquam, & cauebo omnia.* Philippica 12. §. 24. *Nemo me minùs timidus, nemo cautior.*

[Sollicitudo principum.]

[Timere, cauere.]

II. TAM CELEBRI.] De hac voce vide Cœlianam 34. De domo Cæſaris Tranquillus in Iulio cap. 46. *Habitauit primo in Suburra modicis ædibus: poſt autem pontificatum maximum in ſacra via, domo publica.* Locus vterque celebris: ſed iam tum Cæſar pontificatum adeptus relictis ædibus ſaburranis in ſacra via habitabat. de cuius viæ celebritate Tullius pro Plancio: *Equidem ſi quando vt fit, iactor in turba, non illum accuſo qui eſt in ſumma ſacra via, cùm ego ad Fabianum fornicem impellor.* Et ſecunda Verrina §. decima

[Sacræ viæ celebritas.]

nona: *Videt ad ipſum fornicem Fabianum in turba Verrem.* Quæ ſpectant, vt notat Aſconius, *ad præſentium multitudinem, & qualitatem frequentis loci.* Item: *Fornix Fabianus arcus eſt iuxta regiam, in via ſacra.* Seneca conſolat. ad Marciam cap. 16. *Equeſtri inſidens ſtatuæ, in ſacra via, celeberrimo loco, Clœlia exprobrat iuuenibus noſtris, puluinum adſcendentibus, in ea illos vrbe ſic ingredi, in qua etiam fœminas equo donauimus.* Ad hanc celebritatem ſpectat, quod ea triumphorum pompæ ducerentur. Horatius:

Intactus aut Britannus vt deſcenderet
Sacra cathenatus via.

Atque haud ſcio an propter hanc loci frequentiam, viam ſacram Ioſephus libro ſeptimo de excidio theatrum nominarit: Ἔπεμπον τὸν θρίαμβον διὰ τῶν θεάτρων διεξελαύνοντες, ὅπως εἴη τοῖς πλήθεσιν ἡ θέα ῥᾴων. *Duxerunt triumphum per theatra inuehentes, vt populo facilius eſſet ſpectaculum.* Propertius:

Stantiáque in plauſum tota theatra fremant.

Magis tamen inducor, vt credam plebem temporaria ſibi theatra in ipſa ſacra via feciſſe, vt triumphi pompam inde ſpectaret: ob eandem celebritatem ſacra quot menſibus per eam tranſuehebant. vide Varronem & Feſtum Pompeium. Multæ autem huius celebritatis cauſſæ fuerunt. vna frequentes ambulationes. Horatius epod. ode 4.

Cauſſæ huius celebritatis.

Vidéſne ſacram metiente te viam
Cum bis ter vlnarum toga.

Propertius lib. 2. el. 23.

Cui ſæpè immundo ſacra conteritur via ſocco.

Secunda quòd in eadem via fructus & alia huiuſmodi venderentur. vt liquet ex Varrone, Ouidio, Propertio, Priapeis, vt alij notauerunt.

Tertia eſſe poteſt quod, forum Romanum ex vna parte, ex alia forum Cæſaris, aliquot poſt Ciceronem annis ædificatum attingeret. de foro Romano Plinius lib. 19. cap. 2. *Cæſar dictator totum forum Romanum intexit, viámque ſacram ab domo ſua ad cliuum vſque Capitolinum.* De foro Cæſaris Ouidius lib. 3. triſt. eleg. 1.

-hæc ſunt fora Cæſaris, inquit,
Hæc eſt à ſacris quæ via nomen habet.

Quarta, quòd in extrema parte fori, & in ipſo aditu ſacræ viæ iuxta arcum Fabianum puteal Libonis eſſet in comitio, vbi frequentes litigatores conſiſterent. Cur autem ſacra dicta ſit, varias tum Varro, tum Feſtus rationes attulerunt. adde & iſtam quòd ædes publicæ fuerint, quibus tum Rex ſacrificulus, tum Pontifex ipſe maximus habitarent. de domo Regis ſacrorum Feſtus: *Ne eatenus quidem, vt vulgus opinatur, ſacra appellanda eſt à Regia ad domum Regis ſacrificuli, ſed etiam à Regis domo, ad ſacellum Streniæ, alias Streniæ, & rurſus a Regia vſque in arcem.* Pontificis maximi domum publicam fuiſſe, præter laudatum Suetonium teſtatur etiam Dio libro 54. apud quem Auguſtus domum ſuam in Palatio publicam effecit pontificatum adeptus, quia τὸν ἀρχιερέα ἐν κοινῷ πάντως οἰκεῖν ἔχρην. *omnino Pontificem Maximum oportebat in publico habitare.* Item lib. 55. Ὁ δ' Αὔγουστος τὴν οἰκίαν οἰκοδομήσας, ἐδημοσίωσε πᾶσαν, εἴτε διὰ τὴν συντέλειαν τὴν παρὰ τοῦ δήμου οἱ γενομένην, εἴτε καὶ ὅτι ἀρχιερέας ἦν, ἵν' ἐν τοῖς ἰδίοις ἅμα, καὶ ἐν τοῖς κοινοῖς οἰκοίη. *Auguſtus cùm domum ædificaſſet, eam totam publicauit, ſiue quòd plebs ſtipem contuliſſet, ſiue quòd erat Pontifex maximus, vt in propriis ſimul & publicis ædibus habitaret.*

AXIOMATA.

Vir fortis cauet magis, quàm timet.

Diligentiam tota Repub. ſuſcepta, nimiam nullam putare debemus.

ARGVMENTVM.

Per apoſtrophem à iudicibus ad Cneium Pompeium ſe conuertit, vt euellat ſiniſtras illas de Milone ſuſpiciones, quæ altè in eius animo inſederant. ac primò ſi Milo adeo timeatur, miram ait videri eius animi magnitudinem.

LXVIII. QVOD ſi tamen metuitur etiam nunc Milo, non hoc iam Clodianum crimen timemus, ſed tuas Cn. Pompei (te enim iam appello ea voce, vt me audire poſſis) tuas, inquam, ſuſpiciones perhorreſcimus. Si Milonem times, ſi hunc de tua vita nefariè aut nunc cogitare, aut molitum aliquando aliquid putas, ſi Italiæ delectus, vt nonnulli conquiſitores tui dictitant, ſi hæc arma, ſi Capitolinæ cohortes, ſi excubiæ, ſi vigiliæ, ſi delecta iuuentus, quæ tuum corpus domúmque cuſtodit, contra Milonis impetum armata eſt, atque illa omnia in hunc vnum inſtituta, parata, intenta ſunt: magna in hoc certè vis, & incredibilis animus, & non vnius viri vires, atque opes iudicantur, ſi quidem in hunc vnum & præſtantiſſimus dux electus, & tota Reſpublica armata eſt.

EXPLANATIO.

ETIAM NVNC.] Poſteà quàm tot iam ſuſpiciones diluit, & te ipſa oſtendit nullas à ſe inſidias factas eſſe Pompeio.

CLODIANVM CRIMEN.] Quod obiicitur de cæde Clodij: tam iuſtè enim occiſus eſt Clodius vt nihil ſit Miloni metuendum.

SED TVAS.] Tacitè obiicit quæ cauſſa eſſe poſſit, cur Milo quamuis innocens, tamen aduerſariorum

ſariorum calumniis opprimatur. quia nimirum verendum eſt ne facilè damnetur Milo in gratiam Pompeij, qui ſuſpicabatur ſibi fieri inſidias à Milone, ac proinde erat ab eius cauſſa alienus.

Ea voce.] Tam clara, & elata, vt me è Roſtris dicentem exaudire poſſis ſedens, ex ipſo veſtibulo ærarij. vt notat Aſconius.

Si Italiæ delectvs.] Si militum conſcriptio, quæ fit ex omni Italia.

Conqvisitores tvi.] Qui tuo nomine & auctoritate milites conquirunt, & ad te deducunt nomen daturos, & in tua verba iuraturos.

Capitolinæ cohortes.] In arce Capitolina ad vrbis præſidium collocatæ.

Non vnivs.] Vel quòd Milo tantæ ſit fortitudinis, vt vnius multorum exercituum vires continere videatur: vel quòd indicetur Milo multis amicis abundare. prior explicatio magis arridet, quia ſubnectit: *Siquidem in hunc vnum*, &c.

Præstantissimvs dvx.] Cn. ipſe Pompeius, qui de tribus orbis terrarum partibus triumphauit.

NOTÆ.

I. Conquiſitores. Conqvisitores.] Vulgò commiſſarij, qui alterius nomine milites conquirunt conſcribendos. Liuius lib. 1. dec. 3. *Qui duo populi delectûs acerbitate conſternati, retentis conquiſitoribus, metum defectionis præbuerant.* Noſter de Prouinciis conſularibus. *Exercitus noſter illo ſuperbiſſimo delectu, & duriſſima collectus omnis interiit.* Græcis ἀνδρολογοῦντες, στρατολογοῦντες. Alciphron: ἀνδρολογοῦσι δ' ἐκ Πειραιῶς. *Milites è Piræo conquirunt.* Hanc notam debes Guillelmo Budæo.

Capitolinæ cohortes.] Cùm aliquod vrbi diſcrimen immineret, præſidium in montibus ſtatuebant. Dio lib. 37. de Ianiculo: II. Πολλῶν τὸ ἀρχαῖον πολεμίων τῇ πόλει προσοικέντων, φοβούμενοι μὴ ποτε ἐκκλησιαζόντων σφῶν κατὰ τοὺς λόχους, ἐπιθῶνταί τινες τῇ πόλει, τὸν Ἰανίκουλον καταλαβόντες, ἐνόμισαν μὴ πάντες ἅμα ψηφίζεσθαι, ἀλλά τινας ἀεὶ ἐν ὅπλοις τὸ χωρίον ἐκεῖνο ἐκ διαδοχῆς φυλάττειν, καὶ αὐτὸ ἕως μὲν ἡ ἐκκλησία ἦν ἐφρούρουν. ὁπότε δὲ διαλυθήσεσθαι ἔμελλε, τότε σημεῖον καθῃρεῖτο, καὶ οἱ φύλακες ἀπηλλάσσοντο. οὐ γὰρ ἐξῆν μὴ φρουρουμένου τοῦ χωρίου ἐκείνου, οὐδὲν ἔτι χρηματισθῆναι. Præſidia in montibus. Vexillum in comitiis. *Quùm antiquitus multi hoſtes circum Romam habitarent, veriti Romani, ne dum ipſi comitia centuriata agerent, hoſtes per inſidias vrbem aggrederentur, Ianiculum occupantes, ſtatuerunt non omnes ſimul ire in ſuffragia, ſed vt ſemper aliqui armati per ſucceſſionem eum locum cuſtodirent. In Ianiculo igitur, quamdiu concio durabat cuſtodiæ agebantur: quum autem ſoluenda iam erat concio, ſignum à Ianiculo remouebatur, cuſtodéſque diſcedebant. Non autem licebat cuſtodiis ab arce remotis quicquam ampliùs ſtatuere.* Vide ſecundam Philippicam 14. qua de re Iuuenalis Sat. 8.

Hic nouus Arpinas ignobilis, & modò Romæ
Municipalis eques galeatum ponit vbique
Præſidium attonitis, & in omni gente laborat.
vel *monte.*

ARGVMENTVM.

Reddit rationem cur Pompeius delectum habuerit, deinde oſtendit qua ratione ſe purgaturus eſſet Milo, & calumnias confutaturus, niſi Pompeius animum haberet tam ſiniſtris ſuſpicionibus occupatum, vt Milonem ne ad conſpectum quidem, & colloquium admitteret.

LXIX. SED quis non intelligit omnes tibi Reipubl. partes ægras & labantes, vt eas his armis ſanares & confirmares, eſſe commiſſas? Quòd ſi Miloni locus datus eſſet, probaſſet profectò tibi ipſi, neminem vnquam hominem homini cariorem fuiſſe, quàm te ſibi: nullum ſe vnquam periculum pro tua dignitate fugiſſe: cum illa ipſa teterrima peſte ſæpiſſimè pro tua gloria contendiſſe: tribunatum ſuum ad ſalutem meam, quæ tibi cariſſima fuiſſet, conſiliis tuis gubernatum: ſe à te poſteà defenſum in periculo capitis, adiutum in petitione præturæ: duos ſe habere ſemper amiciſſimos ſperaſſe, te tuo beneficio, me ſuo. quæ ſi non probaret: ſi tibi ita penitus inſediſſet iſta ſuſpicio, nullo vt euelli modò poſſet, ſi denique Italia à delectu, vrbs ab armis, ſine Milonis clade nunquam eſſet conquietura: næ iſte haud dubitans ceſsiſſet patria, is, qui ita natus eſt, & ita conſueuit. te, Magne, tamen atteſtaretur, quod nunc etiam facit.

EXPLANATIO.

SED qvis.] Vera ratio cur militem conſcriberet Pompeius ea fuit, vt ille omnibus Reipub. partibus prouideret, vt morum iudicio rúmque corruptelam, qua veluti morbo inteſtino vexatur Reſpub. ſanaret, ambitionem coërceret, luxum compeſceret, libidines ciuium refrenaret, & præſertim Reipub. partes labantes ſiue ruinam minitantes, à lapſu & ruina ſuſtineret, re-

preſſis eorum furoribus qui iampridem clandeſtinis conſpirationibus Rempub. inuadere, eique libertatem eripere moliuntur: non autem habuit delectum, quemadmodum vulgo iactatur, vt ſe vel Rempub. contra Milonis impetum defenderet. Vide vt paria paribus reſpondeant: *Ægros ſanares, labantes confirmares.*

QVÒD SI.] Si tu, Cn. Pompei, Milonem voluiſſes ad colloquium tuũ admittere. Narrat Aſconius ex Qu. Pompeij Tribuniplebis concione: *Cùm Milo pridie, id eſt, ſeptimo Calend. Feb. venire ad Pompeium in hortis eius voluiſſet, Pompeium ei per hominem propinquum miſiſſe nuntium, ne ad ſe veniret.*

TETERRIMA PESTE.] P. Clodio, qui peſtis inſtar funeſtabat Remp.

AD SALVTEM.] prudenter ſanè. Pompeius, cùm eiecto Cicerone Clodij tum inſidiis, tũ contumeliis peteretur, Ciceronem curauit Milonis operâ reuocari, vt ipſum Clodianis furoribus opponeret. Noſter autem hoc loco ſuæ reuocationis mentionem inducit. Et iis verbis exponit, vt non Pompeio beneficium Milonis imputare, ſed ſuam ipſius gratitudinem oſtendere videatur.

DEFENSVM.] Cùm vt dixit ſuprà 41. *Priuato Milone & reo ad populum,* de vi *accuſante P. Clodio in Cn. Pompeium pro Milone dicentem impetus factus eſt.*

IN PERICVLO CAPITIS.] Cùm de Milone in exilium mittendo, ſi damnatus eſſet, ageretur. quo facto fuiſſet Milo capite diminutus.

DVOS SE HABERE.] Dixiſſet Milo ſe ſemper ſperauiſſe fore, vt ego & tu in eius amicitia maneremus. tu quidem, quòd beneficia tua tueri velles, neque committere, vt eum quem tot beneficiis deuinxeras, ſubita mutatione voluntatis offenderes. Ego verò, quia tot me beneficiis obligauit, vt videar non poſſe ab eius amicitia diſcedere. non videtur Milo hæc dicturus vt ſua in Ciceronem beneficia penè alieno loco prædicaret. Sed Ciceroni tanti fuit gratum animum exhibere, vt vel importunè mentionem iniecerit. niſi fortaſſe ſic argumentari voluit.

Qui beneficium contulerit, non minus amare debet, quàm qui acceperit.

Sed Cicero qui à me beneficium accepit, me multùm amat, nec quicquam mali ſuſpicatur.

Ergo tu, qui mihi contuliſti, multùm amare debes, nec quicquam mali de me ſuſpicari.

ISTA SVSPICIO.] Inſidiarum quas Milo dicitur tibi moliri. legit Grutterus, *inhæſiſſet iſta ſuſpicio*, non video cur *inſediſſet* repudiare debeamus.

CLADE.] exilio, & damnatione.

QVI ITA NATVS EST, ET ITA CONSVEVIT.] Supple, *vt commoda patriæ propriis commodis anteponat.* apoſiopeſis.

ATTESTARETVR.] Lambinus emendat, *anteſtaretur.* & ſic exponit. *Significat autem hoc loco anteſtari, prehenſa auricula infima monere.* Fuluius autem Vrſinus, ſic explicat, vt Milo *diſcedens. Pompeium atteſtaretur, (quod vulgo dicitur proteſtari, quod antiquis in vſu hoc non puto fuiſſe) ſe illius ſuperuacaneis ſuſpicionibus iniuriâ cariturum patria, non ſuo aliquo crimine, aut fœda committendi ſceleris conſcientia.* Quandoquidem ille ad colloquium tuum ipſe non admittitur.

NOTÆ.

PARTES ÆGRAS.] Non raiò magni ſcriptores morbum aut ſanitatem ſtatui politico tribuerunt: pauca libemus. Demoſthenes de falſa legatione: Ἐγὼ δὲ, οὐ δέδοικα εἰ Φίλιππος ζῇ, ἀλλ' εἰ τῆς πόλεως τέθνηκε τὸ τοὺς ἀδικοῦντας μισεῖν, καὶ τιμωρεῖσθαι, οὐδὲ φοβεῖ με Φίλιππος, ἂν τὰ παρ' ἡμῶν ὑγιαίνει. *Ego verò non vereor ſi Philippus viuit, ſed ſi in ciuitate mortuum eſt odium in eos qui faciunt iniuriam. Neque me terret Philippus, ſi noſtra ſana ſunt.* Vide actionem primam in Verrem 5. Themiſtius oratione nonâ: Ἄρτι καθεστηκυίας τῆς Ῥωμαίων ἀρχῆς, καὶ γαλήνης λαμπρᾶς εἰς ἅπασαν τὴν γῆν τεταμένης, ὥσπερ σώματος τὰ ἔξωθεν ὑγιαίνοντος ῥῆγμα ὕπουλον, ὑποτρεφόμενον ἐν τῷ βάθει περὶ τὸ κυριώτατον τῶν μερῶν ἀπεσήμαινεν. *Cùm paullò antè Romanum imperium eſſet conſtitutum, & in vniuerſum orbem ſerenitas quædam & tranquillitas propagata, non ſecus atque in corpore exteriùs ſano ac vegeto, ruptum quiddam intus occultum, & circa nobiliſſimam partem paullatim cœpit erumpere.* Appianus ſecundo ciuilium de hoc ipſo Põpeij Conſulatu: Ὁ δὲ Πομπήϊος δίκας προὐτίθει τῶν τ' ἄλλων ἁμαρτημάτων, καὶ μάλιστα δωροδοκίας καὶ δεκασμοῦ. ἐδόκει γὰρ ἐντεῦθεν αὐτῷ νοσεῖν τὰ κοινὰ ἀρξάμενα, ἐν τούτῳ καὶ τὴν ἴασιν ἕξειν ταχεῖαν. *Pompeius iudicia inſtituit tum de aliis peccatis, tum maximè de iis qui populi ſuffragia corrumperent. videbatur enim inde incipere ægrotare Reſp. & in hoc celerem habitura medicinam.* Varro lib. 1. de vita pop. Rom. à Nonnio citatus: *Diſtractione ciuium elangueſcit bonum proprium ciuitatis, atque ægrotare incipit & conſeneſcere.* Demoſthenes de falſa legatione: Νόσημα γὰρ, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, ἐμπέπτωκεν εἰς τὴν Ἑλλάδα, καὶ χαλεπόν. *Morbus enim, Athenienſes, Græciam, & is quidem difficilis inuaſit.* Item: Καὶ οὐδ' ἐνταῦθ' ἔστηκεν, ἀλλ' εἰς Ἀρκαδίαν εἰσελθὸν πάντα ἄνω καὶ κάτω τἀκεῖ πεποίηκε. *Neque ibi ſtetit, ſed Arcadiam inuadens ibi omnia ſus déque vertit.* Mox: Βαδίζον γὰρ κύκλῳ καὶ δεῦρο εἰσελήλυθεν τὸ νόσημα τοῦτο. *Huc illuc in orbem incedens progreſſus eſt hic morbus,* &c. Huc flecti poteſt & illud Varronis lib. 3. de vita Pop. Rom. *Quo faciliùs animaduertatur, per omnes articnlos populi, hanc mali gangrænam ſanguinolentam permeaſſe.* Dio Chryſoſtomus in Cõcione orat. 47. Οὐδὲ γὰρ γέγονεν οὐδέν, οὔτε φύεται παρ' ὑμῖν τοῦτο τὸ νόσημα. *Neque enim quicquam factum eſt, neque naſcitur apud vos hic morbus.* I. Rerum publicarum morbi.

COMMISSAS.] Signanter, aliud enim eſt permittere, aliud committere. Noſter pro Cluentio: *Cogitare tantum ſibi à populo Romano eſſe permiſſum, quantum commiſſum & creditum ſit.* Permittitur, id quod ſoli arbitrio relinquitur. committitur quod alicuius fidei traditur, vt non ſolo ſuo arbitratu rem adminiſtret, ſed prout ratio & fides exegerit: vt ille compertum aliquo ſaltem modo habeat rei geſtæ reddendam eſſe rationem. Permitteretur Reſpub ſi fieret decretum huiuſmodi: *Pompeius Rep. ad libitum vteretur, eiúſque formam ſuo arbitratu conuerteret.* Committitur hoc verſiculo, *Videat Pompeius nec quid Reſp. detrimenti capiat.* pro Fonteio 30. *Vt commiſſus ſit fidei, permiſſus poteſtati.* II. Committere. Permittere.

PRO TVA GLORIA.] Quam Clodius omnibus conuitiis appetebat. erepto è vinculis Tigrane, & aliis contumeliis petulanter illatis. vide Plutarchum, Dionem & alios. III.

IV. Adminiſtratio Reipub.

GVBERNATVM.] Nouum non eſt Rempub. cum naui, populum cum fluctibus, ſeditiones cum procellis, magiſtratus cum nautis, remigibus & gubernatoribus comparare. De fluctibus concionum ſuprà §.5. de procellis Piſonianam 21. Cœlianã 591. & alibi. de gubernatoribus. Demetrius Phalereus Περὶ ἑρμηνείας ἔοικεν ἀλλήλοις στρατηγὸς, κυβερνήτης, ἡνίοχος. πάντες γὰρ οὗτοι ἄρχοντές εἰσι. ἀσφαλῶς οὖν ἐρεῖ καὶ ὁ τὸν στρατηγὸν κυβερνήτην λέγων τῆς πόλεως, καὶ ἀνάπαλιν ὁ τὸν κυβερνήτην ἄρχοντα τῆς νηός. *Similes ſunt inuicem Magiſtratus, gubernator, auriga. omnes enim iſti ſunt imperatores. Securè igitur loquetur, & qui magiſtratum vrbis gubernatorem, & qui gubernatorem magiſtratum vrbis appellarit.*

V. Candidatos adiuuare.

ADIVTVM IN PETITIONE.] Candidatos multis rationibus adiuuabant: Vel enim eos populo in ſeptis commendabant: vel eos prehenſantes ſtipabant, & pariter populo ſupplicabant: vel adibant præfecturas & municipia, vel aliquid huiuſmodi faciebant. de quibus multa Quintus Cicero *De petitione conſulatus*. Propriè verò & ſignanter *petitionem* appellat, vnde & *Petitores*. Horatius 3. carminum:

-hic generoſior
Deſcendat in campum Petitor.

VI. Beneficia.

TE TVO BENEFICIO.] Vide Cœlianam §.7. vbi rationes oſtendimus, cur homines plerumque magis ament eos quos beneficiis affecerint, quàm à quibus beneficia acceperint. Addam Philippum Commineum qui ex ipſo Ludouico XI. Francorum Rege ſe audiiſſe teſtatur: Satius eſſe in aula magnis principum beneficiis obligari, quàm eorum amicitiam magnis obſequiis demereri. ſéque enixius eos amare quos ipſe magnis ſibi meritis deuinxerit, quàm eos qui ſuis beneficiis ipſius gratiam occuparint. Hæc ille extremis penè verbis libri 3. commentariorum. Vnde concludit: *Ainſi en tous eſtats y a bien à faire à viure en ce monde.*

VII. Anteſtari.

ATTESTARETVR.] *Atteſtari*, vel *anteſtari* dicebantur ij, qui cùm in ius quempiam vocarant, præſentes apprehensâ auriculâ monebant, vti meminiſſent eum in ius vocatum, & cùm opus eſſet id teſtarentur. Horatius lib. 1. Sat. 9.

-caſu venit obuius illi
Aduerſarius. &, Quò tu turpiſſime? magna
Exclamat voce, &, licet anteſtari? ego verò
Oppono auriculã, rapit in ius, clamor vtrimque.

In quem locum Acron: *Denuntiantes enim litem præſentes quoſdam habebant anteſtatos, coram quibus indicij denuntiatio fiebat.* Plautus Curculione Sc. Phædrome:

Ambula in ius. MIL. *Non eo.* PHI. *Licet anteſtari?* MIL. *Non licet.*

Vide in Pœnulo Sc. *Fuit hodie.* Idem in Perſa Sc. *Niſi ego.*

SAT. *Age, ambula in ius leno.* DOR. *Quid me in ius vocas?*
SAT. *Illi ad Prætorem dicam. Ted ego in ius voco.*
DORD. *Nónne anteſtaris?* SAT. *Tu an ego cauſsâ, carnufex*
Cuiquam mortali libero aureis atteram?

Hinc intelligas quænam ſint apud Clementem Alexandrinum 5. ſtromatum: αἱ τῶν ὤτων ἐπιψαύσεις. Plinius libro vndecimo cap. 37. *Eſt in aure ima memoriæ locus, quem tangentes atteſtamur.* Hinc illud Maronis intelligas: Aurem vellere.

Cùm canerem Reges & prælia, Cynthius aurem
Vellit, & admonuit.

Seneca libro 3. de beneficiis: *Dabo, non quia dignus es, ſed quia promiſi: nec tanquam munus dabo, ſed verba mea redimam, & aurem mihi peruellam.* Muretus lib. 12. variarum lect. cap. 5. vidiſſe ſe ait *Veteres nummos æreos in quibus viri duo inſculpti erant, quorum vnus alteri aurem vellebat, in orbem autem ſcriptum erat* ΜΝΗΜΟΝΕΥΕ. Ex lege duodecim tabularum, vt notant Acron & Porphyrion. quam hic poſterior ſic habet: *Si vis vocationi teſtamini, igitur rem capito anteſtari.* Et Turnebus lib. decimo tertio aduerſ. cap. vigeſimo ſeptimo εὐστοχωτάτως emendat: *Si in ius vocat, ni it, anteſtatus manum iniicito, aurem anteſtati capito.* Gloſſæ: *anteſtor*, μαρτύρομαι. Tamen vt notat Valerius lib. 2. de Inſtitutis: *Quo matronale decus verecundiæ munimento tutius eſſet, in ius vocanti matronam, corpus eius attingere non permiſerunt, vt inuiolata manus alienæ tactu ſtolæ relinqueretur.* Sed hunc locum Turnebus, Budæus & Horatij Plautíque interpretes iam occuparũt. hi porro, quos atteſtati fuerant, videntur κλητῆρες ab Ariſtophane nominari in Veſpis:

Καὶ καταγελᾷς μου, προσκαλοῦμαί σ᾽ ὅστις εἶ
Πρὸς τοὺς ἀγορανόμους, βλάβης τῶν φορτίων
Κλητῆρ᾽ ἔχουσα Χαιρεφῶντα τουτονί.
Quicunque me rides, te ad ædiles citans
Accuſo damni mercibus noſtris dati
Vocator ecce Chærephon iſte eſt mihi.

Interpres: Κλητῆρα. τοῦτ᾽ ἔστι τὸν εἰς τὸ δικαστήριον καλοῦντα ὑπηρέτην. teſtem. *id eſt apparitorem qui ad iudicium vocat.* dixerat prius: σημαίνει δὲ ἡ λέξις καὶ τὸν μάρτυρα. ait Turnebus *anteſtari* dictum, quaſi *atteſtari*, vel quaſi *circumteſtari*, teſtari circunſtantes vt *ambire, ambedere.*

ARGVMENTVM.

Occaſione ſumpta à ſuperioribus, amicè monet Pompeium ne vanis & incertis ſuſpicionibus Milonem amicum fideliſſimum alienet: ne ſi eum modò damnari patiatur, poſtmodum eius fidem & beneuolentiam requirat.

VIDE quàm ſit varia vitæ, commutabiliſque ratio, quàm vaga volubiliſque fortuna, quantæ infidelitates in amicis, quàm ad tempus aptæ ſimulationes, quantæ in periculis fugæ proximorum, quantæ timiditates. Erit, erit illud profectò tempus, & illuceſcet aliquando ille LXX.

dies, cùm tu ſalutaribus, vt ſpero, rebus tuis, ſed fortaſſe motu aliquo communium temporum immutatus (qui quàm crebrò accidat, experti debemus ſcire) & amiciſſimi beneuolentiam, & grauiſſimi hominis fidem, & vnius poſt homines natos fortiſſimi viri magnitudinem animi deſideres.

EXPLANATIO.

VIDE.] Fortunæ inconſtantiam & infidelitatem amicorum proponit, vt fidem Milonis & amicitiam oſtendat pluris eſſe faciendam.

AD TEMPVS APTÆ.] Tempori ſeruientes, in rebus proſperis adulantes, in aduerſis recedentes.

TIMIDITATES.] Hoc addit, vt magis deinde commendetur Milonis animi magnitudo.

SALVTARIBVS.] Fuluius Vrſinus, poſt Ant. Auguſtinum pro *ſalutaribus* legit *ſaluis*. idque ſe facere dicit: *Non modò melius quàm in vulgatis, ſed etiam neceſſariò: nunquam enim memini me legiſſe (ſalutare) niſi in cauſſa & vtilitate ſalutis. incidi poſtea in librum M. S. qui Ant. Auguſtini coniecturam confirmaret.* Hæc ille, & ſanè facilè fieri potuit, vt pro SALVIS REBVS, imprudens librarius ſcripſerit SALVTARIBVS, & alius deinde nimis prudens mancam & hiulcam ſententiam ratus REBVS adiecerit. ſed rem in medium relinquo, tantùm aduerte boni ominis cauſâ hoc à Tullio adhiberi. fuiſſet enim odioſa & inauſpicata oratio, ſi calamitatem denuntiaſſet Pompeio.

COMMVNIVM TEMPORVM.] Quaſi diceret. tam bene ſtabilitæ ſunt omnes Pompeij rationes, vt imitari non poſſint niſi cum ipſa Repub.

EXPERTI.] Ego præſertim qui eiectus ſum è ciuitate.

ET AMICISSIMI.] Singula ſingulis reſpondent, beneuolentia ſimulationi, fides infidelitati, timiditati & fugæ animi magnitudo.

NOTÆ.

1. VIDE.] De vitæ humanæ varia commutabilique ratione, non eſt animus huc multa cumulare: cùm Muſæus apud Clementem Alexandrinum initio quinti ſtromatum, Homerus 6. Iliados, Nonnus tertio Dionyſiacωn. cum foliis autumno defluentibus, Mimnermus cum iiſdem vere naſcentibus compararint. Hic poſtremus:

Vita humana.

Ἡμεῖς δ' οἷά τε φύλλα φύει πολυάνθεμος ὥρη
Ἦρος, &c.
Flores nos inſtar foliorum tempora veris
Producunt.

Cui adſtipulatur Quintius Smyrnæus libro 14. verſu 206. Horatius etiam cum vmbra. Iobus comparationem vtramque coniunxit: *Folium quod vento rapitur, & fugit velut vmbra, & nunquam in eodem ſtatu permanet.* Sophocleus Vlyſſes in Aiace:

Ὁρῶ γὰρ ἡμᾶς οὐδὲν ὄντας ἄλλο, πλὴν
Εἴδωλ' ὅσοιπερ ζῶμεν, ἢ κούφην σκιάν.
Nil aliud eſſe video mortales, niſi
Phantaſma, quotquot viuimus, & vmbram
leuem.

Homo vmbra.

Sed religio fuerit, quamquam ad alia feſtinanti, vulgatū illud è Pindaro præterire ode 8. Pyth.

-ἐν δ' ὀλίγῳ
Βροτῶν τὸ τερπνὸν αὔξεται, οὕτω
Δὲ καὶ πιτνεῖ χαμαί ἀποτρό-
πῳ γνώμᾳ σεσεισμένον.
Ἐπάμεροι, τί δέ τις; τί δ' οὔ τις;
Σκιᾶς ὄναρ ἄνθρωποι. ἀλλ' ὅταν αἴγλα
Διόσδοτος ἔλθῃ,
Λαμπρὸν ἔπεστι φέγγος ἀνδρῶν,
Καὶ μείλιχος αἰών.

Sed breui mortalium oblectatio creſcit; itidem verò & cadit in terram, infauſto conſilio concuſſa. Diei vnius ſunt homines. Quid eſt aliquis? quid verò nullus? vmbræ ſomnium homines. Sed quàm lux à Ioue data acceſſerit, ſplendidum eſt lumen hominum & ſuauis vita. Quem in locum Interpres: Ταχέως μὲν γάρ ἐστιν εἰπεῖν, ὅτι τις οὗτος. ταχέως δ' ὅτι οὐδεὶς διὰ τὴν μετάπτωσιν τῶν πραγμάτων. *Mox enim dicere licet eſſe aliquem, mox eſſe nullum, propter dubiam vitæ commutabilémque rationem.* Et Plutarchus longè pulcherrimè: Σκιᾶς ὄναρ ἄνθρωπος ἐμφαντικῶς σφόδρα καὶ φιλοτέχνως ὑπερβολῇ χρησάμενος, τὸν τῶν ἀνθρώπων βίον ἐδήλωσε. τί γὰρ σκιᾶς ἀσθενέστερον; τὸ δὲ ταύτης ὄναρ οὐδ' ἂν ἐκφράσαι τις ἕτερος δυνηθείη σαφῶς. *Emphaticè planè & artificioſè hyperbole vſus, vitam humanam deſcripſit. quid enim vmbra infirmius? at eius ſomnium aliud nemo poßit deſcribere.* quo libro de vitæ mutabilitate pulcherrima. vt illud Menādri:

Vita ſomniū eſt.

Τὸ δὲ κεφάλαιον τῶν λόγων, ἄνθρωπος εἶ
Οὗ μεταβολὴν θᾶττον πρὸς ὕψος, καὶ πάλιν
Ταπεινότητα, ζῷον οὐδὲν λαμβάνει.
Hac tota demū ſumma ſermonum eſt: Homo es.
Quod non facilius animal vllum extollitur
Subitóque ad imum rurſus à ſummo cadit.

Item libro de tranquillitate animi hanc eandem vitæ varietatem graphicè depingit. Διτταί τινες ἕκαστον ἡμῶν γενόμενον παραλαμβάνουσι, καὶ κατάρχονται μοῖραι, καὶ δαίμονες

Ἔνθ' ἦσαν χθονίη τε, καὶ Ἡλιόπη ταναῶπις,
Δῆρις θ' αἱματόεσσα, καὶ Ἁρμονίη θεμερῶπις,
Καλλιστώ τ' Αἰσχρή τε, Θόωσά τε, Δηναίη τε
Νημερτής τ' ἐρόεσσα, μελάγκαρπός τ' Ἀσάφεια.

Hos verſus Empedoclis, quod eorum tota vis & lepor, in Græcis vocibus conſiſtat, non auſim in Latium tranſcribere. huc etiam ſpectauit Heſiodus in diebus 61.

Ἄλλοτε μητρυιὴ πέλει ἡμέρη, ἄλλοτε μήτηρ.
Eſt mater quandóque dies, quandóque nouerca.

Apollonius 1. Argon.

Πήματα γάρ τ' ἄδηλα θεοὶ θνητοῖσι νέμουσιν.
Incertos caſus Dij dant mortalibus ægris.

Theocritus εἰδ. 17. ver. 4.

Οἱ θνητοὶ πελόμεσθα, τὸ δ' αὔριον οὐκ ἐσορῶμες.
Mortales ſumus, & quidnā lux craſtina vol..it
Neſcimus. Sed hîc vela contrahamus, ne in Stobæum aut Polyantheorum ſcriptores impingat oratio. huiuſmodi enim ſententiis pleni ſunt libri, adeò vt ipſe Iupiter facilius arbitretur

-in totidem claſſem conuertere nymphas.

quàm præſtare, vt

-certius incerta pericula luſtret Eneid. 9. Æneidos.

Vide præter citatos Sophoclem Oedipo in Colonis. Hippocratem epiſt. ad Demagetum, Phalaridem epiſt. 38. ad Demotelem, Plinium proœmio libro 7. Maximum Tyrium vigeſima concione. Clementem Alexandrinum tertio ſtromatum ex Homero, Platone, Empedocle, Sibylla, & aliis. vide alios paſſim, quo factum eſt vt præſens vita mórsne an ſomnium dicendum eſſet aliqui dubitarent. Euripides apud Platonem in Gorgia, & Laërtium in Pyrrhone:

Τίς δ' οἶδεν εἰ τὸ ζῆν μέν ἐστι κατθανεῖν
Τὸ κατθανεῖν δὲ ζῆν νομίζεται βροτοῖς;
Quis nouit vtrùm viuere ſit ipſum mori,
Mortémque vitam credat humanum genus?

Vita præſens ſitne mors an vita.

Socrates in Gorgia apud Platonem: Ἔγωγε καὶ ἤκουσα τῶν σοφῶν, ὡς νῦν ἡμεῖς τέθναμεν, καὶ τὸ σῶμά ἐστιν ἡμῖν σῆμα. *Ego ſanè à ſapientibus quibuſdam audiui nos nunc eſſe mortuos, & corpus eſſe noſtrum ſepulchrum.* Clemens Alexandrinus loco citato: Πυθαγόρας δὲ καὶ τῷ ἐν Γοργίᾳ Σωκράτει ἐμφερῶς ἐν οἷς φησι, θάνατός ἐστιν ὁκόσα ἐγερθέντες ὁρέομεν, ὁκόσα δὲ εὕδοντες ὕπνος. *Pythagoras à Socrate in Gorgia non diſſentit, cùm ait mors eſt quæcunque vigilantes videmus, quæcumque dormientes, ſomnus.* Sed adhibeamus etiam ſolatium. Lucianus in Demonactis vita: Τῷ πενθοῦντι καὶ ἐν σκότῳ ἑαυτὸν καθείρξαντι προσελθὼν ἔλεγε μάγος τ' εἶναι, καὶ δύνασθαι αὐτῷ ἀναγαγεῖν τοῦ παιδὸς τὸ εἴδωλον, εἰ μόνον αὐτῷ τρεῖς τινας ἀνθρώπους ὀνομάσειε μηδένα πώποτε πεπενθηκότας, ἐπὶ πολὺ δ' ἐκείνου ἐνδοιάσαντος καὶ ἀπορουμένου, οὐ γὰρ εἶχέ τινα, οἶμαι, εἰπεῖν τοιοῦτον, εἶτ' ἔφη, ὦ γελοῖε, μόνος ἀφόρητα πάσχειν νομίζεις μηδένα ὁρῶν πένθους ἄμοιρον. *Cuidam filium lugenti, & in tenebras ſe abdenti accedens dixit ſe magum eſſe, & poſſe filij vmbram ab inferis excitare, ſi tantùm tres homines qui nullum vnquam luxiſſent, ipſi nominaret, cúmque is diu dubitans neminem huiuſmodi reperire potuiſſet, Næ, tu homo ridiculus, inquit, qui neminem videns luctus expertem, intolerabilia te ferre arbitreris.* Quo genere ſolatij longè antè Democritus Xerxis coniugem lugentis dolorem abſterſerat: vt refert Iulianus Auguſtus epiſt. 38. ad Amerium.

11. Fortunæ volubilitas.

VAGA VOLVBILISQVE FORTVNA.] Campus etiam ſuperiore latior, in quem tamen non libet excurrere. vide dicta in Piſonianam de *fortunæ rota.* legationem Scytharum apud Curtium, Appianum 4. ciuilium, Valerium, &c. Vnus Philo lib. *Quod Deus ſit immutabilis.* hoc loco ſuffecerit: Πᾶσα ἡ οἰκουμένη ἄνω καὶ κάτω κλονουμένη καὶ τινασσομένη, ὥσπερ ναῦς θαλαττεύουσα, τότε μὲν δεξιοῖς, τότε δὲ καὶ ἐναντίοις πνεύμασι χρῆται, χορεύει δ' ἐν κύκλῳ λόγος ὁ θεῖος, ὃν οἱ πολλοὶ τῶν ἀνθρώπων ὀνομάζουσι τύχην. *Totus orbis habitabilis nónne ſus dèque turbatus & concuſſus, vt nauis iactata marinis fluctibus, nunc ſecundis ventis, nunc aduerſis vtitur? nam verbum diuinum circum choreas ducit, quod vulgus hominum fortunam appellat.*

INFIDELITATES IN AMICIS.] Aiax Sophocleus: -τοῖς πολλοῖσι γὰρ
Βροτῶν ἄπιστός ἐσθ' ἑταιρείας λιμήν.
-permultis enim
Sodalitatis portus infidelis eſt.

Plutarchus περὶ φιλαδελφίας ex Menandro:
-φίλον οἴετ' ἐξευρηκέναι
Ἀγαθὸν ἕκαστος, ἂν ἔχῃ φίλου σκιάν.
Σκιαὶ γάρ εἰσιν ὄντως αἱ πολλαὶ φιλίαι.
-Apponit lucro
Quicunque amici nactus eſt vmbram leuem.
Reuera enim vmbræ ſunt amicitiæ multæ. Huiuſmodi infidelitatem Phalaris in amicis ſuis agnouerat. Sic enim ſcribit epiſt. 34. ad Pollucem: Ἐγὼ δ' ἐκκλίνειν ἤδη φεύγω πάντας ἀνθρώπους. πίστιν γὰρ οὔτε παρ' ἄλλοις ποτ', οὔτ' ἐν φίλοις βεβαίαν εὗρον. διὸ πάντα πλήρη πόνων ἐπιγνοὺς τὴν ἀοίκητον ἐρημίαν ἐν Λιβύῃ τοῦ μετ' ἀνθρώπων βίου αἱρετωτέραν ὑπολαμβάνω, καὶ τὰ θηριόβατα νομάδων ἐνδιαιτήματα. μᾶλλον γὰρ ἐμπελασθεὶς λέουσιν ἀκινδύνως συναυλισαίμην ἄν, καὶ συνευνηθείην ἑρπετοῖς, ἢ τοῖς νῦν οὖσιν ἀνθρώποις. *Ego verò contrà iam omnium hominum congreſſum fugio, vitóque. Fidem enim nec in cæteris nec in amicis firmam ac ſolidam inueni. Quare cùm omnia miſeriarum plena eſſe videam, quamuis deſertam Libyæ ſolitudinem, & feris patentes Numidum habitationes conſuetudini vitæque inter homines anteponendas cenſeo. Minore enim periculo inter leones omnéque ſerpentum genus, quàm cum huius ſeculi mortalibus habitare, ſomnúmque capere poſſem.* Fides amicorum infida. Huiuſmodi perfidiam amicorum expertus Timon ſe penitus ab hominum conſortio ſegregauit: Οὐ συνίει κόραξι καὶ λύκοις χαριζόμενος, ἀλλ' ὑπὸ γυπῶν τοσούτων ὁ κακοδαίμων κειρόμενος τὸ ἧπαρ, φίλους εἶναι αὐτοὺς, καὶ ἑταίρους ᾤετο ὑπ' εὐνοίας τῆς πρὸς αὐτὸν χαίροντας τῇ βορᾷ. *Non aduertebat ſe coruis & lupis gratificari, ſed cùm tot vultures iecur miſeri lacerarent, eos amicos & ſocios eſſe credebat, quaſi per beneuolentiam erga ipſum iucundè vorarent,* &c. ait Lucianus in Timone, quem tu conſule, & Plutarchum in Antonio, qui voluit Timonis μισανθρωπίαν imitari. iure autem hanc infidelitatem execrati ſunt, eorum quorum vt ait Plautus Truculento actu 1. Sc. *Ad fores*

In melle ſunt linguæ ſitæ, atque orationes
Lactéque: corda in felle ſunt ſita, atque acerbo aceto.
E linguis dicta dulcia datis, corde amare facitis.

Iure, inquam: nam vt ait magnus ſcriptor 5. Ethic. cap. 3. Ὅταν ὑπὸ τῆς ἐκείνου, (videlicet προσποιουμένου φίλος εἶναι, vt præmiſerat,) προσποιήσεως ἀπατηθῇ, δίκαιον ἐγκαλεῖν τῷ ἀπατήσαντι, καὶ μᾶλλον ἢ τοῖς τὸ νόμισμα κιβδηλεύουσιν, ὅσῳ περὶ τιμιώτερον ἡ κακουργία. *Tum illius ſimulatione fuerit in fraudem inductus, iuſtum eſt de illo queri qui deceperit, & quidem iuſtius quàm de iis qui pecuniam adulterarint, quanto circa rem pretioſiorem maleficium verſatur.* Adde quod, vt ait Theognis poſtremo ſuorum diſtichorum:

Ἐχθρὸν μὲν χαλεπὸν καὶ δυσμενῆ ἐξαπατῆσαι
Κύρνε· φίλον δὲ φίλῳ ῥᾴδιον ἐξαπατᾶν.
Hoſtem difficile eſt in fraudem inducere: amicum
Contra perfacile eſt illaqueare dolis.

Critias oratione contra Theramenem apud Xenophontem 2. Rerum Græcarum: Τοσούτῳ μὲν δεινότερον προδοσία πολέμου, ὅσῳ χαλεπώτερον φυλάξασθαι τὸ ἀφανὲς τοῦ φανεροῦ. τοσούτῳ δ' ἔχθιον, ὅσῳ πολεμίοις μὲν ἄνθρωποι καὶ σπένδονται αὖθις, καὶ πιστοὶ γίγνονται. ὃν δ' ἂν προδιδόντα λαμβάνωσι, τούτῳ οὔτ' ἐσπείσατο πώποτε οὐδεὶς, οὔτ' ἂν πιστεύσαιτο τοῦ λοιποῦ. *Tanto deterior eſt proditio quàm bellum, quod difficilius eſt à latente, quàm à manifeſto ſibi cauere. Tanto odioſior, quod homines, cùm hoſtes fuerint, inter ſe paciſcuntur, fideléſque fiunt, at quem in perfidia deprehenderint, cùm eo neque pactus eſt hactenus quiſquam, neque paciſcetur in futurum.* Vide in fine libri 7. de Cyri minoris expeditione longè pulcherrima. Themiſtius in Baſaniſta ſub fine: ἀκμία γὰρ μοχθηρίας μᾶλλον δυσκινήτως ἀπιστίας, ἀλλ' αὐτῇ

ἐστὶν ἡ κακία πρὸς ἣν μόνην καὶ φυλακὴν διαπεφεύγαμεν. καὶ γὰρ δὴ ὃ μόνον ἐποιησάμεθα φυλακτήριον (λέγω δὲ τὸν ὅρκον καὶ τὴν ἐπίκλησιν τῶν θεῶν) τούτῳ αὐτῷ μάλιστα καταχρῆται, εἰς τὸ ῥᾷον διαλανθάνειν. *Nulla magis ab hominum ſocietate abhorret malitia, quàm perfidia & infidelitas. Quippe quæ vnicum vitium ſit aduerſus quod nullam cautionem, ac prouiſionem comparare poſſimus. Quod enim ſolum præſidium habemus, iuſiurandum dico ac Deorum inuocationem, hoc ipſo maximè, vt faciliùs lateat, abutitur.* Et alia in hanc ſententiam. Propter hanc infidelitatem Momus apud Lucianum de hæreſibus: Ἐπὶ τῷ ἀνθρώπου δὲ τοῦτ' ἐμέμφετο, καὶ τὸν ἀρχιτέκτονα ἐπέπληξε τὸν Ἥφαιστον διότι μὴ καὶ θυρίδας ἐποίησεν αὐτῷ κατὰ τὸ στέρνον, ὡς ἀναπεταθεισῶν, γνώριμα γίγνεσθαι ἅπασιν, ἃ βούλεται καὶ ἐπινοεῖ. *Hoc in nomine reprehendebat, & Vulcanum eius artificem obiurgabat, quod non ipſi feneſtras in pectore feciſſet, vt iis apertis, omnibus nota fierent quæ volebat aut cogitabat.*

III. Amici temporis. AD TEMPVS.] De his amicis temporis Phocylides ver. 86.

Μηδὲ τραπεζοκόρους κόλακας ποιεῖσθαι ἑταίρους·
Πολλοὶ γὰρ πόσιος καὶ βρώσιός εἰσιν ἑταῖροι·
Καιρὸν θωπεύοντες ἐπὴν κορέσασθαι ἔχωσιν.
Aſſentatores paraſitos ne tibi faxis.
Sunt etenim multi ſocij potúſque cibique
Tempore adulantes ſatient abdomen vt eſca.

Vnde verſu 45. ſapienter monuerat,

Μηδ' ὡς πετρόφυης πολύπους κατὰ χῶρον ἀμείβου.
Nec ſub lege loci ſumas mutéſve colorem
Vt polypus hærens ſcopulis.

Meliùs ſanè quàm Theognis v. 215.

Πουλύποδος νόον ἴσχε πολυπλόκου, ὃς ποτὶ πέτρῃ
Τῇ προσομιλήσει, τοῖος ἰδεῖν ἐφάνη.
Vt polypus ſcopulis implexus, ſume colorem,
Et muta ſcopulos tingit, vt ille color.

Sed putidum ſit tam vulgaria conquirere. vide eundem, v. 73. 77. &c. 115. 643.

IV. SIMVLATIONES.] Ariſtoteles phyſic. citato προσποίησιν. Plutarchus φιλίας μίμησιν. Themiſtius ὑπόκρισιν appellat orat. de amicitia: Καὶ ἐν τῇδε τῇ θηρείᾳ πολλὰ καὶ ποικίλα θηρία εὐδαίμονα φιλίαν μιμεῖται. μάλιστα δὲ τὸ πάντων ἐπιβουλότατόν τε καὶ ἀγριώτατον, ὃ καλεῖται ὑπὸ τῶν νῦν ἀνθρώπων ὑπόκρισις. *Et in hac venatione multæ & diuerſæ belluæ beatam amicitiam imitantur. Præcipuè verò inſidioſiſſimum illud, & immaniſſimum, quod ab hominibus ſimulatio nominatur.* Et ideò fortaſſe quod externa ſpecies ſæpè amicitiam mentiatur, vixque poſſit magna animi contentione ſimulatio deprehendi, dixit Empedocles apud Plutarchum: (Simulationes amicorum.)

Τὴν σὺ νόῳ δέρκου, μηδ' ὄμμασιν ἧσο τεθηπώς.
Quam tu non oculis, ſed ſola mente videbis.

Vide quæ tum à Plutarcho, tum à Maximo Tyrio concione quarta, tum paſſim ab aliis, & ipſo Ariſtotele 4. Ethic. de veræ & ſimulatæ amicitiæ diſtinctione dicantur: non hîc moror, contentus vno loco Lucilij apud Nonnium:

Cocus non curat caudam inſignem eſſe illa dum pinguis ſiet,
Sic animum amici quærunt. paraſiti autem diuitias.

Vide Athenæum lib. 6. penè integro.

V. IN PERICVLIS FVGÆ PROXIMORVM.] Theognis ver. 855.

Fugæ amicorum in aduerſis.

Τῶν δὲ φίλων εἰ μέν τις ὁρᾷ τί με δειλὸν ἔχοντα
Αὐχέν' ἀποστρέψας οὐδ' ἐσορᾶν ἐθέλει.
Ἢν δέ τί μοι ἐσθλὸν (ἃ παλλάκι γίγνεται ἀνδρὶ)
Πολλοὺς ἀσπασμοὺς καὶ φιλότητας ἔχω.
Si quis amicorum videat me cladibus actum,
Ceruice auerſa nec volet adſpicere.
Sin mihi ſors, vt fit, meliorem afflauerit auram,
Tum mihi amicitiæ, tum mihi crebra ſalus.

Vide iterum verſu 925.

Ἢν μὲν γὰρ πλουτῇς πολλοὶ φίλοι, ἢν δὲ πένηαι
Παῦροι.

vertit Ouidius:

Si fueris fœlix multos numerabis amicos,
Tempora ſi fuerint nubila, ſolus eris.

Petronius in ſatyrico:

Cùm fortuna manet vultum ſeruatis amici,
Cùm cecidit, turpi vertitis ora fugâ.

Dixit autem noſter fugas non amicorum, ſed proximorum, quia tardiùs ſolent periculis ſubuenire:

Εἰ γάρ τοι καὶ χρῆμ' ἐγχώριον ἄλλο γένηται,
Γείτονες ἄζωστοι ἔκιον, ζώσαντο δὲ πηοί.
Si quis opem caſus, ſi res exegerit, ecce
Vicini accurrunt ſine veſte, in veſte propinqui.

ait Heſiodus in operibus verſu 342. Sed nihil eſt in eo genere feſtiuius quàm Timon Luciani. notum eſt oraculum redditum duobus adoleſcentibus, quorum alter profugerat, alter dum graſſatores propulſaret, amicum imprudens occiderat. alter reſponſum,

Ἀνδρὶ φίλῳ θνῄσκοντι παρὼν πέλας οὐκ ἐβοήθεις
Οὔ σε θεμιστεύσω, περικαλλέος ἔξιθι νηοῦ.
Tu ſocium præſens liquiſti in turbine lethi
Non reſponſa dabo, templo procul eſto profanus.

Alteri:

Ἔκτεινας τὸν ἑταῖρον ἀμύνων, οὔ σ' ἐμίανεν
Αἷμα, πέλεις δὲ χέρας καθαρώτερος ἢ πάρος ἦσθα.
Mactaſti ſocium dum protegis, haud tibi ſanguis
Aſperſit maculam, manus haud tibi purior antè.

Auctor Ælianus lib. 3. Variæ hiſtoriæ c. 44. Nota etiam elegans fabella Æſopi, verſibus elegis ſcripta ab Auieno. Duo viatores in vrſam inciderāt, alter viſa vrſa quercum inſcenderat, alter deprehenſus cohibito ſpiritu mortuum ſimulauit:

Tunc olidum credens quamuis ieiuna, cadauer
Deſerit, & luſtris conditur vrſa ſuis.
Sed cùm ſecuri paullatim in verba rediſſent,
Liberior iuſto qui fuit ante fugax:
Dic ſodes quidnam trepido tibi retulit vrſa,
Nam ſecreta diu multáque verba dedit.
Magna quidem monuit: tamen hæc quoque maximè iuſſit
Quæ miſero ſemper ſunt facienda mihi.
Ne facilè alterius repetas conſortia, dixit,
Rurſus ab inſanâ ne capiare fera.

Finio cum Seneca epiſt. 9. *Florentes amicorum turba circumſedet: circa euerſos ingens ſolitudo eſt: & inde amici fugiunt, vbi probantur: hac re iſta tot exempla ſunt aliorum metu relinquentium, aliorum metu prodentium.*

TIMIDITATES.] Et hoc ſignum amicitiæ ſimulatæ. Μόνος γάρ τοι τῶν ἐν ἀνθρώποις ἔρως, vt auctor eſt Maximus Tyrius decima concione, ἐπειδὰν τῷ καθαρῶς ξυλλάβηται, οὐ πλοῦτον τεθηπεν, οὐ τύραννον δέδιεν, οὐ βασιλέα ἐκπλήττεται, οὐ δικαστήριον φυλάττεται, οὐ φεύγει θάνατον. οὐ θηρίον αὐτῷ δεινόν, οὐ πῦρ, οὐ κρημνός, οὐ θάλαττα, οὐ ξίφος, οὐ βρόχος. ἀλλὰ καὶ τὰ ἄπορα αὐτῷ εὐπορώτατα, καὶ τὰ δεινὰ εὐμαχώτατα, καὶ τὰ φοβερὰ εὐπετέστατα, καὶ τὰ χαλεπὰ εὐκολώτατα. ποταμοὶ πάντες περάσιμοι, χειμῶνες πλοϊμώτατοι, ὄρη εὐδρομώτατα. πανταχοῦ θαρσεῖ, πάντων ὑπερορᾷ, πάντων κρατεῖ, &c. *Solus rerū humanarū amor, cùm alicuius animo purè inſederit, non diuitias veneretur, non ty-* VI.

Amor nihil timet

rannū reformidat, non Regem metuit, non iudicium cauet, mortem non fugit. Nulla ei bellua terribilis, non ignis, non præcipitium, non mare, non gladius, non laqueus. Sed & impoſsibilia ſunt illi maximè poſsibilia, terribilia maximè expugnabilia, horrenda expeditiſsima, difficilia facillima. Omnes fluuij tranabiles, procellæ nauigabiles, montes planiſsimi, vbique confidit, omnia contemnit, omnia ſuperat, &c. Dixerat priùs: ὁ δ' ἔρως οὐδενὶ οὕτως πολεμεῖ ὡς ἀνάγκῃ καὶ δέει. καὶ ἔστι χρῆμα γαῦρον, καὶ δεινῶς ἐλεύθερον, καὶ τῆς Σπάρτης αὐτῆς ἐλευθερώτερον. *Amor nulli rei tam inimicus eſt quàm neceſsitati & timori, eſtque res ſuperba, & valde libera, & ipſa Sparta liberior.* Vnde & Critobulus in Xenophontis conuiuio Critiam amans: Καὶ γὰρ πονοίην ἂν ῥᾷον ἐκείνῳ, ἢ ἀναπαυοίμην. καὶ κινδυνεύοιμ' ἂν πρὸ ἐκείνου ἥδιον, ἢ ἀκινδύνως ζῴην. *Etenim laborarem facilius ipſi quàm quieſcerem, & periclitarer ipſius cauſſâ iucundius, quàm viuerem extra omne periculum conſtitutus.* Vt autem intelligas eadem amicitiæ ſuo modo conuenire, addit Tyrius: ὁ ἔρως φιλίας ἐστὶν ὁρμή, καὶ ὄρεξις τοῦ ὁμοίου πρὸς τὸ ὅμοιον ἄττοντος φύσει, καὶ ἀνακραθῆναι αὐτῷ ὀρεγομένου. *Amor amicitiæ eſt impetus & appetitus ſimilis ad ſimile exilientis naturâ, & vniri miſcerique appetens.* Vide Plutarchum in erotico, Platonem in ſympoſio, Phædro & alibi. Tyrium quatuor concionibus, & alios paſſim.

Amoris libertas.

Amor quid?

VII. MOTV ALIQVO COMMVNIVM TEMPORVM.]

Scilicet vt fuluum ſpectatur in ignibus aurum,
Tempore ſic duro eſt inſpicienda fides.

aut vt ait alter:

Amicus certus, in re incerta cernitur.

Amicus certus in re incerta cernitur.

& alij paſſim in hanc ſententiam. Sapienter tamen Plutarchus de diſcretione adulatoris & amici: ἀποκρινάσθαι γὰρ τῷ Εὐριπίδῃ λέγοντι.

Ὅταν δ' ὁ δαίμων εὖ διδῷ, τί δεῖ φίλων;
Ὅτι δεῖ μάλιστα παῤῥησιαζομένων, &c.

Reſpondendum eſt Euripidi dicenti,
Quid opus amicis ſi mihi numen fauet?
opus eſſe maximè iis qui liberè loquantur.

Vide magnum Senecam libro de beneficiis ſexto, à capite 24. ad 34. rem ex profeſſo & ſubtiliter diſputantem.

VIII. EXPERTI DEBEMVS SCIRE] Eodem penè modo Crœſus apud Herodotum libro primo: Τὰ δέ μοι παθήματα τὰ ἐόντα ἀχάριτα μαθήματα γέγονε. *Aduerſitates quæ mihi ingratæ contigerunt me docuerunt, vel nocumenta mihi fuerunt documenta.* vt eandem ſeruemus παρήχησιν. Dicit igitur noſter. Experti debemus ſcire. Quaſi ſeipſum ſtultitiæ accuſet, qui amicorum infidelitatem non antè perſpexerit, quàm in exilium mitteretur. Subobſcurè tamen ne videatur exprobrare Pompeio, à quo deſtitutus fuerat, illud idem quod ſub Alpheni nomine Catullus exprobrauit. Videtur autē alludere ad illud 20. Iliados, v. 197.

Experientia ſtultorum magiſtra.

Ἐς πληθὺν ἴεναι, μηδ' ἀντίος ἵστασ' ἐμεῖο
Πρίν τι κακὸν παθέειν, ῥεχθὲν δέ τε νήπιος ἔγνω.

Turba te immiſcens procul hinc abſiſte, priùs quam
Durum aliquid ſubeas, docet experientia ſtultos.

Poſt quem Heſiodus in operibus, v. 215.

Δίκη δ' ὑπὲρ ὕβριος ἴσχει
Ἐς τέλος ἐξελθοῦσα. παθὼν δέ τε νήπιος ἔγνω.
-ad finem veniens iniuria demum
Cedit iuſtitiæ. docet experientia ſtultos.

Æſchines epiſt. 5. ἃ γὰρ ἐγὼ παθὼν ἐδιδάχθην, ταῦτα πρὸ τοῦ παθεῖν εὐλαβεῖται σοφία, καὶ οὐχ ὥσπερ οἱ ἄφρονες πείρᾳ διδασκόμενος. *Quæ enim patiens doctus ſum, ea ſapientia cauet, priuſquam patiatur, & non ſtulti experientia doctus.* Nec abludit Fabius ille Liuianus libro 2. decad. 3. *Nec euentus modò hoc docet (ſtultorum) iſte magiſter, ſed eadem ratio eſt, quæ fuit futuráque, donec res eædem manebunt, immutabilis eſt.* Æſchylus Agamemnone, πάθει μάθος. Claudianus lib. in Eutropium 2. pulcherrimè rem expreſſit.

-nec iam reuocabile damnum
Euentu ſtolido rerum didicere magiſtro.

Quod etiam illuſtrat eleganti fictione.

Namque ferunt geminos vno de ſemine fratres
Iapetionidas generis primordia noſtri
Diſſimili finxiſſe manu. Quoſcumque Prometheus
Excoluit, multúmque innexuit æthera limo,
Hi longè ventura notant, dubiíſque parati
Caſibus occurrunt fabro meliore politi.
Deteriore luto caſus quos edidit auctor,
Quem meritò Graij perhibent Epimethea vates,
Et nihil ætherei ſparſit per membra vigoris,
Hi pecudum ritu non impendentia vitant,
Nec res ante vident. Acceptâ clade queruntur
Et ſerò tranſacta gemunt.-

Et ſanè in amicitia præſertim ſtultum eſt experientiam opperiri. Plutarchus de adulatore & amico: ὥσπερ νόμισμα χρὴ τὸν φίλον ἔχειν πρὸ τῆς χρείας δεδοκιμασμένον, μὴ ὑπὸ τῆς χρείας ἐλεγχόμενον, &c. *Vt nummum, ſic amicum ad neceſsitates habere oportet. iam ante probatum, non qui in ipſa neceſſitate approbetur.* hoc Plutarchus. cui non abſimile eſt illud in Lælio: *Eſt igitur prudentis ſuſtinere, vt currum, ſic impetum beneuolentiæ, quo vtamur quaſi equis tentatis ſic amicitiis: aliqua parte periclitatis moribus amicorum.*

Amicus ante neceſſitatem periclitãdus.

POST HOMINES NATOS.] Tractum ex illis Lucilij: IX.

Samnis ſpurcus homo, vita illa dignu' locóque
Cum Pacidiano componer, optimu' longè
Poſt homines natos gladiator qui fuit vnus.

Noſter pro domo ſua. *Quis prouinciam homini poſt homines natos turpiſsimo,* &c. vndecima etiam Philippica hoc eodem pacto locutum eſſe notat P. Victorius, cui debetur hæc nota.

AXIOMATA.

Varia vitæ commutabiliſque ratio, vaga volubiliſque fortuna.

Vitæ inconſtantiam qui non prævident, ſaltem experti debent cognoſcere.

ARGVMENTVM.

Eleuat ſuſpiciones Pompeij, immò oſtendit nihil eum de Milone temerè ſuſpicari, quia cùm ipſi poteſtas eſſet facta etiam ſine iudicio Milonis expellendi, eum expuliſſet, ſi Milonem vim illaturum fuiſſe Iudicibus crediidiſſet.

LXXI. QVANQVAM quis hoc credat, Cn. Pompeium iuris publici, moris maiorum, rei denique publicæ peritiſſimum, cùm ſenatus ei commiſerit, vt videret ne quid Reſpublica detrimenti caperet (quo vno verſiculo ſatis armati ſemper Conſules fuerunt, etiam nullis armis datis) hunc exercitu, hunc delectu dato, iudicium exſpectaturum fuiſſe in eius conſiliis vindicandis, qui vel iudicia ipſa tolleret? ſatis iudicatum eſt à Pompeio, falsò iſta conferri in Milonem, qui legem tulit, qua, vt ego ſentio, Milonem abſolui oporteret, vt omnes confitentur, liceret.

EXPLANATIO.

QVANQVAM.] Correctio Rhetorica, vt neget Pompeium quicquã ſuſpicari, quod probat.

Si Pompeius Milonem ſuſpicaretur vim facturum Iudiciis eum ante iudicium expelleret.

Sed non expellit. *Ergo non ſuſpicatur.*

Probat ſequelam maioris hoc pacto.

Poteſt etiam ſine iudicio Milonem expellere.

Ergo expelleret.

probat antecedens.

Cui Senatus Conſulto committitur vt videat ne quid Reſp. detrimenti capiat, is poteſt ſine iudicio expellere.

Sed factum eſt S.C. vt videat Pompeius ne quid Reſp. detrimenti capiat.

Ergo poteſt ſine iudicio Milonem expellere.

QVO VERSICVLO.] Verborum breui formulâ quæ poteſt vnâ lineâ contineri.

HVNC.] Cn. Pompeium cui Senatus etiam permiſit, vt delectum haberet, & exercitum conſcriberet.

Etiamſi permiſſum non eſſet habere delectum, tamen vi Senatus illius conſulti poſſet expellere.

Sed Pompeio nominatim permiſſum eſt habere delectum.

Ergo multo magis poteſt expellere.

IN EIVS.] Milonis conſiliis & conatibus infringendis, quem ſuſpicaretur velle vim iudiciis inferre.

FALSO ISTA CONFERRI IN MILONEM.] Falſo iactari vulgi ſermonibus Pompeium de Milone ſiniſtrè ſuſpicari, aut etiam Milonem vim iudicio parare.

QVI LEGEM TVLIT.] Vt de cæde Clodij quæreretur.

OPORTERET.] Propter cauſſæ æquitatem.

LICERET.] Propter poteſtatem Iudicibus Pompeij lege conceſſam.

NOTÆ.

I. PERITISSIMVM.] Quanta fuerit in Pompeio peritia rei militaris, videri poteſt in Maniliana 28. & pro Cornelio Balbo 9. 15. nunc eundem à peritia Reip. commendat. de cuius neceſſitate vide Platonem in Lyſide, in Alcibiade priore, libris de Rep. & alibi. Nos vno Xenophonte contenti ſumus initio libro tertij memorabilium: (Peritia rei militaris.) Αἰσχρὸν μέν τοι, ὦ νεανία, τὸν βουλόμενον ἐν τῇ πόλει στρατηγεῖν, ἐξὸν τοῦτο μαθεῖν, ἀμελῆσαι αὐτοῦ. καὶ δικαίως ἂν οὗτος ὑπὸ τῆς πόλεως ζημιοῖτο πολὺ μᾶλλον ἢ εἴ τις ἀνδριάντας ἐργολαβοίη μὴ μεμαθηκὼς ἀνδριαντοποιεῖν. *Turpe eſt, ô adoleſcens, eum qui vult ad capeſſendos magiſtratus accedere, oblatam diſcendi facultatem negligere. Et is iure à Rep. multetur, multò magis, quàm qui ſtatuariæ artis ignarus, ſtatuas faciendas redemerit.* quod tum aliis probat, tum inductione pulcherrimâ. Ἐν παντὶ πράγματι οἱ ἄνθρωποι τούτοις μάλιστα ἐθέλουσι πείθεσθαι, οὓς ἂν ἡγῶνται βελτίστους εἶναι. καὶ γὰρ ἐν νόσῳ, ὃν ἂν ἡγῶνται ἰατρικώτατον εἶναι, τούτῳ μάλιστα πείθονται, καὶ ἐν πλοίῳ οἱ πλέοντες, ὃν ἂν κυβερνητικώτατον, καὶ ἐν γεωργίᾳ, ὃν ἂν γεωργικώτατον. *In omni negotio iis maximè parêre volunt mortales, quos exiſtimant ceteris meliores. Etenim in morbo, quem medicinæ peritiſſimũ putant, ei maximè obediunt. Et in nauigatione, & in agricultura, quem nauigationis & agriculturæ callentiſſimum arbitrantur.* Sed nihil in eo genere feſtiuius, quàm quod idem refert initio libri ſequentis: Παρόντος τοῦ Εὐθυδήμου, ὁρῶν αὐτὸν ἀποχωροῦντα τῆς συνέδρας, καὶ φυλαττόμενον μὴ δόξῃ τὸν Σωκράτην θαυμάζειν ἐπὶ σοφίᾳ, ὅτι μὲν, ἔφη, ὦ ἄνδρες, Εὐθύδημος οὑτοσὶ ἐν ἡλικίᾳ γενόμενος τῆς πόλεως λόγον περί τινος προτεθείσης, οὐκ ἀφέξεται τοῦ συμβουλεύειν εὔδηλόν ἐστιν, ἐξ ὧν ἐπιτηδεύει, δοκεῖ δέ μοι καλὸν προοίμιον τῶν δημηγορικῶν παρασκευάζεσθαι φυλαττόμενος μὴ δόξῃ μανθάνειν τι παρά του, δῆλον γὰρ ὅτι λέγειν ἀρχόμενος ὧδε προοιμιάσεται. Παρ' οὐδενὸς μὲν πώποτ' ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, οὐδὲν ἔμαθον, οὐδ' ἀκούων τινὰς εἶναι λέγειν τε καὶ πράττειν ἱκανοὺς ἐζήτησα τούτοις ἐντυχεῖν, οὐδ' ἐπεμελήθην τοῦ διδάσκαλόν τινά μοι γενέσθαι τῶν ἐπισταμένων, ἀλλὰ καὶ τἀναντία, &c. (Peritia Reip. quam neceſſaria.) *Præſente Euthydemo, cùm eum videret à conſeſſu refugientem, cauentémque ne Socratis ſapientiam mirari videretur, Euthydemus, inquit, cùm ad virilem ætatem peruenerit, deliberatione de re quapiam publicè propoſitâ, à dando conſilio non abhorrebit, vt ex eius ſtudiis liquet. Videtur igitur mihi pulchrum concionis exordium præparare, cauens, ne quid ab vllo didiciſſe videatur. Conſtat igitur eum dicere incipientem tali vſurum eſſe exordio. A nemine vnquam, Athenienſes, quicquam didici, neque cùm audirem aliquos eſſe, qui præclarè & loqui & facere poſſent, cum iis congredi volui, neque curaui aliquem rerum quas ſcio mihi magiſtrum adhibere, ſed contrà,* &c. Et verò ſi neceſſe eſt vt, quod ait ille:

Quam quiſque nouit artem in hac ſe exerceat.

aut, vt Perſius:

Nauem ſi poſcat ſibi peronatus arator
Luciferi rudis, exclamet Melicerta periſſe
Frontem de rebus.

Quantò magis id in tractanda Repub. cauendum ne quis ad eius gubernacula iuris & moris maiorum imperitus accedat? nam, vt præclarè Theologus apologetico: αὕτη μοι φαίνεται τέχνη τις εἶναι τεχνῶν, καὶ ἐπιστήμη ἐπιστημῶν, ἄνθρωπον ἄγειν, τὸ πολυτροπώτατον τῶν ζώων, καὶ ποικιλώτατον. *Iſta mihi videtur eſſe ars artium & ſcientia ſcientiarum, hominem gubernare, qui præ cæteris animantibus moribus & vita varius atque diuerſus eſt.* Quare mirari ſatis non poſſum cur Ariſtoteles 5. polit. cap. 9. inter cæteras, quas enumerat, magiſtratuum conditiones ſcientiam non requirat. Τρία δέ τινα χρὴ ἔχειν τοὺς μέλλοντας ἄρξειν τὰς κυρίας ἀρχὰς· πρῶτον μὲν φιλίαν πρὸς τὴν καθεστῶσαν πολιτείαν, ἔπειτα δύναμιν μεγίστην τῶν ἔργων τῆς ἀρχῆς. τρίτον δ' ἀρετὴν, καὶ δικαιοσύνην ἐν ἑκάστῃ πολιτείᾳ πρὸς τὴν πολιτείαν. *Tribus rebus inſtructos eſſe oportet eos, qui primariis magiſtratibus functuri ſunt, prima eſt amor erga præſentem Reip. ſtatum, deinde maxima poteſtas eorum operum quæ ſunt in eo magiſtratu exequenda. Tertia virtus & iuſtitia in vnaquaque Reip. forma erga Remp.* Niſi ſi fortè nomine poteſtatis etiam peritiam comprehendit. nam quod ignores efficere non poſſis, aut etiam nomine virtutis & iuſtitiæ. bonos enim, vt ait Plato tertio de legibus: Σοφούς τε προσρητέον, κἂν τὸ λεγόμενον, μήτε γράμματα, μήτε νεῖν ἐπίστωνται, καὶ τὰς ἀρχὰς δοτέον, ὡς ἔμφροσι. *Sapientes appellare debemus, etiamſi, vt eſt in prouerbio, neque legere, neque natare ſciant: iiſque, tanquam prudentibus, magiſtratus mandandi ſunt.*

QVO VNO VERSICVLO.] Vna linea. Senatus enim conſulta in tabulas referebant. Valerius lib. 2. *Veteribus Senatuſconſultis* T *littera ſubſcribi ſolebat: eáque nota ſignificabatur illa Tribb. quoque cenſuiſſe.* Sed putidum ſit exempla conquirere. hinc illud quòd cum Druſo Tribunitia poteſtas decreta eſt. *Quintus Haterius cùm S.C. aureis litteris figenda in curia cenſuiſſet, deridiculo fuit ſenex fœdiſſimæ adulationis tantùm infamia vſurus.* auctor Tacitus 3. annalium. II.

NVLLIS ARMIS DATIS.] Quid igitur? illo S.C. verſiculo conſulibus arma non dabantur? at Salluſtius in Catilina. *Quod plerumque in atroci negotio ſolet, Senatus decreuit,* DARENT OPERAM CONSVLES, NE QVID RESP. DETRIMENTI CAPERET. *Ea poteſtas per Senatum more Romano magiſtratui maxuma permittitur, exercitum parare, bellum gerere, coërcere modis omnibus ſocios atque ciues, domi militiaque imperium atque iudicium ſummum habere. aliter ſine populi iuſſu nulli earum rerum Conſuli ius eſt.* III.

AXIOMATA.

Iudicium non eſt expectandum in eius conſiliis vindicandis, qui vel iudicia ipſa tollit.

Qui inſtituit quæſtionem, oſtendit licere reum abſoluere.

ARGVMENTVM.

Poſtquam diluit ſuſpiciones Pompeij, ait præſidia quæ Pompeius in foro poſuerat, non eſſe poſita contra Milonem, ſed potiùs ad reprimendam Clodianorum audaciam, vt Iudices prout ſentirent, liberè iudicarent.

QVòD verò illo loco atque in illis publicorum præſidiorum copiis circumfuſus ſedet, ſatis declarat, ſe non terrorem inferre vobis (quid enim illo minùs dignum, quàm cogere, vt vos eum condemnetis, in quem animaduertere ipſe, & more maiorum, & ſuo iure poſſet?) ſed præſidio eſſe: vt intelligatis, contra heſternam concionem illam licere vobis quòd ſentiatis liberè iudicare. LXXII.

EXPLANATIO.

QVOD VERò.] Pompeius ſatis oſtendit ſe non terrorem inferre vobis, aut iudicij libertatem impedire, dum militibus circundatus ſedet in veſtibulo ærarij. Aſconius præfat. *Euntibus ad tabellam ferendam poſtero die iudicibus, qui fuit ad* III. *Id. April. clauſæ fuerunt tota vrbe tabernæ, præſidia in foro & circa omnes fori aditus Pompeius diſpoſuit, ipſe pro ærario, vt pridie conſedit ſeptus delecta manu militum.*

QVID ENIM.] Hac parentheſi probat Pompeium milites non habuiſſe, vt iudicibus terrorem inferret, aut metu ſententiam damnationis extorqueret ab indignitate rei, quia planè tyrannicum eſt, cogere iudices vt eum damnent, quem comperint innocentem. cùm præſertim non ad explendum odium ſuum, ſed ad ſolam iudicum contumeliam id facturus eſſe videretur. quippe qui etiam ſine iudicio Milonem poſſet occidere. nam S. C. permiſſum fuit *coërcere modis omnibus ſocios atquè eius, domi militiaque imperium atque iudicium ſummum habere.* quare fuiſſet gratis malus & improbus ſi vim iudiciis afferre voluiſſet. quod eſt planè indignum Pompeio.

CONTRA HESTERNAM CONCIONEM.] Aſconius præfat. *Primo die datus erat in Milonem teſtis Caſinius Schola qui ſe cum P. Clodio fuiſſe, cùm is occiſus eſſet, dixit, atrocitatémque rei factæ quam maximè potuit, auxit, quem cùm interrogare M. Marcellus cœpiſſet, tanto tumultu Clodianæ multitudinis circunſtantis exterritus eſt, vt vim vltimam timens in tribunal à Domitio reciperetur. Quam ob cauſſam M. Marcellus, & ipſe Milo à Domitio præſidium implorauerunt. Sedebat eo tempore Cn. Pompeius ad ærarium, perturbatúſque erat eodem illo clamore, itaque Domitio promiſit ſe poſtero die cum præſidio deſcenſurum, idque fecit.* quam tamẽ ait Tullius heſternam, videtur duobus ante diebus contigiſſe. ſubdit enim Pedianus: *Quare territi Clodiani, ſilentio verba teſtium per biduum audiri paſſi ſunt.* ſed vtri potiſſimùm credes? Aſconióne, an Ciceroni qui interfuit?

NOTÆ.

CIRCVMFVSVS.] 2. Æneidos.
Irruimus denſis & circumfundimur armis. I.

Ouidius 14. Metamorph.

-ne poſſet adire
Curſus equi fecit, circumfuſúſque ſatelles.

II. Cogere vt vos evm condemnetis.] Talis indignitas à Ioſepho deſcribitur lib. 4. de excidio, cap. decimo nono. Quid prohibet ipſa verba repræſentare? Οἱ δ' ἤδη διαμεμισηκότες τὸ φονεύειν ἀνέδην, εἰρωνεύοντο δικαστήεια καὶ κρίσεις. *Zelotæ verò iam cædem ſimplicem faſtidientes, quædam iudiciorum & tribunalium ſimulacra finxerunt.* Cùm itaque Zachariam è primoribus ſynedrio ſtitiſſent iudicandum: Φέρουσι δὲ οἱ ἑβδομήκοντα τῷ κρινομένῳ τὰς ψήφους ἀπολύσεως, καὶ σὺν αὐτῷ προείλοντο τεθνάναι μᾶλλον ἢ τῆς ἀναιρέσεως αὐτοῦ λαβεῖν τὴν ἐπιγραφήν. ἤρθη δὲ βοὴ τῶν ζηλωτῶν πρὸς τὴν ἀπόλυσιν, καὶ πάντων μὲν ἦν ἀγανάκτησις ἐπὶ τοῖς δικασταῖς, ὡς μὴ συνιεῖσι τὴν εἰρωνείαν τῆς δοθείσης αὐτοῖς ἐξουσίας. δύο δὲ τῶν τολμηροτάτων προσπεσόντες ἐν μέσῳ τῷ ἱερῷ διαφθείρουσι τὸν Ζαχαρίαν, καὶ πεσόντι ἐπιχλευάσαντες ἔφασαν καὶ παρ' ἡμῶν τὴν ψῆφον ἔχεις, καὶ βεβαιοτέραν τὴν ἀπόλυσιν, &c. *Iudices ſeptuaginta reum abſoluunt, & cum ipſo mori, quam capitalem de eo ſententiam ferre maluerunt. Ad abſolutionem igitur zelotarum clamor exortus eſt, omnéſque indignatione fremebant in Iudices, quaſi neſcirent per ludibrium iudicandi poteſtatem ſibi eſſe commiſſam. Duo igitur ex audaciſſimis impetu facto Zachariam in medio templo contrucidant, & per iocum, habes etiam à nobis, inquiunt, calculum & abſolutionem firmiorem.* Hinc autem oſtenditur rei indignitas, quia ius hoc pacto iniuſtæ cædi prętexitur. at vt ait Plutarchus opuſc. de diſcretione adulatoris & amici, immò Plato 2. de Rep. ἐσχάτη ἀδικία δοκεῖν δίκαιον εἶναι μὴ ὄντα. δοτέον οὖν τῷ τελέως ἀδίκῳ τὴν τελειοτάτην ἀδικίαν, καὶ οὐκ ἀφαιρετέον, ἀλλ' ἐατέον τὸν μέγιστα ἀδικοῦντα τὴν μεγίστην δόξαν αὑτῷ παρεσκευακέναι εἰς δικαιοσύνην. *Extrema iniuſtitia eſt iuſtum videri cùm non ſis. Ei igitur, qui perfectè iniuſtus eſt iniuſtitia abſolutiſſima concedendum, id eſt, nec auferendum, ſed ſinendum vt iniuſtiſſimè viuens maximam iuſtitiæ gloriam conſequatur.* Quid? quòd, vt ait Ariſtoteles 5. Ethic. cap. 4. ὁ δικαστὴς βούλεται εἶναι δίκαιον ἔμψυχον; *Iudex vult eſſe iuſtum viuens.* Quàm igitur indignum fuerit eum iniuſtitiæ & violentiæ fieri adminiſtrum?

Concionem.] Notat Aulus Gellius ex Verrio [illegible] 18. noct. Attic. cap. 7. *Concionem tria ſignificare, locum ſuggeſtúmque vnde verba fierent: item [illegible] cœtum populi aſſiſtentis: item orationem [illegible] ad populum diceretur.* Facilè fuerit ex [illegible] oratione ſingulorum exempla depromere: ſed non moramur: miramur quid doctos viros impulerit, vt vbique *contionem* pro concione reſcriberent. liquet enim primo & ſecundo ſenſu *concionem* eſſe Græcorum ἐκκλησίαν, ac proinde quemadmodum ἐκκλησία à verbo ἐκκαλεῖν, ita *concio* à conciendo, id eſt conuocando profluxit. III.

AXIOMATA.

Indignum eſt cogere vt Iudices eum condemnent in quem animaduertere tuo ipſe iure poſſis.

Magiſtratus prouidere debet, vt Iudices intelligant, ſibi licere contra populares inſanias, quod ſentiunt liberè iudicare.

Poſterior pars confirmationis ex abundanti à 73. ad 93. Qua probat Clodium etiamſi inſidiatus Miloni non fuiſſet, tamen occidi cum ſumma Milonis gloria potuiſſe.

- à comparatione eorũ qui cùm minùs eſſent Reip. pernicioſi, quàm Clodius, tamen cum ſumma, eorum qui interfecerant, gloria ſunt occiſi
  - Sp. Melij. 73.
  - Tiberij Gracchi. 73.
- à perſona Clodij eiúſque
  - flagitiis
    - ſtupro in Bonæ Deæ puluinaribus illato. 73.
    - inceſtu cum ſororibus. 74.
  - ſceleribus
    - præteritis in
      - Ciceronem quem eiecit. 74.
      - Pompeium, quem domum compulit.
      - Reges quibus regna ademit. 74.
      - Orbem terrarum quem quibuſcum voluit, partitus eſt. 74.
      - Remp. quam cædibus in foro factis, lacerauit.
      - Deos, quorum templa incendit, vt ædem Nympharum. 74.
      - ipſam humanam ſocietatem
        - in omnium bona inuolans. 76.
        - omnes leges & iura contemnens. 74. 75.
    - futuris & inſtantibus
      - in exteras nationes. 77.
      - in ciuium Romanorum
        - coniuges.
        - liberos. 77.
- à ſenſu
  - communi ciuium, qui
    - cædem hanc probant. 78. 79.
    - nec vellent eum ab inferis excitari.
  - Pompeij, qui ſi rogatione ſua excitaturus fuiſſet Clodium, nunquam inſtituiſſet nouam quæſtionem. 80.
- Exemplo Græcorum, qui honores decreuerunt iis qui ciuitates ſuas in libertatem vindicarant. 81.
- à perſona ipſius Milonis
  - qui nec negaret factum laude dignum. 82.
  - nec doleret ſe id feciſſe, etiamſi nullam laudem inde ſperaret. 83.
- Deriuatione facti
  - in felicitatem Reip. 84.
  - in Deorum prouidentiã quam quæſtionem
    - reuocat ad theſim, docétque in vniuerſum, Deum rebus humanis prouidere ab
      - Imperij Rom. magnitudine. 84.
      - ſole & motu cœli. 84.
      - viciſſitudine rerum. 84.
      - maiorum ſapientia qui id poſteris tradiderunt. 84.
      - anima in corporibus habitante. 85.
    - reducit ad hypotheſin, oſtendítque cędem Clodij diuina prouidentia non humano conſilio contigiſſe,
      - à præteritis ęius ſceleribus quæ debuerunt ira Deorum vindicari. 88.
      - à circunſtantiis & loco. occiſus eſt
        - in conſpectu montis Albani vbi lucos exciderat. 86.
        - ante oculos Iouis Latialis.
        - ante ſacrarium Bonæ Deæ quã violarat. 87.
      - à conſequentibus
        - quæ poſt eius mortem contigerunt, negato ei honore ſepulturæ. 87.
        - Quæ Clodio viuente contigiſſent, ídque ex eo probat, quòd eo mortuo curia incenſa eſt à Clodianis. 90. 91. 92.

ARGVMENTVM.

Hactenus probauit P. Clodium iure cæſum à Milone, quòd liceat inſidiatorem & latronem occidere: nunc ex ſuperabundanti idem oſtendit ex eo, quòd cædes Clodij pernicioſi ciuis vtilis Reip. fuerit. & primò Halæ Seruiſij & Scipionis Naſicæ proponit exempla, qui Spurium Melium, & Tiberium Gracchum non ſolùm impunè & ſine cuiuſquam inuidia, ſed etiam magna cum gloria ſuſtulerunt.

LXXIII. NEC verò me, Iudices, Clodianum crimen mouet: nec tam ſum demens, támque veſtri ſenſus ignarus atque expers, vt neſciam quid de morte Clodij ſentiatis. de qua ſi iam nollem ita diluere crimen, vt dilui, tamen impunè Miloni palàm clamare, atque mentiri glorioſè liceret: Occidi, occidi non Sp. Melium, qui annonâ leuandâ, iacturíſque rei familiaris, quia nimis amplecti plebem putabatur, in ſuſpicionem incidit regni appetendi: non Tiberium Gracchum, qui collegæ magiſtratum per ſeditionem abrogauit: quorum interfectores implerunt orbem terrarum nominis ſui gloria: ſed eum (auderet enim dicere, cùm patriam periculo ſuo liberaſſet) cuius nefarium adulterium in puluinaribus ſanctiſſimis nobiliſſimæ fœminæ comprehenderunt.

EXPLANATIO.

NEC VERÒ.] Superiùs 68. dixerat ſe Clodianum crimen non timere, ſed Pompeij ſuſpiciones perhorreſcere: eáque occaſione diluit eiuſdem ſuſpiciones: nunc rediens ad propoſitum, breuem adfert huius rei rationem, petitam ab ipſo ſenſu Iudicum, qui Clodij cædem factam eſſe ad vtilitatem Reip. ſentiebant. miro tamen artificio enumeratis Clodij ſceleribus inducit Iudices, vt id de morte Clodij ſentiant etiam inuiti, quod illos ſentire dicit.

CLODIANVM CRIMEN.] Quod de nece Clodij ab aduerſariis obiicitur.

NEC TAM SVM DEMENS.] Callidè dementiæ tribuit neſcire quam voluptatem Iudices de Clodij cæde perceperint, & eam quantopere internis animi ſenſibus probent, vt quandam iudicibus religionem moueat, ſi aliter ipſi priuatim erga Clodij cædem affecti ſint, quàm alios affectos eſſe ſciuerint, ſimúlque vereantur dementiæ notam, ſi neſciuerint eundem eſſe ſenſum cæterorum, & ab omnibus Clodij cædem approbari.

DILVERE CRIMEN.] Oſtendere Clodium iure cæſum eſſe, quia licet inſidiatorem & latronem occidere.

MENTIRI GLORIOSE.] Gloriari cum mendacio ſe Clodio necem intuliſſe, non vt vim vi propulſaret, vitámque ſuam tueretur, ſed vt Rempublicam, à turbulenti pernicioſíque ciuis furoribus, & impendente pernicie liberaret. Guillelmius legẽdum putat *metiri glorioſè.* viderit ipſe rationem.

OCCIDI.] Proſopopœia Milonis, non ſolùm fatentis cædem, ſed etiam de ea gloriantis.

NON SPVR. MELIVM.] Comparatione Melij & Tiberij Gracchi cum Clodio ſui facti gloriam exaggerat, ideóque illorum ſcelera excuſat verborum leuitate, vt eorum comparatione maiora & atrociora Clodij ſcelera videantur.

ANNONA LEVANDA.] Fame auertenda quæ populum opprimebat.

IACTVRISQVE REI FAM.] Largitionibus quas de ſuis ipſius bonis faciebat.

IN SVSPICIONEM.] Immò verò, Lucius Minutius Præfectus annonæ. *Rem compertam ad Senatum refert, tela in domum Melij conferri, eúmque conciones domi habere, ac non dubia regni conſilia eſſe: tempus agendæ rei nondum ſtare, cætera iam conueniſſe, & tribunos mercede emptos ad prodendam libertatem.* Epitome: *Cùm fame populus Romanus laboraret, Sp. Melius eques Romanus frumentum populo ſuâ impensâ largitus eſt, ob id factum conciliata ſibi plebe regnum affectans, à C. Seruilio Hala Magiſtro Equitum iuſſu Quintij Cincinnati Dictatoris occiſus eſt. T. Minucius index boue auratâ donatus eſt.* vide quàm ſelectis verbis facti atrocitas à Tullio mitigetur.

NON TIBERIVM.] Qui contra voluntatem Senatus legem Agrariam, *Ne quis ex publico agro pluſquam decem iugera poſſideret, in eum furorem exarſit, vt M. Octauio Collegæ, cauſſam diuerſæ partis defendenti poteſtatem lege lata abrogaret.* Epitome libro 58. item: *Cùm iterum Tribunus plebis creari vellet Gracchus, auctore P. Cornelio Naſica, in Capitolio à primatibus occiſus eſt, ictus primùm fragmentis ſubſelliorum, & inter alios, qui in eadem ſeditione occiſi erant, inſepultus & in flumen proiectus.*

QVORVM INTERFECTORES.] Hala Seruilius Melij, Naſica Gracchi interfector.

LIBERASSET.] A Clodij tyrannide.

NEFARIVM STVPRVM.] Quod Pompeiæ Cæſaris vxori voluit inferre.

IN PVLVINARIBVS SANCTISSIMIS.] Quibus Bonæ Deæ ſimulachrum magna cum religione colendum exhibetur.

MVLIERES NOBILISSIMÆ.] Veſtales, & aliæ matronæ primariæ.

NOTÆ.

ANNONA LEVANDA.] Anno ab V. C. tregenteſimo decimo quinto eam annonæ penuriam narrat Liuius contigiſſe: quo anno 1.

multi

multi ex plebe ſpe amiſſa, potiùs quàm vt cruciarentur trahendo animam, capitibus obuolutis ſe in Tiberim præcipitauerunt. vſque adeò

Πάντες μὲν στυγεροὶ θάνατοι δειλοῖσι βροτοῖσι,
Λιμῷ δ' ἔχθιστον θανέειν, καὶ πότμον ἐπισπεῖν.
Omne quidem letum eſt odio mortalibus ægris,
At fame præ cunctis miſerum eſt occumbere fato.

Quare mirum non eſt ſi permulti fame impellente ad extrema deſcenderint. vt illæ mulieres Samaritanæ 4. Regum cap. 6. quæ ex condicto filios ſuos edere decreuerant: ſed alterius filio mactato altera ſuum noluit exhibere. vt illa Maria Eleaſari, quæ infantulo veſci ſuſtinuit. Ioſeſephus de excidio lib. 6. cap. 20. vt illi Vſipij qui centurione per ſcelus occiſo, *Eò ad extremum inopiæ venere, vt infirmiſſimos ſuorum, mox ſorte ductos veſcerentur.* Tacitus in Agricola, circa annum nongenteſimum. *Tanta penuria bladi, & aliorum alimentorum omnium inualuit,* in Lotharingia & Alſatia, *vt quod auditu eſt horribile, homo homine veſci cogeretur.* Richerius Senonenſis. De Cambyſis exercitu Herodotus in Thalia. De Saguntinis & Cantabris Iuuenalis ſat. 15. & Petronius ſatyrico extremo: *Saguntini oppreſſi ab Annibale humanas edere carnes, &c. Petauij idem fecerunt in vltima fame, nec quicquam aliud in hac epulatione captabant, niſi ne eſurirent. cùm eſſet Numantia à Scipione capta, inuentæ ſunt matres quæ liberorum ſuorum tenerent ſemeſa in ſinu corpora.* Quid? quod, vt ait Soſimus, hiſtoriarum 6. Alarico Romam infeſtante. εἰς τοσοῦτον ἦλθεν ἡ πόλις στενοχωρίας, ὥστε ἐλπίσαντας καὶ ἀνθρωπίνων ἀπογεύσασθαι σωμάτων τοιαύτην φωνὴν ἐν τῇ ἱπποδρομίᾳ ἀφεῖναι. PRETIVM PONE CARNI HVMANÆ. *Eo penuriæ deuenit ciuitas, vt ſperantes humanis carnibus veſci, huiuſmodi in circo vocē emiſerint.* PRETIVM, &c. Nec ſanè minoris horroris duxerim, quod refert Plutarchus in Demetrio, quo Athenas obſidente tanta fames vrbem oppreſſit, vt quibuſdam patre & filio vna ſedentibus dicatur: ἐκ τῆς ὀροφῆς μῦν νεκρὸν ἐκπεσεῖν, τοὺς δ' ὡς εἶδον, ἀναπηδήσαντας ἀμφοτέρους διαμάχεσθαι περὶ αὐτοῦ. *Murem mortuum è laqueari decidiſſe, eos verò vt viderunt, exilientes ambos inter ſe de eo certaſſe.* Neque tacendum quod referunt geſta Trebirorum M. S. Cùm Popo Archiepiſcopus magnam pecuniæ vim in pauperes tempore famis erogaret, *Vna omnes cœperunt voce clamare, ſibi nummis opus non eſſe, &c. quia ſicut ipſe noſſet, modius vnus frumenti appenderetur ſolidis viginti quinque. quibus ille reſpondit, aliud quid ſibi præ manibus non eſſe, &c. Si, inquiunt, ad præſens aliud quid dare nobis non habes, da ſaltem de pinguibus equis tuis, vt vel ad modicum compeſcatur eſuries noſtra edulio carnis. at ille, &c. primum dedit ſuum, deinde aliorum, non equidem omnium, ſed eorum tantùm quos ad hoc pietatis opus ſua potuit exhortatione inſtigare qui laniati & deuorati ſunt.* vide Fabium declam. 12. huiuſmodi famem Pythia. Phigalenſibus fuerat comminata, vt teſtatur Pauſanias in Arcadicis.

Miſeræ & extremæ famis exempla.

Καὶ σ' ἀλληλοφάγον θήσει τάχα, καὶ τεκνοδαίτην.
Alterutro faciet veſci, natóſque vorare.

ſic anno M C X L V I. apud Lingonas, fame ſæuiente, *quidam homines occidiſſe, & eorum carnes coctas vendidiſſe deprehenſi ſunt*, apud Sigebertum in Chronico, vt ait Oppianus 3. Halieut. v. 197.

Ὡς οὐδὲν λιμοῖο κακώτερον, οὐδὲ βαρείης,
Γαστέρος, ἣ κρατέει μὲν ἀεὶ ἀνθρώποισιν ἀπηνής
Καὶ χαλεπὴ δέσποινα συνέστιος, οὔ ποτι δαιμῶν
Ληθομένη, πολλοὺς δὲ παρατρέψασα νόοιο
Εἰς ἄτην ἐσέηκε, καὶ αἴσχεσιν ἐξετίθηκε.
Vſque adeò ſcelerata fames, nec ventre proteruo
Quicquam deterius, qui ſæuum exercet in omnes
Imperium Rex difficilis, nunquamque tributi
Oblitus, multos deiectos mente ſubegit
In noxam, fœdo deturbauítque pudore.

IACTVRISQVE REI FAMILIARIS.] A re nauali ducta tranſlatio. ita 2. de finibus. *Facere iacturam rei familiaris.* epiſt. ad famil. lib. 1. epiſt. 9. *Naufragium rei familiaris.* duodecima Philipp. 19. *Mea bona donare ſe dixit Petiſſio Vrbinati, qui ex naufragio luculenti patrimonij ad hæc Antoniana ſaxa proiectus eſt.* pro Sextio 18. eodem alluſit: *Ne ſcyllæo illo æris alieni in freto ad columnam adhæreſceret, in tribunatûs portum confugerat.* Horatius ſat. 3. lib. 2.

II. Iactura & naufragium rei familiaris.

-poſtquam omnis res mea Ianum
Ad medium fracta eſt, aliena negotia curo
Excuſſus propriis. Perſius ſat. 5.
dum rem propriam rumore ſiniſtro
Limen ad obſcœnum frangam.

Galenus protreptico: τῷ βίῳ μείζονα ναυάγια περὶ πολλοὺς οἴκους γιγνομένων, ἢ περὶ τὰ σκάφη κατὰ θάλατταν. *Cùm in vita maiora multis domibus, quàm in ſcaphis in mari contingant naufragia.*

COLLEGA MAGISTRATVM.] Operæ fuerit pretium rem geſtam ex Appiano libro primo ciuilium arceſſere. M. Octauius intercedebat legibus Gracchanis. Tiberius Gracchus lege lata Collegæ ſuo tribunatum abrogauit. Τῆς πρώτης φυλῆς καταψηφισαμένης τὴν ἀρχὴν τὸν Ὀκτάουιον ἀποθέσθαι, ἐπιστραφεὶς πρὸς αὐτὸν ὁ Γράκχος, ἐδεῖτο μεταθέσθαι. οὐ πειθόμενος δὲ τὰς ἄλλας ψήφους ἐπῆγε. οὐσῶν δὲ τότε φυλῶν πέντε καὶ τριάκοντα, καὶ συνδραμουσῶν εἰς τὸ αὐτὸ σὺν ὀργῇ τῶν προτέρων ἑπτακαίδεκα, ἡ μὲν ὀκτωκαιδεκάτη τὸ κῦρος ἔμελλεν ἐπιθήσειν. ὁ δὲ Γράκχος αὖθις ἐν ὄψει τοῦ δήμου τότε μάλιστα κινδυνεύοντι τῷ Ὀκταουΐῳ λιπαρῶς ἐνέκειτο, μὴ ἔργον ὁσιώτατον καὶ χρησιμώτατον Ἰταλίᾳ πάσῃ συγχέαι, &c. ὡς δὲ ἐπιθεὶς ἐπῆγε τὴν ψῆφον, καὶ ὁ μὲν Ὀκτάουιος αὐτίκα ἰδιώτης γενόμενος διαλαθὼν ἀπεδίδρασκε. *Cùm prima tribus ſuffragio ſuo iuſſiſſet Octauium magiſtratu ſe abdicare, verſus ad eum Gracchus orabat vt ab incepto deſiſteret. quo perſiſtente in propoſito, cæterarum colligebat ſuffragia. Erant tunc tribus triginta quinque. harum decem & ſeptem irritatis animis iam conſpirarant: quibus ſi acceſſiſſet decima octaua, ratam legē effeciſſet. Rurſum igitur Gracchus coram populo collegā periculo proximū obſecrat, ne rem piam & Italis vniuerſis vtiliſſimā interturbare pergat, &c. Quē cùm nihil flecteret, ad ſuffragia reuerſus eſt. Ita Octauius abrogato ſibi magiſtratu, continuò proripuit ſe clam è medio.* In eo genere notabile eſt, quod ait Dio lib. 46. de Publio Titio, qui P. Seruilio Caſcæ magiſtratum abrogauerat. ἐπειδὴ γὰρ ὁ Τίτιος οὐκ ἐς μακρὰν ἐτελεύτησεν, ἐβεβαιώθη τὸ ἀπὸ τοῦ ἀρχαίου τετηρημένον. οὐδεὶς γὰρ ἐς ἐκεῖνο τοῦ χρόνου συνάρχοντά τινα καταλύσας ἀπενιαύτισεν. ἀλλὰ τοῦτο μὲν ὁ Βροῦτος ἐπὶ τῇ τοῦ Κολλατίνου ἀναπαύσει ἐπιτεθεικώς, τοῦτο δ' ὁ Γράκχος, ἐπὶ τῇ τοῦ Ὀκταουίου καταλύσει ἀπεσφάγη, ὅτι Κίννας ὁ τὸν Μάρυλλον, καὶ τὸν Φλαούιον ἀπαλλάξας, οὐκ ἐς μακρὰν ἀπεσφάγη. *Titius haud multo poſt diem ſuum obiit: idque, quod antiquitus iam notatum fuerat, ſuo exemplo firmauit. Animaduerſum enim eſt neminem, ab initio Vrbis ad ea vſque tempora, qui Collegam*

III. Tib. Gracchus Octauio collegæ tribunatum plebis abrogauit.

ſuum magiſtratu deieciſſet, ipſum annum ſuperuixiſſe. ſic Brutus cùm Collatino conſulatum abrogaſſet, ſtatim occidit: Gracchus cùm Octauium depoſuiſſet cæſus eſt: Cinna Heluius cùm Marullum Flauiúmque magiſtratu exturbaſſet, mox ipſe interiit. Quod autem Tribunatum plebis magiſtratũ appellat, id facit ex vſu. quamuis ſi propriè loqui volumus, Plutarchus magiſtratum non eſſe teſtatur in quæſt. Romanis 81.

IV Puluinar. IN PVLVINARIBVS.] Philippica ſecunda 93. de Cæſare: *Quàm vt haberet puluinar, ſimulacrum, faſtigium.* & ſequenti §. *Quæres, placeátne mihi puluinar eſſe, faſtigium, flaminem.* ad quæ te remitto.

V. Veſtales ex prima nobilitate capi ſolitæ. NOBILISSIMÆ.] Virgines Veſtales. Noſter de Haruſp. reſp. 38. de hoc ipſo Bonæ Deæ ſacrificio. *Fit per Virgines Veſtales, fit pro pop. Rom. fit in ea domo quæ eſt in imperio, fit incredibili cærimonia, fit ei Deæ, cuius ne nomen quidem viros ſcire fas eſt.* Has autem Veſtales non niſi nobiles & ex honeſtis, immò primariis familiis capiebant. Gellius lib. 1. cap. 12. ex Labeone Antiſtio, captam fuiſſe negat, *Cuius parentes, alter ambóue ſeruitutem ſeruierunt, aut in negotiis ſordidis diuerſantur.* Prætereà Capito Atteius ſcriptum reliquit. *Neque eius legendam filiam qui domicilium in Italia non haberet.* Adeò vt ne lege quidem permittente, ad libertinos & ignobiles potuerit id ſacerdotium peruenire. Dio libro 55. Ἐπειδή τ' οὐ ῥᾳδίως οἱ πάνυ εὐγενεῖς τὰς θυγατέρας ἐς τὴν τῆς Ἑστίας ἱερατείαν ἐπεδίδοσαν, ἐνομοθετήθη καὶ ἐκ τῶν ἀπελευθέρων γεγενημένας ἱερᾶσθαι. καὶ ὁ μὲν κλῆρος αὐτῶν, ἐπεὶ πλείους ἠμφισβήτησαν ἐν τῷ συνεδρίῳ παρόντων τῶν πατέρων σφῶν ἐγένετο, οὐ μέντοι καὶ τοιαύτη τις ἀπεδείχθη. *Quum nobiles ægrè ſuas filias in collegium Veſtalium darent, lex lata eſt vt eo ſacerdotio uti etiam libertinis virginibus liceret. eæque quum plures de eo diſceptarent, in Senatu ſorte lectæ præſentibus earum patribus, nulla tamen tunc in id ſacerdotium cooptata.* Quod autem ſpectat ad eam ſortitionem Gellius loco citato: *Papiam legem inuenimus, qua cauetur, vt Pontificis maximi arbitratu Virgines è populo viginti legantur, ſortitióque in concione ex eo numero fiat, ſed ea ſortitio ex lege Papia non neceſſaria nunc videri ſolet. nam ſi quis honeſto loco natus adeat Pontificem Maximum, atque offerat ad ſacerdotium filiam ſuam, cuius duntaxat ſalus religionum obſeruationibus, ratio haberi poßit, gratia Papiliæ legis per ſe ratum fit.* Sed hæc parum ad rem. A quibus autem Veſtalibus fuerit comprehenſus noſter Clodius, non liquet. Inuenio iiſdem penè temporibus Veſtalem fuiſſe Fonteiam. Cicero pro M. Fonteio 36. Fabiam Terentiæ Ciceronis ſororem Aſconius agnoſcit orat. in toga candida contra C. Antonium & L. Catilinam competitores. Licinniam ex Plutarcho initio vitæ Marci Craſſi, quam innuit orator pro Murena 73. *Si Virgo Veſtalis huic propinqua & neceſſaria locum ſuum gladiatoribus conceßit.*

AXIOMATA.

In Democratia ſiue ſtatu populari, qui minùs amplecti plebem putantur, in ſuſpicionem incidunt regni appetendi.

Nefas eſt collegæ magiſtratum per ſeditionem abrogare.

ARGVMENTVM.

Pergit Milo ſcelerum Clodianorum ſeriem euoluere: vt, etiamſi inſidiator non fuiſſe dicatur, tamen iure cæſus eſſe videatur.

LXXIV. EVM, cuius ſupplicio Senatus ſolemnes religiones expiandas ſæpe cenſuit: eum, quem cum ſorore germana nefarium ſtuprum feciſſe L. Lucullus iuratus ſe, quæſtionibus habitis, dixit comperiſſe: eum, qui ciuem, quem Senatus, quem populus, quem omnes gentes vrbis ac vitæ ciuium conſeruatorem iudicabant, ſeruorum armis exterminauit: eum, qui regna dedit, ademit, orbem terrarum quibuſcum voluit, partitus eſt: eum, qui pluribus cædibus in foro factis, ſingulari virtute & gloria ciuem domum vi & armis compulit: eum, cui nihil vnquam nefas fuit, nec in facinore, nec in libidine: eum, qui ædem Nympharum incendit, vt memoriam publicæ recenſionis tabulis publicis impreſſam exſtingueret.

EXPLANATIO.

EVM.] Senatus cenſuit Clodium eſſe plectẽdum, vt eius ſupplicio expiarentur eæ religio[...]nes, quas ille ſcelere violauit. 1. Religiones Bonæ [...] Deæ. 2. Ludos eiuſdem ſcelere pollutos, cùm videl[...]et, vt dicitur de Haruſp. reſponſis 23. Matris Magna[...] *ludos ſerui fecerunt, ſerui ſpectauerunt, tota denique hoc Ædile ſeruorum Megaleſia fuerunt.* vbi e[...]nim cæteri cùm ludos facerent, ſeruos de cauea e[...]xire iubebant, Clodius in alteram ſeruos immiſit, ex altera liberos eiecit. *Itaque qui antea voce præconis à liberis ſemouebantur, Clodij ludis non voce, ſed manu liberos à ſe ſegregabant.* vide fusè. Tertio religiones polluit cùm Brogitaro tradidit Peſſinuntem. ibidem 28. Sed non inueni quando Senatus has religiones Clodij ſcelere violatos eiuſdem ſupplicio cenſuerit expiandas. de S.C. vide §. 8.

CVM SORORE.] Clodia minima trium Clodij ſororum Luc. Lucullo nupta. germana, non conſobrina, in cuius ſtupro minùs fuiſſet flagitij.

QVÆSTIONIBVS HABITIS.] De Clodiæ ancillis.

CIVEM.] Me ipſum, Ciceronem qui gladios in Reipub. perniciem diſtrictos è coniuratorum manibus extorſeram.

REGNA DEDIT.] Brogitaro de haruſp. reſp. 29. *Tu etiam Regem* Deiotarum *appellari cum Brogitaro iubes, ſed alter eſt Rex, iudicio Senatus per nos: pecunia Brogitarus per te appellatus.* pro Sextio 56. *Appellati Reges à populo, qui id nunquã ne à Senatu quidem poſtulaſſent.*

ADEMIT.] Vt Ptolemæo Cypriorum Regi, de quo *nihil cogitante, nihil ſuſpicante, eiſdem operis ſuffragium ferentibus, eſt rogatum, vt ſedens cum purpura & ſceptro, & illis inſignibus regiis præconi publico ſubiiceretur.* pro Sextio 57. &c. vide 66.

ORBEM.] Vide Sextianam 66. *Qui locus orbis terræ iam non erat alicui deſtinatus?* &c. Cùm videlicet Piſoni Macedonia, Syria Gabinio fuit attributa.

PLVRIBVS CÆDIBVS.] Cùm videlicet poſt ereptum è vinculis Tigranem, Pompeium contumeliis affecit, in eius amicos impetum fecit, fregit faſces Gabinij Conſulis, & bona dedicauit, vt auctor eſt Dio libro 58. & Noſter in Piſonem 28. ne enim de illis cædibus in foro factis intelligam, quibus Fabricius, Q. Cicero, Sextius, occiſis multis magnum diſcrimen adierunt, vt narratur in Sextiana 75. &c. ea ratio eſt: quòd iſtas cædes hîc factas tradit, antequam Pompeius foro careret, & ianua ſe priuatiſque parietibus contineret. CIVEM] Pompeium.

EVM QVI NIHIL.] Qui tanta impunitate, per omnia facinora faciendis cædibus, diripiẽdis ciuium bonis, & omni iniuſtitiæ genere graſſatus eſt, tanta impudentia ſe in omnium libidinum cœno volutauit, vt nihil illi nefas, nihil illicitum eſſe videretur. De haruſp. reſp. 59. *Quid quæ in ſingulos ciues quos necauit? Socios, quos diripuit? Imperatores, quos prodidit? exercitus, quos tentauit? Quid verò? ea quanta ſunt, quæ in ſeipſum ſcelera, quæ in ſuos edidit? quis minùs vnquam pepercit hoſtium caſtris, quàm ille omnibus corporis ſui partibus? Quæ nauis vnquam in flumine publico, tam vulgata omnibus, quàm ipſius ætas fuit? quis vnquam nepos tam liberè eſt cum ſcortis, quàm hic cum ſororibus volutatus?* &c.

ÆDEM NYMPHARVM.] Ibidem 57. *Earum templum inflammauit Dearum, quarum ope, etiam aliis incendiis ſubuenitur.*

MEMORIAM PVBLICAM.] Id Sexto Clodio tribuitur in Cœliana Clodij ſcribæ, & omniũ ſcelerum adminiſtro. 78. *Qui ædes ſacras, qui cenſum populi Rom. qui memoriam publicam ſuis manibus incendit.* Lambinus, *publicam* improbãs, *publica legendum* arbitratur. parum refert. tãtùm nota hanc memoriam publicam fuiſſe tabulas cenſorias, quæ cenſum populi Romani ſingulis luſtris habitum, numerum ciuium, ætatem, & diuitias continerent: quæ tabulæ alias alio loco, æuo Ciceronis in æde Nympharum ſeruari conſuerant. vide Notas.

NOTÆ.

I. Nefarium. NEFARIVM.] Inceſtum D. de Concub. l. 1. *Si qua in patroni fuit concubinatu, deinde filij eſſe cœpit, vel nepotis, vel contra: non puto eam rectè facere. quia propè nefaria eſt huiuſmodi coniunctio.* Iuſtinianus I. De nuptiis: *A quarundam nuptiis abſtinendum eſt: inter eas enim perſonas quæ parentum liberorúmve locum inter ſe obtinent, contrahi nuptiæ non poſſunt: veluti inter patrem & filiã, vel auum & neptem, vel matrem & filium, vel auiã & nepotem, & vſque in infinitum. & ſi tales perſonæ inter ſe coierint: nefarias atque inceſtas nuptias contraxiſſe dicuntur.* dictæ opinor *nefariæ*, quòd hæ nuptiæ legitima confarreatione iniri non poſſent. Nonnius: *Nefarij proprietatem lib. primo de vita pop. Rom. Varro patefecit, à farre quod adoreum eſt quo ſcelerati vti non debeant.* Halicarnaſſeus lib. 2. ἐκάλουν δὲ τοὺς ἱεροὺς οἱ παλαιοὶ γάμους, Ῥωμαϊκῇ προσηγορίᾳ περιλαμβάνοντες φαρρακία, ἀπὸ τῆς κοινωνίας τοῦ φαρρός. *Antiqui ſacras nuptias Romano nomine farracia nuncupabant, propter participationem farris.* ſed de confarreatione alibi dictum. Quòd autem ille *ſacras nuptias* appellat, hinc intelligis cur Noſter non ſolùm inceſtum cum ſorore, ſed etiam ſacrilegum adulterium cum Pompeia *nefarium* nominarit. Vel *nefarium* quaſi *nefandũ*, ne nominandum quidem ob turpitudinem. Dio Chryſoſt. orat. 4. de regno: ἀῤῥήτων καὶ ἀνωνύμων αἰσχρουργιῶν. *Infandarum, & innominatarum turpitudinum.*

QVI REGNA DEDIT.] Id quoque ad maieſtatem S.P.Q.R. pertinuit, vt regna daret, & Reges appellaret, cuius rei multa exempla ſunt. vide Vatinianam §. 29. Appianus Alexandrinus Procemio ſuæ hiſtoriæ: Ἀρμενίας μείζονα. ἧς Ῥωμαῖοι μὲν οὐκ ἄρχουσιν εἰς φόρων κομιδήν· αὐτοὶ δ' αὐτοῖς ἀποδεικνύουσι τοὺς βασιλέας. *Armeniam maiorem. Cui quidem Romani non dominantur, quoad tributorum exactionem: ſed Reges iis inſtituunt.* II.

ADEMIT.] De Ptolemæo Cypriorum Rege debet intelligi. quod factum omnes hiſtorici Romanis moribus indignum cenſuerunt. Sext. Rufus in breuiario: *Cyprus famoſa diuitiis paupertatem populi Romani, vt occuparetur, ſollicitauit, &c. ita vt ius eius Inſulæ auariùs, quàm iuſtiùs, ſimus aſſecuti.* vide. Ammianus lib. 14. id factum ait: *Ptolemæo Rege fœderato nobis & ſocio, ob ærarij noſtri anguſtias iuſſo ſine vlla culpa proſcribi.* quibus verbis duo contra veritatem attexuit. Cicero pro Sextio 57. rei indignitatem, quantùm poteſt exaggerans, tamen ait: *Erat Rex ſi non ſocius, at non hoſtis.* Alij aliam, quàm ærarij anguſtias, proſcriptionis illius cauſſam attulerunt. vt Dio libro 58. & Appianus 2. bellorum ciuilium. quamuis etiam iſte nonnihil contra veritatem interſerere videatur, dum ait Catonis expeditionem obtigiſſe, hoc ipſo anno, ſolius Pompeij conſulatu, poſt mortem Clodij: Κάτων μὲν ἐψηφίσατο ἵνα μὴ παρὼν ἐνοχλοίη Κύπρον ἀφελέσθαι Πτολεμαίου βασιλέως, νενομοθετημένον ἤδη ὑπὸ Κλωδίου, ὅτι οἱ ποτὲ ἁλόντι ὑπὸ λῃστῶν ὁ Πτολεμαῖος ἐς λύτρα ὑπὸ μικρολογίας δύο τάλαντα ἐπεπόμφει. *Cato quidem iuſſus fuerat, ne præſens Clodio negotium exhiberet, Cyprum eripere Regi Ptolemæo, lege olim perlata à Clodio, quòd cùm captus fuiſſet Clodius à piratis, Ptolemæus prætenacitate duo tantùm miſerat talenta.* Sed hæc non refello: credat is, qui nunquam fuerit in M. Tullij lectione verſatus. De hoc regno non omittam illud Ammiani loco citato. *Tanta autem, támque multiplici fertilitate abundat rerum omniũ eadem Cyprus, vt nullius externi indigens adminiculi indigenis viribus à fundamento ipſo carinæ ad ſupremos vſque carbaſos ædificet onerariam nauem, omnibúſque armamentis inſtructã mari committat.* III. Regnum Cypri ademptũ Ptolemæo. Cypri fœcunditas.

ORBEM TERRARVM.] Imperium Romanum. quod ob magnitudinem *orbem terrarum* nominabant. hinc Poëta magnus: IV.

Imperium Oceano, famam qui terminet aſtris

Imperium terris, animos æquabit olympo.
Petronius.
Orbem iam totum victor Romanus habebat.

Imperium Rom. cur dictum orbis terrarum, eiúſque magnitudo.

Claudius Mamertinus panegyrico Maximiani: *Vos verò qui imperium non terræ, ſed cœli regionibus terminatis.* qua de re operæpretium fuerit videre orationem Agrippæ apud Ioſephum 2. de excidio. quod ne vel poëticè vel panegyricè dictum exiſtimes, iis ſuffragantur etiam illi ipſi hiſtorici, qui veritatis ſtudium maximè profitentur. Halicarnaſſeus præfatione: ἡ δὲ Ῥωμαίων πόλις ἁπάσης μὲν ἄρχει γῆς, ὅση μὴ ἀνέμβατός ἐστιν, ἀλλ᾽ ὑπ᾽ ἀνθρώπων κατοικεῖται. πάσης δὲ κρατεῖ θαλάσσης, οὐ μόνον τῆς ἐντὸς Ἡρακλείων στηλῶν, ἀλλὰ καὶ τῆς ὠκεανίτιδος, ὅση πλεῖσθαι μὴ ἀδύνατός ἐστιν. πρώτη καὶ μόνη τῶν ἐκ τοῦ παντὸς αἰῶνος μνημονευομένων ἀνατολὰς, καὶ δύσεις ὅρους ποιησαμένη τῆς δυναστείας. *Romana ciuitas omni quidem terræ imperat, quæcunque non inacceſſa eſt, ſed ab hominibus habitatur: omni mari dominatur, non ſolùm quod eſt intra Herculis columnas ſed etiam Oceano, quicunque poteſt nauigari. Prima eſt ſola vrbium quæ poſt homines natos memoria celebrantur, ſolis ortum & occaſum conſtituens terminos ſuæ poteſtatis.* vſque adeò,

Omnia ſub pedibus, qua ſol vtrumque recurrens
Reſpicit Oceanum vertíque regique videbant.

Et eam ob cauſſam, vt auctor eſt Dio lib. 43. Cæſari honoris cauſſa decretum eſt: Ἅρμα τέ τι αὐτοῦ ἐν τῷ Καπιτωλίῳ ἀντιπρόσωπον τῷ Διὶ ἱδρυθῆναι, καὶ ἐπὶ εἰκόνα αὐτὸν τῆς οἰκουμένης χαλκοῦν ἐπιβιβασθῆναι, γραφὴν ἔχοντα ὅτι Ἡμίθεός ἐστι. *Sellam quandam ipſius è Regione Iouis in Capitolio collocari, & ipſum figuræ orbis terrarum inſidere ex ære, cum hoc elogio,* SEMIDEO, *ſiue* HEROI. vnde factum reor vt in antiquis Imperatorũ ſtatuis ſphæræ æreæ ponerentur. Ammianus lib. 25. *Maximiani ſtatua Cæſaris locata in veſtibulo Regiæ amiſit repentè ſphæram æream, formatam in ſpeciem poli, quam geſtabat.* Appianus imperium quidem Rom. longè cæteris monarchiis anteponit, certos tamen limites aſſignat in procemio: Ἀσσυρίων τ᾽ αὖ καὶ Μήδων καὶ Περσῶν, τριῶν τῶνδε μεγίστων ἡγεμονιῶν, &c. *Aſſyriorum, Medorum & Perſarum, qui tres fuerunt maximi principatus.* Τό τε μέγεθος τῆς ἀρχῆς τῆς ἐκείνων οὐδ᾽ ἐς ἥμισυ νομίζω τῆσδε τῆς ἡγεμονίας ἀπαντᾶν, τεκμαιρόμενος ὅτι Ῥωμαίοις ἀπό τε δύσεων, καὶ τοῦ πρὸς ἑσπέραν ὠκεανοῦ, ἐπὶ τὸ Καύκασον ὄρος, καὶ ποταμὸν Εὐφράτην καὶ ἐς Αἰθίοπας τοὺς ἄνω δι᾽ Αἰγύπτου καὶ Ἀράβων ἐπὶ τὸν ἑῷον ὠκεανὸν ἡ ἀρχὴ διέξεισι. *Illorum Imperij magnitudo neque ad medium, vt reor, iſtius pertinebat. cuius rei coniecturam inde duco, quòd Romanis ab occaſu, & Oceano ad Caucaſum montem & fluuium Eufratem, & ad Æthiopas ſuperiores per Ægyptum & Arabiam ad orientalem Oceanum imperium extenditur.* Ioſephus lib. 3. cap. 6. de excidio: Τί θαυμαστὸν εἰ πρὸς ἕω μὲν Εὐφράτης, Ὠκεανὸς δὲ πρὸς ἑσπέραν, μεσημβρινὸν δὲ Λιβύης τὸ πιότατον, καὶ πρὸς ἄρκτον Ἴστρος τε καὶ Ῥῆνος τῆς ἡγεμονίας ὅροι; δεόντως γὰρ ἄν τις εἴποι, τὸ κτῆμα τῶν κτησαμένων ἔλασσον. *Quid mirum ſi imperium ad auroram quidem Euphrate, ad occaſum Oceano, ad meridiem parte Libyæ vberrima, ad ſeptentrionem Rheno & Iſtro terminatur? Iure enim quis dicat poſſeßionem eſſe poſſeſſoribus minorem.* Vlterius etiam Agrippa fines extenderat lib. 2. cap. 28. Οὐ γὰρ ἐξήρκεσεν αὐτοῖς ὅλος Εὐφράτης ὑπὸ τὴν ἀνατολὴν οὐδὲ τῶν προσαρκτίων Ἴστρος, ἥ τε μεσημβρινὴ μέχρι τῶν ἀοικήτων ἐξερευνηθεῖσα Λιβύη, καὶ Γάδειρα πρὸς ἑσπέραν, ἀλλ᾽ ὑπὲρ ὠκεανὸν ἑτέραν ἐζήτησαν οἰκουμένην, καὶ μέχρι τῶν ἀνιστορήτων πρότερον Βρεττανῶν διήνεγκαν τὰ ὅπλα. *Non enim ſuffecit illis ad auroram Euphrates, ad Septentrionem Iſter, ad Auſtrum Libya vſque ad inhabitabiles regiones penetrata, Gades ad ſolis occaſum, ſed vltra Oceanum alium orbem quæſierunt, & vſque ad ignotos Britannos arma protulerunt.* Vlteriùs etiam promouit Traianus. Tacitus lib. 11. annalium: *Exin ventum Elephantium ac Syenem clauſtra olim Romani Imperij, quod nũc Rubrum ad mare pateſcit.* Incertus apud Suidam. Ῥωμαίων ἀρχὴ αὕτη τῆς Ἀσσυρίων, καὶ Περσῶν, καὶ Μακεδόνων τῶν πρὶν, μακρῷ ὑπερῆρεν ὁρισαμένη πέρατα ἑαυτῆς πρὸς μὲν ἕω Ἰνδοὺς καὶ Ἐρυθρὰν θάλασσαν, καὶ Νεῖλον καταῤῥάκτας, καὶ λίμνην Μαιῶτιν. *Imperium Romanum veteribus Aſſyrio, Perſico, Macedonico longè præcelluit, limites ſibi conſtituens ad ortum ſolis Indos & Rubrum mare, Nilum, Catarrhactas & Mœotidem paludẽ.* Traianus enim trans Euphratem fecerat tres prouincias, ſed Adrianus, Auctore Ælio Spartiano: *Omnia trans Euphratem ac Tigrim reliquit, exemplo vt dicebat Catonis qui Macedonas liberos pronuntiauit, quia teneri non poterant.* Appianus loco citato; Ἀρμενίαν μείζονα, quæ fuit trans Euphratem, ἧς Ῥωμαῖοι μὲν οὐκ ἄρχουσιν εἰς φόρου κομιδὴν, αὐτοὶ δ᾽ αὐτοῖς ἀποδεικνύουσι τοὺς βασιλεῖς, *Maiorem Armeniam, cui Romani non imperant quidem ad vectigalia colligenda, ſed Reges ipſorum inſtituunt.* Nec omittendum illud ibidem: ὅλως τε δι᾽ εὐβουλίαν τὰ κράτιστα τῆς θαλάττης ἔχοντες, αὔξειν ἐθέλουσι μᾶλλον, ἢ τὴν ἀρχὴν ἐς ἄπειρον ἐκφέρειν ἐπὶ βάρβαρα ἔθνη πενιχρὰ καὶ ἀκερδῆ. ὧν ἐγώ τινας εἶδον ἐν Ῥώμῃ πρεσβευομένους τε καὶ διδόντας ἑαυτοὺς ὑπηκόους εἶναι, καὶ οὐ δεξάμενον βασιλέα ἄνδρας οὐδὲν αὐτῷ χρησίμους ἐσομένους. *In ſumma, vt ſunt prudentes, contenti maritimis regionibus omnium optimis, malunt has excolere, quàm imperium in infinitum proferre ad gentes barbaras, inopes, & nihil lucri afferentes. Quarum aliquot ego vidi in Vrbem legatos veniſſe, vt ſe ſuoſque populares dederent: nec receptos ab Imperatore, vt inutiles.* Quare ſi propriè loqui velimus, non quidem totũ orbem terrarum poſſidebant, ſed maximam & optimam partem orbis cogniti, licet aliquam Americæ totiúſque noui orbis notitiam habuiſſe videãtur. Hieronymus in caput 2. ad Corinthios. *Sed & alios mundos, de quibus & Clemens in epiſtolâ ſuâ ita ſcribit: Oceanus, & mundi qui trans eum ſunt.* Origenes primo περὶ ἀρχῶν, capite tertio Ruffino interprete: *Meminit ſanè Clemens Apoſtolorum diſcipulus, etiam eorum quos ἀντίχθονας Græci nominant, atque illas partes orbis terræ, ad quas neque noſtrorum quiſquam accedere poteſt, neque ex illis, qui ibi ſunt, quiſquam tranſire ad nos, quos & ipſos mundos appellauit, cùm ait: Oceanus intranſibilis eſt hominibus, & hi qui trans ipſum ſunt mundi, qui his eiſdem dominatoris Dei diſpoſitionibus gubernantur.*

An Romani habuerint notitiam noui orbis.

V.

Varia tabularum publicarum genere.

TABVLIS PVBLICIS.] Varia fuerunt genera tabularum publicarum, fuerunt tabulæ cenſoriæ quæ cenſum populi Romani continebant. Halicarnaſſeus lib. 1. antiquit. Τῶν καλουμένων τιμητικῶν ὑπομνημάτων facit mentionem. quas tabulas neſcio quo pacto à priuatis ſeruatas fuiſſe ſignificat, ἃ διαδέχεται παῖς παρὰ πατρὸς, καὶ περὶ πολλοῦ ποιεῖται τοῖς μεθ᾽ αὑτὸν ἐσομένοις, ὥσπερ ἱερὰ πατρῷα παραδιδόναι. *Quas accipit filius à patre, & magnopere ſtudet poſteris ſuis tanquam patria ſacra tradere.* Sed hæc quî cum Cicerone conſentiant, viderint eruditi. Tabulæ etiam publicæ fuerunt in Æde Lucinæ, Iuuentæ, Libitinæ. Siquidẽ in æde Lucinæ recens natorũ, in Iuuentæ eorum qui togam

virilem ſumpſerant,in Libitinæ nomina mortuorum ſeruabantur. Teſtimonium Halicarnaſſei retulimus pro Sextio 144. cùm de togâ virili fuſiùs ageremus. vt mirum ſit quod ſcribit Iulius Capitolinus in Marco Philoſopho: *Liberales cauſſas ita muniuit,vt primus iuberet apud Præfectos ærarij Saturni vnumquemque ciuium natos liberos profiteri intra triceſimũ diem impoſito nomine*,&c. Niſi ſi fortè cùm priùs ea in templo Lucinæ ſeruarentur, à Marco ad ærarium Saturni tranſlata ſunt. Suſpicor etiam nomina libertorum in templo Feroniæ fuiſſe ſeruata. (Sed ſuſpicor, non affirmo) aut etiam apud viceſimarum exactores. vide ſuprà de manumiſſione. Habebant & alterius generis publicas tabulas quas acta populi Romani dicebant ex Iulij Cæſaris primùm conſulis inſtituto. Tranquillus in Iulio: *Inito honore primus omnium inſtituit, vt tam Senatus quàm populi diurna acta conficerentur, & publicarentur*. Tacitus lib. 13. annalium: *Cùm ex dignitate populi Romani repertum ſit res illuſtres annalibus, talia* (loquitur de fundamentis & trabibus amphitheatri) *diurnis vrbis actis mandare*. In Vatinium 34. *Hæc omnia ſciáſne diligentiâ C. Memmij publicis tabulis eſſe notata atque teſtata*. Pro Sextio 129. de Senatûs actis: *Idque ipſum tabulis publicis mandaretur, ad memoriam poſteri temporis ſempiternam*. Nomina etiam externorum legatorum in publicas tabulas referebant. Plutarchus in quæſt. Romanis, probl. 43. Διὰ τί οἱ πρεσβεύοντες εἰς Ῥώμην ὁποθενοῦν ἐπὶ τὸν τοῦ Κρόνου ναὸν βαδίζοντες ἀπογράφονται πρὸς τοὺς ἐπάρχους τοῦ ταμιείου; *Quare qui legati vnde-vnde Romam mittuntur, ad Saturni ædem ſe conferẽtes ſcribuntur apud præfectos ærarij?* Ibidem locationes vectigalium, redemptiones operum publicorum, aliíque tum magiſtratuum & cẽſorum præcipuè, tum etiam priuatorum contractus publicis tabulis mandati ſeruabantur, vt ait Plutarchus præcedente problemate. Διὰ τί τῷ τοῦ Κρόνου ναῷ χρῶνται ταμιείῳ τῶν δημοσίων χρημάτων, ἅμα δὲ καὶ φυλακτηρίῳ τῶν συμβολαίων; *Cur æde Saturni vtuntur, & ad ærariũ pecuniarum publicarum, & ad tabularium contractuum*. Harum tabularum cura penes quæſtores ærarij. Tacitus 13. annalium: *Dein Princeps curam tabularum publicarum à quæſtoribus ad præfectos tranſtulit. variè habita ac ſæpe immutata eius rei forma. Nam Auguſtus permiſit Senatui diligere Præfectos. Dein ambitu ſuffragiorum ſuſpecto ſorte ducebãtur ex numero Prætorum qui præeſſent. Neque id diu manſit, quia ſors deerrabat ad parum idoneos. Tunc Claudius Quæſtores rurſum impoſuit, iiſque ne metu offenſionum ſegniùs conſulerent, extra ordinem honores permiſit. Sed deerat robur ætatis eum primum magiſtratum capeſſentibus. Igitur Nero Prætura perfunctos & experientiâ probatos dilegit*. Hæc ille, quæ variè Lipſius illuſtrat ex Tranquillo, Dione & Plinio Iuniore. Atque hi tabularum publicarum cuſtodes Cãcellarij dicti. Suidas: Καγκελλάριοι οἷς τὰ ἀρχεῖα ἐπετέτραπτο ὅπως μὴ χύδην ἅπασι τοῖς βουλομένοις εἰσιτητὰ εἴη. *Cãcellarij, quibus commiſſi cancelli archiorum, ne qui vellent temerè poſſent ad eos accedere*. Hinc Tertullianus de pallio. *Cancellos non adoro*. id eſt archia ſiue populi tabularia. Maro:

Inſanúmque forum aut populi tabularia vidit.

Tabulæ etiam publicæ appellari poſſunt Senatuſconſulta. Liuius lib. 3. agens de Lucij Valerij, & M. Horatij conſulatu, qui primi poſt decemuiros eum magiſtratum inierunt. *Inſtitutum etiã ab iiſdem Conſulibus, vt Senatuſconſulta in ædem Cereris ad Ædiles plebis deferrentur. quæ ante arbitrio Conſulum ſupprimebantur, vitiabantúrque*. Noſter tamen pro P. Sylla Liuio videtur eſſe cõtrarius §. 42. *Quid deinde? quid feci? cùm ſcirem ita iudicium in tabulas publicas relatum, vt illæ tabulæ priuatâ tamen cuſtodiâ, more maiorum continerentur, non occultaui, non continui domi, ſed deſcribi ab omnibus ſtatim librariis, didíque paſſim & peruulgari, atque edi pop. Romano imperaui. diuiſi toti Italiæ, diuiſi in omnes prouincias*, &c.

Penes quos fuerit cura tabularum publicarum.

Cancellarij.

ARGVMENTVM.

Idem, quod ſuperiùs tractat argumentum, multis Clodij ſceleribus in vnum conglobatis, ac præſertim eius inſanam cupiditatem exagitat, qua omnium ciuium bonis & poſſeſſionibus inhiabat.

EVM denique, cui iam nulla lex erat, nullum ciuile ius, nulli poſſeſſionum termini, qui non calumniâ litium, non iniuſtis vindiciis ac ſacramentis alienos fundos, ſed caſtris, exercitu, ſignis inferendis petebat: qui non ſolùm Etruſcos (eos enim penitus contempſerat) ſed hunc P. Varium virum fortiſſimum atque optimum ciuem, iudicem noſtrum pellere poſſeſſionibus, armis caſtríſque conatus eſt: qui cum architectis & decempedis villas multorum hortóſque peragrabat: qui Ianiculo & Alpibus ſpem poſſeſſionum terminabat ſuarum: qui cùm ab equite Rom. ſplendidiſſimo, & forti viro, T. Pacanio non impetraſſet vt inſulam in lacu Pretio venderet, repente lintribus in eam inſulam materiam, calcem, cæmenta, atque arenam conuexit: dominóque trans ripam inſpectante, non dubitauit ædificium exſtruere in alieno. LXXV.

EXPLANATIO.

EVM] Eum occidi, qui ſic omnes leges, & legum interpretationes, ſiue ius ciuile contempſerat, vt in bona ciuium & poſſeſſiones inuaderet, nullúmque ſibi poſſeſſionum limitem & finem præſcriberet.

QVI NON CALVMNIA.] Tanta impunitate graſſabatur, vt palàm & hoſtilem in modum in alienos fundos inuolaret, & nõ ſolùm abſque iuſtitia, ſed etiam abſque omni iuſtitiæ ſimulatione ſe gereret, nec vllam iuris ſpeciem ſuis rapinis prætexeret: non per calumniã & ſycophantiam, non per iniuſtas vindicias, non per iniqua ſacramenta, ſed palàm & apertâ iniuſtitiâ in alienas poſſeſſiones inuaderet.

CALVMNIA LITIVM.] Litibus per calumniam & ſycophantiam intentis.

VINDICIIS.] Controuerſiis, rebus quæ in controuerſiam adducuntur.

SACRAMENTIS.] Pecuniâ à litigantibus depoſitã. vide Notas.

NON SOLVM ETRVSCOS.] Quos omni impunitate populatus fuerat, & ſuis latrociniis vexauerat.

SED HVNC P. VARIVM.] Lambinus: *Erat hic locus fœdè contaminatus*, in quo pro *P. Varium*, impreſſum erat *Cn. Pompeium*, quæ lectio pugnat cum hiſtoria, & ratione & veritate. atque hanc emendationem Fr. Fabricio refert acceptam ex V.C. elicitam.

CVM ARCHITECTIS.] Ad ædificandum in alieno.

DECEMPEDIS.] Menſuris pedum denûm, ad metiendos agros, ſibíque, quantum vellet, vindicandos.

QVI IANICVLO.] Qui tam veſanam agri propagandi ſpem animo conceperat, vt ſibi nullos alios poſſeſſionum ſuarum limites præſcriberet, quàm ex vna parte Ianiculum montem penè in ipſo pomœrio ſitum, & ipſis propemodum Vrbis mœnibus imminentem, ex alia parte Alpes, quibus montibus ipſa Italia terminatur.

SPLENDIDISSIMO.] Alij legunt, *ſplendido & forti viro M. Pacanio.* quod magis arridet: nam & equitum præcipui *ſplendidi* dicebantur, & *Pacanius* videtur magis Romanum. De lacu Pretio nihildum potui comperire. Franciſcus Modius ep. 45. legit, *in lacu Perelio* ex omnibus, vt ait, manuſcriptis.

CVM LINTRIBVS.] Nonnius: *lintres, naues fluminales.*

MATERIAM.] Lapides, marmora, ligna.

ATQVE ARMA.] aliàs, arenam.

DOMINOQVE.] Pacanio.

NOTÆ.

I. NVLLA LEX ERAT, NVLLVM CIVILE IVS.] Per legem, duodecim tabulas intelligit, quas alibi *fontem omnis iuris* appellat.

Lex. Pomponius D. de origine iuris: *His legibus latis, cœpit, vt naturaliter euenire ſolet, vt interpretatio deſideraret prudentium authoritate neceſſariã eſſe diſputationem fori. hac diſputatio & hoc ius, quod ſine ſcripto venit, compoſitum à prudentibus propria parte aliqua non appellatur, vt cæteræ partes iuris ſui nominibus deſignantur, datis propriis nominibus cæteris partibus, ſed communi nomine appellatur ius ciuile.* Item: *Eodem penè tempore tria hæc iura nata ſunt: leges duodecim tabularum: ex his fluere cœpit ius ciuile: ex iiſdem legis actiones compoſitæ ſunt.* & aliquantò pòſt: *In ciuitate noſtra, aut iure, id eſt, lege conſtituitur: aut eſt proprium ius ciuile, quod ſine ſcripto in ſola prudentium interpretatione conſiſtit, aut ſunt legis actiones, quæ formam agendi continent.* Cicero pro Cecinna 70. *Nam qui ius ciuile contemnendum putat, is vincula reuellit non modò iudiciorum, ſed etiam vtilitatis vitæque communis. qui autem interpretes iuris vituperat, ſi imperitos iuris eſſe dicit, de hominibus non de iure ciuili detrahit.* vide fusè. Ius ciuile.

NVLLI POSSESS. TERMINI.] Themiſtius De pace ad Valentem: Οὐχ ἵστησι τῶν ἀεὶ τοῦ πλείονος ὀρεγομένοις πέρας οὐδὲν, οὐδ' ὅρος οὐδεὶς, οὐδ' ἂν πέλαγος εἴπῃς Ἀτλαντικόν. οἷς γὰρ οὐ πέπηγεν ὅρος ἐν τῇ ψυχῇ, οὐδ' ἐν τῇ γῇ. *Nulli poſſeſsionum termini ſunt iis qui ſemper plura deſiderant, nullus finis, non etiamſi dixeris mare Atlãticum. Quibus enim non eſt in animo, ne iis quidem in terra limes eſt conſtitutus.* II.

CALVMNIA.] Nonnius: *Calumnia eſt malitioſa & mendax infamatio.* Calumnia rurſum calliditas. M. Tullius de Rep. libro 2. Vt *Carneadi reſpondeatis, qui ſæpe optimas cauſſas calumnia ingenij ludificari ſolet.* Turnebus lib. 5. aduerſ. cap. vltimo hoc ſenſu poſteriore illa Lælij verba libri 8. ad familiares intelligit. *Scito Sempronium Rufum, mel ac delitias tuas, calumniam maximo plauſu tuliſſe.* vbi ille: *Id mihi videtur eſſe calumnioſum quiddam & aſtutum doloſúmque excogitare, & afferre & obtinere fortaſſe, quod tum fecit Rufus qui accuſatorem ſuum poſtulauit lege Plotia, vt hoc extraordinario reo cauſam non diceret.* Martianus Capella lib. 4. de Dialectica: *Illícque verſipellis ſtudij calumniante propoſito, etiam Socratis ſibi Platoníſque amplitudinem mancipaſſe.* Iactabat pro Sextio 75. *Cùm omni mora, ludificatione, calumnia Senatus auctoritas impediretur.* Prudentius ἁμαρτιγένεια. III. Calumnia.

Sentio quam contra moueat pellacia litem,
Quo dente obnitens ſpinoſa calumnia pugnet,
Nóſque laceſſito vocet ad certamina verò.

Vlpius Syllanus apud Flauium Vopiſcum in Aureliano: *Meminiſtis P. C. me in hoc ordine ſæpe dixiſſe iam tum cùm primùm nuntiatum eſt Marcomannos erupiſſe, conſulenda Sibyllæ decreta, vtendum Apollinis beneficiis: recuſaſſe veros quoſdam, & cum ingenti calumnia recuſaſſe, cùm adulando dicerent tantam Principis eſſe virtutem vt opus non ſit Deos conſuli, proinde quaſi & ipſe vir magnus non Deos colat.*

INIVSTIS VINDICIIS.] Lucilius etiam, ni fallor, vindicias & ſacramenta coniunxit apud Feſtum.

Nemo hic vindicias, neque ſacramenta veretur.

quæ lectio magis videtur ad antiquæ ſcripturæ apices accedere, quàm vt Turnebus emendat.

Nemo hic vindicias neque ſacra aut numina retur. Aut Scaliger:

Nemo hic vindicias, numẽ, neque ſacra veretur.

Adde Arnobium lib. 4. aduerſus gentes de quinque Mineruis agens. *Quis quæſitor? quis arbiter ceruicibus tantis erit, qui inter perſonas huiuſmodi aut vindicias iuſtas dare, aut ſacramenta conetur pronuntiare non iuſta?* Aſconius 3 Verrina: *Lis vindiciarum eſt, cùm litigatur de ea re apud Præ-*

torem cuius incertum eſt quis debeat eſſe poſſeſſor, & ideo qui eam tenet, ſatis det pro præde litis vindiciarum aduerſario ſuo quo illi ſatisfaciat. Quid ſint autem *Vindiciæ*, Feſtus explicat, his verbis, *Vindiciæ appellantur res eæ de quibus controuerſia eſt, quod potiùs dicitur ius, quia fit inter eos, qui contendunt.* Gloſſarium: *Vindigeſtæ*, emendat, & iure quidem Bonifacius Vulcanius: *Vindiciæ*, τὰ ἐν ἀμφισβητήσει πράγματα. *res quæ in controuerſia verſantur.* pergit Feſtus: *De quo verbo Cincius ſic ait: Vindiciæ olim dicebantur illæ quæ ex fundo ſumptæ in ius allatæ erãt.* Quibus ſuffragatur Gellius libro 20. Noct. Attic. cap. 9. *De qua re diſceptabatur in iure præſenti, ſiue ager, ſiue quid aliud eſt, cum aduerſario ſimul manu prenderet: in ea re in omnibus vindicare, id eſt, vindicia correptio manus in re, atque in loco præſenti, apud prætorem ex XII. tabulis fiebat, in quibus ita ſcriptum eſt. Si qui in iure manum conſerunt. Sed poſt quam propagatis Italiæ finibus, datis Iuriſdictionibus, negotiis occupati, paciſci vindiciarum dicendarum cauſſa longinquas res grauabantur, inſtitutum eſt contra duodecim tabulas tacito ſenſu, vt litigantes non ex iure apud Prætorem manum conſererent, ſed ex iure manu conſertum vocarent: id eſt, alter alterum ex iure ad conſerendam manum in rem, de qua ageretur, vocaret. atque profecti ſimul in agrum, de quo litigabatur, terræ aliquid ex eo vti vnam glebam in ius in vrbem ad Prætorem deferrent, & in ea gleba tanquam in toto agro vindicarent.* Ab hac manus conſertione factum, vt, quemadmodum notant gloſſæ καρπισίαι, *vindiciæ*, dicerentur. Item: καρπιστικὸν, *liberale iudicium*, καρπίζομαι ἐπὶ ἐλευθερίᾳ aſſeror. καρπισμός, *vindicta, adſertio*, καρπιστής, *adſertor, vindex.* Ouidius De remedio libro 1. aſſertionem vindictæ coniungit:

Vindiciæ.

καρπισίαι.

Publicus aſſertor vitiis ſuppreſſa leuabo
Pectora, vindictæ quiſque faueto ſuæ.

Clemens Alexandrinus 5. ſtromatum hanc vocem vſurpat: Καὶ τὰ παρὰ τοῖς Ῥωμαίοις ἐπὶ τῶν διαθηκῶν γινόμενα τάξιν εἴληχε, τὰ διὰ δικαιοσύνης ἐκεῖνα ζυγὰ καὶ ἀσσάρια, καρπισμοί τε, καὶ αἱ τῶν ὤτων ἐπιψαύσεις. *Et quæ apud Romanos in teſtamentis inſtituta ſunt, illud in iure æs & libra, manuum conſertiones, & aurium prehenſiones.* Hinc apud Latinos: *Secundum aliquem dicere vindicias*, id eſt, *alicui litem*, ſiue *rem controuerſam adiudicare.* Cato apud Feſtum: *Prætores ſecundum populum vindicias dicunt.* Hinc Liuius libro tertio vindicias appellat ſecundum libertatem, & ſeruitutem de Appio Decemuiro & Virginia ſic agens. Appius: *Marco Claudio clienti negotium dedit, vt virginem in ſeruitutem aſſereret, neque cederet ſecundum libertatem poſtulantibus vindiciis.* Mox: *Lege ab ipſo lata vindicias det ſecundum libertatem.* Item: *Verginius viderit de filia, vbi venerit, quid agat: hoc tantùm ſciat, ſi ipſe huius vindiciis ceſſerit, conditionem filiæ quærendam eſſe, me vindicantem ſponſam in libertatem, vita citiùs deſeret, quàm fides.* Denique: *Decreuiſſe vindicias ſecundum ſeruitutem.*

V. SACRAMENTIS.] Res etiam nota: explicanda tamen, ne quid pueri deſiderent. Varro libro quinto de lingua Latina: *Ea pecunia quæ in iudicium venit in litibus, Sacramentum à ſacro. qui petebat, & qui infitiabatur de aliis rebus, vterque quingentos æris ad pontem deponebant.* Legunt alij &, opinor, bene: *Quinquagenos æris ad pontificem dependebant: de aliis rebus item certo alio legitimo numero aſſium. Qui iudicio vicerat, ſuum ſacramentum à ſacro auferebat: victi ad ærarium redibat.* Quiſnam autem eſſet numerus ille legitimus Feſtus explanat: *Sacramentum æs ſignificat, quod pœnæ nomine penditur, ſiue eo quis interrogatur, ſiue contenditur. id in aliis rebus quinquaginta aſſium eſt, in aliis rebus quingentorum inter eos qui iudicio interſe contenderent.* Mox: *Sacramenti autẽ nomine, id eſt, dici captum, quod & propter ærarij inopiam, & ſacrorum publicorum multitudinem conſumebatur id in rebus diuinis.* Hinc intelligas, quid ſit iuſtum ſacramentum apud Ciceronem 1. de orat. 22. *Vindicaréntque ornati homines in dicendo, & graues. Quibuſcum tibi iuſto ſacramento contendere non liceret.* Videlicet, legitimo numero aſſium: vbi vides rurſum *vindicandi* verbum cum ſacramento coniungi, cùm proximè antè dixiſſet: *aut te ex iure manu conſertum vocarent.* pro Cecinna 97. *Cùm Aretinæ mulieris libertatem defenderem, & Cotta decemuiris religionem inieciſſet non poſſe ſacramentum noſtrum iuſtum iudicari, &c. re quæſita, & deliberata ſacramentum noſtrũ iuſtum iudicauerunt.* Alio ſenſu quàm ſuperiùs, nam ibi iuſtum ſacramentum vocatur legitimus numerus aſſium, hic lis ſiue cauſsâ iuſte intenta iuſtum ſacramentum nominatur.

Sacramentũ.

Iuſtum ſacramentum.

DECEMPEDIS.] Horatius: VI.

-nulla decempedis
Metata priuatis opacam
Porticus excipiebat arcton.

Sic dicta regula, quòd decem pedes contineret. eadem pertica C. Catoni in Diris *regula Perſio Sat. 4. ille*

Decempeda.

Pertica quæ noſtros metata eſt impia agellos.

Hic,

-rectum diſcernis vbi inter
Curua ſubit, vel cùm fallit pede regula varo.

Siluius autem Ambianus hoc loco non tam pro perticâ decem pedes longâ, quàm pro ipſo agri menſore ſiue decempedatore ſumi decempedam arbitratur. profert Ciceronem Philipp. 13. *Si coloniarum & municipiorum ſine vlla dubitatione hoſtis eſt, quid tandem huius cenſetis vobis? quam ille ad explendas egeſtates latrocinij ſui concupiuit: quam iam peritus metator & callidus decempeda ſuus ſaxa diuiſerat.*

DOMINÓQVE TRANS RIPAM INSPECTANTE.] Pathos ab aſpectu, vt illud Pallantis 10. Æneidos: VII.

Pathos ab adſpectu.

Cernat ſemineci ſibi me rapere arma cruenta,
Victorémque ferant morientia lumina Turni.

Et primo Æneidos naufragium exaggerat, quod nauim vnam Æneæ:

Ipſius ante oculos ingens à vertice pontus
In puppim ferit, &c.

Sophocles Antigone:

Ἄγετε τὸ μῖσος, ὡς κατ' ὄμματ' αὐτίκα
Παρόντι θνήσκῃ πλησία τῷ νυμφίῳ.
Agite, ſceleſtam ducite, antè oculos ſtatim
Mortem oppetat vicina præſenti viro.

Pro Sextio 59. *Viuus, vt aiunt, eſt, & videns cum victu ac veſtitu ſuo publicatus.*

EXTRVERE IN ALIENO.] Huius facinoris iniuſtitiam declarat pœna legibus conſtituta. D. De adquir. rerum dominio. l. *Adeo. §. ex diuerſo ſi quis in alieno ſolo ſua materia ædificauerit, illius fit ædificium cuius & ſolum eſt. Et, ſi ſcit alienum ſolum eſſe, ſua voluntate amiſiſſe proprietatem materiæ intelligitur. itaque neque diruto quidem ædificio vindicatio eius materiæ competit, &c.* VIII.

Pœnæ contra extruentes in alieno.

Hæc Caius, cui ſuffragatur etiam Vlpianus D. de rei vindicatione: *Redemptores qui ſuis cæmenta faciunt eorum, in quorum ſolo ædificant.* & alibi ſæpè. Citatur & Iuſtinianus in γεωργικοῖς à Petro Gregorio Tholoſano quondam Academiæ Muſſipontanæ Decano: Ὁ ἐν ἀλλοτρίῳ ἐδάφει κτίζων, ἢ φυτεύων, ἢ σπείρων, ἢ ἄλλο τι ἐργαζόμενος ἐκπιπτέτω τῆς δεσποτείας, μηδὲ τὰ δαπανήματα λαμβάνων. *Qui in alieno ſolo vel ædificat, vel plantat, vel ſerit, vel aliud quid operis facit, eius dominio excedito, nec ſumptus à ſe factus recuperato.* Hanc tamen pœnam euadunt qui bona fide extruunt in alieno. Caius D. de adquirendo rer. dom. l. *Ex diuerſo.* & qui mobile ædificium extruxerint. Scæuola eodem titulo l. *Titius horreum frumentarium nouum ex tabulis ligneis factum mobile in Seij prædio poſuit: quæritur vter horrei dominus ſit. reſpondi ſecundum quæ proponerentur non eſſe factum Seij.*

AXIOMATA.

Cupidis & auaris nulla lex, nullum ciuile ius, nulli poſſeſſionum termini.

Graue eſt & indignum, quemquam domino inſpectante extruere in alieno.

ARGVMENTVM.

Tyrannicas Clodij pecuniarum exactiones, & impietatem, qua etiam in fratrem ſuum Appium, & ſororem graſſatus eſt, ſubnectit.

LXXVI. QVI huic T. Furfanio, cui viro, Dij immortales! (quid enim de muliercula Sanctia? quid de adoleſcente Apronio dico? quorum vtrique mortem eſt minitatus, niſi ſibi hortorum poſſeſſione ceſſiſſet) ſed auſus eſt Furfanio dicere, ſi ſibi pecuniam quantam popoſcerat non dediſſet, mortuum ſe in domum eius illaturum: qua inuidia huic eſſet tali viro conflagrandum? qui Appium fratrem hominem mihi coniunctum fideliſſimâ gratiâ, abſentem de poſſeſſione fundi deiecit: qui parietem ſic per veſtibulum ſororis inſtituit ducere, ſic agere fundamenta, vt ſororem non modò veſtibulo priuaret, ſed omni aditu, & limine.

EXPLANATIO.

QVI HVIC.] pergit Milo. Occidi Clodium qui auſus eſt Furfanio dicere, &c. Guillelmo Vairio non arridet hoc nomen: legítque *M. Fanio.* Sed neſcio cuius codicis auctoritate nitatur. res eſt parui momenti: notandus loquendi modus *cui viro, Dij immortales!* qua exclamatione Clodij impudentiam, & dicti atrocitatem exaggerat.

QVID ENIM.] Nolo de mulierculis & adoleſcentibus loqui, quos ſe putauit Clodius impunè, vel propter ſexum, vel propter ætatem poſſe contemnere. liquidiùs patebit eius audacia, ſi contumeliæ quibus fortes viros affecit, in medium proferantur.

SANCTIA?] alij legunt, *Sentia.* Andreas Schottus noſter nomen, *Scautia.* vt Romanum agnoſcit, reliqua duo in peregrinitatem redacta Hiſpaniæ tranſcribit. vt etiam legit *Aponio,* non, vt habetur in vulgatis, *Apronio.* Vairius etiam legit, *Afranio,* quod ſanè nomen notius eſt vulgo. ſed rem in medium relinquo, nec operæpretium facturus videor, ſi enucleandis litterarum apicibus, tricas, & apinas inuoluero.

QVA INVIDIA.] Qua mortui hominis illatione futurum eſſet, vt Furfanius quaſi cædis auctor haberetur, & ita vel iudicio afflictus in exilium iret, vel ſaltem criminis infamia, inuidia ciuium, & odio deflagraret.

APPIVM FRATREM.] Appium Clodium, qui paulò pòſt Cenſor fuit cum L. Piſone. fuerunt & alij duo Appij, de quibus præfatio: *Duo adoleſcentuli, qui Appij Clodij ambo appellabantur, qui erant C. Claudij filij, qui frater fuerat Clodij, & ob id illi patrui ſui mortem, velut auctore fratre perſequebantur.* quibus intelligis, cur Appium ſecum fideliſſimâ gratiâ coniunctum appellet, ne ſcilicet, quod præ ſe ferebant adoleſcentes Appij, auctore Appio fratre accuſationem Milonis ſuſcepiſſe videantur. porro & fratrem Clodij, & abſentem ait fuiſſe cùm de ſua poſſeſſione deiectus eſt, vt his duobus adiectis facinoris indignitatem oſtendat.

IN VESTIBVLO SORORIS.] Non in ipſis ædibus ſororis, neque in parte ædium, ſed loco ante ianuam domus vacuo, per quem à via aditus acceſſúſque ad ædes eſt.

SORORIS.] Tres habuit ſorores Clodius. vnam Clodiam illam Quadrantariam Metelli Celeris vxorem, de qua pluribus in Cœliana. alteram Terentiam, quæ nupſit Qu. Marcio Regi. tertiam & natu minimam Clodiam, cuius inceſtum cum fratre Clodio L. Lucullus eius maritus iuratus dixit ſe quæſtionibus habitis comperiſſe. Iam dubium eſt cuius ſororis veſtibulum intelligat, mihi non liquet. facilè crediderim Quadrantariam fuiſſe, quippe quæ non longè à fratris Clodij & Ciceronis ædibus habitaret. ita fortaſſe, vt Clodij domus ex vna parte Ciceronis, ex altera Quadrantariæ domum attingeret: certè Clodiam Ciceroni fuiſſe vicinam auctor eſt Plutarchus. eundem Ciceronem Clodio fuiſſe vicinum iſta teſtatur de Haruſp. reſp. 33. *Quid habet mea domus religioſi, etſi quod impuri & ſacrilegi parietem tangit?*

AC LVMINE.] alij legunt *limine,* mihi dubium eſt, quid potiſſimum ſequar. nam *aditu & limine,* videtur eſſe ταυτολογία. & ſi limine prohiberet Clodius ſororem, faceret contra pietatem, poſſet tamen ſe legum indulgentia defendere, quæ id minimè prohibebant. vt dicetur in Notis.

NOTÆ.

I. CVI VIRO, DII IMMORTALES!] In admiratione, vt Catullus:

Magnis, Iuppiter! & laborioſis.

Item:

Dij magni horribilem & ſacrum libellum.

Et:

Sed tum mœſta virum mittens quæ verba locuta es
Iuppiter, vt triſti lumina ſæpè manu.

Ariſtophanes primis verbis Pluti:

Ὡς ἀργαλέον πρᾶγμ᾽ ἐστίν, ὦ Ζεῦ καὶ θεοί,
Δοῦλον γενέσθαι παραφρονοῦντος δεσπότου.

Prô Iupiter & Dij, quàm dura eſt prouincia
Si quis hero deſpicienti ſeruus ſeruiat.

II. MORTVVM SE IN EIVS DOMVM ILLATVRVM.] Expoſui rationem cur id minaretur Clodius: nimirum vt Furfanius cædis auctor videretur, atque huc inuidia deflagraret. nam quod aliqui proferunt ex D. De Relig. & ſumpt. fun. *Is qui intulit mortuum in alienum locum, aut tollere id quod intulit, aut loci pretium præſtare cogitur per in factum actionem.* Hoc, inquam, non videtur ad Ciceronem attinere. Ratio enim iniuriæ propter quam in eum competit actio, non petitur ab inuidia, qua ei deflagrandum eſſet, in cuius domum mortuus illatus eſt. Sed ex eo quòd locus mortui illatione fiat religioſus: neque fas ſit corpus effodere aut eruere. vide ibidem Vlpianum l. OSSA. Quo titulo ſexcenties videbis *inferendi* verbum cadaueribus conuenire.

DVCERE.] I. Æneidos: III.

-pars ducere muros.

AC LVMINE.] Dixi licuiſſe nonnunquam officere luminibus vicini. quod ſe facturum Clodio Noſter comminatur de Haruſp. reſp. 33. *Quid habet mea domus religioſi, niſi quod impuri & ſacrilegi parietem tangit? Itaque ne quis meorum imprudens introſpicere poſſit tuam domum, ac te ſacra illa tua facientem videre, tollam altiùs tectum, non vt ego te deſpiciam, ſed ne tu aſpicias vrbem eam, quam delere voluiſti.* Quando autem officere luminibus liceret, quando non liceret, non eſt præſentis aut otij, aut inſtituti diſquirere. vide I. C. D. *De ſeruitutibus præd. vrb.* Item: *De ſeruit. præd. ruſt.* Caius: *Vrbanorum prædiorum iura talia ſunt, altiùs tollendi, & officiendi luminibus vicini, aut non extollendi.* Neratius: *Ruſticorum prædiorum ſeruitutes ſunt, licere altiùs tollere, & officere prætorio vicini, &c.* Reprehendit itaque Clodium Orator, quòd luminibus ſororis offecerit, cuius ius non haberet: aut ſi haberet, quod id fecerit contra fraternam pietatem. Victorius tamen & alij malunt, *limine*, quos tu Conſule. IV.

ARGVMENTVM.

Hactenus ſcelerum Clodianorum ſeriem contexuit: nunc ea pericula recenſet quæ Reipublicæ ceruicibus à Clodio ſuperſtite imminebant. quædam tamen interſerit de patientia ciuium, vt Clodij furor & impotentia magis appareat.

QVAMQVAM hæc quidem iam tolerabilia videbantur: etſi æquabiliter in Rempub. in priuatos, in longinquos, in propinquos, in alienos, in ſuos irruebat: ſed neſcio quomodo iam vſu obduruerat & percalluerat ciuitatis incredibilis patientia. quæ verò aderant iam, & impendebant, quonam modò ea aut depellere potuiſſetis, aut ferre, imperium ſi ille nactus eſſet? Omitto ſocios, exteras nationes, reges, tetrarchas (vota enim feceratis, vt in eos ſe potiùs mitteret, quàm in veſtras poſſeſſiones, veſtra tecta, veſtras pecunias) pecunias dico? à liberis medius fidius, à coniugibus veſtris nunquam ille effrenatus ſuas libidines cohibuiſſet. Fingi hæc putatis, quæ patent, quæ nota omnibus, quæ tenentur, ſeruorum exercitus illum in vrbe conſcripturum fuiſſe, per quos totam Rempublicam réſque priuatas omnium poſsideret. LXXVII.

EXPLANATIO.

QVAMQVAM.] Hæc Tullius iam videtur in ſua perſona loqui finita proſopopœia: quaſi diceret leuia ſunt hæc & tolerabilia, quæ fecit Clodius, ſi cum futuris cladibus, quæ ab eo ſuperſtite fluxiſſent, comparentur.

ETSI ÆQVABILITER.] Sine vllo diſcrimine. repetitio dictorum vt altiùs in iudicum animis eius improbitatem defigat.

IN LONGINQVOS.] Id non de ſanguine & familia, ſed de locorum diſtantia debet intelligi, ne bis idem dixiſſe videatur. In remotos, & vicinos.

PERCALLVERAT.] Tranſlatio à manibus & pedibus, quibus aſſiduitate laboris obdureſcentibus callus obducitur.

QVÆ VERÒ.] Optimè quidam diſtinguunt: *Quonam modo ea aut depellere potuiſſetis, aut ferre, imperium ſi ille nactus eſſet?* Quaſi dicat, hactenus eius furias & inſaniam non legibus aut iudiciis depuliſtis, ſed veſtra patientia pertuliſtis. at verò quæ iam impendebant, niſi fuiſſet occiſus, nec depellere potuiſſetis, nec veſtra patientia ſuſtinere. atque ita penitùs oppreſſa fuiſſet libertas.

IMPERIVM SI ILLE NACTVS ESSET.] Si præturam, iis Conſulibus qui ipſi reſi-

ſtere nec vellent, nec poſſent obtinuiſſet. Nactus, vt pro Sextio: *Fuit profectò quædam illa Reipub. fortuna fatalis, vt ille cæcus atque amens Tribunus plebis nanciſceretur. Quid dicam Conſules? hoccine vt appellem nomine*, &c.

OMITTO SOCIOS.] Quos Clodius omni ſcelere violaſſet.

VOTA ENIM.] Quod ſummæ calamitatis eſt indicium. cùm re veluti deſperata, ad ſola vota decurritur. adde quòd, ſi ſummæ deſperationis ſignum eſt, non poſſe ſocios & fœderatos defendere, longè deterius eſt vota facere, vt in eos ſe clades nobis impendens conuertat. totum hunc locum Lambinus ita recenſuit: *Quonam modo ea aut depellere potuiſſetis, aut ferre; imperium ſi ille nactus eſſet? Omitto ſocios, exteras nationes, Reges, Tetrarchas (vota enim feceratis vt in eos ſe potiùs immitteret, quàm in veſtras poſſeſſiones) à veſtris tectis, veſtris pecuniis: veſtra tecta, veſtras pecunias dico, à liberis medius fidius, & à coniugibus veſtris nunquam ille effrenatas ſuas libidines cohibuiſſet.* legit Modius: *vota enim faceretis*, &c.

FINGI HÆC PVTATIS.] Vrget Iudices, & eidem rei pluribus verbis inſiſtit, ad conſenſum vel ab inuitis extorquendum. vt ſuprà: *An verò, Iudices, vos ſoli ignoratis, vos hoſpites in hac vrbe verſamini? veſtræ peregrinantur aures, neque in hoc peruagato ciuitatis ſermone verſantur?* Cuius vim & ardorem orationis vt intelligas, operæpretium fuerit eum Gallicis Vairij verbis loquentem inducere, vt Gallicis Latina componens videas quantum tandem interſit. Superiorem locum ita vertit: *Eſtes-vous, Meſſieurs, ſeuls ignorants, ſeuls eſtrangers en cette ville, ſeuls qui ayez les oreilles bouchées, ſeuls qui n'entendiez pas les bruits qui ſont ſi communs en cette ville.* Hunc ſic interpretatur: *Penſés-vous que ce ſoient contes? c'eſt choſe euidente & notoire à tout le monde*, &c. ſed tu ipſe expendito.

NOTÆ.

I. VSV.] Vulgatum eſt vſu faciliùs omnia tolerari. Hippocrates aphor. 50. §. 2. Τὰ ἐκ πολλοῦ χρόνου συνήθεα, κἂν ᾖ χείρω τῶν ἀσυνήθων ἧσσον ἐνοχλεῖν εἰώθε. *Quæ longi temporis vſu recepta ſunt, etiamſi inſuetis peiora ſint, minorem tamen ſolent moleſtiam exhibere.* vnde præclarum illud præceptum Pythagoræ apud Plutarchum de præceptis ſanitatis: Ἑλοῦ βίον τὸν κράτιστον, ἡδὺν δ' αὐτὸν ἡ συνήθεια ποιήσει. *Elige eam vitam quæ eſt optima, iucundam eam conſuetudo faciet.*

Ab aſſuetis non fit paſſio.

II. PERCALLVERAT.] Nazarius Panegyrico Conſtantini: *Nihil profectò grauiùs, nihil miſeriùs Roma doluiſti, quamuis recondita altè magis gemeres, & ingeſtos quotidie luctus callo quodam obduratæ patientiæ ſuſtineres.* Arrianus lib. 4. cap. 18. diſſertationum Epicteti: Τυλοῦται λοιπὸν, καὶ τὸ ἀρρώστημα βεβαιοῖ τὴν φιλαργυρίαν. *De cætero occalleſcit, & auaritiam confirmat infirmitas.*

III. ADERANT IAM.] Quo viciniora ſunt pericula, eo maiorem terrorem incutiunt, vt notat Ariſtoteles in Rhet. Euripides Hecuba:

Ἥξει δ' Ὀδυσσεὺς ὅσον οὐκ ἤδη
Πῶλον ἀφέλξων σῶν ἀπὸ μαζῶν, &c.
Tantumnon iam accedes Vlyſſes
Mammiſque tuis pullum auellet.

Vnde qui minantur, ſe iamiam id facturos eſſe denuntiant. Stratophanes apud Plautum Truculento Scena 8.

-Etiam ſcelus viri minitare? quem ego
Offatim iam, iam, iam concipilabo. Quid tibi
huc ventio eſt?
Quid tibi hanc aditio eſt? Quid tibi hanc notio eſt, inquam?

Vide Piſonianam 94.

TETRARCHAS.] Vide Vatinianam §. 89. num. 4. IV.

VOTA ENIM FECERATIS.] Non abludit locus ille Demoſthenis 3. Philipp. Ἀλλ' ὅμως ταῦθ' ὁρῶντες οἱ Ἕλληνες ἀνέχονται, καὶ τὸν αὐτὸν τρόπον ὅνπερ τὴν χάλαζαν ἔμοιγε δοκοῦσι θεωρεῖν, εὐχόμενοι μὴ καθ' ἑαυτοὺς γενέσθαι. κωλύειν δ' οὐδεὶς ἐπιχειρεῖ. *Sed tamen hæc videntes Græci patiuntur, & eodem modo, vt mihi videtur, quo ſolent homines grandinem ſpectare, votáque facere ne circa ſe cadat. prohibere verò nemo conatur.* V.

MEDIVS FIDIVS.] Vide Sextianam 20. Piſonianam 33. pro Marcello 10. VI

EFFRENATAS EIVS LIBIDINES.] Eas Baſilius Magnus epiſtola de laude ſolitariæ vitæ ad Theologum: δυσκαθέκτους ἐπιθυμίας καὶ ἔρωτάς τινας δυσκαθέκτους *irretentas ſiue effrenatas cupiditates, & amores inſanos* appellat. Philo libro primo allegoriarum idem genus tranſlationis vſurpat: Ὅταν δ' ἔμπαλιν ἀφηνιάζῃ, καὶ ἀναχαιτίζῃ ὁ θυμὸς, καὶ ἡ ἐπιθυμία, καὶ τὸν ἡνίοχον, λέγω δὴ τὸν λογισμὸν, τῇ βίᾳ τῆς ὁρμῆς καταστρέψῃ, καὶ ὑποζεύξῃ, ἑκάτερον δὲ πάθος λάβηται τῶν ἡνιῶν, ἀδικία ἄκρα. *Cùm igitur habenas detrectarit, & more laſciuientis equi iubas, vt ſic loquar, erexerit ira & cupiditas, & aurigam, rationem intelligo, impetus violentia deorſum traxerit, & ſubiugarit, vtraque verò cupiditas habenas acceperit, ſumma fit iniuſtitia.* Vide quæ diximus in Piſonem 69. *Sic ſuos ſenſus voluptarios omnes excitauit, ſic ad illius hanc orationem adhinniuit*, &c. Eodem genere tranſlationis etiam infrà vtetur: *Furores, quos nullis iam legibus, nullis iudiciis frenare poteramus.* Vides vtrobique cupiditates cum equo effreni & iuueniliter exultante comparari: quo in genere Platonis in Phædro triumphat oratio: Τὰ μὲν θεῶν ὀχήματα ἰσορρόπως εὐήνια ὄντα, ῥᾳδίως πορεύεται· τὰ δ' ἄλλα μόγις. βρίθει γὰρ ὁ τῆς κάκης ἵππος μετέχων, ἐπὶ τὴν γῆν ῥέπων τε καὶ βαρύνων, ᾧ μὴ καλῶς ᾖ τεθραμμένος ὑπὸ τῶν ἡνιόχων, &c. *Deorum currus æquali libratione habenis obtemperantes, facilè feruntur. alij verò difficulter. Prægrauat enim equus malitiæ particeps, ad terrámque vergit & præponderat, niſi ſollerter verſetur ab agitatoribus.* Per alterum equum rationem, per alterum animæ partem inferiorem intelligit. ſed adeatur, ne ſit opus integram paginam deſcribere. Iliados σ'. VII.

Ira & cupiditas cũ equis, ratio cum auriga comparatur.

Θυμὸν ἐνὶ στήθεσσι φίλον δαμάσαντες ἀνάγκῃ.

Interpretatur Euſtathius: δαμάσαντες τῇ ἀνάγκῃ ὡσεὶ καὶ ἵππον χαλινῷ. *Domantes neceſſitate vt equum freno.*

AXIOMATA.

Frequenter ipſo malorum vſu obdureſcit & percallet patientia.

Vota facienda ſunt, vt ſe potiùs in exteros quàm in noſtras poſſeſſiones ſceleratorum furor immittat.

ARGVMENTVM.

Iteratò per proſopopœiam Milo cædem confitens inducitur: cúmque probat impunè poſſe confiteri, ex ſenſu totius ciuitatis, & lætitia, quam omnes ex Clodij nece perceperunt.

QVAMOBREM ſi cruentum gladium tenens clamaret T. Annius, Adeſte quæſo, atque audite, ciues: P. Clodium interfeci: eius furores, quos nullis iam legibus, nullis iudiciis frænare poteramus, hoc ferro, & hac dextera à ceruicibus veſtris repuli: per me vnum, vt ius, æquitas, leges, libertas, pudor, pudicitia in ciuitate manerent: enimuerò timendum quonam modo id factum ferret ciuitas? nunc enim quis eſt, qui non probet? qui non laudet? qui non vnum poſt hominum memoriam, T. Annium plurimùm Reipublicæ profuiſſe; maxima lætitia populum Romanum, cunctam Italiam, nationes omnes affeciſſe, & dicat, & ſentiat? Nequeo vetera illa populi Romani, quanta fuerint gaudia iudicare: multas tamen iam ſummorum Imperatorum clariſſimas victorias ætas noſtra vidit, quarum nulla neque tam diuturnam attulit lætitiam, nec tantam. LXXVIII.

EXPLANATIO.

QVAMOBREM.] Hic eſt ſyllogiſmus.

Milo potuit non ſolùm impunè, ſed etiam cum magna ſua gloria confiteri, quod omnes approbant.

Sed Clodij necem omnes approbant.

Ergo potuit eam non ſolùm impunè, ſed etiam magna ſua gloria confiteri.

CRVENTVM.] Stillantem & Clodij ſanguine manantem.

NVLLIS LEGIBVS.] Impedire ne in perniciem ciuitatis erumperent. NVLLIS IVDICIIS, coërcere, & punire poſtquam eruperant.

A CERVICIBVS.] Tranſlatio à gladio & ſecuri reorum ceruicibus imminente.

PER ME VNVM.] Extincto Clodio, qui perniciem iuri, cuiuſque, inuadens aliena: æquitati, iudicia corrumpens; legibus, eas vel abrogans, vel apertè contemnens; libertati, nos ipſos ſeruis noſtris addicens, legémque ferre proponens, vt libertini, qui non niſi in tribubus vrbanis ſuffragium ferebant, poſſent in ruſticis quoque tribubus, quæ propriæ ingenuorum ſunt, ferre. pudori & modeſtiæ, impudentiſſimè quoduis ſcelus admittens; pudicitiæ, & ſe ipſum omnium libidini proſtituens, & aliorum pudicitiam expugnans, adferebat.

PER ME VNVM EFFECTVM EST.] Suſtuli duas voces *effectum eſt*, cum Gruttero ex M. S.

ENIMVERO.] Concluſio eſt ſyllogiſmi: poſtquam ad aſſumptionem delabitur.

NVNC ENIM.] aſſumptio. in qua vide quo pacto ſenſim creſcat oratio, *probet, laudet*, &c.

NEQVEO.] Dixerat proximè vnum Milonem poſt hominum memoriam plurimùm Reipubl. profuiſſe. reddit rationem, cur orationem ſuam, ad hominum qui tum viuebant memoriam reſtrinxerit, nec dixerit poſt conditam vrbem eum plurimùm Reipub. profuiſſe. Non poſſum, inquit, de patrum & auorum memoria loqui, quia non poſſum iudicare quanta fuerint illa populi Romani gaudia, cùm vel liberatus eſt à periculis verbi cauſſa, cùm Galli qui & vrbem incenderant, & Capitolium obſidebant, fuerunt à Camillo ſuperati, cùm Annibal à Scipione deuictus eſt, cùm alter Scipio Carthaginem Numantiámque deleuit, vel cùm fines Reipub. ſunt propagati, vt cùm L. Scipio Aſiam, P. Æmylius Macedoniam imperio adiecit. multas clariſſimas victorias ætas noſtra vidit, vt Luculli de Tigrane & Mithridate, Craſſi de Spartaco & ſeruis, Pompeij de Domitio, Sertorio, Piratis, Mithridate, Cæſaris de Gallis & Germanis, quæ victoriæ non tantùm populo Romano, quantum Clodij cædes à Milone patrata, gaudium attulerunt. Hæc Tullius. aliud tamen artificio miro inſinuat. nimirum Victoriæ quas ætas noſtra vidit inferiores non fuerunt antiquis illis victoriis Camillorum, Paulorum, Scipionum, quare non minorem videntur populo Romano lætitiam peperiſſe, atque adeo cædis è Publij Clodij acceptior fuit bonis omnibus, quàm omnes omnium ætatum & Imperatorum victoriæ.

NOTÆ.

ADESTE.] Videtur hæc fuiſſe formula, quâ præcones plebem conuocabant. ad quam Catullus alludit: I.

-Adeſte hendecaſyllabi quot eſtis
Omnes vndique, quotquot eſtis omnes.

Et Seneca act. 1. Medeæ:

Adeſte: adeſte ſceleris vltrices Deæ.

Alias tamen vt §. 44. iam ex Varrone oſtendimus, aliam etiam dicendi formulam vſurpabant. vt, *Quirites, ite ad conuentionem.*

NVLLIS LEGIBVS, NVLL. IVDICIIS.] Iure legibus iudicia connectit, tum quòd leges ad futurum, ad præteritum iudicia referuntur, vt Ariſtoteles, Cicero paſſim & alij prodiderunt. tùm leges iudiciis, legibus iudicia roborantur, nefas vt ſit has ab illis diuellere. & quidem Demoſthenes contra Midiam leges ſine iudiciis vim habere nullam ſic oſtendit: Ἡ δὲ τῶν νόμων ἰσχὺς τίς ἐστιν; ἆρ' ἐάν τις ὑμῶν ἀδικούμενος ἀνακράγῃ, προσδραμοῦνται, καὶ παρέσονται βοηθοῦντες; οὔ. γράμματα γὰρ γεγραμμένα ἐστὶ, καὶ οὐχὶ δύναιτ' ἂν τοῦτο ποιῆσαι. τίς οὖν αὐτῶν ἡ δύναμίς ἐστιν; ὑμεῖς ἐὰν βεβαιῶτε αὐτοὺς, καὶ παρ- II.

Legum & iudiciorum cõiunctio.

ἔχητε κυρίους ἀεὶ τῷ δεομένῳ. οὐκοῦν οἱ νόμοι τε ὑμῖν εἰσιν ἰσχυροί, καὶ ὑμεῖς τοῖς νόμοις. *Legum verò quæ vis tandem eſt? an ſi quis veſtrûm iniuriam paſſus inclamarit, ipſæ accurrent, & aderunt auxilium præbituræ? nequaquam. Quænam igitur vis earum eſt? Si vos, Iudices, eas confirmetis, & eas ſua auctoritate munitas præbueritis auxilium imploranti. igitur, & per vos leges, & vos per leges vim & auctoritatem obtinetis.* Quod poſtremum oratione contra Ariſtogitonem fusè & eleganter oſtenditur ad leges referens τὰ δικαστήρια πληρεῦσθαι. *quod iudiciorum locus hominum affluentiâ redundet.* Vide Sextianam.

III. Ivs, Æqvitas.] Ius ſcriptum, æquitas qua ſcriptoris mens inquiritur, non verba nuda ponderantur. 1. de Orat. *At in hoc genere pueri apud magiſtros exercentur omnes, cùm in eiuſmodi cauſſis alias ſcriptum, alias æquitatem defendere docentur.* pro Cecinna 64. *Cæteri ad iſtam orationem decurrunt, cùm ſe in cauſſa putant habere æquum & bonum quod defendant. Si contrà verbis & litteris, &, vt dici ſolet, ſummo iure contenditur, ſolent eiuſmodi iniquitati boni & æqui nomen, dignitatémque opponere. tum illud quod dicitur* VTI LINGVA NVNCVPASSIT *irrident: tum aucupia verborum & litterarum tendiculas ad inuidiam vocant, tum vociferantur ex æquo & bono, non ex callido verſutóque iure rem iudicari oportere, ſcriptum ſequi calumniatoris eſſe, boni iudicis voluntatem ſcriptoris auctoritatémque defendere.* Eadem Tullius paſſim & alij I.C. ſed hæc ſufficiunt, vt intelligas quæ ſit inter ius & æquitatem diſtinctio.

Ius, Æquitas.

Leges, libertas.] Bene legibus libertatem coniungit, nam, vt ait in Cluentiana: *Hoc fundamentum libertatis, hic fons æquitatis.* Et mox: *Legum denique idcirco omnes ſerui ſumus, vt liberi eſſe poſſimus.* IV. Leges fundamentum libertatis.

Pvdor pvdicitia.] Philippica 2. §. 12. *Adeóne pudorem cum pudicitia perdidiſti.* Iure alterum alteri connectit. Verecundia enim ſiue pudor, vt dicitur in Partitionibus 79. *Cuſtos virtutum omnium.* Sed pudicitiæ præſertim & caſtitatis. Propertius lib. 2. el. 6. V.

Nam nihil inuitæ triſtis cuſtodia prodeſt:
Quam peccare pudet, Cynthia, tuta ſat eſt. Pudor pudicitiæ cuſtos.

Vide dicta pro Cœlio §. 7. hæc porro omnia, quæ dicit in ciuitate manſiſſe, poſſunt ad pudorem & iuſtitiam reuocari. de quibus Protagoras Platonicus ita fabulatur: Ζεὺς οὖν δείσας περὶ τῷ γένει ἡμῶν μὴ ἀπόλοιτο πᾶν, Ἑρμῆν πέμπει ἄγοντα εἰς ἀνθρώπους αἰδῶ τε καὶ δίκην, ἵνα εἶεν πόλεων κόσμοι τε καὶ δεσμοὶ φιλίας συναγωγοί. *Iupiter metuens ne genus humanum funditùs interiret, Mercurium miſit qui ad homines pudorem & iuſtitiam deduceret, vt eſſent ornatus & vincula ciuitatum, amicitiæ ſequeſtres.*

AXIOMA.

Sceleratorum furores, quos nullis legibus, nullis iudiciis frenare poſſumus, vi & ferro ſunt à Reipub. ceruicibus repellendi.

ARGVMENTVM.

Poſtquam mala deſcripſit quibus cædes Clodij Rempub. liberauit, bona, quæ ſperanda erant, enumerat, ſuum ipſius odium in Clodium iudicibus impertiens, & ita ſe excuſans quòd in eum acriùs inuehatur.

MANDATE hoc memoriæ, Iudices: ſpero multa vos liberóſque veſtros in Republica bona eſſe viſuros. in his ſingulis ita ſemper exiſtimabitis, viuo P. Clodio, nihil horum vos viſuros fuiſſe. in ſpem maximam, & quemadmodum confido, veriſſimam adducti ſumus, hunc ipſum annum, hoc ſummo viro Conſule, concuſſa hominum licentiâ, cupiditatibus fractis, legibus & iudiciis conſtitutis, ſalutarem ciuitati fore. Num quis igitur eſt tam demens, qui hoc P. Clodio viuo contingere potuiſſe arbitretur? Quid? ea, quæ tenetis priuata, atque veſtra, dominante homine furioſo quod ius perpetuæ poſſeſſionis habere potuiſſent? Non timeo, Iudices, ne odio inimicitiarum mearum inflammatus libentiùs hæc in illum euomere videar, quàm veriùs. etenim etſi præcipuum eſſe debebat, tamen ita communis erat omnium ille hoſtis, vt in communi odio pænè æqualiter verſaretur odium meum. Non poteſt dici ſatis, nec cogitari quidem, quantum in illo ſceleris, quantum exitij fuerit.

EXPLANATIO.

Mandate.] Mementote eorum quæ vobis nunc prædico, vt cùm illa euenerint, me vera prædixiſſe videatis. facit deinde mentionem liberorum, partim vt eos leuiter paternæ pietatis ſenſu titillet, partim vt vtilitatem Clodianæ necis exaggeret, quæ non ſolùm in eos qui tum florebant, ſed etiam in poſteros redundatura videbatur.

In his.] Quia Clodius ſuperſtes otio & tranquillitati publicæ ſuis ſeditionibus obſtitiſſet.

Hoc svmmo viro.] Cn. Pompeio.

Concvssa.] Lambinus legit, *compreſſa*, quod magis arridet.

Cvpiditatibvs.] Auaritiam, libidinem, & maximè honorum cupiditatem intelligit, quibus

bus vitiis tum maximè laborabat Reſpub. Pompeius autem vt primùm Conſul factus eſt, tum contra ambitioſos, tum contra corruptores iudiciorum leges tulerat acerrimas.

NON TIMEO.] Occurrit obiectioni, & tacitæ quorumdam cogitationi: ſeque oſtendit haudquaquam odio Clodij iſta profundere, & illud odium ait ſibi cum iudicibus, & bonis omnibus eſſe commune.

ODIO INIMICITIARVM MEARVM.] Ne odio quod ex inimicitiis ortum eſt, vel, ne odio quod inimicitiæ noſtræ ſimultates & Clodij in me iniuriæ pepererunt.

DEBEBAT.] Quia eius iniuriæ in me potiſſimùm extiterunt, quem eiecit è ciuitate, cuius fratrem penè interemit, coniugem & liberos crudeliſſimè vexauit, bona publicauit, domum incendit, &c.

IN ILLO.] Clodio.

NOTÆ.

I. LICENTIA.] Monui legendum potiùs compreſſâ, id eſt, conſtricta, repreſſa, refrenata. Horatius:

O! quiſquis volet impios
Motus & rabiem tollere ciuicam
Qui quærit pater vrbium
Subſcribi ſtatuis indomitam audeat
Refrenare licentiam.

Licentia. Quid autem ſit hæc licentia fusè & eleganter explicat Plato 8. de Rep. Πολιτεία καὶ ἄναρχος καὶ ποικίλη, ἰσότητά τινα ὁμοίως ἴσοις καὶ ἀνίσοις διανέμουσα. *Reipub. forma magiſtratibus carens & varia, æqualitatem quandam & æqualibus & inæqualibus diſtribuens.* Quæ licentia primùm oritur in ſingulis antequã in vniuerſos dimanet, cùm voluptates & cupiditates effrenatæ κατέλαβον τὴν τοῦ νέου τῆς ψυχῆς ἀκρόπολιν· αἰσθόμεναι κενὴν μαθημάτων τε καὶ ἐπιτηδευμάτων καλῶν καὶ λόγων ἀληθῶν. οἳ δὴ ἄριστοι φρουροί τε καὶ φύλακες ἐν ἀνδρῶν θεοφιλῶν εἰσὶ διανοίαις. *Iuuenis animæ arcem occuparunt, cùm eam ſenſerint diſciplinis, bonarum artium ſtudiis, veriſque ratiocinationibus deſtitutam, qui ſunt optimi vigiles & cuſtodes in amicorum Deo mentibus excubantes.* Pergit, & ego cum illo (Quis enim his referendis ſibi licentiam non vſurpet?) Ψευδεῖς δὴ καὶ ἀλαζόνες οἶμαι λόγοι τε καὶ δόξαι ἀντ' ἐκείνων κατέσχον τὸν αὐτὸν τόπον τοῦ τοιούτου. *Falſæ igitur & inſolentes ratiocinationes & perſuaſiones eundem locum occupãt.* ac vide quo tandem res euadat: Ἐὰν παρ' οἰκείων τις βοήθεια τῷ φειδωλῷ αὐτοῦ τῆς ψυχῆς ἀφικνῆται, κλείσαντες οἱ ἀλαζόνες λόγοι ἐκεῖνοι τὰς τοῦ βασιλικοῦ τείχους ἐν αὐτῷ πύλας, οὔτ' αὐτὴν τὴν ξυμμαχίαν παριᾶσιν, οὔτε πρέσβεις πρεσβυτέρων λόγους ἰδιωτῶν εἰσδέχονται, αὐτοί τε κρατοῦσι μαχόμενοι, καὶ τὴν μὲν αἰδῶ ἠλιθιότητα ὀνομάζοντες, ὠθοῦσιν ἔξω ἀτίμως φυγάδα, σωφροσύνην δ' ἀνανδρείαν καλοῦντές τε καὶ προπηλακίζοντες ἐκβάλλουσι· μετριότητα δὲ καὶ κοσμίαν δαπάνην, ὡς ἀγροικίαν καὶ ἀνελευθερίαν οὖσαν πείθοντες, ὑπερορίζουσι, &c. *Si ab amicis ſubſidium aliquod laboranti meliori animi eius parti ſubmittatur, ſuperbæ petulanteſque rationes claudẽtes regij in eo muri portas, neque ſubſidium ipſum admittunt, neque legatos priuatorum ſenum monitus excipiunt, ſed ipſæ prælio ſuperant: & pudorem quidem appellantes fatuitatem in exilium turpiter expellunt: temperantiam verò ignauiam vocantes conuitianteſque eiiciunt: modeſtiam quoque in moribus & in ſumptibus moderationem, tanquam ruſticitatem & illiberalitatem exterminant, ipſæ vnà cum multis futilibuſque cupiditatibus inualeſcunt.* Mox: Τούτων δέ γέ που κενώσαντες καὶ καθήραντες τὴν τοῦ κατεχομένου τε ὑπ' αὐτῶν, καὶ τελουμένου ψυχὴν μεγάλοισι τέλεσι, τὸ μετὰ τοῦτο ἤδη ὕβριν καὶ ἀναρχίαν, καὶ ἀσωτίαν, καὶ ἀναίδειαν λαμπρὰς μετὰ πολλοῦ χοροῦ κατάγουσιν, ἐστεφανωμένας, ἐγκωμιάζοντες καὶ ὑποκοριζόμενοι, ὕβριν μὲν εὐπαιδευσίαν καλοῦντες, ἀναρχίαν δ' ἐλευθερίαν, ἀσωτίαν δὲ μεγαλοπρέπειαν, ἀναίδειαν δ' ἀνδρείαν. *Cùm huiuſmodi virtutibus eius, qui ab ipſis tenetur & magnis tributorum exactionibus initiatus eſt, mentem exinanierint & purgarint, tum demum contumeliam, anarchiam ſiue magiſtratuum & obedientiæ priuationem, prodigalitatem & impudentiam ſplendidas & magnificas, coronatas inducunt cum magno comitatu, laudantes, blandè compellantes & contumeliam vrbanitatem, anarchiam libertatem, prodigalitatem magnificentiam, impudẽtiam fortitudinem appellant.* Atque hæc eſt ſingulorum hominum licentia, quam prædicit fractis cupiditatibus virtute Pompeij Conſulis eſſe comprimendam: quod ſine dubio facere non potuit Pompeius, niſi Milo Clodij furores à Reip. ceruicibus depuliſſet. manaſſet enim hæc licentia à ſingulis ad vniuerſam Remp. Item Plato: Ὅταν οἶμαι δημοκρατουμένη πόλις ἐλευθερίας διψήσασα κακῶν οἰνοχόων προστατούντων τύχῃ, καὶ πορρωτέρω τοῦ δέοντος ἀκράτου αὐτῆς μεθυσθῇ, τοὺς ἄρχοντας δή, ἂν μὴ πάνυ πρᾷοι ὦσι, καὶ πολλὴν παρέχωσι τὴν ἐλευθερίαν, κολάζει αἰτιωμένη ὡς μιαρούς τε καὶ ὀλιγαρχικούς, &c. Τοὺς δὲ τῶν ἀρχόντων κατηκόους, προπηλακίζει ὡς ἐθελοδούλους τε καὶ οὐδὲν ὄντας. τοὺς δ' ἄρχοντας μὲν ἀρχομένοις, ἀρχομένους δ' ἄρχουσιν ὁμοίους ἰδίᾳ τε καὶ δημοσίᾳ ἐπαινεῖ τε καὶ τιμᾷ. *Cùm vrbs populari adminiſtratione gubernata, libertatem ſitiens malos pocillatores nacta fuerit, eiúſque, plùs quàm deceat fuerit ebria, ſuos magiſtratus, niſi valdè fuerint remiſſi, multámque dederint libertatem, punit, eos vt impuros & paucorum dominationi deditos accuſans, &c. Qui magiſtratibus ſe dicto exhibent audientes, eos vt mancipia voluntaria & abiecta contumeliis proſcindit. magiſtratus ſubditis, ſubditos magiſtratibus priuatim & publicè honore exæquat.* Et, vt finiam, poſt non pauca: Τελευτῶντες γάρ που, inquit, οἶσθ' ὅτι οὐδὲ τῶν νόμων φροντίζουσι γεγραμμένων ἢ ἀγράφων, ἵνα δὴ μηδαμῇ μηδεὶς αὐτοῖς ᾖ δεσπότης. *Tandem*, inquit, *noſtis eos leges non curare ſiue ſcriptas, ſiue non ſcriptas, ne quem dominum habere videatur.* Quod vbi contigit, neque Reſp. ſanari poteſt, neque alium ſortitur euẽtum quam vt vel tyrannidem degeneret, vel funditùs deleatur. Hæc ille, quæ tam multis referre placuit, etſi noſſem non pauca dictorum Ariſtoteli diſplicere. Sed diſcipulum magiſtro concilient eruditi.

FRACTIS CVPIDITATIBVS.] Appianus I. ciuilium de hoc ipſo conſulatu: Ὁ δὲ Πομπήιος δίκας προυτίθει τῶν τ' ἄλλων ἁμαρτημάτων, καὶ μάλιστα δωροδοκίας καὶ δεκασμοῦ. ἐδόκει γὰρ ἐντεῦθεν αὐτῷ νοσεῖν τὰ κοινὰ ἀρξάμενα, ἐν τούτῳ καὶ τὴν ἴασιν ἕξειν ταχεῖαν. *At Pompeius iudicia conſtituit, tum de aliis criminibus, tum de largitione. hinc enim ipſi videbatur manaſſe morbus in Remp. & in his celeriorem ſperabat fore medicinam.* Vide Plutarchum in Pompeio, Dionem lib. 40. &c. II.

EVOMERE.] Noſter in Lælio: *Is pati non poſſit, vt non acquirat aliquem, apud quem euomat virus acerbitatis ſuæ.* Ennius annali duodecimo: III.

Cui res audacter magnas, paruaſque iocúmque

Eloquerer, quæ tincta malis & quæ bona dictu
Euomeret, ſi quid vellet, tutóque locaret.

Terentius Hecyra actu 3. ſcena 5.

Atque in eam hoc omne, quod mihi ægre eſt euomam.

AXIOMATA.

Compreſsâ hominum licentiâ, cupiditatibus fractis, legibus & iudiciis conſtitutis, ſalus adfertur Reipub.

Dominante homine furioſo ciues ius perpetuæ poſſeſſionis habere non poſſunt.

ARGVMENTVM.

Aliam rationem adfert cur non dubitaturus fuerit Milo necem Clodij confiteri: quia videlicet ea nex tanta voluptate Iudices, & bonos omnes affecerat, eum vt nemo vellet, ſi qua ratione fieri poſſet, vitæ reſtituere, & ab inferis excitare.

LXXX. QVIN ſic attendite, Iudices, nempe hæc eſt quæſtio de interitu P. Clodij. fingite animis (liberæ enim ſunt cogitationes noſtræ, & quæ volunt, ſic intuentur, vt ea cernimus, quæ videmus) fingite igitur cogitatione imaginem huius conditionis meæ, ſi poſſim efficere vt Milonem abſoluatis. ſed ita, ſi P. Clodius reuixerit. Quid vultu extimuiſtis? quonam modo ille vos viuus affecerat, qui mortuus inani cogitatione percuſſit? quid? ſi ipſe Cn. Pompeius, qui ea virtute, ac ſapientia eſt, vt ea potuerit ſemper, quæ nemo præter illum: ſi is, inquam, potuiſſet, vt quæſtionem de morte P. Clodij ferre, ſic ipſum ab inferis excitare, vtrum putatis facturum fuiſſe? etiam ſi propter amicitiam vellet illum ab inferis reuocare, propter Rempub. non feciſſet. Eius igitur mortis ſedetis vltores, cuius vitam ſi putetis per vos reſtitui poſſe, nolitis: & de eius nece lata quæſtio eſt, qui ſi eadem lege reuiuiſcere poſſet, lata lex nunquam eſſet. Huius ergo interfector non eſſet etiam confitendo ab iis impetraturus, ne pœnam timeret, quos liberauiſſet?

EXPLANATIO.

QVIN SI, &c.] Videtur huiuſmodi facere ſyllogiſmum.

Non dubitaret Milo id à ſe factum eſſe confiteri, quod neque vos, neque Pompeius infectum eſſe velletis.

Sed non velletis infectam eſſe cædem Clodij, eúmque ad vitam redire.

Ergo Milo non dubitaret cædem à ſe factam confiteri.

Aduerte elegantiam ſingularem, attentionem renouat: *Quin ſic attendite* tum Clodium occiſum eſſe in memoriam reducit: *Nempe hæc*, &c. eius deinde vitam & excitationem ab inferis imaginari iubet, demum ſententiam naturalem interſerit. *Liberæ enim*, &c. Quæ rerum varietas auditorum animos mirificè oblectat.

LIBERÆ ENIM.] Cogitatio noſtra, quicquid volumus ſibi fingit, nullíſque rerum aut temporum limitibus & terminis continetur. & tam clarè quodcunque imaginatio finxerit, & quaſi in tabella depinxerit, intuetur, quàm videmus ea quæ oculis ſubiecta ſunt.

VT EA CERNIMVS QVÆ VIDEMVS.] Legit Guillelmus ex Baſilicano codice, *vt ea cernamus quæ non videmus.*

QVID VVLTV.] Eleganter & opportunè iudicum imaginationem interpellat, quaſi eos ſola commemoratione vitæ Clodij quodam horrore concuſſerit.

Ille vos admodum terreret viuus, qui mortuus inani cogitatione percuſſit.

Sed Clodius vos mortuus inani cogitatione percuſſit. Ergo, &c.

QVID SI.] Iam à ſenſu Pompeij idem ducit argumentum, qui Clodium nollet ab inferis excitare, etiamſi poſſet. Grutterus legit non: *ea virtute & ſapientia eſt:* ſed, *ea virtute ac fortuna eſt.* è duobus codicibus manu exaratis.

PROPTER AMICITIAM.] Quia non ita pridem in gratiam redierant Clodius & Pompeius.

EIVS IGITVR.] Epiphonema per antitheſim.

HVIVS ERGO.] Locus obſcurior. Lambinus è codice Saxonico, & Priſciano lib. 8. ſic emendat: *Huius ergo interfector, ſi eſſet, in confitendo ab iiſne pœnam timeret, quos liberauiſſet.* & exponit: *Huius igitur* videlicet Clodij, ſi Milo *interfector eſſet*, id eſt, ſi Milo Clodium interfeciſſet: *ab iiſne quos liberaſſet?* qui Iudices ſedent, *in confitendo*, cùm confiteretur Clodium à ſe eſſe interfectum, *pœnam timeret?* Proinde quaſi dicat: Cùm talis ſit Clodius qualem ſuprà deſcripſi, & cùm eum reuiuiſcere nolitis, ſi eum ab inferis excitare poſſetis: ſi Milo eſſet eius interfector, in confitendo cùm Milo confiteretur ſe Clodium interfeciſſe, an tunc à vobis quos liberaſſet pœnam metuere deberet? hæc è Lambino viſum eſt verbatim exſcribere.

NOTÆ.

FINGITE ANIMIS.] Ita Plato 9. de Re- 1.
publ. Πλάττε τοίνυν μίαν μὲν ἰδέαν θηρίου ποικίλου,

καὶ πολυκεφάλου, ἡμέρων δὲ θηρίων ἔχοντος κεφαλὰς κύκλῳ, καὶ ἀγρίων, καὶ δύναται μεταβάλλειν, καὶ φύειν ἐξ αὑτοῦ ταῦτα πάντα. Δεινοῦ πλάστου, ἔφη, τὸ ἔργον. ὅμως δ' ἐπειδὴ εὐπλαστότερος κηροῦ καὶ τῶν τοιούτων λόγος πεπλάσθω, &c. *Finge itaque figuram vnam beſtiæ variæ, & capita in orbem multa habentia partim beſtiarum domeſticarum, partim agreſtium, quæ & permutare & producere ex ſe hæc omnia poſſit. Noui pictoris artificium narras. tamen cùm ad fingendum ſermo quàm cera facilior ſit, fingatur.* Vide locum fusè. Chryſoſtomus oratione 13. ad Corinth. Βούλεσθε τὸν πίνακα εἰς μέσον ἀγαγόντες ὑπογράψωμεν ὑμῖν τὴν πολιτείαν Παύλου; προκείσθω τοίνυν ὁ πίναξ πολὺ λαμπρότερος ὢν τῶν βασιλικῶν εἰκόνων, &c. *Vultis tabulam in medium proferentes vobis depingamus Pauli conuerſationem? Proponatur igitur tabula imperatoriis imaginibus longè illuſtrior, &c.*

11. Vt ea potverit.] Non abludit Latinus Pacatus panegyrico Theodoſij: *Neque enim quia ſe diuina mortalibus dedignantur fateri, idcirco quæ viſa non fuerint dubitabimus facta, cùm facta videamus, quæ dubitauerimus eſſe facienda. Auguſtè fortunam tuam, Imperator, expendit, quiſquis id de te tantùm, quod fieri poteſt, credit.* Sed hîc animaduerte tria ad hanc euocationem neceſſaria, poteſtatem, ſapientiam, voluntatem, vt euocare poſſit, ſciat & velit Pompeius: quod ſancti Patres Athenagoras, Tertullianus, aliique in Deo locum habere demonſtrant. Sed nõ eſt opus quæ vel ipſi, vel Epiphanius in Anchorato & alibi, Auguſtinus libris de Ciuitate Dei aliique proferunt huc afferre. temperare tamen mihi non poſſum quin proferam illa è Tertulliano longè pulcherrima: *Dies moritur in noctem, & tenebris vſquequaque ſepelitur. funeſtatur mundi honor, omnis ſubſtantia denigratur. Sordent, ſilent, ſtupent cuncta: vbique iuſtitium eſt, quies rerum: ita lux amiſſa lugetur: & tamen rurſus cum ſuo cultu, cum dote, cum ſole, eadem & integra, & tota vniuerſo orbi reuiuiſcit, interficiens mortem ſuam noctem, reſcindens ſepulturam ſuam tenebras, heres ſibimet exiſtens, donec & nox reuiuiſcat, cum ſuo & illa ſuggeſtu. redaccenduntur enim & ſtellarum radij, quos matutina ſuccenſio extinxerat. Reducuntur & ſyderum abſentiæ quas temporaria diſtinctio exemerat, redornantur: & ſpecula lunæ, quæ menſtruus numerus attriuerat. Reuoluuntur hyemes & æſtates, & verna, & autumna cum ſuis viribus, moribus, fructibus. quippe etiam terra de cœlo diſciplina eſt, arbores veſtire poſt ſpolia: flores denuò colorare, herbas rurſus imponere, exhibere eadem quæ abſumpta ſint ſemina: nec priùs exhibere quàm abſumpta. mira ratio: de fraudatrice ſeruatrix: vt reddat, intercipit: vt cuſtodiat, perdit: vt integret, vitiat: vt etiam ampliet, priùs decoquit: Si quidem vberiora & cultiora reſtituit, quàm exterminauit. Reuera fœnore, interitu, & iniuriâ vſurâ, & lucro damno, ſemel dixerim vniuerſa conditio recidiua eſt. Quodcunque conueneris, fuit: quodcunque amiſeris, nihil non iterum eſt. omnia in ſtatum redeunt, cùm abſceſſerint: omnia incipiunt, cùm deſierint. ideo finiuntur vt fiant: nihil deperit niſi in ſalutem. Totus igitur hic ordo reuolubilis rerum, teſtatio eſt reſurrectionis mortuorum.* Hui! tam multa, tam parum ad rem! tantúmne, inquies abs re tua eſt otij tibi? Parum ad rem fateor, ſed tanti mihi fuit ad has amœnitates à recto curſu deflectere.

Reſurrectio mortuorum.

Quod autem ait Noſter de potentia Cn. Pompeij videtur locum Iſocratis præ oculis habuiſſe oratione ad Philippum: Σοὶ δ' οὐδὲν τῶν τοιούτων ἐστὶ χαλεπόν. ὁρῶ γάρ σε τῶν τοῖς ἄλλοις δοκούντων ἀνελπίστων εἶναι καὶ παραδόξων, πολλὰ διαπεπραγμένον, &c. *Tibi autem nihil eiuſmodi difficile eſt, quem multa perfeciſſe videam, quæ aliis contra ſpem & opinionem eſſe viderentur.* Dio Chryſoſtomus orat. tertia de Regno: Τῶν ὑπὸ τὸν ἥλιον ἀνθρώπων ἐκεῖνός ἐστιν ἰσχυρότατος, καὶ μηδὲ τῶν θεῶν αὐτῶν ἧττονα ἔχων δύναμιν, ᾧ γε ἔνεστι καὶ τὰ ἀδύνατα δοκοῦντα ποιῆσαι δυνατά. *Omnium qui ſub ſole viuunt hominum ille longè potentiſſimus eſt, neque minorem fere quàm Dij, habet potentiam, ita vt illi in manu ſit quæ impoſſibilia ſunt, facere poſſibilia.* Nec fortaſſe longè alio ſenſu Æſchylus in Prometheo:

Δεινὸς γὰρ εὑρεῖν κἀξ ἀμηχάνων πόρους.
Bonus explicare res inexplicabiles.

Poſt quem Ariſtophanes in Equitibus:

Κἀκ τῶν ἀμηχάνων πόρους εὐμηχάνους πορίζων.
Etiam ex impoſſibilibus faciendi vias faciles expediens.

Poſt vtrumque Nazianzenus oratione habita in 150. Epiſcoporum præſentia: Ὅταν ἐκ τῶν ἀπόρων θέλῃ πόρον δοῦναι τοῖς πράγμασιν. *Cùm ex rebus inextricabilibus facilitatem negotiis dare voluerit.*

AXIOMATA.

Liberæ ſunt cogitationes noſtræ, & quæ volunt ſic intuentur, vt ea cernimus quæ videmus.

Is magno timore animos viuus afficeret, qui mortuus inani cogitatione percellit.

ARGVMENTVM.

Græcorum exemplis, qui maximos honores libertatis publicæ aſſertoribus detulerunt, oſtendit cauſſæ fuiſſe nihil cur Milo diſſimularet aut negaret factum, ſi non laceſſitus Clodio necem intuliſſet.

GRæci homines Deorum honores tribuunt iis viris, qui tyrannos LXXXI.
necauerunt. quæ ego vidi Athenis? quæ aliis in vrbibus Græciæ? quas res diuinas talibus inſtitutas viris? quos cantus? quæ Carmina? propè ad immortalitatem, & religionem, & memoriam conſecrantur. vos tanti conſeruatorem populi, tanti ſceleris vltorem, non modò honoribus nullis afficietis, ſed ad ſupplicium rapi etiam patiemini? Confite-

retur, confiteretur, inquam, ſi feciſſet, & magno animo, & libenter, ſe feciſſe libertatis omnium cauſſa: quòd certè ei non confitendum modò fuiſſet, verùm etiam prædicandum.

EXPLANATIO.

GRÆCI HOMINES.] Talis eſt ſyllogiſmus. *Maiori dignus eſt honore qui Rempub. Romanam liberauit, quàm qui Græciæ ciuitates.*

Sed Græci homines diuinos honores tribuunt iis, qui ſuas ciuitates liberarunt.

Ergo maiori honore dignus eſt Milo, qui cæde Clodij Remp. Romanam liberauit.

QVÆ EGO VIDI ATHENIS?] Quos & quantos honores Harmodio & Ariſtogitoni, vidi delatos, qui Hipparcho Piſiſtrati filio necē intulerūt?

QVAS RES DIVINAS.] Quas feſtiuitates? quæ ſacrificia?

VOS TANTI.] Complexio eſt, quæ propoſitionem etiam complectitur. *Vos*, inquit, *Milonem tanti*, tam potentis, tam latè dominantis *conſeruatorem populi*, qui Clodij cæde populum à ſeruitutis iugo vindicauit, *tanti ſceleris*, tot ſeditionum & turbarum, quibus Clodius lacerauit Rempub. *vltorem, non modò nullis honoribus afficietis*, ſed etiam in exilium, quod erat ſupplicium in homicidas conſtitutum, eiici patiemini?

CONFITERETVR.] Quid hoc eſt *ſi feciſſet?* an quia negat Orator Milonem fuiſſe αὐτόχειρα; *Fecerunt id ſerui Milonis*, &c. an ſenſus eſt. ſi feciſſet inſidias, & ex deſtinata necem intuliſſet?

NOTÆ.

1. GRÆCI HOMINES.] Plutarchus in Arato: Σικυώνιοι τόπον ἐξελόμενοι περίοπτον, ὥσπερ οἰκιστὴν, καὶ σωτῆρα τῆς πόλεως ἐκήδευσαν, καὶ καλεῖται μέχρι νῦν Ἀράτειον, καὶ θύουσιν αὐτῷ θυσίαν. *Sicyonij locum eminentem & conſpicuum eligentes Arato, vt conditori & ſeruatori vrbis iuſta ſoluerunt: qui locus ad noſtram ætatem Arateum nominatur: & ei ſacrificia quædā faciunt.* Pauſanias Corinthiacis ἡρῷον Ἀράτου appellat. Quin etiā in ipſa ſcena theatri ei ſtatuam excitarūt, vt idem refert ibidē: Τοῦ θεάτρου δ' ὑπὸ τὴν ἀκρόπολιν ᾠκοδομημένου τὸν ἐν τῇ σκηνῇ πεποιημένον ἄνδρα, ἀσπίδα ἔχοντα Ἄρατόν φασιν εἶναι τὸν Κλεινίου. *Theatro verò ſub arce conſtructo, viri clypeati ſtatuam in ſcena poſitam, ſcuto armatā, dicunt eſſe Arati, qui Cliniæ filius fuit, ſimilitudinē expreſſam.* Polybius 8. Καὶ γὰρ θυσίας αὐτῷ, καὶ τιμὰς ἡρωϊκὰς ἐψηφίσαντο, καὶ συλλήβδην ὅσα πρὸς αἰώνιον ἀνήκει μνήμην. *Nam & ſacrificia, & cultum heroibus debitum ei decreuerunt, & vt verbo expediam, quicquid ad memoriam defuncti æternitati conſecrandam facit.* Eidem etiam Olympiæ, vt Pauſanias ſcribit Heliacis, Corinthij ſtatuam erexerant. A Syracuſanis, vt ſcribit Plutarchus, his verbis defuncto Timoleonti funus indictum eſt: Ὁ δῆμος τῶν Συρακουσίων Τιμολέοντα Τιμοδήμου Κορίνθιον τόνδε, θάπτει μὲν διακοσίων μνῶν, ἐτίμησε δ' εἰς τὸν ἅπαντα χρόνον ἀγῶσι μουσικοῖς, ἱππικοῖς, γυμνικοῖς, &c. *Populus Syracuſanus Timoleontem Timodemi filium Corinthium iſtum effert funere ducentis mnis æſtimato, & in omne poſterum tempus honorat certaminibus muſicis, equeſtribus, gymnicis*, &c. Cùm Pelopidas olim patriæ ſuæ liberator, in pugna cōtra Alexandrum Pheræum cecidiſſet: Ἐκ τῶν πόλεων, ὡς ἀπηγγέλθη ταῦτα, παρῆσαν αἵ τ' ἀρχαὶ, καὶ μετ' αὐτῶν ἔφηβοι, καὶ παῖδες, καὶ ἱερεῖς πρὸς τὴν ὑποδοχὴν τοῦ σώματος, τρόπαια, καὶ στεφάνους, καὶ πανοπλίας χρυσᾶς ἐπιφέροντες. *Ex vrbibus poſtquam hæc nuntiata ſunt, adfuerunt magiſtratus, & cum ipſis adoleſcentes, pueri & ſacerdotes, vt corpus exciperent, trophæa, coronas, & armaturas aureas adferentes.* vt auctor eſt Plutarchus in eius vita.. Braſidæ etiam liberatori Græciæ: Οἱ Ἀμφιπολῖται περιείρξαντες αὐτοῦ τὸ μνημεῖον, ὡς ἥρωΐ τε ἐντέμνουσι, καὶ τιμὰς δεδώκασιν ἀγῶνας, καὶ ἐτησίους θυσίας. *Amphipolitæ, ſepto eius monumento, tanquam heroi ſacra fecerunt, & ei, honoris cauſsâ, ſtata ſacrificia cum certaminibus tribuerunt.* verba ſunt Thucydidis lib. 5.

ATHENIS.] De Athenarum nomine vide dicta in Sextianam 48 Quoniam verò peculiarem Athenarum facit mentionem, de honorib. Harmodio & Ariſtogitoni delatis pauca dicemus. de quibus Herodotus lib. 5. Thucydides lib. 6. Plato in Sympoſio Ariſtóteles 5. polit. c. 10. Pauſanias in Atticis, & alij paſſim. item Simonides apud Euſtathium in Iliadem ξ'. Iis omnium mortalium primis ſtatuas publicè poſitas fuiſſe ſignificat Plinius lib. 34. cap. 4. & apud Plutarchum de adulatore & amico: Ἀντιφῶν παρὰ Διονυσίῳ ζητήσεως οὔσης, ποῖος χαλκὸς ἄριστος, ἐκεῖνος, εἶπεν, ἐξ οὗ κατεσκεύασαν Ἀθηναῖοι τὰς Ἁρμοδίου καὶ Ἀριστογείτονος εἰκόνας. *Antiphon, cùm apud Dionyſium quæſtio incidiſſet, quodnam æs optimum eſſet, illud inquit, ex quo Athenienſes Harmodij & Ariſtogitonis ſtatuas fecerunt.* Quod dictum Diogeni Cynico tribuit Laërtius. Id etiam honoris cauſsâ conceſſum eſt, vt eorum poſteri ab oneribus publicis eſſent immunes. Quam ob cauſſam legem tulerat Leptines: Μηδένα εἶναι ἀτελῆ πλὴν τῶν ἀφ' Ἁρμοδίου καὶ Ἀριστογείτονος. *Ne quis præter Harmodij & Ariſtogitonis poſteros eſſet immunis.* De qua lege vide Demoſthenem. Gellius lib. 9. cap. 2. Noct. Att. Herodem Atticum ita loquentem inducit: *Maiores autem mei Athenienſes nomina iuuenum fortiſſimorū Harmodij & Ariſtogitonis*, &c. *ne vnquam ſeruis indere liceret, decreto publico ſanxerunt; quoniam nefas ducerent nomina libertati patriæ deuota, ſeruili contagio pollui.* Sed honores huiuſmodi nondum humanæ dignitatis apicem exceſſerant. Scribit tamen Orator: *Res diuinas talibus inſtitutas viris.* Valerius Maximus lib. 2. exeunte, narrat eorum effigies Æneas à Xerxe Rege Athenis, eâ vrbe deuictâ, in Perſidē eſſe tranſlatas: *Longo deinde interiecto tempore Seleucus in priſtinam ſedem reportandas curauit. Rhodij quoque eas vrbi ſuæ appulſas, cùm in hoſpitium publicè inuitaſſent, ſacris etiam puluinaribus collocauerunt.* Adde quod, vt auctor eſt Demoſthenes de falſa legat. Ἐν ἅπασι τοῖς ἱεροῖς ἐπὶ ταῖς θυσίαις, σπονδῶν καὶ κρατήρων κοινωνοὺς πεποιήκατε, καὶ ᾄδετε, καὶ τιμᾶτε ἐξ ἴσου τοῖς ἥρωσι, καὶ τοῖς θεοῖς. *In omnibus ſacris & ſacrificiis, libationum & craterum participes feciſtis, & cantatis, & colitis eodem honore quo heroas, & Deos immortales.* Atque hi ſunt cantus, illa carmina de quibus proxima Nota dicendum eſt. 11.

QVOS CANTVS? QVÆ CARMINA?] Ariſtophanes Acharnenſibus act. 4. ſc. 3.

Οὐδέποτε πόλεμον οἴκαδ' ὑποδέξομαι
Οὐδὲ παρ' ἐμοί ποτε τὸν Ἁρμόδιον ᾄσεται
Ξυγκατακλινείς, ὅτι παροίνιος ἀνὴρ ἔφυ.

Nunquam ego Martem domum recipiam,
Neque apud me vnquam Harmodium canet,
Simul accumbens, quia vinoſus vir eſt.

Vbi Scholiaſtes: ἐν ταῖς τῶν πότων ᾠδαῖς, ᾖδον τι μέλος Ἁρμοδίου καλούμενον. οὗ ἡ ἀρχὴ, φίλτατε Ἁρμόδιε οὔ τι που τέθνηκας. ᾖδον δ' αὐτὸ εἰς Ἁρμόδιον καὶ Ἀριστογείτονα. *In compotationum congreſsibus, cantabant canticum quoddam Harmodij nuncupatum, cuius principium tale fuit. Cariſsime Harmodie non vtique mortuus es. cantabant verò in laudem Harmodij & Ariſtogitonis.* Citat idem Scholiaſtes in Veſpis eundem Ariſtophanem quadam fabula πελαργοὶ inſcripta, cuius iacturam fecerunt Muſæ inter cætera temporum naufragia:

Harmodij melos.

ὁ μὲν ᾖδεν Ἀδμήτου λόγον πρὸς μυρρίνην,
ὁ δ' αὐτὸν ἠνάγκαζεν Ἁρμοδίου μέλος.
Canebat alter Admeti ſermonem ad myrtum,
Alter ipſum cogebat Harmodij melos.

Quid ſit ἠνάγκαζεν μέλος. non intelligo, libenter legerim ἐκάγχαζεν μέλος. cachinnabatur, ſiue cachinnans cantabat. Harum porro conuiualium cantionum tria genera numerantur. Athenæus 6. Deipnoſophiſt. Σκόλια δὲ καλοῦνται, οὐ κατὰ τῆς μελοποιίας τρόπον, ὅστις σκολιὸς ἦν. λέγουσι γὰρ τὰ ἐν ταῖς ἀσυνήθεσιν εἶναι σκόλια. ἀλλὰ τριῶν γενῶν ὄντων, ὥς φησιν Ἀρτέμων ὁ Κασανδρεὺς ἐν δευτέρῳ βιβλίῳ χρήσεως, ἐν οἷς τὰ περὶ τὰς συνουσίας ἦν ᾀδόμενα, ὧν τὸ μὲν πρῶτον ἦν, ὃ δὴ πάντας ᾄδειν νόμος ἦν. τὸ δὲ δεύτερον ὃ δὴ πάντες μὲν ᾖδον, οὐ μὴν ἀλλά γε κατά τινα περίοδον ἐξ ὑποδοχῆς· τρίτον δὲ καὶ τὴν ἐπὶ πᾶσι τάξιν ἔχον, οὗ μετεῖχον οὐκ ἔτι πάντες, ἀλλ' οἱ συνετοὶ δοκοῦντες εἶναι μόνοι, καὶ κατὰ τόπον τινὰ εἰ τύχοιεν ὄντες. διόπερ ὡς ἀταξίαν τινὰ μόνον παρὰ τἆλλα ἔχον τὸ μήθ' ἅμα, μήθ' ἑξῆς γινόμενον, ἀλλ' ὅπου ἔτυχεν εἶναι, σκολιὸν ἐκλήθη. *Scolia verò nuncupantur non ob rationem & modum eorum verſuum, qui profecto eſt* σκολιὸς, *ſiue inæqualis, tortuoſus & flexuoſus. nam quod in pangendis Carminibus ac cantionum modulationibus remiſsius eſt,* σκολιὸν *dicitur. verùm cùm tria genera ſint, vt ſcriba Artemon Caſſandreus libro ſecundo de vſu carminum ſcoliorum, quæ in hominum cœtu ac conuictu canuntur, & primum quidem quod ab omnibus cantari ſolemne fuit: alterum quod omnes certè canebant, verùm circuitu quodam vt alius alij ſuccederet, ſeruato omnium conuiuarum ordine: tertium cuius participes non omnes erant, ſed quod ab iis ſolis recitabatur, qui eruditiores haberentur, & qui loco certo quodam accubuiſſent: quapropter quia extra ordinem id fieret, neque ſimul ab omnibus, neque à proximis continenter ac deinceps caneretur, vt alia* σκόλιον *appellatum hoc eſt.* Sed diſtinctiùs & diſertiùs Plutarchus in conuiualibus quæſt. problemate 1. tria hæc canticorum genera numerans, primum Pæanem, alterum Aſacũ, tertium Scolium appellat. quid prohibet eius verba producere? Πρῶτον μὲν ᾖδον ᾠδὴν τοῦ Θεοῦ κοινῶς ἅπαντες, μιᾷ φωνῇ παιανίζοντες, δεύτερον δ' ἐφεξῆς ἑκάστῳ μυρσίνης παραδιδομένης, ἣν ἄσακον οἶμαι διὰ τὸ ᾄδειν τὸν δεξάμενον, ἐκάλουν. ἐπὶ δὲ τούτῳ λύρας περιφερομένης, ὁ μὲν πεπαιδευμένος ἐλάμβανε, καὶ ᾖδεν ἁρμοζόμενος, τῶν δ' ἀμούσων οὐ προσιεμένων σκολιὸν ὠνομάσθη τὸ μὴ κοινὸν μηδὲ ῥᾴδιον. *Primùm quidem omnes ſimul vna voce Deo Pæanem concinebant: Deinde verò conſequenter & deinceps myrto vnicuique tradita, quam cantionem Aſacum, & eo quòd qui myrtum acceperat, cantaret,* ὑπὸ τοῦ ᾄσαι καὶ ἔχειν, *nominabant. poſt hæc lyra circumferebatur, quam eruditus quiſque capiebat, & cantabat aptans, imperitis verò non recipientibus ſcolium vocabatur, tanquam non commune, neque facile.* Legerim, καὶ ᾖδεν τὴν ᾠδὴν μέλος, nam illud ἁρμοζόμενος non arridet. Hæc ille, ex quo emendes Scholiaſtem Ariſtophanis in Veſpas: Δικαίαρχος δὲ, ἐν τῷ περὶ μουσικῶν ἀγώνων, ὅτι τρία γένη ἦν ᾠδῶν. τὸ μὲν, ὑπὸ πάντων ᾀδόμενον καθ' ἕνα ἑξῆς. lege ᾀδόμενον. τὸ δὲ καθ' ἕνα ἑξῆς. τὸ δ' ὑπὸ τῶν συνετωτάτων, ὡς ἔτυχε τῇ τάξει ὃ δὴ καλεῖται διὰ τὴν τάξιν σκολιόν. *Dicæarchus libro de muſicis agonibus, tria cantionum genera recenſet. quorum vnum ab omnibus caneretur: alterum à ſingulis deinceps & conſequenter. tertium à peritiſsimis quibuſque ſecundum ordinem: quod propter ordinem ſcolium nominabant.* Suidas tamen retinet veterem lectionẽ. Adfert Plutarchus & aliam nominis rationem: Ὅτι οὐκ ἀπὸ τοῦ ἑξῆς ἡ λύρα τοῖς συμπόταις ἐδίδοτο, ἀλλ' ἐνηλλὰξ διὰ τὴν σκολιὰν τῆς λύρας περιφορὰν σκολιὰ ἐλέγετο. *Quia non conſequenter conuiuis lyra tradebatur, ſed quibuſdam interiectis, ob flexuoſam lyræ circumlationem ſcolia dicebantur.* Ariſtophanes in Ranis, cùm ſcoliorum feciſſet mentionem, hæc adiecit:

Scolium.

Scolium.

Ἐνεγκάτω τις τὸ λύριον. καί τοι τί δεῖ
λύρας ἐπὶ τούτου; ποῦ 'στιν ἡ τοῖς ὀστράκοις
αὕτη κροτοῦσα;
Lyram adferat quis. Sed quid opus huic eſt lyræ?
Vbi illa crepitans teſtulis?

Interpres: ἀπορίᾳ λύρας ὄστρακά τινες λαμβάνοντες, ἦχον μὲν ἀπετέλουν πάνυ δ' ἄσημον. *Lyræ defectu teſtas quidem accipientes, ſonum edebant, ſed planè inſulſum.* Alij tamen non ſolùm tertium hoc cantionis genus, ſed etiam illud alterum, cùm myrtus in manus traderetur, σκολιὸν nominabant, quamuis fieri poteſt; vt etiam cum myrto lyra traderetur. Plutarchus loco proximè laudato: Ἄλλοι δέ φασι τὴν μυρσίνην οὐ καθεξῆς βαδίζειν, ἀλλὰ καθ' ἕκαστον ἐπὶ κλίνην διαφέρεσθαι. τὸν γὰρ πρῶτον ᾄσαντα τῷ πρώτῳ τῆς δευτέρας κλίνης ἀποστέλλειν. ἐκεῖνον δὲ τῷ πρώτῳ τῆς τρίτης. εἶτα τὸν δεύτερον ὁμοίως τῷ δευτέρῳ, καὶ τὸ ποικίλον καὶ πολυκαμπὲς (ὡς ἔοικε) τῆς περιόδου, σκολιὸν ὀνομασθῆναι. *Alij verò dicunt myrtum non deinceps, ſed ad ſingulos pro lectorum ratione fuiſſe circumlatam. nam qui primo modulatus fuerat eum ad primum ſecundi lecti, illum rurſus ad primum tertij miſiſſe exiſtimant. deinde ſecundum ſecundo, & hæc varietas, flexúſque circuitio, vt videtur, ſcolium eſt nominata.* Certè Ariſtoxenus & Phyllis muſicus apud eundem Scholiaſten myrtum etiam in ſcolio circumlatam fuiſſe prodiderunt: Ὅτι ἐν τοῖς γάμοις περὶ μίαν τράπεζαν πολλὰς κλίνας τιθέντες παρὰ μέρος ἑξῆς μυρρίνας ἔχοντες ᾖδον γνώμας καὶ ἐρωτικὰ σύντονα. ἡ δὲ περίοδος σκολιὰ ἐγίνετο διὰ τὴν θέσιν τῶν κλινῶν. οἱ δέ φασιν ὅτι ἔθος ἦν τὸ μὴ δυνάμενον ἐν τοῖς συμποσίοις ᾆσαι, δάφνης κλῶνα ἢ μυρρίνης λαβόντα πρὸς τοῦτον ᾄδειν. *In nuptiis multos lectos circa vnam menſam ponentes, ſinguli ſuo quiſque ordine myrtum tenens modulabantur quaſdam ſententias amatorióſque concentus: atque hic circuitus flexuoſus erat ob menſarum poſituram. Alij dicunt moris fuiſſe, vt qui canere poſſet in conuiuiis, is lauri aut myrti ramum capiens, ad eum modularetur.* Libenter ſuſtulerim particulam negantem μὴ, vt legatur τὸν δυνάμενον. Certè receptam fuiſſe myrtum

Ad myrtum cantata ſcolia.

Pæan.

Aſacum.

ad ſcolij cautionem liquet ex ipſo Ariſtophane, verſu citato, Ο μὲν ᾖδεν Ἀδμήτου πρὸς μυῤῥίνην. *Hic quidem canebat Admeti ſermonem ad myrtum.* Quem in Veſpis Scolium appellat:

Ἀδμήτου λόγον, ὦ ταῖρε, μαθὼν τοὺς ἀγαθοὺς φίλει·
Τούτῳ τί λέξεις σκολιόν.
Admeti hiſtoriam doctus amice, inde bonos ames
Illi hæc recenſe ſcolia.

Totum autem ſcolium Harmodij habetur apud Athenæum libro 15. deipnoſoph. cuius initium hoc habetur:

Εν μύρτου κλαδὶ τὸ ξίφος φορήσω
Ὥσπερ Ἁρμόδιος καὶ Ἀριστογείτων, &c.
In myrthi ramo gladium geſtabo
Vt Harmodius & Ariſtogiton, &c.

Sed vt dicta in ſummam colligamus, neque diutiùs hîc moremur, hinc intelliges qui fuerint illi cantus, quæ carmina in eorum laudem qui Athenas in libertatem vindicarant. Carmina fuerunt illud ſcolium: Cantus fiebant non ſolùm aſſa voce, ſed etiam modulata, id eſt, lyræ modulationibus temperata, quæ lyra tranſuerſim per menſas deferebatur cum ramis aut myrteis, aut laureis: myrteis, quòd Harmodius & Ariſtogiton gladium ſuum myrti frondibus abſconderant; laureis, fortaſſe quia laurus erat Apollini modulationum præſidi dedicata. Hinc etiam illuſtrabis illum locum initio primæ Tuſculanæ: *Themiſtocléſque aliquot ante annos, quùm in epulis recuſaret lyram, eſt habitus indoctior.* Item illud Plutarchi in apopht. Ἐν συμποσίῳ λύρας περιφερομένης, ἁρμοζομένων τῶν ἄλλων ἐφεξῆς καὶ ᾀδόντων, αὐτὸς (ὁ Γέλων) τὸν ἵππον εἰσαγαγεῖν κελεύσας, ἐλαφρῶς καὶ ῥᾳδίως ἀνεπήδησεν ἐπ᾽ αὐτόν. *Cùm in epulis lyra circumferretur, cæteris modulantibus & cantantibus, ipſe equum adduci iubens, in eum celeriter & facilè inſiluit.* Quod etiam refert Iſidorus Peluſiota. Addo ne quid de horum ſcoliorum more deſideres, ea & inter ſcyphos cantata fuiſſe, & à coronatis. Plutarchus conuiu. quæſt. l. 1. probl. 1. ᾄδει μὲν γὰρ ἴσως τὰ καλούμενα σκολιὰ, κρατῆρος ἐν μέσῳ προκειμένου, καὶ στεφάνων διανεμομένων. *Cantat enim fortaſſe ea quæ ſcolia vocantur, cratere in medio poſito, coroniſque diſtributis.* Sed ex iis quæ paſſim è Plutarcho retulimus, Qu. Sept. Florentis Chriſtiani vel inſcitiam vel oſcitantiam miraberis, qui ſcoliorum etymon ait Plutarchum loco citato deducere: *Quia cani ſolerent ab hominibus iam ebrietate tortuoſis.* Cuius etymi nullum inuenias in optimo illo ſcriptore veſtigium. Meliùs alij recentiores, qui nec ſuam opinionem affinxerunt antiquis auctoribus, & ſcolia vocata putauerunt, *quòd quidam in iis verſus, tanquam in orbem repetiti flectantur*, vt apparet ex ſcolio Harmodij. Interpres Ariſtophanis in Veſpas etiam aliunde deriuat, in illum verſum:

-τὰ σκολί᾽ ὅπως δέξῃ καλῶς.

alium cantandi morem ſic explanat: Ἀρχαῖον ἔθος ἑστιωμένους ᾄδειν. *Antiqui moris fuit, vt canerent epulantes.* Mox: Καὶ γὰρ ὁ ἐξ ἀρχῆς δάφνην ἢ μυῤῥίνην κατέχων ᾖδε Σιμωνίδου, ἢ Στησιχόρου μέλη ἄχρις οὗ ἤθελε. καὶ μετὰ ταῦτα ᾧ ἐβούλετο, ἐδίδου οὐχ ὡς ἡ τάξις ἀπῄτει· καὶ ἔλεγεν ὁ δεξάμενος παρὰ τοῦ πρώτου τὰ ἑξῆς. κἀκεῖνος ἐπεδίδου πάλιν ᾧ ἐβούλετο. διὰ τὸ πάντας οὖν ἀπροσδοκήτως ᾄδειν καὶ λέγειν τὰ μέλη σκολιὰ εἴρηται διὰ τὴν δυσκολίαν. *Nam primus laurum aut myrtum tenens, quantum volebat ex Simonidis aut Steſichori verſibus concinebat. deinde cui viſum fuerat lyram tradebat, non vt ordo conuiuantium exigebat. at ille qui lyram à primo acceperat, perſequebatur. rurſumque tradebat, cui videbatur. Quod igitur omnes ex improuiſo canerent, ob difficultatem* σκόλια *nominantur.* Ex quo Suidam intelliges: Παροιμία, Ἁρμοδίου μέλος, ἐπὶ τῶν δυσκόλων· τὰ γὰρ εἰς Ἁρμόδιον μέλη τοιαῦτά ἐστι. *Prouerbium Harmodij cantus, de rebus arduis & difficilibus: nam carmina in Harmodij laudem ſunt huiuſmodi.* Propter dictam modò rationem, non verò propter ſenſus aut verborum obſcuritatem, vt liquet ex ipſo ſcolio & Plutarcho: Ἐπεί τοι καὶ τὰ σκολιά φασιν οὐ γένος ᾀσμάτων εἶναι πεπλεγμένων ἀσαφῶς. *Quandoquidem ſcolia dicunt genus non eſſe carminis obſcuri.* Atque hæc de Harmodio ſatis.

Thraſybulus etiam Athenas à triginta virorum dominatu liberauit:, ſed nullos huiuſmodi honores ei tributos fuiſſe comperio. ſepulchrum tantum habuit loco honorato. Pauſanias Atticis cùm dixiſſet: Καὶ ναὸς οὐ μέγας ἐστὶν, ἐς ὃν Διονύσου τοῦ Ἐλευθερέως τὸ ἄγαλμα ἀνὰ πᾶν ἔτος κομίζουσιν ἐν τεταγμέναις ἡμέραις. *Ædes eſt non magna, in quam ſingulis annis ſtatis diebus deferunt Bacchi Liberatoris ſimulacrum.* Subiecit: Τάφοι μὲν, Θρασυβούλου μὲν πρῶτος, &c. ἐπὶ δ᾽ αὐτῷ Περικλέους τε καὶ Χαβρίου καὶ Φορμίωνος. *Sepulchrum primum eſt Thraſybuli, deinceps verò Periclis, Chabriæ & Phormionis.* Simulachrum Bacchi Liberatoris eo fortaſſe deferebant in memoriam recuperatæ per Thraſybulum libertatis. Æmilius Probus in Thraſybulo: *Huic corona data eſt à populo facta è duabus virgulis oleaginis, quæ, quòd amor ciuium, non vis expreſſerat, nullam habuit inuidiam, magnæque fuit gloriæ, qua corona contentus, neque amplius requiſiuit, neque quemquam ſe honore anteceſſiſſe exiſtimauit.*

AD IMMORTALITATEM.] In ſcolio Harmodij apud Athenæum lib. 15. hæc habentur: IV.

Φίλταθ᾽ Ἁρμόδι᾽ οὔπω τέθνηκας
Νήσοις δ᾽ ἐν μακάρων σέ φασιν εἶναι, &c.
Chariſſime Harmodi nondum extinctus es.
In fortunatorum inſulis te aiunt eſſe.

Item:

Αἰεὶ σφῶν κλέος ἔσσεται κατ᾽ αἶαν.
Semper eorum gloria erit per terram.

AXIOMA.

Qui id non negat ex quo nihil petit niſi vt ignoſcatur, non dubitat id fateri ex quo etiam præmia laudis ſunt petenda.

ARGVMENTVM.

Probationi ſuperiorum inſiſtit: quia qui fatetur ſe hominem occidiſſe ſuæ ipſius ſalutis expediendæ cauſſâ, non eſt negaturus id ſe feciſſe propter commodum Reip. ſi veritas pateretur. tum pergit idem probare dilemmate.

ETENIM ſi id non negat, ex quo nihil petit, niſi vt ignoſcatur, dubitaret id fateri, ex quo etiam præmia laudis eſſent petenda? niſi verò gratius putat eſſe vobis, ſui ſe capitis, quàm veſtri defenſorem fuiſſe: cùm præſertim in ea confeſſione, ſi grati eſſe velletis, honores aſſequeretur ampliſſimos: ſin factum vobis non probaretur (quanquam quî poterat ſalus ſua cuique non probari) ſed tamen ſi minùs fortiſſimi viri virtus ciuibus grata cecidiſſet, magno animo conſtantíque cederet ex ingrata ciuitate. nam quid eſſet ingratius, quàm lætari cæteros, lugere eum ſolum, propter quem cæteri lætarentur? LXXXII.

EXPLANATIO.

ETENIM.] *Qui fatetur ſe occidiſſe Clodium vt vitam ſuam defenderet, non dubitaret id à ſe factum confiteri, vt Remp. liberaret.*

Sed Milo fatetur ſe occidiſſe Clodium vt vitam ſuam defenderet.

Ergo non dubitaret fateri id à ſe factum vt Remp. liberaret.

Propoſitio ſic oſtenditur.

Qui fatetur id ſe feciſſe ex quo nihil mercedis ſperat, multò magis id fateretur ex quo præmia laudis eſſent petenda.

Sed id fatetur ſe feciſſe ex quo nihil mercedis ſperat.

Ergo multò magis id fateretur ex quo præmia laudis eſſent petenda.

Nihil autem ſperare potuit mercedis ex eo quòd Clodium occiderat, vitæ tuendæ cauſſà, ſibi enim ſalutíque propriæ, non patriæ commodis ſeruiebat.

MAGNO ANIMO, ET LIBENTER.] Ianus Grutterus ex vno M.S. legit, *& libente*, ſine dubio concinniùs.

SVI SE CAPITIS QVAM VESTRI ORDINIS.] Commodè idem Grutterus. Vox, inquit, *ordinis*, non eſt in Colonienſi, & verè abundat, neque enim Iudicum ordinem intelligit tantùm, quamuis eos alloquatur, ſed per eos συνεκδοχικῶς populum Romanum.

IN EA CONFESSIONE.] Necis illatæ Clodio, vt Remp. defenderet.

CECIDISSET.] Accidiſſet, contigiſſet, ſed aduerte quàm commodè ſuóque loco cadendi verbum vſurpet.

MAGNO ANIMO CONSTANTIQVE] Abſque vlla facti pœnitentia.

EX INGRATA.] Quæ necem ſuæ ſalutis cauſſâ illatam Clodio, non probaret, nec liberatori ſuo gratiam haberet.

NOTÆ.

PRÆMIA LAVDIS.] Marcellus D. de Religioſis & ſumptibus funerum: *Minimè maiores lugendum putauerunt, eum qui ad patriam delendam, & ad parentes & liberos interficiendos venerit: quem ſi filius patrem, aut pater filium occidiſſet, ſine ſcelere, etiam præmio adficiendum omnes conſtituerunt.* Hæc ille, quod olim duos nobiles de Falkenſtein feciſſe notat in eandem legem Dionyſius Gothofredus. Iure igitur Milo præmium laudis expectare debuit, ſi Clodio, qui patriam delere moliebatur, communis ſalutis cauſſa necem intuliſſet. I.

SALVS SVA.] Notum illud è Cicerone de legibus. SALVS POPVLI SVPREMA LEX ESTO. II.

AXIOMATA.

Non poteſt ſalus ſua cuique non probari.

Nihil eſt ingratius quàm lætari cæteros, lugere eum ſolùm propter quem cæteri lætentur.

ARGVMENTVM.

Probat Milonem, etiamſi nulla præmia laudis è facti confeſſione ſperaſſet, tamen negaturum non fuiſſe: quia viri fortes in rectè factis, non præmia ſectantur, ſed ipſa rectè facta, etiamſi periculis & laboribus coniuncta ſint.

QVAMQVAM hoc animo ſemper omnes fuimus in patriæ proditoribus opprimendis, vt quoniam noſtra futura eſſet gloria, periculum quoque, & inuidiam noſtram putaremus. nam quæ mihi contribuenda laus eſſet ipſi, cùm tantum in conſulatu meo pro vobis ac liberis veſtris auſus eſſem, ſi id, quod conabar, ſine maximis dimicationibus meis LXXXIII.

me eſſe auſurum arbitrarer? quæ mulier ſceleratum, ac pernicioſum ciuem occidere non auderet, ſi periculum non timeret? Propoſita inuidia, morte, pœna, qui nihilo ſegniùs Rempub. defendit, is vir verè putandus eſt. Populi grati eſt præmiis afficere benè meritos de Republica ciues: viri fortis, ne ſuppliciis quidem moueri, vt fortiter feciſſe pœniteat.

EXPLANATIO.

QVANQVAM.] Superiùs huiuſmodi dilemma incœperat.

Vel ſperaret præmia ex confeſſione facti, vel non ſperaret.

Sed ſiue ſperaſſet, ſiue non ſperaſſet, non dubitaſſet factum confiteri.

Ergo nullo modo dubitauiſſet confiteri.

Prior pars aſſumptionis eſt plana. nemo enim dubitat id fateri ex quo honores aſſecuturus eſt ampliſſimos. poſterior ſic probatur.

Qui virtutem ipſam, non virtutis præmia ſectatur, is etiamſi præmia non ſperat, tamen quod cum virtute geſſerit non dubitat confiteri.

Sed vir fortis virtutem ipſam, non virtutis præmia, ſectatur.

Ergo etiam ſi virtutis præmia non ſperat, tamen quod præclarè geſſerit non dubitat confiteri.

Milo eſt vir fortis.

Ergo eadem præclarè factam non dubitaſſet confiteri.

Priorem aſſumptionem hîc explanat, cæteras argumentationis huiuſce partes ſilentio inuoluit.

QVANQVAM.] Dici vix poteſt, ad quid particula hæc aduerſatiua referatur, fortaſſe ad illa ſuperiora. fateretur *cùm*, &c. *honores aſſequeretur ampliſſimos.* quanquam in rectè factis id non ſpectauit, ſi Clodium propter Remp. interemit. vel ad illa propinquiora *magno conſtantique animo*, &c. quaſi diceret, quanquam non eſt magnæ conſtantiæ huiuſmodi ingratæ ciuitatis animos ferre: quia vir fortis non propter gratitudinem ciuium, aut mercedem, ſed propter ipſam virtutis honeſtatem operatur, neque ſuo fine fruſtratur, etiamſi ſua virtus minùs grata ceciderit ingratæ ciuitati.

OMNES FVIMVS.] Libenter legerem *homines fuimus.* vt ſe & Milonem intelligat. neque enim vniuersè verum eſt omnes qui patriæ proditores opprimunt, omnem inuidiam & periculum ſibi depoſcere, tamen nihil muto, quod abhorream ab omni ſpecie nouitatis.

IN CONSVLATV.] Cùm L. Catilinam & cęteros coniuratos oppreſſi. commodè verò facit *liberorum* mentionem, vt paternæ pietatis ſenſu iudicum animos demulceat.

QVÆ MVLIER.] Argumentum à contrariis *vir, mulier, periculum non timeret, propoſita morte*, &c.

POPVLI GRATI.] Alia antitheſis longè pulcherrima, *præmiis, ſuppliciis*, qua moralis ſententia continetur.

NOTÆ.

I. Periculum & ſumptus cōmendat virtutem.

QVANQVAM HOC.] Plutarchus in Arato qui vt Corinthum in libertatem vindicaret, aditum ſibi in Acrocorinthum ſexaginta talentis patefieri curauerat. Τίς ἂν οὐ θαυμάζοι καὶ συναγωνίσαιτο ἔτι καὶ νῦν τῇ μεγαλοψυχίᾳ τοῦ ἀνδρὸς, ὠνουμένου χρημάτων τοσούτων κίνδυνον τηλικοῦτον; καὶ τὰ τιμιώτατα δοκοῦντα τῶν κτημάτων ὑποθέντος, ὅπως παρεισαχθεὶς νυκτὸς εἰς τοὺς πολεμίους διαγωνίσηται περὶ τῆς ψυχῆς, ἐνέχυρον λαβὼν τὴν ἐλπίδα τοῦ καλοῦ παρ᾽ αὐτῶν, ἄλλο δὲ μηδέν. *Quis non miretur & etiam nunc faueat illius viri virtuti, qui tantum periculum tantis impenſis ſibi comparauit? & pretioſiſſima quæque ſuarum fortunarum oppignerauit, vt noctu introductus ad hoſtes cum iis de capite dimicaret, ſpem honeſtatis ab ipſis pignori accipiens, aliud verò nihil.* Et meritò quidem. nam, vt ait Pindarus in Olympiis, Ode 5.

Αἰεὶ δ᾽ ἀμφ᾽ ἀρεταῖσι πόνος καὶ δαπά-
-να τε μάρναται πρὸς
Ἔργον κινδύνῳ κεκαλυμμένον.

Semper circa virtutes labor & ſumptus pugnat in opus periculo circundatum. ſicut contrà, quòd ex Ode ſequenti memini me alibi proferre.

-ἀκίνδυνοι δ᾽ ἀρεταὶ
Οὔτε παρ᾽ ἀνδράσιν, οὔτ᾽ ἐν ναυσὶ κοίλαις
Τίμιαι. πολλοὶ δὲ μέ-
-μνανται, καλὸν εἴ τι ποναθῇ.

Quæ ſine periculo ſunt virtutes, neque apud viros, neque in nauibus profundis honoratæ ſunt. multi verò meminerunt ſi quid pulchrum cum labore perfectum eſt. Fortitudo enim in periculis vltro pro honeſtate appetendis elucet. Philoſophus 3. Ethic. Nicom. cap. 7. Ἀνδρείου μὲν τὰ φοβερὰ ἀνθρώπῳ ὄντα καὶ φαινόμενα ὑπομένειν ὅτι καλὸν, καὶ αἰσχρὸν τὸ μή. *Viri fortis eſt, ea quæ terribilia ſunt homini, & apparent ſufferre quia honeſtum eſt, & turpe non ſufferre.* & capite 9. ὁ θάνατος καὶ τὰ τραύματα λυπηρὰ τῷ ἀνδρείῳ, καὶ ἄκοντι ἔσται, ὑπομένει δ᾽ αὐτὰ ὅτι καλὸν, ἢ ὅτι αἰσχρὸν τὸ μή. *Mors & vulnera viro forti etiam inuito pariunt dolorem: ea tamen perfert quia honeſtum eſt, aut quia turpe eſt non perferre.* & ſanè, vt ait octauo polit. cap. tertio. τὸ ζητεῖν πανταχοῦ τὸ χρήσιμον ἥκιστα ἁρμόττει τοῖς μεγαλοψύχοις καὶ τοῖς ἐλευθέροις. *Suam vbique vtilitatem ſectari minimè decet magnanimos, & liberos.* Hinc etiam Milo ille ipſe laudatur in Sextiana 86. *Et tu hoc loco laudas Milonem, & iure laudas. Quem enim vnquam virum tam immortali virtute præditum vidimus, qui nullo præmio propoſito, præter hoc, quod iam contritum ac contemptum putatur, iudicium bonorum, omnia pericula, ſummos labores, grauiſſimas contentiones, inimicitiáſque ſuſcepit?*

INVIDIA.] Hinc illi veteris Poëtæ verſus qui pro Sextio referuntur. 102. II.

-*eſt labor*
Pericla magna, multæ inſidiæ ſunt bonis.
Sed te id quod multi inuideant, multique expetant,
Inſcitia ſit poſtulare conſequi,
Si tu laborem nulla cum cura afferas
Nullum.-

VIR VERE.] Verè fortis & generoſus: ſicut contrà plerumque hominis nomine denotatur imbecillitas naturæ. *Vir à virtute, homo ab humo.* III.

neque id ſolùm apud Latinos, ſed etiam apud Græcos, Hebræos, totúmque paſſim Orientem, ἀνὴρ virum ſignificat, ἄνθρωπος hominem, cuius poſterioris ἔτυμον non eſt in promptu: dicitur vel quaſi ἄνω τρεπόμενος, quòd faciem in cœlum habeat conuerſam, vel vt maluit Plato, quaſi ἀναθρῶν ἃ ὄπωπε, quòd ea quæ vidit conſideret. Hebræi duo nomina habent quæ fragilitatem naturæ demonſtrent, totidem quæ fortitudinem & robur. fragilitatem אָדָם ab אֲדָמָא id eſt *terra*. Itē אֱנוֹשׁ ita dictus, quòd omnibus doloribus ſit obnoxius à radice אנשׁ *doluit*, *infirmatus eſt*. Robur & fortitudinem ſignificant iſta אִישׁ quod eſt ipſa radix, & גֶּבֶר à radice גבר *roboro, fortifico, ſupero*. Neque attinet huc adferre Chaldaica, Syriaca, aut Arabica, quòd Hæbræis ad amuſſim reſpondeant. vt hæc tabella indicabit.

Hebraicè אָדָם	Chaldaicè אָדָם	Syriacè ܐܳܕܳܡ	Arabicè آدَمُ
Hebraicè אֱנוֹשׁ	Chaldaicè אֱנָשׁ	Syriacè ܐܶܢܳܫܳܐ	Arabicè إِنْسَانٌ
Hebraicè אִישׁ	Chaldaicè אִישָׁא	Syriacè ܓܰܒܪܳܐ	Arabicè رَجُلٌ
Hebraicè גֶּבֶר	Chaldaicè גְּבַר	Syriacè ܓܰܒܪܳܐ	Arabicè جَبَّارٌ

AXIOMATA.

Quorum futura eſt gloria periculum quoque & inuidiam ſuam eſſe putent

Nulla ei contribuenda laus eſt, qui, id quod conatur ſine maximis ſuis dimicationibus ſe eſſe auſurum arbitratur.

Propoſitâ inuidiâ, morte, pœnâ qui nihilo ſegniùs Remp. defendit, is vir verè putandus eſt

Populi grati eſt præmiis afficere bene meritos de Rep. ciues: viri fortis ne ſuppliciis quidem moueri, vt fortiter feciſſe pœniteat.

ARGVMENTVM.

Concluſo dilemmate ait vtilitatem quæ ex Clodij nece in Remp. redundauit, non conſiliis Milonis, qui non Reip. prodeſſe, ſed ſolùm vitam ſuam Clodij inſidiis appetitam defendere cogitarat, ſed diuinæ prouidentiæ eſſe tribuendam. neminémque id negare poſſe docet, præter atheos, quorum abſurditatem multis rationibus demonſtrat.

QVAMOBREM vteretur eadem confeſſione T. Annius, qua Ahala, LXXXIV. qua Naſica, qua Opimius, qua Marius, qua noſmetipſi: &, ſi grata Reſpublica eſſet, lætaretur: ſi ingrata, tamen in graui fortuna, conſcientiâ ſuâ niteretur. Sed huius beneficij gratiam, Iudices, fortuna populi Romani, & veſtra felicitas, & Dij immortales ſibi deberi putant. Nec verò quiſquam aliter arbitrari poteſt, niſi qui nullam vim cæleſtem exiſtimat, numénve diuinum, quem neque imperij veſtri magnitudo, neque ſol ille, nec cæli, ſignorúmque motus, nec viciſſitudines rerum, atque ordines mouent, neque id, quod maximum eſt, maiorum ſapientia, qui ſacra, qui ceremonias, qui auſpicia & ipſi ſanctiſſimè coluerunt, & nobis ſuis poſteris prodiderunt.

EXPLANATIO.

QVAMOBREM.] Concluſio dilemmatis quæ pluribus exemplis roboratur.

QVA HALA.] Seruilius, qui magiſter equitum, Spurium Melium noua molientem, & L. Quintio Dictatori ſiſtere ſe recuſantem occidit. *qua Naſica*, qui Tiberium Gracchum turbas excitantem legibus agrariis. *qua Opimius*, qui C. Gracchum Tiberij fratrem Iudicia à Patribus ad Equites transferentem, & alia turbantem. *qua Marius*, qui Saturninum occupato Capitolio noua molientem iuſſit interfici. *qua noſmetipſi*, qui Cethegum, Lentulum, & alios coniuratos iuſſimus in carcere iugulari.

LÆTARETVR.] Gauderet fructum & præmia reſponderent ſuæ virtuti.

SI INGRATA.] Si Reſpub. ipſius virtute liberata gratiam non referret, ſeipſum rei præclarè, & cum virtute geſtæ conſcientiâ conſolaretur.

SED HVIVS.] Milo ſibi non petit vllum præmium quod Clodium occiderit, id enim ſe ſuæ ſalutis non Reipub. cauſſa feciſſe confitetur: Fortunæ Publicæ & Diis ipſis gratiæ ſunt agendæ, qui vno & eodem facto non ſolùm ſaluti Milonis, ſed etiam Reip. conſultum eſſe voluerunt.

NEC VERÒ.] Nemo putabit huius facti gloriam alteri quàm Deo eſſe tribuendam, niſi atheus.

NISI QVI.] Lambinus legit ex MS. *Niſi qui nullam vim eſſe ducit numénve diuinum*. Cui adſtipulatur Ianus Grutterus trium codicum auctoritate fretus.

QVEM.] Adfert rationes quibus probari poteſt eſſe Deum, quæque potuerant atheos illos à ſuo errore & impietate deducere. Prima eſt *Imperij Romani magnitudo.* quod ſine diuina prouidentia non poterat adeò propagari, quódque videbatur eam amplitudinem eſſe conſequutum, propter Romanorum religionem: Ergo Deus eſt qui ita ſuos cultores munerauit.

NEQVE SOL.] Altera ratio eſt cœli motus, rerum viciſſitudo, diſcors elementorum concordia, & cætera huiuſmodi quæ cohærere non poſſent, niſi ea Deus aliquis temperaret.

MAIORVM SAPIENTIA.] Tertia ratio petitur à maiorum auctoritate, qui numen aliquod eſſe crediderunt, religiones inſtituerunt, & ſanctiſſimè coluerunt.

NOTÆ.

I. Fortuna. FORTVNA POP. ROM.] De hac Dea & conſuetudine loquendi multa ſuperiùs 6. de hac eadem Ouidius in faſtis menſe Maio.

Nec te prætereo populi Fortuna potentis
Publica, cui templum luce ſequente datum eſt.

Vide quæ noſter Andreas Schottus nodis Ciceronianis notauit. Cur autem hîc Felicitatem à Fortuna diſtinxerit, rationem ab Auguſtino poteris arceſſere cap. 18. lib. 4. de Ciuit. *Fœlicitas illa eſt, quam boni habent præcedentibus meritis. Fortuna verò quæ dicitur bona, ſine vllo examine meritorum, fortuitò accidit hominibus & bonis & malis, vnde etiam Fortuna nominatur.* Felicitas. ſed iam hæc loco citato diſcuſſimus, vbi & felicitatem à Lucullo conſecratam fuiſſe oſtendimus.

Tantum relligio potuit ſuadere Deorum.

Mihi tamen religio fuerit Philemonis Comici verſus longè pulcherrimos præterire, quippe qui Clementi Alexandrino & aliis Patribus vehementer arriſerint.

Οὐκ ἔστιν ἡμῖν οὐδεμία τύχη θεός.
Οὐκ ἔστιν, ἀλλὰ ταὐτόματον, ὃ γίνεται
Ὡς ἔτυχε, ἑκάστῳ προσαγορεύεται τύχη.
Fortuna nobis nulla dominatur Deus,
Nulla dominatur, ſed quod incertus vehit
Cuique caſus, quiſque Fortunam vocat.

II. NISI QVI NVLLAM VIM.] Præclarè Maximus Tyrius prima concione. Εἰ δ' ἐγένοντο ἐν τῷ ξύμπαντι αἰῶνι δύο που ἢ τρεῖς ἄθεον, καὶ ταπεινὸν, καὶ ἀναισθὲς γένος, καὶ πεπλανημένον μὲν τοῖς ὀφθαλμοῖς, ἐξηπατημένον μὲν ταῖς ἀκοαῖς, ἐκτετμημένον δὲ τὴν ψυχὴν, Athei. ἄλογον, καὶ ἄγονον, καὶ ἄκαρπον, ὡς ἄθυμος λέων, ὡς βοῦς ἄκερως, ὡς ὄρνις ἄπτερος, καὶ παρὰ τούτου ὅμως τοῦ γένους πεύσῃ τὸ θεῖον. ἴσασι γὰρ οὐχ ἑκόντες, καὶ λέγουσιν ἄκοντες, κἂν ἀφέλῃς αὐτοῦ τὸ ἀγαθὸν, ὡς Λεύκιππος, κἂν προσθῇς τὸ ὁμοπαθὲς, ὡς Δημόκριτος. κἂν μεταλλάξῃς τὴν φύσιν, ὡς Στράτων. κἂν δῷς τὴν ἡδονὴν, ὡς Ἐπίκουρος. κἂν μὴ εἶναι φῇς, ὡς Διαγόρας. κἂν ἀγνοεῖν τι φῇς, ὡς Πρωταγόρας. *Si verò poſt homines natos duo tréſve fuerunt, viliſſimum hominum genus, ſine Deo, ſine ſenſu, oculis errans, auribus deceptu, animo exectu, ſine ratione, ſterile, infœcundum, vt leo ſine ira, bos ſine cornibus, auis ſine penna, ab hoc nihilo ſecius hominum genere diuinitatẽ intelliges: ſciunt enim vel nolentes, & loquuntur inuiti, ſiue bonum ab illa ſeiunxeris vt Leucippus, ſiue paßionibus obnoxiam finxeris, vt Democritus, ſiue naturam mutaris, vt Straton. ſiue voluptatem affinxeris, vt Epicurus, ſiue penitùs negaris, vt Diagoras, ſiue te naturam eius ignorare dixeris, vt Protagoras,* &c. Quare meritò præceptor eius Plato dicebat decimo de Legibus, quo penè toto cõtra atheos diſputatur: Φράζοιμ' ἂν τὸ μηδένα πώποτε λαβόντα ἐκ νέου ταύτην τὴν δόξαν περὶ θεῶν, ὡς οὐκ εἰσὶ, διατελέσαι πρὸς γῆρας μείναντα ἐν ταύτῃ τῇ διανοήσει. *Dicere auſim neminem vnquam, qui à pueritiâ hanc de Diis, quod non ſint, opinionem ſumpſerit, ad ſenectutem vſque in ſententiâ perſtitiſſe.* E Chriſtianis Arnobius aduerſus Gentes lib. 2. pulcherrimè. *Quiſquamne eſt hominum, cui non cum iſtius Principis notione diem primæ natiuitatis intrauerit, qui non ſit ingenitum, non affixum, immò ipſis penè in genitalibus matris non impreſſum, non inſitum eſſe Regem & dominum, cunctorum quæcumque ſunt moderatorem? ipſa denique hiſcere ſi animantia muta potuiſſent, ſi in linguarum noſtrarum facilitatem ſolui, imò ſi arbores, glebæ, ſaxa, ſenſu animata vitali vocis ſonitum quirent, & verborum articulos integrare, ita non duce naturâ, & magiſtrâ, non incorruptæ ſimplicitatis fide, & intelligerent eſſe Deum, & cunctorum dominum ſolum eſſe clamarent?* Adeò vt illi ipſi qui vocati ſunt Athei ne videantur quidem Deos penitùs ſuſtuliſſe: ſi Athenagoræ apologia pro Chriſtianis fidem habemus. Διαγόρᾳ μὲν γὰρ εἰκότως ἀθεότητα ἐνεκάλουν Ἀθηναῖοι μὴ μόνον τὸν Ὀρφικὸν εἰς μέσον κατατιθέντι λόγον, καὶ τὰ ἐν Ἐλευσῖνι, καὶ τὰ τῶν Καβείρων δημεύοντι μυστήρια, καὶ τὸ τοῦ Ἡρακλέους, ἵνα τὰς γογγύλας ἕψοι, κατακόπτοντι ξόανον, &c. Vix vlli ſunt athei. *Diagoræ Athenienſes non immeritò Atheiſmi crimen intulerunt, quòd non modò arcanos Orphei ſermones in medium protuliſſet, ſed etiam quod Cereris Eleuſinæ & Cabirorum myſteria publicaſſet, fregißétque Herculis ſimulacrum ad coquendos piſciculos.* Cauſam autem profert Heſychius Illuſtrius quæ Diagoram induxit, vt Deos adeò contemneret. Διαγόρας ἐπεκλήθη ἄθεος, ὅτι ὁμότεχνός τις αἰτιαθεὶς ὑπ' αὐτοῦ ὡς δὴ παιᾶνα ὑφῃρημένος, ὃν αὐτὸς ἐπεποίηκει, ἐξωμόσατο μὴ κεκλοφέναι αὐτόν. μικρὸν δ' ὕστερον ἐπιδειξάμενος αὐτὸν εὐημέρησεν. *Diagoras Atheus cognomento dictus fuit, quod eiuſdem artis profeſſor accuſatus pæanis, quem ipſe fecerat furto ſubrepti, ille ſe non ſubripuiſſe iurauit, & paucis poſt diebus eo recitato, ei bene ſucceßit.* Bion, vt idem refert, Deos, quos ſanus negauerat, ægrotus eſſe conceſſit. de quo verſus non illepidi.

Μωρὸς δ' ὃς ἤθελέ τινος μισθοῦ τὸ θεῖον εἶναι,
Ὡς τῶν θεῶν ὄντων ὅταν Βίων θέλῃ νομίζειν.
Demens qui voluit aliquo pretio Deos eſſe,
Tanquam Dij ſint, cùm Bion volet putare.

Theodorus etiam vocatus eſt Atheus. tamen vt opuſculo περὶ εὐθυμίας, ait Plutarchus, κληθεὶς ἄθεος ἔλεγε τῇ δεξιᾷ τοὺς λόγους ὀρέγοντος αὐτοῦ τῇ ἀριστερᾷ δέχεσθαι τοὺς ἀκροωμένους. *Cùm atheus diceretur, ab auditoribus dicebat ſiniſtra ſumi ſermones, quos ipſe dextra manu exhiberet.* Porrò mirum non fuerit oratorem pòſt quàm Deorum fecit mentionem, cùm in diuinitatis probatione verſatur, Deum dicere nomine veritatis. Si quidem diuinitas probari non poteſt, quin iiſdem argumentis diuinitatis vnitas comprobetur. Tertullianus de teſtimonio animæ. *Hinc ergo tibi anima de conſcientia ſuppetit, domi ac foris nullo irridente, vel prohibente prædicare, Deus videt omnia & Deo commendo, & Deus reddet, & Deus inter nos iudicabit. vnde hoc tibi non Chriſtianæ? atque hoc plerumque & vitta Cereris redimita, & pallio Saturni coccinata, & Deæ Iſidis linteata in ipſis denique templis Deum Iudicem imploras, ſub* Verus Deus.

*Æſculapio ſtans, Iunonem in aëre exorans, Mineruam calcias furnis galeam * formis, & neminem de præſentibus Deus conteſtaris, in tuo foro aliunde Iudicem appellas, in tuis templis alium Deum pateris. O teſtimonium veritatis.* non ſum Machaon, conabor tamen adferre medicinam, lego, *ſub Æſculapio ſtas, Iunonem in aëre exornas, Mineruam calcias furens, galeam formas.* vt ita legerem perſuaſit Seneca libro de Superſtitione, apud Auguſtinum libro ſexto de Ciuitate Dei, cap. decimo. facta de ſacris Iſidis & Oſiridis mentione: *Tolerabile eſt*, inquit, *ſemel in anno inſanire, in Capitolium perueni, pudebit publicatæ dementiæ, quod ſibi vanus furor attribuit officij, alius numina Deo ſubiicit, alius horas Ioui nuntiat, alius lictor eſt. alius vnctor, qui vano motu brachiorum imitatur vngentem. Sunt quæ Iunoni ac Mineruæ capillos diſponant, longè à templo, non tantùm à ſimulachro ſtantes, digitos mouent ornantium modò, ſunt quæ ſpeculum teneant*, &c. è poſtremis verbis intelligis illa, *Iunonem in aëre exornas.* è primis vides cur legerim *furens*, non *furnis. Mineruam calciare*, eſt, ni fallor, phæcaſium pedi ſimulachri inducere, vel ſaltem longè à ſtatuâ Mineruæ geſticulationibus quibuſdam calciantem imitari. nam phæcaſiis calciata fuiſſe græcanica Deorum ſimulachra liquet è Iuuenale ſat. 3.

Phæcaſium.

Phacaſianorum vetera ornamenta Deorum.

Quod vt de Mineruâ Athenienſium Deâ potiſſimùm intelligam, iubet Appianus 4. ciuilium. apud quem Antonius Alexandriæ exiſtens: καὶ στολὴν εἶχε τετράγωνον Ἑλληνικὴν ἀντὶ τῆς πατρίου, καὶ ὑπόδημα τὸ αὐτῷ λευκὸν Ἀττικὸν, ὃ καὶ Ἀθηναίων ἔχουσιν ἱερεῖς, καὶ Ἀλεξανδρέων, καὶ καλοῦσι φαικάσιον. *Et veſtem Græcam habebat quadrangulam, pro Romanâ, & calceos Atticos, quibus Attici & Alexandrini ſacerdotes vtuntur, candidos, quos vocant phacaſia.* vides duarum litterarum mutatio *furnis* & *formis*, pro *furens* & *formas*, quantum tenebrarum inuexerat. quo fit, vt priuſquàm hinc diſcedam ſollicitare non verear, & illum Senecæ citati locum, *alius numina Deo ſubiicit.* vt vel idem ſit atque, parua Deorum ſigna ad Iouis pedes deponere, vel potiùs legatur, *lumina*, & idem ſit atque cereos & candelas ad ſimulachri pedes accendere. ne ſim longior, vtrumque vna confirmabit auctoritas Ammiani Marcellini lib. 22. agentis de Daphnæi Antiocheni incendio. *Aſclepiades philoſophus*, &c. *cùm viſendi gratiâ Iuliani ad id ſuburbium veniſſet, Deæ Cœleſtis argenteum breue figmentum, quocunque ibat ſecum ſolitus afferre, ante pedes ſtatuit ſimulachri (Iouis* Olympij) *ſublimes, accenſiſque cereis ex vſu, ceſſit*, &c. Sed de fumo, quod aiunt, ad flammam, & de furno ad carbonariam. quare ad inſtitutum redeamus. Tertullianus idem de reſurrectione carnis initio: *Quædam enim & naturâ nota ſunt, vt immortalitas animæ penes plures, & Deus noſter penes omnes*, &c. *vtar, & conſcientia populi conteſtantis Deum Deorum: vtar & reliquis communibus ſenſibus qui Deum iudicem prædicant, Deus videt, & Deo commendo.* Vide apud Minutium Fœlicem omnium penè philoſophorum de vnitate Dei ſententias, nos ex aliis magni nominis ſcriptoribus pauca libabimus. E Barbaris philoſophis antiquiſſimi & maximi fuerũt Æſculapius & Mercurius Triſmegiſtus. hic in Pimandro ea parte dialogi quæ Νοῦς inſcribitur, tum multas alias rationes adfert, tum hæc ait: Καὶ γὰρ μία ψυχὴ, καὶ μία ζωὴ, καὶ μία ὕλη, &c. εἷς οὖν ὁ θεός. *Et enim vna eſt anima, vna vita, vna materia*, &c. *igitur vnus Deus.* Item: Καὶ τὸν μὲν κόσμον ὁμολογήσας ἕνα εἶναι, καὶ τὸν ἥλιον ἕνα, καὶ τὴν Σελήνην μίαν, καὶ θειότητα μίαν, αὐτὸν δὲ τὸν θεὸν ποσὸν εἶναι θέλεις; *Cùm vnum mundum eſſe fatearis, vnúmque Solem, Lunam item vnam, atque vnicam diuinitatem, ipſum Deum quotum eſſe ais?* Ille in definitionibus ad Ammonem Regem: ἄρξομαι δὲ τοῦ λόγου ἔνθεν τὸν θεὸν ἐπικαλεσάμενος τὸν τῶν ὅλων δεσπότην, καὶ ποιητὴν καὶ πατέρα, καὶ περίβολον, καὶ πάντα ὄντα τὸν ἕνα, καὶ ἕνα ὄντα τὰ πάντα. τὸν πάντων γὰρ τὸ πλήρωμα ἕν ἐστι, καὶ ἐν ἑνί. *Sermonem hinc auſpicabor, Deum omnium dominum, factorem, patrem ac ſeptum implorans, ac omnia vnũ exiſtentia, & vnum omnia exiſtentem. nam omniũ plenitudo vnum eſt, & in vno.* Item: οὐδεὶς οὐδὲν δύναται οὔτε δαιμόνων, οὔτε θεῶν πρὸς μίαν ἀκτῖνα τοῦ θεοῦ. *Nihil omnino poteſt quiſquam ſiue dæmonum, ſiue Deorum aduerſus vnum radium Dei.*

Philoſophorum de Dei vnitate ſententiæ.

Apud Græcos Pythagoras Italicæ, Thales Ionicæ philoſophiæ principes extiterunt, vt oſtendunt Auguſtinus & Laërtius. Pythagoræ verba Iuſtinus Martyr adfert exhortatione ad Græcos. ὁ μὲν θεὸς εἷς. αὐτὸς δ' οὐχ ὥς τινες ὑπονοοῦσιν, ἐκτὸς τᾶς διακοσμήσιος, ἀλλ' ἐν ἑαυτῷ ὅλος ἐν ὅλῳ τῷ κύκλῳ ἐπισκοπῶν πάσας τὰς γενέσιας ἐστὶν, κρᾶσις ἐὼν τῶν ὅλων αἰώνων, καὶ ἐργάτας τῶν αὐτοῦ δυνάμιων καὶ ἔργων. ἀρχὰ πάντων, ἕν, ἐν οὐρανῷ φωστὴρ καὶ πάντων πατὴρ, νοῦς καὶ ψύχωσις τῶν ὅλων, κύκλων ἁπάντων κίνασις. οὕτω μὲν οὖν ὁ Πυθαγόρας. *Deus vnus eſt. Ipſe verò, non, vt quidam exiſtimant, eſt extra mundum, ſed in ſeipſo, totaliter, in toto circulo, conſiderans omnes generationes, temperies omnium ſeculorum, ſuarum virtutum & operum effector. principium omnium, vnum, in cœlo luminare & omnium pater, mens & animatio vniuerſi, motus omnium ſeculorum. hactenus Pythagoras.* πατὴρ, νοῦς καὶ ψύχωσις, an eum quædam aura ſanctiſſimæ Trinitatis afflauerat? ſed nihil aſſero. De Thalete Athenagoras apologia pro Chriſtianis: Πρῶτος Θαλῆς διαιρεῖ, ὡς οἱ τὰ ἐκείνου ἀκριβοῦντες μνημονεύουσιν, εἰς θεὸν, εἰς δαίμονας, εἰς ἥρωας; ἀλλὰ θεὸν μὲν, τὸν νοῦν τοῦ κόσμου ἡγεῖ. δαίμονας δὲ οὐσίας νοεῖ ψυχικὰς, καὶ ἥρωας τὰς κεχωρισμένας ψυχὰς τῶν ἀνθρώπων. *Primus Thales diuidit, vt qui in eius doctrina verſati ſunt, memoriæ tradiderunt, in Deum, in dæmonas, in heroas, ſed Deum quidem mentem mundi arbitratur. Dæmonas verò ſubſtantias quaſdam rationales intelligit, & Heroas hominum animas à corporibus ſeparatas.* Sic enim lego, cùm antè legeretur τα ἐκείνῳ διαιρεοῦντες, ἀκριβοῦντες, & ἄγει pro ἡγεῖ. Atque illi quidem philoſophiæ Principes diſertis verbis animi ſui ſenſum protulerant: ſecuti philoſophi, tempori & popularibus erroribus ſeruientes, ænigmaticè loqui maluerunt. de Pythagoreis idem Athenagoras: Λύσις δὲ καὶ Ὀψει, vox corrupta quæ pro nomine philoſophi neſcio cuius irrepſit, ὁ μὲν ἀριθμὸν ἄρρητον ὁρίζεται τὸν θεὸν, ὁ δὲ τοῦ μεγίστου τῶν ἀριθμῶν τὴν παρὰ τὸν ἐγγυτάτων, lege τὴν παρὰ τὸν ἐγγυτάτω ὑπεροχήν. εἰ δὲ μέγιστος μὲν ἀριθμὸς ὁ δέκα κατὰ τοὺς Πυθαγορικοὺς ὁ τετρακτύς τε ὢν καὶ τοὺς ἀριθμητικοὺς, καὶ τοὺς ἁρμονίους περιέχων λόγους, τούτῳ δ' ἐγγὺς παράκειται ὁ ἐννέα, μονάς ἐστιν ὁ θεὸς, τοῦτ' ἔστιν, εἷς. ἑνὶ γὰρ ὑπερέχει ὁ μέγιστος τοῦ ἐγγυτάτω ἀριθμὸν αὐτοῦ. *Lyſis verò & Opſ. alter ineffabilem numerum Deum eſſe definit, alter eam diſtantiam qua maximus numerorum proximum excedit. Si verò, ſecundum Pythagoreos, maximus numerorum eſt denarius, quippe qui quaternarium*

Dei vnitas.

Mercurius Triſmegiſtus.

& omnes tum arithmeticas, tum harmonicas rationes complectitur, huic verò proximus eſt nouenarius, Deus eſt monas, id eſt vnus. vno enim maximus numerorum ſibi proximum excedit. E philoſophis Ionicis familiam duxerunt Plato & Ariſtoteles. Vterque Dei agnouit vnitatem, & fortaſſe etiam Plato trinitatem, vt videre eſt ep. 2. 6. 13. ſed veritus, ne ſi Deum vnum prædicaret, eodem quo magiſter ipſius Socrates ſupplicio plecteretur, ſtatuit vel nihil de vnitate Dei in lucem edere, vel rerum veritatem ænigmatum quibuſdam integumentis inuoluere. Sic enim epiſtola 2. Φραστέον δή σοι δι' αἰνιγμῶν, ἵνα ἄν τι ἡ δέλτος ἢ πόντου ἢ γῆς ἐν πτυχαῖς πάθῃ, ὁ ἀναγνοὺς μὴ γνῷ. ὧδε γὰρ ἔχει. περὶ τὸν πάντων βασιλέα πάντα ἐστὶ, καὶ ἐκείνου ἕνεκα πάντα. καὶ ἐκεῖνος αἴτιον ἁπάντων τῶν καλῶν. δεύτερον δὲ περὶ τὰ δεύτερα, καὶ τρίτον περὶ τὰ τρίτα. *Tibi per ænigmata dicendum eſt, vt ſicubi terrarum vel maris hæc tabella quoquam deuenerit, legens non intelligat. ſic enim ſe res habet. circa omnium Regem, & eius cauſa ſunt vniuerſa, & ille cauſa eſt omnium bonorũ, ſecundũ circa ſecunda, tertiũ circa tertia.* & aliquãtò pòſt: Διὰ ταῦτ' οὐδὲν ἐγὼ περὶ τούτων γέγραφα. οὐδ' ἔστι σύγγραμμα Πλάτωνος οὐδὲν, οὐδ' ἔσται. τὰ δὲ νῦν λεγόμενα Σωκράτους ἐστὶ καλοῦ καὶ νέου γεγονότος. *Has ob cauſſas de his nihil ſcripſi, neque vllum Platonis ſcriptum extat aut extabit. Quæ verò nunc dicuntur ſunt egregij Socratis, cùm adhuc iuuenis eſſet.* O Plato, Plato! *Vſque adeóne mori miſerum eſt?* ſed, vt omittam quæ dicuntur in Timæo, & alibi paſſim. Quid eſt illud quæſo epiſt. 6. τὸν τῶν πάντων θεὸν ἡγεμόνα τῶν τ' ὄντων καὶ τῶν μελλόντων, τοῦ τε ἡγεμόνος, καὶ αἰτίου πατέρα κύριον ἐπομνύντας, &c. *Omnium Deum rectorem & exiſtentium & futurorum, & Rectoris & cauſæ Patrem dominum iurantes.* Ariſtoteles & ipſe probat primæ intelligentiæ, ſiue motoris vnitatem 8. Phyſic. & cap. vltimo 12. metaphyſicorum quod in hæc verba concludit.

Οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη, εἷς κοίρανος ἔστω.
Non bona res multi domini, Rex vnicus eſto.

Sed ſuo more obſcuriùs, nec mihi ſatis liquet vtrum formam primi mobilis, informantem intelligat. præſentis non eſt otij rem in omnibus philoſophorum pulpitis ventilatam expendere. nunc videamus vtrum Poëtæ liberiùs & liquidiùs animi ſui ſenſum exprompſerint. Iuſtinus libro de monarchia Dei, Clemens Alexandrinus quinto Stromatum, Euſebius lib. 13. præparat. Euangelicæ, & alij multa Poëtarum teſtimonia conglobarunt, nos pauca de multis. Ariſtobulus Peripateticus apud Euſebium citat hos Orphei verſus.

Εἷς ἔστ' αὐτοτελὴς, αὐτοῦ δ' ὑπὸ πάντα τελεῖται.
Vnus perfectus per ſe eſt, per quem omnia fiunt.
Οὐδέ τις ἔσθ' ἕτερος.
Nec quiſquam eſt alius.

Sed dubitari poteſt vtrum germana Orphei poëſis ad nos vſque peruenerit. quæ enim ex Orpheo citantur etiam à ſanctis Patribus Onomacrito tribuuntur. Clemens primo ſtromatum. Ὀνομάκριτος ὁ Ἀθηναῖος οὗ τὰ εἰς Ὀρφέα φερόμενα ποιήματα λέγεται εἶναι. *Onomacritus Athenienſis cuius eſſe dicuntur ea poëmata, quæ Orpheo tribuuntur.* Xenophanes Colophonius.

Εἷς θεὸς ἔν τε θεοῖσι καὶ ἀνθρώποισι μέγιστος,
Οὔτε δέμας θνητοῖσιν ὁμοίϊος, οὐδὲ νόημα.
Maximus eſt ſuperis Deus & mortalibus vnus,
Non animo eſt hominum ſimilis, nec corpore cuiquam.

Parmenides:

Πολλὰ μάλ' ὡς ἀγένητον ἀεὶ, καὶ ἀνώλεθρόν ἐστι
Μοῦνον, μουνογενές. δὲ ἀγένητον, lege ἀδίνητον.
Ingenitum, nullo periturum tempore, ſolum,
Vnigenum. ſtabile, haud concuſſum motibus vllis.

Vide interim quàm κακοήθως, Ariſtoteles Parmenidis orationem à Deo & auctore naturæ vno & immobili ad naturam ipſam detorſerit. Pergit Clemens: ὁ μὲν γὰρ Σοφοκλῆς, ὥς φησιν Ἑκαταῖος, ὁ τὰς ἱστορίας συνταξάμενος, ἐν τῷ κατ' Ἅβραμον καὶ τοὺς Αἰγυπτίους, ἄντικρυς ἐπὶ τῆς σκηνῆς ἐκβοᾷ.

Εἷς ταῖς ἀληθείαισιν, εἷς ἐστὶν θεὸς,
Ὃς οὐρανόν τέτευχε, καὶ γαῖαν μακρὴν,
Πόντου τε χαροπὸν οἶδμα κἀνέμων βίας.
Θνητοὶ δὲ πολλοὶ καρδίαν πλανώμενοι,
Ἱδρυσάμεσθα πημάτων παραψυχὴν
Θεῶν ἀγάλματ' ἐκ λίθων ἢ χαλκέων,
Ἢ χρυσοτεύκτων, ἢ ἐλεφαντίνων τύπους.
-vnus vnus eſt verè Deus
Qui fecit orbes ætheris, vaſtum ſolum
Pontíque fluctus atque ventorum impetus.
Homunciones cordis errore ebrij
Vanum doloris ſtatuimus ſolatium
Simulacra Diuum, ex ære, vel ſaxo, vel ex
Auro vel ebore.-

Statius 4. Thebaidos:

Et triplicis mundi ſummum quem ſcire nefaſtũ,
Ipſum ſed taceo.

Quem in verſum auctor eſt Luctatius ex Pythagoræ, Platonis, & Tagetis ipſius, Perſarum & Magorum ſententiâ Deum eſſe quendam ineffabilem, cuius nomen ſciri non poſſet, maiorem & ſuperiorem iis Diis qui in templis colerentur, de quo Valerius Soranus apud Auguſtinum à Varrone explicatus:

Iupiter omnipotens Regum, rerúmque, Deúmque
Progenitor, genitrixque ſimul, Deus vnus, & omnis.

IMPERII VESTRI MAGNITVDO.] III. Imperij Romani magnitudo.
Quia nimirum ſiue diuina prouidentia coaluiſſe non potuit tanta imperij magnitudo. de Haruſp. reſp. 19. *Nec numero Hiſpanos, nec robore Gallos, nec calliditate Pœnos, nec artibus Græcos, nec denique hoc ipſo eius gentis ac terræ domeſtico natiuóque ſenſu Italos ipſos ac Latinos, ſed pietate ac religione, atque hac vna ſapientia quod Deorum immortalium numine omnia, regi gubernaríque perſpeximus, omnes gentes natiońſque ſuperauimus.* hinc oſtendit *eorum numine totum imperium eſſe natum, auctum & retentum.* adſtipulatur Auguſtinus lib. 5. de Ciuitate, quamuis id virtutibus magis, quàm religioni tribuit.

SOL ILLE.] Lucretius lib. 5. IV. Sol.

An quia ſol idem ſub terris ille renaſcens
Anticipat cœlum radiis accedere tentans?

Addit *ille*, vel quòd intento digito ſolem oſtenderet, vel amplificandi cauſa. quemadmodum, vt notat Turnebus, Plautus in Moſellaria ſcen. *Iuppiter ſupremus* ait:

Ita ille faxit Iuppiter, videlicet vel qui illic eſt in cœlo, vel præpotens Deus. Amphitryone ſcen. 1. *Quod ille faciat Iuppiter.* Curcullione ſcen. 1.

Nec me ille ſirit Iuppiter.

Iure autem à ſole probationem diuinitatis accerſit, cùm ſit omnium rerum ſpectabilium longè pulcherrimus. vnde factum eſt vt ab omnibus prope gentibus Deus crederetur. de quo Æſculapius ad Ammonem: Μίσος γὰρ ἵδρυται στεφανηφορῶν

φορῶν τὸν κόσμον. καὶ καθάπερ ἡνίοχος ἀγαθὸς τὸ τοῦ κόσμου ἅρμα ἀσφαλισάμενος, καὶ ἀναδήσας εἰς ἑαυτόν, μή πως ἀτάκτως φέρηται· εἰσὶ δὲ αἱ ἡνίαι ζωὴ καὶ ψυχὴ, καὶ πνεῦμα, καὶ ἀθανασία. *Medius namque conſidens mundum corona cingit: & boni aurigæ inſtar omnem mundi currum in ſeipſum firmat & alligat: ne temerè feratur. ſunt autem habenæ vita, anima, ſpiritus, immortalitas.* vide planè Solem Ægyptios pro Deo coluiſſe tradit Porphyrius apud Euſebium lib. 3. de præpar. Euang. & lib. primo ex Theophraſto: Ταύτῃ τῶν φαινομένων οὐρανίων τῇ θυσίᾳ δεξιούμενοι, καὶ τῷ πυρὶ ἀπαθανατίζοντες αὐτοῖς τὰς τιμάς. τούτοις γὰρ καὶ τὸ πῦρ ἐφύλαττον ἀθάνατον ἐν τοῖς ἱεροῖς, ὡς ὂν μάλιστ' αὐτοῖς ὁμοιότατον. *Hoc ſacrificio Deorum numina apparentium venerantes, iiſque honoris cauſſa ignem conſecrantes. his enim & ignem immortalem ſeruabant in templis, quòd iis ſit quàm ſimillimus.* De Phœnicibus ibidem Sanchoniaton Berytenſis Philone Biblio interprete. Φυσικοὺς δὲ ἥλιον καὶ σελήνην, καὶ τοὺς λοιποὺς πλανήτας ἀστέρας, &c. θεοὺς μόνους ἐγίνωσκον. *Naturales verò Solem, Lunam, & cæteros planetas, &c ſolos Deos agnoſcebant.* De Pæonibus Maximus Tyrius 38 concione. Παίονες σέβουσι μὲν ἥλιον, ἄγαλμα δὲ ἡλίου Παιονικὸν δίσκος βραχὺς ὑπὲρ μακροῦ ξύλου. *Pæones quidem Solem adorant, at Solis ſimulachrum Pæonicum, eſt diſcus paruus longæ perticæ impoſitus.* De Perſis res notiſſima, alios omitto. Tertullianus apologetico cap. 16. *Alij plane humanius & veriſimilius Solem credunt Deũ noſtrum. ad Perſas, ſi fortè, deputabimur, licet Solẽ non in linteo depictum adoremus, habentes ipſum vbique in ſuo clypeo. Denique inde ſuſpicio, quod innotuerit nos ad orientis regionem precari, ſed & plerique veſtrûm, affectatione aliquando & cœleſtia adorandi, ad ſolis ortum labia vibratis.* De Græcis antiquis Plato in Cratylo. Φαίνονταί μοι οἱ πρῶτοι τῶν ἀνθρώπων τῶν περὶ τὴν Ἑλλάδα, τούτους μόνους θεοὺς ἡγεῖσθαι, οὕσπερ νῦν πολλοὶ τῶν βαρβάρων, ἥλιον καὶ σελήνην, καὶ γῆν, καὶ ἄστρα καὶ οὐρανόν. ἅτ' οὖν αὐτὰ ὁρῶντες πάντα ἀεὶ ἰόντα δρόμῳ καὶ θέοντα, ἀπὸ ταύτης τῆς φύσεως, τῆς τοῦ θεῖν, θεοὺς αὐτοὺς ἐπονομάσαι. *Videntur mihi primi mortales qui Græciam incoluerunt hos Deos ſolos arbitrati fuiſſe, vt etiam nunc plerique barbarorum, ſolem, & lunam, & terram & aſtra & cœlum. Cùm igitur hæc omnia viderent ſemper currentia, ab hac currendi natura, & à verbo* θεῖν *Deos nominaſſe.* Suauiter ſuo more Xenophon à ſole diuinam in homines beneuolentiã comprobauit quarto memorabilium. Τὸ δὲ τὸν ἥλιον ἐπειδὰν ἐν χειμῶνι τράπηται, προσιέναι τὰ μὲν ἁδρύνοντα, τὰ δὲ ξηραίνοντα, ὧν καιρὸς διελήλυθεν, καὶ ταῦτα διαπραξάμενον, μηκέτι ἐγγυτέρω προσιέναι, ἀλλ' ἀποτρέπεσθαι φυλαττόμενον μή τι ἡμᾶς μᾶλλον τοῦ δέοντος θερμαίνων βλάψῃ, καὶ ὅταν αὖ πάλιν ἀπιὼν γένηται, ἔνθα καὶ ἡμῖν δῆλόν ἐστιν, ὅτι εἰ προσωτέρω ἄπεισιν, ἀποπαγησόμεθα ὑπὸ τοῦ ψύχους, πάλιν τρέπεσθαι, καὶ προσχωρεῖν, καὶ ἐνταῦθα τοῦ οὐρανοῦ αὖ ἀναστρέφεσθαι, ἔνθα ἂν μάλιστα ἡμᾶς ὠφελοίη. *Quod autem ſol cùm hiemale ſolſtitium attingat, ad nos rurſus accedit, fructuum hos quidem maturans, hos deſiccans, quorum videlicet tempus præteriit, &, cùm hæc agat, non propiùs venit, ſed cauens ne ſi plus quàm oporteat, nos calefaciat, nobis afferat nocumentum, regreditur: cùmque iterum ibi fuerit, vbi nobis etiam manifeſtum eſt, ſi longius aberraret, frigore congelaremur, rurſus mutatus, nobis appropinquat, in eáque parte cœli verſatur, vbi quã maximè nobis proſit.* Sequor Beſſarionis verſionẽ. Pergit. Τὸ δὲ ἐπειδὴ καὶ τοῦτο φανερὸν, ὅτι ἡμεῖς ἂν οὐκ ἀνεσχόμεθα, οὔτε τὸ καῦμα, οὔτε τὸ ψύχος εἰ ἐξαπίνης γίγνοιτο, οὕτω μὲν κατὰ μικρὸν προσιέναι, ὥστε λανθάνειν ἡμᾶς εἰς ἑκάτερα τὰ ἰσχυρότατα καθισταμένους. Ἐγὼ μὲν, ἔφη ὁ Εὐθύδημος, ἤδη τοῦτο σκοπῶ, εἰ ἄρα τί ἐστι τοῖς θεοῖς ἔργον, ἢ ἀνθρώπους θεραπεύειν, &c. *Quod autem cùm manifeſtum ſit non potuiſſe nos ſufferre nec æſtum, nec frigora ſi repentè venerint, tam paulatim ad nos accedit ſol, támque paulatim à nobis recedit, vt in vtriſque contrariis nos lateat? Ego quidem, ait Euthydemus, hoc nunc cogito ne non ſit aliquod Diis opus, præterquam vt de hominibus curam habeant.* quæ libenter protuli, quod tum alij, tum imprimis Cicero 2. de natura Deorum, & Theodoretus de prouidẽtia ex hoc fonte ſuas rationes hauſiſſe videantur. Plato etiam decimo de legibus è motu ſolis diuinitatem videtur agnoſcere. ἄμεινον ταύτην τὴν ψυχὴν εἴτ' ἐν ἅρμασιν ἔχουσα ἥλιον ἄγει φῶς τοῖς ἅπασιν, εἴτ' ἔξωθεν, εἴτε ὅπως, εἴθ' ὅπῃ θεὸν ἡγεῖσθαι. *Meliùs eſt hanc animam ſiue in curru ſolem habens, inuehit lucem omnibus, ſiue extrinſecus, ſiue quo alio modo aut loco, Deum arbitrari.* Vide Mercurium Triſmegiſtum cap. 5. Pymandri, vbi probat: ὅτι ἀφανὴς θεὸς φανερώτατός ἐστι. *Quod Deus inuiſibilis manifeſtiſſimus ſit.* vbi hæc: Εἰ δὲ θέλεις αὐτὸν ἰδεῖν, νόησον τὸν ἥλιον, νόησον τὸν σελήνης δρόμον, νόησον τὴν ἀστέρων τὴν τάξιν. τίς ὁ τὴν τάξιν τηρῶν. τάξις γὰρ πᾶσα περιώρισται ἀριθμῷ καὶ τόπῳ. ὁ ἥλιος θεὸς μέγιστος τῶν κατ' οὐρανὸν θεῶν, ᾧ πάντες εἴκουσιν οἱ οὐράνιοι θεοί, ὥσπερ εἰ βασιλεῖ καὶ δυνάστῃ. καὶ οὗτος ὁ τηλικοῦτος, ὁ μείζων γῆς καὶ θαλάσσης ἀνέχεται ὑπὲρ ἑαυτὸν ἔχων ἑαυτοῦ μικροτέρους πολιτεύοντας ἀστέρας. τίνα αἰδούμενος; ἢ τίνα φοβούμενος; &c. τίς ὁ ἑκάστῳ τὸν τρόπον καὶ τὸ μέγεθος τοῦ δρόμου ὁρίσας; *Quod ſi ipſum intueri cupias conſidera ſolem: conſidera lunæ curſum: conſidera aſtrorum ordinem. Quis hunc obſeruat ordinem? omnis enim ordo numero & loco circumſcribitur. Sol Deus maximus eſt eorum, qui in cœlo ſunt, Deorum: cui omnes cedunt Dij cœleſtes, tanquam Regi & potenti. Et hic tantus, terra & mari maior, patitur ſupra ſe habere ſtellas ipſo minores ſuũ munus obeuntes. Quemnam erubeſcens, aut quem reformidans?* &c. *Quis vnicuique & modum & curſus magnitudinem determinauit?* & cap. 12. εἰ δὲ θέλεις αὐτὸν καὶ θεωρῆσαι, ἴδε τὴν τάξιν τοῦ κόσμου, καὶ τὴν εὐκοσμίαν τῆς τάξεως. ἴδε, &c. *Quod ſi ipſum ſpectare deſideras, ordinem mũdi conſpice, & ordinis concinnitatem. conſidera,* &c. Aliis referẽdis ſuperſedeo, ſatis eſſe ratus hos veteris philoſophiæ fontes defæcatiſſimos indicaſſe. vide Theophilum Antiochenum lib. 2. ad Autolycum. Dionem Chryſoſtomum fusè orat. 3. de Regno circa medium. Hinc Aſtrologus Latinus li. 1. cœli motum, ſtellarum curſum & ordinem admirans, ita concludit.

Ac mihi tam præſens ratio non vlla videtur,
Qua pateat mundum diuino numine verti
Atque ipſum eſſe Deum, &c. vide.

Maiorvm sapientia.] Eodem argumento, vt firmiſſimo vtitur, tum 2. & 3. de natura Deorũ, tum oratione de Haruſpicum reſponſis. & ſanè ſemper periculoſiſſimum viſum, ait Plutarchus in amatoriis: τὰ ἀκίνητα κινεῖν τῆς περὶ θεῶν δόξης, ἣν ἔχομεν. *Immobilia mouere circa eam opinionem quã de Diis concepimus.* ἀρκεῖ γὰρ ἡ πάτριος καὶ παλαιὰ πίστις, ἧς οὐκ ἔστιν εἰπεῖν οὐδ' ἀνευρεῖν τεκμήριον ἐναργέστερον. ὁ δὲ ἄκρας τι σοφίας εὕρηται φρενός, ἀλλ' ἕδρα τις αὕτη καὶ βάσις ὑφεστῶσα κοινὴ πρὸς εὐσέβειαν, ἐὰν ἐφ' ἑνὸς ταράττηται, καὶ σαλεύηται τὸ βέβαιον αὐτῆς, καὶ νενομισμένον ἐπισφαλὴς γίνεται πᾶσι καὶ ὕποπτος. *Sufficit enim paterna & antiqua fides: qua nullum manifeſtius argumentum poteſt inueniri.* cætera & corrupta ſunt. legerim τῶν σοφῶν hoc ſenſu. *Neque enim duntaxat ſumma ſapientũ mẽte, & quaſi ſuperficie tenus inuentum eſt. ſed fundamentũ quoddã*

Multis populis pro Deo habitus.

Temporum à ſole varietas.

Sol ſyderum rex & princeps.

In religione non facilè recedendum à maioribus.

& baſis communis poſita ad pietatem, ſi vel in vno turbetur & fluctuet eius ſtatus & firmamentum, caduca redditur omnibus & ſuſpecta. Huc ſpectant & illa Platonis in Timæo, quæ à Theodoreto, Euſebio & aliis Patribus referuntur. Περὶ δὲ τῶν ἄλλων δαιμόνων εἰπεῖν, καὶ γνῶναι τὴν γένεσιν μεῖζον ἢ καθ' ἡμᾶς. πιστέον δὲ τοῖς εἰρηκόσιν ἔμπροσθεν, ἐκγόνοις μὲν θεῶν οὖσιν ὡς ἔφασαν, σαφῶς δέ που τούς γε αὑτῶν προγόνους εἰδόσιν. ἀδύνατον οὖν θεῶν παισὶν ἀπιστεῖν, καίπερ ἄνευ εἰκότων καὶ ἀναγκαίων ἀποδείξεων λέγουσιν, ἀλλ' ὡς οἰκεῖα φασκόντων ἐπαγγέλλειν, ἑπομένους τῷ νόμῳ πιστευτέον. *De cæteris verò dæmonibus loqui, aut eorum generationem cognoſcere, id verò noſtras vires excedit. Iis itaque credendum eſt qui ea nobis tradiderunt ipſi à Diis progeniti, vt aiunt, cùm liquidò ſuos progenitores agnoſcant. Quare fieri non poteſt, vt fidem Deorum filiis denegemus, etiamſi ſine veriſimilibus aut neceſſariis demonſtrationibus loquantur, ſed tanquam iis qui ſe domeſtica renuntiare dicunt, ſecundùm legem credendum eſt.* Pulcherrimè verò Dio Chryſoſtomus oratione quæ Olympica, ſiue de Dei cognitione inſcribitur. Καὶ πολλὰ μαρτύρια τἀληθοῦς ἐκ παντὸς κατασκευασάσης καὶ ἀμελησάσης τοὺς πρεσβυτάτους καὶ παλαιοτάτους, ἅτε γὰρ οὐ μακρὰν οὐδ' ἔξω τοῦ θείου διῳκισμένοι, ἀλλ' ἐν αὐτῷ μέσῳ πεφυκότες ἐκείνῳ καὶ προσεχόμενοι πάντα τρόπον, οὐκ ἐδύναντο μέχρι πλείονος ἀξύνετοι μένειν, ἄλλως τε καὶ ξύνεσιν καὶ λόγον εἰληφότες περὶ αὐτὴν, lege περὶ αὐτοῦ, ἅτε δὴ περιλαμπόμενοι πάντοθεν θείοις καὶ μεγάλοις φάσμασιν, οὐρανοῦ τε καὶ ἄστρων, ἔτι δὲ ἡλίου καὶ σελήνης, νυκτός τε καὶ ἡμέρας ἐντυγχάνοντες. *Plurima ſunt huius veritatis teſtimonia, quæ dormire non ſinebant, aut negligenter oſcitari antiquiſſimos quoſque, vtpote qui non procul, neque extra diuinam naturam eſſent poſiti, ſed in illa media quodammodo inſiti & inoleſcentes, omníque modo ei adhærentes, non potuerunt diutiùs illius naturæ intelligentia carere, cum præſertim rationem & intelligentiam de ea ſortiti eſſent, vtpote ſplendore vndique circundati diuinarum magnarúmque viſionum, cœli & aſtrorum, ſolis & lunæ, noctis & diei,* &c.

AXIOMATA.

In graui fortuna boni conſcientia rectè factorum nituntur.

Sol, cœli ſignorúmque motus, & viciſſitudines rerum Deum eſſe teſtantur.

ARGVMENTVM.

Deum eſſe probat argumento ab humana anima petito: tùm iis reſpondet, qui Deum non credunt quia non vident, & omnem veritatem ſolis corporu ſenſibus metiuntur: Poſtremò regreſſus ad propoſitum aſſerit Clodij necem diuinæ prouidentiæ eſſe tribuendam.

LXXXV. EST, eſt profectò illa vis: neque in his corporibus, atque in hac imbecillitate noſtra ineſt quiddam quod vigeat & ſentiat, & non ineſt in hoc tanto naturæ, tam præclaro motu: niſi fortè idcircò eſſe non putant, quia non apparet, nec cernitur: perinde quaſi noſtram ipſam mentem, qua ſapimus, qua prouidemus, qua hæc ipſa agimus ac dicimus, videre, aut planè qualis, aut vbi ſit, ſentire poſſimus. Ea vis, ea eſt igitur, quæ ſæpe incredibiles huic vrbi felicitates, atque opes attulit: quæ illam perniciem extinxit ac ſuſtulit. cui primùm mentem iniecit, vt vi irritare, ferróque laceſſere fortiſſimum virum auderet, vinceretúrque ab eo, quem ſi viciſſet, habiturus eſſet impunitatem & licentiam ſempiternam.

EXPLANATIO.

EST, EST.] *Ex actionibus & motibus corporis agnoſcimus vim quandam & animam corpori præeſſe quæ cauſſa ſit illorum motuum & actionum.*

Sed in tota natura præclarior eſt motus, & mirabiliores actiones.

Ergo debemus vim quandam agnoſcere, quæ cauſſa ſit illarum actionum.

Sed illa vis eſt Deus.

Ergo ex motu cœlorum & naturæ actionibus debemus Deum agnoſcere.

NISI FORTE.] Altera pars paragraphi, qua obiectionem confutat hoc ſyllogiſmo.

Anima humana eiúſque actiones non magis apparent quàm Deus & Dei actiones.

Sed propterea non negamus eſſe animam, quia animam oculis non videmus.

Ergo neque debemus negare Deum, quia Deum oculis non videmus.

vel clariùs hoc pacto.

Non clariores ſunt actiones animæ quam Dei.

Sed animam non apparentem per ſe, ex ſuis actionibus agnoſcimus.

Ergo etiam Deum non apparentem per ſe, ex eius actionibus debemus agnoſcere.

EA VIS.] Illud numen diuinum.

ILLAM PERNICIEM.] Clodium qui ſuis ſceleribus Reip. perniciem adferebat.

CVI.] Clodio.

FORTISS. VIRVM.] Milonem, id eſt, diuina prouidentia factum eſt, vt Clodius inſidias poneret Miloni, eo conſilio vt Clodius à Milone vinceretur: ídque probat diuina prouidentia factum: quia ſi Clodius viciſſet, tota reliqua vita licentiam & impunitatem habuiſſet.

SEMPITERNAM] Tota vita.

NOTÆ.

NEQVE IN HIS.] Xenophon 1. memorabilium eadem ratione Diuinitatẽ oſtendit. 1.
Σὺ δὲ σαυτὸν φρόνιμόν τι δοκεῖς ἔχειν; (ἐρώτα γοῦν, καὶ ἀποκρινοῦμαι) ἄλλοθι δ' οὐδαμοῦ οὐδὲν οἴει φρόνιμον εἶναι; καὶ ταῦτα, εἰδὼς ὅτι γῆς τε μικρὸν μέρος ἐν τῷ σώματι πολλῆς

οὔσης, ἔχεις, καὶ ὑγροῦ βραχὺ, πολλοῦ ὄντος, καὶ τῶν ἄλλων δήπου μεγάλων ὄντων ἑκάστου μικρὸν μέρος λαβόντι, τὸ σῶμα συνήρμοσταί σοι. νοῦν δὲ μόνον ἄρα οὐδαμοῦ ὄντα σε εὐτυχῶς πως δοκεῖς συναρπάσαι; καὶ τάδε τὰ ὑπερμεγέθη καὶ τὸ πλῆθος ἄπειρα, δι' ἀφροσύνην τινὰ ὡς οἴει, εὐτάκτως ἔχειν. *Tu verò teipſum non putas aliquid habere prudetiæ? aut cùm habeas nónne alibi etiam arbitraris prudentiam eſſe? præſertim cùm ſcias paruam te partem è tota terra, quæ magna eſt, in corpore habere: à totáque quantitate humiditatis paruam partem: aliorum quoque quolibet magno exiſtente, à parua parte tibi corpus compoſitum eſſe: intellectum autem putas, ſi nuſquã eſſet, te feliciter potuiſſe corripere? atq; hæc tam magna mole, tam infinita multitudine, per imprudentiam bene ordinata eſſe putas.* Hæc ille: quorum priora minorem vim habent, quòd probet diuinam eſſe mentem, ex eo quòd humanæ mentes ſint particulæ quędã ex illa diuina mẽte decerptæ.

QVASI NOSTRAM IPSAM MENTEM.] Xenophon primo memorabilium. μὰ Δία. οὐ γὰρ ὁρῶ τοὺς κυρίους, ὥσπερ τῶν ἐνθάδε γιγνομένων τοὺς δημιουργούς. *Ita Hercle*, inquiebat Ariſtodemus Deum negans. *Non enim video qui ea ordinent, ſicuti video qui iſta fabricantur, qui in iſto mundo ſunt.* Reſpõdet Socrates: οὐδὲ γὰρ τὴν ἑαυτοῦ σύγε ψυχὴν ὁρᾷς, ἣ τοῦ σώματος κυρία ἐστίν. ὥστε κατά γε τοῦτο ἔξεστί σοι λέγειν ὅτι οὐδὲ γνώμῃ, ἀλλὰ τύχῃ πάντα πράττεις; *Atqui nec tuum animum tu vides qui in corpore dominatur, ita vt ſecundum hoc liceat tibi dicere, non ratione, ſed caſu omnia te facere.* Item lib. 4. Καὶ ὁ τὸν ὅλον κόσμον συντάττων τε καὶ συνέχων, ἐν ᾧ πάντα καλὰ καὶ ἀγαθά ἐστι, καὶ ἀεὶ μὲν χρωμένοις ἀτριβῆ τε καὶ ὑγιῆ, καὶ ἀγήρατα παρέχων, θᾶττον δὲ νοήματος ἀναμαρτήτως ὑπηρετοῦντα. οὗτος τὰ μέγιστα μὲν πράττων ὁρᾶται, τάδε οἰκονομῶν, ἀόρατος ἡμῖν ἐστιν. ἐννόει δὲ ὅτι καὶ πᾶσι φανερὸς δοκῶν εἶναι ἥλιος, οὐκ ἐπιτρέπει τοῖς ἀνθρώποις ἑαυτὸν ἀκριβῶς ὁρᾶν. ἀλλ' ἐάν τις αὐτὸν ἀναιδῶς ἐγχειρεῖ θεᾶσθαι, τὴν ὄψιν ἀφαιρεῖται. καὶ τοὺς ὑπηρέτας δὲ τῶν θεῶν εὑρήσεις ἀφανεῖς ὄντας. κεραυνός τε γὰρ ὅτι μὲν ἄνωθεν ἀφίεται δῆλον, καὶ ὅτι οἷς ἂν ἐντύχῃ πάντων κρατεῖ. ὁρᾶται δ' οὔτ' ἐπιὼν, οὔτε κατασκήψας, οὔτ' ἀπιών. καὶ ἄνεμοι αὐτοὶ μὲν οὐχ ὁρῶνται. ἃ δὲ ποιοῦσι φανερὰ ἡμῖν ἐστιν, καὶ προσιόντων αὐτῶν αἰσθανόμεθα. ἀλλὰ μὴν καὶ ἀνθρώπου γε ψυχὴ, εἴπερ τι καὶ ἄλλο τῶν ἀνθρωπίνων τοῦ θείου μετέχει. ὅτι μὲν βασιλεύει ἐν ἡμῖν φανερὸν, ὁρᾶται δ' οὐδ' αὐτή. ἃ χρὴ κατανοοῦντα μὴ καταφρονεῖν τῶν ἀοράτων, ἀλλ' ἐκ τῶν γιγνομένων τὴν δύναμιν αὐτῶν καταμανθάνοντα, τιμᾶν τὸ δαιμόνιον. *Ille quoq; qui totũ orbem ordinat, atque continet, in quo omnia honeſta bonaq; ſunt, quique cùm ſemper iis vtamur, ſemper nihilominus recentia, ſana & immortalia ea nobis dat, citiùs quàm mens humana cogitet ad nutũ abſq; defectu ſeruientia, hic maxima quidem intelligitur operans, hoc verò totum gubernans inuiſibilis nobis eſt. Conſidera etiam ſolem qui cum omnibus manifeſtus eſſe appareat, non tamẽ concedit hominibus plenè ipſum intueri: quòd ſi quis impudenter eũ videre conetur, viſum ei aufert, miniſtros quoque Deorum inuiſibiles eſſe reperies: fulmen enim de ſuperiore loco proiici patet, quódque omnia obuia ſuperat, non tamẽ neq; cùm veniat, neque cùm feriat, neque cùm abeat videtur. venti quoque ipſi inuiſibiles, quæ verò faciũt nobis clara ſunt, eóſque aduenientes ſentimus. Atqui hominis etiã anima, ſi quid aliud humanum, diuinæ particeps eſt naturæ. at illam in nobis dominari manifeſtum eſt, videtur autẽ minimè; quæ cùm quis conſideret, non negligat inuiſibilia oportet, ſed ex illis quæ fiunt potentia illorum cognita, honore numen diuinũ proſequatur.* Ariſtoteles de mundo ad Alexandrũ, vel, vt placet Iuſtino Martyri Theophraſtus: ὑπὸ μιᾶς ῥοπῆς ὀτρυνομένων ἁπάντων, γίνεται τὰ οἰκεῖα, καὶ ταύτης

Ex anima diuinitas oſtenditur.

ἀοράτου καὶ ἀφανοῦς, ὥσπερ οὐδαμῶς ἐστιν ἐμπόδιον, οὔτ' ἐκείνῃ πρὸς τὸ δρᾶν, οὔτε ἡμῖν πρὸς τὸ πιστεῦσαι. καὶ γὰρ ἡ ψυχὴ δι' ἣν ζῶμέν τε, καὶ πόλεις καὶ οἴκους ἔχομεν, ἀόρατος οὖσα τοῖς ἔργοις αὐτοῖς ὁρᾶται. *Vno moderamine contenta omnia*, ſequor verſionem Apuleij, liberiorẽ fortaſſe, ſed tamen bonam, *penſum ſui operis exoluunt, curaque omnibus occulta, vis nullis oculis obuia, niſi quibus mens ſuæ lucis aciem intendit. Nec tamen hoc vel illi ad moliendum, vel nobis ad intelligendũ obeſt. de inferiore licet imagine capiamus exempla. Anima in homine non videtur: & tamen fateantur omnes neceſſe eſt, huius opera omnia quæ per hominẽ præclara fiunt, prouenire. Neque animæ ipſius qualitatem ac figuram oculis occurrere, ſed momentis ab ea geſtorũ intelligi qualis & quanta ſit. omne quippe humanæ vitæ præſidii ingenio eius eſt paratum: cultus agrorũ, vſuſque frugum, artificum ſolertia, prouentu artiũ, commoditas vitæ humanæ. Quid de legibus dicã quæ ad manſuefaciendos homines inuentæ ſunt? quid de ciuilibus inſtitutis ac moribus, qui nunc populorũ non otioſis conuentibus frequentantur?* &c. Theophilus Antiochenus lib. 1. ad Autolycũ: Καθάπερ γὰρ ψυχὴ ἐν ἀνθρώπῳ οὐ βλέπεται, ἀόρατος οὖσα ἀνθρώποις. διὰ δὲ τῆς κινήσεως τοῦ σώματος νοεῖται ἡ ψυχή. οὕτως ἔχει ἂν καὶ τὸν θεὸν μὴ δύνασθαι ὁραθῆναι ὑπ' ὀφθαλμῶν ἀνθρωπίνων. διὰ δὲ τῆς προνοίας καὶ τῶν ἔργων αὐτοῦ βλέπεται καὶ νοεῖται &c. *Quemadmodum anima in homine non videtur, cùm inuiſibilis ſit hominibus, at ex corporis motu cognoſcitur. Ita neque Deus videri poteſt oculis humanis, at per ſuam prouidentiam & opera videtur & cognoſcitur.*

QVALIS SIT.] Hæc nimirũ eſt illa quæſtio quæ philoſophos antiquos mirè diſtraxit, hunc nodum Gordiũ Dicæarchus ita diſſoluit, vt ſtricto Alexãdri gladio diſcinderet. quendam Pherecratem, vt author eſt Tullius 1. Tuſc. 21. diſſerentẽ inducens: *Nihil eſſe omninò animum, & hoc eſſe nomen totum inane, fruſtráque animalia & animantes appellari: neq; in homine ineſſe animũ, vel animã, nec in beſtia: vimq; omnem eam qua vel agamus quid, vel ſentiamus in omnibus corporibus viuis æquabiliter eſſe fuſam, nec ſeparabilẽ à corpore eſſe, quippe quæ nulla ſit, nec ſit quicquã niſi corpus vnum & ſimplex, ita figuratũ vt tẽperatione naturæ vigeat, & ſentiat.* O vecordiam! hęc dixiſſet, hæc ſomniaſſet, ſi vel animã vel cor habuiſſet? Alij alia ſenſerunt, quorũ plurimæ opiniones tum ab Ariſtotele 1. de anima c. 2. tum à Cicerone loco citato, tum à Plutarcho & aliis referuntur. Theodoretus de curat. Græc. ſermone quinto paucioribus plura complexus eſt. Θαλῆς τοίνυν κέκληκε τὴν ψυχὴν ἀκίνητον φύσιν. Ἀλκμαίων δ' αὐτὴν αὐτοκίνητον εἴρηκεν. ὁ δέ γε Πυθαγόρας ἀριθμὸν ἑαυτὸν κινοῦντα. ξυνεφώνησε δὲ τῷ λόγῳ καὶ Ξενοκράτης. ὁ δὲ Πλάτων οὐσίαν νοητὴν ἐξ ἑαυτῆς κινητήν. ὁ δὲ Σταγειρείτης ἐντελέχειαν πρώτην φυσικοῦ ὀργανικοῦ δυνάμει ζωὴν ἔχοντος. Κλέαρχος δὲ τῶν τεσσάρων εἶναι στοιχείων τὴν ἁρμονίαν. Ἀναξιμένης δὲ καὶ Ἀναξίμανδρος, καὶ Ἀναξαγόρας, καὶ Ἀρχέλαος ἀερώδη τῆς ψυχῆς τὴν φύσιν εἰρήκασιν. οἱ δέ γε Στωϊκοὶ πνευματικὴν πλείστου μετέχουσαν τοῦ θερμοῦ. Παρμενίδης δὲ καὶ Ἵππασος καὶ Ἡράκλειτος πυρώδη ταύτην κεκλήκασιν. ὁ δὲ Ἡρακλείδης φωτοειδῆ. Ἐπίκουρος δὲ ὁ Νεοκλέους τεττάρων τινῶν ποιοτήτων κρᾶμα, πυρώδους, καὶ ἀερώδους, καὶ πνευματικοῦ, καὶ τετάρτου τινὸς ἀκατονομάστου. ὁ δ' Ἐμπεδοκλῆς μίγμα ἐξ αἰθερώδους καὶ ἀερώδους οὐσίας. Κριτίας δ' ἐξ αἵματος εἶπε καὶ ἐξ ὑγροῦ, καὶ ἄλλοι δ' αὖ ἄλλα λελήρήκασιν ἐναντία. *Thales igitur animam inquit eſſe naturam immobilem: Alcman verò eam inquit ſua ſponte motabilem: Pythagoras autem numerum qui ſeipſum moueat, cuius opinioni conuenit & Xenocrates. Plato intellectilem ſubſtantiam*

Philoſophorum de Anima opiniones.

ex ſe mobilem: Ariſtoteles Stagirites entelechiam primam naturalis corporis & organici, quod habile aptúmque ſit vitam accipere: ἐντελέχειαν verò actū appellauit. At Clearchus animam eſſe ait harmoniam quatuor elementorum. Anaximenes, Anaximander, Anaxagoras & Archelaus aëriam dixerunt animæ naturam eſſe: Stoici ſpiritualem ſubſtantiam quæ maxima calidi parte conſtaret. Parmenides, Hippaſus & Heraclitus igneam nuncuparunt: Heraclides verò luciformem. Epicurus Neoclis filius commixtionem quarundam qualitatum: igneæ videlicet, aëriæ ac ſpiritualis: quartæque præterea cuiuſdam quæ certum nomen non habeat. Empedocles commixtam, inquit, ex ætheria aëriáque ſubſtantia. Critias ex ſanguine & humido eam conſtare inquit: Alij porro alia delirantes contraria attulerunt. Quod ſpectat ad Empedoclem videtur dubius fluctuaſſe, & nunc in hac, nunc in illa fuiſſe ſententia. Tullius 1. Tuſcul. 19. *Empedocles animum eſſe cenſet, cordi ſuffuſum ſanguinem.* hinc ille apud Tertullianum verſus Orphei, vt ait, vel Empedoclis:

Namq; hominis ſanguis circumcordialis eſt ſenſus.

quem arbitror his verbis fuiſſe conceptum.

Ψυχὴ δ' ἀνθρώπου πέλεται περικάρδιον αἷμα.

Immò, ſi credimus Ariſtoteli, animam è quatuor elementis cenſuit eſſe conflatam: quod nititur his eius verſibus comprobare, εἶναι δὲ καὶ ἕκαστον ψυχὴν τούτων οὕτω λέγων.

Γαίῃ μὲν γὰρ γαῖαν ὀπώπαμεν, ὕδατι δ' ὕδωρ,
Αἰθέρι δ' αἰθέρα δῖον, ἀτὰρ πυρὶ πῦρ ἀΐδηλον
Στοργὴν δὲ στοργῇ, νεῖκος δέ τε νείκεϊ λυγρῷ,

vnumquodque etiam elementorum animam eſſe ſic dicens.

Nos terra terras, vndâ cognoſcimus vndam,
Æthere diuinum ſic æthera & ignibus ignes.
Dulcis amore amor, & lis triſti lite videtur.

Sed nota eſt fides Ariſtotelis in referendis aliorū ſententiis. Quid quod eandem abſurditatem Platoni conatur affingere? τὸν αὐτὸν δὲ τρόπον ἐν τῷ Τιμαίῳ Πλάτων τὴν ψυχὴν ἐκ τῶν στοιχείων ποιεῖ. γιγνώσκεσθαι γὰρ ὁμοίῳ ὅμοιον. *Eodem etiam modo Plato in Timæo animam ait ex elementis eſſe conflatam. quia ſimilis ſimili cognoſcitur.* Galenus tamen lib. 7. *de decretis Hippocratis & Platonis*, tam Platonis quàm Empedoclis verba ſingulorum ſenſuum inſtrumentis accommodat. Αἰσθανόμεθα γὰρ ὄντως. τῷ μὲν γὰρ γεωδεστέρῳ τῶν αἰσθητηρίων, ὅπερ ἐστὶν ἡ ἁφὴ τῆς γεώδους φύσεως ἐν τοῖς αἰσθητοῖς, τῷ δ' αὐγοειδεστάτῳ τῆς ὄψεως, τῆς αὐγοειδοῦς, καθάπερ γε καὶ τῷ ἀεροειδεῖ γιγνομένῳ τῆς ἰδίων ἀέρος παθημάτων ἡ διάγνωσις ἀποτελεῖται, καὶ μὲν δὴ καὶ τῷ κατὰ τὴν γεῦσιν ὑγρῷ, καὶ σπογγοειδεῖ τὴν φύσιν ὄντι τῶν χυμῶν ἡμῖν αἴσθησις γίγνεται. *Sentimus reuera terreſtri ſenſu tactus terreſtrem inſitam in rebus naturam: lucidiſſimo qui eſt viſus, lucidam: non ſecus etiam aëreo auditus ſenſu, proprias aëris affectiones dignoſcimus: quemadmodum guſtatu, qui humidus natura ſpongioſúſque eſt, ſuccorum qualitates nobis innoteſcunt.* vide Carpētarium in caput 12. Alcinoi de doctrina Platonis. Tertull. lib. de anima, in quibuſdam à Theodoreto diſſentit. *Nec illos dico ſolos qui eam de manifeſtis corporalibus effingunt, vt Hipparchus & Heraclitus ex igni, vt Hippō & Thales ex aqua, vt Empedocles & Critias ex ſanguine, vt Epicurus ex atomis, ſi & atomi corpulentias de coitu ſuo cogunt: vt Critolaus & peripatetici eius ex neſcio qua quinta ſubſtantia, ſi & illa corpus quia corpora includit, ſed etiam Stoicos allego, qui ſpiritum prædicantes animam penè nobiſcum, quia proxima inter ſe flatus & ſpiritus, tamen corpus animā facilè perſuadebunt. Deniq; Zeno conſitum ſpiritum animā definiens.* Galenus fluctuat ille quidē multis locis. ſed tamen, vt ſe nihilo plus, quàm alios ſcire oſtenderet, 2. de prædictione ex pulſibus, cuius verba diu quæſita in ipſo fonte reperire non potui, nos ea prout in riuulos deducta ſunt, in medium proferemus. *Hactenus*, inquit, *dubitaui, quæ eſſet animæ ſubſtantia, nunc ætate & rerum vſu ſapiĕtior, auſim affirmare, eam nihil aliud eſſe quàm temperamentum.* Hæc ille. quibus nihil vel abſurdius, vel procliuius ad atheiſmum. ſed omnem abſurditatem ſuperat illud quod refert Tertull. libro de animâ. *Nec dubitat credo Hiceſius iam natis animā ſuperducens ex aëris frigidi pulſu, quia & ipſum vocabulum animæ penes Græcos de refrigeratione reſpondet.* Atque vtinā ſcriptor ille & grauiſſimus, & Chriſtianus ſuos errores nō habuiſſet. Sed libro citato ſuos næuos latè explicat, quorū ſummā hanc facit. *Definimus animā Dei flatu natam, immortalē, corporalem, effigiatā, &c.* vides quomodo vera falſis immiſceat, contra Platonē, quem quod animā penitùs incorporeā dixerit: *Omnium hæreticorum condimentum appellat.* Quinetiā iam auſus fuerat animæ ſuos colores appingere. *Proinde & proprietas omni corpori adhæret: quem igitur alium animæ æſtimabis colorem, quàm aërium & lucidum? non vt aër ſit ipſa ſubſtātia eius, etſi hoc Æneſidemo viſum eſt & Anaximeni, puto ſecundum quoſdam & Heraclito: nec vt lumen, etſi hoc placuit Pontico Heraclidi.* Quin etiā Theodotus quidā in epitome quæ Clementis Alexandrini verbis annectitur. Καὶ οἱ ἄγγελοι σώματά εἰσιν, ὁρῶνται γοῦν. ἀλλὰ καὶ ἡ ψυχὴ σῶμα. ὁ γοῦν Ἀπόστολος, Σπείρεται μὲν γὰρ σῶμα ψυχικὸν, ἐγείρεται δὲ σῶμα πνευματικόν. πῶς δὲ καὶ αἱ κολαζόμεναι ψυχαὶ συναισθάνονται μὴ σώματα οὖσαι; *Et angeli corpora ſunt. videtur enim, ſed etiā anima eſt corpus. Siquidem Apoſtolus: ſeminatur enim corpus animale, reſurgit verò corpus ſpiritale. Quomodo verò cruciatæ ſentiunt, ſi corpora non ſunt?* Sed ignoſci poſſit antiquis, qui nondū res fidei penitus enucleatas habuerunt. vt & Arnobio libro 2. aduerſus gentes, qui animas quòd pleræq; malæ ſint, Deus autem mali auctor eſſe nō poſſit, negat à Deo fuiſſe procreatas, aſſeritque: *Non eſſe animas longè ab hiatibus mortis & faucibus conſtitutas: poſſunt tamen longæuæ ſummi principis munere ac beneficio fieri: ſi modò illum tentent ac meditentur agnoſcere.* Antiquis inquam ceſpitantibus ignoſci poſſit. at Bodino, & Vorſtio Caluiniſtæ, cæteriſq; rei Chriſtianæ peſtibus animam verâ quātitate prēditā, ac proinde partibilē eſſe contendentibus, ne ipſa quidem bona venia poſſit ignoſcere. quāuis mirum nō eſt hanc Vorſtio inſaniā excidiſſe, qui vt apertè profiteatur atheiſmum hauſtū è cœnoſis Caluini lacunis, cœlum his vocibus inceſtare non veretur. pag. 240. *Videtur eſſe paradoxū Deum ſic omnis quantitatis expertē eſſe, vt totus ſubſtantialiter ſit in re qualibet etiā minimâ.* & paginâ ſequenti de animâ differēs. *Hæc enim eſſentia diffundi non poteſt, niſi quatenus per partes porrigitur, & continuatur: id quod ſine quantitate dimenſiuâ fieri nō poteſt. Vnde etiā Bodinus animā corporeā facit, & verâ quātitate præditā.*

VBI SIT.] Plutarchus de placitis Philoſoph. & ex eo Theodoretus de natura hominis, & Euſebius lib. 15. de præp. Περὶ τοῦ ἡγεμονικοῦ, *de principali, ſiue præcipua animi portione & mente.* Πλάτων, Δημόκριτος, ἐν ὅλῃ τῇ κεφαλῇ. Στράτων ἐν μεσοφρύῳ. Ἐρασίστρατος περὶ τὴν μήνιγγα τοῦ ἐγκεφάλου, ἣν ἐπικρανίδα

λέγει Ἡρόφιλος ἐν τῇ τῆς ἐγκεφάλου κοιλίᾳ, ἥτις ἐστὶ βάσις. Παρμενίδης ἐν ὅλῳ τῷ θώρακι. Ἐπίκουρος, οἱ Στωϊκοὶ πάντες ἐν ὅλῃ τῇ καρδίᾳ. Διογένης, ἐν τῇ ἀρτηριακῇ κοιλίᾳ τῆς καρδίας, ἥτις ἐστὶ πνευματική. Ἐμπεδοκλῆς δὲ ἐν τῇ τοῦ αἵματος. οἱ δ' ἐν τῷ περικαρδίῳ ὑμένι. οἱ δ' ἐν τῷ διαφράγματι τῶν νεφρῶν, τῶν νεωτέρων τινὲς διήκειν ἀπὸ κεφαλῆς μέχρι τοῦ διαφράγματος. Πυθαγόρας τὸ μὲν ζωτικὸν περὶ τὴν καρδίαν. τὸ δὲ λογικόν, καὶ νοερὸν περὶ τὴν κεφαλήν. *Plato & Democritus in toto capite. Straton in medio ſincipitio. Eraſiſtratus autem medicus, iuxta membranam cerebri quam Epicranidem, hoc eſt ſupercipitium vel ſupercaluium vocat. Herophilus in ventre cerebri. Parmenides in toto thorace. Epicurus & Stoici omnes in toto corde. Diogenes in arteriaco ventriculo cordis qui eſt ſpiritalis. Empedocles in ſanguinis ventriculo, alij in membranula quæ cor ambit. alij in diaphragmate renum. recentiores quidam aiunt illud à capite ad diaphragma pertinere. Pythagoras quod quidem vitale eſt circa cor. quod verò rationis compos & intelligens circa caput.* lege ex Theodoreto. Παρμενίδης καὶ Ἐπίκουρος ἐν ὅλῳ τῷ θώρακι, οἱ Στωϊκοί, &c. Tertullianus libro de anima cordi quidem aſſignat, ſed addit. *Vt neque extrinſecùs putes agitari principale iſtud ſecundum Heraclitum, neque per totum corpus ventilari ſecundum Moſchionem, neque in capite concludi ſecundum Platonem, neque in vertice præſidere ſecundum Xenocratem, neque in cerebro cubare ſecundum Hippocratem, ſed nec circa cerebri fundamentum vt Herophilus, nec in membranulis, vt Strato & Eraſiſtratus, nec in tota lorica pectoris, vt Epicurus.* hic libet cum Timone Phliaſio in ſillis apud Clementem Alexandrinum, Euſebium, & alios exclamare.

Sedes animi, ſiue principalis ſecundum diuerſos Philoſophos.

Τίς γὰρ τούς δ' ὀλοῇ ἔριδι ξυνέηκε μάχεσθαι;
Ἠχοῦς σύνδρομος ὄχλος. ὁ γὰρ σιγῶσι χολωθεὶς
Νοῦσον ἐπ' ἀνέρας ὦρσε κακήν, ὀλέκοντο δὲ πολλοί.
Quis commiſit eos ſæuâ contendere lite?
Rixæ turba comes: namque hæc exoſa ſilentes,
Immiſitque viris peſtem, multóſque cecidit.

Sed facilè ſe extricant qui animum, animam, mentem, intelligentiam cæteráſque animæ facultates virtute quidem diuerſas, ſed re ipſa animam toto corpore diffuſam pro varietate organorum varias aiunt exercere functiones. vtar exemplo eiuſdem Tertulliani, quo illud Pythagoræ dictum oſtenditur. *Conſidera potentiſſimam Archimedis munificentiam, organum hydraulicum dico, tot membra, tot partes, tot compagines, tot itinera vocum, tot compendia ſonorum, tot commercia modorum, tot acies tibiarum, & vna moles erunt omnia. ſic & ſpiritus qui illic de tormento aquæ anhelat, non ideò ſeparabitur in partes, quia per partes adminiſtratur, ſubſtantia quidem ſolidus, opera verò diuiſus, non longè hoc exẽplum eſt à Stratone, & Æneſidemo & Heraclito: nam & ipſi vnitatem animæ tuentur, quæ in totum corpus diffuſa, & vbique ipſa. velut flatus in calamo per cauernas, ita per ſenſualia variis modis emicet, non tam conciſa, quàm diſpenſata.* Eadem igitur vis in iecore, vt dicunt medici, vel in corde, vt peripatetici malunt, vitæ principium. in cerebro propter ſenſuum vicinitatem mens ſine intelligentia dicetur. ſed ne ſutor vltra crepidam.

V. EA VIS EST IGITVR.] Hunc locum præ oculis videtur habuiſſe Nazarius panegyrico Conſtantini: *Spectat enim nos ex alto arbiter Deus, & quamuis humanæ mentes profundos gerant cogitationum receſſus, inſinuat tamen ſeſe totam ſeruata lege coram ſeruatura diuinitas, nec fieri poteſt, vt cùm ſpiritum quem ducimus cùm tot commoda quibus alimur, diuinum nobis numen impertiat, terrarum ſe curis abdicauerit, nec inter eorum vitas dijudicet, quorum vtilitatus gubernat. Illa igitur vis, illa maieſtas fandi ac nefandi diſcriminatrix, quæ omnia meritorum momenta perpendit librat, examinat, illa nefariam illius tyranni fregit amentiam.*

INCREDIBILES HVIC VRBI FELICITATES.] Vide Plutarchum opuſculo De fortuna Romanorum. VI.

MENTEM INIECIT.] Vide infrà 89. Iſocrates libro ad Philippum Macedonem ἐμπεσεῖν, Demoſthenes Philippica I. ἐμβαλεῖ dixit, quod Noſter inicere, vt etiam notauit Petrus Victorius. Iſocrates: Οἶμαι δέ σε οὐκ ἀγνοεῖν ὃν τρόπον οἱ θεοὶ τὰ τῶν ἀνθρώπων διοικοῦσιν. οὐ γὰρ αὐτόχειρες, οὐδὲ μετὰ τῶν ἀγαθῶν, οὔτε τῶν κακῶν γίνονται τῶν συνόντων αὐτοῖς, ἀλλ' ἑκάστοις τοιαύτην ἔννοιαν ἐμποιοῦσιν, ὥστε δι' ἀλλήλων ἡμῖν ἑκάτερα παραγίνεσθαι τούτων. *Arbitror enim te non ignorare quo pacto Dij res humanas adminiſtrent. Non enim ipſi coram vel proſperis, vel aduerſis in rebus hominibus ſe conſpiciendos præbet, aut contrectandos manibus: ſed eam mentem dant ſingulis, vt vel cladibus vltro citróque ſe afficiant, vel communes vtilitates in medium afferant, mutatione officiorum.* Ita quidem Hieronymus Wolphius, qui fortaſſe diuinat magis quàm intelligit. Vereor equidem, vt viri docti criticæ prurigini tribuendum putent, ſed tamen penè neceſſitas cogit, vt ſic emendem: Οὐ γὰρ αὐτόχειρες οὔτε τῶν ἀγαθῶν, οὔτε τῶν κακῶν γίνονται μετὰ τῶν συνόντων αὐτοῖς, &c. vt ſenſus ſit: *Neque enim cum hominibus ſecum verſantibus per ſe manum admouent, ſiue ad felicitatem, ſiue ad cladem inferendam. ſed eam ſingulis mentem iniiciunt. vt nobis per nos inuicem horum vnumquodque contingat.* Vſque adeò vna particula μετὰ quæ alienum in locum irrepſerat ſuo ordini quaſi poſtliminio reſtituta toti ſententiæ non parum lucis inuexit. Proximè dixerat Iſocrates, quod huic loco non malè quadrare videatur, conſilia & eam mentem τὸ δαιμόνιον ὑποβαλεῖν, οὐκ ἐμοῦ φροντίζον, ἀλλὰ τῆς Ἑλλάδος κηδόμενον, καὶ βουλόμενον ταύτην τε τῶν κακῶν ἀπαλλάξαι τῶν παρόντων, καί σοι δόξαν πολὺ μείζω περιθεῖναι τῆς νῦν ὑπαρχούσης. *Immiſſam à quodam Deo hanc mentem, qui non de me ſit ſollicitus, ſed qui Græciæ ſalutem curâ ſuâ complectatur, quique ſtudeat cùm vrgentibus malis eam liberare, tum tibi reſeruare gloriam eâ, quam nunc habes, longè maiorem.* VII.

SEMPITERNAM.] Expoſui totâ vitâ. ſic Horatius:

Seruiet æternùm, qui paruo neſciet vti.

AXIOMATA.

Non in his corporibus atque in hac imbecillitate noſtra, ineſt quiddam quod vigeat & ſentiat, & non ineſt in hoc tanto naturæ, & tam præclaro motu.

Idcirco Deum negare non debemus, quia non apparet, nec cernitur: perinde quaſi noſtram mentem, qua ſapimus, qua prouidemus, videre poſſimus.

ARGVMENTVM.

Oſtendit diuini conſilij fuiſſe, vt Clodius eo potiſſimùm loco necaretur, cuius religiones & ſanctitatem omni ſacrilegio violarat, oratione per apoſtrophem ad ipſas aras, & religiones conuerſa.

LXXXVI. NON eſt humano conſilio, ne mediocri quidem, Iudices, Deorum immortalium curâ res illa perfecta: religiones, me hercule, ipſæ, cùm illam belluam cadere viderunt, commouiſſe ſe videntur, & ius in illo ſuum retinuiſſe. vos enim Albani tumuli, atque luci, vos, inquam, imploro atque obteſtor, vóſque Albanorum obrutæ aræ, ſacrorum populi Romani ſociæ & æquales, quas ille præceps amentiâ cæſis proſtratíſque ſanctiſſimis lucis, ſubſtructionum inſanis molibus oppreſſerat: veſtræ tum aræ, veſtræ religiones viguerunt, veſtra vis valuit, quam ille omni ſcelere polluerat: túque ex tuo edito monte Latialis, ſancte Iupiter, cuius ille lacus, nemora, fineſque ſæpe omni nefario ſtupro & ſcelere macularat, aliquando ad eum puniendum oculos aperuiſti: vobis illæ, vobis veſtro in conſpectu ſeræ, ſed iuſtæ tamen, & debitæ pœnæ ſolutæ ſunt.

EXPLANATIO.

NON EST.] Cædes Clodio, non eſt humano conſilio, aut ipſius Clodij qui Miloni fecit inſidias, aut Milonis qui Clodium interemit, illata, ſed inſigni Dei prouidentia qui videns voluntatem, quam de occidendo Milone Clodius conceperat, ita cauſarum & occaſionum ſeriem diſpoſuit, vt Clodius eo loco poneret inſidias, & occideretur à Milone, quo loco multa ſacrilegia perpetrarat.

RELIGIONES.] Ædes, aræ, cærimoniæ illis in locis inſtitutæ.

ILLAM BELLVAM.] Clodium monſtrum ex omnium ſcelerum colluuione concretum, & omnium non bipedum ſolùm, ſed etiam quadrupedum nequiſſimum.

IVS IN ILLO SVVM.] Ius ſumendæ de Clodio vindictæ retinuiſſe quam vindictam adeò diſtulerant, vt iure ſuo ceſſiſſe videri poſſent.

VOS ENIM.] Eleganti apoſtrophe, ad ipſas religiones tanquam ſenſu vitali animatas orationem conuertit, & opportunè quidem, quippe cùm inſinuet, eas ſenſum habuiſſe cùm Clodius occiſus eſt, quaſi dicat cùm ſenſum habueritis necis Clodianæ, non dubito vos, vt animatas ratione mea compellare.

ALBANI TVMVLI.] Colliculi, & loci eminentes, aris, ſacellis, vel aliquo ſepimine conſecrati.

LVCI.] Nemora denſa & opacata, religionibus mancipata.

SAC. POP. ROM. SOCIÆ.] Quæ ab Ænea inſtitutis ritibus & cerimoniis celebrantur, eadémque coluntur ſanctitate.

ILLE.] P. Clodius, vt villæ ſuæ inſanas ſubſtructiones excitaret, lucos religioſos & intactos exciderat, & aras ipſas ſuperſtructis ædificiis oppreſſerat.

VESTRÆ TVM ARÆ.] Non video quid hoc ſit, ſuperiùs dixerat.] *Vóſque Albanorum obrutæ aræ.* nunc ſubnectit: *veſtræ tum aræ, veſtræ religiones viguerunt.* vt neſcio quas ararum Albanarum aras dicere videatur. quidam tres has voces *veſtræ tum aræ*, penitùs inducunt. quis prohibet reſcribere! *veſtræ tum, veſtræ religiones*, vel *veſtræ tum illæ, veſtræ religiones viguerunt.*

EX TVO EDITO MONTE.] Monte Albano tibi conſecrato.

LATIARIS.] Cui quotannis ſacra fiunt à ſeptem & quadraginta Latinorum ciuitatibus cum populo Romano communia.

LACVS.] Notus eſt in Annalium monumentis lucus ille Albanus, quare non video quid nonnullos impulerit, vt lucos reſcriberent. cùm præſertim ſubdat *nemora*, & bis idem dicturus fuiſſe videatur.

FINEISQVE.] An confinia lucorum & lacuum intelligit? viderint periti.

OCVLOS APERVISTI.] Qui pœnam adeò diſtuleras, vt in eius ſceleribus cõniuere videreris.

VOBIS.] Iouem & alios religionum præſides Deos complectitur.

NOTÆ.

COMMOVISSE.] Exempla congeri poſſent religionum quæ ſe commouerunt pœnam à ſacrilegis exigentes. Suetonius in Caligula c. 57. *Futuræ cædis multa prodigia extiterunt: Olympiæ ſimulachrum Iouis, quod diſſolui transferríque Romam placuerat, tantùm cachinnum repentè edidit, vt machinis labefactis opifices diffugerint.* Sed ne in ſingulis hæreamus. I.

ALBANI TVMVLI.] Huiuſmodi religiones in campis fuiſſe quæ ſe iter facientibus offerrent, oſtendit Apuleius initio primi Floridorum. *Neque enim iuſtius religioſam moram viatori obiecerit, aut ara floribus redimita, aut ſpelunca frondibus inumbrata, aut quercus cornibus onerata, aut fagus pellibus coronata, vel etiam colliculus ſepimine conſecratus, vel truncus dolamine effigiatus, vel ceſpes libamine humigatus, vel lapis vnguine delibutus.* Maximus Tyrius 38. concione. Ναῦται ἐπὶ ἀκλύστου πέτρας ἀνέθηκαν οἴακας θαλαττίους. οὕτω δέ τις ποιμένων τὸν Πᾶνα τιμᾷ, ἐλάτην αὐτῷ ὑψηλὴν ἐξελόμενος, II.

ἢ ἄντρον βαθύ. καὶ γεωργοὶ Διόνυσον τιμῶσι, πήξαντες ἐν ὀρχάτῳ αὐτοφυὲς πρέμνον, ἀγροικικὸν ἄγαλμα, ἱερὰ δ᾽ Ἀρτέμιδος πηγαὶ ναμάτων, καὶ κοῖλαι νάπαι, καὶ ἀνθηροὶ λειμῶνες. *Nautæ in ſcopulo qui non marinis fluctibus attingitur, gubernacula marina deponunt, ſic paſtorum aliquis Panem honorat, pinum altam ipſe conſecrandam eligens aut profundam cauernam, & agricolæ Bacchum venerantur, ſtolonem ſuis radicibus nixum in horto figentes, agreſte ſimulacrum. Sacraria Dianæ fontes aquarum, cauæ ſpeluncæ, prata florida.* Præſentis non eſt otij ſingula ſeorſim expendere. tantùm nota ſtipites, aras, lapides, arbores in tumulis potiſſimùm fuiſſe religioſè conſecratos, vt eminerent magis, quemadmodum ſolemus cruces in tumulis & collibus editioribus conſecrare. Prudentius lib. poſteriore in Symmachum:

Sanguinis Hectorei populum probo tempore longo
Non multos coluiſſe Deos, paucíſque ſacellis
Contentum paucas poſuiſſe in collibus aras.

Quamquam fieri poteſt, vt tumulorùm nomine non ſolùm colliculos clementi iugo ſurgentes, ſed etiam editum illum Albanorum montem intelligat. Virgilius 12. Æneidos:

At Iuno ex ſummo, qui nunc Albanus habetur,
(Tum neque nomen erat, neque honos, aut gloria monti)
Proſpiciens tumulo, &c.

III. Luci. ATQVE LVCI.] Conſtat è ſexcentis locis tum Virgilij, tum aliorum lucos fuiſſe ſiluas opacas & nemoroſas Deorum numini conſecratas vel per antiphraſim quod minimè lucerent, vel quod arbores ſacras non ſolùm vittis & tæniis, ſed etiam lucernis & cereis decorarent. Prudentius libro poſteriore aduerſus Symmachum:

Et quæ fumificas arbor vittata lucernas
Seruabat, cadit vltrici ſucciſa bipenni.

Franciſcus Sanctius grammaticorum antiphraſim explodit, & à Fabio lib. 1. cap. 6. irrideri dicit qui talia comminiſcuntur. *Etiámne à contrariis aliqua ſinemus trahi? vt lucus, quia vmbra opacus parum luceat, & ludus quia ſit longiſsimè ab luſu? & Dis quia minimè diues.* Hæc Fabius. Subdit Sãctius: *Lucum ab Etruſca voce deductum exiſtimo. Etruſca enim eſſe nomina Varro in Originibus aſſerit, Luceres & Lucomones.* Eſt porro Etruſcia vox Lucà, cum accentu in vltima vt Talmudiſtæ aiunt, idem quod ſenex, ſiue Senator. Et de antiquitate lucorum & illorum religione pleni ſunt Poëtarum libri. Lucanus lib. 3.

Lucus erat longo nunquam violatus ab æuo, &c.

IV. SACRORVM POPVLI ROMANI SOCIÆ ET ÆQVALES.] Huic fortaſſe loco lux affulgeat ex Iuuenale:

Iamque lacus ſuberant, vbi quamquam diruta ſeruat
Ignem Troianum, & Veſtam colit Alba minorem.

Sed cùm Noſter religiones Albanas *ſacrorum populi Romani ſocias & æquales* appellet, ille *Veſtam minorem*, malo de feriis Latinis explicare, quæ Latinis fuerunt cum populo Romano communes à Tarquinio ſuperbo inſtitutæ. Halicarnaſſeus libro quarto: Τόπον μὲν ἀπέδειξεν ἔνθα συνιόντες (οἱ Λατῖνοι) τὴν σύνοδον, ἐν μέσῳ μάλιστα τῶν ἐθνῶν κείμενον, ὄρος ὑψηλὸν ὃ τῆς Ἀλβανῶν πόλεως, ἐν ᾧ πανηγύρεις τ᾽ ἀνὰ πᾶν ἔτος ἄγεσθαι, καὶ ἐκεχειρίας εἶναι πᾶσι πρὸς πάντας ἐνομοθέτησε θυσίας τε συντελεῖσθαι κοινὰς τῷ καλουμένῳ Λατιαρίῳ Διΐ, καὶ συνεστιάσεις, τάξας ἃ δεῖ παρέχειν ἑκάστην πόλιν εἰς τὰ ἱερὰ, καὶ μοῖραν ἣν ἑκάστην δεήσει λαμβάνειν. αἱ δὲ μεταλαχοῦσαι τῆς ἑορτῆς τε καὶ τῆς θυσίας πόλεις, τεσσάρων δέουσαι πεντήκοντα ἐγένοντο. *Locum deſignauit in quem Latini conuenirent, in medio gentium poſitum, montem editum qui Albanorum vrbi incumbit, in quo conuentus quotannis fieri, & omnibus erga omnes inducias eſſe lege conſtituit, ſacrificiáque fieri communia Ioui, vt vocatur, Latiari, & epulas. conſtituto quid vnaquæque ciuitas ad ſacra conferre, & quam partem accipere deberet. Vrbes verò quæ huius feſtiuitatis & ſacrificij ſunt participes ſeptem & quadraginta numerantur.* Hactenus Dionyſius Halicarnaſſeus. Hinc igitur ſociæ dicuntur, quòd communes eſſent Romanis & Latinis populis ſociis, & inter ſe fœderatis. Adde quòd Romani non vt domini, ſed vt ſocij ſacra faciebant: Ἑνὸς δὲ ταύρου κοινοῖς ὑπὸ πασῶν θυομένου μέρος ἑκάστη τὸ τεταγμένον λαμβάνει. *Tauro ab omnibus communiter immolato, vnaquæque partem accipit competentem.* Liuius libro 2. dec. 4. *Feriæ Latinæ pontificum decreto inſtauratæ ſunt, quòd legati ab Ardea queſti in Senatu erant, ſibi in monte Albano Latinis, carnem, vt aſſolet, datam non eſſe.* Præerant tamen Romani, vt idem auctor ſubdit: Θύουσι δ᾽ ὑπὲρ πάντων καὶ τὴν ἡγεμονίαν τῶν ἱερῶν ἔχουσι Ῥωμαῖοι. *Omnium verò nomine ſacrificant, & ſacrorum principatum obtinent Romani.* Ibidem. Sed cur æquales? Opinor, quod eadem frequentia & dignitate qua ludos Romanos, iſtas ferias celebrarent, & cuncti magiſtratus intereſſent. Idem Halicarnaſſeus libro 8. Οὐδ᾽ αὐτοῖς γάρ εἰσι τῶν ἔξω τῆς πόλεως οἱ τὴν δημαρχικὴν ἔχοντες ἐξουσίαν κύριοι. περιγέγραπται αὐτῶν τὸ κράτος τοῖς τείχεσι, καὶ οὐδ᾽ ἀπαυλισθῆναι τῆς πόλεως αὐτοῖς θέμις, ὅτι μὴ πρὸς ἕνα καιρὸν, ἐν ᾧ πᾶσαι θύουσιν αἱ τῆς πόλεως ἀρχαὶ κοινὴν ὑπὲρ τοῦ Λατίνων ἔθνους τῷ Διΐ θυσίαν, ἐπὶ τὸ Ἀλβανῶν ὄρος ἀναβαίνουσαι. *Tribuni plebis nullam prorſus extra pomœrium habent poteſtatem. Mœnibus enim circumſcribitur eorum auctoritas, neque pernoctare extra vrbem fas eſt ipſis, præterquam vno tempore, cùm omnes Vrbis Magiſtratus commune faciunt pro Sociis Latini nominis Ioui ſacrificium, cùm in Albanum montem aſcenderint.* Hinc illud Liuianum lib. 25. *Romæ Conſules Prætoréſque vſque ante diem quintum Calendas Maias Latinæ tenuerunt. Eo die perpetrato ſacro in monte, in ſuas quiſque proficiſcuntur prouincias.* Quare vnum è Patribus Præfectum vrbis eligebant, qui pernoctantibus in monte magiſtratibus in vrbe remaneret. Notatúmque eſt prodigij loco ante bella ciuilia, quòd Πολίαρχος οὐδεὶς ἐς τὰς ἀνοχὰς ὥσπερ ἤθιστο ᾑρέθη. *Nullus de more præfectus vrbis ad ferias electus eſt.* Narrat Dio libro 41. item lib. 49. Ἔν τε ταῖς ἀνοχαῖς αἱρετοὶ ὑπὸ τοῦ Καίσαρος πολίαρχοι παῖδες ἄνηβοι ἐξ ἱππέων, ἀλλ᾽ οὐκ ἐκ βουλευτῶν γενόντες ἦρξαν. *In feriis electi ab Auguſto Præfecti vrbis pueri impuberes ex equeſtri ordine non ex Senatu.* Nec omiſerim illud videri magiſtratus iter illud pedibus confeciſſe, niſi ſi locus ille ſcriptoris eiuſdem lib. 43. corruptus eſt, vbi priuilegia & honores Iulio Cæſari decretos enumerans ait, μετὰ δὲ τὰς ἀνοχὰς τὰς Λατίνας ἐπικληθείσας, ἐς τὴν πόλιν ἐκ τοῦ Ἀλβανοῦ ἐπελαύνειν ἔδοσαν. *poſt ferias quæ Latinæ vocantur, vt in vrbem curru inueheretur conceſſum eſt.* Porro quod ad ritus attinet, videntur Conſules ipſi omnes montis Albani tumulos obiiſſe, & quibuſdam luſtrationibus expiaſſe, lac libaſſe, caſeos Diis obtuliſſe, agnos immolaſſe, poſtremo

Feriæ Latinæ.

Præfectus Vrbis feriis Latinis.

taurum mactatum, & in fruſta diſcerptum ſingulis ciuitatibus diuiſiſſe. Cicero de ſuo conſulatu:

Tu quoque cùm tumulos Albano in monte niuales

Luſtraſti, & læto mactaſti lacte Latinas.

Ritus feriarũ Latinarum.

Halicarnaſſeus 2. antiquitatis: Ταύτας τὰς ἑορτὰς τε καὶ τὰς θυσίας μέχρι τῶν καθ' ἡμᾶς χρόνων τελοῦσι Ῥωμαῖοι, Λατίνας καλοῦντες, καὶ φέρουσιν εἰς ταύτας αἱ μετέχουσαι τῶν ἱερῶν πόλεις, αἱ μὲν ἄρνας, αἱ δὲ τυρούς, αἱ δὲ γάλακτός τι μέτρον, αἱ δὲ ὅμοιόν τι πόπανον πελάνου γένος. ἑνὸς δὲ ταύρου κοινῶς ὑπὸ πασῶν θυομένου μέρος ἑκάστη τὸ τεταγμένον λαμβάνει. θύουσι δ' ὑπὲρ πάντων καὶ τὴν ἡγεμονίαν τῶν ἱερῶν ἔχουσι Ῥωμαῖοι. *Has ferias & ſacrificia Latinarum nomine ad noſtram ætatem faciunt Romani, & ex vrbibus quæ ſacrorum ſunt participes ad ea conferunt aliæ quidem agnos, aliæ caſeos, certam aliæ lactis menſuram, aliæ aliquod huiuſmodi placentæ genus. Vno verò tauro communiter pro omnibus immolato, conſtitutam ſingulæ referunt partem. Sacrificant verò pro omnibus, & principes ſacrorum ſunt Romani.* Neque refert quòd, vt mox videbimus, ædiles dicantur iis ſacrificiis præfuiſſe. præerant enim ad ludorum & ſacrificiorum apparatum: at Conſules ipſi, ſi Tullium intelligo, luſtrationes, libationes, & ſacra faciebant. Iiſdem feriis etiam hominem immolabant. Porphyrius apud Euſebium lib. 4. præparat. Euang. Ἀλλ' ἔτι γε νῦν τίς ἀγνοεῖ κατὰ τὴν μεγάλην πόλιν τῇ τοῦ Λατιαρίου Διὸς ἑορτῇ σφαζόμενον ἄνθρωπον; *Sed etiamnum quis ignorat in magna Vrbe Latiaris Iouis feſto hominem iugulari.* Quod ſancti Patres frequenter gentilibus exprobrarunt.

Homo immolatus feriis Latinis.

Minutius Fœlix in Octauio: *Quid ipſe Iupiter veſter? modò imberbis ſtatuitur, modò barbatus locatur: & cùm Ammon dicitur habet cornua, & cùm Capitolinus, tunc gerit fulmina, & cùm Pheretrius non auditur.* Quid hoc eſt quaſo? *non auditur.* Quid ſi legeres *non aditur*, id eſt, tam rarò deferuntur ad illum opima ſpolia, vt penitùs non adiri videatur: ſed viderint docti. nos ad rem. idem paulò poſt: *Romani Græcum, & Græcam, Gallum & Gallam, ſacrifici viuentes obruere: hodiéque ab ipſis Latiaris Iupiter homicidio colitur.* Lactantius lib. 1. de falſa rel. cap. 21. *Latiaris Iupiter etiamnunc ſanguine colitur humano.* ante omnes Theophilus Antiochenus libro 3. ad Autolycum: Διὸς τοῦ Λατεαρίου διψῶντος αἵματος ἀνθρωπίνου. *Iouis Latiarij humanum ſanguinem ſitientis.* Tatianus ad Græcos: Εὗρον δὲ παρὰ Ῥωμαίοις τὸν Λατιάριον Δία λύθροις ἀνθρώπων, καὶ τοῖς ἀπὸ τῶν ἀνδροκτασιῶν αἵμασι τερπόμενον. *Inueniens apud Romanos Iouem Latiarem cruore hominum & ſanguine per homicidium fuſo ſe oblectantem.* Dubitare quis poſſit vtrùm tam dira ſacrificia iam viguerint æuo Ciceronis. vix adducor vt credam. Primò quòd omnes antiqui rem adeo diram obſtinato ſilentio ſuppreſſerint: & ipſe Dionyſius huius religionis cerimonias & ritus adeo diligenter enucleans nihil inſinuarit eiuſmodi. Secundò, quòd Tullius hanc immanitatem grauiſſimè Gallis exprobrarit pro M. Fonteio 21. *Poſtremò his quicquam ſanctum ac religioſum videri poteſt, qui etiamſi quando aliquo metu adducti deos placandos eſſe arbitrantur, humanis hoſtiis eorum aras ac templa funeſtant? vt ne religionem quidem colere poſſint, niſi eam ipſam prius ſcelere violarint. Quis enim ignorat eos vſque ad hanc diem retinere illam immanem ac barbaram conſuetudinem hominum immolandorum?* Quæ qua fronte dixiſſet, ſi tum Romani humanas hoſtias immolaſſent. Tertiò, quòd ſi quid huiuſmodi contigerat, id tanquam rarum ac penè inauditum notarint hiſtorici. Dio lib. 43. Ἄλλοι δὲ δύο ἄνδρες ἐν τρόπῳ τινὶ ἱερουργίας ἐσφάγησαν. καὶ τὸ μὲν αἴτιον οὐκ ἔχω εἰπεῖν. οὔτε γὰρ ἡ Σίβυλλα ἔχρησεν, οὔτ' ἄλλο τι τοιοῦτον λόγιον ἐγένετο. ἐν δ' οὖν τῷ Ἀρείῳ πεδίῳ πρός τε τῶν Ποντιφίκων, καὶ πρὸς τοῦ ἱερέως τοῦ Ἄρεως ἐτύθησαν. *Alij duo viri quodam ſacrificij ritu iugulati ſunt. cuius rei cauſſam reddere non poſſum. neque enim aut Sibylla iuſſerat, aut aliud eiuſmodi extabat oraculum. Et hi quidem in campo Martio tum à Pontificibus, tum à flamine Martiali ſunt immolati.* Quid? quòd Plutarchus in quæſtionibus Romanis cauſſam inquirit, cur cùm audiſſent Bletoneſios Barbaros hominem immolare, eorum magiſtratus pœnam impietatis daturos acciuerint, compertóque id antiqua lege fieri, dimiſerint illos quidem, ſed de cætero vetuerint homines immolare. ipſi verò non multis antè annis Gallum & Gallam, Græcum & Græcam viuos in boario foro defoderint. hanc adfert rationem: Τοὺς μὲν ἔθει καὶ νόμῳ τοῦτο πράττοντας ἁμαρτάνειν ἐνόμιζον, αὐτοὶ δὲ προσταχθέντες ἐκ τῶν Σιβυλλείων ἐποίησαν. *Qui id lege & ex conſuetudine facerent, peccare arbitrabantur, ipſi verò id fecerunt iuſſi Sibyllinis oraculis.* E quibus videri poſſit nondum conſuetudine receptum fuiſſe, vt homines immolarent. Quare ſubductis rationibus ſic exiſtimo, nondum homines æuo Ciceronis & libera Repub. fuiſſe Latiari Ioui mactatos, quamuis iam tum feriis Latinis ludos feciſſe, gladiatores edidiſſe, beſtiarios, id eſt, homines qui cum beſtiis pugnarent, in amphitheatrum produxiſſe videantur. quorum ludorum ſolemnitatibus, & ſacrificiis tres dies eximebant.

Vtrùm ea ſuperſtitio iam viguerit æuo Ciceronis.

Dionyſius libro 6. ſub finem: Ἐψηφίσατο δὲ καὶ θυσίας ἀποδοῦναι τοῖς θεοῖς ἡ βουλὴ χαριστηρίους ὑπὲρ τῆς πρὸς τὸν δῆμον διαλλαγῆς, προσθεῖσα μίαν ἡμέραν ταῖς καλουμέναις Λατίναις ἑορταῖς δυσὶν οὔσαις. τὴν μὲν πρώτην ἀνιερώσαντος βασιλέως Ταρκυνίου, καθ' ὃν χρόνον ἐνίκησε Τυρρηνούς. τὴν δ' ἑτέραν τοῦ δήμου προσθέντος ὅτε τοὺς βασιλεῖς ἐκβαλὼν ἐλευθέραν τὴν πόλιν ἐποίησεν. ὡς ἡ τρίτη προσετέθη ἐπὶ τῆς καθόδου τῶν ἀποστατῶν ἕνεκα. *Decreuit Senatus vt ſacrificia Diis fierent in gratiarum actionem ob reconciliatam plebem patriciis. addens vnum diem feriis Latinis duabus. primum diem Tarquinius eo tempore conſecrarat, quo Tyrrhenos ſuperauit. alterum plebs adiecerat eiectis Regibus, & libertate Reipub. conſtituta. tertius acceſſit ob reditum eorum qui* in ſacrum mõtem *ſeceſſerant.* Succeſſu deinde temporis videntur fuiſſe, *ſed dies feriati*, vt è Feſto voce *Oſcillum* non obſcurè poteſt intelligi. Ludos autem factos fuiſſe, & ab Ædilibus editos idem teſtatur verbis quæ proximè ſubſequuntur: Τὴν δὲ προστασίαν, καὶ τὴν ἐπιμέλειαν τῶν ἐν αὐταῖς γινομένων θυσιῶν τε καὶ ἀγώνων, οἱ τοῦ δημάρχου ὑπηρέται παρέλαβον, οἱ τὴν νῦν ἀγορανομικὴν ἔχοντες ἐξουσίαν, ὥσπερ ἔφην, κοσμηθέντες ὑπὸ τῆς βουλῆς πορφύρᾳ, καὶ θρόνῳ ἐλεφαντίνῳ, καὶ τοῖς ἄλλοις ἐπισήμοις, οἷς εἶχον οἱ βασιλεῖς. *Præfecturam autem & procurationem eorum, quæ his feriis fiunt, ſacrificiorum & certaminum Tribunorum plebis adminiſtri ſuſceperunt, qui nunc ædilitiam obtinent poteſtatem, vt ſuperiùs dixi, ornatique ſunt à Senatu prætexta, ſella curuli, & aliis ornamentis, quæ quondam Reges habuerunt.* Lapſu deinde temporis, vt videtur, eò deuentum eſt, vt ex iis qui ad beſtias damnati fuerant, eligeretur vnus. quem ſacrificij ritu Latinis feriis immola-

Procuratio ſacrificiorum penes Ædiles curules.

rent. Tertullianus apologet. cap. 9. *Ecce in illa religioſiſſima vrbe Æneadarum piorum. eſt Iupiter quidam quem ludis ſuis humano proluunt ſanguine. Sed beſtiariorum, inquitis, opinor hoc minùs, quàm hominu.* Quæres; quandónam immanis hic ritus in ferias Latinas irrepſerit. Mihi non liquet. ſuſpicor tamen paulò pòſt deuictas Gallias id contigiſſe. nam, vt multis exemplis compertum eſt, Romam deuictarum à ſe gentium ſacra transferebant. Quamuis hæc hominum mactatio fortaſſe non in Albanis tumulis, ſed in ipſa Vrbe fiebat. Tertullianus Scorpiaco: *Latio in hodiernum Ioui media in Vrbe humanus ſanguis inguſtatur.* ídque iuxta arcem ſiue auguraculum. Varro lib. 4. de lingua Latina: *Collis Latiaris ſexticepſos in vico muſtellario ſummo apud Turaculum.* legit Scaliger *auguraculum.* Et fortaſſe fruſtra laborauimus, nec ſolebat ille beſtiarius victimarum ritu à victimariis immolari: ſed ſolemne fuit, vt aliquis è ſceleratis & damnatis ante aram Iouis Latialis cum feris, vel cum gladiatoribus ad necem & ſine miſſione pugnaret. vnde & id factum, *Latiali in munere*, id eſt, in ludo & certamine, non in ſacrificio tradit Prudentius libro in Symmachum priore:

Funditur humanus Latiali in munere ſanguis,
Conſeſſúſque ille ſpectantum ſoluit ad aram
Plutonis fera, vota ſui.

tamen quæ proximè ſequuntur, eam cædem à victimariis, & quidem ſeceſpita ſine myſtico cultello factam fuiſſe demonſtrant:

quid ſanctius ara
Qui bibit egeſtum per myſtica tela cruorem?

Oſcilla. Quod ad cæteros ritus attinet, oſcillis quibuſdam corpora ſua pendulo impetu per aërem librabant, & lac bibebant: quod *videretur*, verba ſunt Feſti Pompeij, *cœlum poſſe adiri per oſcillationem, velut imaginem quandam vitæ humanæ, in qua altiſſima ad infimum, interdum infima ad ſummum* Lactis potio. *efferuntur. atque ideo memoriam quoque redintegrari initio acceptæ vitæ per motus cunarum lactíſque alimentum, quia per eos dies feriarum, & oſcillis moueantur, & lactata potione vtantur.* Quid autem propriè ſint oſcilla vide Maronis interpretes ad illum verſum:

Oſcilla ex alta ſuſpendunt mollia pinu.

Poſtremo, vt obiter id notem, hæ feriæ ſtatæ non fuerunt, ſed conceptiuæ. Varro libro 5 de lingua Latina: *Latinæ feriæ dies conceptiuus, dictus à Latinis populis, quibus ex Albano monte ex ſacris carnem petere fuit ius cum Romanis.*

V. TVO.] Tibi conſecrato. Maximus Tyrius trigeſima octaua concione: Ἐπεφήμισαν δὲ καὶ Διὶ ἀγάλματα οἱ πρῶτοι ἀνθρώποι κορυφὰς ὀρῶν. *Primi mortales Iouis ſimulachra montium faſtigia nuncuparunt.* Item: Ὄρος Καππάδοξι, καὶ θεός, καὶ ὅρκος, καὶ ἄγαλμα. *Mons Cappadocibus eſt, & Deus, & iuramentum, & ſimulachrum.* Hinc Poëtæ frequenter Deos aiunt in montium faſtigiis habitare. vt,

Ζεῦ πάτερ Ἴδηθεν μεδέων, κύδιστε, μέγιστε.
Iuppiter ex Ida Pater Optime maximè regnans.

Colles Ioui conſecrati. 8. Æneidos:

Hoc nemus, hunc, inquit, nemoroſo vertice collem
Quis Deus incertum eſt, habitat Deus. Arcades ipſum
Credunt ſe vidiſſe Iouem.

Herodotus prima Muſa de Perſis: Οἱ δὲ νομίζουσι Διὶ μὲν ἐπὶ τὰ ὑψηλότατα τῶν ὀρέων ἀναβαίνοντες θυσίας ἔρδειν, τὸν κύκλον πάντα τοῦ οὐρανοῦ Δία καλέοντες. *Alij verò ſolent Ioui ad altiſſimorum montium faſtigia adſcendentes ſacra facere, totum cœli circulum Iouem appellantes.*

EDITO COLLE.] Albano. quem Virgilius verſu citato *altum tumulum.* Dionyſius, ὄρος ὑψηλὸν appellat. Strabo libro 5. poſtquam Aricinæ Dianæ lucum deſcripſit: Πλησίον δ' ἐστὶ τῶν χωρίων τούτων καὶ Ἀλβανὸν ὄρος πολὺ ὑπερκύπτον τοῦ Ἀρτεμισίου, καὶ τῶν περὶ αὐτὸ ὀφρύων, καίπερ ὑψηλῶν οὐσῶν, καὶ ὀρθίων ἱκανῶς. *Hiſce locis proximus eſt mons Albanus, longè editior luco Dianæ, & cæteris iuxta ſuperciliis, licet alta ſint, & in rectum ſufficienter exurgant.* Atque hæc ſupercilia eſſe reor, quæ Noſter paulò ante *Albanos tumulos* nominauit. VI. Albanus mõs.

VII. LATIALIS.] Feſto, Ciceroni, Lactantio, *Latialis.* Minutio Fœlici, &c, vt quidam legunt, Iulio Firmico, *Latiaris*, Λατιάριος. Dionyſio & Tatiano, Porphyrio, Λατιάλιος, Λατιάριος Theophilo. Feſtus, *Oſcilla. Latinus Rex, quod prælio quod ei fuit aduerſus Mezentium Cæritum Regem, nuſquam apparuerit, iudicatúſque ſit Iuppiter factus Latialis.* Prudentius lib. in Symmachum priore Iouem Latialem non videtur à Plutone diſtinguere. Tertullianus in Scorpiaco *Latium Iouem* appellat. Lucanus: Iupiter Latialis.

Et reſidens celſa Latialis Iuppiter Alba.

VIII. SANCTE IVPITER.] Interpretatur Halicarnaſſeus libro 4. Διὸς πιστίου, ὃν Ῥωμαῖοι Σάγκτον καλοῦσι *Iouis fidelis, quem Romani Sanctum appellant.* Quod videlicet fidem datam & fœdus inter Romanos & Latinos ictum ſanciret. 12. Æneidos: Iupiter Sanctus.

Et pater omnipotens qui fœdera fulmine ſancit.

Sanctio autem ea pars legum dicitur, qua pœnæ & ſupplicia in tranſgreſſores conſtituta continẽtur. Macrobius Sat. 10. lib. 3. *Sanctæ leges, quæ pœnæ Sanctione corrumpi vetantur.* &, vt è ruderibus Feſti rimatur Scaliger. Sanctum dicitur: *Cum pœna multáve ſit impoſita id violanti.* Bene autem hoc loco Iouem *ſanctum* appellat, quia pœnas à ſuis violatoribus exigebat. Siquidem, vt è dictis colligi poteſt: Sanctum illud vocatur quod non licet impune violare: vt Sanctæ leges: Sancti Tribuniplebis, qui non poterant impune cædi: Sancti muri, quos non licebat impune tranſilire. vel Sanctus Iupiter, quia Rempub. Clodij nece expiarat, & illam cladem extinxerat: quo pacto Hercules Sanctus dictus fuit, quod Diomedem, Buſiridem, & huiuſmodi terrarum peſtes è medio ſuſtuliſſet. Propertius libro quarto elegia decima: Sanctio legum. Hercules Sanctus.

Hunc, quoniam manibus purgatum ſanxerat orbem,
Sic Sanctum Tatiæ compoſuere Cures.

IX. LACVS.] Reponunt alij *lucos*, non arridet, ne *lucos nemora* bis idem dixiſſe videatur, quod Euripides apud Ariſtophanem in Æſchylo iure reprehendit. Sed hanc vocem neſcio quo fato, etiam nonnulli Virgilio ſuſtulerunt. 9. Æneidos:

Atque lacus, qui poſt Albæ cognomine dicti Albani.

Tres autem eo tractu fuerunt lacus, vnus Nemorenſis Dianæ ſacer, quem nunc crediderim *ſpeculum Dianæ* nominari, alter lacus Iuturnæ, tertius Albanus cæteris duobus longè maior: quos Propertius lib. 3. & 21. hoc diſticho complexus eſt:

Albanúſque lacus Sorij Nemorenſis ab vnda,
Potáque Pollucis Nympha ſalubris equo. Lacus Albanus.

Vide Strabonem libro 5. de lacu Albano. Cic. de diuinatione. Liuium lib. 3. Plutarchum in Camillo, & alios paſſim. Cur igitur lucos reponunt? an quòd lacus ſacros, Diis eſſe non putarent? at Seneca refragatur epiſt. 41. *Coluntur aquarum fontes & ſtagna quædam vel opacitas, vel immenſa altitudo ſacrauit.* Sed vide quæ in Tacitum 14. annalium Iuſtus Lipſius annotauit. Item quæ Soſimus libro 1. de lacu Veneris Aphacitidis, & alij de aliis tradunt. nobis ſatis erit vnum ex Sotione libro de miraculis fluuiorum, fontium & lacuum adducere: Ἐν Λυδίᾳ ἐστὶ λίμνη, Τάλα μὲν καλουμένη, ἱερὰ δ' οὖσα νυμφῶν. *In Lydia lacus eſt, dictus Tala, Nymphis conſecratus.* Pergit, ſed parco Græcis: *Fert ingentem vim arundinum: & inter eos medius eſt calamus, quem incolæ Regem appellant, annúſque ſacrificiis & Feſtis venerantur. His perfectis, ſtatim atque in ripa ſymphoniæ concentus auditus eſt, omnes calami choreas agunt, & Rex cum ipſis ſaltitans ad littus accedit.* Ἐπειδὰν, inquit, ἀπὸ τῆς ᾐόνος κτύπος συμφωνίας γένηται, πάντες οἱ κάλαμοι χορεύουσι. καὶ ὁ βασιλεὺς σὺν αὐτοῖς χορεύων, παραγίνεται ἐπὶ τὴν ᾐόνα. *Incolæ verò eum vittis & tenus redimitum dimittunt, precati vt in annum ſequentem denuò poſſint accedere.* Hæc ille ex Iſigono.

Lacus Talæ miraculum.

x. OCVLOS APERVISTI.] Sicut contra dicitur nonnunquam, *in ſceleribus conniuere.* vide Cœlianam 59. De oculo Iouis & Iuſtitiæ pleni ſunt libri. Heſiodus:

Oculus iuſtitiæ.

> Πάντα ἰδὼν Διὸς ὀφθαλμὸς, καὶ πάντα νοήσας.
> *Omnia deſpiciens oculus Iouis, omnia noſcens.*

Menander Comicus apud Clementem 5. Stromatum:

> Μηδὲ βελόνης ἔναμμ' ἐπιθυμήσῃς, Πάμφιλε,
> Ὁ γὰρ Θεὸς βλέπει σε, πλησίον παρών.
> *Deſiderare Pamphile, vel acum caue.*
> *Nam te propinquum reſpicit præſens Deus.*

Diphilus ibidem citatus:

> Ἔστι Δίκης ὀφθαλμὸς ὃς τὰ πάνθ' ὁρᾷ.
> *Qui cuncta cernant Iuſtitia oculos habet.*

Pindarus:

> Ζεὺς ὑψιμέδων ὃς ἅπαντα δέρκεται.
> *Iupiter omnipotens qui omnia videt.*

Hinc Latini:

> *Nec Saturnius eſt hæc oculis pater adſpicit æquis.*
> *Reſpiciunt oculis ſuperi mortalia iuſtis.*

& alia ſexcenta. Dionyſius apud Theophilum:

> Ὁ τῆς Δίκης ὀφθαλμὸς ὃς δι' ἡσυχίας βλέπων.

SERÆ SED IVSTÆ.] Hinc adagium: xi.

> Ὁ Ζεὺς κατεῖδε χρόνιος εἰς τὰς διφθέρας.
> *Serus reuiſit ipſe membranas Deus.*

Quod Suidas ſic exponit: Ἐπὶ τῶν ποτ' ἀμειβομένων ὑφ' ὧν πράττουσι καλῶν ἢ κακῶν. ὅτι οὐκ ἀπρονόητά φασι τὰ πάντα. ἀλλὰ τὸν Δία εἰς διφθέρας τινὰς ἀπογράφεσθαι, καί ποτ' ἐπεξιέναι. *De iis qui mercedem recipiunt rerum à ſe bene vel malè geſtarum. Dicebant enim non omnia temere fieri ſine diuina prouidentia. Sed Iouem hominum actiones in membranas referre, & tandem exigere rationem. Lento enim gradu,* vt cum Valerio loquar lib. 1. cap. 2. *ad vindictam ſui diuina procedit ira: tarditatémque ſupplicij grauitate compenſat.* Sed nihil moror, vide Plutarchum de ſera numinis vindicta. Statius 4. Theb.

Sera numinis vindicta.

> *-mouet & cœleſtia quondam*
> *Corda dolor, lentoque irrepunt agmine pœnæ.*

Commodiſſimè verò hoc loco profert Syluius vir eruditus, à Fabio lib. 6. de amphibologia laudari acutum Oratoris reſponſum, quod *Cùm obiiceret Miloni accuſator in argumentum factarum Clodio inſidiarum, quod Bouillas ante horam nonam diuertiſſet, vt expectaret dum Clodius à villa ſua exiret, & identidem interrogaret quo tempore Clodius occiſus eſſet, reſpondit* SERO.

AXIOMATA.

Deus aliquando aperit oculos ad ſcelera punienda.
Etſi ſeræ, iuſtæ tamen à ſceleratis pœnæ exiguntur.

ARGVMENTVM.

Duo alia demonſtrat diuinæ vindictæ veſtigia: alterum, quòd ante ſacellum Bonæ Deæ, quam nefario ſtupro violarat occiſus eſt: alterum, quòd ab ipſis ſuæ factionis ſatellitibus legitimo ſepulturæ honore priuatus.

LXXXVII. NISI fortè hoc etiam caſu factum eſſe dicimus, vt ante ipſum ſacrarium Bonæ Deæ, quod eſt in fundo T. Sextij Galli in primis honeſti & ornati adoleſcentis, ante ipſam, inquam, Bonam Deam, cùm prælium commiſiſſet, primum illud vulnus acceperit, quo teterrimam mortem obiret: vt non abſolutus iudicio illo nefario videretur, ſed hanc inſignem pœnam reſeruatus. Nec verò non eadem ira Deorum hanc eius ſatellitibus iniecit amentiam, vt ſine imaginibus, ſine cantu, ſine ludis, ſine exſequiis, ſine lamentis, ſine laudationibus, ſine funere, oblitus cruore & luco, ſpoliatus illius ſupremi diei celebritate, quam concedere etiam inimici ſolent, ambureretur, etiam abiectus. non fuiſſe credo fas clariſſimorum virorum formas illi teterrimo parricidæ aliquid decoris afferre, neque vllo in loco potiùs mortem eius lacerari, quàm in quo vita eſſet damnata.

EXPLANATIO.

NISI FORTE.] Ironia: ſeriò ita loqueretur. Etiamſi cætera fortuitò facta fuiſſe diceremus, tamen negare non poſſemus, id certò diuinæ prouidentiæ ſacrilegium vlciſcentis conſilio contigiſſe, vt ante ipſum ſacellum Bonæ Deæ, cuius in opertum penetrarat, illaturus ſtuprum Pompeiæ Cæſaris vxori, ante ipſam, inquam, Bonam Deam, Birria gladiator humerum Clodij romphæa traiecerit, eíque primam plagam inflixerit.

TETERRIMAM MORTEM OBIRET.] Multis vulneribus confectus. aduerte artificium: cum de cæde, vt de Milonis facto loqueretur, orationem ſummo ſtudio leniebat. 29. *Fecerunt id ſerui Milonis*, &c. *quod ſuos quiſque ſeruos in tali re facere voluiſſet.* Hic, cùm de eadem, vt de ſupplicio ſacrilegiis eius illato loquitur, eam atrocitate verborum exaggerat: vt diuinam prouidentiam iuſtitiámque commendet.

IVDICIO ILLO.] Cùm iudicibus pecunia & noctium pactione corruptis abſolutus eſt, cùm cauſſam diceret de religionibus Bonæ Deæ nefariè violatis.

INSIGNEM.] Notabilem ob circunſtantiam loci: vt ante eius ſacellum pœnas lueret, cuius religiones polluerat.

NEC VERO NON.] Altera pars: qua diuinam prouidentiam probat, ex eo quòd fuerit ſolemni exequiarum honore priuatus.

EIVS SATELLITIBVS.] Sext. Clodio, T. Munatio Planco, & cæteris factioſorum principibus.

SINE IMAGINIBVS.] Maiorum, quæ in funeribus pheretro præferri conſuerunt.

SINE CANTV.] Tibiarum & tubarum, cum quibus funeris pompa producitur.

SINE LVDIS.] Munere gladiatorum buſtuariorum, ad mortui manes placandos.

SINE EXEQVIIS.] Sine comitatu eorum qui funus exequuntur.

SINE LAMENTIS.] Præficarum, ante pheretrum lamentantium, & pectus plangentium.

SINE LAVDATIONE.] Oratione funebri, quæ fieri ſolet in foro.

SINE FVNERE.] Hoc, opinor, verbo ſummam facit omnium dictorum: vel peculiariter ipſam cadaueris facibus & funalibus ſtipati elationem intelligit.

OBLITVS CRVORE ET LVTO.] Non lotus, & vnctus, vt fieri ſolet.

SPOLIATVS.] Vide quibus, quámque ſelectis verbis Clodianorum immanitatem expendat: partim vt eos in inuidiam adducat, partim & potiſſimùm vt diuinam prouidentiam oſtendat, quæ Clodium, etiam per factionis ſuæ ſatellites & primipilos, tam ſeuerè punierit. *Spoliatum* dicit, quod atrociùs eſt quàm priuari. addit *illius*. ob emphaſim, *Supremi*. vt denotet, nihil eſſe reliqui, quo illa honoris iactura ſarciatur. Addit, *quam concedere etiam inimici ſolent.* Multò minùs amici negaſſent, niſi eos occulta quædam diuinæ prouidentiæ vis impuliſſet.

AMBVRERETVR.] Non penitùs vreretur, ſed circumureretur, & ſemicrudus relinqueretur.

ETIAM ABIECTVS.] Nocturnis canibus laniadus. vel ambureretur poſtquam eiectus fuiſſet è domo, non depoſitus ad ianuam, & deinde elatus.

CLARISS. VIRORVM FORMAS.] Imagines maiorum Clodij. qui tam clari fuerunt, vt pater, auus, proauus, atauus geſſerint conſulatum. pro Cœlio 33.

PARRICIDÆ.] Qui tot homines liberos occiderat, tot ſe criminibus capitalibus obligarat, me priuatim, quem Patrem patriæ Senatus appellauit, omni ſcelere vexauerat.

MORTEM EIVS.] Cadauer eius non decebat alio loco laniari, & canibus obiici, quàm in ipſa Curia, vbi Senatus eius ſuppliciis religiones expiandas ſæpè cenſuerat, eúmque ſexcentis Senatuſconſultis confixerat. vide quæ diximus ſuperius. 74.

NOTÆ.

HIC omittemus, quæ fuſiùs antè tractata de imaginibus, exequiis, laudatione, lotione, & vnctione mortuorum. Vide Notas in §. 34. huius ipſius orationis. de epulis ludíſque funebribus, Vatinianam 30. 31. 32. I.

SACRAMENTVM BONÆ DEÆ.] De more Cenſorinus præfatione libri De die natali: *Itaque cùm perceperant fruges antequam veſcerentur, Diis libare inſtituerunt: & cùm agros atque vrbes Deorum munere poſſiderent, partem quandam templis ſacelliſque, vbi eos colerent, dicauerunt.* Bacchilides: II.

Εὔδημος τὸν νηὸν ἐπ' ἀγροῦ τόνδ' ἀνέθηκε.

Hoc templum Eudemus proprio ſacrauit in agro.

Propertius libro 2.

Atque ibi rara feres inculto tura ſacello. Sacella agreſtia.

Plinius Iunior lib. 9. epiſt. ad Muſtium: *Aruſpicũ monitu reficienda eſt mihi ædes Cereris in prædiis, in melius & in maius.* Hæc Petrus Colvius annotauit in Apuleium. ad illa verba apologiæ prioris: *Iſte verò nec Diis rurationis, qui eum paſcunt ac veſtiunt, ſegetes vllas, aut vitis, aut gregis primitias impartit, nullum in villa eius delubrum ſitum, nullus locus, aut lucus conſecratus.* Dij rurationis. Quanta autem fuerit ſeges illorum rurationis Deorũ operæ pretium videre tum apud alios, tum apud Auguſtinum lib. 4. de Ciuit. c. 8. *Nec agrorum munus vni alicui Deo committendum arbitrati ſunt, ſed rura Deæ Ruſinæ, iuga montium Deo Iugatino: collibus Deam Collatinam: vallibus Valloniam præfecerunt.* Item: *Sata frumenta, quamdiu ſub terra eſſent præpoſitam voluerunt habere Deam Seiam: cùm verò iam ſuper terram eſſent, & ſegetem facerent, Deam Segetiam: frumentis verò collectis atque reconditis, vt tutò ſeruarentur, Deam Tutulinam præpoſuerunt.* Et paucis interiectis: *Præfecerunt ergo Proſerpinam frumentis germinantibus: geniculis nodiſque culmorum, Deum Nodotum, & inuolumentis folliculorum Deam Volutinam: cùm folliculi pateſcunt, vt ſpica exeat, Deam Patelenam: cùm ſegetes nouis ariſtis æquantur, quia veteres æquare hoſtire dixerunt, Deam Hoſtilinam: florentibus frumentis, Deam Floram: lacteſcentibus, Deam Lacturciam: matureſcentibus, Deam Maturam: cùm runcantur, id eſt, à terra auferuntur, Deam Runcinam.*

Ruſina. Iugatinus. Collatina. Vallonia. Seia. Segetia. Tutulina. Proſerpina. Nodotus. Volutina. Patelena. Hoſtilina. Flora. Lacturcia. Matuta. Runcina.

IVDICIO ILLO NEFARIO.] vide Notas in Piſonianam. 95. Nonnius, *Nefarÿ proprietatem lib.* I. III. Nefarius.

de vitâ pop. Rom. Varro patefecit, à farre quod adoreum eſt, quo ſcelerati vti non debeant.

IV. SINE CANTV.] Conſuetudo ducta iam inde ab heroicis temporibus. 24. Iliados verſu 720. de funere Hectoris:

τὸν μὲν ἔπειτα
Τρητοῖς ἐν λεχέεσσι θέσαν, παρὰ δ' εἷσαν ἀοιδοὺς
Θρήνων ἐξάρχους, οἵ τε στονόεσσαν ἀοιδὴν
Οἱ μὲν ἄρ' ἐθρήνεον, ἐπὶ δὲ στενάχοντο γυναῖκες.

-Tum deinde toro componitur Hector
Cantores circùm ſtatuuntur, carmine luctum
Qui præeant: triſtes funeſtâ voce, querelas
Excipiunt mœſtæ Iliades, planctúque ſequuntur.

Plato ſeptimo de legibus: Χορούς τινας ἔξωθεν μεμισθωμένους ᾠδαῖς· οἷον οἱ περὶ τοὺς τελευτήσαντας μισθούμενοι. Καρικῇ τινι μούσῃ προπέμπουσι τοὺς τελευτήσαντας. *Choros cantorum aliunde conductos. quales ſunt ij qui ad mortuorum funera conducunt. Carica quadam muſa funera proſequentes.* De Iudæis Ioſephus tertio belli Iudaïci narrat ipſius Ioſephi morte Hieroſolymis nuntiatâ, tantum fuiſſe luctum: Ὡς ἐπὶ τριακοστὴν μὲν ἡμέραν μὴ διαλιπεῖν τὰς ὀλοφύρσεις ἐν τῇ πόλει· πλείστους δὲ μισθοῦσθαι τοὺς αὐλητὰς οἳ θρήνων ἐξῆρχον αὐτοῖς. *Vt ad trigeſimum diem lamenta non ceſſarent in vrbe, multique tibicines ſibi præituros in luctu, mercede conducerent.* vnde & Euangeliſtam intelligas. Lucianus de luctu mortuum ita loquentem inducit: Τί δή με ὁ κωκυτὸς ὑμῶν ὀνίνησι, καὶ ἡ πρὸς τὸν αὐλὸν αὕτη στερνοτυπία, καὶ ἡ τῶν γυναικῶν περὶ τὸν θρῆνον ἀμετρία; *Quid verò mihi lamentatio veſtra prodeſt, & planctus ad tibiam, aut mulierum luctus immoderatus?* E quibus notabis rationem cur tibias adhiberent: nimirum vt ipſis tibicines lamentandi plangendique modum præſcriberent. Næniaſ autem cantabant ad tibiam. de quibus vide Feſtum, Nonnium, Acronem, & Porphyrion Horatij veteres interpretes, è recentioribus Scaligerum, Alexandrum, Tiraquellum, Kirchmannum, & alios paſſim. Putidum fuerit poſt tantos viros in his næniis, &, vt aiebat Cato, *mortualibus gloſſariis* immorari. Satis erit vnus Papinius 6. Thebaidos de funere Archemori:

Tibicines in funeribus.

Næniæ.

Cùm ſignum luctus cornu graue mugit adunco
Tibia, cui teneros ſuetum producere manes,
Lege Phrygum mœſtâ, Pelopem monſtraſſe ferebant
Exequiale ſacrum, carménq. minoribus vmbris
Vtile, quo geminis Niobe conſumpta pharetris
Squallida biſſenas Sipylem deduxerat vrnas.

Sed hunc poſtremum locum ſtatueram præterire, quod iam eſſet ab aliis paſſim recentiorib. occupatus. Gellius lib. 20. Noct. Attic. cap. 2. Notat ex Capitonis Atteij coniectaneis: *Siticines appellatos, qui apud ſitos canere ſoliti eſſent: hoc eſt vita functos & ſepultos. Eóſque habuiſſe proprium genus tubæ à cæterorum tubicinum proprietate differens: quos ſiciniſtas vulgus dicit, qui rectiùs locuti ſunt, ſicinniſtas.*

V. SINE LAMENTIS.] Lucianus de luctu: Καὶ μεταστειλάμενοί τινα θρήνων σοφιστήν, πολλὰς συνειληχότα παλαιὰς συμφοράς, τούτῳ συναγωνιστῇ καὶ χορηγῷ τῆς ἀνοίας καταχρῶνται, ὅποι ἂν ἐκεῖνος ἐξάρχῃ πρὸς τὸ μέλος ἐπαιάζοντες. *Et cùm aliquem lamentationis artificem, qui multas collegerit veterum calamitates, acciuerint, eo tanquam ſocio & adminiſtro ſuæ ſtultitiæ vtuntur, vtcunque ille præiuerit ad numerum lamentantes.* Hæc ille. Hinc vt ait Varro lib. 6. de lingua Latina: *Quæ præficeretur ancillis quemadmodum lamentarentur, præfica eſt dicta.* Eas Heſychius Καρίνας appellat. Καρῖναι θρηνῳδοὶ μουσικοί, αἳ τοὺς νεκροὺς τῷ θρήνῳ παράγουσι πρὸς τὰς ταφὰς καὶ τὰ κήδη. παρελαμβάνοντο δὲ αἱ ἀπὸ Καρίας γυναῖκες. *Carinæ lamentatrices muſicæ, quæ mortuos ad ſepulchra & exequias cum luctu proſequuntur.* Alij multi teſtes poterant accedere. Sed ne te morer in iis quæ iam alij notarunt, lamentationum huiuſmodi morem vide apud Homerum 24. Iliados, & Senecã in Troade. Baſilius orat. περὶ εὐχαριστίας priore, Σὺ δὲ ᾠδαῖς τισι πρὸς τὸ κατηφὲς πεποιημέναις παραθρηνεῖς, καὶ μέλεσι γοεροῖς ἐκτήκειν σαυτοῦ τὴν ψυχὴν ἐπιτηδεύεις. *Tu cantionibus quibuſdam ad mœſtitiam compoſitis lamentaris, & carmine lugubri tum ipſius animam liquefacere ſtudes.* Non ſolùm autem voce & eiulatu lamentabantur, ſed etiam capillos ſcindebant, caput parietibus allidebant, &c. Lucilius apud Nonnium:

Præficæ.

Carinæ.

Mercede quæ conductæ flent alieno in funere
præficæ
Multo & capillos ſcindunt & clamant magis.

Lucianus de luctu: Οἰμωγαὶ δ' ἐπὶ τούτοις καὶ κωκυτὸς γυναικῶν, καὶ παρὰ πάντων δάκρυα, καὶ στέρνα κοπτόμενα, καὶ σπαραττομένη κόμη, καὶ φοινισσόμεναι παρειαί. καί πού καὶ ἐσθὴς καταρρήγνυται, καὶ κόνις ἐπὶ τῇ κεφαλῇ πάσσεται, &c. καὶ τὰς κεφαλὰς ἀράττουσι πρὸς τὸ ἔδαφος, &c. *Ad hæc lamenta & eiulatus mulierum, & lacrymæ ab omnibus vbertim profuſæ, & pectora planctu percuſſa, & crines lacerati, & genæ cruentæ, & veſtis ſcinditur, & puluis capiti adſpergitur, &c. & caput pauimento alliditur.* Ad hæc etiam lamenta ſpectat, quod aliquot diebus à cibis & epulis abſtinerent. Apuleius de aſino lib. 2. *Abi, inquit, fatue, qui in domo funeſta, cœnas & partes requiris, in qua tot iugis iam diebus, ne fumus quidem viſus eſt vllus.* Lucianus loco ſæpè citato: Καὶ πάρεισιν οἱ προσήκοντες, καὶ τοὺς γονέας παραμυθοῦνται τοῦ τετελευτηκότος, καὶ πείθουσι γεύσασθαι, ὡς ἔτι ἀληθῶς μὰ Δί' οὐδ' αὐτοὺς ἀναγκαζομένους, ἀλλ' ἤδη ὑπὸ λιμοῦ τριῶν ἑξῆς ἡμερῶν ἀπηυδηκότας. *Et adſunt vicini, & demortui parentes conſolantur, & edere perſuadent, non hercle moleſtè neque inuitis, ſed iam trium dierum fame deficientibus.* Item: Εἰ δὲ καὶ τὸ παράπαν κλαίειν διέγνωκας, αὐτοῦ τούτου ἕνεκα χρὴ μὴ ἄσιτον εἶναι, ἵνα καὶ διαρκέσῃς πρὸς τοῦ πένθους τὸ μέγεθος, &c. *Si verò omnino lugere ſtatuiſti, huius ipſius cauſſa oportet à cibis non abſtinere, vt ad magnitudinem luctus vires ſuppetant.* Vide.

Lugendi mos.

Abſtinentia ciborum in luctu.

SINE LAVDATIONIBVS.] Duplex fuit iſta funebris laudatio: altera grauis & ſeria, quæ fiebat in foro maiorum imaginibus in medio collocatis: altera inanis & friuola, quæ præfica præeunte ad tibiam caneretur. De priore ſatis ſupérque dictum §. 34 ex Dionyſio, Diodoro, Polybio & aliis: de poſteriore pauca dicamus. Aurelius neſcio quis apud Varronem lib. 6. de lingua Lat. hunc morem oſtendit: *Præfica, vt Aurelius ſcribit, mulier ab luctu quæ conduceretur, quæ ante domum mortui laudes eius caneret.* Næuius ibidem citatus: VI.

Laudatio mortuorum duplex.

Hæc quidem hercle opinor præfica eſt. nam
mortuos conlaudat.

Varro lib. 4. de vita populi Romani, vt eius verbis apud Nonnium corrupta Scaliger emendat, & lacera conglutinat: *Ibi à muliere, quæ optima voce eſſet, Pergama laudari: deinde næniam cantari ſolitam ad tibias & fides eorum qui ludis troicis curſitaſſent. hæc mulier olim vocitata præfica vſque ad ſecundum Pœnicum bellum.* Plautus Truculẽto:

Nænia ad tibias cantat

Argutum

Argutum ciuem mihi habeam pro præfica,
Quæ alios collaudat, ea ſe verò non poteſt.

Huc ſpectat & illud Ciceronis 2. de legibus: *Honoratorum virorum laudes in concione memorentur, eáſque etiam cantus ad tibicinem proſequatur, cui nomen næniæ, quo vocabulo etiam Græco cantus lugubres vocantur.* Præficam viri docti Funeram dici voluerunt 9. Æneidos:

-nec te tua funera mater
Produxi, preßíve oculos aut vulnera laui.

Atque inde epitaphium vetus emendant:

Nemo me lacrymis decoret, neque funera fletu
Faxit.-

Legunt, *funera fletum Faxit.*

VII. OBLITVS CRVORE ET LVTO.] De his ſuperiùs 34. adde ad adſtruendum hunc morem in Græciâ duas auctoritates à Petro Victorio prolatas ex Euripide. altera eſt ex Hecuba poſt mortem Philoxenæ:

Mos lauandi mortuos,

Σὺ δ' αὖ λαβοῦσα τεῦχος ἀρχαία λάτρι
Βάψασ' ἔνεγκε δεῦρο ποντίας ἁλός.
Ὡς παῖδα λουτροῖς τοῖς πανυστάτοις ἐμὴν
Νύμφην τ' ἄνυμφον, παρθένον τ' ἀπάρθενον
Λούσω.

Tu ſerua quondam vaſculum acceptum manu
Aquis marinis adfer oppletum huc citò,
Natam vt lauacro penitus extremo meam
Heu! virginem nec virginem, & nuptam lauem
Innuptam.

Altera eſt ex Phœniſſis de Meneceo demortuo:

-Ἐγὼ δ' ἥκω μετα-
στελῶν ἀδελφὴν γραῖαν Ἰοκάστην, ὅπως
Λούσῃ προθῆταί τ' οὐκέτ' ὄντα παῖδ' ἐμόν.

Venio rogatum feſſa ſeclis vt ſoror
Incaſta natum morte defunctum lauet
Ponátque.

VIII. CONCEDERE ETIAM INIMICI SOLENT.] Sic Æneas Lauſo 10. Æneidos:

-téque parentum
Manibus, & cineri (ſi qua eſt ea cura) remitto.

Quod libenter concedebant: hoc enim indicium erat victoriæ. Plutarchus in Nicia: Κατὰ νόμον γάρ τινα καὶ συνήθειαν ἐδόκουν οἱ νεκρῶν ὑποσπόνδων λαβόντες ἀναίρεσιν ἀπολέγεσθαι τὴν νίκην, καὶ τρόπαιον ἱστάναι τοὺς τοῦτο τυχόντας οὐκ ἔνθεσμον ἦν. νικᾶν γὰρ τοὺς κρατοῦντας, μὴ κρατεῖν δὲ τοὺς αἰτοῦντας, ὡς λαβεῖν μὴ δυναμένους, ἀλλ' ὅμως ἐκεῖνος ὑπέμεινε μᾶλλον προέσθαι τὸ νίκημα καὶ τὴν δόξαν, ἢ καταλιπεῖν ἀτάφους δύο τῶν πολιτῶν. *Quadam lege & conſuetudine videbantur, qui de recipiendis mortuis pepigiſſent, à ſe victoriam abdicare, nefáſque erat iis erigere trophæum qui impetraſſent. eos enim victores eſſe dicebant qui mortuos obtinerent: non autem victores qui peterent, vt qui armis recipere non poſſent. nihilo tamen minus, nihilo tamen minus ille victoria cedere eiúſque gloriæ maluit facere iacturam, quàm committere vt duo ciues ſine ſepultura remanerent.* Alexander nuntiata Darij morte: *Ad corpus demortui perueniens, tam indignam illo faſtigio mortem lacrymis proſecutus eſt, demptáque ſibi chlamyde corpus illius contexit, atque regio ornatum cultu ad matrem Siſygambim patrio regióque more ſepeliendum, atque regiis maiorum tumulis inferendum miſit.* Curtius libro 5.

Sepulturam concedere etiam inimici ſolent.

IX. Parricida. PARRICIDÆ.] Feſtus: *Parricida non vtique is qui parentem occidiſſet, dicebatur, ſed qualemcunque hominem.* Quod probat lege Numæ Pompilij: SI QVIS HOMINEM LIBERVM DOLO SCIENS MORTI DVIT, PARICIDA ESTO. Sed hoc à nobis alibi fuſiùs explicatum. vide §.18.

X. MORTEM LACERARI.] Id eſt, cadauer, funus Virgilio:

-aut quæ nunc artus auulſáque membra
Et funus lacerum tellus habet.

Id autem lacerandi verbum cadaueribus frequenter attribui lippis & tonſoribus compertum eſt. Catullus in nuptiis Pelei & Thetidos:

Pro quo dilaceranda feris dabor, alitibúſque
Præda, nec iniecta tumulabor mortua terra.

Maro 6. Æneidos:

Deiphobum vidit lacerum crudeliter ora.

AXIOMATA.

Qui corruptis iudicibus abſoluitur, non abſolutus videtur, ſed ad inſignem pœnam reſeruatus.

Exequias & ſupremi diei celebritatem concedere etiam inimici ſolent.

Nullo alio in loco mors ſceleratorum lacerari debet, quàm vbi vita damnata eſt.

ARGVMENTVM.

Poſtquam oſtendit Clodij cædem non humano conſilio, ſed diuina prouidentia contigiſſe, enumerat clades quibus ille Remp. viuus afflixerat, vt liquidiùs poterat, à quantis eadem periculis Clodij nece fuerit liberata.

DVRA mihi medius fidius iam fortuna pop. Rom. & crudelis videbatur, quæ tot annos illum in hanc Remp. inſultare videret, & pateretur. LXXXVIII. polluerat ſtupro ſanctiſſimas religiones: Senatûs grauiſſima decreta perfregerat: pecuniâ ſe palam à iudicibus redemerat: vexarat in Tribunatu Senatū: omnium ordinum conſenſu pro ſalute Reip. geſta reſciderat: me patriâ expulerat: bona diripuerat: domum incenderat: liberos, coniugem meam vexauerat: Cn. Pompeio nefarium bellum indixerat: magiſtratuum, priuatorúmque cædes effecerat: domum mei fratris incenderat: vaſtarat Hetruriam: multos ſedibus, ac fortunis eiecerat, inſtabat, vrgebat, capere eius amentiam ciuitas, Italia, prouinciæ, regna non poterantur: incidebantur iã domi leges, quæ nos noſtris ſeruis addicerent: nihil erat cuiuſquam, quod quidem ille adamaſſet, quod non hoc anno ſuum fore putaret.

EXPLANATIO.

DVRA MIHI.] Tranſit ad enumeranda ſcelera Clodij, quaſi velit fortunam populi Romani accuſare, ſiue potiùs excuſare, quæ tamdiu paſſa fuerit eum in Remp. impune graſſari. Vt ſi dicat, Hactenus accuſaui Fortunæ publicæ patientiam, quæ tamdiu ſcelera Clodij tolerauit: at nunc eandem excuſo: & retrecto orationem meã quia loco & tempore conuenienti pœnas expetiit tarditatem ſupplicij grauitate compenſans.

POLLVERAT STVPRO.] Ingreſſus fuerat in habitu fidicinæ domum Cæſaris Conſulis. vbi Virgines Veſtales pro populo Bonæ Deæ ſacra faciebant, vt in ipſis Bonæ Deæ puluinaribus Pompeiæ Cæſaris vxori ſtuprum inferret.

SENATVS.] Qui cenſuerat eius ſupplicio ſolemnes religiones expiandas: & de ſacrilego eius ſtupro inſtituendam eſſe quæſtionem: quas tamen ille pœnas euaſit, iudicibus pecunia palam & impudentiſſimè corruptis.

VEXARAT.] Me expulſo, cuius Senatus protectionem ſuſceperat, & veſtem mutandam cenſuerat: ſed iuſſerunt Conſules pactione prouinciarum à Clodio Tribunoplebis impulſi, vt Senatus ad veſtitum rediret, & lugubrem deponeret.

OMNIVM.] Reſciderat geſta in meo Conſulatu, eo prætextu me eiiciens è ciuitate, quòd Cethegum, Lentulum, & alios coniuratos iuſſeram in carcere iugulari. quod tamen feceram ex auctoritate Senatûs, conſpirantibus equitibus & plebeiis.

BONA DIRIPVERAT.] pro domo 62. *Domus in Palatio, villa in Tuſculano, altera ad alterum Conſulem transferebatur,* &c. *columnæ marmoreæ ex ædibus meis, inſpectante populo Romano ad ſocrum Conſulis portabantur: in fundum autem vicini Conſulis, non modò inſtrumentum aut ornamenta villæ, ſed etiam arbores transferebantur: cùm ipſa villa non prædæ cupiditate (quid enim erat prædæ? ſed odio & crudelitate funditus euerteretur, domus ardebat in Palatio, non fortuito, ſed oblato incendio.*

LIBEROS, CONIVGEM.] Ibidem 59. *Quid enim vos vxor mea miſera violarat? quam vexauiſtis, raptauiſtis, omni crudelitate lacerauiſtis. Quid mea filia?* &c. vide.

CN. POMPEIO.] Superiùs 18. *Comprehenſus eſt in templo Caſtoris ſeruus P. Clodij quem ille ad Cn. Pompeium interficiendum collocarat.* Vide ibidem de Nece Papirij, & Tigrane.

MAGISTRATVVM.] Vide Sextianam 76. 77. an tamen magiſtratus occiderit non liquet. certè Qu. Fabricium, M. Ciſpium, & P. Sextium Tribunoſplebis ferro appetiuit. de Sextio 79. 80. de priuatis 77. vide etiam hanc ipſam orationẽ 38.

DOMVM MEI FRATRIS.] Ad Atticum lib. 4. epiſt. 3. *Quinti fratris domus primò fracta coniectu lapidum ex area noſtra, deinde inflammata iuſſu Clodij, inſpectante Vrbe, coniectis ignibus,* &c. vide.

VASTARAT ETRVRIAM.] Suprà 26.

MVLTOS SEDIBVS.] Vt Marc. Pacanium, Scantiam & Apronium. ſupra 75. 76.

INSTABAT.] Perſiſtebat & pernitebatur, alios è poſſeſſionibus ſuis expellere.

CAPERE.] Ianiculo & Alpibus ſpem poſſeſſionum terminabat ſuarum, & regna dederat, ademerat, orbem terrarum quibuſcum voluerat, partitus fuerat.

INCIDEBANTVR.] Leges ab ipſo in prætura ſua promulgandæ, in æs inſculpebantur, quæ maiorem authoritatem ſeruis noſtris, quàm nobis ipſis concederent, & ita nos ſeruis propriis manciparent. quod autem ait *incidebantur*, id eius inſolentiam oſtendit, qui iam incidi leges & inſculpi iubebat, quaſi præuideret earum lationem impediri non poſſe.

NIHIL ERAT.] Omnium ciuium bonis inhiabat, & ea iam ſpe & cogitatione deuorarat, & ea tantum nobis fruenda reliquiſſet, quæ præ faſtidio habere noluiſſet.

HOC ANNO.] Quo præturam fuiſſet adeptus.

NOTÆ.

CRVDELIS.] Deos ſuos crudelitatis accuſabant ſi quid præter voluntatem obtigiſſet. vt Virgilius 2. Æneidos: 1. Deos crudelitatis accuſabant.

Quem non incuſaui amens hominúmque Deorúmque. Item:

-verùm inclementia Diuum
Has euertit opes.

Libro primo:

Quid natum toties crudelis tu quoque falſis
Ludis imaginibus.-

Tu quoque. perinde atque cæteri Dij. ecloga 5.

Et complexa ſui corpus miſerabile nati
Atque Deos, atque aſtra vocat crudelia mater.

Tibullus elegia quarta libri primi:

Crudeles Diui! ſerpens nouus exuit annos,
Forma non vllam fata dedere moram.

Sic apud Homerum neſcio quis:

Ζεῦ πάτερ οὔ τις σεῖο θεῶν ὀλοώτερος ἄλλος.
Iuppiter haud vllus Diuûm inclementior eſt te.

His crudelitatis accuſationibus inuidiam ſe facere Diis putabant. Lucianus lib. 2.

Diuiſere Deos, & nullis defuit aris
Inuidiam factura parens.

Pedo Albinouanus conſolatione ad Liuiam de morte Druſi:

Dijque latent templis, neque iniqua ad funera vultum Inuidiam Diis faciebant.
Præbent, nec poſcunt thura ferenda rogo.
Obſcuros delubra tenent: pudet ora ſilentum
Aſpicere, inuidiæ, quam meruere, metu.

Valerius libro ſecundo de Maſſilienſibus: *Quid attinet humano dolori indulgere? aut diuino numini inuidiam fieri, quod immortalitatem ſuam nobiſcum partiri noluerit?* Papinius 3. ſyluarum ad vxorem:

-Superíque potentes
Inuidiam metuêre tuam.-

Tertullianus aduerſus Pſychicos:

Cùm ſtupet cœlum & aret annus, nudipedalia denuntiantur, Magiſtratus purpuras ponunt, faſces retrò auertunt, precem indigitant, hoſtiam inſtaurant. Apud quaſdam verò colonias præterea annuo ritu ſacris veluti & cinere conſperſi idolis ſuis inuidiam ſupplicem obiiciunt; balnea & tabernacula in nonam vſque cluduntur. vnus in publico ignis apud aras, aquæ nec in lancibus. Niniuiticum credo inſtitium.

VIDERET.] Quidam hanc vocem è textu ſuſtulerunt: quia Fortunæ non conuenit videre. Pacuuius apud Cornificium l. 2. ad Herennium:

Fortunam inſanam eſſe, & cœcam, & brutam perhibent philoſophi, Fortuna cæca.
Saxóque inſtare globoſo prædicant volubili.
Ideo quò ſaxum fors impulerit, eò cadere fortunam autumant.

Cæcam ob eam rem eſſe iterant, quia nihil cernat quò ſeſe applicet.

Plutarchus opuſc. περὶ τύχης. ἣν τυφλὴν λοιδοροῦμεν, ὡς τυφλοὶ περιπίπτοντες αὐτῇ. τί δ' οὐ μέλλομεν, ὅταν ὥσπερ ὄμματα τὴν εὐβουλίαν ἐκκόψαντες αὐτῶν, τὸ βίου τυφλὴν χειραγωγὸν λαμβάνωμεν; *Quam cæcam vituperamus, vt cæci in ipſam incidentes. Quidni verò? ſiquidem mentem vt oculos obcæcantes nobis ipſis, cæcam vitæ manuductricem aſſumimus?* Crates Thebanus in tabula: Ἡ δὲ γυνὴ ἐκείνη τίς ἐστιν, ἡ ὥσπερ τυφλὴ καὶ μαινομένη τις εἶναι δοκοῦσα, καὶ ἑστηκυῖα ἐπὶ λίθου τινὸς στρογγύλου; Καλεῖται μὲν, ἔφη, τύχη. ἔστι δὲ οὐ μόνον τυφλὴ, ἀλλὰ καὶ μαινομένη καὶ κωφή. *Illa verò mulier quænam eſt furenti & cæcæ ſimilis, inſiſténſque lapidi glorioſo? Vocatur, inquit, Fortuna. Eſt verò non ſolum cæca, ſed etiam inſana & ſurda.*

III. Belli indicendi modus. INDIXERAT.] Hoc verbum vſurpat, vt quaſi iuſtum & apertum bellum intuliſſe videatur: ſeruato Fecialium iure. de quo Arnobius lib. 2. *Cùm paratis bella ſignum monſtratis ex arce, aut fecialia iura tractatis? per clarigationem repetitis res raptas?* qua de re Dionyſius libro 2. Plutarchus quæſt. Rom. Liuius libb. 1. & 8. & alij conſulantur.

IV. INSTABAT, VRGEBAT, &c.] In re ſimili magnificè ſe oratio Gregorij Nazianzeni circumſpicit: Ὥσπερ δράκοντος κινουμένου φολίδες αἱ μὲν ἤδη φρίσσουσιν, αἱ δ' ἐπιφρίσσουσιν, αἱ δὲ μέλλουσι, τὰς δὲ οὐκ ἔστιν ἀκινήτους εἶναι, κἂν ἠρεμοῦσαι τέως τυγχάνωσιν. εἰ βούλει δ' ὥσπερ κεραυνῷ, τὰ μὲν ἤδη κατέχεται, τὰ δὲ πρὸς ὀλίγον περικαίεται, μέχρις ἂν καὶ ταῦτα ἐπέλθῃ τὸ κακὸν ἰσχυρότερον γενόμενον. οὕτω κἀκεῖνος τὰ μὲν ἤδη παρῃνομεῖτο, τὰ δ' ὑπεγράφετο ταῖς ἐλπίσι, καὶ ταῖς καθ' ἡμῶν ἀπειλαῖς. *Quemadmodum cùm draco mouetur, aliæ ſquamæ iam horreſcunt, aliæ ſuper priores rurſum horreſcunt, aliæ mox horreſcent, neque fieri poteſt vt reliquæ non moueantur, etiamſi ad tempus conquieſcant. Aut ſi lubet, quemadmodum fulmine iam alia ſunt occupata, alia eius halitu præfuſcantur, dum malo roborato, illa quoque peruaſerit. Sic ille iam alia ſcelera admiſerat, alia ſpe & minis deſcripſerat, & animo deſtinarat.*

V. CAPERE.] Græcis χωρεῖν continere. Virgil.

Nec te Troia capit.

Cùm Alexander Bucephalum domuiſſet, vt auctor eſt Plutarchus: Ὁ δὲ πατὴρ καὶ δακρῦσαί τι λέγεται, καὶ καταβάντος αὐτοῦ τὴν κεφαλὴν φιλήσας, ὦ παῖ, φάναι, ζήτει σεαυτῷ βασιλείαν ἴσην, Μακεδονία γάρ σ' οὐ χωρεῖ. *Pater verò etiam illacrymaſſe fertur, & deſcendentis caput oſculatus dixiſſe. Fili, quære tibi regnum, æquale Macedonia te non capit.* Capere. Demoſthenes 3. Philippica: Οὔτε ἡ Ἑλλὰς, οὔθ' ἡ βάρβαρος τὴν πλεονεξίαν χωρεῖ τἀνθρώπου. *Neque Græcia, neque barbaræ regiones hominis inſatiabilem cupiditatem, capere poſſunt.* Agathias lib. 2. hiſtoriæ: Βασιλέα Δαρεῖον, ὡς ἔοικε τὸ τῆς Ἀσίας μέγεθος οὐκ ἐχώρει. *Regem Darium, vt videtur, Aſiæ magnitudo non capiebat.* Rurſum Demoſthenes in Midiam: Ἡ πόλις αὐτὸν οὐ χωρεῖ. *Vrbs eum non capit.* Qui locus cum iſto merito conferri poſſit.

VI. Leges in æs inciſæ. INCIDEBANTVR.] Dixi leges fuiſſe tabulis æneis inſculptas. Conſtat è ſexcentis auctoribus, & etiis quæ iam ſuprà diximus de duodecim tabulis §. 9. quas omnes ad vnum æreas fuiſſe tradiderunt, excepto Pomponio I. C. qui eboreas fuiſſe teſtatur. Vide etiam pauca quæ dicentur in Philipp. 2. §. 77. Athenienſes tamen leges Solonis non in æs ſed in lignum inciderunt. Vide Suidam in ἄξονες & κύρβεις. Harpocration Ἄξονες. οἱ In lignum. Σόλωνος νόμοι ξυλίνοις ἦσαν ἄξοσι γεγραμμένοι. *Leges Solonis ligneis erant axibus inſcriptæ.* Ἦσαν δ' ὥς φησι Πολέμων, &c. τετράγωνοι τὸ σχῆμα, διασώζονται δ' ἐν τῷ Πρυτανείῳ γεγραμμένοι. *Erant autem, vt ait Polemon, figura quadrangula. Seruantur autem ſcripti in Prytaneo.* κύρβεις autem leges fuerunt in lapidem inciſæ, vt iidem Suidas & Harpocration tradiderunt: In lapidem. Κύρβεις φησὶν Ἀπολλόδωρος ἐν τοῖς περὶ θεῶν ἔχειν ἐγγεγραμμένους τοὺς νόμους. εἶναι δ' αὐτοὺς λίθους ὀρθοὺς ἑστῶτας, &c. *Curbes ait Apollodorus habuiſſe leges inſcriptas. fuiſſe autem lapides erectos.*

VII. NOS NOSTRIS SERVIS ADDICERENT.] Tradit Aſconius: *Inter leges P. Clodij quas ferre propoſuerat, eam quoque fuiſſe qua libertini qui non pluſquam in tribus.* lege *in tribubus vrbanis*, vel *in tribu Exquilina ſuffragium ferebant, poſſent in ruſticis quoque tribubus, quæ propriè ingenuorum ſunt, ferre.* Quanti autem momenti res ea fuerit, quantáſque turbas Clodius fuerit excitaturus, hinc liquere poteſt, quòd vt ſcribit Liuius libro 9. exeunte. Fabius Rutilianus Cenſor: *Simul concordiæ cauſſa, ſimul ne humillimorum in manu comitia eſſent, omnem forenſem turbam excretam in quatuor tribus coniecit, vrbanáſque eas appellauit, adeóque eam rem acceptam gratis animis ferunt, vt Maximi cognomen, quod tot victoriis non pepererat, hac ordinum temperatione pareret.* Nec aliam ob cauſſam belli ſocialis incendium exarſit, quàm quòd noui ciues, id eſt, Itali recèns adſcripti in ciuitatem, volebant in omnibus tribubus habere ſuffragium. Vide Appianum primo de bellis ciuilibus. Addicere autem quid ſit, iam ſuprà diximus verbum eſſe receptum in auctoribus, cùm res mancipatur ei qui plus obtulerit. Vide Philipp. 2. §. 41. *Vendita atque addicta.*

ARGVMENTVM.

Oſtendit quàm facilè futurum eſſet Clodio in prætura lacerare Rempub. è quo concludit quod ſuperius aſſumpſerat, non ſine diuino conſilio contigiſſe, vt & Clodius Miloni faceret inſidias, & ab eodem Milone neci traderetur.

OBSTABAT eius cogitationibus nemo præter Milonem, illum ipſum LXXXIX. qui poterat obſtare: Cn. Pompeium nouo reditu in gratiam quaſi deuinctum arbitrabantur: Cæſaris potentiam, ſuam potentiam eſſe dicebat, bonorum animos etiam in meo caſu contempſerat: Milo vnus vrgebat. Hic Dij immortales! vt ſuprà dixi, mentem dederunt illi perdito ac furioſo, vt huic faceret inſidias: aliter perire peſtis illa non potuit. nunquam

illum Reſpubl. ſuo iure eſſet vlta. Senatus, credo Prætorem tum circumſcripſiſſet. ne cùm ſolebat quidem id facere, in priuato eodem hoc, aliquid profecerat.

EXPLANATIO.

OBSTABAT.] Nemo obuiam ibat quo minùs ſuas illas vexandæ Reipub. molitiones ad exitum perduceret.

PRÆTER ILLVM MILONEM.] de Haruſp. reſp. 6. *Etenim vt Qu. ille Scipio natus mihi videtur, ad interitum exitiúmque Carthaginis*, &c. *ſic Titus Annius ad illam peſtem comprimendam, extinguendam, funditus delendam natus eſſe videtur, & quaſi diuino munere donatus Reip.*

CN. POMP.] Addit rationem cur ſolus Milo poſſet obſtare: quia nimirum, Principes ciuitatis, quíque plurimum auctoritatis & virium obtinebant Pompeius & Cæſar, eius cogitationibus non obſtitiſſent. quia tamẽ periculum erat ne Orator eos offenderet, ſi in gratiam Clodij eos futuros diceret patriæ proditores, loquitur non ex ſua, ſed ex Clodij mente: *Arbitrabatur, dicebat, contempſerat*, &c. Nõ omiſerim hunc locum Iano Gruttero ita legendum videri: *Ipſum illum qui poterat obſtare, nouo reditu*, &c. Ita Colonienſis, inquit, & Verdenſis, neque verò aliter aut legendum, aut interpungendum. *Cn. Pompeium*, quem vulgati adiiciunt, nominare de induſtria omiſit vitandæ inuidiæ cauſsâ. & ſanè in Palatinis aliquot reperias vel *Cn. Pompeij*, vel Cnei tantùm, vt appareat additum à librariis. Hæc Grutterus.

NOVO REDITV.] Suprà 21. & reconciliatam fuiſſe gratiam & occaſionem oſtẽdimus. quidam emendant *ſibi deuinctum*, ſed Antiquo. videtur enim hac particula *quaſi* ſuam orationem lenire hoc ſenſu: Pompeium nouo reditu in gratiam, ita quodammodo deuinctum, ligatum & irretitum putabat, vt ſe perinde atque homines vinculis conſtricti commouere non poſſet.

IN MEO CASV.] In meo exilio.

VRGEBAT.] Terrebat, imminebat à tergo, & incutiebat formidinem.

HIC.] In hoc extremo Reip. diſcrimine, cùm is eſſet rerum ſtatus, Dij immortales in eam mentem Clodium impulerunt, vt factis inſidiis ferro laceſſeret Milonem, vel præuiſam Clodij voluntatem ſic ad ſuæ prouidentiæ finem direxerunt, vt ex eius ſcelere Reipub. ſalutem & imperij conſeruationem elicerent.

ALITER.] Quam ſi Clodius inſidias Miloni poſuiſſet.

PESTIS ILLA.] Clodius.

EVM CIRCVMSCRIPSISSET.] Eius potentiam, quaſi circumſcriptis cancellis & terminis limitaſſet.

NE CVM SOLEBAT.] Ne tũ quidem Senatus potuit Clodij priuati furores & potentiam certis finibus continere, cùm ſolebat magiſtratus coërcere, eorúmque potentiam limitare: quod iam nõ poteſt. adeò enim nunc hebeſcit Senatus auctoritas, vt nec magiſtratuum, nec priuatorum inſolentiam refrenare poſſit.

NOTÆ.

1. MENTEM DEDERVNT.] Bonam & malam mentem à Diis hominibus dari putabant: iiſque ſuorum factorum cauſſam plerumque tribuebant. vt Iliados η'. verſu 358. Paris Antenori:

Οἶσθα καὶ ἄλλον μῦθον ἀμείνονα τοῦδε νοῆσαι.
Εἰ δ' ἐτεὸν δὴ τοῦτον ἀπὸ σπουδῆς ἀγορεύεις,
Ἐξ ἄρα δή τοι ἔπειτα θεοὶ φρένας ὤλεσαν αὐτοί.
Tu ſermonem alium meliorem in mente volutas.
Sin autem ex animo veréq. hac verba profundis,
Euertêre tuam nunc demum numina mentem.

Sic Agamemnon lib. 19. verſu 86. ſui erroris culpam in Deos refundit:

Homines in Deum culpã ſuam impiè reiiciunt.

-ἐγὼ δ' οὐκ αἴτιός εἰμι,
Ἀλλὰ Ζεὺς καὶ μοῖρα, καὶ ἠεροφοῖτις ἐριννὺς
Οἵ τέ μοι εἰν ἀγορῇ φρεσὶν ἔμβαλον ἄγριον ἄτην.
-ego non cauſa, ſed ipſe
Iupiter & Parcæ, & Furiæ quæ nube vagantur.
Dum loquerer diram miſêre in pectora noxam.

De qua hominum impietate Iupiter ipſe querens inducitur 1. Odyſſeæ ver. 133.

Ὢ πόποι, οἷον δή νυ θεοὺς βροτοὶ αἰτιόωνται!
Ἐξ ἡμέων γάρ φασι κάκ' ἔμμεναι. οἱ δὲ καὶ αὐτοὶ
Σφῇσιν ἀτασθαλίῃσιν ὑπὲρ μόρον ἄλγε' ἔχουσιν.
Prô ſuperi! en accuſat homo cœleſtia Diuûm
Numina, & à nobis naſci mala fatur. at ipſe
Stultitia præter fatum mala plurima ſuffert.

Aliàs bonam mentem à Deo immitti idem Poëta teſtatur Iliados θ'. verſu 217.

Bona mens à Deo.

Καί νύ κεν ἔπρησεν πυρὶ κηλέῳ νῆας Ἀχαιῶν
Εἰ μὴ ἐπὶ φρεσὶ θῆκ' Ἀγαμέμνονι πότνια Ἥρη
Αὐτῷ ποιπνύσαντι, θοῶς ὀτρῦναι Ἀχαιούς.
Quinetiam hauſiſſent ipſas incendia puppes
Atridæ, ſi non hanc mentem Iuno dediſſet
Sponte ſua prudenti, ad pugnã accendere Graios.

Idem alibi ter aut quater:

Τῷ δ' ἄρ' ἐπὶ φρεσὶ θῆκε θεὰ γλαυκῶπις Ἀθήνη.
Huic etiam immiſit mentem Tritonia Pallas.

Eadem Minerua tertio Odyſſeæ verſu 26.

Τηλέμαχ' ἄλλα μὲν αὐτὸς ἐπὶ φρεσὶ σῇσι νοήσεις,
Ἄλλα δὲ καὶ δαίμων ὑποθήσεται.
Telemache ipſe aliud per te ſub pectore volues,
Subiiciet Dæmon aliud.

Alia multa exempla ſunt, vt 6. Iliados verſu 233.

Ἔνθ' αὖτε Γλαύκῳ Κρονίδης φρένας ἐξέλετο Ζεύς.
Hîc Glauco eripuit mentem Saturnius ipſe.

Et in fragmentis Archilochi:

Τοῖος δ' ἀνθρώποισι θυμὸς, Γλαῦκε παῖ Λεπτίνεω
Θνητοῖς, ὁκοίην Ζεὺς ἐφ' ἡμέρην ἄγει.

Ex Homero Odyſſ. σ'.

Τοῖος γὰρ νόος ἐστὶν ἐπιχθονίων ἀνθρώπων
Οἷον ἐπ' ἦμαρ ἄγῃσι πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε.

Quos Tullius ita vertit:

Tales ſunt hominum mentes, qualis pater ipſe
Iuppiter auctiferas luſtrauit lumine terras.

Nec Homerus ſolùm, ſed etiam alij paſſim mentem à Diis iniici, & ſceleratis quidẽ malam mentem, furorem, amentiam tradiderunt. vide Piſonianam 46. de Haruſp. reſp. & alibi paſſim. vſque adeo verum putarunt illud Tragici:

Ὅταν δ' ὁ δαίμων ἀνδρὶ πορσύνῃ κακὰ
Τὸν νοῦν ἔβλαψε πρῶτον.
Homini ſceleſto cùm Deus mulctam parat,
Primùm furore pectus inſtigat graui.

Impiè, ſi Deum ad ſcelus impellere, &, vt voluit Caluinus peccati authorem eſſe voluerũt: à cuius impietatis infamia viderint Miniſtelli quomodo poſſint magiſtrũ, immo & Deũ ſuum vindicare:

ſed ne chartam hanc tam dira mephitis inceſtet. ſuffitũ mutuemur è ſeptem Sapientum conuiuio, in quo Plutarchus Anacharſim ita loquentem inducit: Οὐκ ἄξιόν ἐστι θαυμάζειν εἰ τὰ κάλλιστα περαίνεται θεοῦ γνώμῃ. ψυχῆς γὰρ ὄργανον τὸ σῶμα, θεοῦ δὲ ἡ ψυχή. καὶ καθάπερ σῶμα πολλὰς μὲν ἐξ αὑτοῦ κινήσεις ἔχει, τὰς δὲ πλείστας καὶ καλλίστας ὑπὸ ψυχῆς, οὕτως αὖ πάλιν ἡ ψυχὴ τὰ μὲν ὑφ' ἑαυτῆς κινουμένη πράττει, τὰ δὲ τῷ θεῷ παρέχει χρωμένῳ κατευθύνειν καὶ τρέπειν ἑαυτὴν ᾗ βούλοιτο πάντων ὀργάνων εὐτρεπέστατον οὖσα. *Mirum non eſt, ſi pulcherrima quæque diuino conſilio peraguntur. animæ enim inſtrumentum eſt corpus, Dei verò anima. & quemadmodum corpus multos à ſeipſo motus habet, plurimos verò & pulcherrimos ab anima: ita vice verſa anima partim quadam ſuo ipſius motu facit, partim Deo utenti, omnium inſtrumentorum conuenientiſſimum præbet, vt, quamcunque in partem voluerit, eam dirigere poßit & conuertere.* Quæ ſequuntur corrupta ſunt, nec ſuccurrit modò medicina. Sed præ cæteris Ethnicis Maximus Tyrius eleganter oſtendit. quomodo liberæ hominum actiones ad diuinæ prouidentiæ finem deſeruiant: nec tamen Deus ſit auctor peccati. ſic ille 3. concione: Ἐθεάσω νεῶν ἐρύσεις ἐκ θαλάττης ἄνω, καὶ λίθων ἀγωγὰς ὑπερφυῶν τὸ μέγεθος παντοδαποῖς ἑλιγμοῖς, καὶ ἀναστροφαῖς ὀργάνων, ὧν ἕκαστον πρὸς τὸ πλησίον τὴν ῥώμην νειμάμενον, ἕτερον ἐξ ἑτέρου διαδεχόμενον τὴν ἀγωγὴν κινεῖ τὸ πᾶν, &c. καλεῖ τοίνυν τεχνίτην μὲν τὸν θεὸν, ὄργανα δὲ τοὺς λογισμοὺς τοὺς ἀνθρωπίνους, τέχνην δὲ τὴν ἀνθρωπίνην deeſt ζωὴν, vel aliquid huiuſmodi, ἀγούσας ἡμᾶς ἐπὶ τὴν ἀγωγὴν τῆς εἱμαρμένης. Εἰ δέ σοι καὶ σαφεστέρας εἰκόνος δεῖ, νόει μὴ στρατηγὸν μὲν τὸν θεὸν, στρατείαν δὲ τὴν ζωὴν, ὁπλίτην δὲ τὸν ἄνθρωπον, σύνθημα δὲ τὴν εἱμαρμένην, ὅπλα δὲ τὰς εὐπορίας, πολεμίους δὲ τὰς συμφορὰς, σύμμαχον δὲ τὸν λογισμόν, ἀριστείαν δὲ τὴν ἀρετήν, ἧτταν δὲ τὴν μοχθηρίαν, μαντικὴν δὲ τὴν τέχνην αὐτὴν τὴν ἐκ τῆς παρασκευῆς ἐπισταμένην τὸ μέλλον, &c. *Vidiſtíne vnquam naues in terram ſubduci, aut ingentes ſaxorum moles impelli? quod variis inſtrumentorum motibus conuerſionibúſque fieri ſolet. quorum ſingula ſingulis vim addunt aliquam, atque inuicem ita mouentur, vt vniuerſum pondus promoueant. Ita ſtatuatur ipſum artificem eſſe Deum, machinas rationes humanas, humanam rurſus artem quæ nos ad fatale decretum trahit. Quod ſi magis etiam perſpicuam ſimilitudinem requiris, finge Deum eſſe ducem, militiam vitam noſtram, militem hominem, teſſeram fatum, arma facultates homini conceſſas, inimicos calamitates, ſocios belli rationem, victoriam virtutem, cladem improbitatem, diuinationem verò eſſe eam artem quæ ex apparatu præſenti futura coniiciat.* Hæc ex Danielis Heinſij verſione. Neque tamen Deus peccati cauſſa dicendus eſt: ΟΥ γὰρ θέμις θεῷ ἀνάπτειν αἰτίαν κακοῦ. *Neque enim fas eſt in Deum mali cauſſam referre.* Quod & exponit & probat longè pulcherrimè. Notat autem Petrus Victorius lib. 7. var. lect. cap. 5. hanc loquendi formam familiarem fuiſſe magnis auctoribus, vt Virgilius 3. Georg.

Liberæ hominum actiones ad diuinæ prouidentiæ finem diriguntur.

Et mentem Venus ipſa dedit -

Tit. Liuio libro 6. vbi Manlium plebis animos contra Patres inflammantem inducit: *Dij prohibeant hæc: ſed nunquam propter me de cœlo deſcendent: vobis dent mentem oportet vt prohibeatis, ſicut mihi dederunt armato, togatóque, vt vos à barbaris hoſtibus, à ſuperbis defenderem ciuibus.* Addi poſſet & dec. 3. lib. 10. vbi Aſdrubal ait: *Raro ſimul hominibus bonam fortunam, bonámque mentem dari.* Et Scipio Maior Africanus apud eundem decad. 4. lib. 8. *Hiſque gratias agam quod mihi & huc ipſo die, & ſæpè alius egregiè Reip. gerendæ mentem facultatémque dederunt.*

CIRCVMSRIPSISSET.] Vide Philippicam ſecundam §. 42. *Interceßio neglecta, ius tribunitium ſublatum, circumſcriptus à Senatu eſſet Antonius.* Eodem ſenſu lib. 7. ad Attic. *Si fortè Tribunus plebis Senatum impedieris, aut populum incitans notatus, aut Senatus Conſulto circumſcriptus, aut ſublatus, aut expulſus ſit.* Cæſar lib. 1. de bello ciuili: *Iniuriam inimicorum in eripiendis legionibus prædicat, crudelitatem & inſolentiam in circumſcribendis Tribunisplebis.* Circumſcribere igitur eſt magiſtratus poteſtatem Senatus Conſulto certis finibus limitare. Huc alluſit auctor epiſtolæ ad Octauium: *Cur aut ingratus crudeliter, aut immemor beneficij tui ſcelerate circumſcribis Senatum.* Tatianus ad Græcos: Τὰ δὲ τῆς ὑμετέρας περὶ τὴν ἀπιστίαν ἐπιμονῆς καλὸν εἰ λαμβάνοι περιγραφήν. *Vtinam verò pertinax incredulitas veſtra tandem circumſcriberetur.* II.

Circumſcribere.

CVM SOLEBAT.] Quanta fuerit tum Senatûs auctoritas, cùm Clodius cauſſam de inceſtu dixit, & qua grauitate in ipſa cauſſâ Clodij C. Piſonem, & Fuſium Tribunum compreſſerit, liquet ex lib. 1. ad Atticum epiſt. decimâ: *Senatus vocatur, cùm decerneretur frequenti Senatu contrà pugnante Piſone, ad pedes omnium ſigillatim accidente Clodio, vt Conſules populum cohortarentur ad rogationem accipiendum, &c.* Vide. quomodo tamen nihil in Clodio profecerit, íſque fuerit abſolutus narratur epiſt. 13. III.

ARGVMENTVM.

Pergit oſtendere Clodium impunè vexaturum penitúſque deleturum fuiſſe Remp. ſi Miloni necem intuliſſet, & clades exaggerat quæ ab eius furoribus imminebant.

AN Conſules in Prætore coërcendo fortes fuiſſent? primùm, Milone occiſo, habuiſſet ſuos Conſules: deinde quis in eo Prætore Conſul fortis eſſet, per quem Tribunum, virum Conſularem crudeliſſimè necatum eſſe meminiſſet? omnia poſſideret, teneret: lege noua, quæ eſt inuenta apud eum cũ reliquis legib. Clodianis, ſeruos noſtros, libertos ſuos feciſſet. poſtremò, niſi eum Dij immortales in eam mentem impuliſſent, vt homo effœminatus fortiſſimum virum conaretur occidere, hodie Remp. nullam haberetis. XC.

EXPLANATIO.

AN CONSVLES.] An Hypſæus & Scipio Conſules in Clodio Prætore coërcendo & reprimendo fortes fuiſſent.

PRIMVM HABVISSET.] Quibus in petitione conſulatûs ita fauebat, tota vt comitia ſuis, vt dicere ſolebat, humeris ſuſtineret: *Quibus ſi non adiuuantibus, at conniuentibus certè, ſperaſſet ſe poſſe Rempub. eludere in illis ſuis cogitatis furoribus. cuius illi conatus, vt ille ratiocinabatur, nec ſi poſſent, reprimere vellent, cùm tantum beneficium ei ſe debere arbitrarentur: & ſi vellent fortaſſe vix poſſent, frangere hominis ſceleratiſſimi corroboratam iam vetuſtate audaciam.* ſuprà 32.

VIRVM CONSVLAREM.] me ipſum. Lambinus & Vrſinus emendant *vexatum*, pro *necatum*. ídque, vt ait Lambinus è Codice Saxonico. Cicero enim vir Conſularis non necatus eſt à Clodio, ſed crudeliſſimè vexatus & eiectus è ciuitate. ſi placet retinere veterem lectionem, vel atrocitate verbi rem exaggerat, vel Q. Metellum Celerem virum conſularem intelligit, qui factione Clodij veneno ſublatus eſt. vt dicitur in Cœliana 59. 60. ſed poſterius minùs arridet, neque enim fortis Conſulis fuiſſet, ſed cauti & prouidentis veneficiis Clodij ſe opponere.

LEGE NOVA.] Nouam appellat, quia nullum poſt homines natos extabat tam iniuſtæ legis exemplum. inuentam ait apud Clodium, & contentam fortaſſe illo librario quod dicebatur Sextus Clodius è domo tanquam palladium ſuſtuliſſe. vide 33.

SERVOS.] Seruos noſtros ſua lege libertate donaſſet, & eorum ipſe patronus extitiſſet.

HOMO EFFOEMINATVS.] Clodius. *fortiſſimum virum.* Milonem. vide antitheſim. *effœminatus fortiſſimum, homo virum.*

NOTÆ.

I. NECATVM.] Necare, interimere, occidere, frequenter idem eſt atque terrere, vexare, affligere. terrere vt infrà 94. *Me quidem exanimant & interimunt hæ voces Milonis.* Vexare & damnum inferre, vt apud Horatium:

-pol me occidiſtis amici.

Epod. 14.

Candide Mecenas occidis ſæpè rogando.

Plautus Amphit. Sc. *Dij voſtram.* Necare.

Tum verò vxor vitio, ſtupro, dedecore me plena enicat.

Quicquid enim moleſtum erat id ſibi mortem eſſe dicebant: vt apud Æſchylum:

Ὦ μοι θάνατος ἐμοὶ τάδ' ἀκούειν.

Heu mihi mors eſt iſta audire.

Citatur & Epicharmi fragmentum: Αἴκ' ἔσθοντ' ἴδοις νιν, ἀποθάνοις. *Si manducantem illum videas, moriaris.* Pacuuius à Nonnio laudatus:

Quid eſt? nam me exanimaſti prologio tuo.

Hunc autem locum Franciſcus Robortellus lib. 2. emendationum cap. 44. ita emendat: *Per quem Tribunum & virum Conſularem crudeliſſimè necatum eſſe meminiſſet.* Et ita declarat: *Atqui Conſules Clodium coërcere non potuiſſent, per quem antè meminiſſent crudeliſſimè necatum Tribunum, id eſt, Sextium, quem multis vulneribus confoſſum, ſeminecem reliquit, & virum Conſularem, id eſt, Milonem ipſum, cui eo anno petenti Conſulatum, & ſemel renuntiato Conſuli fecerat inſidias Clodius, prior vt perimeret.* In quem non incommodè Sigonius: *Ex quo, inquit, apparet Robortelli ſententia, Tribunum Sextium necatum à Clodio dici, qui tantum vulneratus eſt: Milonem necatum à Clodio, quem Milo nullo vulnere accepto necauit: eundem Milonem Conſularem appellari, qui* μηδ' ἐν ὀνείροις *Conſulatum vidit.* Sed parum refert hos gladiatores committere. Grutterus ita legit: *Per quem Tribunum virtutem Conſularem crudeliſſimè vexatam eſſe meminiſſet? oppreſſiſſet omnia, teneret, poſſideret, lege non à qua eſt,* &c. Præclara, inquit, hæc caſtigatio debita Turingico libro, nec non Colonienſi atque Verdenſi. & verò *virtute* extat in aliquot Palatinis. Cæterùm oratio plenior, planiórque foret voce repetitâ, *oppreſſiſſet omnia, omnia teneret.*

ARGVMENTVM.

Etiamnum probat, quid mali Clodius illaturus fuerit Reipub. ſi Præturam adeptus fuiſſet aut Conſulatum: ex eo quòd factionem habebat tam audacem, vt poſt Clodij mortem Curiam incenderit: & hac occaſione deplorat Senatûs incendium.

XCI. AN ille Prætor, ille verò Conſul, ſi modò hæc templa, atque ipſa mœnia ſtare, eo viuo, tamdiu, & Conſulatum eius exſpectare potuiſſent, ille denique viuus, mali nihil feciſſet, qui mortuus, vno ex ſuis ſatellitibus Sex. Clodio duce, curiam incenderit? quo quid miſerius, quid acerbius, quid luctuoſius vidimus? templum ſanctitatis, amplitudinis, mentis, conſilij publici, caput vrbis, aram ſociorum, portum omnium gentium, ſedem ab vniuerſo populo Romano conceſſam vni ordini inflammari, exſcindi, funeſtari? neque id fieri à multitudine imperita, (quamquam eſſet miſerum id ipſum) ſed ab vno, qui cùm tantùm auſus ſit vltor pro mortuo, quid ſignifer pro viuo non eſſet auſus? In curiam potiſſimum abiecit, vt eam mortuus incenderet, quam viuus euerterat.

EXPLANATIO.

AN ILLE.] *Qui ſatellites & ſui furoris adminiſtros adeò turbulentos adſciuerat, vt vnus eorum Curiam auſus fuerit poſt mortem eius incendere, is ſi viuus, Prætor, Conſul fuiſſet, magnam Reip. cladem intuliſſet.*

Sed Clodius huiuſmodi furoris ſui adminiſtros adſciuerat.

Ergo ſi viuus, Prætor, Conſul fuiſſet, magnam Reip. cladem intuliſſet.

Propoſitio ſubdetur: aſſumptio & complexio his verbis. *an ille*, &c. *curiam incenderit*, continetur. quo argumento demonſtrat Clodianorum furorem, & impotentem audaciam.

CONSVLATVM EIVS.] Annum conſularem videlicet alterum & quadrageſimum. his porrò verbis ἐμφατικωτάτως oſtendit Clodij audaciam, qui vno præturæ ſuæ anno Remp. penitus ſuſtuliſſet.

CVRIAM INCENDERIT.] Aſconius præfatione. *Populus duce Sextio Clodio ſcriba corpus P. Clodij in curiam intulit, cremauitque ſubſellijs & tribunalibus, & menſis & codicibus librariorum, quo igne & ipſa quoque Curia flagrauit, & item Porcia baſilica, quæ erat ei iuncta, ambuſta eſt.*

QVO QVID.] Hac occaſione ad deplorandum incendium curiæ & inuidiam in Clodianos acerbè concitandam delabitur.

TEMPLVM SANCTITATIS.] A multis curiæ laudibus in vnum coniectis facti atrocitatem exaggerat, à loci ipſius ſanctitate, hîc aliquis pueriliter diſertus ædificij amplitudinem, magnificentiam, marmora, columnas, purpuras, baſes, ſtylobata, cymatia, encarpos, ſuggrundas, & cætera huiuſmodi artificum nomina à fabris ambitioſè conquireret, Vitruuium compilaret, Apuleium, Plinium vtrumque, Sidonium, quotquot aliquam huiuſmodi deſcriptionem, vel obiter attigerunt, ſtudioſè euolueret, & verba ſolis nota fabris murariis, quaſi floſculos in orationem intruderet. qua oratione nihil puerilius, frigidius, inſulſius, ſed *Quantò rectiùs hic qui nil molitur ineptè?* huius rei te monitum volui, mi lector, ne te recentior iſta logodædalia in huiuſmodi puerilitatis ſcopulos impingat.

TEMPLVM SANCTITATIS.] Locum inauguratum in quo non ſolùm homines ſanctiſſimi & integerrimi ſententias dicunt pro Rep. ſed etiam ipſa ſanctitas domicilium collocauit.

AMPLITVDINIS] Maieſtatis vt tot Reges, quot Senatores eſſe videantur.

MENTIS.] Sapientiæ & prudentiæ. *Conſilij publici.* in quo ad Reip. ſalutem excubatur.

ARAM.] Refugium & aſylum.

FVNESTARI] Cadaueris illatione inceſtari.

NEQVE.] Non negat omninò plebem ignes in Curiam intuliſſe: ſed ait incendium illud oblatum non fuiſſe temerè, ſed certo & deſtinato conſilio Sexti Clodij qui multitudinem incitauit. quod longè eſt indigniùs. nunquam enim id auſus fuiſſet niſi multos coniuratos audaces & ſceleratos haberet in ſuâ factione.

QVI CVM.] Argumentum à minori ad maius: éſtque propoſitio ſyllogiſmi.

QVAM VIVVS EVERTERAT] Qui Senatûs auctoritatem per ſeditiones deleuerat.

NOTÆ.

SATELLITIBVS.] Armigeris, ſtipatoribus. gloſſæ. *ſatelles*, δορυφόρος. *ſatellitium*, δορυφόρημα. Noſter, I. Satelles.

Cùm Iouis altiſoni ſubitò pennata ſatelles.

quam Virgilius: *Iouis armigerum*, Horatius *miniſtrum fulminis alitem*, nominauit. Ouidius 14. Metamorph.

-ne poſſet adire
Curſus equi fecit, circumfuſúſque ſatelles.

SANCTITATIS.] Quanta ſanctitas, & morum integritas Senatorum, patet è culpis ob quas è Senatu deiecti ſunt. *Fabricius Cenſor P. Cornelium Rufinum Senatu mouit, quòd decem argenti pondo facti haberet.* vt ait Epitome Liuiana lib. 4. decad. 2. ὁ Κάτων ἐξέβαλε τῆς βουλῆς τὸν φιλήσαντα τὴν ἑαυτοῦ γυναῖκα τῆς θυγατρὸς παρούσης. *Cato eum Senatu mouit, qui ſuam ipſius coniugem coram filia fuerat oſculatus.* Plutarchus in præceptis coniugalibus. Immò & Domitianus: Ἔπραξέ τι καὶ ὡς τιμητὴς ἀξιόλογον. Κεκίλιον γὰρ Ρουφῖνον ἀπήλασεν ἐκ τοῦ συνεδρίου, ὅτι ὠρχεῖτο. *Fecit aliquid, vt Cenſor, memoria dignum. Cecilium enim Rufinum Senatu mouit, quod ſaltaret.* Xiphilinus ex Dione. II. Sanctitas Senatus.

AMPLITVDINIS.] Maieſtatem & amplitudinem Senatûs oſtendit Cineas, quem ait Plutarchus: διὰ λόγων ἐλθόντα τοῖς ἀρίστοις, τά τ' ἄλλα τῷ Πύῤῥῳ φράσαι, καὶ εἰπεῖν ὡς ἡ σύγκλητος αὐτῷ βασιλέων πολλῶν συνέδριον φανείη. *Cum optimo quoque collocutum, tum alia Pyrrho retuliſſe, tum illud, Senatum ſibi multorum Regum conſeſſum videri.* Noſter Verrina Sexta 25. *Rex denique, Ecquis eſt qui Senatorem populi Romani tecto ac domo non inuitet,* &c. vide quanta eſſet vel ſolius nominis auctoritas. Spartianus in Adriano: *Senatus faſtigium in tantum extulit difficilè faciens Senatorem, vt cùm Tatianum ex præfecto prætorij, ornamentis Conſularibus præditum faceret Senatorem, nihil ſe ampliùs habere, quod in eum conferri poſſet oſtenderit.* III. Senatus multorum regum conſeſſus,

PORTVM OMNIVM GENTIVM.] Plutarchus de fortuna Rom. tum multa habet in hanc ſententiam, tum illud: Τῶν μεγίστων ἐν ἀνθρώποις δυνάμεων, καὶ ἡγεμονιῶν κατὰ τύχας ἐλαυνομένων, καὶ συμφερομένων, &c. τῆς Ῥώμης ἰσχὺν αὔξησιν λαβούσης, καὶ ἀναδησαμένης τοῦτο μὲν ἔθνη καὶ δήμους ἐν αὐτῇ, τοῦτο δ' ἀλλοφύλους καὶ διαποντίους βασιλέων ἡγεμονίας, ἕδραν ἔσχε τὰ μέγιστα καὶ ἀσφάλειαν, &c. *Cùm maxima quæque humanæ ditiones & dominatus à fortuna pellerentur & circumferrentur,* &c. *Roma robur & augmentum recipiente, & nationes & populos exterorúmque Regum ditiones ſibi colligante, maxima quæque ſtabilitatem & ſecuritatem adepta ſunt.* Noſter 2. de officiis: *Regum, populorum, nationum, portus erat & refugium Senatus. Noſtri autem magiſtratum Imperatoréſque ex vna hac re maximam laudem capere ſtudebant, ſi prouincias, ſi ſocios, æquitate & fide defendiſſent. Itaque illud patrocinium orbis verius, quàm imperium poterat nominari.* Polybius lib. 6. Εἴ τις ἰδιώτης ἢ πόλις τῶν κατὰ τὴν Ἰταλίαν διαλύσεως, ἢ ἐπιτιμήσεως ἢ βοηθείας, ἢ φυλακῆς προσδεῖται, τούτων πάντων ἐπιμελές ἐστι τῇ συγκλήτῳ. *Si quis priuatus, vel ciuitas quæpiã ex iis quæ in Italia ſunt, conciliatione aliqua, vel reprehenſione, vel auxilio, vel cuſtodiâ indigeat, horum omnium procuratio eſt penes Senatum.* IV. Senatus portus omnium gentium.

INFLAMMARI.] &c. Rem geſtam narrat V.

Dio lib. 40. Τὸ γὰρ σῶμα τοῦ Κλωδίου ἀράμενοι ἔς τε τὸ βουλευτήριον, ἐσήνεγκαν καὶ ἐντέθησαν, καὶ μετὰ τοῦτο πυρὰν ἐκ τῶν βάθρων ἐνήσαντες, ἔκαυσαν καὶ ἐκεῖνο, καὶ τὸ συνέδριον. οὕτω τε οὐχ ὁρμῇ τινι, οἵα που τοὺς ὄχλους ἐξαπιναία καταλαμβάνει, ἀλλ' ἐκ παρασκευῆς αὐτὸ ἔπραξαν. ὥστε καὶ τὴν ἐνάτην τὸ περίδειπνον ἐν αὐτῇ τῇ ἀγορᾷ, τυφομένου ἔτι τοῦ βουλευτηρίου ποιῆσαι, καὶ προσέτι καὶ τὴν οἰκίαν τὴν τοῦ Μίλωνος καταφλέξαι ἐπιχειρῆσαι. *Corpus Clodij in curiam illatum ibi collocarunt, & poſt hæc rogum è ſubſelliis excitantes, & illùm & curiam cremauerunt. Idque factum ex condicto, non impetu aliquo vt fieri ſolet in multitudine concitatâ. Adeò vt nono die epulum in foro, fumante adhuc Curiâ celebrarint, & inſuper Milonis domum incendere conati ſint.* Vides cur factum dicatur non à multitudine imperitâ, quia non repentè concitata, ſed prudens ſciénſque id effecerat. Facti rationem adfert Appianus 2. ciuilium: ἐς τὸ βουλευτήριον ἐκόμισαν, εἴτ' ἐπὶ τιμῇ βουλευτικοῦ γένους ὄντα, εἴτ' ἐς ὄνειδος τῆς τιμῆς τοιάδε περιορώσης. lege τῆς βουλῆς. *In curiam intulerunt ſiue in ipſius, quòd genere Senatorio eſſet, honorem, ſiue in contumeliam Senatûs, quòd iſta negligeret.*

ARGVMENTVM.

Breui epiphonemate, querelam eorum exagitat, qui nomine Appiæ viæ tragœdias excitabant. deinde cæteras turbas & ſeditiones à Clodianis excitatas exponens, fortitudinem Cœlij & conſtantiam in cauſa Milonis prædicat.

XCII. ET ſunt, qui de via Appia querantur, taceant de curia? Ecquando ab eo ſpirante forum potuiſſet defendi, cuius non reſtiterit cadaueri curia? Excitate, excitate eum, ſi poteſtis, ab inferis: frangetis impetum viui, cuius vix ſuſtinetis furias inſepulti? niſi verò ſuſtinuiſtis eos, qui cum facibus ad curiam cucurrerunt, cum falcibus ad Caſtoris, cum gladiis toto foro volitarunt. Cædi vidiſtis populum Romanum, concionē gladiis diſturbari, cùm audiretur ſilentio M. Cœlius Tribunusplebis vir fortiſſimus, & in ſuſcepta cauſſa firmiſſimus, & bonorum voluntati, & auctoritati Senatûs deditus, & in hac Milonis ſiue inuidia, ſiue fortuna, ſingulari, diuina, & incredibili fide.

EXPLANATIO.

ET SVNT.] Quàm indignum eſt Clodianos queri & miras tragœdias excitare, quòd Clodius in Appia via, id eſt, in monumentis maiorum ſuorum, occiſus fuerit, cùm interim de incendio curiæ non querantur.

EXCITATE.] Conceſſione ironica Iudices hortatur, vt vitam Clodio reddant, ſi poſſint, & videant an poſſint eius viuētis furoribus obſtare.

CVM FALCIBVS.] Scio falces etiam inter cætera armorum genera cenſeri. malim tamen *cum facibus*, id eſt cum tædis ardentibus, vt Curiæ ignes immitterent.

CVM FASCIBVS.] Vel cum malleolis ad incendium comparatis, vel cum faſcibus conſularibus è templo Libitinæ petitis, quos Clodiani ad Hypſæum & Scipionem competitores Titi Annij detulerunt: vt ipſos conſules crearent, cum deiicerent conſulatu.

VOLITARVNT.] Hæc vox licentiam quandam & Clodianorum impunitatem oſtendit.

CÆDI.] Verbis *vidiſtis*, & *populum Rom.* vtitur, quia longè atrocius eſt & indignius, & populum à ſeditioſis & ſeruis agreſtibus ac barbaris, & ſpectante Senatu pulſari. ſimul vt oſtendat omnem multitudinem, quæ quidem erat ciuium, cauſſæ Milonis fauere: cùm Cœlium ſilentio auditum fuiſſe teſtatur.

COELIVS.] Cùm Pompeius leges tuliſſet de inſtituenda noua quæſtione, vt auctor eſt Pedianus: *His legibus obſiſtere M. Cœlius Tribunusplebis ſtudioſiſſimus Milonis conatus eſt, quia & priuilegium diceret in Milonem ferri, & iudicia præcipitari, & cùm pertinacius legem Cœlius vituperaret, eo proceſſit ira Pompeius, vt diceret ſi coactus eſſet, armis ſe Remp. defenſurum.* de eodem etiam illud: *Cecilius, lege Cœlius, Tribunusplebis, & Manilius Cumanus collega eius ereptum è domo triumuiri ſeruum Miloni reddiderunt.* quam aliā operam Miloni nauauerit, mihi compertum non eſt: colligi tamen poteſt eum frequentes ad populum habuiſſe de cæde Clodij conciones.

Sed pedem hîc figamus. tota confirmatio poteſt ad duo enthymemata reuocari. alterum eſt,

Clodius inſidias fecit, Ergo iure cæſus eſt.

alterum. *Clodius fuit pernicioſus Reip.*

Ergo præmio dignus eſt qui Clodium interemit.

Prioris enthymematis antecedens à trigeſimo ſecundo numero ad tertium & quadrageſimum continetur. hoc ferè pacto.

Is fecit inſidias cui bono fuit alterum perire, qui alterum oderat, cùm ipſe ciuis eſſet natura violentus, qui ſperat impunitatem, & ſe occiſurum eſſe prædixit, & reſciuit quando ſe viæ daturus eſſet inimicus, & iter ingreſſus eſt cùm eſſet cauſa remanendi, & loco ſibi commodo pugnauit, & habuit ſecum milites expeditos: ſicut contra is non fecit inſidias cui omnia fuerunt contraria, & nullis teſtimoniis aut quæſtionibus conuincitur, & poſt illatam inimico necem reuerſus eſt, nullo metu nulla conſcientia turbatus.

Sed talis fuit Clodius, Miloni fuerunt omnia contraria.

Ergo Clodius fecit inſidias, Milo non fecit.

Clodio bono fuit Milonem perire, non Milon.

Clodium, à §. 32. ad 35. Clodius Milonem oderat, non Clodium Milo. 36. Clodius fuit natura violentus, Milo à vi ſemper abhorruit. à 37. ad 44. ſperauit Clodius impunitatem, non Milo. 44. Clodius ſe occiſurum eſſe prædixit. 45. reſciuit quando ſe viæ daturus eſſet, Milo non contra. 46. 47. 48. Clodius iter ingreſſus eſt cùm eſſet cauſſa remanendi, Milo cùm eſſet neceſſitas exeundi. 49. 50. 51. Clodius in loco ſibi commodo pugnauit, Milo incommodo. 54. Clodius comites habuit ad pugnam expeditos, Milo contra. 55. Milo nullis teſtimoniis aut quæſtionibus conuincitur. à 58. ad 61. Idem Milo poſt illatam Clodio cædem reuerſus eſt nullo metu, nulla conſcientia turbatus, cùm tamen de illo varij rumores in vulgus ſpargerentur. à 62. ad 69. cæteris numeris ad tertium & ſeptuageſimum conatur Orator ſuſpiciones & metus Pompeij lenire, è re Milonis eſſe ratus ſi Pompeius ab eius cauſa non abhorreret. Scio tamen aſſignari non poſſe certam ſingulis rationibus & argumentis ſedem, quod ea nonnunquam artificioſè permiſceat. Alterum enthymema commodiùs fortaſſe concipietur hoc ſyllogiſmo.

Credendum eſt neganti factum, quod libenter prædicaret, ſi veritas id pateretur.

Sed Milo negat ſe ex certo & deſtinato conſilio intuliſſe Clodio necem: quod, ſi poſſet, libenter prædicaret.

Ergo Miloni neganti credendum eſt.

Propoſitionem omiſit orator enthymemate cõtentus: cuius antecedens duas partes complectitur. prior, *quod Milo neget ſe Clodio ex certo & deſtinato conſilio necem intuliſſe*: ſed planum id erat ex toto orationis decurſu, ac proinde probatione non indigebat. poſterior pars duo rurſum inuoluit. alterum quod *Milo libenter Clodij cædem ſibi, vt proprio conſilio factam arrogaret*, alterum quod *de ea non poſſit gloriari*.

Probat illud ſuperius hoc ſyllogiſmo.

Id quiſque ſibi libenter arrogat, ex quo laudem & præmium expectat.

Sed Milo ex cæde Clodij mercedem & præmium expectaret. ſi eã diceret ſuo conſilio contigiſſe.

Ergo eam ſibi libenter arrogaret.

Aſſumptio ſic oſtenditur. *Mercedem & laudem expectat ex æde ciuis pernicioſi qui eam dicere poteſt ſuo conſilio contigiſſe.*

Sed Clodius fuit ciuis pernicioſus.

Ergo Milo ex cæde Clodij laudem & præmium expectaret ſi eam dicere poſſet ſuo conſilio contigiſſe.

Poſterius membrum, *quod*, videlicet *non poſſit Milo de Clodij nece gloriari*, ſic probatur.

Nemo poteſt de eo gloriari quod non eſt humano conſilio, ſed diuinæ prouidentiæ tribuendum.

Sed Clodij cædes non eſt humano conſilio, ſed diuinæ prouidentiæ tribuenda.

Ergo Milo non poteſt de Clodij cæde gloriari.

Poſterior hic ſyllogiſmus ab illis 84. verbis. *Sed huius beneficij*, &c. ad hunc 92. continetur: ille ſuperior §. 74. & cæteris ad 84. explicatur. Atque hæc habebamus quæ de confirmationis huius artificio diceremus.

NOTÆ.

I. DE VIA APPIA.] Hanc fusè deſcripſimus in Cæliana, de curia ſuperiùs, & Piſonianam §. 32. Nota 2.

CADAVERI.] A cadendo vulgo deriuant. Græcis πτῶμα à verbo πίπτειν. II.

EXCITATE.] Non abſimilis eſt illa ironia de prouinciis Conſularibus 12. *Retinete igitur in prouincia diutiùs eum, qui de ſociis cum hoſtibus, de ciuibus cum ſociis faciat pactiones.* & alibi frequenter, vt eo loco oſtendimus. III.

FVRIAS INSEPVLTI.] Eas opinor mortui furias ait, quas Græci ἀλάστορας & προστροπαίους appellant. Synefius epiſt. 44. Τοὺς Αἰμωλίου γὰρ ἀλάστορας δέδιμεν, εἰ διαγχάνων ἡμῶν, ἐναπομόρξῃ τὴν προστροπήν. Vertit Petauius Noſter, *Æmylij quippe vltrices furias perhorreſcimus, ne contage tua idem in nobis piaculum exprimat.* Maro 4. diuini operis huc alluſit: IV Furiæ mortuorum.

Omnibus vmbra locis adero, dabis improbe pœnas.

Antiphon accuſatione eius qui ſui defendendi cauſa cædem à ſe factam eſſe dicebat: ὅτι γὰρ ἀποθανὼν στερόμενος ὧν ὁ θεὸς ἔδωκεν αὐτῷ, εἰκότως θεοῦ τιμωρίαν ὑπολείπει τὴν τῶν ἀλιτηρίων δυσμένειαν. *Mortuus enim priuatus iis quæ à Deo acceperat, Dei vltionem relinquit furiarum iram.* Ibidem: Τῷ ἀποθανόντι οὐ τιμωροῦντες, δεινοὺς ἀλιτηρίους ἕξομεν τοὺς τῶν ἀποθανόντων προστροπαίους. *Niſi pro mortuis vltionem ſumpſerimus, graues diras habebimus, furias mortuorum.* Rurſum Maro:

Et Diræ vltrices, & Dij morientis Eliſæ.

Benè autem addit *inſepulti*, quia credebant inſepultorum animas non admitti in manium conſortia, vt inſinuat Maro 6. Æneidos, & Plutarchus libro 9. ſympoſ. quæſt. 5. de anima Elpenoris. οὔτω καταμεμιγμένην ταῖς ᾅδου διὰ τὸ μὴ τεθάφθαι τὸν νεκρόν. *Nondum præmixta manibus in inferos receptis, cadauere inſepulto.* Tertullianus libro de anima: *Creditum eſt inſepultos non antè ad inferos redigi, quàm iuſta perceperint, ſecundum Homericum Patroclum, funus in ſomnis ab Achille flagitantem: quòd non alias adire portas inferorum poſſet, arcentibus cum longè animabus ſepultorum.* Vide 23. Iliados. Furiæ igitur & vmbræ inſepultorum ad Inferos non receptæ vagari credebantur, & viuos territare.

CVM FASCIBVS.] Hic locus variè concipitur, legitur: *Qui cum falcibus ad Curiam concurrerunt: cum faſcibus ad Caſtoris.* Item: *Cum facibus ad Caſtoris.* Crediderim germanam hanc eſſe lectionem. *Qui cum facibus ad Curiam concurrerũt, cum faſcibus ad Caſtoris,* &c. Nam & Curia Clodianorum facibus deflagrauit: & multitudo, vt iam vidimus in præfatione Aſconij: *Faſces ex lecto Libitinæ raptos attulit ad domum Scipionis & Hypſæi, deinde ad hortos Cn. Pompeij, clamitans eum modò Conſulem, modò Dictatorem.* Faciléque crediderim hos faſces, ad templum Caſtoris, quod in foro fuit iuxta comitium, primò fuiſſe delatos à Clodianis flagitantibus vt illo ipſo & loci & temporis veſtigio Conſules crearentur, qui de Milone pœnas exigerent. Deinde, cùm candidati faſces ſibi per ſeditionem datos non admitterent, eos ad Scipionem & Hypſæum, Milonis competitores, tandem ad Cn. Pompeium detulerunt. Cæterùm obiter notandus eſt ritus (cuius haud facilè dixerim an vllum alibi extet veſtigium) faſces conſulares, cùm Reſp. Conſules non haberet, ad puluinar ſiue lectum Veneris Libitinæ perlatos, eiúſque quaſi cuſtodiæ mandatos, vt cùm noui conſules facti eſſent, inde prome- V. Faſces electo Libitinæ deprompti.

rentur. De faſcibus nonnihil dictum eſt in Sextianam §. 17. Sed hæc omnia trita ſunt, vt & cuiuis compertum eſt Conſulibus faſces fuiſſe duodecim, ſex Prætoribus, duos legatis, cùm prouincias obtinerent: Illud fortaſſe rarius, quod notatum à viris eruditis, Prætores in vrbe cùm eſſent, duos duntaxat habuiſſe. Plautus Epidico actu 1. ſc. item 1.

Th. *Atenim vnum à Pratura tua Epidice abeſt.*
Epid. *Quid iam?* Th. *ſcies.*
Lictores duo, duo viminei aſces virgarum.-

Cenſorinus libro de die Natali exeunte. *M. Pletorius Tribunusplebis ſcitum tulit, in quo ſcriptum eſt*, PRÆTOR VRBANVS QVI NVNC EST, QVIQVE POSTHAC FVAT, DVO LICTORES APVD SE HABETO, ISQVE SVPREMVM AD SOLIS OCCASVM IVS INTER CIVEIS DICITO. Vnde intelligas illud M. Ciceronis 2. agraria de Duumuiris Capuanis. *Cùm cæteris in coloniis duumuiri appellentur, hi ſe Prætores appellari volebant*, &c. *Deinde anteibant lictores, non cum bacillis, ſed*
VI. *vt hic Prætoribus anteeunt, cum faſcibus duobus.*

VOLITARE.] Alibi notauimus hoc verbo impunitatem denotari. Vide Sextianam §. 1. *Alacres latóſque volitare.* §. 95. *Hi quoque etiam nunc volitant, vt videtis: nec dum vos de vobis aliquid timebitis, illi vnquam de ſe pertimeſcent.* In Piſonem 8. *Ludos facere, & pro exercitatum volitare paſſus es.*

CONCIONEM GLADIIS DISTVRBARI.] Poſt cædem Clodij multas ciuium ſtrages contigiſſe narrat Appianus 2. ciuil. Πολὺς ἢ τῶν ἄλλων ἐγίγνετο φόνος, οὐ τοὺς Μίλωνος ἔτι φίλους ἐρευνώντων, ἀλλὰ τὸν ἐντυχόντα ἀναιρούντων ἀστὸν ὁμοῦ ἢ ξένον, καὶ μάλιστα ὅσοι ταῖς ἐσθῆσι, ἢ σφραγῖσι ἀπὸ χρυσοῦ διέφερον. *Magna etiam edita eſt aliorum ſtrages, Clodianis non ampliùs Milonis amicos veſtigantibus, ſed eum trucidantibus, qui primus occurrerat, ſiue ciuem, ſiue peregrinum, & eos maximè qui veſte aut annulis aureis eminebant.* Idque ait factum in M. Cœlij, quem ipſe & alij M. Cecilium appellant, concione: & Tribunisplebis, putà T. Munatio Planco, & Q. Pompeio reliquam plebem, quæ Milonis largitionibus corrupta non fuerat, ad diſturbandam illam mercenariam M. Cœlij concionem hortantibus. Κεκίλιος μὲν δὴ καὶ Μίλων δούλων ἐσθῆτας ὑποδύντες ἀπέδρασαν. *Cecilius & Milo in veſte ſeruili fugerunt.* Quæ ſi vera ſunt, miror quid ſit, quod Orator rem tam atrocem & indignam, tam leniter & quaſi curſim perſtrinxerit. Niſi fortaſſe ſibi conſultò temperauit, quia videbat obiici ſibi poſſe, non fuiſſe verum illum populum, ſed fecem plebis mercenariæ largitionibus à Milone corruptam. VII.

Peroratio ad captandam miſericordiam comparata. à perſonis

- Milonis quem eo venia digniorem eſſe dicit, quo minùs eam implorat à §. 93. ad 99.
  - à ſimili ſiue comparatione gladiatorum, quorum
    - timidos & ſupplices odimus,
    - fortes & generoſos ſeruare cupimus. 93.
  - ab animi magnitudine qua patriæ ſalutem ſuis commodis anteponit. 94. 104.
  - à ſpe fruſtrata pro ſuis meritis in
    - Senatum.
    - Equites.
    - Ciceronem.
  - ab amore ciuium quos ſibi demeruit
    - improbos muneribus & ludis.
    - bonos meritis in Remp. 96.
  - à cauſſis cur Milo euentum rei ſecurus expectet.
    - conſcientiâ rectè factorum. 97. &c.
    - gloriâ, quam ob necatum Clodium iam eſt adeptus. 97. 98.
- ſua
  - tanto maiore dolore à Milone diuellitur, quo magis eſt eius diuina virtus. 99.
  - ne iraſci quidem poterit iis, à quibus damnatione Milonis tantum vulnus acceperit. 99.
  - depoſcit cladem in ſuum ipſius caput conuerti. 99.
  - nihil ſtudij laboríſque prætermiſit pro Milone. 100.
  - implorat
    - Iudices. 100.
    - milites. 101.
  - Merita commmemorat
    - in ſe collata
      - à Milone.
      - à Iudicibus.
    - ſua in Remp. 103.
  - queritur
    - ſe nihil habiturum, quod reſpondeat
      - Q. fratri.
      - liberis.
    - ſe nihil obtinere poſſe
      - à iudicibus ſibi coniunctiſſimis.
      - in cauſſa ſalutari Reip.
    - omnes ſuos dolores ex oppreſſione Catilinæ redundare. 103.
  - dolorem quem ex damnatione Milonis perciperet, comparatione cæterorum dolorum exaggerat. 103.
- exterarum gentium, quæ libenter excipient Milonem ſi fuerit expulſus. 105.

PERORATIO.

ARGVMENTVM.

Peroratio duas partès complectitur. alterâ Milonem excuſat, quòd nec ſordidatus eſſet, nec ſe ad Iudicum pedes ſubmitteret, aut miſericordiam imploraret, alterâ ipſe Iudicum miſericordiam expoſcit. Et nunc quidem exemplo gladiatorum docet Milonem tanto eſſe miſericordia digniorem, quanto minùs eam implorat.

XCIII. SED iam ſatis multa de cauſa, extra cauſam etiam nimis fortaſſe multa. Quid reſtat? niſi vt orem, obteſtérque vos, Iudices, vt eam miſericordiam tribuatis fortiſſimo viro, quam ipſe non implorat, ego autem, repugnante hoc, & imploro, & expoſco. Nolite, ſi in veſtro omnium fletu nullam lacrymam aſpexiſtis Milonis, ſi vultum ſemper eundem, ſi vocem, ſi orationem ſtabilem, ac non mutatam videtis, hoc minùs ei parcere: atque haud ſcio, an multo etiam ſit adiuuandus magis. Etenim ſi in gladiatoriis pugnis, & infimi generis hominum conditione atque fortuna, timidos & ſupplices, & vt viuere liceat obſecrantes, etiam odiſſe ſolemus: fortes & animoſos, & ſe acriter ipſi morti offerentes ſeruare cupimus: eorúmque nos magis miſeret, qui noſtram miſericordiam non requirunt, quàm qui illam efflagitant: quanto hoc magis in fortiſſimis ciuibus facere debemus?

EXPLANATIO.

SED IAM.] Satis multa de cauſſa diximus, cùm Milonem inſidias non feciſſe oſtendimus. qui erat ſtatus & cardo noſtræ quæſtionis. *extra cauſſam etiam nimis fortàſſe multa.* cùm probauimus Milonem dignum præmio futurum fuiſſe, ſi nullis inſidiis appetitus, ſed ſolo patriæ liberandæ ſtudio compulſus Clodium pernicioſum ciuem, peſtem patriæ, Reip. procellam è Rep. ſuſtuliſſet: quod non erat poſitum in quæſtione.

QVID IAM.] Iuſtitiâ cauſſæ probatâ nihil reſtat, niſi vt vos orem atque obteſter, vt Miloni qui præ magnitudine animi iudicij exitum non pertimeſcit, neque veſtram miſericordiam expoſcit, ne gratia potiùs quàm æquitate cauſſæ abſolutus fuiſſe videatur, ei, inquam, vos miſericordiam tribuatis.

NOLITE.] Quoniam nihil magis nocuit Miloni quàm ipſa eius ſiue conſtantia, ſiue audacia, vt nec capillum ſubmiſerit, nec ſordidatus fuerit, nec ſe ad iudicum pedes abiecerit, nec iudices, vt miſererentur, obſecrarit, ídque nimiùm quantum Iudicum animos offenderat, & exulcerarat, ideò multus eſt Orator in hac offenſione lenienda.

ETENIM.] *Non minùs eſt conſtantiæ ciuis egregij, quàm gladiatoris tribuendum.*

Sed gladiatori vitam petenti iraſcimur, mortem adeunti ignoſcimus.

Ergo & ciui adeoque Miloni vitam & ſalutem petenti iraſci deberemus, non poſtulanti ignoſcere.

INFIMI.] Gladiatores enim vel ſerui fuerũt, vel ob ſcelera ad ludum damnati, vel bello capti, vel denique pauperes qui lucri cauſſa ſe ad ludum gladiatorium auctorabant. quomodo autem ſpectator gladiatores aut ſeruaret, aut iuberet interfici, dicetur in Notis.

NOTÆ.

NOLITE.] Iam aliàs dictum eſt è Plutarcho cauſſam dictam fuiſſe, αὐτοῦ τοῦ Μίλωνος εὐθαρσῶς καὶ ἀνδρείως παρισταμένου τῷ ἀγῶνι, καὶ κόμην θρέψαι, καὶ μεταλαβεῖν ἐσθῆτα φαιὰν ἀπαξιώσαντος. ὅπερ οὐχ ἥκιστα δοκεῖ συναίτιον αὐτῷ γενέσθαι τῆς καταδίκης. *Ipſo Milone confidenter & fortiter ſiſtente ſe iudicio, neque volente aut capillum ſummittere, aut veſtem ſordidam induere.* I.

INFIMI GENERIS.] Scio vix quicquam addi poſſe doctiſſimis Lipſij commentariis, quibus omnem gladiatoriæ pugnæ rationem explanat, quædam tamen ad hunc locum ſcitu neceſſaria non patitur inſtituti noſtri ratio præterire. Infimi generis ait Orator fuiſſe gladiatores, pauperes videlicet qui ſeipſos ad gladium auctorabant. Tatianus ad Græcos: Ἀργίαν τινὲς ἐπανῃρημένοι διὰ τὴν ἀσωτίαν ἑαυτοὺς εἰς τὸ φονεύεσθαι πεπράκεισι, καὶ πωλεῖ μὲν ἑαυτὸν ὁ πεινῶν. ὁ δὲ πλουτῶν ὠνεῖται τοὺς φονεύοντας. *Sunt qui propter luxuriam ſectantur otium, ſéque vendendos prabent ad cædem. hic ſe venundat pauper, diues emit occiſores.* Immò quod magis mireris, Athenæus lib. 4. Euphorionis Chalcidenſis verbis teſtatur. Παρὰ τοῖς Ῥωμαίοις προτίθεσθαι πέντε μνᾶς τοῖς ὑπομένειν βουλομένοις τὴν κεφαλὴν ἀποκοπῆναι πελέκει, ὥστε τοὺς κληρονόμους κομίσασθαι τὸν ἆθλον. *Apud Romanos proponi duo ſeſtertia iis qui voluerint ceruices ſuas ſecuri ſubiicere, ea conditione vt merces ipſorum heredibus tribuatur.* Seruos eos, vt plurimùm fuiſſe liquet ex ſeruis ipſius Milonis, qui gladiatores ab ipſo Tullio nominantur. Teſtes Eudamus & Byrrhia, à quibus Clodius occiſus eſt. teſtis bellum

II. Gladiatores infimi generis & conditionis.

lum ſeruile à gladiatoribus conflatum. Alij fuerunt bello capti, vt Iudæorum multi poſt excidium in varias vrbes diſtributi, vt vel cum beſtiis pugnarent, vel gladiarentur inter ſe, vt auctor eſt Ioſephus. non moror. Poſteà tamen non homines ſolùm infimæ conditionis & fortunæ, ſed etiã nobiles ſe ad huiuſmodi ludos offerebant. Liuius decad. 3. lib 8. de Scipione: *Munus gladiatorium in honorem patris patruíque Carthagini nouæ dedit, non ex gladiatoribus, ſed ex iis, qui aut in honorem ducis, aut ex prouocatione in certamen deſcendebant, in quo Reguli fratres de regno ferro contenderunt.* Dio libro 48. Ἕτερος ἐς τὸ βουλευτικὸν ἐσγραφεὶς μονομαχῆσαι ἠθέλησε, καὶ ἐκεῖνός γ' ἐκωλύθη τοῦτο ποιῆσαι, καὶ προσκατηγορεύθη μήτε δουλευτὴν μονομαχεῖν, μήτε δοῦλον ῥαβδουχεῖν, legendum βουλευτὴν. *Alius in Senatum adſcriptus voluit gladiari, & ille quidem prohibitus eſt, & inſuper ſancitum ne quis Senator in gladiatoriam arenam deſcenderet aut ſeruus lictor fieret.* Item libro 51. in templi Iulij dedicatione: Κόϊντός τε Οὐιτέλλιος βουλευτὴς ἐμονομάχησε. *Q. Vitellius Senator gladiatus eſt.* Et lib. 56. extremis Auguſti temporibus: Καὶ τοῖς ἱππεῦσι (ὃ καὶ θαυμάσειεν ἄν τις) μονομαχεῖν ἐπετράπη. αἴτιον δ' ὅτι ἐν ὀλιγωρίᾳ τινὲς τὴν ἀτιμίαν τὴν ἐπ' αὐτῷ ἐπικειμένην ἐποιοῦντο. ἐπεὶ γὰρ μήτ' ὄφελός τι τῆς ἀπορρήσεως ἐγίγνετο καὶ τιμωρίας μείζονος ἄξιοι εἶναι ἐδόκουν, ἢ καὶ ἀποτραπήσεσθαι ἐνομίσθησαν, συνεχωρήθη τοῦτό σφισι ποιεῖν, καὶ ὅπως ἀντὶ τῆς ἀτιμίας θάνατον ὤφλισκανον. οὐδὲν γὰρ ἧττον ἐμονομάχουν, καὶ μάλιστα ὅτι δεινῶς οἱ ἀγῶνες αὐτῶν ἐσπουδάζοντο, ὥστε καὶ τὸν Αὔγουστον τοῖς στρατηγοῖς, τοῖς ἀγωνοθετοῦσι σφᾶς συνθεᾶσθαι. *Et equitibus quidem, quod miretur quis, gladiari permiſſum eſt. cauſſam fuit quòd multi infamiam quæ inde ſequebatur contemnerent. Itaque cùm edictum nihil prodeſſet, maiórque pœna ad deterrendum eos requireretur, permiſſum fuit vt dimicarent, quo pro ignominia morte afficerentur: nihilo enim minùs dimicarunt, præcipuè cùm eorum certamina magno ſtudio viſerentur, itaut Auguſtus quoque Prætoribus qui præmia diſtribuebant, adeſſet.* Caius: Καὶ τῶν ἱππέων ἓξ καὶ εἴκοσι τοὺς μὲν τὰς οὐσίας καταδεδαπανηκότας, τοὺς δὲ καὶ ἄλλως ὁπλομαχίαν ἠσκηκότας. *Equitum ſex & viginti, qui vel decoxerant, vel alio modo gladiatoriam pugnam exercuerant.* in certaminibus occidit. Id tamen tanquam monſtrum notauit Iuuenalis ſat. 2.

Vicit & hoc monſtrum tunicati fuſcina Gracchi,
Luſtrauítque fuga mediam gladiator arenam,
Et Capitolinis generoſior & Marcellis
Et Catulis, Paulliſque minoribus, & fabiis, &
Omnibus ad podium ſpectantibus. his licet ipſum
Admoneas, cuius tunc munere retia miſit.

De Commodo quid dixiſſet? qui, vt eius vitæ ſcriptores referunt, *Gladiatorium etiam certamen ſubiit, & nomina gladiatorum recepit eo gaudio, quaſi reciperet triumphalia,* &c. *pugnaſſe autem dicitur ſeptingenties tricies, quinquies.* Sed hæc monſtra cenſeantur: fuerunt enim, vt plurimùm *Gladiatores aut perditi homines, aut barbari.* Vt mox ex ipſo Tullio referemus: & dicta de ſeruis confirmari poſſunt illis Athenæi verbis apud Athenæum libro quarto: ἤδη δέ τις κἀν ταῖς διαθήκαις γέγραφε γυναῖκας εὐπρεπεστάτας μονομαχῆσαι ἃς ἐκέκτητο. ἕτερος δὲ παῖδας ἀνήβους ἐρωμένους ἑαυτοῦ. *Eo denique ventum eſt, vt neſcio quis in tabulis teſtamenti iuſſerit gladiari mulieres quas formoſiſſimas poſſidebat, alius pueros impuberes, quos deperibat.*

Gladiatores è Senatu.

Gladiatores ex equeſtri ordine.

Commodus gladiator.

Mulieres & pueri gladiatores.

III. ODISSE SOLEMVS.] Eorum mortem à munerario poſtulare. Solebant enim ſpectatores, ſi cuius perculſi & victi gladiatoris necem expeterent, pollicem vertere: vt eo ſigno munerarius populi ſpectantis voluntatem cognoſceret. Iuuenalis ſat. 3.

Munera nunc edunt, & verſo pollice vulgi
Quemlibet occidunt populariter.

Verſo pollice mortem gladiatorum expetebant.

Prudentius libro poſteriore aduerſus Symmachum exeunte, de Veſtalibus loquens:

O tenerum mitémque animum! conſurgit ad ictus,
Et quoties victor iugulo ferrum inſerit, illa
Delitias ait eſſe ſuas, pectúſque iacentis
Virgo modeſta iubet conuerſo pollice rumpi:
Ne lateat pars vlla animæ, vitalibus imis
Altiùs impreſſo dum palpitat enſe ſecutor.

Hæc quidem & alia Lipſius: ſed quàm difficile eſt, poſt tam vberem vindemiam racemare!

IV. FORTES ET ANIMOSOS.] Orator ſecunda Tuſcul. 71. *Gladiatores aut perditi homines, aut barbari quas plagas perferunt? quomodo illi qui bene inſtituti ſunt accipere plagam malunt quàm turpiter vitare? quàm ſæpe apparet nihil eos malle, quàm vel domino ſatisfacere, vel populo? mittunt etiam vulneribus confecti ad dominos, qui quærant quid velint, ſi ſatisfactum iis ſit,* lege *non ſit, ſe velle decumbere. Quis mediocris gladiator ingemuit? Quis vultum mutauit vnquam, quis non modò ſtetit, verùm etiam decubuit turpiter? Quis cùm decubuiſſet, ferrum recipere iuſſus, collum contraxit.* Nota verba, *ferrum recipere*, qua formula verborum vtebantur, qui iubebant gladiatores iugulari. pro Sextio 80. *Num defuit gladiis? num repugnauit? num, vt gladiatoribus imperari ſolet, ferrum non recepit?* Sed hæc enucleatiùs princeps ille Criticorum Gellius lib. 12. cap. 5. *Qualem fuiſſe accepimus ferum quendam in ludo Cæſaris gladiatorem, qui cùm vulnera eius à medicis execabantur, ridere ſolitus fuit.*

Gladiatorum fortitudo.

V. SERVARE CVPIMVS.] Compreſſo pollice petimus à munerario rudem vel miſſionem. Horat. lib. 1. ep. 18.

Fautor vtroque tuum ſpectabat pollice ludum.

Plinius libro 28. cap. 2. *Pollices cùm faueamus premere etiam prouerbio iubemur.* Nec ſolùm in ludis gladiatoriis, verùm etiam in theatris. Hinc illud Glyceræ dictum ex Menandro: Τοῖς δακτύλοις ἐμαυτῆς πιέζουσι ἢ αὖ κροταλίζῃ τὸ θέατρον. Vide Angelum Politianum cap. 42. Miſcell. & Turnebum capite 6. libri 11. Aduerſ. Hunc porrò Ciceronis locum præ oculis habuit Seneca libro de Tranquillitate cap. 11. *Gladiatores, ait Cicero, inuiſos habemus ſi omni modò vitam impetrare cupiunt: fauemus ſi contemptum eius præ ſe ferunt. Idem euenire nobis ſcias. Sæpe enim cauſſa moriendi eſt timidè mori. fortuna illa, quæ ludos ſibi facit. Quo, inquit, te reſeruem malum & trepidum animal? Eo magis conuulneraberis & confodieris, quia neſcis præbere iugulum. At tu & viues diutiùs, & morieris expeditiùs, qui ferrum non ſubducta ceruice, nec manibus oppoſitis, ſed animosè recipis.*

Premebant pollicem cùm fauebant.

AXIOMATA.

Sæpe, qui miſericordiam minùs implorat, multo adiuuandus eſt magis.

Timidos & ſupplices, & vt viuere liceat obſecrantes, etiam odiſſe ſolemus: fortes & animoſos & ſe acriter morti offerentes ſeruare cupimus: eorúmque nos magis miſeret qui noſtram miſericordiam non requirunt, quam qui illam efflagitant.

ARGVMENTVM.

Inducta Milonis oratione, eiuſdem non ſolùm fortitudinem & conſtantiam, ſed etiam ſingularem amorem patriæ demonſtrat: quibus ſe vocibus examinari dicit Orator, vt illa timoris comparatione animi magnitudo magis eluceat.

XCIV. ME quidem, Iudices, exanimant, & interimunt hæ voces Milonis, quas audio aſſiduè, & quibus interſum quotidie: Valeant, inquit, valeant ciues mei, ſint incolumes, ſint florentes, ſint beati: ſtet hæc vrbs præclara, mihíque patria cariſſima, quoquo modo merita de me erit: tranquilla Repub. ciues mei (quoniam mihi cum illis non licet) ſine me ipſi, ſed per me tamen, perfruantur: ego cedam atque abibo. ſi mihi Republica bona frui non licuerit, at carebo mala: &, quam primùm tetigero bene moratam & liberam ciuitatem, in ea conquieſcam.

EXPLANATIO.

ME QVIDEM.] Equidem, diffiteri non poſſum: videtur eius generoſitas modum communem excedere: nec eam in illius caſu ſeruare poſſum conſtantiam, quam ille in capitis ſui periculo ſeruat: ſed eius voces illius fortitudinis indices me exanimant, &, vt ita loquar, enecant formidine.

VALEANT.] Hac veluti ſalutatione oſtendit æquo ſe animo à patria diſcedere: *ſint incolumes*, nullius egeant adminiculo, & veluti columna, vt ſe ipſos poſſint in ſtatu ſuſtinere: *ſint florentes*, firmi ſint & robuſti velut in flore ætatis: *ſint beati*, omnibus opibus, omni voluptate circumfluant. vides quomodo paulatim adſcendat oratio: inciſiſque diſtincta ſeipſam faciliùs euoluit, quod animum nō magnopere ſollicitū oſtendit.

QVOQVO MODO.] Siue me ob Clodij necem vt parricidam damnarit: ſiue ob vim vi repulſam, vt innocentem abſoluerit, ſiue ob partam nece Clodij Reip. ſalutem, vt innocentem præmiis & honoribus affecerit.

TRANQVILLA REP.] Nullis ſeditionum procellis iactata, extincto Clodio qui illos fluctus & tempeſtates ſuis factionibus in Rep. concitabat.

PER ME]. Qui illam peſtem, illum Reip. turbinem oppreſſi.

SI MIHI.] Si eiicior è ciuitate, poſtquam extincto Clodio, vitium ex ea ſublatum eſt, eáque ex deformi & malo, in pulcherrimum & optimū ſtatum euaſit, at carebo mala Rep. qualis tùm erat, cùm eam viuens Clodius ſeditionum fluctibus concitabat.

BENE MORATAM.] Bonis moribus & legibus inſtitutam.

IN EA CONQVIESCAM.] Ibi ponam domicilium rerum mearum.

NOTÆ.

1. ME QVIDEM.] Vide §. 90. non abſimilis eſt verſus Ariſtophanis Acharnenſ.

Τῆτες δ' ἀπέθανον, καὶ διεστράφην ἰδών.

Hoc anno mortuus ſum & diſtortus videns.

Terentianus Pamphilus in Andria, actus 4. ſc. 1. Charinum importunè interpellantem ſic obiurgat: *Cur me enecas? hoc audi.*

Sagariſtrio Plautinus in Perſa ſc. 1.

-ab odio me enicas.

Id eſt verbis importunis & ingratis aures meas obtundis, vt liquet ex reſponſione Toxili:

Amoris vitio, non meo, nunc tibi morologus fio.

Sed vulgo, cum aliquid ingratum & præter voluntatem audimus: *vous me faites mourir.* Dio Chryſoſtomus Iſthmiis: Ἐξεπλάγη καὶ τῷ δέει τέθνηκεν. *conſternatur & exanimatur timore.*

VALEANT.] Sumitur aliquando in malam partem, vt apud Tullium: *Valeat, valeat Epicurus*, &c. Cùm videlicet à nobis aliquem cum faſtidio dimittimus: frequentiùs in bonam, vt hoc loco. ita etiam Græci, μακρὰ χαίρειν. & quod aliàs protulimus è Phalaride ad Meſſenios: Ἔρρωσθε. τὸ δ' ἔρρωσθε διπλῆν παρέμφασιν ἔχον ἀγαθοῦ καὶ κακοῦ. μὴ ἀγνοεῖτε ὅτι πρὸς τὸ χεῖρον γέγραπται. *Valete. cùm autem verbum, valete, & in bonam & in malam partem capiatur. ſcitote in malam eſſe ſcriptum.* Hîc autem in bonam, vt nemini dubium eſſe poteſt ex iis quæ proximè ſequūtur, quibus omnia prope boni ominis ſalutationum genera comprehendit: ὑγιαίνειν, χαίρειν, εὐδαιμονεῖν, εὖ πράττειν, &c. de quibus Lucianus habet imprimis curioſa apologia de lapſu in ſalutatione. & interpres Ariſtophanis in nubibus ad illum verſum, 11. Valere.

Πρῶτα μὲν χαίρειν Ἀθηναίοισι καὶ τοῖς συμμάχοις.

Primùm Athenienſibus ſalutē & ſociis omnibus.

Præter hanc vocem vſu receptam, Πλάτων μέν τοι, inquit, ἐν ἀρχῇ τῶν ἐπιστολῶν τὸ εὖ πράττειν προσέθηκεν, οἱ δὲ Πυθαγόρειοι τὸ ὑγιαίνειν. *Plato quidē initio epiſtolarum, verbum bene rem gerere, vel beatum eſſe præſcripſit, Pythagorei verò* VALERE. Porrò illud *ſint beati*, idem eſt atque ſint opulenti, vel voluptatibus & omnium rerum abundantia circumfluant. Athenæus libro 6. Τίμαιος ἔτι οὕτως εὐδαιμονῆσαι τὴν Κορινθίων πόλιν ὡς κτήσασθαι δούλων μυριάδας ἓξ καὶ τεσσαράκοντα. *Timæus Corinthum ait tam beatam fuiſſe, vt quadringenta &*

ſexaginta ſeruorum millia poſſiderent. Vide Platonem epiſt. 7. ὁ ταύτῃ λεγόμενος αὖ βίος εὐδαίμων, &c. de luxu Siculo. Varro lib. 4. *Diues, à diuo qui vt Deus nihil indigere videtur. Beatus qui bona poſſidet, & is opulentus ab ope, cui ea opimæ.*

Sine me.] Seneca epiſt. 86. *Aut Scipio Romæ*, malim, *Aut Scipioni Roma deeſſe debebat, aut Roma libertas. Nihil, inquit, volo derogare legibus, nihil inſtitutis. æquum inter omnes ciues ius ſit. vtere ſine me beneficio meo patria. cauſſa tibi libertatis fui. Ero & argumentum. Ex eo ſi plùs, quàm tibi expedit, creui.*

Bene moratam.] Plutarchus de fuga: Τὸ γὰρ καλὸν ἐκεῖνο παράγγελμα τῶν Πυθαγορείων, Ἑλοῦ βίον ἄριστον, ἡδὺν δ᾽ αὐτὸν ἡ συνήθεια ποιήσει, κἀνταῦθα σοφόν ἐστι καὶ χρήσιμον. Ἑλοῦ πόλιν τὴν ἀρίστην, πατρίδα δ᾽ αὐτὴν ὁ χρόνος ποιήσει. *Pulchrum enim illud Pythagoreorum præceptum. Elige vitam optimam, eam faciet conſuetudo iucundam, hîc & ſapiens & vtile eſt: Elige vrbem optimam & iucundiſſimam, eam tempus patriam efficiet.*

AXIOMATA.

Charam debémus habere patriam, quoquo modo merita de nobis erit

Si Repub. bona frui non licuerit, optandum vt malâ careamus.

ARGVMENTVM.

Per exclamationem oratoriam indignatione plenam Milo cùm ſpei ſuæ vanitatem oſtendit, tum, ſi damnetur, iudicij illius ingratorum ciuium, ſuæque damnationis indignitatem exaggerat.

O Frvstra, inquit, ſuſcepti mei labores: ô ſpes fallaces: ô cogitationes inanes meæ. ego cùm Trib. pleb. Repub. oppreſſa me Senatui dediſſem, quem exſtinctum acceperam, equitibus Romanis, quorum vires erant debiles, bonis viris, qui omnem auctoritatem Clodianis armis abiecerant, mihi vnquam bonorum præſidium defuturum putarem? Ego cùm te (mecum enim ſæpiſſimè loquitur) patriæ reddidiſſem, mihi non futurum in patria putarem locum? Vbi nunc Senatus eſt, quem ſecuti ſumus? vbi equites Rom. illi, illi, inquit, tui? vbi ſtudia municipiorum? vbi Italiæ voces? vbi denique tua, M. Tulli, quæ plurimis fuit auxilio, vox & defenſio? mihíne ea ſoli, qui pro te toties morti me obtuli, nihil poteſt opitulari? XCV.

EXPLANATIO.

O Frvstra.] Prô quàm inutiles fuerunt illi labores, quos pro Rep. toleraui!

O Spes fallaces.] Quas de gratitudine ciuium meorum conceperam.

Ego cvm.] Cùm in tribunatu meo, qui ſecutus eſt Clodij Tribunatum, me Senatus dignitatis, quam ſuperioris anni ſeditionibus amiſerat, defendendæ tradidiſſem, qui ſic extinctus penitúſque deletus fuerat, vt eum conſules Piſo & Gabinius ſuis ipſius decretis parêre prohiberent: *Equitibus Romanis quorum vires* ita *debiles erant*, vt Gabinius Luc. Lamiam nobiliſſimum equitem auſus fuerit in concione relegare pro Ciceronis ſalute deprecantem: *bonis viris*, qui ſic oppreſſi fuerant armis illorum ſeruorum, quos P. Clodius palàm pro Aurelio tribunali conſcriptos contra Remp. armauerat, vt iam nihil auctoritatis obtinerent: cùm inquam me totum dediſſem, omnémque in meo tribunatu operam eò contuliſſem, vt Senatui ſuum ſplendorem, equeſtri ordini ſuas vires, bonis omnibus ſuam auctoritatem reſtituerem, mihíne poteram ſuſpicari, illorum præſidium, quos tanto ſtudio defenderam, defuturum.

Cvm te.] M. Tulli, *Patriæ reddidiſſem*, emphaſis in verbo, vt nō tam emiſſus ex vrbe, quàm è ſinu gremióque patriæ retinentis per vim abreptus & auulſus eſſe videatur.

Qvem secvti svmvs.] Cuius in omni vita & adminiſtrandæ Reipub. ratione ego & tu ſemper auctoritati paruimus.

Tvi.] Quos in conſulatu tuo cum Senatu ita coniunxeras, vt admodum confirmati iam efficerent tertium corpus ciuitatis. vide Notas.

Vbi stvdia mvnicipiorvm.] A quibus, hortante Cn. Pompeio, miſſi ſunt Romam permulti, qui te M. Tulli, in patriam reuocarent.

Italiæ voces.] Ferendo de te ſuffragio. quaſi diceret, Quàm citò illa Senatus, equitum, municipiorum, totius Italiæ ſtudia mutata ſunt!

Morti me obtvli.] Qui pro tua ſalute Clodio me oppoſui, qui eam ob cauſſam meam vitam appetebat, & cùm ſeruos, tum gladiatores armauerat.

NOTÆ.

O frvstra svscepti labores.] Poëtæ ſic exprimunt. Iuuenalis ſat. 7. 1.

-tenuíque in puluere ſulcos
Ducimus, & littus ſterili verſamus aratro.

Naſo:

Non profecturis littora bobus aras.

& alij paſſim. huc quadrare poſſit & illud Maronis in Bucolicis:

Atque idem iungat vulpes & mulgeat hœdos.

& illud dictum Demonactis apud Lucianum in eius vita, in imperitos philoſophos duos qui fruſtrà & inſulsè diſputabant. Οὐ δοκεῖ ὑμῖν, ὦ φίλοι, ὁ μὲν ἕτερος τούτων τράγον ἀμέλγειν, ὁ δ᾽ αὐτῷ κόσκινον ὑποτιθέναι; *Non videtur vobis, amici horum alter*
Mulgere hœdos. *hœdum mulgere, alter cribrum ſupponere?* quanquam, vt id obiter dicam, Sanctus Xauerius falſum oſtendit aliquando fuiſſe hoc prouerbium. Quis vetat eius verba producere è libro 2. epiſt. 3. *In hac inſula Amboino rem vidi incredibilem, &*
Caper lac habens. *ante hoc tempus inauditam,* &c. *Caprum, inquam, vidi lacte ſuo paruos alentem hœdos: vbere enim quod prope genitalia vnicum habet, tantum lactis reddebat quotidiè, quantum ſcutella capere poteſt. Ego ipſe rem perſpexi his oculis, neque enim aliter vt crederem adduci potuiſſem.*

II. O SPES FALLACES.] Præclarè noſter initio tertij de Oratore. *O fallacem hominum ſpem fragilémque fortunam, & inanes noſtras contentiones: quæ in medio ſpatio ſæpe franguntur & corruunt, & antè in ipſo curſu obruuntur, quàm conſpicere potuerunt.* ſic à Syneſio ἀπατηλαί, à Luciano, αἱ μὲν χρυσαῖ ἐκεῖναι ἐλπίδες οὐδὲν ἄλλο, ἢ φῦσαί τινες ἐπίχρυσοι, *aureæ illæ ſpes aliud nihil quàm aurati quidam folles.* ab Ariſtotele apud Laërtium, ἐγρηγορότος ἐνύπνιον, *vigilantis inſomnium* nominantur. vide Notas noſtras in Vatinianam 21. Nonnus lib. 38. ἀπατήλιον ἐλπίδα βόσκων, *fallacem ſpem paſcens.* Sophocles Antigone:

πολύπλαγκτος ἐλπίς, &c. Ἀπάτα κουφονόων ἐρώτων.
-multùm errans ſpes, &c.
Fallacia mentes leuium amorum.

Nec abludit à citatis verſus ille Euripidis, quem mihi Stobæus ſuggeſſit.

Πολλ᾽ ἐλπίδες ψεύδουσιν αἱ ἄλογοι βροτούς.
Rationis expers ſæpe ſpes fallit viros.

vnde & à Quinto Smyrnæo lib. 8. verſ. 10. auræ euanidæ comparatur.

Ἀλλ᾽ οἱ ἐλπωρὴ μὲν ἔην ἐναλίγκιος αὔρῃ
Μαψιδίῃ. κῆρες δὲ μάλα σχεδὸν ἑστήκασι
Πολλὸν καγχαλάασκεν ἐπ᾽ ἄσπετα μητιόωντι.
Spes fallaces. *Illum ſpes auræ volucrique ſimillima vento*
Excitat. adſtantes ridebant irrita Parcæ
Corde volutantem.-

Nec alio longè ſenſu Plato in Timæo: Ἐλπίδα εὐπαράγωγον αἰσθήσει τ᾽ ἀλόγῳ, καὶ ἐπιχειρητῇ παντὸς ἔρωτι. *Fraudi obnoxiam, & quæ facilè tum à ſenſu rationis experte, tum ab amore omnium aggreſſore in fraudem inducitur,* appellat. & Lucianus περὶ τῶν μισθῷ συνόντων ad imitationem Cebetis tabulam delineans ſpem ita depingit. Παραλαβοῦσα δ᾽ αὐτὸν ἡ ἐλπὶς εὐπρόσωπος καὶ αὐτή, καὶ ποικίλα ἀμπεχομένη εἰσαγέτω, σφόδρα ἐκπεπληγμένον τῇ εἰσόδῳ. τοὐντεῦθεν δὲ ἡ μὲν ἐλπὶς ἀεὶ προηγείσθω. διαδεξάμεναι δ᾽ αὐτὸν ἄλλαι γυναῖκες ἀπάτη καὶ δουλεία παραδότωσαν τῷ πόνῳ. ὁ δὲ πολλὰ τὸν ἄθλιον καταγυμνάσας, τελευτῶν ἐγχειρισάτω αὐτὸν τῷ γήρᾳ, &c. *Suſcipiens illum Spes & ipſa formoſa, & variis induta veſtibus cum introducat ipſo ingreſſu attonitum. Deinde Spes ſemper præcedat, excipientes autem illum aliæ mulieres Fraus & Seruitus tradant labori. Is autem cùm miſerum diu multúmque exercuerit, tandem Senectuti tradat in manus.*

TVI.] Plinius libro 33. cap. 2. *M. Cicero demum ſtabiliuit equeſtre nomen in conſulatu ſuo ei Senatum concilians, ex eo ſe ordine prouectum eſſe celebrans, & eius vires peculiari popularitate quærens: ab illo tempore planè hoc tertium corpus in Repub. factum eſt: cœpitque adiici Senatui Populóque Rom. Equeſter ordo.* Sed hæc iam alibi. addi etiam poteſt ea ratio, quod totus hic ordo incredibili quodam amore Tullium fuerit proſecutus: nam vt teſtatur Plutarchus in eius vita, antequam in exilium mitteretur: ὀλίγου δεῖν σύμπαν τὸ τῶν ἱππικῶν πλῆθος συμμετεβάλετο τὴν ἐσθῆτα, καὶ δισμύριοι οὐκ ἐλάττους νέων παρηκολούθουν κομῶντες καὶ συνικετεύοντες. *Parum abfuit quin vniuerſus ordo veſtem cum eo mutauerit, & non pauciores vicenis millibus iuniores, ſequebantur promiſſo capillo vnà ſupplicantes.* III.
Cicero equeſtre nomen ſtabiliuit.

MVNICIPIORVM.] Vide Feſtum, Sigonium. & alios paſſim.

AXIOMA
Spes fallaces.

ARGVMENTVM.

Occurrit inuidiæ quam poterat hæc apud Iudices libera ingrati ciuium animi exprobratio concitare: & bonorum ſtudium & beneuolentiam laudans, eorum timorem excuſat; id enim Miloni non parum fraudi fuiſſet, ſi putaſſent Iudices bonorum animos eſſe à cauſſa Milonis alienos.

XCVI. NEC verò hæc, Iudices, vt ego nunc, flens, ſed hoc eodem loquitur vultu, quo videtis: negat ingratis ciuibus feciſſe, quæ fecerit: timidis & omnia circumſpicientibus pericula, non negat. Plebem, & infimam multitudinem, quæ, P. Clodio duce, fortunis veſtris imminebat, eam, quo tutior eſſet vita veſtra, ſe feciſſe commemorat, vt non modò virtute flecteret, ſed etiam tribus ſuis patrimoniis deliniret: nec timet, ne, cùm plebem muneribus placarit, vos non conciliarit meritis in Rempublicam ſingularibus: Senatûs erga ſe beneuolentiam temporibus his ipſis ſæpè eſſe perſpectam, veſtras verò, & veſtrorum ordinum occurſationes, ſtudia, ſermones, quemcumque curſum fortuna dederit, ſecum ſe ablaturum eſſe dicit. Meminit etiam ſibi vocem præconis modò defuiſſe, quam minimè deſiderarit: populi verò cunctis

ſuffragiis, quòd vnum cupierit, ſe conſulem declaratum. nunc denique, ſi hæc arma contra ſe ſint futura, ſibi facinoris ſuſpicionem, non facti crimen obſtare.

EXPLANATIO.

NEC VERÒ.] Hæc interſerit de Milonis conſtantia, vt hac occaſione tranſeat ad laudandam bonorum erga Milonem beneuolentiam, quaſi à perſpecto bonorum ſtudio accerſat Milo ſuum illud ſolatium & conſtantiam.

QVO VIDETIS.] Eum conſtanter & ſine vlla animi perturbatione iudicio nunc adeſſe.

NEGAT ENIM.] Cauſſa conſtantiæ Milonis eſt, bene & apud gratos ciues beneficium ſuum eſſe collocatum. negat enim ſe illa quæ pro ſalute Reip. fecit, in ciuium ingratorum gratiam feciſſe, ſed ea ſe feciſſe dicit in gratiam bonorum, qui licet aliquo terrore Clodianæ factionis à referenda gratia retardentur, tamen beneficij ſunt memores, & ipſum non mediocri beneuolentia proſequuntur.

PLEBEM.] Eorum *quos Pub. Clodij furor rapinis & incendiis, & omnibus exitiis publicis pauit* quíque ab eo tanquam à duce latronum immiſſi, iam veſtris bonis inhiantes omnium fortunas expectatione deuorarant, eam, inquam, plebem, *vt tutior eſſet vita veſtra*, neque homines illi perditi, rapinarum cupiditate, vos occiderent, ſe feciſſe commemorat Milo, vt non ſolùm ſuæ virtutis admiratione flecteret, ſed etiam, fruſto panis in fauces obiecto, eorum rabiem & famem trium patrimoniorum largitionibus mitigaret.

TRIBVS PATRIMONIIS.] Aſconius: *Puto iam ſuprà eſſe dictum Milonem ex familia fuiſſe Papia, deinde adoptatum fuiſſe à C. Annio auo ſuo materno, tertium patrimonium videtur ſignificare matris. aliud enim quod fuerit non inuenio.* Sed non video quomodo poſſimus patrimonium matris, & aui materni diſtinguere: niſi fortaſſe ſit illud quod Milonis mater à ſua ipſius matre acceperat. hæc autem vt videtur, vel largitionibus, vel ludorum editionibus impenderat, ob quas largitiones, vt ait Aſconius, *Milo poſtero die factus reus ambitûs apud Manlium Torquatum abſens damnatus eſt.* Sed aduerte quem adferat colorem Orator: largitionem palàm à Milonianis factam eſſe conſtabat: eo conſilio factam eſſe dicit, vt plebis diuitum fortunis inhiantis famem hac largitione ſatians, diuites à direptione, Remp. ab exitio liberaret.

NEC TIMET.] Locus obſcurior, qui ſi verbo *ſingularibus* diſpungatur, ibíque finiatur periodus, ſic poterit explicari. nec timet Milo, ne illæ largitiones vobis non ſint gratiſſimæ, vóſque hoc pacto conciliarit meritis in Remp. ſingularibus, cùm ita plebem veſtris fortunis imminentem muneribus placarit, & à vobis auerterit.

SENATVS.] Supple, *dicit, temporibus his ipſis*, quibus in iudicium vocatur. Oſtendit ab inductione omnium ordinum beneuolentiam in Milonem. cuius rei conſcientiam ſecum ablaturum ſe eſſe dicit, id eſt hanc recordationem, & beneuolētiæ teſtimonium ſibi futurum eſſe ſolatio, ſi in exilium mittatur. atque hic quidem Lambinus ſectionem 96. finierat, nobis commodius viſum eſt è tribus duas conflare.

MEMINIT.] Meminit quoties habita ſunt comitia, ſe ciuium ſuffragio conſulem eſſe factum, idque tantùm ſibi defuiſſe, quòd non fuerit præconis voce proclamatus.

SI HÆC ARMA.] Quæ Pompeius in foro diſpoſuit, contra ſe ſint futura, ſibi ipſi nullius facti conſcius eſt, quo vel Pompeium vel Remp. offenderit, ſed tantùm id obfuturum ſibi intelligit, quòd aliqui ſuſpicantur eum aliquid vel contra Pompeij vitam, vel contra Reip. ſalutem nefariè moliri.

NOTÆ.

FLENS.] Nimirum, fluebat Orator I.
Vberibus ſemper lacrymis, ſemperq; paratis
In ſtatione ſua.
Quod etiam Demoſtheni Æſchines obiecit contra Cteſiphontem:

Οὗτος κλαίει μὲ ῥᾷον, ἢ ἄλλοι γελῶσι.
Hic flet faciliùs, quàm alij rident.

NEGAT.] Reduplicatio eiuſdem verbi in fine II. & in principio. vt Galenus in protreptico. Οἰκία μέν σοι εὖ ἔχει, καὶ τ' ἀνδράποδα πάντα, καὶ ἵπποι δὲ καὶ κύνες καὶ χωρία, καὶ ὅσα κέκτησαι, διάκειται καλῶς· αὐτὸν δέ σε οὐκ ἀγαθὴ κομιδὴ ἔχει. *Domus quidem tua bene habet, & omnes ſerui, & equi & canes, & prædia, & quæcunque poßides bene ſunt conſtituta. Te autem ipſum curatio bona non habet.* Pro Sextio 6. *Ademit Albino ſoceri nomen mors filiæ, ſed caritatem illius neceßitudinis & beneuolentiam non ademit.* Poëta:

Multa ſuper Priamo rogitans, ſuper Hectore multa. Iuuenalis:
Creſcit amor nummi, quantùm ipſa pecunia creſcit.

Pro Marcello 7. *Vidimus tuam victoriam præliorum exitu terminatam: gladium vagina vacuum in vrbe non vidimus.* vbi vide Notas.

TRIBVS SVIS PATRIMONIIS.] Narrat Pedianus præfatione eum populo gratum fuiſſe: *Propter effuſas largitiones, impenſas quoque ludorum ſcenicorum, ac gladiatorij muneris maximas.* De aliis ſumptibus & impenſis ludorum à Milone factis, etiam ante Clodij cædem in ipſa petitione conſulatus, Noſter lib. 3. ad Q. fratrem epiſt. 9. *Angit vnus Milo, ſed velim finem afferat conſulatus: in quo enitar non minùs, quàm ſum eniſus in noſtro: túque iſtinc, quod facis adiuuabis. De quo cætera (niſi planè vis eripuerit) rectè ſunt: de re familiari timeo:* ὁ δὲ μαίνεται οὐκ ἐν τ' εἰκτοῖς, *qui ludos H S.* CCCIƆƆƆ *comparet,* &c. Quantæ autē eſſent illæ ludorum impenſæ, alibi vt opinor, oſtendimus. vide Cyprianum De eleemoſyna, vbi diabolum ita loquentem inducit: *Munera mihi quàm pretioſa, quàm grandia, quàm nimio & longo labore quæſita ſumptuoſißimis apparatibus comparant, rebus ſuis vel obligatis in muneris comparatione, vel venditis, & niſi editio honeſta ſucceſſerit, conuitiis ac ſibilis eiiciuntur, & furore populari nonnunquam pene lapidantur. Quos tales munerarios Chriſte demonſtras?* Quare mirum non eſt ſi præter illa tria patrimonia Milo etiā æs alienum immane conflarit. de quo Plinius lib. 36. c. 15. *Ipſum Milonem ſeſtertium ſeptingenties æris alieni debuiſſe inter prodigia animi humani duco.*

III. Milonis largitiones.

Munerum impenſæ.

Milonis æs alienum.

id eſt penè decies octies centena aureorum millia. ſi ſequamur Budæi ſupputationem. Porrò de his temporibus Appianus 2. ciuilium. Αἱ ἀρχαὶ κατὰ στάσιν καὶ δωροδοκίαν σπουδῇ τε ἀδίκῳ, καὶ λίθοις, καὶ ξίφεσι, καθίσταντο, καὶ τὸ δεκάζειν ἢ δωροδοκεῖν ἀναισχύντως τότε μάλιστ' ἐπλεόνασεν, ὅτε δῆμος αὐτὸς ἔμμισθος ἐπὶ τὰς χειροτονίας ᾔει. ὤφθη δέ που καὶ μεσεγγύημα ταλάντων ὀκτακοσίων ὑπὲρ τῆς ἐπωνύμου γιγνόμενον ἀρχῆς. *Magiſtratus per ſeditiones & largitionem, iniuſto ambitu, lapidibus & gladiis creabantur, & tum temporis maxima corruptionis & largitionis ubertas: cùm & populus mercenarius ad comitia magiſtratuum ſe conferret. viſa eſt & talentûm octingentûm depoſitio pro adeptione conſulatus.* ἀρχὴν ἐπώνυμον. appellat, quod à conſulatu annus nomen obtineret.

III. Cursum fortuna dederit.] Maro 4. diuini operis.

> *Vixi, & quem dederat curſum fortuna, peregi.*

Fortuna cum gubernaculo. Tranſlatio ducta à gubernatoribus, quod humanæ vitæ curſum & nauigationem gubernatoris inſtar regere fortuna videatur. Galenus in protreptico. ἣν τὴν μοχθηρίαν ἐμφανίσαι βουληθέντες οἱ παλαιοὶ γράφοντες καὶ πλάττοντες αὐτὴν οὐ μόνον ἐν εἴδει γυναικὸς ἠρκέσθησαν. καί τοι γε τοῦθ' ἱκανὸν ἦν ἀνοίας σύμβολον· ἀλλὰ καὶ πηδάλιον ἔδοσαν ἐν χερσὶν ἔχειν αὐτῇ, καὶ τὴν ποδοῖν ἐπέθεσαν βάσιν σφαιρικήν, ἐστέρησαν δὲ καὶ τοῖν ὀφθαλμοῖν, ἐνδεικνύμενοι διὰ τούτων ἁπάντων τὸ τῆς τύχης ἄστατον. ὥσπερ οὖν ἐν νηῒ χειμαζομένῃ σφοδρῶς, ὡς ἐπικλύζεσθαί τε τοῖς κύμασι, καὶ κινδυνεύειν βυθισθῆναι, μοχθηρῶς ἄν τις πράξειεν ἐπιτρέψας τὰ πηδάλια κυβερνήτῃ τυφλῷ, κατὰ τὸν αὐτόν, οἶμαι, τρόπον καὶ τῷ βίῳ μειζόνων ναυαγιῶν περὶ πολλοὺς οἴκους γιγνομένων, ἢ περὶ τὰ σκάφη κατὰ θάλατταν, οὐκ ὀρθῶς γιγνώσκοντός ἐστιν ἐπιτρέπειν ἑαυτὸν ἐν τοιαύταις περιστάσεσι πραγμάτων τυφλῇ δαίμονι, μηδ' αὐτῇ βεβαίως ἐρηρεισμένῃ. *Cuius improbitatem nobis ob oculos ponere volentes priſci, non ſat habuere eam repræſentare muliebri ſpecie tum picturis, tum ſtatuis (quanquam hoc ipſum ſatis magnum erat amentiæ ſymbolum) verùm & clauum illi dederunt in manibus, ac pedibus ſubiecerunt baſim figura ſphæra, & oculis eam priuarunt, nimirum his omnibus declarantes eius inconſtantiam. Quemadmodum igitur in naui vehementer iactata tempeſtatibus, adeò vt periculum ſit ne procellis ac fluctibus obruta demergatur in profundum, perperam fecerit qui cœco gubernatori clauum commiſerit: Itidem, opinor, in vita cùm hic in permultis ædibus grauiora fiant naufragia, quàm ſcaphis accidunt in mari, non rectè iudicarit qui ſemetipſum in tantis negotiis vndique circumſtantibus ac vallantibus, cœca commiſerit Deæ, nec huic ſatis ſtabili.* quo fortaſſe ſpectauerit Pindarus Ode 12. Olymp.

> Τὶν γὰρ ἐν πόντῳ κυβερνῶνται θοαὶ νᾶες.
> *Tibi enim in ponto gubernantur celeres naues.*

Vide Dionem Chryſoſtomum in fine orationis primæ de Fortuna, & circa medium ſecundæ. Τὸν βίον ἡμῶν, ὥς τινα μεγάλην ναῦν κυβερνᾷ, &c.

Vocem præconis.] Vide Piſonianam 3.

ARGVMENTVM.

Addit aliam rationem conſtantiæ Milonis, cur ille damnationem non magnopere pertimeſcat: quia videlicet virtus ſe ipſa contenta ſit, nec alium fructum deſideret: aut ſi deſideret, eum eſſe honorem & gloriam, quem affatim Milo iam fuerat conſecutus.

XCVII. Addit hæc, quæ certè vera ſunt, fortes & ſapientes viros non tam præmia ſequi ſolere rectè factorum, quàm ipſa rectè facta: ſe nihil in vita, niſi præclariſſimè, feciſſe: ſi quidem nihil ſit præſtabilius viro, quàm periculis patriam liberare: beatos eſſe, quibus ea res honori fuerit à ſuis ciuibus: nec tamen eos miſeros qui beneficio, ciues ſuos vicerint. Sed tamen ex omnibus præmiis virtutis, ſi eſſet habenda ratio præmiorum, ampliſſimum eſſe præmium gloriam: eſſe hanc vnam, quæ breuitatem vitæ poſteritatis memoriâ conſolaretur: quæ efficeret, vt abſentes adeſſemus, mortui viueremus, hanc denique eſſe, cuius gradibus etiam homines in cœlum videantur aſcendere.

EXPLANATIO.

Addit.] Præter ſuperiores illas rationes, quibus Milo ſuum animum contra omnes euentus obfirmat, &. corroborat: addit aliam rationem veriſſimam. Nimirum virtutem ſic eſſe per ſe expetendam, vt nullos fructus, nulla præmia magnopere deſideret, ſed ſe ipsâ contenta ſit, & in ſua ipſius honeſtate acquieſcat.

Se nihil.] Videtur huiuſmodi texere ſyllogiſmum Milo.

Qui bene vixit, ipſa virtutis honeſtate contentus eſſe debet, etiamſi nullum aliud præmium conſequatur. *Sed ego ſemper bene vixi.*

Ergo ipſa virtutis honeſtate cõtentus eſſe debeo, &c. Probat minorem.

Is bene vixit qui ſemper id ſpectauit vt periculis patriam liberaret.

Sed ſemper id ſpectaui vt periculis patriam liberarem. *Ergo bene vixi.*

Beatos esse.] Addit Milo beatos eſſe, qui à ciuibus ſuis quos liberarant, præmium & mercedẽ honoris pro nauata Reip. opera ſunt adepti.

Qui beneficio.] Qui maiora beneficia Reipub. contulerunt, quàm fuerunt illa præmia quæ ſibi compararunt.

Sed tamen.] Etſi illa vera ſunt facitque alterum ſyllogiſmum.

Is æquo animo ferre debet omnem fortunæ euentum, qui ampliſſimum virtutis præmium acceperit.

Atqui Milo ampliſſimum virtutis præmium iam accepit. *Ergo,* &c. Probat aſſumptionem.

Gloria eſt ampliſſimum virtutis præmium.
Hanc accepit Milo. Ergo, &c.
Maiorem poſterioris ſyllogiſmi probat ab effectis.

NOTÆ.

I. NON TAM PRÆMIA.] Seneca cap. 1. lib. 1. de beneficiis videtur hunc locum præ oculis habuiſſe: *Hoc & magni animi & boni proprium eſt, non fructum beneficiorum ſequi, ſed ipſa.* Et Claudianus panegyrim de Malli Theodori conſulatu ſic auſpicatur:

Ipſa quidem virtus pretium ſibi, ſoláque latè
Fortunæ ſecura nitet, nec faſcibus vllis
Erigitur, plauſúve petit clareſcere vulgi.
Nil opis externæ cupiens, nil indiga laudis,
Diuitiis animoſa ſuis, immotáque cunctis
Caſibus ex alta mortalia deſpicit arce.
Hanc tamen inuitam blandè veſtigat, & vltro
Ambit honor.

Virtus ipſa ſibi pretium.

Nec ſanè multùm abludit illud Lyrici:

Virtus repulſæ neſcia ſordidæ
Intaminatis fulget honoribus,
Nec ſumit aut ponit ſecures
Arbitrio popularis auræ.

Plautus Ampht. Actu 2. Sc. 2.

-Virtus præmium eſt optumum, virtus omnibus
Rebus anteit profecto.-

Sed non eſt quod in eo diutiùs immoremur. Hoc enim ipſum eſt, quod theologiæ naturalis Genius tractat decem libris de Rep. cùm enim libro ſecundo quæſtionem hanc poſuiſſet: *Sitne miſerior iuſtus pauper, infamis, cruciatus, iniuſto voluptatibus, honoribus, omnibus fortunæ bonis affluente, qui iniuſta faciens non homines ſolùm, ſed etiam Deum latere poßit:* Ἐσχάτη γὰρ ἀδικία δοκεῖν δίκαιον εἶναι μὴ ὄντα. δοτέον οὖν τῷ τελέως ἀδίκῳ τὴν τελεωτάτην ἀδικίαν, καὶ οὐκ ἀφαιρετέον, ἀλλ' ἐατέον τὰ μέγιστα ἀδικοῦντα τὴν μεγίστην δόξαν αὐτῷ παρεσκευακέναι εἰς δικαιοσύνην. *Extrema enim iniuſtitia eſt iuſtum videri, nec eſſe. Tribuenda igitur eſt perfectè iniuſto perfectiſſima iniuſtitia nec ei deneganda: ſed ſinendum, vt cùm iniuſtiſſimè vixerit, iuſtiſſimus eſſe videatur.* Hanc inquam quæſtionem cùm libro ſecundo poſuiſſet, ad eam toto opere collineat, & libro decimo tandem ita concludit: Ποιητέον αὐτῇ (τῇ ψυχῇ) τὰ δίκαια, ἐάν τε ἔχῃ τὸν Γύγου δακτύλιον· ἐάν τε μή, καὶ πρὸς τοιούτῳ δακτυλίῳ τὴν Ἄϊδος κυνῆν. *Ipſi iuſtè viuendum eſt, ſiue Gygis annulum habeat, ſiue non habeat, & præter hunc annulum etiam Orci galeam.* Quare laudari non poteſt M. Brutus, qui cùm tota vita mirabilis fuiſſet, mortem ſibi conſciuit: ἀναβοήσας τοῦτο δὴ τὸ Ἡράκλειον, vt refert Dio libro 47.

Ὦ τλῆμον ἀρετή, λόγος ἄρ' ἦσθ', ἐγὼ δέ σε
Ὡς ἔργον ἤσκουν, σὺ δ' ἄρ' ἐδούλευες τύχῃ.
Inclamans illud Herculis dictum,
O miſera virtus, nomen es vanum: aſt ego
Vt opus colebam: ſeruiebas caſibus.

Quamquam ſic viuitur:

-quis enim virtutem amplectitur ipſam
Præmia ſi tollas. probitas laudatur, & alget.

vt ait Iuuenalis Sat. 1. Pulchrè verò Seneca epiſt. 81. *Virtutum omnium pretium in ipſis eſt. non enim exercentur ad præmium. Rectè facti, feciſſe merces eſt.* Maximus & Antonius Monachi citant Theologum: Ἀμισθος ἀρετή, ἵνα καὶ ἀρετὴ μείνῃ, πρὸς τὸ καλὸν μόνον βλέπουσα. *Virtus vt virtus maneat, præmium non requirit, ſed ſolam ſpectat honeſtatem.* Quæ verba deſumpta ſunt ex oratione, εἰς τὸν ἁγ'. ἐπισκόπων παρουσίαν. Nihilo tamen minùs, vt aduertit Dio Chryſoſtomus in Rhodiaca: οὐδεὶς αἱρεῖται τῶν πολλῶν, ὅτι ἂν οἴηται καλὸν εἶναι μόνον αὐτὸ πεπρᾶχθαι, μηδένα δὲ εἰδέναι. *Nemo ex vulgo eligit, vt quicquid honeſtum putat eſſe, id ſolùm factum ab ipſo ſit, nemo autem ſciat.*

PERICVLIS PATRIAM LIBERARE.] II. Ariſtoteles in politicis valdè deprædicat τὴν Δίωνος ὑπόληψιν, qui ſuis periculis, ſola gloria contentus, nullo ſuo emolumento conſtituit patriam liberare. aítque, οὐ ῥᾴδιον δ' αὐτὴν ἐγγίνεσθαι πολλοῖς. *Facile non eſt hanc animi inductionem multis inſidere.* Ἐκεῖνος γὰρ μετ' ὀλίγων ἐστράτευσεν ἐπὶ Διονύσιον, οὕτως ἔχειν φάσκων, ὡς ὅπου περ ἂν δυνηθῇ προελθεῖν, ἱκανὸν αὐτῷ τοσοῦτον μετασχεῖν τῆς πράξεως, οἷον εἰ μικρὸν ἐπιβάντα τῆς γῆς εὐθὺς συμβαίη τελευτῆσαι, τοῦτον καλῶς ἔχειν αὐτῷ τὸν θάνατον. *Ille enim cum parua manu aduerſus Dionyſium ſe contulit, cùm hoc animo ſe eſſe diceret, vt quoquo progredi poſſet, eatenus actionem ſuſceptam perducere ſatis haberet: verbi gratiâ ſi ſtatim vt terram illam leuiter attigiſſet, ſibi aliquo caſu moriendum eſſet, hanc mortem vt honeſtam & præclaram ſe æquo animo laturum.* Sed meliùs Noſter, qui virum fortem & bonum ne gloria quidem impelli dicit ad patriam periculis liberandam: ſed conſcientiâ virtutis eſſe contentum.

GLORIAM.] Philoſophus 4. ethic. cap. 3. III. Ἡ ἀξία, λέγεται πρὸς τὰ ἐκτὸς ἀγαθά. μέγιστον δὲ τοῦτ' ἂν θείημεν, ὃ τοῖς θεοῖς ἀπονέμομεν, καὶ οὗ μάλιστα ἐφίενται οἱ ἐν ἀξιώματι, καὶ τὸ ἐπὶ τοῖς καλλίστοις ἆθλον. τοιοῦτον δὲ ἡ τιμή. *Dignitas dicitur ratione externorum bonorum. Maximum verò illud ſtatuemus quod Diis tribuimus, & quod ij maximè appetunt qui ſunt in dignitate conſtituti, quódque rerum pulcherrimarum eſt præmium. Illud autem eſt honor.* Neque ſolùm gloriam & honorem, virtutis præmium, ſed etiam vmbram & imaginem nominarunt. Tullius in fine primæ Tuſculanæ: *Etſi nihil in ſe habeat gloria cur expetatur, tamen virtutem tanquam vmbra ſequitur.* Seneca epiſt. 59. *Gloria vmbra virtutis eſt: etiam inuitos comitabitur. ſed quemadmodum aliquando vmbra antecedit, aliquando ante nos eſt, viſendámque ſe præbet. aliquando in auerſo eſt, maiórque, quò ſerior, vbi inuidia receßit.* Eleganter Marcus Tullius duplicem gloriam agnoſcit initio tertiæ Tuſculanæ alteram ſolidam, & velut eminentem effigiem virtutis, quæ in conſentiente bonorum laude conſiſtat. alteram futilem & popularem, quæ veræ illius ſolidæque gloriæ ſit imago. Sed quid vetat ipſum audire? *Conſectatúrque*, inquit, *nullam eminentem effigiem virtutis, ſed adumbratam imaginem gloriæ. Eſt enim gloria ſolida quædam res & expreſſa, non adumbrata: eáque eſt conſentiens laus bonorum, incorrupta vox bene ſentientium de excellente virtute.* Ea gloria popularis *veluti reſonat tanquam imago gloriæ. quæ quia rectè factorum plerumque comes eſt, non eſt bonis viris repudianda.* Illam vt reor expreſſam, non adumbratam intelligit. Pindarus ode 7. Nemeorum:

Gloria & honor virtutis præmium.

Gloria virtutis vmbra.

Gloria duplex.

Ὕδατος ὥστε ῥοαῖς φίλον ἐς ἄνδρ' ἄγων
Κλέος ἐτήτυμον αἰνέσω.
Ποτίφορος δ' ἀγαθοῖσι μισθὸς οὗτος.

Aquæ vt fluxus ad amicum virum adducens, gloriam veram cantabo. conueniens verò bonis merces iſta. Notum illud Virtutis & Honoris templum à Marcello conſtructum. Vide Piſonianam §. 57.

num. 3. Dio Chryſoſtomus Rhodiaca: Καὶ μισθὸς οὗτος ἄξιος τῆς ἀρετῆς, τὸ μὴ μετὰ τοῦ σώματος ἀφανίζεσθαι τὸ ὄνομα, μηδ' εἰς ἴσον καταστῆναι τοῖς μὴ γενομένοις, ἀλλ' ἔχνος τι λείπεσθαι καὶ σημεῖον, ὡς ἂν εἴποι τις, τῆς ἀνδραγαθίας. *Digna virtutis merces, non vna cum corpore nomen perire, neque in eadem conditione eſſe cum his qui nunquam ſunt nati, ſed veſtigium quoddam relinqui & ſignum (vt ita quis dicat) ſtrenuitatis.*

IV. Breuitatem vitæ.] Vt etiam de breuitate vitæ aliquid iſta Nota decerpat, pauca ſeligamus in hanc ſententiam. Notum eſt illud Xerxis ex Herodoto in Polymnia: Ὡς δὲ ὥρα πάντα μὲν τὸν Ἑλλήσποντον ὑπὸ τῶν νεῶν ἀποκεκρυμμένον, πάσας δὲ τὰς ἀκτὰς καὶ τὰ Ἀβυδηνῶν πεδία ἐπίπλεα ἀνθρώπων, ἐνθαῦτα ὁ Ξέρξης ἑωυτὸν ἐμακάρισε· μετὰ δὲ τοῦτο ἐδάκρυσε. *Vt vero vidit totum Helleſpontum nauibus coopertum, & omnia paſſim littora & Abydenorum campos viris refertos, hîc ſe beatum prædicauit Xerxes: deinde illacrymatus eſt.* Rogatus ab Artabano cur id faceret: ὁ δὲ εἶπε, Ἐσῆλθε γάρ με λογισάμενον κατοικτεῖραι, ὡς βραχὺς εἴη ὁ πᾶς ἀνθρώπινος βίος, εἰ τουτέων γε ἐόντων τοσούτων οὐδεὶς ἐς ἑκατοστὸν ἔτος περιέσται. *Mihi, inquit, conſideranti venit in mentem miſereri humanæ vitæ breuitatis, ſiquidem ex his tam multis ad centeſimum annum ſuperſtes erit nemo.* Notum illud etiam aphoriſmorum exordium. ἡ τέχνη μακρὴ, ὁ βίος βραχύς. *ars longa, vita breuis.* vnde paſſim homines ἐφημέριοι, ὠκύμοροι, ὀλιγοχρόνιοι, &c. nominantur. Sed vel longiſſima vita defecerit eũ, qui voluerit omnes auctoritates de breuitate vitæ decerpere: præſtat videre ad quem annum vitam putarint poſſe propagari. Cenſorinus de die natali: *Inter ipſos Aſtrologos, qui in ſtellarum ſignorúmque ratione verum ſcrutantur, nequaquam etiã conuenit. Epigenes in centum duodecim annis longiſſimam vitam conſtituit, Beroſus etiam in centum ſedecim. Alij ad centum viginti annos produci poſſe, quidam etiam vltra crediderunt.* Trebellius Pollio in Claudio: *Doctiſsimi mathematicorum cẽtum & viginti annos homini ad viuendum datos iudicant, neque amplius cuiquam iactitant eſſe conceſſum: etiam illud addentes Moſen ſolùm, Dei, vt Iudæorum libri loquuntur, familiarem CXXV. annos vixiſſe: qui cùm quereretur quod iuuenis interiret, reſponſum ei ab incerto ferunt numine, neminem plus eſſe victurum.* Nec ſanè facilè ſit quempiam ſeniorem reperire. Plinius lib. 11. cap. 37. de corde: *Augeri id per ſingulos annos in homine, & binas drachmas ponderis ad quinquageſimum annum accedere: ab eo detrahi tantundem, & ideo non viuere hominem, vltra centeſimum annum defectu cordis, Ægyptij exiſtimant.* Auſonius ex Heſiodo:

Ter denos deciéſque nouem ſuper exit in annos
Longa ſeneſcentum quos implet vita virorum.

Sed de ſpatiis vitæ longiſſimis vide quæ Cenſorinus de die natali, Plinius lib. 7. cap. 48. Lucianus in μακροβίοις exquiſitiſſima prodiderunt. Superioribus certè ſeculis repertum tradunt quemdam Ioannem de Temporibus dictum. qui 361. vitæ annos expleuerit. obiit imperante Conrado 2. anno Domini MCXLVI. cùm iam ſub Carolo Magno militaſſet. de quo Fulgoſius lib. 8. c. 14. vocátque Ioannem Tampes. immo vt refert ibidem Fulgoſius, *Scribit Guido Bonatus aſtronomus ingentis doctrinæ, Salutis anno ducenteſimo vigeſimo tertio ſupra mille, hominem à ſe viſum, nomine Richardum, qui ſe cum Carolo Magno ſtipendia feciſſe dicebat, & iam quadringenteſimum annum vixerat.* Sed ſit fides penes auctores. Eumenius Panegyrico Cõſtantini: *Vidiſti enim, credo, Conſtantine, Apollinem tuum comitante victoria, coronas tibi laureas offerentem, quæ tricenûm ſingulæ ferunt omen annorum. Hic eſt humanarum numerus ætatum, quæ tibi vtique debentur vltra Pyliam ſenectutem.*

Vitæ breuitas.

Vita longiſſima in quot annos poſſit propagari.

Exempla vitæ longiſſimæ.

Poſteritatis memoria conſolaretur.] Pro Sextio 47. *Neſciebam vitæ breuem eſſe curſum, gloriæ ſempiternum?* Item 143. *Cogitemus denique, corpus virorum fortium magnorũ nque hominum eſſe mortale, animi verò motus & virtutis gloriam ſempiternam.* Vbi vide Notas. Multa etiam habet oratione pro Archia Poëta à §. 28. in hanc ſententiam. Maro 9. Æneidos: V.

-breue & irreparabile tempus
Omnibus eſt vitæ: ſed famam extendere factis
Hoc virtutis opus.

Vita breuis gloria ſempiterna.

Salluſtius in Catil. *Quo mihi rectius eſſe videtur, ingenij quàm virium opibus gloriam quærere: & quoniam vita ipſa, qua fruimur, breuis eſt, memoriam noſtri quàm maximè longam efficere.* Noſter in fine orationis pro C. Rabirio perduellionis reo: *Exiguum nobis vitæ curriculum natura circumſcripſit, immenſum gloriæ.* Lyſias funebri oratione extremis propè verbis, Ἐγὼ μὲν οὖν αὐτοὺς καὶ μακαρίζω τοῦ θανάτου καὶ ζηλῶ, καὶ μόνοις τούτοις ἀνθρώπων οἶμαι κρεῖττον εἶναι γενέσθαι, οἵτινες, ἐπειδὴ θνητῶν σωμάτων ἔτυχον, ἀθάνατον μνήμην διὰ τὴν ἀρετὴν αὐτῶν κατέλιπον. *Ego verò eos & beatos prædico, ob mortem & inuideo, iiſque ſolis mortalium naſci bonum fuiſſe exiſtimo, qui quoniam mortalia corpora ſortiti ſunt, immortalem virtutis ſuæ memoriam reliquerunt.* Leſbonax in Protreptico: Ἀντὶ θνητοῦ σώματος ἀθάνατον μνήμην καταλείπουσι. *Pro mortali corpore immortale relinquunt monumentum.*

Mortui viueremus.] Libanius Chria de dicto Iſocratis: Εἰς πᾶσαν τὴν οἰκουμένην τὸ κλέος ἐξήνεγκε, καὶ τελευτήσας οὐκ ἔληξεν, ὡς ἂν εἴποι τις, τὸν βίον. *In totum orbem terrarum protulit gloriam ſuam, atque mortuus etiam non finiuit, vt ita loquar, vitam.* VI.

Cuius gradibus] Hinc illud Lyrici: VII.

Virtus recludens immeritis mori
Cœlum, negata tentat iter via.

Noſter in paradoxis: *Quibus tandem Romulus gradibus adſcendit in cœlum? iiſne quæ iſti bona appellant? an rebus geſtis atque virtutibus?*

AXIOMATA.

Fortes & ſapientes viri non tam præmia ſequi ſolent rectè factorum, quàm ipſa rectè facta.

Nihil eſt præſtabilius viro quàm periculis patriam liberare, &c.

Gloria ex omnibus præmiis virtutis eſt ampliſſimum, &c. vide.

ARGVMENTVM.

Redit ad proſopopœiam Milonis. Ciuium ſenſum de nece Clodij, Hetruriæ gratitudinem, omnium gentium lætitiam prædicantis, ſibíque ipſi partam hoc facto gloriam gratulantis.

DE me, inquit, ſemper populus Romanus, ſemper omnes gentes loquentur, nulla vnquam obmuteſcet vetuſtas: quin hoc tempore ipſo, cùm omnes à tuis inimicis faces inuidiæ meæ ſubiiciuntur, tamen omni in hominum cœtu gratiis agendis, & gratulationibus habendis, & omni ſermone celebramur. Omitto Hetruriæ feſtos, & actos, & inſtitutos dies: centeſima lux eſt hæc ab interitu P. Clodij: &, opinor, vltra quàm fines imperij populi Romani ſunt, non ſolùm fama iam de illo, ſed etiam lætitia peragrauit. Quamobrem vbi corpus hoc ſit, non, inquit, laboro, quoniam omnibus terris & iam verſatur, & ſemper habitabit nominis mei gloria. Hæc tu mecum ſæpè his abſentibus: ſed iiſdem audientibus, hæc ego tecum, Milo. XCVIII.

EXPLANATIO.

DE ME.] Hoc meum factum. Hanc cædem Clodij non ſolùm populus Romanus, ſed etiam exteræ gentes æternâ memoriâ prædicabunt.

A SVIS INIMICIS.] Quid prohibet Lambinum producere? qui locum emendat, & *tuis* non *ſuis*, legendum affirmat, *libris omnibus inuitis.* Sunt enim verba Milonis cum Cicerone loquentis, fuit autem prolapſio facilis à littera T ad S. *Inuidiæ meæ* autem ſunt dandi caſus: reguntúrque à verbo *ſubiiciuntur*; vt ſit hæc ſententia, Cùm inimici tui omnibus modis inuidiam meam augent. Hoc eſt enim faces ſubiicere inuidiæ per tranſlationem ſumptam ab iis, qui facibus ſubiectis ignem aut flammam augent, vel qui facibus materiæ ſubiectis flammam excitant & ignem accendunt. Et ſanè hanc eſſe mentem Oratoris liquere videtur ex illis 103. *Omnes in me meóſque redundant ex illo fonte dolores.* vt ſuo loco dicemus. Hoc ipſo, inquit, tempore, cùm inimici tui, qui te ex vrbe eiecerant, doléntque te meis actionibus fuiſſe patriæ reſtitutum, meam inuidiam augent, & arrepta cædis Clodij occaſione, tuam illam reſtitutionem exilio meo volût vlciſci, hoc, inquam, ipſo tempore omni in hominum cœtu celebramur, qui & mihi gratias agunt, quòd communem omnium bonorum hoſtem occiderim, & ſibi Reíque publicæ gratulantur, quòd à tot cladibus fuerit liberata.

OMITTO HETRVRIÆ.] Hetruriam populatus fuerat Clodius. quáre ſtatim atque fama de eius cæde audita eſt, publica feſtiuitate Hetruſci ſibi ipſis gratulati ſunt. Hos autem feſtos dies, non ſolùm actos ait Orator, ſed etiam inſtitutos, quaſi cautum fuerit, vt in poſterum quotannis iidem feſti dies agerentur.

ET OPINOR VLTRA.] Legit Lambinus, ex antiquis codicibus, *& opinor altera, vltra.* occiſus eſt autem Clodius XII. Calendas Februarij, vt vidimus in narratione, acta Milonis cauſſa III. Idus Aprilis, vt ait Pedianus. vide Notas.

VLTRA QVAM FINES.] Vltra Euphratem ad ortum, vltra Oceanum ad occaſum, vltra Sienem & Meroen ad meridiem, vltra Rhenum ad Septentrionem.

VBI CORPVS.] Non laboro ſimne manſurus in ciuitate, an verò in exilium abiturus.

HIS ABSENTIBVS.] Iudicibus, hîc finit proſopopœiam, & illam priorem Perorationis partem de Milonis conſtantia.

NOTÆ.

NVLLA VNQVAM OBMVTESCET VETVSTAS.] Eodem penè flectu Catullus epigr. LXXIX. I.

-nam te omnia ſecla
Noſcent, & qui ſis fama loquetur anus.

Maro:

Nulla dies vnquam memori vos eximet æuo.

Rurſum Catullus elegia ad Mallium:

Ne fugiens ſeclis obliuiſcentibus ætas,
Illius hoc cæca nocte tegat ſtudium.

pro Marcello 9. *Neque vlla vnquam ætas de tuis laudibus conticeſcet.*

FACES INVIDIÆ.] Orator 4. Tuſc. 16. *Inuidia non in eo qui inuidet ſolùm dicitur, ſed etiam cui inuidetur.* Opus non eſt priorem ſignificationem verbis oſtendere: poſteriore epiſt. I. lib. I. ad famil. *Vt rebus in ſummam inuidiam adductis ita verſamur.* pro Rab. Poſth. 46. *Nam in eum cui miſericordia opitulari debeat, inuidia quæſita eſt.* vtroque ſenſu cum incendio comparatur: priore, videlicet in eo qui inuidet. Cyprianus de zelo & liuore: *Tanto inuidus in maius incendium liuoris ignibus inardeſcit.* Naſo 2. Metamorph. Fab. 12. II. Inuidia.

-lentáque miſerrima tabe
Liquitur, vt glacies incerto ſaucia ſole,
Felicíſque bonis aliter non vritur Herſes,
Quam cum ſpinoſis ignis ſupponitur herbis
Quæ neque dant flammas, lenique tepore cremantur.

Poſteriore ſenſu in eo videlicet cui inuidetur, Noſter ſuprà 76. *Mortuum ſe in eius domum illaturum: quâ inuidiâ huic eſſet tali viro conflagrandum.* & alibi paſſim. quibus exemplis vides inuidiam, idem eſſe atque offenſionem, vel potiùs, vt dialecticè loquar, offenſionis obiectam, ſiue res

quæ inuidetur. Apuleius apologiâ primâ: *Aggredior enim ad crimen magiæ, quæ ingenti tumultu ad inuidiam mei accenſum, fruſtrata expectatione omnium per neſcio quas aniles fabulas deflagrauit.*

III. Gratulari. GRATIIS AGENDIS, ET GRATVLATIONIBVS HABENDIS.] Gratulari nonnunquam idem eſt atque gratias agere, vt notat Marcellus. Næuius: *Is qui ſurſum ad cœlum extulit ſuas res Ammulius gratulabatur Diuis.* Afranius: *Quod ſaluus venis melius eſt gratulor Diuis.* Videtur tamen hæc eſſe diſtinctio quod Hetruſci gratias agebant propter ſuum commodum & beneficium ſibi ipſis à Milone collatum: gratulabantur Miloni propter gloriam quam fuerat nece Clodij conſecutus. nam, vt ait Agretius in Orthographiâ: *Lætitia eſt de rebus noſtris, gratulatio de alienis.* Quamquam, vt dixi ſæpè, confunditur. gloſſæ. εὐχαριστῶ, *gratias ago, gratulor.* εὐχαριστία, *gratificatio, gratulatio. gratiarum actio.*

IV. Celebrare. CELEBRAMVR.] Celebrare propriè eſt frequenter. Tacitus 16. annalium: *Soranum celebrauerat.* id eſt, frequentauerat, pro Cœlio 34. *Ideo viam muniui, vt eam tu alienis viris comitata celebrares.* vide Notas. Celebrari itaque eſt hoc loco frequenter laudari, & crebro in ore hominum verſari, ſiue, vt aiebat Ennius, *viuum volitare per ora hominum.*

VLTRA.] Ianus Grutterus vir eruditus de Cicerone bene meritus, legit è variis MM. SS. *Et opinor altera, qua fines imperij populi Romani ſunt.* nec dubitandum, ait de integritate. *qua,* id eſt, *quam longè.* Horatius: V.

-ô qua ſol habitabiles
Illuſtrat oras maxime principum.

Quibus porro finibus imperium populi Romani fuerit limitatum, vide ſuprà 74. Quod ſpectat ad imitationem magis poëticè panegyriſtes Conſtantini: *Equidem ſcio gaudentium ſtudia nunc iam in toto orbe floreſcere, quacunque fama vltra naturam, qua fingitur diſcurſus volucres mutuata, & pluſquam mille vocibus ſonora percrebuit, vt omnium nationum gratulationibus conſecretur.*

ARGVMENTVM.

Miloni reſpondens Orator cùm animi ſui dolorem oſtendit, tum antequam Iudicum miſericordiam imploret, eorum ſibi beneuolentiam commemoratione ſuæ in illos gratitudinis aucupatur.

XCIX. TE quidem, quòd iſto animo es, ſatis laudare non poſſum: ſed quo eſt illa magis diuina virtus, eo maiore à te dolore diuellor. Nec verò ſi mihi eriperis, reliqua eſt illa tamen ad conſolandum querela, vt his iraſci poſſim, à quibus tantum vulnus accepero. non enim inimici mei te mihi eripient, ſed amiciſſimi: non malè aliquando de me meriti, ſed ſemper optimè. Nullum vnquam, Iudices, mihi tantum dolorem inuretis (etſi quis poteſt eſſe tantus?) ſed ne hunc quidem ipſum, vt obliuiſcar, quanti me ſemper feceritis. quæ ſi vos cepit obliuio, aut ſi in me aliquid offendiſtis, cur non id meo capite potiùs luitur, quàm Milonis? Præclarè enim vixero, ſi quid mihi acciderit priùs, quàm hoc tantum mali videro.

EXPLANATIO.

TE QVIDEM.] Tuam illam animi conſtantiam, qua exilium cæteróſque fortunæ caſus contemnis, nec quicquam præter virtutis honeſtatem deſideras, & gloriâ quam tibi cædes Clodij peperit, contentus eſt, ſatis laudare non poſſum.

DOLORE.] Quia videbat facilè non eſſe, vt erga Milonem, qui non dignabatur ſe ad pedes Iudicum abiicere, aut vllo modo pro ſe deprecari, Iudicum miſericordiam obtineret, eam non Miloni, ſed ſibi ipſi imploraturus eſt Orator, ideóque doloris ſui facit mentionem: quaſi Milonis damnatio non tam Miloni, quàm ſibi ipſi malo futura videatur.

NEC VERÒ.] Diuino propè artificio in Iudicum beneuolentiam illabitur, dum aliud agere videtur, & queri quòd nihil habiturus ſit in ea clade ſolatij. hoc ſenſu. Qui ab aliis cladem acceperunt, ſolent iis iraſci, & vlciſci, & ita dolorem ſuum mitigare: ſed ne illud quidem relinquitur, vt iis iraſci poſſim à quibus tantum vulnus accepero, quare nihil mihi ſupererit ſolatij. Quòd autem iis iraſci non poſſit, probat commemoratione ſui in eos amoris, & gratitudinis.

NVLLVM VNQVAM.] Quod fieri ſolet in magna ſollicitudine, & dolore: nunc ad hos, nũc ad illos ſe conuertit, quaſi ſtabile ſolùm inuenire non poſſit, in quo conſiſtat oratio. quare ad Iudices à Milone, à Iudicibus ad Milonem, à Milone rurſus ad Iudices, tum ad centuriones, ad patriam ipſam ad exteras rationes, ad animata & inanimata conuertitur.

ETSI QVI POTEST.] Oratoria correctio. Quamquam lapſus ſum verbo dum dixi nullum mihi tantum dolorem inuſtum iri: quaſi verò vllus alius dolor euenire mihi poſſit, qui poſſit cum præſenti comparari.

QVANTI ME.] Commodè ſuæ apud Iudices exiſtimationis & auctoritatis refricat memoriam, non ſolùm vt ſuæ gratitudinis ſpecimen exhibeat, ſed etiam vt plus momenti & auctoritatis comparet orationi ſuæ.

SI IN ME ALIQVID OFFENDISTIS.] Inueniſtis ignotum priùs, quod nunc vobis diſpliceat.

CVR NON.] Prudenter inſinuat, Miloni, ſi

damnatus fuerit, non Clodij cædem, ſed Ciceronis ipſius familiaritatem obfuturam: quaſi ideo ſolùm in inuidiam vocetur Milo, quòd Ciceronem ab exilio reuocarit. Equidem huius perorationis artificium mirari magis ſilentio poſſim, quàm verbis oſtendere: deinde videndum eſt ne qui fuſiùs explicare velit, is eloquentiæ Tullianæ ſaporem inſulſis paraphraſibus obtundat.

NOTÆ.

I. Virtus à Deo procedit. DIVINA VIRTVS.] pro Cœlio §. 39. oſtendimus *virtutem diuinam* dici ob duas potiſſimùm rationes. Alteram quòd virtus à ſolo Deo proueniret. Præter dicta probat hanc ſententiam Theophilus libro 2. ad Autolycum auctoritate Simonidis: Οὔ τις ἄνευ θεῶν ἀρετὰν λάβεν, οὐ πόλις, οὐ βροτός, θεὸς ὁ παμμήτις. *Nemo ſine Diis virtutem adipiſcitur, non ciuitas, non homo, Deus omnium auctor.* Item Euripidis:

Οὐκ ἔστιν οὐδὲν χωρὶς ἀνθρώποις θεοῦ.
Mortalibus nil ſine Deo conceditur.

II. AD CONSOLANDVM.] Iram & querelam eſſe ſolatio vel hinc liquet, quòd, vt ait Homerus decimo quarto Iliados,

-πολὺ γλυκίων μέλιτος καταλειβομένοιο
Ἀνδρῶν ἐν στήθεσσιν ἀέξεται.-
Dulcior effuſo quòd melle in pectora gliſcit.

Ira delectat. cur? Cuius rei inquirit Philoſophus rationem 1. Rhet. cap. 11. καὶ τὸ ὀργίζεσθαι ἡδύ. *& iraſci iucundum.* Et citato Homeri verſu huius delectationis cauſſam in ſpem vindictæ refundit: Οὐδεὶς γὰρ ὀργίζεται τῷ ἀδυνάτῳ φαινομένῳ τιμωρίας τυχεῖν. *Nemo enim iis quos vlciſci non poteſt, iraſcitur.* Et paulò pòſt: Οἱ δ' ὀργιζόμενοι λυποῦνται ἀνυπερβλήτως μὴ τιμωρούμενοι, ἐλπίζοντες δὲ χαίρουσι. *Qui iraſcuntur, incredibilem in modum dolent, ſi non vlciſcantur, ſperantes autem gaudent.* Adſtipulatur & Plato in Philebo, & in ira, verſum Homericum laudans, agnoſcit, Ἡδονὰς ἐν λύπαις οὔσας ἀναμεμιγμένας. *Voluptates doloribus immixtas.* Quod & exemplo tragœdiarum illuſtrat, in quibus ſpectatores tum maximè lætantur, cùm maximè ad dolorem & lacrymas excitantur. & ita concludit: Μηνύει δὴ νῦν ὁ λόγος ἡμῖν ἐν θρήνοις τε καὶ ἐν τραγῳδίαις μὴ τοῖς δράμασι μόνον, ἀλλὰ καὶ τῇ τοῦ βίου ξυμπάσῃ τραγῳδίᾳ καὶ κωμῳδίᾳ λύπας ἡδοναῖς ἅμα κεράννυσθαι. *Significat nobis hæc oratio in lamentationibus & tragœdiis non dramaticis ſolùm, ſed etiam in vniuerſa vitæ humanæ tragœdia dolores voluptatibus eſſe permixtos.* Tribus his ſapientiæ antiſtitibus Plutarchus & Seneca refragantur. Hic lib. 2. de ira cap. 32. *At enim ira habet aliquam voluptatem & dulce eſt dolorem reddere. minimè. non enim, vt in beneficiis honeſtum eſt merita meritis repenſare, ita iniurias iniuriis.* ille περὶ ἀοργησίας. Αἱ τοῖς πενθοῦσιν ἐνδόσεις τοῦ ἀποκλαῦσαι, καὶ ἀποδύρεσθαι πολύ τι τῆς λύπης, ἅμα τῷ δακρύῳ συνεξάγουσιν. ὁ δὲ θυμὸς ἐκριπίζεται μᾶλλον οἷς πράττουσι καὶ λέγουσιν οἱ ἐν αὐτῷ καθεστῶτες. *Cum lugentibus flere ac lamentari permittitur, cum lacrymis magnam partem doloris emittunt. at ira ventilatur magis iis quæ faciunt & loquuntur irati.* Sed nec Senecæ ratio quidquam habet momenti, cùm à voluptate tranſiliat ad honeſtatem, ac proinde, vt cum Logicis loquar, committat fallaciam accidẽtis: nec Plutarchus videtur à ſuperioribus diſſidere. non enim iram & ſpem vltionis negat eſſe iucũdam: ſed ait eam clamoribus & querelis magis incendi. Quamuis qui ſe vlciſci non poſſunt, verbis vlciſcuntur, & hauſtum ex iniuria dolorem querelis egerentes, & illos, vt ita loquar, iracundiæ fumos exhalant. vnde & nutrices ſuos puſiones prolapſos & flentes cõſolaturæ quadam ſpecie vindictæ lapides percutiunt in quos illi impegerint. Quantam autem vltio pariat voluptatem, teſtatur illud Pacuuianum:

Dij me, etſi perdunt, tamen eſſe adiutum expetunt,
Quod priuſquam intereo ſpatium vlciſcendi donunt.

MEO CAPITE LVITVR.] 19. Odyſſ. verſu 91. Penelope ancillam ita compellat: III.

Πάντως θαρσαλέη, κύον ἀδδεές, οὔ τί με λήθεις
Ἔρδουσα μέγα ἔργον ὃ σῇ κεφαλῇ ἀναμάξεις.
Non audax petulánſq. canis me impune latebis,
Quod capite ipſa luas facinus molita ſceleſtum.

Apuleius 3. de aſino: *Si quid aduerſi tuum caput reſpicit, id omne protinùs meo luatur ſanguine.* Herodotus libro primo: Τὰ μὲν γὰρ πρότερον ἐγώ τ' ἔπρηξα, καὶ ἐγὼ ἐμῇ κεφαλῇ ἀναμάξας φέρω. *Priora enim & ego ipſe deſignaui, & meo capite luo.*

AXIOMA.

Querela interdum conſolatur, & ira in eos à quibus dolorem accepimus.

ARGVMENTVM.

Cùm ſuperiùs damnato Milone ſolatij ſibi nihil ſuperfuturum eſſe dixiſſet: nunc eo vno ſe conſolatur, quòd nullam officij aut ſtudij partem omiſerit, qua ſui amoris ſignificatione Iudicum animos magis inflammat.

NVNC me vna conſolatio ſuſtentat, quod tibi, ô T. Anni, nullum à me amoris, nullum ſtudij, nullum pietatis officium defuit. Ego inimicitias potentium pro te appetiui: ego meum ſæpè corpus, & vitam obieci armis inimicorum tuorum: ego me plurimis pro te ſupplicem abieci: bona, fortunas meas, ac liberorum meorum in communionem tuorum temporum contuli: hoc denique ipſo die, ſi qua vis eſt parata, ſi qua dimicatio capitis futura, depoſco. Quid iam reſtat? quid habeo, quod dicam, quod faciam pro tuis in me meritis? niſi vt eam fortunam, quæcunque erit tua, ducam meam? Non recuſo, non abnuo? vóſque obſecro, C.

Iudices, vt veſtra beneficia, quæ in me contuliſtis, aut in huius ſalute augeatis, aut in eiuſdem exitio occaſura eſſe iubeatis.

EXPLANATIO.

NVNC.] Vide quomodo ſenſim creſcat oratio. *amoris*, qui maior eſt ſimplici beneuolentia. *ſtudij*, quod eſt amoris quidam ardor, & vehementior animi applicatio. *pietatis*, quæ paternæ beneuolentiæ continet ſanctitatem.

EGO INIMIC. POTENTIVM.] Aſconius præfat. *Tanta tamen conſtantia ac fides fuit Ciceronis, vt non populi à ſe alienatione, non Cn. Pompeij ſuſpicionibus*, &c. *non armis quæ palam in Milonem ſumpta erant, deterreri potuerit à defenſione eius, cùm poſſet omne periculum ſuum, & offenſionem inimicæ multitudinis declinare, redimere etiam Cn. Pompeij animum, ſi paulum ex ſtudio defenſionis remiſiſſet.* Omiſi quædam de induſtria, quæ in libris corrupta ſunt, ne explicationi tenebras offunderem. Sic enim legitur: *Non Cn. Pompeij ſuſpicionibus, non periculo futurum, vt ſibi dies ad populum diceretur, non armis*, &c. legerim: *non periculo futurum, vt ſibi dies ad populum diceretur, non armis*, &c. nam vt idem præmittit: *Dicturum quoque diem Ciceroni Plancus oſtendebat.*

ARMIS.] Se Clodianorum armis obiecit, tum in petitione Cõſulatûs cùm adeſſet Milonι candidato, quo tempore Clodiani cum Milonianis penè ſingulis diebus manus conſerebant, tum etiam poſt mortem Clodij, cùm habitæ ſunt turbulentiſſimæ conciones.

EGO ME.] Ego ad multorum genua accidens pro te ſupplicaui.

BONA.] Tibi communicaui omnes fortunas meas, vt iis tuo arbitratu ad defenſionem tuæ ſalutis & capitis vterere.

SI QVA VIS] Si Clodiani cùm te abſolutum ſenſerint, vim inferre conantur, *depoſco*, peto vt in caput meum conuertatur.

QVID.] Inſinuat ſe in exilium cum Milone eſſe abiturum, vt qui tanto ſtudio fuerat in patriam reuocatus, hoc pacto Iudices incitet ad Milonem retinendum.

QVÆ IN ME CONTVLISTIS.] Cùm me tanto ſtudio patriæ reddidiſtis.

IVBEATIS.] Quidam legunt, *videatis*, & ſanè diceretur *occidere iubeatis*, quàm *occaſura eſſe iubeatis*, nihil tamen auſim innouare.

NOTÆ.

I. CONSOLATIO.] A conſcientia rectè factorum, vt frequenter. lib. 14. ad Attic. epiſt. vndecima: *Verùm illis magna conſolatio, conſcientia maximi & clariſſimi facti.* Ad familiares lib. 7. epiſt. 3. *Vacare culpa magnum eſt ſolatium: præſertim cùm habeam duas res quibus me ſuſtentem, optimarum artium ſcientiam, & maximarum rerum gloriam.* Nec immeritò. nam, vt alibi diximus ex Euripide: Ἀρκοῦν τοῦτο καὶ ἐν δυσπραγίαις ἡδονὰς παρέχειν. *Hoc ſufficiens eſt etiam in aduerſis voluptates præbere.* vide quæ ſuperiùs §. 63. num. 2. ex Ariſtotele, Platone, Pindaro, & aliis protulimus.

Conſolatio à rectè factis.

Sic Carmēta Euandri exiliũ cõſolatur 1. Faſtorũ:

Nec meriti pœnam pateris, ſed numinis iram,
Eſt aliquid magni crimen abeſſe malis, &c.

INIMICITIAS POTENTIVM.] vide Vatinianam §. 11. nu. 1. Seneca de prouidentia cap. 3. *Inimicitiæ potentium graues ſunt? opponatur ſimul Pompeio, Cæſari, & Craſſo.* II.

DIMICATIO CAPITIS.] Contentio. metaphora vel à gladiatorum pugnis ducta, vel à micatione digitorum. micant enim vtrimque gladiatores armis, cùm in ſe inuicem inſurgentes gladios ſibi vibratos intentant. Liuius libro 1. de Curiatiorum & Horatiorum certamine, cùm dixiſſet: *Cum tergemini agunt Reges, vt pro ſua quiſque patria dimicet ferro.* quaſi ſe ipſum explicans adiecit: *vt primò ſtatim concurſu increpuere arma, micantéſque fulſere gladij, horror ingens ſpectantes perſtringit.* micantes, id eſt, vibrantes, ſiue vibrati & criſpati. pugiles etiam dicuntur dimicare, tum opinor, cùm certamen inituri vtrimq. micant, ſiue exiliunt. vnde & gloſſæ dimicationem ἀντικατάστασιν appellant, quam ἀντικατάστασιν, hoc verſu Poëta expreſſit: III.

Dimicare quid?

Conſtitit in digitos extemplo arrectus vterque.

Quamuis non ſolùm pugnæ apparatum & præludia ſignificat, ſed etiam ipſam pugnam & pugilatum eædem gloſſæ. *Dimicatio*, ἀντικατάστασις, μάχη, πύκτευσις. Poteſt etiam transferri à micatione digitorum, quam Græci ἀντάλλαξιν δακτύλων appellant. Dē qua Nonnus in Ioannem cap. 19.

Δάκτυλα χειρὸς ἄφεντες, ἐκηβόλα σύμβολα νίκης.

Et Capurnius ecloga 2.

Et nunc alternos magis vt diſtinguere cantus
Poßitis, ter quiſque manus iactate micantes.
Nec mora decernunt digitis.

Sic enim vir doctus emendat, nõ *diſcernunt*. Varro Parmenone à Marcello laudatus: *Micandum erit cum Græco vtrùm ego illius numerum, an ille meum ſequatur.* Gloſſæ, *micare* λαχεῖν. Notat alicubi Marcilius micare ſolitos digitis & in auctione, ſiue cùm licitarentur: vt de venditione carnium eſt in edicto Aproniani Præfecti vrbis: *Conſuetudine micandi ſummotâ.* quò Cicero 2. de finibus alluſiſſe videatur: Sed vide quæ diximus in eam quæ eſt de prouinciis Conſularibus §. 9. *Dexteram tendens non ad laudem milites hortaretur, ſed omnia ſibi & empta & emenda eſſe clamaret.* Non diſſimulabo tamen Ianum Gruterum è codice Erfurdienſi ſic edidiſſe. *Si qua diminutio capitis.* de qua diminutione dictum eſt frequenter.

OCCASVRA ESSE IVBEATIS.] Eadem Syntaxi Porcius Latro declamatione in Catilinam: *Nihil erit impedimento, quin hoſtem Reſpub. crudeliſſimum atque infeſtiſſimum ſummis ſuppliciis, ſummis cruciatibus multandum, ac mactandum eſſe iubeatis.* IV.

AXIOMATA.

Magna eſt conſolatio amicis non defuiſſe.

Quæcunque amicorum fortuna fuerit, noſtram ducere debemus.

ARGVMENTVM.

Quaſi ſuam operam perdiderit, nec potuerit Milonem, vt ſibi ipſi conſuleret lacrymis mouere, alio ſe conuertit, & Iudicum, deinde centurionum & militum, qui erant pro templis omnibus poſiti, miſericordiam implorat, ne tam fortem virum exterminari patiantur.

HIS lacrymis non mouetur Milo: eſt quodam incredibili robore animi: exſilium ibi eſſe putat, vbi virtuti non ſit locus: mortem naturæ finem eſſe, non pœnam. Sed hic ea mente natus eſt. quid vos, Iudices? quo tandem animo eritis? memoriam Milonis retinebitis? ipſum eiicietis? & erit dignior locus in terris vllus, qui hanc virtutem excipiat, quàm hic, qui procreauit? Vos, vos appello fortiſſimi viri, qui multum pro Republica ſanguinem effudiſtis: vos in viri, & in ciuis inuicti appello periculo, centuriones, vóſque milites: vobis non modò inſpectantibus, ſed etiam armatis, & huic iudicio præſidentibus, hæc tanta virtus ex hac vrbe expelletur? exterminabitur? eiicietur? CI.

EXPLANATIO.

HIS LACRYMIS.] Retractatio oratoria. Sed fruſtra conor Milonem lacrymis mouere, vt ſibi ipſi conſulat, vt ad Iudicum pedes ſe abiiciat, vt pro ſe ipſo deprecetur.

EXSILIVM.] Duas rationes adfert è morali philoſophia petitas, cur Milo neque mortem, neque exſilium pertimeſcat. Alteram, quòd vbicunque terrarum virtuti ſtudere poſſit, nec eius exercitatione quicquam habeat antiquius. Alteram, quòd mors pœnæ loco non ſit habenda. quippe quæ ſit omnibus oppetenda.

SIT HIC EA.] Sed eſto: Milo ſit adeo fortis & conſtans, vt neque mortem, neque exilium perhorreſcat, ideóne debet in exilium expelli?

ET ERIT DIGNIOR.] Eleganter. non ait, Et erit dignior vllus ciuis qui remaneat in ciuitate quàm Milo. Sed erit dignior vllus locus qui fruatur virtute Milonis, quàm patria, in qua natus eſt. longè maiore cum emphaſi. non ait hunc virtute præditum, ſed hanc virtutem *in abſtracto*, vt loquuntur.

PROCREARIT.] Paulò antè. *Sit hic ea mente qua natus eſt.* vtrobique inſinuat virtutem non tam doceri, quàm ex ipſis naturæ fontibus hauriri. vide Notas.

VOS, VOS.] Commodè, facta fortitudinis mentione, ad milites & centuriones, eorum fidem & auxilium implorans conuertit. quo enim quiſque fortior eſt, eo impenſiùs fortibus & generoſis fauere conſueuit. Aduerte hîc artificium ſingulare. milites, qui contra Milonem poſiti putabantur, ita compellat, quaſi ad id tantùm conſcripti eſſent, vt Milonem à periculo liberarent. Quamuis fortaſſe cùm *fortiſſimos viros* appellat, non tam ipſos milites, qui & tirones adhuc erant, necdum pro patria ſanguinem effuderant, quàm Iudices, & circunſtantes emeritos, & variis bellis exercitos appellat.

HÆC TANTA VIRTVS.] Milo vir adeo fortis, adeo generoſus.

NOTÆ.

SEPTVS.] Hanc vocem Lambinus, Victorius, Grutterus & alij ſuſtulerunt. non is ego ſum qui à tantis viris facilè diſſentiam: non eſt tamen magnis ſcriptoribus inſolens animi robur cum vallo quodam & propugnaculo armíſque comparare. Horatius:

Illi robur & æs triplex
Circa pectus erat, qui fragilem truci
Commiſit pelago ratem.

Noſter paradoxo 2. *Animus ipſe, qui tot virtutum præſidio munitus, tantóque comitatu circumſeptus, cùm corpus eius carperetur, carpi certè ipſe non potuit.* paradoxo 4. *Sapientis animus*, &c. *virtutibus denique omnibus, vt mœnibus ſeptus.* Gregorius Nazianzenus Epitaphio Baſilij: Ἡμῖν δ᾽ οὐδεμία παρὰ τούτων ζημία, τὴν διάνοιαν πεπυκνωμένοις, καὶ πεφραγμένοις. *Nobis verò ab iis nulla iactura qui mentem denſam & ſeptam habemus.* Seneca epiſt. 103. *Quid eſt fortitudo? munimentum humanæ imbecillitatis inexpugnabile: quod qui circundedit ſibi, ſecurus in hac vita obſidione perdurat.* Accius apud Ciceronem 1. de diuinatione:

Proin vide ne quem tu eſſe hebetem deputes æquè ac pecus,
Is ſapientiâ munitum pectus egregium gerat.

EXILIVM.] Hoc ipſum videtur innuere Carmenta primo Faſtorum:

Omne ſolum forti patria eſt, vt piſcibus æquor,
Vt volucri vacuo quicquid in orbe patet.

Poſt Euripidem:

Ἅπας μὲν ἀὴρ αἰετῷ περάσιμος,
Ἅπασα δὲ χθὼν ἀνδρὶ γενναίῳ πατρίς.
Aquilæ volanti eſt omnis aër peruius,
Omníſque tellus patria eſt forti viro.

Omne ſolum forti patria eſt.

Plutarchus opuſculo de fuga: Πατρὶς δὲ γίνεται πᾶσα πόλις εὐθὺς ἀνθρώπῳ χρῆσθαι μεμαθηκότι καὶ ῥίζας ἔχοντι πανταχοῦ ζῆν τε καὶ τρέφεσθαι, καὶ παντὶ τόπῳ προσφύεσθαι δυναμένας. *Patria verò continuò fit vrbs omni homini qui vti didicerit, & radices habuerit, quæ vbique viuere & nutriri & cuicunque loco adnaſci poſſint.* Ante hos omnes Democritus: Ἀνδρὶ σοφῷ πᾶσα γῆ βατή· ψυχῆς γὰρ ἀγαθῆς πατρὶς ὁ ξύμπας κόσμος. *Viro ſapienti peruia eſt omnis terra. Animæ enim bonæ patria eſt mundus vniuerſus.* Philo de nobilitate: Ἄοικος γὰρ καὶ ἄπολις πᾶς φαῦλος, ἐκ πατρίδος ἀρετῆς ἐληλαμένος, ἥ τις καὶ τῷ ὄντι σοφῶν ἀνδρῶν ἐστὶ πατρίς. *Omnis improbus domo & ciuitate*

priuatus eſſe cenſendus eſt, cùm virtutis exul ſit, veræ ſapientum virorum patria.

III. MORTEM NAT.] Eadem mens fuit Anaxagoræ apud Laërtium, qui ab Athenienſibus morte damnatus, Εἶπεν, ὅτι ἄρα κἀκείνων κἀμοῦ πάλαι ἡ φύσις κατεψηφίσατο. *Et illos, inquit, & me iam pridem natura morte damnauit?* Et Socratis apud eundem qui Πρὸς τὸν εἰπόντα, θάνατόν σου κατέγνωσαν Ἀθηναῖοι, κἀκείνων, φησὶν, ἡ φύσις. *Dicenti cuidam Athenienſes te morte damnarunt, & eos, inquit, natura.* Gorgias Apologia Palamedis: Θάνατον μὲν γὰρ ἡ φύσις φανερᾷ τῇ ψήφῳ πάντων κατεψηφίσατο τῶν θνητῶν ἧπερ ἡμέρᾳ ἐγένοντο. περὶ δὲ τῆς ἀτιμίας καὶ τῆς τιμῆς ὁ κίνδυνός ἐστι, πότερά με χρὴ δικαίως ἀποθανεῖν, ἢ μετ᾽ ὀνειδῶν μεγίστων, καὶ τῆς αἰσχίστης αἰτίας βιαίως ἀποθανεῖν. *Omnes enim natura aperto calculo morti addixit, cùm primùm in lucem editi ſunt. at de honore & infamia mihi periculum incumbit, vtrùm mihi iuſtè moriendum ſit, an cum maximis probris turpiſſimáque cauſſa violenter moriendum.*

Mors naturæ finis eſt, non pœna.

IV. QVA NATVS EST.] Magna fuit olim quæſtio, & ab omnibus propè Philoſophis ventilata, naſceretúrne virtus nobiſcum, an à magiſtris doceretur, vide Plutarchum quodam opuſculo id ex profeſſo tractantem, & Platonem in Menone, qui ſuam diſputationem ita cõcludit: Ἀρετὴ ἂν εἴη οὔτε φύσει, οὔτε διδακτὸν, ἀλλὰ θείᾳ μοίρᾳ παραγιγνομένη ἄνευ νοῦ οἷς ἂν παραγίγνηται. *Virtus neque natura, neque diſciplina acquiritur, ſed diuina quadam ſorte contingit iis qui eam adepti ſunt.* Sic enim interpretor ratus verba ἄνευ νοῦ à textu Platonis eſſe penitus aliena. Protagoras tamen virtutem doceri poſſe demonſtrat, eíque Socrates acquieſcit. Ariſtoteles virtutis adeptionem, non naturæ, ſed conſuetudini tribuit, eámque docet ἠθικὴν, tanquam ἐθικὴν nominari. meliùs, vt opinor, Philo, Clemens Alexandrinus, Auguſtinus, Tertullianus, Plutarchus, de quibus pro Cœlio ad Sectionem vndecimam Nota vltima, qui ad virtutis conſecutionem, naturam, diſciplinam & exercitationem requirunt. addenda eſſet & illa θεία μοῖρα Platonis, ſed hanc diuinam ſortem, & Dei interni doctoris inſtinctum arbitror diſciplinæ nomine contineri: licet, ſi propriè loqui volumus, doctrina ad magiſtrum, diſciplina ad diſcipulum referatur.

Innaſcatúrne virtus an acquiratur?

MEMORIAM MILONIS.] Neſcio an ad hunc locum Poëta reſpexerit:

-quatenus, heu nefas!
Virtutem incolumem odimus
Sublatam ex oculis quærimus inuidi?

quo loco etiam *virtus*, pro viro virtute prædito ſumitur. vt mox: *hanc virtutem excipiet.* &, *hac tanta virtus expelletur.* Tacitus 15. annalium: *Trucidatis tot inſignibus viris ad poſtremum Nero virtutem ipſam exſcindere concupiuit, interfecto Barea Sorano & Thraſea Pato.* Vide pro Marcello §. 10. *Tanta auctoritas.* Lyſias in Theomneſtum: Τί γὰρ ἂν τούτου αἰσχρότερον ἀκούσειεν, εἰ τεθνηκὼς ὑπὸ τῶν ἐχθρῶν, αἰτίαν ἔχοι ὑπὸ τῶν τέκνων ἀνῃρῆσθαι, οὗ τῆς ἀρετῆς τὰ μνημεῖα πρὸς τοῖς ὑμετέροις ἱεροῖς ἀνάκειται· τῆς δὲ τούτων κακίας, πρὸς τοῖς τῶν πολεμίων. *Quid enim eo moleſtius audiri poteſt, quàm ſi ab inimicis interfectus, à liberis ſuis occiſus eſſe dicatur, cuius virtutis monumenta in templis noſtris, iſtorum verò ignauia in templis hoſtium viſuntur.* Quod non multùm abludit ab Oratoris ſentẽtia.

AXIOMATA.

Exilium ibi eſt, vbi virtuti non eſt locus.
Mors naturæ finis eſt, non pœna.

ARGVMENTVM.

A perſonarum, & cauſſæ circunſtantiis ſuam miſeriam exaggerat, & animos Iudicum ad miſericordiam grauiter inflammat.

CII. O Me miſerum, ô me infelicem, reuocare tu me in patriam, Milo, potuiſti per hos, ego te in patria per eoſdem retinere non potero? Quid reſpondebo liberis meis, qui te parentem alterum putant? quid tibi, Qu. frater, qui nunc abes, conſorti mecum temporum illorum? me non potuiſſe Milonis ſalutem tueri per eoſdem, per quos noſtram ille ſeruaſſet? at in qua cauſſa non potuiſſe? quæ eſt grata gentibus. à quibus non potuiſſe? ab iis qui maximè P. Clodij morte acquierunt. quo deprecante? me.

EXPLANATIO.

O ME MISERVM.] Orator actionibus Milonis fuerat bonorum omnium ſuffragio patriæ reſtitutus: hinc igitur ſuam calamitatem deplorat, quòd per eoſdem Milonem non poſſit in patria retinere.

QVID RESPONDEBO.] Etſi primo aſpectu videri poſſit frigida commemoratio liberorum, eã tamen in perorationibus libenter vſurpat, vt in Cœliana 79. Iudices enim facit ſuorum liberûm meminiſſe, qua recordatione leniter titillati faciliùs erga reum molliantur.

QVID TIBI.] Apoſtrophe. Quid tibi, Q. Frater, reſpondebo è Galliis redeunti, in quibus nunc verſaris legatus Iulij Cæſaris, qui nunc eam obtinet prouinciam.

CONSORTI MECVM.] Qui cùm particeps fueris illius cladis & calamitatis, quæ mihi in exilium acto per Clodium illata eſt, conſors etiam & particeps fuiſti & ſingularis illius beneficij, quo me Milo in patriam reuocauit: ac proinde grauiter feres caſum Milonis.

ME NON POTVISSE.] Prudẽter, beneficij per Milonem à Iudicibus & omnibus Bonis accepti facit mentionem, tum vt ſuam calamitatẽ deploret, qui ſe Miloni gratum exhibere non poſſit eiq. gratiam referre: tum vt Iudices hac beneficij cõmemoratione ſibi magis deuinciat: tum denique, vt eos prouocet ad conferendum nouum beneficium, vt vetus illud nouo merito tueantur.

AT IN QVA.] Iampridem præclaram ſubiectionem aduertis. Milonis autem cauſſam gratam gentibus eſſe dicit. quia, vt ſuperiùs dictum eſt 98. *Vltra quàm fines imperij Romani ſunt non ſolùm fama de Clodij cæde, ſed etiam lætitia peragrarat.*

ACQVIERVNT.] Securi facti ſunt. magnam oblectationem perceperunt, quaſi ſummam votorum ſuorum fuerint adepti.

QVO DEPRECANTE? ME.] Aduerte loquendi rationem: *Reſpondebo me non potuiſſe Milonis ſalutem tueri, deprecante me.* diceret alius: *me deprecantem.* Sed non eſt quòd ſemper magnorum auctorum ſcripta ad Priſciani, vel Deſpauterij calculos exigamus, cùm præſertim noſter ſe ſatis ipſa ſui nominis maieſtate defendat.

NOTÆ.

I. REVOCARE.] Eodem è fonte miſerationem accerſit. pro Sextio 146. *An ego in hac vrbe eſſe poſſum his pulſis qui me huius vrbis compotem fecerunt?* Et ſanè miſerum eſt iis non poſſe referre gratiam à quibus beneficium acceperis. Talis eſt apud Curtium lib. 5. Darij morientis querela. ad quem cùm veniſſet Polyſtratus Alexandri miles: *Deficiens aquam popoſcit, quam allatam poſtquam bibit, Polyſtrato qui eam tulerat: Quiſquis es mortalium, inquit, hoc mihi extremum vniuerſæ calamitatis genus accidit, vt pro tanto in me beneficio dignas tibi grates referre nequeam, at referat Alexander,* &c. Verùm alia ratione Noſter etiam miſerationem inflammat, quòd non ſolùm à Milone diſtrahatur, ſed etiam animaduertat ſuam apud bonos gratiam frigere, de quibus omnia ſibi amicíſque promiſerat. Illuſtris eſt locus pro Plancio: *Memini enim, memini, neque vnquam obliuiſcar noctis illius, cùm tibi vigilanti, aßidenti, mœrenti, vana quædam miſer atque inania falſa ſpe inductus, pollicebar me ſi eſſem in patriam reſtitutus, præſentem tibi gratiam relaturum: ſin autem vitam mihi ſors ademiſſet, aut vis aliqua maior reditum peremiſſet, hos, hos (quos enim ego tum alios animo intuebar?) omnia tibi illorum laborum præmia pro me perſoluturos.* vide.

Miſerum eſt nõ poſſe gratiam referre.

II. QVID RESP. LIBERIS MEIS.] Libenter in perorationibus facit fratrum, parentum, & liberûm mentionem: quod quia in Milone ſupplicationem aſpernante, facere non potuit, in ſua ipſius perſona facit, quaſi non Miloni, ſed ſibi ipſi Iudicum miſericordiam imploret. quo in genere, vbi reorum & cauſſæ conditio pateretur, quantus fuerit artifex oſtendit in Oratore: *Nec verò miſeratione ſolum mens Iudicum permouenda eſt, qua nos ita dolenter vti ſolemus, vt puerum infantem in manibus perorantes tenuerimus, vt alia in cauſſa excitato reo nobili, ſublato etiam puero paruo, plangore & lamentatione compleremus forum.* Vide perorationem Fonteianæ, matris eiuſdémque ſororis commemoratio, quantam in animis miſerationem inflammet. pro Murena tum matris memoria dolorem incendit, tum illud de C. Murena fratre, qui tum Prætor Galliam obtinebat: *Quo animo C. Murenam, fratrem ſuum adſpiciet? qui huius dolor? qui illius mœror erit? quæ vtriuſque lamentatio?* &c. Rurſum pro Murena: *Si huic, huic miſero puero, veſtro ac liberorum veſtrorum ſupplici,* &c. pro Sylla: *Hic vos orat, Iudices, paruus vt ſe aliquando, ſi non integra fortuna, at afflictâ, patri ſuo gratulari ſinatis. Huic miſero notiora ſunt iudiciorum itinera quàm diſciplinarum.* Ne morer vide perorationes Plancianæ, & Sextianæ. hoc autem ideo fit, quòd animi Iudicum blanda liberorum tum rei ipſius, tum ſuorum recordatione, iucundo pietatis ſenſu leniter tentati, faciliùs deinde erga reum molliantur. nam vt notat Ariſtoteles 2. Rhet. cap. 8. ad miſericordiam ſunt procliuiores: οἷς ὑπάρχουσι γονεῖς, ἢ τέκνα ἢ γυναῖκες. Præclarè Magus 10. Æneidos:

Commemoratio liberorum ad miſerationem vtilis.

Per patrios manes & ſpes ſurgentis Iuli
Te precor hanc animam ſerues natóque patrique.

III. QVO DEPRECANTE? ME.] Huiuſmodi caſuum mutationes crebras reperire poſſis apud optimum quemque ſcriptorem. vt bis apud Xenophontem quarto Κύρου παιδείας. Ἐννοηθέντες δὲ οἷα πάσχοιεν ὑπὸ τῶν Ἀσσυρίων, καὶ ὅτι νῦν τεθναίη μὲν ὁ ἄρχων αὐτῶν. ἡττημένοι δὲ εἶεν, φόβος δὲ πολὺς εἴη ἐν τῷ στρατεύματι, οἵ τε σύμμαχοι αὐτῶν ὡς ἀθύμως ἔχοιεν, ταῦτ' ἐνθυμουμένοις ἔδοξεν, καὶ ὡς νῦν καλὸν εἴη ἀποστῆναι. *Cogitantes quantis Aſſyriorum affecti fuiſſent iniuriis, eorúmque principem eſſe defunctum, eos eſſe victos, multum in exercitu terrorem, ſocios animo deſpondere, hæc iis cogitantibus viſum eſt vtile rebellare.* ἐννοηθέντες, ταῦτ' ἐνθυμουμένοις. Item: Ὁ δὲ νῦν βασιλεὺς ἐπὶ θήραν αὐτὸν παρακαλέσας, καὶ ἀφεὶς αὐτῷ θηρᾶν ἀνὰ κράτος, ὡς πολὺ κρείσσων αὐτοῦ ἱππεὺς ἡγούμενος εἶναι, ὁ μὲν ὡς φίλῳ συνεθήρα. *Is verò qui nunc regnat eum ad venationem inuitans, eíque permittens vt quantùm poſſet venaretur, quippe qui ſe equitem ipſo longè meliorem putaret, iſte vt cum amico venabatur.* Ὁ βασιλεὺς καλέσας. *Rex inuitans.* pro βασιλέως καλέσαντος. *Rege inuitante.* Antenor Homericus Iliados γ'. verſu 210.

Στάντων μὲν Μενέλαος ὑπείρεχεν εὐρέας ὤμους,
Ἄμφω δ' ἑζομένω γεραρώτερος ἦεν Ὀδυσσεύς.
Stantibus his humeros ſuprà Menelaus habebat,
Sed venerabilior Laërtius, ambo ſedentes.

Et alibi:

-ὁ δ' ἀγλαΐηφι πεποιθὼς
Ῥίμφα ἑ γοῦνα φέρει.
-ille iubæ ſplendore ſuperbus
Illum genua ferunt rapidè.

Vide Plutarchum opuſculo de Homeri poëſi qui alia plura congeſſit. Sed vanus ſim, ſi velim idem in Latinis oſtendere: cùm Nonnius Marcellus id iam exhauſerit.

ARGVMENTVM.

Iudicum miſericordiam implorat, & ſuam rurſus calamitatem oſtendit, partim à cauſſâ & fonte ſui doloris, partim ab eiuſdem acerbitate: quam voto quodam inexpectato mirum in modum exaggerat.

CIII. QVODNAM concepi tantum ſcelus? aut quod in me tantum facinus admiſi, Iudices, cùm illa indicia communis exitij indagaui, patefeci, protuli, exſtinxi? omnes in me, meóſque redundant è fonte illo dolores. Quid me reducem eſſe voluiſtis? an vt inſpectante me, expellerentur ij, per quos eſſem reſtitutus? Nolite, obſecro vos, pati, mihi acerbiorem reditum eſſe, quàm fuerit ille ipſe diſceſſus. Nam quî poſſum putare me reſtitutum eſſe, ſi diſtrahor ab iis, per quos reſtitutus ſum? Vtinam Dij immortales feciſſent (pace tua patria dixerim: metuo enim ne ſceleratè dicam in te, quod pro Milone dicam piè) vt P. Clodius non modò viueret, ſed etiam Prætor, Conſul, Dictator eſſet, antequam hoc ſpectaculum viderem.

EXPLANATIO.

QVODNAM.] Obitèr perſtringit Catilinæ coniurationem ſuis conſiliis oppreſſam: vt ideo Milonem in inuidiam vocari demonſtret. Quaſi dicat: Dolore angor, quia Milo in periculum capitis adducitur. in periculum adducitur, quia omnes ab inimicis meis faces inuidiæ eius ſubiiciuntur, ſiue quia inimici mei eius inuidiam augent. augent eius inuidiam, quia me ille in patriam reuocauit: reuocauit, quia eiectus fueram factionibus Clodij: eiectus ſum, quia coniurationem extinxeram. Ergo à primo ad vltimum his doloribus angor, quia coniurationem oppreſſi. & ita omnes in me meóſque redundant è fonte illo dolores. Quem motum vt vehementiùs inflammet, interrogationem oratoriã vſurpat, iaceret enim & frigida eſſet Oratio, ſi ita loqueretur: *Nullum mihi videor admiſiſſe ſcelus, nullum in me facinus admiſiſſe cum indicia*, &c. addidit *illa*, quam vocem ſi omiſiſſet, totum orationis aculeum perdidiſſet.

INDICIA.] Quomodo litteras à coniuratis ad Catilinam, & Allobroges datas indagauerit & protulerit in Senatu, ipſe fusè & diſertè narrat tertia in Catilinam.

COMMVNIS EXITII.] Vulturcius indicauit, ſe habere mandata ad Catilinã, vt *ad Vrbem quamprimùm cum exercitu accederet: id autem eo conſilio, vt cùm vrbem omnibus ex partibus, quemadmodum deſcriptum diſtributúmque erat, incendiſſent, cædémque infinitam ciuium feciſſent, præſto eſſet illi, qui & fugientes exciperet, & ſe cum his vrbanis ducibus coniungeret.*

EXTINXI.] Vix cohæret oratio. neque enim video quid ſit *indicia coniurationis ſiue exitij communis extinguere*. quare fortaſſe aliquid deſit, vt *protuli: cùm illam flammam coniurationis extinxi.* Sed antiquitatis reuerentia facit, vt nihil auſim innouare.

EX ILLO FONTE DOLORES.] Scio noſtro non ſemel heroici clauſulas excidiſſe, ſed tamen accommodatior lamentis erit numerus, ſi, vt alij codices habent, verbi in hanc ſeriem digerantur. *redundant è fonte illo dolores.*

QVID ME.] Quid me comitiis centuriatis magno totius Italiæ cenſenſu, veſtris ſuffragiis in patriam reuocaſtis? cauſſam ſubiicit penitùs inuidioſam, & ad motum idoneam.

DISCESSVS.] exilium.

DISTRAHOR.] diuellor.

VTINAM.] A comparatione ſui doloris magnitudinem oſtendit, quem maiorem eſſe dicit, quàm futurus fuerit ille dolor, quẽ percepiſſet, ſi Clodius ad Præturam, Cõſulatum, Dictaturã fuiſſet euectus. quia tamen res incredibilis videri poterat, non indicandi modo vtitur, ſed optandi: quo magis magíſque inflammatur oratio.

PACE TVA.] quam vim habeat & illa patriæ cõpellatio, & veniæ petitio ſentire magis poſſum quàm explicare. certè & magnam in ſe miſericordiam concitat, & non minorem in Clodium inuidiam.

NOTÆ.

QVODNAM.] Longè maiore cum apparatu pro Sextio 145. *Quod tantum eſt in me ſcelus? quid tantopere deliqui illo, illo die, cùm ad vos indicia, litteras, confeſſiones communis exitij detuli? cùm parui vobis? At ſi ſceleſtum eſt amare patriam, pertuli pœnarum ſatis: euerſa domus eſt, fortuna vexata, diſſipati liberi, raptata coniux*, &c. vide fusè. I.

INDAGAVI.] Metaphora ducta à venatoriis canibus quæ odorantur ferarum veſtigia. lib. 2. in Verrem 133. *Acutiſſimè tota prouincia quid cuique eſſet neceſſe indagare & odorari.* Varro lib. 4. de lingua Latina venatoribus ipſis tribuit: *Veſtigator à veſtigiis ferarum quas indagatur.* Feſtus: *Etiam canes indagatores ſagaces ſunt appellati.* Vide Piſonianam §.83. lib. 6. ad Atticum ep. 4. cùm dixiſſet: *Illud præterea* μυστικώτερον *ad te ſcribam, tu ſagaciùs odorabere.* Subdit epiſtola ſequenti ſcribens iterum neſcio quid ſecretius: *hoc tu indaga, vt ſoles.* II. Indagare.

EXTINXI.] Pro Cœlio 70. *Quæ lex ſedata illa flamma conſulatus mei fumantes reliquias coniurationis extinxit.* Vbi protulimus Themiſtium orat. 6. ὥστε τὴν φλόγα σβέσαι τὴν Σκυθικήν. *Vt Scythicam flammam extinxerit.* III.

IV. INSPECTANTE ME.] Amphitruon apud Euripidem in Hercule eodem penè argumento miſericordiam mouet:

Μίαν δὲ τῶν δὸς χάριν ἄναξ, ἱκνούμεθα,
Κτεῖνόν με καὶ τήνδ' ἀθλίαν παίδων πάρος,
Ὡς μὴ τέκν' εἰσίδωμεν ἀνόσιον θέαν
Ψυχοῤῥαγοῦντα, καὶ καλοῦντα μητέρα
Πάτρος τε πατέρα.
Vnum hoc precamur pace quod fiat tua
Hanc vt miſellam, mêque des letho priùs,
Quàm filios cum morte luctantes diu
Videamus animam fundere, & matrem, & patris
Clamare patrem.

Eodem penè ſenſu nollet Noſter ab exilio fuiſſe reuocatus, ne ad hoc rediiſſe videatur, vt amici inſpectante ſe pellerentur. Huiuſmodi pathos habetur 12. Æneidos:

An fratris miſeri lethum vt crudele videres?

Huc referri poteſt Caligulæ immanitas, qui, vt ait Suetonius in eius vita cap. 27. *Parentes ſupplicio filiorum intereſſe cogebat, quorum vni valetudinem excuſanti, lecticam miſit & Capitone eam ad rem adeſſe iuſſo.* Πυθομένου τ' αὐτοῦ εἰ μῦσαί γε οἱ ἐπιτρέπει, προσέταξε καὶ ἐκεῖνον σφαγῆναι. *Eúmque rogantem an ſaltem conniuere permitteret, iugulari imperauit.* Dio lib. 59.

PACE TVA.] Solemnis formula cùm verbi inuidiam deprecamur. vt 3. de legibus: *Pace tua dixerim.* 3. de officiis. *Pace vel Quirini, vel Romuli dixerim.* pro Marcello: *& hoc pace dicam tua.* Q. Catulus 1. de nat. Deorum: *Pace mihi liceat cœleſtes dicere veſtra.* Petronius in Sat. *Pace veſtra liceat dixiſſe, primi omnium eloquentiam perdidiſtis.* Naſo lib. 3. de Ponto elegia prima: V.

Pace tua, ſi pax vlla eſt tua, Pontica tellus
Finitimus rapido quam terit hoſtis equo,
Pace tua dixiſſe velim.

ARGVMENTVM.

Redit ad commendationem Milonis, & occaſione è ſuperioribus ſumpta in exclamationem erumpens, eúmque rurſus loquentem inducens miratur eius tum fortitudinem, tum patriæ charitatem, atque inde ait Milonem in patria retinendum.

O DII immortales fortem, & à vobis, Iudices, conſeruandum virum! Minimè, minimè, inquit, immo verò pœnas ille debitas luerit: nos ſubeamus, ſi ita neceſſe eſt, non debitas. Hiccine vir patriæ natus, vſquam niſi in patria morietur? aut, ſi fortè pro patria, huius vos animi monumenta retinebitis, corporis in Italia nullum ſepulchrum eſſe patiemini? hunc ſuâ quiſquam ſententiâ ex hac vrbe expellet, quem omnes vrbes expulſum à vobis ad ſe vocabunt?

EXPLANATIO.

O DII.] Solent vt plurimùm oratores poſt expoſitionem rei mirabilis, tùm demum in exclamationem erumpere: Noſter quaſi admiratione percitus anteuertit, & priùs exclamat quàm aperit exclamandi rationem.

CONSERVANDVM.] Non eiiciendum è ciuitate.

MINIME.] Hæc ſuperioribus reſpondent: *vtinam P. Clodius, Prætor, Conſul, Dictator eſſet.* ad quod Ciceronis votum Milo fortaſſe renidebat, aut alio nutu ſignificabat id ſe non optare, quaſi diceret. Abſit, & illud à Rep. malum Deus auertat, immò verò Clodius occiſus fuerit, vt occiſus eſt, & debitas ſcelerum pœnas luit: nos ſubeamus pœnas non debitas, ſed impoſitas propter factum aut præclarum, aut certè neceſſarium.

HICCINE.] Aduerte præclaram antitheſim, natus, *morietur, patriæ, niſi in patria,* patriæ natum dicit, quia hoc reſponſo ciuium ſalutem, anteponebat ſuæ: eíque vel cum capitis ſui periculo conſultum fuiſſe gaudebat.

AVT, SI FORTE.] locus obſcurior. Videtur Fuluius Vrſinus aliquam lucem attuliſſe, ſic interpungens: *Hiccine vir patriæ natus vſquam niſi in patria morietur, aut, ſi fortè pro patria, huius vos, &c.* Quæ verba ſic interpretor, *Hiccine vir patriæ natus alibi quàm in patria morietur, aut, ſi fortè pro patria,* id eſt, aut ſi fortè, quod patriam à Clodio vexatã & penè exciſam defenderit, in exiliũ ibit, & extra patriam morietur, *huiúſne vos animi monumenta retinebitis.* id eſt, huiúſne vos animi magnitudinem litterarum monumentis mandatam & conſignatam conſecrabitis hominum memoriæ ſempiternæ, & eundem nec ſaltem permittetis in Italia ſepeliri. Aduerte petitionis modeſtiam miſericordiæ mouendæ aptiſſimam. non petit vt in Italia viuat, ſed vt in Italia ſepeliatur Milo. quæ ſepulchri religio magnam vim habet & ſanctitatem. CIV.

HVNC SVA.] Quiſquámne Iudicum erit adeo crudelis, vt auſit in eum damnationis & exilij ferre ſententiam.

NOTÆ.

VIR PATRIÆ NATVS.] Notum eſt illud ex libro 1. de officiis: *Non nobis ſolùm nati ſumus, ortúſque noſtri partem patria vendicat, partem parentes, partem amici.* Sed vide quæ dicentur pro Marcello. 26. *Sed tum id audirem ſi tibi ſoli viueres, aut ſi tibi etiam ſoli natus eſſes.* Habe interim è diſſertationibus Epicteti lib. 1. cap. 16. Ὁ Θεὸς τοιαύτην φύσιν τοῦ λογικοῦ ζώου κατεσκεύασεν, ἵνα μηδεὶς τῶν ἰδίων ἀγαθῶν δύνηται τυγχάνειν, εἰ μή τι εἰς τὸ κοινὸν ὠφέλιμον προσφέρηται. *Ita Deus naturam rationis compotem finxit, vt proprium bonum aſſequi non poßit, niſi ad communem vtilitatem referatur.* Et libro ſecundo cap. 18. Τίς οὖν ἐπαγγελία πολίτου; μηδὲν ἔχειν ἰδίᾳ συμφέρον, περὶ μηδενὸς βουλεύεσθαι ὡς ἀπόλυτον. ἀλλ' ὥσπερ ἂν ἡ χεὶρ ἢ ὁ ποὺς λογισμὸν εἶχον, καὶ παρηκολούθουν τῇ λογικῇ κατασκευῇ. οὐδέποτ' ἂν ἄλλως ὥρμησαν, ἢ ὠρέχθησαν, I.

Homo non ſibi ſed patriæ natus.

ἢ ἐπαγενεγκότες ἐπὶ τὸ ὅλον. διὰ τοῦτο καλῶς λέγουσιν οἱ φιλόσοφοι, ὅτι εἰ προῄδει ὁ καλὸς καὶ ἀγαθὸς τὰ ἐσόμενα, συνήργει ἂν καὶ τῷ νοσεῖν, καὶ τῷ ἀποθνήσκειν, καὶ τῷ πηροῦσθαι, αἰσθανόμενός γε ὅτι ἀπὸ τῆς τῶν ὅλων διατάξεως τοῦτ᾽ ἀπονέμεται. κυριώτερον δὲ τὸ ὅλον τοῦ μέρους, καὶ ἡ πόλις τοῦ πολίτου. *Quid igitur ciuis profitetur? Se nihil habere priuatim vtile, de nulla re conſultare, tanquam à communitate ſeparatum. Sed quemadmodum ſi manus aut pes rationem haberent, obſequerentúrque ſuæ naturæ compoti rationis, nihil expeterent aut deſiderarent, niſi ad totum referentes. Et eam ob rem ſapienter aiunt philoſophi, virum bonum, ſi futura præuideret, cooperaturum morbo, morti & mutilationi ſuæ, cùm ſentiret id ab vniuerſi ordine ſibi eſſe diſtributum. totum enim parti, & ciui ciuitas antecellit.*

II. VSQVAM NISI IN PATRIA MORIETVR.] Miſerum putabant extra patriam mori. vnde pathos illud magni artificis:

Sternitur infœlix alieno vulnere, cœlúmque
Adſpicit, & dulces moriens reminiſcitur Argos.

Hinc Petronius humanæ conditionis fragilitatem & miſeriam oſtendit, quòd è tribus Principibus duo extra patriam perierint:

Craſſum Parthus habet, Libyco iacet æquore
Magnus,
Tertius ingratam perfudit ſanguine Romam.

Miſerum putabant extra patriam mori.

Sed præclarè Anaxagoras apud Laërtium: Πρὸς τὸν δυσφοροῦντα ὅτι ἐπὶ ξένης τελευτᾷ· πανταχόθεν, ἔφη, ὁμοία ἐστὶν ἡ εἰς ᾅδου κατάβασις. *Ad eum qui ſe extra patriam mori grauiter & iniquo ferebat animo. Vndequaque, inquit, æqualis eſt ad inferos deſcenſus.* Quod non aliis tantùm, ſed etiam ſibi ipſi dictum voluit. lib. 1. Tuſculanarum quæſtionum: *Præclarè Anaxagoras qui cùm Lampſaci moreretur, quærentibus amicis vellétne Clazomenas in patriam, ſi quid ei accidiſſet, auferri; Nihil neceſſe eſt, inquit, vndique enim ad inferos tantundem via eſt.* Meliùs ſanè quàm Vlyſſes Homericus, qui mortem in patria immortalitati extra patriam præferebat. Cauſſa autem vel è præcipuis cur libenter homines in ſua quiſque patria moriantur, ea eſt, vt poſſint in ea ſepeliri, & maiorum ſuorum tumulis inferri, vnde & modò à ſepultura miſerationem accerſet. Et Æneas Virgilianus cauſſam cur in patria viuere expetat eſſe innuit, maiorum ſuorum reliquias. 4. diuini operis:

Me ſi fata meis paterentur ducere vitam
Auſpiciis & ſponte mea componere curas,
Vrbem Troianam primùm, dulcéſque meorum
Relliquias colerem, &c.

Sic Mezentius lib. 10. petit cum filio ſepeliri:

Et me conſortem nati concede ſepulcro.

Sic apud Sophoclem in Electra pædagogus oſſa Oreſtis referre ſe ſimulat, vt maiorum tumulis inferantur. Sic Germanicus, Lucius, & Caius Auguſti nepotes in patriam longo itinere referuntur, vt ſexcentos omittam. ſic Iupiter in patriam referri iubet Sarpedonem:

Ἔνθα ἑ ταρχύσουσι κασίγνητοί τε ἔται τε
Τύμβῳ τε στήλῃ τε· τὸ γὰρ γέρας ἐστὶ θανόντων.

III. NVLLVM SEPVLCRVM.] A ſepulchri religione & petitionis modeſtia miſerationem auget. pro Sylla: *Non iam de vita P. Sylla, Iudices, ſed de ſepultura contenditur, vita erepta eſt ſuperiore iudicio: nunc ne corpus eiiciatur, laboramus.* Idem pathos, quamuis alia in re 7. Æneidos:

Dis ſedem exiguam patriis, littúſque rogamus
Innocuum & cunctis vndamque aurámque patentem.

Quod ad ſepulcrum attinet, eo maiorem eius petitio miſericordiam excitat, quo miſerius credebatur carere ſepultura. vnde & illę Thyeſteæ preces apud Ennium: Sepultura religio.

Neque ſepulchrum, quo recipiatur, habeat portum corporis
Vbi remiſſa humana vita corpus requieſcat à malis.

Et illæ Hectoris ad Achillem, Turni Virgiliani & Mezentij, aliorúmq. preces, vt victores interemptorum *corpus humo tegi patiantur.* Hinc illa naufragantium conſuetudo, de qua Syneſius epiſt. 4. Κηρύττει τις χρυσίον ἐξαρτᾶσθαι χρυσίον εἴ τῳ ἐστί· πάλαι καταδεδειγμένον τοῦτο ποιεῖν· νῦν δ᾽ ἔχει τοιοῦτον, φέρειν δεῖ τιμὴν ἐντάφιον, τὸν ἐκ ναυαγίου νεκρόν· ὁ γὰρ περιτυχὼν καὶ κερδάνας, νόμους Ἀδραστείας αἰδέσεται, μὴ οὐχὶ μικρόν τι μέρος ἀποδοῦναι τῷ χαρισαμένῳ τὸ πολλαπλάσιον. *Proclamat aliquis, vt omnes quicquid habent auri collo appendant: quod iam olim vſu receptum eſt, ex conſilio, quòd qui naufragio periit ei oporteat iuſta perſolui: nam qui in eum inciderit, & lucrum inuenerit, Adraſteæ leges verebitur, niſi aliquid ei tribuerit, à quo tanto plura fuerit conſecutus.* Sed præſertim, vt iam monuimus, in patria ſua ſepeliri, maiorúmque ſuorum monumentis inferri cupiebant. vnde & illud Lycurgi contra Leocratem: Ποία δ᾽ ἡλικία δικαίως ἂν τοῦτον ἐλεήσειε; πότερον ἡ τῶν πρεσβυτέρων; ἀλλ᾽ οὐδὲ γηροτροφηθῆναι, οὐδ᾽ ἐν ἐλευθέρῳ ἐδάφει τῆς πατρίδος αὐτῆς ταφῆναι τὸ καθ᾽ αὑτὸν μέρος παρέδωκεν. *Quænam ætas illius iuſtè miſerebitur? Senectúſne? Sed ne quidem ſenes prouecta iam & confecta ætate à iuuenibus nutriri, ne in libero quidem patriæ ſolo ſepeliri conceſſit, quantum in ipſo fuit.* Euripides Phœniſſis:

Θάψον δέ μ᾽ ὦ τεκοῦσα, καὶ σύ, σύγγονε,
Ἐν γῇ πατρῴᾳ, καὶ πόλιν δυσμουμένην
Παρηγορεῖτον, ὡς τοσόνδε γοῦν τύχω
Χθονὸς πατρῴας, κεἰ δόμους ἀπώλεσα.
Sepelite quæſo me, parens, túque ô ſoror,
Humo in paterna, ciuitas per vos mihi
Placata fiat hactenus, Patriæ meæ
Vt condar in tellure, ſi regno excidi.

Catullus ad Mallium:

Quem nunc tam longè, non inter nota ſepulcra,
Nec prope cognatos compoſitum cineres.
Sed Troia obſcœna, Troia infelice ſepultum
Detinet à noſtro terra aliena ſolo.

OMNES VRBES EXPVLSVM, &c.] Dio Chryſoſtomus Corinthiaca: Ὅταν τὸν ὑφ᾽ ὑμῶν ἐκπεπτωκότα πάντες ἄσμενοι καταδέχωνται, οὐ μόνον, ἀλλὰ καὶ καλῶσι, καὶ διαπρεσβεύωνται, καὶ τιμαῖς ταῖς τ᾽ ἄλλαις γεραίρωσι, καὶ δὴ, καὶ τῇ τῶν εἰκόνων ἀναθέσει. *Cùm expulſum à vobis omnes libenter excipiant, nec id ſolùm, ſed etiam inuitent, & legatos mittant, & honoribus eum cùm aliis, tum etiam imaginum conſecratione proſequantur.* IV.

AXIOMATA.

Fortes viri ſunt conſeruandi Reipub.
Vir patriæ natus non debet è patria expelli.
Non eſt expellendus quem omnes vrbes expulſum ad ſe vocabunt.

ARGVMENTVM.

Mirus dicendi artifex ita concludit quaſi non tam ſuam aut Milonis vicem quàm patriæ doleat, ſi vel ingrata eum eiecerit, vel miſera amiſerit: ac poſtremò monet, offenſionem Pompeij non eſſe timendam ſi reum abſoluerint: qui vnus ſcrupulus poterat in Iudicum animis reſidere.

O TERRAM illam beatam, quæ hunc virum exceperit: hanc ingratam, ſi eiecerit: miſeram, ſi amiſerit. Sed finis ſit. neque enim præ lacrymis iam loqui poſſum, & hic ſe lacrymis defendi vetat. vos oro obteſtórque, Iudices, vt in ſententiis ferendis, quod ſentietis, id audeatis. Veſtram virtutem, iuſtitiam, fidem (mihi credite) is maximè probabit, qui, in Iudicibus legendis, optimum & ſapientiſſimum quemque legit. CV.

EXPLANATIO.

O TERRAM.] Tantæ virtutis eſt Milo, vt ei ciuitati, quæ ipſum exulantem exceperit, inuidendum eſſe videatur.

HANC INGRATAM.] O Romam immemorem & ingratam, ſi poſt tot beneficia Milonem conſeruatorem ſuum, Clodij domitorem eiecerit. miſeram, ſi talem virum, patriæ præſidium amiſerit.

SED FINIS SIT.] Acuta perorationis concluſio, quaſi non poſſit ipſe lacrymis ſatiari, ſed tantùm finiat vt voluntati Milonis obſequatur: qui tam fortis & conſtans, vt non ſolùm non fleret ipſe, ſed etiam alios in ſua cauſſa ſuóq; ipſius periculo flere prohiberet: quod abſolui vellet non tam miſericordia Iudicum, quàm cauſſæ ipſius æquitate.

VOS ORO.] Miro ingenio & artificio, poſtquam Iudices ad fletus vſque permouit, eos hortatur, vt in ferenda ſententia non lacrymis, ſed virtuti, iuſtitiæ, fidei ſuæ obſequantur, neque offenſionem Pompeij perhorreſcant, aut Clodianorum ſeditionibus deterreantur.

PROBABIT.] Cn. Pompeius qui *delegit è florentiſſimis ordinibus ipſa lumina.* &, vt narrat Aſconius, *Creatus erat Cn. Domitius Ænobarbus Quæſitor, aliorum quoque Iudicum, qui de ea re iudicarent. Pompeius tales propoſuit, vt nunquam neque clariores viros, neque ſanctiores propoſitos eſſe conſtaret.* Atque hæc de explanatione orationis omnium: *quot ſunt quótque fuere, & quot pòſt aliis erunt in annis,* pulcherrima.

NOTÆ.

I. PRÆ LACRYMIS.] Pro Plancio: *Plura ne dicam, tuæ me etiam lacrymæ impediunt, veſtræque, Iudices, non ſolùm meæ.* Pro Rabirio Poſthumo: *Iam indicat tot hominum fletus, quàm ſis charus tuis, & me dolor debilitat, includítque vocem.* Et ſanè quanta vi tum ſibi lacrymas elicuerit, tum ab aliis expreſſerit, ipſe teſtatur in Oratore: *Quid ego de miſerationibus loquar? quibus ego ſum vſus pluribus, quòd etiam ſi plures dicebamus, perorationem mihi tamen omnes relinquebant. in quo vt viderer excellere non ingenio, ſed dolore aſſequebar.* Et paulò pòſt: *Sed, vt ſupra dixi, nulla me ingenij, ſed magna vis animi inflammat, vt me ipſe non teneam: nec vnquam is, qui audiret, incenderetur, niſi ardens ad eum perueniret oratio.*

II. OPTIMVM ET SAPIENTISSIMVM.] Suprà 23. *Qui hæc iuſtè ſapientérque diſceptet.* vide.

EVENTVS.

PERACTA *vtrimque cauſſâ*, verba ſunt Aſconij Pediani, *ſinguli quinos accuſator & reus Senatores, totidem Equites & Tribunos ærarios reiecerunt. ita vt vnus & quinquaginta ſententias tulerint. Senatores condemnauerunt* XII, *abſoluerunt* VI, *Equites condemnauerunt* XIII, *abſoluerunt* IIII, *Tribuni ærarij condemnauerunt* XIII, *abſoluerunt* III. Hæc Pedianus. dubium tamen eſſe non poteſt, quin error in Notas numerorum irrepſerit. Si enim vnus & quinquaginta fuerint, oportet è ſingulis ordinibus ſeptem & decem fuiſſe. quare fortaſſe ſic legendum fuerit. *Senatores condemnauerunt* XI, *abſoluerunt* VI, &c. *Tribuni ærarij condemnauerunt* XIII, *abſoluerunt* IV. ſed quis poſſit hæc diuinare? Pergit. *Videbantur non ignoraſſe Iudices inſcio Milone, initio vulneratum eſſe Clodium: ſed compererant poſtquam vulneratus eſſet iuſſu Milonis occiſum: fuerunt qui crederent M. Catonis ſententia eum eſſe abſolutum.* qua de re Velleius libro 2. *M. Cato palàm latâ abſoluit ſententiâ. quam ſi maturiùs tuliſſet, non defuiſſent qui ſequerentur exemplum, probarêntque eum ciuem occiſum, quo nemo pernicioſior Reipub. neque bonis inimicior vixerat.* Sic igitur damnatus *Milo*, vt addit Pedianus, *in exilium Maſſiliam intra paucos dies profectus eſt. Bona*

eius propter alieni æris magnitudinem ſemuncia venierunt. Quæ autem illa fuerit æris alieni magnitudo ſic explicat Plinius lib. 36. cap. 15. *Milonem ſeſtertiûm ſeptingenties æris alieni debuiſſe inter prodigia animi humani duco.* Septingenties, inquit, id eſt decies ſepties centena, & quinquagena coronatorum millia, ſi ſummam ad Budæi calculos exigamus. viderit Hotomannus. Cicero qui circunſtantium militum armis perterritus, non ea qua ſolitus erat conſtantia dixiſſet, maiore cum otio ſcripſit hanc orationem, & Miloni exulanti miſit, cui Milo (auctore Dione libro 40.) eleganti ioco reſpondit, ſeram eius eloquentiam carpens: ὅτι ἐν τύχῃ αὐτῷ ἐγένετο τὸ μὴ ταῦθ' οὕτω καὶ ἐν τῷ δικαστηρίῳ λεχθῆναι. οὐ γὰρ ἂν τοιαύτας ἐν τῇ Μασσαλίᾳ, ἐν ᾗ κατὰ φυγὴν ἦν, τρίγλας ἐσθίειν, εἴπερ τι τοιοῦτον ἀπελελόγητο. *Sibi proſperè & feliciter contigiſſe, vt eiuſmodi in Iudicio habita non fuerit oratio: ſe enim Maſsiliæ, vbi exulabat, murenas tam bonas comeſturum non fuiſſe, ſi Tullius talem orationem habuiſſet.* Sed nos ſeriò dicamus, niſi hæc ſedata perturbatione, meditatò ſcripta fuiſſet oratio, vix habituram fuiſſe Romam, quo ſuos oratores omnibus omnium gentium ſcriptoribus anteferret.

IN M. TVLLII CICERONIS ORATIONEM PRO C. RABIRIO POSTHVMO

PRÆFATIO.

PTOLEMÆVS *Auletes Alexandriæ Rex ob crudelitatem & auaritiam regno pulſus à ciuibus Romam venit, & auxilium petiit à Senatu. Ictum cum eo fœdus, reductióque Lentulo Ciliciæ Proconſuli Senatus auctoritate mandata eſt. Verùm conſultis Sibyllæ oraculis, inuenerunt Decemuiri Regem Ægypti doloſis artibus aliquando Romam eſſe venturum: ſi auxilium peteret, fœdus cum eo facerent, ne tamen eum reducerent cum exercitu. Quare Lentulus Regis reducendi prouinciam, quam & auctoritate Senatus & ſorte habebat, interpoſita religione ſine vlla dubitatione depoſuit. Nihilo ſeciùs Rex inſtabat, multíque Senatores, incertum an eius pecunia corrupti eo propendebant, vt ſine armis per legatos reduceretur, ſed obſiſtentibus partim Alexandriæ legatis, partim principibus ciuitatis, Pompeio, Craſſo, Lentulo eam legationem per amicos magna ambitione captantibus, cùm nihil impetraret, à C. Rabirio Poſthumo Equite Romano pecunias mutuas accepit, ſiue vt, quod iactabatur, corrumperet Senatum, ſiue vt ſubornaret ſicarios qui legatos Alexandrinorum & Dionem principem legationis occiderent, de quibus in Cæliana & apud Dionem libro 39. ſiue vt, quod poſteà docuit euentus, Gabinium Syriæ Proconſulem magnis præmiis ad opem ſibi ferendam alliceret. Gabinius, vt dicitur in Piſoniana, tribuit ſe mercenarium comitem Regi, ſigna contulit cum Alexandrinis, cepit Alexandriam, Ptolemæum reſtituit in Regnum Ægypti, reiecto Archelao, quem ſibi Regem acciuerant. Reuocatus è prouincia Gabinius, accuſante C. Memmio, defendente Cicerone, qui ſequeſtre Pompeio paucis antè diebus in gratiam redierat, lege Iulia repetundarum damnatus eſt. eáque lis decem talentûm millibus (quam ſummam à Rege accepiſſe dicebatur) eſt æſtimata. Sed cùm is nec prædes dediſſet, nec tantùm ex eius bonis, quanta ſumma litis fuerat, redigi potuiſſet, diem dixit Memmius accuſator C. Rabirio Poſthumo eo nomine quòd quodam legis Iuliæ capite cautum eſſet, vt ſi nec prædes dediſſet is cui lis fuiſſet æſtimata, nec ſumma litis ex eius bonis publicatis colligi potuiſſet, tum demùm inquireretur in eum ad quem ea pecunia peruenerat. Eáque cauſſa non erat ſeparata à priore, ſed quaſi quædam appendicula cauſſæ iudicatæ atque damnatæ, íſque reus ex prima illa damnatione redundabat. Prima*

igitur quæſtio in eo verſatur: An Rabirius teneatur eo capite legis, QVO EA PECVNIA PERVENERIT, *affirmat Memmius, negat Cicero. Genus orationis eſt tenue & remiſſum, nonnullis tamen locis altiùs aſſurgit. Maieſtatis tamen crimen obiectum Rabirio dicit Tranquillus, quod Ptolemæum ſecutus eſt.* Referens, *inquit*, maiorum temporibus Rabirio Poſtumo Ptolemæum Alexandriam crediti ſeruandi cauſſâ ſecuto maieſtatis crimen apud Iudices motum. *Sed, vt notat Turnebus*, Illud maieſtatis crimen acceſſiuncula quædam & appendicula iudicij potiùs eſt, quàm ſumma quæſtio cauſſæque cardo.

TABVLA GENERALIS ORATIONIS Pro C. Rabirio Poſthumo.

- Exordium, 1. 2.
- Narratio, 3. 4. 5.
- Contentio à §. 6. ad 41. diſtributa in partes tres.
  - Prima pars propriè ſpectat ad quæſtionem à §. 6. ad 19. An Rabirius
    - accuſari debeat eo capite legis quo accuſatur.
    - an alio debeat accuſari?
  - 2. confutatio aliorum criminum quæ minùs ad cauſſam pertinent. à 19. ad 37.
  - 3. confirmatio primæ partis à 37. ad 41.
- Peroratio à §. 41.

Exordium duobus numeris contentum, & ad captandam iudicum miſericordiam comparatum.

- Erroris confeſſio, ex ſententia
  - Rabirij, cui præ cæteris conſilium ſuum diſplicet.
  - Ciceronis, qui non repugnat quo minùs is lapſus dicatur
    - vel inani ſpe,
    - vel inconſulta ratione.
    - vel temeritate.
- Erroris excuſatio
  - reiectione culpæ in perfidiam Ptolemæi
    - ſi extitiſſet in Rege fides, nihil ſapientius Poſthumo.
    - quia fefellit Rex, nihil hoc amentius dicitur.
  - expoſitione cauſſæ patrem voluit imitari, vt
    - Æmilium Paulum Minor Africanus.
    - Q. Fabium Maximum filius.
    - Decium filius.
- Deprecatio
  - fortuna grauiter eius conſilia multauit.
  - Ne homines illum
    - aut iacentem vrgeant.
    - aut præcipitantem impellant.

M. TVLLII CICERONIS ORATIO

PRO C. RABIRIO POSTHVMO.

EXORDIVM.

SI quis eſt, Iudices, qui C. Rabirium, quòd ſuæ fortunæ fundatas præſertim, atque optimè conſtitutas opes poteſtati regiæ, libidiníque commiſerit, reprehendendum putet; adſcribat ad iudicium ſuum non modò meam, ſed huius etiam ipſius, qui commiſit, ſententiam: neque enim cuiquam eius conſilium vehementius, quàm ipſi diſplicet. Quanquam hoc plerumque facimus, vt conſilia euentis ponderemus, & cui benè quid proceſſerit, multum illum prouidiſſe, cui ſecus nihil ſenſiſſe dicamus. Si extitiſſet in rege fides, nihil ſapientius Poſthumo: quia fefellit rex, nihil hoc amentius dicitur: vt iam nihil eſſe videatur, niſi diuinare, ſapientis. 1.

II. Sed tamen ſi quis eſt, Iudices, qui illam Poſthumi, ſiue inanem ſpem, ſiue inconſultam rationem, ſiue (vt grauiſſimo verbo vtar) temeritatem vituperandam putet, ego eius opinioni non repugno: illud tamen deprecor, vt, cùm ab ipſa fortuna crudeliſſimè videat huius conſilia eſſe mulctata, ne quid ad eas ruinas, quibus hic oppreſſus eſt, addendum acerbitatis putet. Satis eſt, homines imprudentia lapſos non erigere: vrgere verò iacentes, aut præcipitantes impellere, certè eſt inhumanum: præſertim, Iudices, cùm ſit hoc generi hominum propè natura datum vti qua in familia laus aliqua fortè floruerit, hanc ferè qui ſunt eius ſtirpis, quod ſermo hominum ad memoriam patrum virtute celebretur, cupidiſſimè perſequantur. Siquidem non modò in gloria rei militaris Paullum Scipio, aut Maximum filius, ſed etiam in deuotione vitæ, & in ipſo genere mortis imitatus eſt P. Decium filius. Sint igitur ſimilia, Iudices, parua magnis.

NOTÆ.

I. SI QVIS.] Muretus lib. 13. cap. 5. var. lect. teſtatur in duobus manuſcriptis ita ſe ſcriptũ reperiſſe. *Si quis eſt, Iudices, qui C. Rabirium, quòd ſuas fortunas funditus atque optimè conſtitutas*, &c. Nihil tamen mutandum videtur, cùm neque in Codicibus Grutteri, neque in veteribus editionibus extet vlla varietas, & eodem ſenſu *fundatiſſimam familiam* dixerit pro domo ſua §. 96. *Defleui coniugis miſeræ diſcidium, liberorum cariſſimorum ſolitudinem, fratris abſentis amantiſſimi atque optimi caſum, ſubitas fundatiſſimæ familiæ ruinas.*

II. Conſilia euẽtis non ponderanda. CONSILIA EVENTIS PONDEREMVS.] Locus è Plauto videtur expreſſus. Pſeud. ſc. *Dij.*

Centum doctûm hominum conſilia ſola hæc deuincit Dea
Fortuna: atque hoc verum eſt: proinde vt quiſque fortuna vtitur,
Ita præcellit; atque exinde ſapere eum omnes dicimus,
Bene vbi quod conſilium diſcimus accidiſſe, hominem catum
Eum eſſe declaramus: ſtultum autem cui vertit malè, &c.

Præclarè tamen Herodotus lib. 7. in oratione Artabani: Τὸ γὰρ εὖ βουλεύεσθαι κέρδος μέγιστον εὑρίσκω ἐόν. εἰ γὰρ καὶ ἐναντιωθῆναί τι θέλει, βεβούλευται μὲν οὐδὲν ἧσσον εὖ, ἕσσωται δ' ὑπὸ τῆς τύχης τὸ βούλευμα. ὁ δὲ βουλευσάμενος αἰσχρῶς, εἴ οἱ ἡ τύχη ἐπίσποιτο, εὕρημα εὕρηκε, ἧσσον δ' οὐδέν οἱ κακῶς βεβούλευται. *Bonum conſilium maximum lucrum eſſe reperio. Si quid enim aduerſi euenerit, nihilo minùs tamen bene conſultum eſt, ſed conſilium eſt à fortuna ſuperatum. Atqui malè conſuluit, ſi fortuna conſiliis obſecundet, fortunatus quidem ille fuit, nihilo tamen ſeciùs malè conſuluit.* Vide dicta in Piſonem 98. *Non euentis, ſed factis cuiuſque fortunam ponderari.* Plinius libro 5. epiſt. 21. *Eſt omninò iniquum ſed vſu receptum, quod honeſta conſilia vel turpia, prout malè vel proſperè cedunt, ita vel probantur, vel reprehenduntur. inde plerumque eadem facta, modò diligentiæ, modò vanitatis, modò libertatis, modò furoris nomen accipiunt.* Sic, vt refert Dio lib. 45. hiſtoriæ Rom. Octauius cùm Iulij Cæſaris hereditatem adiiſſet, Τότε μὲν προπετῶς τέ πῃ καὶ τολμηρῶς πεποιηκέναι ἔδοξεν, ὕστερον δὲ ἔκ τε τῆς εὐτυχίας, καὶ ἐξ ὧν ἐπικατώρθωσε, καὶ ἀνδρίας ὄνομα προσεκτήσατο. πολλοὶ γὰρ ἤδη τινὲς οὐκ ὀρθῶς ἐπιχειρήσαντες, δόξαν, ὅτι ἐπιτυχεῖς αὐτοῖς ἐγένοντο, εὐβουλίας ἔσχον. καὶ ἕτεροι ἄριστά τινα προελόμενοι, μωρείαν, ὅτι μὴ κατέτυχον αὐτῶν, ὦφειλον. *Videbatur eo tempore temerariè nonnullis, nimíſque audacter agere: ſed pòſt, quia fortunâ proſpera vſus rem præclarè geſſerat, fortitudinis titulum inuenit. Iam enim vſu receptum eſt, vt qui rem aliquam non rectè aggreſſi, tamen feliciter perficiunt, optimo conſilio vſi exiſtimentur: alij contrà ſtultitiæ culpentur, cùm re optimè deliberata, voti compotes facti non ſunt.* Et libro 46. Οἱ μὲν εὖ πράξαντες καὶ εὔβουλοι, καὶ φιλοπόλιδες ἐνομίσθησαν. οἱ δὲ δὴ πταίσαντες καὶ πολέμιοι τῆς πατρίδος καὶ ἀλιτήριοι ὠνομάσθησαν. *Quibus res bene ſucceſſerat, ij & prudentes & Reip. amantes cenſebantur, Quibus malè, ij & patriæ hoſtes & exitiales peſtes vocabantur.*

DIVINARE SAPIENTIS.] Cornelius Nepos Attici vita. *Si tantùm eum prudentem dicam, minùs quàm debeam prædicem, cùm ille potiùs diuinus fuerit; ſi diuinatio appellanda eſt perpetua naturalis bonitas*, &c. Item paulò pòſt agens de epiſtolis Ciceronis ad Atticum. *Quæ qui legat non multùm deſideret hiſtoriam contextam eorum temporum. ſic enim omnia de ſtudiis principum, vitiis ducum, mutationibus Reip. perſcripta ſunt, vt nihil in his non appareat: & facilè exiſtimari poſſit prudentiam eſſe diuinationem. Non enim Cicero ea ſolùm quæ viuo ſe acciderunt, futura prædixit, ſed etiam quæ nunc vſu veniunt, cecinit vt vates.* III. Prudentia diuinatio.

POSTVMI.] Poſtumus vocatus eſt, vt aduertit Turnebus libro 10. aduerſ. cap. 23. quòd poſt mortem patris Curtij ſiue Curij natus ſit. infrà §. 4. *patrem ſuum nunquam viderat.* Solebant enim omnes ſic appellari, qui poſt mortem patris naſcebantur. Teſtes ſunt Iuriſconſulti tit. de liber. & poſtum. teſtis Plautus in Aulul. ſc. *velim te arbitrari.*

Poſt mediam ætatem qui duxit vxorem domum
Si eam fortè ſenex anum grauidam fecerit
Quid dubitas quin puero ſit nomen Poſtumus?

Secundus verſus non conſtat ſuis numeris, & legendus.

Si eam fortè ſenex anum prægnantem fecerit.

Alij ſine aſpiratione ſcribunt *Poſtumus*, quaſi *poſtremus*, alij aſpirant, & hanc adferunt nominis rationẽ, quòd is poſthumus dicatur qui poſt humationem patris ſit natus. Vide Gellium libro 2. cap. 16. noct. Atticarum, & Virgilij interpretes

terpretes ad illum verſum 6. Æneidos.

Syluius Albanum nomen, tua poſtuma proles,
Quem tibi longæuo ſerum Lauinia coniux
Educet, &c.

Sed imprimis noſtrum Ludouicum de la Cerda de hoc nomine fusè & eruditè ſuo more diſſerentem. Nos ad alia properamus.

V. CONSILIA ESSE MVLTATA.] Etſi, vt videbimus pro Marcello 7. *In conſilium caſus non admittitur*, plerumque tamen mala conſilia à fortuna multantur. οὐ μὲν γὰρ ἀπειθὴς κατὰ Πίνδαρον, inquit Plutarchus opuſculo de Fortuna Romanorum, οὐδὲ δίδυμον στρέφουσα πηδάλιον, ἀλλὰ μᾶλλον Εὐνομίας καὶ Πειθοῦς ἀδελφὴ, καὶ Προμηθείας θυγάτηρ, ὡς γενεαλογεῖ Ἀλκμάν. *Non enim ſurda ſecundum Pindarum, nec geminum verſans gubernaculum, ſed Eunomiæ* (bonarum legum) *& Suadelæ ſoror, Prometheæ (i. Prouidentiæ) filia, vt eius ſtemma deducit Alcman.*

Fortuna.

VI. PVBL. DECIVM.] Vide Sextianam 48. primâ Tuſculanâ: *Cùm Latinis decertans pater Decius, cum Hetruſcis filius, etiam cum Pyrrho nepos ſe hoſtium telis obieciſſent.*

VII. PARVA MAGNIS.] Maro 4. Georg.

Si parua licet componere magnis.

Herodotus Euterpe: *Ὡς εἶναι σμικρὰ ταῦτα μεγάλοισι συμβαλέειν. Vt hæc parua magnis comparemus.* Rurſum Maro:

- Sic paruis componere magna ſolebam.

Corippus Paneg. Anaſtaſij.

-Si fas componere magnis
Parua datur.-

Ariſtides hymno Herculis: Ἔοικε δὲ καὶ ἡ τῶν Λακεδαιμονίων πόλις εἰκών τις Ἡρακλέους γενέσθαι, ὡς μικρὸν μεγάλῳ εἰκάσαι. *Quin etiam Spartana ciuitas, vt parua magnis conferam, Herculis videtur imaginem quandam referre.* Vide Biſciolam noſtrum lib. 6. ſubceſiuarum cap. 8. exeunte.

AXIOMATA.

Hoc plerumque facimus vt conſilia euentis ponderemus, &c.

Nonnunquam ab ipſa fortuna ſtulta conſilia multantur.

Vrgere iacentes & præcipitantes impellere, certè eſt inhumanum.

Hoc hominum generi propè naturâ datum, vti qua in familia laus aliqua fortè floruerit, hanc ferè cupidiſſimè perſequantur.

Narratio.

- C. Curius Rabirij pater. 3.
  - princeps equeſtris ordinis.
  - fortiſſimus & maximus publicanus, omnibus probatus
    - animi magnitudine.
    - benignitate.
- Patrem eſt imitatus C. Rabirius. 4.
  - cauſſæ
    - excitatus natura duce.
    - domeſticis ſermonibus.
  - effectus. expreſſerat patris
    - animi magnitudinem negotiis gerendis, quam ironicè culpam appellat.
      - magnas partes habuit publicanorum.
      - credidit populis.
      - Res verſata eſt multis in prouinciis.
      - Dedit ſe Regibus, & nominatim Ptolemæo antequam regno Alexandriæ pelleretur.
    - benignitatem, beneficiis conferendis.
      - amicos miſit in negotium.
      - dedit partes.
      - re auxit.
      - fide ſuſtentauit.
- ſed errauit magnas pecunias credens Ptolemæo expulſo. 5.
  - antecedentia
    - oraculum Sibyllæ, quod vitari nō potuit, ac proinde factum excuſat.
    - Cauſſæ
      - Rex quo nihil blandius
        - ſupplex erat.
        - multa rogabat.
        - omnia pollicebatur.
      - Rabirius quo nihil benignius.
        - nō temerè ſe credere putabat, quia nemini dubium erat, quin is in regnum reſtitueretur à S. P. Q. R.
        - metuebat ne, quod crediderat, perderet ſi, credendi conſtituiſſet modum.
  - effectus. Ptolemæo pecunias credidit
    - ſuas.
    - amicorum.

FVIT enim pueris nobis, huius pater C. Curius princeps ordinis equeſtris, fortiſſimus, & maximus publicanus: cuius in negotiis gerendis, magnitudinem animi non tam homines probaſſent, niſi in eodem benignitas incredibilis fuiſſet: vt in augenda re non auaritiæ prædam, ſed inſtrumentum bonitati quærere videretur. III.

Hoc ille natus, quamuis patrem ſuum nunquam viderat, tamen natura ipſa duce, quæ plurimùm valet, & aſſiduis domeſticorum ſermonibus in paternæ culpæ ſimilitudinem deductus eſt. Multa geſſit: multa contraxit: magnas partes habuit publicanorum: credidit populis: in pluribus prouinciis eius verſata res eſt: dedit ſe etiam regibus: huic ipſi Alexandrino grandem iam antea pecuniam credidit. Nec intereà locupletare amicos vnquam ſuos deſtitit, mittere in negotium, dare partes, augere, fide ſuſtentare: quid multa? cùm magnitudine animi, cum liberalitate, vitam patris & conſuetudinem expreſſerat. pulſus intereà regno Ptolemæus, doloſis conſiliis (vt dixit Sibylla, ſenſit Poſthumus) Romam venit: huic egenti, & roganti hic infœlix pecuniam credidit: nec tum primùm, nam regnanti crediderat abſens: nec temerè ſe credere putabat, quod erat nemini dubium, quin is in regnum reſtitueretur à Senatu populóque Rom. IV.

In dando autem, & credendo proceſſit longiùs: nec ſuam ſolùm pecuniam credidit, ſed etiam amicorum, ſtultè, quis negat? aut quis iam non admonet, quod malè cecidit? bene conſultum putares. Id eſt difficile, quod cùm ſpe magna ſis ingreſſus, id non exequi vſque ad extremum. Supplex erat rex, multa rogabat, omnia pollicebatur: vt iam metuere Poſthumus cogeretur, ne quod crediderat perderet, ſi credendi conſtituiſſet modum. nihil autem erat illo blandius, nihil hoc benignius, vt magis pœniteret cœpiſſe, quàm liceret deſiſtere. V.

NOTÆ.

I. Princeps iuuentutis. PRINCEPS ORDINIS EQVESTRIS.] Qui videlicet in primâ primæ claſſis centuriâ primus omnium equitum capiebatur, & in tranſuectione equitum primus omnium trabeatus & equum manu ducens ad cenſorem procedebat. Vide Vatinianam ad §. 24. vbi de *principe iuuentutis* diſſerebamus. & in Piſonem 64. Ælius Clamiæ præſtantiſſimus equeſtris ordinis, eodem, opinor, ſenſu, quo Curius hic princeps equitum dicitur.

II. Publicani. PVBLICANVS.] Publicani qui vectigalia publica tractabant. Vide orat. de Prouinc. Conſular. 10. ij ex equeſtri ordine pro Cn. Plancio 23. *Adiungam, ſi vis, id quod tu etiam huic obeſſe putas, patrem publicanum. Qui ordo quanto adiumento ſit in honore quis neſcit? flos enim equitum Romanorum, ornamentum ciuitatis, firmamentum Reipub. publicanorum ordine continetur.* Item: *Erat pater is qui eſt princeps iamdiu publicanorum.*

III. Diuitiæ inſtrumentum bonitatis. INSTRVMENTVM BONITATI.] Syneſius de Regno: Τὰ γὰρ θυραῖα τῶν ἀγαθῶν, ἅπερ ὀργανικὰ καλεῖν ἔθος Ἀριστοτέλει, καὶ Πλάτωνι, τοῖς ἐμοῖς ἡγεμόσιν, ὑπηρετεῖν οἶδε κακίαις οὐ μεῖον, ἢ ἀρεταῖς. ταύτῃ καὶ τὼ ἄνδρε τούτω, καὶ ὅσοι γε ἀπὸ τούτων ῥύακες φιλοσοφίας ἐῤῥύησαν, οὔτε τῆς ἀμείνονος αὐτὰ προσηγορίας ἠξίωσαν, οὔτε τῇ χείρονι κατεδίκασαν, ἀλλ' ὀργανικὰ καλοῦσι, νῦν μὲν ἀγαθὰ, νῦν δὲ μετὰ τοὺς τῶν χρωμένων ἕξεσιν αὐτὰ χρωματίζοντες, &c. *Nam externa bona quæ inſtrumentalia ab Ariſtotele & Platone ducibus meis appellari conſueuerunt, nihilò ſeciùs vitiis quàm virtutibus inſeruiunt: proptereà & ambo illi, & qui ab iis Philoſophiæ riuuli promanarunt, neque meliori ipſa appellatione dignati ſunt, neque deteriori prorſus addicendas eſſe iudicarunt, ſed inſtrumentalia vocant, quæ nunc boni, nunc mali rationem habeant, pro eorum, qui vtuntur, affectu diuerſis ea coloribus depingentes.* vide locum.

IV. NATVRA IPSA DVCE.] Nimirum, vt ait Poëta neſcio quis

Natura ſequitur ſemina quiſque ſuæ.

Et Gregorius Nazianzenus epiſt. ad Eudoxium Rhetorem: Νόμος ἦν Ἀθήνησι παλαιὸς, ὡς δ' ἔγωγέ φημι, καὶ κάλλιστα ἔχων. Ἐπειδὰν φθάσωσιν εἰς ἥβην οἱ νέοι, πρὸς τέχνας ἄγεσθαι. ἄγεσθαι δὲ τὸν τρόπον τοῦτον· προτίθεσθαι δημοσίᾳ ἑκάστης τέχνης ὄργανα, καὶ προσάγεσθαι τούτοις τοὺς νέους. ὅτῳ δὲ τύχῃ χαίρων ἕκαστος καὶ προστρέχων, ταύτην καὶ τὴν τέχνην διδάσκεσθαι. ὡς τοῦ μὲν κατὰ φύσιν ἐπιτυγχάνοντος, ὡς τὰ πολλὰ, τοῦ δὲ παρὰ φύσιν διαμαρτάνοντος. *Athenis vetus lex erat, eáque meo iudicio præclariſſimè conſtituta, vt adoleſcentes, cùm pubertatis annos attigiſſent, ad artes ducerẽtur: ducerentur autem ad hunc modũ. Cuiuſlibet artis inſtrumenta publicè proponebantur, atq; adoleſcentes ad ea adducebantur. Quocunq; autem delectari quemq;*

contigiſſet, ad idque accurreret, huius quoque artem edocebatur: Quòd videlicet ea vt plurimùm rectè ſuccedant, quæ natura duce aggredimur: ac contra ea, quæ inuitâ naturâ ſuſcipiuntur, ſpem fruſtrari ſoleant. In hanc ſententiam multa congeri poſſent, ſed non eſt inſtitutæ breuitatis.

V. IN PATERNÆ CVLPÆ.] Culpam appellat negotiationem & publicorum vectigalium tractationem, non ex ſuâ, ſed ex aduerſariorum ſententiâ qui id vnum Poſthumo crimini dabant, quòd magno animo multa cõtraxerit, maximáſque publicanorum parteis tractauerit.

VI. Partes. MAGNAS PARTEIS.] Mox: *Mittere in negotium, dare parteis.* In Vatinium 29. *Erogariſne pecunias ex ærario tuis legibus? Eripueriſne parteis illo tempore cariſſimas, partim à Cæſare, partim à publicanis?* Id eſt, *Curationes quaſdam, munera, negotia, adminiſtrationes.* Vt interpretatur Turnebus libro Aduerſar. 21. cap. 11. ſic in Gallia dicuntur, *Partiſans du ſel*, redemptores vectigalium publicorum quæ ex ſale colliguntur. Muretus tamen mauult legere ex manuſcripto Glorierij, *multas partes habuit publicorum.*

VII. Suſtentare. SVSTENTARE.] Legunt *re augere, fide ſuſtentare.* Vox in negotiationibus vſitata. De prouinc. Conſular. §.12. *Quid? qui ſe etiam nunc ſubſidiis patrimonij aut amicorum liberalitate ſuſtentant,* &c. vide.

VIII. DEDIT SE REGIBVS.] Turnebus libro 10. Aduerſ. cap. 23. *Dedit ſe Regibus, eſt, impertiit, permiſit, vt in Oratore vt ſe Craſſo daret, genúſque loquendi eſt & elegans & forenſe, & è populi ſumptum ſermone.*

SIBYLLA.] Hieronymus in Iouinianum libro 1. *Quid referam Sibyllas Erythræam atque Cumanam, & octo reliquas, Nam Varro decem fuiſſe autumat, quarum inſigne virginitas eſt, & virginitatis premium diuinatio. Quòd ſi Æolici genere ſermonis Sibylla* θεοβούλη *appellatur, rectè conſilium Dei ſola ſcribitur noſſe virginitas.* Sed vide Auguſtinum de Ciuitate, Lactantium Firmianum, & alios, nihil eſt quòd in ſingulis iiſque perſpicuis immoremur. IX.

QVOD MALE CECIDIT.] Optimè ſibi prudentiſſiméque conſuluiſſe videbatur Poſthumus, quamuis non ſucceſſerit, nec euentus conſilio reſponderit. legebat Antonius Auguſtinus: *Quòd malè cecidit, id ſi bene, bene conſultum putares.* Id eſt, ſi bene cecidiſſet, bene conſultum putares, pene ad verbum ex Demoſthene Olynthiaca prima, vt notat Fuluius Vrſinus. X.

AXIOMATA.

Animi magnitudo non valde probatur, niſi benignitas acceſſerit.

In augenda re non auaritiæ prædam, ſed inſtrumentum bonitati quærere debemus.

Natura plurimùm valet.

Re perfecta quis iam non admonet?

Sæpe quod malè cecidit, bene conſultum eſt.

Id eſt difficile quod cum ſpe magna ſis aggreſſus non perſequi vſque ad extremum.

Sæpe quod credidimus perdimus, ſi credendi conſtituamus modum.

Sæpe magis pœnitet cœpiſſe, quàm liceat deſiſtere.

Prima pars confirmationis à numero 6. ad 19.

- Neque damnari debet Rabirius eo capite legis Iuliæ, *Quo ea pecunia peruenerit*: quia nec ei officit
  - crimen quo dicitur Senatus pecunia Rabirij à Rege Ptolemæo fuiſſe corruptus. nam
    - nec verum eſt crimen.
    - neque obiici debuit à L. Memmio.
    - Et quidquid ſit de criminis veritate Rabirij cauſſa ſeiuncta eſt à Senatu. quod probat
      - 1. quia nec debuit cùm dabat pecuniam, quærere, quò ille qui accipiebat cõſumeret, nec potuit ſuſpicari. quia
        - 1. factæ ſunt ſyngraphæ in Albano Pompeij, cùm ille iam Roma profectus eſſet.
        - 2. non latroni, ſed Regi credidit.
        - 3. non Regi inimico pop. Rom.
        - 4. Regi qui cum fieri fœdus in Capitolio viderat.
      - 2. à ſimili eius qui vendit gladium. 7.
  - Nec Gabinij damnatio, quod probatur
    - interpretatione legis. 8.
    - conſuetudine iudicandi ſecundum verba legis 9. Nemo hac lege cauſſam dixit
      - qui æſtimandis litibus appellatus non eſſet, nec appellabatur, niſi
        - ex teſtium dictis.
        - ex tabulis priuatorum.
        - ex teſtimoniis ciuitatum.
      - Rabirius cauſam dicere cogitur
        - nulla appellatione.
        - nullis tabulis.
        - nullo teſte.
- Neque alio capite legis eſt omnino iudicandus. adiungitur locus moralis de officio Iudicis.
  - Lex de repetundis non ligat Equites Rom. ſed magiſtratus.
  - Neque pati debet Senatus, vt equites ea lege iudicentur qua ſunt ſoluti. vt ſeruet
    - fidem erga equeſtrem ordinem.
    - conſtantiam quia iam quibuſdam id tentantibus reſtiterunt.
  - Neque equites vt ius ordinis ſui minuatur, quod probat
    - 1. dicto Glauciæ qui populum monebat, ne ius ſuum minui pateretur. 14.
    - 2. Teſtificatione beneuolentiæ ad fidem faciendam. 15.
    - 3. Exemplo veterum Equitum, qui Druſo in re minoris momenti acriter reſtiterunt. 16.
    - 4. à malis ſecuturis. 17.
    - 5. à minori ad maius. 18.

VI. HInc primùm exoritur crimen illud: Senatum corruptum eſſe dicunt. O Dij immortales, hæc eſt illa exoptata iudiciorum ſeueritas? corruptores noſtri cauſam dicunt, nos qui corrupti ſumus, non dicimus. Quid ergo? Senatum defendam hoc loco, Iudices? omni equidem loco debeo: ita de me eſt meritus ille ordo: ſed id nec agitur hoc tempore, nec cùm Poſthumi cauſa res iſta coniuncta eſt. Quanquam ad ſumptum itineris, ad illam magnificentiam apparatus, comitatúmque regium ſuppeditata pecunia à Poſthumo eſt, factæque ſyngraphæ ſunt in Albano Cn. Pompeij, cùm ille Roma profectus eſſet, tamen non debuit is, qui dabat, quò ille, qui accipiebat, conſumeret, quærere. Non enim latroni, ſed regi credidit, nec regi inimico populi Rom. ſed ei, cuius reditum conſuli datum à Senatu videbat, nec ei regi qui alienus ab hoc imperio eſſet, ſed ei quicum fœdus feriri in Capitolio viderat.

VII. Quòd ſi creditor in culpa ſit, non qui improbè credita pecunia vſus: damnetur is, qui fabricatus gladium eſt, & vendidit, nos is qui illo gladio ciuem aliquem interemit. Quamobrem neque tu, C. Memmi, hoc facere debes, vt Senatum, cuius auctoritati te ab adoleſcentia dediſti, in tanta infamia verſari velis, neque id quod non agitur, defendere. Poſthumi enim cauſa, quæcunque eſt, ſeiuncta à Senatu eſt. Quod ſi item à Gabinio ſeiunctam oſtendero, certè quod dicas, nihil habebis. Eſt enim hæc cauſa, *Quò ea pecunia peruenerit*, quaſi quædam appendicula cauſæ iudicatæ, atque damnatæ.

NOTÆ.

I. SENATVM CORRVPTVM.] Epiſtolâ 2. lib. 2. ad fratrem: *Creditores verò Regis apertè pecunias ſuppeditant contra Lentulum.* Epiſtolâ 3. ad Lentulum. *Ammonius Regis legatus apertè pecuniâ nos oppugnat. Res agitur per eoſdem creditores, per quos, cùm tu aderas, agebatur. Regis cauſsâ ſi qui ſunt qui velint, qui pauci ſunt, omnes rem ad Pompeium deferri volunt. Senatus religionis calumniam, non religione ſed maleuolentiâ, & illius regiæ largitionis inuidiâ comprobat.* E quibus intelligis Poſthumum creditorem ad corrumpēdos Senatores ſuppeditaſſe pecuniā, quod Memmius obiecit, nec tam Cicero refutat obiectionem quam eludit.

II. ILLA EXOPTATA IVD. SEVERITAS.] Pompeius exoptatam diu iudiciorum ſeueritatem retulit tertio ſuo conſulatu. de cuius legibus iudiciariis diximus pro Milone §. 1. *Veterem morem iudiciorum minimè vident.* Eo autem ipſo anno videntur accuſati fuiſſe tum Gabinius, De repetundis, tum Poſthumus præſenti actione: Manutius argumento epiſtolæ primæ ad Lentulum refragatur his verbis. *Atque hoc loco fœdam Appiani negligentiam diſsimulare non poſſum, qui Gabinium Pompeio tertium conſule de maieſtate damnatum putat. In quo dupliciter peccat primùm temporis, deinde criminis inſcientiâ. Nam Gabinius biennio antè Pompeij tertium conſulatum Domitio & Appio Conſulibus, non de maieſtate, ſed de repetundis damnatus eſt. vtrumque docet Dionis hiſtoria: cui ſi fides abrogatur, ipſe certè non refelletur Cicero: quo ego præſertim in rebus illius ætate geſtis locupletiorem teſtem non quæro. Is in epiſtola 16. ad Atticum lib. 4. & in epiſtolâ 4. ad Quintum fratrem libro 3. prorſus patefacit* ἀνιστορησίαν *Appiani.* Hæc Manutius: verùm vt Gabiniū non lege maieſtatis, vt tradit Appianus in Syriacis, ſed repetundarum damnatum fuiſſe fateamur, de tempore Appiano potiùs aſſentior. Nam ex hac ipſâ oratione 13. Gabinium Pompeio Conſule damnatum eſſe conſtabit. Senatûs fides, *cùm ſæpe antè, tum in hac ipsâ cauſsâ nuper eſt cognita. Nam cum optimo & præſtantiſsimo Conſule Cn. Pompeio de hac ipsâ quæſtione referente, exiſterent nonnullæ, ſed perpaucæ tamen acerbæ ſententiæ*, &c. Atqui non primo conſulatu Pompeij cauſſam dixit Gabinius, cùm multis antè annis Conſul fuerit Pompeius, quàm Gabinius Syriam obtineret: Non item ſecundo Craſſi & Pompeij conſulatu, quo tempore Gabinius nondum è prouincia deceſſerat, nec antè deceſſit quàm Craſſus ſucceſſor ei mitteretur, vt tradit Ioſephus libro 14. antiq. cap. 11. Ergo de repetundis cauſſam dixit tertio Pompeij conſulatu, cuius damnationi Poſthumi cauſſa tanquam appendicula litis annexa eſt. idque paucis pòſt diebus, vt liquet ex hac ipſa oratione 34. 35. 36. Leges iudiciariæ populi. Appianus defenſus contra Manutium.

Quod ſpectat ad Manutij rationes nihil euincunt: Nam in illis epiſtolis Ciceronis agitur de abſolutione Gabinij, quo tempore erat adhuc Cicero Gabinio inimicus: de eius damnatione ne verbum quidem. Neque ſanè conſequens eſt, vt, ſi Domitio & Appio conſulibus de maieſtate cauſſam dixerit, abſolutúſq; eſt, iiſdem Conſulibus cauſſam dixerit, fuerítque damnatus de repetundis. Cùm præſertim aliis quoque iudiciis fuerit abſolutus. Cicero ad fratrem: *Gabinius abſolutus eſt: omnino nihil accuſatore Lentulo. ſubſcriptoribúſque eius infantius: nihil illo conſilio ſordidius*, &c. *Eſt omninò tam graui famâ hoc iudi-*

cium, vt videatur reliquis iudiciis periturus, & maximè de pecuniis repetundis. Iterum accuſatus à Memmio, & abſolutus, auctore Valerio Maximo lib. 8. cap. 1. *Vt Lælius Tribunusplebis approbantibus cunctis Gabinium dimitti iuberet.* Nõ igitur neceſſe eſt, vt eodem anno de repetundis damnatus fuerit, quo anno de maieſtate fuerit abſolutus. Atenim id Dio teſtatur? Ipſum lib. 39. audiamus. Poſtquam egit de reductione Ptolemæi per Gabinium: Καὶ ἐκρίθη μὲν ὕστερον, inquit, ἐπὶ τούτῳ ὁ Γαβίνιος, οὐχ ἑάλω δὲ διὰ τὸν Πομπήιον, καὶ διὰ τὰ χρήματα. *Poſtea cauſſam dixit eam ob rem Gabinius, non tamen damnatus eſt propter Pompeium, & pecunias.* Paulò pòſt: Αὖθις δὲ καὶ ἐπὶ ἑτέροις τισὶ, καὶ ὅτι πλέον ἢ μυρίας ἐκ τῆς ἀρχῆς μυριάδας ἤρπασε, κριθεὶς ἑάλω. *Rurſum verò tum ob alia crimina, tum quòd ex prouinciâ quater millies ſeſtertiûm, eóque amplius compilaſſet in iudicium pertractus damnatus eſt.* Quæ quamquam eodem loco narret, non indicat tamen eodem anno contigiſſe.

III. AD SVMPTVM ITINERIS.] Ptolemæus cùm videret Sibyllinis verſibus prohiberi ne cum exercitu reduceretur in regnum, nec obtinere poſſet à Senatu, vt ſaltem Pompeius cum duobus lictoribus ad res componendas, ſéque reſtituendum Alexandriam mitteretur, Epheſum ſe recepit relicto Ammonio legato: &, vt hîc oſtendit Cicero, pecuniam à Poſtumo mutuatitiam ad ſumptum itineris accepit: factis in Albanâ Cn. Pompeij villa ſyngraphis, quibus ſe Poſtumo Rex obligaret.

IV. SYNGRAPHÆ.] Vide Philippicam 2. §. 80. *Syngrapha HS. centies.*

V. REDITVM CONSVLI DATVM.] Imò: *Conſuli mandatum.* Cùm Ptolemæus Romam veniſſet factum eſt S. C. referente Conſule P. Lentulo, vt ſortirentur Conſules Lentulus ipſe & Metellus Nepos, vter eorum Regem reduceret, id eſt, vt is reduceret, cui Cilicia prouincia ſorte obtigiſſet. obuenit Lentulo: ſed res aditis libris Sibyllinis & interpoſitâ religione diſcuſſa eſt. In Piſonem 50. *Ille ſi non acerrimè fureret, auderet quam prouinciam P. Lentulus amiciſſimus huic ordini, cùm & auctoritate Senatus & ſorte haberet, interpoſitâ religione, ſine vlla dubitatione depoſuiſſet, eam ſibi tum adſciſcere,* &c. epiſt. 1. ad Lentulum: *Hortenſij & mea & Luculli ſententia cedit religioni de exercitu. (teneri enim res aliter non poteſt) ſed ex illo S. C. quod te referente factum eſt, tibi decernit vt Regem reducas: quod commodo rem facere poſſis: vt exercitum religio tollat, te auctorem Senatus retineat.* Epiſt. 5. *Alexãdrina cauſſa quæ nobis adhuc integra eſt: nihil enim tibi detraxit Senatus, niſi id quod per eandem religionem dari alteri non poteſt.* Et epiſt. 7. *S. C. nullum extat quo reductio Regis Alexandrini tibi adempta ſit, eáque quæ de ea ſcripta eſt, auctoritas, vt ne quis omnino Regem reduceret. tantam vim habet, vt magis iratorum hominum ſtudium, quàm conſtantis Senatus conſilium eſſe videatur.* Infrà 21. *Ad P. Lentuli clariſſimi viri auctoritatem à Senatu profectam, & conſilio certo & ſpe non dubiâ Româ contenderat.*

Reditus Ptolemæi Lentulo mandatus.

FOEDVS FIERI IN CAPITOLIO.] Ad hunc morem alluſit Poëta 8. Æneidos: VI.

Fœdera icta in Capitolio.

Nec non inter ſe poſito certamine Reges
Armati Iouis ante aram paterâſque tenentes
Stabant, & cæsâ iungebant fœdera porcâ.

Neque verò ſolùm in Capitolio fœdera faciebant, ſed etiam fœderum tabulas ibidem aſſeruabant. Appianus in Syriacis de fœdere inter Antiochum & Romanos icto: Ταῦτα συγγραψάμενοί τε καὶ ἐς τὸ Καπιτώλιον ἐς δέλτους χαλκᾶς, οὗ καὶ τὰς ἄλλας συνθήκας ἀνατιθέασιν. *Cùm hæc ſcripſiſſent, & in Capitolium in tabulas æneas retuliſſent, vbi & alia fœdera ponuntur.*

AXIOMATA.

Indignum eſt corruptores cauſſam dicere, eos qui corrupti ſunt, non dicere.

Si creditor in culpa ſit, non is qui eſt improbè credita pecunia vſus: damnetur is qui fabricatus gladium eſt, non is qui illo gladio ciuem aliquem interemit.

SVNT lites æſtimatæ A. Gabinio, nec prædes dati, nec ex eius bonis VIII.
quanta ſumma litium fuiſſet, à populo recipi, lex æqua eſt. iubet lex Iulia perſequi ab iis, ad quos ea pecunia, quam is ceperit, qui damnatus ſit, peruenerit. Si eſt hoc nouum in lege Iulia ſicuti multa ſunt ſeueriùs ſcripta, quàm in antiquis legibus, & ſanctiùs iudicata: ſanè etiam conſuetudo huius generis iudiciorum noua ſit.

Sin hoc totidem verbis tranſlatum caput eſt, quot fuit, non modò in IX.
Cornelia, ſed etiam antè in lege Seruilia, per Deos immortales, quid agimus, Iudices? aut quem hunc morem nouorum iudiciorum in Rempub. inducimus? Erat enim hæc conſuetudo nota vobis quidem omnibus: ſed ſi vſus magiſter eſt optimus, mihi debet eſſe notiſſima. Accuſaui de pecuniis repetundis: iudex ſedi, prætor quæſiui, defendi plurimos, nulla pars, quæ aliquam facultatem diſcendi afferre poſſet non mea fuit. Ita contendo neminem vnquam, *Quò ea pecunia perueniſſet*, cauſam dixiſſe, qui in æſtimandis litibus appellatus non eſſet: in litibus autem nemo appellabatur, niſi ex teſtium dictis, aut tabulis priuatorum, aut rationibus ciuitatum.

X. Itaque in ferendis litibus adeſſe ſolebant, qui aliquid de ſe verebantur: & cùm erant appellati, ſi videbatur, ſtatim contradicere ſolebant: ſin eius temporis recentem inuidiam pertimuerant, reſpondebant poſteà. Quod cùm feciſſent, permulti ſæpè vicerunt. Hoc verò nouum eſt, & ante hoc tempus omnino inauditum. In litibus Poſthumi nomen eſt nuſquam. In litibus dico? non modò vos iidem in A. Gabinium Iudices ſediſtis. Num quis teſtis Poſthumum appellauit? teſtis autem? num accuſator? num denique toto illo iudicio Poſthumi nomen audiſtis? non igitur reus ex ea cauſa, quæ iudicata eſt, redundat Poſthumus, ſed eſt arreptus vnus eques Rom. de pecuniis repetundis reus. Quibus tabulis? quæ in iudicio à Gabinio recitatæ non ſunt. Quo teſte? à quo tum appellatus nuſquam eſt. Qua appellatione litium? in qua Poſthumi mentio facta nulla eſt. Qua lege? qua non tenetur.

NOTÆ.

I. SVNT LITES ÆSTIMATÆ.] Poſt damnationem de repetundis, litem Iudices æſtimabant: id eſt, certam à reo pecuniam exigebant, quæ ſociis expilatis, ad reſarciendam iacturam redderetur. Verrinâ de legat. quæſt. & præturâ vrbanâ: *His nominibus ſolis Cn. Dolabellæ LLS ad tricies litem eſſe æſtimatam.* De ſuppliciis 127. *Non ex litibus æſtimatis tuis pecuniam vult domum, ſed ex tua calamitate cineri atque oſſibus filij ſui ſolatium vult aliquod reportare.* Velleius lib. 2. *Cato Conſularis M. Catonis nepos, Africani ſororis filius repetundarum ex Macedonia damnatus eſt, cùm lis eius IV. mill. æſtimaretur.* Et alibi frequenter. Cui lis æſtimata fuerat, vel prædes ſiue fideiuſſores dare iubebatur, vel eius bona haſtæ publicæ ſubiiciebantur, vt ex iis tantùm redigeretur quanti lis fuerat æſtimata. Quòd ſi ne ſic quidem æſtimatæ litis ſumma redigi potuiſſet, tum demum inquirebatur in eos ad quos ſubrepta è prouincialibus pecunia peruenerat. Infrà 37. *Itaque ſi aut prædes dediſſet Gabinius, aut tantum ex eius bonis, quanta ſumma litium fuiſſet, populus recepiſſet, quamuis magna ad Poſthumum ab eo pecunia perueniſſet, non redigeretur.* Verrina de Præturâ vrbanâ 96. *Recita de litibus æſtimatis Cn. Dolabellæ Prætori, pecuniáque populo Romano redactâ.* Dixit poſt damnationem lites æſtimari. pro Cluentio 116. *Itaque & maieſtatis abſoluti ſunt permulti, quibus damnatis de pecuniis repetundis lites eſſent æſtimatæ, & hoc quotidie fieri videmus, & reo damnato de pecuniis repetundis, ad quos perueniſſe pecunias in litibus æſtimandis ſtatutum ſit, eos illi Iudices abſoluant, quod cùm ſit, non iudicia reſcinduntur, ſed hoc ſtatuitur æſtimationem litis non eſſe iudicium.*

Litis æſtimatio.

II. PRÆDES DATI.] Dictum alibi prædes & vades ſponſores fuiſſe ſiue fideiuſſores, qui pro altero ſuam fidem obligabant, ſed vades in cauſsâ capitali, prædes in lite nummariâ. Auſonius:

Quis ſubit in pœnam capitali iudicio? vas.
Quis cùm lis fuerit nummaria qui dabitur? præs.

In Verrem de Præt. vrb. 115. *Pro præde litis vindiciarum cùm ſatis accepiſſet*, &c. Mulcta irrogatâ aut æſtimatâ lite prædes exigebantur, quos ſi reus non dabat, in vincula ducebatur. Decretum Tribunorum apud Gellium lib. 7. Noct. Attic. cap. 19. *Si L. Cornelius Scipio Aſiaticus Collegæ arbitratu prædes dabit, collegæ ne eum in vincula ducat intercedemus: ſi eius arbitratu prædes non dabit, quo minùs collega ſua poteſtate vtatur, non intercedemus.* Valerius autem Antias dixit, *Neque mulctam irrogatam Scipioni, ſeu damnatum eum peculatûs ob Antiochenam pecuniam, quia prædes non daret in carcerem duci cœptum, atque ita intercedente Graccho exemptum.* Vide Liuium & alios. Verrinâ de Præt. vrb. 150. *Nam quid argumentamur, quo ipſa pecunia peruenerit? fecit ipſe iudicium*, &c. *opere addicto, prædibus acceptis*, &c. Etiam citra iudicium prædes. Epiſt. 17. lib. 2. ad famil. *Laodiceæ me prædes accepturum arbitror omnis pecuniæ publicæ, vt & mihi & populo cautum ſit, ſine vecturæ periculo.*

Prædes.

III. A POPVLO RECIPI.] Hunc locum corruptum eſſe teſtantur omnes. Lambinus emendat: *à populo recepta.* Cuiacius paratitlis ad legem Iuliam repetund. legendum putat: *Nec ex eius bonis, quanta ſumma litium fuiſſet, pecuniæ ſeruatæ.* Muretus è manuſcripto Ciofanij: *Nec prædes dati, nec ex eius bonis, quanta ſumma litium fuit, ſeruari poteſt.* Turneb. lib. 10. Aduerſariorum cap. 23. ſe in veteri exemplari reperiſſe teſtatur, *Nec ex bonis populi ſeruati.* Idque ſic explicat, quaſi populi, quibus condemnatus fuit Gabinius, ante eius furtis & peculatu perditi recuperata litium æſtimatione ſeruati ſint: vel potiùs vt ſignificet Orator lites quidem æſtimatas fuiſſe Gabinio, ſed cùm is prædes non dediſſet, populos eius peculatu perditos, ex eius bonis non fuiſſe ſeruatos, nec recuperaſſe quod Gabinij furtis amiſerãt. At pro Flacco, addit Turnebus, Iudæi ſeruati dicuntur, quorum elocata ſunt publicanis vectigalia, & populo Romano ſeruata. Itaque non ſunt liberi dimiſſi Iudæi: ſed ſerui facti vt ſint in ditione & vectigalibus populi Romani. Si cui tamen Lambini emendatio magis arridet, niti poterit §. 37. infrà. *Tantum ex eius bonis, quanta ſumma litium fuiſſet, populus recepiſſet.* vbi vide Notas.

Populi ſeruati.

IV. LEX IVLIA.] *Lucius Piſo Tribunus plebis legem primus de pecuniis repetundis Cenſorino & Manilio Conſulibus tulit.* vt dicitur in Bruto 106. & 2. de officiis: *Nondum centum & decem anni ſunt, cùm de pecuniis repetundis à L. Piſone lata eſt*

Leges de repetundis.

lex, nulla antea cùm fuiſſet. At verò poſtea tot leges & proximæ quæque duriores: tot rei, tot damnati, tantum Italicum bellum propter iudiciorum metum excitatum: tanta ſublatis legibus & iudiciis expilatio direptióque ſociorum, vt imbecillitate aliorum, non noſtrâ virtute valeamus. Trium facit Orator hoc loco mentionem, Seruiliæ, Corneliæ, Iuliæ. Seruiliam tulit, C. Seruilius Glaucias, de qua in Verrem de Præturâ vrbanâ 26. Corneliam Luc. Cornelius Sylla, Iuliam Cæſar primò Conſulatu: in qua multa ſeueriùs ſcripta quàm in antiquis legibus, ſanctiúſque iudicata, quia *proximæ quæque duriores,* nouúmque id fuit de rationibus non ſolùm referendis ad ærarium: ſed etiam relinquendis in Prouinciâ. de quo in Piſonem 61. legit Muretus è duobus manuſcriptis: *Si eſt hoc nouum in lege Iuliâ, ſicuti multa ſunt, ſeueriùs ſcripta, quàm in antiquis legibus & ſanctiùs, inducatur ſanè etiam conſuetudo huius generis iudiciorum noua.*

V. VSVS MAGISTER EST OPTIMVS.] Vſus Sapientiæ pater apud Afranium, vt refert Gellius lib. 13. Noct. Attic. cap. 8.

Vſus me genuit, mater peperit Memoria
Σοφίαν vocant me Graij, vos Sapientiam.

VI. ACCVSAVI.] Accuſauit C. Verrem: quibus in cauſſis iudex ſederit, res eſt tenuior quàm vt extet in hiſtoria veſtigium: defendit M. Fonteium, Luc. Flaccum, M. Scaurum, A. Gabinium de repetundis. Prætor quæſiuit in Manilium & C. Licinium Marcum. De hoc Valerius lib. 9. c. 12. *C. Licinius Macer, vir Prætorius, Calui pater repetundarum reus, dum ſententiæ dicerentur in Manianum conſcendit. Siquidem cùm M. Ciceronem, qui id iudicium cogebat, prætextam ponentem vidiſſet, miſit ad eum qui diceret ſe non damnatum, ſed reum periiſſe: nec ſua bona haſtæ poſſe ſubiici. Ac protinus ſudario quod fortè in manu habebat, ore & faucibus coartatis, incluſo ſpiritu pœnam morte præcurrit: qua cognita re Cicero de eo nihil pronuntiauit.* Aliter narrat Plutarchus, eum ſibi ſuæque gratiæ præfidentem, barbam raſiſſe, candidam veſtem ſumpſiſſe, damnatione compertâ domum rediiſſe, lectulum petiiſſe, in eóque dolore extinctum fuiſſe. De Manilio idem Plutarchus. ex quo nonnulla retulimus in Vatinium 33. *Vt adeſſes die trigeſimo.*

VII. PRÆTOR QVÆSIVI.] Vide Vatinianam 28. *Quæſitore conſilióque delecto.* Milonianam 13. *Hanc verò quæſtionem.*

VIII. QVIBVS TABVLIS? QVÆ.] Subiectio. cui ſimillima de Haruſp. reſp. 33. *Tu meam domum religioſam facere potuiſti? Qua mente? qua inuaſeras. Qua manu? qua diſturbaras. Qua voce? qua incendi iuſſeras. Qua lege? quam ne in illa quidem impunitate tua ſcripſeras. Quo puluinari? quod ſtupraras. Quo ſimulacro? quod ereptum ex meretricis ſepulcro in Imperatoris monumento collocaras.* Demoſthenes de falſa legat. Ἦσαν ἐν Ἤλιδι κλέπτοντες τὰ κοινά τινες; Καὶ μάλα εἰκός γε. Ἐστιν οὖν ὅστις μετέσχεν αὐτόθι νυνὶ τούτων τοῦ καταλῦσαι τὸν δῆμον; οὐδὲ εἷς. τί δέ; ἦσαν ὅτ' ἦν Ὄλυνθος, τοιοῦτοί τινες ἄλλοι; Ἐγὼ μὲν οἶμαι. Ἆρ' οὖν διὰ τούτους ἀπώλετο Ὄλυνθος; οὔ. Τί οὖν; Μεγαρεῖς οὐκ οἴεσθε εἶναί τινα κλέπτην καὶ παρεκλέγοντα τὰ κοινά; ἀνάγκη καὶ πέφηνε. Τίς οὖν αἴτιος αὐτόθι νυνὶ τούτων τῶν συμβεβηκότων πραγμάτων; οὐδὲ εἷς. Ἀλλὰ ποῖοι καὶ τίνες εἰσὶν οἱ τὰ τηλικαῦτα καὶ τοιαῦτα ἀδικοῦντες; οἱ νομίζοντες αὐτοὺς ἀξιόχρεως εἶναι τοῦ Φιλίππου ξένοι καὶ φίλοι προσαγορεύεσθαι. *An quidam in Helide peculatûs ſe alligarunt? Omnino probabile eſt fuiſſe. An verò quiſquam eorum auctor, adiutórve fuit abroganti ſtatus popularis? Nullus. Quid? fuerúntne Olyntho incolumi alij quidam tales? Equidem opinor. Nunquid per iſtos periit Olynthus? Non. Quid igitur? Megaris nónne putatis aliquem fuiſſe peculatorem, & ex ærario ſurripientem? Non aliter fieri poteſt, & palam factum eſt. Quis igitur, ibi auctor fuit rerum quæ illic acciderunt? Nemo horum. Quales igitur & qui ſunt, qui tanta facinora deſignent? Qui ſe dignos eſſe putant qui Philippi hoſpites & amici appellentur.* Contra Androtionem: Δεῖν δ' ᾤετο (ὁ νομοθέτης) μηδένα ἀποστερεῖσθαι τοῦ δίκης τυχεῖν, ὡς ἕκαστος δύναται. πῶς οὖν ἔσται τοῦτο; ἐὰν πολλὰς ὁδοὺς δῷ διὰ τῶν νόμων ἐπὶ τοὺς ἠδικηκότας. οἷον τῆς κλοπῆς. ἔρρωσαι καὶ σεαυτῷ πιστεύεις; ἄπαγε, ἐν χιλίαις δ' ὁ κίνδυνος. ἀσθενέστερος εἶ; τοῖς ἄρχουσιν ἐφηγοῦ· τοῦτο ποιήσουσιν ἐκεῖνοι. φοβῇ καὶ τοῦτο; γράφου. Καταμέμφῃ σεαυτὸν καὶ πένης ὢν οὐκ ἂν ἔχοις χιλίας ἐκτῖσαι; δικάζου κλοπῆς πρὸς διαιτητὴν καὶ οὐ κινδυνεύσεις. οὐδέτερον βούλει τούτων; γράφου. κατοκνεῖς καὶ τοῦτο; ἐφηγοῦ. &c. *Æquum autem eſſe cenſuit ne cui pro ſua cuiuſque facultate exigendæ pœnæ ius negaretur. Id autem fieri qui potuit? ſi multas vias per leges muniret ad facinoroſos inuadendos. Veluti in furto: firmus es, & teipſo fretus? abduc in carcerem: ſed mille drachmis periclitaris. infirmior es? Nouemuiris indica: ipſi facient. Id quoque formidas? accuſa. Non tibi fidis & pauperior es, quàm qui mille drachmas ſoluas? Furti age apud arbitrum, & extra periculum eris. Neutrum horum placet? accuſa. Etiam hoc reformidas? defer.* &c. Sequor Hieronymi Wolphij verſionem.

Subiectionis oratoriæ exempla.

AXIOMA.

Vſus magiſter eſt optimus.

HIC iam, Iudices, veſtri conſilij res eſt, veſtræ ſapientiæ. Quid deceat vos, non quantum liceat, vobis ſpectare debetis. Si enim quid liceat quæritis: poteſtis tollere è ciuitate, quem vultis. Tabella eſt, quæ dat poteſtatem, occultat eadem libidinem, cuius conſcientiam, nihil eſt, quod quiſquam timeat, ſi non pertimeſcat ſuam. Vbi eſt igitur ſapientia iudicis? in hoc, vt non ſolùm quid poſſit, ſed etiam quid debeat, ponderet: nec quantum ſibi permiſſum meminerit ſolùm, ſed etiam quatenus commiſſum ſit. XI.

Datur tibi tabella iudicij. qua lege? Iulia de pecuniis repetundis. quo XII.

de reo? de equite Rom. At iſte ordo lege ea non tenetur. illo, inquit, capite, quod erat in Poſthumum, quod in Gabinium iudex eſſes: nihil Gabinio datum, cùm in eum lites æſtimarentur. At nunc audio. Reus igitur Poſthumus eſt eâ lege, qua non modò ipſe, ſed totus etiam ordo ſolutus, ac liber eſt.

XIII. Hîc ego nunc non vos prius implorabo Equites Rom. quorum ius iudicio tentatur, quàm vos Senatores, quorum agitur fides in hunc ordinem: quæ quidem cùm ſæpè antè, tum in hac ipſa cauſa nuper eſt cognita. Nam cùm optimo & præſtantiſſimo Conſule Cn. Pompeio, de hac ipſa quæſtione referente exiſterent nonnullæ, ſed perpaucæ tamen acerbæ ſententiæ, quæ cenſerent, vt Tribuni, vt præfecti, vt ſcribæ, vt comites omnes magiſtratuum lege hac tenerentur: vos, vos, inquam, ipſi, & Senatus frequens reſtitit: & quamquam tum propter multorum delicta etiam ad innocentium periculum, tempus illud exarſerat, tamen cùm odium non reſtingueretis, huic ordini ignem nouum ſubiici non ſiuiſtis. Hoc animo igitur Senatus.

XIV. Quid vos, Equites Rom. quid tandem eſtis acturi? Glaucia ſolebat homo impurus, ſed tamen acutus, populum monere, vt cùm lex aliqua recitaretur, primum verſum attenderet ſi eſſet Dictator, Conſul, Prætor, magiſter equitum, ne laboraret, ſciret nihil ad ſe pertinere: ſin autem, *Quicunque poſt hanc legem:* videret nequa noua quæſtione alligaretur.

XV. Nunc vos, Equites Rom. videte. Scitis me ortum è vobis omnia ſemper ſenſiſſe pro vobis: nihil horum ſine magna cura, & ſumma charitate veſtri ordinis loquor: alius alios homines, & ordines, ego vos ſemper complexus ſum; moneo, & prædico, integra re cauſáque denuntio, omnes homines Deóſque teſtor, dum poteſtis, dum licet, prouidete, ne duriorem vobis conditionem ſtatuatis, ordiníque veſtro, quàm ferri poſſit. Serpet hoc malum (mihi credite) longiùs, quàm putatis.

XVI. Potentiſſimo, & nobiliſſimo Tribun. pleb. M. Druſo vnam in Equeſtrem ordinem quæſtionem ferenti, *Si quis ob rem iudicatam pecuniam cepiſſet*, apertè Equites Romani reſtiterunt: quid? hoc licere volebant? minimè: neque ſolùm hoc genus pecuniæ capiendæ turpe, ſed etiam nefarium arbitrabantur. attamen ita diſputabant, eos teneri legibus oportere, qui ſuo iudicio eſſent illam conditionem vitæ ſecuti. Delectat ampliſſimus ciuitatis gradus, ſella curulis, faſces, imperia prouinciæ, ſacerdotia, triumphi, denique imago ipſa ad poſteritatis memoriam prodita.

XVII. Eſt ſimul etiam ſolicitudo aliqua, & legum & iudiciorum maior quidem metus. nos iſta nunquam contempſimus (ita enim diſputabant) ſed hanc vitam quietam, atque otioſam ſecuti ſumus. Quæ quoniam honore caret, careat etiam moleſtia. Tam es tu iudex, quam ego Senator: ita eſt: ſed tu iſtud petiiſti, ego hoc cogor: quare aut iudicij mihi non eſſe liceat, aut legem lege Senatoria non timere.

XVIII. Hoc vos, Equites Romani, ius à patribus acceptum amittetis? moneo ne faciatis: rapientur homines in hæc iudicia ex omni non modò inuidia, ſed ſermone maleuolorum, niſi cauetis. Si iam vobis nunciaretur in Senatu ſententias dici, vt his legibus teneremini, concurrendum ad curiam putaretis; ſi lex ferretur, conuolaretis ad roſtra: vos Senatus liberos

hac lege eſſe voluit, populus nunquam alligauit: ſoluti huc conueniſtis, ne conſtricti diſcedatis: cauete, nam ſi Poſthumo fraudi fuerit, qui nec Tribunus, nec Præfectus, nec ex Italia comes, nec familiaris Gabinij fuit: quonam ſe modo defendant poſthac, qui veſtri ordinis cum magiſtratibus noſtris fuerint his cauſis implicati?

NOTÆ.

I. HIC IAM, IVDICES.] Quid prohibet integram ſectionem 159. orationis pro Cluentio exhibere? *Eſt enim ſapientis Iudicis meminiſſe ſe hominem, cogitare tantum ſibi à populo Romano eſſe permiſſum, quantum commiſſum ſit & creditum, & non ſolùm ſibi poteſtatem datam, verùm etiam fidem habitam eſſe meminiſſe: poſſe, quem oderit, abſoluere: quem non oderit condemnare: & ſemper non quid ipſe velit, ſed quid lex & religio cogat, cogitare: animaduertere qua lege reus citetur, de quo reo cognoſcat, quæ res in quæſtione verſetur. Cùm hæc ſunt videnda, tum verò illud eſt hominis magni, Iudices, atque ſapientis, cùm illam iudicandi cauſſâ tabellam ſumpſerit, reputare ſe non eſſe ſolùm, neque ſibi quodcunque concupierit licere: ſed habere in conſilio legem, religionem, æquitatem, fidem: libidinem autem, odium, inuidiam, metum, cupiditatéſque omnes amouere: maximíque æſtimare conſcientiam mentis ſuæ, quam ab Diis immortalibus accepimus, quæ à nobis diuelli non poteſt: quæ ſi optimorum conſiliorum atque factorum teſtis in omni vitâ nobis erit, ſine vllo metu, & ſummâ cum honeſtate viuemus.* Nec alienus eſt locus Demoſthenis de falsâ legatione: ΟΥ γὰρ εἰ κρύβδην ἐστὶν ἡ ψῆφος λήσει τοὺς θεοὺς, ἀλλὰ καὶ τοῦτο καὶ πάντων ἄριστα ὁ τιθεὶς τὸν νόμον εἶδε, τὸ κρύβδην ψηφίζεσθαι. Διὰ τί; ὅτι τούτων μὲν οὐδεὶς εἴσεται τὸν ἑαυτῷ κεχαρισμένον ὑμῶν, οἱ θεοὶ δ' εἴσονται, καὶ τὸ δαιμόνιον τὸν μὴ τὰ δίκαια ψηφισάμενον. παρ' ὧν κρεῖττόν ἐστιν ἑκάστῳ τὰς ἀγαθὰς ἐλπίδας τοῖς παισὶ καὶ ἑαυτῷ τὰ δίκαια γνόντα περιποιήσασθαι, ἢ τὴν ἀφανῆ, καὶ ἄδηλον χάριν τούτοις καταθέσθαι. *Non enim ſi occulta ſuffragia ſunt latebunt Deos: ſed & hoc vidit & omnium rectiſſimè prouidit legiſlator, vt clam ſuffragia ferrentur. Cur? vt nemo reorum ſciret quis ei eſſet gratificatus: ſed Dij ſcirent, & numen eum qui iniqua pronuntiaſſet. A quibus præſtabilius eſt, ſingulos ſibi & liberis, iuſta quæ ſunt pronuntiando ſpem bonam reſeruare, quàm obſcuram, & incertam gratiam iſtorum captare.* &c.

Virtus & ſapientia Iudicis.

II. TABELLA.] Pro Plancio 16. *Populo grata eſt tabella quæ frontes aperit hominum, mentes tegit: dátque eam libertatem vt quod velint faciant, promittant quod rogentur.* Vide Sextianam 103. *Tabellæ licentiam.* Plinius lib. 3. epiſt. 20. *Eſt enim periculum ne tacitis ſuffragiis impudentia obrepat. Nam quoto cuique ſedet honeſtatis cura ſecretò, quæ palam? multi famam, conſcientiam pauci verentur?* Et lib. 4. epiſt. 25. *Tantum licentiæ prauis ingeniis adiicit illa fiducia: Quis enim ſciet? popoſcit tabellas, ſtylum accepit, demiſit caput, neminem veretur, ſe contemnit.* De tabellis vide Piſonianam 96. *An ego expectem dum de te quinque & ſeptuaginta tabellæ diribeantur.* Et Milonianam 15. *Nec vobis tam ſalutarem hanc in iudicando literam, quàm illam triſtem dediſſet.* De vrnis ſiue ſitulis in quas cóniiciebantur, vide Vatinianam 34. *Vrnas deleuerit.* De conſcientiâ Milon. 63.

Tabellæ licentia.

III. ILLO, INQVIT, CAPITE.] Turnebus lib. 10. Aduerſ. cap. 23. *Sententia eſt,* inquit, *ſi modò iſta corrupta nō ſunt. Eo capite tenetur Poſthumus, quod in Gabinium Iudex fueris. Nam iidem Iudices in repetundarum erant quæſtione, & iudicij appendice. Iudicabas autem cum Gabinio nihil eſſet datum, pecuniáſque non conciliaſſet, vt ipſe dicebat. Nam ex æſtimatione litium, redundat reus Poſthumus, ad quem pecunia peruenit, quæ de bonis Gabinij non potuit redigi.* Verùm opus fuerit alio interprete, qui è verbis Turnebi ſenſum eliciat, quare Muretum audiamus lib. 17. Variarum lect. cap. 5. *Quæ autem ſubiiciam & in vulgatis libris & in veteribus corrupta ſunt, vtrorumque ſcripturam proponam; tum, quid mihi videatur aperiam. Lambinus igitur ita edidit: Illo, inquit, capite quod erat in Poſthumum, quod in Gabinium iudex eſſes, nihil Gabinio datum, cùm in eum lites affirmarentur.* Quibus ex verbis non meliorem ſententiam extuderit quiſquam, quàm ex febricitantium ſomniis. Libri veteres hoc modo, *Illo*, inquit, *capite quod in poſterum.* Puto verba illa, QVOD IN POSTERVM, eſſe principium eius capitis ex lege Iuliâ, quo accuſator Poſthumum teneri dicebat, & propterea grandiuſculis, vt ſit literis ſcribi oportere. Sequitur in iiſdem libris: *Quom in Gabiniū iudex eſſes, nihil Rabirio datum, nihilque ei lites æſtimarentur.* Puto legendum: *Quom in Gabinium iudex eſſes, nihil de Rabirio auditum: nihil, quom ei lites æſtimarētur.* Hæc ingenioſè Muretus: è quib. facilè cuilibet fuerit Oratoris mentē oſtendere.

VT TRIBVNI, VT PRÆFECTI, VT SCRIBÆ, VT COMITES.] De Tribunis militum in Piſonem 88. De præfectis pro Marcello 7. De Scribis in Piſonem 61. IV.

GLAVCIA HOMO IMPVRVS.] De huius impuritate illud ſuffecerit ex tertio de Oratore. 163. *Et quoniam hæc vel ſumma laus eſt in verbis transferendis, vt ſenſum feriat id quod tranſlatum ſit, fugienda eſt omnis turpitudo earum rerum, ad quas eorum animos qui audiant, trahet ſimilitudo. Nolo morte dici Africani caſtratam eſſe Remp. nolo ſtercus curiæ dici Glauciam, quamuis ſit ſimile, tamen eſt in vtraque deformis cogitatio ſimilitudinis.* V.

Glaucia homo impurus,

SED TAMEN ACVTVS.] Noſter in Bruto: *Longè autem poſt homines natos improbiſſimus C. Seruilius Glaucia, ſed peracutus & callidus cum primíſque ridiculus. Is ex ſummis & fortunæ & vitæ ſordibus in Prætura Conſul factus eſſet, ſi rationem eius haberi licere iudicatum eſſet. Nam & plebem tenebat, & equeſtrem ordinem beneficio legis deuinxerat. Is Prætor eodē die quo Saturninus Tribunus plebis Mario & Flacco Conſulibus publicè eſt interfectus, homo ſimillimus Athenienſis Hyperboli, cuius improbitatem veteres Atticorum comœdiæ notauerunt.* VI.

EQVITES ROM. VIDETE. SCITIS, &c.] Pro Milone 95. *Vbi Equites Romani illi, illi, inquit, tui?* Vbi retulimus hunc Plinij locum lib. 33. cap. 22. *Marcus Cicero demum ſtabiliuit equeſtre nomen in Conſulatu ſuo, ei Senatum concilians, ex eo ſe ordine prouectum eſſe celebrans, eiúſque vires peculiari popularitate quærens.* Vide. VII.

VIII. MARCO DRVSO.] Vide planè Cluentianam 153. 154. vbi dicit inter cæteros C. Flauium Puſionem, Cn. Titinnium, C. Mecænatem aperriſſimè repugnaſſe.

IX. DELECTAT AMPLISSIMVS.] Pro Cluentio 150. *Quis vnquã hoc Senator accuſauit, vt cùm altiorem gradum dignitatis populi Romani eſſet cõſecutus, eo ſe putaret durioribus legum conditionibus vti non oportere? Quàm multa ſunt commoda quibus caremus? quàm multa honeſta ac difficilia quæ ſubimus? Atque hæc omnia tamen honoris & amplitudinis cõmodis compenſantur. Conuerte nunc ad equeſtrem ordinem eaſdem vitæ conditiones, non perferent. Putant enim minùs multos ſibi laqueos legum, & conditionum & iudiciorum propoſitos eſſe oportere, qui in ſummum locum ciuitatis aut non potuerunt adſcendere, aut non petiuerunt.* Porro vt de oneribus ordinis Senatorij pauca dicamus, ea poſſunt ad tria capita reuocari, ad labores, ad legum iudiciorum pericula, ad tributa. De labore Ouidius:

Onera Senatorij ordinis.

Curia reſtabat, claui menſura coacta eſt,
Impar erat noſtris viribus illud onus.

Cõgebantur venire in Senatum pignoribus ablatis. Primâ Philippica 12. *Quis v quam tanto damno Senatorem coëgit? aut quid eſt vltra pignus, aut mulctam?* vbi vide Notas. Nonnunquam vnus Senator diem dicendo eximebat, vt auctor eſt Ateius Capito apud Gellium lib. 4. c. 10. *Erat enim ius Senatori vt ſententiam rogatus d ceret ante quicquid vellet alius rei, & quoad vellet.* Vide Plutarchum in Cæſare & Catone Vticenſi. Neque antè diſcedebant quàm Senatus dimitteretur. Iulius Capitolinus in M. Antonino: *Neque vnquam receßit de curiâ niſi Conſul dixiſſet. Nihil vos moramur P. C.* Quo in genere Euphormio criticis ſubodorandum relinquit qua parte curiæ matella poneretur. Legibus etiam quibuſdam tenebantur Senatores, à quibus cæteri ordines erant liberi, vt legibus de iudicio corrupto, & de repetundis, quod vel ex hoc loco patet, & ex Cluentiana 148. vbi & hæc verba legis de iudicio corrupto referuntur. *Déque eius capite quærito qui Tribunus militum legionibus quatuor primis, qui Quæſtor, Tribunus plebis, qui magiſtratum habuerit, quiue in Senatu ſententiam dixerit, Qui coiit, coierit, conuenit, conuenerit, quo quis iudicio publico condemnaretur.* De legibus repetundarum accipio. verba Dionis lib. 49. Ὑπὸ δὲ τὰς αὐτὰς ἡμέρας δόγμα ἐγένετο μηδένα τῶν ἐς τὴν γερουσίαν τελούντων ἐπὶ λῃστείᾳ κρίνεσθαι, καὶ οὕτως οἵ τε ἐν τοιαύτῃ τινὶ αἰτίᾳ ὄντες ἀφείθησαν, καὶ ἐς τὸ ἔπειτα ἄδειά τισι κακουργεῖν ἐδόθη. *Sub idem tempus*, paulò ante bellum Antonio & Cleopatræ indictum ab Auguſto, *S. C. factum eſt ne cui Senatori dies ob furtum diceretur, & ita tum ij quibus, huiuſmodi lites illatæ fuerant, liberati ſunt, tum quibuſdam in poſterum data eſt furtorũ impunitas.* De tributis Dio lib. 46. Ἐπειδὴ δὲ πολλῶν χρημάτων ἐς τὸν πόλεμον ἐδέοντο, πάντες τὸ πέμπτον καὶ εἰκοστὸν τῆς ὑπαρχούσης σφίσιν οὐσίας ἐπέδωκαν, οἱ δὲ δὴ βουλευταὶ, καὶ τέσσαρας ὀβολοὺς καθ' ἑκάστην κεραμίδα τῶν ἐν τῇ πόλει οἰκιῶν, ὅσας ἢ αὐτοὶ ἐκέκτηντο, ἢ ἄλλων οὔσας ᾤκουν. *Ac quoniam multis ad bellum gerendum pecuniis opus habebant, vnuſquiſque vigeſimamquintam ſuorum bonorum partem in commune contulit: Senatores præterea quaternos obolos, in ſingulas tegulas earum ædium, quas in vrbe vel ſuas, vel conductitias habebant, perſoluerunt.* Expoſui *tegulam* κεραμίδα, tum quod nomen id ſonet, tum fretus auctoritate Ciceronis epiſtolâ ad Cęſarem Iuniorem à Nonnio citatâ de hoc ipſo loquẽtis: *In ſingulas tegulas impoſitis ſexcentis ſexcenties conſici poſſe.* Atque propter hæc tributa multi opibus exhauſti Senatum eiurabant. idem Dio lib. 54. Ἐπειδὴ τὸ μὲν πρότερον δέκα μυριάδων τὸ τίμημα αὐτοῖς ὥριστο, διὰ τὸ συχνοὺς τῶν πατρῴων ὑπὸ τῶν πολέμων ἐστερῆσθαι, προϊόντος δὲ τοῦ χρόνου καὶ τῶν ἀνθρώπων περιουσίας κτωμένων, ἐς πέντε καὶ εἴκοσι προήχθη, καὶ ἔτι οὐδεὶς ἐθελοντὴς βουλεύσων εὑρίσκετο, ἀλλὰ καὶ παῖδές εἰσιν, εἰ καὶ ἔκγονοι βουλευτῶν, οἱ μὲν ὡς ἀληθῶς πενόμενοι, οἱ δὲ καὶ ἐκ συμφορῶν προγονικῶν τεταπεινωμένοι, οὐχ ὅσον οὐκ ἀντεποιοῦντο τοῦ βουλευτικοῦ ἀξιώματος, ἀλλὰ καὶ προκαταλελεγμένοι ἤδη ἐξώμνυντο. *Cùm initio Senatoribus cenſus definitus eſſet quadringenta ſeſtertia, quoniam multi bellis inteſtinis paternas facultates amiſerant, progreſſu autem temporis, ac locupletioribus factis hominibus vſque ad decies auctus fuiſſet, nemo iam inueniri potuit qui ſponte ſuâ Senator eſſe vellet: ſed fuere filij etiam nepotéſque Senatorum, qui ſiue reuera inopes, ſiue propter maiorum calamitates animis fracti, non modò non affectarent Senatoriam dignitatem, ſed eam quoque adſcripti in Senatorium numerum eiurarent.* Hæc Dio, è quibus coniicias & quanta iam olim Senatoribus fuerint impoſita tributa, & qua calumniâ Soſimus libro 2. Conſtantino Magno huius impoſitionis crimen impegerit. Quod ſpectat ad Senatorij ordinis commoda hîc numerantur: *ampliſſimus ciuitatis gradus ſella curulis, faſces, imperia, prouinciæ, ſacerdotia, triumphi, imago ipſa ad poſteritatis memoriam prodita.* pro Cluentio. 154. *Quódque permulta eſſent ornamenta, quibus eam mitigare moleſtiam poſſent: locus, auctoritas, domi ſplendor, apud exteras nationes nomen & gratia, toga prætexta, ſella curulis, inſignia, faſces, exercitus, imperia, prouinciæ.* Non quidem quòd ſtatim atque in Senatum erant allecti ſellam curulem, faſces, & imaginis prodendæ ius obtinerent: ſed quòd Senatoribus omnibus & quidem ſolis liceret petere magiſtratus, quibus illa ornamenta fuerunt annexa. De faſcibus cæteriſque magiſtratuum inſignibus vide Sextianam 17. De imaginibus Piſon. 1. de iure imaginis prodendæ Piſon. 2. *homini nouo.*

Cogebantur venire in Senatum.

Legibus quibuſdam tenebantur Senatores, quibus alij ordines erant ſoluti.

Tributa maiora pendebant, quàm reliqui.

Commoda Senatorij ordinis.

X. TV ISTVD PETIISTI: EGO HOC COGOR.] Filiis Equitum Romanorum ſi & cenſum & ætatem Senatoriam habebant, licebat vel in Senatum venire, vel in equeſtri ordine permanere, vt Atticus & Mœcenas fecerunt, cùm ad ſumma omnia adſpirare poſſent. At verò Senatoribus, equitibus, Tribunis ærariis liberum non fuit à iudiciis abſtinere, ſi Iudices fuerant electi: imò certum ordinem & locum iudicandi videntur habuiſſe. pro domo 85. *Quis in meum locum iudicem ſubdidit?*

AXIOMATA.

Quid deceat nos, non quantum liceat nobis ſpectare debemus.

Alterius conſcientiam nihil eſt quod quiſquam timeat, ſi non pertimeſcat ſuam.

In hoc eſt ſapientia Iudicis, vt non ſolùm quid poſſit, ſed etiam quid debeat, ponderet: nec quantum ſibi permiſſum ſit meminerit ſolùm, ſed etiam quatenus commiſſum.

E paruis initiis ſerpit malum longiùs quàm putetur.

Qui honore carent, carent etiam moleſtiâ.

2. Pars confutationis, à num. 19. ad 37. comprehenſa, qua confutantur nonnulla crimina, quæ non tam ad cauſſam pertinent, quàm ex creditâ temere pecunia redundant.

- Primò Gabinium non impulit, vt reduceret Ptolemæum, quam obiectionē vbi ſe præmuniuit. 19. refellit, quia
  - ab eius ſceleris ſuſpicione liber eſt, confeſſione
    - tam Gabinij qui id ſe feciſſe dicebat
      - vel vtilitate Reipub.
      - vel permiſſione legis.
      - vel gloriæ cupiditate. 20.
    - quàm ipſius accuſatoris, qui Gabinium dicebat
      - & auariſſimum eſſe.
      - & decem millibus talentorum à Rege promiſſis fuiſſe perſuaſum, ex quo efficitur neceſſarium non fuiſſe alium ſuaſorem.
  - neque Gabinij comes, neque ſectator fuit. 21.
- 2. Diœcetes fuit, id eſt, diſpenſator & œconomus Ptolemæi, quod nō refellit, ſed excuſat
  - à neceſſitate, quæ alia quoque ferre coëgit
    - vincula & Regiam cuſtodiam.
    - vitæ periculum.
  - ab imprudentia, qua
    - pecuniam credidit Ptolemæo.
    - & Ægyptum adiit, Regiſque fidei ſe commiſit. Excuſat virorum doctorum & prudentium exemplis
      - Platonis.
      - Calliſthenis.
      - Demetrij Phalerei.
- Fuit palliatus, quod non negat, ſed excuſat
  - à neceſſitate. 26. 28. 29.
  - à comparatione clarorum virorum & exemplis, quæ petuntur
    - à quotidiana experientia. 26.
    - à ſtatuis
      - Sullæ.
      - L. Scipionis.
    - ab hiſtoria, Rutilij.
- Dum Gabinio pecuniam Poſthumus cogeret, ex decumis rerum imperatarum pecuniam ſibi ipſi coëgit. refellitur
  - dilemmate
    - nec coëgit per acceſſionem.
      - quia vndecim millia talentorum ad Gabinium perueniſſent, quod accuſator negat.
      - Neque Rex tantum imponi paſſus eſſet.
    - nec per deceſſionem.
      - Gabinius, quem accuſator auariſſimum eſſe dicebat, tam mille talenta detrahi ſibi paſſus non eſſet.
  - confutatione teſtium, qui
    - & pugnantia loquuntur
      - Priore iudicio Gabinium laudabant, eique pecuniam datam negabant, & hac occaſione purgat ſe, quòd in gratiam redierit cum Gabinio.
      - Poſteriore pecuniam Gabinio coactam dicunt. 34. 35.
    - & leues, nempe Alexandrini. 35.

XIX. TV, inquit, Gabinium vt Regem reduceret, impuliſti. Non patitur mea etiam fides de Gabinio grauius agere: quem enim ex tantis inimicitiis receptum in gratiam, ſummo ſtudio, defenderim, hunc afflictum violare non debeo: quocum ſtante, ſi me Cn. Pompeij auctoritas in gratiam non reduxiſſet, nunc iam ipſius fortuna reduceret.

XX. Sed tamen, cùm ita dicis, Poſthumi impulſu Gabinium profectum Alexandriam: ſi defenſioni Gabinij fidem non habes, obliuiſceríſne etiam accuſationis tuæ? Gabinius ſe id feciſſe dicebat Reipub. cauſa, quod claſſem Archelai timeret, quod mare refertum fore prædonum putaret. Lege etiam id ſibi licuiſſe dicebat. Tu inimicus negas: ignoſco, & eò magis quòd eſt contra illud iudicatum. Redeo igitur ad crimen, & accuſationem tuam.

NOTÆ.

I. GABINIVM VT REGEM REDVCERET, IMPVLISTI.] Epiſt. 1. ad Lentulum: *Hammonius Regis legatus apertè pecuniâ nos oppugnat. res agitur per eoſdem creditores per quos cùm tu aderas agebatur.* Epiſtola 2. lib. 2. ad Qu. Fratrem: *Creditores Regis apertè pecunias ſuppeditant contra Lentulum.* E quibus colligi poteſt Poſthumum creditorem Gabinio auctorem fuiſſe, vt reduceret Ptolemæum.

II. IPSIVS FORTVNA REDVCERET.] Achilles Tatius lib. 3. de amoribus Clitophontis & Leucippæ: Ἔλεος πολλάκις φιλίας προξενεῖ. ἡ γὰρ ψυχὴ μαλαχθεῖσα πρὸς τὴν ὧν ἤκουσε λύπην, συμπαθεῖσα κατὰ μικρὸν τῇ τοῦ πάθους ἀκροάσει τὸν οἶκτον, εἰς φιλίας τῆς λύπης τὸν ἔλεον συλλέγει. *Beneuolentiam autem miſericordiæ ſæpenumero gignit. Animus enim eorum quos audit mœrore delinitus, & malorum auditione in eundem fere ſenſum pertractus, triſtitiam in miſericordiam, miſericordiam verò in beneuolentiam commutat.* Sequor Nicolai Bonuitij verſionem.

Miſericordia beneuolentiā parit.

III. CLASSEM ARCHELAI.] De Archelao eiúſque fortunâ pauca dìximus oratione de Prouinciis Conſularibus, §. 9. cùm de Ariobarzane diceremus. Alexandrini Regem ſuum Ptolemæum Auletem eiecerunt. cúmque is tres liberos haberet, Berenicen natu maiorem, Cleopatram minorem, & Ptolemæum adhuc puerum, regnum ad Berenicen detulerunt. Eà Zeleucum in regni toríque ſocietatem acciuit, & eo mox occiſo Archelaum, qui vt reditum Regis impediret claſſem parauit. Gabinius eum reducens, Ἐγκρατὴς τῆς Αἰγύπτου παραχρῆμα ἐγένετο, καὶ τῷ Πτολεμαίῳ αὐτὴν παρέδωκε. καὶ ὁ μὲν τήν τε θυγατέρα, καὶ τῶν ἄλλων τοὺς πρώτους καὶ πλουσιωτάτους, ἅτε καὶ χρημάτων πολλῶν δεόμενος ἀπέκτεινε. *Ægyptum primâ impreſſione redegit in poteſtatem, eámque tradidit Ptolemæo. Is tum filiam, tum alios primores & opulentiſſimum quemque cum pecuniis egeret interemit.* Dio Caſſius libro 39. Accuſatus Gabinius eum colorem ſuo facto prætexuit, quòd id ſe feciſſe diceret Reipub. cauſsâ, quòd videret Archelai claſſem Syriæ prouinciæ, quam ipſe adminiſtrandam ſuſceperat, imminere, periculúmque eſſe ne vel Archelaus Syriam repente inuaderet, vel ſaltem mare piratis redderet infeſtum, & in terram exſcendens è Syriâ prædas auerteret. Et ſanè Syria tum latrociniis infeſta fuit. Nam Gabinius Ptolemæum reducens, vt auctor eſt idem Dio, τὴν ἀρχὴν ἐφ᾽ ἧς ἐτέτακτο τοῖς λῃσταῖς ἔτι καὶ μᾶλλον ἐξέδωκεν. *Prouinciam cui præfectus erat magis adhuc tradidit expilandam latronibus.* Id igitur ſe feciſſe dicebat, & lege ſibi licuiſſe contendebat, vt Archelaum prouinciæ ſuæ imminentem in ipſa Ægypto occuparet.

AXIOMATA.

Quem ex inimicitiis receptum in gratiam ſummo ſtudio defenderis, eum nefas eſt afflictum violare.

Nonnunquam nos inimicorum calamitas cum iis in gratiam reducit.

XXI. QVID vociferabare decem millia talentum Gabinio eſſe promiſſa? huic videlicet perblandus reperiendus fuit, qui hominem, vt tu vis, auariſſimum exoraret, ſeſtertium bis millies, & quadringenties, ne magnopere contemneret. Gabinius illud quoquo conſilio fecit, fecit certè ſuo: quæcunque mens illa fuit, Gabinij fuit. Siue ille, vt ipſe dicebat, gloriam: ſiue, vt tu vis, pecuniam quæſiuit, quæſiuit ſibi. Num Gabinij comes vel ſectator? negat. Non enim ab Gabinij, cuius ad negotium non erat, ſed ad P. Lentuli, clariſſ. viri auctoritatem à Senatu profectam, & conſilio certo, & ſpe non dubia, Romam contenderat.

NOTÆ.

DECEM MILLIA TALENTVM.] Vides hoc loco talenta Græcorum ad Romanorum ſeſtertia reuocari, quæ res, vt planior fiat, de talento & ſeſtertio pauca dicemus.

Statuendum primò quod eleganter tradit Manutius in epiſt. 17. lib. 2. ad familiares, Romanos vndecim numerorum notas habuiſſe, quas primùm quinto loco variarunt, deinde decimo, mox quinquageſimo, tum centeſimo, quingenteſimo, milleſimo, quinquies milleſimo, decies milleſimo, quinquagies milleſimo, centies milleſimo: mutato numeri ſigno quoties numerus à quinario ad duplum, & rurſus à duplo ad quinarium perueniret.

Prima nota fuit I. vnus, vſque ad quatuor iterata I. II. III. IIII.

Ratio numerãdi apud antiquos.

Secunda V. in quinario primùm numero variata, & cum notis vnitatis ad denarium progrediens V. VI. VII. VIII. VIIII.

Tertia X. decem in duplo quinario mutationem recipiens, & adiectis vnius & quinarij ſignis ad quinquagenarium progrediens X. XI. XII. XIII. XIIII. XV. XVI. XVII. XVIII. XVIIII. Mox vicenarius duplici denario notatus XX. ad tricenarium XXX. à tricenario ad quadragenarium XXXX. ab eo rurſus ad quinquagenarium eodem modo promouetur.

Quarta L. quinquagenarij nota, iiſdem vnitatibus quinariis & denariis ad centum progrediens.

Quinta C. centum duplicato quinquagenario, & quatuor ſuperiorum notarum promotionibus ad quingenta procedens.

Sexta Iↄ. & hîc quadrupli ratione.

Septima cIↄ. mille habita dupli ratione.

Octaua mutatio fuit Iↄↄ. quinque millia, & hîc quincupli ratione ſeruatâ.

Nona à quincuplo in duplum ccIↄↄ. decem millia.

Decima à duplo in quincuplum Iↄↄↄ. quinquaginta millia.

Vndecima & vltima à quincuplo in duplum cccIↄↄↄ. centum millia.

Neque vltra notarum mutatio progreſſa eſt. Non enim veteres, vt ait Plinius, vltrà numerabant: aut ſi numerandum erat eaſdem notas repetebant. verbi cauſſâ cccIↄↄↄ. cccIↄↄↄ. ducenta millia. cccIↄↄↄ. cccIↄↄↄ. cccIↄↄↄ. trecenta millia. quater ſi quadringenta millia, quinquies ſi quingenta millia. & ita deinceps. Horum non pauca Manutius.

In progreſſionibus autem numerorum ne moleſtum eſſet toties vnitates, quinarios, aut denarios replicare, numeros minores compendij cauſſâ è maioribus ſubtrahebant, ita vt minores ante ſcripti ſubtractionem, poſt ſcripti additionem indicarent. Longum erat octodecim aut nouemdecim ſcribentibus, poſt denarium X. quinque alias aut quatuor notas apponere XVIII. octodecim, XVIIII. nouemdecim: quare vnitatem aut binarium è vicenario ſubtrahebant XIIX. octodecim, XIX. nouemdecim, XL. quadraginta, XLIV. quadraginta quatuor. atque vt ſcribebant ita plerumque loquebantur, XIIX. duodeuiginti, XIX. vndeuiginti, XXIIX. duodetriginta, XXIX. vndetriginta. Eodem modo duo aſſes cum ſemiſſe dicebantur per ſubtractionem; ſeſtertius nummus, vel abſolutè ſeſtertius, quaſi tertius dempto ſemiſſe, ac proinde ſeſtertius duos aſſes cum ſemiſſe continebat.

Statuendum ſecundò aſſem, nummum ac ſeſtertium duobus modis conſiderari poſſe. alter tanquam abſtractum à materiâ, & menſuram ſiue canonem rei nummariæ, & quaſi ideam valoris animo conceptam, ex qua nummi bigati, quadrigati, victoriati, cæteræque monetarum ſpecies æſtimationem capiebant, quæ menſura ſiue regula conſtans erat & perpetua, licet ipſæ monetarum ſpecies pretium & æſtimationem aliquando mutarent. Altero modo ſpectari aſſem, nummum & ſeſtertium tanquam concretum cum materia, quo pacto variis & variis pretiis potuit æſtimari. Quemadmodum in Galliâ ſolidus ſemper duodecim denariis gallicis, francus ſiue libra viginti ſolidis, aureus gallicus tribus libris ſiue ſexaginta ſolidis, in Lotharingia groſſus ſedecim Lotharingicis denariis, francus groſſis duodecim, aureus Lotharingicus francis quatuor ſemper æſtimantur, neque quatenus ſunt communis æſtimationis menſura mutari poſſunt, licet ipſa materia, ſpeciéſque monetæ, & metalli pondus hominum æſtimatione varientur, eadémque ſpecies modò pluris, modò minoris æſtimetur.

Aſſis & ſeſtertij duplex cõſideratio.

Ab aſſe manabat omnis computationis nummariæ progreſſio. Aſſis autem nomen pro quouis ſolido ſiue toto capitur, vnde heres ex aſſe qui integram hereditatem adibat, & locum obtinet in toto patrimonio, in fundis & cæteris eiuſmôdi. Secundò aſſis nomen reperitur pro menſurâ ponderum, & valoris in re nummariâ. Priore modo nihil habebat definitum: nam ſiue maior, ſiue minor, ſiue quæcunque tandem eſſet hereditas, totum illud patrimonium aſſem vocabant. Poſteriore modo erat certa & definita regula, ſiue menſura qua rerum pondus & pretium examinabant. Et quidem in ponderibus frequentiùs libra dicebatur, in æſtimatione rei nummariæ aſſis nomen retinebat.

Hunc aſſem in duodecim partes diuidebant. Galenus libro de cognitione & curatione peccatorum ſolarium fusè deſcribens: Προκείμενον ἦν εἰς δώδεκα μοίρας τμηθῆναι τὸν χρόνον. *Propoſitum erat tempus in duodecim partes deſcribere.* Τοῦτον μὲν τὸν ἀριθμὸν ὡς χρησιμώτατον προσείλοντο. Καὶ γὰρ ἥμισυ ἔχει, καὶ διμοιρον, καὶ τέταρτον, καὶ ἕκτον τε καὶ δωδέκατον, ἅπερ οὐδεὶς ἔχει μετ' αὐτὸν ἄχρι τοῦ εἰκοστοῦ τετάρτου. *Hunc verò numerum vt vtiliſsimum elegerunt. Etenim & medium, habet, & trientem, & quadrantem, & ſextam, & duodecimam partem.* Sequitur ſed corruptè, vt opinor: Τοῦτο μὲν ὡς σμικρόν, lego, Τοῦτον μὲν ὡς μακρὸν παρῃτήσαντο· σύμμετρον δ' εἶναι κρίναντες τὸν δωδέκατον, εἰς τοσαῦτα μέρη τῆς ὅλης διέτεμον. lego, εἰς τοσαῦτα μέρη τὸν χρόνον τῆς ὅλης ἡμέρας διέτεμον. *Hunc verò vigeſimoquaternarium vt magnum repudiarunt: moderatum autem duodenarium eſſe rati totius diei tempus*

Aſſis diuiſio.

in totidem partes diuiſerunt. Οτι δὲ χρήσιμόν ἐστι τῇ τοιαύτῃ τομῇ τῇ πείρᾳ βασανίσαντες αὐτὴν, ἄλλοί τε πολλοὶ, καὶ Ρωμαῖοι χρῶνται τὴν οὐσίαν ἅπασαν, ὅταν διατίθενται, διαιρούντων δ' εἰς δώδεκα μέρη· καὶ τῶν, &c. locus iterum corruptus. Emenda, Οτι δὲ χρήσιμόν ἐστι, τῇ τοιαύτῃ τομῇ, τῇ πείρᾳ βασανίσαντες αὐτὴν, ἄλλοί τε πολλοὶ καὶ Ρωμαῖοι χρῶνται, τὴν οὐσίαν ἅπασαν ὅταν διατίθενται διαιροῦντες εἰς δώδεκα μέρη· καὶ τῶν ἐν τῷ βίῳ σταθμῶντε τε καὶ μέτρων εἰς δώδεκα μοίρας τέμνονται τὰ πλεῖστα. *Quia verò vtilis eſt huiuſmodi diuiſio, tum alij multi, tum Romani experientiá docti eam vſurpant, omnem ſubſtantiam cùm teſtamenta faciunt in partes duodecim diuidentes: & menſurarum ponderúmque. quibus homines vtuntur, in partes duodecim diſtributa ſunt quamplurima.* Ob eam commoditatem annus in duodecim menſes, dies in horas duodecim, nox in totidem horas eſt diſtributa. vbi breuiter obſeruare poſſis menſibus lunaribus dies triginta ſeruatâ ad numerum duodenarium ſeſtertiâ proportione contineri. Quam ad rem elegās habetur apud Laërtium & Athenæum epigrammation Cleobuli:

Ænigma de anno.

Εἷς ὁ πατὴρ, παῖδες δὲ δυώδεκα. τῶν δὲ ἑκάστῳ
Παῖδες τριήκοντα διαίδιχα εἶδος ἔχουσαι.
ΑΙ μὲν λευκαὶ ἔασιν ἰδεῖν, αἱ δ' αὖτε μέλαιναι
Αθάναται δέ τε οὖσαι ἀποφθινύθουσιν ἅπασαι.
Eſt vnus genitor, proles duodena: ſed horum
Cuiuis triginta natæ ſunt diſpare formâ.
Hæ gaudent niueis, at fuſcis vultibus illæ.
Atque immortales cùm ſint moriuntur ad vnã.

Εστι δ' ἐνιαυτός. *Eſt autem annus.* inquit Laërtius.

Iam aſſem ex Varrone libro 4. de linguâ Latinâ in ſuas partes digeramus.

1. Vncia duodecima pars aſſis, quæ aſſem in duodecim partes æquales diuidebat.
2. Dextans, duæ vnciæ, ſexta pars aſſis.
3. Quadrans, ſiue teruncius tres vnciæ, quarta pars aſſis. *Antea triuncis vocatus à tribus vnciis.* Plinius lib. 33. cap. 3.
4. Triens, quatuor vnciæ, tertia pars aſſis.

Aſſis partes.

5. Quincunx, quinque vnciæ. non fuit propriè pars aſſis, quia aſſem æqualiter haudquaquam diuidebat. Sed duo quincunces & vnus ſextans aſſem faciebant.
6. Semis, quaſi ſemias, media pars aſſis.
7. Septunx, ſeptem vnciæ.
8. Bes, octo vnciæ, ſiue duo trientes.
7. Dodrans nouem vnciæ, ſiue tres quadrantes.
10. Dextans, decem vnciæ, ſiue decunx.
11. Deunx, vndecim vnciæ. Iuuenalis:

Vnciolam Proculeius habet, ſed Gillo deuncem.

Poſteriores tamen à ſeptunce ad deuncem partes aſſis propriè non fuerunt, quod mediam aſſis partem excederent. Iam vncia dicitur quaſi vna duodecima, ſextans, quadrans, triens, ſemis, à numero partium inter ſe æqualium quæ aſſe continentur. Quincunx, & ſeptunx à multitudine vnciarum: cæteræ appellationes per ſubtractionem ex aſſe. Varro 4. de linguâ: *A duodecim vnâ demptâ vnciâ, deunx: dextans dempto ſextante: dodrans dempto quadrante, bes, vt olim des dempto triente.* Quod Rhemmius Fannius Palæmon, ſiue, vt alij malunt, Priſcianus his verſibus expreſſit:

Vncia nam libræ ſi deeſt, dixere deuncem.
At ſi ſextantem retrahas, erit ille decuncis, &c.
Dodrantem reliquum vocitant, quadrante retracto,
Cùmque triens deſit, beſſem dixere priores.
Iidem ſeptuncem dempto quincunque vocarunt.
Poſt hæc ſemiſſis ſolidi pars maxima fertur,
Nam quæ dimidium ſuperat, pars eſſe negatur.

Hanc aſſis diuiſionem non ſolùm in re nummaria, ſed etiam in agris diuidundis, hereditatibúſve cernendis agnoſcunt Iuriſconſulti. Iulianus D. De euictionibus l. minor, fundum ita diuiſit: *Si à me beſſem fundi emeris, à Titio trientem, deinde partem dimidiam fundi à te quis petierit, ſiquidem ex beſſe quem à me acceperas, ſemis petitus fuerit, Titius non tenebitur. Si verò triens quem Titius tibi tradiderat, & ſextans ex beſſe quem à me acceperas, petitus fuerit, Titius quidem pro triente, ego pro ſextante euictionem tibi præſtabimus.* Hunc locum integrum protuli, quia in fundi diuiſione non paucas aſſis diuiſiones complectitur.

Aſſis diuiſio in agris.

Potuit tamen, vt notat Petrus Gregorius olim vniuerſitatis Muſſipontanæ Decanus, & Iuriſprudentiæ profeſſor libro 42. ſyntagmatis iuris cap. 32. Potuit, inquam teſtator: *Ex arbitrio totam diuidere hereditatem, & ex aſſe facere dipondium, id eſt, in viginti quatuor partes & quaſi ſemuncias.* Immò ſemunciam ipſam potuit in partes longè minutiores diuidere, & quaſi concerpere. Exemplum ſit in librâ ſiue aſſe ponderali, quem vbi per ſemiſſes, trientes, quadrantes, ſextantes vſque ad vnciam diuiſerant, rurſus in varias minutáſque particulas vnciam diuidebant. Vnciâ ponderali quæ duodecima pars fuit libræ Romanæ continebantur:

Vnciæ ponderalis diuiſio.

2	ſemunciæ.
3	duellæ.
4	ſiciliqui.
6	ſextulæ.
8	drachmæ.
24	ſcrupula.
80	libellæ.
160	ſembellæ.

De cæteris videbitur infra cùm de partibus libræ Atticæ diſſeremus. libellas in drachmâ decem numeraui, cùm idem videatur eſſe libella quod as argenteus, qui decima pars fuit drachmæ, ſiue denarij ex argento conflati. Varro libro quarto de lingua Latinâ: *Veteres autem cum paruam pecuniolam ſignificabant, hoc verbo vtebantur.* Plautus Pſeudolo:

Tibi libellam argenti nunquam credam.

Libella.

Pro Roſcio Comœdo 11. *Hic niſi planum facit HS* 1000 *ad libellam ſibi deleri, cauſam perdit.* Verrina de Iuriſdict. Sicilienſi 26. *Et quis Volcatio ſe ſuâ ſponte veniſſet, vnam libellam dediſſet?* Quibus locis, opinor, libella fuit minima quædam argenteæ monetæ ſpecies, quæ aſſem vnum æreum æſtimatione æquabat, erátque decima pars denarij, ac proinde huiuſmodi libellæ decem vnâ drachmâ continebantur.

Sembella.

Sembella dicta fuit, quaſi ſemilibella, teſte Varrone. Solebant enim antiqui in huiuſmodi compoſitionibus ſyllabas elidere, vt *ſeſtertius*, quaſi *ſemiſtertius*, *ſembella*, quaſi *ſemilibella*, *ſemiliqua* in Codice Theodoſiano, pro *ſemiſiliqua*.

Huiuſmodi porrò nomina non in ponderibus ſolùm, ſed etiam in cæteris menſibus locum videntur habuiſſe. Exemplum ſit in ſiciliquo, quem Fannius in ponderibus agnoſcit:

Drachmam ſi gemines, aderit quem dicier, audis Siciliquus. -

Siciliquus. Plinius pro menſurâ longitudinis & latitudinis vſurpat libro 13. cap. 15. de menſis cedrinis, vel, vt alij malunt, citrinis agens: *Magnitudo ampliſsima adhuc fuit vnius commiſſæ ex orbibus dimidiatis duobus, à Rege Mauritaniæ Ptolemæo, quatuor pedum & ſemipedis per medium ambitum, craſsitudine quadrantali*, &c. *Item à Nomio Tiberij Cæſaris liberto cognomen trahentis, tribus ſicilicis infra quatuor pedes, totidémque infra ſemipedem craſsitudinis. Qua in re non omittendum videtur Tiberio principi menſam quatuor pedes ſextante & ſicilico excedentem, totâ verò craſsitudine ſeſcuncioli, operimento laminæ veſtitam fuiſſe.* Vt igitur hunc locum concludamus, as Romanus fuit quarumlibet rerum menſura, longitudinis, latitudinis, profunditatis, grauitatis, æſtimationis nummariæ, rerum ſolidarum & liquidarum. Et in eo fuerunt 2. ſemiſſes, 3. trientes, 4. quadrantes, 6. ſextantes, 12. vnciæ, 24. ſemunciæ, 36. duellæ, 48. ſicilici, 72. ſextulæ, 98. drachmæ, 288. ſcrupula, 960. libellæ, 1920. ſembellæ. Etſi non ignoro Voluſium Metianum aliter libellam explicare. *Eſt autem libella ſeſtertij decima pars, teruncius quadrageſima, quæ duæ partes iunctæ octauam ſeſtertij, id eſt, ſemiſſem efficiunt.* Sed opinor legendum, *denarij decima pars, teruncius quadrageſima.* Cùm enim ſinguli aſſes quatuor teruncios, id eſt, quater ternas vncias haberent, & denarius aſſes denos colligeret, conſtat teruncium quadrageſimam eſſe partem drachmæ ſiue denarij.

(Margin: As varius.)

As in re nummaria. As in re nummariâ triplex fuit pro diuerſitate metallorum, è quibus nummi feriebantur. æreus, qui dictus fuit as abſolutè, argenteus, aureus metallorum inter ſe proportione ſeruatâ. Et quidem cum plura ſint æris genera. Ductile & caldarium: è quibus ductile, quia fuſile eſt, & ductile ſimul, caldārio longè præfertur. Cúmque rurſus ductile in duas ſpecies diuidatur, coronarium & regulare, & regulare coronario præferatur, operæpretium eſt proportionem æris ad argentum non à quouis ære ſumere, ſed à ſolo regulari. Plinius libro 34. cap. 8. *In Cyprio coronarium, & regulare eſt, vtrumque ductile.* Item: *Caldarium funditur tantùm, malleis fragile, quibus regulare obſequitur, ab aliis ductile appellatum, quale omne Cyprium eſt.* Paulò pòſt: *Omne enim purgatis diligentius igni vitiis excoctíſque regulare eſt.* Quare pleróſque nummos æreos videmus ex ære primæ notæ, id eſt, ex ductili & rubro, quod noſtri *roſetam.* quaſi æris florem & roſam appellant, eſſe percuſſos. Ab hoc igitur ære primario reliqui æris æſtimationem & proportionem cum argento capiamus.

(Margin: Æs ductile. Æs caldariū. Æs coronarium.)

Argenti ad æs proportio. Plinius libro 33. cap. 3. *Argentum ſignatum eſt anno vrbis* DLXXXV. *Qu. Ogulnio & C. Fabio Conſulibus quinque annis ante primum bellum Punicum. Et placuit denarius pro decem libris æris, quinarius pro quinque, ſeſtertium pro dupondio & ſemiſſe. libræ autem pondus æris imminutum bello Punico primo, cùm impenſis Reſpub. non ſufficeret, conſtitutúmque vt aſſes ſextantario pondere ferirentur. Ita quinque partes factæ lucri diſſolutúmque æs alienum.* Ergo ita diminutum eſt pondus denarij, vt hi recentiores, dextantem, id eſt, duas vncias ſine ſextam ſuperiorum partem pondere continerent. *Poſtea Annibale vrgente, Qu. Fabio Dictatore vnciales facti.* Et ita primi illius denarij pondus duodecim Fabianos denarios colligebat: *Mox lege Papyriâ ſemunciales facti.* Et ita Papyrianus denarius vigeſima quarta pars fuit primi denarij. Cùm autem, vt pòſt videbimus, denarij qui poſt legem Papyriam ad Traianum vſque percuſſi ſunt, ad Atticæ drachmæ pondus acceſſerint, denarius ille primus viginti quatuor argenti drachmas, id eſt, tres vncias continebat. Nam, vt ſæpè dicendum eſt,

Vncia ſit drachmis bis quattuor. -

inquit Fannius:

Vnciáque in libra pars eſt quæ menſis in anno.

As argenteus quadraginta æreis æſtimatus. Cúmque tres argenti vnciæ decem regularis æris libris, id eſt, centum & viginti vnciis permutarentur, ſi centum & viginti per tria diuiſeris, inuenies vnciam argenti quadraginta regularis æris vnciis æſtimatam fuiſſe, atque ita æs ad argentum 1. ad 40. proportionem habuiſſe, vt pro vnâ argenti librâ quadraginta æris puri libræ penderentur, ac proinde quadraginta æreis aſſibus æſtimabatur as argenteus.

Quod ad æs caldarium ſpectat illud in gloſſis nomicis, inuenies, vt infra dicemus, ad argentum 1. ad 120. rationem habuiſſe, immò illud æs inferioris etiam notæ fuit. quod 1. ad 125. cum argento proportionem habuit, vt notat Sauotus ex l. 2. lib. 10. C. Theodoſ. 4. 21. De collatione æris. Sed menſuram & æſtimationem aſſis argentei à regulari ſumimus. quod vt vocatur, ita fuit regula cæterorum.

Auri ad argentum proportio. Aurum cum argento comparatum Heroicis temporibus proportionem habuit 1. ad 11 $\frac{1}{9}$. Darius Hyſtaſpis apud Herodotum libro tertio: Τὸ χρυσίον τρισκαιδεκαστάσιον λογιζόμενον, *aurum 1. ad 13. proportione æſtimatum* exegit. Apud Romanos cùm primùm aureus nummus percuſſus eſt, in magnâ auri paucitate, vna auri libra quindecim argenti libris fuit æſtimata: paulò pòſt tamen in 1. ad 10. proportionem deuenit, vt in ſingulas auri libras denæ tantùm argenti libræ penderentur, in eóque diutiùs ſtetit auri ad argentum collatio, vt infrà probabitur, vbi de æſtimatione pondo tam auri quàm argenti diſſeremus: & ab hac 1. ad 10. analogiâ æſtimatio aſſis aurei manauit, vt videlicet as aureus denos aſſes argenteos, quadringenos æreos pretio contineret. Et quamuis ſecutis deinde temporibus ea metallorum inter ſe proportio mutata fuerit, eadem tamen aſſis, vt eſt menſura & canon rei nummariæ, æſtimatio permanſit.

1	as ſiue æreus.
40	argenteus.
400	aureus.

Et ita centuſſis quem argenteum nummum infra vocabimus, centum aſſes æreos, duos aſſes argenteos cum ſemiſſe numerabat: quo pacto ſeſtertius argenteus etiam dici

potuiſſet. ſic æreus millies repetitus habebat ad aſſem aureum proportionem ſeſtertiam: pondo tamen dicebatur ea ſumma, quæ, ſi viſum ita fuiſſet, ſeſtertius aureus vocari potuiſſet.

Ab aſſe dicebatur ſeſtertius, qui duos aſſes cum ſemiſſe continebat. à ſeſtertio nummo ſummas pecuniarias computabant, & quemadmodum numerando promotionibus vndecim, ab vnitate in quincuplum, à quincuplo ad duplum, rurſus à duplo ad quincuplum progreſſi notas variabant; ita à ſeſtertio ad ſeſtertij quadruplum, à quadruplo ad ſeſtertium, rurſus à ſeſtertio ad quadruplum, & ita deinceps computationem ſummæ pecuniariæ promouebant. Et quamuis, vix aut ne vix quidem ſummas ad aſſem redigebant, tamen perſpicuitatis cauſſâ, tabulam progreſſionis per aſſem operæpretium fuerit exhibere, antequam veniamus ad progreſſionem per ſeſtertios.

Seſtertius.

Tabula progreſſionis per aſſem.

1	as.
$2\frac{1}{2}$	ſeſtertius, ſiue nummus.
10	denarius.
25	denarius nummus.
100	centuſſis.
250	aureus.
1000	pondo.
2500	ſeſtertium.
10000	pondo auri.
25000	ſeſtertium auri.

Tabula progreſſionis per ſeſtertios.

1	ſeſtertius, ſiue nummus.
4	denarius.
10	denarius nummus.
40	centuſſis, ſiue argenteus.
100	aureus.
400	pondo.
1000	ſeſtertium.
4000	pondo auri.
10000	ſeſtertium auri.
40000	
100000	
400000	Cenſus equeſtris.
1000000	Decies.

Has autem progreſſiones per numeros ſeſtertios & quadruplos commoditatis cauſſâ faciebant. Nam quaternarius numerus, quique ex eo per quaternarios quantumlibet in ſe replicato naſcuntur. numeri ſunt ad diuiſionem aptiſſimi, & per partes medias proportionales, vt loquuntur, vſque ad vnitatem bifariam diuiduntur, vt quater quatuor ſunt ſedecim, quater quatuor quater ſunt ſexaginta quatuor, quæ ſic bifariam ad vnitatem vſque diuidentur 64. 32. 16. 8. 4. 2. 1. Rurſum numerus ad quaternarium ſeſtertius, id eſt, ſexqui alteram proportionem habens rotundus eſt & abſolutus, vt 4. 10. 8. 20. 16. 40. 32. 80. 64. 160. & ita deinceps. Adde quòd in ſeſtertiâ & quadruplâ progreſſione alterni numeri decuplo ſe ſemper excedunt. vt 1. 10. 4. 40. 10. 100. 40. 400. 100. 1000. & ita de cæteris. Vnde varia genera denariorum emergunt, & eadem aſſium ſumma reſpectu ſuperioris & inferioris dici potuit denarius, vt denarius abſolutè denos aſſes continet, & decies centuſſi ſiue argenteo continetur, denarius nummus denos nummos ſiue ſeſtertios, & decies in aureo replicatur. Quare aliud videtur fuiſſe denarius argentei, aliud denarius argenteus, aliud denarius aurei, aliud denarius aureus. denarius argentei fuit denarius abſolutè dictus, qui & denos aſſes habebat, & decima pars erat vnius argentei, denarius nummus dici potuit, denarius aurei, quod aurei decima pars eſſet. Sit igitur hic denariorum indiculus.

10	denarius, ſiue denarius argentei.
25	denarius nummus, ſiue denarius aurei.
100	denarius argenteus, vel etiam nummus argenteus.
250	denarius aureus.

Sic pondo decem argenteos, ſeſtertium item denos aureos continebat.

Iam vt ad dictorum probationem nummi denariique pretium examinemus, & à notis ad incognita, à certis ad dubia, à conceſſis ad controuerſa veniamus, conſentiunt omnes ſeſtertium duobus aſſibus cum ſemiſſe æſtimari, quod ex Varrone, Plinio, Voluſio, Metiano & Priſciano probarunt viri doctiſſimi: *Eſt enim*, inquit Varro, *veteris conſuetudinis vt retro æra dicerentur, ita vt ſemis tertius, ſemis quartus pronuntiarent. Abſemiſtertius ſeſtertius dictus.* Hæc Varro. Videlicet imitatione Græcorum, qui duo talenta cum ſemiſſe his verbis exprimunt τρίτον ἡμιτάλαντον, *talentum ſeſtertium*, vt aduertit Suidas. Idem porro fuit nummus & ſeſtertius. Id ex eo liquet quod & nummus & ſeſtertius quarta pars eſſet drachmæ, ſiue denarij: Siquidem quinque & ſeptuaginta drachmæ non ſolùm trecentis nummis, ſed etiam trecentis ſeſtertiis æſtimantur. De ſeſtertiis Tranquillus in Iulio cap. 83. *Populo hortos circa Tiberim publicè, & viritim trecenos ſeſtertios legauit.* Eam ſummam Plutarchus in Antonio ſeptuaginta quinque drachmas appellat, & in apophthegmatis Augusti: Ἀποδοῦναι βουλόμενος τὸ καταλειφθὲν ὑπὸ Καίσαρος ἑκάστῳ δραχμὰς ἑβδομήκοντα πέντε. *Reddere volens id quod à Cæſare teſtamento legatum fuerat, quinque & ſeptuaginta drachmas viritim.* Quem numerum ſi per quatuor duxeris, inuenies 75. drachmis, ſiue denariis trecenos ſeſtertios contineri.

Nummus idē quod ſeſtertius.

De nummis idem Tranquillus eodem libro cap. 38. *Populo præter frumenti denos modios, ac totidem olei libras, trecenos nummos quos pollicitus olim erat, viritim diuiſit, & hoc amplius centenos pro morâ.* Dio libro 43. Τόν τε δῆμον λαμπρῶς εἱστίασε, καὶ σῖτον ἔξω τοῦ τεταγμένου καὶ ἔλαιον προσέδωκεν αὐτῷ. Καὶ τῷ μὲν σιτοδοτουμένῳ ὄχλῳ τάς τε ἑβδομήκοντα καὶ πέντε δραχμὰς, ἃς προϋπέσχετο, καὶ ἑτέρας πέντε καὶ εἴκοσι, τοῖς δὲ δὴ στρατιώταις πεντακισχιλίας ὅλας διένειμεν. *Populo ſplendidum dedit epulum, & frumentum extraordinarium oleúmque adiecit: & plebi de publico frumentum accipienti quinque & ſeptuaginta drachmas, quas antè promiſerat, & inſuper alias viginti quinque, militibus autem ſolida quinque drachmarum millia diuiſit.* E quibus aduertis non ſolùm eandem æſtimationem eſſe nummi & ſeſtertij, ſed etiam ſeſtertium nummum quartam eſſe partem drachmæ, ſiue, vt Romano more loquamur, denarij.

Quod ſpectat ad quinquies mille drachmas à Cæſare militibus donatiui nomine diſtributas, ſi ſingulis drachmis quatuor nummos attribueris, efficient vicena millia nummorum, vnde Tranquillum emendes loco proximè citato. *Veteranis legionibus prædæ nomine in pedites ſingulos ſuper bina ſeſtertia, quæ initio ciuilis tumultus numerauerat, in equites vicena quaterna millia nummûm dedit.* Turbatus eſt ordo verborum, ſic reſtituo. *Veteranis legionibus (ſuper bina ſeſtertia, quæ initio ciuilis tumultus in pedites ſingulos numerauerat, in equites quaterna) vicena millia nummûm dedit.*

Denarius, vt nomen ipſum ſonat, denos aſſes, ac proinde quatuor ſeſtertios continebat. Idque tum è iam dictis patere poteſt, tum ex aliis ſexcentis, & præſertim Cicerone frumentariâ in Verrem 188. *Frumenti modios ſingulos cum aratoribus denariis ternis æſtimauit.* & 189. *Iſte pro tritici modiis ſingulis ternos ab aratoribus denarios exegit.* & 194. *Duodenos ſeſtertios exegiſti.* Ergo duodeni ſeſtertij faciunt ternos denarios, ac proinde denarius quaternis ſeſtertiis æſtimatur. & clariùs 195. *Cùm tibi Senatus ex ærario pecuniam promiſiſſet, & ſingulos tibi denarios adnumeraſſet, quos tu pro ſingulis modiis aratoribus ſolueres, quid facere debuiſti?* Mox 196. arator ita Verrem alloquitur. *Quid ergo à me tibi nummorum dari poteſt, cùm Senatus tibi quaternos HS. dederit?* Reſpondet Verres. 197. *Quaternos HS. quos mihi Senatus decreuit, & ex ærario dedit, ego habebo, & in ciſtam transferam ex fiſco.*

Denarius HS quatuor æſtimatus.

Denarius nummus.

Denarius nummus, vt ipſa vox indicat, denos nummos habuit, id eſt denos HS, ac proinde aſſes quinque & viginti. Etiam ſportula videtur fuiſſe, de qua Iuuenalis ſat. 10.

Defoſſa in loculis quos ſportula fecit amicos.

Cùm enim priùs patroni clientes ſuos ad cœnam rectam, vt loquebantur, adhiberent, cibos clientibus moleſtiæ vitandæ cauſſâ, diuidere cœperunt. Iuuenalis ſat. 3.

Sportula.

Nónne vides quanto celebretur ſportula fumo?
Centum conuiuæ, ſequitur ſua quemque culina.

Ammianus libro 14. vt Tranquillum & alios omittam, *Cùm autem interuallata temporibus conuiuia longa & noxia cœperint appellari, vel diſtributio ſolennium ſportularum.* Deinde vt ſe parandorum ciborum moleſtiâ liberarent, centum quadrantes, id eſt aſſes viginti quinque, ſiue decem nummos ſeſtertios clientibus dederunt. Iuuenalis ſat. 1.

Sed cùm ſummus honos finito computet anno
Sportula quid referat, quantū rationibus addat,
Quid facient comites quibus hinc toga, calceus hinc eſt,
Et panis fumúſque domi. Denſiſſima centum
Quadrantes lectica petit, &c.

Martialis lib. 3. epiſt. 7.

Centum miſelli iam valete quadrantes,
Anteambulonis congiarium laſſi, &c.
Regis ſuperbi ſportulæ receſſerunt.

Lib. 10. epiſt. 75.

Sportula nos iunxit quadrantibus arida centum.

Et lib. 1. epiſt. 60.

Dat Baiana mihi quadrantes ſportula centum.

Dicta ſportula, quod cibi in paruis ſportis, id eſt in paruis corbibus è ſparto contextis ponerentur. Sed vide ibi Raderum noſtrum Martialis eruditum interpretem, tum locis citatis, tum lib. 8. epiſt. 50.

Promiſſa eſt nobis ſportula, recta data eſt.

Gentuſſis ipſo nomine ſatis indicat ſe centum aſſibus, id eſt quadraginta ſeſtertiis æſtimari. erátque aſſis argentei ſeſtertius, vnde, quemadmodum ſeſtertius æris nummus abſolutè diceba- tur, ita centuſſis dictus videtur fuiſſe nummus argenteus. Dici etiam potuit denarius tam reſpectu denarij quem decies continebat, quàm reſpectu vnius pondo argenti quo decies continebatur. quo poſito ſequetur Chriſtum Dominum à Iuda venditum fuiſſe triginta centuſſibus. Centuſſis.

Aureus habuit viginti quinque denarios. Dio lib. 55. χρυσοῦν γὰρ δὴ καὶ ἐγὼ τὸ νόμισμα, τὸ τὰς πέντε καὶ εἴκοσι δραχμὰς δυνάμενον κατὰ τὸ ἐπιχώριον ὀνομάζω. *Aureum more patrio nummum quinque & viginti drachmas pendentem appello.* Idem autem eſſe pretium drachmæ & denarij paulò pòſt dicetur. Xiphilinus Dionis abbreuiator in M. Antonino Philoſopho. Ἐλθὼν δ' εἰς τὴν Ῥώμην καὶ πρὸς τὸν δῆμον διαλεγόμενος, ἐπειδὴ μεταξὺ λέγοντος αὐτοῦ τά τ' ἄλλα, καὶ ὅτι πολλοῖς ἔτεσιν ἀποδεδημηκὼς ἦν, ἀνεβόησαν, ὀκτώ. καὶ τοῦτο καὶ ταῖς χερσὶν, ἵνα δὴ καὶ χρυσοῦς τοσούτους ἐς τὸ δεῖπνον λάβωσι, προσενεδείξαντο διεμειδίασε, καὶ ἔφη καὶ αὐτὸς, ὀκτώ. καὶ μετὰ ταῦτα ἀνὰ διακοσίας δραχμὰς αὐτοῖς κατένειμεν, ὅσας οὔπω πρότερον εἰλήφεσαν. *Ad vrbem accedens ad Quirites habens conciones, cùm ipſi dicenti ſe diu abfuiſſe populus acclamaſſet octo, ídque etiam manibus indicaret, vt totidem aureos congiarij nomine acciperet, ſubriſit, & ipſe etiam octo ſubiecit. deinde ducenas ſingulis drachmas diuiſit. quantum nunquam priùs acceperant.* Iam ſi ducenta per octonarium diuiſeris, inuenies viginti quinque drachmas ſingulis aureis attributas. Aureus.

Pondo æqualis æſtimationis fuit cum minâ Atticâ, mina centum drachmas colligebat, drachma Attica idem valuit quod Romanus denarius, vt paulò pòſt in animo eſt oſtendere: ergo pondo centum denarios, id eſt aſſes mille, ſiue quadringentos ſeſtertios continebat. Pondo.

Seſtertium fuit dipondium cum ſemiſſe, ac proinde mille ſeſtertios faciebat. Tamen Georgius Agricola, Franciſcus Hotomanus, aliíque viri docti, nullam inter ſeſtertios & ſeſtertia diſtinctionem eſſe contendunt, tum quòd Varro, Plinius, Voluſius, Priſcianus, nullam huius diuerſitatis fecerint mentionem, tum quòd ſeſtertius & ſeſtertium eâdem notâ ſcriberentur, tum quòd quæcunque de ſeſtertio, quod magnum vocamus, dicuntur, ea de ſeſtertio nummo poſſint explicari, tum denique quod ſeſtertia nonnunquam pro mediocri ſummâ ponantur, vt apud Martialem, Seſtertium.

Mutua viginti ſeſtertia fortè rogabam,
Quæ vel donanti non graue munus erant.

Hæ fuerunt cauſſæ viris eruditis cur à regiâ viâ diſcederent: ſed eſto, Plinius & alij diuerſitatis huius non meminerint, ij tamen ſeſtertium pro mille ſeſtertiis frequenter vſurpant. verbi cauſſâ Plinius lib. 7. cap. 39. *Quippe cùm iam apud maiores Roſcius hiſtrio ſeſtertia quingenta annua meritaſſe prodatur.* quod de minoribus illis ſeſtertiis nummis intelligi non poteſt. cùm Roſcius, vt auctor eſt Macrobius libro 3. Saturn. cap. 14. *Mercedem diurnam de publico mille denarios, ſine gregalibus ſolus acceperit.* Id eſt quatuor ſeſter-

tiorum nummûm millia, ſiue quatuor ſeſtertia. ergo ſi vno anno cxxv. diebus in ſcenam producebatur, potuit mereri quingenta ſeſtertia, vel ſaltem, vt ait Cicero pro Roſcio Comœdo 23. trecenta millia HS. imò §. proximè ſequenti duplicat numerum. *Decem his annis proximis ſexagies honeſtiſſimè conſequi potuit.* quæ ſumma in ſingulos annos efficeret ſexcenta ſeſtertia, ſiue ſexcenta millia nummûm ſeſtertiûm, id eſt centum quinquaginta denariorum millia, vt è dicendis infrà conſtabit.

Quomodo differant ſeſtertius & ſeſtertium.

Seſtertium autem non mediocrem eſſe ſummam liquet ex Iuuenale ſat. 1.

Ecquando vberior vitiorum copia? quando
Maiòr auaritiæ patuit ſinus? alea quando
Hos animos? neque enim loculis comitantibus itur
Ad caſum tabulæ, poſitâ ſed luditur arcâ.
Prælia quanta illic diſpenſatore videbis
Armigero? ſimpléxque furor ſeſtertia centum
Sumere & horrenti tunicam non reddere ſeruo?

Vides ſeſtertia centum ſummam eſſe tantam, vt non poſſit loculis contineri. at ſi eſſet idem ſeſtertium & ſeſtertius, centum illa ſeſtertia efficerent vnum duntaxat aureum Romanum, id eſt, viginti quinque denarios. Satyra 7.

Hos inter ſumptus ſeſtertia Quintiliano
Vt multum duo ſufficient.-

vbi ridiculum eſt interpretari duos nummos ſeſtertios, id eſt aſſes quinque. Nam cùm paulò pòſt de grammaticorum mercede dixiſſet,

Minus eſt autem quàm Rhetoris æra.

Subiecit:

-Et cùm ſe verterit annus
Accipe victori populus quod poſtulat aurum.

vbi Scholiaſtes: *Vt in theatro ſolent petere quinque aureos. nam non licebat amplius dare.* Iulius Capitolinus in Marco: *Temperauit ſcenicas donationes, iubens vt quinos aureos ſcenici acciperent: ita tamen vt nullus editor decem aureos egrederetur.* quare quod ait Seneca de hiſtrione ep. 81. *Quinque modios accipit, & quinque denarios.* aut Lucianus in Icaromenippo: γελοῖον ἀνθρώπιον ἑπτὰ δραχμῶν ἐς τὸν ἀγῶνα μεμισθωμένον. *Ridiculus homuncio ſeptem denariis ad certamen conductus*, id de mercede diurna, non de præmio victoribus dato debet intelligi. Iam ſi duo ſeſtertia Rhetori data ſuperant mercedem grammatico datam, id eſt quinque aureos, & quinque aurei continent quingentos nummos ſeſtertios, palàm eſt magnam diuerſitatem eſſe inter ſeſtertios & ſeſtertia. Tranquillus in Iulio cap. 38. *Bina ſeſtertia quæ initio ciuilis tumultus numerauerat.* I nunc, & contende binos tantùm ſeſtertios, id eſt aſſes quinque militibus viritim à Cæſare fuiſſe diſtributos. Continebat autem mille ſeſtertios. Iuuenalis ſat 4.

-mullum ſex millibus emit
Æquantem ſanè paribus ſeſtertia libris.

Id eſt emit mullum ſex millibus nummûm qui ſex libras pendebat, & numero librarum æquabat ſeſtertia. Noſter frumentariâ 117. *Si quis villicus ex ſuo fundo, cui ſeſtertia dena merces eſſet, exciſis arboribus ac venditis, demptis tegulis, inſtrumento pecore abalienato, domino* x x. *millia nummûm pro* x. *miſerit, ſibi alia præterea centum confecerit, primo dominus ignarus incommodi ſui gaudeat, villicóque delectetur, quod tantò ſibi plus mercedis ex fundo receptum ſit, deinde*, &c. vbi quod priore loco *dena ſeſtertia* dixerat, *poſteriore dena millia nummûm* appellat.

Etſi autem veteres ſeſtertium vtrumque eâdem notâ ſignauerint LLS, vel HS, quibus indicatur vel duos aſſes cum ſemiſſe, vel duo pondo cum ſemiſſe ſeſtertio contineri, facilè tamen fuit diuerſitatem agnoſcere. Et quidem in primo & quarto caſu facillimum: aliud eſt enim dicere, *numerati ſunt deni ſeſtertij*, aliud *numerata ſunt dena ſeſtertia.* aliud *habeo decem ſeſtertios*, aliud *habeo decem ſeſtertia.* Adde quod in ſecundo caſu duas ſyllabas in vnam per ſyncopem contrahebant, cùm volebant indicare ſeſtertios, non contrahebant ſignificantes ſeſtertia, vt centum ſeſtertiûm millia ſignificabant centies mille ſeſtertios. In cæteris caſibus ad vitandam æquiuocationem plerumque *nummos* addebant, cùm de ſeſtertiis minoribus loquerentur. vt *conſiſtit ea res ternis ſeſtertiis nummis.* vel ex antecedentibus & conſequentibus facilè intelligebatur de quibus ſeſtertiis facerent mentionem. vt Verrinâ frumentariâ 188. *Cùm ex SC. & ex legibus frumentum ei in cellam ſumere liceret, idque Senatus ita æſtimaſſet, quaternis LL tritici modium, binis hordei: iſte numero ad ſummam tritici modios ſingulos cum aratoribus denariis ternis æſtimauit.* Quid? quod cùm ad mille ſeſtertia peruenerant, aliter numerabant ſeſtertios nummos, aliter ſeſtertia. ſed vt infra videbitur non dicebant mille ſeſtertia, ſed decies, quam ſummam explicabant per decies centena millia ſeſtertiorum nummorum. ita cùm leges HS cIↄ. cccIↄↄↄ. interpretare ſeſtertios: adeò vt etiam ſi pecuniæ nota LLS vtriuſque vna & eadem eſſet, eam tamen appoſitus numerus ſatis ſupérque diſtingueret. Quid? quod cùm de ſeſtertiis maioribus agebant ſuper numerũ lineam tranſuerſam ducebant, vt epiſt. 5. lib. 1. ad Atticum: *Luc. Cincio* LLS $\overline{XX}$ CD *conſtitui me curaturum Idibus Februarij.* id eſt viginti ſeſtertia, & inſuper quadringentos ſeſtertios. nam epiſtolâ ſequenti ita numerum eundem expreſſit. *L. Cincio* LLS. ccIↄↄ. ccIↄↄ. cccc. *pro ſignis Megaricis, vt tu ad me ſcripſeras curaui.* Quid ſi olim inter vtriuſque ſeſtertij diſtinctio fuit, quam deinde librariorum ignoratio confuderit? Mihi certè probabile eſt minoris ſeſtertij notam fuiſſe HS, quæ duabus monadibus tranſuerſâ lineâ coniunctis duos aſſes indicaret: Notam ſeſtertij maioris fuiſſe LLS, quæ duabus primus literis libras duas, poſteriore ſelibram denotaret. Quod ſpectat ad locum Martialis non video cur viginti ſeſtertia mutua, id eſt aureos Romanos ducentos rogare non potuerit, neque ſanè homini opulento ducentorum aureorum munus donanti admodum graue futurum erat.

Pondo auri quaternis HS millibus æſtimaui. Pondo auri. Quòd paulò pòſt quàm aureus nummus percuſſus eſt aurum argento decuplâ proportione præcelleret. Liuius libro 38. Ætolis poſtulantibus: *Pro argento ſi aurum dare mallent, darent, conuenit: dum pro argenteis decem aureus nummus valeret.* Hinc fortaſſe Plinij locus ille celebris emendari poſſit, lib. 33. cap. 3. *Aureus nummus poſt aurum* LXII. *percuſſus eſt, quàm argenteus. Itant ſcrupulum valeret ſeſtertiis vicenis, quod efficit in libras ratione ſeſtertiorum qui tunc erant,*

ſeſtertios DCCCC. Hæc verba vix ſatis poſſunt explicari. Nam cùm in pondo ſiue libra ſint centum drachmæ, vel ſaltem, vt infra dicemus, ſex & nonaginta, & terni in ſingulis drachmis ſcrupuli, habebis in libras ſingulas ſexies mille, vel ſaltem quinquies mille ſeptingentos ſexaginta ſeſtertios. Ludouicus Sauotus vir eruditus lib. de pondere & pretio antiquorum numiſmatum, parte 3. in huius loci explicatione fusè confutat Portium, Hotomannum, Pancirolam, Vilalpandum & imprimis burdouicam Scaligeri inſulſitatē oſtendit, ipſe vt aliquid extricet, procudit nouos ſeſtertios communibus longè grauiores, adeò vt grauiores illi ſeſtertij communes ſeſtertios $6\frac{3}{10}$ continerent, ſi libram ſex & nonaginta drachmis æſtimemus, at ſi centum drachmis æſtimare velis pondo Romanum, in vno illo grauiore ſeſtertio, quem fingit, ſeſtertij communes $6\frac{2}{3}$ colligētur. Verùm cùm, vt ex Plinio diſcimus ibidem, *Argentum ſignatum ſit anno vrbis* ƆIƆLXXXV. *Q. Fabio Conſule, quinque annis ante primum bellum Punicum, & aureus nummus poſt annum* LXII. *percuſſus ſit quàm argenteus*. id eſt anno ab vrbe condita 547. ab eo tempore quo aureus percuſſus eſt ad ſeculum Plinianum, non videtur tanta ponderum in feriendis nummis facta fuiſſe mutatio. Ego certè, vt infrà dicam, denarios & quinarios M. Aquilij, M. Metelli, M. Fonteij, Pompeij Magni, P. Craſſi, M. Catonis ab erudito viro P. Ioanne Baptiſtâ Machoto noſtræ Societatis mihi communicatos diligenter examinans, eóſque cum Auguſtorum primorum denariis conferens, nihil inueni diſcriminis quod momenti alicuius eſſe videatur. Quare non inuitis fortaſſe muſis numerum Plinianum mutauerim. & pro IƆCCCC. nongentos, inuerſis tantiſper notis repoſuerim IƆƆCIƆ ſena millia: quo pacto cæteris notis iiſdē manētibus, ſed tantiſper inuerſis, c penultimum in I mutabitur. Sed quidquid ſit de lectione & emendatione noſtrâ, habemus ex hoc loco ſcrupulū auri valuiſſe ſeſtertiis vicenis: ſeſtertij porrò viceni faciunt quinque denarios ſiue drachmas, drachmæ quinque ſunt ſcrupuli quindecim: nam vt ait Rhemmius Palæmon,

In ſcrupulis ternis drachma eſt, quo pondere doctis
Argenti facilis ſignatur pondus Athenis.

Anri ad argentum proportio.

Ergo quo tempore primùm nummus aureus percuſſus eſt, vnus auri ſcrupulus quindecim argenti ſcrupulis æſtimabatur: ac proinde auri pondo, quindecim argenti pondo, ſiue ſena ſeſtertia continebat. Paulò pòſt tamen deuentum eſt ad illam auri & argenti decuplam proportionem, de qua inter Senatum Romanum & Ætolos cōuenit. Nam ſubdit Plinius: *Poſt hac placuit* XL.M. *ſignari ex auri libris, paulatímque principes imminuere pondus, minutiſſimus verò ad* XLV.M. Hoc iterum torquet, & in varias partes diſtrahit omnes ſcriptores de re nummariâ, & præſertim Ioſephum Scaligerum in abſurdiſſimas quaſque abſurditates impingit, vt ibidem aduertit Sauotus 3. parte, cap. 10. Ego prætermiſſis aliorum opinionibus, quas idem eruditè confutat, ne ipſius quidem Sauoti ſententiam poſſum probare qui hæc verba, *placuit* XL.M. *ſignari ex auri libris*. ita exponit, vt litera M ſignificet *minime*, vel *minùs*, id eſt, vt interpretatur, *paulò minùs*. Verùm cùm ſatis oſtendat Plinius ſe præcisè loqui, vt loquendum fuit examinanti auri pretiū, hæc explicatio non arridet. Superiùs enim, vt præcisè loqueretur, adiecit *ratione ſeſtertiorum qui tunc erant*. quamuis, vt ſuperiùs probaui, ab æuo Ciceronis ad æuum Plinij, nihil penè fuerit ex denarij & ſeſtertij pondere demiinutum. Quare, quod pace doctiſſimorum virorum dictum velim, notam M. in X. muto hoc ſenſu, *placuit quadraginta denarios ſignari ex auri libris*. Id eſt quadraginta denarios aureos. Ex quo ſequetur præcisè auri ad argentum decuplam fuiſſe proportionem, paulò pòſt quàm denarius aureus percuſſus eſt. ſi enim auri pondo quadraginta aureis æſtimabatur, aureus centum ſeſtertiis nummis, argenti pondo quadringentis ſeſtertiis, id eſt quaternis aureis permutabatur, neceſſe eſt eam inter argenti & auri pondo fuiſſe proportionem, quæ eſt inter 4. & 40. id eſt 1. ad 10. quam Iulius Pollux lib. 9. cap. 6. Zonaras in annalibus, aliiq; frequenter agnoſcunt. & ſanè eodem ipſo capite aureum denarium Plinius vocarat. *Proximum ſcelus fecit qui primus ex auro denarium ſignauit.* Neque rara eſt notæ X in M mutatio, (vt notant critici) librariorum vel ignoratione, vel incuriâ. Ex hac decuplâ auri ad argentum proportione factum eſt, vt decem argenti pondo vnius auri pondo æſtimatione penſarentur, & quatuor ſeſtertia *pondo auri* nomen obtinerent. Non ignoro ſecutis temporibus hanc auri ad argentum mutatam eſſe rationē. quod verbis citatis Plinius apertè teſtatur: *Paulatímque principes imminuere pondus: minutiſſimus verò ad* XLV.X. ſiue quòd aurum tum rarius erat, ſiue quòd principes leuiores auri denarios feriebant, vt in ſingulas auri libras aureos quinque lucro apponerent. Nam ſi pondo argenti quatuor aureis, pondo auri quadraginta quinque aureis Romanis æſtimetur, argentum eam habebit ad aurum proportionem quam 1. ad $11\frac{1}{4}$. Immò Plinius lib. 19. cap. 1. de lino byſſino agens, *Quaternis*, inquit, *denariis ſcrupula eius permutata quondam, vt auri reperio.* Quaterni denarij duodecim argenti ſcrupulos colligunt, ergo vnum auri ſcrupulum aliquando duodecim argenti ſcrupulis fuit æſtimatum. ſicut contra Iulius Cæſar, vt ait Tranquillus in eius vitâ, cap. 54. *In Galliâ fana templáque Deûm donis referta expilauit, vrbes diruit ſæpius ob prædam quàm ob delictum: vnde factum vt auro abundaret, terníſque millibus nummûm in libras promercale per Italiam prouinciáſque diuideret.* Id eſt vt argentum eam ad aurum rationē haberet quam 1. ad $7\frac{1}{2}$, vt reperies ſi terna millia nūmûm per quadringentos diuiſeris. Sed quāuis, vt initio de ſeſtertio monebamus, ſi materiam ſpectes, eius æſtimatio fuerit ſubinde variata, prout magis vel minus abundaret, tamen auri pondo quatenus conſideratur tanquam canon ſiue menſura rei nummariæ, ſibi ſemper & vbique conſtabat, & quadraginta denarios aureos, decem argenti pondo, quatuor ſeſtertia colligebat.

Auri quando maxima copia.

Seſtertium auri.

Seſtertium auri duo auri pondo cum ſemiſſe faciebat, id eſt centum aureos, viginti quinque argenti pondo, decem ſeſtertia, ducentos quinquaginta denarios, ſequentes duæ progreſſiones nomen haudquaquam habuerunt.

Cenſus equeſtris.

Cenſus equeſtris dicebantur quadringenta

ſeſtertia. Iuuenalis ſatyra 14.

Pone duos equites, fac altera quadringenta.

Vide quæ diximus ad Sextianam 110. cùm de ornamentis equeſtris ordinis ageremus.

Decies. Decies habebat duos equeſtres ordines cum ſemiſſe, & dicebatur paſſim *Decies*, ſine adiecto, vel decies centena, decies centena millia, decies centena millia ſeſtertiûm. *Decies centena.* Horatius lib. 1. ſat. 3.

- Decies centena dediſſes.

Iuuenalis ſat. 6.

- Et ritu decies centena dabuntur
Antiquo.

Martialis lib. 2. epigr. 65.

Illa, illa diues mortua eſt Secundilla,
Centena decies quæ tibi dedit dotis.

Decies centena millia. Martialis lib. 1. ep. 104.

Si dederint ſuperi decies mihi millia centum.

Noſter in Verrem de prætura vrbana 28. narrat, *Dionem LLS decies centena millia numeraſſe vt cauſam certiſſimam obtineret.* lego *vndecies*, vel Verrinâ de iuriſdictione Sicilienſi, legendum *Decies*, vt alteruter ex alterutro locus corrigatur §. 20. *Vndecies Q. Dionem, quòd hereditas ei obueniſſet, nullam aliam ob cauſſam perdidiſſe.* Capitolinus in Vero. *Omne autem conuiuium æſtimatum dicitur ſexagies centenis millibus ſeſtertiûm.* & alibi frequenter. Ceterùm antequam ad Græcorum talenta tranſeamus, aduerte ſeſtertium auri, quod denis HS millibus, ſiue ducentis quinquaginta denariis æſtimauimus aliquando follem nominari. Gloſſæ nomicæ, prout à Petauio noſtro citantur in Sanctum Epiphanium, & à Ludouico Sauoto 3. parte de ponderibus & pretio antiquorum numiſmatum cap. 13. Φόλλις σταθμός ἐστι λεγόμενος, καὶ βαλάντιον, ἕλκει δὲ δηνάρια διακόσια πεντήκοντα, τοῦτ' ἔστι λίτρας τιβ'. καὶ οὐγγίας ϛ', ὡς ἔχοντος ἑκάστου δηναρίου λίτραν α'. καὶ οὐγγίας γ'. *Follis* Follis. *pondus eſt, qui etiam dicitur crumena, continent ducentos quinquaginta denarios.* Quæ ſequuntur ſunt ſatis obſcura. ſic interpretantur viri docti. *Hoc eſt libras æris trecentas duodecim, & ſex vncias, quippe cùm vnuſquiſque denarius, habeat libram vnam & tres vncias.* E quibus colligunt argentum æri comparatum 1. ad 120. proportionem habuiſſe, id eſt vnam argenti libram centum & viginti libris æris æſtimatam fuiſſe. nam cùm denarius ex argento factus vnius drachmæ pondus haberet, erat octaua pars vnciæ, ſiquidem, vt ait Fannius Palæmon.

Vncia fit drachmis bis quatuor.

Et ſi libram cum tribus vnciis, ſiue quod idem eſt vncias quindecim in drachmas reſolueris, inuenies centum viginti drachmas æris quæ vnâ argenti drachmâ æſtimantur; ſed hæc, vt ſuprà monui, intelligenda reor de ære inferioris notæ ſiue caldario, non autem de regulari, quod proportionem habuit ad argentum tanquã 1. ad 40.

Neque verò ſolum ſeſtertium auri follem vocabant, ſed etiam ipſum nummum ſeſtertium. Vetus Scholiaſtes in arithmetica epigrammata Metrodori laudatus à Claudio Salmaſio. Οὐ τέμνουσιν, οἱ ἀριθμητικοὶ τὰς μονάδας, οὐδ' οἱ λογαριακοὶ τοὺς φόλλεις. *Neque numeratores diuidunt monadas, neque eius rationes ſupputant folles.* Lampridius in Heliogabalo: *Ad ſortem ſcenicos vocauit, cùm & canes mortuos, & libram bubulæ carnis haberet in ſorte: & item centum aureos, & mille argenteos, & centum folles æris.* Caſaubonus in eum locum *folis* non *follis* legendum eſſe contendit, & ait eſſe *verbum purum putum originis Hebraicæ* פלס *illis idem ac* שָׁקַל *ponderare.* quam vocem etiam ab Arabibus vſurpatam eſſe tradit pro quadrante. Sed ni fallor nugatur Caſaubonus. Latini enim ſaccos auri, & folles auri eadem ſignificatione dixerunt, qua nos dicimus vernaculè burſam aureorum. Martialis lib. 10. epigr. 64. Saccus.

Anteambulones & togatulos inter
Centum quadrantes plumbeos die toto,
Cùm corpus vna quindecim graues horâ
Ferueniis auri victor auferat ſaccos.

Vnde facilè crediderim, ſi propriè loquamur, follem æris fuiſſe burſam plenam centum quadrantibus: follem argenti totidem argenteis, follem auri centum item aureis crumenam plenam fuiſſe. Idem enim fuiſſe crumenam ſiue burſam & follem liquet è Iuuenale 14.

Grande operæpretium eſt vt tenſo folle reuerti
Inde domum poſſis, tumidâque ſuperbus alutâ
Oceani monſtra & iuuenes vidiſſe marinos.

Atque inde vel ad ſeſtertium nummum, vel ad aſſem follis nomen videtur redundaſſe. ſcio & aliter follem accipi, vt in gloſſis nomicis. ἔστι δὲ καὶ ἕτερος φόλλις διαφόρως ἔχων ποσότητας. ἀπὸ γὰρ δύο χρυσοῦ λιτρῶν ἀρχόμενος εἰς ὀκτὼ προέρχεται, κατὰ τὴν ἀξίαν, καὶ τὴν οὐσίαν τῶν ἀπαιτουμένων. *Eſt & alius follis diuerſam habens quantitatem. Nam à duabus auri libris incipiens in octo procedit, iuxta eorum facultates & diuitias à quibus folles exiguntur.* Sed hanc & alias follis acceptiones lubens omitto, quòd parum huc ſpectare videantur.

Iam vt ad Græcorum computationem veniamus, talentum, quatenus menſura fuit ponderum & ſupputationis rei nummariæ, duplex fuit. Alterum minimum quid, & tanquam aſſis Romanorum, à quo cæteræ naſcuntur: alterum Græcorum res nummaria. ſumma quædam menſurata, & velut complementum cæterarum. De priore Homerus 23. Iliados.

Ἱππεῦσιν μὲν πρῶτα ποδώκεσιν ἀγλά' ἄεθλα
Θῆκε γυναῖκα ἄγεσθαι ἀμύμονα ἔργ' εἰδυῖαν.
Καὶ τρίποδ' ὠτώεντα δυωκαιεικοσίμετρον.
Τῷ πρώτῳ. ἀτὰρ αὖ τῷ δευτέρῳ ἵππον ἔθηκεν,
Ἑξέτε' ἀδμήτην, βρέφος ἡμίονον κυέουσαν.
Αὐτὰρ τῷ τριτάτῳ ἄπυρον κατέθηκε λέβητα
Καλὸν, τέσσαρα μέτρα κεχανδότα, λευκὸν ἔτ' αὔτως
Τῷ δὲ τετάρτῳ θῆκε δύω χρυσοῖο τάλαντα.

Principio primis equitum ſua præmia ponit.
Primo ſerua datur operum haud ignara Mineruæ.
Binorúmque tripus, vicenorúmque metrorum.
Indomitam proponit equam, grauidámque ſecundo, Talentum.
Cuius concepto tumuerunt viſcera mulo.
Tertio item pulchro fulgentem ex ære lebeta,
Expertémque foci, menſurarúmque capacem
Quattuor. At quarto dedit auri bina talenta.

Quod talentum nihil aliud videtur fuiſſe quàm vnius oboli pondus, vt proximè dicetur.

De poſteriore Fannius Palæmon, ſiue Priſcianus libro de ponderibus & menſuris.

Quod ſummum doctis perhibetur pondus Athenis.
Nam nihil eſt obolóve minus, maiúſve talento.

Sit igitur, vt in Romanis HS fecimus, iſta in Græcorum talentis progreſſio.

1 obolus.
2 ſcrupulum ſiue gramma.
6 drachma ſiue olce.
8 ſextula.
12 ſiciliquus.
16 duella.
48 vncia.
60 cyathus.
150 acetabulum.
450 libra Attica.
600 mna.
36000 talentum.

Obolus. Obolus & pro pondere ſumitur, & pro certo genere numiſmatis: dictus obolus quòd ὀβελὸν, id eſt veru impreſſum haberet.

Scrupulum. Scrupulum, ſiue ſcrupulus duobus obolis continetur. Fannius loco citato.

Semioboli duplum eſt obolus, quem pondere duplo
Gramma vocant, noſtri ſcrupulum dixere priores. Paulò pòſt:
Grammata dicta, quod hæc viginti quatuor in ſe
Vncia habet. tot enim formis vox Græca notatur
Horis, quot mundus peragit noctémque diémque.

Drachma. Drachma, vt ait Plinius lib. 21. cap. poſtremo. *Sex obolos pondere efficit.* Fannius.

In ſcrupulis ternis drachmam, quo pondere doctis
Argenti facilis ſignatur pondus Athenis.

Sextula. Sextula drachmam vnam & vnum ſcrupulum, id eſt quatuor ſcrupula, ſiue obolos octo complectitur: ſiciliquus duas drachmas, id eſt obolos duodecim; duella duas ſextulas, id eſt octo ſcrupula, ſedecim obolos habet.

Drachmam ſi gemines, aderit quem dicier audis
Siciliquus. *Siciliquus: drachmæ ſcrupuli ſi adiectio fiet,*
Duella. *Sextula tunc fertur, nam ſex his vncia conſtat.*
Sextula cùm dupla eſt noſtri dixere duellam.

Vncia. Vncia 48. obolos, & octo drachmas habet: nam vt ſubditur,

Vncia fit drachmis bis quattuor.-

Cyathus. Acetabulum. Cyathus & acetabulum propriè fuerunt menſuræ liquidorum, tamen ad pondera transferuntur. Plinius loco citato. *Cyathus pendet per ſe drachmas decem*, id eſt obolos ſexaginta. *Cùm acetabuli menſura dicitur, ſignificat heminæ quartam partem, id eſt drachmas* XXV. lego *ſignificat minæ quartam partem.* ſiquidem vt proximè ſubdit, *Mna, quam noſtri minam vocant, pendet drachmas Atticas centum.* quòd ſi centum per viginti quinque diuiſeris, inuenies acetabuli menſuram quater minâ contineri.

Libra Attica. Libra Attica ſeptuaginta quinque drachmas, id eſt quadringentos & quinquaginta obolos habet. Fannius loco citato,

Ter quinque hanc denique drachmis,
Et ter vicenis tradunt explerier vnam.

De mnâ ſiue minâ iam liquet è Plinio, adſtipulatur & Palæmon.

-Graij
Mnam vocitant, noſtríque minam dixere priores,
Centum hæ ſunt drachmæ.-

Talentum, vt paulò pòſt clariùs patebit, habet
Sexaginta minas, ſeu vis, ſex millia drachmas.

E recenſitis Atticæ libræ partes ſolæ fuerunt obolus, gramma, drachma, acetabulum, nam libra Attica 450 obolos, 225 grammata, 75 drachmas, 3 acetabula continebat. ſextula, ſiciliquus, duella, vncia Romanorum ponderum nomina fuerunt, nec ad diuiſionem Atticæ libræ propriè pertinebant: alioquin ſi Atticam libram per eas menſuras diuiſeris, inuenies librâ Atticâ ſextulas $56\frac{1}{2}$, ſiciliquos $37\frac{1}{2}$, duellas $28\frac{1}{4}$, vncias $9\frac{3}{8}$ cótineri. Cyathus item libram Atticam non diuidebat æqualiter, nam ſi 75 drachmas per cyathos, id eſt per 10 drachmas diſtribueris, ſingulis libris $7\frac{1}{2}$ cyathi colligentur. Sit igitur iſta libræ digeſtio.

1 obolus.
2 ſcrupulum.
6 drachma.
150 acetabulum.
450 libra.

Partes autem omnes libræ minam in partes æquales diuiſerunt, quibus adiectus eſt cyathus, qui decima pars fuit minæ, & decies continebat drachmam decies minâ continebatur. Atque hactenus de ponderibus Atticis, nunc ad rem nummariam veniamus.

Ante Solonem mina fuit certa pecuniæ ſumma, quæ tribus & ſeptuaginta drachmis argenteis æſtimabatur, atque adeò duabus drachmis minor erat quàm libra: poſteà centum drachmis cœpit æſtimari. Plutarchus in Solone: Καίτοι τινὲς ἔγραψαν, ὧν ἐστιν Ἀνδροτίων, οὐκ ἀποκοπῇ χρεῶν, ἀλλὰ τόκων μετριότητι κουφισθέντας ἀγαπῆσαι τοὺς πένητας, καὶ σεισάχθειαν ὀνομάσαι τὸ φιλανθρώπευμα τοῦτο. Καὶ τὴν ἅμα τούτῳ γενομένην τῶν τε μέτρων ἐπαύξησιν, καὶ τοῦ νομίσματος τιμήν. ἑκατὸν γὰρ ἐποίησε δραχμῶν τὴν μνᾶν, πρότερον ἑβδομήκοντα καὶ τριῶν οὖσαν, ὥστε ἀριθμῷ μὲν ἴσον, δυνάμει δ' ἔλαττον ἀποδιδόντων, ὠφελεῖσθαι μὲν τοὺς ἐκτίνοντας μεγάλα, μηδὲν δὲ βλάπτεσθαι τοὺς κομιζομένους. **Mina.** *Et ſi quidam ſcripſerunt è quibus eſt Androtion, non reſciſsione debitorum, ſed moderatione æris alieni leuatos pauperes fuiſſe contentos, eámque humanitatem* σεισάχθειαν, *id eſt oneris excuſsionem nominaſſe, & eam quæ ſimul facta eſt menſurarum & æſtimationis pecuniariæ augmentationem. Mnam enim quæ priùs trium & ſeptuaginta drachmarum erat, centum drachmis fecit æſtimari. Adeò vt æqualem ſummam numero, poteſtate minorem reddentibus, magnum emolumentum acciperent qui ſoluebant, nullum caperent detrimentum qui recipiebant.* Atque inde factum vt talentum deinceps ſexagenas mnas, ſena drachmarum millia contineret. Hanc diuiſionem, vt alios omittam, confirmat egregiè Demoſthenes. De minis in Pantænetum. Ἐδανείσαμεν πέντε καὶ ἑκατὸν μνᾶς. *Minas quinque ſupra centum fœnori dedimus.* Ἦν δὲ τοῦ δανείσματος τετταράκοντα μὲν καὶ πέντε μναῖ ἐμαὶ, τάλαντον δ' Εὐέργου. *Pecunia autem fœnore occupatæ quinque & quadraginta minæ meæ erant: talentum autem Euergi.* Quod ſi è minis 105, quadraginta quinque detraxeris, 60 minæ remanebunt, quam ſummam talentum Orator appellat. De minis ſimul & drachmis locus illuſtris eſt Philippicâ primâ, vbi è ſtipendiis menſtruis ſupputat quantum in annua ſtipendia pecuniæ ſit erogandum. cùm enim dixiſſet habendos eſſe milites bis mille, equites ducentos, celeres triremes decem, ſubiecit χρήματα τοίνυν ἐστὶ μὲν ἡ τροφὴ (σιτηρέσιον τοῖς στρατευομένοις μόνον) τῇ δυνάμει ταύτῃ τάλαντα ἐνενήκοντα, καὶ μικρόν τι πρός.

Ea eſt pecuniæ ratio, vt ad alendum exercitum, & cibaria duntaxat militibus comparanda, nonaginta ſint talenta numeranda, & paulò ampliùs. id eſt nonaginta duo. Subdit: Δέκα μὲν ναυσὶ ταχείαις τετταράκοντα τάλαντα, εἴκοσιν εἰς τὴν ναῦν μναῖ τοῦ μηνὸς ἑκάστου. στρατιώταις δὲ δισχιλίοις, τοσαῦτα ἕτερα ἵνα δέκα ἕκαστος τοῦ μηνὸς ὁ στρατιώτης δραχμὰς σιτηρέσιον λαμβάνῃ. τοῖς δ᾽ ἱππεῦσι διακοσίοις οὖσιν, ἐὰν τριάκοντα δραχμὰς ἕκαστος λαμβάνῃ τοῦ μηνὸς δώδεκα τάλαντα. *Decem celeribus nauibus vicenæ minæ in nauem ſingulis menſibus, quadraginta talenta: militum duobus millibus totidem alia, vt decem ſinguli drachmas in menſem pro cibariis accipiant: Equitibus ducentis numero, ſi tricenas drachmas in menſem accipiant ſinguli, duodecim talenta.* Iam ſi decem nauibus in menſem diſtribuas minas viginti, ducentæ minæ quot menſibus pendentur, quem 200. minarum numerum ſi per duodecim menſes anni multiplicaueris, efficientur bis mille quadringentæ minæ, quas ſi per quadraginta diuiſeris, & ad talenta reuocaris, fient minæ ſexaginta ſingulis talentis attributæ. Rurſum ſi binis peditum millibus denas in capita drachmas menſtruas dederis, viginti drachmarum millia quot menſibus, ac proinde ducenta quadraginta millia quot annis erogabuntur: quem numerum drachmarum ſi per quadraginta talentûm numerum diuiſeris, inuenies ſex drachmarum millia ſingulis talentis collecta. Itidem equitibus ducentis numero, ſi tricenas drachmas in menſem accipiant ſinguli fient ſex drachmarum millia menſtrua, cúmque ad hunc ſumptum talenta quotannis duodecim requirantur, talentum vnũ quot menſibus erit pendendum, ac proinde talentum ſex drachmarum millia continebit, non modò vt eſt quædam menſura ponderum, ſed etiam vt eſt certa ſumma nummorum.

Obolus ſexta pars drachmæ.

Obolus ſexta pars fuit drachmæ non ſolùm in ponderibus, vt iam ſuprà Plinij verbis oſtenſum eſt, ſed etiã in æſtimatione rei nummariæ. Quod vt alios taceam ſic probari poteſt ex Ariſtophane in Veſpis. Iudices Athenis tres obolos pro mercede diurnâ referebant. Bdelycleon filius patrem Philocleonem, iudiciis efflictim deditum, ab hac inſaniâ ad procurationem rei familiaris abducere conatur, hac inter cæteras ratione.

-ὅστις ἂν ὑμῶν
Ὕστερος ἔλθῃ τοῦ σημείου, τὸ τριώβολον οὐ κομιεῖται,
Αὐτὸς δὲ φέρει τὸ συνηγορικὸν, δραχμὴν, κἂν ὕστερος
ἔλθῃ.

-*quicunque veſtrum*
Poſterior venerit ſigno, triobolum non feret.
Ipſe verò fert patrociny mercedem, drachmam,
& ſi poſterior venerit.

Drachma merces Oratorum.

vbi interpres: ἐλάμβανον γὰρ οἱ ῥήτορες δραχμὴν ὅτε συνηγόρουν. *Accipiebant enim Rhetores drachmam cùm patrocinabantur.* Iam priùs inter cætera iudiciorum commoda hoc retulerit Philocleon.

Ὅταν οἴκαδ᾽ ἴω τὸν μισθὸν ἔχων, κἄπειτ᾽ εἰσήκονθ᾽ ἅμα
πάντες
Ἀσπάζονται διὰ τ᾽ ἀργύριον. καὶ πρῶτα μὲν ἡ θυγάτηρ με
Ἀπονίζῃ, καὶ τὼ πόδ᾽ ἀλείφῃ, καὶ προσκύψασα φιλήσῃ,
Καὶ παππίζουσ᾽ ἅμα τῇ γλώττῃ τὸ τριώβολον ἐκκαλαμᾶται.
Cùm domum redeo mercedem habens, deinde
venientem omnes ſimul
Salutant propter argentum. Et primùm quidem
me filia
Lauat, & pedes vngit, & caput demittens oſculatur,
Et abblandiens ſimul linguâ triobolum decerpit.

Oſculãs, inquit, triobolum linguâ decerpit, quia, vt notat Caſaubonus Commentario ad Theophraſti Characteres; Mos olim fuit Athenis hominum vilium atque abiectorum qui in foro res venales habebant, vt quas pecunias ex venditione mercium ſuarum colligerent, eas in os & buccam conderent: maximè, credo, cùm eſſet turba empturientium: tum enim ne tempus ſibi aperiendâ claudendâque crumenâ periret, vt quicquid accipiebant nummorum, id ſtatim in os coniiciebant. Theophraſtus περὶ ἀπονοίας. Καὶ τοὺς τόκους, vel vt emendat Caſaubonus, Τοὺς χαλκοῦς ἐκ τοῦ ἐμπολήματος εἰς τὴν γνάθον ἐκλέγειν. *Et æreos ex venditione in maxillam colligere.* quod ille probat teſtimoniis Alexidis & Ariſtophanis, vt infrà referentur. Philocleon igitur parens & tenax veritus ne ſibi è iudiciis redeunti triobolum, quam operæ nauatæ mercedem acceperat, alicuius manticularij dolo auferretur, eam pecuniolam in buccâ referebat. Tres autem obolos medium drachmæ fuiſſe paulò pòſt oſtendit. Vbi narrat Philocleon quomodo deceptus fuerit à Lyſiſtrato, qui cum ipſo iudicarat, & drachmam iudicij diurni mercedem cum eo partiendam acceperat.

Αἴσχιστα γάρ τοί μ᾽ εἰργάσατο Λυσίστρατος
Ὁ σκωπτόλης, δραχμὴν μετ᾽ ἐμοῦ πρώην λαβὼν
Ἐλθὼν διεκερμάτιζέ μ᾽ ἐν τοῖς ἰχθύσιν.
Κἄπειτ᾽ ἐπέθηκε τρεῖς λοπίδας μοι κεστρέων,
Κἀγὼ ᾽νέκαψ᾽. ὀβολοὺς γὰρ ᾤμην λαβεῖν.
Κᾆτα βδελυχθεὶς, ὀσφρόμενος ἐξέπτυσα.
Se geßit in me peßimè Lyſiſtratus
Conuitiator, drachma cui mecum fuit,
Intérque piſces ſubdolè partitus eſt.
Deditque ternas mugilum ſquamas mihi,
Ego ratus obolos protinùs buccæ indidi,
Odor excitauit nauſeam, illas expui.

E quibus facilè animaduertis tres obolos mediã drachmæ partem eſſe, ac proinde vnâ drachmâ ſex obolos contineri: quos etiã argenteos fuiſſe, & tenues admodum hinc colligere poſſis, quòd eorum loco ſquamæ mugilum ſubiici potuerint. Obolum rurſus in decem calchos diuidebant, id eſt ærea numiſmata, quorum decem vno obolo æſtimarentur. Et in ponderibus quidem id planum eſt è Plinio lib. 21. cap. vltimo: *Drachma Attica, &c. ſex obolos pondere efficit. obolus decem chalcos.* Sic Phidolus Concionãtibus apud Ariſtophanem: Chalci.

-πωλῶν γὰρ βότρυς
Μεστὴν ἀπῆρα τὴν γνάθον χαλκῶν ἔχων.
-*vuis venditis*
Abiui ego plenam æreis buccam ferens.

Theophraſtus περὶ ἀπονοίας. χαλκοῦς ἐκλέγειν, *æra colligere.* Qui chalci dicebantur etiam oboli ærati, κόλλυβοι, σίγλαι, κρατάταλλοι, vt apud Ariſtophanem frequenter. Quare quod dixit Fannius.

Nam nihil eſt obolóve minus, maiúſve talento.

non ita capiendum eſt quaſi obolum non vltrà diuiſerint. nam & is ipſe ſemiobolum agnoſcit, & Theophraſtus loco citato. Καὶ τῆς δραχμῆς τόκον τρία ἡμιωβόλια τῆς ἡμέρας πράττεσθαι. *Pro vſurâ drachmæ cuiuſque ternos ſemiobolos in diem exigere.* Et Homerus lib. 22. minimum illud talentum quod obolum pendêre putamus, rurſum in duo ſemitalenta diuiſit, vt Romani vnciam in duas ſemuncias.

Δευτέρῳ οὖν βοῦν θῆκε μέγαν καὶ πίονα δημῷ,
Ἡμιτάλαντον δὲ χρυσοῦ λοισθῖ' ἔθηκεν.
Proponit magnúmque bouem, pinguémque ſecundo,
Auri poſtremo proponit ſemitalentum.

Quamuis, vt verum fatear, crediderim minimum iſtud talentum non tantùm vnius oboli argentei, ſed drachmæ pondus habuiſſe: alioquin, cùm auri ad argentum proportio tunc eſſet quaſi I. ad II. id eſt pro vnâ auri librâ vndecim argenti libræ penderentur, auri ſemitalentum vnâ argenti drachmâ ne quidem æſtimari potuiſſet: neque animum inducere poſſim vt credam, tam tenuè præmium vel extremo propoſitum fuiſſe.

Teruncius quadrans.

Chalcus autem minimus fuit æreorum apud Atticos, ſicut quadrans ſiue teruntius apud Romanos. Plutarchus in Cicerone, quo loco reddit rationem cur Clodia quadrantaria diceretur. Τὸ δὲ λεπτότατον τοῦ χαλκοῦ νομίσματος κουαδράντην ἐκάλουν. *Minutiſſimum autem nummum æreum quadrantem vocabant.* Dictus quadrans quod eſſet quarta pars aſſis, dictus teruntius quod tres vncias, id eſt tres aſſis duodecimas partes haberet. Fuit tamen maior chalco Atticorum, & vnus teruntius vnum chalcum cum ſemiſſe continebat. Nam cùm drachma ſex obolos efficeret, obolus decem chalcos, ſexaginta chalci fuerunt in denario: cúmque as quatuor quadrantes ſiue teruncios haberet, quadraginta tantùm teruncij fuerunt in denario. Huiuſmodi chalcos intelligit Plinius dum denarij ſexageſimas appellat, vt lib. 29. cap. I. *Etiam quarundam ſexageſima denarij imperata eſt.* & cap. 3. *Pinei corticis duabus ſexageſimis denariorum.* Et Hero lib. De pneumaticis ξ' δὲ ἀσσαρίων ὑπάρχει τὸ δηνάριον, ἑκατὸν δὲ δηναρίων ὁ ἀργυροῦς. *Sexaginta æreorum fuit denarius, centum autem denariorum argenteus.* Intellige pondo argenteum, quod vt ſuprà oſtẽdimus, millenos aſſes, quadringenos ſeſtertios, centenos denarios colligebat. Pollux tamen libro 9. cap. 4. ὁ μὲν τοι ὀβολὸς ὀκτὼ χαλκοῦς εἶχε. *Obolus autem chalcos octo colligebat.* Sed Plinio magis aſſentior, cùm Pollux chalci pretium incerto admodum argumẽto collegerit, ex eo quod Philemon ſex chalcos τετρωβόλιον appellet. Hæc enim appellatio præciſa non eſt, & quadrare poteſt, ſiue obolus octo chalcis, ſiue decem æſtimetur.

Iam vt talentum Atticum ad Romana HS reuocemus, Gellius lib. 3. noct. Attic. cap. 17. *Ariſtotelem quoque traditum*, inquit, *libros pauculos Speuſippi philoſophi poſt mortem eius emiſſe talentis Atticis tribus. Ea ſumma fuit nummi noſtri HS duo & ſeptuaginta.* Item libro 5. cap. 2. *Equus Alexandri Regis & capite & nomine Bucephalus fuit. emptum Chares ſcripſit talentis XIII. æris noſtri ſumma eſt CCCXII.* Athenæus lib. 4. Dipnoſophiſt. ὁ δὲ Περσῶν βασιλεύς, ὥς φησι Κτησίας, καὶ Δίνων ἐν τοῖς Περσικοῖς, ἐδείπνει μετ' ἀνδρῶν μυρίων πεντακισχιλίων, καὶ ἀνηλίσκετο εἰς τὸν δεῖπνον τάλαντα τετρακόσια. Γίγνεται δὲ ταῦτα Ἰταλικοῦ νομίσματος ἐν μυριάσι διακοσίαις τετταράκοντα. *Rex Perſarum, vt aiunt Cteſias & Dimon in Perſicis, epulabatur cum quindecim hominum millibus. Et inſumebantur in cœnam talenta quadringenta. Ea ſumma eſt Italicorum nummûm vicies & quater centena millia.* Iam ſi prioribus duobus locis numerum HS per numerum talentorum diuiſeris, inuenies in vtroque talentorum numerum quater, & vicies ſeſtertiorum numero comprehendi. Ergo talentum quatuor & viginti ſeſtertia continebit, id eſt ſexies mille denarios. poſteriore loco ſi numerum Italicorum numiſmatum, id eſt vicies & quater centena millia per numerum talentorum quadringentorum diuiſeris, inuenies ſingulis talentis ſena millia denariorum attributa: id eſt vicies & quater mille ſeſtertios, ſiue quatuor & viginti magna ſeſtertia. Cúmque, vt diximus, HS contineat duo pondo cum ſemiſſe, ſi viginti quatuor & ſemiſſem illius numeri, id eſt duodecim adieceris, ſexaginta pondo in talento reperies, vt facilè ſit in æſtimatione talenti, vſque ad HS nummum deuenire, vt indicat ſubiecta tabula.

Talẽtum Atticum viginti quatuor ſeſtertia continebat.

Talentum.

6 pondo auri.
24 ſeſtertia.
60 pondo.
240 aurei.
600 centuſſes.
2400 denarij nummi.
6000 denarij.
24000 ſeſtertij.
60000 aſſes.

Quare cùm ex dictis talentum Atticum ſexaginta minas, ſena drachmarum millia colligeret, hinc liquidò patet pondo Romanum Atticæ minæ, denarium drachmæ æquari, atque ita quaternos ſeſtertios vnâ drachmâ fuiſſe comprehenſos. quod etiam ex aliis auctoribus inter ſe collatis compertum eſt. Gellius libro 3. cap. 17. Platonem ait: *Treis Philolai Pythagorici libros decem millibus denarium mercatum.* Laërtius in Platone: Λέγουσί τινες, ὧν ἐστι καὶ Σάτυρος, ὅτι Δίωνι ἐπέστειλεν εἰς Σικελίαν, ὠνήσασθαι τρία βιβλία Πυθαγορικὰ παρὰ Φιλολάου μνῶν ἑκατόν. *Aiunt quidam ex quibus Satyrus eſt, Dioni illum ſcripſiſſe in Siciliam vt tres libros Pythagoricos ſibi emeret à Philolao centum minis.* Centum minæ ſunt decem drachmarum millia, ergo idem eſt drachma, quod denarius. Sic, vt iam diximus, vbi Tranquillus habet trecenos ſeſtertios, eam ſummam quinque & ſeptuaginta drachmas Dio & Plutarchus appellant. Et congiarium, quod populo datum eſt à Cæſare confectis bellis ciuilibus æſtimatur à Tranquillo quadringentis ſeſtertiis, à Dione centum drachmis, minâ vnâ ab Appiano: cæterorum verba iam antè retulimus: nunc audi Appianum. Ἐπὶ τῷ θριάμβῳ διένειμε τὰ ὑπεσχημένα, καὶ ὑπερβάλλων στρατιώτῃ μὲν ἀνὰ πεντακισχιλίας δραχμὰς Ἀττικάς, λοχαγῷ δὲ αὐτοῦ τὸ διπλάσιον, καὶ χιλιάρχῳ καὶ ἱππάρχῳ τὸ ἔτι διπλάσιον, καὶ τοῖς δημόταις ἑκάστῳ μνᾶν Ἀττικήν. *In triumpho diſtribuit etiam plura quàm promiſerat, militi quidem vſque ad quinque millia drachmarum Atticarum, centurioni duplum, Tribuno militum & equitum præfecto rurſus alterum tantum, minam autem Atticam ſingulis plebeiis.* Adde Dionem libro 46. de Octauij Cæſaris militibus ita differentem. Οἱ στρατιῶται τὸ ἀργύριον ἔλαβον. Παρακούσαντες δέ τινες, τοῦτο ἔδοξαν ἀεὶ πᾶσιν ἁπλῶς τοῖς πολιτικοῖς στρατοπέδοις, ὅταν αὖ ἐς τὴν Ῥώμην μεθ' ὅπλων ἀφίκηται, τὰς δισχιλίας καὶ πεντακοσίας δραχμὰς ἀναγκαῖον εἶναι δίδοσθαι. *Milites pecuniam acceperunt. Id nonnulli perperã interpretati, putauerunt ſemper omnibus omninò exercitibus vrbanis, quoties in vrbẽ armãti acceſſerunt bis mille quingentas drachmas neceſſariò numerandas.* Hac

Drachma Attica, idem quod denarius Romanus.

occaſione ſubdit grauem in exercitu Seueri ſeditionẽ excitatam fuiſſe: de qua Ælius Spartianus in Seuero. *Sed cùm in Senatu eſſet, milites per ſeditionem dena millia popoſcerunt à Senatu, exemplo eorum qui Auguſtum Octauium Romam deduxerant, tantúmque acceperant.* Quem numerum ſeſtertiorum, ſi per numerum drachmarum diuiſeris, inuenies ſingulis drachmis quaternos ſeſtertios attributos. Ac proinde drachma Attica Romanis aſſibus decem æſtimabitur, mina centum Romanis denariis.

Reſtat vt has dicendi formulas, decies, centies, millies, ad Græcorum drachmas & talenta reuocemus. Plutarchus in Antonio: Τῶν φίλων τινὶ μυριάδας ἐκέλευσε πέντε καὶ εἴκοσι δοθῆναι (τοῦτο Ῥωμαῖοι δεκίες καλοῦσι) τοῦ δ' ἐπιτρόπου θαυμάσαντος, καὶ ἵνα δείξῃ τὸ πλῆθος αὐτῷ, καταβαλόντος ἐν μέσῳ τὸ ἀργύριον, ἠρώτησε παριὼν ὅ τι δὴ τοῦτ' εἴη, τοῦ δ' ἐπιτρόπου φήσαντος, ὡς ὃ κελεύσειε δοθῆναι, συμβαλὼν αὐτοῦ τὴν κακοήθειαν ὁ Ἀντώνιος, Ἐγὼ πλεῖον ᾤμην, ἔφη, τὸ δεκίες εἶναι. τοῦτο δὲ μικρόν ἐστιν ὥστε ἄλλο πρόσθες αὐτῷ τοσοῦτον. (Decies.) *Amicorum cuidam ducenta quinquaginta millia* drachmarum, *dari iuſſit. Eam ſummam Romani Decies appellant, cùm autem miraretur procurator, & vt ei ſummæ magnitudinem oſtenderet, pecuniam in medio poſuiſſet, accedens rogauit quid illud eſſet, reſpondente procuratore id eſſe quod ipſe dari iuſſiſſet, coniectans eius malignitatem Antonius, Ego, inquit, decies plus eſſe arbitrabar: hoc autem parum eſt. quare alterum tantum adiicito.* Inſignis liberalitas, niſi vt auctor eſt Xiphilinus Dione, idem quod in Decies fecit Antonius, Nero in Ducentis quinquaginta myriadibus, id eſt in centies præſtitiſſet. Sed in viam redeamus: ſumma quam Romani decies appellãt, efficit viginti quinque drachmarum myriadas, eandem ſummam ſi redegeris in ſeſtertios, efficientur decies in centena millia: hos ſeſtertios, ſi facta per quatuor diuiſione ad denarios reuocaris, erunt viginti quinque denariorum myriades, ſiue vt Romano more loquar, vicies & quinquies milleni denarij. Ergo idem eſt drachma quod denarius, & facit ſeſtertios quaternos.

CENTIES. Seneca conſolatione ad Heluiam cap. 10. de Apicio loquens. *Cùm ſeſtertium millies in culinam congeſſiſſet, &c. ære alieno oppreſſus rationes ſuas tunc primùm coactus inſpexit. Superfuturum ſibi HS centies computauit, & velut vltimâ fame victurus, ſi ſeſtertio centies centeno milleno vixiſſet, veneno vitam finiuit. Quanta luxuria erat eius, cui HS centies egeſtas fuit?* Martialis in abſumptis diſſentit, conuenit de reliquiis, lib. 3. ep. 22. Centies.

Dedereos, Apici, bis trecenties ventri,
Sed adhuc ſupererat centies tibi laxum,
Cùm tu grauatus ne famem & ſitim ferres,
Summâ venenum potione duxiſti.
Nihil eſt, Apici, tibi guloſius factum.

Dio libro 57. Eadem penè narrans tacet quantum abſumpſerit, reliquias ſic exponit: Ἔγνω ὅτι διακόσιαι καὶ πεντήκοντα μυριάδας ἔτι περιεῖεν. *Cognouit ſibi ducentas & quinquaginta myriadas adhuc ſupereſſe.* Id eſt bis millies & quingenties mille drachmæ, quarum ſingulas ſi in quaternos nummos diſſolueris, inuenies centies centena millia HS. Et eadem ratione aucto in decuplum numero MILLIES bis mille quingentas drachmarum myriadas continebit. de quo Tranquillus in Tiberio cap. 48. *Propoſito millies ſeſtertium gratuitò in trienny tempus.* Dio lib. 58. Καὶ δισχιλίας, καὶ πεντακοσίας μυριάδας τῷ δημοσίῳ ἔδωκεν, ὥστ' αὐτὰς ὑπ' ἀνδρῶν βουλευτῶν ἀτοκεὶ τοῖς δεομένοις ἐς τρία ἔτη ἐκδανεισθῶσι. *Et bis millenas quingenas drachmarum myriadas publicè dedit, vt eas viri Senatorij ſine vſurâ indigentibus in triennium mutuò darent.* Quare bis millies & quadragies erunt ſexies millenæ drachmarũ myriades: & ſi ſingulis talẽtis ſexies millenas drachmas attribuas, habebis vnam talentorum myriadem, id eſt decem millia talentorum. Aut ſi bis millies & quadragies centena ſeſtertia, per viginti quatuor diuiſeris, naſcetur numerus talentorum, id eſt dena millia. Sit igitur hic talentorum cum HS collatorum indiculus. Millies.

1 talentum.	24 ſeſtertia.
10 talenta	240 HS.
100	2400 HS, ſiue vicies & quater HS.
1000	24000 HS, ſiue ducenties & quadragies.
10000	240000 HS, ſiue bis millies & quadringenties.

Duo ſunt quæ dictis de talenti ad Romanos nummos diuiſione refragari videantur. Alterum, quòd vt ſcribit Plinius libro 35. cap. 11. *Talentum Atticum* X̅V̅I̅ *taxat M. Varro.* Alterum quòd vt auctor eſt Liuius libro 34. in Quintij triumpho. *Signati argenti octoginta quatuor millia fuere Atticorum. Tetradrachmam vocant. trium ferè denariorum in ſingulis argenti eſt pondus.* Verùm Plinij locus omnium iudicio corruptus eſt: & ita legit Budæus *Talentum Atticum X. V̅I̅ taxat M. Varro.* quæ emendatio ad Plinij marginem adſcribitur. vt nota X. ſignificet denarios. V̅I̅ ſexies millenos, more antiquo. Solebant enim veteres ſuper numeros lineam tranſuerſam ducere, vt eos in totidem millia replicarent, quot erant vnitates. Quo pacto adeò non officit noſtræ opinioni, vt eam mirum in modum illuſtret. Quod ad Liuium ſpectat, vel loquitur de drachmis, vt tunc erant, quo tempore Græci fortaſſe, inopia bellorúmque diſpendiis oppreſſi quadrantem è legitimo tetradrachmæ pondere detraxerant, vel locus corruptus eſt, & ſcripſerat Liuius *IV ferè denariorum*, librarius notam V diſſoluit in duas vnitates: ex quo rurſus alius librarius integrè ſcripſit *trium pene denariorum.*

Cæterùm vt Hebræorum nummo breuiter attingam, *ſiclus viginti obolos habet*, vt dicitur Exodi cap. 30. v. 13. Leuitici 27. v. 25. Numerorum 3. v. 47. Ezechielis 45. v. 12. ſi viginti obolos, ergo drachmas tres, obolos duos qui vnum ſcrupulum efficiunt. Ioſephus tamen libro 3. antiquitatum, cap. 10. ὁ σίκλος, inquit, νόμισμα Ἑβραίων ὤν, Ἀττικὰς δέχεται δραχμὰς τέσσαρας. *Siclus Ebræorum nummus, Atticas drachmas quatuor colligit.* Si quatuor drachmas, ergo viginti quatuor oblos. Equidem non is ego ſum qui contra diuinam ſcripturam, velim, non dicã Ioſephi, ſed ſcriptoris vllius auctoritatẽ defendere, cùm tamen fieri poteſt ſine detrimento veritatis, Siclus Hebræorum.

graues auctores ſcripturæ conciliare malo, quàm in diuinam ſcripturam armare, cùm præſertim videamus Nouatores huius ætatis, ideò potiſſimum Machabæorum libris, aliiſque hagiographis fidem derogare, quod vt cauillantur, multa ſint in iis hiſtoricæ veritati contraria, quæ videlicet Liuio, Halicarnaſſeo, cæteriſque profanis non vſquequaque ſuffragentur, vt qui ſectariis arma de manibus extorquere velit, non quaſuis occaſiunculas de profanis obtrectandi, quaſi à Scripturâ ſacrâ diſſentiant, aucupari debeat, ſed potiùs profanos conciliare ſcripturæ, quantum veritas ipſa patietur. neſcio enim quo pacto profana ſacris blandiùs in animum irrepunt, & ſacris plerique fidem libentiùs adhibent, ſi profanorum auctoritas acceſſerit. Dicamus igitur Ioſephum cùm in gratiam Græcorum ſcriberet Iudaïcum ſiclum cum drachmis Atticis comparaſſe, & ſiclum drachmis quatuor, id eſt viginti quatuor obolis Atticis æſtimaſſe: Moſem autem non intellexiſſe obolos Atticos, qui fortaſſe nulli adhuc erant viuente Moſe, ſed obolos quoſdam Iudaïcos Atticis grandiores, & quaſi ſpiritu prophetico quorundam errorem præuideret, monuiſſe ſe loqui iuxta menſuram templi, & de pondere ſanctuarij, non de ponderibus aut menſuris aliarum gentium. Quod autem Hebræi dicunt גרה videntur Interpretes Septuaginta, & Hieronymus obolum reddidiſſe, quòd nullum aliud monetæ nomen haberent, quæ propiùs ad geræ Hebraicæ pretium accederet. Et certè de ponderibus Atticorum intelligi non poteſt illud Ezechielis: *Siclus autem viginti obolos habet. Porrò viginti ſicli, & viginti quinque ſicli, & quindecim ſicli mnam faciunt.* Mna enim Attica centum drachmas, ac proinde ſexcentos obolos Atticos continebat. Hæc autem mna cuius Ezechiel facit mentionem ſexaginta ſiclos habet, in ſingulis autem ſiclis viceni oboli, ergo in minâ reperientur oboli mille ducenti. Xenophon libro 1. de expeditione Cyri aliud etiam ſiclorum genus agnoſcit. ὁ δὲ σίγλος δύναται ἑπτὰ ὀβολοὺς, καὶ ἡμιωβόλιον Ἀττικούς. *Siclus autem valet obolos Atticos ſeptem cum dimidio.*

Hactenus de talento & ſeſtertio, prout conſiderantur abſtractè ab omni concretione materiæ, ſuntque certus canon & menſura rei nummariæ, & veluti quædam æſtimationis idea quæ ſemper eadem, & inuariata permanſit: quamuis ſi materiam & ipſam monetæ ſpeciem ſpectes, idem nummus tam apud Romanos quàm apud Græcos variis & variis pretiis fuerit æſtimatus. Variis enim modis mutari potuit æſtimatio nummorum.

1. Si manente eodem pondere & materiæ qualitate pretium augeatur.

2. Si pretium & materiæ puritas maneat, pondus minuatur, verbi cauſſâ ſi aurei priores conflentur, & minuto pondere è quatuor aureis veteribus recentes quinque feriantur. *Quot modis mutari poſſit æſtimatio nūmorum.*

3. Si deteratur qualitas materiæ, & metallum vilius pretioſiori miſceatur.

4. Si eodem pretio manente, pondus ſimul & puritas materiæ deteratur.

5. Si pondere ſimul & qualitate minutis æſtimatio augeatur.

6. Si vilius metallum, in pretioſioris locum ſuccedat, vel quæuis alia materia. Quibus omnibus modis augetur nummorum æſtimatio, & lucratur vel princeps, vel Reſpublica. Totidem etiam modis minui potuit monetæ pretium, vel ad priorem & iuſtam æſtimationem reuocari, vt nihil ſit æſtimatione nummorum incertius. Nam in Romana Rep. denarij pondus ita minutum eſt, vt tandem ad ſemunciam deuenerit: Æſtimatio etiam nummi variata, immò aucta quamuis pondere diminuto. Plinius lib. 33. cap. 3. *Annibale vrgente Q. Fabio Maximo Dictatore, aſſes vnciales facti: placuítque denarium ſedecim aſſibus permutari, quinarium octonis, ſeſtertium quaternis.* Imò vnus & idem denarius in aliis rebus & contractibus pluris in aliis minoris æſtimabatur, etſi enim in ſolutione æris alieni, in rerum emptione cæteriſque contractibus, denarius aliquando pro ſedecim aſſibus poneretur, *In militari tamen ſtipendio denarius pro decem aſſibus datus.* Tamen videtur denarius ad antiquam æſtimationem rediiſſe, vt pro denis aſſibus vnus argenteus penderetur: non ita tamen, opinor, vt ſimul & ſemel è denarij æſtimatione ſeni aſſes tollerentur, ſed ſenſim ſine ſenſu, vt primò denarius quatuordecim aſſibus fuerit æſtimatus, poſtquam exactus eſt Annibal & Reſp. reſpirauit ab illo belli Punici incendio, deinde paucis pòſt annis ad duodecim aſſium valorem peruenerit, in qua æſtimatione fuit denarius æuo Polybij, qui floruit circa tertium bellum Punicum: Ἡμιασσαρίου, inquit ille libro 2. τοῦτο δ' ἐστὶ τέταρτον μέρος ὀβολοῦ. *Semis hoc autem eſt quarta pars oboli.* Ergo tempore Polybij vnus obolus aſſes duos continebat: obolus autem drachmæ ſexta pars fuit, idem porrò fuit drachma quod denarius, atque adeò denarius ſex obolos, ac proinde aſſes duodecim effecit. Vix tamen quiſquam mihi perſuaſerit, hanc æſtimationem denarij ſibi ſemper in libera Rep. conſtitiſſe. immò mihi probabilius inter cætera legis nummariis capita, quæ à Mario Gratidiano perlata eſt, id quoque cautum fuiſſe, vt denarius ad priſtinam denorum aſſium æſtimationem reuocaretur. Quod innuit Orator officiorum 3. *Nec noſter quidem Gratidianus officio boni viri functus eſt, tunc cùm prætor eſſet, collegiúmque prætorum tribuniplebis adhibuiſſent, vt res nummaria de communi ſententiâ conſtitueretur. Iactabatur enim temporibus illis nummus, ſic vt nemo poſſet ſcire quid haberet. Conſcripſerunt communiter edictum cum pœnâ, atque iudicio, conſtituerúntque vt omnes ſimul in roſtra poſt meridiem deſcenderent, & cæteri quidem alius aliò. Marius à ſubſelliis in Roſtra recta, idque quod communiter compoſitum fuerat ſolus edixit. Et ea res, ſi quæris, ei magno honori fuit: omnibus enim vicis ſtatuæ factæ, & ad eas thus & cerei.* Qua lege non ſolùm de pondere aut puritate materiæ, ſed etiam de æſtimatione totius rei nummariæ videtur aliquid conſtitutum fuiſſe. Variatus etiam nummus admixtione metalli vilioris. Plinius loco citato: *Liuius Druſus in tribunatu plebis octauam partem æris argento miſcuit.* Id quoque videtur Marius Gratidianus lege nūmariâ ſuſtuliſſe. *Miſcentur æra falſæ monetæ*, &c. *Igitur ars facta denarios probare, tam iucunda lege plebi, vt Mario Gratidiano vicatim totas ſtatuas dicauerit.* Qua eadem lege videtur conſtitutum fuiſſe, vt ex vna argenti librâ LXXXIV. denarij ferirentur, id eſt è ſingulis argenti vnciis ſeptem tantùm denarij, ac proinde denarius drachmam & $1\frac{1}{7}$ pondere contineret. Quamuis vt ſupe-

Denarij æſtimatio.

Lex Maria nummaria.

Variatus nūmus admixtione metalli.

riùs viſum eſt æuo Plinij drachma denarij argentei pondus haberet, id eſt è ſingulis argenti vnciis octo præciſè denarij ferirentur. Quod viros doctos induxit, vt crederent vncias antiquas & drachmas minores fuiſſe drachmis & vnciis hodiernis, cùm experientiâ conſtet denarios conſulares, immò etiam Auguſtæos vſque ad Neronem hodiernis drachmis vix vnquam eſſe grauiores: quos tamen antiquis drachmis fuiſſe leuiores conſtare videtur ex Plinio libro 33. cap. 9. *Alij è pondere ſubtrahunt, cùm ſit iuſtum LXXXIV. è libris ſignari.* Verùm cùm Plinius hoc loco iuſtum denarij pondus quæſiuerit, & libro 21. cap. poſtremo cùm de ponderibus exactè tractaret etiam ex profeſſo, argenteo denario drachmam Atticam æquarit. *Drachma Attica (ferè enim medica obſeruatione medici vtuntur) denarij argentei habet pondus. Eadem ſex obolos pondere efficit, obolus decem chalcos.* vbi ſine dubio iuſtum drachmæ pondus inquirens, illud indicare non potuit niſi cum iuſto denarij pondere comparaſſet, ex eo ſequitur quemadmodum librâ Romanâ ſex & nonaginta drachmas pendebat, ita iuſto pondere ex vnâ argenti librâ ſex & nonaginta denarios fuiſſe ſignatos. Quare neceſſe eſt vt in alterutrum locum ex oſcitatione librarij mendum irrepſerit, cúmque illa verba *denarij argentei habet pondus.* careant omni mendi ſuſpicione, ſatius eſt vt in altero loco pro. LXXXIV. legamus LXXXXVI. Quo pacto ex ſingulis argenti vnciis octoni denarij ferientur, & ſinguli denarij drachmam pendebunt, ſi iuſto pondere ſignentur, id eſt pondere per legem Papyriam conſtituto: qua lege, vt ſuprà vidimus *ſemunciales aſſes facti*, id eſt ad vigeſimam vſque partem deminuti, adeò vt vnus eorum denariorum, qui ante bellum Punicum primum percuſſi ſunt, contineret viginti quatuor Papyria lege percuſſos. atque adeò ſi conſulares poſt legem Papyriam percuſſi vnam drachmam pendebant, denarij quo primùm tempore percuſſi ſunt, quatuor & viginti drachmas Atticas, id eſt tres vncias Romanas pependerunt, quo tempore *placuit denarius pro decem libris æris.* Bello Punico primo, *conſtitutum vt aſſes ſextantario pondere ferirentur.* Id eſt è duodecim ſuperioris denarij partibus decem detractæ ſunt, vt iſte poſterior duas tantùm prioris duodecimas contineret, ſextáque pars eſſet ad priorem illum comparatus. Ergo nummus bello Punico primo percuſſus quatuor drachmas pependit. Bello Punico ſecundo, Qu. Fabio Maximo Dictatore ex ſextantario factus eſt vncialis, id eſt mediâ parte diminutum eſt pondus denarij, atque adeò duas drachmas pondere effecit. *Mox lege Papyria ſemunciales aſſes facti*, atque ita denarius ad drachmæ pondus perductus eſt, cœptúſque drachmæ Atticæ pretio æſtimari. Quo in pondere & æſtimatione permanſit, vt eſſet *iuſtum nonaginta ſex è libris ſignari.* quemadmodum libra Romana ſex & nonaginta drachmas Atticas continebat. Quia tamen mina Attica centum drachmarum fuit, Romani permodicum è iuſto denarij pondere detrahentes, vt faciliùs monetam Romanam ad Atticam æſtimationem reuocarent, cœperunt ex argenti librâ centum denarios ex argenti librâ ſignare, vt in ſingulas libras quatuor denarios lucro apponerent, magno emolumento Reip. nec tanto priuatorum detrimento ex ponderis minutione, quanto commodo ex facilitate commercij.

Quot ex ſingulis argenti libris denarij ferirentur.

Habui penes me aliquot argenteos, quorum plerique omnes, præſertim conſulares denarij notam adſcriptam habent X. aut etiam lineâ tranſuerſâ. Horum alij Auguſtorum primorum imagines eminenti cælatura expreſſas habent, alij effigiem Romæ galeatam, duabus alis & galeâ ſurgentibus cum inſcriptione ROMA, in auerſo numiſmate bigæ aut quadrigæ, quibus effigies Victoriæ aurigantis, & nonnunquam coronam lauream porrigentis inſiſtit, in aliis etiam triremes. Atque vt de cæteris taceamus vnus eſt rariſſimus ex alterâ parte Romæ effigiem habens eminentem, ex alterâ eandem inſculptam, quæ applicata ceræ molli eandem Romæ effigiem relinquat expreſſam. Alius habet hinc effigiem coronatam, inde bigas & Victoriam cum inſcriptione M. AQVIL. & inferiùs ROMA. Alius hinc effigiem Romæ cum diademate, & cincinnis implexis, inde clypeum laureâ corona circumdatũ, immiſſâ inter clypeum & coronam inſcriptione M. METELLVS. P. F. Alius hinc duo capita diademate redimita, ſtellis duabus vertici ſingulorum imminentibus, inde triremem cum inſcriptione M. FONTEI. Alius hinc caput habet galeatum fugientibus inſcriptionis apicibus, inde mulier paludato Imperatori palmam tradit, & vaneſcentibus cæteris literis iſta pars inſcriptionis apparet AGNVS IMP. quem proinde ſuſpicor eſſe Pompeij Magni cui Iudæa palmam tradat. Alius ex alia parte venuſtam faciem habet, ſemigaleatam, deiectâ ſuperiore galeæ parte, & ex inferiori capillis & laureâ coronâ erumpentibus cum inſcriptione S. C. in auerſo nummo vir equum manu ducens expreſſus eſt, quo vt opinor equi publici ad cenſorem deductio notatur, cum inſcriptione P. CRASSVS M. F. Hi & denarij inſcriptionem habent, & ſunt inter ſe æquales, quantum fieri potuit, niſi ſi quid ex aliquibus vetuſtas exedit, & vnius drachmæ hodiernæ pondus habent, vnde colligas viginti aut etiam pluribus ſuperioribus ſeculis drachmæ & vnciæ pondus non eſſe mutatum, & hodiernam medicorum libram antiquæ libræ penitus adæquari. Alij inſcriptionem denarij non habent, & mediæ drachmæ examine librantur, ex quo apparet eos fuiſſe quinarios. Plerique ſunt Auguſtorum, vetuſtiſſimus effigiem habet non inuenuſtam cum inſcriptione M. CATO PRO. PR. ex alterâ parte mulier alata, ſedens, cum inſcriptione, quantum ex fugientibus apicibus colligi poteſt, VICTORIA. E quibus apparet eum eſſe victoriatum, qui eo ipſo anno quo & P. Clodius Tribunuſplebis, & Marcus Cato Proprætor fuit, percuſſus eſt Plinius lib. 33. cap. 3. *Qui nunc victoriatus appellatur lege Clodiâ percuſſus eſt. antea enim hic nummus ex Illyrico aduectus mercis loco habebatur. eſt autem ſignatus Victoriâ & inde nomen.* Auguſtæi etiam denarij, qui in manus meas inciderunt, ad extrema Neronis tẽpora plerique omnes vnius drachmæ pondus habent. diminuta eſt tamen argenti puritas aliorum metallorũ mixtione, initio corruptionis à triumuiris ſumpto. Plinius lib. 33. cap. 9. *Miſcuit denario triumuir Antonius ferrum.* A quo tempore non ſolùm videtur detrita fuiſſe qualitas materiæ, ſed

Victoriatus.

etiam aucta æſtimatio denarij, vt iterum, quemadmodum Polybij tempore contigerat, pro vno denario aſſes duodecim penderentur. quod Iuſtus Lipſius probat in electis, & commentariis ad librum primum Annalium Taciti eo argumento, quod vt inquit ex Suetonio in Domit. cap. 7. clarum *Aureum Romani militis ſtipendium fuiſſe in menſes. at ſi aureus, ergo non plus* XXV. *denariis.* ex quo infert: *Abi nunc ad menſularios, & reduc denos in diem aſſes, ita vt menſis dies habeat triginta) ad denarios* XXV. *reperies, denarium ipſum planiſſimè valuiſſe duodecim aſſes. Quid ergo miraris ſi milites pro denis aſſibus denarium petant, vt quinque ſcilicet denarios in menſem faciant lucri?* Inde conciliat ſibi Tacitum, qui cùm dixiſſet: *Denis in diem aſſibus animam & corpus æſtimari.* Subiecit: *Nec aliud leuamentum, quàm ſi certis legibus militia iniretur, vt ſingulos denarios mererent,* &c. Sed quoniam hæc Lipſij vno Suetonij loco nititur prout ab ipſo emendatus eſt, nec ea lectio à viris doctis excepta eſt tanto orcheſtræ conſenſu, quanto ipſe ſperabat: neque vt admittatur ea lectio, vllam tamen Tranquillus facit aut menſis, aut anni mentionem, aliunde argumenta quærenda ſunt. Dio libro 54. de Auguſto loquens. Τὸ βουλευτικὸν τίμημα, &c. ἐς πέντε καὶ εἴκοσι μυριάδας αὐτὸ προήγαγε. *Cenſum Senatorium ad viginti quinque drachmarum myriadas promouit.* Si ſingulas drachmas ſiue denarios decem aſſibus æſtimes, viginti quinque myriades efficient HS. decies, vt ſupra oſtendimus. atqui, vt auctor eſt Tranquillus in Auguſto cap. 1. *Senatorum ſenſum ampliauit: ac pro octingentorum millium ſumma HS. duodecies taxauit, ſuppleuitque non habentibus.* Duodecies præcisè erunt viginti quinque denariorum myriades, ſi ſinguli denarij duodecim aſſibus æſtimentur. Athenæus libro Dipnoſ. de lege Fanniâ ſumptuariâ loquens: Ἐκέλευσε δ' ὁ νόμος τριῶν μὲν πλείονας τῶν ἔξω τῆς οἰκίας, μὴ ὑποδέχεσθαι, κατ' ἀγορὰν δὲ τῶν πέντε. τοῦτο δὲ τρὶς τοῦ μηνὸς ἐγίνετο. ὀψωνεῖν δὲ πλείονος τῶν δυοῖν δραχμῶν καὶ ἡμίσους οὐκ ἐπέτρεπε. *Prohibebat lex plures externos ternis imitari, nundinis verò quinos permittebat. Hoc autem ter in menſe fiebat. pluris autem duabus drachmis cum ſemiſſe opſonari non permiſit.* Duæ drachmæ cum ſemiſſe ſunt 25. aſſes, ſi denarium denis aſſibus æſtimemus, triginta verò ſi duodecim. at ille duodecim aſſibus ſingulos æſtimauit. Nam Macrobius 3. Saturnal. de lege Licinia loquens, *quæ paucis mutatis in pleriſque cum Fannia congruit.* vt ipſe teſtatur cap. 17. *Legis Liciniæ ſumma*, inquit, *vt Calendis, nonis, nundinis Romanis cuique in dies ſingulos triginta duntaxat aſſes edundi cauſſâ conſumere liceret.* Gellius libro 2. cap. 24. *Lex Fannia lata eſt quæ ludis Romanis, item ludis plebeiis & Saturnalibus & aliis quibuſdam diebus in ſingulos dies centenos æris inſumi conceſſit. decémque aliis diebus.* Macrobius & Athenæus cogunt vt pro Xque legamus: *IIque aliis diebus in ſingulis menſibus tricenos: cæteris autem diebus omnibus denos.* Ergo Athenæus drachmam ſiue denarium duodenis aſſibus æſtimauit.

Denarius ſub æuum Ciceronis aſſibus 12. æſtimatus.

Reſtat vt de ſeſtertij totiúſque ei nummariæ ad noſtratem pecuniam reductione pauca dicamus. Sed vt Theologi in prædeſtinatione, Phyſici in alchimiâ, Logici in inſolubilibus, Geometræ in circuli quadraturâ, duplicatione cubi, anguli lineæve cuiuſuis in æquales partes quotaſlibet diuiſione, Mechanici in perpetui motûs inquiſitione deſudant, neque tamen hilum proficiunt, ſed quo ſe magis extricare volunt, eò ſe magis intricant, ita Critici nodum hunc Gordium cùm expedire non poſſent, noui Alexandri ſtricto ferro repentè ſecuerunt. Atque vt in illis quæſtionibus, vnicus propè ſingularum difficultatum nodus eſt, quo ſoluto facillimum eſſet omnes tricas expedire, ſic in æſtimatione rei nummariæ qui vel aſſis vel ſeſtertij proportionem cum ſolidis noſtratibus compertam haberet, is ad æſtimationem & pretium nummi tum Romani, tum Attici facillimè deueniret.

Nonnulli denarij Romani pondus quàm iuſtiſſimis fieri poteſt momentis examinant, & cùm in antiquis ſcriptoribus legũt aliquid verbi cauſſâ mille ſeſtertiis nummis, vel quod idem eſt ducentis quinquaginta denariis veniiſſe, ducentas & quinquaginta huiuſmodi monetæ formas intelligunt, quæ & denarij X. notam adſcriptam habent, & denarij nuncupantur: & cùm quinque denarios duorum aurei gallici quadrantium argenteorum pondus ad libellam æquare compererint, ducentos illos & quinquaginta denarios Romanos centum aurei Gallici quadrantibus æſtimandos eſſe contendunt. Sed cùm (vt ſupra docuimus) ſeſtertius & denarius duobus modis ſpectari poſſint, vel quatenus cum materiâ concreti, arbitratu principis aut magiſtratûs, aut etiam tacito mercatorum conſenſu, iuxta rerum indigentiam variis & variis pretiis æſtimantur, & nonnunquam pondere vel materiæ puritate minuuntur, vel quatenus à materia abſtracti ſunt certus canon & regula æſtimationis rei nummariæ, qui ex ſolâ materiâ antiquæ computationis cum noſtratibus ſummis comparationem inquirendam putat:

Antiquæ monetæ ad recentem reductio.

-nihilo plus explicet, ac ſi
Inſanire paret certa ratione modóque.

Neque enim ex tam incerto mutabilique principio poſſis ad certam & ſtabilem veri cognitionem deuenire: ac proinde neceſſe eſt non materia denarij cum materiâ noſtrorum nummûm, ſed pretium cum pretio, vel potiùs ideam, ſiue canonem æſtimationis antiquæ, cum æſtimationis hodiernæ canone comparare. Verbi cauſſâ, Si quis Iapon aut Sina equum in Galliâ legeret Gallicis aureis mille æſtimatum fuiſſe, iſque Gallicum aureum quem ſolarem vel potiùs ſcutatum ſolidum vocamus, ad aurei Sinenſis aut Iaponici pondus expenderet, & equum mille ſcutatis aureis illi ſolari ſimilibus veniiſſe crederet, cùm aurei Gallici canon ſiue idea ſit ſexaginta ſolidorum, ſolaris autem ſeptuaginta & octo ſolidis æſtimari ſoleat, is in ſingulos aureos decem & octo ſolidis, in totam ſummam trecentis ipſis aureis falleretur. Quare non ſolùm noſcendus eſt canon aurei Gallici, ſed etiam habenda regula communis quæ æſtimationem pecuniæ, tum Gallicæ, tum Iaponicæ metiatur. Et quoniam Hiſpanici cum Iaponibus & Gallis habent commercium, non poterit commodiùs Gallicus aureus ad Iaponicum reduci, quàm ſi vterque ad Hiſpanicam aut Luſitanicam

pecuniam, tanquam ad regulam vtrique communem exigatur. Cùm igitur in antiquis nummis neque facilè veteris æſtimationis canonem, neque omninò regulam veteri recentíque nummo communem inuenire poſſimus, in his vnum certò ſcio me nihil certò ſcire. Quemadmodum tamen Mathematici circulum quadrãt, cubum duplicant, angulum lineámve quamuis etiam in partes impares diſſecant mechanicè, quæ mathematicè præſtare non poſſunt, ita & nos, ne nihil omninò dixiſſe videamur, æſtimationem antiqui denarij pingui ſaltem mineruâ compertam habere poterimus, ſi aurei Gallici quadrantem argenteum cum denario Romano, qualitatem metalli cum qualitate, pondus cum põdere conferamus. Ego multorum denariûm Conſularium pondus & qualitatem diligenter inquirens, inueni pleróſque eorum vnius drachmæ noſtratis pondus habere, eorúmque duos cum ſemiſſe vnum aurei Gallici quadrantem argenteum penitùs adæquare, ſed materiam in his eſſe longè puriorem, adeò vt ſolidis quatuor in ſingulas vncias conſularis denarij materia pluris quàm recens quadrãtis argentum ab artificibus peritis, quorum intereſt, æſtimetur. Cùm igitur Gallicus quadrans æſtimatione communi ſedecim ſolidis permutetur, duo denarij cum ſemiſſe, ſeu quod idem eſt, denarius nummus ſeptemdecim ferè ſolidos valebit. Quia tamen ſi iuſto pretio æſtimetur aurei Gallici quadrans, vt ipſum nomen indicat, quindecim tantùm erit ſolidorũ, denarius nummus iuſtâ æſtimatione ſexdecim plùs minùs ſolidos Gallicos continebit. Et quoniam denarius modò decem, modò duodecim, imò etiam ſedecim aſſium fuit, neque quando aut quamdiu ea pretij varietas obuenerit, certò poſſumus habere compertum, ſi certitudinem habere non poſſumus ſaltem commoditatis, &, vt ſic loquar, rotunditatis rationem habeamus. Quod faciliùs inueniri non poteſt, quàm ſi denarius nummus, quatenus & canon & menſura rei nummariæ aurei quadranti ſiue quindecim ſolidis penitus quadret. ſic enim ſeſtertius nummus vni ſolido Gallico cum ſemiſſe, denarius ſex ſolidis æquabitur. vnde facilè erit reliquas ſummas tum Romanas, tum Atticas æſtimare.

1	ſeſtertius,	$1\frac{1}{2}$	ſolidus.
4	denarius.	6	ſolidi.
10	denarius nummus.	15	ſolidi, aurei quadrans.
40	centuſſis.	60	aureus Gallicus.
100	aureus Romanus.	$2\frac{1}{2}$	aurei Gallici, 1. piſtollæ Hiſpanicæ.
400	pondo.	10	aurei.
1000	ſeſtertium.	25	aurei. 10. piſtolla Hiſpanica.
4000	pondo auri.	100	aurei.
10000	ſeſtertium auri, ſiue follis.	250	aurei, 100. piſtollæ.
40000		1000	aurei.
100000		2500	aurei.
400000	Cenſus equeſtris.	10000	aurei.
1000000	Decies.	25000	aureorum Gallicorum.

Hinc ſummas per aduerbia computabant, atque vt eodem modo progrediamur à quadruplo ad ſeſtertium.

Decies.	25 millia aureorum Gallic.
quadragies.	100 millia.
centies.	250. M.
quadringenties.	1000 M. vulgo dicimus vnum millionem.
millies.	2 milliones cum quingentis millibus.
quater millies.	decem milliones.
decies millies.	25. milliones.
quadragies millies.	centum milliones.
centies millies.	250 milliones.
quadringenties millies.	mille milliones.

Quod ſi talentum viginti quatuor habeat ſeſtertia, ſingula autem ſeſtertia vicenis quinis aureis Gallicis æſtimentur, ſi 24. per 25. duxeris inuenies ſingulis talentis ſexcentos Gallicos aureos contineri. Cúmque ſexaginta mnæ talento contineantur, ſi 600. per 60. diuiſeris ſingulis minis 10. aurei Gallici colligentur: decem autem aurei efficiunt ſolidos 600. Quare cum ſingulis minis 100. drachmæ numerentur, ſi numerum ſolidorum per numerum drachmarum 600. per 100. diuiſeris, habebis ſolidos ſex ſingulis drachmis attributos. Drachma verò ſex obolos habet, ergo idem eſt obolus apud Atticos quod ſolidus apud Gallos.

AVCTORITATEM A SENATV PROFECTAM.] Vide ſupra 6. *Cuius reditum Conſuli mãdatum à Senatu videbat.* legendum porrò videtur *Româ contenderat*. Non vt in vulgatis *Romam contenderat*. Nam antequam in vrbem accederet Ptolemæus, nihil adhuc de eius reductione decreuerat Senatus, ac proinde nulla Lentulo data fuerat eius reducendi auctoritas. Sed cùm videret rem variis altercationibus trahi, & Senatuſconſulto, quo mandata fuerat eius reductio illi Conſuli cui in ſortitione prouinciarum Cilicia contigiſſet, obiecto nomine religionis derogatum iri, relicto Hammonio legato, ipſe Româ profectus eſt certo conſilio, vt ad Lentulum cui Cilicia obuenerat, contenderet, ab eóque reduceretur in regnum, ſed cùm id à Gabinio qui tum Syriam Proconſul obtinebat, ſe faciliùs impetraturum videret, mutato conſilio ſe contulit ad Gabinium, à quo & reductionem impetrauit.

AT Diœcetes fuit regius, & quidem in cuſtodia etiam fuit regia, & vita eius oblata pœnæ eſt. Multa præterea quæ libido Regis, quæ neceſſitas coëgit ferre, pertulit. Quare omnium rerum vna reprehenſio eſt, quòd regnum intrarit, quod poteſtati ſe Regis commiſerit. Verùm ſi quærimus, ſtultè. Quid enim ſtultius, quàm Equitem Rom. ex hac vrbe, huius inquam Reipub. ciuem, quæ eſt vna maximè, & fuit ſemper libera, venire in eum locum vbi parendum alteri & ſeruiendum ſit? XXII.

Sed ego in hoc tandem Poſthumo non ignoſcam, homini mediocriter docto, qui videam ſapientiſſ. homines eſſe lapſos? virum vnum totius Græciæ facilè doctiſſimum, Platonem, iniquitate Dionyſij Siciliæ Tyranni, cui ſe illi commiſerat, in maximis periculis inſidiiſque eſſe verſatum accepimus: Calliſthenem doctum hominem, comitem Magni Alexandri ab Alexandro necatum: Demetrium & ex Repub. Athenis, quam optimè digeſſerat, & ex doctrina nobilem & clarum, qui Phalereus vocitatus eſt, in eodem iſto Ægypti regno aſpide ad corpus admota, vita eſſe priuatum. XXIII.

Planè confiteor, fieri nihil poſſe dementius, quàm ſcientem in eum locum venire, vbi libertatem ſis perditurus. Sed huius iſtius facti ſtultitiam, maior iam ſuperior ſtultitia defendit. Quæ facit, vt hoc ſtultiſſimum facinus, quod in regnum venerit, quod Regi ſe commiſerit, ſapienter factum eſſe videatur. Siquidem tam ſemper ſtulti, quàm ſerò ſapientis eſt, cùm ſtultitia ſua impeditus ſit quoquomodo poſſit expedire. XXIV.

Quamobrem illud maneat, & fixum ſit, quod neque moueri, neque mutari poteſt: in quo æqui ſperaſſe Poſthumum dicunt, peccaſſe iniqui, ipſe etiam inſaniſſe ſe confitetur, quod ſuam, quod amicorum pecuniam Regi crediderit cum tanto fortunarum ſuarum periculo. Hoc quidem ſemel ſuſcepto, atque contracto, perpetienda illa fuerunt, vt ſe aliquando ad ſuos vindicaret. XXV.

NOTÆ.

I. AT DIOECETES.] Διοικητὴς, œconomus, diſpenſator, adminiſtrator rei familiaris.

II. REGNVM INTRARIT.] Notum illud Sophocleum quod Pompeius pugnâ Pharſalicâ victus, cùm ad hoc ipſum Ægypti regnum, ad huius ipſius filium ſe conferret, vſurpauit:

Ὅστις γὰρ ὡς τύραννον ἐμπορεύεται
Κείνου 'στὶ δοῦλος, κἂν ἐλεύθερος μόλῃ.
Etenim tyranni quiſquis ingreditur lares
Eſt ſeruus eius, liber etſi acceſſerit.

III. DOCTISSIMVM PLATONEM.] De Platonis doctrinâ immenſa eſſet oratio: hunc *Deum philoſophorum* crebro Noſter appellat. elegans epigramma eius tumulo adſcriptum. quod ita deſinit:

Doctrina Platonis.

Εἰ δέ τις ἐν πάντων σοφίης μέγαν ἔσχεν ἔπαινον,
Οὗτος ἔχει πλεῖστον, καὶ φθόνος οὐχ ἕπεται.
Si quemquam ad magnos ſapientia vexit honores,
Hic citra inuidiam plurimum honoris habet.

IV. IN MAXIMIS PERICVLIS.] Ter ad Siciliam nauigauit, vt auctores ſunt Plutarchus & Laërtius, hic in eius vitâ, ille in Dione, ter in vitæ periculum adductus. Primò ad Dionyſium ſeniorem, qui indignatus in Platonem quòd dixerat, Ὡς μακάριος μὲν ὁ τῶν δικαίων, ἄθλιος δὲ ὁ τῶν ἀδίκων βίος. *Iuſtorum vitam eſſe felicem, iniuſtorum miſeram*, inquit Plutarchus, & alia quædam eiuſmodi, eum primò voluit occidere, deinde mutato conſilio ad Inſulam Æginam deduci iuſſit, vt ibi venderetur: Λυτροῦται δὲ αὐτὸν, inquit Laërtius, κατὰ τύχην παρὼν Ἀννίκερις ὁ Κυρηναῖος εἴκοσι μνῶν (οἱ δὲ τριάκοντα) καὶ ἀναπέμπει Ἀθήναζε πρὸς τοὺς ἑταίρους, οἱ δὲ εὐθὺς τἀργύριον ἐξέπεμψαν. ὅπερ οὐ προσήκατο, εἰπὼν μὴ μόνους ἐκείνους ἀξίους εἶναι Πλάτωνος κήδεσθαι. *Aderat fortè Anniceris Cyrenaicus: is eum viginti minis, ſiue vt alij volunt, triginta redemit, remiſitque Athenas ad amicos. Illi extemplo pecuniam Anniceridi remiſerunt. Sed hanc ille omnino accipere noluit, aſſerens non eos ſolos dignos, quibus Plato curæ eſſet.* Secundò acceſſit ad Siciliam ſiue accerſitus à Dionyſio Iuniore, vt ait Plutarchus, ſiue (vt Laërtius) poſtulaturus à Dionyſio terram, atque homines qui iuxta conſtitutam ab eo Rempub. viuerent. Quo tempore, vt verbis vtar Plinij libro 7. cap. 30. *Platoni ſapientiæ antiſtiti Dionyſius tyrannus, alias ſæuitiæ ſuperbiaque natus vittatam nauem miſit obuiam: ipſe quadrigis albis egredientem in littore excepit.* Immò ſi audis Ælianum libro quarto variæ hiſtoriæ cap. 18. Ἀνήγαγεν αὐτὸν ἐπὶ τὸ ἅρμα ὁ υἱὸς Διονύσιος, αὐτὸς μὲν ἡνιοχῶν, παραιβάτην δὲ πεποιημένος

Platonis in Siciliam trina profectio, eiúſque periculo.

τὸν Ἀρίστωνος. *Eum deduxit in curru Dionyſius Iunior, ipſe aurigans cùm Platonẽ Ariſtonis filium in quadrigis ſedere voluiſſet.* Nihilo tamẽ ſeciùs paulò pòſt, vt ſcribit Laërtius, in ſuſpicionẽ vocatus, quaſi Dionem ad liberandam inſulam excitaſſet, magnum vitæ diſcrimen adiit. Sed Architas Pythagoreus ſcriptâ ad Dionyſium epiſtolâ purgauit illum à ſuſpicione, atque ereptum Athenas remiſit; vel ſaltem, vt maluit Plutarchus, poſt erectum Dionem in arce, honoris prætextu, habitare iuſſus eſt, vt ibi, tanquam in liberâ cuſtodiâ ſeruaretur, donec exorto in Siciliâ bello liber dimiſſus eſt: Quod ſanè verius eſt, vel ipſo Platone teſte epiſt. 7. vbi fusè iſta deſcribit. Parco Græcis contentus Marcilij Ficini verſione: *Cùm verò ne abirem machinaretur, collocauit me in arce,* &c. *Dionyſio perſuaſi vt me abire permitteret. Conuenerat autem inter nos, vt cùm pax facta eſſet ex bello, quod tunc in Siciliâ erat, ſtatúſque illius tutiùs confirmatus, Dio reuocaretur, atque ego ſimul accederem.* Qua profectione tantum abeſt, vt fuerit Architæ Tarentini precibus à periculo liberatus, vt ipſe potiùs ita loquatur. *Ego enim illum ante diſceſſum meum, nonnullóſque alios Tarentinos in Dionyſij familiaritatem adduxeram.*

De tertiâ profectione ſuóque periculo ita loquitur: *Profectus denique ſum tertio ſub Seruatore. Id enim reuera conſecutus ſum. Nam rurſum feliciter ſum ſeruatus. Atque horum poſt Deum Dionyſio habeo gratiam, quoniam cùm plerique me interficere cuperent, reſtitit ipſe, partémque aliquam pudoris ſui meis in rebus exhibuit.* Quare quod ait Noſter de iniquitate Dionyſij, vel id ad ſuperiorem Dionyſium eſt referendum, vel fatendum Platonem grato animo beneficium Dionyſij Iunioris exaggerare dicendo: cùm reuera etiam fuerit iniquus. Nam, vt fatetur Plato, ille patrimonium Dionis eiecti per eius procuratores vetuit attingi, fructúſque ad Dionem mitti, contra fidem Platoni datam. Subdit: *Habitabam equidem, ne quid deeſſet incommodi in ipſis quæ circa ædes erant, hortis. vnde ne ianitor quidem niſi iubente Dionyſio egredi permiſiſſet.* Item: *Poſt hæc autem ego & Dionyſius ita viximus, vt ego quidem ſemper extra ſpectarem, quaſi auis quædam alicunde cupiens euolare: ille verò aßiduè quo pacto me cohiberet, machinaretur,* &c. Paulò pòſt: *Habitabam deinde extra arcem inter milites mercede conductos. Adeuntes verò me & alij quidam, & miniſtrorum aliqui Athenienſes patriâ, ſignificarunt calumnias aduerſum me inter milites fuiſſe diffuſas. Præterea quoſdam comminatos eſſe, ſicubi me nanciſcantur, interfecturos. Excogito igitur euaſionem eiuſmodi. Mitto Tarentum ad Architam alióſque amicos, ſignificans in quo eſſem diſcrimine conſtitutus. Illi verò occaſionem quandam legationis patriæ nomine excogitantes, Salmiſcum eorum vnum, vna cum naui ordinis triginta remorum mittunt. Qui veniens ad Dionyſium rogauit, vt me omnino pro voluntate meâ ſaluum abire permitteret. Ille autem aſſenſus me dimiſit commeatum præbens.* Hæc ipſe: è quibus agnoſcas errores Laërtij.

V. CALLISTHENEM.] De morte Calliſthenis varij variè tradiderunt. Plutarchus in Alexandro. Parco Græcis: *Eum dicunt alij iuſſu Alexandri fuiſſe patibulo affixum: alij in vinculis eſſe morbo extinctum: Chares ſcribit eum de conſilij ſententiâ, præſente etiam Ariſtotele fuiſſe damnatum, ſed cùm prepinguis euaſiſſet, tandem pediculari morbo obiiſſe.* Curtius lib. 8. *Calliſthenes quoque ante tortus interiit initi conſilij in caput Regis innoxius.* Iuſtinus libro 12. *interfectum* etiam eſſe teſtatur. Laërtius in Ariſtotele: *Vbi verò Alexandro inſtituendo ſatis diu viſus eſt nauaſſe operam, cúmque ſibi deuinxiſſe, commendato illi cognato Calliſthene Olynthio, Athenas conceßit. Eum audacius quàm par erat alloquentem Regem, & minimè illi obſequentem, ab ipſo increpitum aſſerunt verſu admonente, ni talia loqui deſiſteret, maturè periturum. Quod & factum eſt. Verſus autem ſic habet,* Mors Calliſthenis.

Ὠκύμορος δή μοι τέκος ἔσσεαι, οἷ' ἀγορεύεις.

Qualia mi loqueris, vereor ſis, nate, ſuperſtes.

Námque Hermolao in Alexandrum inſidiarum ſocius fuiſſe deprehenſus, caueâ ferreâ circunduci, pædore atque ſqualore oblitus leoni poſtremo obiectus eſt, ſícque exceßit è vitâ. Seneca controuerſia prima ipſius Alexandri manu necatum eſſe teſtatur: *Nam cùm ſe Deum vellet videri & vulneratus eſſet, viſo ſanguine eius philoſophus mirari ſe dixerat, quòd non eſſet:*

Ἰχὼρ οἷός πέρ τε ῥέει μακάρεσσι θεοῖσι.

Ichor diuino qualis de corpore manat.

Ille ſe ab hac vrbanitate laureâ vindicauit.

DEMETRIVM.] Fuit Phanoſtrati filius, diſcipulus Theophraſti, Phalereus dictus à Phalero portu Atticæ. Nobilis fuit ex Repub. Athenienſi, cui præfuit annos decem: ad cuius claritudinem ſpectant illæ ſtatuæ quibus donatus eſt. Plinius lib. 34. cap. 6. *Nullíque arbitror plures ſtatuas dicatas, quàm Phalereo Demetrio Athenis, ſiquidem* CCCLX. *ſtatuere, quas mox lacerauerunt, nondum anno hunc numerum dierum excedente.* Clariùs etiam Diógenes Laërtius: Εἰκόνων ἠξιώθη χαλκῶν ἑξήκοντα πρὸς ταῖς τριακοσίαις, &c. ἐν οὐδὲ τριακοσίαις ἡμέραις τοσοῦτον ἐπλήρου ἐδόθη. *Æreis ſtatuis honoratus eſt trecentis ſexaginta,* &c. *ne trecentis quidem diebus elapſis. Tanto ſtudio colebatur.* Idem Rempub. Athenienſem digeſſerat: *Namque & redditibus & ædificiis ciuitatem auxit.* vt ait idem Laërtius. Fuiſſe doctrinâ clarum teſtatur ea multitudo librorum quos in lucem emiſit. Superſunt, duo duntaxat pulcherrimi περὶ ἑρμηνείας, *Verùm cùm apud Athenienſes clarißimus eſſet, & ipſe tamen ab eâ, quæ cuncta conſumit, inuidiâ tentatus eſt. Quippe inſidias paſſus à quibuſdam, mortis ſententiam abſens excepit. Non tamen eius corpore potiti ſunt. Verùm ipſius deficientes imagines, ærugine ex induſtriâ fœdatas, alias quidem vendiderunt, alias ſubmerſerunt, alias in matulas conflauerunt. Quippe & hoc fertur. Vna autem ſola in arce ſeruata eſt.* Ad Ptolemæum Soterem, vel vt alij malunt, Philadelphum profectus eſt, eíque auctor fuit, vt nobilem illam bibliothecam conficeret, & è Iudæâ ſeptuaginta viros accerſeret, à quibus diuina ſcriptura Græcè verteretur. Qua de re, vt alios omittam, fusè Ioſephus cap. 2. lib. 12. antiquit. Iudaïcarum. Cùm autem, vt Hermippus ait apud Laërtium, Soteri conſuluiſſet, vt filiis quos ex Eurydice ſuſceperat impartiretur regnum. Iſque non obtemperaſſet, ſed ex eo quem ex Beronice genuerat, diadema tradidiſſet, ab hoc ipſo poſt patris mortem cuſtodiæ datus, aſpide ad corpus admotâ vitâ priuatus eſt. Quod ſpectat ad ſtatuas, earum numerum exaggerat Dio Chryſoſtomus orat. Corinthiaca, aitque, Δημητρίου τοῦ Φαληρέως πεντακοσίους ἀνδριάντας καὶ χιλίους ὑπ' Ἀθηναίων μιᾷ καὶ τῇ αὐτῇ

Margin notes, right column:

IV. (beside the DEMETRIVM line)

Demetreus Phalereus.

ἡμέρᾳ πάντας καθῃρημένους. *Demetrij Phalerei quingentas & mille ſtatuas ab Athenienſibus vno & eodem die eſſe ſublatas.* Concludamus hunc locum verbis Ciceronis 3. de legibus 14. *Phalereus ille Demetrius mirabiliter doctrinam ex vmbraculis eruditorum otióque, non modò in ſolem atque puluerem, ſed in ipſum diſcrimen aciémque perduxit,* &c. *Qui verò vtraque re excelleret, vt ei doctrinæ ſtudiis & regendâ ciuitate princeps eſſet, quis facilè præter hunc inueniri poteſt?*

VII. ÆQVI SPERASSE.] Simile eſt illud exordium Verrinæ de ſignis: *Venio nunc ad iſtius, quemadmodum ipſe appellat, ſtudium; vt amici eius, morbum & inſaniam; vt Siculi, latrocinium: ego quo nomine appellem neſcio. Rem vobis proponam: vos eam ſuo, non nominis pondere penditote.*

MVTARI FACTVM.] Vide Piſonianam 59. *Præterita mutare non poſſumus.* VIII.

AXIOMATA.

Fieri nihil poteſt dementius quàm ſcientem in eum locum venire, vbi libertatem ſis perditurus.

Tam ſemper ſtulti, quàm ſerò ſapientis eſt, cùm ſtultitia ſua impeditus ſit, quoquomodo poſſit, ſe expedire.

Quod factum eſt mutari non poteſt.

ITAQVE obiicias licet, quàm voles ſæpè, palliatum fuiſſe, aliqua ha- XXVI.
buiſſe non Romani hominis inſignia. quoties eorum quippiam dices, toties vnum dices atque illud, temerè, hunc pecuniam Regi credidiſſe: ſuas fortunas atque famam libidini regiæ commiſiſſe. Fecerat temerè, fateor: mutari factum iam nullo modo poterat: aut pallium ſumendum Alexandriæ, vt & Romæ togato eſſe liceret: aut omnes fortunæ abiiciendæ, ſi togam retinuiſſet. Deliciarum cauſa, & voluptatis, non modò ciues Rom. ſed & nobiles adoleſcentes, & quoſdam etiam Senatores ſummo loco natos, non in hortis aut ſuburbanis ſuis, ſed Neapoli in celeberrimo oppido cum mitella ſæpè videmus.

Chlamydatum illum L. Syllam Imperatorem: L. verò Scipionis, qui XXVII.
bellum in Aſia geſſit, Antiochúmque deuicit, non ſolùm cum chlamyde, ſed etiam cum crepidis in Capitolio ſtatuam videtis. Quorum impunitas fuit non modò à iudicio, ſed etiam à ſermone. Facilius certè P. Rutilium Rufum neceſſitatis excuſatio defendet. Qui cùm à Mithridate Mitylenis oppreſſus eſſet, crudelitatem Regis in togatos veſtitus mutatione vitauit. Ergò ille P. Rutilius, qui documentum fuit hominibus noſtris virtutis, antiquitatis, prudentiæ, Conſularis homo, ſoccos habuit & pallium! nec verò ideò id homini tum quiſquam, ſed tempori aſſignandum putauit, Poſthumo crimen veſtitus afferret is, in quo ſpes fuit poſſe ſe aliquando ad fortunas ſuas peruenire?

Nam vt ventum eſt Alexandriam ad Auletem, Iudices, hæc vna ra- XXVIII.
tio à Rege propoſita Poſthumo eſt ſeruandæ pecuniæ, ſi curationem & quaſi diſpenſationem regiam ſuſcepiſſet: id autem facere non poterat, niſi Diœcetes: hoc enim nomine vtitur, qui à Rege eſſet conſtitutus. Odioſum negotium Poſthumo videbatur: ſed erat nulla omnino recuſatio: moleſtum etiam nomen ipſum, ſed res habebat nomen hoc apud illos, non hic impoſuerat. Oderat veſtitum etiam illum, ſed ſine eo nec nomen illud poterat, nec munus tueri. Ergo aderat vis (vt ait Poëta ille noſter) quæ ſummas frangit infirmátque opes.

Moreretur, inquies: nam id ſequitur. Feciſſet certè, ſi ſine maximo XXIX.
dedecore, tam impeditis ſuis rebus, potuiſſet emori. Nolite igitur fortunam conuertere in culpam: neque Regis iniuriam, huius crimen putare: nec conſilium ex neceſſitate, nec voluntatem ex vi interpretari. Niſi eos fortè etiam qui in hoſtes, aut in prædones inciderint, ſi aliter quippiam coacti faciant, quàm liberè, vituperandos putes. Nemo noſtrûm ignorat, etiam ſi experti non ſumus, conſuetudinem regiam. Regum autem hæc ſunt imperia: animaduerte, & dicto pare. Et *præter cogitatum ſi*

quærare, & illæ minæ, *Si te ſecundo lumine hîc offendero, moriere.* Quæ non vt delectemur ſolùm, legere & ſpectare debemus, ſed vt cauere etiam & effugere diſcamus.

NOTÆ.

I. PALLIVM.] Pallij & togæ diſtinctio à materia, forma, vſu. Pallij materia videtur vt plurimùm viliùs conſtitiſſe. Tertull. de pallio cap. I. *Priùs etiam ad ſimplicem ſpecta telam eius.* quamuis nihil affirmo. nam vt craſſiorem fuiſſe philoſophici pallij pannum fatear, id tamen non poteſt Aſiaticis illis delitiis conuenire. Et ſanè hic locus meliùs de ipſa formâ, de rugis, & ſinibus poteſt intelligi: eum iam protulimus in Cœliana II. *Annius erat vnus ad cohibendum brachium togâ conſtitutus.* De his rugis Macrobius lib. 3. cap. 23. de Hortenſio loquens: *Togam corpori ſic applicabat, vt rugas non forte, ſed induſtria locatas artifex nodus adſtringeret, & ſinus ex compoſito defluens modum lateris ambiret.* Atenim, inquit Tertullianus, nullæ in pallio rugæ: *Nihil de tabularum fide laborat*, &c. Toga rotunda fuit, pallium quadrangulum. Fabius lib. II. cap. 3. *Ipſam togam rotundam eſſe, & aptè cæſam velim. Aliter enim multis modis fiet enormis.* Quam ideo Tertullianus *pallium teres* appellat cap. I. *Tunicam longiorem cinctu arbitrante ſuſpenditis, & pallij iam teretis redundantiam tabulata congregatione fulcitis.* Halicarnaſſeus lib. 3. antiquit. Rom. togam pictam appellat: Περιβόλαιον πορφυροῦν ποικίλον, οἷα Λυδῶν τε καὶ Περσῶν ἐφόρουν οἱ βασιλεῖς, πλὴν οὐ τετράγωνόν γε τῷ σχήματι, καθάπερ ἐκεῖνα ἦν, ἀλλ' ἡμικύκλιον. τὰ δὲ τοιαῦτα τῶν ἀμφιεσμάτων Ῥωμαῖοι μὲν τόγας. Ἕλληνες δὲ τήβεννον καλοῦσιν. *Amiculum purpureum varium, qualia gerebant Lydorum & Perſarum Reges, niſi quod figurâ quadrangulum non erat, vt illa, ſed ſemiorbiculatum. Huiuſmodi autem veſtimenta Romani togas appellant, Græci tebennos.* Pallium igitur quadrangulum. Sic Antonius palliatus 5. de bellis ciuilibus ab Appiano deſcribitur: Σχῆμα τετράγωνον ἔχων, καὶ ὑπόδημα Ἀττικόν. *Habitum quadrangularem habens & ſoccos Atticos.* Tertullianus de pallio c. I. *In viris autem pallij extrinſecus habitus, & ipſe quadrangulus, ab vtroque laterum regeſtus, & ceruicibus circumſtructus in fibulæ morſu humeris acquieſcebat.* & cap. vltimo: *Omnis liberalitas ſtudiorum quatuor meis angulis tegitur.* Quod ſic interpretatur Claudius Salmaſius: *Angulum in veſte vocant partem extremam veſtis, vbi aperta eſt, quæ in acumen deſinit, tam in imâ veſtimenti orâ, quàm in ſummâ. Veſtes igitur quæ circa imas oras apertæ non erant, ſed vndique concluſæ & commiſſæ, huiuſmodi angulos nullos habent, & rotundæ propterea dictæ ſunt, Græcis* κυκλοτερεῖς, &c. *Rotundis contrariæ quadratæ. Eæ ab ſummo ad imum apertæ, vnde quatuor angulos habuiſſe neceſſe eſt. duos in ima orâ, duos in ſummâ. hinc quadrangulæ dicebantur. Tale pallium Græcorum fuit.* Imò & Hebræorum, Deuteron. cap. 22. *Funiculos in fimbriis facies, per quatuor angulos pallij tui.* Quod ad vſum ſpectat, pallium propriè Græcorum fuit, toga Romanorum. Plinius lib. 4. epiſt. II. de Valerio Liciniano: *Idem cùm Græco pallio amictus intraſſet. carent enim togæ iure quibus aqua & igni interdictum eſt, poſtquam ſe compoſuit circumſpexitque habitum ſuum. Latinè, inquit, declamaturus ſum*, &c. Tranquillus in Claudio cap. 15. *Peregrinitatis reum, orta inter aduocatos contentione, togatúmne an palliatum dicere cauſſam oporteret, quaſi æquitatem integram oſtentans, mutare habitum ſæpius, & prout accuſaretur, defenderetúrve iuſſit.* De cæteris vſibus vide extrema verba Tertulliani de pallio, & dicta à nobis in Vatinium. 31.

Toga & pallij diſtinctio.

CVM MITELLA.] Bene delitiis & voluptatibus mitellam adiungit. fuit enim mitra tegumentum capitis virorum mollium aut etiam fœminarum. antiquus Poëta de mulieribus: II.

Copa Syriſca caput Graiâ redimita mitellâ.

Iuuenalis 3.

Ite quibus grata eſt picta lupa barbara mitrâ.

Catullus de Ariadna:

Non flauo retinens ſublimem vertice mitram.

Moſchus:

Τὴν μὲν χρυσόπλεκος περιέστεφε κυκλόσε μίτρα. Mitra.

Hanc intexta auro circumdedit vndique mitra.

Lucretius 4.

Et bene parta patrum fiunt anademata mitræ.

Quare viris probroſum fuit geſtare mitram 4. Æneidos:

At nunc ille Paris cum ſemiuiro comitatu
Mæoniâ mentum mitrâ crinémque madentem
Subnixus.

9. Æneidos:

Et tunicæ manicas & habent redimicula mitræ.

Claudianus Paneg. I. Stiliconis ad hanc mollitiem alludit:

Hic vittâ velatus Arabs.

Inter Deos vni Baccho Deorum delicatiſſimo mitram tribuebant. Propertius lib. 4. eleg. 2.

Cinge caput mitrâ, ſpeciem furabor Iacchi.

Et Iuno apud Lucianum Libero mollitiem obiiciens: μίτρᾳ τὴν κόμην ἀναδεδεμένος. *mitrâ comam redimitus.* Sed vide noſtrum Lælium Biſciolam horis ſubceſiuis lib. 17. cap. 13.

CHLAMYDE.] Ammonius in differentiis: Χλαμὺς καὶ χλαῖνα διαφέρει, καθ' ὃ διὰ πολλῶν ἀποδείξει Δίδυμος ἐν ὑπομνήματι δευτέρῳ Ἰλιάδος. Ἡ μὲν χλαῖνα ἡρωϊκὸν φόρημα· χλαμὺς δὲ Μακεδονικὸν μετὰ ἑξακόσια ἔτη τῶν Τρωϊκῶν ὀνομασθεῖσα Σαπφοῖ. αὐτὴ γὰρ μέμνηται τῆς χλαμύδος. Διαφέρειν φησὶ καὶ τῷ σχήματι. ἡ μὲν γὰρ χλαῖνα, φησὶ, τετράγωνον ἱμάτιον, ἡ δὲ χλαμὺς εἰς τέλειον περὶ τὰ κάτω συνῆκται. *Chlamys & Chlæna differunt, vt multis oſtendit Didymus ſecundo in Iliadem commentario. Nam Chlæna quidem heroicum eſt indumentum, chlamys Macedonicum, ſexcentis poſt Troianum bellum annis à Sapphone ſic vocata. ipſa enim chlamydis facit mentionem. Differre etiam dicit figurâ. Chlæna enim indumentum eſt quadrangulum, chlamys autem ad extremam oram infimè corrugatur.* Vide Notas noſtras in Piſonem 31. vbi chlamydem à paludamento diſtinguimus, & hoc Græcorum Imperatorum veſtem fuiſſe dicimus, illam Romanorum. III.

Chlamys.

CREPIDIS.] Gellius lib. 13. cap. 20. *Omnia ferme id genus quibus plantarum calces tantùm infimè teguntur, cætera prope nuda & teretibus habens iuncta ſunt, ſoleas dixerunt, nonnunquam voce Græcâ crepidulas.* Mox: *Crepidas & crepidu-* IV.

las primâ ſyllabâ correptâ, id genus calceamentum appellauerunt, quod Græci κρηπῖδας vocant. Fuit autem crepida calceamentum militare. vnde Seruius in illud octaui Æneidos,

Et Tyrrhena pedum circundat vincula plantis,

ait fuiſſe, *Thuſca calceamenta quaſdam crepidas quas primo habuere Senatores, poſt equites Romani, mox milites.* vnde & Agamemnoni & Telemacho tribuuntur:

Crepidæ. Ποσσὶ δ' ὑπαὶ λιπαροῖσιν ἐδήσατο καλὰ πέδιλα.

Pulchra pedum craſſis religauit vincula plantis.

Verùm ſi id calceamentum Romani milites habuerunt, non video cur in Scipionibus & Antonio notetur, quaſi ſingulare. De Scipione Aſiatico hîc, de Africano Liuius decadis 3. lib. 9. Dicebatur *cum pallio crepidíſque inambulare in gymnaſio, libellis etiam palæſtræque operam dare.* De Antonio Appianus 5. ciuilium: Καὶ στολὴν εἶχε τετράγωνον, Ἑλληνικὴν ἀντὶ τῆς πατρίου, καὶ ὑπόδημα ἦν αὐτῷ λευκὸν Ἀττικόν, ὃ καὶ Ἀθηναίων ἔχουσιν ἱερεῖς καὶ Ἀλεξανδρέων, καὶ καλοῦσι φαικάσιον. *Et veſtem habebat quadrangulam, Græcam loco Romanæ, & ſoleam albam Atticam, cuiuſmodi ſoleis Athenienſium & Alexandrinorum ſacerdotes vtuntur, & vocant phæcaſia.* Quare dicendum eſt inter caligas ſiue ſandalia militum Romanorum, & Græcorum crepidas aliquid fuiſſe diſcriminis. Quod cuiuſmodi ſit, non facilè dixerim. Nam vtrumque calceamẽti genus pedibus ſubligabant. vnde & ὑποδήματα caligæ ferreis clauis erant ſuppactæ. Ioſephus de excidio lib. 6. cap. 7. de Iuliano centurione: Τὰ γὰρ ὑποδήματα πεπαρμένα πυκνοῖς καὶ ὀξέσιν ἥλοις ἔχων, ὥσπερ τῶν ἄλλων στρατιωτῶν ἕκαστος. *Caligas frequentibus & acutis clauis ſuppactas habens vt & cæteri milites.* Hinc illud Iuuenalis:

Cùm duo crura habeas offendere tot caligatos.

Tyrrhenica. Crepidæ, ſaltem Tyrrhenicæ ligneæ fuerunt. Pollux lib. 7. cap. 22. Τυῤῥηνικά· τὸ κάττυμα ξύλινον, τετραδάκτυλον, οἱ δ' ἱμάντες ἐπίχρυσοι· σανδάλιον γὰρ ἦν. ὑπέδησε δ' αὐτὸ Φειδίας τὴν Ἀθηνᾶν, ἐργάλουν δ' αὐτὰ Τυῤῥηνουργῆ. *Tyrrhenica, calceamentum ligneum, quatuor digitorum altitudine, lora autem inaurata: erat enim ſandalium. hoc Mineruam induit Phidias, & hæc vocabant Tyrrhenica.* Huiuſmodi opinor fuerunt ſoleæ muliebres τετραδάκτυλοι, frequenter inauratæ vt alibi dictum: cùm crepidæ militares demiſſiores fuerint, ne in conflictu milites frequenter ceſpitarent. Adde quòd, vt ex Gellio vidimus ſoleæ ſiue crepidæ Romanorum teretibus habenis vinctæ fuerunt, at vincula Græcarum crepidarum videntur fuiſſe latiora. vnde & Plinius anſas appellat libro 35. cap. 10. de Apelle: *Idem perfecta opera proponebat in pergulâ tranſeuntibus, atque poſt ipſam tabulam latens vitia quæ notarentur, auſcultabat. vulgum diligentiorem iudicem, quàm ſe præferens. Ferúntque à ſutore reprehenſum quòd in crepidis vna intus pauciores feciſſet anſas. Eodem poſtero die ſuperbo emendatione priſtinæ admonitionis cauillante circa crus, indignatum proſpexiſſe, denuntiantem, ne ſupra crepidam ſutor iudicaret, quod & ipſum in prouerbium venit.*

Crepidæ Romana à Græcis diuerſæ.

V. In Capitolio.] Magnorum virorum ſtatuas in templis erigebant. Dio lib. 43. agens de honoribus Cæſari decretis: Καὶ ἐν ταῖς πόλεσι τοῖς τε ναοῖς τοῖς ἐν τῇ Ῥώμῃ πᾶσιν ἀνδριάντα τινὰ αὐτοῦ εἶναι ἐκέλευσαν. *Et in vrbibus & in omnibus Romæ templis ſtatuam eius aliquam collocari iuſſerunt*, vt cæteros omittam. narrat Liuius lib. 38. Maiorem Africanum, *Prohibuiſſe ſtatuas ſibi in comitio, in roſtris, in curiâ, in Capitolio, in cellâ Iouis poni. prohibuiſſe ne decerneretur vt imago ſua triumphali ornatu è templo Iouis optimi max. exiret.* Quod poſtremum à populo non impetrauit. Valerius libro 8. cap. 16. *Imaginem in cellâ Iouis opt. max. poſitam habet, quæ quotieſcunque munus aliquod Corneliæ gentis celebrandum eſt, inde petitur, vnique illi inſtar atrij capitolium eſt. tam hercle quàm curia ſuperioris Catonis effigies ad eius generis officia expromitur.* Statuæ clarorum virorum in templis.

Pub. Rutilium.] Vide Piſonianam 95. VI.

Mithridate.] De hoc Valerius lib. 9. cap. 2. *Vna epiſtolâ octoginta millia ciuium Romanorum in Aſia per vrbes negotiandi gratiâ diſperſa interemit.* Immò, vt ait Plutarchus in Sylla: Δεκαπέντε μυριάδας ἡμέρᾳ μιᾷ τῶν ἐν Ἀσίᾳ Ῥωμαίων κατασφαγῆναι. *Centum quinquaginta ciuium Romanorum millia, qui in Aſia verſabantur, vno die occidi* iuſſit. Vide pro lege Maniliâ 7. Cùm ergo Rutilius tum temporis exularet Mitylenis veſtem mutauit, vt mortem euaderet. VII. Mithridatis crudelitas.

Soccos.] Calceos Græcanicos humiliores: nonnunquam etiam inauratos. Plautus Bacchidibus actu 2. ſcen. 3. VIII.

Nicobolvs. *Sed diuéſne eſt iſtic Theotimus?* Chrysalvs. *Etiam rogas?*

Qui ſoccis habeat auro ſuppactum ſolum.

Tertullianus de idololatria cap. 8. *Soccus & baxa quotidie deaurantur.* Seneca libro 2. de beneficiis cap. 12. *Cæſar dedit vitam Pompeio Penno, ſi dat qui non aufert: deinde abſoluto & agenti gratias porrexit oſculandum ſiniſtrum pedem. Qui excuſant eum, negant id inſolentiæ cauſâ factum: aiunt ſocculum auratum, immò aureum margaritis diſtinctum oſtendere eum voluiſſe.* Socci.

Auletem.] Ptolemæum ſic dictum ἀπὸ τῶν αὐλῶν, *à tibiis*, quòd tibiarum cantu impendiò delectaretur. Dio Chryſoſtomus oratione ad Alexandrinos: Ὁ μὲν βασιλεὺς ὑμῶν περὶ αὐλήσιν ἠσχολεῖτο, καὶ μόνῳ τούτῳ προσεῖχεν. *Rex veſter circa tibiarum cantum erat occupatus, & huic vni attendebat.* Item: ἐκεῖνος μὲν αὐλῶν, ὑμεῖς δ' ὀρχούμενοι τὴν πόλιν ἀπωλέσατε. *Ille quidem canens tibia, vos autem ſaltantes ciuitatem perdidiſtis.* IX. Ptolemæus cur Auletes dictus.

Vis.] Euripides Helenâ: X. Vis & neceſſitas.

Δεινῆς ἀνάγκης οὐδὲν ἰσχύει πλέον.

Neceſſitate, vim nihil maiorem habet.

Simile illud quod Menandro tribuitur:

Ὑπὸ τῆς ἀνάγκης πάντα δουλοῦται τυχῇ.

Sibi cuncta ſubigit protinus neceſſitas.

Item:

Ὑπὸ τῆς ἀνάγκης πολλὰ ποιοῦμεν κακά.

Ad multa cogit nos neceſſitas mala.

AXIOMATA.

Vis ſummas frangit, infirmátque opes.
Non debemus fortunam conuertere in culpam.

XXX. AT ex hoc ipſo crimen exoritur. Ait enim, dum Gabinio pecuniam Poſthumus cogeret ex decumis Imperatorum, pecuniam ſibi coëgiſſe. Non intelligo, hoc quale ſit: vtrum acceſſionem decumæ, vt noſtri facere coactores ſolent, centeſimæ: an deceſſionem de ſumma fecerit. Si acceſſionem: vndecim millia talentûm ad Gabinium peruenerunt. At non modò abs te decem millia obiecta ſunt, ſed etiam ab his æſtimata.

XXXI. Addo illud etiam: qui tandem conuenit, aut tam graui onere tributorum ad tantam pecuniam cogendam mille talentum acceſſionem eſſe factam, aut in tanta mercede hominis, vt vis, auariſſimi, mille talentum deceſſionem eſſe conceſſam? neque enim fuit Gabinij, remittere tantum de ſuo: nec Regis, imponere tantum pati ſuis. Aderunt teſtes, Legati Alexandrini. Hi nihil in Gabinium dixerunt: Imò hi Gabinium laudauerunt. Vbi ergo ille mos? vbi conſuetudo iudiciorum? vbi exempla? ſolétne is dicere in eum qui pecuniam redegit, qui in illum, cuius nomine ea pecunia redigeretur, non dixerit?

XXXII. Age, ſi is qui non dixit, ſolet: etiámne is ſolet, qui laudauit? iiſdem teſtibus, & quidem non productis, ſed dictis teſtium recitatis, quaſi præiudicata res ad has cauſas deferri ſolet? Et ait etiam meus familiaris & neceſſarius, eandem cauſam Alexandrinis fuiſſe, cur laudarent Gabinium, quæ mihi fuerit, cur eundem defenderem. Mihi, C. Memmi, cauſa defendendi Gabinij fuit reconciliatio gratiæ. Neque me verò pœnitet mortales inimicitias, ſempiternas amicitias habere.

XXXIII. Nam ſi me inuitum putas, ne Cn. Pompeij animum offenderem, defendiſſe: cauſam, & illum & me vehementer ignoras. Neque enim Pompeius me, ſua cauſa, quicquam facere voluiſſet inuitum: neque ego, cui omnium ciuium libertas chariſſima fuiſſet, meam proieciſſem. Quamdiu inimiciſſimus Gabinio fui, non amiciſſimus mihi non Pompeius fuit. Nec poſteà quam illius auctoritate eam dedi veniam quam debui, quicquam ſimulaui, ne cum mea perfidia illi etiam ipſi facerem, cui beneficium dediſſem. Nam non redeundo in gratiam cum inimico, non violabam Pompeium: ſi per eum reductus inſidiosè rediſſem, me ſcilicet maximè, ſed proximè illum quoque fefelliſſem.

XXXIV. At de me omittamus. Ad Alexandrinos iſtos reuertamur. Quod habent os? quam audaciam? modò, vobis inſpectantibus, in iudicio Gabinij tertio quoque verbo excitabantur. Negabant pecuniam Gabinio datam. Recitabatur identidem Pompeij teſtimonium: Regem ad ſe ſcripſiſſe, nullam pecuniam Gabinio, niſi in rem militarem, datam. Non eſt, inquit, tum Alexandrinis teſtibus creditum. Quid? poſteà creditum? non. Quamobrem? quia nunc aiunt, quod tum negabant.

XXXV. Quid ergo? iſta conditio eſt teſtium, vt quibus creditum non ſit negantibus, iiſdem credatur dicentibus? At, ſi verum tum, cum veriſsima fronte dixerunt, nunc mentiuntur: ſi tunc mentiti ſunt, doceant nos verum. Quid vultis? ſileant. Dicere audiebamus, Alexandriam nunc cognoſcimus: illinc omnes præſtigiæ, illinc, inquam, omnes fallaciæ: omnia denique ab his nummorum argumenta nata ſunt. Nec mihi longius quicquam eſt, Iudices, quàm videre hominum vultus.

XXXVI. Dixerunt hic modò nobiſcum ad hæc ſubſellia, quibus ſuperciliis renuentes

nuentes huic decem millium crimini? iam noſtis inſulſitatem Græcorum. Humeris geſtum agebant. Tum temporis, credo, cauſa, nunc ſcilicet tempus nullum eſt. Vbi ſemel quis peierauerit, ei credi poſtea, etiamſi per plures deos iuret, non oportet. Præſertim, Iudices, cùm in his iudiciis ne locus quidem nouo teſti ſoleat eſſe: ob eámque cauſam iidem Iudices retineantur, qui fuerint de reo: vt his nota ſint omnia, neque quid fingi noui poſſit.

NOTÆ.

I. EX DECVMIS IMPERATORVM.] Id eſt, ex decumis pecuniæ quam Ptolemæus colligi ab Ægyptiis imperauerat. Obiiciebatur enim Poſthumo, quòd ad ipſum mille talenta perueniſſent, ſiue quod Poſthumus dum pecunias à Ptolemæo imperatas cogebat, decimam earum partem interuertiſſet. Ex quo inferebatur eum teneri eo capite legis Iuliæ QVO EA PECVNIA PERVENERIT. Quæ interuerſio pecuniæ duobus modis fieri poterat, vel per acceſſionẽ, vel per deceſſionem. Per acceſſionẽ, ſi collegiſſet dena millia talentûm danda Gabinio, deinde altera mille coëgiſſet, quæ ipſe in ſuos vſus conuerteret. Per deceſſionẽ ſiue deductionem, ſi Poſthumus dena duntaxat talentûm millia coëgiſſet, ſed ita vt ex pecuniis illis imperatis dena duntaxat talentûm millia cederẽt Gabinio, ipſe reliqua mille talenta ſibi vindicaret. Acceſſionis exempla ſunt Verrinâ
Acceſſio. 117. 118. *Nec nummorum acceſsionem cogebatur arator dare, nec ternas quinquageſimas frumenti addere*, &c. *Quid porro iſtæ ſibi quinquageſimæ, quid nummorum acceſsiones volunt?* quam acceſſionem ibidem *corollarium nummorum* appellat.
Deductio. De deductione eâdem frumentariâ 180. *Ex omni pecuniâ, quam aratoribus ſoluere debuiſti, certis nominibus deductiones fieri ſolebant*, &c. 181. *Scribæ nomine de tota pecuniâ binæ quinquageſimæ detrahebantur. Quis tibi hoc conceſsit? quæ lex? quæ Senatus auctoritas? quæ porro æquitas vt tantam pecuniam ſcriba tuus auferret, ſiue de aratorum bonis, ſiue de populi Romani vectigalibus?*

II. MORTALES INIMICITIAS.] Qu. Cæcilius Metellus apud Liuium 40. *Vulgatum illud quia verum erat in prouerbium venit, Amicitias immortales, mortales inimicitias debere eſſe.* Vide Eraſmum in adagiis.

III. ME SCILICET MAXIME.] Tale illud Heſiodi:

Οἷ αὐτῷ κακὰ τεύχει ἀνὴρ ἄλλῳ κακὰ τεύχων·
Ἡ δὲ κακὴ βουλὴ τῷ βουλεύσαντι κακίστη.
Ipſe ſibi damno eſt aliis qui damna parabat,
Malum conſilium conſultori peſſimũ. *Conſiliúmque malum res peſsima conſultori.*

Seneca ep. 81. *Minimum ex nequitiâ leuiſsimúmque in alios redundat: quod peſsimum ex illa eſt, &, vt ita dicam ſpiſsiſsimum, domi remanet, & premit habentem. quemadmodum Attalus noſter dicere ſolebat: malitia maximam partem veneni ſui bibit. Illud venenum quod ſerpentes in alienam perniciem proferant, ſine ſuâ continent. Non eſt huic ſimile. Hoc habentibus peſsimum eſt.*

IV. QVOD HABENT OS.] In Piſonem 53. *Nihil incolume domum præter os illud priſtinum tuum retuliſti.* & 63. *Os tuum ferreum Senatus conuitio verberari noluiſti.* vide vtrobique Notas.

QVID POSTEA CREDITVM.] Totus hic locus corruptus eſt. ſic emendant viri eruditi. *Quid? poſtea credetur? credetur. Quamobrem? quia nunc aiunt quod tunc negabant.* Mox: *At ſi verum dixerunt tum, cùm veriſsimâ fronte dixerunt, nunc mentiuntur: ſi tunc mentiti ſunt, doceant nos verum. Quid multa? aut ſileant, aut verum dicant. Audiebamus Alexandriam, nunc cognoſcimus. Illinc omnes præſtigiæ, illinc, inquam, omnes fallaciæ: omnia denique ab his mimorum argumenta nata ſunt.*

ALEXANDRIAM.] De Alexandrinorum V.
leuitate non pauca diximus in Piſonem 41. *Dedit ſe mercenarium comitem Regi Alexandrino.* Scriptor Græcus, qui librum compoſuerat περιήγησιν περὶ τῆς οἰκουμένης, cuius inſulſam barbari interpretis verſionem profert Salmaſius in Vopiſci Saturninũ de Alexandriæ moribus ita loquitur: *Cuius neque iudicia, neque priuata iudicia Regi poſſunt. Sed penè per ipſam rem omnis hominũ natura ſtare videtur.* Dicere voluit, vt interpretatur Salmaſius: *Hoc vni Alexandriæ præter cæteras vrbes peculiare contigiſſe ac præcipuum, quòd in tantâ hominum colluuione ac confuſione rerum non per rectam adminiſtrationem, & publicorum ordinem iudiciorum ſtaret: ſed per ipſam rerum naturam fortuitò magis, quàm bono more ac regimine ſubſiſteret.* Hadrianus apud Vopiſcum in Saturnino Ægyptiorum gentem appellat, *leuem, pendulam, & ad omnia famæ momenta volitantem.* Trebellius in Æmiliano: *Et hoc familiare eſt populo Ægyptiorum, vt vel furioſi ac dementes de leuibus quibuſque ad ſummæ Reip. pericula perducantur. Sæpè illi ob neglectas ſalutationes, locum in balneis non conceſſum, carnem & olera ſequeſtrata, calceamenta ſeruilia & cætera talia vſque ad ſummum Reip. periculum ſeditionis, itaut armarentur contra eos exercitus, peruenerunt.* Philo in Flaccum: Ὅταν δ' Alexandrinorum leuitas.
ὁ ἄρχων ἀπογνῷ τὸ δύνασθαι κρατεῖν, ἀνάγκη τοὺς ὑπηκόους εὐθὺς ἀφηνιάζειν, καὶ μάλιστα τοὺς ἐκ μικρῶν καὶ τῶν τυχόντων πεφυκότας ἀνερεθίζεσθαι. ἐν οἷς τὸ Αἰγυπτιακὸν τὰ πρωτεῖα φέρεται διὰ βραχυτάτου σπινθῆρος εἰωθὸς ἐκφυσᾶν στάσεις μεγάλας. *Cùm magiſtratus ſpem abiecerit populi in officio continendi, ſubditos iugum excutere neceſſe eſt: maximè ſi ita ſint à natura comparati. vt paruis & leuib. de cauſis irritentur. In quibus primum locum obtinent Ægyptij, ex minima ſcintillâ magnum ſeditionis incendium ſoliti ventilare* Quare, vt narrat Tacitus 1. hiſt. *Ægyptum copiáſq. quibus coërceretur, iam inde à D. Auguſto Equites Romani obtinent loco Regum. Ita viſum expedire prouinciâ aditu difficilem, annonæ fœcundam, ſuperſtitione ac laſciuiâ diſcordẽ ac mobilẽ, inſciam legum, ignaram magiſtratuum domi retinere.* Nã, vt ait 2. annaliũ: *Auguſtus inter alia dominationis arcana, vetitis niſi permiſſu, ingredi Senatoribus, aut Equitib. Romanis illuſtribus ſepoſuit Ægyptum.* Tollo particulã *aut*, Lipſio quantumlibet refragante, eo ſenſu vt Auguſtus equitibus illuſtribus ſepoſuerit Ægyptum, id eſt, iis nominatim adminiſtrandam permiſerit. Nam Tiberius Alexander qui primo

hiſtoriarum dicitur Ægyptum rexiſſe, *Illuſtris eques Romanus* 15. annalium nominatur. Eadem Tranquillus in Auguſto, & Dio libro 51. Vbi & addit, Οὐδ' ἐκείνοις βουλεύειν ἐν τῇ Ῥώμῃ ἐφῆκεν. *Neque ipſis Romæ Senatores eſſe permiſit.*

VI. PRÆSTIGIÆ.] Præſtigiæ dici videntur quaſi præſtrigiæ, quòd ſpectatorum oculos præſtringant quibuſdam offuciis. De quibus fuſiùs tractarem niſi totum hunc locum vir doctiſſimus Iulius Cæſar Bullingerus occupaſſet libro primo de Theatro, à cap. 36. ad 42. & potiſſimùm cap. 41. vbi de acetabulariis, qui propriè præſtigiatores. Seneca epiſt. 45. *Præſtigiatorum acetabula, & calculi, in quibus fallacia ipſa delectat.* Sextus Empiricus: Καθάπερ οἱ ψηφοπαῖκται τὰς τῶν θεωμένων ὄψεις δι' ὀξυχειρείας κλέπτουσι, οὕτως οἱ ῥήτορες διὰ πανουργίας τὰς τῶν δικαστῶν διανοίας ἀμαυρώσαντες τῷ νόμῳ συγκλέπτουσι. *Vt acetabularij ſpectantium oculos agilitate manus ſuffurantur ac illudunt, ita & Rhetores ſuis cauillationibus Iudicum animis tenebras ſuffundentes ſuffurantur legi calculos ſuos.* Gregorius Nazianzenus Epitaphio Magni Athanaſij de ſinceritate veteris Eccleſiæ loquens: Ταυτὸ ἦν, inquit, ψήφοις τε παίζειν τὴν ὄψιν κλεπτούσαις τῷ τάχει τῆς μεταθέσεως, καὶ κατορχεῖσθαι τῶν θεατῶν παντοίαις καὶ ἀνδρογύνοις λογισμοῖς, καὶ περὶ Θεοῦ λέγειν τι καὶ ἀκούειν καινότερον καὶ περιεργότερον. *Idem erat calculis ludere fallentibus oculos celeritate tranſpoſitionis, aut omnimodis effœminatis ratiocinationibus inſultare ſpectatoribus, & de Deo dicere vel audire aliquid nouum & curioſum.* Suidas: Ψηφολόγοι εἰσὶν οἱ ψηφοπαῖκται, ψηφολογικοὶ γοῦν οἱ πλανῶντες, καὶ ἀπατῶντες, ὥσπερ οἱ ψηφολόγοι τοὺς ὀφθαλμοὺς τῷ τάχει τῆς μεταθέσεως τῶν ψήφων ἀπατῶντες συναρπάζουσι. *Pſephologi ſunt acetabularij, pſephologici qui decipiunt plani, quemadmodum acetabularij oculos celeritate tranſpoſitionis calculorum decipientes ſuffurantur.* Sunt & alia præſtigiarum genera, vt cùm, vt ait Plutarchus in apopht. τὰ ξίφη καταπίνουσιν οἱ θαυματοποιοί. *gladios deuorant præſtigiatores.* Apuleius 1. de aſino: *Circulatorem adſpexi equeſtrem ſpatam præacutam mucrone infeſto deuoraſſe.* vt cùm Xenophon quidam præſtigiator apud Athenæum lib. 1. πῦρ αὐτόματον ἐποίει ἀναφύεσθαι. *ignem ſpontaneum excitabat.* Hæc pauca de multis à doctiſſimo viro conglobatis. Ægyptios autem & potiſſimùm Alexandrinos inſignes præſtigiatores fuiſſe ſignificat Iulius Capitolinus in Vero: *Adduxerat ſecum & tibicinas & fidicines, & hiſtriones, ſcurráſque mimarios, & præſtigiatores, & omnia mancipiorum genera, quorum Syria & Alexandria paſcitur voluptate.* Hinc eſt quod Proteum illum de quo Poëtæ alter 4. Odyſſ.

Præſtigiæ.

Alexandrini præſtigiatores.

> Πάντα δὲ γινόμενος πειρήσεται, ὅσσ' ἐπὶ γαῖαν
> Ἑρπετὰ γίνονται καὶ ὕδωρ, καὶ θεσπιδαὲς πῦρ.

Alter 4. Georg.

> *Omnia transformat ſeſe in miracula rerum,*
> *Ignémque, horribilémque feram, fluuiúmque*
> *liquentem.*

Hunc, inquam, Proteum Ægyptium præſtigiatorem fuiſſe, eámque artem exercuiſſe viri docti tradiderunt, quam exercuit Cratiſthenes Phliaſius, Ὃς πῦρ τε φασὶν αὐτόματον ἀνέφυσε, καὶ ἄλλα ἐτεχνᾶτο φάσματα, δι' ὧν ἀνθρώπων ἐξίστα διάνοιαν· ἦν δὲ τοιοῦτο καί τις Ξενοφῶν, καὶ Σκύμνος ὁ Ταραντῖνος, καὶ Φιλιππίδης ὁ Συρακούσιος, καὶ Νυμφόδωρος. *Qui ſpontaneum ignem excitabat, aliáque miracula per artem faciebat, quibus hominum animi extra ſe raperentur. Talis fuit & Xenophon quidam, & Scymus Tarentinus, & Philippides Syracuſanus, & Nymphodorus.*

OMNES FALLACIÆ.] Quod ſpectat ad Ægyptiorum fraudes & fallacias eos Theocritus è fallaciis concinnatos appellat Eidyllio 15. VII.

Ægyptiorum fallaciæ.

> -οὐδεὶς κακοεργὸς
> Δαλεῖται τὸν ἰόντα, παρέρπων Αἰγυπτιστί·
> Οἷα πρὶν ἐξ ἀπάτας κεκροταμένοι ἄνδρες ἔπαισδον
> Ἀλλάλοις ὁμαλοί, κακὰ παίγνια, πάντες ἐρειοί.
> -*Nemo trucidat*
> *Latro viatorem ſubiens de more Canopi:*
> *Vt priùs è purâ conflati fraude ſolebant*
> *Ludere rixantes mala ludicra, ſemper iidem*
> *Inter ſe ſimiles.*-

De his Seneca ep. 51. *Voluptates præcipuè ex turba & inuiſiſſimas habe, latronum more quos phileias Ægyptij vocant: in hoc nos amplectuntur, vt ſtrangulent.* atque hoc eſt παρέρπειν Αἰγυπτιστί.

MIMORVM.] Ita legendum, non *numerorum.* Suprà Capitolinus *Scurras mimarios.* De iiſdem Alexandrinis Philo in Flaccum ferè initio: Πλῆθος δ' ἐστὶν ἐπιτηδευκὸς γλωσσαλγίαν, καὶ ἐνευκαιροῦν διαβολαῖς, καὶ βλασφημίαις. *Vrbana multitudo ſtudet garrulitati, & delectatur conuiciis atque calumniis.* Item: Καὶ ποιηταῖς μίμων καὶ γελοίων διδασκάλοις χρώμενοι τὴν ἐν τοῖς αἰσχροῖς εὐφυΐαν ἐπεδείκνυντο, βραδεῖς μὲν ὄντες τὰ καλὰ παιδεύεσθαι, τὰ δ' ἐναντία μανθάνειν ὀξύτατοι, καὶ προχειρότατοι. *Mimorum & ludicrorum poëtas ſibi magiſtros adhibentes, ſuum ad res turpes ingenium oſtendebant, ad honeſtas artes hebetes & tardi, ad contrarias promptiſſimi & apprimè dociles.* Et paulò vltra medium: Δεινοὶ γάρ εἰσι τὰς κολακείας, καὶ γοητείας, καὶ ὑποκρίσεις, παρεσκευασμένοι μὲν θῶπας λόγους, ἀνειμένοις δὲ στόματι καὶ ἀχαλίνοις πάντα φύροντες. *Sunt enim magni præſtigiarum, aſſentationum, ſimulationúmque artifices, & ſemper in promptu verba habent adulatoria, effreni ore, ad omnia turbanda miſcendáque faciles.* Item: οἱ πλείους Αἰγύπτιοι, πονηρὰ σπέρματα, κροκοδείλων καὶ ἀσπίδων τῶν ἐγχωρίων ἀναμεμιγμένοι τὸν ἰὸν ἅμα καὶ θυμὸν ἐν ταῖς ψυχαῖς. *Plerique Ægyptij, malum germen, aſpidum & crocodilorum venenis & ira tincti in anima.* Vide fusè. De eorumdem ſcurrili dicacitate Herodianus lib. 4. Πεφύκασι δέ πως εἶναι φιλοσκώμμονες, καὶ λέγειν εὐστόχως ὑποκορισμοὺς καὶ παιδιάς, ἀπορρίπτοντες εἰς τοὺς ὑπερέχοντας πολλά, χαρίεντα μὲν αὐτοῖς δοκοῦντα, λυπηρὰ δὲ τοῖς σκωφθεῖσι. τῶν γὰρ τοιούτων κνίζει μάλιστα ὅσα ἐλέγχει τῶν ἁμαρτημάτων τὴν ἀλήθειαν. *Sunt enim homines ſuapte natura dicaces, atque ad deſcribendum illudendúmque maximè facti, iactantes in optimum quemq. & potentiſſimum dicteria quædam, & quidem, vt ipſi putant, feſtiua, vt autem videntur iis, in quos dicuntur, longè grauiſſima. quippe huiuſmodi iocorum vel maximè illa permouent, quibus delicti veritas arguitur.* Ab Alexandrinis igitur omnia mimorum argumenta nata eſſe dicit Orator, quod illi ſua malignitate, fallacia, aſsẽtatione, ſimulatione, ſcurrilitate poëtis mimorum materiam exhiberent. Quid ſit autem mimus, & quæ inter mimum & fabulam diſtinctio. vide ad illa verba Cœlianæ 65. *Mimi ergo eſt iam exitus non fabulæ,* &c. VIII.

Alexandrinorum ſcurrilitas & malignitas.

SVPERCILIIS.] Vide Sextianam 19. Piſonianam 14. IX.

INSVLSITATEM.] Inſulſi dicuntur homines inficeti, quibus, vt ait Catullus, X.

> -*Nulla venuſtas*
> *Nulla in tam magno corpore mica ſalis.*

Sicut contrà Lucretius de ſpecie eleganti:

-χαείτων ἴα, tota merum ſal.

XI. Humeris geſtum agere indecorum.

HVMERVS GESTVM AGEBANT.] De hoc geſtu multa eleganter noſter Ludouicus Creſolius libro 2. Vacationum autumnalium §. 13. Quem geſtum Gregorius 2. in Iulianum ita reprehendit: Οὐδὲ τὸς ἐδόκει μοι σημεῖον εἶναι χρηστοῦ, αὐχὴν ἀπαγὴς, ὦμοι παλλόμενοι, καὶ ἀνασηκούμενοι. *Nullius boni mihi ſignum videbatur eſſe collum mobile, humeri ſubſultim micantes, & quaſi in fornicem curuati.* Demoſthenes apud Libanium à Creſolio laudatum ἀπρεπῶς τὸν ὦμον εἰώθει κινεῖν. *Mouere humerum indecorè conſueuerat.* Eam maculam vir generoſæ mentis & laborioſæ ferro & contentione exuſſit. Nam acutum è lacunari gladium ſuſpendit ſic humeris imminentem, vt ſi quando ſeſe vltrà quàm par eſſet commoueret, acie vulneraretur, quo fiebat vt vulneris reformidatione ſe in ſtatu quodam honeſto contineret. Theodoretus ſermo. 7. de prouid. *Vt viderunt diuitem ſummis pedum digitis incedere, leoninum tueri,* τῇδε κἀκεῖσε τοὺς ὤμους περιφέροντα, *hinc inde humeros circumferre.* Fabius lib. 11. cap. 3. *Humerorum raro decens alleuatio atque contractio eſt. Breuiatur enim ceruix, & geſtum quemdam humilem atque ſeruilem, & quaſi fraudulentum facit, cùm ſe in habitum adulationis, admirationis, metus fingunt.*

GESTVM AGEBANT.] Propriè. nam, vt auctor eſt Varro lib. 5. de ling. *Dicimus* AGIT GESTVM TRAGOEDVS. Noſter pro Quintio 77. *Homini*, Qu. Roſcio. *pro amicitia familiarius dixi: Mihi videri ore duriſſimo eſſe qui præſente eo geſtum agere conaretur.* & 2. de Oratore §. 233. *Soleo ſæpè mirari eorum impudentiam, qui agunt in ſcena geſtum, præſente Roſcio. quis enim ſeſe commouere poteſt, cuius ille vitia non videat.* pro Qu. Roſcio 24. *Si hos quæſtus recipere poſſes, nónne eodem tempore & geſtum & animam ageres?* paululùm deflexit 3. de Orat. 100. *Nunquam agit hunc verſum Roſcius eo geſtu, quo poteſt.* XII.

PEIERAVERIT.] Laërtius in Ariſtotele: XIII. Periurium.
Ερωτηθεὶς τί περιγίνεται κέρδος τοῖς ψευδομένοις, ὅταν, ἔφη, λέγωσιν ἀλήθειαν μὴ πιστεύεσθαι. *Rogatus quid lucrentur mentientes, vt inquit, cùm dicent veritatem iis non credatur.*

AXIOMATA.

Mortales inimicitiæ, ſempiternæ amicitiæ eſſe debent.
Qui aliquid inſidioſè facit, is ſcilicet ſe maximè fallit.
Vbi ſemel quis peierauerit, ei credi poſtea etiamſi Deos iuret, non oportet.

Tertia pars confutationis à 37. ad 41. qua reditur ad primam illam quæſtionem, & oſtenditur accuſandum non eſſe Rabirium eo capite legis Iuliæ, Quo ea pecunia peruenerit.

- à conſuetudine iudicandi. 37.
  - cæteri qui hoc iudicio damnantur
    - non propriis iudiciis, ſed in reum factis condemnari ſolent.
    - Et ij ſoli damnantur, ad quos illa pecunia, quam præcipuus ille reus iniuſtè accepit, peruenerit. Neque damnantur, niſi cum
      - nec prædes dederit ille præcipuus.
      - nec tantùm ex eius bonis publicatis redigi & confici potuerit, quanti lis fuit æſtimata.
  - Rabirius non ſolùm proprio iudicio accuſatur, ſed etiam contrario illi priori quo damnatus eſt Gabinius. nam
    - Gabinius damnatus eſt, quòd pecuniam à Rege acceperit.
    - Rabirius accuſatur, quòd dederit pecuniam Regi, nec receperit.
      - Si pecuniam non acceperit à Rege Gabinius, iniuſtè damnatus eſt, neque damnari debet Rabirius.
      - Si Gabinius à Rege pecuniam acceperit, Rabirius creditam pecuniam à Rege non recepit: tantum abeſt, vt è pecuniis à Gabinio iniuſtè acceptis, quidquam ad eum peruenerit.
- à reiectione eorum quæ dicebantur.
  - Poſthumus habet pecuniam, ſed celat. 38. contra.
    - Si nihil habuiſſet vnquam, tamen ſi quæſiſſet, cur is diſſimularet ſe habere; cauſſa non eſſet.
    - Ergo nunc multò minùs cauſſam habet, cur diſſimulet, cùm
      - & acceperit duo copioſa patrimonia
        - C. Curij patris naturalis.
        - C. Rabirij patris adoptiui.
      - & rem bonis, & honeſtis rationibus auxerit.
  - Dominatus eſt Alexandriæ ac proinde pecunias habet. imò
    - 1. in ſuperbiſſimo dominatu fuit.
    - 2. pertulit ipſe cuſtodiam.
    - 3. vidit in vinculis familiares ſuos.
    - 4. mors ob oculos ſæpè verſata eſt.
    - 5. nudus atque egens ad extremum fugit è regno.
  - permutata cum aliis mercibus pecunia eſt. 40. quod refellit, nuda expoſitione
    - Originis, vnde ſermones iſti manarunt.
      - ex loco, ſiue cataplo Puteolano.
      - ex vectorum oſtentatione.
      - ex maleuolorum ſermonibus.
    - Veritatis rei. Poſthumus nihil penitus habet, ſed Cæſaris liberalitate ſuſtentatur. 41.

LItes, *quò ea pecunia peruenerit*, non ſuis propriis iudiciis, ſed in reum factis condemnari ſolent. Itaq; ſi aut prædes dediſſet Gabinius, aut tantum ex eius bonis, quanta ſumma litium fuiſſet, populus recepiſſet: quamuis magna ad Poſthumum ab eo pecunia perueniſſet, non redigeretur: vt intelligi facilè poſſit, quod ex ea pecunia ad quem eorum, qui damnatus eſt, perueniſſe in illo primo iudicio planum factum ſit, id hoc genere iudicij redigi ſolere. Nunc verò quid agitur? vbi terrarum ſumus? quid tam inſolens, tam peruerſum, præpoſterúmve dici, aut excogitari poteſt? XXXVII.

Accuſatur is qui non abſtulit à Rege, ſicut Gabinius iudicatus eſt, ſed qui maximam Regi pecuniam credidit. Ergo is Gabinio dedit, qui non huic reddidit. Iam cedo, cùm is, qui pecuniam Poſthumo debuit, non huic, ſed Gabinio dederit: condemnato Gabinio, vtrùm illi eam pecuniam reddidit, an etiam nunc debet? At habet, & celat (ſunt enim qui ita loquantur.) Quod genus tandem eſt iſtud oſtentationis, & gloriæ? ſi nihil habuiſſet vnquam, tamen, ſi quæſiſſet, cur is diſſimularet habere, cauſa non eſſet. Qui verò duo lauta, & copioſa patrimonia accepiſſet, rémque præterea bonis & honeſtis rationibus auxiſſet: quid eſſet tandem cauſæ, cur exiſtimari vellet nihil habere? XXXVIII.

An, cùm credebat inductus vſuris, id agebat, vt haberet quamplurimum? poſteà quàm exegit quod crediderat, vt exiſtimaretur egere, nouum genus hoc gloriæ concupiſcit? Dominatus eſt enim, inquit, Alexandriæ. Immò verò in ſuperbiſſimo dominatu fuit: pertulit ipſe cuſtodiam: vidit in vinculis familiares ſuos: mors ob oculos ſæpè verſata eſt: nudus atque egens ad extremum fugit è regno. XXXIX.

At permutata aliunde pecunia eſt: ductæ naues Poſthumi Puteolis ſunt: auditæ viſæque merces. Fallaces quidem, & fucoſæ, chartis, & linteis, & vitro delatæ: quibus cùm multæ naues refertæ fuiſſent, vna non patuit parua, & arctata. Quid amplius? ille Puteolanus ſermo illius temporis, vectorúmque curſus, atque oſtentatio, tum ſubinuiſum apud maleuolos Poſthumi nomen, propter opinionem pecuniæ neſcio quam, æſtatem vnam complures aures referſit iſtis ſermonibus. XL.

NOTÆ.

1. POPVLVS RECEPISSET.] Eodem genere loquendi ſuprà 8. *Sunt lites æſtimatæ Aulo Gabinio, nec prædes dati, nec ex eius bonis, quanta ſumma litium fuiſſet, à populo recepta.* Legunt aliqui *redacta*, & hîc *redegiſſet.* Nihil muto. Nam *recipere* idem eſſe poteſt atque *recuperare*, vnde & *recuperatores* dicti Iudices. Hunc locum ſatis intricatum vt enodes, ſtatuenda videtur emendatio Lambini: *Itaque ſi aut prædes dediſſet Gabinius, aut tantùm ex eius bonis, quanta ſumma litium fuiſſet, populus recepiſſet, quamuis magna ad Poſthumum ab eo pecunia perueniſſet, non redigeretur, vt intelligi facilè poſſit quod ex eâ pecuniâ, quam ceperit is qui damnatus eſt, perueniſſe in illo primo iudicio planum factum ſit, id hoc genere iudicij redigi ſolere.* Mens eſt oratoris oſtendere Alexandrinos teſtes contra Poſthumum non eſſe audiendos. Quia lites, quibus quæritur QVO EA PECVNIA PERVENERIT, *non propriis iudiciis ſed in reum factis condemnari ſolent.* Suprà 89. *Eſt enim hæc cauſſa* QVO EA PECVNIA PERVENERIT, *quaſi quædam appendicula cauſſæ iudicatæ, atque damnatæ, &c. Iubet lex Iulia perſequi ab iis, ad quos ea pecunia, quam is ceperit, qui damnatus ſit, peruenerit, &c. Ita contendo neminem vnquam, quo ea pecunia perueniſſet, cauſſam dixiſſe qui in æſtimandis litibus appellatus non eſſet. In litibus autem nemo appellabatur, niſi ex teſtium dictis, aut tabulis priuatorum, aut rationibus ciuitatum.* Ex quò efficitur hic ſyllogiſmus argumento à minori.

Si in litibus quò ea pecunia peruenerit, non audiuntur alij teſtes, nec alia iudicia proferuntur, ſed ſtatur iis teſtibus & iudiciis quæ in reum, qui vel Rempub. depeculatus eſſe, vel prouinciam expilaſſe conuincitur, multò minùs audiendus eſt contra eum ad quem pecunia dicitur perueniſſe, ille teſtis qui pro reo illo primario dixit, eúmque priore iudicio laudauit.

Sed Alexandrini legati pro Gabinio repetundarum reo dixerunt, eúmque iudicio priore laudarunt.

Ergo non ſunt audiendi contra Poſthumum accuſatum eo capite legis QVO EA PECVNIA PERVENERIT.

Probat autem lites, QVO EA PECVNIA PERVENERIT, non ſuis propriis indiciis aut teſtibus decidi ſolere, à conſequenti: Quia in eos ad quos ea pecunia peruenit non inquiritur alio fine, niſi vt damnum reſarciatur, & pecunia peculatu vel rapinis expilata reſtituatur. Idque eo indicio cōſtat, quòd ſi is qui peculatûs aut repetūdarum damnatus eſt, prædes populo daret aut fideiuſſores, ſiue ſatiſdatores locupletes, qui ſe tantum ſoluturos eſſe præſtarent, quanti lis fuerat æſtimata, aut ſi tantum ex eius bonis redigi potuiſſet, nihil repeteretur ab eo ad quem pecunia furto ſublata peruenerat.

Quod autem ait *populus* recepiſſet, ſignum eſt prædes publicos fuiſſe datos, qui populo cauerent, periculúmque Reipub. præſtarent. fuerunt enim alij publici prædes, alij priuati. De priuatis

Prædes.

in Verrem de præturâ vrbanâ 115. *Pro præde litis vindiciarum cùm ſatis accepiſſet, ſponſionem faceret, ita de hereditate certaret.* Vbi Aſconius non paucis præmiſſis: *Prædes ergo dicuntur ſatiſdatores locupletes, pro re de qua apud iudicem lis eſt: ne interea qui tenet diffidens cauſſæ poſſeſſionem faciat, tecta diſſipet, excidat arbores, & culta deſerat.* Ibidem 142. *Prædibus ac prædiis populo cautum eſt.* In iudicio verò repetūdarum populus pecuniam dicebatur redigere. Ibidem 96. *De litibus æſtimatis Cn. Dolabellæ pratori, pecuniáq. populo Romano redacta.* Quod videlicet populus Romanus è bonis damnatorum publicatis eam ſummam colligeret, quæ litis æſtimationem explebat, & quidem ſi pecunia per vim & iniuriam ablata fuerat à Sociis, ea ad dominos priores redibat: vt videre eſt paſſim in Verrinis: ſi cum ſcelere data, cū ſcelere accepta fuerat, referebatur in ærarium, & iam propria populi Romani fiebat. Exemplum eſt apud Plinium Iuniorem lib. 2. epiſt. 11. de dānatione Marij Priſci differentē. *Martianus vnius equitis Romani ſeptingentis millibus plura ſupplicia arguebatur emiſſe. Erat enim faſcibus cæſus, damnatus in metallum, ſtrangulatus in carcere, &c. Cenſuit ſeptingenta millia quæ acceperat Marius, ærario inferenda: Mario vrbe Italiáque interdicendum, Martiano hoc amplius Africâ.* In huiuſmodi itaque cauſis populus dicebatur pecuniam recipere, ſiue redigere, prædéſque publici, qui populo cauebant. Feſtus Pompeius: *Præs eſt qui populo ſe obligat, interrogatúſque à magiſtratu ſi præs ſit, ille reſpondet. Præs.* Varro 4. de lingua: *Prædia dicta, item vt prædes à præſtando, quòd ea pignori data publicè mancupes fidem præſtent.* lego, *quòd per ea pignori data.* lib. ſequenti: *Itaque præs qui à magiſtratu interrogatus in publicum vt præſtet. A quo ei cùm reſpondet dicitur præs.*

II. DVO LAVTA PATRIMONIA.] Alterum à C. Curio ſiue Curtio patre, alterum à C. Rabirio qui ipſum adoptauit. infrà 45. *Túne es Curij filius, C. Rabirij iudicio & voluntate filius?*

III. AT PERMVTATA.] Dicebat aduerſarius Poſthumum quidem pecunias non habere, ſed iis pecuniis quas habuerat merces ſibi comparaſſe: legendum videtur, *At permutata aliunde pecunia eſt: ductæ naues Poſthumi: Puteolis ſunt auditæ viſæque merces. fallaces quidem & fucoſæ, chartis & linteis & vitro celatæ, quibus cum multæ naues conſertæ fuiſſent, vna non patuit parua. Cataplus ille Puteolanus, ſermo illius temporis,* &c. Quid ſit autem cataplus explicat Raderus noſter ad illud Martialis lib. 12. epiſt. 75.

Cùm tibi Niliacus portet cryſtalla cataplus,
Accipe de circo pocula Flaminio.

Cataplus, inquit, Niliacus nihil eſt aliud quàm nauigatio Ægyptiorum. Vlpianus de officio proconſulis. *Sed & quas Græci ἐπιδημίας, ſiue κατάπλουν obſeruare.* Sidonius: *Si tum cataplus arſerit.* Auſonius: *-Toto tibi nauigat orbe cataplus.* Cataplus. Quod ad totum hunc locum ſpectat, operæpretium fuerit audire Turnebum 10. Aduerſ. cap. 23. *Sed & pro vitio libentiùs nitro quidam legunt: quod hoc genus mercis, vt charta & lintea afferri ex Ægypto ſolebat. Sed vitro cur retineam facit Martialis, qui ex Ægypto in lemmatis calycum vitreorum oſtendit hanc mercem ſolitam afferri.*

Aſpicis ingenium Nili: quibus addere plura
Dum cupit, ah quoties perdidit auctor opus.

Ductæ, inquit, naues Poſthumi, Puteolis ſunt auditæ viſæque merces, fallaces quidem & fucoſæ, chartis, linteis & vitro delatæ. Dicit ductas in Ægyptum naues Poſthumi fuiſſe, Puteolis, quod erat emporiū Romanorum, viſas & auditas merces, ſed fucoſas merces vitro & linteis eſſe Puteolos delatas ad crimen pecuniæ diſsimulandum. Quibus cum multæ naues refertæ fuiſſent, vna non patuerit parua arctata, id eſt, referta & plena pecuniâ.

CHARTIS ET LINTEIS, ET VITRO.] Hæ maximè merces Alexādriâ deferebātur. Flauius Vopiſcus in Firmo, qui fuit *Zenobiæ amicus & ſocius, qui Alexandriam Ægyptiorum incitatus furore peruaſit, & quem Aurelianus ſolitâ virtutum ſuarum felicitate contriuit. De huius diuitiis multa dicuntur. Nam & vitreis quadraturis bitumine aliiſque medicamentis inſertis induxiſſe perhibetur, & tantum habuiſſe de chartis, vt publicè ſæpè diceret exercitum ſe alere poſſe papyro & glutino.* D. Adrianus apud eundem in Saturnino de Ægyptiis: *Alij vitrum conflant, ab aliis charta conficitur, alij linyphiones ſunt.* Ita legunt viri docti non *lymphiones,* vt in vulgatis. Gloſſæ λινοϋφος, *linteator, linitextor.* De carthis Ægyptiacis vide Pliniū lib. 13. c. 11. De lino & linteis Trebellius Pollio in Gallienis: *Cùm ei nūtiatum eſſet Ægyptū deſciuiſſe dixiſſe fertur. Quid? ſine ligno Ægyptio eſſe non poſſumus? Cùm autem vaſtatam Aſiā elementorum concurſionibus, & Scytharum incurſionib. comperiſſet. Quid? inquit, ſine aphronitris eſſe non poſſumus? perditâ Galliâ arriſiſſe ac dixiſſe perhibetur. Non ſine trabeatis ſagis tuta Reſpublica eſt?* De vitris Strabo lib. 16. Ἤκουσα δ' ἐν τῇ Ἀλεξανδρείᾳ παρὰ τῶν ὑαλουργῶν εἶναί τινα καὶ κατ' Αἴγυπτον ὑαλῖτιν γῆν, ἧς χωρὶς οὐχ οἷόν τε τὰς πολυχρόους καὶ πολυτελεῖς κατασκευὰς ἀποτελεσθῆναι. *Audiui verò Alexandriæ à vitrariis eſſe quandam in Ægypto terram vitreā, ſine qua verſicoloria & pretioſa opera nequeunt perfici.* Hinc calices allaſſontes in citatâ epiſtolâ Adriani: *Calices tibi allaſſontes verſicolores transmiſi, quos mihi ſacerdos templi obtulit, tibi & ſorori meæ ſpecialiter dedicatos.* Iulius Capitolinus in Vero: *Donatos etiam calices ſingulis per ſingulas potiones, murrhinos & cryſtallinos Alexādrinos quoties bibitum eſt.* Non diſſimulabo tamen etiam nitrum huic loco belle conuenire. Nam Strabo lib. 17. Ægyptum deſcribēs: Τῆς δὲ Μωμέμφεως, inquit, εἰσὶ δύο νιτρίαι, πλεῖστον νίτρον ἔχουσαι, καὶ νομὸς Νιτριώτης. *Super Momemphim duæ ſunt nitri fodinæ magnam nitri habentes copiam, & præfectura nitriotis.* quam præfecturam etiam in Ægypti deſcriptione Plinius agnoſcit lib. 5. cap. 9.

V. VECTORVM.] Vide Sextianam §. 45. *Si id vectores negarent.*

IV. — Chartæ Ægyptiæ. — Lintea Ægyptia. — Vitrum. — Nitrum.

Peroratio à §. 41. Tota ad implorandam Iudicum miſericordiam comparata.

- à perſona Cæſaris, à num. 41. ad 45.
  - qui & eum afflictum ſuſtentat. 41. vnde laus redundat
    - in Cæſarem maior quàm ex reliquis eius virtutibus. Nam
      - cæteræ maximæ ſunt illæ quidem, ſed magnis præmiis excitantur.
      - Hæc liberalitas non in laude, ſed in ſeipſa ſuáque ipſius honeſtate præmium habet.
    - & in ipſum Rabirium, qui tanti fit à tanto viro.
  - & ex eius damnatione magnum capiet dolorem, cùm præſertim eodem tempore
    - & labefactatur Cæſaris dignitas à Memmio, cæteriſque inimicis qui iubent eum è prouincia redire, exercitúmque dimittere.
    - & Rabirij hominis amiciſſimi honeſtas impugnetur.
- à perſona Rabirij, in quâ ſpectatur
  - Virtus
    - liberalitas
      - in ſuos. 45.
      - in multos alios. 47.
      - in ipſum Ciceronem. 47.
        - 1. lacrymas ſe profudit in caſu Ciceronis.
        - 2. ſe cum ſuis copiis ad eum detulit.
        - 3. diſceſſum eius ſuſtentant.
        - 4. nunquam liberis eius defuit, abſente Cicerone.
    - parſimonia.
    - fides. 46.
  - præterita felicitas. 45.
  - præſens afflictio
    - ſic ad egeſtatem eſt redactus, vt eius bona nemo nummo ſeſtertio ſibi addici velit. 45.
    - aduentitia pecunia petitur ab eo cui ſua non redditur. 47.
- à lacrymis. 48.
  - ſuis ipſius.
  - Iudicum.
  - cæterorum auditorum.

XLI. VERVM autem, Iudices, ſi ſcire vultis, niſi C. Cæſaris ſumma in omnes, incredibilis in hunc eadem liberalitas extitiſſet, nos hunc Poſthumum iampridem in foro non haberemus. Ille onera multorum huius amicorum excepit vnus: multi homines neceſſarij ſecundis Poſthumi rebus deſcripta ſuſtinuerunt, nunc eius afflictis fortunis vniuerſa ſuſtinet. Vmbram Equitis Rom. & imaginem videtis, Iudices, vnius amici conſeruatam auxilio & fide. Nihil huic eripi poteſt, præter hoc ſimulachrum priſtinæ dignitatis, quod Cæſar ſolus tuetur, & ſuſtinet: Quæ quidē in miſerrimis rebus, huic tamen tribuenda eſt maxima. Niſi verò hoc mediocri virtute effici poteſt, vt tantus ille vir tanti ducat hunc, & afflictum præſertim, & abſentem, & in tanta fortuna ſua, vt aliena reſpicere magnum ſit: tanta oppugnatione maximarum rerum, quas gerit, atque geſſit, vt vel obliuiſci aliorum non ſit mirum: vel ſi meminerit, oblitum eſſe facilè poſſit probare.

XLII. Multas equidem C. Cæſaris virtutes, magnas incredibiléſque cognoui. Sed ſunt cæteræ maioribus quaſi theatris propoſitæ, & penè populares: Caſtris locum capere, exercitum inſtruere, expugnare vrbes, aciem hoſtium profligare: hanc vim frigorum, hyemémque, quam nos vix huius vrbis tectis ſuſtinemus, excipere, his ipſis diebus hoſtem perſequi: tum, cùm etiam feræ latibulis ſe tegant, atque omnia bella iure gentium conquieſcant. Sunt ea quidem magna: quis negat? ſed magnis excitata ſunt præmiis ad memoriam hominum ſempiternam. Quo minus admirandum eſt, eum facere illa, qui immortalitatem concupiuerit.

XLIII. Hæc mira laus eſt, quæ non poëtarum carminibus, non annalium monimentis celebratur, ſed prudentium iudicio expenditur. Equitum Romanorum veterem amicum ſuum, ſtudioſum, amantem, obſeruātem ſui, non libidine, non turpibus impenſis cupiditatum, atque iacturis, ſed experientia patrimonij amplificandi, labentem excepit, corruere non ſiuit, fulſit & ſuſtinuit, re, fortuna, fide, hodiéque ſuſtinet: nec amicum pendentem corruere patitur: nec illius animi aciem perſtringit ſplendor ſui nominis, nec mentis quaſi luminibus officit altitudo fortunæ & gloriæ.

XLIV. Sint ſanè illa magna, quæ reuera magna ſunt: de iudicio animi mei, vt volet, quiſque ſentiat. Ego enim hanc in tantis opibus, tanta fortuna, liberalitatem in ſuos, memoriam amicitiæ, reliquis virtutibus omnibus antepono. Quam quidem vos Iudices, in nouo genere bonitatem inuſitatam claris ac præpotentibus viris, non modò non aſpernari, ac refutare, ſed complecti etiam, & augere debetis: & eò magis, quòd videtis, hos quaſi ſumptos dies ad labefactandam illius dignitatem: ex qua illi nihil detrahi poteſt, quod non aut fortiter ferat, aut facilè reſtituat. Amiciſſimum hominem ſi honeſtate ſpoliatum audierit: nec ſine magno dolore feret, nec id amiſerit, quod poſſe ſperet recuperari.

NOTÆ.

1. IN FORO NON HABEREMVS.] Infrà §. vltimâ. *Hic vos aliud nihil orat, niſi vt rectis oculis hanc vrbem ſibi intueri, atque in foro veſtigium facere liceat.* Qui enim honeſtatem perdebant, ſiue, vt barbari loquuntur, *bancam ruptam* faciebant, ij *foro cedere* dicebantur. Græcis ἐξιστάναι, vt apud Ariſtophanem in Acharnenſibus, ἀνασκευάζειν.

NECESSARII.] Græci eodem ſenſu dicunt ἀναγκαίοις. Dio oratione Troianâ: καταλιπόντα τὸν ἄνδρα, καὶ τὴν πατρίδα, καὶ πάντας τοὺς ἀναγκαίους. *Cùm virum, patriam, omnes neceſſarios reliquiſſet.* & ita frequenter vt alibi pluribus exemplis oſtendimus.

III. Multi amici ſecundis rebus, pauci aduerſis.

SECVNDIS POSTVMI REBVS.] Notum illud ex Seneca epiſt. 9. *Florentes amicorum turba circumſidet, circa euerſos mira ſolitudo eſt, & inde amici fugiunt vbi probantur.* Vide Sextianam 69. *Ex quo intellectum eſt mihi abſenti creuiſſe amicos, in ea præſertim fortuna, in qua nonnulli etiam quos eſſe putaueram, non erant.* Milonianam 70. *Vide quàm ſit varia vitæ commutabiliſque ratio, quàm vaga volubiliſque fortuna, quantæ infidelitates in amicis, quàm ad tempus aptæ ſimulationes, quantæ in periculis fugæ proximorum, quantæ timiditates.* Hinc igitur Cæſarem laudat Orator, quòd afflictis Poſthumi rebus ſubuenerit, cùm reliqui amici fugiebant. Nam vt ait antiquus Poëta:

Amicus certus in re incerta cernitur.

Quare ſapienter monebat Demetrius Phalereus apud Diogenem Laërtium: *Τοὺς φίλους ἐπὶ μὲν τὰ ἀγαθὰ παρακαλουμένους ἀπιέναι, ἐπὶ δὲ τὰς συμφορὰς αὐτομάτους. Vt amici ad res ſecundas rogati, vltro ad res aduerſas accederent.* Deſcripta autem onera ſunt diuiſa, atque in partes diſtributa, vt alius aliam oneris partem ſuſtineret.

IV. Picturæ & plaſtices inuentio.

VMBRAM EQVITIS ROMANI ET IMAGINEM.] Vno verbo Græci σκιογραφίαν appellant. vt Plato 9. de Repub. *οὐδὲ παναληθής ἐστιν ἡ τῶν ἄλλων ἡδονὴ πλὴν τῆς τοῦ φρονίμου, οὐδὲ καθαρά, ἀλλ' ἐσκιογραφημένη. Neque vera eſt aliorum, cùm à prudente diſceſſeris, voluptas, neque pura, ſed vmbra quædam & imago.* Paulò pòſt eaſdem voluptates, *εἴδωλα τῆς ἀληθοῦς ἡδονῆς καὶ ἐσκιογραφημένας, idola veræ voluptatis & adumbratas imagines* appellat. Nec immeritò: magna enim vmbræ & picturæ neceſſitudo. Picturam enim, vt ait Plinius libro 35. cap. 3. *Inuentam eſſe tradunt omnes vmbrâ hominis lineis circumductâ.* Quemadmodum etiam, vt idem ait cap. 12. plaſtice. *Inuenta eſt à Dibutiade Sicyonio Corinthi, filiæ operâ, quæ capta amore iuuenis illo abeunte peregrè, vmbram ex facie eius ad lucernam in pariete lineis circumſcripſit, quibus pater eius impreßâ argillâ typum fecit.* Verùm etiamſi iam dictis ſuperſederi potuerit, ſine interpretationis detrimento, placet tamen rem eandem Athenagoræ verbis explicare: *Σκιογραφίας μὲν εὑρεθείσης ὑπὸ Σαυρίου, ἵππον ἐν ἡλίῳ περιγράψαντος, γραφικῆς δὲ ὑπὸ Κράτωνος, ἐν πίνακι λελευκωμένῳ σκιὰς ἀνδρὸς καὶ γυναικὸς ἐναλείψαντος. ἀπὸ δὲ τῆς κόρης ἡ κηροπλαστικὴ εὑρέθη. Ἐρωτικῶς γάρ τινος ἔχουσα περιέγραψεν αὐτοῦ κοιμωμένου ἐν τοίχῳ τὴν σκιάν. εἶθ' ὁ πατὴρ ἡσθεὶς ἀπαραλλάκτῳ οὔσῃ τῇ ὁμοιότητι (κέραμον δ' εἰργάζετο) ἀναγλύψας τὴν περιγραφὴν, πηλῷ προσανεπλήρωσεν. ὁ τύπος ἔτι καὶ νῦν ἐν Κορίνθῳ σώζεται. Cùm ſciographia inuenta fuerit à Sauria, cùm is equum ad ſolem circumſcripſiſſet, pictura verò à Cratone, cùm is in tabula alba vmbras viri & mulieris alleuiſſet. à puella autem ceroplaſtice inuenta eſt: nam cùm adoleſcentem adamaret, eius dormientis vmbram figurâ circumſcripſit. deinde pater lætatus expreſſa ſimilitudine, vt lutum ſubigebat, circumſcriptionem ſcalpens luto impleuit. Ea figura ad hodiernum diem Corinthi ſeruatur.*

V. QVÆ QVIDEM.] Exiſtimandum eſt Rabirium, etiamſi maximis calamitatibus conflictetur, tamen plurimum habere dignitatis: neque enim ſine ſummâ virtute C. Cæſari adeò placuiſſet. quod ſubditur *tantâ oppugnatione* emendant eruditi *tanta occupatione*, quod mihi probatur.

MAIORIBVS THEATRIS.] Non abſimile eſt illud Plinianum lib. 3. epiſt. 16. de Arriâ Pæti vxore. *Præclarum quidem illud eiuſdem ferrum ſtringere, perfodere pectus, extrahere pugionem, porrigere marito, addere vocem immortalem ac pene diuinam, Pæte non dolet. Sed tamen iſta facienti dicentíque gloria & æternitas ante oculos erant: quo maius eſt ſine præmio æternitatis, ſine præmio gloriæ abdere lacrymas, operire luctum, amiſſóque filio matrem adhuc agere.* E quibus aliíſque concludit, *alia eſſe clariora, alia maiora.* VI.

CASTRIS LOCVM CAPERE.] Ea laus Imperatoris non vltima. Statius 5. ſyluarum Protreptico ad Criſpinum. VII.

Bolanus tutis iuga quærere commoda caſtris:
Metari Bolanus agros.-

Tibullus Panegyrico Meſſalæ.

Nam te non alius belli tenet aptiùs artes,
Qua deceat tutam caſtris præducere foſſam:
Qualiter aduerſos hoſti defigere ceruos:
Quémve locum ducto melius ſit claudere vallo,
Fontibus vt dulces erumpat terra liquores,
Vt faciliſque tuis aditus ſit, & arduus hoſti. &c.

Vegetius lib. 3. cap. 8. *In metandis caſtris non ſufficit locum bonum legere, niſi talis ſit vt alter eo non poßit melior inueniri: ne vtilior prætermiſſus à nobis, & ab aduerſariis occupatus, apportet incommodum.*

INSTRVERE EXERCITVM.] Inſtruere armis & commeatu, vel aciem dirigere. Tibullus ibidem: VIII.

Iam ſimul audacis veniunt certamina Martis,
Aduerſiſque parant acies concurrere ſignis,
Tunc tibi non deſit faciem componere pugnæ,
Seu ſit opus quadratum aciem conſiſtere in agmẽ,
Rectus vt æquatis decurrat frontibus ordo,
Seu libeat duplicem, ſeu iunctum cernere Martem,
Dexter vti læuum teneat, dextrúmque ſiniſter
Miles, ſitque duplex gemini victoria caſus.

Eodem ſenſu *inſtructa certamina*, dixit Lucretius:

Suaue etiam belli certamina magna tueri
Per campos inſtructa tui ſine parte pericli.

MAGNIS EXCITATA SVNT PRÆMIIS.] Nazianzenus oratione quæ ſυντακτήριος inſcribitur. *Ἀμισθος γὰρ ἡ ἀρετὴ, ἵνα καὶ ἀρετὴ μείνῃ, πρὸς τὸ καλὸν ἀεὶ βλέπουσα. Virtus, vt virtus maneat, nullis præmiis debet excitari, ſed vnam ſpectare honeſtatem.* Vide Milonianam 97. IX.

FVLSIT AC SVSTINVIT.] Suprà 4. *Dare partes, re augere, fide ſuſtentare.* De prouinciis Conſularibus 12. *Quid? qui ſe etiam nunc patrimonij, aut aliorum liberalitate ſuſtentant.* X.

ACIEM PRÆSTRINGIT.] In Vatinium 25. *Cuius dignitas & ſplendor præſtringebat, credo, oculos Vatinij.* XI.

AD LABEFACTANDAM HOMINIS DIGNITATEM.] Non conſtat quid aduerſarij tum temporis moliti ſint contra Cæſaris dignitatem: niſi fortè illud eſt, quod tradit Appianus 2. bellorum ciuilium. *ὁ δὲ Πομπήιος δίκας προὔθηκε τῶν τε ἄλλων ἁμαρτημάτων, καὶ μάλιστα δωροδοκίας καὶ δεκασμοῦ. ἐδόκει γὰρ ἐν τοῦδε αὐτῷ νοσεῖν τὰ κοινὰ ἀρξάμενα, ἐν τούτῳ καὶ τὴν ἴασιν ἕξειν ταχεῖαν, νόμον τε ἔθηκεν ἀπὸ τῆς ἑαυτοῦ τὸ πρῶτον ὑπατείας ἐς τὸ παρὸν εὐθύνειν τὸν ἐθέλοντα, καὶ ἦν ὁ χρόνος ὀλίγῳ μείων ἐτῶν εἴκοσιν, ἐν ᾧ καὶ ὁ Καῖσαρ γεγόνατο ὕπατος. Τῶν οὖν φίλων τοῦ Καίσαρος ἐς ὕβριν ἢ ... ἐτήρησαν αὐτὸν τοῦ Καίσαρος ...* XII.

χρόνου περιλαβεῖν, &c. Pompeius verò iudicia propoſuit cùm de aliis criminibus, tum præcipuè de munerum corruptelis ac largitionibus. Videbâtur enim ei ex hoc ceu fonte naſci mala publica, & proinde hoc curato ſecuturam ſanitatem celerem: tulítque legem vt ex eo tempore, quo ipſe primùm conſul fuerat, vſque in præſentem conſulatum, liceret ab iis qui magiſtratus geſſerant, rationem actorum expeti. Erat autem id tempus annorum penè viginti, quod & Cæſaris conſulatum complectebatur. Id factum Cæſariani interpretabantur, in patroni ſui ſuggillationem ac contumeliam, dum tam longè repetuntur elapſa tempora.

XIII. HONESTATE SPOLIATVM.] De prouinciis Conſularibus II. *Non ſolùm bona ſed etiam honeſtatem miſeri deperdiderunt.* vbi vide Notas. Adde pro Roſcio Amerino 14. *Si hanc ei rem priuatim Sext. Roſcius mandauiſſet, vt cum Chryſogono tranſigeret atque decideret, ínque eam rem fidem ſuam ſi quid opus eſſe putaret, interponeret: ille qui ſeſe facturum recepiſſet, nónne ſi ex eo negotio tantulum in rem ſuam conuertiſſet, damnatus per arbitrum & rem reſtitueret, & honeſtatem omnem amitteret?* E quibus ſatis intelligis, quid ſit honeſtate ſpoliari, & cur homines locupletes quíque ſatiſdatores, ſiue fideiuſſores eſſe poſſunt, honeſtos homines, vulgo dicamus.

POSSE SPERET RECVPERARI.] Gorgias Leontinus apologia Palamedis. Βίος δ' οὐ βιωτὸς πίστεως ἐστερημένῳ. χρήματα μὲν γὰρ ἀποβαλόντα, τυραννίδος ἐκπεσόντα, ἢ τὴν πατρίδα φυγόντα ἀναλάβοι τις ἄν, ὁ δὲ πίστιν ἀποβαλὼν οὐκ ἂν ἔτι κτήσαιτο. *Vita vitalis ei eſſe non poteſt, qui fide & honeſtate ſpoliatus eſt. Qui enim pecunias amiſerit, qui regno ciciderit, qui à patria fuerit eiectus, ad meliorem vitæ conditionem reuocari poteſt. at qui fidem amiſite, eam recuperare non poteſt.* XIV.

AXIOMA.

Animi aciem præſtringit ſplendor nominis, & mentis quaſi luminibus officit altitudo fortunæ.

XLV. SATIS multa hominibus non iniquis hæc eſſe debent: Nimis etiam multa vobis, quos æquiſſimos eſſe confidimus. Sed, vt omnium vel ſuſpicioni, vel maleuolentiæ, vel crudelitati ſatisfiat, occultat pecuniam Poſthumus, latent regiæ diuitiæ, ecquis eſt ex tanto populo, qui bona C. Rabirij Poſthumi nummo ſeſtertio ſibi addici velit? Sed, miſerum me: quanto hæc dixi cum dolore! Hem, Poſthume, túne es Curij filius, C. Rabirij iudicio, & voluntate filius, natura ſororis filius? túne ille in omnes tuos liberalis? cuius multos bonitas locupletauit? qui nihil profudiſti? nihil vllam in libidinem contuliſti? tua, Poſthume, nummo ſeſtertio à me addicuntur?

XLVI. O meum miſerum, acerbúmque præconium! At hoc etiam optat miſer, vt condemnetur à vobis: ita bona væneant, vt ſolidum ſuum cuique ſoluatur. Nihil iam aliud niſi fidem curat: nec vos huic, ſi iam obliuiſci veſtræ manſuetudinis volueritis, quicquá prætereà poteſtis eripere. Quod, Iudices, ne faciatis, oro obteſtórque vos, atque eò magis, ſi aduentitia pecunia petetur ab eo, cui ſua non redditur. Nam in eum, cui miſericordia opitulari debeat, inuidia quæſita eſt.

XLVII. Sed iam, quoniam, vt ſpero, fidem, quam potui, tibi præſtiti, Poſthume, reddam etiam lachrymas, quas debeo. Quas quidem ego tuas in meo caſu plurimas vidi. Verſatur ante oculos luctuoſa nox meis omnibus, cùm tu totum te cum tuis copiis ad me detuliſti. Tu comitibus, tu præſidio, tu etiam tanto pondere auri, quantum tempus illud poſtulabat, diſceſſum illum ſuſtentaſti: tu nunquam meis, me abſente, liberis, nunquam coniugi meæ defuiſti. Poſſum excitare multos reductos teſtes liberalitatis tuæ: Quod ſæpe audiui patri tuo, qui id feciſſet, magno adiumento in iudicio capitis fuiſſe.

XLVIII. Sed iam omnia timeo: bonitatis ipſius inuidiam reformido. Iam indicat tot hominum fletus, quàm ſis charus tuis: & me dolor debilitat, includítque vocem. Vos obſecro, Iudices, vt huic optumo viro, quo nemo melior vnquam fuit, nomen Equitis Rom. & vſuram huius lucis, & veſtrum conſpectum ne eripiatis. Hic vos aliud nihil orat, niſi vt rectis oculis hanc vrbem ſibi intueri, atque in hoc foro veſtigium facere liceat: quod ipſum fortuna eripuerat, niſi vnius amici opes ſubueniſſent.

N O T Æ.

I. EX TANTO POPVLO.] Paucis antè annis luſtrum conditum fuerat à C. Lentulo & L. Gellio cenſoribus, quo, vt ait Epitome Liuiana decadis 10. lib. 8. *Cenſa ſunt ciuium capita* CCCCL. *millia.* Neque, vt alibi monuimus, audiendus eſt Plutarchus in Cæſare, qui duas tantùm & triginta ciuium Romanorum myriadas agnoſcit. *Γενομένων τιμήσεων ἀντὶ τῶν προτέρων δυεῖν, καὶ τριάκοντα μυριάδων, ἐξητάσθησαν αἱ πᾶσαι πεντεκαίδεκα. τηλικαύτην ἡ στάσις ἀπειργάσατο συμφοράν, καὶ τοσοῦτον ἀπανήλωσε τοῦ δήμου μέρος. Confectis bellis ciuilibus condito luſtro pro ſuperioris luſtri trecentis & viginti ciuium millibus, cenſa ſunt omninò centum & quinquaginta ciuium millia. Tantam inuexerat cladem bellum ciuile, tantámque ciuitatis partem conſumpſerat.* Non, inquam, audiendus eſt, cùm poſt Lentuli & Gellij cenſuram nullum ante bella ciuilia luſtrum conditum fuiſſe videatur, & Tranquillus in Iulio cap. 41. hoc trecentorum & viginti millium numero non ciues omnes, ſed eos tantùm qui frumentum accipiebant è publico comprehendat. *Ex viginti trecentíſque millibus accipientium frumentum è publico, ad centum quinquaginta retraxit.*

II. NVMMO SESTERTIO.] Hîc, vt obiter id dicam, monendus eſt lector ea quæ de talenti æſtimatione ſuprà diximus, dictis in §. 12. Vatinianæ non eſſe contraria. hîc enim talentum drachmis argenteis æſtimamus: ibi cùm de auri Iudaïci penſione loqueremur, & propemodum conſtaret id tributi genus non argento, ſed auro fuiſſe perſolutum, putauimus drachmarum aurearum habendam eſſe rationem. Cúmque fere ſemper auri ad argentum proportio 1. ad 10. rationem exceſſerit, ita loqui placuit, quaſi pro ſenis argentearum drachmarum millibus, aureæ quingentæ, id eſt, pro 10 ½ drachmis argenti, vna auri drachma penderetur.

III. CVRII FILIVS.] Suprà 3. *Fuit enim pueris nobis huius pater C. Curius.* Turnebus & Lambinus vtrobique non *Curium*, ſed *Curtium*, legendum eſſe contendunt, ſed ſuam coniecturam nullius ſcriptoris auctoritate confirmant. Pro C. Rabirio perduellionis reo 7. *Propinquus C. Rabirij iudicio clariſſimo C. Curtius pro virtute ſuâ eſt honeſtiſſimè liberatus,* &c. *An de ſororis filio diligentiùs reſpondendum eſt? quem ab hoc necatum eſſe dixiſti, cùm ad iudicij moram familiaris funeris excuſatio quæreretur? Quid enim eſt tam veriſimile quàm chariorem huic ſororis maritum, quàm ſororis filium fuiſſe? atque ita chariorem, vt alter vitâ crudeliſſimè priuaretur, cùm alteri prolatio iudicij in biduum quæreretur?* E quibus tria habes ad hunc locum ſpectantia. vnum legendum *C. Curtij*, alterum Poſthumi matrem, C. Curtij vxorem, ſororem fuiſſe C. illius Rabirij qui perduellionis accuſatus, & à Cicerone defenſus eſt. Tertium, orbus fuit C. Rabirius, & Poſtumum vt ſuæ ſolitudini ſubueniret adoptauit. indicatur eius orbitas eadem oratione 3. *Vnius hominis ſenectus, infirmitas ſolitudóque tentata eſt.* Videtur autem hîc fuiſſe quem lib. 9. ad Atticum epiſt. 2. Poſthumum Curtium appellat. *Poſthumus Curtius venit nihil niſi claſſes loquens, & exercitus.* Muretus tamen 17. variar. cap. 5. *Curium* legendum eſſe contendit.

PRÆCONIVM.] Alludit ad morem. pro Quintio 49. *Cuius verò bona venierunt, cuius non modò illæ ampliſſimæ fortunæ, ſed etiam virtus veſtitúſque neceſſarius ſub præcone cum dedecore ſubiectus eſt.* & 50. *Cuius bona ex edicto poſſidentur, huius omnis fama & exiſtimatio cum bonis ſimul poſſidetur: de quo libelli in celeberrimis locis proponuntur: huic ne perire quidem certè tacitè obſcuréque conceditur: cui magiſtri fiunt & domini conſtituuntur, qui qua lege & qua conditione pereat pronuntient: de quo homine præconis vox prædicat, & pretium conficit, huic acerbiſſimum viuo videntíque funus indicitur.* E quibus vides eorum qui fidem & honeſtatem amittebant, bona ſub præconio veniiſſe: libellos etiam celeberrimis in locis propoſitos, quibus indicaretur quanto illa pretio addicerentur emptoribus. Quòd ſi periculum erat ne tantum ex iis redigi poſſet, quanta eſſet ſumma æris alieni, addicebantur nummo ſeſtertio, ea conditione vt emptor debitoris bona poſſideret, ſed ſe creditoribus ſatisfacturum eſſe ſponderet. Pedianus de Milone: *Bona eius propter æris alieni magnitudinem ſemuncia venierunt.* IV. Damnatorum bona vendita.

V. IN IVDICIO CAPITIS.] De hoc iudicio oratione pro C. Rabirio perduellionis reo. 7. *An de peculatu facto, an de tabulario incenſo longa oratio eſt expromenda? quo in crimine propinquus C. Rabirij iudicio clariſſimo C. Curtius pro virtute ſuâ eſt honeſtiſſimè liberatus.*

VI. BONITATIS.] Liberalitatis vt proximè dixerat. ita pro Quintio 41. *Reſtat vt aut ſumma negligentia tibi obſtiterit, aut vnica liberalitas. ſi negligentiam dices, mirabimur: ſi bonitatem, ridebimus.* Suprà 3. *Vt in augenda re non auaritiæ prædam, ſed inſtrumentum bonitati quærere videretur.* Bonitas, liberalitas.

VII. VSVRAM HVIVS LVCIS.] Vide orationem de prouinciis conſularibus 12. vbi diximus dici eos quibus honeſtas & fides erepta ſit, è numero virorum exturbari, infra mortuos amandari, iugulari, trucidari, ſecari, vſuram lucis amittere. Addе pro Quintio 44. *At ſine ſummo ſcelere P. Quintium, propinquum tuum iugulare non potes.* & 74. *Vnus fuit affinis, ſocius, neceſſarius, Sextus Næuius: qui cùm ipſe vltrò deberet, quaſi eximio præmio ſceleris expoſito, cupidiſſimè contenderet, vt per ſe afflictum atque euerſum propinquum ſuum non modò honeſte partis bonis, verùm etiam communi luce priuaret.* Vel fortaſſe vſuram lucis dicuntur amittere, quòd obærati ſe abſcondant, & deliteſcant lucem fugientes. Vide Piſonianam 12. *foris eſſe Gabinium.* vbi & hos lucifugas *veſpertiliones* dici notauimus. Priuati luce qui honeſtatem amitterent.

RECTIS OCVLIS] Herodotus lib. 1 hiſtoriarum: *Νῦν τε τοῖσί με χρὴ ὄμμασι ἔς τε ἀγορὴν καὶ ἐξ ἀγορῆς φοιτέοντα φαίνεσθαι; κοῖος μέν τις τοῖσι πολιήτῃσι δόξω εἶναι; Nunc ergo quibus oculis me oportet in forum & è foro euntem apparere? qualis ciuibus videbor?* Accius Erigonâ apud Feſtum v. *Porcent.*

Quibus oculis quiſque noſtrûm poterit illorum intui
Voltûs, quos iam ab armis anni porcent?

Achilles Tatius lib. 5. de Clitophontis & Leucippes amoribus: *Ποίῳ γὰρ ἰδεῖν προσώπῳ τὸν πατέρα, μάλιστα μὲν οὕτω αἰσχρῶς φυγών; Quo vultu patrem intueri potero, cùm præſertim tam turpiter fugerim?* Pro domo ſua. 110. *Quem quibus oculis*

adſpicere audeas, ſatis mirari non poſſum. Demoſthenes pro Cteſiphonte: Τίσι δ' ὀφθαλμοῖς, πρὸς Διός, ἑωρῶμεν ἂν τοὺς εἰς τὴν πόλιν ἀνθρώπους ἀφικνουμένους, εἰ τὰ μὲν περιέστη, &c. *Quibus oculis, per Deos immortales, vidiſſemus homines in urbem venientes, ſi negotia,* &c. Dinarchus priore oratione contra Ariſtogitonem: Ποίοις προσώποις ἢ τίσιν ὀφθαλμοῖς πρὸς ἕκαστον τούτων ἀντιβλέψεσθε; *Quibus vultibus, aut quibus oculis horum vnumquemque ſpectabitis?* Baſilius Magnus homilia contra fœneratores: Ποίοις ὀφθαλμοῖς τοὺς λειπομένους προσίδω, ὕποπτος αὐτοῖς ἤδη γεγενημένος εἰς ἀπιστίαν. *Quibus oculis reliquos intuebor, apud eos in perfidiæ ſuſpicionem adductus?* Rurſum Dinarchus oratione contra Demoſthenem: Τί γὰρ ἐροῦμεν, ὦ Ἀθηναῖοι, πρὸς τοὺς περιεστηκότας, ἐξελθόντες ἐκ τοῦ δικαστηρίου, ἐὰν (ὃ μὴ γένοιτο) παρακρουσθῆτε ὑπὸ τῆς τούτου γοητείας; τίσιν ὀφθαλμοῖς ἕκαστος ὑμῶν τὴν πατρῴαν ἑστίαν οἴκαδ' ἀπελθὼν ἰδεῖν τολμήσειεν; &c. *Quid enim dicemus, Athenienſes, ad eos qui circunſtant, egreſſi prætorio, ſi, quod abſit, iſtius præſtigiis fueritis decepti? quibus quiſque veſtrûm oculis domum reuerſus patrios lares audebit intueri?* &c. Nec longè alio fortaſſe ſenſu Euripides Oreſte:

--τίνα σκότον
Λάβω προσώπῳ; ποῖον ἐπίπροσθεν νέφος
Θῶμαι, γέροντος ὀμμάτων φεύγων κόρας;

--quæ faciem teget
Caligo noſtram? quæve ſe obtendet mihi
Nubes, videre ne ſenis vultum queam?

Minùs aptè quàm ſuperiores, Longus Sophiſta lib. 1. Paſtoralium: Ποίοις ποσὶν ἄπειμι παρὰ τὸν πατέρα καὶ τὴν μητέρα. *Quibus pedibus patrem & matrem adibo?* Minùs aptè, inquam, cùm pudor & verecundia non in pedibus, ſed in oculis & vultu ſedem habeat.

AXIOMA.

Frequenter in eos, quibus miſericordia opitulari debet, quæritur inuidia.

IN M. TVLLII CICERONIS ORATIONEM PRO M. MARCELLO

PRÆFATIO.

M. MARCELLVS, *ſtatim atque cum Seruio Sulpitio Conſulatum iniit, contendit vt Iulio Cæſari cum imperio Gallias obtinenti* [Cœlius lib. 8. ep.fam. ad Cic.] *ante expletum prorogati Pompeio & Craſſo Coſſ. imperij quinquennium, ſucceſſor primo quoque tempore mitteretur, iſque exercitum ſtatim dimitteret, quod vrgere non deſtitit toto conſulatu. Eóque demum acerbitatis progreſſus eſt, vt cùm Cæſar Nouocomum vrbem in Alpibus ſitam Latij iure donaſſet,* [Appian. 2. ciuil. Plut. in Cæſare.] *cuius annui magiſtratus ciuitatis Romanæ ius obtinerent (id enim erat ius Latij.) Quendam Nouocomenſem, qui magiſtratum eo in oppido geſſerat, ac proinde ciuis Romanus cenſebatur, leues ob cauſſas virgis laceratum abs ſe dimiſerit, addita verborum contumelia, vt illam ſecum peregrinitatis teſſeram referret, & Cæſari veſtigia plagarum oſtenderet. Quare poſt pugnam Pharſalicam, cùm nec vellet extrema belli ciuilis perſequi, cuius initia inuitus ſuſceperat, & humilis animi duceret, vel fortaſſe timeret, ſalutem vitámque ſuam Cæſari victori committere: medium quoddam conſilium cepit, nec Romam reuerſus eſt,* [Lib. 4. ad fam. ep. 7.] *vt Cicero, nec in Africam ſe contulit ad bellum ibi renouandum, vt Cato, ſed ſeceſſit Mitylenas, vbi reliquam ætatem agere decreuerat. At poſteaquam Cæſar confecto* [Seneca cõſol. ad Heluiam c. 9.] *bello Africano triumphans vrbem ingreſſus, tertium cum M. Lepido iniit conſulatum, effecit Senatus vt cùm à Lucio Piſone mentio eſſet facta de Marcello, & cùm C. Marcellus Marci frater, idémque vir conſularis ſe ad Cæſaris pedes abieciſſet,* [Lib. 4. ad fam. ep. 4.] *cunctus conſurgeret, & ad Cæſarem ſupplex accederet. Tum Cæſar commemoratis offenſionibus, & accuſatâ acerbitate Marcelli (ſic enim appellabat,) repentè præter ſpem dixit, ſe Senatui roganti de Marcello, ne hominis quidem cauſſa negaturum, ſéque auctoritatem illius ordinis dignitatémque Reip. ſuis vel doloribus, vel ſuſpicionibus anteferre, grauiſſima enim querela ſe neſcio quid atrociſſimum ſuſpicari priùs oſtenderat. Ciceroni ita pulcher viſus eſt hic dies, vt ſpeciem aliquam ſibi viſus ſit videre quaſi reuiuiſcentis Reip. Itaque, cùm priùs ſtatuiſſet, non inertiâ, ſed deſiderio priſtinæ dignitatis, in perpetuum tacere, mutato conſilio, fractúſque Cæſaris magnitudine animi & Senatûs officio, gratias egit Cæſari, & hanc habuit orationem. Quæ, quoniam Cæſaris oratio duo capita continebat, alterum de doloribus ſuis, & acerbitate Marcelli, alterum de ſuſpicionibus inſidiarum, duas etiam partes complectitur. Priore Cæſari gratias agit, quòd doloribus ſuis antepoſuerit Remp. Marcello ignouerit, animum vicerit, iracundiam temperarit. poſteriore diluit illas ſuſpiciones, oſtenditque nullas inſidias vitæ Cæſari comparari. Verùm*

Seruius Sulpitius lib. 4. ad famil. epiſt. 11.

Marcellus, cùm iam rediret Athenis, à P. Magio Chilone familiari ſuo pugione percuſſus eſt, & duo vulnera accepit, è quibus diem ſuum obiit, & Magius ſupplicij metu ſeipſum interemit. non caruit ſuſpicione oppreſſi Marcelli Cæſar: de quo Cicero ad Atticum libro decimotertio, epiſt. decima. Miſit enim Brutus ad me per litteras, purgat Cæſarem de interitu Marcelli: in quem, ne ſi inſidiis quidem ille interfectus eſſet, caderet vlla ſuſpicio. Nunc verò, cùm de Magio conſtet, nónne furor eius omnem cauſſam ſuſtinet? Planè quid ſit non intelligo, *&c. Sed vt ad orationem redeamus.*

Accuratior erit eius diuiſio, ſi dicas exordium duobus primis numeris, narrationem, vel potiùs quandam narrationis vmbram tertio, confirmationis partem priorem de doloribus, numero quarto ad viceſimum primum, poſteriorem de ſuſpicionibus à viceſimo primo ad quartum & trigeſimum, perorationem denique poſtremis duobus paragraphis contineri.

Status quæſtionis duplex eſt: alter eſt comparatus: fueritne Cæſar maiorem tot victoriis, quam conceſſâ Marcello venia laudem conſecutus: alter vtrùm inſidias vereri debeat Cæſar, & incolumitati ſuæ contra aduerſariorum impetus prouidere. Quoad priorem illam quæſtionem, genus cauſſæ eſt demonſtratiuum: quoad poſteriorem, ad deliberationem reuocatur. Forma ſic character orationis, mediocris eſt, floridus, elegans concinnus, & ex ſubtilis ſublimíſque permixtione temperatus.

Cæterum antequam ad interpretationem veniam operæ me pretium facturum arbitror, ſi è magno Seneca quædam in Marcelli laudem præmiſero.

SENECA CONSOLATIONE AD HELVIAM, CAP. NONO.

BRVTVS in eo libro, quem de virtute compoſuit, ait ſe vidiſſe Marcellum Mitylenis exſulantem, & quantum modò natura hominis pateretur, beatiſſimè viuentem, neque vnquam bonarum artium cupidiorem quàm illo tempore. Itaque adiicit viſum ſibi ſe magis in exilium ire, qui ſine illo rediturus eſſet, quàm illum in exilio relinquere. O fortunatiorem Marcellum eo tempore, quo exilium ſuum Bruto approbauit, quàm quo populo Rom. conſulatum. quantus vir ille fuit, qui effecit, vt aliquis exul ſibi videretur, quod ab exule recederet? qui in admirationem ſui adduxit hominem, etiam Catoni ſuo mirandum? Idem Brutus ait, C. Cæſarem Mitylenas prætereuectum, quia non ſuſtineret videre deformatum virum. Illi quidem reditum impetrauit Senatus, publicis precibus, tam ſollicitus ac mœſtus vt omnes illo die Bruti habere animum viderentur, & non pro Marcello, ſed pro ſe deprecari, ne exules eſſent, ſi ſine illo fuiſſent: ſed plus multo conſecutus eſt, quo die illum exulem Brutus relinquere non potuit, Cæſar videre. contigit enim illi teſtimoniũ vtriuſque. Brutus ſine Marcello reuerti ſe doluit: Cæſar erubuit. Num dubitas, quin ille tantus vir ſic ad tolerandum æquo animo exilium ſe ipſe adhortatus ſit? quod patria cares, non eſt miſerum. Ita te diſciplinis imbuiſti, vt ſcires omnem locum ſapienti viro patriam eſſe, quid porrò hic qui te expulit, non ipſe per annos decem continuos patria caruit? propagandi ſine dubio Imperij cauſſa: ſed nempe caruit: nunc ecce trahit illum ad ſe Africa reſurgentis belli minis plena, trahit Hiſpania, quæ fractas & afflictas partes refouet, trahit Ægyptus infida, totus denique orbis, qui ad occaſionem concuſſi imperij intentus eſt. cui primum rei occurret? cui parti ſe opponet? Aget illum per omnes terras victoria ſua. illum ſuſpiciant & colant gentes: tu viue Bruto miratore contentus.

Diuiſio Orationis pro M. Marcello.

- Exordium §. 4. quo tum Cæſarem, tum Patres Conſcriptos facit
  - attentos, reddens rationem
    - priſtini ſilentij, quod ſeruauit
      - non timore aliquo,
      - ſed
        - partim dolore ex Marcelli abſentia percepto. 1. 2.
        - partim verecundia.
    - præſentis locutionis, quia tacitus præterire non poteſt Cæſaris
      - manſuetudinem.
      - clementiam.
      - moderationem.
      - ſapientiam. 1.
  - beneuolos
    - laude Cæſaris paſſim.
    - oſtenſione amabilium morum dicans ſe Reip. 2.
    - communicatione effectus ſui cum auditoribus. 3.
    - laude & gratulatione Marcelli. 3. 4
  - dociles propoſitione. §. 4. *Nullius eſt tantum flumen*, &c.
- Laudatio Cæſaris ob reſtitutum Marcellum. à §. 5. ad 20.
- Dilutio ſuſpicionis inſidiarum. à §. 21. ad 33.
- Peroratio. §. 34.

M. TVLLII CICERONIS ORATIO PRO MARCO MARCELLO.

ARGVMENTVM.

Reddit Orator rationem cur, & tacuerit hactenus in Senatu, & nunc ad dicendum ſurrexerit: Quia nimirum Cæſaris manſuetudo extorſerat, vt de ipſius laude loqueretur.

DIVTVRNI ſilentij, P. C. quo eram his temporibus vſus, non timore aliquo, ſed partim dolore, partim verecundia, finem hodiernus dies attulit, idémque initium, quæ vellem, quæque ſentirem, meo priſtino more dicendi. Tantam enim manſuetudinem, tam inuſitatam, inauditámque clementiam, tantùm in ſumma poteſtate rerum omnium modum, tam denique incredibilem ſapientiam, ac pænè diuinam tacitus nullo modo præterire poſſum.

EXPLANATIO.

DIVTVRNI.] Hodie deſtiti tacere: diuturnum ſilentium appellat, quod diu durauerat: videlicet ex quo poſt pugnam Pharſalicam, Romam reuerſus eſt: quo tempore licèt in Senatum iret, tamen nihil vnquam ad hunc diem dixit, non inertiâ aliquâ, ſed deſiderio priſtinæ dignitatis: cùm videret ſuam auctoritatem tanti non fieri, quanti habita fuiſſet ante bella ciuilia.

HIS TEMPORIBVS.] Hoc anno qui à pugna Pharſalica iam effluxit. ait *his temporibus*, non *hoc tempore*, quia tempora calamitatem aliquam, aut certè periculum indicant. vt illud Manilianæ, *Omne meum tempus amicorum temporibus tranſmittendum putaui.* Tempora igitur Reipub. appellat, tempus bellorum ciuilium, vt quaſi in ambiguo ludere videatur. Volunt aliqui Oratorem de induſtria hanc amphibologiam ſectari, vt & iterum & tertio in eadem ſectione. vt cùm dixit *partim verecundia*, non ſolùm quod vereretur apud Cæſarem dicere contra quem arma ſuſceperat, ſed etiam quòd puderet ipſum deformatæ Reipub. & Senatus dominatione vnius oppreſſi. item cùm ait, *Tantùm in ſumma poteſtate rerum omnium modum.* vbi verba, *rerum omnium*, ſi ad *modum* referantur, Cæſarem non mediocriter commendant, ſin *ad poteſtatem*, eius tyrannidem & nimiam potentiam carpunt. Sed non doleo me eſſe paulò tardiorem, ne poſſim vel auſim tam ſubtiliter & enucleatè iſta diſquirere. Neque ſanè faciè inducor, vt credam aut tam ſcurrilem fuiſſe Ciceronem, vt Cæſarem in Senatu palàm haberet ludibrio, & victus inequitaret victoris ceruicibus, aut Cæſarem tam mucoſis fuiſſe naribus vt iſta non perſentiſceret, ſi vel minimum irriſionis & amphibologiæ redolerent.

NON TIMORE ALIQVO.] Non quòd timerem Cæſarem meis verbis offendere: ſciebam enim tantam eius eſſe clementiam, vt mihi, quæcunque ſentirem, dicere liberè permitteret. Re uera tamen, quæ ſentiebat, dicere non audebat, vt ipſe confitetur epiſt. 3. ad Marcellum lib. 4. ad familiares. *Dicere fortaſſe quæ ſentias, non licet: tacere planè licet*, &c.

PARTIM DOLORE.] Vel luctu meorum qui bello ciuili perierunt, vel dolore & pœnitentia, quòd contra Cæſarem tam benignum & humanum virum, adhæſerim Cn. Pompeio.

IDEMQVE.] Dies, *initium*, antitheſis *finem ſilentij*, *initium dicendi.*

PRISTINO MORE.] Vt ſolebam priùs. *priſtinum* enim auctore Feſto quaſi priuſtinum.

TANTAM.] Reddit facti ſui rationem, vt epiſtola 4. lib. 4. ad familiares, *Fregit hoc meum conſilium & Cæſaris magnitudo animi, & Senatus officium*, &c. vide.

MANSVETVDINEM.] Vide quomodo ſenſim ſe cumulet oratio. primo ponit manſuetudinem, id eſt tractabilitatem quandam animi & lenitatem: deinde clementiam, quam Gloſſæ φιλανθρωπίαν appellant, eo quod vt opinor manſuetudo non noceat, clementia pro iniuriis beneficia etiam largiatur. tertio modum in ſumma poteſtate & felicitate, quæ nonnunquam ſapientum etiam animos fatigat. Quarto ſapientiam & eam diuinam, quæ velut virtutum eſt faſtigium.

TACITVS.] Gloſſæ, *tacitus*, ἐχέμυθος. eſt enim nomen non aduerbium, quarum minutiarum te monere volui, ne etiam doctorum virorum vſus te in ſolœciſmi ſcopulum impingeret. vidi enim quoſdam non imperitos, qui bellè ſe loqui putarent, cùm dixiſſent ſe Tacitùs aliquid præterire. Atque interim nota proprietatem verborum. initio *ſilentium* dicebat, cùm intermiſſum priſtinũ morem dicendi oſtenderet: nunc ait *tacitum* de clementia Cæſaris, quia ne loqui quidem adhuc de ea cœperat. Cornelius Fronto: *Silet cuius loquentis ſermo comprimitur, ab ipſa ſignificatione literæ S: Tacet qui ne loqui quidem cœpit.*

NOTÆ.

DIVTVRNI SILENTII.] Eumenus Panegyr. Conſtantij, *Si mihi, Cæſar, poſt diuturnum ſilentium, ſola eſſet vincenda trepidatio, qua rudimenta quædam vocis meæ rurſus experior, haud immeritò me vltra quam ætas, & quantulacunque ſtudij mei ferret opinio, perturbari confiterer.* I.

HODIERNVS DIES.] Quid hoc eſt quæſo? huius diei dies? tamen hæc loquendi forma non oratori ſolùm, ſed etiam cæteris Latinis vſitata. II. Hodiernus dies.

-Græco fonte cadit parcè detorta.-

Dinarchus in Demoſthenem: Καὶ ἡ τήμερον ἡμέρα, καὶ ἡ ὑμετέρα ψῆφος πολλὴν ἀσφάλειαν τῇ πόλει καταστήσει. *Et hodiernus dies, & veſtra ſententia multum ſecuritatis adferet ciuitati.* Demoſthenes oratione pro Rhodiis: Καὶ μέχρι τῆς τήμερον ἡμέρας οὐ γέγονε πόλεμος διὰ ταῦθ' ὑμῖν. *Et vſque ad hodiernum diem bellum vobis eam ob cauſſam non fuit.* vtrumque laudat Budæus. Addi poſſet idem Dinarchus contra Demoſthenem: Ἀκούσονται τὴν κρίσιν, ὦ Ἀθηναῖοι, τὴν ὑφ' ὑμῶν ἐν τῇ τήμερον ἡμέρᾳ γεγενημένην πάντες ἄνθρωποι. *Omnes mortales audient, quid hodierno die iudicatis.* Item: Οὐ περὶ μικρῶν, οὐδὲ τῶν τυχόντων ἐν τῇ δὲ τήμερον ἡμέρᾳ δικάζετε. *Non de paruis aut futilibus rebus hodierno die iudicatis.* Clemẽs Romanus de rebus geſtis S. Petri: Οἴμαι γύναι, φησὶν, ἐνόμιζον μεγάλην τινὰ χαρὰν τῇ σήμερον ἄγειν ἡμέρᾳ. *Hei mulier! magnam me tibi lætitiam hodierno die allaturum arbitrabar.* Idem aliquantò pòſt: Τὴν σήμερον ſolùm dixit, οὐδὲν κωλύει αὐτὴν, ὦ κύριέ μου, τὴν σήμερον βαπτισθῆναι. *Nihil prohibet ipſam, ô Domine, hodierno die baptizari.* Mox: Διαμείνωμεν τὴν σήμερον ἐν νηστείᾳ, καὶ αὔριον βαπτισθήσεται. *Hodierno die perſeueremus in ieiunio, & cras baptizabitur.* eodem pene flexu Gallis, *ce iourdhuy*, immò quòd mireris, nonnunquam, *le iour d'aiourd'huy*, quaſi dicerent, *dies hodierni diei*, ἡμέρα τῆς σήμερον ἡμέρας, Italis non ſolùm *hoggi*, ſed etiam *hoggidi.*

MODVM.] Eodem planè ſenſu 10. diuini operis, III. Modus fortunæ ſeruandus.

Neſcia mens hominum fati ſortiſque futuræ,
Et ſeruare modum rebus ſublata ſecundis.

Tacitus hiſt lib. 2. *Inſita mortalibus natura recentẽ aliorum felicitatem ægris oculis introſpicere, modúmque fortunæ à nullis magis exigere, quàm quos in æquo videre.* Liuius dec. 5. lib. 1. *Modum imponere ſecundis rebus, nec nimis credere ſerenitati præſentis fortunæ, prudentis hominis & meritò felicis eſt.* quod aliter, atque aliter expreſſit. vt dec. 3. lib. 10 Aſdrubal in Senatu de pace agens: *Rarò ſimul hominibus bonam fortunam bonámque mentẽ dari. Populum Romanum inuictum eſſe, quòd in ſecundis rebus ſapere & conſulere meminerit.* & Scipio Maior legatis Antiochi dec 4 lib. 2. *Romani ex iis quæ in Deorum immortalium poteſtate erãt, ea habemus quæ Dii dederunt, animos qui noſtræ mentis ſunt, eoſdem in omni fortuna geſſimus, geſſimúſque, neq; eos ſecundæ res extulerunt, nec aduerſæ minuerunt.*

Et legati Scytharum Alexandro. *Impone fælicitati tuæ frænos, faciliùs illam reges*; quem modum quia ſeruauit Cæſar, meritò laudatur. Nam vt ait Salluſtius in Catilina. *Quippe ſecundæ res ſapientium animos fatigant.* Sed hæc pluribus in Piſonem cùm de *rerum ſecundarum inſolentiâ* diceremus. Et non ſolùm in rebus ſecundis, ſed etiam notis modus ſeruandus eſt, nam vt Pythagoras aiebat: -μέτρον δ' ἐπὶ πᾶσιν ἄριστον.

-in re modus optimus omni.

IV. Sapientia diuina. AC PENE DIVINAM.] Neſcio quis apud Stobæum, παρὰ θεῷ ἡ σοφία, καὶ οὐκ ἀνθρώπινον χρῆμά ἐστιν. *Apud Deum eſt ſapientia, nec humana res eſt.* Pindarus Olymp. Ode nona, Epodo 9.

Ἀγαθοὶ δὲ καὶ σοφοὶ κατὰ δαίμον' ἄνδρες ἐγένοντο.

Boni verò & ſapientes ſecundum Deum viri fiunt. & Ode vndecima, Antiſtrophe 1.

Ἐκ θεοῦ δ' ἀνὴρ σοφαῖς ἀνθεῖ ἐσαεὶ πραπίδεσσιν.

Ex Deo verò vir ſapientibus floret ſemper præcordiis.

Plato Socratis apologia. Τὸ δὲ κινδυνεύει, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, τῷ ὄντι ὁ θεὸς σοφὸς εἶναι, καὶ ἐν τῷ χρησμῷ τούτῳ τοῦτο λέγειν ὅτι ἡ ἀνθρωπίνη σοφία ὀλίγου τινὸς ἀξία ἐστὶ καὶ οὐδενός. *Alienum non eſt, Athenienſes, Deum reuera & ſimpliciter eſſe ſapientem, & id dicere per oraculum, humanam omnem ſapientiam aut parui, aut nullius eſſe momenti.* vnde & Æſchylus Agamemnone Iouem

Τὸν φρονεῖν βροτοὺς ὁδώσαντα.

Mortales in viam ſapientiæ deducentem appellat.

AXIOMA.

Modus in ſumma poteſtate rerum omnium laudandus eſt.

ARGVMENTVM.

Comparatione præteriti doloris, quem ex Marci Marcelli à ſe diſtracti ſeparatione perceperat, præſentis fœlicitatis & lætitiæ, quam ex eiuſdem reſtitutione capit, magnitudinem oſtendit.

M. enim Marcello vobis, P. C. reíque pub. reddito, non ſolùm illius, ſed meam etiam vocem, & auctoritatem & vobis, & Reipub. conſeruatam, ac reſtitutam puto. Dolebam enim, P. C. ac vehementer angebar, cùm viderem virum talem, qui in eadem cauſſa, in qua ego, fuiſſet, non in eadem eſſe fortuna: nec mihi perſuadere poteram, nec fas eſſe ducebam verſari me in noſtro veteri curriculo, illo æmulo, atque imitatore ſtudiorum, ac laborum meorum quaſi quodam ſocio à me, & comite diſtracto. Ergo, & mihi meæ priſtinæ vitæ conſuetudinem, C. Cæſar, interclusſam aperuiſti, & his omnibus ad benè de omni Rep. ſperandum quaſi ſignum aliquod ſuſtuliſti. II.

EXPLANATIO

M. ENIM.] Reddit ſui facti rationem, cur non poſſit Cæſaris laudes tacitus præterire. Quia, inquit, videns Marcellum vobis expetentibus, & patriæ repoſcenti redditum, & ab exilio reuocatum, à me obtinere & impetrare non poſſum, quin in gratiarum actiones erumpam, ratus meam pariter vocem in dicenda ſententia, & pondus in perſuadendo, ſiue ἀξιοπιστίαν gloſſæ Philoxeni, & vobis & Reip. reſtitutam, & veluti poſtliminio reuocatam, quod iam pridem habebam in votis.

REDDITO.] Aduerte proprietatem verborum: *Reſtituitur cupiens, redditur cupientibus. redditur & reſtituitur cupiens cupientibus.* vt notat Donatus in Eunuchum, & in Hecyram Marcellum redditum ait, vt patrum & patriæ deſiderium oſtendat, quo Marcelli reditum expetebant, cùm tamen ipſe mallet in exilio remanere: reſtitutam ait vocem ſibi cupienti, vt ſuam conſulendi patriæ commodis voluntatem ſignificet: & ſuam vocem cum Marcello exulaſſe dicit; reſtitui enim eſt ab exilio reuocari, quaſi dicat, mea vox quæ cum Marcello exule hactenus exulauerat, eſt patriæ reſtituta.

DOLEBAM.] Reddit rationem ſui doloris: quia videbat Marcellum à ſe ſeparatum atque diſtractum, quam exaggerat à virtute & excellentia Marcelli. *virum talem*, à cauſſa diſtractionis illius, quæ cum eadem eſſet in vtroque non debebat alterum ab altero ſeparare.

ANGEBAR.] Tanto dolore excruciabar, vt me dolor quodammodo ſtrangularet, nec me pateretur vocem è faucibus obſtructis emittere.

QVI IN EADEM.] Qui vt ego feceram, in bellis ciuilibus contra Cæſarem arma tuliſſet, & ſecutus fuiſſet Pompeium, *non in eadem eſſe fortuna*, ſed eum adhuc exulare, cùm ego iam eſſem patriæ reſtitutus.

NEC MIHI.] Nec mihi in animum inducere poteram, aut omnino fieri poſſe arbitrabar, vt meo priſtino more verſarer in Rep. & Senatu, in foro, cauſis agendis, dicenda ſententia, &c. Poſtquam Marcellus qui iiſdem, atque ego ſtudiis deditus erat, & mecum dicendi exercitatione certabat, à me diſiunctus & diſtractus eſt.

IN VESTRO.] Alij, quod malim, legunt *in noſtro veteri curriculo*, oratio traducitur à ludis Circenſibus, quibus currus ſolebant agitari.

ÆMVLO ATQVE IMITATORE.] Æmulum vocat Marcellum, quia eloquentia cum Cicerone certabat, imitatorem verò quia Cicero paulò erat ætate prouectior, priuſque attigerat Rempub. atque adeò præbuerat exemplum Marcello vitæ politicæ, & eloquentiæ non

tamen ait imitatorem eloquentiæ, ſed *ſtudiorum meorum*, quia odioſa fuiſſet eloquentiæ iactatio.

INTERCLVSAM APERVISTI.] Tranſlatum à via ſiue itinere quod flumine intercluditur. quemadmodum orationibus poſt reditum ſuos inimicos ait reditum ſuum fluminis ſanguine intercludere voluiſſe.

QVASI SIGNVM.] Quemadmodum ſigna, vexilla & aquilæ altè ſublata præferuntur in ſpem victoriæ.

NOTÆ.

I. Angor. ANGEBAR.] Feſtus: *Angor eſt animi vel corporis cruciatus propriè à Græco πνίγειν*, legunt alij *ἄγχειν, id eſt ſtrangulatione dictus*. quia nimirum dolor quodammodo præfocat, nec liberum voci exitum permittit. Poëta II. Æneid.

Et via vix tandem voci laxata dolore eſt.

Naſo:

Strangulat incluſus dolor atque exæſtuat intus,
Cogitur & vires multiplicare ſuas.

Gloſſæ Philoxeni, *Angit*, θλίβει, στενοχωρεῖ, ἄγχει, πνίγει. Angor apud Marcellum anxitudo. Accius:

Perſuaſit mœror, anxitudo, error, dolor.

Item: *Vbi cura eſt, ibi anxitudo, acerba ibi cuncta.* ſic M. Tullius de Rep. lib. 2. *Anxitudo prona ad luctum, & mœrens ſempérque ipſa ſe ſollicitans.*

II. Fas. FAS.] Græcis etiam θεμιτὸν eodem ſenſu, id eſt poſſibile. Plato Socratis apologia. Ἐμὲ γὰρ οὐδὲν βλάψει οὔτε Μέλιτος, οὔτ' Ἄνυτος. οὐδὲ γὰρ ἂν δύναιντο. οὐ γὰρ οἴομαι θεμιτὸν εἶναι ἀμείνονι ἀνδρὶ ὑπὸ χείρονος βλάπτεσθαι. *Mihi enim nullum adferet nocumentum aut Melitus, aut Anytus: neque enim nocere poßint. neque enim arbitror fas eſſe deterioribus nocumentum adferre meliori.* Æſchylus in Agamemnone vtrumque coniunxit.

Λέξας ὅτι καὶ δυνατὸν, καὶ θέμις εἰπεῖν.
Effata quæ poßibile, & fas eſt dicere.

III. Ducere. DVCEBAM.] Feſtus: *Duco, cùm pro puto ponimus ex Græco deducitur, quod illi dicunt δοκῶ.*

IV. Verſari. VERSARI.] Verſari in aliqua re eſt aſſiduum eſſe, immorari, frequenter reperiri: qui dicendi modus etiam à Græco fonte manauit, vt notat Budæus. Ariſtoteles 7. Polit. Διὰ τὸ περὶ τὴν ἀγορὰν καὶ τὸ ἄστυ κυλίεσθαι πᾶν τὸ τοιοῦτον γένος. *Propterea quòd in foro & in vrbe verſetur totum illud hominum genus.* Plutarchus in Pompeio. τοῦτον παρ' ἀξίαν κυλινδούμενον ἐν ἀγορᾷ ἄγων καὶ φέρων ὁ Κλώδιος. *Hunc contra dignitatem in foro verſantem agens & circumferens Clodius.* & in Phocione. Ἀντίκρουσε δ' αὐτῷ τῶν εἰωθότων τις κυλινδεῖσθαι περὶ τὴν ἠλιαίαν, καὶ συκοφαντεῖν. *Ei neſcio quis aduerſatus eſt eorum qui calumniari ſolent, & in foro iudiciiſque verſari.* Iſocrates de permutatione, Οὔτε τῶν περὶ τὰ δικαστήρια κυλινδουμένων, οὔτε περὶ τὴν φιλοσοφίαν διατετριφότων, *Neque eorum qui aut in iudiciis verſantur, aut in philoſophia morantur.* Syneſius: ἐν κύβοις καὶ καπηλείοις κυλινδεῖσθαι. *In alea popiniſque verſatus.* Sed hæc potiùs verbo Latino *volutari* reſpondeant. propiùs accedit ἀναστρέφεσθαι. Plato 8. de Repub. Ἀνθρώπων καταψηφισθέντων θανάτου ἢ φυγῆς, οὐδὲν ἧττον αὐτῶν μενόντων τε καὶ ἀναστρεφομένων ἐν μέσῳ *Hominibus mortis aut exilij damnatis nihilo ſeciùs manentibus, & in medio verſantibus.* Iliados I.

Πατρὸς χωομένοιο κατὰ μέγαρα στρωφᾶσθαι.

Irati patris verſari in ſedibus altis.

CVRRICVLO.] Vel circum intelligit & ſpatium ipſum in quo ludis Circenſibus currus agitabant, cui adſtipulabitur Gloſſarium, στάδιον, *ſtadium, curriculum.* & fortaſſe Lyricus. V. Curriculum.

Sunt quos curriculo puluerem Olympicum
Collegiſſe iuuat.

Vel potiùs ipſum curſum, vt Priſcianus explicat libro 6. his verbis. *Adeò autem cognatio eſt currus ad curſum, quod diminutiuum currus curriculus pro curſu accipitur.* Cicero pro Marcello: *Nec fas eſſe ducebam verſari me in vetere noſtro curriculo.* Noſter in Catone Maiore: *Hæ ſunt exercitationes ingenij, hæc curricula mentis: in his deſudans atque elaborans corporis vires non magnopere deſidero.* In Bruto 22. *Nam mihi, Brute, in te intuenti crebro venit in mentem vereri. Ecquodnam curriculum aliquando ſit habitura tua & natura admirabilis, & exquiſita doctrina, & ſingularis induſtria.* Quod autem locutionis curriculum ſiue ſtadium appellat, id à Lycophronis Caſſandra videtur mutuatus.

Ἐγὼ δ' ἄκραν βαλβῖδα μηρίνθου χαλῶν
Ἄνειμι λοξῶν εἰς διεξόδους ἐπῶν,
Πρώτην ἀράξας νύσσαν, ὡς πτηνὸς δρομεύς.

Vertit Ioſephus Scaliger,

Ego at ſolutis carcerum repagulis
Verborum obibo flexuoſos tramites
Primum propulſans oppidum, vt curſor celer.

Eumenius Paneg. Conſtantij facta diuturni ſilentij mentione, ſubdit: *Sed cùm & me ex illo vetere curriculo, aut inter adyta palatij veſtri alia quædam ſermonis arcani ratio dimouerit,* &c. Quod ſi ad actiones politicas & adminiſtrationem Reipub. nomen curriculi referamus, id ex Ariſtophane deſumptum videri poſſit in Equitibus, vbi Cleon ita populum compellans inducitur.

Ἄφες ἀπὸ τῶν βαλβίδων ἐμέ τε καὶ τουτονί
Ἵνα σ' εὖ ποιῶμεν ἐξ ἴσου.-
Dimitte me à carceribus atque iſtum ſimul
Vt demereri gratiam ex æquo tuam
Poßimus.-

ÆMVLO ATQVE IMITATORE.] Incertus ſcriptor Panegyrico Conſtantini, *ſine æmulandi fiducia, cupidus imitandi.* Scio non defuturos qui Tullium hoc loco carpant. quaſi vel frigeſcat eius oratio, vel redundet. Frigeſcat ſi æmulatio ab imitatione diſtinguitur. cùm enim plus ſit æmulari quàm imitari, non debuit ſubſequi quod minorem habet energiam: redundet ſi non diſtinguitur: quibus vt reſpondeamus, diuerſitatem agnoſcimus. hunc locum profert & explanat Nonnius his verbis: *Æmulatio ab imitatione hoc diſtat: quòd imitatio ſimplex eſt, & liuorem non admittit: æmulatio autem habet imitandi ſtudium, ſed cum malitiæ operatione.* liquidiùs veriúſque dixiſſet, hoc pacto. *Habet imitandi ſtudium, ſed cum cupiditate victoriæ, vel ſaltem æqualitatis.* Sic enim explicat Ammonius in differentiis: Ζῆλος μὲν γάρ ἐστιν ἡ δι' ἐπιθυμίαν μίμησις γινομένη δοκοῦντός τινος καλοῦ. φθόνος δὲ βασκανία τις τῶν ἄλλοις μὲν προσόντων, ἡμῖν δ' οὔ. *Zelus enim ſiue æmulatio eſt cum cupiditate alicuius quod bonum videtur: inuidia verò eſt liuor quidam bonorũ, quæ non nobis ipſis, ſed aliis inſunt.* Hinc æmulatio duplex videtur exiſtere. bona ſi admiratione, mala & illiberalis ſi ex inuidia ad imitationẽ accẽditur. VI. Æmulatio imitatio.

Velleius libro ſecundo: *Alit æmulatio ingenia, & nunc inuidia, nunc admiratio ad imitationem accendit: naturáque quod ſummo ſtudio petitum eſt, adſcendit in ſummum, difficiliſque in perfecto mora eſt: naturalitérque, quod procedere non poteſt, recedit: & vt primo ad conſequendos, quos priores ducimus, accendimur: ita vbi aut præteriri, aut æquari eos non poſſe deſperamus, ſtudium cum ſpe ſeneſcit, & quod aſſequi non poteſt, ſequi deſinit.* Quare ſapienter Heſiodus initio operum:

Οὐκ ἄρα μοῦνον ἔην ἐρίδων γένος, ἀλλ' ἐπὶ γαῖαν
Εἰσὶ δύω· τὴν μέν κεν ἐπαινέσειε νοήσας,
Ἡ δ' ἐπιμωμητή. διὰ δ' ἄνδιχα θυμὸν ἔχουσιν.
Ἡ μὲν γὰρ πόλεμόν τε κακὸν καὶ δῆριν ὀφέλλει, &c.

Rixarum haud vnum genus eſt, duo quippe feruntur
In terra: quarum prudens laudauerit vnam,
Altera culpanda eſt, partémque in vtramque recedunt.
Hanc ſequitur bellúmque malum & contentio creſcit, &c.

Contra bona:

Ἥ τε καὶ ἀπάλαμόν περ ὅμως ἐπὶ ἔργον ἐγείρει.
Illa vel ignauo ſtimulos ſub pectore vertit.

Eſt etiam hæc diuerſitas, quòd imitatio ſemper, æmulatio non ſemper in eodem genere verſetur. Priorum gloriam Lucretius æmulatur, nec tamen eos ſibi propoſuit imitandos:

Æmulatio ſine imitatione.

Auia Pieridum peragro loca, nullius antè
Trita ſolo, iuuat integros accedere fontes
Atque haurire, iuuátque nouos decerpere flores,
Inſignémque meo capiti petere inde coronam,
Vnde priùs nulli velarunt tempora Muſæ.

Et Virgilius:

-Tentanda via eſt, qua me quoque poſſim
Tollere humo, victórque virum volitare per ora.

Item:

-Iuuat ire iugis qua nulla priorum
Caſtaliam molli diuertitur orbita cliuo.

Cæteros Poëtas æmulans Papinius, ſequitur Maronem, & ſolum imitatur:

Viue diu, nec tu diuinam Æneida tenta,
Sed longè ſequere, & veſtigia ſemper adora.

Potuit igitur Ciceronem æmulari Marcellus, ſi quam Tullius eloquentiâ ſibi gloriam & auctoritatem pepererat, ad eandem ipſe, vel eloquentia, vel quibuſcunque aliis artibus niteretur: imitari non potuit, niſi in iiſdem ſtudiis, & eodem curriculo verſaretur.

Duplex eſt etiam imitationis acceptio: imitari eſt ſequi & alterum in exemplum ſibi proponere: quo ſenſu paſſim dicitur ars naturam imitari. Horatius:

-& molles imitabitur ære capillos.

Deinde imitari eſt opus ad eandem quam prototypus & exemplar habet, perfectionem adducere. Hinc illud Plutarchi de fortuna Alexandri: Δυοῖν Ἀλεξάνδροιν ὁ μὲν Φιλίππου ἀνίκητος, ὁ δὲ Ἀπελλοῦ ἀμίμητος. *Cùm duo ſint Alexandri, Alexander Philippi fuit inuincibilis, Apellis autem, inimitabilis.* Et illa nobilis Pictoris inſcriptio:

Μωμήσεταί τις ῥᾷον ἢ μιμήσεται.

Vtramque Maro complexus eſt 6. Æneidos:

-& non imitabile fulmen
Ære & cornipedum curſu ſimularet equorum, &c.

Cùm priùs dixiſſet:

Imitari. *Dum flammas Iouis & ſonitus imitatur olympi.*

Si priore ſenſu dicatur Marcellus imitator, frigida erit oratio: minùs enim eſt imitari quàm æmulari. Plinius Iunior epiſt. 30. lib. 7. ad Genitorem: *Licet tu mihi bonum animum facias, qui libellos meos de vltione Heluidij, orationi Demoſthenis κατὰ Μειδίου confers, quam ſanè, cùm componerem illos habui in manibus, non vt æmularer (improbum enim ac penè furioſum) ſed tamen imitarer & ſequerer, quantùm aut diuerſitas ingeniorum, maximi, & minimi, aut cauſſæ diſſimilitudo pateretur.*

Poſteriore ſenſu aptius capietur, cùm Marcellus non ſolùm meis ſtudiis ſua æquare certaret, & ad eandem mecum gloriam peruenire: ſed etiam perfectiſſimè imitaretur, & iam eandem gloriam obtineret. Dio 40. Ὅτι Μάρκελλος ὁ Μάρκος, καὶ ὁ Ροῦφος ὁ Σουλπίκιος, ὁ μὲν διὰ τὴν τῶν νόμων ἐμπειρίαν, ὁ δὲ διὰ τὴν τῶν λόγων δύναμιν διηρέθησαν. *M. Marcellus & Sulpicius Rufus alter ob Iuriſprudentiam, alter ob eloquentiam adepti ſunt Conſulatum.* Iuſtus Lipſius, cuius viri apud me tanta eſt auctoritas, vt penè inter antiquos & claſſicos cenſeatur, lib. de Conſtantia 2. cap. 2. horti amœnitatem deſcribens: *Inſpice hanc natiuam purpuram, hunc ſanguinem, hoc ebur, hanc niuem, hanc flammam, hoc aurum: & tot colores, quos artifici cuique penicillo æmulari fas. æmulari, ſed non imitari.*

Quòd autem Tullius æmulo ſublato ſua priſtina ſtudia languere teſtatur, ratio peti debet ex eo quod, vt ſuprà Velleius, *alit æmulatio ingenia, &c.* Themiſtius oratione Conſulari: Πέφυκεν ἄνθρωπος ὅσα μὲν πρὸς ἅμιλλαν διαπράξεται, συντονώτερον ἀπεργάζεσθαι, ὅσα δ' ἄνευ φιλονεικίας, ταῦτα ῥᾳδιουργεῖν. καὶ χάσμης ἐμπίμπλησιν ἡμᾶς καὶ ἀργίας τὸ παντάπασιν ἀνανταγώνιστον. ἐξεθίζεται γὰρ ἀεὶ ῥᾳδιουργοῦσα ὑπὸ τοῦ φιλονείκου πρὸς τὸ φιλόπονον ἡ ψυχή. *Ita natura comparatum eſt vt homo quicquid per æmulationem agit, id contentiùs & enixiùs exequatur, in iis quæ ſine æmulatione fiunt, langueſcat. Quod enim aduerſarios non habet, id oſcitationem & negligentiam inducit. Segnis enim anima ad laborem æmulatione & victoriæ ſtudio ſemper excitatur.* Æmulationis vtilitas. Cato Cenſorius apud Plutarchum in eius vita: Οὕτως, ἔφη, τὴν Ῥώμην ἔσεσθαι μεγίστην, τῶν μὲν ἐνδόξων καὶ μεγάλων, τὰ τῆς ἀρετῆς πρωτεῖα μὴ μεθιέντων τοῖς ἀσημοτέροις, τῶν δὲ δημοτικῶν ἁμιλλωμένων ἀρετῇ πρὸς τοὺς τῷ γένει καὶ δόξῃ προήκοντας. *Ita dicebat fore vt Roma maximè floreret, ſi illuſtres & clari virtutis primatum obſcurioribus non dimitterent, plebeij verò cum nobilibus & claris de virtute certarent.* Lycurgus, vt idem auctor eſt in Ageſilao: Ἔοικεν ὑπέκκαυμα τῆς ἀρετῆς ἐμβαλεῖν εἰς τὴν πολιτείαν τὸ φιλότιμον, καὶ φιλόνεικον. *Viſus eſt incentiuum immittere in Rempublicam honoris & contentionis deſiderium.* Nec fortaſſe alia mens fuit Agamemnonis, cùm Vlyſſes & Achilles inter ſe verbis diſſiderent:

-Ἄναξ δ' ἀνδρῶν Ἀγαμέμνων
Χαῖρε νόῳ ὅτ' ἄριστοι Ἀχαιῶν δηριόωντο.

-Græcorum primos regnator Atrides
Gaudebat ſæua inter ſe contendere rixa.

Quantùm enim æmulatio ſiue in re politica, ſiue militari vim obtineat, exemplo fuerit Themiſtocles, vt cæteros omittam, de quo Plutarchus in præceptis politicis: Θεμιστοκλῆς ἅψεσθαι τῆς πολιτείας διανοούμενος ἀπέστησε τῶν πότων, καὶ τῶν κώμων ἑαυτὸν, ἀγρυπνῶν δὲ καὶ νήφων καὶ πεφροντικὼς λέγει πρὸς τοὺς

συνήθεις, ὡς οὐκ ἐᾷ καθεύδειν αὐτὸν τὸ Μιλτιάδου τρόπαιον. *Themiſtocles cùm ſtatuiſſet ad Rempub. accedere, à compotationibus & tempeſtiuis conuiuiis ſemet abduxit, vigilans verò & ſobriis & ſeriis cogitationibus intentus ſuis neceſſariis dicebat, me dormire non ſinit Miltiadis tropæum.* Et illi duo Centuriones T. Pulfio & L. Varenus ex legione Qu. Ciceronis de quibus Cæſar libro quinto de bello Gallico: *Ij perpetuas inter ſe controuerſias habebant, vter alteri anteferretur, omnibúſque annis de loco ſummis ſimultatibus contendebant. ex iis Pulfio cùm acerrimè ad munitiones pugnaretur. Quid dubitas, inquit, Varene? aut quem locum probandæ virtutis tuæ expectas? Hic dies, hic dies de noſtris controuerſiis iudicabit.* Narrat deinde quomodo extra munitiones proceſſerint, atque ambo incolumes compluribus interfectis ſumma cum laude ſeſe intra munitiones receperint, & narrationem ita concludit. *Sic fortuna in contentione, & certamine vtrumque verſauit, vt alter alteri inimicus auxilio ſalutíque eſſet, neque diiudicari poſſet vter vtri virtute anteferendus videretur.*

AXIOMA.

Qui in eadem cauſſa fuerunt, par eſt eos in eadem eſſe fortuna.

ARGVMENTVM.

Narrat qua animi magnitudine Cæſar ignoſcens Marcello Patrum animos ad bene de tota Repub. ſperandum erexerit: & quanta tum ad Marcellum gloria ex hoc Cæſaris Iudicio, tum ad omnes lætitia peruenerit.

III. INTELLECTVM eſt enim mihi quidem in multis, & maximè in meipſo, ſed paullò antè omnibus, cùm M. Marcellum Senatui populóque Romano & Reipubl. conceſſiſti, commemoratis præſertim etiam offenſionibus, te auctoritatem huius ordinis, dignitatémque Reipub. tuis vel doloribus, vel ſuſpicionibus anteferre. Ille quidem fructum omnis anteactæ vitæ hodierno die maximum cepit, cùm ſummo conſenſu Senatus, tum præterea iudicio tuo grauiſſimo & maximo. ex quo profectò intelligis, quanta in dato beneficio ſit laus, cùm in accepto tanta ſit gloria. Eſt verò fortunatus ille, cuius ex ſalute non minor pæne ad omnes, quàm ad illum ventura ſit, lætitia peruenerit.

EXPLANATIO.

INTELLECTVM.] Monet Victorius libro 18. cap. 6. & multis exponit ſuæ coniecturæ rationem legendum, *intellectum eſt mihi quidem*, &c. *ſed paulò antè omnibus*, vt particula *in* deleatur, & τὸ *omnibus*, non ad *in multis*, ſed ad *mihi quidem*, referatur hac ſententia. Ego quidem iam pridem animaduerteram tum in me ipſo, tum in aliis multis, ſiue tum meipſius, tum multorum aliorum exemplo, quibus ignoueras, te Rempub. tuis vel doloribus, vel ſuſpicionibus anteferre: ſed paulò antè, cùm Marcello acerbiſſimo tibi aduerſario ignouiſti, tam clara tuæ benignitatis ſigna præbuiſti, vt omnes planè id intelligant, neque quiſquam ampliùs poſſit de tua clementia dubitare. *Nam ſi*, verba ſunt Victorij, *vt nunc paſſim legitur, legeretur, quis non videat ſententiam illam veram futuram non fuiſſe? neque enim cùm ignouit Marcello, omnibus ignouit: reſtabat enim Qu. Ligarius & alij plures, quibus adhuc Cæſar vehementer iratus erat.*

COMMEMORATIS.] Facta primo loco acerbitatis illius mentione, qua tibi imperium ante tempus abrogare conatus eſt, & ciuem Nouocomenſem virgis in tuam contumeliam cæſum ad te remiſit, vt tibi inuſtas plagarum vibices oſtenderet.

DOLORIBVS.] Iræ quam ob iſtas Marcelli contumelias iam pridem animo conceperas.

SVSPICIONIBVS.] Cùm diceres te vereri, ne hæc tua in Marcellum humanitas, alios ad inſidiandum tuæ vitæ incenderet: cùm viderent ſe etiam detectis inſidiis veniam impetraturos.

ILLE QVIDEM.] Videtur huiuſmodi ſyllogiſmum contexere.

Multò maior laus eſt in dato beneficio, quàm in accepto.

Sed Marcellus in accepto beneficio magnam gloriam adeptus eſt.

Ergo tu in dato longè maiorem.

Complexio, vt facilis, ſubticetur. propoſitio illis, *ex quo* &c. *tanta ſit gloria.* aſſumptio, *ille quidem*, &c. *& maximo.* continetur. Marcellus, inquit, fructum & mercedem ampliſſimam hodierno die recepit, rerum à ſe geſtarum, & virtutum, quas totâ vitâ exercuit: cùm & Senatus tanti fecit Marcelli virtutem, vt C. Marcello deprecante, repentè conſurrexerit, & ad Cæſaris pedes pro Marcello ſupplex acceſſerit: & Cæſar, quamuis ob acceptas iniurias grauiter accenſus, eum tanti æſtimauit, vt dignitati Reipubl. ſatis conſultum non putarit, niſi Marcellus Senatoribus nomine totius Reipubl. ſupplicantibus redderetur.

IN DATO.] Argumentum à relatis: id autem honori fuit Marcello qui fuerit dignus hoc beneficio iudicatus.

EST VERE.] alias *verò*. Notat Victorius

libro 21. cap. 12. var. lect. fortunatos à Tullio vocari, quos Græci εὐδαίμονας appellant: & hoc loco εὐδαιμονίαν non in vſu virtutum, ſed in ipſa rerum externarum abundantia, & in gloria collari. *M. Tullius*, inquit, *conſuetudinem loquendi ſecutus eſt, cùm in conuentu multorum verba faceret, & non philoſophorum more diſputaret, vt in oratione pro Marcello cùm inquit, Eſt verò fortunatus*, &c.

VENTVRA.] Cùm nuntium acceperit Mitylenis, vbi nunc exulat.

NOTÆ.

I. INTELLECTVM.] *Intelligitur aliquid argumentis, animaduertitur ſenſibus præſenti animo vtentibus: plerumque enim aduertimus rem aliquam oculis. at quouis ſenſu corporis ſine animi intentione. Ergo plus eſt animaduerſum quàm intellectum.* Verba ſunt Aſconij 2. Verrina.

II. Fructus vitæ. FRVCTVM.] Delectationem, iucunditatem, mercedem, præmium. pro Sextio 68. *Piſo ille, gener meus, cui fructum pietatis ſuæ, neque à me, neque à populo Romano ferre licuit.* Et alibi paſſim. Cenſorinus de die Natali. *Cùm ex te tuáque amicitia, honorem, dignitatem, decus atque præſidium, cuncta denique* VITÆ PRÆMIA *recipiam, nefas arbitror, ſi diem tuum qui te mihi in lucem edidit, meo illo proprio negligentiùs celebrauero: ille enim mihi vitam, hic* FRVCTVM VITÆ *atque ornamentum pepererunt.* Plinius Iunior libro 1. epiſt. 8. *Præterea meminimus, quanto maiore animo honeſtatis fructus in conſcientia, quàm in fama reponatur. Sequi enim gloria, non appeti debet: nec ſi caſu aliquo non ſequatur, idcirco quod gloriam non meruit, minus pulchrum eſt.* Et epiſt. 1. lib. 5. *Tuli fructum non conſcientiæ modò, verùm etiam famæ.*

IVDICIO TVO.] Seneca libro primo de beneficiis cap. 15. *Criſpus Paßienus ſolebat dicere quorundam ſe iudicium malle quàm beneficium. quorundam beneficium malle quàm iudicium. & ſubiiciebat exempla, malo aiebat D. Auguſti iudicium, malo Clodij beneficium. Ego verò nullius puto expetendum eſſe beneficium, cuius vile iudicium eſt. Quid ergo? non erat accipiendum à Clodio, quod dabatur? erat, ſed ſicut à fortuna: quam ſcires ſtatim poſſe malam fieri.* Xenophon oratione de laudibus Ageſilai: ΟΙ προῖκα εὖ πεπονθότες, οὗτοι ἀεὶ ἡδέως ὑπηρετοῦσι τῷ εὐεργέτῃ, καὶ διότι εὖ ἔπαθον, καὶ διότι προεπιστεύθησαν ἄξιοι εἶναι παρακαταθήκην χάριτος φυλάττειν. *Qui gratis beneficiis afficiuntur, ij ſemper iucundè benefactori inſeruiunt, tum quia beneficium acceperunt, tum quia vltro digni habiti ſunt qui gratiæ depoſitum cuſtodirent.* III. Iudicium & beneficium.

AXIOMATA.

Debemus Reipub. dignitatem priuatis, vel doloribus, vel ſuſpicionibus anteferre.

Magna in dato beneficio laus eſt, cùm in accepto magna eſt gloria.

Eſt verè fortunatus ille, cuius ex ſalute non minor penè ad omnes, quàm ad illum ventura ſit, lætitia peruenerit.

ARGVMENTVM.

Reddit rationem cur tanta ad omnes ex ſalute Marcelli lætitia peruenerit. deinde ad laudem Cæſaris dilabens incipit oſtendere quantam ille reſtituto Marcello gloriam fuerit conſecutus, quod factum omnibus eius victoriis anteponit.

IV. QVOD ei quidem meritò, atque optimo iure contigit, quis enim eſt illo aut nobilitate, aut probitate, aut optimarum artium ſtudio, aut innocentia, aut vllo genere laudis præſtantior? Nullius tantum eſt flumen ingenij, nulla dicendi, aut ſcribendi tanta vis, tantáque copia, quæ non dicam exornare, ſed enarrare, C. Cæſar, res tuas geſtas poſſit: tamen hoc affirmo, & hoc pace dicam tua, nullam in his eſſe laudem ampliorem, quàm eam, quam hodierno die conſecutus es.

EXPLANATIO.

QVOD EI.] *Nobilibus, probis, optimarum artium ſtudio addictis, innocentibus conſeruatis & in dignitatem priſtinam reſtitutis, omnes boni meritò gratulantur.*

Sed talis eſt M. Marcellus.

Ergo meritò, &c.

maior vt facilis ſubticetur.

LAVDIS.] Virtutis quæ gloriam & laudem parit.

NVLLIVS.] Ad prædicandas Cæſaris laudes & gratiarum actionem delabitur: & primo, quia adeptam præſenti facto gloriam volebat Orator cæteris rebus ab eo geſtis præferre, præmunitionem adhibet, ne earum gloriam verbis deterere videatur.

FLVMEN INGENII.] Vbertas & copia, quæ fontis ſcaturientis, aut fluminis perenniter manantis inſtar exhauriri non poſſit, ſed quo plura dixerit, eo plura vſque & vſque excogitet. addit *vim & copiam dicendi.* quæ propria eſt Oratorum. & *ſcribendi*, quæ pertinet ad hiſtoricos & poëtas.

QVÆ NON DICAM.] Quæ non dicam augere aut ornare oratione, ſed enumerare aut conſequi poſſit.

HOC PACE DICAM TVA.] Ne in malam partem interpreteris, quaſi velim tuas res geſtas oratione mea deterere, & contemnere.

Hodierno die.] Quo M. Marcellum Senatoribus pro ipſius ſalute deprecantibus, & toti Reipub. reddidiſti, oblitus iniuriarum quas à Marcello acceperas.

NOTÆ.

I. Nobilitas vnde? Nobilitate.] Vnde Romani ſuam nobilitatem arceſſerent planum eſt è dictis alibi, cùm de iure imaginum & fumoſis imaginibus diceremus. Quod ius imaginis poſteris tradendæ cùm à magiſtratibus curulibus peteretur, liquet è multorum Marcellorum Conſulatibus, nobiliſſimam fuiſſe hanc familiam: quorum primus M. Claudius Marcellus geſſit cum Tito Valerio Conſulatum anno ab V. C. 422. vt auctor eſt Sigonius. vel 424. eodem opinor anno quo Alexander Macedo diem obiit extremum ex Chronologia Genebrardi. Sed ne plura de horum conſulatibus dicantur Marcellus ille, qui ter Conſul fuerat, de quo Cicero in Piſonem 44. &, vt

Marcellorum nobilitas. ait ibidem Aſconius: *Naufragio ad ipſam Africam periit, paulò antè cœptum bellum Punicum tertium. Idem cùm ſtatuas ſibi ac patri, itémque auo poneret, in monumento aui ſui ad honoris & virtutis ſpeciem ſubſcripſit.* Hi Marcelli novies Coss. avvs qvinqvies, pater semel. *Itaque neque mentitus eſt, & apud imperitiores patris ſui ſplendorem auxit.* Adeò vt Tranquillus in Tiberio cap. 1. claritudinem huius familiæ, quantumuis plebeiæ, non minorem quàm Appiæ Clodiæ fuiſſe teſtetur. *Patritia gens Claudia (fuit enim & alia plebeia, nec potentiâ minor, nec dignitate) orta eſt ex Regillis, oppido Sabinorum.* Atqui pro Cœlio 33. ex eo patritiæ gentis Claudiæ nobilitas oſtenditur, quòd P. Clodij pater, patruus, auus, proauus, atauus geſſerint Conſulatum. Cæterùm quæ de primo illo Marcello Conſule dicta ſunt, iis Plutarchus in Marcello refragatur, qui illum quinquies Conſulem tradit omnium primum id nominis habuiſſe: Μάρκον δὲ Κλαύδιον τὸν πεντάκις ὑπατεύσαντα, Μάρκου μὲν υἱὸν γενέσθαι λέγουσι, κληθῆναι δὲ τῶν ἀπὸ τῆς οἰκίας πρῶτον Μάρκελλον, ὅπερ ἐστὶν Ἀρήϊον, ὥς φησι Ποσειδώνιος. *M. Claudium eum qui quinquies Conſul fuit, Marci filium fuiſſe tradunt, & primum in familia, vt ait Poſidonius, qui Marcelli, quaſi Martij cognomen acceperit.* Sed tanti non eſt grauiſſimi ſcriptoris auctoritas, vt Liuio libro 8. decad. 1. Faſtis Caſſiodori, & Siculis, qui illum Valerij collegam, quinquies Conſulis auum, vt Sigonio placet, vno conſenſu Marcellum appellant.

II. Optimarvm artivm stvdiis.] Seneca Conſolat. ad Heluiam cap. 9. de hoc ipſo Marcello: *Beatiſſimè viuentem, neque vnquam bonarum artium cupidiorem fuiſſe.* Item: *Ita te diſciplinis imbuiſti, vt ſcires omnem locum ſapienti viro patriam eſſe.* De eius eloquentia ſuperiori ſectione. Quid autem propriè ſint bonæ artes dictum in Vatinianâ.

III. Laus. Lavdis.] 9. Æneidos:

Quid tibi nunc, venerande puer, pro laudibus iſtis, &c.

pro Sextio 5. *Quibus initiis ac fundamentis hæ tantæ ſummis in rebus laudes excitatæ ſunt.*

Nvllivs est.] Nazarius Panegyrico IV. Conſtantini: *Quis, inquam, aſpirare laudes tuas valeat æquiparandi magis ſpe, quàm gratia non tacendi? Quis tam potens fandi, cuius copia tam larga, tam fœlix, quæ cùm virtutes attrectauerit, non aut circumuenta numero deſperato exitu ſtupeat, aut obterat magnitudinem, aut ſplendore obſoleſacta tantum nitoris habeat, quantum ex rerum luce collegerit?* Sed quantò terſiùs & ſimpliciùs Noſter.

Flvmen ingenii.] Flumen, fontem, V. fluenta, torrentem ingenij & orationis, fre- Flumen eloquentiæ. quenter reperias apud optimum quemque ſcriptorem. Noſter alicubi: *Veniet aureum flumen orationis fundens Ariſtoteles.* Iuuenalis Sat. 10.

Ingenio ſed vterque perit. Orator, vtrumque
Largus & exundans letho dedit ingenij fons.

Mox:

-quem mirabantur Athenæ
Torrentem, & magni moderantem frena theatri.

Hinc illud Æſchinis oratione περὶ παραπρεσβείας ridentis in Demoſthene eloquentiæ iactantiam: Πηγὰς δὲ δὴ λόγων ἰδίους ἔχειν ἐπηγγέλλετο. *Vberes ſermonum fontes habere ſe iactabat.* Eadem tranſlatione Demoſthenes in Philippicis: Τότε τοίνυν Πύθωνος πολλοῦ ῥέοντος καθ' ἡμῶν. *Tunc igitur Typhone copioſo orationis æſtu contra nos fluente.* Citat Ariſtophanis Interpres: locus mihi non ſuccurrit, vereor, vt illud proferre voluerit ex oratione de corona: Τότε ἐγὼ μὲν τῷ Πύθωνι θρασυνομένῳ, καὶ πολλῷ ῥέοντι καθ' ὑμῶν οὐκ εἶξα. *Tunc igitur ego Pythoni petulanter irruenti, & copioſo æſtu verborum contra vos fluenti non ceſſi.* Cratinus ab eodem interprete laudatus:

Ἄναξ Ἄπολλον τῶν ἐπῶν, τῶν ῥευμάτων,
Καναχοῦσι πηγαί. δωδεκάκρουνον στόμα
Ἰλισσὸς ἐν φάρυγι· τί ἂν εἴποιμί σοι;
Εἰ μὴ γὰρ ἐπιβύσει τις αὐτοῦ τὸ στόμα,
Ἅπαντα ταῦτα κατακλύσει ποιήμασιν.

O Rex Apollo carminum, immo fluminum
Fontes reſultant, óſque torrentes habet
Duodecim, & ipſum guttur Iliſſus replet,
Quid fabor? etenim niſi quis os obſtruxerit
Carminibus omnia hæc inundabit ſuis.

Ariſtophanes in Equitibus:

Εἶτα Κρατίνου μεμνημένος, ὃς πολλῷ ῥεύσας ποτ' ἐπαίνῳ
Διὰ τῶν ἀφελῶν πεδίων ἔρρει, καὶ τῆς στάσεως παρασύρων.
Ἐφόρει τὰς δρῦς, καὶ τὰς πλατάνους, καὶ τοὺς ἐχθροὺς προθελύμνους.

Deinde Cratini memor eſt, qui quondam multæ laudis abundans
Per apertos campos fluitabat, & à propriâ ſede reuulſas,
Rapiebat quercus, platanos, atque omnes radicitus hoſtes.

Ioannes Stobæus ſermone 34. qui περὶ ἀδολεσχίας inſcribitur: Θεόκριτος Ἀναξιμένους λέγειν μέλλοντος, ἄρχεται, εἶπε, λέξεων μὲν ποταμός, νοῦ δὲ σταλαγμός. *Theocritus, cùm Anaximenes orationem habiturus eſſet. incipit, inquit, verborum quidem flumen, mentis autem gutta.* Quò alluſit Clemens 1. ſtrom. ποταμὸς ἀτέχνων ῥημάτων, οὐδὲ σταλαγμός. lege ex Stobæo, νοῦ δὲ σταλαγμός. vt Federicus Sylburgius aduertit: nec fortaſſe errauerit qui reſcripſerit ἀτέχνως. *Flumen reuera*

verborum, ſed mentis gutta. Nec abludit Horatius lib. 4. Carm. ode 2.

Monte decurrens velut amnis, imbres
Quem ſuper notas aluere ripas
Feruet, immensúſque ruit profundo
Pindarus ore.

Immò & ipſe Pindarus non infrequenter, ſuam Poëſim conferens, aut cum rore quo virtutes irrigentur, aut cum fluento, vt 5. Pyth. ſtrophe 4.

Μεγάλαι δ' ἀρεταὶ
Δρόσῳ μαλθακᾷ
Ῥανθεῖσαι
κώμων θ' ὑποχεύ-
μασιν ἀκούοντι ποι.

Magnam verò virtutem Rore molli irrigatam & hymnorum ſuffuſionibus audiunt. Et 7. Nemeorum epodo tertio:

Ὕδατος ὥστε ῥοὰς φίλον ἐς ἄνδρ' ἄγων
Κλέος ἐτήτυμον αἰνέσω.
Aquæ vt fluxum amicum ad virum agens
Gloriam veram laudabo.

Vides vnde ſimilitudines deduxerit. Sed quando Pindari fecimus mentionem, religio fuerit illud Ciceronis elogium, Pindari verbis à Fabio conceptum præterire: *Non enim pluuias, vt ait Pindarus, aquas colligit, ſed viuo gurgite exundat, dono quodam prouidentiæ genitus, in quo totas vires ſuas eloquentia experiretur.* Libanius laudatione Therſitæ: Δακνόμενος τῷ ῥεύματι τῶν τοῦ Θερσίτου λόγων, καὶ ῥήματι διαβάλλων τὴν τέχνην. *Qui flumine orationis Therſitæ pungebatur, & dictis artem carpebat.* Dio Chryſoſtomus Tarſica priore: Ἀθρόως καὶ πολὺν ἀφήσει τὸν λόγον, ὥσπερ τὸ ῥεῦμα ἄφθονον ἐν αὐτῷ κατακεκλεισμένον. *Denſum & copioſum emittet ſermonem, tanquam flumen abundans in ipſo concluſum.* Martianus Capella libro 4. *Poſt Platonis aureum flumen, atque Ariſtotelicam facultatem.* Hieronymus tomo tertio epiſtola 1. *Titum Liuium lacteo eloquentiæ fonte manantem* appellat. Et commentariis in Habacuc per *flumina, quibus Deus iraſcitur,* eloquentiam ſecularem, & maximè hæreticorum intelligit. Fabius libro primo cap. 1. Pindarum ait Lyricorum longè Principem: *Beatiſſima rerum verborúmque copia, & velut quodam eloquentiæ flumine.* Rurſum Hieronymus proœmio libri ſecundi comment. ad Galatas. Hilarium Lugdunenſem: *Latinæ eloquentiæ Rhodanum* appellat, audaciùs fortaſſe niſi ad Hilarij ſedem alluderet. Flumen itaque ingenij ſiue potiùs eloquentiæ ab ingenio, quaſi à ſuo fonte profluens nominatur. quod Plato in Timæo eleganter expreſſit: Τὸ δὲ λόγων νᾶμα ἔξω ῥέον, καὶ ὑπηρετοῦν φρονήσει κάλλιστον καὶ ἄριστον πάντων ναμάτων. *Orationis fluxus extra fluens & ſeruiens prudentiæ, omnium fluxuum optimus eſt & pulcherrimus.* Vnde ῥήματα, quaſi ῥεύματα. vide eundem in Cratylo. & in definitionibus φωνὴ ῥεῦμα διὰ στόματος ἀπὸ διανοίας.

Laudatio clementiæ Cæſaris ob Marcellum Reipub. reſtitutum. à 5. ad 20.

- A comparatione clementiæ cum gloria militari. Cæſar
  - armis
    - omnes quidem ſuperiores Imperatores gloria ſuperauit. 5.
    - domuit gentes. 8.
      - immanitate barbaras.
      - multitudine innumerabiles.
      - locis infinitas.
      - omni copiarum genere abundantes.
    - tamen ea laus non eſt propria Cæſaris, ſiquidem ex ea magnam ſibi partem vendicant
      - milites.
      - locorum opportunitas.
      - commeatus.
      - ipſa fortuna. 7. 9. 11. 19.
  - clementia
    - vicit
      - ſeipſum. 8.
      - Reliquos bellorum ciuilium victores. 12.
      - ipſam naturam conditionémque victoriæ. 12.
    - gloriam ſibi peperit
      - ſibi vni propriam. 7. 9. 11. 19. ex qua nihil ſibi decerpunt
        - milites.
        - centuriones.
        - fortuna.
      - à virtute donatam, non à fortuna commodatam. 19.
      - præferendam omnibus monumentis & trophæis. 11.
        - illa vetuſtate conſumentur.
        - hac floreſcet quotidie magis & magis.
- ab effectis illius clementiæ
  - Marcellum reſtituit Reipub. 10.
  - Marcellorum familiam ad paucos redactam penè ab interitu vindicauit. 10.
  - ſuo iudicio tum Marcellum, tum alios Pompeianos à ſceleris infamia liberauit. 13.
  - libentius ignouit iis qui pacis auctores fuerant, vt
    - Ciceroni. 14. 15.
    - Marcello. 16.
- à comparatione victoriæ
  - quam retulit Cæſar.
  - quam retuliſſet Pompeius. 17. 18.

ARGV-

ARGVMENTVM.

Bellicas Cæſaris laudes à variis circunſtantiis per præmunitionem exaggerat, vt deinde laudem clementiæ & magnitudinis animi, qua Marcello pepercit, iis omnibus bello partis laudibus anteponat.

SOLEO ſæpè ante oculos ponere, ídque libenter crebris vſurpare V.
ſermonibus, omnes noſtrorum Imperatorum, omnes exterarum gentium, potentiſſimorúmque populorum, omnes clariſſimorum Regum res geſtas cum tuis, nec contentionum magnitudine, nec numero præliorum, nec varietate regionum, nec celeritate conficiendi, nec diſſimilitudine bellorum poſſe conferri: nec verò diſiunctiſſimas terras citiùs cuiuſquam paſſibus potuiſſe peragrari, quàm tuis, non dicam curſibus, ſed victoriis illuſtratæ ſunt.

EXPLANATIO.

SOLEO.] Inſinuat ſe primo in Cæſaris beneuolentiam, dum ait ſe & frequenter de eius laudibus cogitare, & libenter de iis habere ſermonem.

NOSTRORVM IMPERATORVM.] quales fuerunt Scipiones, Papirij, Pauli, Marij, Pompeij.

EXTERARVM GENTIVM.] vt Lacedæmoniorum, Athenienſium, Carthaginienſium, qui præ cæteris gentibus belli gloriâ floruerunt.

REGVM.] vt Cyri, Alexandri, Pyrrhi, Mithridatis: Neminem, inquam horum fuiſſe, qui cum tam acribus aduerſariis, quàm tu cum Gallis, Germanis, ipſo etiam Pompeio omnium ante ſe Imperatorum fortiſſimo tanta contentionum magnitudine certarit: qui toties prælio conflixerit, vt tu quinquagies: qui tam varias orbis regiones armis luſtrauerit, vt tu Galliam, Germaniæ partem, Britanniam, Luſitaniam, Hiſpaniam, Italiam, Macedoniam, Ægyptum, Pontum, Africam tuis victoriis luſtraſti: qui tanta celeritate bella confecerit, vt tu qui nouem annis Galliam domuiſti, tribus annis bella ciuilia, & Alexandrinum confeciſti: qui tam diſſimilia bella ſuſceperit, vt tu qui bella ciuilia & externa ad exitum perduxiſti.

NEC.] Cæſaris victorias à celeritate exaggerat.

ILLVSTRATÆ SVNT.] aliàs *luſtratæ*, nihil muto.

NOTÆ.

I. Res geſtæ Cæſaris.

RES GESTAS.] Operæpretium fuerit res à Cæſare geſtas vno intuitu ſpectandas exhibere. Velleius de bello Gallico: *Amplius* cccc. *millia hoſtium à Cæſare cæſa ſunt, plura capta.* non dubium quin error in numerum irrepſerit, repone: *Amplius* DCCC. *millia hoſtium*, &c. Appianus in Celticis: Μυριάσι τε γὰρ ἀνδρῶν ἀγείρων, ἐν τοῖς δέκα ἔτεσιν, ἐν οἷς ἐστρατήγησεν, ἐς χεῖρας ἦλθον, εἴ τις εἰς ἓν τὰ μέρη συναγάγοι τετρακοσίων πλείοσι· καὶ τούτων ἑκατὸν μὲν ἐζώγρησαν, ἑκατὸν δὲ ἐν τῷ πόνῳ κατέθανον, ἔθνη δὲ τετρακόσια, καὶ πόλεις ὑπὲρ ὀκτακοσίας, τὰ μὲν ἀποστάντα σφῶν, τὰ δὲ προσεπιλαμβάνοντες ἐχειρώσατο. *Romani illo decennio, quo Cæſar Gallias obtinuit, cùm amplius quadragies centenis hominum immanium millibus, ſi velimus omnium ſummam facere, manus contulerunt. è quibus decies centena millia ceperunt, totidem in ipſo conflictu ceciderunt populos quadringentos, vrbes ſupra octingentas in poteſtatem redegerunt: quarum aliæ defecerant, aliæ imperio tùm primùm adiectæ.*

Quot mortales Cæſar ceperit, aut occiderit.

Plutarchus in Cæſare conſulendus, qui & eum Fabiis, Scipionibus, Metellis, Syllæ, Mario, Lucullis, ipſi etiam Pompeio præferendum ait, & eadem dicit quæ Appianus, niſi quòd in hoſtium numero diſſentit: Μυριάσι δὲ παραταξάμενος κατὰ μέρος τριακοσίαις, ἑκατὸν μὲν ἐν χερσὶ διέφθειρε, ἄλλας δὲ τοσαύτας ἐζώγρησε. *Cùm tricies centenis hominum millibus manu conſerta, decies centena millia cepit, totidem interemit.*

II. Contentio Cæſarianorum.

CONTENTIONVM MAGNITVDINE.] Pro Murena 34. pugna *ſumma contentione pugnata.* Vbi vides contentionem eſſe perſeuerantiam, & quandam in ſuſcepto opere conſtantiam. cum æquali vtrimque fortitudine pugnantibus.

-neque his fuga nota, neque illis.

-οὐδ᾽ ἕτεροι μνώοντ᾽ ὀλοοῖο φόβοιο.

Quanta autem Cæſarianorum ſiue conſtantia, ſiue peruicacia fuerit in vrgendis operibus, quæ ſuſceperant ſexcenta apud hiſtoricos exempla ſunt. vnicum è Plutarcho ſuffecerit. Pompeij caſtra Cæſar obſidebat in magna rerum omnium penuria: Ῥίζαν τινὰ κόπτοντες καὶ γάλακτι φυρῶντες, προσεφέροντο. καί ποτε καὶ διαπλάσαντες ἐξ αὐτῆς ἄρτους, καὶ ταῖς προφυλακαῖς τῶν πολεμίων ἐπιδραμόντες ἔβαλλον εἴσω, καὶ διερρίπτουν ἐπιλέγοντες ὡς ἄχρι ἂν ἡ γῆ τοιαύτας ἐκφέρῃ ῥίζας, οὐ παύσονται πολιορκοῦντες τὸν Πομπήϊον. ὁ μέν τοι Πομπήϊος οὔτε τοὺς ἄρτους, οὔτε τοὺς λόγους εἴα τούτους ἐκφέρεσθαι πρὸς τὸ πλῆθος. ἠθύμουν γὰρ οἱ στρατιῶται, τὴν ἀγριότητα καὶ τὴν ἀπάθειαν τῶν πολεμίων, ὥσπερ θηρίων ὀρρωδοῦντες. *Radicem quamdam comminutam & lacte ſubactam comedebant, confectóſque ex ea panes ad primas hoſtium cuſtodias accurrentes intra caſtra iecerunt, cum huiuſmodi verbis, ſe quamdiu terra eiuſmodi radices pareret, ab obſidione Pompeij non deſtituros. Pompeius verò neque panes, neque ſermones palam proferri permiſit. Milites enim animum deſpondiſſent, immanitatem & duritiam hoſtium quaſi belluarum extimeſcentes.*

III. Cæſar quoties conflixerit.

NVMERO PRÆLIORVM.] Plinius lib. 7. cap. 25. *Signis collatis quinquagies dimicauit: ſolus M. Marcellum tranſgreſſus qui vndequadragies dimicauerat. nam præter ciuiles victorias*

vndecies C. & XCII. millia hominum occiſa ab eo, non equidem in gloria poſuerim tantam etiam coactam humani generis iniuriam : quod ita eſſe confeſſus eſt ipſe bellorum ciuilium ſtragem non prodendo.

IV. Celeritas Cæſaris. CELERITATE CONFICIENDI.] Quanta celeritate bella confecerit exponit Plutarchus cum alieno anni tempore per Cebennam Aruerniæ montem traduxit exercitum, & cùm Vercengentorigem cum trecentis hominum millibus ad Alexiam tam celeriter ſuperauit, vt priùs redeuntem cum ſpoliis aduerterint obſeſſi, quàm profectum ſcirent, & pars Cæſarianorum quæ in obſidione remanſerat, primum victoriæ ſui Imperatoris nuntium, non niſi ex obſeſſorum lamentis acceperint: Οὕτως ὀξέως ἡ τοσαύτη δύναμις, ὥσπερ εἴδωλον ἢ ὄνειρον ἠφάνιστο. *Tam celeriter ingens ille exercitus, ſomnij cuiuſdam aut phantaſmatis inſtar euanuit.* Quid quòd hac celeritate Pompeium in Italia ſine exercitu reſidentem, & nihil tale cogitantem oppreſſit? Sed nihil magis eam in bellis conficiendis celeritatem oſtendit, quàm quod ipſe de Pharnace reſcripſit: VENI, VIDI, VICI. Lucanus lib. 3.

-Sed Cæſar in omnia præceps
Nil actum credens, cùm quid ſupereſſet agendum
Inſtat atrox.-

V. Bellum, prælium. DISSIMILITVDINE BELLORVM.] Paulò antè *numero præliorum.* quæ ſit autem inter bellum & prælium diſtinctio, Marcellus explicat, *quod prælia partes ſint belli, hoc eſt in bello congreſſiones.* Lucilius lib. 26. *Vt populus Romanus victus vi & ſuperatus præliis ſæpè eſt multis: bello verò nunquam, in quo ſunt omnia.* Virgilius lib. vndecimo:

Infantem fugiens media inter prælia belli.

Hinc fortaſſe quiſpiam Lucanum non immeritò reprehendat, quòd in ipſo ſtatim limine pugnam Pharſalicam bellum nominarit:

Bella per Æmathios pluſquam ciuilia campos.

ILLVSTRATÆ SVNT.] Emendant quidam Critici *luſtratæ ſunt.* Id eſt, *obitæ*, Gloſſæ *luſtrat*, περιέρχεται. Item, *luſtro*, περιπολέω. Sic octauo diuini operis: VI.

Luſtrat Auentini montem.-

Apage iſtam emendandi pruriginem. Mamertinus Genethliaco Maximiani: *Illum modò Syria viderat, iam Pannonia ſuſceperat; Tu modò Galliæ oppida illuſtraueras, iam ſummas arces Monœci Herculis prætereras.* Statius 2. Achilleidos vel etiam 4. vt alij diſtinguere maluerunt:

-Vos hoſpitio me, tecta, piúmque
Illuſtrate larem.-

id eſt, *viſite*, vt interpretatur Britannicus. Sidonius epiſt. 2. lib. 2. *Cùm me meus Hecdicius illuſtrat, pilæ vacamus.* id eſt, cùm ad me venit, cùm me inuiſit. Eumenius Panegyr. Conſtantini eodem ſenſu *illuſtrare* dixit. *Quæ certè omnia ſunt præſentiâ tuâ* (lege *præſentiæ tuæ*) *munera. Quæcunque enim loca frequentiſſimè tuum numen illuſtrat, in his & hominibus omnia, & mœnibus, & muneribus augentur.* Luſtrare Illuſtrare.

ARGVMENTVM.

Poſtquàm ad id quod dicturus erat ſe præmuniit, bellicam virtutem extenuat, ſi cum clementiæ laude comparetur: ex eo maximè capite, quòd non ſit propria Imperatoris, ſed bellorum euentus, tùm à militum virtute, tùm à locorum ſitu, immò & ab ipſa fortuna dependeat.

VI. QVÆ quidem ego niſi ita magna eſſe fatear, vt ea vix cuiuſquam mens, aut cogitatio capere poſſit, amens ſim: ſed tamen ſunt alia maiora. Nam bellicas laudes ſolent quidam extenuare verbis, eáſque detrahere ducibus, communicare cum militibus, ne propriæ ſint Imperatorum, & certè in armis, militum virtus, locorum opportunitas, auxilia ſociorum, claſſes, commeatus, multùm iuuant. maximam verò partem quaſi ſuo iure fortuna ſibi vendicat, & quidquid eſt proſperè geſtum, id penè omne ducit ſuum.

EXPLANATIO.

QVÆ QVIDEM.] Niſi res à te geſtas, C. Cæſar, tam magnas eſſe fatear, vt earum magnitudo nullius poſſit animo comprehendi, oſtendam meipſum mentem non habere. (alludit in his verbis, *mens, amens ſim:*) ſed tamen virtutes animi debent longè bellicis laudibus præferri.

NAM BELLICAS.] Iam aggreditur bellicas laudes extenuare dicendo, ita tamen vt non ex ſuo, ſed ex aliorum ſenſu loqui videatur. prudentèr id ſanè: ne in Cæſaris offenſionem incurrat: nulla enim re faciliùs alios offendimus, quàm ſi ſtudia, quibus addicti ſunt, aut contemnamus, aut oratione deteramus. Solent, inquit, nonnulli, extenuare verbis bellicas laudes, eáſque dicere non eſſe ducum proprias, ſed maximam earum partem militibus eſſe tribuendam.

ET CERTE.] Iam quaſi fidentiùs animi ſui ſenſum expromit, adfértque rationes cur bellicæ laudes haudquaquam Imperatorum propriæ eſſe videantur. Quia, inquit, reuera, vt proſperi bellorum exitus conſequantur, non ſufficit Imperatoris prudentia, ſed præterea requiritur, vt milites habeat generoſos, vt locus ſit ad bellum opportunus, vt præter legionarios milites, habeat etiam auxilia ſociorum, vt claſſes habeat ad comportandum frumentum. vt ſuppeditetur commeatus ad alendum exercitum.

MAXIMAM PARTEM.] Rei militaris ſiue bellicæ laudis fortuna, quaſi iure vindiciarum, aut iudicio petitorio apud Prætorem ageret, ſuam eſſe ait.

NOTÆ.

I. Pyrrhus aquila.

COMMVNICARE CVM MILITIBVS.] Pyrrhus: Ἀετὸς ὑπὸ τῶν Ἠπειρωτῶν προσαγορευόμενος. Δι' ὑμᾶς, ἔλεγεν, ἀετός εἰμι. πῶς γὰρ οὐ μέλλω τοῖς ὑμετέροις ὅπλοις, ὥσπερ ὠκυπτέροις ἐπαιρόμενος; *Cùm ab Epirotis Aquila diceretur. Ita ſanè, inquit, per vos ego ſum aquila: nam quomodo non eſſem, veſtris armis, tanquam alis ſubuectus?* Themiſtius oratione περὶ τῶν ἠτυχηκότων ὑπὸ τοῦ Οὐάλεντος, *de iis qui affecti ſunt infortunio ſub Valente*, multus eſt in hoc argumento: Πολλοὶ τῶν

Milites cauſa victoriæ.

ἐπαίνων τούτων ἀμφισβητοῦσι. χωρὶς γὰρ τῆς ἔξωθεν καὶ δαιμονιωτέρας αἰτίας, ἣ τὰ πολλὰ τὰς ἐν τοῖς πολέμοις τροπὰς ταλαντεύει οὐ μόνον λοχαγοὶ, καὶ στρατηγοὶ, καὶ ταξιάρχαι, ἀλλὰ καὶ τῶν ὁπλιτῶν ἕκαστος, καὶ τῶν ἱππέων, καὶ σφενδονίτης, καὶ τοξότης μεταποιεῖται τῆς ἐπὶ τῇ νίκῃ φιλοτιμίας. *Nam vt externam cauſſam omittam, eámque quæ propiùs authorem ipſum ſpectat Deum, à quo plerumque belli viciſsitudines, & quaſi momenta librantur, non modò centuriones, aut duces, atque ordinum præfecti, ſed & armatorum militum quilibet atque equitum, fundibularius etiam ac ſagittarius aliquid ſibi de victoriæ gloria atque honore decerpunt.* Item: Τὴν μὲν νίκην εἶναι κοινὴν συγχωροῦμεν τοῖς στρατηγοῖς, καὶ τοῖς στρατιώταις· εἰ δὲ βούλει καὶ τοῖς σιτοποιοῖς, καὶ τοῖς σκευοφόροις. *Concedamus ſanè ducibus ac militibus, imò ſi lubet, piſtoribus ac calonibus communem eſſe victoriam.* Sequor terſiſſimam & dignam cedro Petauij noſtri verſionem. In quo notabis hunc non minùs artificioſè quàm Tullium, ſed fortaſſe aſſentatoriè magis, vti præmunitione, ne Valentis gloriam militarem verbis extenuare videatur: partam enim victoriam propriam reuera fuiſſe Imperatoris ait, ſed quaſi per conceſſionem oratoriam largitur, eam cum militibus fuiſſe communem. Nec ſanè minus eleganter Heliodorus Æthiop. 9. ſuum Hidaſpem ita deprædicat. Πολεμίους τ' ἐκπορθεῖν οἶδε, καὶ ἱκέτας οἰκτείρειν πέφυκε. τὸ μὲν ἀνδρεῖον, τὸ δὲ φιλάνθρωπον δοκιμάζων· καὶ τὸ μὲν χειρὸς εἶναι στρατιωτικῆς, τὸ δ' ἴδιον τῆς ἑαυτοῦ γνώμης. *Et hoſtes populari nouit, & ſupplicum miſereri natus eſt, hoc quidem fortitudini, illud clementiæ aſſignans, & hoc opus manus militaris, illud proprium ſuæ ipſius mentis eſſe exiſtimans.* quare veriſſimum illud,

Fortior eſt qui ſe, quàm qui fortiſsima vincit
Mœnia.

Ex eodem fonte nata eſt neſcio cuius apud Euripidem in Andromache conqueſtio:

Οἴμοι καθ' Ἑλλάδ' ὡς κακῶς νομίζεται,
Ὅταν τρόπαια πολεμίων στήσῃ στρατὸς,
Οὐ τῶν πονούντων τοὔργον ἡγοῦνται τόδε,
Ἀλλ' ὁ στρατηγὸς τὴν δόκησιν ἄρνυται,
Ὃς εἷς μετ' ἄλλων μυρίων, πάλλων δόρυ,
Οὐδὲν πλέον δρῶν ἑνὸς ἔχει πλείω λόγον.
Prô Graia tellus quàm malas leges habet,
Statuit tropæa quando victis hoſtibus
Haudquaquam ad ipſos gloria auctores redit:
Sed imperator gloriam ſolus refert,
Mille inter vnus qui vibrans haſtam, nihil
Plùs quàm vnus efficiens celebratur magis.

Polyænus lib. 4. ſtratagematum, in Philippi ſtrat. Μεῖζον ἐφρόνει ἐφ' οἷς διὰ τὸν λόγον ἐκτᾶτο, ἢ οἷς διὰ τῶν ὅπλων. τῶν μὲν γὰρ κοινωνεῖν αὐτῷ τοὺς στρατιώτας· τῶν δ' αὐτῷ μόνῳ μετεῖναι. *Magis ſibi placebat his quorum verbis adeptus erat victoriam, quàm quæ armis in ſuam poteſtatem redegiſſet. Horum enim partem ſibi vendicare milites exiſtimabant: at illa ad ſuam vnius laudem pertinere.*

AVXILIA SOCIORVM.] Vt ait Varro lib. 4. *Appellatur ab auctu cum acceſſerant, qui adiumento eſſent, alienigenæ.* Feſtus: *Auxiliares dicuntur in bello ſocij Romanorum exterarum nationum, dicti ex Græco vocabulo αὔξησις, quod nos dicimus rerum creſcentium auctionem.* II. Auxilia.

CLASSES.] Feſtus: *Claſſes clypeatas antiqui dixerunt, quos nunc exercitus vocamus.* Item: *Claſsis procincta exercitus inſtructus.* Hinc lex illa Numæ Pompilij, quam idem refert in Opima: CVIVS AVSPICIO CLASSE PROCINCTA OPIMA SPOLIA CAPIVNTVR, IOVI FERETRIO DARIER OPORTEAT, &c. Hinc & illa populi Romani in claſſes quinque diſtributio militaris, aliàs tamen pro nauali exercitu & multitudine nauium. Græcis στόλος. vtrumque poteſt huic loco quadrare: poſterius tamen magis arridet, quòd commeatûs ſiue annonæ ad alendum exercitum ſubiiciat mentionem ad quam deuehendam claſſis, id eſt, nauium multitudo neceſſaria. vide Vegetium lib. 3. cap. 3. de *commeatu pabuli frumentique* non pauca dicentem. III. Claſſis clypeata. Claſſis procincta.

FORTVNA SIBI VENDICAT.] Monui tranſlationem à vindiciis & iure petitorio ductam videri. de quo pro Milone 75. *Non calumnia litium, non iniuſtis vindiciis.* Cæſar ipſe lib. 6. Belli Gallici: *Multùm cùm in omnibus rebus, tum in re militari poteſt fortuna.* Hinc illud eſt apud Vegetium axioma lib. 3. cap. 26. *Aut inopia, aut ſuperuentibus, aut terrore melius eſt hoſtem domare, quàm prælio: in quo amplius ſolet fortuna poteſtatis habere, quàm virtus.* Themiſtius orat. 9. paulò antè laudata: Δυεῖν ὄντων καιρῶν, εἰς οὓς αἱ πράξεις ἡμῶν διαιροῦνται, πολέμου φημὶ καὶ εἰρήνης, τῆς μὲν ἐφ' ἡμῖν τὰ πλείω, τοῦ δὲ πολέμου ὁρῶμεν καὶ τὴν τύχην ἀμφισβητοῦσαν. ἤδη γάρ τισι καὶ μηδ' ὁτιοῦν παραλιποῦσι τῆς εἰς νίκην βεβαίας ἐλπίδος, &c. τὸ τέλος ἀλλόκοτον ἀπήντησεν, ὥστε καὶ ἡνίκ' ἂν ἀκόλουθον ἐκβῇ ταῖς ἀμείνοσι παρασκευαῖς ἀμφίβολον εἶναι πότερον τῆς τύχης δῶρόν ἐστιν, ἢ τῆς γνώμης κατόρθωμα τοῦ κρατήσαντος. *Cùm duo ſint tempora, in quæ actiones noſtræ diuiduntur, belli ſcilicet & pacis, hæc quidem magna ex parte in nobis eſt poſita, bellum verò etiam fortunam ſibi vendicare cernimus. Iam enim quibuſdam, qui ad obtinendam victoriam fiduciæ ac ſpei certiſsimæ nihil prætermiſiſſent, &c. minimè conſentaneus exitus reſpondit. Ita fit vt cum melioribus apparatibus conſequens ac congruus acciderit, dubium ſit vtrùm id fortunæ munere conceſſum ſit, an ab eius qui vicit ingenio ſit ac prudentia facinus profectum.* Sed preſſius ad Noſtrum Cornelius Nepos in Thraſybulo: *Iure ſuo nonnulla ab Imperatore miles, plurima verò fortuna vendicat, ſéque his plus valuiſſe quàm Ducis prudentiam, verè poteſt prædicare.* Quare non immeritò, vt auctor eſt Ælianus Var. hiſt. lib. 13. c. 43. Τιμόθεος ἔλεγε τὴν τύχην αἰτίαν εἶναι, Τιμόθεον δ' οὐδενός. καὶ οἱ ζωγράφοι δὲ καθεύδοντα ἐποίουν αὐτὸν ἐπὶ τῆς σκηνῆς, εἶτα ὑπὲρ τῆς κεφαλῆς ἀπηώρητο ἑστῶσα ἡ τύχη ἕλκουσα εἰς κύρτον τὰς πόλεις. *Timotheus dicebat fortunam omnium ſucceſſuum cauſſam eſſe, Timotheum ipſum nullius rei. & pictores eum in tabernaculo dormientem pingebant, fortuna verò ſtans eius capiti imminebat, vrbes in naſſam trahens.* Et Nicias apud IV. Fortuna in bello dominatur. Timothei felicitas.

Plutarchum in eius vita, τὰ πλεῖστα κατορθῶν, ὡς εἰκὸς εἰς οὐδεμίαν αὑτοῦ σοφίαν ἢ δύναμιν, ἢ ἀρετὴν ἀνέφερε τὰς πράξεις, ἀλλὰ παρεχώρει τῇ τύχῃ, καὶ κατέφευγεν εἰς τὸ θεῖον. Item Plutarchus in Politicis: Τιμολέων ὁ τὰς ἐν Σικελίᾳ καταλύσας τυραννίδας, Αὐτοματίας ἱερὸν ἱδρύσατο. *Timoleon ille qui tyrannidas è Sicilia ſuſtulit, Caſus templum excitauit.* Idem in vitâ Sulla ea de re fusè diſſerens eſt conſulendus.

Quæ licet vera ſint, ſapienter tamen monet Vegetius prologo libri 3. *Qui ſecundos optat euentus, dimicet arte, non caſu.* Si quidem vt habet Syneſius de Regno: Καὶ πολλάκις ἦρξατο μὲν εὐτυχίας ἀρετή, καὶ ἔπαινος ἡγήσατο μακαρισμοῦ τοῖς ἀνθρώποις, ὥσπερ αἰσχυνομένης τῆς τύχης ἀρεταῖς ἀποδήλοις μὴ μαρτυρῆσαι. *Sæpè felicitati virtus anteceßit, & laus homines ad beatitudinis prædicationem deduxit, tanquam virtutem puderet agnitis virtutibus non ſuffragari.* Menander apud Stobæum:

Ως τοῖσιν εὐφρονοῦσι συμμαχεῖ Τύχη.
Fortuna ſociam fert opem prudentibus.

D V C I T S V V M.] Fortaſſe non ineptè quis reſcripſerit *dicit ſuum*, vt ad vindiciarum formulam alludere videatur: *Ex iure Quiritium meum eſſe aio.* de quo oratione pro Murena. v.

A R G V M E N T V M.

Poſtquam oſtendit bellicas laudes non eſſe proprias Cæſaris, ſed milites & Fortunam in victoriarum ſocietatem admitti, eiuſdem clementiam victoriis anteponit, quòd neque milites, neque ipſa Fortuna quicquam ſibi è clementiæ laude decerpant.

VII. AT verò huius gloriæ, C. Cæſar, quam es paullò antè adeptus, ſocium habes neminem: totum hoc quantumcumque eſt, quod certè maximum eſt, totum eſt, inquam, tuum. nihil ſibi ex iſta laude Centurio, nihil Præfectus, nihil cohors, nihil turma decerpit: quin etiam illa ipſa rerum humanarum domina Fortuna, in iſtius ſe ſocietatem gloriæ non offert. tibi cedit, tuam eſſe totam & propriam fatetur. numquam enim temeritas cum ſapientia commiſcetur, nec ad conſilium caſus admittitur.

EXPLANATIO.

AT V E R Ò.] Sic colligit.

Maior eſt laus tibi propria, quàm quæ cum aliis communis eſt.

Sed laus quam tot victoriis adeptus es, cum militibus & Fortuna communis eſt, ea verò quam tibi, Marcellum in gratiam recipienti, clementia tua peperit, tibi propria eſt.

Ergo maior laus eſt clementiæ tuæ, quàm victoriarum tuarum.

Propoſitio vt facilis reticetur: aſſumptionis pars prior ſuperiore paragrapho, poſterior præſenti, complexio numero 4. *tamen hoc affirmo*, continetur.

P A V L Ò A N T E.] Cùm M. Marcellum Senatoribus & Reipub. reddidiſti.

N I H I L S I B I.] Expoſitio oratoria, qua per inductionem explicatur quod priùs dixerat, *ſocium habes neminem.* quod autem ait *decerpit.* videtur eſſe translatio ab iis qui flores ex alterius corona vellunt & detrahunt, vt flores, quos inde decerpſerint, capiti ſuo imponant.

I L L A I P S A.] Quæ maximam partem ſibi vendicat in re militari.

N V N Q V A M E N I M.] Rationem adfert cur fortuna ſibi nihil ex clementiæ laude decerpat: hoc veluti ſyllogiſmo:

Si fortuna in huius gloriæ ſocietatem ſe offerret, temeritas cum ſapientia commiſceretur, & in conſilium caſus admitteretur.

Sed nunquam temeritas cum ſapientia commiſcetur, aut in conſilium caſus admittitur.

Ergo fortuna in huius gloriæ ſocietatem ſe non offert.

Propoſitio ſubiicitur, vt nota, & eo facilè intelligi poteſt, quòd clementiæ laus ad ſapientiam pertinet, caſus & temeritas ad fortunam. Aſſumptio & complexio expreſſæ ſunt.

A D M I T T I T V R.] Tanquam à Ianitore & Atrienſi, qui pro varietate eorum qui veniebant, eos ſolebant vel in veſtibulo relinquere & excludere, vel in atrium aut etiam in interiores domus partes admittere. vide Notas.

N O T Æ.

NIHIL SIBI.] Themiſtius περὶ τῶν ἠτυχηκότων, videtur hunc locum præ oculis habuiſſe. Πρὸς τί τοίνυν ἀφεώρων, καὶ ποῖον ἔργον ἐκαραδόκουν, ὃ μόνου σοῦ καὶ μάλιστα σοῦ, καὶ οὐδενὸς ἑτέρου μᾶλλον ἢ σοῦ; καὶ ποίους ἐπαίνους διενοούμην, ὡς σοὶ μόνῳ φαινομένους προσήκοντας; πρὸς οἷς οὐ δεῖ σοι τῆς φάλαγγος, οὐδὲ τῆς ἵππου, οὐδέ, ναὶ μὰ Δία τῶν δορυφόρων, καὶ ἐξαρκεῖ προελέσθαι καὶ βουληθῆναι· οὐ γάρ ἐστι χειρῶν ἔργον φιλανθρωπία, ἀλλὰ μόνης τῆς γνώμης τοῦ τὴν ὀργὴν ἀφεῖναι κυρίου. *Quid igitur ſpectabam? aut quodnam opus præſtolabar, quod tuum vnius, & maximè tuum eſſet, nec ab vllo altero potiùs quàm à te profectum? aut quæ tandem præconia meditabar, quæ ad te vnum pertinere viderentur? ea nempe ad quæ promerenda, nec legione, nec equitatu opus eſt, ac mehercule, ne ſtipatorib. quidem, cùm eligere duntaxat ac velle ſufficiat. non enim manuum opus eſt clementia, ſed animi & voluntatis in eo qui iram poßit pro arbitrio condonare.* Item: Καὶ νῦν πρὸς μὲν τὸ κρατῆσαι τῶν πολεμίων ῥοπήν τινα συνείνεγκαν οἱ μετασχόντες σοι τοῦ κινδύνου, τὸ δὲ περισῶσαι τοὺς κρατηθέντας, τοῦ σοῦ μόνου πνεύματος ἤρτηται. *Et nunc ad hoſtes quidem ſuperandos momentum aliquod attulere, qui eiuſdem* I.

Clementiæ laus & rei bellicæ.

tecum periculi participes fuerunt : ſeruare autem victos ex nutu tuo ac voluntate dependet. Idem in animo habuit Ammianus libro 21. extremo. ſed more ſuo ſenſum obſcuriùs expreſſit. *Id Epheſius quoque Heraclitus aſſerens monet, & ab inertibus & ignauis euentus variante fortuna, ſuperatos aliquoties viros fuiſſe præſtantes: illud verò eminere inter præcipuas laudes, cùm poteſtas in gradu velut ſub iugum miſſa nocendi ſæuiendíque cupiditate & iraſcendi, in arce victoris animi tropæum erexit glorioſum.*

II. Centurio.

CENTVRIO.] Varro lib. 4. de lingua Latina: *Centuriæ quæ ſub vno centurione ſunt: quorum centenarius iuſtus numerus.* Vegetius lib. 2. cap. 8. *Erant etiam centuriones qui ſingulas centurias curabant: qui nunc centenarij nominantur.* Eoſdem vocabant, vt auctor eſt Polybius lib. 6. Τοὺς δ' ἡγεμόνας κεντυρίωνας καὶ ταξιάρχους. *Centuriones & ordinum ductores.* de appellatione etiam Feſtus: *Centurionus antea qui nunc centurio.* Sed vide dicta pro Milone 2. Lipſium, & Valtrinum noſtrum, vtrumque commentariis illis eruditiſſimis de re militari, Godeſchalcum Steuechium commentariis in Flauium Vegetium, & alios paſſim.

III.

PRÆFECTVS.] Alij fuerunt Præfecti legionis, alij Præfecti caſtrorum, Præfecti fabrorum, de quibus Vegetius lib. 2. c. 9. 10. 11. Et quidem c. 9. *Proprius autem Iudex erat, Præfectus legionis, habens comitiuam primi ordinis dignitatem, qui abſente legato, tanquam vicarius ipſius, poteſtatem maximam retinebat. Tribuni vel centuriones cæteríque milites eius præcepta ſeruabant.* Atque haud ſcio an ille fuerit, quem *Præfectum annonæ*, nominabant. nam, vt ſubdit: *Equi veſtes & annona ad curam ipſius pertinebant.* cap. 10. *Erat etiam caſtrorum Præfectus licet inferior dignitate, occupatus tamen non mediocribus cauſſis, ad quem caſtrorum poſitio, valli & foſſæ deſtinatio pertinebat.* cap. ſequenti: *Iudex erat proprius Præfectus fabrorum.* Primum etiam decurionem *Equitum*, ſiue *turmarum Præfectum* vocatum inuenimus. frequentiùs tamen auxiliariorum duces Præfecti nuncupantur. Polybius lib. 6. Κύριος δὲ ἐστι καὶ ζημιῶν ὁ χιλίαρχος, καὶ ἐνεχυράζων, καὶ μαστιγῶν. τοῖς δὲ συμμάχοις οἱ Πραίφεκτοι. *Et habet Tribunus poteſtatẽ mulctæ dicendæ, pignoris capiendi, virgis ac fuſtibus cædendi: idem ius eſt Præfectis in ſocios.* Gloſſæ Philoxeni *Præfectos* etiam *cohortis*, id eſt, opinor, *centuriones* agnoſcunt. omitto prudens alia præfectorum genera. nam in materia doctiſſimorum virorum cõmentariis iam pridem occupata, *ſumma ſequi faſtigia rerum* ſuffecerit. nec enucleandum reor quos hoc loco Præfectos intelligat Orator: certè viri docti Præfectos legionis in vetere Rep. non agnouerunt. de cohorte, & turma vide Milonianam 2. & laudatos Valtrinum & Lipſium.

Præfectus legionis. Præfectus annonæ. Præfectus caſtrorum. Præfectus fabrorum. Præfectus turmarum, &c. Præfectus ſociorum.

IV. Carpere, decerpere.

DECERPIT.] Carpere & decerpere propriè de floribus dici videtur. vt in Sextiana *omnes dicendi floſculos carpere & delibare.* Gloſſæ Philoxeni. *Decerpit.* ἀποδρέπεται, ἀπανθίζει. Catullus:

Idem cùm tenui carptus defloruit vngui.

Horatius Sat. 3. lib. 2. de Polemone:

Dicitur ex collo furtim carpſiſſe coronas.

Meritò verò Noſter vtitur verbis, *detrahere & decerpere*, ad coronam ſpectantibus. ſuprà nonnullos *laudes bellicas detrahere ducibus* dixit, id eſt, veluti quandam coronam carpere, & detrahere. vt C. Manilius apud Tit. Liuium lib. 38. *Currum triumphalem me conſcendere prohibent, coronam inſignem capiti detrahunt.* Horatius ſatira decima lib. 1.

Coronã carpere, & detrahere.

-nec ego illi detrahere auſim
Hærentem capiti multa cum laude coronam.

Cùm igitur Noſter loquitur in perſona obtrectatorum rei militaris, vtitur verbo detrahendi: quaſi dicant nihil penitùs laudis Imperatoribus eſſe tribuendum, totámque coronam carpant atque detrahant. cùm autem in ſua perſona loquitur, & ſpectat rei veritatem, non ait totam Imperatorum gloriam à militibus & fortuna carpi atque detrahi, ſed quoſdam veluti floſculos, ex corona decerpi atque libari. iure autem cùm de militaris gloriæ materia loquitur, eam coronam appellat, tum ob coronas ciuicas, obſidionales, gramineas, & cæteras fortibus viris donatas, tum quòd ſcriptores *coronæ* nomen eo ſenſu frequenter vſurpent. Sic Paulus Chriſtianos *ſuam coronam* appellat: ſic Phalaris epiſt. 40. filium Paurolam: Ἔσοιο δ' αὖ ἡμῖν καλλίων σὺ καὶ πρεπωδέστερος στέφανος, εἰ τῆς τῶν γονέων ἀρχῆς ἄξια φρενῶν συνειδείης. *Fueris verò nobis pulchrior & conuenientior corona, ſi dignos parentum voto ſpiritus gerere compertus fueris.* Septimius Florens libro de corona extremo. de Mithræ milite: *Cùm initiatur in ſpelæo in caſtris verè tenebrarum, coronam interpoſito gladio ſibi oblatam, quaſi mimum martyrij dehinc capiti ſuo accommodatam, monetur obuia manu capite depellere, & in humerum, ſi fortè, transferre dicens Mithram eſſe coronam ſuam, atque exinde nunquam coronatur: id quod in ſignum habet ad probationem ſui, ſicubi tentatus fuerit de ſacramento, ſtatímque creditur Mithræ miles ſi deiecerit coronam, ſi eam in Deo ſuo eſſe dixerit.* Ex hac loquendi conſuetudine manauerit illud Pythagoræ Præceptum, στέφανον μὴ δρέπεσθαι. *coronam non carpere.* id eſt, non detrahere laudibus alienis.

DOMINA FORTVNA.] Fortuna ab aliis hera, ab aliis Domina nominatur. Heram appellat Pyrrhus Ennianus apud Tullium 1. de officiis: V. Fortuna hera.

Vóſne velit an me regnare hera, quídve ferat
Sors Virtute experiamur.

Et Plautus Mercat. ſc. *Diuôm atque.*

Diuôm atque hominum quæ ſpectatrix, atque
hera eadem es hominibus.

Eandem *ſecularium ſortium dominam.* Tertullianus appellat de pallio cap. 1. nec ſanè immeritò. quia, vt auctor eſt Plato 4. de legibus: Θεὸς μὲν πάντα, καὶ μετὰ Θεοῦ τύχη, καὶ καιρὸς τἀνθρώπινα διακυβερνῶσι πάντα. *Deus quidem omnia, & cum Deo Fortuna, & occaſio res omnes humanas gubernant.* & eam ob rem, vt notat Galenus, ſiue quis alius auctor protreptici, καὶ πηδάλιον ἔδοσαν ἐν χερσὶν ἔχειν αὐτῇ. *gubernaculum in manu ei tribuerunt.* Menander apud Stobæum: Fortuna domina.

Πάντων τύραννος ἡ τύχη 'στὶ τῶν Θεῶν.
Fortuna cunctis vna dominatur Deis.

Demoſthenes de corona: Οὔτε τῆς τύχης κύριος ἦν, ἀλλ' ἐκείνη πάντων. *Neque ego Fortunæ dominus eram, ſed illa omnium dominatur.*

NVNQVAM ENIM TEMERITAS CVM SAPIENTIA.] Agrætius: *Temeritas ſine cõſilio dicitur: audacia poſt conſilium.* Sed quid opus hoc loco grammaticis? philoſophum audiamus in Menone: Τὰ γὰρ ἀπὸ τύχης γινόμενα, οὐκ ἀνθρωπίνη ἡγεμονίᾳ γίνεται. ᾧ δὲ ἄνθρωπος ἡγεμών ἐστιν ἐπὶ τὸ ὀρθὸν, δύο ταῦτα. δόξα ἀληθὴς καὶ ἐπιστήμη. *Quæ enim à Fortuna proueniunt, non humano ductu proueniunt. Quæ verò ad melius humano ductu diriguntur, duo* VI. Temeritas.

hæc ſunt, vera opinio, & ſcientia.

VII. Admiſſio. IN CONSILIVM CASVS ADMITTITVR.] Tranſlatio ducta videtur à Ianitoribus qui diuerſo ordine amicos admittebant. Seneca 6. de Beneficiis cap. 33. *Non ſunt iſti amici qui agmine magno ianuam pulſant, qui in primas & ſecundas admiſſiones digeruntur.* Ælius Lampridius in Alexandro Seuero admiſſionales appellat huiuſmodi atrienſes, quorum erat amicos admittere: *Cum amicis tam familiariter vixit, vt communis eſſet et ſæpè conſeſſus, iret & ad conuiuia eorum: aliquos autem haberet quotidianos etiam non vocatos: ſalutaretur verò quaſi vnus de Senatoribus patente velo, admiſſionalibus remotis.* Fuitque illud in Imperatorum palatiis officium. Flauius Vopiſcus in Aureliano: *Acholij qui magiſter admiſſionum Valeriani Principis fuit.* Seneca de Clementiâ: *Salluſtium & Cocceios, & Deillios & totam cohortem primæ admiſſionis, ex aduerſariorum caſtris conſcripſit.* Hæc refert Lipſius commentariis ad Tacitum libro 6. annalium. addit Suetonium Veſpaſ. cap. 14. & Plinium libro 33. ad quos te remitto. Quòd autem caſum in conſilium admitti negat diſſentit in ſuo Satyrico Petronius: *Non multùm oportet conſilio credere, quia ſuam habet fortuna rationem.* Et neſcio quis apud Stobæum:

Admiſſionales.

Ἀλλ' ἔστιν εὐχολὴ τι βουλευτήριον
Ταὐτόματον.
Peropportuna ad conſultandum curia
Eſt caſus ipſe.

Nec longè abeſt illud Paterculi libro ſecundo de Varo. *Præualebant iam fata conſiliis, omnémque animi eius aciem præſtrinxerant. Quippe ita ſe res habet, vt plerumque qui fortunam mutaturus eſt, conſilia corrumpat, efficiátque, quod miſerrimum eſt, vt quod accidit, etiam merito accidiſſe videatur, & caſus in culpam tranſeat.*

AXIOMATA.

Humanarum rerum domina fortuna.
Fortuna in gloriæ clementiâ partæ ſocietatem ſe non offert.
Nunquam temeritas cum ſapientia commiſcetur, nec in conſilium caſus admittitur.

ARGVMENTVM.

Redit ad res à Cæſare geſtas, vt earum comparatione virtutem eius & clementiam, quâ M. Marcello ignouit, magis exaggeret.

VIII. DOMVISTI gentes immanitate barbaras, multitudine innumerabiles, locis infinitas, omni copiarum genere abundantes: ſed tamen ea viciſti, quæ & naturam, & conditionem, vt vinci poſſent, habebant. nulla eſt enim tanta vis, quæ non ferro ac viribus debilitari, frangíque poſſit. verùm animum vincere, iracundiam cohibere, victoriam temperare, aduerſarium nobilitate, ingenio, virtute præſtantem non modò extollere iacentem, ſed etiam amplificare eius priſtinam dignitatem; hæc qui faciat, non ego eum cum ſummis viris comparo, ſed ſimillimum Deo iudico.

EXPLANATIO.

DOMVISTI GENTES.] Subiugaſti, & inſtar equorum iniecto freno domuiſti, Gallos, Germanos, Britannos, Ponticos, Ægyptios, Luſitanos: vt taceam Mauros & alias gentes, quæ bello ciuili ſe Pompeianis adiunxerant.

IMMANITATE BARBARAS.] Non ſolùm immani corporum magnitudine terribiles, ſed etiam animo, & moribus tam immanes, vt etiam humanas victimas immolarent.

MVLTITVDINE INNVMERABILES.] Adeò vt in ſolis Galliis quadringentos populos domueris, & vndecies centena & nonaginta duo millia hominum occideris, præter belli ciuilis ſtrages.

LOCIS INFINITAS.] Vt non ſolùm Europam, Aſiam, Africam domueris, aut Rhenum tranſgreſſus fueris, ſed etiam in Oceano Britanniam hactenus Romanis incognitam, & penè inauditâ, quaſi nouum terrarum orbem inueneris.

ABVNDANTES.] Gallos præſertim, & Alexandrinos qui cæteras gentes omnium rerum abundantiâ ſuperabant.

SED TAMEN.] Videtur ſic argumentari.

Fortior eſt qui ſe quàm qui fortiſſima vicit Mœnia.
Sed Marcello ignoſcens te ipſum viciſti.
Ergo fortior tunc fuiſti, quàm cùm fortiſſimas gentes & mœnia ſuperaſti.

TANTA VIS.] In vulgatis legitur, *Tanta vis, tanta copia.* Suſtuli duas poſteriores voces poſt Fr. Modium epiſt. 131. Ex tribus, vt ait, codicibus manu exaratis.

VERVM.] Diuina quædam res eſt, & omni gloria militari diuinior, animum ſuum vincere, ſibique ipſi tantùm imperare, vt aduerſariis venia tribuatur.

ADVERSARIVM.] Verbi lenitate Marcelli acerbitatem, & Cæſaris offenſiones emollit. Eſt enim, ſi propriè loquamur, hoſtis in bello & armis, inimicus in pace & togâ, aduerſarius in iudiciis, & foro. minus autem eſt eſſe aduerſarium quàm inimicum. nam verbi cauſsâ, in omnibus penè iudiciis & litibus alicuius momenti aduerſarius Ciceronis fuit Hortenſius, inimicus verò nunquam. Ideo Noſter addit *nobilitate, ingenio, virtute præſtantem*, quaſi non odiis inter ſe Cæſar & Marcellus, ſed quâdam æmulatione ob nobilitatis, ingenij, & virtutis ſimilitudinem diſſiderent.

Hæc qvi faciat.] ἀνακόλουθον, ſiue oratio non cohærens, cùm dicere debuiſſet *animum vincere*, &c. diuina quædam res eſt: dixit *animum vincere*, &c. *hæc qui faciat.* ſed hæc ἀνακολουθία, magnis viris interdum permittitur.

NOTÆ.

I. Domare. Frenare. Domvisti.] Tranſlatum ab equorum domitoribus, vt 12 Æneidos.

Ni frenum accipere, ac victi parêre fatentur.

Et libro I.

Iuſtitiáque dedit gentes frenare ſuperbas.

Frenare eſt manſuefacere, domare, mitigare. Prudentius libro poſteriore in Symmachum:

Immanes quondam populi feritate ſubacta
Edomiti iam triſte fremant, iterúmque ferinos
In mores redeant, atque ad ſua priſca recurrant.

Idem in Laurentio:

Reges ſuperbos viceras,
Populóſque frenis preſſeras,
Nunc monſtruoſis Idolis
Imponis imperij iugum.
Hæc ſola deerat gloria
Vrbis togatæ inſignibus
Feritate capta gentium,
Domaret vt ſpurium Iouem.

Horatius:

Indomitam audeat
Refrenare licentiam.

Nec abſimile eſt illud Æſchyli Agamemnone.

Τοιόνδε Τροίᾳ περιβαλὼν ζευκτήριον
Ἄναξ Ἀτρείδης.
Regnator iſtud Ilio immittens iugum
Generatus Atreo.

Et in fine:

--τὸν δὲ μὴ πειθάνορα
Ζεύξω βαρείαις οὔτι μὴ σειραφόρον
Κριθῶντα πῶλον. ἀλλ᾽ ὁ δυσφιλὴς σκότῳ
Λιμὸς ξύνοικος μαλθακόν σφ᾽ ἐπόψεται.

vertit Interpres,

-verùm minùs morigerum
Haud ſubiungam grauibus, quemadmodum funiferum
Laſciuientem pullum. Sed moroſa & irata
Fames domeſtica mollem & delicatum viſitabit.

Martialis lib. 6. ep. 76.

Grande iugum domita Dacus ceruice recepit.

II. Immanitas. Immanitate.] Vel ob corporis magnitudinem, vel ob animi fœlicitatem. Feſtus: *immanis, magnus vel ferus.* magnus vt 6. Æneidos.

-poſuitque immania templa.

Varro libro 5. de lingua Lat. *Immanis verborum accedit numerus.* & alij paſſim. ferus ſiue non bonus. Macrobius I. Saturnal. *Lanuuij manè pro bono dicunt: ſicut apud nos quoque contrarium eſt immane, vt immanis bellua,* &c. Accius apud Marcellum: *Prima ex immani victum ad manſuetum applicans.* Item: *Phrygiam minorem eſſe immanem Græciam.* Cicero I de Inuentione. *Ex feris atque immanibus, mites reddidit & manſuetos.* quid autem eſſet illa immanitas ſuperioribus verbis oſtenderat.

Gallorũ magnitudo. Vtroque ſenſu Galli dici potuerunt immanes. nam & corporis magnitudo paſſim ab auctoribus celebratur, & morum immanitas. de magnitudine corporis, vt ſexcentos omittam Strabo lib. 4. Τῆς δὲ βίας τὸ μὲν ἐκ τῶν σωμάτων ἐστὶ μεγάλων ὄντων, τὸ δὲ ἐκ τοῦ πλήθους. *Vis ineſt partim ex corporis magnitudine, partim ex hominum multitudine.* Ammianus lib. 15. *Celſioris ſtaturæ & candidi penè Galli ſunt omnes & rutili, luminúmque toruitate terribiles,* &c. Pauſanias Phocicis, εἰσὶ δὲ καὶ ἄλλως οἱ Κελτοὶ μακρῷ πάντας ὑπερήκοντες μήκει τοὺς ἀνθρώπους. *Galli cæteros mortales longè proceritate corporis antecellunt.*

Gallorum feritas. De morum immanitate Mela, Liuius, Tullius, & alij paſſim. de Gallis illud è Strabone ſuffecerit: Πρόσεστι δὲ τῇ διανοίᾳ καὶ τὸ βάρβαρον, καὶ τὸ ἔκφυλον, ὃ τοῖς προσβορείοις ἔθνεσιν παρακολουθεῖ πλεῖστον, τὸ ἀπὸ τῆς μάχης ἀπιόντας τὰς κεφαλὰς τῶν πολεμίων ἐξάπτειν ἐκ τῶν αὐχένων τῶν ἵππων, κομίσαντας δὲ προσπατταλεύειν τὴν θέαν τοῖς προπυλαίοις. *Ineſt verò animis barbaries quadã, & immanitas, qualis ad Septentrionem poſitis gentibus ineſſe conſueuit, vt excedentes è prælio ceruicibus equorum, hoſtium capita ſuſpendant, eáque domum delata, vt ſint ſpectaculo, poſtibus affigant.* Sic Boij, cùm Poſthumium cum duabus legionibus oppreſſiſſent, *Caput ducis,* verba ſunt Liuij dec. 3. lib. 3. *Præciſum Boij ouantes, templo quod ſanctiſſimum eſt apud eos, intulere: purgato inde capite, vt mos iis eſt caluariũ auro celauere, idque ſacrum vas iis erat, quo ſolemnibus libarent poculúmque idem ſacerdoti eſſet, ac templi antiſtitibus.* Strabo ibidem: Τὰς δὲ τῶν ἐνδόξων κεφαλὰς κεδροῦντες ἐπεδείκνυον τοῖς ξένοις, καὶ οὐδὲ πρὸς ἰσοστάσιον χρυσὸν ἀπολυτροῦν ἠξίουν. *Illuſtrium autem virorum capita cedrinis condientes odoribus, peregrinis oſtentabant, nec æquali auri pondere redimi ſuſtinebant.* Subdit de humanis apud Gallos ſacrificiis. Immanes etiam dicuntur qui victu ferino vitam agitant. Tales fuiſſe Gallos multa carne veſcentes tradit Poſidonius Stoicus apud Athenæum libro quarto: Προσφέρονται δὲ ταῦτα καθαρείως, λεοντωδῶς δὲ ταῖς χερσὶν ἀμφοτέραις αἴροντες ὅλα μέλη, καὶ ἀποδάκνοντες. *Eas carnes ori admouent mundè quidem, ſed more leonino vtraque manu tollentes, & mordentes.* Quales fuiſſe Germanos à Cæſare deuictos auctor eſt Appianus in Celticis: Καὶ κρύος ὁμοίως ἔφερον θάλπει, καὶ πόᾳ ἐχρῶντο περὶ τὰς ἀπορίας τροφῇ, καὶ οἱ ἵπποι ξύλοις. *Et frigus perinde ac calorem ferebant, & in penuria fœno veſcebantur, & equi ligno.* De Britannis, ad quos etiam Cæſar cùm mille, vt auctor eſt Athenæus, nauium claſſe penetrarat, Bunduica Britannorum Regina, apud Xiphilinum ex Dione, ἡμῖν δὲ δὴ πᾶσα μὲν πόα καὶ ῥίζα σῖτός ἐστι, πᾶς δὲ χυμὸς, ἔλαιον, πᾶν δὲ ὕδωρ, οἶνος, πᾶν δὲ δένδρον οἰκία. *Nobis omnis quidem herba & radix cibus eſt. omnis ſuccus, oleum, omnis aqua, vinum, omnis arbor, domus.* vnde & illa Romanos negabat viros eſſe dicendos: Ἀνθρώπους ὕδατι θερμῷ λουομένους, ὄψα σκευαστὰ ἐσθίοντας, οἶνον ἄκρατον πίνοντας, μύρῳ ἀλειφομένους, μαλακῶς κοιμωμένους. *Aqua calida lauantes, conditis cibis veſcentes, merum bibentes, vnguentis delibutos, molliter cubantes.* Quia nimirum hæc erant à Britannorum moribus aliena. Quod ad morum immanitatem & feritatem ſpectat exemplo fuerint quæ ibidem referuntur. Τὰς γυναῖκας τὰς εὐπρεπεστάτας (τῶν Ῥωμαίων) γυμνὰς ἐκρέμασαν, καὶ τούς τε μαστοὺς αὐτῶν περιέτεμον, καὶ τοῖς στόμασιν σφῶν προσέρραπτον, ὅπως ὡς καὶ ἐσθίουσαι αὐτοὺς ὁρῷντο. καὶ μετὰ τοῦτο πασσάλοις ὀξέσι διὰ παντὸς τοῦ σώματος κατὰ μῆκος ἀνέπειραν. *Mulieres Romanorum pulcherrimas nudas ſuſpenderunt, mammas amputatas, ipſarum oribus aſſuerunt, vt comedentes ipſas viderent: & poſtea palis acutis per totum corpus ſecundùm longitudinem transfixerunt.* hæc ille.

Nunc mirari libet Chriſtiana religio quantum

in mores mutationis inuexerit, eámque morum immanitatem mitigarit, vt iam, tum aliarum gentium, tum Gallorum præſertim appellatio non tam nationis, quàm ipſius humanitatis nomen eſſe videatur.

III. Hiſpani numeroſi. MVLTITVDINE INNVMERABILES.] Iam ſuperiùs dictum quot vrbes, quot populos in vnis Galliis domuerit, quot hoſtes occiderit, aliud inſinuat, opinor, nimirum gentes à Cæſare deuictas fœcundiſſimas fuiſſe, & hominum multitudine affluentes. Et quidem Hiſpanos à Cæſare in Luſitania domitos Orator de Haruſpicum reſponſis, numero & hominum multitudine cæteris gentibus anteponit. 19. *Quam volumus licet P. C. ipſi nos amemus: tamen nec numero Hiſpanos, nec robore Gallos, nec calliditate Pœnos, nec artibus Græcos, &c. ſuperauimus.* Tamen & apud Strabonem lib. 4. imprimis Galliæ πολυανθρωπία, *hominum frequentia*, & ἡ τῶν γυναικῶν ἀρετὴ πρὸς τὸ τίκτειν καὶ ἐκτρέφειν τὰ παιδία. *Mulierum fœcunditas, & tum ad pariendos, tum ad educandos liberos virtus prædicatur.* Pauſanias in Atticis non dubitat Gallos cæteris anteferre Θρᾳκῶν δὲ τὸ γένος τούτων οἵτινες πλείους εἰσὶ τῶν ἀνθρώπων, ὅτι μὴ Κελτοί, πρὸς ἄλλο ἔθνος ἓν ἀντεξεταζόντα. *Thraces vniuerſos, ſi Gallos exceperis, nulla gens numero vincit, ſi cum alia gente vna conferantur.* Taceo Alexandrinos & Ægyptios de quibus Cæſar triumphauit. vide orationem Agrippæ apud Ioſephum libro 2. belli Iudaici, Appianum præfatione operum, Theocritum Eidyllio de laudibus Ptolemæi: omnes paſſim geographos.

IV. LOCIS INFINITAS.] Amplitudinem Galliarum, Ægypti, Hiſpaniæ, Ponti, Mauritaniæ, quas gentes domuit Cæſar videre poſſis apud Geographos. Agrippa loco citato Britannos ait, τῆς καθ' ἡμᾶς οἰκουμένης οὐκ ἐλάσσονα νῆσον. *Huius habitabilis terræ non minorem inſulam* habitare. nondum videlicet ante Iulium Agricolam illius inſulæ magnitudinem agnouerant, vt refert in eius vita Cornelius Tacitus.

V. OMNI COPIARVM GENERE ABVNDANTES.] Hiſpaniæ opulentiam Latinus Pacatus, Galliarum Ioſephus cæteris gentibus anteponit. ille Panegyrico Theodoſij. *Sint, vt ſcribitur, Gargara prouentu læta tritici, Menania memoretur armento, Campania cenſeatur monte Gaurano, Lydia prædicetur amne Pactolo, dum Hiſpaniæ vni, quicquid laudatur, aſſurgat*, &c. Martianus Capella libro 6. Hiſpaniam *Opimam prouinciam, metallorum aurique fœtura, miri marmoris gemmarúmque muneribus prædicandam* eſſe teſtatur. Adſtipulatur Trogus Pompeius lib. 44. *Hæc inter Africam & Galliam poſita Oceani freto & Pyrenæis montibus clauditur, ſicut minor vtraque terra, ita vtraque fertilior*, &c. *in omnia frugum genera fœcunda eſt, adeo vt non ipſis tantùm incolis, verùm etiam Italiæ, vrbíque Romanæ cunctarum rerum abundantia ſufficiat.* ac nominatim de Luſitania, quam domuit Cæſar. *Auro* Hiſpaniæ & Luſitaniæ opulentia. *quoque ditiſſima, adeò vt etiam aratro frequenter glebas aureas exſcindant, in huius gentis finibus ſacer mons eſt, quem ferro violari nefas habetur, ſed ſi quando fulgure terra proſciſſa eſt, quæ in his locis aſſidua res eſt. detectum aurum velut Dei munus colligere permittitur.* vnde à Ioſepho in citata concione Agrippæ, Ἰβήρων ὁ γεωργούμενος χρυσὸς, *Hiſpanis agricultura effoſſum aurum* vocatur, qui tamen vt dixi Galliæ opulentiam cæteris anteponit. Locum integrum adferam quòd ſuperiùs dictis quadrare videatur. Ἀλλὰ μὴν εἴ γέ τινας εἰς ἀπόστασιν ὀρθὴν ἀφορμαὶ μεγάλαι παρώξυνεν, μάλιστα Γαλάτας ἔχρην, τοὺς οὕτως ὑπὸ τῆς φύσεως τετειχισμένους, ἐξ ἀνατολῆς μὲν ταῖς Ἄλπεσι, προσάρκτῳ δὲ Ῥήνῳ ποταμῷ, μεσημβρινοῖς δὲ τοῖς Πυρηναίοις ὄρεσιν, ὠκεανῷ δὲ πρὸς δυσμαῖς. ἀλλὰ καί τοι τηλικαῦτα μὲν ἕρκη περιβεβλημένοι, πέντε δὲ καὶ τριακοσίοις πληθύνοντες ἔθνεσι, τὰς δὲ πηγὰς, ὡς ἄν τις εἴποι, τῆς εὐδαιμονίας ἐπιχωρίους ἔχοντες, καὶ τοῖς ἀγαθοῖς σχεδὸν ὅλην ἐπικλύζοντες τὴν οἰκουμένην, ἀνέχονται Ῥωμαίων πρόσοδοι ὄντες, καὶ ταμιευόμενοι παρ' αὐτῶν Galliarum opulentia. τὴν οἰκείαν εὐδαιμονίαν. *Quod ſi quoſpiam oportebat ad defectionem magnis ad rebellandum commodis excitari, Gallos maximè decebat ipſius naturæ prouidentia quaſi muris vallatos, Alpibus ad Orientem, Rheno ad Septentrionem, ad Meridiem montibus Pyrenæis, Oceano ad occaſum. Verùm etſi tantis propugnaculis muniti ſint, & quinque ſupra trecentos populis abundent, ipſiuſque fœlicitatis fontes, vt ita loquar, indigenas habeant, quorum bonis vniuerſus terrarum orbis irrigetur, ſe Romanis vectigales eſſe ſuámque illis fœlicitatem conferre non grauantur.* Hinc illud Velleij libro 2. *Galliæ penè idem quod totus terrarum orbis ignauum conferunt ſtipendium.* ad has diuitias ſpectat ille corporis cultus, Gallorum luxus in veſtitu.

-aurea veſtis,
Virgatis lucet ſagulis: tum lactea colla
Auro innectuntur. 8. Æneidos.

Strabo: Χρυσοφοροῦσί τε γὰρ περὶ μὲν τοῖς τραχήλοις στρεπτὰ ἔχοντες, περὶ δὲ τοῖς βραχίοσι καὶ τοῖς καρποῖς ψέλια, καὶ τὰς ἐσθῆτας βαπτὰς φοροῦσι καὶ χρυσοπάστους οἱ ἐν ἀξιώματι. *Aurea illis ſunt geſtamina, collo quidem torques, manibus autem & lacertis armillæ, & qui in dignitate conſtituti ſunt, tinctas gerunt veſtes & auro pictas.* Exemplo ſit ille Luerius ex Strabone, ſiue Luernius ex Athenæo. Strabo: Βίτυος δὲ πρὸς τὸν Μάξιμον, καὶ τὸν Δομίτιον πολεμήσαντος, ὁ πατὴρ Λουέριος, τοσοῦτον πλοῦτον λέγεται καὶ τρυφὴν διενεγκεῖν, ὥστε ποτὲ ἐπίδειξιν ποιούμενος τοῖς φίλοις, τῆς εὐπορίας, ἐπ' ἀπήνης φέρεσθαι διὰ πεδίου, χρυσοῦν νόμισμα, καὶ ἀργύρεον διασπείρων ἄπειρον, ὥστε συλλέγειν ἐκείνους ἀκολουθοῦντας. *Bitto, qui cum Maximo & Domitio belligerauit, pater fuit Luerius, qui tantis opibus & lautitia excelluiſſe celebratus eſt, vt cùm aliquando familiaribus facultatum oſtentationem faceret, curru vectus per campum, nummos aureos & argenteos, huc & illuc diſpergeret, quos ſectantes illi colligerent.* Sed quoniam modum ſemel exceſſimus ipſa Athenæi lib. 4. verba, quæ adiectis quibuſdam Luernij diuitias liquidiùs oſtendunt, in mediũ proferamus. Luernij luxus.

Ἔτι ὁ Ποσειδώνιος διηγούμενος, καὶ τὸν Λουερνίου τοῦ Βιτύιτος πατρὸς πλοῦτον τοῦ ὑπὸ Ῥωμαίων καθαιρεθέντος, φησὶ, δημαγωγοῦντα αὐτὸν τοὺς ὄχλους ἐν ἅρματι φέρεσθαι διὰ τῶν πεδίων, καὶ σπείρειν χρυσὸν, καὶ ἄργυρον ταῖς ἀκολουθούσαις τῶν Κελτῶν μυριάσι, φράγμα τε ποιεῖν δωδεκαστάδιον τετράγωνον, ἐν ᾧ πληροῦν ληνοὺς πολυτελοῦς πόματος παρασκευάζειν τε τοσοῦτο βρωμάτων πλῆθος, ὥστ' ἐφ' ἡμέρας πλείονας ἐξεῖναι τοῖς βουλομένοις εἰσερχομένοις, τῶν παρασκευασθέντων ἀπολαύειν ἀδιαλείπτως διακονουμένοις. *Prætereà Poſſidonius Luernij diuitias enarrans qui fuit Bitontis illius pater quem Romani de medio ſuſtulerunt, eum ait populares auras aucupantem, ſublimem è curru per campos ingentem auri & argenti vim ſequentibus Gallorum myriadibus ſparſiſſe, ſeptúmque quadratum duodecim feciſſe ſtadiorum, in quo pretioſiſſimo vino lacus impleuit, tantámque eſculentorum copiam parauit, vt per plures dies*

quibúſque volentibus fas eſſet ingredi, epulíſque frui comparatis, & continuò ſubminiſtratis.

VI. Animus. ANIMVM.] Animus hoc loco idem atque θυμὸς Græcis. Interpres Ariſtophanis in illum Ranarum verſiculum,

Καὶ μὴ πρὸς ὀργὴν σπλάγχνα θερμήνῃς κότῳ.

Et non ad iram viſcera incendat dolor.

θυμός. ὀργή. κότος. χόλος. Θυμὸς γάρ ἐστιν, inquit, ζέσις τοῦ περὶ τὴν καρδίαν αἵματος δι' ὄρεξιν ἀντιλυπήσεως κινούμενος, ἡ ὀργὴ ἐναρχομένη, κότος δ' ὀργὴ ἐπιτηροῦσα, μῆνις δ' ὀργὴ εἰς παλαίωσιν ἀποτεθειμένη, χόλος δ' ὀργὴ οἰδοῦσα. ὀργὴ δ' ἐπιθυμία τιμωρίας τοῦ ἠδικηκέναι δοκοῦντος, ἢ λύπη μεθ' ὑπολήψεως τοῦ ὀλιγωρεῖσθαι. *Θυμὸς eſt ſanguinis circa cor ebullitio ex vindictæ cupiditate permoti, ira incipiens: κότος eſt ira vindictæ tempus obſeruans. μῆνις ira in vetuſtatem repoſita, χόλος ira intumeſcens, ira verò & deſiderium vindictæ, & vltionis in eum qui videtur iniuriam intuliſſe, aut triſtitia cum opinione contemptûs.*

VII. VINCERE.] Vide infrà 12. n. de iracundia mox dicetur.

VIII. ADVERSARIVM.] Hoſtem. ita Æſchylus initio Agamemnonis.

Δέκατον μὲν ἔτος τόδ' ἐπεὶ Πριάμου Μέγας ἀντίδικος
Μενέλαος ἄναξ ἠδ' Ἀγαμέμνων, &c.
Στόλον Ἀργείων χιλιοναύταν
Τῆς δ' ἀπὸ χώρας Ἦραν.

Iam decimus annus hic eſt, cùm Priami magnus aduerſarius Menelaus Rex, & Agamemnon claſſem Argiuorum mille nauium ab hac regione duxerunt. vbi Interpres, Ἀντίδικος ἀντὶ τοῦ ἐχθρὸς, ἀπὸ τῶν ἐν ταῖς δίκαις ἐχθρῶν. *Aduerſarius pro inimico,* mallem dixiſſet, *hoſte à contentionibus quæ in litibus oriuntur.*

IX. SIMILLIMVM DEO IVDICO.] Pro Ligario. 38. *Homines enim ad Deos nulla re propiùs accedunt, quàm ſalute hominibus danda. nihil habet nec fortuna tua maius quàm vt poßis: nec natura tua melius, quàm vt velis conſeruare quamplurimos.* Plinius libro 2. cap. 7 *Deus eſt mortali iuuare mortalem.* M. Antoninus Philoſophus epiſt. ad Fauſtinam apud Vulcatium Gallicanum in Auidio Caſſio. *Non enim quicquam eſt quod Imperatorem Romanum meliùs commendet, gentibus quàm clementia. Hæc Cæſarem Deum fecit: hæc Auguſtum conſecrauit: hæc patrem tuum in primis Pij nomine ornauit.* Themiſtius in Philadelphis: Clementia diuinũ quiddam. Ὁρᾶτε ὡς ὁ κεραυνὸς ὀλιγάκις, καὶ ἐπ' ὀλίγους. τὸ φῶς δ' ἁπανταχοῦ, καὶ ἐς ἅπαντας. οὐκ ἔξεστι οὖν πρὸς τὸν θεὸν ὁμοιωθῆναι, τῆς πρὸς ἀνθρώπους εὐνοίας ὀλιγωρήσαντας. *Videtis vt fulmen rarò vibretur & in paucos: lux autem vndequaque & in omnes emanet. non licet ergo iis qui beneuolentiam erga homines contempſerunt, ſimilitudinem cum Deo habere.* Item: Μόνον δ' ἐκεῖνο θεῖον ἀτεχνῶς καὶ οὐράνιον, ἐπ' ἐξουσίας ἔχειν, καὶ ἐν ῥᾳστώνῃ εὐδαιμονίαν ἀνθρώπων. καὶ τοῦτο ἡ θειότης ἐστὶν, ἐξ ἧς συνεχῶς ὑμᾶς ὀνομάζομεν. ἣν οὐχ ὅπου ἄλλως ἐπαληθεύεσθαι μὴ προτερούσης φιλανθρωπίας. οὐδὲ γὰρ σκέψις. Τριῶν ὄντων, οἷς ὁ θεὸς διαφέρων θεός ἐστιν, ἀϊδιότης ζωῆς, περιουσία δυνάμεως. τὸ μὴ διαλείπειν εὖ ποιεῖν ἀνθρώπους, καθ' ἓν μόνον τὸ ἔσχατον τῶν εἰρημένων ἐφικτὸν βασιλεῖ πρὸς τὸν θεὸν ἡ ὁμοιότης. *Solum autem illud ſincerè diuinum & cœleſte eſt, in poteſtate habere & facili negotio felicitatem hominum exequi: atque in hoc ipſo diuinitas conſiſtit, ex qua perpetuò vos nominamus: & quam nefas eſt aliter verè prædicari, quàm antegreſſa humanitate. ſic verò animaduerte. Cùm tria ſint quæ in Deo eximia extant, æterna vita, præſtantia potentiæ, beneficentia erga homines, ſine vlla intermißione, hoc tantùm verò quòd poſtremo loco dictum eſt, Rex ad ſimilitudinem cum Deo peruenire poteſt.* Syneſius de Regno: ὁ θεὸς αὐτὸς ἑαυτὸν ἐν τοῖς νοητοῖς στήσας ἀρχέτυπον ἰδέαν εἰκόνα τῆς προνοίας. *Deus ipſe ſeipſum in rebus intelligentibus ſtatuens exemplar, ſe prouidentiæ imaginem quandam effingit.* Et poſtquam multis Dei in homines beneuolentiam prædicauit, ſuadet ἐπιτηδεύειν τῇ μιμήσει, ἐπικλύζειν μὲν ἀγαθοῖς ἁπάσας τὰς πόλεις, κατασχεῖν δ' εὐδαιμονίαν, ὅσῃ δυνατὴ τῶν ἀρχομένων ἑκάστῳ. *Animum imitationi admouere, bonis omnibus vrbes inundare, totis viribus in vnumquemque ſubditorum felicitatem diffundere.* Vide plura in hanc ſententiam: Me iampridem rapit ad ſe Plutarchus, è quo vt plura proferam, tu, mi Lector, veniam intemperantiæ meæ largieris. Sic ille in Ariſtide: Πολιορκηταὶ, καὶ κεραυνοὶ, καὶ νικάτορες, ἔνιοι δ' ἀετοὶ καὶ ἱέρακες ἔχαιρον προσαγορευόμενοι, τὴν ἀπὸ τῆς βίας καὶ τῆς δυνάμεως (ὡς ἔοικε) μᾶλλον ἢ τὴν ἀπὸ τῆς ἀρετῆς δόξαν ἀγαπῶντες. Καίτοι τὸ θεῖον, ᾧ γλίχονται συνοικειοῦν, καὶ συναφομοιοῦν αὑτοὺς, τρισὶ δοκεῖ διαφέρειν, ἀφθαρσίᾳ, καὶ δυνάμει, καὶ ἀρετῇ, ὧν σεμνότατον ἡ ἀρετὴ καὶ θειότατόν ἐστι. ἀφθάρτῳ μὲν γὰρ εἶναι, καὶ τῷ κενῷ, καὶ τοῖς στοιχείοις συμβέβηκε· δύναμιν δὲ σεισμοὶ καὶ κεραυνοὶ, καὶ πνευμάτων ὁρμαὶ, καὶ ῥευμάτων ἐπιφοραὶ μεγάλην ἔχουσι. δίκης δὲ καὶ θέμιδος οὐδὲν, ὅτι μὴ τῷ φρονεῖν καὶ λογίζεσθαι, τὸ θεῖον μεταλαγχάνει. διὸ καὶ τριῶν ὄντων, ἃ πεπόνθασιν οἱ πολλοὶ πρὸς τὸ θεῖον, ζήλου, καὶ φόβου, καὶ τιμῆς, ζηλοῦν μὲν αὐτοὺς, καὶ μακαρίζειν ἐοίκασι κατὰ τὸ ἄφθαρτον, καὶ ἀΐδιον, ἐκπλήττεσθαι δὲ καὶ δεδιέναι κατὰ τὸ κύριον, καὶ δυνατὸν, ἀγαπᾶν δὲ καὶ τιμᾶν, καὶ σέβεσθαι κατὰ τὴν δικαιοσύνην. ἀλλὰ καίπερ οὕτω διακείμενοι, τῆς μὲν ἀθανασίας, ἣν ἡ φύσις ἡμῶν οὐ δέχεται, καὶ τῆς δυνάμεως, ἧς ἐν τῇ τύχῃ κεῖται τὸ πλεῖστον, ἐπιθυμοῦσι. τὴν δ' ἀρετὴν, ὃ μόνον ἐστὶ τῶν θείων ἀγαθῶν ἐν ἡμῖν, ἐν ὑστέρῳ τίθενται, κακῶς φρονοῦντες, ὡς τὸν ἐν δυνάμει καὶ τύχῃ καὶ ἀρχῇ βίον ἡ μὲν δικαιοσύνη ποιεῖ θεῖον, ἡ δ' ἀδικία θηριώδη. Dei vera imitatio. *Obſeſſores, fulmina, victores, nonnulli aquilæ & accipitres dici geſtiunt, violentiæ & poteſtatis, vt videtur, gloriam virtutis laudibus præferentes. Atqui diuina mens ad quam accedere, quam imitari deſiderant, tribus rebus videtur excellere, immortalitate, potentia, virtute. quarum illuſtrißima & diuinißima eſt virtus. Nam & inani & elementis incorruptibilitas conceſſa eſt, & potentiam terræ motus, & fulmina, & ventorum impetus, & fluminum impreßiones ingentem obtinent. At iuris rectique ne Deus quidem, niſi ſapiendo, & ratiocinando venit in conſortium. Quare cùm tria quoque ſint quibus affectum erga Deum vulgus eſt, quòd eum beatum putet, timeat, & honoret: beatum dicere videtur quia immortalis eſt, nec interit: exhorreſcere & metuere ob vim & potentiam: diligere & honorare & venerari iuſtitiæ cauſſâ. Atque cùm ita ſeſe res habeat, immortalitatem, cuius natura noſtra non eſt capax, & potentiam, cuius maxima in fortuna poſita vis eſt, affectant: virtutem verò, quod ex diuinis vnum bonum in nobis habemus, flocci faciunt malè conſulti: ſiquidem vitam, potentia, proſperitate, principatu præditorum iuſtitia diuinam efficit, iniquitas belluinam.* Sed vide Notas noſtras in locum citatum Ligarianæ.

ARGVMENTVM.

Pergit in comparatione virtutis militaris: & clementiæ laudem tum ab iracundiæ, tum à victoriæ natura & conditione demonſtrat.

IX. ITAQVE, C. Cæſar, bellicæ tuæ laudes celebrabuntur illæ quidem, non ſolùm noſtris, ſed penè omnium gentium litteris, atque linguis, neque vlla vſquam ætas de tuis laudibus conticeſcet. Sed tamen eiuſmodi res, neſcio quomodo, etiam dum audiuntur, aut dum leguntur, obſtrepi clamore militum videntur, & tubarum ſono. At verò cùm aliquid clementer, manſuetè, iuſtè, moderatè, ſapienter factum, in iracundia præſertim, quæ eſt inimica conſilio, & in victoria, quæ naturâ inſolens & ſuperba eſt, aut audimus, aut legimus, quo ſtudio incendimur, non modò in geſtis rebus, ſed etiam in fictis? vt eos ſæpe quos nunquam vidimus, diligamus.

EXPLANATIO.

ITAQVE.] Gloria militaris, quam adeptus es tot bellorum & ciuilium, & externorum victoriis celebrabitur, non ſolùm ab oratoribus hiſtoricis, & Poëtis Latinis, ſed etiam à Græcis & Barbaris: neque de tuis laudibus vlla vnquam obmuteſcet vetuſtas. Quidam critici legere malunt *linguis atque litteris*, quàm *litteris atque linguis*, quòd is ordo verborum magis ipſorum auribus arrideat. nihil muto.

SED TAMEN.] Tamen laus illa militaris, quia non propria imperatoris, ſed militibus communis eſt, etiam dum auditur, ab Oratoribus celebrari, aut legitur in Poëtis & hiſtoricis, non perfectè & integrè intelligitur, quaſi oratori dicenti, aut lectori poëmata & hiſtorias recitanti, militum clamor, & tubarum clangor obſtreperet, & auditionem impediret.

AT VERO.] Clementiæ laudes ab iracundiæ natura ſic exaggerat.

Magnum quiddam eſt, & ſummopere laudandum, rem inimicam rationi, conſilio & ratione moderari.

Sed iracundia eſt inimica rationi.

Ergo magnum quiddam & ſummopere laudandum iracundiam moderari.

Subſumit:

Clementia iracundiam moderatur.

Ergo, &c.

Eodem modo colligit à naturæ victoria.

Magnum eſt ſibi moderari in re quæ natura eſt inſolens & ſuperba.

Sed victoria natura eſt inſolens & ſuperba.

Ergo magnum eſt ſibi in victoria moderari.

Tantúmque abeſt, vt clementiæ laudibus obſtrepatur, vt potiùs omnes faueant & incendantur, non ſolum in veris laudibus, ſed etiam in fictis & fabuloſis.

NOTÆ.

I. OMNIVM GENTIVM.] Hieronymus epiſt 8. tomi I. ad Demetriadem de virginitate ſeruanda: *Omniúmque gentium litteris atque linguis in Eccleſiis Agnes vita laudata eſt.* in Miloniana 98. *De me*, inquit, *ſemper populus Romanus, ſemper omnes gentes loquentur, nulla vnquam obmuteſcet vetuſtas.* vide Notas.

OBSTREPI CLAMORE.] Propè abeſt vt huc traham illud Lyrici 2. carminum, Ode I. II.

Iam nunc minaci murmure cornuum
Perſtringis aures, iam litui ſtrepunt:
Iam fulgor armorum fugaces
Terret equos, equitúmque vultus.
Audire magnos iam videor duces
Non indecoro puluere ſordidos &c.

in hiſtoria bellorum ciuilium ſcripta ab Aſinio Pollione. Petronius de bello ciuili.

Iam fragor armorum trepidantes perſonat aures.

Valerius lib. 8. cap. 15. *Iam quæ in Cn. Pompeium, & ampla & noua coniecta ſunt, hinc aſſenſione fauoris, illinc fremitu inuidiæ litterarum monumentis obſtrepuntur.*

IVSTITIA.] Mirum videri poſſit cur Marcelli reſtitutio, ſiue condonatio iniuriæ, iuſtitiæ tribuatur. cùm magiſter ipſius Plato in Critone multis confirmet iniuſtum eſſe referre iniuriam, & tandem ita concludat. Οὔτ' ἄρα ἀνταδικεῖν δεῖ, οὔτε κακῶς ποιεῖν οὐδένα ἀνθρώπων. οὐδ' ἂν ὁτιοῦν πάσχῃ ὑπ' αὐτῶν. *Neque igitur viciſſim iniuriam referre oportet, neque malè facere cuiquam mortalium, quodcunque damnum ab ipſis acceperit.* Ratio eſt. ἐπειδή γε οὐδαμῶς δεῖ ἀδικεῖν. *quandoquidem nullo pacto iniuſtè faciendum eſt.* Maximus Tyrius Platonicorum, vt mihi ſaltem videtur, diſertiſſimus orationem habet, περὶ τοῦ εἰ τὸν ἀδικήσαντα ἀνταδικητέον, *an referenda ſit iniuria.* Vbi tum alia multa habet, tum illud pulcherrimum. ἔστι γὰρ οὖν ἀδικίας πρὸς ἀδικίαν ὑπερβολή· ὁ τιμωρῶν τοῦ προϋπάρξαντος ἀδικώτερος, ὁ μὲν γὰρ ὑπ' ἀμαθίας ἐπὶ τὸ ἀδικεῖν ἐλθὼν ἔχει τὴν δίκην ἐκ τοῦ ψόγου. ὁ δ' ἐπεξιὼν προσλαβὼν ἐκ τοῦ ὁμοίου τὸ ἄδικον, ἀφῄρηκεν ἐκείνου τὸ ἐπίψογον. *Si quis eſt iniuſtitiæ ad iniuſtitiam exceſſus, qui vlciſcitur, eo qui prior fecit iniuriam eſt iniuſtior. Ille enim ex ignoratione ad iniuriam progreſſus, delicti ſui præmium in infamia habet: at qui iniuriam reddit, cùm ex ſimili iniuſtitiam acceperit, illius infamiam in ſe deriuat.* III. Iniuſtum eſt referre iniuriam.

IRACVNDIA.] Plutarchus opuſculo περὶ ἠθικῆς ἀρετῆς explicat quid ſit iracundia his verbis. IV.
Τρία ταῦτά φασι περὶ τὴν ψυχὴν ὑπάρχειν, δύναμιν, πάθος, ἕξιν. ἡ μὲν οὖν δύναμις ἀρχὴ καὶ ὕλη τοῦ πάθους, οἷον ὀργιλότης, αἰσχυντηλία, θαρραλεότης. τὸ δὲ πάθος κίνησίς τις

ἤδη τῆς δυνάμεως, οἷον ὀργὴ, θάρσος, αἰδὼς, θράσος. ἡ δὲ ἕξις ἰσχὺς καὶ κατασκευὴ, τῆς περὶ τὸ ἄλογον δυνάμεως ἐκ ἔθους ἐγγινομένη, κακία μὲν αὖ φαύλως, ἀρετὴ δ' αὖ καλῶς ὑπὸ τοῦ λόγου παιδαγωγηθῇ τὸ πάθος. *Tria hæc dicunt ineſſe animæ, potentiam, paſsionem, habitum. potentia eſt velut principium & materia paſsionis, veluti iracundia, verecundia, audacia. Paſsio verò motus quidam eſt potentiæ, vt ira, audacia, pudor, habitus verò vis & præparatio quædam potentiæ in parte hominis rationis experte, è conſuetudine progenita malitia quidem ſi male, virtus verò ſi bene magiſterio rationis paſsio gubernetur.* Scio me non vſquequaque ſenſum attigiſſe, ſed hîc propriè loqui non patitur.

--patrij ſermonis egeſtas.

V. Ira habet aliquid rationis. INIMICA CONSILIO.] Eam tamen philoſophus libro 7. Ethic. Nicomach. cap. 6. teſtatur aliquid habere rationis. Ἔοικε ὁ θυμὸς ἀκούειν μέν τι τοῦ λόγου, παρακούειν δὲ καθάπερ οἱ ταχεῖς τῶν διακόνων, οἳ πρὶν ἀκοῦσαι πᾶν τὸ λεγόμενον, ἐκθέουσιν, εἶθ' ἁμαρτάνουσι τῆς προστάξεως, καὶ οἱ κύνες πρὶν σκέψασθαι, εἰ φίλος, ἂν μόνον ψοφήσῃ, ὑλακτοῦσιν. οὕτως ὁ θυμὸς διὰ θερμότητα καὶ ταχυτῆτα ὁρμᾷ πρὸς τὴν τιμωρίαν. *Videtur quidem ira rationem audire, ſed perperam audire. quemadmodum ſerui celeres, qui prinſquam totum quod dicitur audiuerint, excurrunt; deinde in executione peccant, aut canes, qui priuſquam conſiderauerint, ſint amici nécne, quidquid inſonuerit, allatrant. Ita ira præ calore & celeritate cum impetu ruit ad expetendam vltionem.*

VI. Victoria inſolens. VICTORIA QVÆ NATVRA INSOLENS EST ET SVPERBA.] Valerius lib. 5. in fine capitis primi. *victoriæ inſolentiſsimos ſpiritus* appellat. Talis fuit Brenni victoris inſolentia, cùm Romanis mille pondo auri ſe redimētibus, vt auctor Liuius libro 5. *Additus ab inſolente Gallo ponderi gladius, auditáque intoleranda Romanis vox,* VÆ VICTIS *eſſe.* Talis vt refert Soſimus lib. 5. Alarici Romam obſidentis, qui ἐπειδὴ εἰς τοὺς περὶ τῆς εἰρήνης ἐληλύθασι λόγους, ἐχρῆτο ῥήμασιν ἐπέκεινα πάσης ἀλαζονείας βαρβαρικῆς. ἔλεγε γὰρ οὐκ ἄλλως ἀποστήσεσθαι τῆς πολιορκίας εἰ μὴ τὸν χρυσὸν ἅπαντα ὅσον ἡ πόλις ἔχοι, καὶ τὸν ἄργυρον λάβοι. πρὸς τούτοις ὅσα ἐν ἐπίπλοις εὕροι κατὰ τὴν πόλιν, καὶ ἔτι τοὺς βαρβάρους οἰκέτας. εἰπόντος δὲ τῶν πρέσβεων ἑνὸς, εἰ ταῦτα λάβοις τί λοιπὸν ἔτι τοῖς ἐπὶ τῇ πόλει καταλιμπάνεις; τὰς ψυχὰς, ἀπεκρίνατο *Poſtquam in ſermones de pace ineunda venerunt, verbis vſus eſt quæ omnem barbaricam inſolentiam ſuperarent. Dicebat enim ſe priùs ab obſidione non deſtiturum, quàm omne aurum & argentum, quod in vrbe erat, accepiſſet. Ad hæc quidquid in ſupellectile totius vrbis eſſet inuentum, & præterea ſerui barbari. Diceuti verò è legatis vni, ſi hæc acceperis, quid ciuitati relinques? animas reſpondit.* Talis inſolentia Sexti Pompeij victoris cum Auguſtus vna æſtate bis feciſſet naufragium, vt auctor eſt Dio libro 48. verba ſunt Appiani 5. ciuilium: Φασὶ δ' αὐτὸν ὑπὸ τῶνδε χαυνούμενον, καὶ τὴν συνήθη τοῖς αὐτοκράτορσι χλαμύδα ἐκ φοινικῆς ἐς κυανῆν μεταλλάξαι ἑσποιούμενον ἄρα τῷ Ποσειδῶνι. *Tradunt eum his victoriis inſoleſcentem, ſolemne imperatoribus paludamentum punicei coloris in cœruleum mutaſſe, tanquam à Neptuno fuiſſet in filium adoptatus.* Quin immò noſtri Cæſaris in victoria Pharſalica inſepultos ciues relinquentis inſolentiam grauiter inſectatur. Lucanus lib. 7.

Ac ne læta furens ſcelerum ſpectacula perdat
Inuidet igne rogi miſeris, cœlóque nocenti
Ingerit Emathiam, non illum Pœnus humator
Conſulis, & Lybicâ ſuccenſæ lampade Cannæ
Compellunt, hominum ritus vt ſeruet in hoſtes,
Sed meminit nondum ſatiatâ cædibus irâ
Ciues eſſe ſuos, &c.

Præclarè Plato 1. de legibus: Παιδεία μὲν οὖν φέρει καὶ νίκην, νίκη δ' ἐνίοτε ἀπαιδευσίαν. πολλοὶ γὰρ ὑβριστότεροι διὰ πολέμων νίκας γενόμενοι, μυρίων ἄλλων κακῶν δι' ὕβριν ἐνεπλήσθησαν, καὶ παιδεία μὲν οὐδὲ πώποτε γέγονε Καδμεία, νῖκαι δ' ἀνθρώποις πολλαὶ δὴ τοιαῦται γεγόνασί τε καὶ ἔσονται. *Bona igitur & modeſta inſtitutio parit victoriam, victoria verò interdum inſolentiam. Multi enim inſolentiores ob victorias bellicas effecti, propter inſolentiam in calamitates innumeras inciderunt. Et inſtitutio quidem nunquam facta eſt Cadmia (vnius diei) victoriæ verò multæ huiuſmodi hominibus & hactenus contigerunt, & in poſterum contingent.*

AXIOMATA.

Iracundia eſt inimica conſilio.
Victoria naturâ inſolens eſt & ſuperba.
Frequenter euenit vt eos, quos nunquam vidimus, diligamus.

ARGVMENTVM.

Cæſari gratulatur, eúmque ſummis omnium ſtudiis proſequendum ait, tùm quòd nobiliſsimam Marcellorum familiam ab interitu vindicarit, tùm quòd reliquos omnes ad bene de recuperanda priſtina dignitate & libertate ſperandum erexerit.

TE verò, quem præſentem intuemur, cuius mentem, ſenſúſque, & X. os cernimus, vt quidquid belli fortuna reliquum Reipub. fecerit, id eſſe ſaluum velis, quibus laudibus efferemus? quibus ſtudiis proſequemur? qua beneuolentia complectemur? parietes medius fidius, C. Cæſar, vt mihi videtur, huius curiæ tibi gratias agere geſtiunt, quòd breui tempore futura ſit illa auctoritas in his maiorum ſuorum, & ſuis ſedibus. Equidem cùm C. Marcelli, viri optimi, & commemorabili pietate, ac virtute præditi, lachrymas modò vobiſcum viderem, omnium Marcellorum meum pectus memoria effodit. quibus tu etiam mortuis, M. Mar-

cello conſeruato, dignitatem ſuam reddidiſti, nobiliſſimámque familiam, iam ad paucos redactam pænè ab interitu vindicaſti.

EXPLANATIO.

TE VERÒ.] *Multò magis eum amare debemus, cuius præſentis clementiam experimur, quàm eorum quorum in hiſtoriis vel fabulis clementia celebratur.*

Sed eos multùm amamus, quorum in hiſtoriis vel fabulis clementia celebratur.

Ergo te, cuius præſentis clementiam experimur, multò magis amare debemus.

Propoſitio ſubiicetur: aſſumptio ſuperiore paragrapho, concluſio præſenti continetur.

CVIVS MENTEM.] Qui tam certis argumentis oſtendis te illorum ſaluti & incolumitati conſulere qui ſuperfuerunt è ſtrage bellorum ciuilium, vt tuam illam mentem & voluntatem, non argumentis & rationibus colligere, ſed ipſis, vt ita dicam, corporis oculis intueri videamur.

SENSVSQVE ET OS.] Lege *ſenſuſque eos*, id eſt *tales*.

QVIBVS LAVDIBVS EFFEREMVS.] Vereor vt his verbis Cæſarem obliquè carpat. duplici enim ſenſu poteſt intelligi, nam & qui laudantur, laudibus efferri dicuntur: & qui præeuntibus Præficis mortuorum laudes cantantibus, ad ſepulturam efferuntur. Sic aliquot pòſt annis, poſt obitum Hirtij & Panſæ conſulum, *Cicero, inſito amore, Pompeianarum partium Cæſarem* Octauium *laudandum & tollendum cenſebat; cùm aliud diceret, aliud intelligi vellet* verba ſunt Velleij. & ſanè multa noua & inuſitata honoris prætextu, nec tam per adulationem quàm ad Cæſaris ſugillationem decreta fuiſſe narrat Dio libro 44. ſicut & illud ambiguum eſt *quibus ſtudiis proſequemur?* nam & qui Cæſarem odio proſequebantur, id ſtudio Pompeianarum partium faciebant, ne tamē Cæſaris animum offendat, addit citra amphilogiam, *qua beneuolentia complectemur?*

PARIETES.] Ab effectis clementiam Cæſaris laudat, per proſopopœiam ipſius curiæ Cæſari gratias agere geſtientis: Tanta, inquit, tuæ humanitatis lux oborta eſt, tanta recuperandæ libertatis ſpes affulſit, vt parietes huius curiæ tibi gratias agere geſtiant, quòd per tuam clementiam, & hæ ſedes breui tempore ſuam obtenturæ ſint priſtinam dignitatem, & hi qui in Senatu ſedent, eandem auctoritatem ſint recepturi, quā maiores ipſorum obtinebant. atque hic eſt prior effectus clementiæ Cæſaris, quòd *Senatoribus omnibus ad benè de omni Rep. ſperandum, quaſi ſignum aliquod ſuſtulerit.* Vel potiùs ſic intellige. Parietes huius curiæ tibi gratias agere geſtiunt, quòd Marcellus ille vir ſummæ auctoritatis breui tempore futurus ſit in his ſedibus maiorum ſuorum, & ſuis, id eſt in Senatu, vbi tùm Maiores Marcelli, tùm Marcellus ipſe magnâ auctoritate dixerunt ſententias. auctoritas metonymicè pro Senatore magnæ auctoritatis.

EQVIDEM.] Alter effectus clementiæ, quòd nobiliſſimam Marcellorum familiam ab interitu vindicarit.

C. MARCELLI.] Fratris, de quo epiſt. 4. lib. 4. ad Famil. qui cùm à L. Piſone mentio facta eſſet de Marcello in Senatu ad Cæſaris pedes ſupplex acceſſit, & fratris ſui reditum eſt deprecatus.

MEMORIA EFFODIT.] Perculſit mihi animū adeò, vt clariſſimorum virorū memoria, qui tam benè meriti ſunt de Rep. magnopere me commouerit, & pectus quaſi telo doloris confoſſum ad miſericordiā excitarit. legunt alij *perfodit.*

CONSERVATO.] Patriæ reſtituto.

AD PAVCOS.] Vix reperias vllum Marcellum, præter hunc Marcum, & duos Caios, alterum Marci fratrem, alterum patruelem: qui omnes conſules fuerant paulo ante bella ciuilia.

NOTÆ.

SENSVSQVE ET OS CERNIMVS.] Eumenius Paneg. Conſtantini: *Nos tamen qui mitiſſimos ſenſus tuos intuemur, nihil enim eſt tam perſpicuum, quàm in pectore tuo bonitas*, &c. I.

BELLI FORTVNA.] Pyrrhus Ennianus apud Tullium. II.

Quorum virtuti belli fortuna pepercit
Eorundem me libertati parcere certum eſt.

PARIETES.] Auctor Paneg. Conſtātino dicti: *Tecta ipſa, vt audio, commoueri & altitudo culminum videbatur attolli, quacunque numen tuum tardo molimine curru inuehebatur.* Nec abludit Cl. Mammertinus Genethliaco Maximiani Auguſti. *Vt verò limine egreſſi per mediam vrbem ſimul vehebamini, tecta ipſa, vt audio, penè commouerūt*, &c. Item: *Ipſa etiam gentium Domina Roma immodico propinquitatis veſtræ elata gaudio, vóſque è ſpeculis ſuorum montium proſpicere conata, quo ſe vultibus veſtris propiùs expleret, ad intuendum cominus propiù acceſſit.* Meliùs, opinor, Noſter, qui huiuſmodi hyperbolem vſurpat nō in narratione, ſed in motu, quaſi animus lætitiâ delibutus, & quaſi ebrius, verum non poſſet ad liquidum intueri, ſed parietes ipſos exilientes & lætitiâ geſtiētes ſibi videre videretur. Chryſoſtomus de terræ motu, Σήμερον οἱ τοῖχοι καὶ φωνὴν ἱᾶσι. *Hodie parietes etiam vocem emittūt.* Cæterùm notabis aliud eſſe parietes, aliud muros, aliud mœnia. parietes quibus domus à ſe inuicem, & in eadem domo cubicula diuiduntur. muri vel publici, vel priuati: priuati ſunt ædificiorum priuatorum, qui vicum attingunt: publici vel templorum, vel vrbium: mœnia propriè ſunt vrbium munimenta & ſepimina. Ammonius in differentiis: Τείχη καὶ τειχία διαφέρουσι. τείχη μὲν γάρ ἐστι τὰ τῆς πόλεως· τειχία δὲ τὰ τῶν οἰκιῶν. *Mœnia & parietes differunt. mœnia enim ſunt vrbium, parietes verò domorum.* adſtipulatur Heſychius ex Homero. nec ſolùm τεῖχος dicitur paries, ſed etiam τοῖχος ὁ. quamuis aliò ſenſu, & pro quouis adminiculo, vt iam alibi monuimus, Nonnus vſurpat cap. 6. paraphraſis in Ioannem. III. Parietes. Muri. Mœnia.

--καὶ ἕκαστος ἐρείδετο γείτονι τοίχῳ
Κεκλιμένοι στοιχηδὸν ἐπ' εὐπετάλοιο τραπέζης.
-vicino pariete fulti
Ordine quiſque ſuo menſa viridante iacebant.

Loquitur de illis quinque millibus qui in fœno recubabant, & in Dionyſiacis.

Καί τις ἀερσιπόδης ἐλέφας παρὰ γείτονι τοίχῳ

Ὄρθιος

Ὄρθιον ὕπνον ἴαυεν ὑπὸ δρυὶ νῶτον ἐρείσας.
Sublimíſque elephans vicino pariete fultus
Ad quercum erecti carpebat munera ſomni.

Portius Latro hunc locum præ oculis videtur habuiſſe. *Putate denique ciues omnes ob retentam vitam ac libertatem ſuam, Penates publicos pro conſeruatis focis atque aris, parietes vrbis pro teterrimo genere vaſtitatis propulſato, fermè incredibili gaudio exultaturos.*

IV. Medius fidius. MEDIVS FIDIVS.] Vide Sextianam 20. vbi retulimus de hac iuriſiurandi forma varias Grammaticorum ſententias, & in Piſonem 33. quædam ex hiſtoria libauimus. Monendus eſt tamen hic obiter lector, me tum ſecutum fuiſſe Gelenij verſionem, cùm vulgata Dionyſij Halicarnaſſei editio nullam faciat Medij fidij mentionem: Ἐγκύμων ἐκ τοῦ δαίμονος, ὡς ἅπασιν ἐδόκει, γενομένη τίκτει παῖδα, Μόδιον ὄνομα, Φαβίδιον ἐπίκλησιν. *A loci Genio compreſſa, vt vulgo viſum eſt, filium edidit nomine Modium, Fabidium cognomine.* Non putaui tamen temerarium eſſe quòd ita Gelenius edidiſſet, cùm præſertim ad Lapi marginem ea vox adſcripta reperiatur, neque probabile ſit vllum Modij Fabidij nomine à Curibus fuiſſe cultum, diuiníſque honoribus mactatum, cùm nullum apud Romanos numen & religionem inuenerit.

V. VT MIHI VIDENTVR.] Seneca Rhetor ſuaſoria prima. *Virgilius ait de nauibus*
Credas innare reuulſas Cycladas.
Non dicit hoc fieri, ſed videri. Propitiis auribus auditur, quamuis incredibile eſt quod excuſatur, antè quam dicitur. Philipp. 2. 57. *Oceanus, medius fidius, vix videtur tot res tam diſſipatas, tam diſtantibus in locis poſitas tam citò abſorbere potuiſſe.*

VI. Geſtire. GESTIVNT.] Id eſt geſticulis quibuſdam facilioribus, lætitiæ indicibus conceptum gratias agendi deſiderium expromunt, vt explicant partim Marcellus, partim Priſcianus. vulgo, *ils fretillent de faire cela.* Virgilius I. Georg.
Et ſtudio incaſſum videas geſtire lauandi.
Sic dictum videtur, quòd animus, vt ita loquar, per geſtus foras ſe egerat & exiliat. Catullus in nuptiis Pelei.
Qui dum aliquid cupiens animus prægeſtit apiſci
Nil metuunt iurare, nihil promittere curant.
Noſter in Cœliana: *Prægeſtit animus iam videre primùm lautos iuuenes,* &c. Lucilius lib. 30. apud Nonnium:
Quanto haurire animus muſarum è fontibus geſtit.
quæ geſtientis animi trepidatio à Poëta luculentè deſcribitur:
Μαιμῶσιν καθύπερθε πόδες, καὶ χεῖρες ὕπερθεν.

TANTA AVCTORITAS.] Tropus frequens vt pro Milone 101. *Hæc tanta virtus ex hac vrbe expelletur.* Id eſt, *Milo tanta virtute præditus.* Horat. VII.
Virtus Scipiadæ & magni ſapientia Lælij.
Id eſt, *Fortis Scipio, & Lælius ſapiens.*
Item: *Narratur & priſci Catonis*
Sæpe mero caluiſſe virtus.
Homerus 4. Iliados & alibi: Βίη Ἡρακληείη.
Robur Herculeum. Id eſt, *Robuſtus Hercules.*
Pindarus Olympiorum ode 8. ſtrophe 3.
ἐν δ' ἀρετὰν ἔβαλεν καὶ χάρματ' ἀνθρώποισι
Προμαθέος αἰδώς.
Virtutem verò immiſit & gaudia hominibus
Promethei reuerentia. id eſt,
Prometheus reuerendus.
adeò noua non eſt illa religioſorum, Italorum præſertim appellatio, qua ſuos illi ſacerdotes cópellant. *Illa* igitur *auctoritas,* idem erit, atque Marcellus ille tantâ auctoritate præditus. poſt reditum in Senatu 12. *Vbi nobis hæc auctoritas tanta tamdiu latuit?* Plinius Iunior panegyrico Traiani videtur etiam hunc locum imitatus. *Muta quidem illa & animâ carentia, ſentire tamen & lætari videntur, quòd niteant, quòd frequententur, quòd aliquando cœperint eſſe domini non ſeruientis.* VIII.

NOBILISSIMAM.] Vide §. 4. Nota I.

ARGVMENTVM.

Rurſus ad cauſſam efficientem regreſſus, oſtendit hoc clementiæ factum proprium eſſe Cæſaris: neque vllos eſſe comites qui ſibi quicquam ex eâ laude decerpant: deinde gloriam bellicæ virtutis cum clementiæ laude confert: & hanc illi ſic anteponit vt gloriam militarem occaſuram eſſe dicat, niſi clementiæ gloriâ fulciatur.

HVNC tu igitur diem tuis maximis, & innumerabilibus gratulationibus iure antepones. hæc enim res vnius eſt propria Cæſaris: cæteræ duce te geſtæ, magnæ illæ quidem, ſed tamen multo magnóque comitatu: huius autem rei tu idem es & dux, & comes: quæ quidem tanta eſt, vt trophæis, monumentíſque tuis, non vlla vnquam allatura ſit finem ætas. nihil enim eſt opere, aut manu factum, quod aliquando non conficiat, & conſumat vetuſtas. at verò hæc tua iuſtitia, & lenitas animi floreſcet quotidie magis, ita, vt quantum operibus tuis diuturnitas detrahet, tantum afferat laudibus. XI.

EXPLANATIO.

HVNC TV.] *Laus propria & ſingularis vulgari & communi cum aliis eſt præferenda.*
Sed laus clementiæ propria eſt & ſingularis, laus bellica communis cum multis.
Ergo laus clementiæ eſt bellicæ laudi præferenda.

MAXIMIS ET INNVMERAB.] Supplicationibus deorum quindecim & viginti quæ tibi in Galliis agenti frequenter à Senatu decretæ ſunt. præter varios honores, qui tibi poſt deuictum Pompeium delati ſunt à Senatu. vide Dionem, Tranquillum, alios.

HÆC ENIM RES.] Aſſumptio ſyllogiſmi.

QVÆ QVIDEM.] His verbis propoſitio continetur, obſcuriùs illa quidem ſed tamen continetur. quæ probari poteſt hoc veluti ſyllogiſmo.

Præferenda eſt gloria quæ quotidie floreſcit magis & magis, illique vetuſtate conſumitur.

Sed laus clementiæ & vni propria floreſcit quotidie magis & magis, laus virtutis bellicæ vetuſtate conſumitur.

Ergo laus clementiæ eſt laudi bellicæ præferenda.

Hic turpem maculam ſubeſſe putat Victorius, & dubitari non poſſe, quin ita legendum ſit: *Vt nonnulla trophæis monimentiſque tuis allatura ſit finem ætas.* quam, vt ait, opinionem confirmant verba quæ ſequuntur. adſtipulatur Lambinus, ſed pace tantorum virorum: ſi ita legatur non video quomodo cohærere poſſit oratio. Quid enim illud eſt, *Laus tua clementiæ tanta eſt, vt trophæis tuis & laudi bellicæ allatura ſit finem ætas?* quaſi verò ſi clemens non fuiſſet Cæſar, immortalem virtutis bellicæ gloriam fuerit habiturus. quare ſic interpretor. Laus tuæ clementiæ tanta eſt, vt tropæis monumentiſque tuis nulla vnquam allatura ſit finem ætas, immortalitate ex illis clementiæ tuæ laudibus in gloriam bellicam redundante: quæ clementia ſi abeſſet, ætas tropæis monumentiſque tuis finem adferret. quia *nihil eſt opere, aut manufactum.* &c. *Trophæis:* arcubus triumphalibus, monumentis, templis.

Conficiat.] Violentia, vt fulminibus, imbribus, terræmotu, &c.

Consvmat.] Paulatim & ſenſim ſine ſenſu carpat, & deterat. quamuis etiam nonnunquam dicitur aliquid celeriter conſumi, vt 2. Philipp. 57.

Hæc tva ivstitia.] Qua noluiſti ſeueriùs aduertere in eos qui aliqua quidem culpa tenebantur erroris humani, dum ſecuti ſunt bella ciuilia: ſed tamen à ſcelere liberati erant.

Lenitas] Qua pepèrciſti eis, in quos licet ſcelere non tenerentur, tamen iure victoriæ animaduertere potuiſſes.

Florescet.] Clarior in dies euadet, vt quantùm vetuſtas tropæis & monumentis tibi erectis detrahet & deminuet, tantùm eadem vetuſtas adferat laudibus tuæ clementiæ, & laudes tuas bellicas efficiat clariores.

NOTÆ.

I. Honores Cæſari decreti. Gratvlationibvs.] Quæ gratulationes Cæſari decretæ ſint à Senatu etiam ante bella ciuilia tradit ipſe, libro 2. de bello Gallico extremis verbis: *Ob eaſque res ex litteris Cæſaris, dies* xv. *ſupplicatio decreta eſt, quod ante id tempus acciderat nulli.* Et libro 4. item exeunte: *His rebus geſtis ex litteris Cæſaris dierum viginti ſupplicatio à Senatu decreta eſt.* quod iterum libro 7. ſibi contigiſſe teſtatur. Quæ item confectis bellis ciuilibus, videre eſt apud Dionem libro 43. Τεσσαράκοντά τε γὰρ ἡμέρας ἐπὶ τῇ νίκῃ αὐτοῦ θύειν ἔγνωσαν. *Dies quadraginta ob partam ab eo victoriam ſupplicationem ei decreuerunt.* Ἅρμα τέ τι αὐτοῦ ἐν τῷ Καπιτωλίῳ ἀντιπρόσωπον τῷ Διῒ ἱδρυθῆναι, καὶ ἐπὶ εἰκόνα αὐτὸν τῆς οἰκουμένης ἐπιβαθῆναι ἐπιγραφὴν ἔχοντα, ὅτι ἡμίθεός ἐστι. *Sellam curulem ei in Capitolio è regione Iouis poni decreuerunt: eúmque orbis terrarum imaginem pedibus calcare, cum hac inſcriptione,* Heroi. vt alios prætermittam honores quamplurimos. vide locum & initium libri ſequentis.

Tropæis.] Vide Piſonianam 91. II.

Monvmentisqve.] Monumenta ſunt arcus, pyramides & cætera ad poſteritatis memoriam conſtituta, quibus vt Ennianum vſurpem: III.

Ædificant nomen.

De tropæis Cæſaris nominatim vide infrà 29. & 2. Philipp. 98.

Manv factvm.] Artefactum Ariſtoteles libro 4. de partibus animalium: ἡ δὲ χεὶρ ἔοικεν εἶναι οὐχ ἓν ὄργανον, ἀλλὰ πολλά. ἔστι γὰρ ὡσπερεὶ ὄργανον πρὸ ὀργάνων. τῷ οὖν πλείστας δυναμένῳ δέξασθαι τέχνας, τὸ ἐπὶ πλεῖστα τῶν ὀργάνων χρήσιμον τὴν χεῖρα ἀπέδωκεν ἡ φύσις. *Manus verò non videtur vnum eſſe inſtrumentum, ſed multa. Eſt enim tanquam inſtrumentum ante cætera inſtrumenta. homini itaque multarum artium capaci, manum ad plurima inſtrumenta vtilem natura conceßit.* hinc frequenter ars ipſa manus vocatur, vt primo Æneidos: IV Manufactum manus.

Quale manus addunt ebori decus.

Martialis lib. 9. ep. 40.

Pocula Mentoreâ nobilitata manu.

alias manus dicitur ipſum artefactum. Propertius lib. 3. eleg. 20.

Aut certè tabulæ capient mea lumina pictæ,
Siue ebore exactæ, ſeu magis ære manus.

Gloſſæ χειροποίητος *manufactus*, χειροτέχνης *opifex*. Poëtæ etiam dicunt χειρόκμητον.

Florescet qvotidie magis.] Ennius: V.

Ergo póſtque magíſque viri nunc gloria claret,

nec alio ſenſu Lyricus:

Creſcit occulto velut arbor æuo
Fama Marcelli.

Eóque propiùs ad Ciceronem accedit, quòd ille gloriam cum arbore confert, hic cum arbore floreſcente, vt & 5. Tuſculana. *Vera gloria radices agit atque etiam propagatur.* Sic florem famæ dixit Laberius mimus apud Macrobium.

Fortuna immoderata in bono atque in malo
Si tibi erat libitum litterarum laudibus
Floris cacumen noſtræ famæ frangere.
Cur cum vigebam membris præuiridantibus,
Satisfacere populo & tali cùm poteram viro
Non flexibilem me concurnaſti vt carperes?

Plinius Iunior Panegyrico: *Arcus enim & ſtatuas, aras etiam templáque demolitur & obſcurat obliuio, negligit, carpitque poſteritas: contrà contemptor ambitionis, & infinitæ poteſtatis domitor ac frænator animus, ipſa vetuſtate floreſcit, nec ab vllis magis laudatur, quàm quibus minimè neceſſe eſt.*

AXIOMATA.

Nihil eſt opere aut manufactum quod non aliquando conſumat vetuſtas.

Laus iuſtitiæ & clementiæ floreſcit quotidie magis ac magis.

ARGVMENTVM.

Cæſarem non ſolùm Mario & Syllæ, cæteríſque bellorum ciuilium victoribus anteponit, ſed eum inuictum eſſe demonſtrat, ex eo quòd ſua clementia & æquitate animi ipſius victoriæ naturam conditionémque ſuperarit: & ea victis conceſſerit quæ iure victoriæ auferre potuiſſet.

ET cæteros quidem omnes victores bellorum ciuilium iam antè æquitate & miſericordia viceras, hodierno verò die teipſum viciſti. Vereor, vt hoc, quod dicam, non perinde intelligi auditu poſſit, atque ego ipſe cogitans ſentio. ipſam victoriam viciſſe vidêris, cùm ea ipſa, quæ illa erat adepta victis remiſiſti. nam cùm ipſius victoriæ conditione iure omnes victi occidiſſemus, clementiæ tuæ iudicio conſeruati ſumus. rectè igitur vnus inuictus es, à quo etiam ipſius victoriæ conditio, víſque deuicta eſt. XII.

EXPLANATIO.

ET CÆTEROS.] Cæſar victor omnibus ignouerat qui nullis ipſius obſtricti beneficiis Pompeium ſecuti fuiſſent, iis tantùm punitis qui vel ab ipſo defecerant, vel qui iam antè capti & ſeruati rurſus ad Pompeium redierant. quâ clementiâ reliquos victores bellorum ciuilium ſuperauit.

TE IPSVM VICISTI.] Oſtendiſti maiorem clementiam & animi æquitatem quàm antè oſtenderas: vel animum viciſti, & odium tuum ſuperaſti quo contra Marcellum exarſeras.

VEREOR.] Vtitur præmunitione: ne auditores offendat acumen orationis & ſubtilitas, quia videlicet periculum erat ne frigida videretur oratio.

IPSAM.] Hic eſt ſyllogiſmus.

Inuictus eſt qui ipſius victoriæ conditionem vincit.

Sed tu ipſius victoriæ conditionem naturámque viciſti.

Ergo inuictus es.

Probat aſſumptionem.

Qui ea, quæ victoria adepta eſt, victis remittit, is vincit conditionem ipſius victoriæ.

Sed ea, quæ adepta fuerat victoria, victis remiſiſti.

Ergo viciſti ipſam victoriam.

Probat hanc ſecundam aſſumptionem.

Id iuris adepta fuerat victoria, vt poſſes victos occidere.

Sed id victis remiſiſti.

Ergo quæ adepta fuerat victoria ea victis remiſiſti.

CLEMENTIÆ TVÆ IVDICIO.] Superiùs iuſtitiam cum animi lenitate coniunxerat, vt & Cæſarem laudet, & Marcellum haudquaquam ſceleris alicuius damnare videatur.

NOTÆ.

I. VICTORES.] Cicero Bruto. *Vincebamur à victa Græcia.* Maro 2. Æneidos.

Quondam etiam victis redit in præcordia virtus
Victoréſque cadunt Danai.-

Manilius procemio lib. 3.

- Et victam quæ vicerat vrbem.

Rutilius 1. Itinerarij de Iudæis, ſiue potiùs Chriſtianis quos ille Iudæos arbitratur.

Victoréſque ſuos natio victa premit.

Velleius de Cicerone. *Effecit ne quorum arma viceramus, eorum ingenio vinceremur.* Valerius libro 1. cap. 1. de C. Fabio. *Victricium armorum perinde ac victor rediit.*

NON PERINDE.] Non pauci Grammatici dicunt VT, negare poſt verba timoris. quorum auctoritas Lambinum videtur impuliſſe, vt ita reſcriberet. *Vereor vt hoc quod dicam, proinde intelligi,* &c. Id refellit Franciſcus Sanctius Brogenſis paradoxo primo, laudans Cicer. 2. de legib. *Quocirca vereor committere, vt non bene prouiſa principia ponantur.* Sed nihil agit exemplum cùm negatio, *Non* ad BENE PROVISA, non ad verbum referri videatur. Commodiùs citat 2. Tuſc. *Et tamen veremur vt hoc quod à tam multis, & tot locis perferatur, natura non patiatur.* Idem Attic. lib. 7. *Si manet vereor vt exercitum firmum habere non poſſit.* Plautus Bacchid. *Metuo vt hodie ne poſſim emolirier.* Cæſar lib. 5. Gall. *Veritus ſi ex Hybernis fuga ſimilem profectionem feciſſet, vt hoſtium impetum ſuſtinere non poſſet.* Quintil. lib. 8. c. 3. *Vereor vt non iam ferat quiſquam.* II.

IPSAM VICTORIAM VICISSE.] Eodem flexu Valerius lib. 9. cap. 3. de Ira: *Quoties victoriæ victrix, congratulationem eius in Torquato ſpernendam, in Fabio pulcherrimam partem omittendam, in Appio totam fugæ poſtponendam reddidit.* Seneca epiſt. 9. de Stilpone Megarenſi. *Ipſam hoſtis ſui victoriam vicit.* Noſter Diuinatione: *Si tacent, ſatis dicunt.* Quem in locum Aſconius Pedianus: *Tale eſt illud, Cùm tacent clamant.* Prima in Catilinam: *Et victoriam ipſam viciſſe videris. Et, Philoſophandum eſt, etiamſi non philoſophandum. Hæc hoc loco nec oxymora, nec cacozela iudicanda ſunt. Aut enim inferioribus, aut ſupraipoſitis leniuntur. vt eſt illud, Vereor vt hoc quod dicam, perinde intelligi poſſit auditu, atque ego ipſe cogitans ſentio.* hæc Aſconius. Dio Chryſoſtomus: εὐδαιμονέστεροι ἔσεσθε αὐτῆς τῆς εὐδαιμονίας. *Beatiores eritis ipſa beatitate.* Sed preſſiùs ad hunc locum Panegyriſtes Conſtantini: *At iſte victor non modò hoſtium, ſed etiam victoriæ ſuæ, quicquid militum bello ſuperfuit, tibi patriæ reſeruauit.* III.

ARGVMENTVM.

Oſtendit clementiam illam Cæſaris non Marcello ſoli, ſed iis omnibus, qui ſecuti fuerant Pompeium, eſſe profuturam, qui hoc iudicio ab omni ſceleris & hoſtilitatis infamiâ liberantur.

XIII. ATQVE hoc C. Cæſaris iudicium, P.C. quàm latè pateat, attendite: omnes enim, qui ad illa arma fato ſumus neſcio quo Reipub. miſero, funeſtóque compulſi, etſi aliqua culpa tenemur erroris humani, à ſcelere certè liberati ſumus. nam, cùm M. Marcellum, deprecantibus vobis, Reipub. conſeruauit, memet mihi, & item Reipub. nullo deprecante, reliquos ampliſſimos viros, & ſibi ipſis, & patriæ reddidit: quorum & frequentiam, & dignitatem hoc ipſo in conſeſſu videtis: non ille hoſtes induxit in curiam, ſed iudicauit, à pleriſque ignoratione potiùs, & falſo atque inani metu, quàm cupiditate, aut crudelitate ciuile bellum eſſe ſuſceptum.

EXPLANATIO.

IVDICIVM.] Quo iudicio Cæſar Marcellum publicæ quietis hoſtem non putauit, aut indignum qui Reip. redderetur *quàm latè pateat*, ſiue ad quàm multos ab hoſtilitatis infamiâ vindicandos redundet, *attendite.*

AD ILLA ARMA] Ferenda contra Cæſarem pro Pompeio. ſic autem probat.

Quos Cæſar Reipub. reddidit, eos à ſceleris aut hoſtilitatis infamiâ ſuo iudicio liberauit.

Sed meipſum, Marcellum & alios multos Reip. reddidit.

Ergo nos à ſceleris infamiâ ſuo iudicio liberauit.

Probat maiorem, quia noluiſſet in Curiam, ſiue Senatum Cæſar publicæ quietis & tranquillitatis hoſtes, ac proinde Reip. peſtes inducere.

FATO.] Ad fatum Reip. refert bellum ciuile, ne in ciuium culpam recidere videatur.

ERRORIS HVMANI.] Quo vt homines in fraudem inducti ſumus rati Cæſarem aliquid contra Rempub. moliri, cùm tamen ſpectaret aliud nihil quàm vt ſuam Reique publicæ dignitatem contra aduerſariorum conatus defenderet.

A SCELERE.] A ſuſpicione cupiditatis aut crudelitatis.

HOC IPSO IN CONSESSV.] In curiâ ſiue in Senatu, vbi Senatores ſedent dicturi ſuam quiſque de Rep. ſententiam.

NON ILLE.] Cæſar non reſtituit eos & patriæ & Senatoriæ dignitati, quos iudicabat eſſe hoſtes, ſiue ſuos priuatim, ſiue Reip.

IGNORATIONE.] Quòd ignorarent optimam eſſe Cæſaris voluntatem, & falsò atque inaniter metuerent, ne Cæſar ideò nollet exercitum dimittere, quo faciliùs deinde Rempublicam occuparet.

NOTÆ.

1. FATO.] Quid ſit propriè fatum initio 2. Philippicæ fuſiùs explicatur. Ciuiles diſcordias non ſuis conſiliis, ſed fato plerumque tribuebant. ſic, vt alibi dictum, Agamemnon Iliados τ'. diſcordiæ inter ſe & Achillem cauſſam in Iouem & fatum refundit.

-ἐγὼ δ' οὐκ αἴτιός εἰμι.
Ἀλλὰ Ζεὺς, καὶ μοῖρα, καὶ ἠεροφοῖτις ἐριννὺς,
Οἵ τέ μοι εἰν ἀγορῇ φρεσὶν ἔμβαλον ἄγριον ἄτην.
-ego non cauſſa, ſed ille
Iuppiter & fatum, & furiæ quæ nocte vagantur,
Qui mihi dum loquerer miſerè in pectora noxam.

Horatius Epodo 7. de his ipſis bellis ciuilibus. Bellorum ciuilium atrocitas.

Furórne cæcus? an rapit vis acrior?
An culpa? reſponſum date.
Tacent & ora pallor albus inficit,
Mentéſque perculſæ ſtupent.
Sic eſt: acerba fata Romanos agunt,
Scelúſque fraternæ necis.

Quia nimirum vel in fata, vel in Dei vindictam bella ciuilia referebant, quòd tanta ſit eorum atrocitas, vt tantum ſcelus in hominis mentem cadere, niſi furiis & fatis impellentibus, haudquaquam videatur. Pulchrè Nazianzenus priore in Iulianum, horum bellorum diritatem expreſſit. Τὴν Ῥωμαϊκὴν ἀρχὴν ὁρᾷν ὑπῆρχε πάσης ἀπηλλαγμένην ἐμφυλίου στάσεως. ὃ τοῦ παρὰ τῶν ἔξωθεν πολέμου πολλῷ φευκτότερόν ἐστι, καὶ φοβερώτερον. ὅσῳ ταῖς οἰκείαις δαπανᾶν σάρκας, τῶν ἀλλοτρίων φευκτότερον. *Videre erat Romanum imperium omnibus bellis ciuilibus expeditum: quæ bellis externis longè magis fugienda ſunt & metuenda, quantò terribilius eſt ſuas, quàm alienas carnes deuorare.* Et Herodes Orator de Politia. Ὁμολογεῖται γὰρ πόλεμος τῶν ἄλλων κακῶν τοσούτῳ μέγιστον εἶναι, ὅσῳπερ εἰρήνη τῶν ἀγαθῶν. ἴσῳ μέν τοι μεγέθει τὸν πόλεμον ἡ στάσις ὑπερβάλλει, ὅσῳπερ ὁ πόλεμος τὴν εἰρήνην. ἐν μὲν γὰρ τῷ ξενικῷ πολέμῳ, τὴν πατρίδα σώζοντες ἀποθνήσκουσιν· ἐν δὲ τῷ πολιτικῷ, διαφθείροντες ἑαυτούς. *Apud omnes in confeſſo eſt bellum tantò reliquis malis eſſe peius, quantò pax bonis antecellit, tanto autem interuallo bellum ſuperat ſeditio, quanto bellum pacem. In bello enim externo patriam ſeruantes moriuntur, in ciuili autem ſibi ipſis mortem inferentes.*

NESCIO QVO.] Philipp. 2. *Quonam meo fato, P.C. fieri dicam.* 2. Æneidos. II.

Hic mihi neſcio quod trepido malè numen amicum
Confuſam eripuit mentem.

Quod perinde eſt atque ſi diceret, *Neſcio cuius Dei voluntas.* ſingulis enim Diis ſua fata tribuebant, vt 4. Æneidos.

Fatum. *Hoc ſi fata Iouis poſcunt, hic terminus hæret*
-fatis Iunonis iniquæ.

III. COMPVLSI.] Ad bellorum ciuilium culpam à ſuis ciuibus deprecandam, videtur hoc loco philoſophorum quorumdam opinionem amplecti, qui vt ſcribit Orator lib. 2. *Mentem hominis voluntate libera ſpoliatam facti neceſsitate deuinciunt.* de quibus adſpirante Deo, pluribus agemus initio ſecundæ Philippicæ.

IV. ERRORIS HVMANI.] Humanum errorem & inſcitiam magni Philoſophi variis imaginibus oſtendunt. vt Plato initio ſexti de Rep. mortales ait tanquam in ſpelunca clauſos nihil præter vmbras & ſtatuarum imagines intueri, quas tamen illi per ſummum errorem, & ſpirare & loqui exiſtiment: locum Platone digniſſimum non profero, ne ſim vel longior ſi totum protulero, vel audacior, immò in ipſam Suadam contumelioſus, ſi vel vnam voculam detraxero, conſulatur. Cebes in tabula. Ὁρᾷς, εἶπε, παρὰ τὴν πύλην θρόνον τινὰ κείμενον κατὰ τὸν τόπον τοῦτον, καθ' ὃν εἰσπορεύεται ὁ ὄχλος, ἐφ' οὗ κάθηται γυνὴ πεπλασμένη τῷ ἤθει, καὶ πιθανὴ φαινομένη, καὶ ἐν τῇ χειρὶ ἔχουσα ποτήριόν τι; ὁρῶ. ἀλλὰ τίς ἐστιν αὐτή, ἔφην. Ἀπάτη καλεῖται, φησίν, ἡ πάντας τοὺς ἀνθρώπους πλανῶσα. Εἶτα, τί πράττει αὕτη; τοὺς εἰσπορευομένους εἰς τὸν βίον ποτίζει τῇ ἑαυτῆς δυνάμει. τοῦτο δὲ τί ἐστι τὸ ποτόν; πλάνη, ἔφη, καὶ ἄγνοια. εἶτα τί; πιόντες τοῦτο πορεύονται εἰς τὸν βίον. πότερον οὖν πάντες πίνουσι τὸν πλάνον, ἢ οὔ; πάντες πίνουσιν, ἔφη, ἀλλ' οἱ μὲν πλεῖον, οἱ δ' ἧττον. *Viden', inquit, iuxta portam ſolium poſitum, quâ turba ingreditur, cui mulier inſidet ficto vultu, argutáque ſpecie, & manu poculum quoddam tenens? Video, inquam, ſed quæ ea eſt? Impoſtura, inquit, quæ omnes homines ſeducit. Ecquid agit ea? Iis qui in vitam ingrediuntur, facultatem ſuam propinat. Quæ verò eſt illa potio? Error, inquit, & ignorantia. Quid tum? hâc potâ veniunt in vitam. Num ergo omnes errorem bibunt? omnes bibunt, inquit, ſed alij plus, alij minus.* Menander apud Stobæum:

Homines erroribus obnoxij.

--Βίοτος ἀνθρώποις πλάνη.
--*Vita hominibus eſt error.*

Inter cætera Numina, quæ hominem è matris vtero prodeuntem excipiunt, contrarióque niſu ad ſe trahunt.

Νημερτής τ' ἐρόεσσα, μελάγκαρπός τ' Ἀσάφεια.
Et veritas amabilis, & atros fructus pariens Obſcuritas, ab Empedocle numerantur. Erroris humani fontes aperit Orator initio tertiæ Tuſculanæ: *Sunt enim ingeniis noſtris ſemina innata virtutum: quæ ſi adoleſcere liceret, ipſa nos ad beatam vitam natura perduceret. nunc autem ſimul atque editi in lucem & ſuſcepti ſumus, in omni continuò prauitate, & in ſumma opinionum peruerſitate verſamur, vt penè cum lacte nutricis errorem ſuxiſſe videamur. Cùm verò parentibus redditi, demum magiſtris traditi ſumus, tum ita variis imbuimur erroribus, vt vanitati veritas & opinioni confirmatæ natura ipſa cedat. accedunt etiam Poëtæ,* &c. Cuius erroris facilitas & veritatis inueniendæ difficultas oſtendi poteſt è variis philoſophorum de veritate ſententiis, multas profert Orator in Academicis, multas Laërtius in Pyrrhone, omnes Seneca epiſt. 88. *Audi quantum mali faciat nimia ſubtilitas, & quàm infeſta veritati ſit. Protagoras ait de omni re in vtramque partem diſputari poſſe ex æquo: & de hac ipſa an omnis res in vtramque partem diſputabilis ſit. Nauſiphanes ait ex his quæ videntur eſſe, nihil magis eſſe, quàm non eſſe: Parmenides ait ex his quæ videntur, nihil eſſe in vniuerſum. Zeno Eleates omnia negotia de negotio deiecit, ait nihil eſſe: Circa eadem ferè Pyrrhonici & Megarici, & Eretrici, & Academici, qui nouam induxerunt ſectam,* NIHIL SCIRE. quare meritò, vt auctor eſt Tullius lib. 1. Acad. dicebat. *Democritus in profundo veritatem eſſe demerſam.* eius verba ſunt apud Laërtium: Αἰτίῃ δ' οὐδὲν ἴδμεν. ἐν βυθῷ γὰρ ἡ ἀλήθεια. *Per cauſſam nihil ſcimus: nam veritas in profundo.* Xenophanes ibidem.

Καὶ τὸ μὲν οὖν σαφὲς οὔτις ἀνὴρ ἴδεν, οὐδέ τις ἔσται
Εἰδώς.
Nec liquidum quiſquam nouit, neque noſſe
valebit.

De hac Scepticorum inſcitia Minutius in Octauio conſulendus, & Arnobius libro 2. aduerſus gentes, tum alia multa, tum hoc imprimis. *Poteſt inquam ſcire, in medio hæc poſita atque in ſenſibus conſtituta communibus, quibus cauſis mergamur in ſomnos, quibus euigilemus, quibus modis fiant inſomnia, quibus viſa, immò, quod ambigit in Theæthetô Plato, vigilemus aliquando, an ipſum vigilare quod dicitur, ſomni perpetui ſit portio? Ecquid agere videamur inſomnium cùm videre nos dicimus.*

AXIOMA

Nonnunquam qui culpa tenentur erroris humani, tamen à ſcelere liberantur.

ARGVMENTVM.

Data occaſione purgat ſe quòd ſecutus fuerit Pompeium, quamuis ſemper abhorruerit à bellis ciuilibus, vt inde Cæſarem, qui ſibi tam facilè ignouit, ab iiſdem bellis probet fuiſſe alienum.

QVO quidem in bello ſemper de pace agendum, audiendúmque eſſe putaui, ſempérque dolui, non modò pacem, ſed orationem XIV.
etiam ciuium pacem efflagitantium repudiari. Neque enim ego illa, nec vlla vnquam ſecutus ſum arma ciuilia, ſempérque mea conſilia pacis, & togæ ſocia, non belli, atque armorum fuerunt. hominem ſum ſecutus priuato officio, non publico: tantúmque apud me grati animi fidelis

memoria valuit, vt nulla non modò cupiditate, ſed ne ſpe quidem, prudens & ſciens tanquam ad interitum ruerem voluntarium.

EXPLANATIO.

QVO QVIDEM.] In bello ciuili Pompeiano ſemper agendum eſſe putaui miſſis vltro ad Cæſarem de pace legatis, & audiendum ſuſceptis benignè legatis, qui de pace nobiſcum acturi à Cæſare mitterentur. alij legunt *audendum*, quòd videlicet tanta pericula de pace agentibus apud Pompeium imminerent, vt audentis eſſet & præfidentis animi, pacis facere mentionem. ſed prior ille ſenſus, vt eſt ſimplicior, ita & illuſtrior.

CIVIVM.] Videtur ipſum Cæſarem intelligere, qui vt ipſe teſtatur ſæpe legatos ad Pompeium miſit, qui pacem ſuo nomine flagitarent: qui tamen re infecta dimiſſi ſunt.

NEQVE ENIM.] Reddit rationem cur ſemper abhorruerit à bellis ciuilibus.

Qui ſic instituit vitæ ſuæ rationes, vt eius conſilia pacis & togæ ſocia ſint, is abhorret à bellis ciuilibus.

Sed tales ſunt vitæ meæ rationes.

Ergo abhorrui à bellis ciuilibus.

Aſſumptio plana eſt: quia Orator non tam armis, quàm in foro iudiciiſque florebat.

HOMINEM.] Pompeium ſum ſecutus propter beneficia quibus me deuinxerat, non quòd cauſſæ ipſius fauerem, ſed quòd perſonam ipſam diligerem, propter ſingulare beneficium, quo me Clodij factionibus eiectum in patriam reuocauit. Priuatum officium appellat memoriam beneficiorũ, quibus ipſe priuatim obſtrictus erat Pompeio: publicum, ipſam cauſſam & belli ſuſceptionem de publica Senatûs ſententia.

CVPIDITATE.] Ambitione aut auaritia, deſiderio opprimendæ Reipub. & magiſtratus aut diuitias per Reipub. clades & naufragia conſequendi.

SPE.] Conſequendæ victoriæ, aut retinendæ priſtinæ dignitatis.

PRVDENS ET SCIENS.] Cùm & ipſe meo ipſius iudicio, & aliorum relationibus admonitus de futuro belli ciuilis exitu minimè dubitarem.

NOTÆ.

I. DE PACE AGENDVM.] Quantopere paci ſtuduerit, liquet è Velleio lib. 2. Curio: *Saluberrimas & coaleſcentis conditiones pacis, quas & Cæſar iuſtiſſimo animo poſtulabat, & Pompeius æquo recipiebat, diſcuſſit ac rupit, vnicè cauente Cicerone concordiæ publicæ.* Plutarchus in Cicerone: εἰς τὴν πόλιν ἐπανῆλθεν, ἤδη τῶν πραγμάτων, ὥσπερ ὑπὸ φλεγμονῆς ἀφισταμένων περὶ τὸν ἐμφύλιον πόλεμον. ἐν μὲν οὖν τῇ βουλῇ ψηφιζομένων αὐτῷ θρίαμβον, ἥδιον ἂν ἔφη παρακολουθῆσαι Καίσαρι θριαμβεύοντι, συμβάσεων γενομένων. *In vrbem ingreſſus eſt, iam rebus, quaſi quadam inflammatione tumeſcentibus & erumpentibus in bellum ciuile. In Senatu igitur, cùm ipſi triumphus decerneretur. Iucundiùs, inquit, ſequar Cæſarem triumphantem conditionibus pacis coaleſcentibus.* Ipſe tum toto penè libro 7. & 8. epiſt. ad Atticum, tùm præcipuè epiſt. 14. lib. 7. *Equidem ad pacem hortari non deſino, quæ vel iniuſta vtilior eſt, quàm iuſtiſſimum bellum.* ibidem epiſt. 5. *Pace opus eſt. Ex victoria cùm multa mala, tum certè tyrannis exiſtet.* Et lib. 6. ad famil. ep. 6. *Cauſſa belli orta eſt. Quid ego prætermiſi aut monitorum, aut querelarum, cùm vel iniquiſſimam pacem iuſtiſſimo bello anteferrem? Victa eſt auctoritas mea, non tam à Pompeio (nam is monebatur) quàm ab iis qui duce Pompeio freti peropportunam, & rebus domeſticis & cupiditatibus ſuis illius belli victoriam fore putabant.*

Cicero cauit concordiæ publicæ.

AVDIENDVMQVE.] Legunt quidam *audendúmque*, vt rem fuiſſe periculi plenam oſtendat apud Pompeium facere pacis mentionem, ac proinde ad id opus fuiſſe audacia. vnde & ſubdit in ipſo bello eadem ſe, *cum capitis ſui periculo ſenſiſſe.* Nihil innouo. innuit enim Pompeianos à pace tam alienos fuiſſe, vt nec legatos Cæſaris audirent, nec vllam mentionem pacis admitterent. Nam vt Cæſar ipſe teſtatur lib. 3. de bello ciuili. Legatum de pace *Pompeius interpellauit, & loqui plura prohibuit. Quid mihi, inquit, aut vita aut ciuitate opus eſt, quàm beneficio Cæſaris habere videbor, cuius rei opinio tolli non poterit, niſi cùm in Italiam, ex qua profectus ſum, reductus exiſtimabor bello perfecto.* Subdit: *Tum Labienus, Deſinite ergo de compoſitione loqui. Nam nobis niſi Cæſaris capite relato, pax eſſe non poteſt.* Quod etiam ad Atticum Cicero ſæpe teſtatur, vt libro octauo epiſt. 1. *Inuitus in eam cauſſam deſcendo, in qua neque pacis, neque victoriæ ratio quæſita ſit vnquam.* Non minùs tamen Cæſarem quàm Pompeium à pacis conditionibus alienum fuiſſe, ſed per ſimulationem vltro citróque miſſos fuiſſe legatos apparet è Plutarcho in Cæſare: Ἐπανελθόντα δ᾽ εἰς Ῥώμην Καίσαρα, Πείσων μὲν ὁ πενθερὸς παρεκάλει πρὸς Πομπήϊον ἀποστέλλειν ἄνδρας ὑπὲρ διαλύσεως, Ἰσαυρικὸς Καίσαρι χαριζόμενος ἀντεῖπε. *Cæſari in vrbem regreſſo ſuadebat Piſo ſocer, vt legatos de pace mitteret ad Pompeium, Iſauricus verò in gratiam Cæſaris diſſuaſit.* Et è Cicerone libro 9. epiſt. 15. *Pompeius Magium de pace miſit, & tamen oppugnatur.* Vide epiſtolam vndecimam ad Tironem. II.

Et Cæſar & Pompeius à pacis conditionibus alieni.

FLAGITANTIVM.] Commodè. ciues enim non ſolùm pacem poſtulabant, ſed etiam pro ſuo iure flagitabant, hæc enim vis eſt in verbo, initio tertij de Oratore. *Admonitum venimus te, non flagitatum.* Pro Quintio 13. *Tametſi cauſſa poſtulat, tamen quia poſtulat, non flagitat, præteribo.* Libro 5. ad familiares 19. *Communicatio conſilij tali tempore, quaſi quædam admonitio videtur eſſe officij, vel potiùs efflagitatio ad coeundam ſocietatem, vel periculi, vel laboris.* Epiſtola ad Varronem quæ libris Academicis præfigitur. *Et ſi munus flagitare quamuis quis oſtenderit, ne populus quidem ſolet niſi concitatus: tamen ego expectatione promiſſi tui moneor, vt admoneam te, non vt flagitem. Miſi autem ad te quatuor admonitores, non nimis verecundos. Noſti enim profecto os adoleſcentioris Academiæ. Ex ea igitur media excitatos miſi: qui metuo ne te forte flagitent: Ego autem mandaui vt rogarent.* III.

Admonere & flagitare.

REPVDIARI.] Tranſlatio ducta à diuortiis ſiue diſſidiis, vide Philipp. 2. §. 59. Iuſtinus Martyr IV.

apologia pro Chriſtianis ad Senatum agens de quadam muliere Chriſtiana mariti Ethnici flagitiis infenſa : Τὸ λεγόμενον παρ' ὑμῖν ῥεπούδιον δοῦσα ἐχωρίσθη. *Cùm dediſſet id quod repudium vos appellatis, ſeparata eſt*, συγχωρηθῆναι αὐτῇ διοικήσασθαι τὰ ἑαυτῆς ἀξιοῦσα. *flagitans vt ſuas res ſibi habere liceret.*

Repudium.

V. PACIS ET TOGÆ.] In Piſonem 73. *Non dixit hanc togam qua ſum amictus: nec arma, ſcutum & gladium vnius Imperatoris, ſed, quòd pacis eſt inſigne & otij toga: contrà autem arma tumultûs atque belli: more poëtarum locutus, hoc intelligi volui, bellum ac tumultum paci atque otio conceſſurum.*

VI. PRIVATO OFFICIO, NON PVBLICO.] An quòd Pompeij cauſſam improbaret? non opinor. pro Ligario 19. *Principum dignitas erat penè par: non par fortaſſe eorum qui ſequebantur. Cauſſa tum dubia, quòd erat aliquid in vtraque parte, quod probari poſſet, nunc melior certè ea iudicanda eſt, quam etiam Dij adiuuerunt.* Quod imitatus eſt Lucanus 1. Pharſal.

Cauſſa Pompeij melior quàm Cæſaris.

-Quis iuſtius induit arma
Scire nefas: magno ſe Iudice, quiſque tuetur
Pars victrix placuit, ſuperis, ſed victa Catoni.

Noſter eleganter de Cæſare 7. ad Attic. epiſt. 3. *Cauſſam ſolùm illa cauſſa non habet: cæteris rebus abundat.* Vbi ſine dubio cauſſam Pompeij cauſſæ Cæſaris anteponit epiſt. 19. *Ad manendum hyems, lictores, improuidi & negligentes duces: ad fugam hortatur amicitia Cn. cauſſa bonorum: turpitudo coniungendi cum tyranno, qui quidem incertum eſt Phalarim ne, an Piſiſtratum ſit imitaturus.* Libro ſequenti epiſt. 3. *Cùm merita Pompeij ſumma erga ſalutem meam, familiaritáſque quæ mihi cum eo eſt, tum ipſa Reipub. cauſſa me adducit, vt mihi vel conſilium meum cum illius conſilio, vel fortuna coniungenda eſſe videatur.* Epiſt 9. *Sed obſecro te, quid hoc miſerius, quàm alterum plauſus in fœdiſſimâ cauſſâ quærere, alterum offenſiones in optima?* Quomodo nihilo ſeciùs verè dicat ſe hominem ſecutum eſſe priuato officio non publico, liquet ex epiſt. 6. lib. 9. *Cum hócne igitur, inquies, eſſe vis? Beneficium ſequor, mihi crede, non cauſſam, vt in Milone, ſed hactenus. Cauſſa igitur non bona eſt? imò optima. ſed agetur, (memento) fœdiſſimè.*

VII. GRATI ANIMI FID. MEM.] Id etiam è multis liquet. *Ego pro Pompeio libenter emori poſſum, facio pluris omnium hominum neminem: ſed non ſitam in eo iudicio ſpem de ſalute Reipub.* ita lib. 8. ad Attic. epiſt. 2. & epiſt. 4. lib. 9. *Si quis apud Homerum cùm ei & mater & Dea dixiſſet,*

Αὐτίκα γάρ τοι ἔπειτα μεθ' Ἕκτορα πότμος ἑτοῖμος.

Matri ita reſpondit:

Αὐτίκα τεθναίην, ἐπεὶ οὐκ ἄρ' ἔμελλον ἑταίρῳ
Κτεινομένῳ ἐπαμῦναι.

Ciceronis gratitudo.

Quid ſi non ἑταίρῳ *ſolùm, ſed etiam* εὐεργέτῃ. *Adde tali viro, talem cauſam agenti. Ego verò hæc officia mercanda vitâ puto.* Epiſt. 6. lib. 10. *Ben ficio vinctus, ingratus eſſe non poſſum.* Licet nonnunquam in eo vacillarit. vt libro 8. epiſt. 7. *Quod enim tu meum laudas & memorandum dicis, malle quod dixerim me cum Pompeio vinci, quàm cum iſtis vincere. Ego verò malo, ſed cum illo Pompeio qui tum erat, aut qui mihi eſſe videbatur.* Sed hanc dubitationem, quomodo tandem abiecerit, & qua loquendi libertate, qua conſtantia ſuam erga Pompeium fidem oſtenderit, patet ex epiſtola 21. libri 9. & colloquio ipſius cum Cæſare poſt fugam Pompeij rerum in Italia potiente. Cæſar eum rogans, vt Senatui intereſſet, dixerat: *Veni igitur, & age de pace. Meóne inquam arbitratu? An tibi, inquit, ego perſcribam? Sic, inquam, agam, Senatui non placere in Hiſpanias iri, nec exercitus in Græciam tranſportari, multáque, inquam, de Cn. deplorabo. Tum ille, Ego verò iſta dici nolo. Ita putabam, inquam, Sed ego nolo adeſſe, quòd aut ſic mihi dicendum eſt, multáque quæ nullo modo poſſem ſilere, ſi adeſſem: aut non veniendum*, &c. Meritò autem ſe beneficiorum Pompeij memorem fuiſſe prædicat: quod Cæſar eos maximi faceret qui ſe Pompeio gratos & beneficiorum memores præbuiſſent. Dio libro 41. Τῷ δὲ δὴ Φαρνάκῃ προβαλλομένῳ ὅτι μὴ προσαμῦναι τῷ Πομπηΐῳ, κἂν τούτου συγγνώμης, ἐφ' οἷς ἐπεπτώκει, τυχεῖν ἀξιοῦντι, οὔτ' ἐνεῖμεν ἐπιεικὲς οὐδὲν, καὶ προσέτι καὶ αὐτὸ τοῦτ' ἐνεκάλεσεν, ὅτι καὶ πονηρὸς καὶ ἀνόσιος περὶ τὸν εὐεργέτην ἐγένετο. *Pharnacem cauſſantem ſe Pompeio non eſſe opitulatum, ideóque ignoſci ſuis actionibus poſtulantem, non modò nulla humanitate proſecutus eſt, ſed id quoque vitio ei dedit, quòd impius in benefactorem ſuum fuiſſet.* Vide.

NE SPE QVIDEM.] Quanta prouidentia Noſter futuras clades longè antè prouiderit, & omnem victoriæ ſpem abiecerit, ex iiſdem epiſtolis ad Atticum videre eſt. vt epiſt. 13. lib. 7. & 22. *Quòd quæris hìc quid agatur: tota Capua & omnis hic delectus iacet, deſperata res eſt.* libro 10. epiſt. 2. *Fortunæ ſunt committenda omnia, ſine ſpe conamur vlla, meliùs ſi quid acciderit, mirabimur.* vt adeo mirum non ſit quod, vt habet Plutarchus: Μετὰ τὴν ἧτταν Νοννίου μὲν εἰπόντος ὅτι δεῖ χρηστὰς ἐλπίδας ἔχειν. ἑπτὰ γὰρ ἀετοὺς ἐν τῷ στρατοπέδῳ τοῦ Πομπηΐου λελεῖφθαι. καλῶς ἄν, ἔφη, παρῄνεις, εἰ κολοιοῖς ἐπολεμοῦμεν. *Poſt victoriam Pharſalicam dicente Nonnio ſpes bonas fouendas eſſe, ſeptem enim adhuc aquilas in caſtris Pompeij ſupereſſe. bene, inquit, hortareris, ſi cum gracculis pugnaremus.* Libro 9. epiſt. ad familiares epiſt. 5. ad Varronem: *Sequuti enim ſumus non ſpem, ſed officium. reliquimus autem non officium, ſed deſperationem. Itaque verecundiores fuimus quàm qui ſe domo non commouerunt: ſaniores quàm qui amiſſis opibus domum non reuerterunt.* VIII.

PRVDENS ET SCIENS.] Velleius libro 2. IX.
Vir antiquus & grauis Pompeij partes laudaret magis; prudens ſequeretur Cæſaris: & illa glorioſa, hæc terribiliora duceret. Cur igitur prudentiæ tribuit Orator quod ſecutus fuerit Pompeium? Vel quòd verè prudentis ſit, veréque ſeipſum amantis, non ſeruire tempori ſuíſque commodis, ſed vnam ſpectare dignitatem. Sic libro 9. ad Attic. epiſt. 21. poſtquam ſuum illud cum Cæſare colloquium explicauit, quo præ ſe tulerat ſe veram honeſtatem vel Cæſaris offenſionibus, vel ſuis periculis anteferre, ſubdit: *Credo igitur hunc me non amare. At ego me amaui: quod mihi iampridem vſu non venit.* Vel aliud eſt *prudenter facere*, aliud *prudentem*. Mirè Terentius in eo luſit actu primo Eunuchi ſc. 1.

Prudenter facere, prudentem facere.

Et tædet, & amore ardeo, & prudens, ſciens,
Viuus, vidénſque pereo: nec quid agam ſcio.

Vbi Donatus:

Prudens eſt qui intelligentiâ ſuâ aliquid ſentit.
Sciens qui alicuius iudicio rem cognoſcit.

Ergo prudens per ſeſe, ſciens per alios.

Idem Terentius heautontim. actu 4. ſc. 1.

- certò ſcio

Prudens & ſciens. *Te inſcientem, atque imprudentem dicere ac facere omnia*

Tot peccata in hac re oſtendis.

Cœlius ad Cic. epiſt. 16. *Etiam atque etiam, mi Cicero, cogita ne te tuóſque omnes funditus euertas: ne te ſciens prudénſque eò demittas, vnde exitum vides nullum eſſe.* Apuleius apologia priore: *Ille quicquid agit, in ægritudine facit, ignorans peccat: at tu miſer, prudens & ſciens delinquis, tanta vis morbi te inſtigat.* Tranquillus in Claudio cap. 4. de Luc. Domitio à Cæſare Corfinij obſeſſo: *In deſperatione rerum mortem timore appetitam ſic expauit, vt hauſtum venenum pœnitentiâ euomuerit, medicúmque manumiſerit, qui idem ſibi prudens ac ſciens minùs noxium temperaſſet.* Faciebat igitur prudens & ſciens Orator, qui cùm & ſuâ ipſius intelligentiâ & aliorum iudicio imminentem Pompeianis partibus cladem cognoſceret, nihilo ſeciùs ſequebatur Pompeium: ſed impudenter fortaſſe qui nec Pompeio nec Reipub. futurus vſui, ſeipſum & liberos ſuos in apertum periculum premouebat. Ennius 6. Annalium a Macrobio citatus:

- Audite parumper

Vt pro Romano populo prognariter armis

Certando prudens animam de corpore mitto.

x. AD INTERITVM.] Id ſæpè teſtatur ad Atticum, vt libro 9. epiſt. 14. *Nunquam enim illius victoriæ ſocius eſſe volui, calamitatis mallem fuiſſe.* 18. *Hunc exire cupimus, qua ſpe reditus? mihi quidem nunquam in mentem venit.* 22 *Nec mehercule hoc facio Reipub. cauſâ; quam funditus deletam puto: ſed ne quis me putet ingratum in eum, qui me leuauit iis incommodis, quibus idem affecerat.* Libro 10. epiſt. 7. de Cæſare loquens: *Iſtum enim victorem magis relinquendum puto, quàm victum, & confidentem magis quàm diffidentem rebus ſuis.* Sic enim commodè Lambinus emendat. lib 11. epiſt. 6. *De Pompeij exitu mihi dubium nunquam fuit. Tanta enim deſperatio rerum eius, omnium Regum & populorum animos occuparat, vt quocunque veniſſet, hoc putarem futurum.* Atque hæc ille ſcribebat ad Titum Pomponium, cui ſic fidebat, vt ei tanquam ſibi ipſi loqueretur. Ne à Dione Caſſio te in fraudem patiaris induci, qui noſtro nonnullam vt labem adſpergat, eum dicit non ſolâ cauſſæ iuſtitiâ, ſed etiam ſpe victoriæ, ad Pompeium ſe contuliſſe: Et ne eius conſtantiam laudare cogatur, ne Cæſaris quidem congreſſum expectaſſe fingit: ὁ Κικέρων μηδ' εἰς ὄψιν τῷ Καίσαρι, ἐλθὼν πρὸς τὸν Πομπήϊον, ὥστε τά τε δικαιότερα πράττοντα, καὶ τῷ πολέμῳ κρατήσοντα ἀπεχώρησεν. *Cicero neque in conſpectum Cæſaris veniens, ad Pompeium, tanquam & iuſtiore cauſſa bellum gerentem, & victorem futurum conceſsit:* Plutarchus aliam cauſſam adfert cur ſe contulerit ad Pompeium: Τρεβατίου δέ τινος τῶν Καίσαρος ἑταίρων γράψαντος ἐπιστολὴν, ὅτι Καῖσαρ οἴεται δεῖν μάλιστα μὲν αὐτὸν ἐξετάζεσθαι μετ' αὐτοῦ, καὶ τῶν ἐλπίδων μετέχειν, εἰ δ' ἀναδύεται διὰ γῆρας, εἰς τὴν Ἑλλάδα βαδίζειν, κἀκεῖ καθήμενον ἡσυχίαν ἄγειν, ἐκποδὼν ἀμφοτέροις γινόμενον. θαυμάσας ὁ Κικέρων ὅτι Καῖσαρ αὐτὸς οὐκ ἔγραψεν, ἀπεκρίνατο πρὸς ὀργὴν, ὡς οὐδὲν ἀνάξιον πράξει τῶν πεπολιτευμένων. *Cùm Trebatius quidam vnus è Cæſaris familiaribus ad eum ſcripſiſſet, Cæſari videri imprimis quidem, vt Cicero ſe ipſi coniungeret, rerúmque omnium & ſpei particeps eſſet, ſin autem ob ingraueſcentem ætatem refugeret, vt iis in Græciam longè ab vtroque quieturus concederet, miratus Cicero quòd Cæſar ipſi ſua manu non ſcripſiſſet, iratus reſpondit nihil ſe rebus à ſe antè geſtis indignum eſſe facturum.* En igitur factum pulcherrimum non honeſtati & gratitudini, ſed puerili cuidam iracundiæ tribuendum. Crederem auctori grauiſſimo niſi libro nono ad Atticum & honorificentiſſima Cæſaris ipſius ad Ciceronem epiſtola, & moderatiſſima Ciceronis ad Cæſarem reſponſio præ manibus haberetur. Libro 6. epiſtola ad familiares epiſt. 6. *Suſceptum bellum eſt, quieſcente me, depulſum ex Italia, manente me quoad potui: ſed valuit apud me plus pudor meus quàm timor: veritus ſum deeſſe Pompeij ſaluti, cùm ille aliquando non defuiſſet meæ. Itaque vel officio, vel famâ bonorum, vel pudore victus, vt in fabulâ Amphiaraus, ſic ego prudens & ſciens ad peſtem ante oculos poſitam ſum profectus.*

Cicero defenſus contra Dionem & Plutarchũ.

AXIOMA.

Valere debet apud nos grati animi fidelis memoria.

ARGVMENTVM.

Pergit oſtendere ſe ſemper fuiſſe pacis auctorem, & ex Cæſaris victoris in ſe clementia concludit Cæſarem pacis etiam cupidum fuiſſe, & abhorruiſſe à bellis ciuilibus.

XV. QVOD quidem meum conſilium minimè obſcurum fuit. nam & in hoc ordine, integra re, multa de pace dixi, & in ipſo eadem etiam cum capitis mei periculo ſenſi. Ex quo nemo erit tam iniuſtus rerum æſtimator, qui dubitet, quæ Cæſaris voluntas de bello fuerit: cùm pacis auctores conſeruandos ſtatim cenſuerit, cæteris fuerit iratior. Atque id minùs mirum videretur fortaſſe tum, cùm eſſet incertus exitus, & anceps fortuna belli: qui verò victor, pacis auctores diligit, is, profectò declarat, maluiſſe ſe non dimicare, quàm vincere.

EXPLANATIO.

Qvod qvidem.] Eo bello quod inter Cæſarem & Pompeium exarſit, nunquam diſſimulaui me pacis eſſe ſtudioſum.

In hoc ordine.] In Senatu, cùm mihi ex Cilicia Prouincia redeunti Senatus extra Vrbem datus eſt, vt in eo de triumpho meo ageretur.

Integra re.] Nondum conflatis bellis ciuilibus: cùm necdum Cæſar Rubiconem fluuium, Prouinciæ ſuæ limitem, cum armis tranſiiſſet: cùm liberum adhuc eſſet Senatui iis conditionibus acquieſcere, quas ille poſtulabat: nimirum vt nec exercitum dimitteret, & eius abſentis ratio comitiis Conſularibus haberetur.

Mvlta de pace.] Non tam egi de triumpho meo, quàm de pace inter Cæſarem & Pompeium retinendâ.

In ipso bello.] Siue cùm adhuc eſſem in Italiâ, Cæſare Pompeium obſidente Brunduſij, ſiue cùm ad Pompeium, qui Dyrrachium ſe receperat, tranſiiſſem, ſiue poſt pugnam Pharſalicam, ſemper de pace agendum eſſe cenſui, licet inde viderem, me Pompeij offenſionem incurrere, & ipſe filius Pompeij me ab armis victo Pompeio cedentem penè occiderit.

Ex qvo.] Concluſio huius ſyllogiſmi.

Is pacis fuit ſtudioſus, qui præ cæteris conſeruauit pacis auctores.

Sed Cæſar præ cæteris conſeruauit me pacis auctorem.

Ergo pacis ſtudioſus fuit.

Atque vt oſtendat illud ſtudium pacis non inde profectum eſſe quòd metueret euentus bellorum ciuilium, ſed quòd parceret ciuibus, nec vellet Reipub. damnum inferre, hinc eius laudem exaggerat, quòd non ſolùm in ipſo bello dubius de euentu, ſed etiam victor & ſecurus eos, qui pacis fuerant auctores, dilexerit.

Cæteris.] Qui ab admittendis pacis conditionibus fuerant alieni.

Iratior.] Subiratus, ſubinfenſus. hac voce vſus eſt, ne Cæſarem aut vindictæ, aut crudelitatis incuſare videatur.

Atqve id.] Hæc eius benignitas erga pacis auctores minùs laudanda eſſet.

Anceps.] Dubia vtram in partem ſe conuerteret: cùm ab vtraque parte capi adhuc poſſet.

NOTÆ.

I. In hoc ordine.] Quod iam ante dicebamus è Plutarcho: Ἐν μὲν οὖν τῇ βουλῇ, ψηφιζομένων αὐτῷ θρίαμβον, ἥδιον ἂν ἔφη παρακολουθῆσαι Καίσαρι θριαμβεύοντι, συμβάσεων γενομένων. *In Senatu, cùm triumphus ei decerneretur, libentiùs ſe Cæſarem triumphantem ſecuturum eſſe dixit, pace conſtituta.* Triumphaturis autem dabatur Senatus extra portas, in quo belli geſti rationes, & triumphi cauſſas exponerent.

Cvm capitis mei pericvlo.] Periculum fuiſſe agere de pace ex epiſt. 6. lib. 9. ad Atticum oſtenditur: *Video tibi placere me* πολίτευμα *de pace ſuſcipere: in quo non extimeſco periculum. Cùm enim tot impendeant, cur non honeſtiſſimo depaciſci velim? Sed vereor ne Pompeio quid oneris imponam* II.

Μή μοι Γοργείην κεφαλὴν δεινοῖο πελώρου.

intorqueat. Mirandum enim in modum Cneius Noſter Sullani regni ſimilitudinem concupiuit. Sed maius capitis periculum incurrit, cùm poſt pugnam Pharſalicam Catone ſuum ipſi exercitum offerente: διωθούμενος τὴν ἀρχὴν ὁ Κικέρων, verba ſunt Plutarchi in Cicerone, καὶ ὅλως φεύγων τὸ συστρατεύεσθαι, παρ' οὐδὲν ἦλθεν ἀναιρεθῆναι, Πομπηίου τοῦ νέου, καὶ τῶν φίλων προδότην ἀποκαλούντων, καὶ τὰ ξίφη σπασαμένων, εἰ μὴ Κάτων ἐστὰς, μόλις ἀφείλετο, καὶ διεξήνεγκεν αὐτὸν ἐκ τοῦ στρατοπέδου. *Imperium reiiciens Cicero, & omninò renuens cum cæteris militare, parum abfuit quin occideretur, Pompeio filio & amicis eum appellantibus proditorem, & gladios educentibus, niſi Cato obſiſtens, vix eum eripuiſſet, & è caſtris tranſtuliſſet.*

Inivstvs rervm æstimator.] III. Iniuſtus rerum æſtimator.

Demoſthenes primâ Olynthiacâ: Καὶ ἔμοιγε δοκεῖ τις ἄν, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, δίκαιος λογιστὴς τῶν παρὰ τῶν θεῶν ἡμῖν ὑπηργμένων, καταστὰς, καίπερ οὐκ ἐχόντων ὡς δεῖ, πολλῶν, ὅλως μεγάλην ἂν ἔχειν αὐτοῖς χάριν εἰκότως. *Et mihi ſanè videtur, Athenienſes, quiuis iuſtus eorum quæ nobis Deorum munere conceſſa ſunt, æſtimator, etiamſi multi non habeant, vt oportet, iure maximam iis gratiam habiturus.* Seneca Troade actu 3.

-Eſt quidem iniuſtus dolor
Rerum æſtimator.-

Anceps fortvna belli.] 4. Æneidos: IV. Anceps fortuna belli.

Ergo anceps pugnæ fuerat fortuna.-

Seneca Thebaide:

Fortuna belli ſemper ancipiti in loco eſt.

Rurſum 10. Æneidos:

Anceps pugna diu.

Varro apud Marcellum: *Quo ſe coniiceret Pompeius, vt ancipiti vrgeretur bello.* Iuſtinus libro 2. *Belli certamen anceps, præmia victoriæ nulla, damna manifeſta.* Anceps autem dictum videtur, quaſi ἀμφιλαβὴς, quòd duas veluti anſas habeat quibus capi & retineri poſſit, vnde fortuna belli anceps, quòd ab vtraque parte capi poſſit, & quaſi in medio ſit conſtituta.

AXIOMATA.

Dubitari non poteſt quæ fuerit eius voluntas de bello qui pacis auctores conſeruandos putat, cæteris eſt iratior.

Incertus eſt exitus & anceps fortuna belli.

Plerumque præſtat non dimicare quàm vincere.

ARGVMENTVM.

Oſtendit etiam Marcellum de pace ſemper agendum putaſſe: eiúſque conſilij rationem exquirens, quod videlicet Pompeij victoris ferocitatem extimeſceret, hinc Cæſaris clementiam exaggerat.

XVI. ATQVE huius quidem rei M. Marcello ſum teſtis. noſtri enim ſenſus, vt in pace ſemper, ſic tum etiam in bello congruebant. quoties ego eum, & quanto cum dolore vidi, cùm inſolentiam certorum hominum, tum etiam ipſius victoriæ ferocitatem extimeſcentem? Quo gratior tua liberalitas, C. Cæſar, nobis, qui illa vidimus, debet eſſe. non enim iam cauſſæ ſunt inter ſe, ſed victoriæ comparandæ.

EXPLANATIO.

HVIVS QVIDEM.] Marcellum teſtari poſſum eadem ſenſiſſe de pace, quæ ego ſentirem.

NOSTRI.] Reddit rationem cur teſtis eſſe poſſit: quia, inquit, noſtri ſenſus congruebant, & erat eadem vtriuſque ſententia, quare mihi animi ſui ſenſum facilè communicabat.

QVOTIES.] Quoties mihi dixit ſe pacem expetere, quòd victoriam Pompeij vereretur, viderétque Cn. Domitium, Lentulum, Scipionem & alios huiuſmodi minari Cæſarianis, & iam quaſi partâ victoriâ de honoribus, & Cæſaris ſummo Pontificatu contendere.

QVO GRATIOR.] Comparatione inſolentiæ & ferocitatis Pompeianorum, Cęſaris moderationem in victoria commendat. quia contraria contrariis oppoſita magis eluceſcunt.

QVI ILLA VIDIMVS.] Qui illam certorum hominum inſolentiam vidimus, & minas Pompeianorum audiuimus.

NON ENIM.] Iam, inquit, quærendum non eſt Cæſárne an Pompeius cauſſam habuerit iuſtiorem, ſed vter moderatiùs vſurus fuerit victoriâ.

NOTÆ.

I. Congruere. CONGRVEBANT.] Feſtus: *Congruere dictum eſt à gruibus quæ non fere ſegregantur ſiue cùm volant, ſiue cùm paſcuntur.* Aliter Ioannes Saraſberienſis libro 1. de nugis curialium cap. 13. de auſpiciis diſſerens: *Grus ſemper adfert quod expedit, vnde & gruere verbum antiquum, à quo congruere quod proficit, & ingruere contra quod officit. Vnde illud,*

-Bis vitibus ingruit imber.

INSOLENTIAM.] De hac certorum hominum inſolentia Plutarchus in Pompeio: ſed parco Græcis, & præſtat rem à fonte arceſſere. Cæſar 3. de bello ciuili: *Iámque inter ſe palam de præmiis & ſacerdotiis contendebant, in annóſque conſulatum definiebant. alij domos bonáque eorum qui in caſtris erant Cæſaris, petebant.* Item: *Iam de ſacerdotio Cæſaris Domitius, Scipio, Spinthérque Lentulus quotidianis contentionibus ad grauiſſimas verborum contumelias palam deſcenderunt, nec quibus rationibus ſuperare poſſent, ſed quemadmodum vti victoria deberent cogitabant.* Pergit: τὴν ἄνοιαν ϗ κουφότητα τῶν πλειόνων, vt Plutarchus appellat, *amentiam & leuitatem* deſcribere. *In caſtris Pompeij videre licuit triclinia ſtrata, magnum argenti pondus expoſitum, recentibus ceſpitibus tabernacula conſtrata. Lucij etiam Lentuli & nonnullorum tabernacula protecta hederâ; multa præterea, quæ nimiam luxuriam, & fiduciam victoriæ deſignarent. vt facilè exiſtimari poſſet nihil eos de euentu eius diei timuiſſe, qui non neceſſarias conquirerent voluptates. Atque hi miſerrimo ac potentiſſimo exercitui Cæſaris luxuriem obiiciebant, cui ſemper omnia ad neceſſarium vſum defuiſſent.* II. Pompeianorum inſolentia.

CERTORVM HOMINVM.] Certos homines appellant, quos nominare aut odioſum, vt hoc loco, aut non neceſſe. vt 1. Æneidos: III.

-equidem per littora certos
Dimittam.

vt iam notauimus pro Sextio 41.

ARGVMENTVM.

Oſtendit Cæſarem leniùs & moderatiùs vſum fuiſſe victoriâ, quàm vſurus fuerat Cn. Pompeius, vt victoris humanitatem magis commendet.

XVII. VIDIMVS tuam victoriam præliorum exitu terminatam: gladium vagina vacuum in vrbe non vidimus. quos amiſimus ciues, eos Martis vis perculit, non ira victoriæ: vt dubitare debeat nemo, quin multos, ſi fieri poſſet, C. Cæſar ab inferis excitaret, quoniam ex eadem acie conſeruat quos poteſt. Alterius verò partis, nihil amplius dicam, quàm id, quòd omnes verebamur, nimis iracundam futuram fuiſſe victoriam.

EXPLANATIO.

I. VIDIMVS.] Vidimus tantam animi tui moderationem, vt ſolo prælicrum exitu, non autem vſu poteſtatis, quam adeptus fueras victoriâ, non oppreſſione Reip. non pœnis & ſuppliciis inimicorum victor fuiſſe videaris.

GLADIVM.] Euaginatum ad necem ciuibus, qui cõtra te pro Pompeio ſteterant, inferendam.

VAGINA VACVVM.] Ait per enallagen vt videtur. non enim propriè gladius vaginâ, ſed vagina gladio vacuatur.

QVOS.] Ciues qui bellis ciuilibus ſunt occiſi, ij in ipſa acie ſiue conflictu ceciderunt, non autem iuſſu Cæſaris victoris & odium ſuum inimicorum ſanguine explentis, ſunt interempti.

MARTIS VIS PERCVLIT.] Belli & prælij impetus euertit.

NON IRA VICTORIÆ.] Alias *victoris*.

VT DVBITARE.] Ad hunc ſyllogiſmum reuocari poteſt oratio.

Qui ex acie conſeruat quos poteſt, libenter occiſos ad vitam reuocaret.

Sed Cæſar victor ciues, quos poteſt, ex acie conſeruat.

Ergo libenter occiſos ad vitam reuocaret.

Aduerte qua arte leniat & mitiget orationem: cùm de ciuium clade loqueretur. non ait, *eos Cæſar occidit armatus*, ſed *eos Martis vis perculit.* cùm de ciuium conſeruatione, id non tribuit Victoriæ, ſed ipſi Cæſari. immò, partis Pompeianæ & iracundam & ferocem ait futuram fuiſſe victoriam: quaſi Cæſar ſuâ clementiâ, ipſius victoriæ naturam conditionémque viciſſet, quam vincere non potuiſſet Pompeius.

NOTÆ.

I. VIDIMVS.] Elegans repetitio. vt in Sextiana 6. *Ademit Albino Soceri nomen mors filiæ, ſed caritatem illius neceſſitudinis & beneuolentiam non ademit.* pro Milone 96. *Negat enim ſe, negat ingratis ciuibus feciſſe, quæ fecit: timidis & omnia circumſpicientibus non negat.* Plinius lib. 3. ep.16. *Poteſtis enim efficere vt malè moriar: ne moriar, non poteſtis.* Quod ad rem ſpectat. Incertus Panegyriſtes Conſtantini hunc locum præ oculis videtur habuiſſe: *Conſtantinus victoriæ licentiam fine prælij terminauit: gladios ne in eorum quidem ſanguine diſtringi paſſus eſt, quos ad ſupplicia poſcebas.* Romam alloquitur.

II. Mars. MARTIS VIS.] Mars metonymicè pro bello, vt etiam pueris notum. vt 6. Æneidos:

- Martémque accendere cantu.

Libro 2. *- Et cæco Marte reſiſtunt.*

Mauors. Mauortem etiam dixerunt Poëtæ. vt Propertius libro 2. eleg. 27.

Cùm Mauors dubias miſcet vtrimque manus.

Mamers. *Mauors*, inquit Cicero 2. & 3. de natura Deorum. quod *magna vortat*, *Mamers* lingua Oſca, vt auctor Feſtus Pompeius:

III. PERCVLIT.] Quid ſit *percellere* ſcitè explicat Paſſeratius ad illa verba Catulli de Nuptiis Pelei.

Cùm teres excelſo coaceruatum aggere buſtum
Excipiet teneros perculſæ virginis artus.

Percellere. *Perculſæ*, inquit, *proſtratæ*. Ennius apud Macrobium:

Percellunt magnas quercus, excinditur ilex.

Apud Priſcianum:

Omnes mortales victores cordibus viuis
Lætantes, vino curatos, ſomnus repente
In campo paſſim molliſſimus perculit acris.

Varro Parmenone apud Nonium:

Alius teneram abietem ſolus percellit.

AB INFERIS EXCITARET.] Frequentiſſima locutio, vt pro Cœlio 33. *Aliquis mihi ab inferis excitandus eſt.* Vide Notas in Sextianam 130. *ab inferis excitaret.* IV.

NIMIS IRACVNDAM.] Plutarchus tamen commendat futuræ victoriæ lenitatem: Ἐπὶ δὲ βουλῆς γνώμης, καὶ γνώμην Κάτωνος εἰπόντος, ἐψηφίσαντο μηδένα Ῥωμαίων ἄνευ παρατάξεως ἀναιρεῖν, μηδὲ διαρπάζειν πόλιν ὑπήκοον Ῥωμαίοις, ἔτι μᾶλλον ἡ Πομπηΐου μερὶς ἠγαπήθη. *Poſtquam verò in Senatu ſecundum Catonis ſententiam decretum eſt, ciuium neminem extra aciem occidere, nec vrbem diripere Romano parentem imperio, magis etiam Pompeij pars dilecta eſt.* Tamen ob certorum hominum inſolentiam prudentiores iram victoriæ metuebant. Noſter lib. 9. ad Att. epiſt. 4. *Bellum crudele & exitioſum ſuſcipi à Pompeio intelligebam. Melioris medici ſfidius ciuis & viri putabam quouis ſupplicio affici, quàm illi crudelitati non ſolùm præeſſe, verùm etiã intereſſe.* Epiſt. 6. *Mirandum in modum Cneus noſter Sullani regni ſimilitudinem concupiuit.* εἰδώς σοι λέγω. *Nihil ille minùs obſcurè tulit. Cùm hócne igitur, inquies, eſſe vis. beneficium ſequor, mihi crede, non cauſſam, vt in Milone, ſed hactenus. Cauſſa igitur non bona eſt? immò optima, ſed agetur, (memento) fœdiſſimè. Primum conſilium eſt ſuffocare Vrbem & Italiam fame: deinde agros vaſtare, vrere, pecuniis locupletum non abſtinere.* Epiſt. 11. *Si enim nihil præter fugam quæreretur, fugiſſem libentiſſimè; Sed genus belli crudeliſſimi & maximi, quod nondum vident homines, quale futurum ſit, perhorrui. Quæ minæ municipiis? quæ nominatim viris bonis? Quæ denique omnibus qui remanſiſſent? Quàm crebro illud, Sulla potuit, ego non potero?* Epiſt. ſequenti: *Craſſipes qui prudentia potuit attendere ſermones minaces, inimicos optimatium, municipiorum hoſtes, meras proſcriptiones, meros Sullas.* Sed hæc antè quàm Pompeius cederet ex Italia, & fieret illud S. C. in Catonis ſententiam. Multis tamen indiciis poſtea conſtitit nimis iracundam futuram fuiſſe victoriam lib. 11. ad Attic. ep. 6. *Me diſceſſiſſe ab armis nunquam pœnituit. Tanta erat in illis crudelitas, tanta cum barbaris gentibus coniunctio, vt non nominatim, ſed generatim proſcriptio eſſet informata: vt iam omnium iudicio conſtitutum eſſet, omnium veſtrûm bona prædam eſſe illius victoriæ. Veſtrum planè dico: nunquam enim de teipſo niſi crudeliſſimè cogitatum eſt: quare voluntatis me meæ nunquam pœnitebit.* Cæſar 3. de bello ciuili, ſi quis ei in ſua cauſſa credendum arbitratur, ita ſcribit. Poſt victoriam Dyrrhachinam, *Luc. Domitius in conſilio dixit, placere ſibi bello confecto, ternas tabellas dari, ad iudicandum iis, qui ordinis eſſent Senatorij, bellóq. vnà cum ipſis interfuiſſent, ſententiáſq. de ſingulis ferrent, qui Romæ remanſiſſent, quique inter præſidia Pompeij non fuiſſent, neq. operam in re militari præſtitiſſent: vnam fore tabellã, qui liberandos omni periculo cenſerent: alteram qui capitis damnarent, tertiam, qui pecuniâ multarent. Poſtremò omnes aut de honoribus ſuis, aut de præmiis pecuniæ, aut de perſequendis inimicis agebant: nec quib. rationibus ſuperare poſſent, ſed quemadmodum victoria vti deberet, cogitabant.* V.

ARGVMENTVM.

Ab antecedentibus futuræ Pompeianorum victoriæ crudelitatem oſtendit, diuinæque prouidentiæ tribuendum ait, quòd Cæſar, non autem Pompeius victoriam fuerit conſecutus.

XVIII. QVIDAM enim non modò armatis, ſed interdum etiam otioſis minabantur: nec quid quiſque ſenſiſſet, ſed vbi fuiſſet, cogitandum eſſe dicebant: vt mihi quidem videantur Dij immortales, etiam ſi pœnas à populo Romano ob aliquod delictum expetiuerunt, qui ciuile bellum tantum, & tam luctuoſum excitauerunt, vel placati iam, vel etiam ſatiati aliquando omnem ſpem ſalutis ad clementiam victoris, & ſapientiam contuliſſe.

EXPLANATIO.

QVIDAM.] Domitius & alij dicebant in hoſtium numero habendos eſſe non eos ſolùm qui Cæſarem ſecuti tuliſſent arma contra Pompeium, ſed etiam eos qui neutrum ſecuti fuiſſent, nec vllam partem bellorum ciuilium attigiſſent.

NEC.] Dicebant etiam non habendam eſſe rationem quâ quiſque fuiſſet erga Pompeium, ſed loci in quo fuiſſet, vt videlicet hoſtium loco ducerentur. qui remanſiſſent in Vrbe, aut quacunque tandem occaſione à Pompeij caſtris abfuiſſent.

VT MIHI.] E dictis oſtendit diuinâ prouidentiâ contigiſſe, vt Cæſar obtineret victoriam, quia Pompeiani victores maiorem Reip. cladem intuliſſent, idque ſignum eſſe dixit Deos eſſe placatos, & finem imponi bellis ciuilibus.

AD CLEMENTIAM.] Qui etiam hoſtibus in poteſtatem redactis ignoſceret.

ET SAPIENTIAM.] Qui hoſtes ab otioſis dignoſceret, nec, vt Pompeiani, putaret eandem vtrorumque eſſe rationem.

NOTÆ.

I. QVIDAM.] Suetonius in Nerone cap. 2. de Domitio: *Conſultante Cn. Pompeio de mediis ac neutram partem ſequentibus, ſolus cenſuit hoſtium numero habendos.* Id tamen verbum immanius ſanè & atrocius ipſi Pompeio videtur etiam excidiſſe. Plutarchus in eius vita: κελεύσας ἅπαντας ἕπεσθαι αὐτῷ τοὺς ἀπὸ βουλῆς, καὶ προειπὼν ὅτι Καίσαρος ἡγήσεται τὸν ἀπολειφθέντα περὶ δείλην ὀψίαν ἀπέλιπε τὴν πόλιν. *Cùm inſiſſet vt ſe omnes Senatores ſequerentur, addidiſſétque, ſe qui remanſiſſent in Cæſarianorum numero habiturum, ſub veſperam Vrbem reliquit.* Et quod modò dicebamus ex epiſt. 11. lib. 9. ad Attic. *Quæ minæ municipiis? quæ nominatim viris bonis? Quæ denique omnibus qui remanſiſſent?* Immò, vt ait Polyænus lib. 8. ſtratagematum: Καῖσαρ Πομπηίου λέξαντος καὶ τοῖς μηδετέρῳ προστεθειμένοις, ἀντεκήρυξε καὶ φίλους ἡγήσεσθαι κατ᾽ ἴσον τοῖς ἐν τῷ συμμαχοῦσιν. *Cæſar cùm edixiſſet Pompeius, ſe hoſtium numero habiturum eſſe eos qui n[illegible] fuiſſent, contrà edixit eos amicorum numero ſe [illegible]turum, perinde vt eos qui cum ipſo [illegible] inuiſſent.*

II. CIVILE BELLVM.] Immò pluſquàm ciuile, nec malè Lucanus ita ſui operis initio nominauit. fuit enim inter Cæſarem Socerum, & generum Pompeium, cuiuſmodi bella non ſolùm ciuilia, ſed pluſquam ciuilia & inteſtina nũcupantur. Gloſſæ Philoxeni *bellum ciuile* ἐμφύλιος πόλεμος. Item: *Inteſtinum bellum*, πόλεμος μεταξὺ συγγενῶν, *bellum inter cognatos, neceſſarios, affines.* Noluit tamen Orator, *bellum inteſtinum* dicere, ſed orationem molliuit, ne Cæſari vel dolorem refricaret affinitatis commemoratione, vel impietatem exprobraret: vt Pompeium aliquando perſtrinxit. interrogantem, *vbi eſt gener tuus Cicero?* reſpondens: *eſt cum ſocero tuo.* vt refert Macrobius. Bellum inteſtinum.

TANTVM.] Non poſſum mihi temperare quin verba L. Flori adſcribam lib. 4. c. 2. *Cæſaris furor atque Pompey Vrbem, Italiam, Gentes, Nationes, totum deniq. qua patebat imperium, quodam quaſi diluuio & cum inflammatione corripuit, adeò vt non rectè tantum ciuile dicatur, ac ne ſociale quidẽ, ſed nec externum, ſed potiùs commune quoddam ex omnib. & plus quàm bellum. Quippe ſi duces adſpicias, totus Senatus in partibus: ſi exercitus, hinc XI. legiones, inde XVIII. flos omnis & robur Italici ſanguinis. Si auxilia ſociorũ, hinc Gallici Germanicíque delectus: inde Deiotarus, Ariorbazanes, Tarchon, Dimotus Corinthius, omne Thraciæ, Cappadociæ, Ciliciæ, Macedoniæ, Græciæ, Italiæ, totiúſque robur Oriẽtis. Si moram belli, quatuor anni, & pro clade rerum breue tempus. Si locum & ſpatium vbi cõmiſſum eſt, intra Italiam, inde, ſe in Galliam, Hiſpaniámq. deflexit. reuerſúmque ab occaſu totis viribus in Epiro Theſſaliáque conſedit. hinc in Ægyptum ſubitò tranſiluit. inde reſpexit Aſiam, Africæ incubuit. poſtremò in Hiſpaniam remigrauit, & ibi aliquando defecit.* Plutarchus in Cæſare cladem ita declarat: Γενομένων δὲ τιμήσεων ἀντὶ τῶν προτέρων δυεῖν καὶ τριάκοντα μυριάδων ἐξητάσθησαν αἱ πᾶσαι πεντεκαίδεκα. τηλικαύτην ἡ στάσις ἀπειργάσατο συμφορὰν, καὶ τοσοῦτον ἀνήλωσε τοῦ δήμου μέρος. *Habito cenſu pro trecentis viginti millibus, quæ priùs erant, cenſa ſunt centum & quinquaginta millia. Tantùm bellum ciuile cladis inuexerat, & tot ciuium capita abſumpſerat.* Quid ſi exteros illo communi orbis incendio inuolutos numeremus? Quãuis fortaſſe Plutarchus cladis magnitudinem verbis non æquauit. ſiquidem, vt ait epitome Liuiana decad. 10. lib. 8. à C. Lentulo, & L. Gellio Cenſoribus. quatuordecim videlicet annis ante finem belli ciuilis, *Luſtrum conditum eſt. cenſa ſunt Ciuium capita CCCCL. millia.* & decade 12. lib. 5. de cenſu Cæſaris ex Africa redeuntis. *Cenſum egit, quo cenſa ſunt ciuium capita CL. millia.* Igitur ex Liuio bello ciuili trecenta ciuium millia perierunt. Quid ſi ad horum numerum III. Bellum ciuile Pompeianũ.

numerum accedant & ij qui paulò pòſt ſub Cn. & Sexto Pompeiis in Hiſpania ceciderunt? vt meritò poëta nobilis exclamet:

Quis non Latino ſanguine pinguior
Campus, ſepulchris impia prælia
Teſtatur, auditúmque Medis
Heſperiæ ſonitum ruinæ? &c.

Suetonius in Iulio cap. 41. quoad numerum Plutarcho ſuffragatur, ſed nullam luſtri aut cenſus facit mentionem. *Ex viginti trecentiſque millibus accipientium frumentum de publico, ad centum quinquaginta retraxit.* Concilient eruditi: nos nec poſſumus, & ad alia properamus.

IV. TAM LVCTVOSVM.] Hinc eſt quod Flaccus & *bellum lugubre*, & Italiam eo bello *luctuoſam* appellat Ode 1. lib. 2. Carm.

Qui gurges, aut quæ flumina lugubris
Ignara belli? Quod mare Dauniæ
Non decolorauere cædes?
Quæ caret ora cruore noſtro?

Bellum ciuile quam luctuoſum.

Ode 6. lib. 3.

Heſperiæ mala luctuoſæ.

Et meritò: nam ſi Poëta πόλεμον δακρυόεντα bellum lacrymabile frequenter appellat, id longè magis de bellis ciuilibus dicendum fuit, & de hoc præſertim, quod adeo luctuoſum fuit, vt antequam collatis ſignis in Pharſalia dimicarent, ab vtroque partium duce lacrymas expreſſerit. Appianus 2. ciuilium: Καὶ φασιν αὐτὸν ἑκάτερον καὶ δακρῦσαι. *& vtrumque fleuiſſe tradunt.* Immò milites ipſi, vt auctor eſt Dio lib. 41. antequam concurrerent: Καὶ ἐς δάκρυα καὶ θρήνον ἔπεσον. *Et in lacrymas & in lamentationem inciderunt.* Vide patheticam ibi deſcriptionem.

V. EXCITAVERVNT.] Notandum illud è Suetonij Iulio cap. 32. Cæſar ad Rubiconem fluuium imperij ſui limitem peruenerat: *Cunctanti oſtentum tale factum eſt. Quidam eximia magnitudine & forma, in proximo ſedens repentè apparuit, arundine canens ad quem audiendum cùm paſtores: plurimi etiam ex ſtationibus milites concurriſſent, intérque eos & æneatores, rapta ab vno tuba proſiluit ad flumen: & ingenti ſpiritu claſſicum exorſus pertendit ad alteram ripam. Tunc Cæſar, Eatur, inquit, quo Deorum oſtenta, & inimicorum iniquitas vocat. Iacta alea eſt.* Appianus nullam quidem facit oſtenti mentionem, eum tamen tãquam diuino inſtinctum afflatu tranſiiſſe dicit, cùm neſcio quid dixiſſet, ὅπῃ τις ἐνδοῖ. Omitto poëticas Lucani & Petronij fictiones.

Bellum ciuile diuinitus excitatum.

VI. DELICTVM.] Quod delictum populus Romanus bellis ciuilibus expiarint, variè à variis diſputatur. Horatius poëticè ad iram Iunonis ob Iugurtham deuictum, & deletam priùs Carthaginem, refert Ode 1. lib. 2. Carm.

Iuno & Deorum quiſquis amicior
Afris inultâ ceſſerat impotens
Tellure victorum nepotes
Rettulit inferias Iugurthæ.

Et lib. 3. Ode 6. ad ſacrilegia & impudicitiam.

Dij multa neglecti dederunt
Heſperiæ mala luctuoſæ.

Vide. Item:

Fœcunda culpæ ſecula, nuptias
Primùm inquinauere & genus & domos,
Hoc fonte deriuata clades
In patriam populúmque fluxit.

Ode 7. epodon ad Romuli parricidium:

Sic eſt: acerba fata Romanos agunt
Scelúſque fraternæ necis.
Ex quo immerentis fluxit ad terram Remi
Sacer nepotibus cruor.

Belli ciuilis cauſſæ.

Appianus initio bellorum ciuilium ad Tiberij Gracchi necem: Ξίφος δ' οὐδὲν πω παρενεχθὲν ἐς ἐκκλησίαν, οὐδὲ φόνος ἔμφυλον, πρὶν γε Τιβέριος Γράκχος δημαρχῶν καὶ νόμους εἰσφέρων ἐν στάσει ἀπώλετο, &c. καὶ ἐκ ἀγέρον ἔτι αἱ στάσεις ἐπὶ τῷδε τῷ μύσει. *Gladius verò nondum illatus fuerat in concionem, nec ciuis interemptus antequam Tiberius Gracchus Tribunus plebis leges ferens in ſeditione occiſus eſt, &c. & ob hoc piaculum perpetuis diſcordiis & ſeditionibus eſt expiatum.* Dionyſius Halicarnaſſeus lib. 8. refert ad Sullanorum iniuſtitiam, qui liberos proſcriptorum ab honoribus & Rep. ſubmouerant: Τοὺς παῖδας τῶν ἐπικηρυχθέντων ἐπὶ Σύλλα πατέρων ἀτελέσμενοι τὸ μετεῖναι ταῖς πατρίοις ἀρχαῖς, καὶ βουλῆς μετέχειν, καθ' ὃν ἐδυνάστευον αὐτοὶ χρόνον, ἐπίφθονόν τ' ἀνθρώποις, καὶ νεμεσητὸν θεοῖς ἔργον ἔδοξαν ἀποδείξασθαι. τοιγάρτοι δίκη μετ' ἐκείνοις σὺν χρόνῳ τιμωρὸς οὐ μέμπτη παρηκολούθησε, δι' ἣν ἐκ μεγίστου τ' αὐχήματος εἰς ταπεινότατον πτῶμα ἦλθοσαν, καὶ οὐδὲ γένος τὸ ἐξ αὐτῶν, ὅτι μὴ κατὰ γυναῖκας ἀπολείπεται. *Qui proſcriptorum à Sylla liberos curia publicíſque patriæ honoribus, quandiu rerum potiti ſunt, prohibuerunt, viſi ſunt rem inuidioſam apud homines, & Deorum indignatione dignam facere. Quapropter procedente tempore non euaſerunt diuinam vltionem, ex altiſſimo faſtigio ſic deiecti, vt ne genus quidem eorum, niſi per fœminas deductum ſuperſit.* Plutarchus, Dio & alij in κακοπολιτείαν, ſiue malam Reip. adminiſtrationem bellum ciuile retulerunt. vide Lucanum libro primo à verſu 170. inter cætera.

Hinc rapti faſces populo, ſectórque fauoris
Ipſe ſui populus, lethaliſque ambitus vrbi
Annua venali referens certamina campo.

Adeò vt diuina prouidentia bellis ciuilibus non ſolùm ambitum & luxum puniuiſſe, ſed etiam imperij ſaluti conſuluiſſe videatur. Plutarchus in Cæſare: Πολλοὶ δ' ἦσαν οἱ καὶ λέγειν ἐν μέσῳ τολμῶντες ἤδη, πλὴν ὑπὸ μοναρχίας ἀνήκεστον εἶναι τὴν πολιτείαν, καὶ τὸ φάρμακον τοῦτο χρῆναι τοῦ πρᾳοτάτου τῶν ἰατρῶν ἀναςχέσθαι προσφέροντος, ὑποδηλοῦντες τὸν Πομπήϊον. *Multi erant qui palam dicere iam auderent, Rempublicam ſanari non poſſe, niſi ſi in vnius poteſtatem deueniret. Hoc autem remedium recipiendum Medicorum leniſſimo exhibente, Pompeium videlicet innuebant.* Sed præclarè Cratippus Philoſophus Mitylenis, cùm Pompeius à Pharſalia fugiens, de diuina prouidentia quereretur, nec tamen negaret, ὅτι τοῖς πράγμασιν ἤδη μοναρχίας ἔδει διὰ τὴν κακοπολιτείαν. *Rempub. ob malam adminiſtrationem monarchia iam indigere* reſpondit: Πῶς, ὦ Πομπήϊε, καὶ τίνι τεκμηρίῳ πεισθῶμεν ὅτι βέλτιον ἂν σὺ τῇ τύχῃ Καίσαρος ἐχρήσω κρατήσας; *Quomodo, ô Pompei, & quo ſigno perſuadebimur, futurum fuiſſe, vt tu meliùs, quàm Cæſar fortunâ victor vterere.* Hæc Plutarchus in Pompeio. nec abludit Orator à dicto Cratippi Deum aiens, *Omnem ſpem ſalutis ad clementiam victoris & ſapientiam contuliſſe.*

ARGVMENTVM.

Redit ad id quod à numero ſeptimo inſtituerat dicere, & concludit laudem, quam Cæſar ignoſcens Pompeianis adeptus fuerat, non fortunæ, ſed virtuti Cæſaris eſſe tribuendam.

XIX. QVARE gaude tuo iſto tam excellenti bono, & fruere cum fortuna & gloria, tum etiam natura & moribus tuis: ex quo quidem maximus eſt fructus, iucunditáſque ſapienti. cætera cùm tua recordabere, etſi perſæpe virtuti, tamen plerumque felicitati tuæ congratulabere: de nobis, quos in Repub. tecum ſimul ſaluos eſſe voluiſti, quoties cogitabis, toties de maximis tuis beneficiis, toties de incredibili liberalitate, toties de ſingulari ſapientia tua cogitabis: quæ non modò ſumma bona, ſed nimirum audebo vel ſola dicere. tantus eſt enim ſplendor in laude vera, tanta in magnitudine animi & conſilij dignitas, vt hæc à virtute donata, cætera à fortuna commodata eſſe videantur.

EXPLANATIO.

QVARE GAVDE.] Cùm non ſolùm te fortuna ad victoriam prouexerit, ſed etiam Dei prouidentia te victorem eſſe voluerit, quòd ſciret te victoria & poteſtate benignè & ſapienter vſurum, eſt ſanè quòd gaudeas iſto bono, quod & excellens eſt, quippe qui prælatus fueris Pompeio, & tuum reuera ac proprium, nec felicitati ſolùm tributum tuæ, ſed etiam virtuti, clementiæ; & ſapientiæ qua cæteros antecellis.

FRVERE CVM FORTVNA.] Quia ſuperiùs res bellicas aliquantùm verbis depreſſerat, quòd ex eis multum fortuna libaret, nunc eandem commendat, ne fortunam qua Cæſar omnia ſumma fuerat conſecutus, dicendo deterere videatur, quaſi diceret. Quòd ſuperiùs dixi bellicas laudes à quibuſdam extenuari, quòd ex iis multùm ſibi fortuna decerpat, non ideo dixi, quòd tuam, C. Cæſar, felicitatem contemnerem. immò eam magnifacio, ſed ei tamen virtutem, animi magnitudinem, & clementiam antepono: téque hortor vt fruaris delecteríſque fortuna tua & gloria militari, ſed tamen fructum clementiæ tuæ rebus bellicis & ipſi victoriæ anteponas: quia ex natura & moribus maximus eſt fructus iucunditáſque ſapienti.

CÆTERA.] Cùm recordabere Gallias ſubactas, Rhenum ponte commiſſum, Oceanum tuis nauibus tranſmiſſum, victum Pompeium, Catonem, Iubam cæteráſque victorias etſi perſæpe virtuti gratulabere, cùm eorum multa ad optatum exitum conſilio, vigilantia, fortitudine perduxeris, plerumque tamen & multò ſæpiùs acceptas fortunæ victorias referes, quas conſecutus non fuiſſet, ſi fortuna tuis conatibus defuiſſet.

DE NOBIS.] De me, Marcello, Bruto cæteris omnibus qui Pompeium ſecuti ſumus, quibus ignouiſti, quoties cogitabis, toties de incredibili liberalitate tua, qua nos, etſi victoriæ iure occidere poteras, ſeruaſti, toties de ſingulari ſapientia tua, qua iudicaſti à pleriſque ignoratione potiùs, & falſo atque, inani metu, quàm crudelitate aut cupiditate bellum ciuile eſſe ſuſceptum, cogitabis.

IN REP.] Clementiam Cæſaris oſtendit, qui non ſolùm Pompeianis lucis vſuram, ſed etiam ciuitatis ius & Reipubl. conceſſerat, vt cum eo Repub. & libertate fruerentur, quamquam, vt ait alicubi Noſter, dominante Cæſare non tam libertas, quàm quædam libertatis vmbra remanebat.

QVÆ NON.] Vt clementiæ Cæſarianæ laudem exaggeret recurrit ad Stoicorum paradoxum. Felicitatem, diuitias, gloriam, victorias, cætera huiuſmodi fortunæ munera verè bona non eſſe, ſed ἀδιάφορα, quippe quibus bene vel malè quis vti poſſit, ſed ſolam virtutem poſſe bonam nominari. quia tamen id erat præter vulgi opinionem vtitur verbo *audendi*, quaſi diceret, non verebor id effatum pronuntiare, quantumuis vulgi diſſentientis opinio refragetur.

TANTA.] Probat ſuum illud paradoxum hac ratione.

Illud eſt verè bonum quod à virtute donatum homini eſt, non à fortuna commodatum.

Sed magnitudo animi, clementia, ſapientia à virtute donatæ ſunt, felicitas, diuitiæ, gloria, victoriæ ſunt à virtute commodatæ.

Ergo illa, non hæc verè bona cenſenda ſunt.

Propoſitionis probatio obſcurè verbis, *Virtute, fortuna, donata, commodata*, inuoluitur. nam quæ commodantur, ea repeti poſſunt, quæ donata, ea tanquam propria, & mancipio poſſidemus.

NOTÆ.

TVO.] Ad diſtinctionem bonorum fortunæ. Seneca epiſtola 8. *Quantùm diſertiſſimorum verſuum inter mimos iacet? quàm multa Publij non excalceatis, ſed cothurnatis dicenda ſunt*, &c. I.

Alienum eſt omne quicquid optando venit. Fortuita non
Hunc verſum à te dici non paulò meliùs & adſtrictiùs memini. ſunt noſtra.

Non eſt tuum fortuna quod fecit tuum.

Illud etiam num meliùs dictum à te non præteribo.

Dari bonum quod potuit, auferri poteſt.

Sed hîc morandum non eſt, cùm hoc ipſum Epictetus, tanquam principium præmittat, & ad illud tanquam ad ſcopum vitæ collineet.

II. NATVRA ET MORIBVS.] Benè naturam moribus coniungit, quia virtutes non ſolùm inſita vi naturæ, ſed etiam moribus, & exercitio comparantur. Lyricus lib.3. Carminum:

Doctrina ſed vim promouet inſitam,
Rectique cultus pectora roborant,
Vtcunque defecere mores
Dedecorant bene nata culpæ.

Natura & mores.

Vide Cœlianam §.11. Nota *ſua grauitate*. Zeno quadam epiſtola ad Antigonum: Φύσις δ᾽ εὐγενὴς μετρίαν ἄσκησιν προσλαβοῦσα ἐπί τι. legerim, ἔπειτα τὸν ἀφθόνως διδάσκοντα ῥᾳδίως ἔρχεται πρὸς τὴν τελείαν ἀνάληψιν τῆς ἀρετῆς. *Bona natura mediocrem exercitationem nacta; & præceptorem candidè docentem, facilè venit ad perfectam virtutis comprehenſionem.* Eumenius Panegyr. Conſtantini: *Gratulare, Conſtantine, naturæ ac moribus tuis, quòd talem te Conſtantius pius genuerit, talem ſiderum decreta formarint, vt crudelis eſſe non poßis.*

III. FRVCTVS.] Hunc beneficiorum & liberalitatis fructum vt oſtenderet, *Egregiè*, inquit Seneca libro ſexto de beneficiis, *mihi videtur M. Antonius apud Rabirium poëtam, cùm fortunam ſuam tranſeuntem aliò videat, & ſibi nihil relictum præter ius mortis, id quoque ſi citò occupauerit, exclamare. Hoc habeo quodcunque dedi.*

IV. FELICITATI.] Quantam habuerit Cæſar in ſua fortuna ſiue felicitate fiduciam, illud teſtatur quòd cùm Dyrrachio Brunduſium petiturus ignotus ſe nauiculæ credidiſſet, nautis metu naufragij iam exanimatis: Αἰδοὐμενος ὁ Καῖσαρ ἀναδείκνυσι ἑαυτὸν, καὶ τοῦ κυβερνήτου λαβόμενος τῆς χειρὸς ἐκπεπληγμένου πρὸς τὴν ὄψιν. Ἴθι, ἔφη, γενναῖε, τόλμα, καὶ δέδιθι μηδέν. Καίσαρα φέρεις, καὶ τὴν Καίσαρος τύχην συμπλέουσαν. *Id ſentiens Cæſar, ſe ipſum indicat, & manu gubernatoris admiratione ſubita perculſi apprehenſa, Macte, vir generoſe, inquit, aude, nihil metue. Cæſarem vehis & fortunam eius ſimul nauigantem.* Ita Plutarchus in Cæſare: eadem repetit opuſculo de fortuna Romanorum, & addit: Οὕτως ἐπέπειστο τὴν τύχην αὐτῷ συμπλεῖν, συναποδημεῖν, συστρατεύεσθαι, συστρατηγεῖν. ἧς ἔργον ἦν γαλήνην μὲν ἐπιτάξαι θαλάσσῃ, θέρος δὲ χειμῶνι, τάχος δὲ τοῖς βραδυτάτοις, ἀλκὴν δὲ τοῖς ἀθυμοτάτοις, τὸ δὲ τούτων ἀπιστότερον, φυγὴν Πομπηΐῳ, καὶ Πτολεμαίῳ ξενοκτονίαν, ἵνα καὶ Πομπήϊος πέσῃ, καὶ Καῖσαρ μὴ μιανθῇ. *Adeo certus animi erat Cæſar fortunam ſibi nauiganti, peregrinanti, belligeranti, aciem inſtruenti adeſſe. Cuius eſſent partes mari tranquillitatem imponere, æſtatem hiemi, celeritatem tardißimis, vires ſegnißimis, & (quod his eſt incredibilius) fugam Pompeio, Ptolemæo cædem hoſpitis, vt & caderet Pompeius, neque pollueretur Cæſar.* Lucanus libro 5. ver. 510.

Vix famulis audenda parat, cunctiſque relictis
Sola placet fortuna comes.-

Mox in hac tempeſtate orationi plenis velis indulgens ver. 579. ait:

Fiſus cuncta ſibi ceſſura pericula Cæſar,
Sperne minas, inquit, pelagi, ventóque furenti
Trade ſinum. Italiam ſi cœlo auctore recuſas:
Me pete. Sola tibi cauſſa hæc eſt iuſta timoris
Vectorem non noſſe tuum: quem numina nunquam
Deſtituunt: de quo malè tunc fortuna meretur,
Cùm poſt vota venit, medius perrumpe procellas

Cæſaris fortuna.

Fortunâ ſecure meâ. Cœli iſte fretique
Non noſtræ puppis labor eſt: hanc Cæſare preſſam
A fluctu defendet onus: nec longa furori
Ventorum ſæuo dabitur mora: proderit vndis
Iſta ratis. nec flecte manus: fuge proxima velis
Littora. Tum Calabro portu te crede potitum,
Cùm iam non poterit puppi, noſtræque ſaluti
Altera terra dari. Quid tantâ ſtrage paretur
Ignoras? quærit pelagi cœlique tumultu
Quid præſtet fortuna mihi.

Ingenioſè quidem multa. ſed omnia indecôrè. Quorſum enim in tanta trepidatione nautarum, tam exultans, tam luxurians, ſiue potiùs triumphans oratio. Quid, quòd idem penè decies expreſſit. Quid, quòd poſt iſta verborum plauſtra, quorum

-οὐδ᾽ ἂν νηῦς ἑκατόζυγος ἄχθος ἄροιτο.

vereri videtur vt nimis ieiunè loquentem induxerit. *Nec plura locuto*, inquit. Næ importunus fuerat, ſi vel dimidium protuliſſet. Sed vereor, ne & ipſe iam exuberem.

Ad Cæſaris fortunam referendum, quòd cum bis & quinquagies, collatis ſignis conflixerit. *Ipſe*, vt ait Suetonius cap. 36. *proſperrimâ ſemper, ac ne ancipiti quidem vnquam fortuna præterquam bis dimicauit.* Appianus 2. ciuilium: Οὐδ᾽ ἔργον ἕτερον ἡγοῦμαι τύχης, ἐν ἀπόρῳ κινδύνῳ γενέσθαι μᾶλλον ἢ Κάσσιον τὸν πολεμικώτατον ἐπὶ τριηρῶν ἑβδομήκοντα ἀπαρασκεύῳ Καίσαρι συντυχόντα μηδ᾽ ἐς χεῖρας ἐλθεῖν ὑποστῆναι. *Neque exiſtimo aliud opus fortunæ in rebus propemodum deſperatis magis Cæſari contigiſſe, quàm quòd Caßius ille fortißimus cùm imparato Cæſari cum ſeptuaginta triremibus occurriſſet, ne ad manus quidem venire ſuſtinuit.* Quin etiam ipſe Caſſius: Τὰς χεῖρας ὤρεγεν ἐς αὐτὸν ἀπὸ τριηρῶν, ἐς σκάφη καὶ συγγνώμην ᾔτει, &c. *Manus tetendit ad ipſum è triremibus in ſcaphas veniámque orauit.* Omitto qua felicitate inſidias Achillæ & Photini euaſerit, & rebus iam deſperatis ad Mundam, leui occaſione ſuperarit.

AVDEBO VEL SOLA.] Stoicorum paradoxum. paradoxa vocabant opiniones quaſdam mirabiles, quæ non probarentur in vulgus, ſed præter opinionem dicerentur. Hoc autem paradoxum, *Solam virtutem eſſe Bonum*, è multis tum Senecæ, tum aliorum Stoicorum dictis elicitur. Ille epiſt. 74. *Nam qui alia bona iudicat, venit in fortunæ poteſtatem, alieni arbitrij fit.* vbi ex profeſſo demonſtrat, *vnum bonum eſſe quod honeſtum eſt.* & virtutem ſeipſa contentam, aliis non indigere: *Quæris quare virtus nullo egeat? præſentibus gaudet; non concupiſcit abſentia.* Nam quod ſpectat ad corporis voluptates, & cætera huiuſmodi: *Aut iſta bona non ſunt quæ vocantur, aut homo felicior Deo eſt.* vide epiſt. 31. *Fac te ipſe felicem. Facies autem ſi intellexeris bona eſſe quibus admixta eſt virtus, turpis quibus malitia coniuncta eſt.* De cæteris quæ bona dicuntur, paulò pòſt: *Parem autem Deo pecunia non faciet. Deus nihil habet. Prætexta non faciet. Deus nudus eſt. Fama non faciet nec oſtentatio tui, & in populos nominis demiſſa notitia. Nemo nouit Deum, multi de illo malè exiſtimant, & impune. Non turba ſeruorum lecticam tuam per itinera vrbana & peregrina portantium. Deus ille maximus, potentißimuſque ipſe vehit omnia. Ne forma* V.

Sola virtus bonum.

quidem & vires beatum te facere poſſunt, nihil horum non patitur vetuſtatem. Quærendum eſt ergo quod non fiat in dies deterius, cui non poſſit obſtari, quo nil melius poſſit optari. Quid eſt hoc? animus, ſed hic rectus, bonus, magnus. Quid aliud voces hunc quàm Deum in humano corpore hoſpitantem? &c. Hanc ſententiam Lipſius libro 2. manuductionis ad Stoicam philoſophiam multis rationibus, & Brachmanum, Cynicorum, Platonis, Scripturæ, Patrum auctoritate cõfirmat. vnicam Tullius rationem attingit: quòd honeſtas à virtute donata, cætera à fortuna commodata eſſe videantur. Neque opus eſt alias rationes expendere: quippe cùm ipſe Seneca multas diſputationes inter Stoicos cæteróſque philoſophos non in rebus ipſis, ſed in voculis quibuſdam poſitas eſſe fateatur. lib. 2. de beneficiis cap. 55. *A conſuetudine quædam quæ dicimus abhorrent, deinde aliâ viâ ad conſuetudinem redeunt. Negamus iniuriam accipere ſapientem: & tamen qui illum pugno percuſſerit, iniuriarum damnabitur. Negamus rem ſtulti eſſe, & tamen eum qui rem aliquam ſtulto ſurripuerit, furti condemnabimus. Inſanire omnes ſtultos dicimus, nec tamen omnes curamus elleboro. His ipſis quos vocamus inſanos, ſuffragium & iuriſdictionem committimus.* Sed hæc hactenus.

VII. A VIRTVTE DONATA.] Publ. Syrus in fragmentis: *Homo vitæ commodatus, non donatus eſt.* A virtute donata ait quæ quaſi propria, & vt ſic loquar, iure mancipij poſſidemus, adeò vt nobis inuitis eripi non poſſint. Epictetus in Enchir. cap. 1. Τῶν ὄντων τὰ μέν ἐστιν ἐφ' ἡμῖν, τὰ δ' οὐκ ἐφ' ἡμῖν. ἐφ' ἡμῖν μὲν ὑπόληψις, ὁρμή, ὄρεξις, ἔκκλισις, καὶ ἑνὶ λόγῳ, ὅσα ἡμέτερα ἔργα· οὐκ ἐφ' ἡμῖν δὲ τὸ σῶμα, ἡ κτῆσις, δόξαι, ἀρχαί. καὶ ἑνὶ λόγῳ ὅσα οὐχ ἡμέτερα ἔργα. *Res quædam in poteſtate noſtra ſunt, quædam non ſunt. In noſtra poteſtate eſt opinio, appetitio, deſiderium, auerſatio, &, vt vno complectar verbo, qualibet noſtræ actiones. Noſtri arbitrij non ſunt, corpus, pecunia, gloria, imperia. ad ſummam, ea quæ ipſi non agimus, omnia.* Et quo infert capite ſequenti: Καὶ τὰ μὲν ἐφ' ἡμῖν ἐστὶ φύσει ἐλεύθερα, ἀκώλυτα, ἀπαρεμπόδιστα. *Ea que in noſtra poteſtate ſunt, libera ſunt natura ſua, nec prohiberi, aut impediri poſſunt.*

Noſtra ſunt ea quæ à noſtra libertate dependent.

VIII. CÆTERA.] Quæ ab Academicis & Peripateticis bona corporis, aut fortunæ, à Stoicis ἀδιάφορα, indifferentia, media nominantur. Ita tamen, vt re conſentirent, quibuſdam verborum ſuperſtitionibus diſſiderent. Negabant ſanitatem, diuitias, gloriam eſſe bona, commoda eſſe non negabant. Seneca epiſt. 87. *Alia eſt commodorum conditio, alia bonorum. commodum eſt quod plus vsûs habet quàm moleſtiæ: bonum eſt ſincerum, & ab omni parte innoxium.* Orator 4. de finibus: *Res quas nos bonas dicimus, Zeno conceſſit, vt haberentur aptæ, habiles, & ad naturam accommodatæ, faterique cœpit ſapienti commodius eſſe ſi ea quoque habeat.* Rurſum Seneca epiſt. 74. *Bona illa ſunt vera, quæ ratio dat: cetera opinione bona ſunt. Itaque commoda vocentur, & vt noſtra lingua loquar, producta.* 92. *Commoda ſunt in vita & incommoda, vtraque extra nos.* Id eſt, non in noſtra poteſtate, extra animum.

Bona commoda.

A FORTVNA COMMODATA.] Quid ſit commodare explicant Iſidorus, Beda, Agretius: IX. *Commodamus quæ redduntur eadem, vt equum, ſeruum, veſtem. mutuo damus quæ non redduntur eadem, vt nummus, triticum vinum, & ſimilia.* Paulus D. de rebus creditis: *Mutuum damus recepturi non eandem ſpeciem, quam dedimus, alioqui commodatum erit, aut depoſitum.* E quibus elicias rationem cur fortuita nequaquam in bonis cenſeantur. quia nimirum non transfertur in nos dominium, ſed reddenda ſunt cùm primùm fortuna res ſuas à nobis, quaſi commodatas exegerit. Seneca epiſt. 72. *Omnia autem, quibus vulgus inhiat, vltro citróque fluunt: nihil dat fortuna mancipio.* Epictetus in Enchir. cap. 15. Μηδέποτε ἐπὶ μηδενὸς εἴπῃς, ὅτι ἀπώλεσα αὐτό, ἀλλ' ἀπέδωκα. τὸ παιδίον ἀπέθανεν; ἀπεδόθη. τὸ χωρίον ἀφῃρέθη; οὐκοῦν καὶ τοῦτ' ἀπεδόθη. Ἀλλὰ κακὸς ὁ ἀφελόμενος. Τί δέ σοι μέλει διὰ τίνος σε ὁ δοὺς ἀπῄτησε; μέχρι δ' ἂν διδῷ, ὡς ἀλλοτρίου αὐτοῦ ἐπιμελοῦ, ὡς τοῦ πανδοχείου οἱ παριόντες. *Nunquam te quicquam perdidiſſe dicito, ſed reddidiſſe. Filiolus obiit? redditus eſt. Prædium eſt ereptum? Id quoque eſt redditum. At improbus eſt qui eripuit. Quid id tua refert, per quem is qui dederat, abs te repetierit? Sed quamdiu conceſſerit, tanquam alienum, id curato vt cauponam viator.* Quare ſapienter in Cebetis tabula Genius monet, eos qui diuitias & felicitatem à fortuna commodatum acceperint, μὴ γίνεσθαι ὁμοίους τοῖς κακοῖς τραπεζίταις. *malos menſarios non imitari.* Καὶ γὰρ ἐκεῖνος, ὅταν μὲν λάβωσι τὸ ἀργύριον παρὰ τῶν ἀνθρώπων, χαίρουσι, καὶ ἴδιον νομίζουσιν εἶναι· ὅταν δ' ἀπαιτῶνται, ἀγανακτοῦσι, καὶ δεινὰ οἴονται πεπονθέναι, οὐ μνημονεύοντες, ὅτι ἐπὶ τοῦτ' ἔλαβον τὰ θέματα, ἐφ' ᾧ οὐδὲν κωλύειν τὸν θέμενον πάλιν κομίσασθαι. *Nam mali nummularij acceptâ ab aliis pecuniâ gaudent, tanquam ſuâ, eadémque repetitâ indignantur, atque iniuriam ſibi factam putant: obliti nimirum ea conditione apud ſe fuiſſe depoſitam, vt abſque vllo impedimento à creditore reciperetur.* Ita, τοιαύτην ἔχει φύσιν ἡ τύχη, ὥστε ἃ δέδωκεν ἀφελέσθαι. *Ea eſt fortunæ natura, vt quæ dederit, eripiat.* Quo fortaſſe reſpexerit frequens illa Chriſti Domini hortatio, vt refert Clemens 1. ſtromatum, & Caſſianus: Γίνεσθε δόκιμοι τραπεζῖται. *Eſtote boni nummularij.* Vt cum neſcio quo dicere poſſimus:

Commodare.

Bona fortunæ non donantur, ſed commodantur.

Laudo manentem: ſi celeres quatit
Pennas, reliquo quæ dedit, & mea
Virtute me inuoluo, probámque
Pauperiem ſiue dote quæro.

Verè. nam, vt ait ille mimus:

Leuis eſt fortuna, citò repoſcit quæ dedit.

AXIOMATA.

Ex moribus maximus eſt fructus iucunditáſque ſapienti.

Tantus eſt ſplendor in laude vera, tanta in magnitudine animi & conſilij dignitas, vt hæc à virtute donata, cætera à fortuna commodata eſſe videantur.

ARGVMENTVM.

Priorem orationis partem concludit, Cæſarem hortans ne bonos ciues qui errore quodam humano lapſi fuerant, ſequentes Pompeium, conſeruare, & in patriam reuocare deſiſtat.

NOLI igitur in conſeruandis bonis viris defatigari, non cupiditate praeſertim, aut prauitate aliqua lapſis, ſed opinione officij, ſtulta fortaſſe, certè non improba, & ſpecie quâdam Reipub. non enim tua vlla culpa eſt, ſi te aliqui timuerunt: contráque ſumma laus, quòd plerique minimè timendum fuiſſe ſenſerunt. XX.

EXPLANATIO.

NOLI IGITVR.] Cùm in liberalitate & clemētia tantum ſit dignitatis, vt honores, imperia, victoriæ, triumphi, ſi cum illis animi bonis conferantur, bona ne cenſeantur quidem, noli ab inſita illa tuâ benignitate deſiſtere. Cùm præſertim ij qui ſecuti ſunt Pompeium, boni ſint viri, nec odio tui aut quadam malitia & improbitate bellum illud contra te ſuſceperint: ſed partim opinione officij, quòd obligari ſe putarent ad ſequendum Pompeium, cui multis beneficiis erant obligati. partim ſpecie quadam Reip. cùm putarent bellum à Pompeio pro defendendâ libertate & tuendis patriæ legibus eſſe ſuſceptum.

STVLTA FORTASSE.] Cauet Cæſaris offenſionem, ſi honeſtum dicat fuiſſe ſequi Pompeium: eos tamē qui ſecuti fuerant, excuſat; quia ignoratione potiùs & falſo atque inani metu, quàm crudelitate aut cupiditate ciuile bellum ſuſceperant.

NON ENIM.] Multos dixerat ſpecie Reip. fuiſſe lapſos, id eſt, ſecutos fuiſſe Pompeium, quòd Remp. à Cæſare impugnari putarent, à Pompeio defendi, quod licet apertè non dicat quia tamen intelligi facilè potuit, & eſſe Cæſari odioſum, Cæſarem prudenter excuſat: ac ſi clariùs dicat: Multi Pompeio adhæſerunt ſpecie Reip. nam & Senatus & Conſules, & cæteri penè magiſtratus cum Pompeio ſentiebant, téque tamquā aduerſarium Reip. & inuaſorem Imperij metuebant. In quo licet eos excuſem qui ita ſenſerunt, non tamē dico illud tuâ culpâ contigiſſe. Non enim tua culpa eſt ſi te aliqui timuerunt, cùm enim nonum iam annum abeſſes à Senatu, multi neſciebant quid de Rep. ſentires, ac proinde te metuebant.

CONTRAQVE.] Signum eſt te optimum ciuem fuiſſe, quòd etiam abſens, & Romæ tuorum inimicorum inſidiis in inuidiam vocatus, tamē multis perſuaſeris te minimè timendum eſſe, nihílque aliud quæſiiſſe bellis ciuilibus, quàm vt ciuibus libertas oppreſſa Pompeianorum factione, Tribunisplebis ius intercedendi, ſplendor ſuus Reipub. redderetur. Libet hîc tantiſper in veſtigio conſiſtere. Pro reſtitutione Marcelli Cæſari gratias acturus, propoſuit laudem, quam hoc facto adeptus fuerat Cæſar, maiorem & illuſtriorem fuiſſe, laude bellica & omnibus eius victoriis ac triumphis. Ne tamen eius gloriam militarem verbis extenuare videatur §. 5. res ab eo geſtas omnium priùs Regum, populorum, Imperatorum victoriis anteponit. deinde §. 6. rationes adfert cur multi gloriæ militari detrahant, & quia periculū erat ne Cæſarem huic arti deditum offenderet, quid ipſe ſentiat nō expromit, loquens ex aliorum ſententia. §. 7. oſtendit cauſſas ob quas nonnulli reb. bellicis detrahunt, in clementia & victoria ſui locum non habere: quam artis bellicæ & clementiæ comparationem tractat vſque ad 12. §. Vbi Cæſarem ait non ſolùm viciſſe cæteros bellorum ciuilium victores, ſed etiam naturam & conditionem ipſius victoriæ. à §. 13. ad 19. lenitatem Cæſaris hinc exaggerat, quòd ipſe ſemper abhorruerit à bello ciuili, & faciliùs iis qui pacis auctores fuerant, quàm cæteris, indulſerit. §. 19. redit ad comparationem gloriæ militaris & clementiæ, eámque concludit Stoico paradoxo: *Id ſolum bonum eſſe, quod à noſtra vna voluntate dependet, quod à virtute donatur, non quod à fortuna commodatur.* Tandem exhortatione concludit, vt Cæſar benè mereri de bonis ciuibus perſeueret, & ne quem in animis auditorum exulceratis ſtimulum relinquat, ita Pompeianas partes excuſat, vt præcipuam tamen laudem in Cæſarem deriuet.

NOTÆ.

DEFATIGARI.] Videri poſſit ἀκυρολογία. nam vt ſcribit Seruius ad illud 8. Æneidos: I. Fatigatus; Feſſus.

-Ter feſſus valle reſedit.

Corpore fatigatum dicimus, animo verò feſſum. Fruſtrà eſt, nam & ibi Hercules corpore magis quàm animo feſſus deſcribitur, & frequenter etiam dicitur animus fatigari. vt apud Propertium lib. 2. eleg. 20.

Quidve mea de fraude Deos inſana fatigas?

CVPIDITATE.] τῇ πλεονεξίᾳ, quæ habendi & aliena rapiendi cupiditas ſolet eſſe mater iniuſtitiæ. Catullus de Nuptiis Pelei & Thetedos: II. Cupiditas.

Sed poſtquam tellus ſcelere eſt imbuta nefando,
Iuſtitiámque omnes cupida de mente fugarunt.

Sed hîc non moramur.

OPINIONE.] Quid ſit opinio, iam expoſuimus in Vatinianam. III.

OFFICII.] Infrà 30. *Multi dubitabant quid optimum eſſet, multi quid ſibi expediret, multi quid deceret, nonnulli etiam quid liceret.* Officium autē ab *efficiendo* dictum, quòd Greci πρακτέον, *efficium* dicerent. De quo Tullius 1. de officiis, vbi aliud officium κατόρθωμα, aliud καθῆκον appellat, D. Item Ambroſius 1. de officiis cap 9. 10. 11. conſulantur. Donatus in Adelph. *Officium dicitur, quaſi efficium ab efficiendo, quod vnicuique perſonæ congruit.* E quibus & ex Auguſtini Dathi ſententiâ Franciſcus Sanctius refellit Grammaticorum antiphraſim, quâ dictum *officium aiunt ab officiendo, quod nemini officiat vel noceat.* IV. Officium.

SPECIE QVADAM REIP.] Vide orationem pro Deiotaro §. 10. V.

AXIOMATA.

Non oportet in conſeruandis bonis viris defatigari.

In bellis ciuilibus non ſemper culpa ducis eſt, ſi eum aliqui timent, contráque ſumma laus quòd plerique minimè timendum putant.

Dilutio ſuſpicionis inſidiarum, à 21. ad 33.

- inſinuatione & ſimulatione timoris. 21.
- partium enumeratione. 22. non inſidiantur
  - aut Cæſariani.
  - aut Pompeiani.
- à ſceleris atrocitate quam in quemquam cadere probabile non eſt. 23.
- hortatione ad ſuſpicionem digreſſione obruendam, vt Cæſar ſeipſum conſeruet
  - à neceſſitate publica, vt Reipub. vulneribus medeatur. 24. 25. 26. &c.
  - à gloriæ ſtudio, quam Cæſar ſtabilem non habebit, niſi ante mortem rectè ordinauerit Rempub. 26. 27. ad 33.
- obſecratione. 33.
- pollicitatione excubiarum & cuſtodiæ. 33.

ARGVMENTVM.

Altera pars eſt orationis, qua ſuſpiciones inſidiarum miro artificio confutat. & primò quidem ita ſe inſinuat, Cæſariſque ſuſpicioni blanditur, vt eam magis exaggerare videatur.

XXI. NVNC verò venio ad grauiſſimam querelam, & atrociſſimam ſuſpicionem tuam: quæ non tibi ipſi magis, quàm cum omnibus ciuibus, tum maximè nobis, qui à te conſeruati ſumus, prouidenda eſt. quam etſi ſpero eſſe falſam, nunquam tamen verbis extenuabo. tua enim cautio, noſtra cautio eſt: vt ſi in alterutro peccandum ſit, malim videri nimis timidus, quàm parum prudens.

EXPLANATIO.

NVNC VERÒ.] Iam antè monuimus orationem qua Cæſar Marcellum reſtituit, in partes fuiſſe diſtributam duas. Altera fuit accuſatio Marcelli & veniæ conceſſio: cùm accuſata eius acerbitate, præter ſpem dixit ſe Senatui roganti de Marcello ne hominis quidem cauſſa negaturum. Altera fuit querela, cùm aiens ſe toto decurſu bellorum ciuilium eam vnam vincendi rationem habuiſſe, vt ſe miſericordia & libaralitate muniret, ſibi tamen in pace inſidias comparari. Orator iam priori parti reſpondit laudans Cæſaris clementiam: nunc ad poſteriorem delabitur.

GRAVISSIMAM QVERELAM.] Conqueſtionem inſidiarum, quæ etſi nulla cauſſa ſubeſſat, tamen grauiſſimis verbis expreſſa eſt. Vel potiùs, querelam magni momenti & minimè negligendam.

ET ATROCISSIMAM SVSP.] De re atrociſſima, & parricidio Cæſaris Patris Patriæ, vel *atrociſſimam* appellat, quaſi crudam & acerbam, quam Cæſar in animo digerere & concoquere haudquaquam potuiſſet.

NON TIBI IPSI MAGIS.] Mirè ſe inſinuat: hanc ſuſpicionem ſibi ipſi & aliis ciuibus ex æquo cum Cæſare impertiens. Inſidiæ, inquit, quas tibi parari ſuſpicaris, non tibi ipſi magis, quàm mihi & reliquis cauendæ ſunt.

QVI A TE CONSERVATI SVMVS.] Qui cùm ſecuti fuerimus Pompeium, patriæ reſtituti ſumus, cùm iure victoriæ poſſes in nos aduertere.

QVAM ETSI.] Quam ſuſpicionem, etſi credo nullam cauſſam ſubeſſe, nunquam tamen verbis eleuabo: nec efficiam vt inſidiarum ſecurus minùs vitæ tuæ caueas.

TVA ENIM.] Reddit rationem cur Cæſaris ſuſpicionem non eleuet. quia qui ſuſpicatur ſibi fieri inſidias magis ſibi cauet: & optandum eſt, vt Cæſar ſibi diligenter caueat, cuius vitâ Reipub. totius & ſingulorum ciuium incolumitas continetur. atque adeò qui Cæſari cauet ſuæ ipſius & totius Reipub. ſaluti cauet.

NIMIS TIMIDVS.] In augenda ſuſpicione.

QVAM PARVM PRVDENS.] In minuenda.

NOTÆ.

I. Querela. QVERELAM.] Signanter. nam *Querela cauſam nō habet, querimonia habet.* Cornelius Fronto. Gloſſæ Philoxeni. *Querimonia* μέμψις. *Querela* μέμψις ματαία. In contrarium tamen ſexcenta exempla ſunt. vt pro Sextio: *Repudiatis bonorum querelis.* Item: *Conſulum querela eſſe debuit.* in Piſonem: *Iámne ſentis quæ ſit hominum querela frontis tuæ?* vt mihi frequenter ſuſpectæ ſint iſtæ Grammaticorum argutiæ.

II. ATROCISSIMAM SVSP.] Quid ſit *atrox* expoſitum eſt pro Milone 21. Quid *ſuſpicio* in Vatinium 2.

III. Prouidere. PROVIDENDA EST.] Terentius Andria actu 1. ſc. 3.

Quæ ſi non aſtu prouidentur, me & herum peſſundabunt.

Vbi Donatus: *Prouiſio rerum duas ſignificationes habet. prouidemus enim nobis tam bonum quàm malum. Malum ſicut quis eminus veniens, telum prouidit, atque ſic cauit. Ergo hic prouidentur, cauentur, vitantur.* Eodem ſenſu dixit Proſpicere Eunucho, act. 4. ſc. 6.

-quod cauere poſſis, ſtultum admittere eſt.
Malo ego nos proſpicere quàm hunc vlciſci accepta iniuria.

Item Donatus: *Prouidere ne fiat, id eſt proſpicere & cauere, ab eo quod præcedit id quod ſequitur.*

IV. Sperare. SPERO.] Credo. Id quoque Terentianum Eunucho, act. 1. ſc. 2.

Me ſomnies, me expectes, de me cogites,
Me ſperes.

Id eſt interprete Donato.

Me credas idem facere, id eſt de te cogitare.

Paulò pòſt:

Nam me eius ſpero fratrem propemodum
Iam reperiſſe adoleſcentem adeò nobilem.

Item actu 5. ſc. 3.

Spero me habere qui hunc meo excruciem modo.

4. ad Attic. epiſt. 2. *Qui mihi pennas inciderant, nolunt eas renaſci, ſed, vt ſpero, iam renaſcuntur.*

V. Diffidentia firmum propugnaculum. EXTENVABO.] Infrà: *Augeamus ſanè ſuſpicionem tuam, ſimul enim augebimus & diligentiam.* Quia videlicet huiuſmodi ſuſpicio & diffidentia, firmiſſimum eſt non ſingulorū modò, ſed etiam Reip. propugnaculum. Demoſthenes Philippica 2. Ἔστι τοίνυν, νὴ Δί', ἔφην ἐγὼ, παντοδαπὰ εὑρημένα ταῖς πόλεσι πρὸς φυλακὴν, καὶ σωτηρίαν, οἷον χαρακώματα, καὶ τείχη, καὶ τάφροι, καὶ τ' ἄλλα ὅσα τοιαῦτα. καὶ ταῦτα μέν ἐστιν ἅπαντα χειροποίητα, καὶ δαπάνης πολλῆς προσδεῖται. ἓν δέ τι κοινὸν ἡ φύσις τῶν εὖ φρονούντων ἐν ἑαυτῇ κέκτηται φυλακτήριον, ὃ πᾶσι μέν ἐστιν ἀγαθὸν καὶ σωτήριον, μάλιστα δὲ τοῖς πλήθεσι πρὸς τοὺς τυράννους. Τί οὖν ἐστι τοῦτο; ἀπιστία. ταύτην φυλάττετε, ταύτης ἀντέχεσθε. *Multa igitur, inquam, omne genus ad defenſionem & ſalutem vrbium inuenta ſunt, verbi cauſa, aggeres, muri, foſſæ, & alia id genus. Et ea quidem manu facta ſunt magníſque fiunt impenſis. vnum verò commune propugnaculum in ſe ipſa prudentium natura habet, quod omnibus quidem bonum eſt & ſalutare, maximè verò plebi aduerſus tyrannos. Quid porrò illud? diffidentia. hanc ſeruato, hanc amplectimini.* Polyænus Præfat. lib. 7. ſtratag. Ἄπιστον δὴ φυλακτήριον, καὶ ἀνάλωτον ἔσω πρὸς αὐτοὺς ἀπιστία. *Mirum & inexpugnabile aduerſus eos propugnaculum ſit diffidentia.*

VI. Cautio. CAVTIO.] Bene in Gloſſis. *Cautio* ἀσφάλεια eſt enim cautio ratio quæuis tuitionis ac ſecuritatis. hinc ſcripturæ quibus creditor redditur ſecurus dicuntur cautiones: de quibus Seneca lib. 7. de beneficiis eleganter. *Video iſtis diplomata & ſyngraphas, & cautiones, vacua habendi ſimulacra, vmbras quaſdam auaritiæ laborantis, per quas decipiant animum inanium opinione gaudentem.* S. Ambroſius libro 1. de Sacramentis, cap. 2. *Memor eſto ſermonis tui, & nunquam excidat tuæ ſeries cautionis. ſi chirographum homini dederis, teneris obnoxius,* &c. *tua cautione conuinceris.* & aliquantò pòſt: *Qui pecuniam debet, ſemper cautionem ſuam conſiderat.* Nunc autē transfertur ad vitæ tuendæ rationem.

VII. Amor tuta timet. NIMIS TIMIDVS.] Notum illud 4. diuini. operis vbi Dido amans:

Omnia tuta timere deſcribitur. nam vt ait, ille
Res eſt ſolliciti plena timoris amor.

Claudius Mamertinus gratiarum actione pro Conſulatu. *Quod ad te attinet cuncta iam à cuſtodia tua arma remoueres, ſed quando hoc potes perſuadere militibus? anxia eſt fidelium diligentia. maximo amori, maximus timor iunctus eſt.*

AXIOMATA.

Principis cautio ſubditorum cautio eſt.
Præſtat videri nimis timidum, quàm minus prudentē.

ARGVMENTVM.

Diluit ſuſpicionem inſidiarum à partium enumeratione, quòd neque Cæſarianorum, neque Pompeianorum vllus velit inſidias comparare.

SED quiſnam eſt iſte tam demens? de tuiſne? tametſi qui magis ſunt tui, quàm quibus tu in ſalutem inſperantibus reddidiſti? an ex eo numero, qui vnà tecum fuerunt? non eſt credibilis tantus in vllo furor, vt quo duce, omnia ſumma ſit adeptus, huius vitam non anteponat ſuæ. At, ſi tui nihil cogitant ſceleris, cauendum eſt, ne quid inimici. quì? omnes enim qui fuerunt, aut ſuâ pertinaciâ vitam amiſerunt, aut tuâ miſericordiâ retinuerunt: vt, aut nulli ſuperſint de inimicis, aut qui ſuperfuerunt, amiciſſimi ſint. XXII.

EXPLANATIO.

SED.] Eſt quædam veluti correctio. Dixerat malle ſe nimis timidum, quàm parum prudentem videri: nunc retractat orationem. Quanquam quid vereor ne deſideretur in me prudentia, ſi nullam putauerim adhibendam eſſe cautionem, vbi nihil penitus eſt metuendum? Quis enim eſt adeò mente captus, adeò conſiliorum omnium præceps & deuius, qui vitæ tuæ velit, aut etiam poſſit inſidiari?

DE TVISNE?] An ex eorum numero qui tuis auſpiciis, tuóque ductu bellum geſſerunt contra Cn. Pompeium.

TAMETSI.] Alia correctio. Quanquam lapſus ſum verbo qui *tuos* dixi. vt eos hac appellatione à Pompeianis diſtinguerem. Iam enim omnes qui Pompeium ſequebantur adeò te diligunt, tuámque illam clementiam, quâ ipſis ſalutem ſuam reddidiſti, tantâ beneuolentiâ proſequuntur, vt non minùs ſint Cæſariani, quàm illi ipſi, qui tuas partes amplexi fuerant contra Pompeium.

SAL. INSP. REDD.] Nota ſingularum vocum energiam. *Salutem* dixit, quia ſalus dicitur ex periculo, quod omnium Pompeianorũ ceruicibus imminebat. addit *Inſperantibus*, quia ſalus eò gratior eſt, quò magis præter ſpem euenerit: ſimul magnitudinem liberalitatis & beneficij declarat, quia plus adepti fuerant à Cæſare, quàm ſperare auderent, vel etiam cogitare. Denique ſubdit *reddidiſti*, non *reliquiſti*, quia vitam quodammodo iam amiſerant, id eſt, in tantum periculum prouexerant, vt iam amiſiſſe viderentur, niſi eam Cæſar inſperantibus reddidiſſet.

AN EX EO.] Poſtquam ſeipſum reprehendit qui Cæſarianos à Pompeianis diſtinxerit. aptius verbum reponit, quaſi dicat, quoniam lapſus ſum verbo, retracto orationem meam: nec amplius interrogo *quis de tuis*, ſed quis ex eorum numero qui te ſecuti ſunt contra Pompeium, adeò demens ſit, vt inſidias vitæ tuæ moliatur.

NON EST.] Reddit rationem cur nihil ſit à Cæſarianis metuendum. Atque aduerte ſingularem Oratoris prudentiam. Ne Pompeianos in inuidiam vocet ipſe Pompeianus, & Cæſaris ſuſpicionem magis etiam confirmet, ita ſe gerit vt non tam de ipſis, quàm de Cæſarianis laborare videatur. quaſi tam alienum ducat à Pompeianis inſidias fieri, vt id in mentem Cæſaris venire vix ipſe ſuſpicetur. Quo artificio duo maximè conſequitur. nam & vlcus Cæſaris leniter tractat eius ſuſpicionem leniter refellens, eíque tantillum obſecundans, & infixum aculeum latenter euellit. dum ne aduertere quidem, aut vix aduertere videtur, quid inſidiarum Cæſar à Pompeianis extimeſcat.

OMNIA SVMMA.] Cùm ad magiſtratus, honores & dignitatem peruenerit, quæ priùs Pompeiani ferè ſoli obtinebant. Nam principes ciuitatis & optimates penè omnes ſecuti fuerant Pompeium: & Cæſar confectis bellis ciuilibus ſuos ad magiſtratus & ſplendorem prouexit: cùm eorum non pauci filij eorum eſſent, quos Sulla proſcripſerat, ac proinde ante bellum ciuile magiſtratus petere prohiberentur, & excluderentur Senatu.

NON ANTEP. SVÆ.] Ex abundantiâ, cùm dicere ſatis eſſet, *vt tibi inſidietur.*

AT SI TVI.] Miro artificio redit ad illum lapſum, quem correxerat. nam cùm ſuperiùs dixiſſet nomine Cæſarianorum, omnes omninò ciues, etiam qui in vtrâque parte priùs fuiſſent, contineri, & ab iis qui Cæſarem ſecuti fuerant, inſidiarum ſuſpicionem remouiſſet, quaſi ab vniuerſis remouerit, ſubiungit. *Si tui nihil cogitant ſceleris.* quaſi iam non poſſit Orator alios ab aliis dignoſcere.

OMNES.] Argumentatur à diuiſione.

Neque mortui, neque amici quicquam machinantur contra ſalutem tuam.

Sed qui tibi erant inimici, aut mortui ſunt, aut tibi iam ſunt amici.

Ergo nihil machinantur contra ſalutem tuam qui tibi fuerunt inimici.

Propoſitio plana eſt, aſſumptio duabus partibus continetur. Prior pars alia probatione non egebat, quâm vt meminiſſet Cæſar Catonis, Afranij, Labieni, Scipionis, Pompeij Iunioris, qui cùm obſtinato animo poſt necem Pompeij bellum in Africa, & Hiſpania renouaſſent, vel in acie ceciderunt, vel propriâ manu ſunt interempti. Alterius partis probatio reuocari poteſt ad hunc ſyllogiſmum.

Qui vitam tuâ miſericordiâ retinuerunt, ij tibi ſunt amiciſſimi.

Sed è partibus Pompeianis omnes ſuperſtites vitam tuâ miſericordia retinuerunt.

Supererant tamen adhuc, vt Ligarium & cæteros omittam, Sextus Pompeius, qui victus à Cæſare in Inſulas ſe abſtruſerat, & Iunior Labienus qui ad Parthos confugerat; qui poſtmodum bellum magna mole renouarunt, Sextus ab Auguſto deuictus, trucidatus ab Antonio, Labienus à Ventidio ſuperatus. Sed cùm laterent, nulla adhuc ad Cæſarem & Romanos eorum fama manarat: vt iure dici potuerint omnes inimici Cæſaris, aut eius beneficio viuere, aut ſuâ ipſorum pertinaciâ cecidiſſe.

NOTÆ.

INSPERANTIBVS.] Ab inſperato beneficium auget, quia magis nos oblectant ea quæ 1.
præter ſpem euenerint. Teſtes Polycrata Naxia, Philippides Comicus, Diagoras Rhodius, & illa Romana mater, quæ cùm filium præter ſpem è pugna Cannenſi incolumem videret, *Copiâ atque turbâ & quaſi ruinâ incidentis inopinati gaudij oppreſſa exanimatáque eſt.* Gellius libro 3. Noct. Attic. iſta collegit. Cuius ea ratio eſſe poteſt: quòd felicitatis ſpes aliquid de iucunditate & fructu longè antè præcerpat: at ſi quid proſperi præter ſpem & opinionem euenerit, integram & illibatam adferat voluptatem, quæ eò maior eſſe debet, quò minùs ex ea libatum eſt. Adde quòd tùm ad voluptatem, tùm ad dolorem ipſo vſu & experientia animo callus quidam obducitur. Quare cùm ſpes animum diu lactauerit, obducto ad ſenſum illum iucunditatis callo, minùs ex ipſius rei ſperatæ adeptione percipitur voluptatis.

Prudenter verò Orator hinc beneficium Cæſaris exaggerat. Nam eò maius beneficium exiſtit, quò maior indigentia, & rerum omnium deſperatio præceſſerit. Ariſtoteles 2. Rhet. cap. 7. ἔςω δὴ χάρις καθ' ἣν ὁ ἔχων λέγεται χάριν ὑπουρ-

γεῖν δεομένῳ μὴ ἀντί τινος, μηδ' ἵνα τι αὐτῷ τῷ ὑπουργοῦντι, ἀλλ' ἵν' ἐκείνῳ τι. μεγάλη δ' ἂν ᾖ σφόδρα δεομένῳ ἢ μεγάλων καὶ χαλεπῶν, ἢ ἐν καιροῖς τοιούτοις, ἢ μόνος, ἢ πρῶτος, ἢ μάλιστα. *Eſto verò gratia, ſecundum quam qui habet dicitur gratiam facere indigenti, non compenſatione alicuius, neque vt aliquid gratiam facienti tribuatur, ſed vt aliquid illi qui recipit. Magna verò, ſi aut eorum qui valdè indigent, aut rerum magnarum & difficilium: aut in occaſionibus talibus, aut ſolus, aut primus, aut maximè.* hæc ille, quæ, vt fatear, indigent Delio natatore. Panegyriſtes Conſtantini: *Ignouiſti omnibus, & vitam, quam deſperauerant, reddidiſti.* Euripides Oedipo:

> Ἐκ τῶν ἀέλπτων ἡ χάρις μείζων βροτοῖς
> Φαίνεται μᾶλλον, ἢ τὸ προσδοκώμενον.
> *Plerumque non ſperata delectant magis*
> *Quàm quæ ſibi antecepit expectatio.*

AXIOMA.

Non eſt credibilis tantus in vllo furor, vt quo duce ſumma omnia ſit adeptus, huius vitam non anteponat ſuæ.

ARGVMENTVM.

Quoniam inſidiarum dilutio Ciceronem ipſum ſuſpectum facere potuit, ita ſe gerit, vt non tam verbis ſuſpicionem Cæſaris eleuare, quàm augere videatur: ídque, vt ait, quod Reip. ſalus à Cæſaris vnius ſalute dependeat.

SED tamen, cùm in animis hominum tantæ latebræ ſint, & tanti receſſus, augeamus ſane ſuſpicionem tuam. ſimul enim augebimus & diligentiam. nam quis eſt omnium tam ignarus rerum, tam rudis in Repub. tam nihil vnquam nec de ſuâ, nec de communi ſalute cogitans, qui non intelligat tua ſalute contineri ſuam? & ex vnius tui, vitam pendere omnium? Equidem de te dies noctéſque, vt debeo, cogitans, caſus duntaxat humanos, & incertos euentus valetudinis, & naturæ communis fragilitatem extimeſco: doleóque, cùm Reſpubl. immortalis eſſe debeat, eam in vnius mortalis anima conſiſtere. ſi verò ad humanos caſus, incertóſque euentus valetudinis, ſceleris etiam accedat, inſidiarúmque conſenſio: quem deum, etiam ſi cupiat, opitulari poſſe Reip. credamus? XXIII.

EXPLANATIO.

SED TAMEN.] Vide oratoris prudentiam, ita ſe totum ad Cæſaris ſuſpicionem fingit & accommodat, vt tamen dum eam augendam ait, eo ipſo probet eſſe minuendam. *Augeamus,* inquit, *ſuſpicionem tuam.* cur? ſi reuera augere voluiſſet, protuliſſet indicia, quibus aliquo ſaltem modo inſidiæ & tacita conſpiratio probari potuiſſet. at quam adfert rationem? *Cùm,* inquit, *in animo hominum tantæ latebræ ſint, & tanti receſſus.* Quò argumento probatur aliud nihil quàm ſuſtinendum eſſe iudicium, nec facilè in alteram partem ſuſpicione vergendum, niſi latens in animo cogitatio quibuſdam indiciis, ſi non certis & manifeſtis, tenuibus ſaltem & probabilibus foras eruperit.

DILIGENTIAM.] Cautionem in vitandis inſidiis.

NAM.] Rationem adfert cur, cautio augenda videatur, hoc ſyllogiſmo:

Oportet diligentiam augeri in eius vita conſeruanda, cuius ſalute Reip. ſalus continetur.
Sed in tua ſalute Reip. ſalus continetur.
Ergo oportet augere diligentiam in tua vita conſeruanda.

Subiicetur propoſitio: aſſumptio illa interrogatione. *Nam quis,* &c. *pendere omnium.* complexio duobus verbis, *augebimus diligentiam,* habetur.

EQVIDEM.] Obſcurè, & quaſi per cuniculos redit ad dilationem ſuſpicionis. & dum animi ſui ſenſum expromit, tacitè ſignificat quid ſentiant vniuerſi. Ego ſanè, inquit, non vereor inſidias hominum, ſed duntaxat caſus humanos fragilitatémque naturæ, & cùm intelligo vitam tuam tanti eſſe momenti, doleo te non eſſe immortalem. quod idem à cæteris timeri tantum non iam oſtenderat. ex quo efficitur neminem eius vitæ inſidiari, cuius omnes mortem extimeſcunt.

IN VNIVS.] Eius ſalutem vnius hominis vita contineri.

NOTÆ.

TANTÆ LATEBRÆ.] Aurea illa epiſtola ad Quintum fratrem prima numero & dignitate. *Multis enim ſimulationum inuolucris tegitur, & quaſi velis quibuſdam obtenditur vniuſcuiuſque natura: frons, oculi, vultus, perſæpe mentiuntur, oratio verò ſæpiſſimè.* Græci vt huiuſmodi cogitationum latebras exprimant πορφύρειν dicunt, & frequentiùs βυσσοδομεύειν. Odyſſ. ρ'. 66. I. Latebræ animi. βυσσοδομεύειν.

> Κατὰ δ' φρεσὶ βυσσοδομεύων. Odyſſ. δ'. 676.
> Μύθων οὓς μνηστῆρες ἐνὶ φρεσὶ βυσσοδόμευον.
> *Sermonum quos proci intus in animo ſtruebant.*

Euſtathius, Οἰκεῖον τὸ βυσσοδομεύειν ταῖς ἐπικεκρυμμέναις βουλαῖς. ῥηθὲν παρά τε τὸ βύσσον, ἐπεὶ καὶ πορφύρειν λέγεται τὸ ἐν βάθει διαλογίζεσθαι, &c. *Conuenit* βυσσοδομεύειν *conſiliis occultis, quod dictum eſt à profundo. vt &* πορφύρειν *idem eſt, atque in profundo ratiocinari.* Dixerat priùs, πορφύρειν.

> Πολλὰ δέ μοι κραδίη πόρφυρε κιόντι.

vide eundem Euſtathium Iliados α'. verſu 481.

Momus feneſtras in humano pectore requirebat.

Vnde Momus apud Lucianum de hæreſibus, cùm omnia ſua artefacta Vulcanus Deorum ſubiiceret examini. Ἐπὶ τοῦ ἀνθρώπου τοῦτ' ἐμέμψατο, καὶ τὸν ἀρχιτέκτονα ἐπέπληξε τὸν Ἥφαιστον, διότι μὴ καὶ θυρίδας ἐποίησεν αὐτῷ κατὰ τὸ στέρνον, ὡς ἀναπετασθεισῶν γνώριμα γίγνεσθαι ἅπασιν ἃ βούλεται καὶ ἐπινοεῖ, καὶ εἰ ψεύδεται ἢ ἀληθεύει. *Illud in hominis fabrica reprehendit, & Vulcanum eius artificem obiurgauit, quòd non etiam feneſtras in eius pectore feciſſet : vt iis apertis conſtaret omnibus quid quiſque vellet, aut cogitaret, mentiretúrne, an diceret veritatem.* Quam feneſtram ſi Brutus habuiſſet, faciliùs eius inſidias cauere potuiſſet, de quo Plutarchus in Bruto. Λέγεται Καῖσαρ ὅτε πρῶτον ἤκουσεν αὐτοῦ λέγοντος, εἰπεῖν πρὸς τοὺς φίλους, Οὗτος ὁ νεανίας οὐκ οἶδα μὲν ὃ βούλεται, πᾶν δ' ὃ βούλεται σφόδρα βούλεται. *Cæſarem aiunt cùm primùm eum loquentem audiuit, amicis ſuis ita dixiſſe. Quid ſibi velit hic adoleſcens neſcio. Quicquid autem vult, vehementer vult.*

II. Pectoris latebræ.

LATEBRÆ.] A feris videtur deriuata tranſlatio. Gloſſæ Philoxeni, φωλεαὶ, *luſtrum, latebra, latibulum.* Cyprianus de lapſis. Deus *omnium mentes, voluntatéſque conceptas in ipſis adhuc clauſi pectoris latebris intuetur.* Nazarius paneg. Conſtantini : *Nec operta mentium rimari neceſſe eſt : extat in vultu cuiuſque hilaritatis publicæ decus. Non enim ſe capit exundantis lætitiæ magnitudo, ſed dedignata pectorum latebras, ita multa & candida foris prominet, vt intelligatur non ingentior eſſe quàm verior.* Marcellus Palingenius libro 1.

-imas cordis penetrare latebras.

III. Receſſus animi.

RECESSVS.] Nazarius panegyr. Conſtantini. *Spectat enim nos ex alto rerum arbiter Deus, & quamuis humanæ mentes profundos gerant cogitationum receſſus, inſinuat tamen ſeſe totam ſeruatura diuinitas.* Nec ineleganter Lucretius lib. 1. de nat. rerum, *adytum cordis* appellat:

Ex adyto tanquam cordis reſponſa dedere.

Perſius ſat. 2.

Compoſitum ius fáſque animi ſanctóſque receſſus
Mentis, & incoctum generoſo pectus honeſto.

Theocritus Eidyllio 29.

Κἠγὼ μὲν τὰ φρενῶν ἐρέω κέατ' ἐν μυχῷ.
Et ego ea dicam quæ repoſita ſunt in animi receſſu.

Porcius Latro Declam. in Catilinam : *Diximus enim ſuperiùs ingenij Catilinæ miros atque occultiſſimos eſſe receſſus, nec qui cognoſci ſeu perluſtrari facillimè poſſent.* Noſter R. P. Ludouicus Magneſius terſiſſimus poëta, meus in ſtudiis humanioribus præceptor, quíque mihi primus hanc edendarum commentariorum mentem iniecit, pſalmo 93.

Permeat arcani Dominus penetralia cordis,
Et varios animi flexus varióſque receſſus.

QVEM DEVM.] Non abſimile illud 5. Æneidos: IV.

-non ſi mihi Iupiter auctor
Spondeat, hoc ſperem Italiam contingere cælo.

Quod ait Seruius è conſuetudine dictum : *Non ſi Iouem auctorem habeam, hoc faciat.* cùm rem deſperatam oſtenderent. Quia tamen id minùs pium videbatur, orationem molliuit Apollonius libro 4. Argon.

Οὐδ' ἂν Παιήων, εἴ μοι θέμις ἀμφαδὸν εἰπεῖν
Φαρμάσσοι.
Non etiam Paon, ſi fas eſt dicere, vulnus
Curarit.

Eumenius panegyr. Conſtantij. *Quis hoc vnquam futurum, etiamſi coram voluiſſet affari, Deus ante vos principes perſuadere potuiſſet quod nunc vidimus, & videmus,* &c. Telemacho Homerico dicenti 3. Odyſſeæ.

--ἄγη μ' ἔχει, οὐ γὰρ ἔμοι γε
Ἐλπομένῳ τὰ γένοιτ', οὐδ' εἰ θεοί, ὣς ἐθέλοιεν.
--ſtupeſco nec iſta
Speranti eueniant, non ſi Deus ipſe ſit auctor.

Reſpondet Minerua dicti illius impietatem emendans.

Ῥεῖα θεός γ' ἐθέλων καὶ τηλόθεν ἄνδρα σαώσαι.
Perfacilè eſt ſuperis etiam ſeruare remotos.

OPITVLARI.] Iouis propriè fuit opitulari, vnde *Iupiter*, quaſi *iuuans pater*, & vt auctor eſt Feſtus : *Opitulus Iupiter & opitulator dictus eſt, quaſi opis lator.* V. Opitulari.

IMMORTALIS.] Credebant immortalem fore Remp. cùm cæterarũ gentium regna eſſent peritura. vnde nobilis Poëta 1. Æneidos, Iouem ita loquentem inducit. VI. Roma immortalis.

His ego nec metas rerum, nec tempora pono
Imperium ſine fine dedi.

At ipſe in ſua perſona 2. Georgicon.

Non res Romanæ perituráque regna.

hinc rem æternam huiuſmodi verbis explicabãt.

Dum domus Æneæ Capitoli immobile ſaxum
Accolet, Imperiúmque Pater Romanus habebit.

&, *-dum Capitolium*
Scandet cum tacita virgine Pontifex.

In hac autem immortalitate Capitolij potiſſimum meminerant, quia in eius conſecratione Terminus & Iuuentas non addixerant, id eſt noluerant Ioui cedere de Capitolio, quod putabant æternitatem vrbis ſempiterna iuuentute florentis, & magnitudinem imperij nullis terminis contenti portendere. qua de re Liuius, Plinius, Auguſtinus, omnes pene. Vide 2. Philipp. §. 40.

AXIOMATA.

In animis hominum magnæ latebræ ſunt, & magni receſſus.

Qui auget ſuſpicionem inſidiarum, auget & diligentiam.

Nonnunquam vnius Principis vitâ totius Reip. ſalus continetur.

Incerti ſunt euentus valetudinis.

Dolendum eſt Remp. quæ immortalis eſſe debet in vnius mortalis anima conſiſtere.

ARGVMENTVM.

E præcedentibus bellorum ciuilium calamitatibus, & remediis quæ ab vno Cæſare ſperari poterant, oſtendit quantum Reipub. conferat ſummam in eius vita tuenda cautionem adhibere.

OMNIA ſunt excitanda tibi, C. Cæſar, vni, quæ iacere ſentis belli ipſius impetu, quod neceſſe fuit, perculſa atque proſtrata: conſtituenda iudicia, reuocanda fides, comprimendæ libidines, propaganda ſoboles: omnia, quæ dilapſa iam fluxerunt, ſeueris legibus vincienda ſunt. Non fuit recuſandum in tanto ciuili bello, tantóque animorum ardore, & armorum, quin quaſſata Reſpublica, quicunque belli euentus fuiſſet, multa perderet, & ornamenta dignitatis, & præſidia ſtabilitatis ſuæ: multáque vterque dux faceret armatus, quæ idem togatus fieri prohibuiſſet. quæ quidem nunc tibi omnia belli vulnera curanda ſunt, quibus præter te mederi nemo poteſt. XXIV.

EXPLANATIO.

OMNIA.] Tu ſolus, Cæſar, potes omnibus Reip. morbis ſubuenire, & quaſi è ruinis nouum Reip. ædificium excitare. Ne tamen Cæſar Remp. perculiſſe, & proſtrauiſſe dicatur, has ruinas excuſat, & à conditione ac natura belli, & neceſſitate. Notanda allegoria à ruinis ædificiorum deducta.

CONSTITVENDA.] Enumerat clades belli, quibus neceſſe fuit adferre medicinam.

1. Iudicia nullum in ciuitate locum obtinebant, quod ſilerent leges inter arma.

2. Fides argentariorum, ſiue menſariorum defluxerat, adeò vt ſuos nummos redhibere vix poſſent, qui pecuniam ſuam fide publica, & apud argentarios publicos occuparant.

3. Omnes paſſim in libidinem effuſi alienis nuptiis inſidiabantur.

4. Vix vlli legitimum matrimonium contrahebant, aut liberos tollebant, ſed vel partus abigebant, vel in lucem editos exponebant.

Quinto denique omnis diſciplina diffluxerat: quibus tot tantíſque malis ab vno Cæſare remedium potuit adhiberi.

CONSTITVENDA IVDICIA.] Quæſtiones tum pecuniariæ, tum capitales.

REVOCANDA FIDES.] Agendum vt iam pecunia publicis nummulariis poſſit tutò committi, & reddatur pecunia fœnori occupata.

COMPR. LIBID.] Quæ veluti ruptis pudicitiæ repagulis, eruptionem fecerunt, ſunt inſtar ferarum coërcendæ, & ad legum clauſtra reuocandæ.

PROPAGANDA SOBOLES.] Procreandi liberi, & tollendi, vt quemadmodum palmites è vite propagantur, & in terram defoſſi radices agunt, ita ciues à ciuibus generentur.

OMNIA.] Eleganti tranſlatione vtitur. leges enim ſunt vincula quibus mores & diſciplina continentur.

NON FVIT.] Iterum belli ciuilis clades ad ipſius belli naturam, non ad Cæſaris & Pompeij crudelitatem aut inſolentiam refert: ne huiuſmodi ſtrages enumerans culpam in Cæſarem conferre videatur.

QVICVNQVE.] Vteruis ducum victoriam retuliſſet: ſiue Cæſar victor fuiſſet, ſiue Pompeius.

MVLTA PERDERET.] Commodè, vt incommoda belli ciuilis oſtendat dignitatem cum ſtabilitate & incolumitate coniungit: quia duo illa ſunt, quæ politicum hominem oportet intueri. In quibus duobus, cùm Reſpub. vulnus acceperit, magnam ciuile bellum Reipub. perniciem innexit.

MVLTAQVE.] Cæſar & Pompeius multa facerent in bello, quæ in pace non ſolùm non feciſſent ipſi, ſed etiam ab aliis fieri prohibuiſſent.

QVÆ QVIDEM]. Minor ſiue aſſumptio ſyllogiſmi.

Nemo illius vitæ inſidiatur, qui ſolus mederi poteſt Reip. vulneribus.
Sed ſolus potes mederi Reip. vulneribus.
Ergo nemo tuæ vitæ inſidiatur.

Atque hunc ſyllogiſmum facit, cùm tamen aliud agere, immò ſuſpicionem inſidiarum augere videatur. ſyllogiſmi propoſitio & complexio mirè implexa, & vt magis lateat inuoluta ſuperiore paragrapho, præſenti minor & eius probatio diſertè continetur. Nam dum ait neminem eſſe tam imperitum qui non ſentiat Cæſaris ſalute contineri ſuam, ſéque nihil præter euentus valetudinis timere, ſatis maiorem & concluſionem inſinuat.

NOTÆ.

PERCVLSA] Nouum non eſt Reip. clades cum ruinis ædificiorum comparare. pro Sextio 5. *In ruinis euerſæ, atque afflictæ Reip. P. Sextij tribunatus eſt à fortuna ipſa collocatus.* Vide 2. Philipp. §. 39. *Labantem Rempub. fulcire cuperetis.* I.

CONSTITVENDA IVDICIA.] Quæ bellis ciuilibus ſublata ſunt: nam, vt ait ille: II. Iudicia per Cæſarem cōſtituta.

Non ex iure manu conſertum, ſed mage ferro
Rem repetunt, regnúmque petunt, vadunt ſolida vi.

Vide Milonianam vbi dictum eſt, *leges inter arma ſilere.* Pulchrè in Sextiana 91. *Vim volumus extingui. ius valeat neceſſe eſt: id eſt, Iudicia, quibus omne ius continetur. Iudicia diſplicent, aut*

nulla ſunt? Vis dominetur, neceſſe eſt. Cæſar autem confectis bellis ciuilibus, *Iudicia ad duo genera Iudicum redegit, equeſtris ordinis, ac Senatorij: Tribunos ærarios quod erat tertium, ſuſtulit.* vt auctor eſt Tranquillus in Iulio cap. 41. vide Dionem lib. 43.

III. Fides menſariorum. REVOCANDA FIDES.] Expoſui de fide menſariorum publicorum: quòd tempore bellorum ciuilium multi foro cederent. vel, vt cum vulgaribus Iureconſultis loquar, facerent *bancam ruptam:* aut etiam quòd nonnunquam victores nouas tabulas proponerent, id eſt debitores à creditoribus liberarent: ideóque pauci argentariorum fidei nummos auderent committere. quã fidei labefactationem Lucanus lib. 1. non ſolùm inter effectus belli ciuilis, ſed etiam inter cauſſas numerauit.

Hinc vſura vorax, auidúmque in tempore fœnus
Et concuſſa fides, & multis vtile bellum.

Nec Petronius abludit: & Salluſtius orat. 1. de Rep. ordinanda, non ſolùm in Caſtris Pompeij, ſed etiam apud ipſum Cæſarem dicit fuiſſe debitores. *Tanta vis creditorum impendebat, ſed ob eaſdem cauſſas immane dictu eſt, quanti & quàm multi mortales poſteà ad Pompeium diſceſſerint: eóque per omne tempus belli quaſi ſacro atque inſpoliato fano debitores vſi.* Hæc autem nummulariorum *fides publica* dicebatur. D. De rebus auct. Iud. poſſid. l. 4. §. *In bonis. Qui pecunias apud menſam, fidem publicam ſecuti depoſuerunt.* Noſter pro lege Manilia: *Hæc fides atque hæc ratio pecuniarum.* Fides publicæ. Bene autem dixit: *Reuocanda fides,* quod argentarij labefacta fide, cùm vel ſoluendo non erant, *foro cedere,* aut etiam *fugere* dicerentur. *Cedere* Iuuenalis ſat. 11.

Hi plerumque gradus: conducta pecunia primum,
Et coram dominis conſumitur. Inde vbi paulum
Neſcio quid ſupereſt, & pallet fœnoris auctor,
Qui vertêre ſolum? Baias, & ad oſtrea currunt.
Cedere námque foro, iam non eſt deterius, quàm
Eſquilias a feruenti migrare ſuburrâ.

Fugere. Plautus in Perſa actu 3. ſc. 3.

Mirum quin tibi ego crederem, vt idem faceres mihi,
Quod partim noſtri faciunt argentarij,
Vbi quid credideris, citiùs extemplo à foro
Fugiunt quàm ex porta ludis cùm emiſſus eſt lepus.

Noſter ſecundo officiorum. *Quamobrem ne ſit æs alienum quod Reſp. noceat, prouidendum eſt. Si hoc non fuerit vt locupletes ſuum perdant, debitores lucrentur alienum. Nec enim vlla res vehementiùs Remp. continet quàm fides, quæ eſſe nulla poteſt, niſi erit neceſſaria ſolutio rerum creditarum.* Quomodo autem Cæſar fidem reuocarit tradit Suetonius cap. 42. *De pecuniis mutuis diſiecta nouarum tabularum expectatione, quæ crebro mouebatur, decreuit tandem vt debitores creditoribus ſatisfacerent, per æſtimationem poſſeſſionum, quanti quaſque ante ciuile bellum comparaſſent, deducto ſummæ æris alieni, ſi quid vſuræ nomine numeratum, aut perſcriptum fuiſſet: qua conditione quarta pars fere crediti deperibat.* Adeò vt Seruij Galbæ qui pro Pompeio ſpoponderat, ſuis impenſis fidem exoluerit. Valerius Maximus libro 6. cap. 2. *Ipſa illud manſuetudine mitius pectus æs alienum Pompeij ex ſuo fiſco ſolui iuſſit.*

COMPRIMENDÆ LIBIDINES.] Hoc ipſum eſt, quod ſeriò monet Salluſtius de Rep. ordinandâ. IV. *Neque quiſquam te ad crudeles pœnas, aut acerba iudicia inuocat, quibus ciuitas vaſtatur magis, quàm corrigitur, ſed vt prauas artes maláſque libidines ab iuuentute prohibeas. Ea verò clementia erit conſuluiſſe ne immeritò ciues patriâ expellerentur, retinuiſſe ab ſtultitia & falſis voluptatibus, pacem concordiámque ſtabiliuiſſe: non ſi flagitiis obſecutus, delicta perpeſſus præſens gaudium cum mox futuro malo conceſſeris.* Et ſanè Lucanus, Petronius, & alij, vt iam vidimus, maximam bellorum ciuilium partem, ad luxum & libidinem retulerunt.

PROPAGANDA.] Sumpta ab arboribus & plantis tranſlatio: quam etiam Tertullianus vſurpat De pallio cap. 2. V. Propagatio. *Runcare atque ruſpare conſuluit, vt indè velut ex ſurculis & propaginibus, populi de populis, vrbes de vrbibus per vbique orbis pangerentur.* Frequenter, vt alios omittam, Lucretius lib. 1.

Efficis vt cupidè generatim ſecla propagent.

Item:

Propagare genus poſſint vitámque tueri.

Lib. 5.

Vt propagando poſſint procudere ſecla.

Item:

Nec potuiſſe propagando procudere prolem.

libenter in vtroque legerim *producere.* Vſque adeò, vt Tertullianus non ſolùm corpora putauerit, ſed etiam animas alias, eo aliis per traducem propagari, lib. de anima: *Anima velut ſurculus quidam ex matrice Adam in propaginem deducta, & genitalibus, fœminæ foueis commendata cum ſuâ paraturâ pullulabit.* Ex quo quantumuis falſum opinante, tamen intelligis cui hominis generatio cum arborum propagine conferatur. de plantarum propagatione Cato de re ruſticâ, cap. 51. & 133. *Arboribus ab terra pulli qui nati erunt, eos in terram deprimito, extollito vti radicem capere poſſint: inde vbi tempus erit effodito, ſeritóque rectè.* Columella lib. de arboribus cap. 7. *Propagationum genera tria ſunt in vſu maximè: vnum quo virga edita à matre ſulco committitur: alterum quo ipſa mater proſternitur, atque in plures palos per ſuas virgas diuiditur. Tertium quo vitis ſcinditur in duas vel tres partes, ſi diuerſis ordinibus diducenda eſt.* A primo, vt opinor, genere propagatur à plantis, ad hominum generationem tranſlatio. Quam plantarum productionem φύσιν παραφυάδος Theophraſtus libris de hiſtoria plantarum eleganter appellat: & auctor Geoponiæ à Cerdano citatus in illud 2. Georg.

Siluarúmque alia curuos propaginis arcus
Expectant.

Propagationem plantarum explicaturus ab hominis productione tranſlationes arceſſit: alij contra, vt ille Tragicus apud Fabium lib. 9.

Ioue propagatus eſt, vt perhibent, Tantalus.
Ex Tantalo Pelops, ex Pelope autem ſatus
Atreus, qui noſtrum porrò propagat genus.

Hinc factum videtur, vt puerorum naſcentium fata defoſſis in terram, aut etiam propagatis plãtarum ſurculis exquirerent. vnde & Virgilij pater

futuram

futuram filij claritatem agnouit, vt auctor eſt Phocas Grammaticus.

-genitor nati dum fata requirit,
Populeam ſterili virgam mandauit arenæ
Tempore quæ nutrita breui dum creſcit in amne,
Altior emicuit cunctis quas auxerat ætas,&c.

Hinc eſt quod ſtemma, ſiue vt vocant arbor proſapia tanquam in varios ſurculos hinc inde
Propago. propagatos diducta *propago* dicitur, tùm ab aliis, tùm à Cornelio nepote Attici vita. *Sic familiarum originem ſubtexuit, vt eo clarorum virorum propagines poßimus agnoſcere.*

VI. Soboles. SOBOLES.] Aptè *ſobolem propagationi* ſubnectit, quòd ſurculi depacti & propagati ſuboleſcant & ſuccreſcant, id eſt, ſub matribus ſuis augeantur. primo de Officiis factâ priùs ſeminarij mentione. *Sequuntur connubia & affinitates, ex quibus etiam plures propinqui. Quæ propagatio & ſoboles origo eſt Rerumpublicarum.* Feſtus: *Suboles ab oleſcendo, id eſt creſcendo dictæ, vt adoleſcentes quoque & adulti, & indoles dicitur.* Lucretius lib 5.

Siue virùm ſuboles, ſiue eſt muliebris origo.

Propriè enim ſi loquamur, plantarum ſurculi ſuboleſcunt, adoleſcunt, inoleſcunt. Lyricus:

Aut in adulta vitium propagine
Altas maritat populos.

Poëta: *-vtaque docent inoleſcere libro.* Item:

Et cùm prima nouis adoleuit frondibus ætas.

vnde & Græcus Iliados σ. adoleſcentiam Achillis deſcripturus à planta comparationẽ accerſit.

-ὁ δ' ἀνέδραμεν ἔρνεϊ ἶσος
Τὸν μὲν ἐγὼ θρέψασα φυτὸν ὡς γουνῷ ἀλωῆς, &c,
-adoleuit ſtipitis inſtar
Quem veluti plantã nutriuimus vbere terræ,&c.

Poſt quem Heliodorus 2. Æthiopic. Τάχιστα δ' εἰς ἀκμὴν καθάπερ ἔρνος τι τῶν εὐθαλῶν ἀνέδραμεν. *Celeriter in florem tanquam ramus aliquis præclarè florens adoleuit.* Et eleganter Plato initio Theagis cum dubitatione: εἴτε φυτείαν, εἴτε παιδοποιΐαν. *ſiue plantationem, ſiue puerorum generationem* appellat. ſed vide quæ ex eo protulimus. 76. Cœlianæ. Incertus Panegyriſtes Maximiano & Conſtantino: *Maximas itaque vobis, æterni Principes, publico nomine gratias agimus, quòd ſuſcipiendis liberis optandiſque nepotibus ſeriem veſtri generis prorogando*, malim propagando, *omnibus in futurum ſeculis prouidetis, vt Romana res olim diuerſis regentium moribus fatiſque iactata, tandem perpetuis domus veſtræ radicibus coaleſcat: támque ſit immortale illius imperium, quàm ſempiterna ſoboles Imperatorum.*

VII. PROP. SOBOLES.] Diu multúmque non Cæſari ſolùm, ſed etiam Auguſto cum profligatis hominum moribus luctandum fuit, vt ciues ſuos ad veras legitimáſque nuptias, & propagationem ſobolis educationémque liberorum inducerent. Dio libro 43. Ἐπειδή τε δεινὴ ὀλιγανθρωπία διὰ τὸ τῶν ἀπολωλότων πλῆθος, ὡς ἔκ τε τῶν ἀπογραφῶν (καὶ γὰρ ἐκείνας τά τ' ἄλλα, ὥσπερ τις τιμητὴς, ἐποίησε) καὶ ἐκ τῆς ὄψεως αὐτῆς ἠλέγχετο, ἦν. πολυπαιδίας ἆθλ' ἐπέθηκεν. *Quoniam exhauſta vehementer erat vrbis frequentia, propter eorum qui deceſſerant multitudinem quod ex recenſione (eam autem & reliqua & affinia munera, tanquam cenſor peragebat) ipsóque etiam conſpectu liquebat: iis qui multos liberos procreaſſent præmia propoſuit.* Vide apud Tranquillum in Iulio cap. 42. quibus rationibus huic incommodo prouiderit. Nec minùs Auguſtus huic rei inſudauit. Idem libro 54. Τοῖς τ' ἀγάμοις, καὶ ταῖς ἀνάνδροις βαρύτερα τὰ ἐπιτίμια ἐπέταξε, καὶ ἔμπαλιν τοῦ τε γάμου, καὶ τῆς παιδοποιίας ἆθλ' ἐπέθηκε. *Cælibibus tum viris, tum fœminis pœnas ſuperioribus grauiores, coniugatis, & qui liberos procreaſſent præmia propoſuit.* Inter cæteras pœnas cœlibes à publicis ſacrificiis, ſpectaculis, epulis, excluſi videntur, nam vt ſubdit eodem libro exeunte, Senatores Auguſtum, Ἀνδριάσι τ' ἐκ συντελείας ἐτίμησαν, καὶ τῷ τοῖς τ' ἀγάμοις καὶ ταῖς ἀνάνδροις, καὶ συνθεᾶσθαι τοῖς ἄλλοις καὶ συνδειπνεῖν ἐν τοῖς γενεθλίοις αὐτοῦ δοῦναι. *Et ſtatuis eum ex collatitia honorarunt pecunia, inſupérque cœlibibus vtriuſque ſexus conceſſerunt, vt eius die natali publicis ſpectaculis & epulis intereſſent.* Neque tamen Auguſtus, his legibus admodum promouerat, vt iis paulò pòſt exprobrauit, vide eundem initio libri 56. Ἐγὼ δ' ἐπηύξησα μὲν τὰ ἐπιτίμια τοῖς ἀπειθοῦσιν, ἵνα φόβῳ τὰ πειθαρχεῖν αὐτοῖς συμφέρειν ἡγεῖσθε. ἔθηκα δὲ καὶ ἆθλα τοῖς πειθαρχοῦσι τοσαῦτα καὶ τηλικαῦτα, ἡλίκα καὶ ἰδία ἐπ' οὐδεμιᾷ ἄλλῃ ἀνδραγαθίᾳ δίδοται. *Ego autem multam non obedientibus adauxi, vt eius metus vos in officio cotineret, præmia autem obtemperantibus tot ac tanta, quanta nulli virtuti prætereà eſſent propoſita, conſtitui.* vide fusè, & Tranquillum in Octauio cap. 34. Ex hoc propagandæ ſobolis ſtudio natum ius trium liberorũ, quod quãta priuilegia contineret, liquet è litteris Plinij & Traiani vltro citróq; miſſis. Plinius cùm id iuris Suetonio Tranquillo dari petiiſſet. his verbis: *Huic ius trium liberorũ neceſſariæ faciunt duæ cauſſæ. Nam & iudicia amicorum promeretur, & parum fœlix matrimonium expertus eſt, impetrandúmq; à tua bonitate per nos habet, quod illi fortunæ malignitas denegauit. Scio, Domine, quantum beneficium petam,*&c. reſponſum accepit. *Quàm parcè hæc beneficia tribuam, vtique mi Secũde chariſſime, hæret tibi, cùm etiam in Senatu adſirmare ſoleam nõ exceßiſſe me numerum, quem apud ampliſſimum ordinem ſuffecturum mihi profeſſus ſum, tuo tamen deſiderio ſubſcripſi,*&c. Id etiam planum eſt, ex eo quòd poſt mortem Druſi, vt Dio narrat libro 55. Ἡ δὲ δὴ Λιουΐα εἰκόνων τε ἐπὶ παραμυθίᾳ ἔτυχε, καὶ ἐς τὰς μητέρας τὰς τρὶς τεκούσας ἐσεγράφη. *Liuia autem in ſolatium & ſtatuis donata eſt, & in earum numerum relata eſt quæ ter peperiſſent.* Item quòd huiuſmodi priuilegium Senatus primum, deinde etiam Imperator ipſe concederet. Idem: Οἷς γὰρ τὸ δαιμόνιον εἴτ' οὖν ἀνδρῶν εἴτε γυναικῶν. μὴ δῷ τοσαυτάκις τεκνῶσαι, τούτων τισὶν ὁ νόμος πρότερον μὲν διὰ τῆς βουλῆς. νῦν δὲ διὰ τοῦ αὐτοκράτορος τὰ τῶν γεγεννηκότων δικαιώματα χαρίζεται, ὥστε σφᾶς μήτε τοῖς τῆς ἀπαιδίας ἐπιτιμίοις ἐνέχεσθαι, καὶ τὰ τῆς πολυπαιδίας ἆθλα πλὴν ὀλίγων τινῶν καρποῦσθαι. *Quibus enim vel viris, vel mulieribus Deus tertiam prolem non conceßit, eorum nonnullis tamen lex quædam per Senatum primùm, nunc autem per Imperatorem, ius trium liberorum largitur, vt neque multã ea quæ orbis eſt propoſita, texeantur, & paucis duntaxat exceptis copioſæ liberorum procreationi conſtituta præmia cõſequantur.* Plinius Panegyr. Traiani: *Locupletes ad tollendos liberos ingentia præmia, & pares pœnæ cohortantur. Pauperibus educandi vna ratio eſt, bonus Princeps.* Iam vt aliquot eius iuris emolumenta numeremus, iis dabatur congiarium alimento, ius cernendæ cuiuſlibet hæreditatis, ſedendi honeſtiore loco in ſpectaculis,&c. Videtur fuiſſe congiarium certa pecunia populo data intuitu liberorum. Plinius ibidẽ: *Aduentante congiarij die, obſer-*

Pœnæ in cœlibes.

Ius trium liberorum.

Congiarium.

uare principis ingreſſum in publicum, inſidere vias examina infantium, futurúſque populus ſolebat. labor parentibus erat oſtentare paruulos, impoſitóſque ceruicibus, adulantia verba blandáſque voces edocere. Ibidem congiarium ab alimentis manifeſtè diſtinguit. *Magnum quiddam eſt educandi incitamentum tollere liberos in ſpem alimentorum, in ſpem congiariorum.* Mox: *Nihil magis in tua liberalitate laudauerim, quàm quòd congiarium das de tuo, alimenta de tuo. & nullam congiario culpam, nullam alimentis crudelitatem redemiſti.*

Alimenta. Quod ſpectat ad alimenta, ea potiſſimum conceſſa tergeminis ait Dionyſius lib. 3. facta Horatiorum mentione: Ἔστι δὲ καὶ νόμος παρ᾽ αὐτοῖς δι᾽ ἐκεῖνο κυρωθεὶς τὸ πάθος, ᾧ καὶ εἰς ἐμὲ χρῶνται, τιμὴν καὶ δόξαν ἀθάνατον τοῖς ἀνδράσιν ἐκείνοις περιτιθεὶς ὁ κελεύων οἷς ἂν γένωνται τρίδυμοι παῖδες ἐκ τοῦ δημοσίου τὰς τροφὰς τῶν παίδων χορηγεῖσθαι μέχρι ἥβης. *Eſt verò lex apud eos ex eo caſu ſancita, qua ad noſtram ætatem vtuntur, honorem & gloriam immortalem illis viris tribuens, iubens vt quibus trigemini nati fuerint, iis ad pubertatem vſque cibi de publico tribuantur.* Huc alluſerit Iuuenalis ſat. 3. indignans in eos qui tergeminorum parentes contemnerent.

Sed tua nunc Mycale pariat licet, & pueros tres
In gremium patris fundat ſimul, ipſe loquaci
Gaudebit nido, viridem thoraca iubebit
Adferri, &c.

Ius hereditatis cuiuſlibet adeundæ. Ius etiam cuiuſlibet hereditatis cernendæ videntur habuiſſe qui tres liberos procreaſſent. id elicitur ex Dione lib. 55. vbi cùm aliqua de iure trium liberorum quæ nunc in exemplaribus deſiderantur, præmiſiſſet, proximè poſt lacunam ſubdit: Καὶ αὐτὰ οὐκ ἄνθρωποι μόνον, ἀλλὰ καὶ θεοὶ εὑρίσκονται, ἵνα ἄν τίς τι αὐτοῖς τελευτῶν καταλίπῃ λαμβάνωσι. *Non modò homines, ſed Dij quoque hæc conſequuntur, vt quod iis moriens aliquis legauit, accipiant.* Huc ſpectat illud Tertulliani libro de Monogamia: *Aliud eſt ſi & apud Chriſtum legibus Iuliis agi credunt, & exiſtimant cœlibes & orbos ex teſtamento Dei ſolidum non poſſe capere.* Adde quæ mox è Tacito proferentur. Cuiuſmodi præmia videntur aucta fuiſſe pro numero liberorum. Martialis lib. 11.

Ius tibi natorum vel ſeptem, Zoile, detur.

Ius loci honeſtioris in ſpectaculis. Ius in ſpectaculis honeſtioris loci Martialis lib. 5. epiſt. 43.

Sedere in equitum liceat an tibi ſcamnis
Videbo Didyme: non licet maritorum.

Imò, vt iam ſupra vidimus ex Dione, cœlibes videntur penitùs excluſi fuiſſe à publicis ſpectaculis. Magiſtratus & prouinciæ. Tacitus libro 15. annalium.

Ius ad magiſtratus & prouincias. *Percrebuerat ea tempeſtate prauiſſimus mos, cùm propinquis comitiis aut ſorte prouinciarum, plerique orbi fictis adoptionibus adſciſcerent filios, præturáſque & prouincias inter patres ſortiti ſtatim emitterent manu quos adoptauerant.* Mox: *Factum ex eo Senatuſconſultum ne ſimulata adoptio in vlla parte muneris publici iuuaret, ac ne vſurpandis quidem hereditatibus prodeſſet.* Clemens Alexandrinus 2. ſtromatum ſub finem: Οἵ τε νομοθέται οὐκ ἐπιτρέπουσι τὰς μεγίστας ἀρχὰς τοῖς μὴ γαμήσασι μετιέναι. *Legiſlatores cœlibibus maximos quoſque magiſtratus petere non permittunt.* Adde quod refert Gellius libro 2. cap. 15. Noct. Atticarum: *Capite ſeptimo legis Iuliæ priori ex Conſulibus faſces ſumendi poteſtas fit, non qui plureis annos natus eſt, ſed qui plureis liberos quàm collega, aut in ſua poteſtate habet, aut bello amiſit. Sed ſi par vtrique numerus liberorum eſt, maritus aut qui in numero maritorum eſt, præfertur. Si verò ambo & mariti & patres totidem liberorum ſunt, tùm ille priſtinus honor inſtauratur, & qui maior natu eſt, prior faſces ſumit.* Cur autem tot præmiis ciues excitarent, tradit incertus Panegyriſtes Maximiani & Conſtantini. *Leges hæ quæ multa cœlibes notauerunt, parentes præmiis honorarunt, verè dicuntur eſſe fundamenta Reip. quia ſeminariū iuuentutis, & quaſi fontem humani corporis ſemper Romanis exercitibus miniſtrarunt.* Quæ conſuetudo à Perſis, vt videtur, profluxerat. Herodotus libro primo: Ἀνδραγαθίη δ᾽ αὕτη ἀποδέδεκται, μετὰ τὸ μάχεσθαι εἶναι ἀγαθόν, ὃς ἂν πλείους ἀποδέξῃ παῖδας. τῷ δὲ τοὺς πλείστους ἀποδεικνύντι δῶρα ἐκπέμπει ὁ βασιλεὺς ἀνὰ πᾶν ἔτος. τὸ πολλὸν δ᾽ ἡγέαται ἰσχυρὸν εἶναι. *Secundum bellicam fortitudinem potior ducitur numeroſæ ſobolis procreatio: & illi qui quamplurimos liberos ediderit, huic Rex munera quotannis mittit. In multitudine autem poſitum eſſe robur exiſtimant.* aut à Lacedæmoniis. Ariſtoteles libro ſecundo Politicorum, cap. 9. Ἔστι γὰρ αὐτοῖς νόμος τὸν μὲν γεννήσαντα τρεῖς υἱοὺς ἄφρουρον εἶναι, τὸν δὲ τέτταρας ἀτελῆ πάντων. *Eſt enim lex apud eos, ſi quis tres liberos procrearit, eum vacationem habere præſidij, & cuſtodiæ vrbis. ſi quatuor, eum ab omnibus publicis muneribus immunem eſſe.*

FLVXERVNT.] Poëta. VIII.

Fluere.

Ex illo fluere ac retro ſublapſa referri.

Lucret. lib. 2.

-minui rem quamque videmus,
Et quaſi longinquo fluere omnia cernimus æuo.
Ex oculiſque vetuſtatem ſubducere noſtris.

LEGIBVS VINCIENDA.] Eleganter; ius enim & lex ſunt vincula. pro Cluentio. *Hoc enim vinculum eſt huius dignitatis, qua fruimur in Repub.* pro Cæcinna. *Qui ius ciuile contemnendum putat, is vincula reuellit non modò iudiciorum, ſed etiam vtilitatis vitæque communis.* Quare non errarit fortaſſe qui nomen *legis*, non à *legendo*, vt voluit M. Tullius, ſed à *ligando* deduxerit, & Græcè θεσμὸς, quaſi δεσμός. hinc eſt fortaſſe, quod Orpheus in hymnis legem naturæ ſigillum appellat. IX. Ius & leges vincula.

Οὐράνιον Νόμον ἀστροθέτην, σφραγῖδα δικαίαν
Πόντου τ᾽ εἰναλίης, καὶ γῆς φυσεῶς τε βέβαιον.
Æthercam legem ſerit qua ſidera cœlo
Iuſtum naturæ, ponti, terræque ſigillum.

Notum eſt enim è Catilinaria 3. litteras ſigillatas etiam lino quod ſigillum cōtineret fuiſſe vinctas. *Signum cognouit. nos linum incidimus: legimus.* hinc *legum catenæ* in Sextiana: compedes à Solone nominantur.

Καὶ δεσμὰ τοῖς ἀδίκοις ἀμφιτίθησι πέδας.
Iniuſtos durâ compede ſæpe premit.

BELLI VVLNERA.] Valerius libro 2. cap. 3. de bellis ciuilibus agens. *Piget, tædétque per vulnera Reip. vlteriùs procedere.* & lib. 6. cap. 2. *Obducta iam vetuſtis cicatricibus bellorum ciuilium vaſtiſſima vulnera.* X.

MEDERI.] Salluſtius ad Cæſarem de Rep. ordinanda. *Namque aut tu mederi potes, aut omittenda eſt cura omnibus.* Quod Cato priùs cenſuerat de Cn. Pompeio. Lucanus 2. Pharſal. de Syllâ victore. XI.

Exceßit medicina modum.

Tiberius oratione funebri Auguſti apud Dionem lib. 56. ὥσπερ τις ἀγαθὸς ἰατρὸς σῶμα νενοσηκὸς παραλαβὼν, καὶ ἐξιασάμενος, ἀπέδωκε πάντα ὑμῖν ὑγιᾶ ποιήσας. *Vt bonus medicus corpus ægrotum accipiens, & medens, omnia nobis ſana reddidit.*

AXIOMATA.

Ad ordinandam Remp. conſtituenda iudicia, reuocanda fides, comprimendæ libidines, propaganda ſoboles, omnia quæ dilapſa iam fluxerunt ſeueris legibus vincienda.

In ciuili bello multa dux facit armatus, quæ togatus facere prohiberet.

ARGVMENTVM.

Cæſar oratione habita in Senatu, qua & Marcellum reſtituit, & de inſidiis conqueſtus eſt, dixerat ſatis ſe diu vel naturæ vixiſſe vel gloriæ, id Cicero magna prudentia confutat, vt nec Cæſarem offendat, & de eius ſalute ſollicitus eſſe videatur.

ITAQVE illam tuam præclariſſimam, & ſapientiſſimam vocem inuitus XXV.
audiui, ſatis te diu vel naturæ vixiſſe, vel gloriæ: ſatis. ſi ita vis, naturæ fortaſſe: addo etiam, ſi placet, gloriæ: at, quod maximum eſt, patriæ certè parum. Quare omitte, quæſo, iſtam doctorum hominum in contemnenda morte prudentiam. noli noſtro periculo ſapiens eſſe. ſæpe enim venit ad aures meas, te idem iſtud nimis crebro dicere, ſatis te tibi vixiſſe.

EXPLANATIO.

ITAQVE.] Dependet à ſuperioribus. Cùm igitur vulneribus Reip. mederi præter te nemo poſſit.

ILLAM.] Prudenter ſe inſinuat, id ipſum laudans quod refutaturus eſt: & magna cum emphaſi ait, *illam*, quaſi dicat vocem illam quæ altè in animis omnium inſedit, & quæ ſemper in omnium ore verſabitur.

NATVRÆ.] Quippe qui iam ad quartum & quinquageſimum ætatis annum perueneris.

SATIS SI.] Concedit quod volebat Cæſar: adfert aliam rationem cur Cæſar ſaluti ſuæ debeat impenſiùs prouidere: nimirum quòd non ſatis diu vixerit ad ſtabiliendam & ordinandam Remp. Aduerte rurſus prudens Oratoris conſilium: Confutaturus Cæſarem eam ipſam rationem adfert, quam ille identidem vſurpabat: id non tam Cæſaris quàm Reip. intereſſe.

QVARE.] Concludit per hortationem, ne ſequatur eorum philoſophiam, qui de contemnenda morte libros ediderunt.

NOLI.] Noli philoſophari & contemnere mortem cum damno Reip. quæ in maximas calamitates & pericula deueniet, niſi tu tuæ vitæ conſulueris, inſidiáſque vitaris.

NOTÆ.

I. VEL NATVRÆ.] Ad id videtur alludere quod tradit Suetonius in Iulio cap. 86. *Suſpicionem Cæſar quibuſdam ſuorum reliquit, neque voluiſſe ſe diutiùs viuere, neque curaſſe, quod valetudine minùs proſpera vteretur.*

II. VEL GLORIÆ.] Tranquillus loco proximè citato: *Alij ferunt dicere ſolitum, non tam ſua quàm Reip. intereſſe vt ſaluus eſſet: ſe iampridem potentiæ gloriæque abunde adeptum: Remp. ſi quid ſibi eueniret, neque quietam fore, & aliquanto deteriore conditione ciuilia bella ſubituram.* Cæterùm quoniam difficile fuit querelæ Cæſaris ſatisfacere: . . que Orator ſolidiſſimis rationibus potuerat occurrere, prudenter ad aliud Cæſaris dictum confutandum dilabitur, vt ea orationis parte confutata, totam orationem refelliſſe videatur. Siquidem vt monet Maximus Epheſius libello De oppoſitionibus inſolubilibus, operæpretium eſt, cùm aliquid huiuſmodi fuerit obiectum, Τὸν δικαστὴν ἀπάγειν μὲν ἀπὸ τῆς ἀλύτου ἀντιθέσεως, εἰς ἕτερα δὲ πράγματα κρινόμενα ἐμβιβάζειν. *Iudicem ab inſolubili oppoſitione ad aliam quæſtionem abducere.* Neque hanc vnam artem adhibet Orator, ſed etiam incuſare ſe Cæſarem fingit, quòd ille minùs quàm par erat ſaluti ſuæ prouideret. quod idem monet eſſe faciendum. Ἐὰν ἐμπίπτῃ ἄλυτος ἀντίθεσις ἐν σχήματι τοῦ δοκεῖν λύειν, ἀντικατηγορεῖν τοῦ ἀντιδίκου. *Si oppoſitio inſolubilis inciderit, retorquenda in aduerſarium accuſatio, vt ſpecie tenus ſoluiſſe videamur.* Tertiò Cæſarem hortatur ſummam vt in vita tuenda adhibeat cautionem. Παραινῶν δὲ τῷ ἀντιδίκῳ, καὶ ὡς δοκῶν αὐτοῦ προκήδεσθαι, ἄλυτον εἶναι δοκοῦσαν μεθοδεύσεις ἀντίθεσιν. *Aduerſarium exhortans, vt eius curam habere videaris, certa quadam via tractabis oppoſitionem, quæ ſolui poſſe non videbatur.* Quartò, quoniam difficile fuit oſtendere Cæſarem ſatis non vixiſſe, vel naturæ, vel gloriæ, tertium adiunxit de patria, quod faciliùs ſolui poterat, & à Cæſarem concedebatur identidem dicente non tam ſua quàm Reipublicæ intereſſe, vt ex illius additi confutatione ad aliorum ſolutionem excurreret. Maximus. Παρεμπλέκων δέ τι εὔλυτον τῇ ἀλύτῳ ἀντιθέσει δόξεις παρέχεσθαι λύσιν τὴν ἀφορμὴν ἀπὸ τοῦ συμπλεκομένου εὐλύτου λαμβάνων. *Si quid ſolubile oppoſitioni inſolubili implicueris, videberis ſolutionem dediſſe, ab eo ſolubili quod annexum eſt, auſpicatus.* Poſſent & aliæ ex eodem Maximo proferri ſoluendi rationes & methodi, quibus Noſter videtur inſtitiſſe. ſed hæc ſatis.

DOCTORVM HOMINVM.] Philoſophi III.
paſſim de contemnenda morte libros ediderunt. vide Noſtrum I. Tuſcul. Platonem, Senecam, Epictetum, & alios eiuſmodi.

AXIOMA.

Non debemus aliorum periculo eſſe ſapientes.

ARGVMENTVM.

Confutat dictum Cæſaris, eúmque demonſtrat nec patriæ, nec gloriæ, ac proinde ne ſibi quidem ipſi ſatis diu vixiſſe.

XXVI. CREDO: ſed tum id audirem, ſi tibi ſoli viueres, aut ſi tibi etiam ſoli natus eſſes: nunc, cùm omnium ſalutem ciuium, cunctámque Rempubl. res tuæ geſtæ complexæ ſint, tantum abes à perfectione maximorum operum, vt fundamenta, quæ cogitas, nondum ieceris. Hîc, tu, modum tuæ vitæ, non ſalute Reip. ſed æquitate animi definies? quid, ſi iſtud ne gloriæ quidem tuæ ſatis eſt? cuius te eſſe auidiſſimum, quamuis ſis ſapiens, non negabis. Parúmne igitur, inquies, gloriam magnam relinquemus? immò verò aliis, quamuis multis, ſatis, tibi vni parum. quidquid enim eſt, quamuis amplum ſit, id certè parum eſt tum, cùm eſt aliquid amplius.

EXPLANATIO.

CREDO.] Videtur Cæſaris propoſitionem diſtinguere, vel potiùs abſolutè negare hoc ſyllogiſmo.

Is ſatis ſibi non vixit, qui neque gloriæ, neque Reip. ſatis vixit.

Sed tu neque gloriæ, neque Reip. ſatis vixiſti.

Ergo nec tibi.

Propoſitio plana eſt ex eo, quòd non nobis ſolis nati ſumus, nec ſolis nobis viuimus, ſed multò magis patriæ, ergo non poſſumus rationes noſtras priuatas à rationibus & commodis patriæ ſegregare, ac proinde nobis ſatis non viuimus, ſi Reip. parùm. Altera pars de gloria infrà §. 28. fuſiùs probatur: quia vita noſtra dicenda non eſt quæ anima & ſpiritu continetur, ſed ea quæ vigebit memoriâ ſeculorum omnium.

ID AVDIREM.] Concederem, verbis tuis acquieſcerem.

NVNC QVO.] Poſtquam à natura ipſa, quæ nos ad vtilitatem Reipub. procreauit, Cæſarem oſtendit ſatis non vixiſſe, idem demonſtrat, à rebus quas Cæſar inchoarat, nec dum tamen ad exitum perduxerat. Cùm eas, inquit, res geſſeris, quæ vniuerſam Remp. complexæ ſunt, & ad commune bonum redundant, non eſt quòd eas perfectas arbitreris, priuſquam ſtabilieris totam Remp. tantùm enim abes ab earum perfectione, vt nondum ſolida fundamenta ieciſſe videaris. atque hæc eſt probatio alterius partis aſſumptionis.

HIC TV.] Epichirema. Cum Reip. ſalus à tua ſalute dependeat, non debes exiſtimare te ſatis tibi vixiſſe, ídq; ex eo inferre quòd mortem non timeas, ſed eam expectes ſumma animi æquitate: ſed is qui patriæ ſatis non vixit, ſatis non vixiſſe abſolutè dicendus eſt.

QVID SI.] Ad probationem alterius partis aſſumptionis delabitur *Cæſarem gloriæ ſatis non vixiſſe.*

PARVMNE.] Occurrit tacitæ obiectioni, ne cùm Cæſarem gloriæ parùm vixiſſe dicit, res ab eo geſtas extenuare videatur, & mirâ prudentiâ ex eo ipſo, quòd non ſatis magnam gloriam Cæſar adhuc conſecutus fuerit, eius dignitatem & excellentiam mirè exaggerat. Aduerte præclarã antitheſim, *aliis, tibi, multis, vni, ſatis, parùm.*

QVICQVID.] Ea gloria ſatis eſſet aliis, quia nemo præter te maiorem ea quam adeptus es, poteſt gloriam ſibi comparare: Tibi verò ſatis non eſt cuius eſt tanta virtus, tam generoſa indoles, tanta felicitas, vt ad longè maiorem gloriam poſſis peruenire. Ita quidem dicere potuiſſet, ſed longè preſſiùs ſententiâ concluſit.

NOTÆ.

ID AVDIREM.] Audire apud veteres nonnunquam obſequium, ſiue conſenſum excludit. Pacuuius apud Nonnium: *Magis audiendum, quam auſcultandum cenſeo.* Cæcilius: *Audire ignoti quod imperant ſoleo, non auſcultare.* Rectè tamen monet Donatus in Eunuchum act. 2. ſc. 2. *Audio idem eſſe atque libenter admitto, & conſentio.* pro Sextio 133. *Ille ad eos, à quibus audiebatur, quotidie aliquid de me ficti adferebat.* 1.

TIBI SOLI NATVS.] Ex Platone epiſt. ad Architam Tarentinum: Ἕκαστος ἡμῶν οὐκ αὐτῷ μόνον γέγονε. ἀλλὰ τῆς γενέσεως ἡμῶν τὸ μέν τι ἡ πατρὶς μερίζεται, τὸ δέ τι οἱ γεννήσαντες, τὸ δὲ οἱ λοιποὶ φίλοι, πολλὰ δὲ καὶ τοῖς καιροῖς δίδοται, τοῖς τὸν βίον καταλαμβάνουσι. vertit M. Tullius libro 1. de officiis: *Non nobis ſolùm nati ſumus, ortúſque noſtri partem patria vendicat, partem parentes, partem amici.* hæc Tullius, adde: *Multum verò occaſiones & tempora decerpunt, in quæ hominum vita incidit.* Secundo de finibus: *Eadémque ratio facit hominem hominum appetentem, cúmque his natura, & vſu & ſermone congruentem, vt profectus à charitate domeſticorum ac ſuorum, currat longiùs & ſe implicet primùm ciuium, deinde omnium mortalium ſocietate, atque vt ad Architam ſcripſit Plato, non ſibi ſe ſoli natũ meminerit, ſed patriæ, ſed ſuis, vt perexigua pars ipſi relinquatur.* Hinc eſt quòd Ariſtoteles hominem animal politicum, id eſt non ſibi ſoli, ſed patriæ & hominum ſocietati natum appellat lib. 1. polit. cap. 2. Πολιτικὸν ὁ ἄνθρωπος ζῷον πάσης μελίττης, καὶ παντὸς ἀγελαίου ζῴου μᾶλλον. *Homo politicum eſt animal magis quàm vlla apis, aut vllum animal gregarium.* vnde & infert lib. 8. cap. 1. Οὐ χρὴ νομίζειν αὐτὸν αὑτοῦ τινα τῶν πολιτῶν, ἀλλὰ πάντας τῆς πόλεως. μόριον γὰρ ἕκαστος τῆς πόλεως. *Non exiſtimandum eſt quemquam ciuium ſuimetipſius eſſe, ſed omnes ciuitatis. pars eſt enim vnuſquiſque ciuitatis.* Sic neſcio quis apud Ioannem Sareſberienſem lib. 1. de nugis curialiũ cap. 5. *Non ſibi, ſed toti genitum ſe credidit orbi.* II. Non nobis ſolùm nati ſumus.

FVNDAMENTA.] Vſitatum eſt actiones politicas cum ædificio, earum initia cum fundamentis ædi-

ficij comparare. in Piſon. 9. *Ergo his fundamentis poſitis conſulatus tui.* Philipp. 4. *Hodierno enim die, Quirites, ne adhuc mediocrem rem actam arbitremini, fundamenta ſunt iacta reliquarum actionum.* Orator Græcus Olynth. 2. ὥσπερ γὰρ οἰκίας οἶμαι καὶ πλοίου, καὶ τῶν ἄλλων τῶν τοιούτων τὰ κάτωθεν ἰσχυρότατα εἶναι δεῖ, οὕτω καὶ τῶν πράξεων τὰς ἀρχὰς, καὶ τὰς ὑποθέσεις ἀληθεῖς, καὶ δικαίας εἶναι δεῖ. *Quemadmodum enim domus, nauigij & cæterorum id genus fundamenta firmiſsima eſſe oportet, ſic actionum principia & ſuppoſitiones par eſt veras eſſe & iuſtas.* Alio flexu Euripides, ſed non minùs eleganter vſurpat.

> Ὅταν δὲ κρηπὶς μὴ καταβληθῇ γένους
> Ὀρθῶς, ἀνάγκη δυστυχεῖν τοὺς ἐκγόνους.
> *Cùm iacta fundamenta non fuerint bene*
> *Generis, neceſſe eſt miſeria natos premat.*

Vbi καταβάλλειν Latino *iacere* reſpondet. Auguſtus apud Suetonium 28. volens Imperium deponere. *Ita mihi ſaluam ac ſoſpitem Remp. ſiſtere in ſua ſede liceat, atque eius rei fructum percipere quem peto, vt optimi ſtatus auctor dicar, & moriens vt feram mecum ſpem manſura in veſtigio ſuo. fundamenta Reip. quæ iecero.* Ocellus Lucanus nobilis Pythagoræ diſcipulus, per quem cùm Ariſtoteles multùm profecerit, non auſus eſt tamen eum nominare. Καὶ ἐν ταῖς πρώταις δὲ αἱ πρῶται οἰκοδομαὶ μεγάλα συνεργοῦσι πρὸς τὸ καλῶς ἢ κακῶς τὸ ὅλον ἔργον συντελεσθῆναι. οἷον ἐπὶ μὲν οἰκοδομίας θεμελίου καταβολή. ἐπὶ δὲ ναυπηγίας τρόπις. ἐπὶ δὲ συναρμογῆς καὶ μελοποιίας τάσις φωνῆς καὶ λῆξις. οὕτως οὖν καὶ ἐπὶ πολιτείας εὐνομουμένης τε καὶ καλοικονομουμένης οἴκων κατάστασις καὶ συναρμογὴ, μέγιστα συμβάλλεται. *Atque vt primarum quidem partium primæ ſtructuræ ad vniuerſum opus bene aut malè complendum plurimùm faciunt: verbi gratia ad domum ædificandam fundamenti iactus, ad nauem ſtruendam carinæ fabrica, ad exercendam concentionis & muſicæ artem, contentio vocis ac remiſsio: ſic Reip. bene vel malè inſtituendæ familiarum conſtitutio, concordia & conuenientia magnopere vtilis eſt.* Plato dialogo qui Politicus, ſiue de Regno inſcribitur: Θαυμάζομεν δῆτα ἐν ταῖς τοιαύταις πολιτείαις ὅσα συμβαίνει γίγνεσθαι κακὰ καὶ ὅσα συμβήσεται, τοιαύτης τῆς κρηπῖδος ὑποκειμένης αὐταῖς, τῆς κατὰ γράμματα, καὶ ἔθη μὴ μετ' ἐπιστήμης πραττούσης τὰς πράξεις. *Miramur in huiuſmodi rebuſpublicis quæcunque eueniunt mala, & deinceps euenient, tali fundamento ipſis ſuppoſito, ſecundum leges morémque maiorum, & cum ſcientia ſuas actiones exequente.*

IV. ÆQVITATE ANIMI.] Æquitas animi videtur eſſe tranquillitas quædam & tenor animi ad omnem fortunæ euentum ita comparati, vt neque aduerſis ſe demittat, & obrui ſe patiatur, neque rebus ſecundis inſoleſcat, qualis fuit in Socrate quem eodem ſemper vultu fuiſſe tradunt, quemcunque caſum fors obtuliſſet, vt potiùs ne ſemper in gentilium exemplis hæreamus in S. P. N. Ignatio, de cuius animi tranquillitate Maffæus, Ribadeneira, Orlandinus aliíque plura dixerunt. Vtar optimis Iacobi Bidermanni verbis. *Ægrè olim in lectulo iacebat, cùm monuit fortè medicus ne triſti ſe cogitatione confunderet. Collegit animum, ſubductiſque calculis, conſiderare cœpit, vllâne re inquietari poſſet. Reperit vnicam: & quid, ſi quo inquit, infortunio Societas labefacta corrueret? Ea ſe vna clade hactenus ſenſit commotum iri, vt intra quartam horæ partem ſi precari contigiſſet, ad animi quietem rediturus ſibi videretur, etiamſi in vmbræ modum ea vaneſceret, dum ne quam ipſe cauſſam præbuiſſet.* Eam virtutem Arrianus diſſertationibus Epicteti modò εὔροιαν, modò ἀναρέστησιν appellat, ſed operæpretium non eſt hîc diutiùs immorari, cum Seneca librum ex profeſſo de animi tranquillitate conſcripſerit. Plutarchus etiam περὶ εὐθυμίας conſulatur. Noſter prima Tuſculana cùm multa de Theramene ad mortem eunte dixiſſet, ſubiecit: *Luſit vir egregius extremo ſpiritu, cùm iam præcordiis conceptam mortem contineret,* &c. *Quis hanc animi maximi æquitatem, in ipſa morte laudaret, ſi mortem malum iudicaret?* Vide Plutarchum de Phocione morti deſtinato, de Socrate Platonem & Xenophontem. hanc virtutem Lyricus ita deſcripſit.

> *Æquam memento rebus in arduis*
> *Seruare mentem: non ſecus in bonis*
> *Ab inſolenti temperatam*
> *Lætitia.*

2. Carm. Ode 3. Rurſum Ode 10.

> *Rebus anguſtis animoſus, atque*
> *Fortis appare: ſapienter idem*
> *Contrahes vento nimiùm ſecundo*
> *Turgida vela.*

Animi æquitas.

Sancti Ignatij animi æquitas.

AXIOMATA.

Non nobis ſolis viuimus.

Multum abeſt à perfectione ſummorum operum qui fundamenta nondum iecerit.

Gloria quæ aliis quamuis multis ſatis eſt, vni viro forti & generoſo parum eſt.

Quicquid eſt quamuis amplum ſit id certè parum eſt, cùm eſt aliquid amplius.

ARGVMENTVM.

Oſtendit res hactenus à Cæſare geſtas admiratione quidem eſſe digniſſimas, ſolidæ tamen laudi nihil habere, niſi diutiùs vitam propagans rebus inceptis manum adhibuerit extremam.

QVOD ſi rerum tuarum immortalium, C. Cæſar, hic exitus futurus fuit, vt deuictis aduerſariis, Remp. in eo ſtatu relinqueres, in quo nunc eſt: vide quæſo, ne tua diuina virtus admirationis plus ſit habitura, quàm gloriæ. ſi quidem gloria eſt illuſtris, at peruagata multorum, & magnorum vel in ſuos ciues, vel in patriam, vel in omne genus hominum fama meritorum. Hæc igitur tibi reliqua pars eſt: hic reſtat actus: XXVII.

in hoc elaborandum eſt, vt Remp. conſtituas, eáque tu in primis compoſitâ, ſumma tranquillitate & otio perfruare. tum te, ſi voles, cùm & patriæ, quod debes, ſolueris, & naturam ipſam expleueris ſatietate viuendi, ſatis diu vixiſſe dicito.

EXPLANATIO.

QVOD SI.] Si bello ciuili ſuſcepto nihil aliud ſpectabas quàm vt Pompeium cæteróſque aduerſarios armis ſuperares. Si nolebas tuâ victoriâ Remp. auaritia, ambitione, cæteríſque vitiis peſſundatam conſtituere & ordinare, omnibus quidem eris admirationi tanquam bonus & induſtrius Imperator, vix vllam tamen viri boni, & bene de Rep. meriti famam, & ſolidam gloriam obtinebis.

SIQVIDEM.] Definitione probat illam propoſitionem.

Gloria eſt illuſtris, & peruagata multorum fama meritorum.

Sed nondum huiuſmodi famam adeptus es.

Ergo neque gloriam.

Propoſitio diſertè ponitur: aſſumptionem vt odioſam ſilentio inuoluit. concluſionem verbis emollit, non enim omnem omninò Cæſari gloriam detrahit, ſed res ab eo geſtas plus admirationis habere dicit quàm gloriæ.

HÆC IGITVR.] Aſſumptionem quam prætererat, per ambages, & quaſi cuniculos quoſdam inſinuat, non negans Cęſarem bene de Rep. meritum eſſe, ſed eum adhortans vt in poſterum mereatur.

HIC RESTAT ACTVS.] Tranſlatio ducta à fabulis, quibus non raró tùm acta humana, tùm actiones politicæ conferuntur.

VT REMP. CONST.] Ordines, & in meliorem ſtatum redigas: & in ea poſtquam omnes bellorum ciuilium tempeſtates & procellas ſedaueris, quietè viuas, eáque pace & otio, quod ciuibus adferes, tu ipſe perfruaris.

TVM.] Poſteà, cùm ea quæ reſtant abſolueris, cùm Rempub. conſtitueris, cùm diu in Rep. tranquilla & quieta viuens, vt conuiua ſatur, naturam viuendo expleueris, licebit tibi dicere ſatis te diu vixiſſe.

NOTÆ.

I. RERVM TVARVM IMMORT.] Immortalitate dignarum. Siquidem. vt ait ille,

Virtus recludens immeritis mori
Cœlum, negata tentat iter via.

II. DIVINA VIRTVS.] Vide quæ diximus in Sextianam. *Diuinum illum virum atque ex iiſdem, quibus nos radicibus natum.* & in Cœlianam: *Hunc mea ſententia diuinis quibuſdam bonis inſtructum atque ornatum puto.*

III. Gloria quid? GLORIA.] Gloriam alij aliter definiunt. Cicero 2. De inuentione: *Gloria eſt frequens de aliquo fama cum laude.* Quod alij dicunt: *Claram cum laude notitiam.* Ariſtoteles 1. Rhetor. cap. 5. Εὐδοξία δ' ἐστὶ τὸ ὑπὸ πάντων σπουδαῖον ἀπολαμβάνεσθαι, ἢ τοιοῦτόν τι ἔχειν οὗ πάντες ἐφίενται, ἢ οἱ πολλοί, ἢ οἱ ἀγαθοί, ἢ οἱ φρόνιμοι. *Gloria eſt ab omnibus bonum exiſtimari, aut aliquid huiuſmodi habere cuius omnes, aut plerique, aut boni, aut prudentes ſint appetentes.* Sed meliùs, ni fallor, Cicero & gloriæ naturam expreſſit, & omnes eius formas breui diuiſione complexus eſt: & veram ſolidámque gloriam, quam alij claritatem appellant, ab inani & fucata ſeparauit.

ILLVSTRIS.] Seneca epiſt. 102. claritatem à gloria diſtinguit. *Quid interſit inter claritatem & gloriam dicam, Gloria multorum iudiciis conſtat, claritas bonorum.* Noſter dum illuſtrem ait, requirit etiam in gloria claritatem: vt εὐδοξίαν, ſiue εὔκλειαν ab inani gloriæ ſimulachro diſtinguat. IV. Gloriæ & claritatis diſtinctio. Philo de Noë, ὁ δὲ σοφὸς οὐκ ἔνδοξος, ἀλλ' εὐκλεής, τὸν μὴ κολακείᾳ νοθευόμενον, ἀλλὰ βεβαιούμενον ἀληθείᾳ καρπούμενος ἔπαινον. *Sapiens verò non glorioſus, ſed clari nominis, fruitúrque laude non adulterata per adulationem, ſed ſtabilita per veritatem.* Plato in Protagora Prodicum ſuperſtitioſè verba captantem inducens: Εὐδοκιμεῖν μὲν γάρ ἐστι παρὰ ταῖς ψυχαῖς τῶν ἀκουόντων ἄνευ ἀπάτης. ἐπαινεῖσθαι δ' ἐν λόγῳ πολλάκις παρὰ δόξαν ψευδομένων. *Claritatem obtinere eſt in animis audientium ſine fallacia. laudari verò conſiſtit in ſermone hominum ſæpe contra ſuam opinionem mentientium.* Plutarchus quæſt. Rom. 13. Διὰ τί τῷ λεγομένῳ ὄνομα τιμῇ θύουσιν ἀπαρακαλύπτῳ τῇ κεφαλῇ; Πότερον ὅτι λαμπρὸν ἡ δόξα, καὶ περιφανές, καὶ ἀναπεπταμένον; *Cur honori ſacra faciunt aperto capite? An quia gloria illuſtris eſt, & conſpicua, & aperta?*

PERVAGATA.] Hinc eſt quod homines gloriam adepti per ora virûm volitare dicuntur ab Ennio. V. Gloria debet eſſe diff. & latè vagari.

Nemo me lacrymis decoret, neque funera fletu
Faxit: cur? volito viuus per ora virûm.

Item à Marone:

Tentanda via eſt, qua me quoque poſſim
Tollere humo, victórque virûm volitare per ora.

Hinc Ariſtoteles citatus dixit ὑπὸ πάντων, *ab omnibus.* Noſter pro Milone: *Omnibus in terris, & iam verſatur & ſemper habitabit nominis mei gloria.* Atque hinc Seneca epiſt. 102. gloriam, vt oſtendimus à claritate diſtinguit. *Gloriam quoque, inquit, latiùs fuſam intelligo: conſenſu enim multorum exigit. Diuerſa horum conditio eſt & illius. Quare? quia ſi de me bene vir bonus ſentit, eodem loco ſum quo ſi omnes boni idem ſentirent. Omnes enim ſi me cognouerint, idem ſentient. Par illis idémque iudicium eſt: æquè verò inſiſtitur ab his qui diſſidere non poſſunt. Ita pro eo eſt ac ſi omnes idem ſentiant: quia aliud ſentire non poſſunt. Ad gloriam & famam non eſt ſatis vnius opinio. illic idem poteſt vnius ſententia, quod omnium: quia omnium ſi perrogetur vna erit: hic diuerſa diſſimilium iudicia ſunt, diſſimiles affectus. Dubia omnia inuenias, leuia, ſuſpecta.* Illuſtris eſt ille locus Dionis Chryſoſtomi oratione de Homero, qua illius famam longè latéque peruagatam oſtendit. Καὶ παρ' Ἰνδοῖς ᾄδεσθαι φασὶ τὴν Ὁμήρου ποίησιν μεταβαλόντων αὐτὴν εἰς τὴν σφετέραν διάλεκτόν τε καὶ φωνήν. ὥστε καὶ Ἰνδοὶ τῶν μὲν ἄστρων τῶν παρ' ἡμῖν, πολλῶν εἰσὶν ἀθέατοι. τὰς γὰρ ἄρκτους οὔ φασι φαίνεσθαι παρ' αὐτοῖς. τῶν δὲ Πριάμου παθημάτων, καὶ τῶν Ἀνδρομάχης, καὶ Ἑκάβης θρήνων καὶ ὀδυρμῶν, καὶ τῆς Ἀχιλλέως τε καὶ Ἕκτορος ἀνδρείας, οὐκ ἀπείρως ἔχουσι.

Et apud Indos cani aiunt Homeri poëſim tranſlatam in ſuam ipſorum linguam & vocem. Itaque Indi ſidera quidem apud nos nota non cernunt: vrſas enim apud eos aiunt non videri: Caſuum autem Priami & Andromaches, & luctuum Hecubæ atque lamentationum, & Achillis atque Hectoris fortitudinis, non ſunt inexperti. Quæ propagatio & peruagatio famæ, ſi ad claritatem & vnius viri boni iudicium acceſſerit, non dubium eſt bonum bono cumulari.

VI. MVLTORVM.] Bene multorum, quia gloria laudem inuoluit: laus verò nō tribuitur vni actioni, ſed ipſi virtuti, quæ frequentatis & repetitis actionibus generatur. Aristoteles 1. Ethic. c. 12. & 1. Rhetor. cap. 10. Ἔστι δ' ἔπαινος λόγος ἐμφανίζων μέγεθος ἀρετῆς, &c. τὸ δ' ἐγκώμιον τῶν ἔργων ἐστί. *Eſt verò laus quæ virtutis magnitudinem oſtendit. Encomium verò eſt actionum.* Τὰ δ' ἔργα σημεῖα τῆς ἕξεώς ἐστιν, ἐπεὶ ἐπαινοῖμεν καὶ μὴ πεπραχότα, εἰ πιστεύοιμεν εἶναι τοιοῦτον. *Opera verò ſigna ſunt habitus: quandoquidem etiam laudaremus eum, qui nullam virtutis actionem edidiſſet, ſi arbitraremur eum eſſe eiuſmodi.* Quandoquidem igitur, vt ait idem philoſophus 2. Ethic. c. 2. ἐκ τῶν ὁμοίων ἐνεργειῶν αἱ ἕξεις γίνονται. *e ſimilibus actionibus habitus generantur.* μία γὰρ χελιδὼν ἔαρ οὐ ποιεῖ, οὐδὲ μία ἡμέρα. *vna enim hirundo non facit ver, aut vnus dies.* vt dixerat cap. 7. lib. 1. vnicus actus certum acquiſitæ virtutis indicium eſſe non poteſt: quare neceſſe eſt gloriam eſſe non vnius, ſed multorum famam meritorum.

Laus. Encomium.

VII. ET MAGNORVM.] Paruum enim meritum non eſt, vt plurimùm, magnæ virtutis indiciū, at vt ex Aristotele viſum eſt: Ἔστιν ἔπαινος λόγος ἐμφανίζων μέγεθος τῆς ἀρετῆς. *Laus eſt quæ virtutis magnitudinem oſtendit.* & vt idem ait 1. Rhet. c. 9. virtus eſt δύναμις εὐεργετικὴ πολλῶν καὶ μεγάλων. *poteſtas quædam conferendi multa & magna beneficia.* Nonnunquā tamen, vt idem notat cap. 5. Πολλοὶ διὰ μικρὰ δοκοῦντα τιμῆς τυγχάνουσιν, ἀλλ' οἱ τόποι καὶ οἱ καιροὶ αἴτιοι. *Multi ob res quæ videntur paruæ honores conſequuntur, ſed cauſſa ſunt locus & occaſio.*

VIII. VEL IN SVOS.] Quidam legunt, *vel in ſuos ciues.* non placet, ne bis idem dixiſſe videatur. Idem enim eſt *in ſuos ciues*, & *in patriam* conferre beneficia. In ſuos igitur eſt in ſuos domeſticos, affines, conſanguineos. vt tres honoris gradus oſtendat. primum in domeſticos, quæ gloria eſt hominis, vt homo eſt. Alterum in patriam & ciuitatem: quæ gloria eſt hominis non, iam vt homo eſt, ſed vt ciuis, & pars aliqua ciuitatis: Tertia in omne hominum genus: quæ eſt heroum & Deorum. Primum gloriæ genus adeo vulgare eſt, vt id ne Cyclopibus quidem Poëta nobilis denegarit: quamuis nullum inter ſe haberent ciuitatis aut ſocietatis humanæ conſortium. Odyſſ. ι.

Tres gradus gloriæ.

Τοῖσιν δ' οὔτ' ἀγοραὶ βουληφόροι, οὔτε θέμιστες, &c.
-θεμιστεύει δὲ ἕκαστος
Παίδων ἠδ' ἀλόχων, οὐδ' ἀλλήλων ἀλέγουσι.

His neque conſilium nec ſunt communia iura, &c.
Quiſque ſuæ vxori & natis dat iura, nec vnquam
Conſulere in medium norunt.

Qua de re conſulendus Aristoteles 1. polit. cap. 1. vbi dicit ſingulas domos initio ſingulas fuiſſe Reſpub. & vicos è domibus, è vicis vrbes fuiſſe propagatas. Ἔοικεν ἡ κώμη ἀποικία οἰκίας εἶναι. *Videtur vicus domûs eſſe colonia.* & c. 2. Ἡ δ' ἐκ πλειόνων κωμῶν κοινωνία τέλειος πόλις. *Conſtans è multis vicis perfecta communitas ciuitas nominatur.* Primus igitur gloriæ gradus eſt multorum & magnorum in ſuos domeſticos fama meritorum: Secundus & longè diuinior eſt de ſuis ciuibus bene mereri. Aristoteles 1. Ethic. Nicomach. c. 2 ἀγαπητὸν μὲν γὰρ καὶ ἑνὶ μόνῳ, κάλλιον δὲ καὶ θειότερον ἔθνει καὶ πόλεσι. *Optandum eſt enim vel vni & ſoli prodeſſe, pulchrius verò & diuinius genti & ciuitati.* At tertius gloriæ gradus eſt vniuerſum genus hominū ſuis beneficiis obligare. Tales fuerunt Hercules, Liber, Ceres, Oſiris & alij, qui ob merita in vniuerſos homines collata diuinos honores ſunt adepti. de quibus, ne morer, tum alij paſſim, tum Diodorus Siculus adeatur.

MERITORVM.] Philoſophus 1. Rhet. cap. 5. IX.
Τιμὴ δέ ἐστι μὲν σημεῖον εὐεργετικῆς ἕξεως. τιμῶνται δὲ δικαίως μὲν καὶ μάλιστα οἱ εὐεργετηκότες. οὐ μὴν ἀλλὰ τιμᾶται καὶ ὁ δυνάμενος εὐεργετεῖν. *Honor ſignum eſt poteſtatis bene merendi. honorantur autem iure & potiſſimùm qui alios beneficiis affecerint. nihilo tamen ſeciùs honoratur, & qui poteſt bene mereri.* Item cap. 9. Ἀγαθὸν γὰρ ὂν ἐπαινετόν ἐστιν. ἀρετὴ δέ ἐστι μὲν δύναμις, ὡς δοκεῖ, ποριστικὴ ἀγαθῶν, καὶ φυλακτική, καὶ δύναμις εὐεργετικὴ πολλῶν καὶ μεγάλων, καὶ πάντων περὶ πάντα, &c. *Quod enim bonum eſt laudabile. Virtus autem facultas eſt, vt videtur, exhibitrix conſeruatrixque bonorum, & facultas conferendi beneficia multa & magna, & omnia circa quiduis.* Subdit: Ἀνάγκη μὲν μεγίστας εἶναι ἀρετὰς τὰς τοῖς ἄλλοις χρησιμωτάτας, εἴπερ ἐστὶν ἡ ἀρετὴ δύναμις εὐεργετική. διὰ τοῦτο τοὺς δικαίους καὶ ἀνδρείους μάλιστα τιμῶσιν. ἡ μὲν γὰρ ἐν πολέμῳ, ἡ δ' ἐν εἰρήνῃ χρήσιμός ἐστιν αὐτοῖς. *Neceſſe eſt vt maximæ ſint eæ virtutes quæ ſunt aliis vtiliſſimæ, ſiquidem virtus eſt facultas benefactiua. & eam ob rem iuſtos & fortes maximè honorant. Altera enim harum virtutum in bello, altera ipſis vtilis eſt.* Hinc Poëta magnos ob gloriæ partæ æternitatem in Elyſio collocauit:

Virtus eſt facultas benefactiua.

Inuentas aut qui vitam excoluere per artes,
Quique ſui memores alios fecere merendo.

Philippica prima: *Ea autem eſt gloria laus rectè factorum, magnorúmque in Rempub. meritorum, quæ cùm optimi cuiuſque, tum etiam multitudinis teſtimonio comprobatur.*

HIC RESTAT ACTVS.] Talis eſt illa hortatio epiſt. in fine epiſt. 1. ad Qu. Fratrem: *Illud te ad extremum & oro & hortor, vt tanquam poëtæ boni & actores induſtrij ſolent, ſic tu in extrema parte & concluſione muneris ac negotij tui diligentiſſimus ſis, vt hic tertius annus imperij tui, tanquam tertius actus perfectiſſimus, atque ornatiſſimus fuiſſe videatur.* Commodè: ſiquidem cum actionibus & fabulis conferre ſolent politicas actiones. vnde Augustus apud Dionem libro 56. cum morte luctans: Κρότον δὲ δή τινα παρ' αὐτῶν (τῶν φίλων) ὁμοίως τοῖς γελωτοποιοῖς, ὡς καὶ ἐπὶ μίμου τινὸς αἰτήσας, καὶ πάμπαν τὸν τῶν ἀνθρώπων βίον διέσκωψε. Verſionem ſupplebit Tranquillus in Octauio cap. 99. *Et amicos admiſſos percunctatus, Ecquid iis videretur primum vitæ commodè tranſegiſſe, adiecit & clauſulam.* X.

Δότε κρότον καὶ πάντες ὑμεῖς μετὰ χαρᾶς κτυπήσατε.

Vitæ fabula & actus extremus.

Hinc illud Ariſtidis Orat. funebri in Eteoneum: ΟΥ δεῖ δὴ οὕτω ψυχεῖν, οὐδὲ τὴν εὐδαιμονίαν τούτῳ μετρεῖν εἴ τις ὡς πλεῖστα ἔσχε πράγματα, οὐδ' εἴ τις τοῦ μακροῦ γήρως ἀπέλαυσεν, οἷα δὴ ἀπολαύειν εἰώθασιν αἱ-

θρυπτ. ἀλλ' ἡγεῖσθαι τοῦτο κάλλιστα ἔχειν, ὅστις τὴν δοθεῖσαν αὐτῷ τοῦ βίου μοῖραν ἐν τοῖς καλλίστοις ἐξέπλησε. καὶ ὅστις, ὥσπερ ποιητὴς τοσούτων ἀκούειν ἔτι, καὶ ἐὰν καταλύσῃ τὸ δρᾶμα. *Non eſt quòd vitæ cupidi ſimus aut moleſtiarum multitudine, vel longè ſenectutis fructu, qualem quidem homines percipiunt, felicitatem metiamur potiùs, quàm cum eo præclariſſimè actum putemus, qui conceſſum ſibi vitæ ſpatium in res optimas inſumpſerit, ac tanquam poëta quiſpiam, nondum ſatiatis auditoribus, & ſpectatoribus fabulam abſoluerit.* Seneca epiſt. 77. iam alibi citatus: *Quomodo fabula ſic vita: non quamdiu ſed quàm bene acta ſit, refert. Nihil ad rem pertinet quo loco deſinas, quocunque voles deſine: tantùm bonam clauſulam impone.* Noſter in Catone Maiore: *Quæ ſunt igitur voluptates corporum cum auctoritatis præmiis comparandæ? quibus qui ſplendidè vſi ſunt, ij mihi videntur, fabulam ætatis peregiſſe, nec tanquam inexercitati hiſtriones in extremo actu corruiſſe.* Vide ibidem §. 70. *Neque ſapienti vſque ad Plaudite viuendum.* & extremis penè verbis, *Senectus autem peractio ætatis eſt, tanquam fabulæ: cuius defatigationem fugere debemus, præſertim adiunctâ ſatietate.* Teles Pythagoricus: Δεῖ ὥσπερ τὸν ἀγαθὸν ὑποκριτὴν, ὅτι ἂν ὁ ποιητὴς περιθῇ πρόσωπον, τοῦτ' ἀγωνίζεσθαι καλῶς. οὕτω καὶ τὸν ἀγαθὸν ἄνδρα ὅτι ἂν περιθῇ ἡ τύχη. καὶ γὰρ αὕτη, φησὶν ὁ Βίων, ὥσπερ ποιήτρια ὅτε μὲν πρωτολόγου, ὅτε ὑστερολόγου περιτίθησι πρόσωπον. καὶ ὅτε μὲν βασιλέως, ὅτε δ' ἀλήτου. *Oportet vt bonum hiſtrionem, quamcunque perſonam poëta impoſuerit, eam agere concinnè, ita & virum bonum quamcunque perſonam impoſuerit fortuna. Ea enim, vt ait Bion inſtar poëtriæ, nunc primas, nunc tertias partes, nunc Regis, nunc mendici perſonam imponit.*

XI. EXPLEVERIS SATIETATE.] Hinc illud eſt quod monent tanquam è conuiuio ſaturum diſcedere. Lucretius lib. 3.

Cur non vt plenus vitæ conuiua recedis?

Item:

Sed quia ſemper abeſt quod aues, præſentia temnis,
Imperfecta tibi elapſa eſt ingratáque vita,
Et nec opinanti mors ad caput adſtitit antè
Quàm ſatur ac plenus poſſis diſcedere rerum.

Horatius ſat. prima exeunte:

Inde fit vt raro qui ſe vixiſſe beatum
Dicat & exacto contentus tempore vitæ
Cedat, vti conuiua ſatur, reperire queamus.

Sed vt fuſiſſimè, ita elegantiſſimè Dio Chryſoſtomus, cùm mundum domui pulcherrimæ & cœnaculo ſimilem eſſe dixiſſet, addit: Παραγίνεσθαι τοὺς ἀνθρώπους εἰς αὐτὸν ἑορτάζοντας, ὑπὸ τοῦ βασιλέως τῶν θεῶν κεκλημένους ἐπ' εὐωχίαν τινά τε καὶ θοίνην λαμπρὰν, ἁπάντων ἀπολαύσοντας τῶν ἀγαθῶν. κατακεῖσθαι δ' ἄλλους ἀλλαχῆ, καθάπερ ἐν δείπνῳ. *Aduenire homines in mundum hunc, tanquam ad diem feſtum à Deorum Rege inuitatos, ad conuiuia & dapes ſplendidas, omnibus fruituros bonis. Recumbere autem alios alibi ſicut in cœnis.* Fusè autem deſcripto huius conuiuij apparatu, & collatione facta cum noſtris epulis ait: Διακονεῖσθαι δὲ τὰς Ὥρας οἷα δὴ νεωτάτας οὔσας τῶν θεῶν, εὖ μὲν ἀμπεχομένας, καλὰς δ' ἰδεῖν. *Miniſtrare Horas vt minimas natu Deorum, bene veſtitas, adſpectúque pulchras.* Et poſt non pauca: Μεθύσκεσθαι δὲ οὐκ ἀπὸ οἴνου, καθάπερ τοὺς παρ' αὐτοῖς, ἀλλ' ὑφ' ἡδονῆς. τοῦτο γὰρ ἐν τῇ κοινῇ ἑστιάσει τὸ πόμα παρέχειν τοὺς θεοὺς, ὡς ἐξελέγχεσθαι τὸν ἑκάστου τρόπον, δύο δ' οἰνοχόους ἐφεστάναι, τὸν μὲν ἄρρενα, τὴν δὲ θήλειαν. ὀνομάζεσθαι δ' αὐτὴν τὸν μὲν νοῦν, τὴν δ' ἀκράτειαν. τοὺς μὲν οὖν φρονίμους τὸν ἄρρενα οἰνοχόον ἔχειν, &c. *Inebriari verò eos non à vino, ſicut apud nos, ſed à voluptate. hunc enim potum in conuiuio præberi à Diis, ad redarguendos vniuſcuiuſque mores. Duos autem adſtare pincernas: alterum maſculum, alterum fœminam. Nominari autem apud eos alterum Intellectum, alteram Incontinentiam. Prudentes ergo maſculum habere pocillatorem, &c.* Τὴν δ' ἀκράτειαν τοῖς μὲν πλείστοις ἄκρατον τὴν ἡδονὴν ἐγχεῖν, μηδὲ σμικρὸν σωφροσύνης παραμιγνύουσαν. *Porro incontinentiam plurimis quidem infundere meram voluptatem, & ne modicum quidem temperantiæ admiſcere.* Et aliquantò pòſt oſtendit quemadmodum alij nullis voluptatibus expleti, inuiti extrudantur ex huius vitæ conuiuio, alij vt ſaturi conuiuæ, ſponte diſcedant, cùm naturam expleuerint ſatietate viuendi: Καὶ ὅταν ἀπιέναι δέῃ, οἱ μὲν ἄσωτοι καὶ ἀκρατεῖς ὑπὸ τῶν ἀκολουθούντων ἕλκονται καὶ φέρονται μετὰ πόνων τε καὶ νοσημάτων κεκραγότες καὶ οἰμώζοντες, οὐδὲ εἰδότες οὔτε ὅπῃ παρῆλθον, οὐθ' ὅπως εἰσιᾶσιν. κἂν πάνυ τις αὐτῶν πολὺν μείνῃ χρόνον. οἱ δ' ὀρθοί τε καὶ ἀσφαλῶς τοῖς ἑαυτῶν ποσὶν ἀπίασι, προσαγορεύσαντες τοὺς φίλους, φαιδροί τε καὶ γεγηθότες, ὡς οὐδὲν ἀσχημονήσαντες. *Et quando abeundum fuerit helluones & incontinentes à pediſſequis feruntur & trahuntur, cum doloribus & ægritudinibus clamantes & plorantes, nihílque ſcientes neque qua præterierint, neque quomodo conuiuio ſint excepti, etiamſi quis illorum diu maneat. Illi autem recti & non titubantes ſuis ipſorum pedibus abeunt, ſalutantes amicos, hilares & læti, vt qui ſe nulla in re indecorè geſſerunt.* Hæc ille in Charidemo. vide Tullium libro de Senectute ſub finem. Lucanus 3. Pharſal. de India:

Quique ſuas ſtruxere pyras, viuíque calentes
Conſcendere rogos. Prò quanta eſt gloria genti
Inieciſſe manum fatis, vitáque repletos,
Quod ſupereſt, donaſſe Deis.

Vide Syneſium priore Ægyptiaca exeunte, vbi vita humana, & cum fabulâ theatrali, & cum conuiuio comparatur.

Vita conuiuium.

AXIOMATA.

Gloria eſt illuſtris & peruagata multorum, & magnorum vel in ſuos, vel in patriam, vel in omne genus hominum fama meritorum.

Qui & patriæ, quod debet, ſoluerit, & naturam ipſam expleuerit ſatietate viuendi, dicere poteſt ſe ſatis diu vixiſſe.

ARGVMENTVM.

Poſtquam oſtendit Cæſarem neque patriæ, neque gloriæ ſatis diu vixiſſe, eum ne ſibi quidem & naturæ ſatis vixiſſe, tùm ab ipſa vitæ breuitate, tùm ab æternitatis comparatione demonſtrat: qua æternitate vitam dicit eſſe metiendam.

QVID enim omninò hoc ipſum diu, in quo eſt aliquid extremum? XXVIII. quod cùm venerit, omnis voluptas præterita pro nihilo eſt, quia poſtea nulla futura ſit. quamquam iſte tuus animus nunquam his anguſtiis, quas natura nobis ad viuendum dedit, contentus fuit, ſempérque immortalitatis amore flagrauit. Nec verò hæc tua vita dicenda eſt, quæ corpore, & ſpiritu continetur: illa, inquam, illa vita eſt tua, Cæſar, quæ vigebit memoriâ ſæculorum omnium, quam poſteritas alet, quam ipſa æternitas ſemper intuebitur. huic tu inſeruias, huic te oſtentes oportet, quæ quidem, quæ miretur iampridem multa habet: nunc, etiam quæ laudet, exſpectat.

EXPLANATIO.

QVID EST.] Operæ pretium eſt hoc loco videre integrum Cæſaris ſyllogiſmum & eius refutationem. Cæſar à diuiſione ſic concluſerat ſibi mortem non eſſe metuendam.

Si mors metuenda non eſt qui & ſibi & gloriæ ſatis vixit.

Sed ego & mihi & gloriæ ſatis vixi.

Ergo, &c.

Reſpondet Orator inficians maiorem, & negans illam Cæſaris diuiſionem eſſe ſuis omnibus partibus & numeris abſolutam, atque perfectam: vnum aiens in ea membrum requiri, hoc pacto.

Ei mors metuenda non eſt qui ſibi, gloriæ, patriæ ſatis vixit.

Sed ego mihi, gloriæ, patriæ ſatis vixi.

Ergo, &c.

Quo poſito propoſitionem concedit, & quoniam minorem ſiue aſſumptionem ita complexam, & tribus illis partibus implicatam facilè non fuit diſſoluere, eam in ſuas partes & veluti membra diſcerptam eneruat. Et hactenus quidem eum oſtendit nondum ſatis aut gloriæ, aut patriæ vixiſſe, nunc eundem oſtendit ne ſibi quidem & naturæ ſatis diu vixiſſe.

ENIM.] Aduerte vim huius particulæ. Non eſt cauſſalis hoc loco, nec reddit ſuperiùs dictorum rationem. ineptè ſiquidem diceret, *Te ſatis diu vixiſſe dicito quia nihil eſt diu in quo eſt aliquid extremum.* Quare tranſitioni potiùs & refutationi inſeruit, vt aliquid huiuſmodi ſubaudiendum eſſe videatur, *Quamquam etiamſi quod debes, patriæ ſoluiſſes, & naturam ipſam expleſſes ſatietate viuendi, nondum tamen dicendum fuerat te ſatis diu vixiſſe. Quid eſt enim omninò hoc ipſum diu*, &c.

DIV.] Mens eſt.

Nihil eſt diu quod habet extremum.

Sed vita humana habet extremum.

Ergo vita humana non eſt diu.

ac proinde nunquam dicere poſſumus nos ſatis diu vixiſſe.

QVOD CVM.] Probat maiorem à natura *extremi*, quia cùm illud extremum venerit, nihil poſtea futurum eſt, vt quicquid præceſſerit pro ſomnio, aut potiùs pro nihilo habeatur.

QVAMQVAM.] Alia ratione demonſtrat præſentis vitæ breuitatem: nimirum vt cum æternitate, finitum cum infinito comparetur. Hoc tamen ita prudenter agit, vt non id probare, ſed excellentem Cæſaris animum laudare, immò ſuperiorem de breuitate vitæ orationem retractare videatur. Quamquam, inquit, cauſſæ nihil fuit, cur breuitatem & anguſtias vitæ præſentis oſtenderem: ſed cùm ſemper ipſam æternitatem ſpectaueris probandum eſt te nondum æternitati ſatis vixiſſe, niſi Rempub. bellis ciuilibus deformatam ordinaris.

HIS ANGVSTIIS.] Hac breuitate vitæ.

ILLA.] Hunc videtur ſyllogiſmum contexere.

Seruiendum eſt veræ vitæ.

Sed vera vita dicenda eſt famæ & nominis æternitas, non ea quæ corpore & ſpiritu continetur.

Ergo ſeruiendum eſt æternitati, non ei vitæ quæ corpore & ſpiritu continetur.

Aduerte ſingularem Oratoris prudentiam, & quomodo ad id quod diſſimulabat ſe facere latenter, & quaſi per cuniculos deuenerit. Conqueſtus fuerat Cæſar inſidias ſuæ vitæ comparari. Reſponderat Orator nolle ſe extenuare hanc ſuſpicionem, & malle ſe nimis timidum videri, quàm parùm prudentem, vt hac ſpecie beneuolentiæ in animum Cæſaris irrepens, maiorem apud eum fidem obtineret: & quadam ſpecie libertatis eius dictum refellerat, ſed tam blandis rationibus, vt eundem quem reprehendebat, laudaret magis, & quaſi neſcienti palpum obtruderet: Nunc iis præſtructis Cæſarem hortatur, vt tantam præſentis vitæ curam non habeat, ſed æternitati potiùs inſeruiat. Quaſi apertè diceret. Nimis timidus es Cæſar, qui queraris inſidias tibi fieri. non enim vitæ præſenti ſeruiendum eſt, ſed virtuti, clementiæ, ſaluti Reipub. quam æternitas gloriæ conſequetur.

INTVEBITVR.] Aliàs & commodiùs *tuebitur* ſeruabit, proteget, defendet.

HVIC.] Hanc nominis immortalitatem ſtudeas acquirere. huic tanto ſtudio tanto mentis

ardore ſeruias oportet, vt ſeruos illos qui ſuum obſequium dominis oſtentant, & ab iis videri volunt, imiteris.

Qvæ qvidem.] Magnas quidem res bello geſſiſti, quas poſteritas omnis tanquam à bono profectas Imperatore mirabitur: ſed adhuc in te deſideratur, vt ſtabilias Rempub. bellis ciuilibus labefactatam: idque poſteritas & æternitas expectat, vt res tuæ geſtæ ſint apud poſteros, non ſolùm admirationi, verùm etiam gloriæ.

NOTÆ.

I. Enim.] Pro Sextio 45. *Vnum enim mihi reſtabat illud, &c.*

II. Div.] Noſter de Senectute: *Ille vult diu viuere, hic diu vixit. Quamquam, ô Dij boni! quid eſt in hominis vita* div? *Da enim ſupremum tempus, expectemus Tarteſiorum Regis ætatem. Fuit enim, vt ſcriptum video, Arganthonius quidam Gadib. qui octoginta regnauit annis, centum & viginti vixit. Sed mihi ne diuturnum quidem quidquam videtur, in quo eſt aliquid extremum: cùm enim id aduenerit, tunc illud, quod præteriit, effluxit: tantùm remanet quod virtute & rectè factis conſecutus ſis.* Vide. Tale eſt illud Mezentij 10. Æneidos: (Diu viuere.)

Rhebe diu (res ſi qua diu mortalibus vlla eſt)
Viximus.-

Eleganter Noſter 1. Tuſc. *Quæ verò ætas longa eſt, aut quid omnino homini longum? nónne modò pueros, modò adoleſcentes, in curſu à tergo inſequens, nec opinantes aſſecuta eſt ſenectus? ſed quia vltra nihil habemus, hoc longum dicimus.* Optimè autem hoc loco poſtquam non vixiſſe ſatis Cæſarem oſtendit, eum ne diu quidem vixiſſe demonſtrat. aliud eſt enim ſatis, aliud diu viuere. Seneca epiſt. 93. *Non vt diu viuamus curandum eſt, ſed vt ſatis. nam vt diu viuas fato opus eſt, vt ſatis animo.* Et epiſt. 49. cùm dixiſſet: *Punctum eſt quod viuimus & adhuc puncto minus: ſed hoc minimum ſpecie quadam longioris ſpatij natura diuiſit.* Adiecit, *poſſe fieri vt qui diu vixit, parum vixerit.* Aliud tamen eſt ipſi diu vixiſſe, aliud diu fuiſſe: & quidem multos diu viuere negat, quos diu eſſe concedit. epiſt. 93. *Octoginta annis vixit, immo octoginta annis fuit.* Tale fuit Similis epitaphium de quo Xiphilinus in Adriano: Τὴν τῶν δορυφόρων ἀρχὴν ἄκων τότ' ἔλαβε, καὶ λαβὼν ἐξίστατο· μόλις τ' ἀφεθεὶς ἐν ἀγρῷ ἥσυχος ἑπτὰ ἔτη τὰ λοιπὰ τοῦ βίου διήγαγε. καὶ ἐπί γε τῷ μνήματι αὐτοῦ τοῦτ' ἐπέγραψεν ἔπι. Σιμίλις μὲν ἐνταῦθα κεῖται, βιοὺς μὲν ἔτη τόσα, ζήσας δ' ἔτη ἑπτά. *Præfecturam prætorio tunc inuitus accepit, eáque deinde ceſſit. & in agro reliquos ſeptem vitæ ſuæ annos quietus exegit, & ſepulchro ſuo inſcripſit:* Hic iacet Similis, qvi tot fvit annos, Septem verò vixit. Hanc opinor diſtinctionem τοῦ βιοῦν, & τοῦ ζῆν, à Seneca acceperat. epiſt. 12. *Sic ordinandus eſt dies omnis, tanquam cogat agmen & conſummet, atque expleat vitam. Pacuuius qui Syriam vſu ſuam fecit, cùm vino & illis funereis epulis ſe ſepeliſſet, quaſi ſibi parentaret ſic in cubiculum ferebatur à cœna, vt inter plauſus exoletorum hoc ad ſymphoniam caneretur, βεβίωκε, βεβίωκε. nullo ſe non die extulit. Hoc quod ille ex mala conſcientia faciebat, nos ex bona faciamus, & in ſomnum ituri læti hilaréſque dicamus,* (Satis viuere.) (Viuere, & eſſe.)

Vixi, & quem dederat curſum fortuna, peregi.

Hinc eſt quòd multos diu fuiſſe concedit, qui diu viuere potuiſſent, ſi virtuti ſibíque vixiſſent. Sed, vt queritur epiſt. 1 *Magna vitæ pars elabitur malè agentibus. maxima nihil agentibus, tota aliud agentibus.* Qua de re idem toto libro de breuitate vitæ conſulendus. Noſter autem & ab ipſa vitæ humanæ natura quæ & præterit, & quanta fuerit habet extremum, quod excipit æternitas oſtendit eam diu nequaquam conſiſtere.

Aliqvid extremvm.] Eodem reuolui videtur argumentum Lucretij lib. 3. de de nat. rerum exeunte: III.

Proinde licet quot vis viuendo condere ſecla:
Mors æterna tamen nihilo minus illa manebit:
Nec minus ille diu iam non erit, ex hodierno (Nihil eſt diu quod habet extremum.)
Lumine qui finem vitai fecit, & ille
Menſibus atque annis qui multis occidit antè.

Præmiſerat: *Temporis æterni* mentionem
-In quo ſit mortalibus omnis
Ætas poſt mortem quæ reſtat cumque manenda.

Nulla igitur vita diu eſſe poteſt, quia non minùs diu mortuus erit, qui vitam ad multos annos produxerit, quàm qui eundem vitæ diem & primum habuerit & extremum. qui cùm venerit, omnis vita pro nihilo eſt habenda, quia poſtea nulla futura ſit, & vtramque vitam eadem excipiet æternitas. quò referri poſſit & illud 1. Tuſc. *Apud Hypanim fluuium qui ab Europæ parte in Pontum influit, Ariſtoteles ait beſtiolas quaſdam naſci, quæ vnum diem viuant. Ex his igitur hora octaua quæ mortua eſt, prouecta ætate mortua eſt: quæ verò occidente ſole. decrepita: eo magis ſi etiam ſolſtitiali die. Confer noſtram longiſſimam ætatem cum æternitate. in eadem propemodum breuitate, qua illæ beſtiolæ reperiemur.* Locus Ariſtotelis eſt libro 5. hiſtoriæ animalium cap. 19. ſub finem: Ζῇ δὲ καὶ πέτεται μέχρι δείλης· καταφερομένου δὲ τοῦ ἡλίου ἀπομαραίνεται, καὶ ἅμα δυομένου ἀποθνήσκει, βιοῦν ἡμέραν μίαν, διὸ καὶ καλεῖται Ἐφήμερον. *Viuit & volitat ad veſperam. Sole vergente marceſſit. occidente moritur, vnicum diem viuens, vnde & Ephemerus nuncupatur.* Plinius lib. 11. cap. 36. Hemerobion appellat: quam etiam appellationem homo ſortitus eſt à vitæ breuitate. (Beſtiolæ vno die viuentes.)

Volvptas præterita pro nihilo est.] Plutarchus opuſculo Περὶ τοῦ ΕΙ ἐν Δελφοῖς comparãs humanæ vitæ breuitatem cum æternitate diuina, vitam hominis ac proinde voluptatem ex eo quod prætereat, pro nihilo eſſe demonſtrat commodè ad Ciceronem: Ἡμῖν μὲν γὰρ ὄντως τοῦ εἶναι μέτεστιν οὐδέν· ἀλλὰ πᾶσα θνητὴ φύσις ἐν μέσῳ γενέσεως καὶ φθορᾶς γενομένη φάσμα παρέχει καὶ δόκησιν ἀμυδρὰν, καὶ ἀβέβαιον αὐτῆς. ἂν δὲ τὴν διάνοιαν ἐπερείσῃς λαβέσθαι βουλόμενος, ὥσπερ ἡ σφοδρὰ περίδραξις ὕδατος τῷ πιέζειν εἰς ταυτὸ καὶ συνάγειν διαρρέον ἀπόλλυσι τὸ περιλαμβανόμενον, οὕτω τῶν παθημάτων μεταβαίντων ἑκάστου τὴν ἄγαν ἐνάργειαν ὁ λόγος διώκων ἀποσφάλλεται, τῇ μὲν εἰς τὸ γινόμενον αὐτοῦ, τῇ δὲ εἰς τὸ φθειρόμενον, οὐδενὸς λαβέσθαι μένοντος, οὐδ' ὄντος ὄντως δυνάμενος. legit Xylander ex Euſebio nõ παθημάτων μεταβαίντων, ſed παθητῶν καὶ μεταβλητῶν, & ita vertit. *Reuera enim eſſentiæ nos nequaquam ſumus participes: ſed vniuerſa mortalis natura in medio ortus & interitus verſans, ſpeciem opinionémque obſcuram, & inſtabilem ſui præbet. Quòd ſi animum intendas vt intellectu eam comprehendere*

poßis, quemadmodum aquam ſi complectaris vehementiùs, ſit vt comprimendo ea & in ſe conducendo diffluat ac pereat: ſic vniuſcuiuſque perpeſſionibus & mutationibus obnoxiæ rei nimis euidentem perceptionem dum ſectatur ratio, aberrat vel ad ortum eius vel ad interitum, nihil arripere quod permaneat aut ſit reuera cùm poßit. Profert deinde Heraclitum, qui hominem cum præterfluente fluuio comparabat. & addit: Ἀλλ' ἡμεῖς ἕνα φοβούμεθα γελοίως θάνατον, ἤδη τοσούτους τεθνηκότες καὶ θνήσκοντες, &c. φθείρεται μὲν ἀκμάζων γινομένου γέροντος, ἐφθάρη δὲ ὁ νέος εἰς τὸν ἀκμάζοντα, καὶ ὁ παῖς εἰς τὸν νέον, εἰς δὲ τὸν παῖδα τὸ νήπιον. ὅ τε χθὲς εἰς τὴν σήμερον τέθνηκεν, ὁ δὲ σήμερον εἰς τὴν αὔριον ἀποθνήσκει. *Sed nos ridiculi ſumus qui vnam metuamus mortem, toties iam mortui, toties morientes,* &c. *Interit vir facto ſene, at vir factus erat intereunte iuuene. at puer in iuuenem, infans in puerum deſierat. Et qui heri fuit mortuus eſt in hodiernum, in craſtinum moritur hodiernus.* Quem locum frequenter tractat Seneca. vt epiſt. 1. *In hoc fallimur quòd mortem proſpicimus. magna pars eius iam præteriit. Quicquid ætatis retro eſt, mors tenet.* 24. *Quotidie morimur, quotidie enim demitur aliqua pars vitæ, & tunc quoque cùm creſcimus vita decreſcit. infantiam amiſimus, deinde pueritiam. deinde adoleſcentiam: vſque ad heſternum quicquid tranſiit temporis, periit. hunc ipſum quem agimus diem, cum morte diuidimus.* quam in rem commodè profert hunc verſum Lucilij:

Mors non vna venit, ſed quæ rapit, vltima
mors eſt.

Vide 57. & 70. hinc Plutarchus. eodem loco quicquid cum tempore præterit & transfluit pro nihilo eſſe tradit, quippe quod habeat aliquid extremum: Οὐ γὰρ δὴ τὸ μὲν ἔπειτα καὶ τὸ πρότερον, καὶ τὸ ἔσται λεγόμενον, καὶ τὸ γέγονεν αὐτόθεν ἐξομολόγησίς ἐστι τοῦ μὴ ὄντος, &c. *Vbi dicitur* deinde *&* prius, erit *&* fuit, *fatemur illud non eſſe.* Quod videlicet, vt verbis vtar Cenſorini præſens tempus, *Neque aliud eſſe videatur quàm tranſacti futurique coniunctio, adeo porro inſtabile vt ibidem ſit nunquam, ſed quicquid tranſcurrit, à futuro decerpit, & apponit præterito.* Et eam ob rem Plato initio Timæi quicquid oritur & præterit penitus nihil eſſe contendit: Διαιρετέον τάδε. τί τὸ ὂν μὲν ἀεί, γένεσιν δὲ οὐκ ἔχον, καὶ τί τὸ γιγνόμενον μὲν, ὂν δ' οὐδέποτε. *Diuidenda ſunt iſta, quid ſit quod ſemper exiſtat & ortum non habeat, Item quid ortum ſit, & nuſquam exiſtat.* Mox: Γινόμενον καὶ ἀπολλύμενον, ὄντως δ' οὐδέποτε ὄν. *Quod naſcitur & interit, ſed reuera nunquam exiſtit.* Quo ſenſu capiendæ fuerint nonnullorum è Seneca epiſt. 88. philoſophorum ſententiæ: *Si Protagoræ credo nihil rerum naturæ eſt niſi dubium, ſi Nauſiphani hoc vnum certum eſt nihil eſſe certi. Si Parmenidi nihil eſt præter vnum.* Quibus verbis magnus ille Philoſophus voluit aliud nihil quàm vnum Deum verè exiſtere, cætera quæ orirentur & interirent pro nihilo ducenda:

-ἀγένητον ἀεὶ καὶ ἀνώλεθρόν ἐστι
Μοῦνον.-

Exiſtit ſolum finiſque & originis expers.

Quòd ſi de cæteris rebus dicendum eſt, maximè voluptati conueniet quæ non ſolùm præterita, ſed etiam præteriens pro nihilo ducenda fuerit, quippe quæ naturam aliam non habeat, quàm generationem quandam & motionem. Plato in Philebo: Ἀρ. περὶ ἡδονῆς οὐκ ἀκηκόαμεν, ὡς ἀεὶ γένεσίς ἐστιν, οὐσία δ' οὐκ ἔστι τὸ παράπαν ἡδονῆς; *Ecquid de voluptate fando accepimus eam generationem eſſe, eius verò naturam & ſubſtantiam omninò non exiſtere?* id fusè probat. Refragatur Ariſtoteles 10. Ethic. cap. 4. ſed

Non noſtrum inter vos tantas componere lites:

hoc loco dicendum eſſet nonnihil de æternitate, cuius comparatione temporis mutabilitas oſtenditur. ſed, vide Platonem in Timæo, Ariſtotelem in Phyſicis, Boëtium de conſ. Plutarchum loco citato. Marullus eleganter lib. 1. hymn.

Tu ſenium totis excludis prouida regnis
Perpetuóque adamante ligas fugientia ſecla.
Anfractus æui varios, venturáque lapſis
Intermixta legens præſenti incluſa fideli.
Diuerſóſque dies obtutu colligis vno.
Ipſa eadem pars, totum eadem: ſine fine, ſine
ortu,
Tota ortus, finiſque æquè, diſcrimine nullo
Tota teres, nulláque tui non conſona parte.

Vtinam acrem illam vim ingenij non in amoribus, aut nugis gentilium perdidiſſet.

HIS ANGVSTIIS.] Poëta 4. Georg. V.

-*Quamuis anguſti terminus æui*
Excipiat.

Sed de his anguſtiis & ſpatiis vitæ longiſſimis. vide dicta pro Milone 16. & 97. Marcellus Palingenius in Cancro:

-*Miſer, ah! miſer, adſpice quàm ſit*
Incertus, velox, anguſtus terminus æui.

POSTERITAS ALET.] Inſtar plantæ: VI.

Quam mulcent auræ, nutrit ſol, educat imber.

Horatius:

Creſcit occulto velut arbor æuo
Fama Marcelli.

AXIOMATA.

Nihil eſt diu in quo eſt aliquid extremum, &c.
Magnas anguſtias natura nobis ad viuendum dedit.
Immortalitatis amore flagrandum.
Non eſt vita dicenda quæ corpore & ſpiritu continetur.

ARGVMENTVM.

Redit ad propoſitum oſtendens res à Cæſare geſtas niſi Remp. ſtabilierit, plus admirationis, quàm ſolidæ laudis apud poſteros eſſe habituras.

OBSTVPESCENT poſteri certè imperia, prouincias, Rhenum, XXIX.
Oceanum, Nilum, pugnas innumerabiles, incredibiles victorias, monumenta, munera, triumphos audientes, & legentes tuos, ſed niſi hæc vrbs ſtabilita tuis conſiliis, & inſtitutis erit, vagabitur modò nomen

tuum longè, atque latè : ſedem quidem ſtabilem, & domicilium certum non habebit.

EXPLANATIO.

OBSTVPESCENT.] Res à Cæſare geſtas enumerans eas oſtendit admirationi futuras.

IMPERIA.] Tum vrbanos, tum prouinciales magiſtratus. vrbanos Ædilitatem, Præturam, Conſulatus tres, Dictaturam perpetuam. Prouinciales, Proprææturam, & Proconſulatum.

PROVINCIAS.] Luſitaniam ſiue vlteriorem Hiſpaniam, quam ex Prætura ſortitus es, vtramque Galliam cum Illyrico, quas ex Conſulatu obtinuiſti lege Vatinia, Hiſpaniam, Græciam, Macedoniam, Ægyptum, Pontum, Africam, quas tuis victoriis obiiſti.

RHENVM.] Quem primus omnium Romanorum & ponte commiſiſti, & cum exercitu tranſiiſti.

OCEANVM.] Occidentalem, in quem primus omnium cum claſſe mille nauium ad Britanniam nauigaſti.

NILVM.] In quo Ptolemæum Regem ſuperaſti.

PVGNAS INNVMERABILES.] Quinquaginta quibus collatis ſignis dimicaſti.

INCRED. VICTORIAS.] Quæ tuæ virtuti obſecundante fortuna præter hominum opinionem acciderunt. qualis illa fuit, qua Vercentorigem cum trecentis hominum millibus ad Alexiam ſuperaſti.

MONVMENTA.] Conſtratas vias, arcus triumphales, aras, templa tuæ virtuti conſecrata ad memoriam ſempiternam.

MVNERA.] Epulas & viſcerationes populo Romano exhibitas, venationes, ludos ſcenicos & theatrales, & cætera id genus.

TRIVMPHOS.] Quinque. Gallicum, Ponticum, Alexandrinum, Africum, Hiſpanienſem. hæc inquam omnia mirabuntur poſteri, immo obſtupeſcent, dum vel audient ab Oratoribus, vel legent in hiſtoricis & poëtis.

SED NISI.] Niſi conſtitutis iudiciis, reuocata fide, libidinibus compreſſis, propagata ſobole, omnibus quæ delapſa fluxerunt, legum ſeueritate vinctis, Rempublicam ordinaueris, omnéſque reliquias priſtinæ diſſenſionis tua virtute reſtinxeris, tua gloria huc illuc inſtabilis & incerta vagabitur, ſed domicilium certum non habebit in quo ſolidè conquieſcat.

NOTÆ.

I. IMPERIA.] Illud præ cæteris in Cæſare mirum fuit, quod & vtramque Galliam cum Illyrico coniunxerit lege Vatinia, & decem ei legati decreti fuerint à Senatu, & Imperium ad annos decem propagatum. De quibus Cicero paſſim & Dio, Liuius, Plutarchus cæteri hiſtorici conſulantur.

II. RHENVM, OCEANVM.] De his tum alij paſſim, tum Cæſar ipſe libro 4. de bello Gallico. per Oceanum autem non quoduis mare, ſed vniuerſam illam aquarum congregationem intelligit, è qua cæteri marium ſinus in medias terras erumpunt, quæq. terras vniuerſas ambitu ſuo complectitur. de qua, vt alios omittam, Plato in Phædone, in Cratylo, Timæo, Critia ſiue Athlantico. Euripides Oreſte:

Η Πόντον, Ωκεαν\`ις ὃν
Ταυρόκρανος ἀγκάλαις
Ελίσσων κυκλοῖ χθόνα.

Aut Pontum, quem Oceanus Taurinum caput habens deuoluens vlnis circuit terram. Ioannes Tzetzes Chiliade 8. *Oceanus.*

Ωκεανὸς τοῖς ἄλλοις μὲν κυκλοῖ τὴν οἰκουμένην
Ο Πτολεμαῖος δ' αὐτὸν πᾶσαν κυκλοῦν οὐ λέγει,
Εἶναι δὲ καὶ ἀκύκλωτον τὸ μέρος πρὸς τὸν Νότον.
Oceanus aliis quidem circuit orbem terrarum.
At Ptolemæus omnem circuire non dicit,
Sed eſſe partem quandam, quæ non ambiatur ad meridiem.

Sed neque attinet iſta diſquirere, neque opus eſt confutare Ptolemæi ſententiam poſt Magallani, & aliorum trium nauigationem, qui toto terrarum orbe circumacto ad eundem ex quo ſoluerant portum redierunt.

MONVMENTA.] De monumentis, templis, ſtatuis ſolitis in honorem magnorum virorum, & maximè Proconſulum excitari, non pauca diximus in Piſonem §. 25. Quod ſpectat ad Cæſarem, nominatim auctor eſt Tranquillus in Iulio cap. 76. ei decreta fuiſſe *Templa, aras, ſimulachra iuxta Deos, puluinar*, &c. Vide Dionem libro 45. vbi inter cætera decretum fuiſſe tradit : Αρμά τε τι αὐτοῦ ἐν τῷ Καπιτωλίῳ ἀντιπρόσωπον τῷ Διῒ ἱδρυθῆναι, καὶ ἐπὶ εἰκόνα αὐτὸν τῆς οἰκουμένης χαλκοῦν ἐπιβιβασθῆναι, χαρακτῆρα ἔχοντα ὅτι ἡμίθεός ἐστι, τό τ' ὄνομα αὐτοῦ ἐπὶ τὸ Καπιτώλιον ἀντὶ τοῦ Κατούλου γραφῆναι. *Tenſam quandam ipſi in Capitolio è Iouis regione conſtitui, & ipſum ſuper orbis terrarum effigie æreum collocari cum inſcriptione Herois, eiúſque nomen Capitolio pro nomine Catuli inſcribi*, &c. Huc etiam pertinet quod τάφον αὐτῷ ἐντὸς τοῦ πωμηρίου ποιήσασθαι ἔδοσαν. *Sepulchrum ei intra pomœrium extruere conceſſerunt.* Quid ſit autem propriè monumentum, oſtendit Florentinus I. C. ff. De Relig. & ſumptibus funerum. *Monumentum generaliter res eſt memoriæ cauſa in poſterum prodita. In qua ſi corpus vel reliquiæ inferantur, fiet ſepulchrum : ſi verò nihil eorum inferatur, erit monumentum memoriæ cauſa factum, quod Græci* κενοτάφιον *appellant.* Vide Philippicam 2. §. 98. de aliis Cæſaris monumentis. III. *Monumenta Cæſaris.* *Monumentum quid?*

MVNERA.] Munus propriè eſt exhibitio gladiatorum, quæ tum à Cicerone, tum à Symmacho, & aliis *ludorum editio* nominatur. Idem Symmachus paſſim *functionem* appellat. vnde & gladiatorum editor Munerarius vocatur. vide Lipſium 1. Saturn. cap. 7. De muneribus gladiatoriis Cæſaris Tranquillus c. 34. *Munere in foro depugnant Furius Leptinus ſtirpe prætoria, & Qu. Calpenus Senator quondam actórque cauſſarum.* Quod Dio libro 43. aliíque teſtantur. Hic tamen nomine muneris arbitror venationes, ludos theatrales, Circenſes, Athletas gymnicos, & cætera ludorum genera contineri, de quibus iidem ſcriptores locis citatis, immò congiarium populo donatum, epulúm ac viſcerationem, & duo illa *Munus.*

illa prandia contineri. Tranquillus cap. 38. *Populo præter frumenti denos modios, ac totidem olei libras, trecenos quoque nummos, quos pollicitus olim erat, viritim diuiſit: & hoc ampliùs centenos pro mora.* Item: *Adiecit epulum ac viſcerationem, & poſt Hiſpanienſem victoriam, duo prandia. Nam cùm priùs parcè, neque pro liberalitate ſua præbitum iudicaret, quinto pòſt die aliud largiſſimum præbuit.*

TRIVMPHOS.] Vide eoſdem. Velleius libro ſecundo: *Quinque egit triumphos. Gallici apparatus ex Citro, Pontici ex acantho, Alexandrini teſtudine, Africi ebore, Hiſpanienſis argento raſili conſtitit.* v

ARGVMENTVM.

Oſtendit gloriam bellis ciuilibus à Cæſare partam, ſolidam & ſtabilem non futuram, ex eo quòd alij aliter dè iuſtitia cauſſæ iudicabunt: tum hortatur vt ſeruiens iudicio poſterorum, in ſalutem Reipub. incumbat: quod eius factum poſteri communi omnium mortalium ſuffragio comprobabunt.

ERIT inter eos etiam, qui naſcentur, ſicut inter nos, fuit magna diſſenſio, cùm alij laudibus ad cœlum res tuas geſtas efferent, alij fortaſſe aliquid requirent, ídque vel maximum, niſi belli ciuilis incendium ſalute patriæ reſtitueris: vt illud fati fuiſſe videatur, hoc conſilij. Serui igitur iis etiam iudicibus, qui multis poſt ſeculis de te iudicabunt, & quidem haud ſcio, an incorruptiùs, quàm nos. Nam, & ſine amore, & ſine cupiditate, & rurſus ſine odio, & ſine inuidia iudicabunt. Id autem, etiam ſi tunc ad te, vt quidam falsò putant, non pertinebit, nunc certè pertinet, te eſſe talem, vt tuas laudes obſcuratura nulla vnquam ſit obliuio. XXX.

EXPLANATIO.

ERIT.] Non omnes poſteri tuæ gloriæ velificabuntur, ſed alij aliter de rebus à te bello geſtis ſentient: cùm alij te ſummopere laudabunt, & iuſtam bellorum ciuilium cauſſam habuiſſe contendent: alij non item, ſed aient te non ſeruandæ Reipub. ſed ambitionis cauſſa bellum Pompeio intuliſſe, niſi reipſa ſtabilieris Rēp. & hanc ſuſpicionem ſalute patriæ abſterſeris: lenioribus tamen verbis hunc animi ſui ſenſum inuoluit, cauens Cæſarem offendere. non enim ait te *vituperabunt*, ſed *aliquid requirent*, addit *fortaſſe* quo magis oratio molliatur: non ait hominum ſuſpicionem de tua ambitione, ſed *belli ciuilis incendium*, vt huiuſmodi ſuſpicionem magis ad ipſius belli naturam, quàm ad Cæſaris mores deriuet.

VT ILLVD.] Magnam gloriam conſequêris ſi ſtabilieris Remp. Poſteri enim cauſſam bellorum ciuilium non tibi, ſed fato; at Reip. ſalutem tribuent tuo conſilio atque prudentiæ. Poteſt & aliter explicari. Niſi belli ciuilis incendium ſalute patriæ reſtinxeris, poſteritas non referet ad tuam laudem tuas victorias, ſed eas tribuet fato & felicitati tuæ, ſiue fortunæ, quæ cùm cæca ſit, nonnunquam impiis & ſceleratis adſpirat: Quod autem vnum laudabile eſt, virtus, conſilium, certa animi inductio tibi detrahet, contendétque tibi felicitatem quidem in ſuperandis hoſtibus adfuiſſe, ſed virtutem & conſilium in ordinanda ſtabiliendáque Rep. defuiſſe.

SERVI.] Hortatur vt gloriæ ad poſteros propagandæ diligenter incumbat. imò diligentiùs poſterorum iudiciis quàm viuentium inſeruiat: quia poſteri incorruptiùs iudicabunt.

NAM, ET.] Reddit rationem cur poſteri incorruptiùs ſint iudicaturi.

Incorruptiùs iudicat qui nec amore, nec cupiditate, nec odio, neque inuidia corruptus eſt.

Sed poſteri neque amore, neque cupiditate, nec odio, aut inuidia corrupti erunt.

Ergo incorruptiùs iudicabunt.

ID AVTEM.] Cæſar animam putabat eſſe mortalem, vt videre eſt apud Salluſtium. Quare Noſter tacitæ obiectioni prudenter occurrit, quaſi dicat.

At enim dices, Si anima cum corpore extinguitur, ad me poſt mortem aliorum iudicia non pertinebunt.

Sed anima cum corpore extinguitur.

Ergo poſt mortem aliorum iudicia ad me non pertinebunt.

Ac proinde mihi ſeruiendum non eſt iudicio poſterorum. Reſpondet acutè, etiamſi verus eſſet ille ſyllogiſmus, falſum tamen eſſe quod ex concluſione ſubſumitur. Sed ſeruiendum eſſe iudicio poſterorum, etiamſi ſenſus omnis morte extingueretur, nec quicquam ad nos poſt mortem pertineret. Quia ſaltem ad nos pertinet, dum huius vitæ fruimur vſura, tales nos gerere, vt propter virtutes æterna nos gloria dignos præbeamus.

NOTÆ.

ERIT.] Eandem adhibet rationem politiſſimus ſcriptor Iſocrates oratione ad Philippū, vt antè me notauit Petrus Victorius. De Alcibiade qui excitato belli ciuilis incendio & perturbato totius Græciæ ſtatu reditum in patriam extorſerat: Ἐκεῖνος μὲν οὖν τηλικούτων αἴτιος γενόμενος κατῆλθεν εἰς τὴν πόλιν, μεγάλης μὲν δόξης τυχὼν, οὐ μὴν ἐπαινούμενος ὑπ' ἁπάντων. *Ille quidem tantorum auctor effectus in vrbem redit, magnam quidem gloriam adeptus, ſed quæ non omnibus probaretur.* I.

SERVI.] Suprà: *Huic tu inſeruias, huic te oſtentes oportet.* Vbi vt notat Franciſcus Sylvius, *Seruire & inſeruire, & curando & obſequendo rem aliquam facere meliorem & ampliorem.* Cic. libro epiſt. famil. 16. *Omnia depone, corpori ſerui.* Item: *Spero ex tuis litteris tibi melius eſſe. Cupio certè: cui quidem rei omni, ratione cura vt inſeruias.* Secundo de Orat. *Si ærarij copiis & ad belli adiumenta, & ad ornamenta pacis vtimur, vectigalibus ſeruiamus.* Vide alia exempla. Græci eodem ſenſu videntur dixiſſe θεραπεύειν.

III. INCORRVPTIVS.] Orator epiſtola illa polita ad Quintum fratrem exeunte: *Non eſt tibi his ſolis vtendum exiſtimationibus ac iudiciis, qui nunc ſunt, hominum: ſed iis etiam qui futuri ſunt; quamquam illorum erit verius iudicium obtrectatione & maleuolentia liberatum.* Nec abludit locus ille Salluſtij orat. 2. ad Cæſarem de Repub. ordinanda. vbi patriam ita loquenten inducit: *Tametſi domi militiæque præclara facinora egiſti, tamen gloria tua cum multis viris fortibus æqualis eſt: ſi verò vrbem ampliſſimo nomine & maximo imperio propè iam ab occaſu reſtitueris, quis te clarior? quis maior in terris fuerit? Quippe ſi morbo iam, aut fato huic imperio ſecus accidat: cui dubium eſt, quin per orbem terrarum, vaſtitas, bella, cædes oriantur? Quòd ſi tibi bona libido fuerit, patriæ, parentibus gratificandi: poſtero tempore Repub. reſtituta, ſuper omnes mortales gloria agnita, tuáque vnius mors vitâ clarior erit. Nam viuos interdum fortuna, ſæpè inuidia fatigat: vbi anima naturæ ceſſit, demptis obtrectatoribus, ipſa ſe virtus magíſque extollit.* Et eam, opinor, ob cauſſam *Tempus fingitur* PATER VERITATIS. Plutarchus Quæſt. Romanis problemate 11. Διὰ τί τῷ Κρόνῳ θύουσιν ἀπαρακαλύπτῳ τῇ κεφαλῇ; *Cur Saturno ſiue Tempori ſacrificant aperto capite?* Inter cæteras hanc addit rationem: Ἢ ὅτι τῆς ἀληθείας οὐδὲν ἐπίκρυφον, ἢ ἐπίσκιον. Ἀληθείας δὲ νομίζουσι Ῥωμαῖοι πατέρα τὸν χρόνον εἶναι. *An quia veritatis nihil occultum eſt, aut inumbratum? Saturnum autem veritatis patrem eſſe Romani arbitrantur.* Cuius rei hanc cauſſam adfert ſequenti problemate: Τὸ ἀληθὲς εὑρίσκει χρόνος. *Tempus inuenit veritatem.* Quare, quod μωρόσοφος ille Lucianus opuſculo de modo ſcribendæ hiſtoriæ, ſapienter monet, vt noſtra ſcripta non iis qui nobiſcum viuunt, ſed poſteritati probare cupiamus, id transferri meritò poſſit ad omnes humanas actiones. Sed quid prohibet eum ipſum ſuis verbis loquentem inducere? Soſtratus, inquit, Cnidius: Οἰκοδομήσας τὸν ἐπὶ τῇ Φάρῳ πύργον, &c. ἔνδοθεν μὲν κατὰ τῶν λίθων τὸ αὐτοῦ ὄνομα ἐπέγραψεν. ἐπιχρίσας δὲ τιτάνῳ καὶ ἐπικαλύψας ἐπέγραψε τοῦ τότε βασιλεύοντος. εἰδὼς, ὅπερ καὶ ἐγένετο, πάνυ ὀλίγου χρόνου συνεκπεσούμενα μετὰ τοῦ χρίσματος τὰ γράμματα, ἐκφανισόμενον δὲ, Σώστρατος Δεξιφάνους Κνίδιος θεοῖς σωτῆρσιν ὑπὲρ τῶν πλωϊζομένων. οὕτως οὐδ' ἐκεῖνος ἐς τὸν τότε καιρὸν, οὐδὲ τὸν αὑτοῦ βίον τὸν ὀλίγον ἑώρα, ἀλλ' εἰς τὸν νῦν καὶ τὸν ἀεὶ, ἄχρις ἂν ἑστήκῃ ὁ πύργος, καὶ μένῃ αὐτοῦ ἡ τέχνη. χρὴ τοίνυν καὶ τὴν ἱστορίαν οὕτω γράφεσθαι σὺν τῷ ἀληθεῖ μᾶλλον πρὸς τὴν μέλλουσαν ἐλπίδα, ἤπερ σὺν κολακείᾳ πρὸς τὸ ἡδὺ τοῖς νῦν ἐπαινουμένοις. *Ædificans turrim in Pharo, &c. intus quidem lapidibus ſuum ipſius nomen inſcripſit. Has deinde litteras calce illiniens & abſcondens, nomen illius qui tum regnabat ſuperſcripſit. Probè ſciens, quod etiam contigit, fore vt poſt modicum tempus calce defluente ſuperior oblitteraretur, & inferior appareret inſcriptio his verbis concepta,* SOSTRATVS LEXIPHANIS FILIVS CNIDIVS DIIS SERVATORIBVS PRO NAVIGANTIBVS D D. *Adeo non ille præſens tempus & vitæ ſuæ anguſtias ſpectabat, ſed in hoc & æternum tempus quamdiu ſtabit illa turris, & ars eius manebit, animum conuerterat. Oportet igitur & hiſtoriam magis ad ſpem futuram cum veritate, quàm ad eorum qui laudantur delectationem cum adulatione conſcribere.* Et meritò quidem, nam, vt ait Pindarus,

Posteritatis iudicium incorruptum.

Poteſtati ſeruiendum.

Ἁμέραι δ' ἐπίλοιποι
Μάρτυρες σοφώτατοι.
Dies autem reliqui teſtes ſapientiſsimi.

Tempus pater veritatis.

Item Ode 10. olymp. antiſtrophe 3.

-ὅτ' ἐξελέγχων μόνος
Ἀλάθειαν ἐτήτυμον χρόνος.
Solùm prodens veritatem certam tempus.

commodè nominatur. Ὁ χρόνος γὰρ, vt verbis vtar Antiphontis oratione de Saltatore, & alia de nece Herodis: Καὶ ἡ ἐμπειρία τὰ μὴ καλῶς ἔχοντα διδάσκει τοὺς ἀνθρώπους. *Tempus enim & experientia docet homines ea quæ rectè habent.* Citat Clemens Alexandrinus 6. ſtromatum Sophoclem in Hippono:

-πάνθ' ὁρῶν
Καὶ πάντ' ἀκούων, πάντ' ἀναπτύσσει χρόνος.
-*cuncta intuens,*
Et cuncta tempus audiens, cuncta explicat.

Et Euripidem in Alexandro:

Χρόνος δὲ δείξει· ᾧ τεκμηρίῳ μαθὼν
Ἢ χρηστὸν ὄντα γνώσομαί σε, ἢ κακόν.
Tempus docebit: cuius indicio ſciam
Bonum malúmve te eſſe.-

Sophoclis verſum Gellius explicat libro 12. Noct. Attic. cap. 11. additque: *Alius quidam veterum poëtarum, cuius nomen nunc memoriæ non eſt Veritatem temporis filiam eſſe dixit.*

SINE AMORE.] Amore iudicium corrumpitur: & amanti, vt ait Theocritus: IV.

-τὰ μὴ καλὰ καλὰ πέφανται.
Deformia pulchra videntur.

Αἱ γὰρ εὔνοιαι, vt ait Synesius epiſtola prima, δειναὶ διαφθεῖραι τὰς ψήφους. *Beneuolentia plurimum habet momenti ad corrumpenda ſuffragia.* Vnde, vt ait Lucretius libro 4.

Multimodis igitur prauas turpéſque videmus
Eſſe in delitiis ſummóque in honore vigere.

Amor iudicium impedit.

Vide elegantem amatorum cæcitatis eo loco deſcriptionem, & dicta à nobis in Cœliana §. 45. Adde Theocritum:

-καλεῦντι τὺ πάντες
Ἰσχνὰν, ἁλιόκαυστον, ἐγὼ δὲ μόνος μελίχλωρον.
Te gracilem appellant omnes ac ſole peruſtam,
Solus ego flauam voco mellitique coloris.

Adderem & Ariſtænetum libro primo epiſt. 18. ſed ne gemmam quidem libenter ex illo ſterquilinio collegerim.

SINE CVPIDITATE.] Præclarè Gregorius Nazianzenus Cæſarij fratris epitaphio: Τὸ πάθος ἐπισκοτεῖ τοῖς λογισμοῖς. καὶ καθάπερ λήμη τις τὸν ὀφθαλμὸν ὑπελθοῦσα, καθαρῶς συνιδεῖν οὐκ ἐᾷ τὸ δέον. *Cupiditas tenebras offundit rationi. & tanquam albugo oculis ſuffuſa, quod opus eſt non patitur ad liquidum videre.* Hinc eſt quòd in propriâ cauſſâ mali, iudices ſumus. Chremes Terentianus Heautontim. actu 3. ſc. 1. V.

Cupiditas tenebras offundit rationi.

-Dij voſtram fidem!
Itan' comparatam eſſe hominum naturam omnium,
Aliena meliùs vt videant, & iudicent
Quàm ſua? An eò fit, quia in re noſtrâ aut gaudio
Sumus præpediti nimio, aut ægritudine?

VI. SINE ODIO.] Quintus Smyrnæus libro I. exeunte:

Οὐ γὰρ ἐπὶ φθιμένοισι πέλει κότος, ἀλλ' ἐλεεινοὶ
Δήϊοι οὐκ ἔτ' ἐόντες, ἐπὴν ἀπὸ θυμὸς ὄληται.
Hoſtibus aut odium, verùm miſeratio functis
Debetur, tenues cùm vita receſſit in auras.

Odium. Iram autem & odium officere rationi, & iudicij ſinceritatem turbare, ſcitè tradit Gregorius Nazianzenus oratione tertia de pace habita Conſtantinopoli: Ὥσπερ ἡ αὐτὴ γῆ ἕστηκε μὲν τοῖς ἐρρωμένοις, καὶ οὐ πεπονθόσι, κινεῖται δὲ τοῖς ἰλιγγιῶσι, καὶ περιφερομένοις, τοῦ τῶν ὁρώντων πάθους ἐπὶ τὸ ὁρώμενον μεταβαίνοντος. εἰ βούλει δὲ, ὥσπερ τὸ αὐτὸ τῶν κιόνων διάστημα, πλεῖον μὲν τοῖς ἐγγυτέρω καὶ προσέχουσιν, ἔλαττον δὲ τοῖς πορρωτέρω φαίνεται, κλεπτομένου τοῦ ἀέρος τῷ διαστήματι, καὶ συνάπτουσι τῆς ὄψεως τὰ παχύτερα, οὕτω καὶ ἡμεῖς ῥᾳδίως ἐξαπατώμεθα διὰ τὴν ἔχθραν, καὶ περὶ τῶν αὐτῶν οὐ τὰ αὐτὰ φίλοι τ' ὄντες καὶ μὴ γινώσκομεν. *Quemadmodum eadem terra ſtat valentibus & non affectis, iis autem qui vertigine laborant, mouetur, videntium affectu ad rem viſam tranſeunte. Sin autem mauis, quemadmodum idem intercolumnium vicinioribus & coniunctis maius, remotioribus autem minus apparet, aëre per diſtantiam intercepto, & coniungente partes viſus craſſiores, ita & nos facilè per iracundiam in fraudem inducimur, & de iiſdem non eadem amici inimicique cenſemus.*

VII. Inuidia. INVIDIA.] Martialis epig. 10. lib. 5.

Hi ſunt inuidiæ nimirum, Regule, mores.
Præferat antiquos ſemper vt illa nouis.

Quem in locum Noſter Raderus elegans adfert Angeli pictoris Romani factum *qui depictam à ſe tabulam, & ad veterum penicillum expreſſam defodit eo loci, vnde ſciebat mox erutum iri. Reperta defertur ad adium dominum, qui laudare, prædicare, anteponere quamuis præſtantibus huius æui, oſtendere Angelo, Angelum contemnere. Cùm Angelus, Hoc à me factum, inquit, opus eſt, & infrà in margine ſcriptum nomen ſuum oſtendit, omnéſque iudices illos de Rhinocerotis naſo ſuſpendit.* Hæc ille: *Quoniam quidem*, inquit Seneca de prouidentia cap. 14. *In vicino verſatur inuidia, ſimpliciùs longè poſita miramur.* Notum illud,

Paſcitur in viuis liuor, poſt fata quieſcit
Tunc ſuus ex merito quemque tuetur honos.

Feſtiuè Martialis lib. 4. epig. 69.

Miraris veteres, Vacerra, ſolos.
Nec laudas niſi mortuos poëtas.
Ignoſcas petimus, Vacerra: tanti
Non eſt vt placeam tibi perire.

Quia videlicet, viuis inuidebat, qui de mortuis ſine inuidia iudicabat. Demoſth. de corona: Τίς γὰρ οὐκ οἶδε τῶν πάντων ὅτι τοῖς μὲν ζῶσι πᾶσιν ὕπεστί τις ἢ πλείων, ἢ ἐλάττων φθόνος, τοὺς τεθνεῶτας δ' οὐδὲ τῶν ἐχθρῶν οὐδεὶς ἔτι μισεῖ; *Quis verò omnium ignorat viuentibus omnibus aliquam aut maiorem, aut minorem inuidiam ſubeſſe: mortuos verò ne inimicis quidem amplius eſſe odioſos.* & de falſa legat. gloriam quæ poſt mortem tribuitur, ex eodem fonte ſinceriorem eſſe demonſtrat.

VT QVIDAM FALSO PVTANT.] Vt Stoici & Epicurei. de Stoicis vide Lipſium in Manuductione, de Epicureis Lucretium. de vtriſque Plutarchum libro 4. de placitis Philoſophorum. Ariſtoteles & Peripatetici dubij fluctuarunt. Recentiores quouis pignore certarint Ariſtotelem animarum immortalitati fauiſſe. Refragatur Iuſtinus Exhortatione ad Græcos: Ὁ μὲν Πλάτων, ψυχὴ πᾶσα ἀθάνατος, κέκραγε λέγων. Ἀριστοτέλης δ' ἐντελέχειαν αὐτὴν ὀνομάζων, οὐκ ἀθάνατον, ἀλλὰ θνητὴν αὐτὴν εἶναι βούλεται. *Plato exclamat, Omnis anima immortalis. Ariſtoteles verò* ἐντελέχειαν *eam appellans, quaſi quandam continuatam motionem & perennem, non immortalem, ſed mortalem eſſe vult.* Tatianus contra Græcos: Ὁ δ' Ἀριστοτέλης τοῦ Φερεκύδου δόγματος κληρονόμος ἐστὶ, καὶ τῆς ψυχῆς διαβάλλει τὴν ἀθανασίαν. *Ariſtoteles Pherecydis opinionis eſt heres & animæ immortalitatem calumniatur.* Sed vereor vt Pherecydi Tatianus imponat. de quo Tullius 1. Tuſculana: *Credo equidem etiam alios tot ſeculis diſputaſſe de animis: ſed quod litteris extet, Pherecydes Syrus primùm dixit animos hominum eſſe ſempiternos. Antiquus ſanè: fuit enim meo regnante gentili. hanc opinionem diſcipulus eius Pythagoras maximè confirmauit.* Adſtipulatur Lactantius lib. 7. cap. 8 & 9. Sed quicquid ſit de Ariſtotelis & Pherecydis mente, ipſe Cæſar in ea fuit ſententia cuius verba ſunt apud Salluſtium in Catilina: *De pœna poſſum æqualem dicere id quod res habet. In luctu atque miſeriis mortem ærumnarum requiem, non cruciatum eſſe, eam cuncta mortalium mala diſſoluere: vltra neque curæ, neque gaudio locum eſſe.*

VIII. Philoſophorum de animæ immortalitate opiniones.

AXIOMATA.

Seruiendum etiam iis iudicibus, qui multis poſt ſeculis de nobis iudicabunt.

Poſteri de nobis & ſine amore, & ſine cupiditate, & rurſus ſine odio, & ſine inuidia iudicabunt.

Etſi poſterorum iudicium ad nos nihil pertineret: nunc certè pertinet nos eſſe tales, vt noſtras laudes obſcuratura nulla vnquam ſit obliuio.

ARGVMENTVM.

Oſtendit bellum ciuile non cupiditate ciuium aut prauitate, ſed opinione officÿ, & quadam obſcuritate fuiſſe ſuſceptum, victoriámque Cæſari delatam, vt latenter inſinuet Cæſaris cauſâ Deorum iudicio comprobatâ, omnem illam obſcuritatem; & cum illa obſcuritare diſſenſionem voluntatum eſſe ſublatam.

DIVERSÆ voluntates ciuium fuerunt, diſtractæque ſententiæ. Non enim conſiliis ſolùm, & ſtudiis, ſed armis etiam, & caſtris diſſidebamus. Erat autem obſcuritas quædam, erat certamen inter clariſſimos XXXI

duces: multi dubitabant, quid optimum eſſet: multi, quid ſibi expediret: multi, quid deceret: nonnulli etiam, quid liceret. Perfuncta Reſpub. eſt hoc miſero fatalíque bello: vicit is, qui non fortuna inflammaret odium ſuum, ſed bonitate leniret. neque omnes, quibus iratus eſſet, eoſdem etiam exilio, aut morte dignos iudicaret.

EXPLANATIO.

DIVERSÆ.] Exponit ſtatum belli ciuilis, *diuerſæ*, inquit, *voluntates ciuium fuerunt*, cùm alij Cæſari fauerent, alij Pompeio. *diſtractæque ſententiæ*, cùm alij cauſſam Cæſaris, alij Pompeij cenſerent eſſe iuſtiorem.

NON ENIM.] Difficile fuerit expedire cur hanc particulam *enim* adiecerit, niſi hoc ſenſu. adeo verum eſt diuerſas voluntates ciuium fuiſſe diſtractáſque ſententias, vt etiam arma ſumpſerint, & ea diſſenſio in apertum bellum eruperit, quo pacto cauſſa per effectum oſtenditur.

ERAT AVTEM.] Cauſſam adfert cur Romani ſeipſos in duas partes diſtraxerint. quia videlicet erat obſcuritas quædam, nec facilè fuit iudicare, vter cauſſam haberet iuſtiorem: tanta enim erat vtriuſque ducis Cæſaris & Pompeij claritas, tam illuſtris virtus, vt quodammodo ciuium oculos præſtringeret, nec eos ſineret cauſſæ iuſtitiam ad liquidum intueri. quo factum eſt, vt aliter alij iudicarent.

MVLTI DVBITABANT.] Expolitio oratoria, qua obſcuritatem illam exponit: à quatruplici partitione officij, ab optimo & perfectiſſimo. ab vtili, à decoro, à licito. Multi dubitant quod eſſet perfectiſſimum, partéſne Pompeij an Cæſaris plus conferrent ad bene beatéque viuendum: multi quid tum ſuis domeſticis, tum ipſius Reip. rationibus magis expediret & conduceret: multi quid ipſis eſſet decorum, magíſque è ſua ipſorum dignitate: Nonnulli denique dubitabant quid ſibi liceret, tum ne fraudem & culpam admitterent alterum ducum deſerendo: tum quia cum altero ſic coniunctas habebant vitæ ſuæ rationes, vt nullo modo poſſent ab eo ſeparari.

PERFVNCTA.] Liberata eſt Reſpub. bello ciuili, quod non tam hominum ſcelere & prauitate, quàm fatorum ipſorum neceſſitate exarſerat.

VICIT.] Vicit Iulius Cæſar vir mitiſſimus & clementiſſimus, qui felicitate victoriæ non ad vlciſcendas iniurias, non ad expromendum in ſuos hoſtes odium, ſed ad exercendam in victos clementiam vteretur.

NOTÆ.

I. STVDIIS.] Affectibus, &, vt barbarè loquimur, partialitatibus. Pro Roſcio Amerino: *Quæ vt fierent, idcirco pugnatum eſſe arbitror, méque in eo ſtudio partium fuiſſe confiteor.* In Verrem libro I. *Quaſi verò id cupiditate defendendæ nobilitatis, aut ſtudio partium fecerit.* Notum illud Maronis 2. Æneidos: Studia.

Scinditur incertum ſtudia in contraria vulgus.

Sidonius Apollinaris libro 7. ep. 7.

Fremit populus per diuerſa ſtudia diuiſus.

Symmachus lib. 8. ep. 7. *diuiſis in ſtudia partibus.* Nec alio ſenſu Horatius:

Caſtor gaudet equis, ouo prognatus eodem
Pugnis. Quot capitum ſenſus, totidem ſtudiorum
Millia.

CASTRIS.] Caſtra dici voluerunt magni grammatici, *quia ibi caſtraretur libido: quia nunquam his mulier intereſſet.* Alij dicta volunt, *quia vt caſtra & oppida munirentur.* Maro 7. Æneidos: II.

-Primáſque in littore ſedes
Caſtrorum in morem, pinnis atque aggere cingit. Caſtra.

Hîc notabis obiter *caſtrorum* voce non ſolùm metationes illas & περιβολάς, in terra fieri ſolitas, ſed etiam claſſes & naualia contineri, vt Seruius aduertit in illud 4. Æneidos:

-Faces in caſtra tuliſſem.

Iam dixerat lib. 3.

Dat clarum è puppi ſignum, nos caſtra mouemus.

Et Aſcanius libro 5.

-Sic acer equo turbata petiuit Caſtra.

Attius apud Nonium:

Aut naues vrens caſtra mactabo in mare.

OBSCVRITAS.] Lucanus I. Pharſal. III.

-Quis iuſtiùs induit arma
Scire nefas: magno ſe iudice quiſque tuetur.
Pars victrix placuit ſuperis, ſed victa Catoni.

Ipſe Cato quandam obſcuritatem non quidem in cauſſa, ſed in diuino iudicio & belli ſucceſſu agnouit: Πολλὼ, ἔφη, περὶ τὰ θεῖα πλάνον εἶναι καὶ ἀσάφειαν, εἰ Πομπήϊον ἐν οἷς ὑγιὲς οὐδὲν, οὐδὲ δίκαιον ἔπραττεν, ἀήττητον γενόμενον, νῦν ὅτε τὴν πατρίδα βούλεται σώζειν, προλέλοιπε τὸ εὐτυχεῖν. *Multum, inquit, errorem, & obſcuritatem eſſe circa diuina, ſi Pompeium iis rebus, quibus nihil ſani iuſtine faciebat olim fortunatiſſimum, in iis quibus patriam ſeruare cupiebat, fortuna dereliquit.* Plutarchus in Catone.

PERFVNCTA.] Perfungi dicitur in vtramque partem, vt epiſt. 9. ad Lentulum: *Vt mihi tam multa pro ſe perpeſſo, atque perfuncto concederet.* Dixerat iam epiſt. præcedenti: *Quæ enim propoſita fuerant nobis cùm & honoribus ampliſſimis, & laboribus maximis perfuncti eſſemus, dignitas in ſententiis dicendis, libertas in Repub. capeſſenda, ea ſublata tota.* IV. Perfungi.

FATALIQVE BELLO.] Bella ciuilia non tam hominum voluntati, quàm fato & cuidam neceſſitati tribuebant, vt iam oſtendimus §. 13. adeò vt vel ex hoc capite ad probandam fati neceſſitatem arceſſerēt. Aſtrologus Latinus 4. aſtronomicon: V.

Ecce patrem nati perimunt, natóſque parentes,
Mutuáque armati coeunt in vulnera fratres,
Non noſtrum hoc bellum eſt. coguntur tanta moueri,
Inque ſuas ferri pœnas, lacerandáque membra.

Vide ſuprà §. 13.

AXIOMA.

Non fortunâ inflammandum odium, ſed bonitate leniendum.

ARGVMENTVM.

Ex eo quod victoriâ Cæſaris, ſublata in diiudicandis officiis obſcuritate, fracta ſit & ſublata omnis animorum diſſenſio, concludit Cæſari ab inſidiis non eſſe metuendum.

ARMA ab aliis poſita, ab aliis erepta ſunt. ingratus eſt, iniuſtúſque ciuis, XXXII.
qui armorum periculo liberatus, animum tamen retinet armatum: vt etiam ille ſit melior, qui in acie cecidit, quàm qui in cauſſa animã profudit. quæ enim pertinacia eſt quibuſdam, eadem aliis conſtantia videri poteſt.

EXPLANATIO.

ARMA.] *Ita ſedata eſt illa diſſenſio, bellúmq. ciuile reſtinctum, vt alij ciues ſtatim poſt pugnam Pharſalicam ſua ſponte ab armis diſceſſerint, alij qui maluerant belli reliquias perſequi, & inſtauraturi bellum in Africam nauigare, coacti fuerint arma deponere, ſéque ipſos Cæſaris victoris humanitati ſubmittere: alij qui pertinaciores fuerunt, vel in acie ceciderint, vel ſibi ipſis necem conſciuerint, ne in manus & poteſtatem Cæſaris deuenirent.*

Sed neque mortui, neque quibus arma vel ſponte poſita, vel è manibus per vim extorta ſunt, inſidias tibi moliuntur. Nihil igitur metuendum.

Ita quidem clarè dicere potuit, ſed quoniam vt iam aduertimus, ita diluit ſuſpiciõnem, vt eam magis augere videatur. obſcuriùs concludit: neque infert neminem eſſe qui inſidias paret, ſed ſi quis ſit eiuſmodi non iniuſtum eſſe & ſceleratum.

ARMATVM.] Argumentum à coniugatis. elegans tranſlatio, armatum, hoſtilem.

VT ETIAM.] Victorius lib. 16. cap. 21. legit, *animam non profudit.* hoc ſenſu: *Vt ſi fuerint quidam Cæſari inimici, ac valdè cauſſæ ipſius dignitatíque infenſi, quorum alteri in prælio occiſi ſint, alteri autem venia impetrata viuant: nec tamen placati illi reconciliatíque tanto beneficio ſint, dicat magis ferendos qui in pugna ceciderint, quàm qui in cauſſa quam tantopere probarent, defendenda animam non proiecerint.*

QVÆ ENIM.] Victorius: *Diſſoluit ac refellit quod aliquis opponere potuiſſet. Non rectè ipſum anteponere animi obſtinationem, pertinaciámque placabiliori naturæ, & quæ fortunæ virtutíque Cæſaris ceſſerit negat enim ipſum ſuo veróque nomine hanc rem appellare, nec eſſe illam pertinaciam vocandam, cùm finis eorum non malus vitioſúſque foret.* Hæc ex mente Victorij. Sed frigidæ obiectioni non multo melior eſſet reſponſio. & (quod Demonax apud Lucianum de duobus philoſophis, altero inſulsè interrogante, altero nihil ad rem reſpondente dicebat) alter mulgeret hircum, alter cribrum ſupponeret. Quid enim ineptius quàm obiicere. Pertinaces ij fuerunt, qui ſtantes à Pompeio in acie ceciderunt. Ij verò placabilioris fuerunt naturæ, qui in fidem Cæſaris recepti, & armorum periculo liberati, animum tamen retinent armatum, eúmque oderunt à quo vitam acceperint? & huic obiectioni quàm frigida reſponſio? ſed tu perpende. Legit Franciſcus Modius epiſt. 131. ex manuſcriptis, vt ait, vetuſtiſſimis: *Arma ab aliis poſita, ab aliis erepta ſunt: ingratus eſt iniuſtúſque ciuis, qui armorum periculo liberatus, animũ tamen retinet armatum: vt iam ille ſit melior, qui in acie cecidit, quàm qui in cauſſa animam profudit.* Et, vidéſne, inquit, quàm ſint omnia clara hoc modo, quàm nihil habeant difficultatis. Hæc Modius: ne tamen cogamur à vulgatis diſcedere, ſic interpretor. Obiectioni videtur occurrere.

Credibile eſt eos vitæ Cæſaris victoris inſidias moliri, qui bellum priùs intulerunt.

Sed Pompeiani bellum intulerunt.

Ergo credibile eſt eos vitæ Cæſaris victoris inſidias moliri. Reſpondet alio ſyllogiſmo.

Non eſt credibile quemquam adeò eſſe ſceleratum, vt id acturus ſit cui nullam poſſit honeſtatis ſpeciem prætexere. Sed qui bellum intulerunt id honeſtè facere potuerunt, & probabilem adferre ſui facti rationem. Erat enim obſcuritas, erat certamen inter clariſſimos duces, &c. *Si quis autem adhuc tibi inſidietur, nullum poterit huiuſmodi colorem facto ſuo prætendere.* Non enim ſupereſt Pompeius dux ille clariſſimus, quem ſequantur, cuiúſque auctoritatem ſuis conſiliis obtendant: & ſublata eſt obſcuritas poſtquam Dij de cauſſa iudicarunt, & ei victoriam contulerunt qui non odio inflammaret odium ſuum. Quod autem Pompeiani probabilem adferre potuerint facti ſui rationem, probat à partium enumeratione. Quinque poſſunt Pompeianorum genera animo cogitari. Primum eſt eorum qui ſponte ab armis diſceſſerunt, antequam vltima neceſſitas vrgeret. vt ego qui victo Pompeio Italiam repetij, Marcellus qui ſeceſſit Mitylenas. Secundum genus eſt eorum quibus arma erepta ſunt & extorta de manibus, vt illæ Petreij & Afranij legiones Hiſpanienſes, quæ interclußs commeatibus compulſæ ſunt ſe dedere victori, & hæc duo genera poſſunt officium & honeſtatem prætendere. Alij obfirmatiore animo ad mortem in partibus & ſuſcepta cauſſa perſtiterunt, qui rurſus in genera duo ſunt diſtributi. Alterum eorum qui in acie ceciderunt, vt in præliis Pharſalico & duobus Africanis. Alterum eorum qui tam firmi in cauſſa manſerunt, vt cùm hoſtium manus euaſiſſent, animam in ea profuderint proiecerintque, id eſt, mortem ſibi ipſis conſciuerint, ne à partibus & cauſa ſemel ſuſcepta diſcedere cogerentur, vt Scipio & Cato Vticenſis. Quæ duo hominum genera præter officium & honeſtatem, poſſunt etiã conſtantiæ colorem obtendere. Quamquam probabilior eſt eorum ratio qui in acie ceciderunt, quippe qui citra controuerſiam, omnium iudicio conſtantes habeantur: at verò qui ſibi necem intulerunt, non ab omnibus æquè laudantur. Id enim ego in Catone ad conſtantiam retuli, quod Cæſar in duobus Anticatonibus ſuis pertinaciæ putauit eſſe tribuendum. Quintum denique genus animo fingi poteſt, eorum qui armorum periculo liberati, animum tamen retinerent armatũ, & venia Cæſaris impetrata in ſuum benefactorem & conſeruatorem inſidias pararẽt. Sed cùm

nulla ſit ſpecies honeſtatis, qua factum ſuum fucare poſſint & colorare, neque quiſquam ingratum ſe & iniuſtum eſſe velit palàm profiteri, non eſt credibilis tantus in vllo furor, vt conſeruatori ſuo nectat inſidias.

NOTÆ.

I. INGRATVS INIVSTVSQVE.] Certiſſimum eſt gratitudinem ad iuſtitiam propriè dictam haudquaquam pertinere, ac proinde aduerſus ingratos non dari actionem. Seneca de beneficiis cap. 6. libri 3. *Excepta Macedonum gente,* (imò *Medorum*, vt bene Muretus emendat) *non eſt in vlla data aduerſus ingratum actio.* Medorum, inquam, ſiue Perſarum, de quibus Xenophon 1. de Cyri inſtitutione: Δικάζονται δ' οὐχ ἥκιστα ἀχαριστίας, καὶ ὃν ἂν γνῶσι δυνάμενον μὲν χάριν ἀποδιδόναι, μὴ ἀποδιδόντα δὲ κολάζουσι καὶ τοῦτον ἰσχυρῶς. *Datur actio non poſtrema in ingratos, & quem referre gratiam poſſe, nec tamen referre cognouerint, eum grauiter plectunt.* Cur igitur ingratus vocatur iniuſtus? Quia, opinor, quemadmodum,

Ingrati animi vitium ſitne iniuſtitia.

Η δικαιοσύνη συλλήβδην πᾶσ' ἀρετή 'στι.
Iuſtitia in ſeſe virtutes continet omnes.

ita iniuſtitia latè ſumpta omnes animæ peſtes complectitur, ingratus autem facilè per omnium ſcelerum abrupta deuoluitur. Xenophon ibidem: Οἴονται γὰρ τοὺς ἀχαρίστους καὶ περὶ θεοὺς ἂν μάλιστα ἀμελῶς ἔχειν, καὶ περὶ γονέας, καὶ πατρίδα, καὶ φίλους. ἕπεσθαι δὲ δοκεῖ μάλιστα τῇ ἀχαριστίᾳ ἡ ἀναισχυντία. καὶ γὰρ αὐτὴ μεγίστη δοκεῖ εἶναι ἐπὶ πάντα τὰ αἰσχρὰ ἡγεμών. *Arbitrantur enim ingratum & circa Deos maximè, & circa patriam, & parentes, & amicos eſſe negligentem. comitari verò videtur ingrati animi vitium impudentia. hæc autem ad omnem turpitudinem videtur eſſe dux certiſſima.*

II. IN CAVSSA.] Partibus, factione. Noſter ad Atticum lib. 7. *Solam cauſſam illa cauſſa non habet: cæteris rebus abundat.* Pro Ligario: *Quotus enim iſtud quiſque feciſſet, vt à quibus partibus in diſſenſione ciuili non eſſet receptus, eſſétque etiam cum crudelitate eiectus, ad eas ipſas rediret? Magni cuiuſdam animi atque eius viri eſt, quem de ſuſcepta cauſſa propoſitáque ſententia nulla contumelia, nulla vis, nullum periculum poſſet depellere.* Item: *Languidiore, credo, ſtudio in cauſſa fuiſtis. Tantummodo in præſidiis erati, animi verò à cauſſa abhorrebant.* Pro Deiotaro: *Quàm nemini in illa cauſſa concedere?*

Cauſſa.

PROFVDIT.] Propriè liquidorum eſt profuſio. Videtur alluſum ad Empedoclis ſententiam: III.

Ψυχὴ δ' ἀνθρώπου πέλεται περικάρδιον αἷμα.
Quippe anima eſt fuſus circum præcordia ſanguis.

Hinc Maro 1. Æneidos:

-Méne Iliacis occumbere campis
Non potuiſſe, tuáque animam hanc effundere dextra?

Et Seneca actu 1. Thebaidos:

Effundere hanc cum morte luctantem diu
Animam.-

PERTINACIA.] Pertinacia eſt quidam conſtantiæ exceſſus, ſiue peruicacia quædam & animi obfirmatio, de qua Noſter 1. de officiis: *Illud odioſum eſt quòd in hac elatione & magnitudine animi facillimè pertinacia & nimia cupiditas principatus innaſcitur,* &c. *Difficile eſt autem, cùm præſtare omnibus concupiueris, ſeruare æquitatem, quæ eſt iuſtitiæ maximè propria,* &c. Eſtque illa: IV.

Pertinacia, contentio.

-ἔρις ἄμοτον μεμαυῖα
Ἄρεος ἀνδροφόνοιο κασιγνήτη ἑτάρη τε.
Ἥ τ' ὀλίγη μὲν πρῶτα κορύσσεται, αὐτὰρ ἔπειτα
Οὐρανῷ ἐστήριξε κάρη, καὶ ἐπὶ χθονὶ βαίνει.
-contentio demens
Inſatiabiliter, Martis germana, comé ſque.
Parua quidem primò, mox ſeſe attollit in auras,
Ingreditúrque ſolo & caput inter ſidera condit.

Vt ſcribit Homerus quarto Iliados. ad quam etiam referas illa quæ huius orationis exordio retulimus ex operibus Heſiodi:

Η μὲν γὰρ πόλεμόν τε κακὸν, καὶ δῆριν ὀφέλλει.
Auget enim lites, & Martis bella cruenti.

Quam idem Heſiodus Theogonia filiam Noctis eſſe fabulatur. Νὺξ ὀλοὴ, &c.

Γῆράς τ' οὐλόμενον, καὶ ἔριν τέκε καρτερόθυμον.

Ad quem verſum reſpiciens Orator 3. de natura Deorum Senectutem & Pertinaciam *Erebo & Nocte ſatos* tradit.

AXIOMATA.

Ingratus eſt iniuſtúſque ciuis qui armorum periculo liberatus, animum tamen retinet armatum.

Quæ pertinacia eſt quibuſdam, eadem aliis conſtantia videri poteſt.

ARGVMENTVM.

Concludit hunc locum de inſidiis. primùm omnibus bonis Cæſaris ſalutem eſſe curæ. Deinde Cæſarem hortatur, vt ipſe ſuæ vitæ ſalutíque tuendæ cautionem adhibeat. Denique ſuo & aliorum nomine vigilias & excubias Cæſari pollicetur.

SED quia iam omnis fracta diſſenſio eſt armis, & exſtincta æquitate victoris: reſtat, vt omnes vnum velint, qui modò habent aliquid non ſolùm ſapiétiæ, ſed etiam ſanitatis: quia, niſi te, C. Cæſar, ſaluo, & in iſta ſententia, qua cùm antea, tum hodie vel maximè vſus es, manente, ſalui eſſe non poſſumus. Quare omnes te, qui hæc ſalua eſſe volumus, & hortamur, & obſecramus, vt vitæ, vt ſaluti tuæ Conſulas: omnéſque tibi (vt pro aliis etiam loquar, quod de me ipſe ſentio) quoniam ſubeſſe aliquid putas, quod cauendum ſit, non modò excubias, & cuſtodias, ſed etiam laterum noſtrorum oppoſitus, & corporum pollicemur. XXXIII.

EXPLANATIO.

SED.] Quoniam Cæſar primùm armis compreſſit illam diſſenſionem, iis qui diſſidebant partim extinctis, partim diſtractis & ſeparatis: & tam clementer victoria vſus eſt, vt omnes ſeditionis reliquias oppreſſerit, reſtat vt ad Cæſaris ſalutem ſeruandam conſpirent vniuerſi, *qui modò habent aliquid non ſolùm ſapientiæ*, qua conſulant Reip. *ſed etiam ſanitatis*, qua propriæ ſaluti priuatiſque rationibus inſeruiant. id eſt, qui modò non ſunt inſani adeóque mente capti, vt in exitium ruant voluntarium.

HODIE.] Cùm M. Marcellum Senatui & Reip. reddidiſti.

HÆC SALVA.] Rempub. ſaluam & incolumem volumus.

SVBESSE.] Quoniam latere aliquid periculi, & inſidias occultas parari contra ſalutem tuam exiſtimas. Notant aliqui tractam eſſe metaphoram ab vlcere latente quod ὕπουλον Græci dicunt, nempè cum cicatrix obducta eſt, ſed introrſum materies purulenta.

EXCVBIAS ET CVSTODIAS.] Excubias noctu, cuſtodias interdiu. vt videre eſt in Gloſſis Philoxeni.

OPPOSITVS.] Oppoſitiones. Pollicemur nos tuum corpus ita ſtipaturos, vt ſi quiſquam tibi manus inferre voluerit, per noſtrum latus tu petaris.

NOTÆ.

I. Sanitas. SANITATIS.] Pulchrè noſter 4. Tuſcul. quæſt. *Vt corporis eſt temperatio, cùm ea congruunt inter ſe, è quibus conſtamus: ſanitas ſic animi dicitur, cùm eius iudicia opinionéſque concordant. Eáque eſt animi virtus, quam alij ipſam temperantiam dicunt eſſe, alij obtemperantem temperantiæ præceptis, & eam ſubſequentem, nec habentem vllam ſpeciem ſuam: ſed ſiue hoc, ſiue illud ſit, in ſolo eſſe ſapiente.* Quomodo igitur hoc loco ſeparat Orator ſapientiam à ſanitate? Quia nimirum ſanitas omnibus abſoluta numeris cadit in ſolum ſapientem: *Eſt autem*, vt ibidem ſubdit, *quædam animi ſanitas, quæ in inſipientem etiam cadat, cùm curatione medicorum perturbatio mentis aufertur.* Expreſſius etiam 3. Tuſcul. ineunte quid ſit ſanitas, explicatur. *Sanitatem animorum poſitam in tranquillitate quadam, conſtantiáque cenſebant, his rebus mentem vacuam appellarunt inſanam, propterea quòd in perturbato animo ſicut in corpore ſanitas eſſe non poſſit.* Meritò autem qui Cæſaris vitæ inſidiantur, eos negat habere quicquam ſanitatis, quia vt diximus pro Sextio multi ſunt, *Qui propter inſitum animi furorem diſcordiis ciuium, ac ſeditione paſcantur.* ſed hîc non moramur.

II. Obſecrare. OBSECRAMVS.] Per ſacra rogamus. Turnebus aduerſ. lib. 18. cap. 25. Si quis *obſecro* dixerat, eum quem alloquebatur obſtringere, obligaréque quodam ſacramento & iureiurando videbatur: & ſi ea perſona erat, cui pudorem deberet, cuique omnia liberè in vtramque partem eſſe vellet, vt eam religione ſolueret, ſubiiciebat *Reſecro*, quo verbo obſecrationem ſoluebat. Plautus in Aulularia, ſc. *Dixi tibi.*

-nunc te obſecro,
Fac mentionem cum auunculo mater mea,
Reſecróque mater, quod dudum obſecraueram.

Etiam qui obſecrabatur, ne religione ea obligaretur, *Reſecro* dicere ſolebat Plautus in Perſa ſc. I. TO *obſecro*, SO *reſecro*, &c. Hic autem nulla Cæſarem reſecratione ſoluit, quaſi eum ad tuendam vitam velit perpetua religione obligare.

EXCVBIAS ET CVSTODIAS.] Hoc mihi reuocat in mentem dictum Antiſtij Labeonis apud Dionem libro 54. Λόγων ἐν τῇ βουλῇ γιγνομένων, ὡς χρεὼν εἴη τὸν Αὔγουστον ἐκ διαδοχῆς φρουρεῖν σφᾶς, ἔφη, μήτ᾽ ἀντειπεῖν τολμῶν μήτε συγκαταθέσθαι ὑπομένων, ὅτι. Ῥέγχω, καὶ οὐ δύναμαι αὐτοῦ προκοιτῆσαι. *In Senatu mentione illata, conuenire vt Auguſtum ipſi per ordinem ſinguli cuſtodirent, neque contra dicere auſus, neque aſſentiri ſuſtinens, ſtertere ſe & excubiis pro eo agendis inhabilem eſſe dixit.* Quod autem in explanatione diximus *excubias*, propriè dici nocturnas cuſtodias, etſi Seruius refragetur, multis tamen probari poteſt auctoribus, & ſanè *excubare*, nihil eſt aliud quàm *extra cubare*. Propertius eleg. 4. lib. 4. III. Excubiæ.

Romulus excubias decreuit in otia ſolui,
Atque intermiſſa caſtra ſilere tuba, &c.
Omnia præbebant ſomnos, ſed Iupiter vnus
Decreuit pœnis inuigilare tuis.

Dixerat iam eleg. 1. eiuſdem libri.

Nec mille excubiæ, nec te ſignata iuuabunt
Limina, perſuaſæ fallere rima ſat eſt.

Horat. lib. 3.

Incluſam Danaen turris ahenea
Robuſtáque fores, & vigilum canum
Triſtes excubiæ munierant ſatis
Nocturnis ab adulteris.

Veteres gloſſæ: *excubitum* ἐκκοίτησις. Et ſanè idem eſſe excubias cum vigiliis indicant illa 4. Æneid.

-vigilémque ſacrauerat ignem,
Excubias diuûm æternas.-

LATERVM NOSTRORVM.] Vide quæ diximus in Ligarianam, *cuius latus ille mucro petebat.* IV.

POLLICEMVR.] Pro Cœlio ad illa verba, V. Polliceri. *Vltrò ſe offerre ſoleant, operam nauare, teſtimonium polliceri.* Iam dixiſſe videor verbum *polliceri* frequenter cum particula *vltrò* coniungi, quod apprimè quadrat huic loco. Vltro enim Orator Cæſari cuſtodias offerebat. Notant etiam Varro, Verrius & Feſtus *ſpondere* eſſe dictum *quod ſponte ſua, id eſt voluntate promittatur.* Apud Iuriſconſultos autem ſponſio ſtipulationi coniungitur, pollicitatio ſolius offerentis eſt promiſſio. Quod ad rem ſpectat. Dio lib. 44. Φρουρά τε ἐκ τῶν ἱππέων, καὶ ἐκ τῶν βουλευτῶν ἐδόθη. *Decretum eſt ex equitibus & Senatoribus ſatellitium.* Ipſe tamen, πρός τε τῶν βουλευτῶν, καὶ πρὸς τῶν ἱππέων τηρεῖσθαι πεπιστευμένος, καὶ τὴν ἐκ τοῦ πρὶν φρουρὰν προσκατέλυσεν. *Satellitio Senatorum ac equitum recuſato etiam corporis ſui ſtipatores à ſe remouit.*

AXIOMA.

Concordiam amant qui habent aliquid non ſolùm ſapientiæ, ſed etiam ſanitatis.

ARGVMENTVM.

PERORATIO.

Redit ad propoſitum gratias agens de Marcello in patriam reuocato, duáſque reddit rationes cur cæteris tacentibus ipſe potiſſimum omnium nomine ad dicendum ſurrexerit.

XXXIV. SED, vt vnde eſt orſa, in eodem terminetur oratio mea: maximas tibi omnes gratias agimus, C. Cæſar, maiores etiam habemus. nam omnes idem ſentiunt: quòd ex omnium precibus, & lacrymis ſentire potuiſti. ſed quia non eſt aſtantibus omnibus neceſſe dicere: à me certè dici volunt: cui neceſſe eſt quodammodo, & quod volunt, & quòd Marco Marcello à te huic ordini, populóque Rom. & Reipublicæ reddito, præcipuè id à me fieri debere intelligo. nam lætari omneis, non vt de vnius ſolùm, ſed vt de communi omnium ſalute, ſentio.

XXXV. QVOD autem ſummæ beneuolentiæ eſt, quæ mea erga illum omnibus ſemper nota fuit, vt vix C. Marcello, optimo, & amantiſſimo fratri, præter eum quidem, cederem nemini, cùm id ſollicitudine, cura, labore tamdiu præſtiterim, quamdiu eſt de illius ſalute dubitatum: certè hoc tempore, magnis curis, moleſtiis, doloribus liberatus, præſtare debeo. Itaque, C. Cæſar, ſic tibi gratias ago, vt omnibus me rebus te non conſeruato ſolùm, ſed etiam ornato, tamen ad tua innumerabilia in me vnum merita, quod fieri iam non poſſe arbitrabar, maximus hoc tuo facto, cumulus acceſſerit.

EXPLANATIO.

SED.] Sed vt, abſolutis iis quæ de inſidiarum ſuſpicione dicenda fuerant, ad tuum illud beneficium quo Marcellum Reip. reddidiſti, redeamus.

MAXIMAS.] Non ego ſolùm, ſed & cæteri omnes Patres Conſcripti, *maximas tibi gratias agimus,* verbo, *maiores etiam habemus* animo & voluntate, quarum magnitudo dictis explicari non poteſt.

NAM OMNES.] Reddit rationem, cur etiamſi ſolus loquatur, ſolus tamen gratias non agat.

PRECIBVS ET LAC.] Cum mentione Marcelli facta à Lucio Piſone, & C. Marcello ad tuos pedes ſe abiiciente, cunctus Senatus conſurrexit, & ad te ſupplex acceſſit.

CVI NECESSE.] Aliis quidem neceſſe non eſt orationem habere: mihi tamen ipſi duas ob cauſas dicendi neceſſitas incumbit. Altera eſt omnium Senatorum voluntas qui mihi ſuas vices legarunt, à méque non ab alio dici voluerunt: Altera eſt mens in Marcellum, qui Reip. reſtitutus eſt, peculiaris amor. Alij enim vt de communi ſalute lætantur: Ego verò peculiarem habeo lætandi rationem, quippe qui non ſolùm bonum & vtilem Reip. ciuem, ſed etiam ſingularem amicum videam mihi tuâ beneuolentiâ reſtitutum.

NOTÆ.

1. VNDE.] Reditio ad propoſitum Oratoribus familiaris, aliquot exempla ſubnectã. Iſæus de hæreditate Dicæogenis. πάλιν δ' ἐπάνειμι ὅθεν ἀπέλιπον. *Rurſum eo reuertor vnde diſceſſeram.* Themiſtius Gratiarum actione. Ἀλλὰ πόθεν δεῦρ' ἐξετραπόμην; δεῖ γὰρ, ὡς ἔοικε, τὴν αὐτὴν ἐπανιέναι. *Sed vnde huc digreſſus ſum; oportet enim, vt videtur, eodem reuerti.* & alij frequenter, ne ſit opus exempla conglobare.

II. CVRIS, MOLESTIIS, DOLORIBVS.] Operæpretium fuerit ex lib. 4. Tuſcul. quæſt. iſta diſtinguere. *Angor eſt ægritudo premens. luctus ægritudo ex eius qui carus fuerit interitu acerbo. Mœror ægritudo flebilis. ærumna ægritudo laborioſa. Dolor ægritudo crucians. lamentatio, ægritudo cũ eiulatu. Sollicitudo, ægritudo cum cogitatione. Moleſtia, ægritudo permanens. Afflictatio, ægritudo cum vexatione corporis. Deſperatio, ægritudo ſine vlla rerum expectatione meliorum.* Crederem curam & ſollicitudinem eandem eſſe ægritudinẽ, ſed cùm hoc ipſo, quem explanamus, loco alteram ab altera ſepararit, dicamus ſanè curam ægritudinem eſſe mali remedium anxiè inquirentem. Idem 3. Tuſcul. ita dolorem à labore diſcriminarat. *Intereſt aliquid inter laborem & dolorem. Sunt finitima omnino, ſed tamen differunt aliquid. Labor eſt functio quædã vel animi, vel corporis grauioris operis & muneris: dolor autem, motus aſper in corpore à ſenſibus alienus.* Vbi ſanè non video cur Græci, quaſi verborum inopibus, tam acriter inequitet, quòd dolorem à labore non diſtinxerint, & induſtrios homines amantes doloris appellent. Græcis enim dolor eſt λύπη, ſiue ἄλγος, labor, πόνος, ſiue μόχθος, & laborioſos non *amantes doloris,* ſed φιλοπόνους amantes laboris appellant. In quorum lingua, vt obiter id notem, id per mihi ſemper viſum fuit, quòd ἀπὸ τοῦ πόνου καὶ μόχθου πονηρὸν, καὶ μοχθηρὸν, ad improbitatem, ἀπὸ τῆς σπουδῆς, à ſtudio σπουδαῖον ad virtutem traduxerint.

Angor. Luctus. Mœror. Ærumna. Dolor. Lamentatio. Sollicitudo. Moleſtia. Afflictatio. Deſperatio.

Laboris & doloris diſtinctio.

EVENTVS.

CICERO ad priſtinum dicendi morem excitatus, M. Marcellus patriam repetens Athenis occiſus à D. Magio Chilone, Cæſar paulò pòſt coniuratorum inſidiis appetitus.

FINIS.

IN

M. TVLLII CICERONIS ORATIONEM PRO Q. LIGARIO

PRÆFATIO.

QVINTVS *Tubero, vt inquit Pomponius D. De origine iuris* Ofilio operam dedit: fuit auté patritius, & tranſiit à cauſſis agendis ad ius ciuile, maximè poſtquàm Q. Ligarium accuſauit, nec obtinuit apud Cæſarem. Is eſt Q. Ligarius qui cùm Africæ oram teneret, infirmum Tuberonem applicare non permiſit, nec aquam haurire, quo nomine eum accuſauit, & Cicero defendit. extat eius oratio ſatis pulcherrima, lege. Sanè pulcherrima, quæ inſcribitur pro Q. Ligario. Tubero doctiſſimus quidem habitus eſt iuris publici & priuati, & complures vtriuſque operis libros reliquit: ſermone etiam antiquo vſus affectauit ſcribere: & ideò parum libri eius grati habentur. *Hæc ille: è quibus non ſolùm argumentũ & occaſionem huius defenſionis agnoſcas, ſed etiam quo filo contexta fuerit accuſatio Tuberonis. Adde Plutarchum in Cicerone, qui plurimùm hanc orationem commendat, eiúſque argumentum adfert, vt conſtabit ex eius verbis infrà, cùm ad locum de pugnâ Pharſalicâ diſſeremus. Cæſar ipſe* 1. *de bello ciuili.* Tubero cùm in Africam veniſſet inuenit in Prouincia cum imperio Accium Varum, qui &c. in Africàm peruenerat, atque eam ſua ſponte vacuam occupauerat, &c. Is venientem Vticam cum nauibus Tuberonem portu atque oppido prohibet, neque affectum valetudine filium exponere in terram patitur, ſed ſublatis ancoris eo loco excedere cogit. *Ex hoc facto naſcitur accuſatio Tuberonis, qua Ligarium accuſauit tam inflammato in Cæſarem odio fuiſſe, vt etiam contra voluntatem Senatûs Africam retinuerit, vt inde Cæſari bellum inferret, & Luc. Tuberonem cum imperio venientem, inde cum crudelitate eiecerit. Defendit Cicero: & Ligarium quidem in Africa fuiſſe confitetur, ſed eius quam Tuberonis cauſſam oſtendit fuiſſe meliorem, & Ligarium à neceſſitate excuſat, & pœnam à Cæſaris clementia deprecatur. Hæc autem oratio quantopere Attico ſinceriſſimo eloquentiæ Tullianæ cenſori cæteríſque magnis viris arriſerit, liquet ex libro* 13. *ad Atticum epiſt.* 12. Ligarianam præclarè vendidiſti. Poſthac quicquid ſcripſero tibi præconium deferam. *Et epiſt.* 19. Ligarianam, vt video, præclarè auctoritas tua commendauit. Scripſit enim ad me Balbus ac Oppius, mirificè ſe probare, ob eámque cauſſam ad Cæſarem eam ſe oratiunculam miſiſſe.

Generalis orationis pro Q. Ligario diuiſio. Item peculiaris exordij & narrationis.

- Exordium §. 1. quo mira ironia totiúſque voluntatis ſimulatione
  - fingit ſe obiecti criminis atrocitate terreri, vt deinde maiorem oſtendat fiduciam.
  - culpam quaſi inuitus & coactus fatetur.
  - in accuſatorem inuidioſè retorquet.
- Narratio §. 2. 3.
  - profectio. 2. Venit in Africam non contra Cæſarem, ſed
    - cùm nulla adhuc eſſet belli ſuſpicio.
    - legatus Conſidij Proconſulis.
    - venit cum ſuo Proconſule.
    - in prouincia ſe geſſit moderatè.
  - remanſio poſt diſceſſum Proconſulis
    - ante aduentum Vari præfuit illi prouinciæ
      - à Proconſule præfectus.
      - à prouincialibus expetitus excitato bello contra Cæſarem
        - domum ſpectans nullo ſe negotio implicari paſſus eſt.
        - Varo Imperium aripienti ceſſit, & eius aduentu conquieuit.
    - Varo Prouinciam obtinente in Africa remanſit
      - non voluntate quia maluiſſet,
      - ſed neceſſitate
        - Romæ eſſe quam Vticæ.
        - Viuere cũ fratribus, quàm cum Varo.
- Confirmatio à §. 4. ad 18.
- Peroratio à 18. ad finem.

M. TVLLII CICERONIS ORATIO PRO Q. LIGARIO

EXORDIVM.

ARGVMENTVM.

Ab ironia & diſsimulatione totius voluntatis orditur ad minuendam attentionem quam Cæſar accuſatori præſtiterat, & tum ſignificatione amabilium morum, tum prædicatione clementiæ Cæſaris in eius beneuolentiam quaſi per cuniculos irrepit.

NOVVM crimen, C. Cæſar, & ante hunc diem inauditum, propinquus meus ad te Q. Tubero detulit, Q. Ligarium in Africa fuiſſe, ídque C. Panſa præſtanti vir ingenio, fretus fortaſſe ea familiaritate, quæ eſt ei tecum, auſus eſt confiteri. 1. Itaque quò me vertam neſcio, paratus enim veneram, cùm tu id neque per te ſcires, neque audire aliunde potuiſſes, vt ignoratione tua ad hominis miſeri ſalutem abuterer. ſed quoniam diligentia inimici inueſtigatum eſt, quod latebat: confitendum eſt, vt opinor: præſertim cùm meus neceſſarius C. Panſa fecerit, vt id iam integrum non eſſet: omiſſáque controuerſiâ omnis oratio ad miſericordiam tuam conferenda eſt, qua plurimi ſunt conſeruati: cùm à te non liberationem culpæ, ſed errati veniam impetrauiſſent: Habes igitur Tubero quod eſt accuſatori maximè optandum, confitentem reum: ſed tamen hoc ita confitentem, ſe in ea parte fuiſſe, qua te Tubero, qua virum omni laude dignum patrem tuum. Itaque prius de veſtro delicto confiteamini neceſſe eſt, quàm Ligarij vllam culpam reprehendatis.

EXPLANATIO.

NOVVM CRIMEN.] Georgius Trapezuntius eos cœcos eſſe ſcribit, qui hoc loco ironiam vident: Magis videlicet ſe lynceum putauit quàm Fabius aut Martianus, qui hîc agnoſcunt non ſolùm ironiam, ſed etiam ironiam longè pulcherrimam: Alij hæc verba, *Nouum crimen, C. Cæſar, & ante hunc diem inauditum*, ex ipſa Tuberonis oratione deprompta putant, quæ Cicero ſalsè derideat, initio ſuæ defenſionis vſurpans.

C. PANSA.] Hic eſt C. Vibius Panſa, qui poſteà cum Hirtio Conſul fuit: quem & ingenio & eloquentiæ ſtudio floruiſſe, vel ex eo conſtat, quòd eo ipſo tempore apud Ciceronem declamitabant, quos ipſe proinde *diſcipulos & prætextatos grandes* appellat.

ITAQVE QVO ME VERTAM.] ἀπορία, ſiue dubitatio ironica.

AD HOMINIS MISERI SALVTEM.] A facto ſuo beneuolentiam captat, quòd miſeris opituletur.

DILIGENTIA INIMICI.] Perſtat in ironia. Quoniam Tubero accuſator tam fuit ſagax vt omnibus veſtigiis odoratus fuerit crimen occultum, ídque in lucem protraxerit confitendum eſt, cùm præſertim Panſa iam confeſſus fuerit, vt mihi iam non ſit integrum.

OMISSAQVE CONTROVERSIA.] Status quæſtionis explicatur ad docilitatem captandam. omiſſa quæſtione, fueritne in Africa Ligarius, an non fuerit, Cæſaris miſericordiam implorat, & hinc occaſione ſumpta clementiam laudat, vt Cæſaris gratiam aucupetur, & eleganti apoſtrophe crimẽ retorquet in ipſos Tuberones,

Cæterum.] Quoniam Fabius Oratorem ſuum inſtituens, hanc imprimis orationem præ oculis videtur habuiſſe. Eam, quantum fieri poterit, libet eiuſdem Fabij verbis exponere. Is igitur lib. 4. cap. 1. *Imminuenda quædam*, inquit, *& leuanda, & quaſi contemnenda eſſe conſentio, ad remittendam intentionem Iudicis, quam aduerſario præſtat, vt fecit pro Ligario Cicero. Quid enim agebat aliud ironia illa, quàm vt Cæſar minùs ſe in rem tanquam non nouam intenderet? Quid pro Cœlio, quàm vt res expectatione minor videretur?* Aliquantò pòſt: *Non tamen hæc, quia poſſunt bene aliquando fieri, paßim facienda ſunt, ſed quoties præceptum vicerit ratio, quomodo & ſimilitudine, dum breui, & tranſlatione, atque aliis tropis, quæ omnia cauti illi ac diligentes prohibent, vtemur interim, niſi cui diuina illa pro Ligario ironia, de qua paulò antè dixeram, diſplicet.* Item libro 9. cap. 2. *Nec in perſonis tantùm, ſed & in rebus verſatur hæc contraria dicendi, quàm quæ intelligi velis, ratio, vt totum pro Q. Ligario prooemium.* Immò etiam lib. 11. cap. 3. quo geſtu corporis ſit pronuntiandum totum hoc exordium multis exponit. *Optimè autem manus à ſiniſtrâ parte incipit, in dextra deponitur ſed vt deponere non vt ferire videatur, quanquam & in fine, interim cadit, vt citò tamen redeat, & nonnunquam reſilit, vel negantibus nobis, vel admirantibus. Hic veteres artifices illud rectè adiecerunt, vt manus cùm ſenſu & inciperet & deponeret. Alioquin enim aut ante vocem erit geſtus, aut poſt vocem, quod eſt vtrumque deforme. In illo lapſi nimiâ ſubtilitate ſunt, quòd interuallum motûs tria verba eſſe voluerunt, quod nec obſeruatur, nec fieri poteſt, ſed illi quaſi menſuram tarditatis celeritatiſque aliquam eſſe voluerunt. Nec immeritò, ne aut diutiùs otioſa eſſet manus, aut, quod multi faciunt, actionem continuo motu conciderent. Aliud eſt quod & fit frequentiùs & magis fallit. Sunt quædam latentis ſermonis percußiones, & quaſi aliqui pedes, ad quos plurimorum geſtus cadit, vt ſit vnus motus* NOVVM CRIMEN: *alter*, C. CÆSAR: *tertius*, ET ANTE HVNC DIEM: *quartus*, INAVDITVM: *deinde*, PROPINQVVS MEVS: *&*, AD TE Q. TVBERO DETVLIT. *vnde id quoque fluit vitium, vt Iuuenes cùm ſcribunt geſtu præmodulati cogitationem ſic componant, quomodo caſura manus ſit. Inde & illud vitium, vt geſtus qui in fine dexter eſſe debet, in ſiniſtram frequenter deſinat. Melius illud, cùm ſint in ſermone omni breuia quædam membra, ad quæ ſi neceſſe ſit, recipere ſpiritum liceat, ad hæc geſtum diſponere, vt puta:* NOVVM CRIMEN C. CÆSAR, *habet per ſe finem quendam ſuum, quia ſequitur coniunctio. Deinde*, ET ANTE HVNC DIEM INAVDITVM, *ſatis circumſcriptum eſt. Ad hæc accommodanda manus eſt, idque dum irrumpit, erit prima & compoſita actio. at vbi iam calor eam concitauerit, etiam geſtus cum ipſa orationis celeritate crebreſcit.* hæc non piguit adſcribere, quæ viro magno placuit ſcribere.

NOTÆ.

I. Caius. CAI.] Titus Probus epitome Valerij Maximi lib. 10. Caios, ſiue *Gaios à gaudio parentum dictos* affirmat. Plutarchus quæſtionibus Romanis 31. prænomen Caij quaſi dominum vel patremfamilias interpretari videtur. Διὰ τί τὴν νύμφην εἰσάγοντες λέγειν κελεύουσιν, ὅπου σὺ Γάϊος, ἐγὼ Γαΐα. *Propter quid ſponſam adducentes dicere iubent, vbi tu Caius, ego Caia?* vide rationes.

CÆSAR.] Spartianus in Ælio Vero: *Cæſarem vel ab elephanto, qui linguâ Maurorum cæſar dicitur, in prælio cæſo, eum qui primus ſic appellatus eſt, doctißimi viri & eruditißimi putant dictum, vel quia mortuâ matre, ventre cæſo ſit natus, vel quòd cum magnis crinibus ſit vtero parentis effuſus, vel quod oculis cæſiis, & vltra humanum morem viguerit.* Seruius mauult id cognomen à linguâ Punicâ deducere. *Cæſar, vel quòd cæſo matris ventre natus eſt, vel quòd auus eius in Africa manu propria occidit elephantem, qui cæſar dicitur Pœnorum lingua.* Quid ſi libeat ab Hetruſcâ linguâ deriuare? Æſar enim apud Hetruſcos Deum ſignificabat, vt narrat Dio libro 56. & Tranquillus in Auguſto, cap. 97. his verbis. *Ictu fulminis ex inſcriptione ſtatuæ eius prima nominis litera effluxit. Reſponſum eſt centum ſolos dies poſthac victurum, quem numerum C, litera notaret, futurúmque vt inter Deos referretur, quod æſar, id eſt reliqua pars è Cæſaris nomine, Hetruſcâ linguâ Deus vocaretur.* Vide Caſaubonum in primum caput Tranquilli. II. Cæſar.

PROPINQVVS MEVS.] Infrà 8. *Laudem adoleſcentis propinqui exiſtimo etiam ad meum aliquem fructum redundare.* Et 21. *Neceſſitudines quæ mihi ſunt cum L. Tuberone: domi vna eruditi, militiæ contubernales, poſt affines.* E quibus ſuſpicor Luc. Tuberonem Quinti patrem coniugem è gente Tullia duxiſſe, ex quo Ciceroni affinitas illa contracta ſit, & ita Quintum Tuberonem conſanguineum fuiſſe Ciceroni. III.

TVBERO.] De Tuberonum gente infrà 27. IV.

IN AFRICA FVISSE.] Ne hanc quidem clauſulam prætermiſit Fabius lib. 9. cap. 4. *Verſum in oratione fieri multò fœdißimum eſt totum, ſicut etiam in parte, deforme vtique ſi pars poſterior in clauſula deprehendatur, ac rurſus prior in ingreſſu. Nam quod eſt contra ſæpe etiam decet, quia & cludit interim optimè prima pars verſus, dum intra paucas ſyllabas, præcipuè ſenarij atque octonarij.* IN AFRICA FVISSE. *initium ſenarij eſt, primum pro Q. Ligario caput cludit.* Paulò pòſt: *Cludit amphibrachus Q. Ligarium in Africâ fuiſſe, ſi non eum malumus eſſe bacchium.* V.

FAMILIARITATE QVÆ EST EI TECVM.] Libro 6. ad familiares epiſt. 10. *Principem tamen habuimus Panſam, tui ſtudioſißimum, mei cupidum: qui valet apud illum non minùs auctoritate quàm gratiâ.* VI.

MISERI.] Miſer non ſolùm pro infelice & afflicto, ſed etiam pro innocente. Vide 2. Philipp. §. 83. §. 6. Terentius Adelphis actu 2. ſc. 2. VII.

Obſecro populares ferte miſero atque innocenti auxilium.

CONFITENTEM REVM.] Fabius lib. 9. cap. 2. *Non procul autem abſunt ab hac ſimulatione tres inter ſe ſimiles: Confeßio nihil nocitura, qualis eſt* HABES IGITVR, TVBERO, QVOD EST ACCVSATORI MAXIME OPTANDVM, CONFITENTEM REVM. *Et conceßio, cùm aliquid etiam iniquum videmur cauſſæ fiduciâ pati, &c. Tertia, conſenſio, &c.* Non ſolùm autem confitetur, ſed etiam retorquet argumentum in Tuberonem, quòd ipſe quoque in eadem parte fuerit, & ſecutus fuerit Cn. Pompeium. Fabius lib. 8. cap. 5. VIII.

poſtquam

poſtquam de epiphonemate diſſeruit. *Vocatur aliquid & clauſula, quæ ſi eſt quod concluſionem dicimus, & rectè & quibuſdam in partibus neceſſaria eſt.* QVARE PRIVS DE FACTO VESTRO FATEAMINI NECESSE EST, QVAM LIGARII CVLPAM VLLAM REPREHENDATIS. Et ruſum lib. 3. cap. 1. hunc locum ita diſcutit. *Sermonem à perſonâ Iudicis auerſum, qui* ἀποστροφὴ *dicitur, quidam in totum à procœmio ſubmouent, nonnullâ quidem in hanc perſuaſionem ratione ducti. Nam prorſus eſſe hoc magis ſecundum naturam confitendum eſt, vt eos alloquamur potiſſimùm, quos conciliare nobis ſtudemus. Interim tamen & eſt hoc procœmio neceſſarium, ſenſus aliquis & is acrior fit, atque vehementior ad perſonam directus alterius. Quod ſi accidat, quo iure, aut quâ tantâ ſuperſtitione prohibemur dare per hanc figuram ſententiæ vires? Neque enim iſtud ſcriptores artium, quia non liceat, ſed quia non putant vtile, vetant. Ita ſi vincet vtilitas, propter eandem cauſſam facere debebimus, propter quam vetamur. Et Demoſthenes autem ad Æſchinem orationem in procœmio conuertit. Et M. Tullius cùm pro aliis quibuſdam, ad quos viſum eſt, tum pro Ligario ad Tuberonem. Nam erat multo futura languidior, ſi eſſet aliter figurata. Quod faciliùs cognoſcet, ſi quis illam totam partem vehementiſſimam cuius hæc forma eſt,* HABES IGITVR, TVBERO, &c. *conuertat ad Iudicem. Tum enim verè auerſa videatur oratio, & langueſcat vis omnis dicentibus nobis:* HABET IGITVR TVBERO, QVOD EST ACCVSATORI MAXIME OPTANDVM. *Illo enim modo pre[...]it atque inſtitit, hoc tantùm indicaſſet.* Victorius lib. 21. var. lect. cap. 2. hunc locum vbi protulit, addit. *Eadem autem ratio fuit Oreſtis, qui & ipſe matrem necaſſe cõfitebatur, nec in certamen de ea cum aduerſario veniebat. Cùm igitur apud Æſchylum in Eumenidibus furiæ ipſæ, ſceleris eius vltrices primò Oreſtem interrogaſſent, an, quod ferebatur, matrem interfeciſſet, à ſeque id factum ille affirmaſſet, nec ſe poſſe vllo modo id negare: Deæ illæ quaſi exultantes, quantúmque lucri feciſſent oſtendentes addiderunt.*

Εν μὲν τόδ' ἤδη τῶν τριῶν παλαισμάτων.

Hæc vna tandem eſt lucta luctarum trium.

AXIOMA.

Accuſatori maximè optandum eſt, vt habeat confitentem reum.

NARRATIO.

ARGVMENTVM.

Narrat Orator quemadmodum Ligarius iuerit in Africam præfuerit prouinciæ, venienti Accio Varo ceſſerit, nihílque ſuſceperit contra Cæſaris dignitatem.

Q. igitur Ligarius, cùm eſſet adhuc nulla belli ſuſpicio, Legatus in Africam cùm C. Conſidio profectus eſt: quá in legatione & ſociis & ciuibus ita ſe probauit, vt decedens Conſidius prouincia, ſatisfacere hominibus non poſſet, ſi quenquam alium prouinciæ præfeciſſet. Itaque Q. Ligarius cùm diu recuſans nihil profeciſſet, prouinciam accepit inuitus: cui ſic præfuit in pace, vt & ciuibus & ſociis gratiſſima eſſet eius integritas, & fides. bellum ſubitò exarſit: quod qui erant in Africa, antè audierunt geri, quàm parari: quo audito, partim cupiditate inconſiderata, partim cæco quodam timore, primo ſalutis, pòſt etiam ſtudij ſui quærebant aliquem ducem, tum Ligarius domum ſpectans, & ad ſuos redire cupiens, nullo ſe implicari negotio paſſus eſt. Interim P. Actius Varus, qui Prætor Africam obtinuerat, Vticam venit. ad eum ſtatim concurſum eſt, atque ille non mediocri cupiditate arripuit imperium, ſi illud imperium eſſe potuit, quod ad priuatum clamore multitudinis imperitæ nullo publico conſilio deferebatur. Itaque Ligarius qui omne tale negotium cuperet effugere, paullum aduentu Vari conquieuit. II.

EXPLANATIO.

QVINT. IGITVR.] Non eſt hîc neceſſe pluribus demõſtrare, quemadmodum breuiter, perſpicuè, probabiliter res à Ligario in Africa geſtas narrauerit. Tantùm hîc aduerte quàm prudẽter ſingulas facti circunſtantias, quibus Ligarius, culpa liberari potuit, exequatur. Profectum eſſe dicit, *cùm eſſet adhuc nulla belli ſuſpicio*, ne eo conſilio profectus putetur, vt ex Africa, tanquam ex prouinciarum arce, Cæſari bellum inferret. Dicitur præfectus legatus, vt oſtendat honeſtam fuiſſe proficiſcendi rationem. Dicitur in ea legatione ſe & ciuibus & ſociis probaſſe: partim ad eius commendationem, partim ad reddendam rationem, cur à negotiatoribus Romanis, & ſociis fuerit ad gubernandam prouinciam expetitus. Monet autem Ianus Grutterus legendum, *cum C. Conſidio profectus eſt*, vocémque *Conſule*, ſiue *Proconſule* à librariis interiectam, nec in prima editione, nec in pleriſque manuſcriptis extare.

QVA IN LEGATIONE.] In legatione Af[...] cana Ligarius ita ſe geſſit, ita ſe integrum [...] ſtinentem præſtitit, ita ſuam virtutem [...] ciuibus Ro[...]n. qui in Africa negot[...] verſabantur, ita ſociis accept[...] dius decedens ex illa prouinc[...]

& ſociis non poſſet, ſi quæſtori aliiſve legatis adminiſtrandam prouinciam ſuo loco tranſdidiſſet: quia omnes Ligarium ſibi præfici nominatim expetebant. Hoc autem addit vt probabilius reddatur quod ſequetur, illum nulla cupiditate inductum fuiſſe, ſed potiùs inuitum accepiſſe prouinciam.

Cvi sic præfvit.] Hoc ipſum eſt quod paulò pòſt addet: *in prouincia pacatiſſima ita ſe geſſit, vt ei pacem eſſe expediret.*

Bellvm svbito exarsit.] Bellum ciuile inter Cæſarem & Pompeium, incendij cuiuſdam inſtar prius erupit, quàm potuerit præuideri. & hactenus quidem ad perſpicuitatem narrationis propriis verbis expreſſerit, nunc tranſlationem vſurpat, quæ non ſolùm non officiat claritati, ſed etiam orationem magis illuſtret.

Qvo avdito.] Afri cùm bellum ciuile conflatum audiiſſent, partim belli gerẽdi ſtudio, partim cœco timore, qui non permittebat iis videre nihil eſſe à Cæſaris clementia metuendum, primo quærebant ducem, cuius auſpiciis ſalutem ſuam tuerentur, poſt etiam ducem quæſierunt ſuæ factionis, vt non ſolùm ſe defenderent, ſed etiam bellum inferrent.

Accivs Varvs.] Qui amiſſis ad Auximum cohortibus fugiens in Africam peruenerat, vt ſcribit Cæſar 1. de bello ciuili.

Si illvd imperivm.] Correctio oratoria, vt comparatione cupiditatis Vari, Ligarij moderatio magis eluceat. Monet Grutterus in membranis extare, *ſtatim arripuit imperium.*

Conqvievit.] Non amplius ſollicitatus ad ſuſcipiendam curam prouinciæ. Porrò narrationem hanc ita Quintilianus expendit lib. 4. cap. 2. in narratione. *Argumentabimur nunquam, argumentum ponemus aliquando, quod facit pro Q. Ligario Cicero, cùm dicit ſic eum prouinciæ præfuiſſe, vt illi pacem eſſe expediret, inſeremus expoſitioni & breuem, cùm res poſcet, defenſionem, & rationem factorum. Neque enim narrandum eſt tanquam teſti, ſed tanquam patrono. Rei ordo per ſe talis eſt: Q. Ligarius legatus in Africam cum C. Conſidio profectus eſt. Quid ergo M. Tullius? Q. enim, inquit Ligarius, cùm eſſet adhuc nulla belli ſuſpicio, legatus in Africam, cum C. Conſidio profectus eſt. Alibi: Non modò vllum ad bellum, ſed ne ad minimam quidem ſuſpicionem belli. Et cùm eſſet indicanti ſatis: Q. Ligarius nullo ſe implicari negotio paſſus eſt. adiecit: Domum ſpectans & ad ſuos redire cupiens. Ita quod exponebat, & ratione fecit credibile, & affectus quoque impleuit. Quo magis miror eos qui non putant vtendum in narratione affectibus: qui ſi hoc dicunt non diu, neque vt in epilogo, mecum ſentiunt. Sunt enim effugiendæ ea moræ. Cæterùm, cur ego iudicem nolim, cùm eum doceo, etiam moueri?*

NOTÆ.

I. Legatvs.] Vide Vatinianam 35. De prouinciis Conſul. 28. & 41. fusè, & Piſonianam 88.

II. Provinciæ præfecisset.] Proconſules aut etiam Prætores, ſi ante ſucceſſoris aduentum è prouinciâ diſcederent, Quæſtorem aut vnum è legatis cum imperio relinquebant. ita tamen vt contumeliæ loco duceretur ſi legatum quæſtori præponerent. libro 2. ad famil. epiſt. 18. Q. Thermum hortatur vt decedens præficiat potiùs prouinciæ quæſtorem quàm legatũ. *Oſtendi graues te ſuſcepturum inimicitias, ſi adoleſcens potens & nobilis à te ignominiâ affectus eſſet, & herclè ſine dubio erit ignominia. habes enim neminem honoris gradu ſuperiorem. Ille autem, vt omittam nobilitatem, hoc ipſo vincit viros optimos, hominéſq; innocentiſſimos legatos tuos, quòd & quæſtor eſt, & quæſtor tuus,* &c. Paulò pòſt: *Cur ego te velim incidere in terrores tribunitios, præſertim cùm ſine cuiuſquam reprehenſione legatis quæſtorem poſſis anteferre?* Et epiſt. 15. idem ſe feciſſe teſtatur. *Ego de prouinciâ decedens quæſtorem Cœlium præpoſui prouinciæ. Puerum, inquis: At quæſtorem, at nobilem adoleſcentem, at omnium ferè exemplo: neque erat ſuperiore honore vllus, quem præficerem,* &c. Eadem 6. ad Atticum epiſt. 6. *Nos prouinciæ præfecimus Cœlium,* &c. *Nam præter fratrem nemo erat, quem ſine contumeliâ quæſtori, nobili præſertim, anteferrem,* &c. *Pompeius eo robore vir, his radicibus Q. Caſſium ſine ſorte delegit, Cæſar Antonium, Ego ſorte datum offenderem, aut etiam inquirerem in eum quem reliquiſſem.* Cùm igitur ſine ignominiâ non ſoleret quæſtori legatus anteferri, ac proinde videri poſſet Ligarius legatus ambitioſè prouinciam Africam impetraſſe, quæſtore reiecto, huic ſuſpicioni prudenter occurrit, aiens Ligariũ integritate & innocentia ita ſibi prouincialium amorem conciliaſſe, vt decedens è prouinciâ Conſidius ſatisfacere hominibus non poſſet, ſi quemquam alium prouinciæ præfeciſſet.

Bellvm svbitò exarsit.] Tranſlatio frequens vt apud Homerum. III.

Ἀμφὶς γάρ σε περὶ στέφανος πολέμοιο δέδηε.
Te circum exarſit diri violentia belli.

Virg. 7. Æneid. *—quibus Itala iam tum*
Floruerit terra arma viris, quibus arſerit armis.

Pro Marcello 30. *Niſi belli ciuilis incendium patriæ ſalute reſtinxeris.* Adfert Siluius lib 26. *Cùm hoſtis alienigena in Italia eſſet, & Annibal hoſtis, & cuncta bello arderent.* Lib. 28. *Sub cuius vulgatam iam famam, non dubitabunt totam Hiſpaniam arſuram bello.* Lib. 35. *Quoniam bellum ingens in prouincia exarſiſſet.* Porrò quàm ſubitò ciuile bellum exarſerit, teſtantur omnes hiſtorici, Cæſarem aiẽtes, ne expectatis quidem Tranſalpinis legionibus cum quinque peditum millibus trãſiſſe Rubiconem, ἐμπεσεῖν ἄφνω τεταραγμένοις, καὶ μὴ προσδοκῶσι βουλόμενον, &c. *Irruere repentè in perturbatos, & non expectantes volentem.* ait Plutarchus in Pompeio, vide eundem in Cæſare, Dionem, Appianum.

Stvdii.] Cupiditatis, ſiue φιλονεικίας. pro Marcello 31. *Diuerſæ voluntates ciuium fuerunt diſtractæque ſententiæ. non enim conſiliis ſolùm & ſtudiis, ſed armis etiam & caſtris diſſidebamus.* legit autem Grutterus ex omnibus manuſcriptis. *Primò ſalutis pòſt etiam ſtudij ſui quærebant aliquem ducem.* ſublata voce *cauſâ*, quam poſteriores inuexerant. IV.

ARGVMENTVM.

Oſtendit in Ligario nullum ſignum fuiſſe alienæ à Cæſare voluntatis, ſiue cùm in Africam legatus profectus eſt, ſiue cùm eam rexit poſt Conſidij diſceſſum, ſiue poſtquam bellum exarſit, & Varus contra Cæſarem Africam occupauit.

ADHVC, C. Cæſar, Q. Ligarius omni culpa vacat. domo eſt egreſſus non modò nullum ad bellum, ſed ne ad minimam quidem ſuſpicionem belli. Legatus in pace profectus, in prouincia pacatiſſima ita ſe geſſit, vt ei pacem eſſe expediret. Profectio certè, animum tuum non debet offendere. num igitur remanſio? multò minùs. nam profectio voluntatem habuit non turpem, remanſio etiam neceſſitatem honeſtam. Ergo hæc duo tempora carent crimine: vnum, cùm eſt legatus profectus: alterum, cùm efflagitatus à prouincia, præpoſitus Africæ eſt. Tertium eſt tempus, quo poſt aduentum Vari in Africa reſtitit. quod ſi eſt criminoſum, neceſſitatis crimen eſt, non voluntatis. An ille ſi potuiſſet illinc vllo modo euadere, Vticæ quàm Romæ? cum P. Actio, quàm cum concordiſſimis fratribus: cum alienis eſſe, quàm cum ſuis maluiſſet? Cùm ipſa legatio plena deſiderij, ac ſollicitudinis fuiſſet, propter incredibilem quendam fratrum amorem: hic æquo animo eſſe potuit, belli diſſidio diſtractus à fratribus? III.

EXPLANATIO.

ADHVC.] Poterat quidem totus hic paragraphus ad confirmationem reuocari, non enim hic propriè narrat, ſed ex narratis contendit nullam in Ligario culpam fuiſſe: à me tamen Fabij aliorúmque magnorum auctoritas extorſit, vt hunc paragraphum narrationi aſſignarē. Fabius 4. inſtitutionum cap. 2. *Interim expediet expoſitiones breui interfatione diſtinguere. Audiſtis quæ acta ſunt, accipite nunc quæ inſequuntur. Reficietur enim iudex priorum fine, & ſe velut ad nouum rurſus initium præparabit. Si tamen adhibitis his quoque artibus in longum exierit ordo rerum, erit non inutilis in extrema parte commonitio, quod Cicero etiam in breui narratione facit.* ADHVC, CÆSAR, Q. LIGARIVS OMNI CVLPA VACAT.

DOMO EST EGRESSVS.] Roma profectus eſt legatus in Africam.

VT EI PACEM EXPEDIRET.] Ex præteritis oſtendit nullam fuiſſe cauſſam, cur Ligarius belli ciuilis deſiderio teneretur, quia nimirum pacis artibus ciuium Romanorum & ſociorum ſibi gratiam collegerat, vt ad conſeruandum hunc fauorem, ei pacē eſſe expediret: cùm enim ij ſoli bellum ciuile deſiderent, qui aut iniuriis affecti contumeliam à ſe propulſare volunt, aut propter metum pœnæ peccatorum ſuorum conſcij nouos motus conuerſionéſque Reip. quærunt, aut propter inſitum quendam animi furorem, diſcordiis ciuium ac ſeditione paſcuntur, aut denique propter implicationem rei familiaris, communi incendio malunt, quàm ſuo deflagrare, meritò Ligarius qui nullum nec in fama, nec in vita, nec in natura, nec in re familiari vulnus acceperat, à bellis ciuilibus abhorrebat.

PROFECTIO CERTE.] Solent oratores ſtatum quæſtionis narrationi ſubiungere. Et hîc videtur eſſe ſeiunctio eorum quæ non pertinent ad quæſtionem. Quaſi dicat, non eſt quæſtio de profectione, aut remanſione, priuſquam bellum ciuile erumperet: ſed ſtatus eſt quæſtionis vtrùm ſit puniendus Ligarius, propterea quòd in Africa remanſerit poſt Vari aduentum, cùm iam bellum ciuile exarſit.

PROFECTIO VOLVNTATEM HABVIT NON TVRPEM.] Quia non turpe eſt velle legatum in prouinciam proficiſci.

REMANSIO ETIAM NECESSITATEM HONESTAM.] Quia honeſtum eſt ita virtutem ſuam hominibus probare, vt ad regendam prouinciam quis expetatur, & ei præficiatur etiam inuitus.

NECESSITATIS CRIMEN EST.] Quia ſic bello deprehenſus eſt, vt non potuerit à partibus diſcedere.

VTICÆ QVAM ROMÆ.] Legebatur *Vticæ potiùs quàm Romæ*, ſed particulam potiùs Franciſcus Modius extrudit *in maximam malam crucem.*

CONCORDISSIMIS FRATRIBVS.] Duos fratres habuit, vt in peroratione videbitur.

NOTÆ.

PACEM ESSE.] De bono pacis 2. Philipp. §. 96. Quibus pacem eſſe expediat, quibúſue de cauſſis ciuiles diſcordiæ concitentur. videre poteris in Sextiana 98. 99. I.

NECESSITATEM.] A neceſſitate frequenter excuſat, vt pro Rabirio Poſthumo 28. *Ergo aderat vis, quæ (vt ait Poëta ille noſter) ſummas frangit infirmátque opes.* 29. *Nolite igitur fortunam conuertere in culpam: neque Regis iniuriam huius crimen putare: nec conſilium ex neceſſitate, nec voluntatem ex vi interpretari.* 1. Philipp. *Sed hoc ignoſcant Dij immortales velim, & populo Romano qui id non probat, & huic ordini qui decreuit inuitus.* quare ira, ignorantia, & quidquid officit libertati, minuit rationem iniuriæ. vide Sextianam 16. de Prouinciis Conſular. 42. II. Neceſſitas excuſat.

Confirmatio à num. 6. ad 29. Ducitur à tribus capitibus.

- 1. à perſona Cæſaris, & eius Clementia. 4.
  - in Ciceronem, quem
    - Reip. reddidit.
    - Eum eſſe voluit qui fuiſſet.
    - Imperatorem eſſe paſſus eſt.
    - Litteris vltrò miſſis laureatos faſces habere permiſit.
    - Etiamnum eos qui in eadem cauſa fuerunt defendere permittit.
  - in Tuberonem accuſatorem.
- 2. à perſona Tuberonis, & eius imprudentia qui
  - accuſat eũ qui cauſam habet
    - vel meliorem, vt contendit Cicero.
    - vel certe parem, vt concedit Tubero. 6.
  - Expetit imprudens vt Ligarius necetur, dum oſtendit eius exilio ſe non eſſe contentum. 6.
  - Cæſarem virum clementiſſimum ad crudelitatem hortatur, factum exaggerat, quia
    - facit homo Romanus, quod conueniret
      - vel leuitati Græcorum,
      - vel immanitati Barbarorum. 6.
    - tribus argumentis à minori ad maius
      - Syllam nemo audebat ad crudelitatem hortari, ergo multò minùs Cæſarem. 7.
      - Crudele eſt quod domi petitur, domi prohibere, ergo crudelius quod domi petitur in foro oppugnare. 7. 8.
      - Patrono mentiẽte crudele eſſet nolle Cæſarem errare, ergo patrono ſupplicante crudelius eſt Cęſarem nolle miſereri. 8.
  - Bellum ciuile ſcelus appellat, 17 quod
    - Nemo dixit præter ipſum
      - non Cæſar, qui
        - ſeceſſionem non ſcelus appellandam putauit. 9.
        - qui ignouit tanquam ciuibus non vt ſceleratis. 9.
      - non Cicero, qui fatalem calamitatem appellat. 9.
      - non alij, 17. quorum
        - qui leniùs loquuntur vocant
          - errorem
          - timorem.
        - qui duriùs
          - ſpem,
          - cupiditatem,
          - odium,
          - pertinaciam.
        - qui grauiſſimè, temeritatem. 9.
    - Neque dicendum eſt
      - Ne Pompeius & alij viri clariſſimi ſceleratorum numero cenſeantur. 9.
      - Vtraq; pars cupiębat Remp. eſſe ſaluã 10.
      - Principum dignitas erat pene par. 10.
      - Tunc cauſa erat dubia, nunc Dij cauſam Cæſaris iudicauerunt eſſe meliorem. 10.
- 3. à perſona Ligarij, & eius innocentia, ſaltem minore culpa quàm Tuberonis.
  - Vterque paruit Senatui, ſed
    - Ligarius ante bellum cùm parere neceſſe eſſet. 11.
    - Tubero bello iam inchoato cùm parere neceſſe non eſſet. Quod tamen excuſat.
      - Tuberonis ſors contecta eſt, cùm is abeſſet morbo impeditus. 11.
      - Statuerat ſe excuſare. 11.
      - Reip. nomen opponebatur. 11.
      - Ceſſit auctoritati Cn. Pompeij. 12.
  - Nec minùs eſt crimen
    - Africam contra Cæſarem obtinere voluiſſe, quod fecit Tubero. 12.
      - vel Africam erat Cæſari proditurus, quod & falſum eſt, & indignum tali viro. 13.
      - vel cõtra Cæſarem retenturus. probat à conſequenti. quia
        - excluſus Africa querelam detulit,
          - non ad Cæſarem,
          - ſed ad Pompeium.
        - & cùm à Pompeio non audiretur, tamen conſtanter in illius partibus remanſit. 16.
    - Quàm velle in eadem cum imperio remanere, quod tamen nõ fecit Ligarius, ſed Varus qui imperium ſe habere dicebat.

ARGVMENTVM.

Antequam Ligarij culpam excuſet, ſeipſum in grauiore culpa fuiſſe confitetur. tùm vt ſpecie libertatis Cæſari blandiatur: tùm vt maiorem oſtendat in ſuſcepta cauſſa fiduciam, tùm denique vt citra offenſionem Tuberonum crimen in ipſos retorqueat, oſtendátque Ligarij cauſſam meliorem eſſe quàm Tuberonem.

NVLLVM igitur habes, Cæſar, adhuc in Ligario ſignum alienæ à te voluntatis. cuius ego cauſſam, animaduerte, quæſo, qua fide defendam, cùm prodo meam. O clementiam admirabilem, atque omnium laude, prædicatione, literis, monimentiſque decorandam! M. Cicero apud te defendit alium in ea voluntate non fuiſſe, in qua ſeipſum confitetur fuiſſe: nec tuas tacitas cogitationes extimeſcit: nec, quid tibi de alio audienti, de ſeipſo occurrat, reformidat. Vide quàm non reformidem, vide quanta lux liberalitatis & ſapientiæ tuæ mihi apud te dicenti oboriatur: quantum potero voce contendam, vt hoc populus Romanus exaudiat. Suſcepto bello, Cæſar, geſto etiam ex magna parte, nulla vi coactus, iudicio meo ac voluntate ad ea arma profectus ſum, quæ erant ſumpta contra te. Apud quem igitur hoc dico? nempe apud eum, qui cùm hoc ſciret, tamen me, antequam vidit, Reipub. reddidit: qui ad me ex Ægypto literas miſit, vt eſſem idem, qui fuiſſem, qui cùm ipſe imperator in toto imperio populi Romani vnus eſſet, me alterum paſſus eſt: à quo hoc ipſo C. Panſa mihi nuncium perferente, conceſſos faſces laureatos tenui, quoad tenendos putaui: qui mihi tum denique ſe ſalutem putauit reddere, ſi eam nullis ſpoliatam ornamentis redderet. Vide quæſo, Tubero, vt qui de meo facto non dubitem, de Ligarij non audeam confiteri. Atque hæc propterea de me dixi, vt mihi Tubero, cùm de ſe eadem dicerem, ignoſceret. Cuius ego induſtriæ gloriæque faueo, vel propter propinquam cognationem, vel quòd eius ingenio ſtudiiſque delector, vel quòd laudem adoleſcentis propinqui exiſtimo etiam ad meum aliquem fructum redundare. IV.

EXPLANATIO.

NVLLVM.] Eſt concluſio ſyllogiſmi à partium enumeratione.

Qui neque in profectione, neque in remanſione, ſiue ante, ſiue poſt Vari aduentum, quicquam fecit contra Cæſarem, is nullum ſignum dedit alienæ à Cæſare voluntatis.

Sed Ligarius neque in profectione in Africam, neque in remanſione, &c. quicquam fecit contra Cæſarem.

Ergo Ligarius nullum ſignum dedit alienæ à Cæſare voluntatis.

CVM PRODO MEAM.] Cùm ego qui Ligarium excuſo, fateor me in culpa fuiſſe.

O CLEMENTIAM.] Exclamatio ex admiratione. Videtur autem hæc eſſe diuerſitas, quòd laus iudicio bonorum virorum, laudatio ſiue prædicatio ſermonibus, litteræ hiſtoriis & annalibus, monumenta lapidum & cæterorum huiuſmodi inſcriptionibus continentur.

M. CICERO.] Prudenter orationem transfert ad tertiam perſonam: quaſi non ipſe tantùm id dicturus ſit, ſed clementia tam inſignis Cæſaris, & fiducia Ciceronis conſignanda ſit monumentis omnium annalium. & in hac prædicatione clementiæ, tanquam in oratione Cæſari gratiſſima nonnihil commoratur.

SVSCEPTO BELLO.] Singulorum verborum pondus examina, & aduerte quot circunſtantiis ſuum factum exaggeret, vt hinc Cæſaris lenitas liquidiùs appareat.

GESTO ETIAM MAGNA EX PARTE.] Cùm iam Cæſar totam Italiam obtineret, exercitus Hiſpanienſes redegiſſet in poteſtatem, Pompeium Brunduſio expuliſſet, &c.

REIP. REDDIDIT.] Permiſit in patriam redire victo in Pharſalia Cn. Pompeio.

VT ESSEM IDEM.] Vt retinerem eundem gradum ſtatúmque dignitatis quem priùs obtinebam.

IMPERATOR.] Quod nomen ob res in Cilicia bene geſtas ante biennium obtinueram cum faſcibus laureatis.

HOC IPSO C. PANSA.] Qui prope me ſedet inter Ligarij patronos.

VIDE QVÆSO.] Conuertit ſe ad Tuberonem, & cauſſam reddit cur ſuperiora dixerit, ne Cæſari aſſentatus fuiſſe videatur.

NOTÆ.

I. παῤῥησία. SVSCEPTO BELLO.] Figura eſt, vt notat Fabius lib. 9. cap. 2. *Quam Cornificius licentiam vocat, Græci παῤῥησίαν.* Sed hæc παῤῥησία cùm vera eſt & ſincera, figura non eſt. *Quid enim minùs figuratum quàm vera libertas? Sed frequenter ſub hac facie latet adulatio. Nam Cicero cùm dicit pro Ligario: Suſcepto bello, Cæſar, geſto iam ex parte magnâ,* &c. *non ſolùm ad vtilitatem Ligarij reſpicit, ſed magis laudare victoris clementiam non poteſt. In illâ verò ſententia: Quid autem aliud egimus, Tubero, niſi vt quod hic poteſt, nos poſſemus? admirabiliter vtriuſq; partis facit bonam cauſſam, ſed hoc eum demeretur, cuius mala fuerat.*

II. APVD QVEM.] Idem Fabius eodem loco qui totus eſt de figuris ſententiarum. *Cæterùm etiam interrogandi ſeipſos, & reſpondendi ſibi ſolent eſſe non ingratæ vices, vt Cicero pro Ligario:* APVD QVEM, &c. vt illud apud Terentium Phormione actu 1. ſc. 4.

Quod cùm audierit, quod eius remedium inueniam iracundiæ?
Loquárne? incendam, taceam? inſtigem, purgem me? laterem lauem.

& alia exempla infinita tum apud Oratores, tum apud Poëtas.

III. Cicero Imperator. IMPERATOR.] M. Tullius Ciliciæ Proconſul ob res bello præclarè geſtas Imperatoris nomen, faſces laureatos, ſupplicationem ſuo nomine decretam obtinuit à Senatu. De quibus fusè libro 15. ad familiares epiſt. ad Senatum, & ad Catonem, libro 6. ad Atticum, & alibi paſſim. Cùm certiſſimâ ſpe triumphi deceſſit è prouincia. Epiſtola decima ad Tironem. *Ego ad vrbem acceſſi pridie nonas Ianuarias, obuiam mihi ſic proditum eſt, vt nihil fieri potuerit ornatius. Sed incidi in ipſam flammam ciuilis diſcordiæ, vel potiùs belli: cui cùm cuperem mederi, & vt arbitror poſſem, cupiditates certorum hominum (nam ex vtraque parte ſunt qui pugnare cupiant) impedimento mihi fuerunt.* Quare triumphi dilata ſpes eſt, non tamen penitus abiecta, retentúmque à Tullio nomen Imperatoris & faſces laureati. De nomine Imperatoris etiam poſt initia belli ciuilis retento, conſtat ex epiſtolis Balbi, Pompeij, Antonij, Cæſaris ipſius quæ habentur inter epiſtolas ad Atticum libris 8. 9. 10. & ex reſponſionibus Ciceronis ad Cæſarem & Pompeium. De faſcibus laureatis idem lib. 8. ad Atticum ep. 3. qua exponit rationes in vtramq; partem ſatiúſne ſit ſequi Pompeium, an in Italia remanere. Ciceronis faſces laureati. *Age iam, has compedes, faſces, inquã, laureatos efferre ex Italiâ quàm moleſtũ eſt?* Hos lictores poſt pugnam Pharſalicam ne dimiſit quidem, cùm ab armis diſceſſit, & in Italiam rediit victo Pompeio. lib. vndecimo ad Att. epiſt. 6. *Brunduſij iacere in omnes partes eſt moleſtum. Propiùs accedere, vt ſuades, quomodo ſine lictoribus, quos populus dedit, poſſum? qui mihi incolumi adimi non poſſunt, quos ego modò paulisper cum bacillis in turbam conieci, ad oppidum accedens, ne quis impetus militum fieret.* Et epiſt. ſequenti. *Factum igitur, vt ſcripſiſti, iſtis placere, iiſdem iſtis lictoribus me vti, quod conceſſum Seſtio ſit, cui non puto ſuos eſſe conceſſos, ſed ab ipſo datos. Audio enim eum ea S. C. improbare, quæ poſt diſceſſum Tribunorum facta ſunt. Quare poterit, ſi volet ſibi conſtare, noſtros lictores comprobare.* Et verò paulò pòſt, vt ex hoc loco patet, eos comprobauit. De Imperatoris appellatione plura diximus in Piſonem 88. 44. De faſcibus laureatis nonnulla eadem oratione 53.

NVLLIS SPOLIATAM ORNAMENTIS.] Lib. 11. ad Attic. ep. 6. de Oppio, & aliis Cæſaris amicis loquens. IV. Humanitas Cæſaris in Ciceronem. *Sic enim recipiunt, Cæſari non modò de conſeruandâ, ſed etiam de augenda mea dignitate curæ fore: mêque hortãtur vt magno animo ſim, vt omnia ſumma ſperem. Ea ſpondent, confirmant.* Quod etiam præſtitit cumulatè. Cúmque primùm ſibi in Italiam redeunti obuiam prodeuntem adſpexit, deſcendit ex equo, eum amicè complexus eſt, ſolus cum ſolo loquens ambulauit, vt narrat Plutarchus in Cicerone. Quo congreſſu id accidiſſe videtur quod narrat Macrobius 2. Saturn. cap. 3. *In Cæſarem quoque mordacitas Ciceronis dentes ſuos ſtrinxit. Nam primùm poſt victoriam Cæſaris interrogatus cur in electione partis erraſſet, reſpondit: Præcinctura me decepit. Iocatus in Cæſarem qui ita togâ præcingebatur, vt trahendo laciniam velut mollis incederet.*

VIDE QVÆSO.] Fabius lib. 5. cap. 10. diſſerens de argumentis, & comparatione hęc refert exempla. V. *Ex maiore pro Cecinnâ; qui exercitus armatos mouet, is aduocationem togatorum non videtur mouiſſe? Ex faciliore in Clodium & Curionem: Ac vide an facilè fieri tu potueris, cùm is factus non ſit cui tu conceſſiſti. Ex difficiliore: Vide quæſo Tubero, vt qui de meo facto non dubitem, de Ligarij audeã confiteri. & ibi. An ſperandi Ligario cauſſa non ſit, cùm mihi apud te locus ſit etiam pro altero deprecandi.* Quare non fortaſſe errauerit, qui particulã negatiuam ſuſtulerit, legerítque *audeam confiteri.*

PROPINQVAM COGNATIONEM.] Natus videtur Qu. Tubero ex matre conſanguinea Ciceronis. infrà: VI. *Neceſſitudines quæ mihi ſunt cum L. Tuberone: domi vna eruditi, militiæ contubernales, pòſt affines* &c. vide ſuprà §. 1.

AXIOMA.

Laus propinquorum ad noſtrum aliquem fructum redundat.

ARGVMENTVM.

Ligarij culpam eleuat à perſona Tuberonis, qui alteri crimini vertebat, quod ipſe admiſerat, ſecutus cauſſam & partes Cn. Pompeij.

V. SED hoc quæro, quis putet fuiſſe crimen, eſſe in Africa Ligarium? nempe is, qui & ipſe in eadem Africa eſſe voluit, & prohibitum ſe à Ligario queritur, & certè contra ipſum Cæſarem eſt congreſſus armatus. Quid enim tuus ille, Tubero, diſtrictus in acie Pharſalica gladius agebat? cuius latus ille mucro petebat? qui ſenſus erat armorum tuorum? quæ tua mens? oculi? ma-

nus? ardor animi? quid cupiebas? quid optabas? Nimis vrgeo, commoueri videtur adoleſcens: ad me reuertar, iiſdem in armis fui. quid autem aliud egimus, Tubero? niſi vt quod hic poteſt, nos poſſemus?

EXPLANATIO.

IN EADEM AFRICA.] Fabius libro II. cap. I. *Poteſt euenire vt in aliis reprehendenda ſint, quæ ipſi fecerimus, vt obiicit Tubero Qu. Ligario, quòd in Africâ fuerit, & ambitûs quidam damnati recuperandæ dignitatis gratiâ, reos eiuſdem criminis detulerunt, vt in ſcholis luxuriantem patrem luxurioſus ipſe iuuenis accuſat. Id quàm decenter fieri poßit equidem non inuenio, niſi aliquid reperiatur quo interſit, perſona, ætas, tempus, cauſſa, locus, animus. Tubero iuuenem ſe patri hæſiſſe, illum à Senatu miſſum non ad bellum, ſed ad frumentum coemendum ait, vt primùm licuerit à partibus receßiſſe Ligarium & perſeueraſſe, & non pro Cn. Pompeio, inter quem & Cæſarem dignitatis fuerit contentio, cùm ſaluam vterque Rempub. vellet, ſed pro Iuba atque Afris inimicißimis populo Romano ſtetiſſe.* Ea autem ex ipſa Tuberonis accuſatione ſumpta ſunt, quæ Quintiliani tempore ſupererat, vt ipſe teſtatur lib. 10. cap. 1.

NOTÆ.

QVID ENIM TVBERO.] Hic eſt celebris ille locus, quem toties Fabius expendit. vt lib. 8. cap. 4. *Poteſt adſcribi amplificationi congeries quoque verborum ac ſententiarum idem ſignificantium. nam etiamſi non per gradus adſcendant, tamen velut aceruo quodam alleuantur. Quid enim Tubero*, &c. Quod amplificandi genus Euripides apud Ariſtophanem in Ranis feſtiuè ridet:

Δὶς ταυτὸν ἡμῖν εἶπεν ὁ σοφὸς Αἰσχύλος.
Ἥκω γὰρ εἰς γῆν φησὶ καὶ κατέρχομαι.
Ἥκω δὲ ταυτόν ἐστι τῷ κατέρχομαι.
Νὴ τὸν Δί' ὥσπερ εἴ τις εἴποι γείτονι,
Χρῆσον σὺ μάκτραν, εἰ δὲ βούλει, κάρδοπον.
Bis idem nobis dixit ſapiens Æſchilus.
Venio enim ad terram, inquit, & accedo poſtliminiò.
Aſt venio idem eſt quod accedo poſtliminiò.
Ita per Iouem, atque ſi quis vicino dixerit
Accommoda tu mactram, vel ſi libet, arcam panariam.

Eam tamen verborum congeriem frequenter vſurpat non Tullius ſolùm, quem inſulſi quidam verboſiorem putant, ſed etiam ipſe ille Demoſthenes, cuius caſtigatiſſimæ eloquentiæ nihil detrahi poſſe fatentur omnes. vt primâ Olynthiacâ: Προσκαθεδεῖται, καὶ προσεδρεύσει τοῖς πράγμασι. *Deſidebit & negotiis immorabitur.* Ἄξιον δὴ ἐνθυμηθῆναι καὶ λογίσασθαι. *Operæpretium eſt cogitare & reputare.* Olynth. 2. Νῦν μὲν ἐπισκοτεῖ τούτοις τὸ κατορθοῦν. αἱ γὰρ εὐπραξίαι δειναὶ συγκρύψαι καὶ συσκιάσαι τὰ τοιαῦτα ὀνείδη. *Nunc verò his rebus tenebras offundit felicitas euentorum. Proſperitates enim magnam vim habent ad obtegenda & inumbranda huiuſmodi opprobria.* Olynth. 3. Τίνα γὰρ χρόνον, ἢ τίνα καιρόν, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, τοῦ παρόντος βελτίω ζητεῖτε; ἢ πότε ἃ δεῖ πράξετε εἰ μὴ νῦν; *Quod enim tempus, aut quam occaſionem, Athenienſes, præſenti meliorem quæretis? aut quando quæ oportet facietis, ſi nunc non facitis?* Talis vel fortaſſe etiam elegantior coaceruatio verborum pro Milone 33. *An verò Iudices, vos ſoli ignoratis, vos hoſpites in hac vrbe verſamini, veſtræ peregrinantur aures, neque in hoc peruagato ciuitatis ſermone verſantur?* Alia exempla corraſit Gellius libro 13. Noct. Attic. cap. 23. vt Catonis oratione de decem hominibus cùm Thermum accuſauit: *Tuum nefarium facinus peiore facinore operire poſtulas: ſuccidias humanas facis, decem funera facis, decem capita libera interficis, decem hominibus vitam eripis, indictâ cauſâ, iniudicatis, indemnatis.* Item oratione pro Rhodienſibus: *Scio ſolere plerïſque hominibus in rebus ſecundis, atque prolixis, atque proſperis, animum excellere, atque ſuperbiam, atque ferocitatem augeſcere.* Orat. contra Sergium Galbam: *Multa me dehortata ſunt huc prodire, anni, ætas, vox, vires, ſenectus.* Sed antè omnes apud Homerum eiuſdem rei atque ſententiæ luculenta exaggeratio eſt:

Ἕκτορα δ' ἐκ βελέων ὕπαγε Ζεὺς, ἔκ τε κονίης,
Ἔκ τ' ἀνδροκτασίης, ἔκ θ' αἵματος, ἔκ τε κυδοιμοῦ.
Hectora de iaculis eduxit Iupiter, & de
Puluere, de cæde, & de ſanguine, déque tumultu.

Item alio in verſu:

Ὑσμῖναί τε μάχαι τε φόνοι τ' ἀνδροκτασίαι τε.
Prælia, conflictus, ſtrages, cædéſque virorum.

Nam cùm iſta omnia vtrobique multa & continua nomina, nihil plus demonſtrent quàm prælium: huius tamen rei varia facies delectabiliter ac decorè multis variïſque verbis depicta eſt, &c. *Nec illa quidem huiuſmodi ſignificationis repetitio ignaua & frigida videri debet:*

Μνηστῆρες δ' ἄρα Τηλεμάχῳ θάνατόν τε μόρον τε ἤρτυον.
Telemachóque proci mortem fatúmque parabant.

quod bis idem dixerit, θάνατον καὶ μόρον. *Indignatus enim moliendæ tam acerbæ, támque iniuſtæ necis, mirandâ mortis iteratione defleta eſt.* Hæc & alia Gellius.

Secundò Fabius lib. 8. cap. 5. Genus tranſlationis aduertit. *Præcipuéque ex his oritur mira ſublimitas, quæ audaciæ proxima periculo tranſlationis attollitur, cùm rebus ſenſu carentibus actum quemdam & animos damus, qualis eſt*

-Pontem indignatus Araxes.

& illa Ciceronis. Quid enim? &c. *Qui ſenſus armorum tuorum? Duplicatur interim hæc virtus apud Virgilium,*

-Ferrúmque armare veneno.

Nam & veneno armare, & ferrum armare tranſlatio eſt. Quo in genere tranſlationis ſi quiſquam alius Homerus excellit. Ariſtoteles 3. Rethoric. cap. 11. Λέγω δὴ πρὸ ὀμμάτων ταῦτα ποιεῖν, ὅσα ἐνεργοῦντα σημαίνει. *Dico ante oculos ea ponere, quæcunque agentia ſignificant.* Καὶ ὡς κέχρηται Ὅμηρος πολλαχοῦ τῷ τὰ ἄψυχα ἔμψυχα λέγειν διὰ τῆς μεταφορᾶς. ἐν πᾶσι δὲ τὸ ἐνέργειαν ποιεῖν εὐδοκιμεῖ. *Et vt vſus eſt Homerus multis in locis, Inanimata animata dicendo per tranſlationem. In omnibus autem ener-*

gica & quaſi agens locutio laudatur. Profert exempla. Primum eſt ex 11. Odyſſ.

Αὖτις ἔπὶ δάπεδόν τε κυλίνδετο λᾶας ἀναιδής.

Voluitur ad terram cum nullo petra pudore.

Alterum ex 13. Iliad.

-Ἐκὰς ἔπτατο πικρὸς ὀϊστός.

-Longéque ſagitata volauit

Aſpera.- Libro 11.

Ἐν γαίῃ ἵσταντο λιλαιόμενα χροὸς ἄσαι.

In terrâ ſtabant ſaturari optantia carne.

Libro 15.

Αἰχμὴ δὲ στέρνοιο διέσσυτο μαιμώωσα.

At eadem ſitiens traiecit pectora culpis.

Quæ verba non infeliciùs transfert Latinus Poëta. vt,

Et duplici ſquamâ lorica fidelis & auro.

-At perfidus enſis

Frangitur, in medióque ardentem deſerit ictu.

-Et ſummum deguſtat vulnere corpus.

Seneca Thebaide:

-Clude vaginâ impium

Enſem, ac trementem, iámque cupientem excuti

Haſtam ſolo defige.

Tertiò, vt notat Fabius libro 9. cap. 2. *Figuratum quoties non ſciſcitandi gratiâ aſſumitur, ſed inſtandi: Quid enim tuus ille?* &c.

Quartò, vt eodem capite ſubditur. *Auerſus quoque à iudice ſermo. qui dicitur* ἀποστροφή, *mirè mouet, ſiue aduerſarios inuadimus. Quid enim tuus* &c. *ſiue ad inuocationem aliquam conuertimur*, &c. Addi poſſent & aliæ figuræ, vt *ille* emphaſis. *Quid, cuius, qui*, polyproton & anaphora, & aliæ, vt mirum non ſit Cæſarem non potuiſſe fulmen hoc orationis tam multiplici figurâ vibratum contortúmque ſuſtinere. Plutarchus in Cicerone plura, quæ libet exſcribere: Λέγεται δὲ καὶ Κοΐντου Λιγαρίου δίκην φεύγοντος, ὅτι τῶν Καίσαρος πολεμίων εἷς ἐγεγόνει, καὶ Κικέρωνος αὐτῷ βοηθοῦντος, εἰπεῖν τὸν Καίσαρα πρὸς τοὺς φίλους, Τί κωλύει διὰ χρόνου Κικέρωνος ἀκοῦσαι λέγοντος; ἐπεὶ πάλαι κέκριται πονηρὸς ἀνὴρ, καὶ πολέμιος; Ἐπεὶ δ' ἀρξάμενος λέγειν ὁ Κικέρων, ὑπερφυῶς ἐκίνει, καὶ προὔβαινεν αὐτῷ πάθει τε ποικίλος, καὶ χάριτι θαυμαστὸς ὁ λόγος. πολλὰς μὲν ἱέναι χρόας ἐπὶ τοῦ προσώπου τὸν Καίσαρα, πάσας δὲ τῆς ψυχῆς τρεπόμενον τροπὰς κατάδηλον εἶναι. Τέλος δὲ τῶν κατὰ Φάρσαλον ἀψαμένου τοῦ ῥήτορος ἀγώνων, ἐκπαθῆ γενόμενον τιναχθῆναι τῷ σώματι, καὶ τῆς χειρὸς ἐκβαλεῖν ἔνια τῶν γραμματιδίων. τὸν γοῦν ἄνθρωπον ἀπέλυσε τῆς αἰτίας βεβιασμένος. *Aiunt Qu. Ligario cauſſam dicente, quòd contra Cæſarem arma tuliſſet, & Cicerone defendente, Cæſarem familiaribus ſuis ita dixiſſe: Quid prohibet loquentem poſt alicuius temporis ſilentium audire Ciceronem, quandoquidem iampridem improbus vir & hoſtis Ligarius eſt iudicatus? Poſtquam verò facto initio ſupra modum mouebat Orator, & motu varius gratiáque ſermonis ipſi ſuccedebat oratio, Cæſaris vultum aiunt ita variis coloribus mutatum fuiſſe, vt facilè varias animi affectiones mutationéſque oſtenderet: tandem verò cùm ille dicendo Pharſalicam pugnam attigiſſet, hunc præ motu extra ſe raptum corpore cohorruiſſe, & quoſdam libellos manu deiecisse. Et ita Ligarium coactus abſoluit.*

II. IN ACIE PHARSALICA.] *Theſſaliæ ſunt Pharſalici campi*, inquit Solinus cap. 14. *in quibus ciuilium bellorum detonuerunt procellæ.* De hac pugnâ vt omittam Lucanum 7. Appianum 2. de bellis ciuilibus, Dionem lib. 41. Plutarchum in Cæſare & Pompeio, alióſque paſſim, ita Florus lib. 4. cap. 2. *Philippicis campis vrbis, imperij, generis humani fata commiſſa ſunt. Nunquam vllo loco tantum virium populus Romanus, tantum dignitatis fortuna vidit. Trecenta amplius millia hinc & illinc, præter auxilia Regum & Senatûs.*

Pugna Pharſalica.

GLADIVS.] Gladius, quaſi cladius à clade dictus, vt volunt Grammatici. Varia fuerunt genera gladiorum, vt etiam nunc enſis & pugio. Ioſephus libro 3. de excidio cap. 6. Οἱ μὲν πεζοὶ θώρακί τε πεφραγμένοι καὶ μαχαιροφοροῦντες ἀμφοτέρωθεν. μακρότερον δὲ αὐτῶν τὸ λαιὸν ξίφος πολλῷ, τὸ γὰρ κατὰ δεξιὸν σπιθαμῆς οὐ πλέον ἔχει μῆκος. *Pedites vtrimque gladium geſtant. longiorem quidem illum ad ſiniſtrum latus: nam qui ad dextrum eſt, palmi menſuram non excedit.* Polybius lib. 6. Gladium Hiſpanienſem ita deſcribit: Ἅμα δὲ τῷ θυρεῷ μάχαιραν, ταύτην δὲ περὶ τὸν δεξιὸν φέρει μηρόν. καλοῦσι δὲ αὐτὴν ἰβηρικήν, ἔχει δ' αὐτὴ κέντημα διάφορον, καὶ καταφορὰν ἐξ ἀμφοῖν τοῖν μεροῖν βίαιον διὰ τὸ τὸν ὀβελίσκον αὐτῆς ἰσχυρὸν καὶ μόνιμον εἶναι. *Vna cum ſcuto gladium. quem fert ad dextrum femur. Appellant Hiſpanienſem, habétque mucronem eximium, & ictum vtrimque validum, quoniam lamina eius firma eſt & ſtabilis.* Diſſentit, vt vides, Polybius à Ioſepho. Nam alter dextro lateri gladium Hiſpanienſem, alter ſiniſtro gladium, dextro applicat pugionem. Sed id diuerſitati temporis videtur eſſe tribuendum: quamuis Ioſephi æuo equites hunc accingendi ad dextrum latus gladij morem retinerent, vt ipſe ibidem confitetur: Τοῖς ἱππεῦσιν μάχαιρα μὲν ἐκ δεξιοῦ μακρά. *Equitibus gladius eſt ad dextrum oblongus.* Immò & milites Prætoriani longè poſt Ioſephi tempora hunc morem habuerunt, vt viri docti è columnis Traiani & Antonini probant, & Claudius Salmaſius in Spartiani Seuerum hunc Ioannis Antiocheñſis περὶ ἀρχαιολογίας locum profert: Ἐπὶ φυλακῇ γὰρ βασιλικῇ ταχθέντες, ἔφη, οὐκ ἐν τῷ ἀριστερῷ μέρει τὸ ξίφος διαζώννυσθε, ἀλλ' ἐν τῷ δεξιῷ. *Tum Seuerus, ad Imperatoris, inquit, cuſtodiam conſtituti gladium non ad ſiniſtrum, ſed ad dexterum latus accingitis.* Pedeſtris gladius breuior fuit, longior equeſtris contra morem hodiernum. Dionyſius lib. 8. Τοῖς ἱππικοῖς ξίφεσι μακροτέροις οὖσι παίοντες. *Equeſtribus longioribus gladiis ferientes.* Dio Chryſoſtomus in Boryſth. Παρέζωστο δὲ μάχαιραν μεγάλην τῶν ἱππικῶν. *Accinctus erat longiore gladio ex illis equeſtribus.* Contra gladius Hiſpanicus, qui propriè peditum & maximè velitum fuit, erat breuior, & vt ait Liuius lib. 7. *ad propiorem habilis pugnam.* Libro 37. *Cùm comminus venerant, gladiis à velitibus trucidabantur. Hic miles tripedalem parmam habet: & in dexterâ haſtas quibus eminus vtitur: gladio Hiſpanienſi eſt cinctus. Quòd ſi pede collato pugnandum eſt, tranſlatis in læuam haſtis ſtringit gladium.* Sed de gladio præſertim Hiſpanienſi vide Lipſium libro 3. Dialogo 3. Valtrinum lib. item 3. cap. 12.

III. Gladius. Gladius Hiſpanienſis. Gladius ad dextrum latus Prætorianis.

IV. CVIVS LATVS.] Vide pro Sextio 90. *Aliquo præſidio caput & ceruices ac latera tuetur.* Magnus Poëta,

Per tunicam ſquallentem auro latus haurit apertum.

Et Tibullus cùm pulcherrimè dicere potuiſſet:

Hæſura in noſtro pectore tela gerit.

Maluit:

Hæſura in noſtro tela gerit latere.

V. Mucro. ILLE MVCRO PETEBAT.] Mucro, vt ſcribit Seruius in 11. Æneidos eſt cuiuſlibet teli acumen. vt,

-Stat ferri acies mucrone coruſco
Stricta, parata neci.

Dictus à longitudine, vt auctor eſt Iſidorus cap. 6. lib. 18. quia Græci μακρὸν longum appellant. frequenter tamen pro toto gladio mucronem vſurpant. vt 12. Æneidos:

Mortalis mucro, glacies ceu futilis icta
Diſſiluit.-

Propertius lib. 2. eleg. 25.

Sed tamen obſiſtam, teritur rubigine mucro
Ferreus, & paruo ſæpè liquore ſilex.

VI. OCVLI.] Huiuſmodi ardoris exemplum eſt in Liuio libro 7. *Samnites cùm quæreretur quænam prima cauſſa tam obſtinatos mouiſſet in fugam, oculos ſibi Romanorum ardere viſos aiebant, veſanóſque vultus & furentia ora: inde plus quàm ex alia vlla re terroris ortum.* Talis fuit ardor Turni cùm ſe ad pugnam accingeret. 12. Æneidos:

-Totóque ardentis ab ore
Scintillæ abſiſtunt: oculis micat acribus ignis.

Papinius 11. Theb. de Eteocle & Polynice:

-Coeunt ſine more, ſine arte,
Tantum animis, iráque, atque igneſcentia cernunt
Per galeas odia, & vultus rimantur acerbo
Lumine.-

Talis Agamemnon vel extra pugnam iratus deſcribitur: (Iratorum oculi ardentes.)

-Μένεος δὲ μέγα φρένες ἀμφιμέλαιναι
Πίμπλαντ'· ὄσσε δέ οἱ πυρὶ λαμπετόωντι ἐΐκτην.

-Tumidas exarſit in iras,
Et ſimiles flammis oculi fulſere cruentis.

Talis Hector 12. Iliadis extremo:

-πυρὶ δ' ὄσσε δεδήει.

-ardebant lumina flammâ.

Et 15. ad finem vergente:

Ἀφλοισμὸς δὲ περὶ στόμα γίνετο. τὼ δέ οἱ ὄσσε
Λαμπέσθην βλοσυρῇσιν ὑπ' ὀφρύσι. ἀμφὶ δὲ πήληξ
Σμερδαλέον κροτάφοισι τινάσσετο μαρναμένοιο
Ἕκτορος.-

Dentibus horrendum ſtridet, cui lumina toruis
Sæua ſupercilijs fulgent, galea ardua circum
Tempora concutitur dum fulminat Hector in armis.

Neque opinor aliud fuit illa nubes aurea & ignita Achillis caput obuoluens, quàm ardor oculorum. 18. Iliados.

Ἡνίοχοι δ' ἔκπληγεν, ἐπεὶ ἴδον ἀκάματον πῦρ
Δεινὸν ὑπὲρ κεφαλῆς μεγαθύμου Πηλείωνος
Δαιόμενον· τὸ δ' ἔδαιε θεὰ γλαυκῶπις Ἀθήνη.

Turbati aurigæ, poſtquam de vertice magni
Æacidæ vndantes viderunt ſurgere flammas,
Cæſia quas Pallas ſuccenderat.-

Nonnus etiam libro 48. Dionyſ. verſu 372.

-Οἰδαίνοντι χόλῳ κυμαίνετο δαίμων
Καὶ φονίοις σπινθῆρας ἀνηκόντιζεν ὀπωπαί.

-Irarum turgenti fluctuat æſtu
Sæuáque crudeles iaculantur lumina flammas.

NIMIS VRGEO.] Fabius libro 9. cap. 2. *Eſt alia non quidem reticentia, quæ ſit imperfecti ſermonis, ſed tamen præciſa velut, ante legitimum finem oratio, vt illa: Nimis vrgeo, commoueri videtur adoleſcens.* VII.

QVID AVTEM ALIVD.] Specie libertatis adulatur, &, vt iam è Fabio notauimus: *Admirabiliter vtriuſque partis facit bonam cauſſam, ſed hoc eum demeretur cuius mala fuerat.* Malam certè Cæſaris cauſſam fuiſſe plerique omnes & Cicero ipſe teſtatur. vide epiſtolas ad Atticum. 3. de officiis: *Ipſe autem ſacer in ore ſemper verſus Græcos Euripidis de Phœniſſis habebat, quos dicam vt potero, inconditè fortaſſe, ſed tamen vt res poſſit intelligi.* VIII.

Nam ſi violandum eſt ius, regnandi gratiâ
Violandum eſt: aliis rebus pietatem colas. (Adulatio ſpecie libertatis.)

Græcos protulit Tranquillus in Iulio cap. 30.

Εἴπερ γὰρ ἀδικεῖν χρή, τυραννίδος πέρι
Κάλλιστον ἀδικεῖν. τἄλλα δ' εὐσεβεῖν χρεών. (Iniuſta Cæſaris ambitio.)

Quamuis autem verâ libertate carent adulatores, eam tamen nonnunquam adumbrant, & reprehenſione in rebus tantùm leuioribus vtuntur, vt eleganter oſtendit Plutarchus opuſculo de diſcernendo amico ab adulatore: Ὥσπερ εἴ τις ἀνθρώπου φύματα καὶ σύριγγας ἔχοντος, ἰατρικῷ σμιλίῳ τὰς τρίχας τέμνοι καὶ τοὺς ὄνυχας, οὕτως οἱ κόλακες τὴν παρρησίαν πρὸς τὰ μὴ λυποῦντα, μηδ' ἀλγοῦντα προσφέρουσιν. *Vt ſi quis hominis tubercula vel vlcera fiſtuloſa habentis medico ſcalpello pilos vel vngues ſecet, ſic adulatores libertatem in eas res adhibent, quæ nullam pariunt triſtitiam vel dolorem.* Item: Καθάπερ τὸν ἄκρατον ἄλλως βοηθοῦντα πρὸς τὸ κώνειον, ἂν ἐμμίξωσι προσβάλλοντες αὐτῷ, κομιδῇ ποιοῦσι τὴν τοῦ φαρμάκου δύναμιν ἀβοήθητον ὀξέως ἀναφερομένην πρὸς τὴν καρδίαν ὑπὸ θερμότητος, οὕτω τὴν παρρησίαν ἐπιστάμενοι μέγα βοήθημα πρὸς τὴν κολακείαν οὖσαν οἱ πονηροὶ, δι' αὐτῆς κολακεύουσι τῆς παρρησίας. *Quemadmodum merum, quòd alias contra cicutam eſt remedium, ſi quis cicutæ immiſceat, reddet vim veneni omni remedio ſuperiorem, quòd præ calore celeriter ad cor deferatur, ita ſcelerati cùm libertatem præſens aduerſus adulationem remedium eſſe norint, per ipſam dicendi libertatem adulantur.*

HIC.] Alibi notauimus *hic* honoris cauſsâ frequenter vſurpari, vt apud Perſium: IX.

At pulchrum eſt digito monſtrari, & dicier hic eſt.

6. Æneidos:

Hic vir hic eſt, tibi quem promitti ſæpius audis
Auguſtus Cæſar.

ARGVMENTVM.

Tuberonum imprudentiam oſtendit, quòd cùm ipſi Cæſaris clementia conſeruati fuiſſent, eundem nihilominus ad crudelitatem acuerent.

QVORVM igitur impunitas, Cæſar, tuæ clementiæ laus eſt, eorum ipſorum ad crudelitatem te acuet oratio? Atque in hac cauſſa nonnihil equidem Tubero etiam tuam, ſed multò magis patris tui pruden-

tiam deſidero: quòd homo cum ingenio, tum etiam doctrina excellens, genus hoc cauſſæ quod eſſet, non viderit. nam ſi vidiſſet, quouis profectò, quàm iſto modo, à te agi maluiſſet. arguis fatentem: non eſt ſatis. accuſas eum, qui cauſſam habet, aut, vt ego dico, meliorem, quàm tu: aut, vt tu vis, parem. Hæc non modò mirabilia ſunt, ſed prodigiis ſimilia, quæ dicam: non habet eam vim iſta accuſatio, vt Qu. Ligarius condamnetur, ſed vt necetur. hoc egit ciuis Romanus ante te nemo. externi iſti mores vſque ad ſanguinem incitare ſolent odium aut leuium Græcorum, aut immanium barbarorum. nam quid aliud agis? Romæ ne ſit? vt domo careat? ne cum optimis fratribus, ne cum hoc T. Broccho auunculo ſuo, ne cum eius filio conſobrino ſuo, ne nobiſcum viuat? ne ſit in patria? num eſt? num poteſt magis carere his omnibus, quàm caret? Italia prohibetur, exulat. non tu ergo hunc patria priuare, qua caret, ſed vita vis.

EXPLANATIO.

QVORVM IGITVR.] Hunc locum ſic expendit Fabius libro 8. cap. 5. *Enthymema quoque eſt omne quod mente concipimus, propriè tamen dicitur quod eſt ſententia ex contrariis, propterea quod eminere videtur inter cæteras, vt Homerus poëta, vrbs Roma. De hoc in argumentis ſatis dictum eſt. Non ſemper autem ad probationem adhibetur, ſed aliquando ad ornatum. Quorum igitur impunitas, Cæſar, tua clementiæ laus eſt, eorum te ipſorum ad crudelitatem acuet oratio? Non quia ſit ratio diſſimilis, ſed quia iam per alia, vt id iniuſtum appareret, effectum erat. Et addita in clauſula eſt epiphonematis modo, non tam probatio, quàm extrema quaſi inſultatio.*

PRVDENTIAM.] Bene magis prudentiam in patre ſeniore, quàm in filio adoleſcente deſiderat. quia prudentia in adoleſcentiam vix cadit. Vide Cœlianam 76. *Non loquor de ſapientiâ qua non cadit in hanc ætatem.*

INCITARE SOLENT ODIVM.] Tradit Lambinus ſe in quatuor libris veteribus ſcriptum legiſſe: *Incitari ſolent odio.* eámque lectionem ſic exponit. Externi, inquit Cicero, iſti mores. hoc eſt non Romani, ſed externorum populorum, vt aut leuium Græcorum, aut immanium barbarorum, ſolent odio aliquo ſuſcepto, aut penitus inſito ad ſanguinem petendum incitari, &c. Mox ita refellit vulgatã lectionem: *Non mores incitant odium, ſed contra odium mores incitare ſolet,* &c. At Franciſcus Modius ep. 87. Nouantiquarum ita legit: *Admirabilia hac, ſed prodigiy ſimile quod dicam. Non habet eam vim iſta accuſatio, vt Qu. Ligarius condemnetur, ſed vt necetur. Hoc egit ciuis Romanus ante te nemo. Externi iſti ſunt mores, vſque ad ſanguinem incitari odio, aut leuium Græcorum, aut immanium barbarorum.* Quomodo elegantiſſima, inquit, erit locutio: prævulgata certè auro contrà æſtimanda. & tamen tota à libris manuſcriptis, niſi quòd verbum, *ſolent*, quod in quibuſdam codicibus in menda cubabat, delendum cenſui. At Grutterus, & fortaſſe omnium optimè legendum putat: *Externi iſti ſunt mores: vſque ad ſanguinem incitari ſolet odium, aut leuium Græcorum, aut immanium barbarorum.*

NOTÆ.

I. ARGVIS FATENTEM.] Vlpianus D. de verbor. ſignific. leg. 197. *Indicaſſe eſt detuliſſe, arguiſſe, accuſaſſe, & conuiciſſe.* pro Cæcina 2. Non dubitauit id ipſum, quod *arguitur, confiteri.* Hinc iocus Plauti in Pſeudolo:

Ecquid argutus eſt?
Malorum facinorum ſæpiſſimè.

II. EXTERNI MORES.] Notum eſt legibus Valeriis & Porciis virgas, & ſecures à corpore ciuium Romanorum amotas fuiſſe. & eam ob rem externos eſſe mores dicit vſque ad ſanguinem incitari: vt leues Græci, ipſique adeo Athenienſes necauerunt Socratem & Phocionem, vt immanes barbari, verbi cauſſa, Carthaginenſes Imperatores ſuos cruci affigebant, ſi malo euentu, quantumuis bono conſilio res geſſiſſent, cuiuſmodi apud Liuium & Polybium exempla ſunt: vt Perſæ qui vel morti addictos cute ſpoliabant, vt Cambyſes illum iudicem pecunia corruptum ex Herodoto, aut etiam grauius ſupplicium irrogabant, quod apud Plutarchum in Artaxerxe fusè deſcribitur.

III. LEVIVM GRÆCORVM.] De nomine Græciæ vide Piſonianam §. 37. Not. 4. De Græcorum leuitate paſſim. Noſter vt pro Sextio §. 141. *Athenienſes, homines Græcos, longè à noſtrorum hominum grauitate diſiunctos.* Vide orationem pro Flacco. & de Prouinciis Conſularibus 15. *Conſtabat enim Græcum hominem ac leuem in ipſa prouincia, quaſi triumphaſſe.*

IV. IMMANIVM BARBARORVM.] De Barbarorum nomine adi Milonianam. 26. *Seruos agreſtes & barbaros.* Immanitatem barbaris etiam tribuit pro Marcello 8. *Domuiſti gentes immanitate barbaras.* Vbi expoſuimus quid ſit immanitas.

V. T. BROCCHO.] Notat Fuluius Vrſinus Brocchum Furiæ familiæ cognomen eſſe in argenteo denario, in quo L. FVRIVS CN. F. BROCCHVS deſcriptus eſt. Nomen autem inditum videtur à corporis vitio, vt Strabones, Pæti, Silones, Valgi, & alia eiuſmodi. Plinius lib. II. cap. 37. *Labra à quibus Brocci Labeones dicti.* Atque haud ſcio an iidem ſint cum Broncis, de quibus Nonius Marcellus: *Bronci ſunt producto*

ore & dentibus prominentibus. Lucilius Satyra. lib. 3.

Broncus ouat lanius, dente aduerſo eminulo, hic eſt
Rhinoceros.-

VI. CONSOBRINO SVO.] Paulus D. De gradibus & affinibus. l. Iuriſconſultus. *Eodem*, inquit, *gradu ſunt & illi qui vocantur fratres patrueles, amitini amitinæ; conſobrini conſobrinæ. hi autem ſunt qui ex fratribus vel ſororibus naſcuntur. Quod quidam ita diſtinxerunt, vt eos quidem qui ex fratribus nati ſunt, fratres patrueles: item eas quæ ex fratribus natæ ſunt, ſorores patrueles: ex fratre autem & ſorore amitinos, amitinas: eos verò & eas qui quæve ex ſororibus nati natæve ſunt, conſobrinos, conſobrinas, quaſi conſororinos; ſed plerique hos omnes conſobrinos vocant, ſicut Trebatius.* Quod etiam teſtatur Nonius Marcellus vltimis verbis librorum ſuorum. Quod autem ait Paulus omnes hos conſobrinos vocari, id fieri per abuſionem ex Theophilo notat Briſſonius: Κυρίως γὰρ κονσοβρεῖνοι λέγονται οἱ ἐκ θηλειῶν δύο ἀδελφῶν τεχθέντες. Iam *auunculus*, vt ibidem Paulus I. C. affirmat, & Feſtus Pompeius, *eſt matris frater.* vnde colligas Ligarij matrem fuiſſe Brocchi ſororem, eiúſque filium non fuiſſe propriè Ligarij conſobrinum, ſed amitinum.

Conſobrini, amitini.

AXIOMATA.

Crudelitatis eſt arguere fatentem.

Non eſt accuſandus qui cauſſam habet meliorem, quàm accuſator, aut certè parem.

ARGVMENTVM.

Imprudentiam Tuberonum crudelitate implicatam exaggerat, quod iis verbis Cæſarem ad crudelitatem accenderent, quibus ne apud Syllam quidem vti licuiſſet.

AT iſtud ne apud eum quidem Dictatorem, qui omnes quos ode- VII.
rat, morte mulctabat, quiſquam egit iſto modo. ipſe iubebat occidi, nullo poſtulante: præmiis etiam inuitabat. quæ tamen crudelitas ab hoc eodem aliquot annis pòſt, quem tu nunc crudelem eſſe vis, vindicata eſt. Ego verò iſtud non poſtulo, inquies. ita mehercle exiſtimo, Tubero. Noui enim te, noui patrem, noui domum, noménque veſtrum: ſtudia denique generis ac familiæ veſtræ, virtutis, humanitatis, doctrinæ, plurimarum artium atque optimarum, nota ſunt mihi omnia. Itaque, certò ſcio, vos non petere ſanguinem: ſed parum attenditis. res enim eò ſpectat, vt ea pœna, in qua adhuc Qu. Ligarius ſit, non videamini eſſe contenti. quæ eſt igitur alia præter mortem? ſi enim in exilio eſt, ſicuti eſt, quid amplius poſtulatis? an, ne ignoſcatur? hoc verò multò acerbiùs, multóque eſt grauius, quod nos domi petimus precibus & lacrymis proſtrati ad pedes, non tam noſtræ cauſſæ fidentes, quàm huius humanitati, id ne impetremus, pugnabis: & in noſtrum fletum irrumpes: & nos iacentes ad pedes ſupplicum voce prohibebis?

EXPLANATIO.

AT ISTVD.] At ne Syllam quidem illum crudeliſſimum quiſquam ad crudelitatem acuit, hortatúſque eſt vt ſuos inimicos occideret, ipſe ſua ſponte, nullius impulſu proſcriptos iubebat occidi.

PRÆMIIS ETIAM INVITABAT.] Proponebat iis præmia qui quemquam è proſcriptis de medio ſuſtuliſſent.

QVÆ TAMEN.] Etſi non tanta fuit proſcriptionis Sullanæ crudelitas, vt Sylla ad libidinem aliorum proſcriptos occideret, tamen ea crudelitas ab hoc ipſo Cæſare, quem tu crudelem eſſe vis, vindicata eſt, damnatis iis, qui præmiis inuitati ad Sullam proſcriptorum capita detuliſſent.

ALIQVOT ANNIS POST.] Octodecim annis poſt Syllæ proſcriptionem. Nam facta eſt proſcriptio anno ab Vrbe Condita DCLXXII. Cn. Papirio Carbone, C. Mario C. F. Coſſ. ex omnium penè ſcriptorum ſententia. at auctor eſt Dio hanc Sullanæ proſcriptionis crudelitatem à C. Cæſare vindicatam fuiſſe L. Iulio Cæſare & C. Figulo Coſſ. quorum Conſulatus incidit in annum Vrbis DCXC. aut, vt alij volunt, DCXCI.

EGO VERÒ.] Commodè Tuberonem reſpondentem inducit. Ego verò non peto à Cæſare, vt ſit crudelis, & Q. Ligarium occidat. & vitandæ offenſionis cauſſa, Tuberonis reſponſionem admittit, ſed docet eum per imprudentiam parum attendere, quid agat Ligarium accuſans.

PROSTRATI AD PEDES.] Cæſaris.

IN NOSTRVM FLETVM IRRVMPES.] Nobis cum fletu Ligarij ſalutem à Cæſare poſtulantibus importune te ingeres & obtrudes, &c.

NOTÆ.

I. DICTATOREM.] De crudelitate Syllæ, qui victis Marianis partibus dictaturam inuaſit, multóſque proſcripſit, & duorum talentorum præmio inuitauit qui proſcriptos occiderent, Plutarchus in Sylla, Velleius libro 2. Appianus 1. ciuilium, Lucanus libro 2. Florus libro 3. & alij non pauca tradiderunt. Velleius: *Adeo Sulla diſsimilis fuit bellator & victor, vt dum vincit iuſtiſsimo lenior, poſt victoriam audito fuerit crudelior.* Florus cædes enumerat: *Minus eſt quod apud Sacriportum & apud Collinam portam ſeptuaginta amplius millia Sylla concidit: bellum erat. Quatuor millia d... ...um inermium ciuium in villa publica interfici iuſ...* Immò ſex millia, vt ſcribit Plutarchus. pergit Florus: *Quis autem illos poteſt computare, quos in vrbe paſsim, quiſquis voluit, occidit? donec admonente Furfidio, Viuere aliquos debere, vt eſſent quibus imperarent: propoſita eſt ingens illa tabula, & ex ipſo equeſtris ordinis flore ac Senatus duo millia electi qui mori iuberentur. Noui generis edictum. Piget poſt h... referre ludibrio habita fata Carbonis, fata Sorani prætoris, atque Venuleij: Bæbium ſine ferro, ritu ferarum, inter manus laniatum: Marium ducis ipſius fratrem, apud Catuli ſepulchrum oculis, manibus, cruribúſque defoſsis, ſeruatum aliquandiu vt per ſingula membra moreretur.* De quo poſtremo tum alia Lucanus, tum iſtud:

Sullæ crudelitas.

Auulſæ cecidere manus, exertáque lingua
Palpitat, & muto vacuum ferit aëra motu.
Hic aures, alius ſpiramina naris aduncæ
Amputat, ille cauis euoluit ſedibus orbes,
Vltimáque effodit ſpectatis lumina membris.

Neque ſolùm factis, ſed etiam verbis ſuæ crudelitatis atrocitatem exprompſit. Appianus: Καὶ λόγον εἶπεν. φθεῖρες γεωργὸν ἀροτριῶντα ὑπέδακνον, ὁ δὲ δὶς μὲν, ἔφη, τὸ ἄροτρον μεθεὶς τὸν χιτωνίσκον ἐκάθηρεν, ὡς δ' αὖθις ἐδάκνετο, ἵνα μὴ πολλάκις ἀργοίη τὸν χιτωνίσκον ἔκαυσε. κἀγὼ τοῖς δὶς ἡττημένοις παραινῶ τὸ τρίτον, malim τὸ τρίτον πυρὸς μὴ δεηθῆναι. *Et fabulam dixit. Pediculi agricolam arantem mordebant, ille verò bis, inquit, aratro dimiſſo, tuniculam purgauit, cùm nihilo ſeciùs morderetur, ne ſæpius ab opere ceſſaret, eam combuſsit. Et ego iis qui victi ſunt fuerim auctor, ne me tertiâ tandem vice ad ignis adhibendi neceſsitatem compellant.* Quod autem ait Noſter *nullo poſtulante*; id per auxeſim dictum videri poteſt: nam, vt ait Plutarchus obtinuit ab eo Catilina, vt fratrem quem ipſe ſuâ manu non ita pridem occiderat, celandi criminis cauſsâ in proſcriptorum tabulam referret. Appianus: Τῶν ἐχθρῶν αὐτὴν ἀνελόντα βουλευτὰς μὲν ἐνενήκοντα, ὑπάτους δ' ἐς πεντεκαίδεκα, ἀπὸ δὲ τῶν καλουμένων ἱππέων δισχιλίους καὶ ἑξακοσίους, &c. ἑαυτὸν ἀπέφηνεν ἰδιώτην. τοσοῦτον ἦν ἐν τῷδε τῷ ἀνδρὶ τόλμης καὶ τύχης. ὅν γέ φασιν εἰπεῖν ἐν τῇ ἀγορᾷ τὴν ἀρχὴν ἀποτιθέμενον, ὅτι καὶ λόγον, εἴ τις αἰτοίη τῶν γεγονότων ὑφέξει. *Ex inimicis cùm Senatores nonaginta, equites bis mille ſexcentos necauiſſet, ſeipſum magiſtratu abdicauit. Tantum in hoc viro fuit vel audaciæ, vel fortunæ. Quem etiam aiunt in concione dixiſſe, cùm magiſtratum deponeret, ſe rerum à ſe geſtarum, ſi quis exigeret, redditurum eſſe rationem.*

II. OMNES QVOS ODERAT.] Qui cùm primùm victo Mario filio in vrbem ingreſſus non dubitauit dicere in concione, τῶν ἐχθρῶν οὐδενὸς ἐς ἔσχατον κακοῦ φείσεσθαι. *inimicorum ſe nemini parſurum, ſed affecturum eos extremis calamitatibus.* vt ſcribit Appianus.

III. PRÆMIIS ETIAM INVITABAT.] Appianus: Οὗτος γὰρ δοκεῖ πρῶτος οὓς ἐκόλασε θανάτῳ προγράψαι, καὶ γέρα τοῖς ἀναιροῦσι, καὶ μηνύματα τοῖς ἐλέγχουσι, καὶ κολάσεις τοῖς κρύπτουσιν, ἐπιγράψαι. *Hic enim primus capitalis proſcriptionis inuentor eſt habitus, qui & præmia percuſſoribus proſcriptorum, & eorum indicibus, & ſupplicia occultantibus, adſcripſit.* Plutarchus in Sulla: Προέγραψε δὲ τῷ μὲν ὑποδεξαμένῳ καὶ διασώσαντι τὸν προγεγραμμένον ζημίαν τῆς φιλανθρωπίας ὁρίζων θάνατον, οὐκ ἀδελφὸν, οὐχ υἱὸν, οὐ γονεῖς ὑπεξελόμενος· τῷ δ' ἀποκτείναντι γέρας δύο τάλαντα τῆς ἀνδροφονίας, κἂν δοῦλος δεσπότην, κἂν πατέρα υἱὸς ἀνέλῃ. *Adſcripſit ei qui recepiſſet, & ſeruaſſet proſcriptum, multam ſe humanitatis capitalem ſancire. Nec fratrem vel filium, vel parentes excepit. Percuſſori præmium cædis duo talenta, etiamſi ſeruus dominum, etiamſi patrem filius interemiſſet.*

Sylla præmia propoſuit iis qui proſcriptos occiderant.

IV. VINDICAVIT.] Cæſar factus Ædilis, vt auctor eſt Tranquillus cap. 11. *In exercenda de ſicariis quæſtione, eos quoque ſicariorum numero habuit, qui proſcriptione ob relata ciuium Romanorum capita, pecunias ex ærario acceperant, quamquam exceptos Corneliis legibus.* At Dio lib. 37. cui magis aſſentior; Cæſarem quidem hoc iudicium præ cæteris inſtruxiſſe dicit, non autem exercuiſſe eam quæſtionem. Ὅτι τόν Λουκρήτιον ἐκ τῆς τοῦ Σύλλου προστάξεως ἀποκτείνας, καὶ ἕτερός τις, συχνοὺς τῶν ἐπικηρυχθέντων ὑπ' αὐτοῦ φονεύσας, καὶ κατηγορήθησαν ἐπὶ τοῖς σφαγαῖς, καὶ ἐκολάσθησαν τοῦ Καίσαρος τοῦ Ἰουλίου τοῦθ' ὅτι μάλιστα παρασκευάσαντος. *Nam & is qui ex mandato Sullæ Lucretium occiderat, & alius quidam multorum à Sulla proſcriptorum percuſſor, homicidiorum cauſsâ in ius vocati, ſupplicióque affecti ſunt, præſertim id I. Cæſare agente.*

Cæſar Sullæ crudelitatem vindicauit.

V. STVDIA GENERIS AC FAMILIÆ VESTRÆ.] Genus eſt ipſa gens, familia pars generis ab aliis cognomento diſtincta. Gens fuit Æliorum, familia Tuberonum. Ælia gens in varias familias fuit deſcripta. vt Pætorum, Lamiarum, Tuberonum. vt cæteras familias omittam, Tuberones virtute & potiſſimùm diuitiarum contemptu, humanitate ſiue literis illis, quas humaniores appellant, doctrinâ ſiue philoſophiâ floruerunt. De diuitiarum contemptu Valerius libro quarto cap. 3. *Curij & Fabij Qu. Tuberonem cognomine Catelium diſcipulum fuiſſe, meritò quis exiſtimauerit: cui conſulatum gerenti cùm Ætolorum gens omnis vſus vaſa argentea magno pondere, exquiſitâ arte fabricata per legatos miſiſſet, qui ſuperiori tempore gratulandi cauſſâ ad eum profecti retulerant fictilia ſe in eius menſâ vaſa vidiſſe, mónitos ne continentiæ, quaſi paupertati ſuccurrendum putarent, cum ſuis ſarcinis abire iuſſit.* & capite ſequenti: *Quid Ælia familia quàm locuples? ſexdecim eodem tempore Ælij fuerunt, quibus vna domuncula fuerat eodem loci, quo nunc ſunt Mariana monumenta: & vnus in agro Veiente fundus, minùs multos cultores deſiderans, quàm dominos habebat. Inque maximo circo Flaminio ſpectaculi locus: quæ quidem loca*

Gens Ælia.

Æliorum cótinentia.

loca ob virtutem publicè donata poßidebant. Eadem gens nullum antè ſcrupulum argenti habuit, quàm Paulus Perſe Rege deuicto, Q. Ælio Tuberoni genero ſuo quinque pondo argenti ex præda donaret. Tuberonem quendam inter hiſtoriarum ſcriptores laudat Gellius cap. 3. lib. 6. & cap. 28. lib. 10. noctium Atticarum. Noſter hic *Tubero doctißimus iuris publici & priuati*, à Pomponio celebratur. Qu. Ælius Tubero Pauli nepos, videtur omnium Romanorum primus, vel inter primos, quo tempore Polybius & Panætius Romam venerunt, animum ad philoſophiam appuliſſe. Nota eſt hiſtoria ex oratione pro Murena 75. *Fuit eodem ex ſtudio vir eruditus apud patres noſtros, & honeſtus homo & nobilis Q. Tubero. Is, cùm epulum Q. Maximus Africani patrui ſui nomine populo Romano daret, rogatus eſt à Maximo vt triclinium ſterneret, cùm eſſet Tubero eiuſdem Africani ſororis filius. Atque ille homo eruditißimus ac Stoicus, ſtrauit pelliculis hœdinis lectulos Punicanos, & expoſuit vaſa Samia*, &c. *Huius in morte celebranda grauiter tulit populus Romanus hanc peruerſam ſapientiam Tuberonis. Itaque homo integerrimus, ciuis optimus, cùm eſſet L. Pauli nepos, P. Africani, vt dixi, ſororis filius, his hœdinis pelliculis præturâ deiectus eſt.* Seneca epiſt. 95. *Tuberonis ligneos lectulos, cum in publicum ſternerentur, hœdinæque pro ſtragulis pelles, & ante ipſius Iouis cellam propoſita conuiuis vaſa fictilia, quid aliud eſt quàm paupertatem in Capitolio conſecrare? vt nullum aliud factum eius habeam, quo illum Catonibus inſeram, hoc parum credimus? Cenſura fuit illa, non cœna*, &c. *omnium illorum aurum argentúmque fractum eſt, & millies conflatum, at omnibus ſeculis Tuberanis fictilia durabunt.*

ARGVMENTVM.

Inuehitur in Tuberonem, quòd Ciceronem cæteróſque Ligarij neceſſarios pro Ligarij ſalute Cæſari ſupplicare prohiberet, & quaſi in iſtorum fletum irrumpens Cæſarem ad crudelitatem acueret.

SI cùm hoc domi faceremus, quod & fecimus, & vt ſpero non fruſtrà fecimus, tu derepentè irrupiſſes, & clamare cœpiſſes, C. Cæſar, caue ignoſcas, caue te fratrum pro fratris ſalute obſecrantium miſereatur: nónne omnem humanitatem exuiſſes: quanto hoc durius, quod nos domi petimus, id à te foro oppugnari: & in tali miſeria multorum, perfugium miſericordiæ tollere. Dicam planè, C. Cæſar, quod ſentio, Si in hac tanta tua fortuna, lenitas tanta non eſſet, quantam tu per te, per te, inquam, obtines, (intelligo quid loquar) acerbiſſimo luctû redundaret iſta victoria: quàm multi enim eſſent de victoribus, qui te crudelem eſſe vellent: cùm etiam de victis reperiantur quàm multi, qui cùm à te nemini ignoſci vellent, impedirent clementiam tuam: cùm etiam hi quibus ipſe ignouiſti, nolint te in alios eſſe miſericordem? Quòd ſi probare Cæſari poſſemus in Africa Ligarium omnino non fuiſſe, ſi honeſto & miſericordi mendacio ſaluti ciui calamitoſo eſſe vellemus, tamen hominis non eſſet, in tanto diſcrimine & periculo ciuis, refellere & coarguere noſtrum mendacium: & ſi eſſet alicuius, eius certè non eſſet, qui in eadem cauſſa & fortuna fuiſſet. Sed tamen aliud eſt errare Cæſarem nolle, aliud nolle miſereri. Tum diceres, Caue Cæſar credas: fuit in Africa Ligarius: tulit arma contra te. nunc quid dicis? Caue ignoſcas. Hæc nec hominis, nec ad hominem vox eſt. qua qui apud te, C. Cæſar, vteretur, ſuam citius abiiciet humanitatem, quàm extorquebit tuam. VIII.

EXPLANATIO.

SI CVM.] Argumentum à minori ad maius per fictionem, ſiue προσωποποιΐαν.

Crudelis eſſet Ligarius, ſi cùm domi Cæſaris pro Ligario ſupplicamus, ipſe in noſtros fletus irrumperet, & nos ſupplicare, Cæſarem miſereri prohiberet.

Ergo longè eſt crudelior, qui quod domi facimus, id in foro oppugnat, & publicè Cæſarem miſereri prohibet, nos Cæſari pro Ligarij ſalute ſupplicare.

ET VT SPERO NON FRVSTRA FECIMVS.] Non fruſtra domum Cæſaris profecti ſumus, nóſque ſupplices, pro incolumitate Ligarij ad Cæſaris pedes abiecimus, eum enim ſic oratione mea placatum eſſe confido, vt breui veniam Ligario daturus eſſe videatur. Hoc autem prudenter interſerit ad miſericordiam commouendam, dum iam commotam eſſe ſupponit. Turpe enim eſt homini clementi miſericordiam luctu miſerorum & ſupplicatione ſuſceptam, aduerſarij hortatione deponere.

CAVE IGNOSCAS.] Vulgo legitur *C. Cæſar, caue credas, caue ignoſcas.* Nos Iani Grutteri auctoritate freti duas voculas abiecimus, & ſanè iam ante Grutterum commodè, &c.

CAVE CREDAS, CAVE IGNOSCAS.] Commodè notarat Lambinus has voces *caue credas*, nullis in libris manuſcriptis comparere hoc loco. *Et verò*, inquit, *ſine dubio hîc inanes & ſuperuacaneæ ſunt*, &c. Qui non vult, inquit Cicero, aliquem alterius miſereri, hac oratione vtitur, *caue ignoſcas.* Qui non vult aliquem errare, ita loquitur, *caue credas.* hæc vox poteſt ad hominem vſurpari, quia nemo eſt tam oculatus aut prudens, quin aliquando errare aut falli poſſit. At illa altera, *caue ignoſcas*, non ad hominem, ſed ad barbarum, aut ad immanem aliquem Cyclopem quadrat. hic igitur de miſericordiâ ſermo habetur. Non ita feliciter autem proximè Lambinus vocem *domi* delendum eſſe contendit. Petierat enim domi Cicero vt Cæſar ignoſceret, quòd in foro oppugnabat Tubero. Quod ait ſe domi ſupplicaſſe, rem ita narrat ſcribens ad Q. Ligarium lib. 6. ad famil. epiſt. 14. *Cùm ad ſextum Cal. intercalareis priores rogatu fratrum tuorum veniſſem mane ad Cæſarem, atque omnem adeundi & conueniendi illius indignitatem & moleſtiam pertuliſſem: cùm fratres & propinqui tui iacerent ad pedes, & ego eſſem locutus quæ cauſſa, quæ tempus tum poſtulabat: non ſolùm ex oratione Cæſaris, quæ ſanè mollis & liberalis fuit: ſed etiam ex oculis & vultu, & multis prætereà ſignis, quæ faciliùs perſpicere potui, quàm ſcribere, hanc in opinionem diſceſſi, vt mihi tua ſalus dubia non eſſet.*

MISEREATVR.] Pro *miſereat*, vt legit Priſcianus libro 8.

MISERIA MVLTORVM.] Pompeianorum, qui cùm nondum patriæ ſunt reſtituti, ſpem omnem incolumitatis in vna Cæſaris miſericordia poſuerunt, quod perfugium tollis eum ad crudelitatem accendens.

DICAM PLANE.] Secundum argumentum à minori ad maius.

Si de victis reperiuntur qui te crudelem eſſe velint, multo plures de victoribus te ad crudelitatem excitarent, niſi per te naturæ quadam inclinatione ſummam clementiam obtineres.

Sed Ligarius vnus è victis vult te eſſe crudelem.

Ergo multi de victoribus te ad crudelitatem excitarent, niſi tu per te ſummam clementiam obtineres.

Quod argumentum, vtpote efficax ad Cæſarem leniendum, & retorquendam in Tuberonem inuidiam expolitione oratoria tractat, & in eo diutiùs immoratur.

INTELLIGO QVID LOQVAR.] Notat Fabius lib. 8. cap. 3. ἐμφάσεως duas eſſe ſpecies: alteram, quæ plus ſignificat quàm dicit, vt *Demiſſum lapſi per funem.* alteram, quæ etiam id quod non dicit, *quæ poſita eſt in voce aut omnino ſuppreſſa, aut etiam abſciſſa. Supprimitur vox vt fecit pro Ligario Cicero.* & hoc exẽplo prolato. *Tacuit enim*, inquit, *illud, quod nihilominus accipimus, non deeſſe homines, qui ad crudelitatem eum impellerent. Abſcinditur per* ἀποσιώπησιν.

QVOD SI PROBARE.] Tertium argumentum à minori ad maius.

Si crudelis eſſet, qui, ſi pro Ligarij ſalute mentirer, vellet coarguere meum mendacium, multo crudelior eſt, qui mihi culpam Ligarij confitenti, & pro eo ſupplicanti repugnat.

Sed illud. *Ergo & hoc*, &c.

NOTÆ.

I. Derepente. DE REPENTE.] Aduerbium Turpilio, Ennio, Afranio, Varroni, Accio, Terentio, Nonio, cæteris linguæ Latinæ antiſtitibus, vſitatum. vide exempla quæ à Nonio Marcello referuntur. Vt & illud antiqui poëtæ apud Tullium lib. 1. de diuinatione.

Sed quid oculis rapere viſa eſt derepente ardêtibus?

II. Miſeretur. MISEREATVR.] Nonius Marcellus. *Miſeretur* pro *miſeret.* Turpilius Epiclero.

Quam matris, nunc patris me miſeretur magis.

Pacuuius,

At accepiſti me iſto cum verbo, miſeretur tui.

III. Mendacium an licitum. HONESTO ET MISERICORDI MENDACIO.] Magni ſcriptores putauerunt nonnunquam honeſtum eſſe mendacium, vt Xenophon 4. memorab. Τί οὖν, ἔφη ὁ Σωκράτης, ἐάν τις στρατηγὸς ὁρῶν ἀθύμως ἔχον τὸ στράτευμα ψευσάμενος φήσῃ συμμάχους προσιέναι, καὶ τῷ ψεύδει τούτῳ παύσῃ τῆς ἀθυμίας τοὺς στρατιώτας, ποτέρωθι τὴν ἀπάτην ταύτην θήσομεν; Δοκεῖ μοι, ἔφη, πρὸς τὴν δικαιοσύνην. *Quid igitur, inquit Socrates, ſi quis belli dux videns exercitum animo concidiſſe, mentiens dicat auxiliares accedere, & hoc mendacio deſperationem militibus excutiat, ad vtrũ huiuſmodi fraudem referemus? ad iuſtitiam, vt arbitror, inquit Euthydemus.* Plato 2. de Rep. diſtinguit duo genera mendacij, ſiue potiùs falſitatis. Quorum alterum animo, verbis alterum continetur. Τὸ ψεῦδος, inquit, ἡ ἐν τῇ ψυχῇ ἄγνοια ἡ τοῦ ἐψευσμένου. ἐπεὶ τό γε ἐν τοῖς λόγοις μίμημα τοῦ ἐν τῇ ψυχῇ ἐστὶ παθήματος, καὶ ὕστερον γεγονὸς, εἴδωλον οὐ πάνυ ἄκρατον ψεῦδος. *Falſitas ſiue mendacium, eſt ignoratio quæ illius qui fallitur, animo continetur. Quandoquidem id falſum ſiue mendacium quod eſt in verbis, illius quod eſt in animo, ſimulachrum eſt, & poſterius, & idolum non omnino expreſſum mendacij.* Quod ad prius illud falſitatis genus attinet. Τό γε ὡς ἀληθῶς ψεῦδος (εἰ οἷόν τε τοῦτο εἰπεῖν) πάντες θεοί τε καὶ ἄνθρωποι μισοῦσι. *Verum mendacium (ſi ita loqui fas eſt) omnes & Dij & homines execrantur.* In verbis tamen nonnunquam vtile eſſe mendacium tum ibidem teſtatur, tum initio libri ſequentis. Τῷ ὄντι θεοῖς μὲν ἄχρηστον τὸ ψεῦδος, ἀνθρώποις δὲ χρήσιμον, ὡς ἐν φαρμάκου εἴδει. *Reuera Diis quidem inutile eſt mendacium, vtile autem hominibus tanquam aliqua medicina.* vnde quanquam priuatis mendacio interdicat, magiſtratibus tamen ob vtilitatem publicam putat fas eſſe mentiri. parco Græcis. Hoc medicamentum, inquit, *publicis medicis concedendum, priuatis autem hominibus minimè attingendum eſt. Igitur Remp. adminiſtrantibus præcipuè ſi quibus aliis mentiri licet, vel hoſtium, vel ciuium cauſſâ ad communem ciuitatis vtilitatem. Reliquis autem à mendacio abſtinendum eſt.* Certè Chryſoſtomus Raab meretricis laudat mendacium. Πρῶτον οἰκοδομεῖ τὴν ἀλήθειαν, καὶ οὕτως εἰσάγει τὸ ψεῦδος. οὐδέποτε γὰρ καθ᾽ ἑαυτὸ τὸ ψεῦδος πιστεύεται, ἐὰν μὴ προλαβοῦσα ἐνδείξηται ἀλήθειαν. διὰ τοῦτο οἱ πιθανῶς ψευδόμενοι, πρότερον λέγουσι τἀληθῆ, καὶ πᾶσιν ὡμολογημένα, καὶ τότ᾽ ἐπάγουσι τὰ ψευδῆ καὶ ἀμφιβαλλόμενα, &c. (Orat. de pœnitent.) *Prius veritatem ædificat, atque ita mendacium inducit. Nequaquam enim mendacium ex ſe creditur, niſi præueniẽs veritatem oſtenderit: propterea qui probabiliter mẽtiuntur, prius vera fatentur, atque omnibus manifeſta, deinde mendacium inducunt ac dubium.*

Tum expoſito Raab mendacio ὢ καλοῦ ψεύδους, inquit, ὢ καλοῦ δόλου οὐ προδιδόντος τὰ θεῖα, ἀλλὰ φυλάττοντος τὴν εὐσέβειαν! *O bonum mendacium, ô bonum dolum, diuina non tradentem, ſed pietatem cuſtodientem!* Nec alia videtur mens fuiſſe Origenis & Caſſiani. Nihilo tamen ſeciùs Auguſtinus, & quotquot poſt Auguſtinum floruerunt, mendacium quoduis quocunque fine prolatum ſemper dixerunt eſſe contra naturam, quod etiam Scholaſtici Theologi cum Diuo Thoma 2. 2. quæſt. 103. probant, quia cùm indita ſit homini locutio quaſi quædam imago cogitationis internæ, contra naturam eſt ſicubi imago ab archetypo diſſentiat. Ea videtur eſſe mens Mercurij Triſmegiſti in Pimandro cap. 12. ὁ λόγος ἐστὶν εἰκὼν τοῦ νοῦ, καὶ νοῦς τοῦ θεοῦ. *Oratio eſt imago mentis, & mens Dei.*

ARGVMENTVM.

Inuehitur in Tuberonem, quòd cùm ipſe Pompeianus fuerit, nihilo tamen ſeciùs Ligarij Pompeiani factum ſcelus appellet.

AC primus aditus & poſtulatio Tuberonis hæc, vt opinor, fuit: velle ſe de Q. Ligarij ſcelere dicere. non dubito quin admiratus ſis, vel quòd de nullo alio quiſquam, vel quòd is qui in eadem cauſſa fuiſſet, vel quidnam noui facinoris afferret. Scelus tu illud vocas, Tubero? cur? iſto enim nomine illa adhuc cauſſa caruit. alij errorem appellant, alij timorem. qui duriùs, ſpem, cupiditatem, odium, pertinaciam: qui grauiſſimè, temeritatem: ſcelus præter te adhuc nemo. Ac mihi quidem, ſi proprium & verum nomen noſtri mali quæratur, fatalis quædam calamitas incidiſſe videtur, & improuidas hominum mentes occupauiſſe: vt nemo mirari debeat humana conſilia diuinâ neceſſitate eſſe ſuperata. Liceat eſſe miſeros, quanquam hoc victore eſſe non poſſumus. ſed non loquor de nobis: de illis loquor, qui occiderunt. fuerint cupidi, fuerint irati, fuerint pertinaces: ſceleris verò crimine, furoris, parricidij, liceat Cn. Pompeio mortuo, liceat multis aliis carere. quando hoc quiſquam ex te, Cæſar, audiuit? aut tua quid aliud arma voluerunt, niſi à te contumeliam propulſare? quid egit tuus iſte inuictus exercitus, niſi vt ſuum ius tueretur, dignitatem tuam? Quid? tu cùm pacem eſſe cupiebas, idne agebas, vt tibi cum ſceleratis, an vt cum bonis ciuibus conueniret? IX.

EXPLANATIO.

AC PRIMVS.] In ipſo orationis exordio, cùm ea quæ dicturus erat proponeret Tubero, & quaſi quendam ſcopum orationi ſuæ præfigeret, dixit velle ſe de Q. Ligarij ſcelere dicere.

POSTVLATIO.] Poſtulationem dicit pro propoſitione, inquit Franciſcus Syluius, aut *propoſitio*, non *poſtulatio* legi debet.

NON DVBITO.] Prudenter ex cauſſæ fiducia ipſum Cæſaris ſenſum teſtem appellat.

CAVSSA.] Pars & factio Pompeij.

ALII ERROREM APPELLANT.] Quod multi ſpecie quadam Reip. iuſtitiæque decepti Pompeij cauſſam putauerint, cauſſa Cæſaris eſſe meliorem.

ALII TIMOREM.] Quod multi timuerint ne Cæſaris potentia in tyrannidem erumperet, publicámque libertatem opprimeret.

QVI DVRIVS.] Qui aſperiùs contra Pompeianos loquuntur, *ſpem* appellant, quòd Pompeianorum multi ſperauerint fore, vt oppreſſo Cæſare, ipſi ad honores & magiſtratus peruenirent.

CVPIDITATEM.] Studium erga Pompeianas partes cum aliqua animi perturbatione coniunctum.

ODIVM.] Cæſaris, quale videtur fuiſſe M. Bibuli ob diſſenſionem & ſimultates in conſulatu.

PERTINACIAM.] Obſtinationem animi & peruicaciam in cauſſa ſuſcepta.

QVI GRAVISSIME.] Loquuntur, TEMERITATEM appellant, id eſt, inconſultam belli gerendi voluntatem.

FATALIS QVÆDAM.] Mihi videtur bellum ciuile, tantum, támque luctuoſum non hominum conſiliis, ſed fatali cuidam neceſſitati & diuinæ voluntati, quæ potentior eſt humanis conſiliis, eſſe tribuendum.

QVANQVAM HOC VICTORE.] Aliquis obiicere potuiſſet. Quid, M. Tulli? Pompeianos miſeros appellas, quòd penes Cæſarem fuerit victoria? Cupis Pompeium eſſe victorem? quare ne animum Cæſaris offendat, explicat quo ſenſu miſeros appellet: nec ſe de ſuperſtitibus loqui, quos Cæſar omni miſeria liberauit, ſed de mortuis, qui eo ipſo miſeri dicendi ſunt, quòd iam experiri non poſſint ea bona quibus deinceps per Cæſaris clementiam Reſpub. per[illegible].

Qvi occidervnt.] Qui in acie ceciderunt, vel aliis belli ciuilis caſibus conſumpti ſunt.

Contvmeliam.] Quæ tibi inferebatur ab inimicis.

Svvm ivs.] Quod ius habebat exercitus in Galliis remanendi, & ſub Cæſare militandi, quoad tempus lege Trebonia ſibi prorogatum fuiſſet elapſum. cùm enim M. Marcellus retulit ad Senatum, vt ante tempus ſucceſſor Cæſari mitteretur, violauit & ius militum & Cæſaris dignitatem. vide Notas.

NOTÆ.

I. Cavssa.] Partes Pompeij. vide infrà 16. & pro Marcello 32.

II. Errorem appellant.] Vide pro Marcello 13. *Omnes enim qui ad illa arma fato ſumus neſcio quo Reipub. miſero funeſtóque compulſi, & ſi aliqua culpa tenemur erroris humani, à ſcelere certè liberati ſumus.* Item: *Non ille hoſtes induxit in Curiam, ſed iudicauit à pleriſque ignoratione potiùs, & falsò atque inani metu, quàm cupiditate ciuile bellum eſſe conflatum.*

III. Pertinaciam.] Vide pro Marcello 32. *Quæ enim pertinacia eſt quibuſdam, eadem conſtantia aliis poteſt videri.*

IV. Temeritatem.] Quæ ſit inter *temeritatem* & *audaciam* diſtinctio, dictum eſt in Piſonē §. 39.

V. Divina necessitate.] Vide pro Marcello 18. & ſanè ad id videtur alludere quod narrat Tranquillus in Iulio cap. 32. cùm Cæſar ad Rubiconem flumen, qui eius prouinciæ finis erat, paulùm conſtitiſſet. *Cunctanti oſtentum tale factum eſt. Quidam eximiâ magnitudine & forma, in proximo ſedens repentè apparuit arundine canens: ad quem audiendum cùm præter paſtores, plurimi etiam ex ſtationibus milites concurriſſent, intérque eos & æneatores, captâ ab vno tubâ, proſiluit ad flumen, & ingenti ſpiritu claſsicum exorſus pertendit ad alteram ripam. Tum Cæſar: Eatur (inquit) quo Deorum oſtenta & inimicorum iniquitas vocat: iacta eſt alea.* Et ſanè à Lucano præcipua ciuilis belli cauſſa fuiſſe dicitur:

Inuida fatorum ſeries, ſummiſque negatum
Stare diu, nimióque graues ſub pondere lapſus.

Hunc autem locum de humanis conſiliis diuinâ neceſſitate ſuperatis Marcellus Palingenius in Cancro præ oculis videtur habuiſſe.

Quippe humana parum prodeſt prudentia, quando
Decernunt aliter ſuperi: fruſtráque laborat
Qui rem cumque parat diis aduerſantibus vllam.

VI. Miseros.] Mortuos miſeros vocabant Tertullianus de teſtimonio animæ. *Cùm alicuius defuncti recordaris miſellum vocas eum.* Sic Homerus δύστηνον vſurpat, vt Odyſſ. λ'.

Σῆμά τι μοι χεῦαι πολιῆς ἐπὶ θινὶ θαλάσσης
Ἀνδρὸς δυστήνοιο, καὶ ἐσσομένοισι πυθέσθαι.

Item:

Ταῦτά τοι, ὦ δύστηνε, τελευτήσω τε καὶ ἔρξω.
Pone mihi cani monumentum in littore ponti
Mortali miſero quem poſtera lugeat ætas.
Iſta tibi miſer efficiam.

VII. Contvmeliam propvlsare.] Hoc prætextu Cæſar bellum ciuile concitauit. Nam vt ait Hirtius 8. de bello Gallico M. Marcellus Conſul, *cùm impugnaret Cæſaris dignitatem, contra legem Pompeij & Craſſi, retulerat ante tempus de Cæſaris prouinciis.* Id eſt, retulerat ad Senatum vt Cæſar è Galliis, quarum partem beneficio populi Romani, partem beneficio Senatûs obtinuerat, reuocaretur, nondum expleto quinquennio, quod eius imperio prorogatum fuerat Pompeio & Craſſo Conſulibus. Id tamen non perfecit M. Marcellus. *Sententiiſque dictis, diſceſsionem faciente Marcello, qui ſibi omnem dignitatem ex Cæſaris inuidiâ quærebat, Senatus frequens in alia omnia tranſiit.* Suetonius cap. 28. *Retulit ad Senatum vt ei ſuccederetur ante tempus, quoniam bello confecto pax eſſet, ac dimitti deberet victor exercitus: & ne abſentis ratio comitiis haberetur, quando nec plebiſcito Pompeius poſtea abrogaſſet,* &c. *Nec contentus Marcellus prouincias Cæſari & priuilegium eripere, retulit etiam vt colonis, quos rogatione Vatiniâ Nouumcomum deduxiſſet, ciuitas adimeretur, quod per ambitionem & vltra præſcriptum data eſſet.* Id etiam contumeliæ adiecit quod Nouocomenſem ciuem, ὁ Μάρκελλος ἐφ' ὕβρει τοῦ Καίσαρος ἔξηνε ῥάβδοις. *In contumeliam Cæſaris virgis cecidit.* Quæ ſequuntur paulò pòſt corrupta ſunt. lego, Λέγων τοῦτ' εἶναι τῆς ξενίας σύμβολον, καὶ φέρειν αὐτὰς ἐκέλευε, καὶ δεικνύαι τῷ Καίσαρι. *Hanc eſſe dicens hoſpitalitatis teſſeram, eáſque plagas ſecum auferre iuſsit, & Cæſari oſtendere.* Anno ſequenti, vt ſcribit Hirtius C. Marcello, Lucio Lentulo Conſulibus. *Fit deinde S. C. vt ad bellum Parthicum legio vna à Cn. Pompeio, altera à C. Cæſare mitteretur. Neque obſcurè hæ duæ legiones vni Cæſari detrahuntur,* &c. Quare cùm rurſus de eo ante quinquennium expletum reuocando ageretur, reſcripſit Cæſar ad Pompeium, vt ipſe narrat libro primo de bello ciuili: *Sibi ſemper Reipub. primam fuiſſe dignitatem, vitáque potiorem, doluiſſe ſe quod populi Romani beneficium ſibi per contumeliam ab inimicis extorqueretur, ereptóque ſemeſtri imperio in vrbem retraheretur, cuius abſentis rationem haberi proximis comitiis populus iuſsiſſet, tamen hanc honoris iacturam ſui Reipub. cauſsâ æquo animo tuliſſe: cùm literas ad Senatum miſerit, vt omnes ab exercitibus diſcederent, ne id quidem impetraiſſe: totâ Italiâ delectûs haberi, retineri legiones duas, quæ ab ſe ſimulatione Parthici belli ſint abductæ, ciuitatem eſſe in armis: quónam hæc omnia niſi ad ſuam perniciem pertinere?* Habebat Cæſar & alium prætextum. de quo tum alij, tum Suetonius 30. 31. Cæſar ipſe frequenter & Cic. 2. Philipp. 53. *Quam cauſſam dementiſsimi ſui conſilij & facti afferebat, niſi quòd interceſsio neglecta, ius tribunitium ſublatum, circumſcriptus à Senatu eſſet Antonius?* Atque hi quidem prætextus Cæſari fuerunt. Veras cauſſas indagat Tranquillus cap. 30. & alij paſſim, quos tu conſule. Cæſar 1. de bello ciuili, dicit, *Se non maleficij cauſsâ ex prouinciâ egreſſum, ſed vti ſe à contumeliis inimicorum defenderet, vt Tribunos plebis eâ re ex ciuitate expulſos ad ſuam dignitatem reſtitueret, vt ſe & populum Romanum paucorum factione oppreſſum in libertatem vindicaret.*

Contumeliæ quibus Cæſar ad bellum excitatus.

Pacem esse cvpiebas.] Cæſar ſemper videri voluit pacis eſſe ſtudioſus. Cicero ep. 11. ad Tironem. *Feruntur omninò conditiones ab illo, vt Pompeius eat in Hiſpaniam, delectus qui* VIII.

Cæſaris pacis cupiditatem præferebat.

ſunt habiti & præſidia noſtra dimittantur: ſe vlteriorem Galliam Domitio, citeriorem Conſidio Noniano (his enim obtigerunt) traditurum: ad Conſulatus petitionem ſe venturum, neque iam velle abſente ſe rationem haberi ſui, ſe præſentem trinundinum petiturum. Cæſar ipſe ante pugnam Pharſalicam, vt ipſe narrat 3. de bello ciuili: *Exercitum cùm militari more ad pugnam cohortaretur, ſuáque in eum perpetui temporis officia prædicaret, in primis commemorauit teſtibus ſe militibus vti poſſe, quanto ſtudio pacem petiſſet, quæ per Vatinium in colloquiis, quæ per Appium Clodium cum Scipione egiſſet, quibus modis ad Oricum cum Libone de mittendis legatis contendiſſet: neque ſe vnquam abuti militum ſanguine, neque Remp. alterutro exercitu priuare voluiſſe.* Sed vt alia taceam, vide planè epiſtolam ipſius Cæſaris ad Oppium Cornelium, quæ habetur lib. 9. ad Attic. 8.

ARGVMENTVM.

Pergit refellere dictum Tuberonis, qui Ligarij ſcelus vocabat, eiúſque nomine Pompeij partes infames faciebat.

MIHI verò, Cæſar, tua in me maxima merita, tanta certè non viderentur, ſi me vt ſceleratum à te conſeruatum putarem. quomodo autem tu de Republica benemeritus eſſes, ſi tot ſceleratos incolumi dignitate eſſe voluiſſes? Seceſſionem tu illam exiſtimauiſti Cæſar initio, non bellum: non hoſtile odium, ſed ciuile diſſidium: vtriſque cupientibus Rempublicam ſaluam: ſed partim conſiliis, partim ſtudiis, à communi vtilitate aberrantibus. Principum dignitas erat pænè par: non par fortaſſe eorum, qui ſequebantur: cauſſa tum dubia, quòd erat aliquid in vtraque parte, quod probari poſſet. nunc melior certè ea iudicanda eſt, quam etiam dij adiuuerunt: cognita verò clementia tua, quis non eam victoriam probet, in qua occiderit nemo, niſi armatus? X.

EXPLANATIO.

MIHI VERÒ.] Si me ſceleratum eſſe credidiſſes, mihíque tanquam ſcelerato vitam & incolumitatem dediſſes, non tanti facerem beneficium tuum, quia etſi vitam tuo beneficio acceptam referrem, tamen quædam labes & ſceleris infamia tuo iudicio contracta nomini meo penitùs inſideret: nunc autem maius eſt tuum in me beneficium, quia me non ſolùm mortis periculo, ſed etiam ſceleris infamia liberaſti.

QVOMODO AVTEM.] Nouo argumento confirmat Pompeianos iudicio Cæſaris ab omni ſceleris labe fuiſſe purgatos.

Qui vult de Repub. bene mereri, non vult illos incolumi eſſe dignitate, quos iudicat eſſe ſceleratos.

Sed Cæſar & voluit de Repub. bene mereri, & Pompeianos incolumem habere dignitatem.

Ergo non iudicauit Pompeianos eſſe ſceleratos.

SECESSIONEM.] Belli ciuilis cauſſam à Cæſare remouet, vt eum hoc ipſo ad clementiam & lenitatem inclinet, quòd eum dicit abhorruiſſe ſemper ab armis & bello ciuili. Cùm Rubiconem fluuium tranſiiſti, non eo animo veniebas vt Pompeio bellum inferres, & cùm Pompeium & Conſules vrbe profectos audiſti, initio tibi perſuadere non poteras rem ad bellum eſſe venturam, ſed putabas eſſe ſeceſſionem, qualis olim obtigerat, cùm plebs in ſacrum montem ſeceſſit propter Patriciorum iniurias.

VTRISQVE CVPIENTIBVS.] Tam Cæſar quàm Pompeius Rempub. ſuis factis obtendebant: & quidem Pompeius Senatus auctoritatem bonorúmque conſenſum propugnabat, Cæſar autem eam ſui conſilij cauſſam adferebat, niſi quod interceſſio neglecta, ius tribunitium ſublatum, circumſcriptus eſſet Antonius: vt plebem contra Optimatium iniurias tueri videretur.

PRINCIPVM DIGNITAS.] Cæſaris & Pompeij.

NOTÆ.

INCOLVMI DIGNITATE.] Quid ſit dignitas vide De Prouinciis Coſſ. 35. *Eam dignitatem, quam in ciuitate ſibi propoſitam videt.* Quid incolumitas pro Sextio 146. *Meipſum incolumem videbit.* I.

SECESSIONEM TV ILLAM.] Ad veteres illas ſeceſſiones alluſit, quibus olim plebs Patriciis offenſa ſeceſſit ab Vrbe, & vel Sacrum montem vel Ianiculum occupauit. de quibus multa Liuius & Dionyſius. Quem compendia delectant Florum adeat libro primo exeunte. Notandum in hoc genere quod narrat Liuius libro 7. ſub finem. Exercitus à Conſule defecerat, electóque ſibi duce Tito Quintio, conuulſis ſignis, infeſto agmine ad lapidem octauum viæ, quæ pòſt Appia dicta eſt, peruenerat: *Iſſéntque confeſtim ad Vrbem, ni venire contra exercitum, Dictatorémque aduerſus ſe M. Valerium Coruinum dictum audiſſent, & Magiſtrum Equitum L. Æmilium Mamercum. Vbi primùm in conſpectum ventum eſt, arma ſignáque agnouere: extemplo omnibus memoria patriæ iras permulſit. Nondum erant tam fortes ad ſanguinem ciuilem: nec præter externa, nouerant bella: vltimáque rabies ſeceſſio ab ſuis habebatur.* Vide locum & fragmenta Cornelius de maieſtate apud Aſconium. II. Seceſſiones populi.

III. DISSIDIVM.] Idem atque ſeceſſio. vt apud Lucretium lib. 1.

Diſſidio potis eſt ſeiungi ſeque gregari.

Lib. 2.

Conciliis & diſſidiis exercita crebris.

Catullus,

Sed fratris miſeri flebile diſſidium.

Plautus Pſeudolo,

Harum voluptatum omnium
Diſtractio, diſſidium, vaſtities venit.

Scribitur & *diſcidium*, vt à Græcis σχίσματα dicuntur. vide 2. Philipp. 32.

IV. PRINCIPVM DIGNITAS.] Maior, ſine dubio in Pompeio, quàm in Cæſare dignitas, & vt ait Lucanus 1. Pharſalic.

Nec coiere pares.

Pompeius ſiquidem,

-ſtat magni nominis vmbrâ,
-ſed non in Cæſare tantùm
Nomen erat, nec fama Ducis.

Quòd ſi dignitas magiſtratibus, rebus geſtis, triumphis, opinione virtutis æſtimatur, his omnibus penè rebus Pompeius Cæſarem ſuperabat: Cæſar enim in Hiſpania Remp. bene geſſerat, Gallias ſubegerat, in Britanniam nauigarat, Rhenum traiecerat: Cn. Pompeius priùs Imperator quàm miles Italiam, Galliam, Siciliam, Africã, Hiſpaniam, Aſiam vniuerſam ſuis victoriis illuſtrarat, omnia denique bella ſolus propemodum confecerat, Cæſar vnicum adhuc geſſerat conſulatum, treis Cn. Pompeius, Proconſul Cæſar, ſed iam ætate prouectior, Pompeius antequam per ætatem Senator eſſe poſſet. Adde quòd tertius conſulatus vni Pompeio extra ordinem mandatus eſt, adde bellum Piraticum, bellum Mithridaticum, annonæ præfecturam extra ordinem ei commiſſam: nondum triumphauerat Cæſar initio belli ciuilis, Cn. Pompeius treis orbis terrarũ partes tribus triumphis deuinxerat. Quod ad virtutis opinionem ſpectat, hinc etiam maior dignitas fuit in Cn. Pompeio. Nam vt Cæſaris impudicitiam, libidines, luxum prætereamus, quorum flagitiorum vix vllum fuit in Cn. veſtigium. *In Galliâ*, vt narrat Tranquillus cap. 54. *fana templáque Deûm donis referta expilauit, vrbes diruit ſæpius ob prædam quàm ob delictum.* Quid? quòd ne à Capitolio quidem ſibi temperauit? *In primo conſulatu tria millia pondo auri furatus è Capitolio, tantundem inaurati æris repoſuit.* Pompeius adeò Deorum ſuorum templa non violauit, vt victor ne Hieroſolymitani quidem templi theſauros attigerit, quantumuis ipſe à Iudæorum religione diſſideret. Ioſephum audiamus lib. antiquit. 14. cap. 8. ὄντων δὲ τραπέζης τε χρυσῆς, καὶ λυχνίας ἱερᾶς, καὶ σπονδείων, καὶ πλήθους ἀρωμάτων, χωρὶς δὲ τούτων ἐν τοῖς θησαυροῖς ἱερῶν χρημάτων εἰς δύο χιλιάδας ταλάντων, οὐδενὸς ἥψατο δι' εὐσέβειαν, ἀλλὰ κἀν τούτῳ τῆς περὶ αὐτὸν ἀξίως ἔπραξεν ἀρετῆς. *Cùm intus eſſent ex auro menſa, & candelabrum & pocula, & odoramentorum magna copia, præterea in theſauris ſacræ pecuniæ circiter talentorum duo millia, nihil horum præ pietate attigit, ſed hic quoque ſui ſimilis fuit, & nihil commiſit indignum cæteris ſuis virtutibus.*

Pompeius & Cæſar inter ſe comparati.

Vide Dionem lib. 41. Πομπήϊος μὲν οὐδενὸς ἀνθρώπων δεύτερος, Καῖσαρ δὲ καὶ πρῶτος πάντων εἶναι ἐπεθύμει, καὶ ὁ μὲν παρ' ἑκόντων τε τιμᾶσθαι, καὶ ἐθελόντων προστατεῖν, φιλεῖσθαί τε ἐσπούδασε. τῷ δ' οὐδὲν ἔμελεν, εἰ καὶ ἀκόντων ἄρχοι, καὶ μισοῦσιν ἐπιτάσσοι, τάς τε τιμὰς αὐτὸς ἑαυτῷ δίδου. *Pompeius quidem nulli mortalium ſecundus, Cæſar autem etiam primus omnium eſſe cupiebat. alter & à volentibus honorari, & volentibus præeſſe, & amari ſtudebat. Alteri curæ nihil erat, ſi & inuitis præeſſet, & odio habentibus imperaret, & honores ſibi ipſe tribuebat.* Quare aſſentationi potiùs oratoriæ, quàm veritati tribuendum videtur, quòd pene parem in vtroque dixerit fuiſſe dignitatem.

NON PAR FORTASSE.] Velleius libro 2. *Alterius Ducis cauſſa melior videbatur: alterius firmior. hîc omnia ſpecioſa: illic valentia. Pompeiũ Senatus auctoritas: Cæſarem militum armauit fiducia. Conſules, Senatúſque cauſſæ non Pompeio, ſummam imperij detulerunt.* Libro 7. ad Attic. epiſt. 2. *Verumtamen hæc video cum homine audaciſſimo paratiſſimóque negotium eſſe. Omneis damnatos, omneis ignominiâ affectos, omnes damnatione ignominiáque dignos illac facere: omnem ferè iuuentutem, omnem illam vrbanam ac perditam plebem, tribunos valentes, addito C. Craſſo, omnes qui ære alieno premantur; quos plures eſſe intelligo, quàm putaram. Cauſſam ſolùm illa cauſſa non habet, cæteris rebus abundat.* V. Cæſari qui improbi.

CAVSSA TVM DVBIA.] Lucanus primo Pharſal. VI.

-quis iuſtiùs induit arma
Scire nefas. magno ſe iudice quiſque tuetur,
Victrix cauſſa Deis placuit, ſed victa Catoni.

Fabius libro 5. cap. 11. *Ponitur à quibuſdam, & quidem in parte primâ Deorum auctoritas, quæ eſt ex reſponſis, vt Socratem eſſe ſapientiſſimum. Id rarum eſt, tamen vtitur eo Cicero, in libro De haruſpicum reſponſis, & in concione contra Catilinam, cùm ſignum Iouis columnæ impoſitum populo oſtendit. & pro Ligario, cùm cauſſam C. Cæſaris meliorem, quia Dij hoc iudicauerint, confitetur.* Sed hoc Tullius ait ad Cæſarem demerendum, Lucanus ſententiæ acumen ſectari maluit, quàm rei veritatem. Cæteri autem etiam Cæſarum aſſentatores, malam Cæſaris fuiſſe cauſſam non diffitentur. Satis ſit vnus Velleius. *Vir antiquus & grauis Pompeij parteis laudaret magis, prudens ſequeretur Cæſaris, & illa glorioſa, hæc terribiliora duceret.* Ciceronem tamen liberiùs cum amico loquentem audiamus. lib. 7. ad Atticum epiſt. 11. *O hominem amentem & miſerum, qui ne vmbram quidem vnquam τοῦ καλοῦ viderit! Atque hæc ait omnia facere ſe dignitatis cauſſâ. Vbi eſt autem dignitas, niſi vbi honeſtas?* &c. *Vnam mehercule tecum apricationem in illo Lucretino tuo ſole malim, quàm omnia iſtiuſmodi regna: vel potiùs mori millies, quàm ſemel illiuſmodi quicquam cogitare. Quid ſi tu velis? inquis. Age quis eſt cui velle non liceat? Sed ego hoc ipſum velle miſerius eſſe duco, quàm in crucem tolli. vna res eſt eâ miſerior, adipiſci quod ita volueris.* Porrò, vt notat Fabius libro 5. cap. 14. Enthymema eſt: *Ex conſequentibus quod habet propoſitionem, coniunctámque ei protinus probationem.* Cauſſa Cæſaris mala.

OCCIDERIT NEMO NISI ARMATVS.] VII. Velleius poſtquam egit de pugnâ Pharſalica. *Nihil illa victoriâ mirabilius, magnificentius, clarius fuit, quando neminem niſi acie conſumptum patria deſiderauit.* Aliter tamen Dio poſt pugnam Pharſalicam: Τῶν δὲ δὴ βουλευτῶν τῶν θ' ἱππέων ὅσους μὲν καὶ πρότερόν ποτε ἡρηκὼς ἠλέγχει, ἀπέκτεινε, πλὴν εἴ τινας οἱ φίλοι αὐτοῦ ἐξῃτήσαντο (τούτοις γὰρ ἕνα ἑκάστῳ τότε σώσαι

Quos bello ciuili captos occiderit Cæſar.

συνεχώρησε) τοὺς δὲ λοιποὺς τοὺς τότε πρῶτον ἀντιπολεμήσαντας αὐτῷ ἀφῆκεν, εἰπὼν ὅτι οὐδέν με ἠδικήκασιν οἱ τὰ τοῦ Πομπηΐου φίλου σφίσιν ὄντος ἐσπούδασαν, μηδεμίαν εὐεργεσίαν παρ' ἐμοῦ ἔχοντες. *Ex Senatu & equeſtri ordine quotcunque priùs in poteſtatem redactis vitam conceſſerat, eos interemit, niſi ſi quos amici eius ab eo petiiſſent (vnum enim ſingulis eorum conſeruare permiſit.) Reliquos autem, qui tum primùm ei bellum inferebant dimiſit incolumes, nullam ab iis dicens ſibi factam iniuriam, qui nullis ab eo beneficiis acceptis Pompeij amici partes prætulerant.* Et poſt victoriam Africanam, auctore Dione libro 43. Afranium & Fauſtum Sullam, Ἀκρίτους ὁ Καῖσαρ, ὡς καὶ αἰχμαλώτους ἀπέσφαξε. τὸν δὲ δὴ Καίσαρα τὸν Λούκιον. καίπερ ἐν γένει οἱ ὄντα, &c. ὕστερον καὶ κρύφα ἀπέκτεινε. *Indictâ cauſâ tanquam captiuos iugulauit. Lucium verò Cæſarem quamuis ſibi conſanguinitate coniunctum poſtea clam interemit.* Vide ibidem quàm multos alios, τρόπῳ δή τινι ἀφανεῖ ὑπεξῄρει. Καί τοι τότε τὰ γράμματα ὅσα ἐν τοῖς ἀπορρήτοις τοῦ Σκιπίωνος κιβωτίοις εὑρέθη, πάντα καύσας, πρὶν ἀναγνῶναι. &c. *Occulto quodammodo ſuſtulit. Etſi tunc omnes literas in arcanis Scipionis ſcriniis inuentas, nec lectas combuſſerat.*

ARGVMENTVM.

Hactenus oſtendit bellum ciuile non partium ſcelere, ſed quadam diuina neceſſitate fuiſſe commotum, nunc à theſi ad hypotheſim delapſus, oſtendit Ligarium ſceleris nihil admiſiſſe, & ſi ſcelus fuit minorem eius fuiſſe culpam quàm Tuberonis, qui tamen ipſe etiam à ſcelere fuit alienus.

SED vt omittam communem cauſſam, veniamus ad noſtram. vtrum tandem exiſtimas facilius fuiſſe, Tubero, Ligarium ex Africa exire, an vos in Africam non venire? Poteramús-ne, inquies, cùm Senatus cenſuiſſet? ſi me conſulis, nullo modo, ſed tamen Ligarium Senatus idem legauerat. atque ille eo tempore paruit, cùm parere Senatui neceſſe erat: vos tunc paruiſtis, cùm paruit nemo, qui noluit. Reprehendo igitur? minime verò. neque enim licuit aliter veſtro generi, nomini, familiæ, diſciplinæ. ſed hoc non concedo, vt quibus rebus gloriemini in vobis, eaſdem in aliis reprehendatis. Tuberonis ſors coniecta eſt, ex S. C. cùm ipſe non adeſſet, morbo etiam impediretur, ſtatuerat ſe excuſare. Hæc ego noui propter omnes neceſſitudines quæ mihi ſunt cum L. Tuberone. Domi vnà eruditi, militiæ contubernales, poſt affines, in omni denique vita familiares, magnum etiam vinculum, quod iiſdem ſemper ſtudiis vſi ſumus. Scio igitur Tuberonem domi manere voluiſſe: ſed ita quidam agebant, ita Reipublicæ ſanctiſſimum nomen opponebant: vt, etiam ſi aliter ſentiret, verborum tamen ipſorum pondus ſuſtinere non poſſet. XI.

EXPLANATIO.

SED VT.] Vt omiſſa communi omnium Pompeianorum cauſſa, veniamus ad cauſſam Ligarij, quæ eſt propria huius quæſtionis. legunt quidam *Ligario, & an vobis.*

SENATVS.] Senatus idem qui L. Tuberonem patrem tuum miſit in Africam, vt eam prouinciam obtineret, idem inquam Senatus Q. Ligarium legauerat, eúmque iuſſerat in Africam legatum C. Conſidio proficiſci.

ATQVE ILLE.] Ligarius profectus in Africam eſt, cùm eſſet adhuc nulla belli ſuſpicio, quo tempore tantam auctoritatem Senatus obtinebat, vt ei parere neceſſe eſſet: Vos autem eo tempore profecti eſtis, quo iam plurimum auctoritatis Senatus amiſerat, refugiúmque erat ad Cæſarem iis qui parere Senatui renuiſſent.

REPREHENDO IGITVR?] Vos Senatui paruiſſe. facit autem hunc ſyllogiſmum.

Non eſt reprehendendus in eo Ligarius, quòd à ſe factum Tubero gloriatur.

Sed gloriatur Tubero ſe & patrem ſuum Senatui paruiſſe.

Ergo non eſt reprehendendus Ligarius, quòd Senatui paruerit.

TVBERONIS SORS.] Prudenter excuſat Tuberonem, tum vt vitetur offenſio, tum vt efficaciùs excuſetur Ligarius.

SORS CONIECTA.] Nomen Tuberonis in vrnam coniectum eſt, vt inde ſorte educeretur, íſque eam prouinciam obtineret, quæ ipſi ſorte obtigiſſet: *cùm ipſe non adeſſet*, ac proinde neque ambiret eam prouinciam.

PROPTER OMNES.] Grutterus. Nouatores, inquit, induxerant, *propter communes neceſſitudines.* ſed contra vetuſtiùs impreſſos, & manuſcriptos, vt dudum indicauit Victorius lib. 21. cap. 9. Vt & paulò pòſt idem Grutterus, legit *aiebant*, non *agebant*. Prudenter autem quæ ipſi cum Tuberone neceſſitudinis rationes fuerint, hic declarat, tum ad vitandam eius offenſionem, tum vt minùs ex odio, aut quauis alia cupiditate eum accuſare videatur.

VT ETIAMSI.] Etiamſi ſentiret ſibi non eſſe proficiſcendum in Africam, tam grauibus tamen verbis ei mandabatur Africa prouincia, vt neceſſariò pareret, & quaſi verborum ponderi ſuccumberet.

NOTÆ.

I. SENATVS IDEM LEGAVERAT.] Senatus fuit prouincias, ſiue Conſulares, ſiue Prætorias decernere, & eligere qui in eas cum imperio mitterentur, vt ex ea quæ eſt De prouinciis conſularibus conſtat. Idem Senatus legatos Prætoribus & Proconſulibus dabat, vt vidimus in Vatinium 35. *Ne hoc quidem Senatui relinquebas, quod nullus vnquam ademit, vt legati ex eius ordinis auctoritate leg..rentur.* Item: *Quis legatos vnquam audiuit ſine S.C.* vide etiam Sextianam 33. Nota 2.

II. Contubernium. CONTVBERNALES.] Vegetius libro 2. de re militari cap. 13. *Ipſæ centuriæ in contubernia diuiſæ ſunt: vt decem militibus ſub vno papilione degentibus vnus præeſſet decanus qui caput contubernij nominatur.* Etymon nominis explicatum ad illa verba Cœlianæ 73. *In Africam profectus eſt Q. Pompeio Conſuli contubernalis.* Quo verò bello Cicero meruerit ſtipendia, docet Plutarchus. Καί τινα χρόνον καὶ στρατιάς μετέσχεν ὑπὸ Σύλλα περὶ τὸν Μαρσικὸν πόλεμον. *Meruit & aliquantiſper ſub Sylla bello Marſico* Hoc autem militiæ contubernium ad conciliandas neceſſitudines plurimum habere momenti, clarius eſt quàm vt probandum eſſe videatur.

III. AFFINES.] Vxorem Tuberonis è gente Tullia fuiſſe iam conſtare poteſt è dictis, & colligitur è libro 13. ad Attic. epiſt. 20. *De vxore Tuberonis & priuigna, neque poſſum iam abdere, (eſt enim res peruulgata) neque Tuberonem volo defendere, eſt enim mirificè* φιλαίτιος.

IV. MAGNVM ETIAM VINCVLVM.] Proximè dixerat ſe vna cum Tuberone fuiſſe eruditum, nunc iiſdem ſtudijs vſum affirmat. quod vtrumque ad conglutinandas amicitias plurimùm valet. Vnde inter cæteras rationes, quibus perſuadet Fabius lib. 1. inſtitut. orat. cap. 2. pueros potiùs ad ſcholas publicas eſſe mittendos, quàm priuatim litteris imbuendos: *Mitto,* inquit, *amicitias, quæ ad ſenectutem vſque firmiſſimæ durant, religioſa quadam neceſſitudine imbutæ. Neque enim eſt ſanctius ſacris iiſdem, quàm ſtudiis initiari.* Quod ad alterum ſpectat, quamuis, vt eſt in prouerbio,

Καὶ κεραμεὺς κεραμεῖ φθονέει, καὶ τέκτονι τέκτων,
Καὶ πτωχὸς πτωχῷ κοτέει, καὶ ἀοιδὸς ἀοιδῷ.
Et figulus figulo, & fabro faber inuidet, odit
Mendicus mendicum, odí que poëta poëtam.

Tamen negari non poteſt magnum eſſe vinculum amicitiæ ſimilitudinem ſtudiorum. Quot quatenus intelligendum ſit fusè explicatur in Cœliana 54. *Quem propter hæc ipſa ſtudia diligebat.* vide Ariſtotelem 2. Rhetor. cap. 4.

V. SORS CONIECTA.] De ſortitione prouinciarum initio orationis De prouinc. Conſular. & nonnihil infrà §. 13. vbi & verba S. C. quo miſſus in Africam Tubero, referentur. Nunc explicare ſuffecerit, quo ſenſu ſors Tuberonis coniecta dicatur. Quòd nimirum eorum qui ſortiebantur, nomina in vrnam conijcerentur, eáque concuſſa miſcerentur, inde ad vitandam omnem fallaciam manu pueri extraherentur, & ſortito educerentur. De Siracuſanis Verrina de Iuriſdictione Sicilienſi. *Iubet ille legem ſibi recitari: recitatur: in qua ſcriptum erat, vt quot eſſent renuntiati, tot in hydriam ſortes conijcerentur: cuius nomen exiſſet, vt is haberet id ſacerdotium.* Liuius lib. 30. *Prætorum prouinciæ in ſortem coniectæ.* Verba S. C. apud Cœlium libro 8. ad famil. epiſt. 8. *Tum deinde proximi cuiuſque collegij, qui prætores fuiſſent, neque in prouincias projecti eſſent, in ſortem conijcerentur.* E quibus aduertis hanc coniectionem tum ipſis ſortibus, tum perſonis, tum rebus conuenire. Dicebatur etiam ſors *deijci* aut *demitti*, vt bene aduertit noſter Cerdanus 5. Æneidos. Sortis coniectio.

-deiectámque ærea ſortem
Accepit galea.-

Cæſar 1. ciuil. *ſortes deijciuntur.* Tranquillus in Nerone cap. 21. *Sine mora nomen ſuum in albo profitentium citharœdorum iuſſit adſcribi, ſorticulaque in vrnam cum cæteris demiſſa intrauit ordine ſuo.* Homero ἐμβάλλειν lib. 7. Iliad. κλῆρον. Sortis verſatio.

Ἐν δ' ἔβαλον κυνέῃ Ἀγαμέμνονος Ἀτρείδαο.
Iniiciunt ſortem in galeam maioris Atridæ.

Has ſortes in vrna ſiue galea quatiebant. Idem 23. Iliad.

Κλήρους δ' ἐν κυνέῃ χαλκήρει πάλλον ἑλόντες.
Acceptæ ſortes galea verſantur ahena.

Statius 6. Thebaidos:

Et iam ſortitus Proteus verſarat ahena
Caſide.-

Vide Cerdanum noſtrum ad 6. Æneidos.

Nec verò hæ ſine ſorte datæ, ſine iudice ſedes, Sortis eductio manu
Quæſitor Minos vrnam mouet.-

Pueri manu extrahebant. Tibullus lib. 1. eleg. 1. pueri.

Illa ſacras pueri ſortes ter ſuſtulit.-

Noſter 2. de diuinat. ſortibus Præneſtinis, quas ait: *Perfracto ſaxo ſortes erupiſſe in robore inſculptis priſcarum litterarum notis.* de his, inquam, ſortibus Orator: *Quid igitur in his poteſt eſſe certi, quæ fortunæ monitu, pueri manu miſcentur atque educuntur?*

REIPVB. SANCTISSIMVM NOMEN.] VI. Quantam vim haberet apud Tuberonem Reip. nomen, hinc patet, quod vt ait, Tuberonem *generi, nomini, familiæ, diſciplinæ* à Reip. rationibus diſcedere non licebat. quod vel ab vno diſcere poterimus. Plinius lib. 10. cap. 18. *In capite Prætoris Vrbani L. Tuberonis in foro iura pro tribunali reddentis ſedit* Picus Martius, *ita placidè vt manu comprehenderetur. Reſpondere vates exitium imperio portendi ſi dimitteretur: aut ſi examinaretur, Prætori. Ille autem protinus concerpſit, nec multò pòſt impleuit prodigium.* L. Tuberonis amor in Remp.

AXIOMA.

Magnum eſt amicitiæ vinculum ſtudiorum ſimilitudo.

ARGVMENTVM.

Narrat Tuberonis profectionem in Africam, eiúſque excluſionem, & cauſſam exponit cur excanduerint in Ligarium Tuberones: quia magni referebat ad cauſſam, vt Cæſar intelligeret eos in adornanda hac accuſatione non iniuriæ Cæſaris, ſed priuatæ ſimultatis habere rationem.

CESSIT auctoritati ampliſſimi viri, vel potius paruit. Vnà eſt pro- XII.
fectus cum iis, quorum erat vna cauſſa. tardiùs iter fecit. Itaque in Africam venit iam occupatam. hinc in Ligarium crimen oritur, vel ira potiùs. nam ſi crimen eſt prohibere illum voluiſſe, non minùs magnum eſt, vos Africam, omnium prouinciarum arcem, natam ad bellum contra hanc vrbem gerendum obtinere voluiſſe, quàm aliquem ſe maluiſſe. atque is tamen aliquis Ligarius non fuit. Varus imperium ſe habere dicebat. faſces certè habebat.

EXPLANATIO.

CESSIT.] Obſequutus & Tubero voluntati Cn. Pompeij, de quo paulò pòſt. *Acceptæ iniuriæ querelam ad quem detuliſtis? Nempe ad eum cuius auctoritatem ſecuti in ſocietatem belli veneratis*, &c. *veniſtis ad Pompeium.*

VEL POTIVS PARVIT.] Oratoria correctio, qua verbum priore ſignificantius ponitur, & eundi in Africam neceſſitas magis explicatur.

VNA EST PROFECTVS CVM IIS.] Eodem tempore quo reliqui Prætores ad obtinendas reliquas imperij Romani prouincias, iuſſu Pompeij & Senatûs exibant paludati, votis priùs in Capitolio nuncupatis, ipſe etiam Tubero Roma profectus eſt.

ITAQVE.] Propter hanc itineris tarditatem in Africam venit, in qua iam alius imperium acceperat. Atque hæc eſt cauſſa cur Ligarium accuſent Tuberones, vel potiùs in illum iram ſuam effundant, cùm nulla ſit ratio criminandi.

NAM SI CRIMEN EST PROHIBERE ILLVM VOLVISSE.] Si crimini datur Ligario, quòd voluerit vos Africa prohibere, nec portum intrare permiſerit. Legit Grutterus ex duobus Palatinis. *Nam ſi crimen eſt vllum, voluiſſe:* in duobus tamen aliis extare dicit. *Nam ſi crimen eſt, illud voluiſſe.* Quod ſpectat ad vulgatam lectionem, tam ipſe quàm Franciſcus Modius Nouantiq. ep. 87. teſtantur vocem *prohibere* in ſuis codicibus manu exaratis non comparere. hic igitur eſto ſenſus: ſi crimen eſt voluiſſe, ſi voluntas pro facto reputatur, ſi non modò exitus rerum, ſed etiam hominum conſilia ſunt vindicanda, non minùs magnum eſt crimen vos Africam contra Cæſarem obtinere, quàm aliquem ſe maluiſſe eandem prouinciam obtinere, nec vobis ad eam venientibus voluiſſe concedere.

SE MALVISSE.] Legebatur priùs, *ſe imperatorem eſſe maluiſſe:* ſed duas voces vt ſuperfluas inducendas putaui, tum quòd gloſſema redoleant, tum quòd teſte Gruttero, neque in quinque Palatinis, neque in S. Victoris aut Lambini M.S. neque in duobus Colonienſibus compareant.

ATQVE IS TAMEN ALIQVIS.] Qui maluit prouinciam Africam obtinere, quàm cedere L. Tuberoni, non fuit Ligarius. Varus dicebat ſe eſſe Prætorem illius prouinciæ. & etiamſi legitimum non eſſet illud imperium, tamen habebat faſces & lictores, quæ ſunt legitimæ poteſtatis inſignia.

NOTÆ.

AVCTORITATI AMPLISSIMI.] Bene I.
auctoritatem amplitudini coniungit. Nam, Amplitudo.
vt definitur 2. de inuent. *Amplitudo eſt potentiæ aut maieſtatis, aut aliquarum copiarum magna abundantia.* 2. de Oratore. *Maieſtas eſt amplitudo ac dignitas ciuitatis.* 1. Philipp. 33. *Num huiuſce cùm pro ſalute Reip. tanta geſſiſſes, fortunæ te, num amplitudinis, num claritatis, num gloriæ pœnitebat?* & alibi frequenter.

SI CRIMEN EST VLLVM VOLVISSE.] II.
Vide Milonianam 19. *Niſi fortè quia perfecta res non eſt, non fuit punienda: perinde quaſi exitus rerum, non hominum conſilia legibus vindicentur.*

NON MINVS MAGNVM.] Vel ſubintel- III.
ligendum *crimen:* vel, ſi hic loquendi modus Magnum.
minus magnum non arridet, cùm ſatis fuerit dixiſſe *minus*, illud *magnum* interpretemur, quo ſenſu Cratinus vſurpat apud Clementem ſtromate 6.

Τὸ δ' αὖ κταμένοις ἔπ' αἰζηοῖσιν καυχᾶσθαι μέγα.
At negatis ſuper iuuenibus gloriari, magnum eſt.

Volens exprimere illud Homericum.

Οὐχ ὁσίη κταμένοισιν ἐπ' ἀνδράσιν εὐχετάασθαι.
Inſultare nefas crudeli morte peremptis.

Odyſſ. τ'. verſu 91.

Πάντως θαρσαλέη κύον ἀδδεὲς, οὔ τι με λήθεις
Ἔρδουσα μέγα ἔργον, ὃ σῇ κεφαλῇ ἀναμάξεις.
Dira canis, non me latuiſti interrita, patrans,
Magnum opus: hoc capite ipſa lues.-

AFRICAM ARCEM.] Quid ſit arx & vnde IV.
nomen acceperit, diximus in Sextianam §. 85. Vocat Africam prouinciarum arcem, quòd eſſet aptiſſima bello Romanis inferendo: vnde videlicet tria illa bella Punica eruperant, & vbi olim floruerat illa Carthago,

-*ſtudiis aſperrima belli.*

De qua 2. Agraria 86. *Tres ſolùm vrbes in terris omnibus Carthaginem, Corinthum, Capuam ſtatuerunt poſſe imperij grauitatem ac nomen ſuſtinere. Deleta Carthago eſt, quòd cùm hominum copiis,*

tum ipſa natura ac loco, ſuccincta portubus, armata muris, excurrere ex Africa, imminere Italiæ, & fructuoſiſſimis inſulis populi Rom. videbatur. E quibus vides cur Africam prouinciarum arcem appellet.

v. Varvs.] Hanc Tuberonis eiectionem ipſe Cæſar 1. de bello ciuili Varo adſcribit, non Ligario. *Africam ſorte Tubero obtinere debebat,* &c. *Tubero cùm in Africam veniſſet, inuenit in prouincia cum imperio Actium Varum, qui ad Auximum, &c. amiſſis cohortibus, protinus ex fuga in Africam peruenerat, atque eam ſua ſponte vacuam occupauerat, delectúque habito duas legiones effecerat, hominum & locorum notitia, & vſu eius prouinciæ nactus aditus ad ea conanda, quòd paucis ante annis ex prætura eam prouinciam obtinuerat. Hic venientem Vticam cum nauibus Tuberonem portu, atque oppido prohibet. Neque affectum valetudine filium exponere in terram patitur, ſed ſublatis anchoris excedere eo loco cogit.*

vi. Fasces.] Notum eſt Dictatorem quatuor & viginti faſces habuiſſe, Conſulem duodecim, Prætorem in prouinciis ſex, vnde ἑξαπελέκεις ἀρχὰς vocat Appianus, quòd ſex ſecures haberent faſcibus alligatas. Sed non perinde notum Prætoribus in Vrbe duos tantùm faſces fuiſſe prælatos. Quod tamen innuit Plautus Epidico actu 1. ſc. 1. *Prætores in Vrbe duos tantùm faſces habuerant.*

Th. *Atenim vnum à pratura tua, Epidice, abeſt.*
Ep. *Quidnam?* Th. *ſcies.*
Lictores duo, duo viminei faſces virgarum.

Vbi, quamuis in comœdia palliata, tamen ad Romanum morem alludit. Cenſorinus libro de die Natali exeunte. *M. Pletorius Tribunuſplebis ſcitum tulit, in quo ſcriptum eſt,* Prætor vrbanus qvi nvnc est, qviqve posthac fvat dvo lictores apvd se habeto. isqve svpremvm ad solis occasvm ivs inter cives dicito. Hinc etiam intelligas illud 2. Agrariæ §. 92. de Duumuiris Capuanis. *Hi ſe Prætores appellari volebant, &c. Deinde anteibant lictores, non cum bacillis, ſed vt hîc Prætoribus anteeunt, cum faſcibus duobus. Erant hoſtiæ maiores in foro conſtitutæ, quæ ab his Prætoribus, ſicut à nobis Conſulibus de conſilij ſententia probatæ ad præconem & ad tibicinem immolabantur.* Locus Appiani, cuius initio fecimus mentionem *Sex in prouinciis.* habetur in Syriacis: Καὶ στρατηγοὺς ἐπὶ τῇ στρατιᾷ περιέπεμπον, οὓς αὐτοὶ καλοῦσιν ἑξαπελέκεας, ὅτι τῶν ὑπάτων δώδεκα πελέκεσι, καὶ δώδεκα ῥάβδοις (ὥσπερ οἱ πάλαι βασιλεῖς) χρωμένων, τὸ ἥμισυ τῆς ἀξιώσεως δὴ ἐπὶ *Cõſules duodecim.* τοῖσδε τοῖς στρατηγοῖς, καὶ τὰ ἡμίσεα παράσημα. *Prætores ſenis ſecuribus ornatos mittebant cum exercitu, qui Conſulibus duodecim ſecures, totidemque faſces habentibus, vt olim Reges habuerunt, dimidiatam Conſulum dignitatem habent, & dimidiata poteſtatis inſignia.* De Dictatoribus Dionyſius libro 10. agens de Q. Cincinnato ex agris & ſtiua dictaturam euocato. Ἵππους τε αὐτῷ φαλάρεσι κεκοσμημένους εὐπρεπέσι προσῆγον, καὶ πελέκεις ἅμα ταῖς ῥάβδοις εἰκοσιτέσσαρας παρέστησαν, ἐσθῆτάς τε ἁλουργὰς, καὶ τὰ ἄλλα παράσημα, οἷς πρότερον ἡ τῶν βασιλέων ἐκεκόσμητο ἀρχὴ, προσήνεγκαν. *Dictatores quatuor & viginti.* *Oblati ſunt ei equi decóris ornati phaleris, aſiſtere iuſſis quatuor & viginti lictoribus faſces ſecuréſque totidem geſtantibus: oblatæ item veſtes purpureæ, & reliqua, quibus olim regia poteſtas ornabatur, dignitatis inſignia.*

ARGVMENTVM.

Demonſtrat querelam Tuberonum nullius apud Cæſarem eſſe momenti, quòd quererentur ſe in Africam receptos non fuiſſe, cùm tamen eam ſi recepti fuiſſent, non fuerint Cæſari tradituri, ſed conſeruaturi Cn. Pompeio.

XIII. SED quoquo modo ſeſe illud habet, hæc querela veſtra, Tubero, quid valet? recepti in prouinciam non ſumus. quid ſi eſſetis? Cæſaríſne eam tradituri fuiſſetis? an contra eum retenturi? Vide quid licentiæ, Cæſar, nobis tua liberalitas det, vel potiùs audaciæ. ſi reſponderit Tubero, Africam, quò Senatus eum ſórſque miſerat, tibi patrem ſuum traditurum fuiſſe: non dubitabo apud ipſum te, cuius id eum facere interfuit, grauiſſimis verbis eius conſilium reprehendere. non enim ſi tibi ea res grata fuiſſet, eſſet etiam probata: ſed iam hoc totum omitto, non tam vt ne offendam tuas patientiſſimas aures, quàm ne Tubero, quod nunquam cogitauit, facturus fuiſſe videatur.

EXPLANATIO.

Sed qvoqvo.] Quintilianus lib. 5. cap. 13. *Artificij eſt inuenire in actione aduerſarij, quæ inter ſemetipſa pugnent, aut pugnare videantur, quæ aliquando ex rebus ipſis manifeſta ſunt, vt in cauſſa Cœliana, Clodia aurum ſe Cœlio commodaſſe dicit, quod ſignum magnæ familiaritatis eſt: venenum ſibi paratum, quod ſummi odij argumentum eſt. Tubero Ligarium accuſat, quòd is in Africa fuerit, & queritur quòd ab eo ipſe in Africam non ſit admiſſus.*

Qvid si essetis.] A conſequentibus oſtendit nullam eſſe cauſſam, cur ſe Africa excluſos fuiſſe apud Cæſarem querãtur, quia ſi in Africam recepti fuiſſent, non defeciſſent à Pompeio, ſed potius inde Cæſarem oppugnaſſent.

Vide qvid licentiæ.] Figura quæ à Latinis licentia, à Græcis παῤῥησία vocatur: vt iam §. 4. ſuperiùs oſtendimus.

Cvivs id facere interfvit.] Ad cuius emolumentum ſpectabat, vt eam prouinciam haberes in poteſtate, & inde Pompeianos excluderes, qui victo acie Pharſalica Pompeio bellum in Africa renouarunt, ducibus Catone & Metello Scipione.

Eivs consilivm.] Tradendæ Cæſari prouinciæ, quam à Senatu contra Cæſarem acceperat.

Non enim.] Cauſſam reddit cur etiam audiente Cæſare reprehenſurus ſit conſilium Tuberonis: quia videlicet Cæſar, etſi libenter Africam in poteſtate habuiſſet, non tamen probaſſet proditionem & perfidiam eius qui prouinciam à Pompeianis acceptam ipſi tradidiſſet.

Sed iam.] Omitto reprehenſionem perfidiæ Tuberonis, quia reuera perfidus non fuit Pompeio, & ſi generatim perfidiam accuſarem, putaret aliquis eum Africam Cæſari traditurum fuiſſe, quod ille nunquam facere cogitauit.

NOTÆ.

I. Qverela.] Hoc inter querelam & querimoniam intereſſe dicunt, quòd *querimonia cauſſam habet, querela non habet.* Quod ſi verum eſſet, querelæ nomen huic loco commodiſſimè conueniret: ſed, vt alibi monuimus, aliter viſum magnis auctoribus. Notat Paſſeratius ad illum verſum Propertij eleg. 17. lib. 1.

Tu tamen in melius ſæuas conuerte querelas.

Querela pro minis & malis verbis vſurpari, quod etiam hîc poteſt locum habere. Idem Propertius lib. 1. eleg. 6.

- illa minatur
Quæ ſolet irato triſtis amica viro.
His ego non horam poſſum durare querelis.

Catullus Nuptiis:

Huc huc aduentate, meas audite querelas.

II. Senatvs evm sorsqve miserat.] Quia videlicet ex S. C. ſortitus fuerat prouinciam. Verba S. C. etiamnum extant 8. epiſtola M. Cœlij ad Ciceronem. *Itémque Senatui placere in Ciliciam prouinciam, & in octo reliquas prouincias, quas Prætorij pro prætore obtinerent, eos qui Prætores fuerunt, neque in prouincia cum imperio fuerunt, quos eorum ex S. C. cum imperio in prouincias pro Prætore mitti oporteret: eos ſortitò in prouincias mitti placere*, &c. Cui S. C. etſi Tribuniplebis interceſſerunt, tamen perſcripta eſt auctoritas. vide locum. Moris autem fuit vt Prætores tum vrbanas iuriſdictiones vel ſortirentur, vel inter ſe compararent, id eſt, inter ſe paciſcerentur, & tranſigerent quam quiſque obtineret. Actione 1. in Verrem: *Cùm Prætores deſignati ſortirentur, & M. Metello obtigiſſet, vt is de pecuniis repetundis quæreret, nuntiatur mihi, tantam iſti gratulationem eſſe factam, vt is domum quoque pueros mitteret, qui vxori ſuæ nuntiarent.* Epiſt. 10. lib. 1. ad Attic. *Prouincias Prætores nondum ſortiti ſunt.* Epiſtola 9. ad Lentulum: *Appius in ſermonibus anteà dictitabat: poſtea dixit etiam in Senatu palàm, ſi licitum eſſet legem curiatam ferre, ſortiturum eſſe cum collega prouinciam: ſi curiata lex non eſſet, ſe partiturum cum collega*, &c. legitur *paraturum*, item *pacturum*: &, quod Liuius paſſim vſurpat, *comparaturum.* Sed in tanta ſegete ſuperuacaneum ſit ambitioſiùs exempla corradere.

Sortitio prætorum & prouinciarum.

Nec si tibi ea res grata fvisset, esset etiam probata.] Aliud eſt *amare*, ſiue *gratum habere*, aliud *probare.* Ouid. 1. Triſt.

Sæpe fidem aduerſis etiam laudauit in armis.
Inque ſuis amat hanc Cæſar, in hoſte probat.

Item:

Sed tamen in duris remanentem rebus amicum
Quamlibet inuiſo Cæſar in hoſte probat.

Hanc certè fidem idem Auguſtus quantopere probauerit etiam in hoſtibus, illud indicio eſt, quod, vt ſcribit Suetonius in eius vita cap. 17. *Bononienſibus quoque publicè, quòd in Antoniorum clientela antiquitus erant, gratiam fecit coniurandi cum tota Italia pro partibus ſuis.* Et cap. 27. *Titum Iunium Philopœmenem, quòd patronum ſuum proſcriptum celaſſe olim diceretur, equeſtri dignitate decorauit.* Plutarchus in Romulo: Οὐ μόνος οὖν, ὡς ἔοικεν, Ἀντίγονος ἔφη προδιδόντας μὲν φιλεῖν, προδεδωκότας δὲ μισεῖν. οὐδὲ Καῖσαρ εἰπὼν ἐπὶ τοῦ Θρακὸς Ῥυμιτάλκου φιλεῖν μὲν προδοσίαν, προδότην δὲ μισεῖν, ἀλλὰ κοινόν τι τοῦτο πάθος ἐστὶ πρὸς τοὺς πονηροὺς τοῖς δεομένοις αὐτῶν, ὥσπερ ἰοῦ καὶ χολῆς ἐνίων θηρίων δέονται. τὴν δὲ χρείαν ὅτε λαμβάνουσιν ἀγαπῶντες, ἐχθαίρουσι τὴν κακίαν, ὅταν τύχωσιν. *Non vnus ſanè dixit Antigonus*, prodentes amare ſe, odiſſe cùm prodiderint: *neque de Rhymitalce Thrace Cæſar*, amare ſe proditionem, proditorem odiſſe: *ſed eo ferè in ſceleratos animo ſunt illi qui eorum operam requirunt, vt veneno & felle quarundam beſtiarum, qui opus habent. Quippe operam eorum, dum ex vſu eſt, amplectuntur, execrantur ſcelus vbi voto potiti ſunt.* Subdit hiſtoriam de Tarpeia, quæ arcem Tatio prodiderat, de qua Propertius lib. 4. eleg. 4.

Proditores odio habentur ab omnibus.

At Tatius (neque enim ſceleri dedit hoſtis honorem)
Nube, ait, & regni ſcande cubile mei.
Dixit, & ingeſtis comitum ſuperobruit armis.
Hæc, Virgo, officiis dos erat apta tuis.

Flauius Vopiſcus in Aureliano, Tyana Heraclammonis proditione capta: *Heraclammonem proditorem patriæ ſuæ ſapiens victor occidit: & cùm milites iuxta illud dictum, quo canem ſe relicturum apud Tyaneos negarat, euerſionem vrbis expoſcerent, reſpondit iis, Canem, inquit, negaui in hac vrbe me relicturum, canes omnes occidite.* Ipſe Aurelianus Mallio Chiloni in hæc verba reſcripſit. *Occidi paſſus ſum, cuius quaſi beneficio Tyanam recepi. Ego verò proditorem amare non potui, & libenter tuli, quòd eum milites occiderunt: neque enim mihi fidem ſeruare potuiſſet, qui patriæ non pepercit.* Sic Antiochiâ captâ Mareades patriæ ſuæ proditor, à Perſis viuus exuſtus eſt, vt ſcribit Ammianus lib. 23. *Quippe proditores* (verba ſunt Taciti 1. annal.) *etiam iis, quos anteponunt, inuiſi ſunt.* Agis Iunior apud Plutarchum: τῷ προδότῃ παραδοῦναι στρατιώτας τῶν Ἐφόρων κελευόντων, οὐκ ἔφη πιστεύειν τοὺς ἀλλοτρίους, τῷ προδόντι τοὺς ἰδίους. *Iuſſus ab Ephoris milites dare proditori, reſpondit ſe non daturum alienos, ei qui ſuos prodidiſſet.* Ptolemæus apud Arrianum lib. 3. de expeditione Alexandri, Beſſo Darij proditore capto, præmiſit qui Alexandrum rogarent, quomodo proditorem in conſpectum ſuum vellet adduci. Καὶ Ἀλέξανδρος γυμνὸν ἐν κλοιῷ δήσαντα, οὕτως ἐκέλευσεν, καὶ καταστήσαντα ἐν δεξιᾷ τῆς ὁδοῦ ᾗ αὐτός τε καὶ ἡ στρατιὰ παρελάσεσθαι ἔμελλεν. *Alexander nudum collo in boias inſerto iuſſit adduci, & conſtitui ad dexteram viæ qua tum ipſe, tum exercitus progreſſurus erat.* Quæſiuit ex eo Alexander cur Regem ſuum prodidiſſet: ille reſpondit, ὡς σωτηρίαν σφίσιν εὑρέσθαι παρ' Ἀλεξάνδρου. *Id ſalutis*

ab Alexandro impetrandæ cauſſa factum. Alexander autem ἐπὶ τοῖσδε μαστιγοῦν ἐκέλευσεν αὐτόν. *Eum ob hoc reſponſum iuſsit virgis cædi*, & per præconem pronuntiari, quæ ipſe ob violatam fidem Beſſo exprobraſſet. Βῆσσος μὲν δὴ οὕτως αἰκισθεὶς ἀποπέμπεται εἰς Βάκτρα ἀποθανούμενος. *Beſſus igitur ita virgis laceratus ad Bactra mittitur morte plectendus.* Sed vide Demoſthenem de Corona; & dicta in Sextianam 33. Vatin. 18. Piſon. 24.

AXIOMA.

Non ſi cuipiam res grata eſt, eadem eſt etiam probata.

ARGVMENTVM.

A poſteriori colligit Tuberones, ſi fuiſſent in Africam recepti, inde contra Cæſarem bellum fuiſſe geſturos, quòd excluſi prouincia querelam detulerunt non ad Cæſarem, ſed ad Pompeium.

XIV. VENIEBATIS igitur in Africam prouinciam vnam ex omnibus huic victoriæ maximè infeſtam, in qua erat rex potentiſſimus, inimicus huic cauſſæ, aliena voluntas, conuentus firmi atque magni. Quæro quid facturi fuiſſetis? quanquam quid facturi fueritis non dubitem, cùm videam, quid feceritis: prohibiti eſtis in prouincia veſtra pedem ponere, & prohibiti, vt perhibetis, ſumma cum iniuria. quomodo id tuliſtis? acceptæ iniuriæ querelam ad quem detuliſtis? nempe ad eum, cuius auctoritatem ſecuti in ſocietatem belli veneratis. quòd ſi Cæſaris cauſſa in prouinciam veniebatis, ad eum profectò excluſi prouincia veniſſetis. Veniſtis ad Pompeium. quæ eſt ergo apud Cæſarem querela? cùm eum accuſetis, à quo queramini vos prohibitos contra Cæſarem bellum gerere? Atque in hoc quidem vel cum mendacio ſi vultis, gloriari per me licet: vos prouinciam fuiſſe Cæſari tradituros etiam, ſi à Varo & quibuſdam aliis prohibiti non eſſetis. ego autem confitebor eſſe culpam Ligarij qui vos tantæ laudis occaſione priuauerit.

EXPLANATIO.

VENIEBATIS.] Tu cum L. Tuberone patre tuo, veniebatis in Africam, quæ præ cæteris omnibus prouinciis poterat victoriam Cæſaris impedire: vbi erat Iuba Rex Numidiæ, inimicus partibus Cæſaris, & fauens Cn. Pompeio.

ALIENA VOLVNTAS.] Libenter vnam voculam interſererem: *aliena ſociorum voluntas.* Neque enim videntur hæ voces ad Iubam, ſed ad ſocios & ſtipendiarios eſſe referendæ.

CONVENTVS FIRMI.] Vrbes ad ius dicendum conſtitutæ, ad quas ciues Romani negotia gerentes in Africa, ſolebant conuenire.

PROHIBITI.] Varia eſt huius loci lectio. alij: *Prohibiti eſtis in prouincia veſtra pedem ponere, & prohibiti ſumma cum iniuria.* alij: *Ponere, vt perhibetis ſumma.* Alij, quod Gruttero magis arridet: *ponere, & prohibiti, vt perhibetis, ſumma cum iniuria.* Quod autem ſpectat ad illa verba, *pedem ponere*, ea videntur ex oratione Q. Tuberonis ad eius inuidiam repetita: quòd his vocibus ſignificetur aliquod dominium ex formula poſſeſſionis ineundæ.

QVOMODO ID TVLISTIS?] Videtur hunc facere ſyllogiſmum.

Cæſaris cauſſa non veniebat in Africam, qui excluſus Africa querelam detulit ad Pompeium.

Sed Tubero excluſus Africa querelam detulit ad Pompeium.

Ergo non Cæſaris cauſſa Tubero in Africam veniebat.

CVM EVM ACCVSETIS.] Q. Ligarium.

VOS PROVINCIAM.] Vulgata eſt lectio, & quam ne Grutterus quidem & Lambinus ſollicitant. *Vos prouinciam fuiſſe Cæſari tradituros, etiamſi à Varo, & quibuſdam aliis prohibiti eſſetis.* Per me licet, gloriemini, vos, ſi pedem in prouincia pedem poſuiſſetis, tanto ſtudio in cauſſam Cæſaris incubituros fuiſſe, vt Africam Cæſari fueritis tradituri, inuito etiam Accio Varo, qui prouinciam illam occuparat.

NOTÆ.

REX POTENTISSIMVS.] Quàm potens fuerit Iuba Rex Numidiæ, videri poteſt ex eo quòd ſcribit Plutarchus in Catone Vticenſi: *Res erant Scipionis & Vari malo in loco, ob diſſenſionem & diſtractionem.* ὑποδυομένοις καὶ θεραπεύουσι τὸν Ἰόβαν, ἀνύποιστον ὄντα βαρύτητι φρονήματος, καὶ ὄγκῳ, διὰ πλοῦτον καὶ δύναμιν. *Aſſentantium, atque obſeruantium Iubam: cuius ob opes & vires intolerabile erat ſupercilium, & faſtus: vtpote qui cùm progreſſurus primo eſſet cum Catone.* μέσον ἔθηκε τὸν ἑαυτοῦ θρόνον τοῦ Σκιπίωνος καὶ τοῦ Κάτωνος, *Sellam ſuam mediam poſuerit, inter Scipionem & Catonem. Quod vt vidit Cato,* ἄρας τὸν ἑαυτοῦ θρόνον μετέθηκεν ἐπὶ θάτερα, μέσον λαμβάνων τὸν Σκιπίωνα. *Tranſpoſuit ad alterum latus ſellam ſuam, mediúmque Scipionem accepit, quamuis inimicum, qui ediderat etiam* I. Iubæ potentia.

etiam in ipſum ſcriptum probris & contumeliis refertum. Quæ non iniucunda fore putaui, etiamſi quædã ad rem non adeò pertinerent. Ad eius etiã potentiam ſpectat, quod ait Hirtius initio libri de Africano. *Aduerſariorũ copiæ, equitatus infinitus, legiones regiæ quatuor, Scipionis legiones decem: elephanti* CXX. *claſſeſque complures* & illud Suetonij c.66. *Cùm expectatio aduentus Iubæ terribilis eſſet.* vide locum. Huc etiam referri poteſt illud Hirtij. *Cùm Scipio ſagulo purpureo ante Regis aduentum uti ſolitus eſſet, dicitur Iuba cum eo egiſſe, non oportere illum eodem uti veſtitu, atque ipſe vteretur. Itaque factum eſt vt Scipio ad album veſtitum ſeſe transferret, & Iubæ homini ſuperbiſſimo, inertiſſimóque obtemperaret.* Ita videlicet erat potens vt & partibus Iulianis terrori fuerit, & Scipionem Pompeianæ cauſſæ principem dicto audientem habuerit. Lucanus lib.4.

-Libycæ gentes extremáque mundi,
Signa ſuum comitata Iubam: non fuſior vlli
Terra fuit domino: qua ſunt longiſſima regna,
&c. vide.

II. Iuba Cæſaris inimicus. IN IMICVS HVIC CAVSSÆ.] Cæſar 2. de bello ciuili. *Huic & paternum hoſpitium cum Pompeio, & ſimultas cum Curione intercedebant: quòd Tribunus plebis legem promulgauerat, qua lege regnum Iubæ publicauerat.* Imo & cum ipſo Cæſare, Trãquillus in Iulio 71. *Maſintham nobilem iuuenem, cùm aduerſus Hiempſalem Regem tam enixe defendiſſet, vt Iubæ Regis filio in altercatione barbam inuaſerit, ſtipendiarium quoque pronuntiatum, & abſtrahentibus ſtatim eripuit, occultauitque apud ſe diu.* Meritò igitur Iuba partibus erat inimicus, quas ille inimicitias crudeliùs eſt perſecutus. Nã deletis legionibus duabus Curionis, militum reliquias, quæ ſe Varo dediderant *ſuam eſſe prædicans prædam*, iuſſit interfici: *Cùm Varus ſuam fidem ab eo lædi quereretur, neque reſiſtere auderet.* vt narrant Dio, & ipſe Cæſar lib. 2. de bello ciuili exeunte. Lucanus lib. 4.

Nec ſolùm ſtudiis ciuilibus arma parabat,
Priuatæ ſed bella dabat Iuba concitus iræ.
Hunc quoque, quo ſuperos humana ſpoluit anno,
Lege tribunitia ſolio depellere auorum
Curio tentarat, Libyámque auferre tyranno,
Dum regnum te, Roma, facit. Memor ille doloris
Hoc bellum ſceptri fructum putat eſſe retenti.

HVIC CAVSSÆ.] Cauſſa pro partibus ſiue factione. vide quæ infrà dicentur §. 16. III.

FIRMI CONVENTVS.] Conuentus, au- IV.
ctore Feſto, vno modo dicitur, *cùm à magiſtratibus iudicij cauſſa populus congregatur.* Theophilus ait eſſe κατὰ χρόνον πρὸς κατάλυσιν δικῶν ἐπιγινόμενον, ἐν ᾧ οἵ τε δικασταὶ, καὶ οἱ δικαζόμενοι συνίεσαν ἐν ταῖς ἐπαρχίαις. dictum etiam forum. Feſtus: *Is qui prouinciæ praeeſt, forum agere dicitur, cùm ciuitates vocat, & de controuerſiis eorum cognoſcit.* Hinc 5. Æneidos. Conuentus.

Indicitque forum & Patribus dat iura vocatis.

Et ſanè *forum & conuentum* idem eſſe, ex ipſo Forum.
Tullio liquet. Nam lib 3. ad familiares ep. 8. ita ſcribit ad Appium Pulchrum. *An mihi de te nihil dictum eſſe vnquam putas? Ne hoc quidem, quòd cùm me Laodicæam venire voluiſſes, Taurum ipſe tranſiſti? quod iiſdem diebus meus conuentus erat Apameæ, Sinnadis, Philomeli, tuus Tarſi?* Quod ſic expreſſit lib. 5. ad Attic. ep. 16. *Appius, vt audiuit nos venire, in vltimam prouinciam ſe coniecit, Tarſum vſque. Ibi forum agit.* Et epiſt. 17. *Appius noſter, cùm me aduentare videret, profectus eſt Tarſum vſque. Ibi forum agit, cùm ego ſum in prouincia.* Vide Plinium lib.3. cap.1. oppida & regiones aſſignantem ſingulis Hiſpaniæ conuentibus. Hinc etiam intelligas quot ſcribit Cæſar ſingulis penè libris ſe ad agendos conuentus in Citeriorem Galliam rediiſſe.

PEDEM PONERE.] Vide 2. Philipp. 36. *Quid erat in terris vbi in tuo pedem poneres?*

ARGVMENTVM.

Conſtantiam Tuberonis in cauſſa Pompeiana commendat, & exaggerat, vt inde demonſtret, eius querelam apud Cæſarem nihil habere momenti.

SED vide quæſo, Cæſar, conſtantiam ornatiſſimi viri L. Tuberonis: quam XV.
ego, quamuis ipſe probarem, vt probo, tamen non commemorarem, niſi à te cognouiſſem in primis eam virtutem ſolere laudari. Quæ fuit igitur vnquam in vllo homine tanta conſtantia? conſtantiam dico? neſcio an melius patientiam poſſem dicere. Quotus enim iſtud quiſque feciſſet, vt à quibus partibus in diſſenſione ciuili non eſſet receptus, eſſétq; etiam cum crudelitate eiectus, ad eas ipſas rediret? magni cuiuſdam animi, atque eius viri eſt, quem de ſuſcepta cauſa propoſitáque ſententia, nulla contumelia, nulla vis, nullum periculum poſſet depellere. Vt enim cætera paria Tuberoni cum Varo fuiſſent, honos, nobilitas, ſplendor, ingenium, quæ nequaquam fuerunt: hoc certè præcipuum Tuberonis fuit, quod iuſto cum imperio, ex S. C. in prouinciam ſuam venerat. hinc prohibitus non ad Cæſarem, ne iratus: non domum, ne iners: non in aliquam regionem, ne condemnare cauſſam illam, quam ſecutus eſſet, videretur: in Macedoniam in Cn. Pompeij caſtra venit, in eam ipſam cauſſam, à qua erat reiectus cum iniuria.

EXPLANATIO.

SED VIDE QVÆSO.] Hæc ſunt perſpicua: aduerte tantùm Oratoris prudentiam, & quàm bellè eum laudet, & demereatur, quem refellit.

PATIENTIAM.] Vt liquidiùs appareat cur verbum correxerit, videndum quæ ſit inter patientiam & conſtantiam, ſiue perſeuerantiam diſtinctio. Auctor ad Herennium libro 2. *Patientia eſt honeſtatis aut vtilitatis cauſſâ rerum arduarum ac difficilium voluntaria ac diuturna poſſeſſio. Perſeuerantia eſt in ratione bene conſiderata ſtabilis & perpetua permanſio.*

QVOTVS.] Quàm pauci de multis, ad Pompeium rediiſſent, vt rediit Tubero. Grutterus legit, *vt à quibus in diſſenſione ciuili*, &c. eiecta voce *partibus*, ſed cùm proximè ſequatur, *ad eas ipſas rediret*, putaui retinendam.

CVM CRVDELITATE.] Pompeianorum, qui Ligarium ægrotantem in terram exſcendere, & aquam haurire prohibuerunt.

VT ENIM CÆTERA.] Comparatione Vari & Tuberonis, iniu iam qua Tubero Africa excluſus eſt, amplificat. Ac vide nobilis Oratoris artificium ſingulare. Querebantur Tuberones illatam ſibi iniuriam, & verbis etiam exaggerabant. Orator ex ipſa iniuriæ magnitudine querelam eorum oſtendit nullius apud Cæſarem eſſe momenti.

NOTÆ.

I. Retractatio verbi.

CONSTANTIA. CONSTANTIAM DICO.] Repetitio cum verbi retractatione vt pulcherrima ita Ciceroni frequentiſſima, cuius aliquot exempla libaſſe mihi videor ad Sextianam 53. *Illo, inquam, ipſo die, die dico? imò hora atque etiam puncto temporis.* Pro Rabirio Poſthumo 10. *Num quis teſtis Poſthumum appellauit? Teſtis autem? Num accuſator?* & 2. Philippica ſanè pulcherrimè 36. *Qui tuus inde reditus, aut qualis? prius in vltimam Galliam ex Ægypto quàm domum? Quæ autem erat domus? ſuam enim quiſque domum tum obtinebat, neque erat vſquam tua. Domum dico? Quid erat in terris*, &c.

II. CVM CRVDELITATE.] Iam antè ex Pomponio D. de origine iuris. *Infirmum Tuberonem applicare non permiſit, nec aquam haurire.* ex Cæſare, *Tuberonem portu atque oppido prohibet, neque affectum valetudine filium exponere patitur.*

III. Nobilitas Æliorum.

NOBILITAS.] Nobiliſſima fuit gens Æliorum, quippe quæ ab ipſis Læſtrygonum Regibus originem ſuam repetebat, vt alibi ex Horatio lib. 3. carm. ode 17. memini me probare.

Æli vetuſto nobilis ab Lamo, &c.

Quæ, vt iam ſuprà vidimus, cum Paulis & Scipionibus affinitatem contraxerat, per Q. Ælium Tuberonem illum Stoicum, qui P. Æmilij filiam, ſororem minoris Africani duxit vxorem. Gens autem Accia videtur diu fuiſſe obſcurior, donec per Auguſtum Cæſarem, qui ex Accia M. Accij Balbi filia natus erat, ad claritatem emerſit.

IVSTO CVM IMPERIO.] Hîc mireris quid Plutarchum induxerit, vt ſcriberet Varum à Pompeio in Africam miſſum fuiſſe. Οὐάρον Ἄπον, inquit, lege Ἄκκιον, ὃς ἦν ὑπὸ Πομπηΐου Λιβύης ἀποδεδειγμένος ἡγεμών. *Accium Varum, qui Africæ præfectus fuerat à Pompeio.* Sed ne ſine neceſſitate ſcriptorem grauiſſimum deſeramus, dici poteſt Varum quidem alienam prouinciam occupaſſe, ſed poſtea deletis legionibus Curionis, iuſſu Senatus & Pompeij, iuſto cum imperio præfuiſſe.

ARGVMENTVM.

Eo etiam argumento Conſtantiam Tuberonis oſtendit, quòd cùm Pompeius eius querela non moueretur, ille tamen nihilo ſeciùs in cauſſa permanſit: deinde vrget acri dilemmate, demonſtrátque ei neque de priuatis, neque de publicis iniuriis fuiſſe conquerendum.

XVI. QVID? cùm iſta res nihil commouiſſet eius animum, ad quem veneratis: languidiore, credo, ſtudio in cauſſa fuiſtis? tantummodò in præſidiis eratis? animi verò à cauſſa abhorrebant? an, vt fit in ciuilibus bellis (nec in vobis magis, quàm in reliquis) omnes vincendi ſtudio tenebamur? Pacis equidem ſemper auctor fui, ſed tum ſerò: erat enim amentis, cùm aciem videres, pacem cogitare. Omnes, inquam, vincere volebamus: tu certè præcipuè, qui in eum locum veniſſes, vbi tibi eſſet pereundum, niſi viciſſes, quanquam, vt nunc ſe res habet, non dubito quin hunc ſalutem anteponas illi victoriæ. Hæc ego non dicerem, Tubero, ſi aut vos conſtantiæ veſtræ, aut Cæſarem beneficij ſui pœniteret. Nunc quæro vtrùm veſtras iniurias, an Reipub. perſequamini? ſi Reipub. quid de veſtra in ea cauſſa perſeuerantia reſpondebitis? ſi veſtras, videte ne erretis, qui Cæſarem veſtris inimicis iratum fore putetis, cùm ignouerit ſuis.

EXPLANATIO.

QVID? CVM.] Quid? cùm vos veſtram ad Pompeium querelam detuliſſetis, vóſque per ſummam iniuriam depulſos ex Africa diceretis fuiſſe, nec ille veſtris querelis moueretur, ea res nullo modo vos deterruit à cauſſa Pōpeij, nec ardorem animi reſtinxit, languidoréſq; reddidit.

CREDO.] Ironia, quaſi verò, inquit, languidiore fueritis animo, in præſidia vos contuleritis nolentes cum Cæſarianis acie confligere, animi veſtri abhorruerint à cauſſa Pompeij.

AN VT FIT] Aduerte quibus, vt ſic loquar offuciis fucum faciat, & Tuberonem offendat ſine offenſione: dum ſibi quodammodo pugnātia loquitur. Primò, omnium hominum conſuetudine receptum ait expetere victoriam belli ciuilis, nec id deſiderium Tuberoni magis, quàm quibuſuis aliis conuenire. Secundò, id ſe quoque voluiſſe teſtatur, vt id minore cum infenſione tribuat Tuberoni. Tertiò, Tuberonem præ cæteris expetiiſſe victoriam, quia in eum locum venerat, tam ardenter Pompeij partes, adiuuerat, vt ſibi pereundum putaret Cæſaris, quem tam grauiter offenderat, iuſſu, niſi Pompeiani victoriam retuliſſent.

QVANQVAM.] Prudenter vitat Cæſaris offenſionem, & lenit quod Tuberoni obiecerat. *Quanquam vt nunc ſe res habet*, victore Cæſare qui tibi vitam conceſſit, *non dubito quin hanc ſalutem* à Cæſare victore acceptam, *anteponas illi victoriæ*, quam de Cæſare referre expetebas.

HÆC EGO.] Non id obiicerem vobis, *ſi aut vos conſtantiæ veſtræ*, qua adhæſiſtis Pompeio, *aut Cæſarem beneficij ſui*, quo vobis ignouit, *pœniteret.*

NVNC QVÆRO.] Dilemma, quod perſpicuum eſt.

NOTÆ.

I. LANGVIDIORE, CREDO.] Verbum ironiæ paſſim inſeruiens. Vide Sextianam 84. Nota 3. & §. 134. n. 9. de Prouinciis Conſularibus §. 29. Nota 3. pro Deiotaro 16.

IN CAVSSA.] In partibus belli ciuilis, vt iam notauimus pro Marcello 32. Solent enim in diſſenſione ciuili ſuis quiſque partibus iuſtitiam cauſſæ prætendere. nam vt ait Propertius: II. Cauſſa.

Frangit & attollit vires in milite cauſſa,
Quæ niſi iuſta ſubeſt, excutit arma pudor.

Ouidius Metam.

Et cauſſáque valet, cauſſámque tuentibus armis.

Lucanus lib. I.

Victrix cauſſa Diis placuit, ſed victa Catoni.

PACIS EQVIDEM SEMPER AVCTOR.] Vide Notas in orat. pro Marcello §. 14. *De pace ſemper agendum, audiendúmque putaui.* III.

CVM ACIEM VIDERES.] Talis fuit præpoſtera Muſonij ſapientia, de qua Tacitus 3. hiſt. exeunte. *Miſcuerat ſe legatis Muſonius Rufus, equeſtris ordinis, ſtudium Philoſophiæ, & placita Stoicorum æmulatus, cœptabáque permixtus manipulis bona pacis, & belli diſcrimina differens armatos monere. Id pleriſque ludibrio, pluribus tædio, nec deerant qui propellerent, proculcaréntque, niſi admonitu modeſtiſſimi cuiuſque, & aliis minitantibus omiſiſſet intempeſtiuam ſapientiam.* tunc enim non ſolùm *ſilent leges inter arma*, ſed etiam *Spernitur orator bonus.* Acies autem teſtibus Vegetio, Iſidoro, Feſto, eſt exercitus ad pugnam inſtructus. I. Georg. IV. Acies.

Ergo inter ſeſe paribus concurrere ſignis,
Romanas acies iterum videre Philippi.

Tibullus ad Meſſalam.

Aduerſiſque parant acies concurrere ſignis.

Propertius lib. 4. eleg. 2.

Vidi ego labentes acies, & tela caduca,
Atque hoſtes turpi terga dediſſe fugæ.

Et elegia 4.

Commiſſas acies ego poſſum ſoluere. nupta
Vos medium palla fœdus inite mea.

Etiam pro exercitu nauali ad pugnam inſtructo. Propertius eodem lib. eleg. 6.

Tandem acies geminos Nereus lunarat in arcus,
Armorum & radiis picta tremebat aqua.

AXIOMATA.

Amentis eſt cùm aciem videas, pacem cogitare.

Non facilè iraſcetur aliorum inimicis, qui ignouerit ſuis.

ARGVMENTVM.

Concludit confirmationem, ad idque redit, quòd initio dixerat omiſſa facti controuerſia omnem orationem ad miſericordiam Cæſaris eſſe conferendam.

ITAQVE num tibi videor, Cæſar, in cauſſa Ligarij occupatus eſſe? num de eius facto dicere? quicquid dixi, ad vnam ſummam referri volo, vel humanitatis, vel clementiæ, vel miſericordiæ tuæ. Cauſſas, Cæſar, egi multas, & quidem tecum, dum te in foro tenuit ratio honorum tuorum: certè nunquam hoc modo, *Ignoſcite, Iudices, errauit, lapſus eſt, non putauit: ſi vnquam poſthac.* ad parentem ſic agi ſolet: ad iudices, *Non fecit, non cogitauit, falſi teſtes, fictum crimen.* Dic te, Cæſar, de facto Ligarij iudicem eſſe: quibus in præſidiis fuerit, quære. taceo. ne hæc quidem colligo, quæ fortaſſe valerent etiam apud iudicem, legatus bellum profectus, relictus in pace, bello oppreſſus, in eo non acerbus fuit, tametſi totus eſſet ſtudio tuus. ad iudicem ſic agi ſolet. Sed ego ad parentem lo- XVII

quor, Erraui, temerè feci, pœnitet, ad clementiam tuam confugio, delicti veniam peto, vt ignoſcas oro. ſi nemo impetrauit, arroganter peto: ſi plurimi, tu idem fer opem, qui ſpem dediſti.

EXPLANATIO.

ITAQVE.] Suam in defendendo Ligario diligentiam extenuat ad maiorem commendationem clementiæ Cæſaris, quæ accuratam criminis depulſionem non deſiderat.

NVM DE EIVS FACTO.] Quintilianus libro 5. cap. 13. *Deprecatio quidem, quæ eſt ſine vlla ſpecie defenſionis rara admodum, & apud eos ſolos iudices qui nulla certa pronuntiandi forma tenentur*, &c. Et libro 7. cap. 4. de hoc ipſo loco diſſerens. *In Senatu verò & apud populum & apud principem, & vbicunque iuris clementia eſt, habet locum deprecatio.* vide.

VEL HVM. VEL CLEM. VEL MIS.] Hæc videtur inter has voces eſſe diuerſitas, quòd exerceatur humanitas in quoſuis homines promiſcuè, clementia in ſubditos, miſericordia in afflictos, vel humanitas in ſubueniendo miſeris ex infirmitatis humanæ recordatione, clementia in non iraſcendo, miſericordia in compatiendo.

DVM TE.] Dum in vrbe commoratus es, & in foro iudiciiſque verſatus es, vt hac ratione tibi patefaceres aditum ad honores & magiſtratus.

QVIBVS IN PRÆSIDIIS.] Quas vrbes, quæ caſtra contra te defenderit.

NE HÆC QVIDEM.] Præteritio oratoria, qua ſimulans ſe nolle colligere, quæ ad demonſtrandam Ligarij innocentiam faciebant, ea colligit & dicta iam ſuperius per ἀνακεφαλαιώσει coaceruat.

ERRAVI.] Commodè ad ciendos affectus, ipſum Ligarium pro ſe deprecantem inducit. nam vt ſcribit Fabius libro 6. cap. 1. *His præcipuè locis vtiles ſunt proſopopœiæ, id eſt fictæ alienarum perſonarum orationes, quales litigatorem decent vel patronum*, &c. *Ex perſonis quoque trahitur affectus. Non enim audire iudex videtur aliena mala deflentes, ſed ſenſum ac vocem auribus accipere miſerorum, quorum etiam mutus adſpectus lacrymas mouet: quantóque eſſent miſerabiliora ſi ea dicerent ipſi, tantò ſunt quadam ſua portione ad efficiendum potentiora, cum velut ipſorum ore dicuntur.*

NOTÆ.

ET QVIDEM TECVM.] Cæſar etiam inter Oratores in foro verſatus eſt. Fabius libro 10. *C. verò Cæſar ſi tantùm foro vacaſſet, non alius ex noſtris contra Ciceronem nominaretur. Tanta in eo vis eſt, id acumen, ea concitatio, vt illum eodem animo dixiſſe, quo bellauit, appareat.* Sed Atticum Ciceronianum libro de claris Oratoribus loquentem audiamus. *Splendidam quandam miniméque veteratoriam rationem dicendi tenet, voce, motu: forma etiam magnifica & generoſa quodammodo.* Vide Tranquillum in Iulio cap. 55. 56. Plutarchus in Cæſare: Λέγεται δὲ καὶ φῦναι πρὸς λόγους πολιτικοὺς ὁ Καῖσαρ ἄριστα, καὶ διαπονῆσαι φιλοτιμότατα τὴν φύσιν, ὡς τὰ δευτερεῖα μὲν ἀδηρίτως ἔχειν. *Aiunt Cæſarem optimè ad oratoriam facultatem à natura fuiſſe comparatum, quàm impenſiſſimè excoluit, adeò vt ſine controuerſia ſecundum in oratoribus locum obtineret.* Item: ἐν δὲ Ῥώμῃ πολλὴ μὲν ἐπὶ τῷ λόγῳ περὶ τὰς συνηγορίας αὐτοῦ χάρις ἐξέλαμψεν. *In Vrbe verò multa eius in defenſionibus gratia reſplenduit.* pro Deiotaro 7. *Tuum eſt, Cæſar, qui pro multis ſæpe dixiſti.* 1. Cæſaris eloquentia.

SI VNQVAM.] Ex Plauto, Caſina, actu 5. ſcen. 4.

Si vnquam poſthac aut amaſſo Caſinam, aut occepſo modo,
Nedum vt eam amaſſo, ſi ego vnquam adeò poſthac tale admiſero,
Nulla cauſſa eſt, quin pendentem vxor virgis verberes.

Terentius Eunucho actu 5. ſc. 2.

-vnam hanc noxiam
Mitte, ſi aliam vnquam admiſero, occidito.

Et in Phormione actu 1. ſc. 2.

Nunc omitte quæſo hunc: cæterùm
Poſt hac ſi quicquam, nihil precor.-

Peroratio tota ad implorandam Cæſaris clementiam comparata. à perſona

- Ciceronis ipſius, qui cùm in eadem cauſſa fuiſſet, tamen audebat pro Ligario deprecari. 18.
- amicorum Cæſaris, qui
  - & pro Ligario ſuppplicant.
  - & iuſtas habent ſupplicandi cauſſas. 18.
- Sabinorum, fortiſſimorum virorum, quibus grata erit ſalus Ligarij. 19.
- Brochorum
  - auunculi. 19.
  - conſobrini. 19.
  - totius gentis.
- Ligariorum fratrum
  - pietate.
  - meritis in Remp.
- Populi vniuerſi, cui grata erit Ligarij ſalus.
- Cæſaris ipſius
  - priore facto. ſalute danda M. Marcello,
  - natura, ſiue voluntate,
  - fortuna, ſiue facultate.

PERORATIO.

ARGVMENTVM.

Deprecatores adhibiturus pro Q. Ligario mira inſinuatione Cæſaris beneuolentiam aucupatur, & quaſi deprecatores adhibere nolit, oſtendit tamen Cæſaris amicos cauſſas habere iuſtiſſimas pro Ligario deprecandi.

AN ſperandi Ligario cauſſa non ſit, cùm mihi apud te locus ſit etiam pro altero deprecandi? Quanquam neque in hac oratione ſpes eſt poſita cauſæ: nec in eorum ſtudiis qui à te pro Ligario petunt tui neceſſarij. Vidi enim, & cognoui quid maximè ſpectares cùm pro alicuius ſalute multi laborent: cauſſas apud te rogantium gratiores eſſe, quàm preces: neque ſpectare quàm tuus eſſet neceſſarius is, qui te oraret: ſed quàm illius, pro quo laboraret. Itaque tribuis tu quidem tuis ita multa, vt mihi beatiores illi eſſe videantur interdum, qui tua liberalitate fruuntur, quàm tu ipſe, qui illis tam multa concedis. Sed video tamen apud te cauſſas, vt dixi, rogantium valere plus, quàm preces: ab iiſque te moueri maximè quorum iuſtiſſimum dolorem videas in petendo. XVIII.

EXPLANATIO.

AN SPERANDI.] Iam antè notauimus ex Fabio lib. 5. cap. 10. argumentum eſſe à comparatis ex difficiliore deductum: & ſanè difficilius fuit Ciceroni, qui Pompeianus fuerat pro altero Pompeiano deprecari, quàm alterum veniam ſperare à Cæſaris clementia. Quod mirè facit ad Cæſarem leniendum: neque enim conſentaneum erat, vt gloriam lenitate collectam morum aſperitate effunderet, aut Ligario ſeuerum ſe præberet, qui ſe Ciceroni tam facilem præbuiſſet.

QVANQVAM.] Mirum Oratoris artificium, in ſua deprecatione, aliorúmue Cæſaris amicorum ſpem cauſſæ poſitam negat, vt Cæſar incautus his quodammodo deprecationum tendiculis capiatur, ſéque, vt ſic loquar, in plagas induat, priuſquam ea præuiderit.

GRATIORES ESSE QVAM PRECES.] Victorius libro 24. cap. 8. *Vultus*, inquit, in illis antiquioribus pro *preces* legitur. quod mirificè probo. Significat enim Cicero, cùm aliquid aliquibus Cæſar rogatu aliorum concederet, magis ſolitum ipſum ſpectare quàm iuſtam cauſſam haberent pro illo laborandi, quàm qui potiſſimùm illi forent, qui rogarent. Quod probi atque humani viri certum indicium eſt: qui enim neceſſariis ſuiſque omnia concedunt, quamuis ambitione quadam ducti rogent: alienis autem pro ſuorum ſalute laborantibus, res etiam iuſtas negant, laudari non poſſunt. Cæſar igitur contra ſe gerebat: neque vultus ipſorum reſpiciebat, indéque iudicabat concedendúmne, an non concedendum foret: ſed æquitatem poſtulati, officiáque rogantium animaduertebat, non multùm conſiderata perſona eorum qui peterent, &c.

ITAQVE TRIBVIS.] Commodè Cæſaris in amicos ſuos indulgentiam commendat, vt inſinuet ſe Cæſari, eíque perſuadeat hanc liberalitatis laudem ſeruare, & magis ac magis eſſe liberalem.

NOTÆ.

1. CAVSSAS ENIM ROG.] Id ipſum in epiſtolis ſæpe teſtatur, vt ad famil. libro 6. epiſt. 6. *Cedit multorum iuſtis & officio incenſis, non inanibus aut ambitioſis voluntatibus. in qua vehementer eum conſentiens Hetruria mouebit.* & epiſtola 12. *Valent tamen apud Cæſarem, non tam ambitioſæ rogationes, quàm neceſſariæ, quas quia Cimber habebat, plus valuit, quàm pro vllo alio valere potuiſſet.*

BEATIORES.] Imò *Beatius eſt magis dare quàm accipere*, vt Christus Dominus crebris ſolebat vſurpare ſermonibus, vnde, vt ait Ariſtoteles 4. Ethicorum cap. 3. Magnanimus eſt οἷος εὖ ποιεῖν, εὐεργετούμενος δ' αἰσχύνεται, τὸ μὲν γὰρ ὑπερέχοντος, τὸ δ' ὑπερεχομένου, καὶ ἀντευεργετικὸς πλειόνων. *Talis eſt vt beneficia tribuat, accipiens autem erubeſcat. Alterum enim eſt ſuperioris, inferioris alterum. & beneficiis affectus plus reddit quàm acceperit.* Seneca lib. 1. de beneficiis cap. 1. *Malim non recipere beneficia, quàm non dare.* Plutarchus opuſculo An oporteat philoſophum cum viris principibus verſari. Καί τοι Επίκουρος τ' ἀγαθὸν ἐν τῷ βαθυτάτῳ τῆς ἡσυχίας, ὥσπερ ἐν ἀκλύστῳ λιμένι καὶ κωφῷ, τιθέμενος, τοῦ εὖ πάσχειν, τὸ εὖ ποιεῖν, οὐ μόνον κάλλιον, ἀλλὰ καὶ ἥδιον εἶναί φησι. χαρᾶς γὰρ οὐδὲν οὕτως γόνιμόν ἐστιν, ὡς χάρις. *Atqui Epicurus felicitatem in profundiſſima quiete, tanquam in portu tranquillo & quieto conſtituens beneficium dare, non ſolùm honeſtius, quàm accipere, ſed etiam iucundius eſſe dicit. Nil enim ita parit delectationem, vt gratia.* Non potui aſſequi lepôrem alluſionis χαρᾶς χάριν, fortaſſe verti poſſet: *Nihil enim eſt gratius, quàm gratia.* Pergit: Αλλὰ σοφὸς ἦν ὁ ταῖς χάρισι τὰ ὀνόματα θέμενος Αγλαΐαν καὶ Εὐφροσύνην, καὶ Θάλειαν. τὸ γὰρ ἀγαλλόμενον, καὶ τὸ χαῖρον ἐν τῷ διδόντι τὴν χάριν πλεῖόν ἐστι καὶ καθαρώτερον. διὸ τῷ πάσχειν εὖ αἰσχύνονται πολλάκις, ἀεὶ δ' ἀγάλλονται εὖ ποιεῖν. *Sed ſapiens erat qui Gratiis nomina impoſuit, Aglaiā, Euphroſynen & Thaliam. Exultatio enim & lætitia maior eſt, & purior in eo qui beneficia largitur. & eam ob rem plerique acceptis beneficiis erubeſcunt, datis exultant.* Et Seneca libro 1. de beneficiis cap. 3. Charitas pingi ait, *Ideò ridentes quia promerentium vultus hilares ſunt, quales ſolent eſſe qui dant vel accipiunt beneficia.* 11.

Beatius eſt dare beneficium, quam accipere.

ARGVMENTVM.

Sabinorum T. Brochi, Ligariorum fratrum nomine Cæſaris clementiam implorat.

XIX. IN Quinto Ligario conſeruando multis tu quidem gratum facies neceſſariis tuis: ſed hoc quæſo conſidera, quòd ſoles. poſſum fortiſſimos viros Sabinos, tibi probatiſſimos, totúmque agrum Sabinum florem Italiæ, robur Reipub. proponere. noſti optimè homines. animaduerte horum omnium mœſtitiam, & dolorem. huius T. Brochi, de quo non dubito quid exiſtimes, lacrymas, ſqualorémque ipſius & filij vides. quid de fratribus dicam? noli, Cæſar, putare de vnius capite nos agere. aut tres Ligarij retinendi in ciuitate ſunt, aut tres ex ciuitate exterminandi: quoduis exilium his eſt optatius, quàm patria, quàm domus, quàm Dij penates, vno illo exulante. Si fraternè, ſi piè, ſi cum dolore faciunt, moueant te horum lacrymæ, moueat pietas, moueat germanitas, valeat tua vox illa, quæ vicit: te enim dicere audiebamus, Nos, omnes aduerſarios putare, niſi qui nobiſcum eſſent: te, omnes, qui contra te non eſſent, tuos.

EXPLANATIO.

CONSIDERA, QVOD SOLES.] Non tam perſonas rogantium, quàm rogandi cauſſas expendito. interim tamen laudat Sabinos, vt aliquid non ſolùm cauſſæ, ſed etiam perſonis ipſis tribuatur.

HVIVS T. BROCHI.] Qui adeſt iudicio Ligarij aduocatus in veſte ſqualida & ſordida.

QVID DE FRATRIBVS.] Ligarij. Aduerte crebram repetitionem motui ac commodatam, *quàm, quàm, quàm, ſi, ſi, ſi, moueat, moueat, moueat.*

GERMANITAS.] Fraternus amor.

VALEAT TVA VOX ILLA QVÆ VICIT.] Locum hìc habeat tua illa vox quæ tibi peperit victoriam: nam & ciues & ſocij hac clementiæ tuæ ſpecie deliniti tuas partes libentiùs amplexi ſunt: & Dij immortales, etiamſi pœnas à populo Romano ob aliquid delictum expetiuerint, qui ciuile bellum tantum & tam luctuoſum excitauerunt, vel placati iam, vel etiam ſatiati aliquando omnem ſpem ſalutis ad clementiam victoris & ſapientiam contuliſſe videntur, qui non fortuna inflammaret odium ſuum, ſed bonitate leniret, vt dicitur pro Marcello partim §. 18. partim 32.

NOTÆ.

I. FORTISSIMOS VIROS SABINOS.] Marco 2. Georgicon de laudibus Italiæ.

Hæc genus acre virum Marſos, pubémque Sabellam
Aſſuetúmque malo Ligurem, Volſcóſque verutos
Extulit.-

Sabelli. Quanquam Sabelli non propriè Sabini fuerunt, ſed coloni à Sabinis ad Opicos deducti, è Sabinorum filiis, quos ipſi Marti conſecrarant. Strabo libro 5. Τοὺς γενομένους τότε παῖδας Ἄρεος ἐπιφημίσαντες, ἀνδρωθέντας δ' ἔστειλαν εἰς ἀποικίαν. *Eo anno editos filios Marti nuncuparunt, cúmque hi virilem ætatem attigiſſent, eos in coloniam miſerunt.* Neque verò illi Marti quidem filios ſuos, ſe autem ipſos Libero aut Veneri dicarunt, ſed præ cæteris Italiæ populis bellicis laudibus floruerunt. Plutarchus in Romulo. Οἱ δὲ Σαβῖνοι πολλοὶ μὲν ἦσαν καὶ πολεμικοί, κώμας δ' ᾤκουν ἀτειχίστους, ὡς προσῆκεν αὐτοῖς μέγα φρονεῖν, καὶ μὴ φοβεῖσθαι, Λακεδαιμονίων ἀποίκοις οὖσι. *Sabini verò hominum multitudine & bellicis virtutibus florebant, vicis non muratis habitabant, vt par erat eos magnos ſpiritus habere, nihilque formidare cùm eſſent Lacedæmoniorum coloni.* Auctor eſt tamen Dionyſ. libro 2. antiq. Rom. non omnes fuiſſe purè Lacedæmonios: ἔνθεν δ' ὁρμηθέντας τινὰς συνοίκους τοῖς Σαβίνοις γενέσθαι, καὶ διὰ τοῦτο πολλὰ τῶν νομίμων εἶναι Λακωνικά. μάλιστα δὲ τὸ φιλοπόλεμόν τε, καὶ τὸ λιτοδίαιτον, καὶ τὸ παρὰ πάντα τὰ ἔργα τοῦ βίου σκληρόν. *Quoſdam Lacedæmone profectos ſedes cum Sabinis coniunxiſſe: ideóque multa apud eos eſſe inſtituta Laconica, præcipuè quantum ad belli ſtudia, frugalitatem, vitæque in rebus omnibus duritiem attinet.* Et lib. 6. oratione Iunij Bruti in Sacro monte habita. Σαβίνοις δὲ τοσούτοις ἔθνος τηλικοῦτον, οἷς διὰ παντὸς ὁ περὶ τῶν πρωτείων πρὸς ἡμᾶς ἦν ἀγὼν ποίαν παρέχει ὑμῖν βοήθειαν μηκέτι διαμιλλᾶσθαι περὶ τῆς ἰσων; *Sabini iſti gens tanta, cui ſemper contentio fuit vobiſcum de principatu, cuius auxilio factum eſt ne amplius vobiſcum de iuris æqualitate contendant?* Quid? quòd quartam Italiæ regionem, vbi erant Sabini, *gentium vel fortiſſimarum* appellat Plinius lib. 3. cap. 12. Quid? quòd, vt auctor eſt Strabo lib. 5. Ἔστι καὶ παλαιότατον γένος οἱ Σαβῖνοι καὶ αὐτόχθονες, &c. Τὴν δ' ἀρχαιότητα τεκμήριον ἄν τις ποιήσαιτο ἀνδρείας καὶ τῆς ἄλλης ἀρετῆς, ἀφ' ἧς ἀντέσχον μέχρι πρὸς τὸν παρόντα χρόνον. φησὶ δ' ὁ συγγραφεὺς Φάβιος, Ῥωμαίους αἰσθέσθαι τοῦ πλούτου τότε πρῶτον, ὅτε τοῦ ἔθνους τούτου κατέστησαν κύριοι. *Antiquiſſima gens eſt Sabinorum, indigenarum nimirum, &c. Vetuſtatem eorum licet ſumere pro argumento fortitudinis ac virtutis eorum, qua freti ad hoc vſque tempus perdurarunt. Fabius hiſtoriæ ſcriptor, inquit, tum demum Romanos ſenſiſſe diuitias, cùm eam gentem ſibi ſubieciſſent.* Quid denique? quòd ob illam bellicam virtutem ſe Marte ſiue Enyalio, quem Quirinum vocabant, ortos eſſe finxerunt? Siquidem puella quædam in Enyalij templum ingreſſa, ἐγκύμων ἐκ τοῦ δαίμονος, ὡς ἅπασιν ἐδόκει, γενομένη, τίκτει παῖδα, Μόδιον ὄνομα, Φαβίδιον ἐπίκλησιν. fortaſſe, vt alibi dictum, Μήδιον ὄνομα, Φίδιον ἐπίκλησιν. ὃς ἀνδρωθεὶς μορφήν τε οὐ κατ' ἄνθρωπον, ἀλλὰ δαιμόνιον ἴσχει, καὶ τὰ πολέμια πάντων γίνεται λαμπρότατος. *A loci Genio compreſſa, vt vulgò viſum eſt, filium edidit nomine Modium (Medium) Fabidium (Fidium) cognomine. is virilem ætatem ingreſſus & forma ſupra hominem fuit, & in re militari longè clariſſimus euaſit.* Κτίζει τὰς καλουμένας Κύρεις, ὡς μέν τινες ἱστοροῦσιν, ἐπὶ τοῦ δαίμονος, ἐξ οὗ γενέσθαι αὐτὸν λόγος εἶχε, τοὔνομα τῇ πόλει θέμενος. ὡς δ' ἕτεροι γράφουσιν ἐπὶ τῆς αἰχμῆς. Κύρεις γὰρ οἱ Σαβῖνοι τὰς αἰχμὰς καλοῦσιν. *Cures condidit, impoſito vrbi nomine, vt quidam putant, à Genio cuius dicebatur filius: aut ab haſta, vt malunt alij. haſtas enim Sabini Cures appellant.* Ita Dionyſius 2. Antiquit. Rom. ex Varrone. Hanc porrò bellicam virtutem, tum à natura, tum à diſciplina & inſtitutione ducebant. vt Liuius lib. 1. Numam ait *inſtructum* fuiſſe, *non tam peregrinis artibus, quàm diſciplina tetrica ac triſti veterum Sabinorum, quo genere nullum quondam incorruptius fuit.* hinc paſſim, duri, triſtes, tetrici, rigidi, ſeueri, horridi. Noſter in Vatinium 37. *Seueriſſimorum hominum Sabinorum.*

Sabinorum origo & fortitudo.

SABINOS.] Plinius lib. 3. cap. 12. *Sabini, vt quidam exiſtimauere, à religione & Deorum cultu Seuini appellati.* ἀπὸ τοῦ σέβεσθαι, inquit Feſtus Pompeius. Κάτων δὲ Πόρκιος, inquit Dionyſ. Halicarn. loco citato, τὸ μὲν ὄνομα τῷ Σαβίνων ἔθνει τεθῆναί φησιν ἐπὶ Σαβίνου τοῦ Σάγκου, δαίμονος ἐπιχωρίου. τοῦτον δὲ τὸν Σάγκον ὑπό τινων Πίστιον καλεῖσθαι Δία. *At Porcius Cato nomen Sabinis impoſitum ait à Sabino Sangi filio: Sangum verò iſtum fuiſſe regionis genium, & à nonnullis Dium Fidium appellari.* Silius Italicus lib. 8. II. Sabinorum nomen.

Ibant, & læti pars Sangum voce canebant
Auctorem generis: pars laudes ore ferebant,
Sabe, tuas, qui de patrio cognomine primus
Dixiſti populos, magna ditione, Sabinos.

FLOREM ITALIÆ.] Florem robori coniungit. vt 3. Philipp. §. 13. *Eſt enim ille flos Italiæ, illud firmamentum Imperij Romani, illud ornamentum dignitatis.* 1. Oratore 34. *Verſariſque in optimorum ciuium vel flore, vel robore.* 8. Æneidos: *-ô Mæoniæ delecta iuuentus* III. Flos.

Flos veterum, virtúſque virûm.-

vbi vide Cerdanum noſtrum eius interpretem. Lucanus 2. Pharſal.

Tunc flos Heſperiæ, Latÿ iam ſola iuuentus
Concidit.-

IV. Nosti optime homines.] Boni nimirum eſt imperatoris ſuos milites noſſe. Siquidem, vt ait Syneſius libro de Regno: Τεχνίτης ἐστὶν ὁ βασιλεὺς πολέμων, ὥσπερ ὁ σκυτοτόμος τῶν ὑποδημάτων. ἐκεῖνός τ' οὖν γελοῖος ὅταν ἀγνοῇ τῆς τέχνης τὰ ὄργανα, ὅ τε βασιλεὺς πῶς ἐπιστήσεται χρῆσθαι στρατιώταις ὀργάνοις ἃ μὴ γιγνώσκει. *Rex artifex eſt bellorum, vt ſutor calceorum, & ille quidem ridiculus, cùm artis ſuæ inſtrumenta non nouit, & rex quî tandem ſciet vti militibus, inſtrumentis, quæ ipſe non nouit?* Quo in genere mirum, quod refert Plinius libro 7. cap. 24. *Cyrus Rex omnibus in exercitu ſuo militibus nomina reddidit.*

Imperator debet noſſe ſuos milites.

Mirum, inquam, ſed vereor vt aliquid affinxerit veritati: Nam Xenophon, qui libris de Cyri inſtitutione, no tam hiſtoriæ veritatem, quam boni imperatoris formam ſuis omnibus partibus abſolutam expreſſit, libro 5. exeunte, ſcribit eum retuliſſe non quidem omnium militum, ſed τῶν ὑφ' αὐτὸν ἡγεμόνων ὀνόματα; *Eorum qui ſub ipſo ordines ducebant, nomina.* Subdit Xenophon rationem cur hanc militum notitiam imperatori tantopere putaret Cyrus expedire. Καὶ ὅταν τιμῆσαι δέ ποτέ τινα βούλοιτο, πρέπον αὐτῷ ἐδόκει εἶναι ὀνομαστὶ προσαγορεύειν. *Et cùm aliquem honorare volebat, ſibi conuenire putabat, vt eum nomine appellaret.* Ἐδόκουν δ' αὐτῷ οἱ γιγνώσκεσθαι δοκοῦντες ὑπὸ τοῦ ἄρχοντος, καὶ τοῦ καλόν τι ποιοῦντες ὁρᾶσθαι μᾶλλον ὀρέγεσθαι, καὶ τοῦ αἰσχρόν τι ποιεῖν μᾶλλον προθυμεῖσθαι ἀπέχεσθαι. *Putabat autem eos qui ſe Imperatori ſuo notos eſſe putant, & magis expetere ſe aliquid præclarè gerentes videri, & promptiore, animo ſe à malis abſtinere.* Ἠλίθιον δὲ καὶ τοῦτο αὐτῷ ἐδόκει εἶναι ὁπότε βούλοιτό τι πραχθῆναι, οὕτω προστάττειν, ὥσπερ ἐν οἴκῳ ἔνιοι προστάττουσιν, Ἴτω τις ἐφ' ὕδωρ, ξύλα τις σχισάτω. οὕτω γὰρ προσταττομένων εἰς ἀλλήλους τι ὁρᾶν ἅπαντες ἐδόκουν αὐτῷ, καὶ οὐδεὶς περαίνειν τὸ προσταχθέν. καὶ πάντες ἐν αἰτίᾳ εἶναι, καὶ οὐδεὶς τῇ αἰτίᾳ οὔτ' αἰσχύνεσθαι, οὔτε φοβεῖσθαι ὁμοίως, διὰ τὸ σὺν πολλοῖς αἰτίαν ἔχειν. Διὰ ταῦτα δὴ αὐτὸς πάντας ὠνόμαζεν ὅτῳ προστάττοι. *Stultum verò etiam hoc illi eſſe videbatur, cùm vellet aliquid fieri ſic præcipere, vt aliqui in familia ſua præcipiunt. Eat aliquis ad aquam, aliquis ligna findat. Sic enim cùm iubetur, alter alterum intueri videbatur ipſi, & nemo mandatum exequi, & in omnes culpam reiici putabat, & neminem aut pudore ſuffundi, aut timore percelli, quòd ſinguli cum multis accuſentur. Eam ob rem omnes nominabat, cùm aliquid præciperet.* Certè Tharcon 11. Æneidos:

-variis inſtigat vocibus alas
Nomine quemque vocans, reficítque in prælia pulſos.

Poſt Furium Bibaculum, vt notat Macrobius:

Nomine quemque ciens dictorum tempus adeſſe
Admonet.-

Et apud Salluſtium in Catilina laudatur M. Petreius, legatus Antonij, quòd *pleroſque ipſos milites, factáque eorum nouerat.* Item: *Ipſe equo circumiens, vnumquemque nominans appellat, hortatur, rogat.*

Tit. Brochi.] Vide ſuprà §. 6. V.

Sqvaloremqve.] De ſqualore & ſordibus reorum in Piſonem vltima §. VI.

Dii Penates.] Vide Milonianam § 39. VII.

Nos omnes adversarios.] Cæſar ipſe lib. 1. de bello ciuili: *Pompeius diſcedens ab Vrbe in Senatu dixerat, eodem ſe habiturum loco qui Romæ fuiſſent, & qui in caſtris Cæſaris fuiſſent.* Sed vereor vt hæc Cæſar vero affinxerit, idque tribuerit Pompeio, imò Pompeianis omnibus, quod vni Domitio fuerat tribuendum. Is enim, vt auctor eſt Tranquillus in Nerone, capite 2. *Conſultante Cn. Pompeio de mediis ac neutram partem ſequentibus, ſolus cenſuit hoſtium numero habendos.* Imò, vt ait Plutarchus in Pompeio, antequam Pompeius Roma diſcederet, factum eſt S. C. in Catonis ſententiam, Μηδένα Ῥωμαίων ἔξω παρατάξεως ἀναιρεῖν, μηδὲ διαρπάζειν πόλιν ὑπήκοον Ῥωμαίοις. *Ne quis ciuis Romanus, niſi in acie occideretur, neque oppidum ſubditum populo Romano diriperetur.* quantumuis Pompeianorum crudelitatem Cæſar verbis exaggeret. Etſi noſter ad Atticum libro 11. epiſt. 6. idem quod Cæſar affirmat. *Omnes enim qui in Italia remanſerant, hoſtium numero habebantur.* VIII.

ARGVMENTVM.

In eodem adhuc argumento verſatur, & Ligario veniam impetrare contendit, tum in gratiam amicorum pro ipſo Cæſari ſupplicantium, tum quod Ligarius nunquam fuerit à rebus Cæſaris alienus.

XX. Videsne igitur hunc ſplendorem omnem, hanc Brochorum domum, hunc L. Martium, C. Cæſetium, L. Cornificium, hoſce omnes equites Rom. qui adſunt veſte mutata, non ſolùm notos tibi, verùm etiam probatos viros, qui tecum fuerunt? Atque his maximè iraſcebamur, & hos requirebamus, & his nonnulli minabantur. Conſerua igitur tuis ſuos: vt quemadmodum cætera, quæ dicta ſunt à te, ſic hoc veriſſimum reperiatur. Quòd ſi penitùs perſpicere poſſes concordiam Ligariorum, omnes fratres tecum iudicares fuiſſe. An poteſt quiſquam dubitare quin ſi Q. Ligarius in Italia eſſe potuiſſet, in eadem ſententia fuiſſet futurus, in qua fratres fuerunt? Quis eſt, qui horum conſenſum conſpi-

rantem, & pænè conflatum, in hac propè æqualitate fraterna non nouerit? qui hoc non ſentiat, quiduis priùs futurum fuiſſe, quàm vt hi fratres diuerſas ſententias, fortunáſque ſequerentur? Voluntate igitur omnes tecum fuerunt, tempeſtate abreptus eſt vnus: qui ſi conſilio id feciſſet, eſſet eorum ſimilis, quos tu tamen ſaluos eſſe voluiſti.

EXPLANATIO.

VIDESNE.] Proponit Ligarij neceſſarios, & eorum gratia conatur Cæſarem ad miſericordiam inflectere. *Splendorem* ponit pro ſplendidis equitibus Romanis.

HANC BROCHORVM DOMVM.] T. Brochum eiúſque filium Ligarij conſobrinum.

LVC. CORNIFICIVM.] Alias *L. Corſidium.* vide Notas.

HIS MAXIME.] Nos Pompeiani his maximè iraſcebamur, quòd Cæſarem ſequerentur, & hos deſiderabamus querentes eos abeſſe, & *his nonnulli minabantur,* fortaſſe Domitius, Lentulus, & Fannius lib. 11. ad Attic. epiſt. 6. *Me diſceßiſſe ab armis nunquam pœnituit, tanta erat in illis crudelitas, tanta cum barbaris coniunctio, vt non nominatim, ſed generatim proſcriptio eſſet informata, vt iam omnium indicio conſtitutum eſſet omnium veſtrûm bona prædam eſſe illius victoriæ. Veſtrûm planè dico. nunquam enim de te ipſo niſi crudeliſſimè cogitatum eſt.* & infrà: *De Fannio conſoler te? pernicioſa loquebatur de manſione tua. L. verò Lentulus Hortenſij domum ſibi & Cæſaris hortos, & Baias deſponderat,* &c.

CONSERVA IGITVR.] Conſerua illis qui tecum fuerunt, Ligarium neceſſarium ſuum vt reperiatur verum, quòd dixiſti *te omnes, qui contrà te non eſſent, tuos putare.* Ligarius enim animo & voluntate contra te non fuit, ſed coactus eſt in Africa remanere. Quod probat hoc ſyllogiſmo.

Si Ligarius in Italia eſſe potuiſſet in iiſdem partibus futurus erat, in quibus fratres fuerunt.

Sed fratres in tuis partibus fuerunt.

Ergo & ille fuiſſet in tuis partibus, ſi in Italia eſſe potuiſſet.

Sequela propoſitionis expolitione oſtenditur, & oratoriâ quadam fiduciâ, qua rem, vt omnibus compertam, ſupponit probatione non indigere.

TEMPESTATE ABREPTVS.] Ligarius diſtractus eſt à fratribus, & quaſi quadam belli ciuilis tempeſtate in diuerſam partem eiectus.

NOTÆ.

1. HVNC SPLENDOREM.] Expoſui hos equites Romanos ſplendidos. Splendore enim fuit equeſtris ordinis, vt maieſtas populi, Senatûs auctoritas. De Prouinc. Conſularibus §. 11. nota 6. docuimus Equitum alios *ſplendidos,* alios *illuſtres,* alios *inſignes* dictos fuiſſe.

LVC. MARTIVM.] Non arbitror hunc eſſe L. Martium Philippum, Catonis ſocerum, Auguſti vitricum: ille enim & Senator erat & Conſularis: hic qui Ligario fuit aduocatus inter equites Romanos videtur à Cicerone numerari. duplex autem fuit gens Martiorum, altera patricia, altera plebeia. De vtraque vide Ioannem Glandorpium onomaſtico Romano.

L. CÆSETIVM.] Hic eſt, opinor, Luc. Cæſetius de quo Tranquillus in Iulio cap. 79. qui cum Epidio Marullo paulò pòſt factus eſt Tribunusplebis, & cum eodem tribunitia poteſtate priuatus, quòd coronam lauream candida faſcia præligatam ſtatuæ Cæſaris impoſitam detraxiſſent, & hominem qui impoſuerat in vincula duci iuſſiſſent. vt præter Tranquillum ſcribunt Dio, Plutarchus, Appianus, omnes. Eum Tranquillus & epitome Cæſetium Flauum, Valerius Maximus, vt videtur, Cæſetium Rufum, Appianus, ſed perperam Σίτιον, Dio L. Cæſitium Flaccum, Plutarchus Flauium appellat. Abs re non fuerit ex Valerio Maximo libro 5. cap. 7. hoc referre. *Non tam Cæſetij ſpecioſa Equitis Romani ſors patria, ſed par indulgentia, quia Cæſare omnium iam externorum & domeſticorum hoſtium victore, cùm abdicare filium ſuum iuberetur, quod is Tribunusplebis cum Marullo collega, inuidiam ei tanquam regnum affectanti fecerat: in hunc modum reſpondere ſuſtinuit. Celeriùs tu mihi, Cæſar omnes filios meos eripies, quàm ex his ego vnum notâ pellam meâ. Habebat autem duos præterea optimæ indolis filios, quibus Cæſar ſe incrementa benignæ dignitatis largiturum pollicebatur.* Hic autem filius, quamuis Romani filius factus eſt Senator (neque enim aliter Tribunusplebis fieri potuiſſet, vt liquet è Tranquillo vita Auguſti cap. 2. In locum Tribuniplebis fortè demortui candidatum ſe oſtendit, quamuis patricius, necdum Senator.) De eius morte Appianus 3. ciuilium. parco Græcis. *Rufus verò Fuluiæ vxoris Antonij vicinus, cùm inſulam haberet pulcherrimam, priùs quidem eam vendere mulieri noluerat, tunc cùm vltrò donaret, tamen proſcriptus eſt. Caput cùm ad Antonium referretur, ad ſe pertinere negans miſit ad vxorem. Illa non in foro, ſed ante inſulam id proponi iuſſit.* Vide Valerium libro 9. cap. 5. qui hunc Rufum Cæſetium appellat, ſubdítque: *Superba de Senatore, impotens de occiſo confeßio.* 111.

L. CORNIFICIVM.] Scio Cornificium & in partibus Cæſaris fuiſſe, & apud eum non mediocrem auctoritatem habuiſſe. Plutarchus in Cæſare: ἦν δ' αὐτοῦ διαβολὴ καὶ ἡ Δολαβέλλα μανία, καὶ ἡ Ἀμιντίου φιλαργυρία, καὶ μεθύων Ἀντώνιος, καὶ Κορφίνιος τὴν Πομπηΐου σκευωρούμενος οἰκίαν, καὶ μετοικοδομῶν, ὡς ἱκανὴν οὐκ οὖσαν. *Et crimini dabatur & Dolabellæ furor, & Amintij auaritia, & ebrius Antonius, & Cornificius conuaſans, curioſè perſcrutans & exhauriens domum Pompeij, eámque tranſmutans, quaſi non ſufficeret.* Ita vertere malui cum Budæo & Stephano, τὴν Πομπηΐου σκευωρούμενος οἰκίαν, quàm cum interprete *Sector* Pompeij. Sector enim Pompeij fuit non Cornificius, ſed Antonius ex 2. Philipp. Non puto tamen hîc legendum *Cornificium,* cum quòd eo tempore Cornificius adeſſe Ligario non potuerit. (Afri-

cam enim tum obtinebat, vt conſtat ex epiſt. 21. libri 12. ad familiares) tum quòd alij legant *L. Corſidium* ope veterum Codicum adiuti. & hunc fortaſſe Κορφίδιον Plutarchus appellat. Imò hoc nomen penitus oblitterandum eſt, vt iam olim Tullius præceperat libro 13. ad Attic. epiſt. 42. *Brutus mihi T. Ligarij verbis nuntiauit, quod appelletur L. Corfidius in oratione Ligariana. Erratum eſſe meum, ſed, vt aiunt,* μνημονικὸν ἁμάρτημα. *Sciebam Curfidium perneceſſarium Ligariorum, ſed eum video antè eſſe mortuum. Da igitur quæſo negotium Pharnaci, Antæo, Saluio, vt id nomen ex omnibus libris tollatur.* Hic autem fortaſſe fuerit ille Corfidius materteræ Vatronis maritus, de quo rem notatu digniſſimam refert ipſe Varro apud Plinium libro 7. cap. 52. *Romæ quoque Corfidium materteræ ſuæ maritum funere locato reuixiſſe, & locatorem funeris ab eo elatum.* Addit qu d operæ fuerit pretium, vel vltra propoſitam breuitatem apponere. *E duobus fratribus equeſtris ordinis Corfidio maiori accidiſſe, vt videretur expiraſſe, apertóque teſtamento recitatum heredem minorem funeri inſtituiſſe. Interim eum, qui videbatur extinctus, plaudendo conciuiſſe miniſteria & narraſſe à fratre ſe veniſſe, commendatam ſibi filiam ab eo. Demonſtratum præterea quo in loco defodiſſet aurum, nullo conſcio, & rogaſſe vt iis funebribus, quæ comparaſſet, efferretur. Hoc eo narrante fratris domeſtici properè annuntiauere exanimatum illum: & aurum, vbi dixerat, repertum eſt.*

V. VESTE MVTATA.] De veſtis mutatione vide Sextianam §. 27. Nota 4. Piſonianam 17. Nota 1.

VI. QVISQVAM DVBITARE POTEST.] Hoc artificij oratorij genus expendimus pro Milone 33. *An verò, Iudices, vos ſoli ignoratis? vos hoſpites in hac vrbe verſamini? veſtræ peregrinantur aures, neque in hoc peruagato ciuitatis ſermone verſantur?*

VII. ÆQVALITATE.] Eandem, opinor, tribus Ligariis ætatem fuiſſe ſignificat, quæ ætatis æqualitas vel firmiſſimum eſt amicitiæ vinculum. Homerus certè Odyſſ. ο'. Telemachum ita Piſiſtrato loquentem inducit. verſu 196.

Æqualitas ætatis amicitias conciliat.

Ξεῖνοι δ' ἤδη πάμπαν ἐυχόμεθ' εἶναι,
Ἐκ πατέρων φιλότητος, ἀτὰρ καὶ ὁμήλικές εἰμεν.
Ἥδε δ' ὁδὸς καὶ μᾶλλον ὁμοφροσύνῃσιν ἐνήσει.

Hoſpitio penitus deuincti ab amore paterno
Geſtimus: mea te ſpatiis propioribus ætas
Inſequitur: nos hac etiam via iunget amore.
Arctiùs.-

Vlyſſes Odyſſ. χ'. verſu 207.

Μέντορ ἄμυνον ἀρήν, μνῆσαι δ' ἑτάροιο φίλοιο,
Ὅς σ' ἀγαθὰ ῥέζεσκον. ὁμηλικίη δέ μοί ἐσσι.

Mentor pelle malum: chari ſociíque memento,
Quæ ſim promeritus. ſumus ambo æqualibus annis.

Idem Odyſſ. ζ'. verſu 22.

Ἡ οἱ ὁμηλικίη μὲν ἔην, κεχάριστο δὲ θυμῷ.

Huic æqualis erat, pariter gratiſſima menti.

Et eam ob rem Helena ὁμηλικίην ἐρατεινήν, *ætatis æqualitatem amabilem* appellat Iliados γ'. Siquidem, vt eſt in parœmia quæ refertur ab Ariſtotele libro 1. Rhet. cap. 11. -ἧλιξ ἥλικα τέρπει. *Æqualem æqualis delectat.*- Theognis.

Πάντες μὲν τιμῶσιν ὁμῶς, ἴσοι, οἵ τε κατ' αὐτὸν
Χώρην εἴκουσ', οἵ τε παλαιότεροι.

Omnes hi ſeſe venerantur, amántque viciſſim,
Vicini, æquales viribus, atque ſenes.

Plutarchus de adulatore & amico refert hos ſenarios.

Γέρων γέροντι γλῶτταν ἡδίστην ἔχει,
Παῖς παιδὶ, &c.
Seni ſenilis lingua iucundiſſima eſt,
Puérque puero, &c.

Neque ſolùm in ætate, ſed etiam quibuſuis in rebus ὁμοιότης τῆς φιλότητος μήτηρ, & αἱ ἰσότητες ει-λότητος. *Concordiæ mater eſt æqualitas.* vt eſt in prouerbio. Pulchrè Iocaſta apud Euripidem Phœniſſis.

-κεῖνο κάλλιον, τέκνον,
Ἰσότητα τιμᾶν, ἣ φίλους ἀεὶ φίλοις,
Πόλεις τε πόλεσι, ξυμμάχους τε ξυμμάχοις
Συνδεῖ· τὸ γὰρ ἴσον νόμιμον ἀνθρώποις ἔφυ.

-illud, chare fili, pulchrius
Æqualitatem colere, quæ ſemper ſolet
Amicum amico iungere, vrbes vrbibus,
Socioſque ſocios; namque conſentaneum eſt
Æquale legi.

Plutarchus in Solone: Λέγεται δὲ καὶ φωνή τις αὐτοῦ περιφερομένη πρότερον εἰπόντος ὡς τὸ ἴσον πόλεμον οὐ ποιεῖ, καὶ τοῖς κτηματικοῖς ἀρέσκειν, καὶ τοῖς ἀκτήμοσι. τῶν μὲν ἀξίᾳ καὶ ἀρετῇ, τῶν δὲ μέτρῳ καὶ ἀριθμῷ τὸ ἴσον ἕξειν προσδοκώντων. *Vox etiam dicitur eius, quàm antè miſerat in ore populi fuiſſe* æqualitatem belli auctorem non eſſe, *tam locupletibus, quàm inopibus placuiſſe: quod æqualitatem illi dignitate ac virtute, hi menſura & numero ſe aſſecuturos eſſe ſperarent.* Finio cum Marone 9. Æneid.

Æqualitas mater concordiæ.

Tu verò, mea quem ſpatiis propioribus ætas
Inſequitur, venerande puer, iam pectore toto
Accipio, & comitem caſus complector in omnes.

quod Noſter ait, *fortunáſque ſequerentur.*

ARGVMENTVM.

Ex abundanti etiamſi Q. Ligarius animum à Cæſare alienum habuiſſet, certóque conſilio bellum intuliſſet, et tamen parcendum eſſe contendit, recordatione quæſturæ quam olim T. Ligarius totam contulerat ad Cæſaris dignitatem.

XXI. SED ierit ad bellum, diſſenſerit non à te ſolùm, verùm etiam à fratribus, hi te orant tui. Equidem cùm tuis omnibus negotiis intereſſem, memoria teneo, qualis tum T Ligarius quæſtor vrbanus fuerit erga te, & dignitatem tuam. ſed parum eſt me hoc meminiſſe: ſpero etiam te, (qui obliuiſci nihil ſoles, niſi iniurias, quoniam hoc eſt animi, quoniam etiam ingenij tui) te aliquid de huius quæſtoris officio cogitantem, etiam

de aliis quibuſdam quæſtoribus reminiſcentem recordari. Hic igitur T. Ligarius, qui tum nihil egit aliud (neque enim hæc diuinabat) niſi vt tui eum ſtudioſum, & bonum virum iudicares: nunc à te ſupplex fratris ſalutem petit. quam huius admonitus officio cum vtriſque his dederis, tres fratres optimos & integerrimos, non ſolùm tibi ipſos, neque his tot ac talibus viris, neque nobis neceſſariis, ſed etiam Reipublicæ condonaueris.

EXPLANATIO.

SED IERIT.] Conceſſio ἐκ περιουσίας. Eſto, inquit, faciamus Q. Ligarium ſic à tua cauſſa abhorruiſſe, vt certo conſilio animíque inductione profectus in Africam fuerit ad bellum tibi inferendum: tamen eum condonare debes eorum precibus qui tui ſemper fuerunt.

EQVIDEM CVM.] Videtur T. Ligarius eo tempore Quæſtor vrbanus fuiſſe, L. Martio Philippo, & C. Cornelio Lentulo Marcellino Conſulibus, quo tempore, vt dicitur de Prouinciis Conſularibus 28. in gratiam Cæſaris relatum eſt de ſtipendio exercitus, & Cæſare intererat omnibus Cæſaris conſiliis, communicatione videlicet litterarum vltrò citróque miſſarum, &, vt ibidem dicitur, non decreuit ſolùm, ſed etiam vt reliqui decernerent, laborauit: multa diſſentientibus reſpondit, ſcribendo affuit. Tum videtur Ligarius Quæſtor vrbanus, qui præerat ærario, Cæſaris cauſſam ſummo ſtudio complexus, cùm alij quæſtores repugnarent, vt innui videtur his verbis, *etiam de aliis quibuſdam quæſtoribus reminiſcentem recordari*, vt videlicet horum comparatione T. Ligarij beneficium magis eluceat.

HIC IGITVR.] Quoniam maius eſt beneficium, quod non propter mercedem, ſed ex mera beneuolentia tribuitur, oſtendit T. Ligarium tum nihil aliud ſpectaſſe, niſi vt virtutem & beneuolentiam Cæſari probaret: neque enim præſagiebat fore vt bellum ciuile excitaretur, vinceretur Pompeius, Cæſar victoriam obtineret, Q. Ligarius ipſius frater apud Cæſarem victorem accuſaretur à Tuberone, ipſe pro fratre deprecaretur, & in mercedem beneficij ſalutem fratris reciperet.

QVAM HVIVS.] T. Ligarij pietas & officium non erit quidem cauſſa, cur tu Qu. Ligario parcas, ſed tamen te admonebit, & quaſi in memoriam reuocabit vt ei vitam condones, quod præter cætera bona priuata, etiam ad tuum & Reip. commodum redundabit: dum tu & amicum fideliſſimum accipies, & egregium ciuem recuperabit Reſp.

NOTÆ.

I. QVÆSTOR VRBANVS.] De Quæſtoribus nonnihil in Piſonem §.2. Duo primùm quæſtores fuerunt, mox duo additi, deinde duplicatus numerus vt eſſent octo, Pòſt lege Sullæ viginti creati, vt refert Tacitus 11. annalium. Poſt à Cæſare Dictatore quadraginta, vt auctor eſt Dio lib. 43. Poſtquam creati fuerant ſortiebantur inter ſe prouincias, pro Murena, in Vatiniũ. Duo quibus ea ſors obuenerat in Vrbe remanebant, & curam habebant ærarij. Ij Quæſtores Vrbani dicebantur. Sortiebantur etiam Quæſtores Vrbani vter vtri Conſulum adeſſet, ſuúmque vterque Conſulem ſequebatur, ſi illi exacto magiſtratu in prouincias exiiſſent, vt P. Sextius Quæſtor Vrbanus adfuit C. Antonio, & eundem in Macedoniam ſecutus eſt. vide Sextianã §.8.13.

Quæſtores,

OBLIVISCI NIHIL SOLES NISI INIVRIAS.] Fabius lib. 6. cap. 4. *Ne tamen iudicium Marci hominis eruditiſſimi ſubtraham, Seria partitur in tria genera, honorificum, contumelioſum, medium. & honorifici ponit exemplum Ciceronis*, &c. *Qui nihil obliuiſci ſoles niſi iniurias. Et contumelioſi, quod Attico ſcripſit de Pompeio & Cæſare. Habeo quem fugiam, quem ſequar, non habeo, & medij quod ἀποφθεγματικὸν vocat, & eſt cùm ita dixit, neque grauem mortem accidere forti viro, neque immaturam conſulari, neque miſeram ſapienti.* Quod ad rem attinet elegans eſt epigramma Macedonij conſularis lib. 1. Antholog. cap. 51. II.

Μνήμη καὶ λήθη μέγα χαίρετον· ἡ μὲν ἐπ' ἔργοις
Μνήμη τοῖς ἀγαθοῖς, ἡ δ' ἐπὶ λευγαλέοις.

Iniuriarum obliuio.

Memoria & obliuio multùm ſaluete, in operibus quidem bonis memoria, in malis autem obliuio. & verè. nam, vt ſcribit Publius Syrus,

Iniuriarum remedium eſt obliuio.

Quam proinde meritò Themiſtocles expetebat. Nam vt ſcribitur 2. de Oratore, cùm ei quidam promitteret artem ſe memoriæ traditurum, effecturúmque vt omnia meminiſſet, reſpõdiſſe dicitur: *Gratius ſibi illum eſſe facturum, ſi ſe obliuiſci, quæ vellet, quàm ſi meminiſſe docuiſſet.* Et ſanè difficilis res eſt iniuriarum obliuio, *Cùm*, vt ſcribit Seneca cap. 1. lib. 1. de beneficiis, *ita natura comparatum ſit, vt altiùs iniuriæ quàm merita deſcendant, & illa citò defluant, hæc tenax memoria cuſtodiat.* Vbi ne te morer, vide quæ refert Lipſius ex Herodiano, Plauto, Tacito, Dione, ſanè pulcherrima.

ANIMI, INGENII.] Seneca epiſt. 11. *In quo quantum eſſet animi, quantum ingenij, quantum iam etiam profectûs ſermo primus oſtendit.* & alibi paſſim. Quæ ſit autem inter animum & ingenium diſtinctio fusè diſſeremus 2. Philipp. §.33. III.

NIHIL EGIT ALIVD.] Præclarè Seneca libro 1. de beneficiis cap. 1. *Demus beneficia, non fœneremus. dignus eſt decipi, qui de recipiendo cogitauit, cùm daret*, &c. *Hoc & magni animi & boni proprium eſt, non fructum beneficiorum ſequi, ſed ipſa*, &c. Nam, vt idem ait lib. 6. cap. 12. *Ille qui totus ad ſe ſpectat, & nobis prodeſt, quia aliter ſibi prodeſſe non poteſt, eo loco mihi eſt, quo qui pecori ſuo hybernum & æſtiuum pabulum proſpicit: eo loco quo qui captiuos ſuos, vt commodiùs veneant, paſcit, & opimos boues ſaginat ac defricat: quo laniſta, qui familiam ſuam ſummâ curâ exercet atque ornat. multũ, vt ait Cleanthes, à beneficio diſtat negotiatio*, &c. vide paſſim. IV.

AXIOMA.

Nihil oportet obliuiſci præter iniurias.

ARGVMENTVM.

Cæſarem hortatur ad ignoſcendum Ligario, ab antecedenti facto, à pop. Rom. voluntate, à laude clementiæ, à natura Cæſaris procliui ad clementiam & lenitatem.

XXII. FAc igitur quod de homine nobiliſſimo & clariſſimo M. Marcello reſtituto feciſti nuper in curia, nunc idem in foro de optimis, & huic omni frequentiæ probatiſſimis fratribus. Vt conceſſiſti illum Senatui, ſic da hunc populo: cuius voluntatem cariſſimam ſemper habuiſti. Et, ſi ille dies tibi glorioſiſſimus, populo Romano gratiſſimus fuit: noli obſecro dubitare, C. Cæſar, ſimilem illi gloriæ laudem quàm ſæpiſſimè quærere nihil eſt enim tam populare, quàm bonitas, nulla de virtutibus tuis plurimis, nec gratior, nec admirabilior miſericordià eſt. homines enim ad Deos nulla re propiùs accedunt, quàm ſalutem hominibus dando. nihil habet nec fortuna tua maius, quàm vt poſſis: nec natura tua melius, quàm vt velis conſeruare quamplurimos. Longiorem orationem cauſſa forſitan poſtulat, tua certè natura breuiorē. Quare cùm vtilius eſſe arbitrer teipſum quàm me, aut quemquam loqui tecum, finem iam faciā: tantùm teipſum admonebo, ſi illi abſenti ſalutem dederis, præſentibus his omnibus te daturum.

EXPLANATIO.

FAc igitvr.] Paucis antè diebus Cæſar M. Marcellum reſtituerat Reip. & ab exilio reuocarat. commodè igitur huius rei memoriam renouat Orator, vt Cæſar ad lenitatem & miſericordiam magis excitetur.

Ille dies.] Quo tu M. Marcellum patriæ reſtituens ſummam tibi peperiſti laudem clemētiæ. atque hinc ſpe laudis & gloriæ Cæſarem ad miſericordiam inflectit. Ac vide quàm paucis quā multa complectatur. Proponit exemplum lenitatis Cæſaris in Marcellum, vt Cæſar ſecum ipſe certet, caueátque collectam hoc facto Senatus populíque Romani charitatem amittere. Oſtendit cum iam clementia ſua magnam eſſe gloriam adeptum, vt eius augendæ ſtudio magis inflammetur, & ſpe gloriæ quæ fructus virtutis eſt, ſtimuletur. Addit homines ad Deos nulla re propiùs accedere, quàm ſalutem hominibus dando: quia videbat Cæſarem quodam immortalitatis ſtudio teneri, & diuinos quoſdam honores, vt Lupercos, vt ſtatuas in omnibus templis, vt Flamines à Senatu decretos libenter admittere. Iam demonſtrat, in Cæſaris manu ſiue poteſtate poſitum eſſe, vt ſalutem & incolumitatem multis impertiat: atque adeò nihil aliud reſtare, niſi vt Cæſar naturæ ſuæ ad lenitatem & miſericordiam propenſæ obſecundet, & bene de humano genere mereatur.

Longiorem.] Clauſula totius orationis per ſummam clementiæ Cæſaris commendationem, quæ etiam nullo impellente aut hortante ſe expromat, & vltrò miſeris ſoleat occurrere.

Tantvm te admonebo.] Vnum illud te velim cogitare, cùm ſententiam feres, ſi Ligario abſenti ſalutem dederis, his omnibus Ligariis, Brochis, aliiſque præſentibus, & huius iudicij euentum expectantibus te daturum. Ligariis præſertim qui ſponte in exilium diſcedent, niſi frater ipſorum fuerit ab exilio reuocatus.

NOTÆ.

Nobilissimo.] De Marcellorum nobilitate dictum pro Marcello §. 42. De clariſſimi appellatione pro Milone 17. eadem oratione de curia diſputatum. I.

Homines enim ad Deos.] Commodè citat Fuluius Vrſinus Strabonem lib. 10. II. Εὖ γὰρ εἴρηται καὶ τοῦτο ἀνθρώποις μάλιστα μιμεῖσθαι θεοὺς ὅταν εὐεργετῶσι. *Nam & illud bene dictum eſt homines tum maximè Deos imitari cùm beneficia tribuunt.* Addere potuiſſet nobilem illam Scytharum ad Alexandrum legationem ex Curtio lib. 7. *Denique ſi Deus es, tribuere mortalibus beneficia debes, non ſua eripere. Sin autem homo es, id quod es, ſemper eſſe te cogita.* Plinius lib. 2. cap. 7. *Deus eſt mortali iuuare mortalem.* Claudianus 4. Honorij Conſulatu circa medium:

Sic pius imprimis. nam cùm vincamur ab omni
Munere, ſola Deos æquat clementia nobis.

Nulla re propiùs ad Deum acceditur quàm clementia.

Dio Chryſoſtomus orat. 2. de Regno: Μάλιστα χαίροντα εὐεργεσίαις, ὅπερ ἐστὶν ἐγγυτάτω τῆς τῶν θεῶν φύσεως. *Maxime gaudentem beneficiis, quod proximè ad Deos accedit.* Nazianzenus oratione de amore pauperum. Γένε τῷ ἀτυχοῦντι θεὸς τὸν ἔλεον θεοῦ μιμησάμενος. οὐδὲν γὰρ οὕτως ὡς τὸ εὖ ποιεῖν, ἄνθρωπος ἔχει θεοῦ. *Eſto miſero Deus Dei miſericordiam imitando. Nihil enim tam ex Deo habet mortalis quàm vt beneficia largiatur.* Marcus Antoninus epiſtola ad Fauſtinam: *Non enim quicquam eſt quod Imperatorem Romanum meliùs commendet gentibus quam clementia. hæc Cæſarem Deum fecit, hæc Auguſtum conſecrauit, hæc patrem tuum imprimis Pij nomine ornauit.* Vide orationem pro Marcello §. 8. Nota poſtrema.

Nihil habet nec fortvna tva.] Fabius lib. 8. cap. 5. de generibus ſententiarum diſſerens, notat acriorem fieri ſententiā: *Tranſlatione a communi ad proprium. Nam cùm ſit rectum* III.

rectum, nocere facile eſt, prodeſſe difficile. Vehementiùs apud Senecam ipſa Medea dicit:

Seruare potui: perdere an poßim rogas?

Vertit ad perſonam Cicero: Nihil habet Cæſar, nec fortuna tua maius, quàm vt poßis: nec natura melius, quàm vt velis ſeruare quamplurimos. Ita quæ erant rerum propria, fecit hominis.

IV. NATVRA TVA BREVIOREM.] Pro Deiotaro 40. *Non debeo, C. Cæſar, quod fieri ſolet in tantis periculis, tentare quonam modo dicendo miſericordiam tuam commouere poßim. Nihil opus eſt. occurrere ipſa ſolet ſupplicibus & calamitoſis nullius oratione euocata.*

AXIOMATA.

Nihil eſt tam populare quàm bonitas.

Homines ad Deum nulla re propiùs accedunt, quàm ſalutem hominibus dando.

Nihil habere poteſt, nec fortuna noſtra maius, quàm vt poſſimus; nec natura melius, quàm vt velimus conſeruare quamplurimos.

EVENTVS.

ABSOLVTVS, vt iam dictum eſt, Q. Ligarius oratione ne quidem abſoluta. In eum tamen ingratus fuit à quo ſalutem acceperat. De quo Plutarchus in Bruto: ἦν δέ τις Γάϊος Λιγάριος τῶν Πομπηΐου φίλων, ὃν ἐπὶ τούτῳ κατηγορηθέντα Καῖσαρ ἀπέλυσεν. οὗτος οὐχ ἧς ἀφείθη δίκης χάριν ἔχων, ἀλλὰ δι' ἣν ἐκινδύνευσεν, ἀρχὴν βαρυνόμενος, ἐχθρὸς ἦν Καίσαρι, τῶν δὲ περὶ Βροῦτον ἐν τοῖς μάλιστα συνήθης. πρὸς τοῦτον ἀσθενοῦντα Βροῦτος εἰσελθών, ὦ Λιγάριε, εἶπεν, ἐν οἵῳ καιρῷ νοσεῖς; κἀκεῖνος εὐθὺς εἰς ἀγκῶνα διαναστάς, καὶ λαβόμενος αὐτοῦ τῆς δεξιᾶς, Ἀλλ' εἴ τι, φησίν, ὦ Βροῦτε, σεαυτοῦ φρονεῖς ἄξιον, ὑγιαίνω. *Erat quidam Q. Ligarius Pompeij amicus, quem eo nomine accuſatum exemerat Cæſar noxæ. Hic non quòd ab iudicio liberatus fuiſſet, gratiam Cæſari tribuens, ſed propter quam vocatus in periculum fuerat, dominationem peroſus, ei infenſus erat, Bruto autem imprimis familiaris. Hunc Brutus inuiſens ægrotum,* cùm ſocios coniurationis in Cæſarem quæreret, *Quali, inquit, tempore, Ligari, ægrotas? Ille ſtatim cubito innixus, arreptâ dexterâ eius, At ego, inquit, ſi quid te, Brute, dignum cogitas, valeo.*

FINIS.

IN

M. TVLLII CICERONIS ORATIONEM PRO REGE DEIOTARO

PRÆFATIO.

DEIOTARVS *Tetrarches Gallogræciæ penè totius, quod ei neque legibus, neque moribus conceſſum eſſe cæteri Tetrarchæ contendebant, ſine dubio autem Rex Armeniæ Minoris ab Senatu appellatus, bello ciuili ſecutus eſt Cn. Pompeium, cum eo fugit ex acie Pharſalica, & paulò pòſt in Tetrarchiam ſuam ſe recepit. Cæſare Alexandrinum bellum gerente Cn. Domitij, quem Aſiæ præfecerat Cæſar, exercitum ſuis tectis & copiis ſuſtentauit, & Epheſum, auctionibus factis, pecuniam miſit ad eum qui Cæſaris nomine eam colligebat. Cæſari poſt Alexandrinum bellum contra Pharnacem venienti, cùm fines Gallogræciæ propiùs, obuiam iuit Deiotarus, &, vt ſcribit Hirtius de bello Alexandrino*, depoſitis regiis inſignibus, neque tantùm priuato veſtitu, ſed etiam reorum habitu, ſupplex ad Cæſarem venit oratum, vt ſibi ignoſceret, quòd in ea parte poſitus terrarum, quæ nulla præſidia Cæſaris habuiſſet, exercitibus imperiiſque in Cn. Pompeij caſtris fuiſſet: neque enim ſe iudicem debuiſſe eſſe controuerſiarũ populi Rom. ſed parere præſentibus imperiis. Contra quem Cæſar, cùm plurima ſua commemoraſſet officia, quæ Conſul ei decretis publicis tribuiſſet: cúmque defenſionem eius nullam poſſe excuſationem eius imprudentiæ recipere coarguiſſet: quòd homo tantæ prudentiæ ac diligentiæ ſcire potuiſſet, quis Vrbem, Italiámque teneret, vbi Senatus populúſque Romanus, vbi Reſp. eſſet: quis deinde poſt L. Lentulum, C. Marcellum Conſul eſſet: ſed tamen ſe concedere id factum ſuperioribus ſuis beneficiis, veteri hoſpitio atque amicitiæ, dignitati ætatíque hominis, precibus eorũ qui frequentes concurriſſent, hoſpites atque amici Deiotari ad deprecandum: de controuerſiis Tetrarcharum poſteà ſe cogniturum eſſe dixit: regium veſtitum ei reſtituit. Legionem autem, quam ex genere ciuium ſuorum Deiotarus natura diſciplináque Romana conſtitutam habebat, equitatúmque omnem ad bellum gerendum adducere iuſſit. *Is confecto bello Pontico, per Gallogræciam Bithyniámque in Aſiam iter faciens, in Troginorum ſiue Trocinorum Tetrarchia Mithridatem Pergamenum collocauit, Deiotaro Gallogræciæ parte multato, & Armeniam abſtulit à Senatu datam, vt dicitur 2. Philipp. & 2. de Diuinatione. Confectis omnibus bellis ciuilibus, Secundarius Deiotari ge-*

ner, neſcio quam ob cauſſam ſocero infenſus, Caſtorem filium ſuum Romam miſit, vt nepos auum in diſcrimen capitis adduceret. Is, vt ait Orator, Phidippum Deiotari medicum, qui cum Regis legatis Romam acceſſerat, mercede corrupit, & ſubornauit ad accuſandum Deiotarum, quaſi Cæſarem è bello Pontico redeuntem interficere domi ſuæ voluiſſet. Prima igitur cauſſarum conflictio hæc eſt,

Deiotarus Cæſarem voluit occidere.

Deiotarus Cæſarem noluit occidere.

Status quæſtionis. Vtrum Deiotarus Cæſarem voluerit occidere.

Firmamentum accuſatoris duplex: quòd ipſe Phidippus inſidiarum conſcius fuiſſet, & quòd Deiotarus animum haberet à Cæſaris partibus alienum. Oppoſita ratio petitur tum à natura, moribus, & rebus geſtis Deiotari, tum ab improbabilibus adiectis, quibus ipſum crimen contexitur. Cauſſæ genus eſt iudiciale, quæſtio an ſit, *dicendi character is eſt quem ipſe ſignificat Orator epiſtola ad Dolabellam.*

Cicero lib. 9. ad famil. epiſt. 12. Oratiunculam pro Deiotaro, quam requirebas, habebam mecum, quod non putaram. Itaque eam tibi miſi, quam velim ſic legas vt cauſſam tenuem & inopem, nec ſcriptione magnopere dignam. Sed ego hoſpiti veteri & amico munuſculum mittere volui leuidenſe, craſſo filo, cuiuſmodi ipſius ſolent eſſe munera.

- Exordium 3. §. comprehenſum, quo reddit auditorem
  - beneuolum
    - expoſitione ſui timoris. 1. eiúſque cauſſarum quæ petuntur
      - à perſona rei. dicit pro capite Regis
        - quod etſi iniquum non eſt in periculo duntaxat Cæſaris.
        - eſt tamen inuſitatum.
      - à perſona accuſatorũ. Deiotarum accuſant
        - Caſtor nepos Deiotari.
        - Phidippus ſeruus fugitiuus, à legatorum pedib. abſtractus.
      - à perſona Cæſaris apud quẽ defendit eum qui cõtra ipſum conſpiraſſe dicitur, quod
        - re iniquum eſt.
        - ſed æquitate Cæſaris fit æquiſſimum.
      - à loco. dicit de tanta re
        - intra domeſticos parietes.
        - non in foro, vbi alacritatem afferret
          - populi cõcurſus.
          - adſpectus Curiæ.
          - cœlum ipſum.
    - laude Deiotari
    - laude Cæſaris & cõmemoratione eius æquitatis.
  - attentum
    - propoſitione rei
      - inuſitatæ. 1.
      - magnæ. 3.
    - petitione attentionis. 3.
  - docilem diuiſione, dicet
    - de ſpe accuſatorum.
    - de accuſatione ipſa. 3.
- Narratio à 4. ad 8.
- Confirmatio duabus partibus conſtans à 15. ad 19.
  - confutatione criminis inſidiarum à 15. ad 22.
  - confutatione adiunctorũ criminum à 22. ad 29. quæ iterum duplex. Deiotarus
    - nec contra Cæſarem exercitum parauit à 22. ad 24.
    - nec animum habuit alienum à Cæſare. à 24. ad 28.
- Inſectatio Caſtoris à 29. ad 35.
- Peroratio à 35. vſque ad finem.

M. TVLLII CICERONIS ORATIO PRO REGE DEIOTARO.

ARGVMENTVM.

Orationis exordio cauſſas ſui timoris exponit, vt & Cæſarem ſibi conciliet, & accuſatores in inuidiam adducat. Prima petitur à cauſſa grauitate, & perſona Deiotari.

I. CVM in omnibus cauſſis grauioribus, C. Cæſar, initio dicendi commoueri ſoleam vehementiùs, quàm videtur vel vſus, vel ætas mea poſtulare: tum in hac cauſſa ita me multa perturbant, vt quantum mea fides ſtudij mihi afferat ad ſalutem Regis Deiotari defendendam, tantùm facultatis timor detrahat. Primùm dico pro capite fortuníſque Regis: quod ipſum etſi non iniquum eſt, in tuo duntaxat periculo, tamen eſt ita inuſitatum Regem capitis reum eſſe, vt ante hoc tempus non ſit auditum. deinde eum Regem, quem ornare antè cuncto cum Senatu ſolebamus, pro perpetuis eius in noſtram Rempublicam meritis, nunc contra atrociſſimum crimen cogor defendere.

EXPLANATIO.

CVM IN OMNIBVS.] Pro Cluentio 51. *Semper equidem magno cum metu incipio dicere. Quotieſcunque dico, toties mihi videor in iudicium venire, non iudicij ſolùm, ſed etiam virtutis atque officij mei: ne aut id profiteri videar quod non poßim implere, quod eſt impudentiæ: aut id non efficere quod poßim, quod eſt aut perfidiæ, aut negligentiæ.*

VEL VSVS.] Quantus Ciceroni fuerit vſus & exercitatio dicendi, videri poteſt tum ex iis quæ ipſe ſcribit in Bruto, tum ex iis quæ adoleſcens adhuc de ſe profitetur Diuinatione in Verrem §. 41. *Ego qui ſicut omnes ſciunt in foro iudiciiſque ita verſer, vt eiuſdem ætatis aut nemo, aut pauci plures cauſſas defenderint,* &c. *Tamen ita mihi Deos propitios velim, vt cùm illius diei mihi venit in mentem, quo die citato reo, mihi dicendum ſit, non ſolùm commoueor animo, ſed etiam toto corpore perhorreſco.* vide rationes.

VEL ÆTAS MEA.] Natus eſt Cicero, vt auctor eſt Gellius libro 15. noct. Atticar. cap. 28. *Q. Cæpione & Q. Serrano Conſulibus ante diem III. Nonas Ianuarij,* qui annus fuit ab Vrbe Cond. a DCXLVIII. Hanc orationem habuit poſt bellum Hiſpanienſe, vt ex peroratione conſtat, vbi meminit litterarũ Tarracone miſſarum, quibus iuſſus eſt à Cæſare Deiotarus bene ſperare. Iam, vt ſcribit Velleius, Cæſar ex Hiſpania: *Cùm menſe Octobri in vrbem reuertiſſet, Idibus Martiis interemptus eſt.* Quo temporis interuallo neceſſe eſt habitam hanc orationem fuiſſe quinto vel ſaltem quarto Cæſaris Conſulatu. Qui duo Cæſaris conſulatus cùm in annum vrbis DCCIX. & DCCX. inciderint, Cicero cùm egit cauſſam Deiotari agebat annum ferè ſexageſimum ſecundum.

PRIMVM DICO.] Exponit timoris ſui cauſſas. prima ſumitur ex theſi generali.

Timendi cauſſam habet qui dicit pro capite, fortuníſque Regis.

Sed ego dico pro capite fortuníſque Regis.

Ergo timendi cauſſam habeo.

Propoſitio probatur ab inuſitato.

Timendi cauſſam habet, qui facit aliquid inuſitatum, & ante hunc diem inauditum.

Sed qui dicit pro capite Regis, facit aliquid inuſitatum, & ante hunc diem inauditum.

Ergo timendi cauſſam habet, qui dicit pro capite Regis.

QVOD ETSI.] Prudenter vitat offenſionem Cæſaris, ne de inuſitata & inaudita quæſtione cõquerens, Cæſarem hùius quæſtionis diſceptatorẽ iniquitatis accuſare videatur. Iniquum quidem eſſet, inquit, Regem in alterius cuiuſuis periculo reum fieri: ſed tua vita tanti eſt momenti, tantíq; refert Reip. te conſeruari, vt in tuo vnius periculo non ſit iniquum etiam Reges capitis reos fieri, ſi probabile ſit eos inſidias capiti tuo fuiſſe molitos.

DEINDE EVM REGEM.] A theſi ad hypotheſin delabitur, éſtque altera timendi cauſſa

petita rurſum ab inuſitato, per antitheſin, quæ poteſt eodem pacto ad ſyllogiſmum reuocari.

NOTÆ.

I. COMMOVERI.] Eodem pacto Demoſthenes ſe πάντων ἀτολμότατον, *omnium oratorum inaudaciſſimum*, eſſe profitetur περὶ παῤῥησίας. Luc. Craſſus 1. de Orat. *Equidem & in vobis animaduertere ſoleo, & in meipſo ſæpiſſimè experior, vt exalbeſcam in principiis dicendi, & tota mente atque omnibus artubus contremiſcam. Adoleſcentulus verò ſic initio accuſationis exanimatus ſum, vt hoc ſummum beneficium Q. Maximo debuerim, quod continuò conſilium dimiſerit, ſimul ac fractum ac debilitatum metu viderit.* Cuius timoris Antonius ibidem duas cauſſas reddit ſanè pulcherrimas. Porcium Latronem, vt paulò pòſt videbimus, ſcribit Seneca Rhetor, quadam cauſſa *vſque eò eſſe confuſum, vt à ſolœciſmo inciperet.* Vide aliorum exempla quæ retulimus ad Cœlianam 19. *fortaſſe, vt ſoleo, commouebor.* adeò vt quo quis ad dicendum ineptior, eò eſſe ſoleat audacior. Ammianus libro 30. *Horum*, inquit, *obſtinatione libertatem temeritas, conſtantiam audacia præceps, eloquentiam inanis quædam imitatur fluentia loquendi.* Et Lucianus Rhetorum præceptore ſuum illum Pſeudorhetorem inſtituens. ὁπόσα χρὴ οἴκοθεν ἔχοντα ἐφόδια πρὸς τὴν πορείαν. Quæ oporteat ſecum domo adferre ad iter eloquentiæ ſuſcipiendum viatica. Κόμιζε τοίνυν, inquit, τὸ μέγιστον μὲν τὴν ἀμαθίαν, εἶτα θράσος ἐπὶ τούτοις, καὶ ἄλλως δὲ τόλμαν καὶ ἀναισχυντίαν. αἰδῶ δὲ καὶ ἐπιείκειαν ἢ μετριότητα, ἢ ἐρύθημα, οἴκοι ἀπόλιπε. *Adfer igitur præcipuum quidem ignorantiam. Ad hæc audaciam, confidentiam, impudentiam, verecundiam, modeſtiam, & ruborem domi relinque.*

II. MEA FIDES.] Fides in patrono maximè requiritur, vt iam alibi memini me notare, & ſanè *clientela* & *fides* idem fuit apud antiquos, & in *fide alicuius eſſe*, idem atque eſſe in clientela. & Gellius lib. 5. noct. Attic. cap. 13. Conſtare ait ex moribus pop. Rom. *Primùm iuxta parentes locum tenere pupillos debere, fidei tutelæque noſtræ creditos: ſecundum eos proximum locum clientes habere, qui ſeſe in fidem patrociniúmque noſtrum dederunt: tum in tertio loco eſſe hoſpites: poſtea eſſe cognatos affinéſque.* Adfert auctoritatem Catonis Cenſorij: *Maiores ſanctius habuere defendi pupillos quàm clientem non fallere: aduerſus cognatos pro cliente teſtatur: teſtimonium aduerſum clientem nemo dicit.* Vnde inter maxima quoque ſcelera cenſetur:

Pulſatúſve parens, aut fraus innexa clienti.

III. PRO CAPITE FORTVNISQVE.] Etiam alibi notauimus in huiuſmodi locutionibus non degenerare orationem: plúſque eſſe de fortunis, quàm de capite dimicare. Quod verum eſt tantùm in minima capitis minutione, aut etiam in media. Paulus D. de Capite minutis. *Capitis deminutionis tria genera ſunt, maxima, media, minima. Tria enim ſunt quæ habemus, libertatem, ciuitatem, familiam. Igitur cùm omnia hæc amittimus, hoc eſt libertatem & ciuitatem & familiam, maximam eſſe capitis deminutionem: cùm verò amittimus ciuitatem, libertatem retinemus: mediam eſſe capitis deminutionem: cùm & libertas & ciuitas retinetur, familia tantùm mutatur, minimam tantùm capitis deminutionem conſtat.* De capite igitur fortuníſque Deiotarus dimicabat, quia ſi fuiſſet conuictus ſtatum fortaſſe mutaſſet, & è Rege factus fuiſſet priuatus: quæ videtur eſſe quædam capitis minutio: vel etiam ciuitatem perdidiſſet, in exilium actus: quod minùs eſt quàm fortunas omnes amittere, multi enim exules ſecum fortunas ſuas auferebant: vt conſtat de C Antonio, qui exulans in Cephallenia non ſolùm eam inſulam ſibi ſuis pecuniis comparauit, ſed etiam vrbem in ea condidit. Cùm igitur dicit Orator, *pro capite fortuníſque*, auget vim orationis: quia non omnis qui capite minuitur, etiã fortunas ſuas amittit. Nonnunquã tamen cauſſa capitis dicitur cauſſa omnium atrociſſima, & capite damnari, & ad mortem damnari Vlpianus D. de iniuſto, rupto, &c. lege *ſi quis*. §. Sed etſi. *Capite damnatus, vel ad beſtias, vel ad gladium, vel alia pœna quæ vitam adimit.* Quidam Iuriſconſulti exiſtimant etiam minutionem exiſtimationis poſſe dici capitis minutionem. Nam capitis minutio eſt *ſtatus permutatio*, vt dicitur I. lib. 1. cap. 16. ſiue vt interpretatur Theophilus τῆς προτέρας καταστάσεως ἐναλλαγή. At vt ſcribit Calliſtratus D. de variis & extraord. l. cognitionum. *Exiſtimatio eſt dignitatis illæſæ ſtatus, legibus ac moribus comprobatus, qui ex delicto noſtro auctoritate legum aut minuitur, aut conſumitur. Minuitur exiſtimatio quoties manente libertate circa ſtatum dignitatis pœna plectimur: ſicuti cùm relegatur quis, vel cùm ordine mouetur, vel cùm prohibetur honoribus publicis fungi.* Nihilominùs tamen, vt dicitur I. lib. 1. cap. 16. *Quibus dignitas magis, quàm ſtatus permutatur, capite non minuuntur. & ideò à Senatu motos capite non minui conſtat.*

INVSITATVM REGEM CAPITIS REVM ESSE.] Inuſitatum quidem hactenus: at hoc Cæſaris exemplo multi poſteà de Regibus etiam iudicarunt. Nam Antonius, vt auctor eſt Dio libro 49. Regem Iudææ, Τὸν Ἀντίγονον ἐμαστίγωσε, σταυρῷ προσδήσας (ὃ μηδεὶς ἄλλος βασιλεὺς ὑπὸ τῶν Ῥωμαίων ἐπεπόνθει) καὶ μετὰ τοῦτο καὶ ἀπέσφαξεν. *Antigonum cruci alligatum (quo ſupplicio nullus vnquam Rex à Romanis erat affectus) flagris cæcidit, ac deinde iugulauit.* De quo Plutarchus in Antonio, Ioſephus lib. 15. antiq. & alij conſulantur. Idem Antonius, vt ſcribit Dio libro laudato, Artaxem Regem Armeniæ: ἔδησεν ἀργυραῖς ἁλύσεσιν. αἰσχρὸν γὰρ, ὡς ἔοικεν, ἦν βασιλέα αὐτὸν γεγονότα σιδηραῖς δεθῆναι. *Argenteis catenis vinxit, quia nimirum turpe erat, eum qui Rex fuiſſet, ferreis in catenis haberi.* Auguſtus etiam de Tiridate & Phraate iudicauit, vt idem Dio ſcribit lib. 54. exeunte. Sed eos omitto: tum quod non erat cauſſa capitis: tum quod Senatus communi partium conſenſu controuerſiarum iudex electus, eam curam Auguſto tranſmiſerat. Ab eodem Auguſto, vt dicitur lib. 55. Ἡρώδης ὁ Παλαιστῖνος, αἰτίαν τινὰ ἀπὸ τῶν ἀδελφῶν λαβὼν, ὑπὲρ τὰς Ἄλπεις ὑπερωρίσθη, καὶ τὸ μέρος τῆς ἀρχῆς αὐτοῦ ἐδημοσιώθη. *Herodes Palæſtinus à fratribus accuſatus, trans Alpes eſt relegatus, ac pars eius ditionis in publicum redacta.* Immò ſcribit Strabo lib. 16. non eum ſolùm, ſed etiam fratres in iudiciũ capitis vocatos: Οὐ μὴν οὐδ᾽ οἱ παῖδες, ἀλλ᾽ ἐν αἰτίαις ἐγένοντο, καὶ ὁ μὲν ἐν φυγῇ διετέλει παρὰ τοῖς Ἀλλόβριξι Γαλάταις λαβὼν οἴκησιν, οἱ δὲ θεραπείᾳ πολλῇ μόλις εὕροντο κάθοδον, τετραρχίας ἀποδοθείσης ἑκατέρῳ. IV.

Multi Reges in iudicium capitis vocati apud Romanos.

filiis (Herodis Magni) *res non feliciter ceſſerunt: ſed rei facti, alter apud Gallos Allobroges in exilio vitam exegit : reliqui ægrè multis obſequiis reditum impetrarunt, & ſuam vterque tetrarchiam.* Omitto patrem Herodem, quoties vel cauſſam dixerit, vel etiam filios accuſarit, Auguſto diſceptatore, aut iudicibus ab eo delegatis. Vide Ioſephum antiq. Iud. lib. 16. cap. 7. 14. 17. lib. 17. cap. 7. & alibi. Tiberius apud Dionem lib. 57. Archelaum Cappadociæ Regem : Μετεπέμψατο ὡς καὶ νεωτερίζοντά τι, καὶ τῇ τῆς γερουσίας ψήφῳ παρέδωκεν, οὐ μόνον ὑπεργήρων ὄντα, ἀλλὰ καὶ δεινῶς ποδαγρῶντα. *Inſimulatum quaſi nouis rebus ſtuderet, euocauit Romam, ac Senatus iudicio tradidit : hominem non modò ſenectute extrema, ſed podagra etiam afflictum vehementi.* Ab eodem Tiberio Agrippa Herodis nepos ἐδέδετο, *in vincula coniectus eſt*, & à Caio Cæſare poſteà liberatus.

ORNARE ANTEA.] De Haruſp. reſponſis 29. *Atque hunc tamen Deiotarum ſæpe à Senatu regali nomine dignum exiſtimatum, clariſſimorum imperatorum teſtimoniis ornatum, tu etiam Regem appellari cum Brogitaro iubes.* Quod autem ait de perpetuis eius in Remp. meritis, ita ibidem: *Quem vnum habemus in orbe terrarum fideliſſimum huic imperio atque amantiſſimum noſtri nominis.*

ATROCISSIMVM.] Proprietatem huius vocis indicamus pro Milone §. 21. *Quamuis atrociter tuliſſet, vos tamen fortiter eſſe iudicaturos.*

ARGVMENTVM.

Exponit tres alias timoris ſui rationes, quarum duæ petuntur ab accuſatorum perſona: crudelitate Caſtoris: indignitate Phidippi fugitiui. Tertia à perſona iudicis, Cæſaris videlicet, cognoſcentis de eo qui contra ipſum Cæſarem dicitur inſidias comparaſſe.

II. ACCEDIT, vt accuſatorum alterius crudelitate, alterius indignitate perturber. Crudelis Caſtor, ne dicam ſceleratum & impium: qui nepos auum in diſcrimen capitis adduxerit, adoleſcentiæque ſuæ terrorem intulerit ei, cuius ſenectutem tueri & tegere debeat: commendationémque ineuntis ætatis ab impietate & ſcelere duxerit: aui ſeruum corruptum præmiis, ad accuſandum dominum impulerit, & à Legatorum pedibus abduxerit. Fugitiui autem dominum accuſantis, & dominum abſentem, & dominum amiciſſimum noſtræ Reip. quum os videbam, quum verba audiebam, non tam afflictam regiam conditionem dolebam, quàm de fortunis communibus extimeſcebam. Nam quum more maiorum de ſeruo in dominum ne tormentis quidem quæri liceat, in qua quæſtione dolor veram vocem elicere poſſit etiam ab inuito, exortus eſt ſeruus, qui quem in equuleo appellare non poſſet, eum accuſet ſolutus. Perturbat me, C. Cæſar, etiam illud interdum : quod tamen, quum te penitus recognoui, timere deſino : re enim iniquum eſt, ſed tua ſapientia fit æquiſſimum. Nam dicere apud eum de facinore, contra cuius vitam conſilium facinoris iniſſe arguâre, ſi per ſeipſum conſideres, graue eſt. Nemo enim ferè eſt, qui ſui periculi iudex, non ſibi ſe æquiorem quàm reo præbeat. Sed tua, C. Cæſar, præſtans ſingularíſque natura hunc mihi metum minuit. non enim tam timeo quid tu de Rege Deiotaro, quàm intelligo quid de te cæteros velis iudicare.

EXPLANATIO.

ACCEDIT.] Præter duas illas timoris mei cauſſas iam à me allatas, me etiam perturbat Caſtoris auum in diſcrimen vocantis, eiúſque ſanguinem expetentis crudelitas, & Phidippi fugitiui dominum ſuum accuſantis indignitas. Et primò quidem crudelitas Caſtoris ex oppoſitis oſtenditur, *Nepos auum; adoleſcentia, ſenectutem: in diſcrimen capitis adduxerit, tueri ac tegere: commendationem à ſcelere,* &c. *ſeruum ad accuſandum dominum impulerit,* &c.

FVGITIVI.] Quarta timoris cauſſa. Phidippi ſerui Deiotarum dominum ſuum accuſantis indignitas, & periculum impendens fortunis communibus. Quam rem variis facti circunſtantiis exaggerat. 1. Quòd eſſet fugitiuus. 2. Quòd à legatorum pedibus abſtractus. 3. Quòd accuſet dominum fugitiuus, qui ne cõtra alienum quidem aut obſcurum audiri debuiſſet. 4. Quòd dominum abſentem. 5. Quòd amiciſſimum Regem Reip. 6. Quòd impudenter accuſet. 7. A conſequenti ſiue periculo, ne ſerui paſſim eum imitentur, & impunè dominos accuſent. 8. A comparatis hoc enthymemate.

Indignum eſt de ſeruis contra dominos tormentis inquirere, in qua quæſtione dolor veram vocem

elicere poteſt, etiam ab inuito.

Ergo multo indignius de ſeruo ſoluto contra dominum inquirere.

Pertvrbat me.] Quinta timendi cauſſa à perſona Iudicis.

Dicere apud eum de facinore, contra cuius vitam conſilium facinoris iniſſe arguâre, graue eſt.

Sed dico apud te de facinore, contra cuius vitam conſilium facinoris iniſſe Deiotarus arguitur.

Ergo mihi graue eſt apud te dicere pro Deiotaro. Probat maiorem illam propoſitionem, quia *nemo ferè eſt qui ſui periculi iudex, non ſibi ſe æquiorem quàm reo præbeat.* Quia tamen hæc cauſſa Cæſarem potuit offendere, quaſi dicatur Cæſar iniquum ſe iudicem Deiotaro præbiturus fuiſſe, id Orator prudenter emollit à Cæſaris ſapientia & æquitate. Cæſarémque ſpecie laudationis obiter hortatur, vt id faciat, quod de ſe volet alios iudicare.

NOTÆ.

I. Alterivs crvdelitate.] Solent Oratores ad accuſationis fidem eleuandam accuſatorum crudelitatem & immanitatem oſtẽdere. vt pro Quintio S. Næuij, pro Rabirio Labieni, pro Ligario Tuberonis.

II. Alterivs indignitate.] In accuſationibus admittendis ſpectanda eſt etiam accuſatorum dignitas vel indignitas. vnde, vt ait Vlpianus, D. de accuſat. & inſcript. *Is qui iudicio publico damnatus eſt, ius accuſandi non habet, niſi liberorum vel patronorum ſuorum mortem, vel rem ſuam exequatur. Sed & calumniâ notatis ius accuſandi ademptum eſt. Item his qui cum beſtiis depugnandi cauſſa in arenam intromiſſi ſunt: quiue artem ludicram vel lenocinium fecerint*, &c. *Nonnulli*, inquit Hermogenianus eodem, *propter paupertatem, vt ſunt qui minus quàm quinquaginta aureos habent.* Multo minùs ſerui contra dominos audiendi. Vnde reſcriptum Arcadij & Honorij C. de his qui accuſare non poſſunt. *Si quis ex familiaribus vel ex ſeruis cuiuſlibet domus cuiuſcunque criminis delator atque accuſator emerſerit, eius exiſtimationem caput atque fortunas petiturus, cuius familiaritati vel dominio inhæſerit: ante exhibitionem teſtium atque examinationem iudicij, in ipſa expoſitione criminum atque accuſationis exordio vltore gladio feriatur. Vocem enim funeſtam amputari oportet potiùs quàm audiri. maieſtatis autem tantum crimen excipimus.* Quod ne quidem excepit Tacitus, auctore Vopiſco, nec Traianus, auctore Plinio, vt ibi notat Gothefredus. Vlpianus D. de officio præfecti vrbis. *Quod autem dictum eſt vt ſeruos de dominis querentes Præfectus audiat, ſic accipiemus, non accuſantes dominos (hoc enim nequaquam ſeruo permittendum eſt, niſi ex cauſſis receptis) ſed ſi verecundè expoſtulent; ſi ſæuitiam, ſi duritiam, ſi famem qua eos premant: ſi obſcœnitatem in quam eos compulerint vel compellant, apud Præfectum Vrbi exponant.* quo alluſit Terentius Phormione, actu 2. ſc. 1.

Seruum hominem cauſſam orare leges non ſinunt:
Neque teſtimonij dictio eſt.

III. Impivm.] Vide Vatin. §. 11. Not. 4. Cœlianam § 4. n. 3.

IV. Crvdelis Castor.] Operæpretium facturus videor, ſi ad huius loci explicationem Bernardi Martini Diuionenſis viri doctiſſimi verba exſcripſero. Is igitur lib. 1. variarum lectionum cap. ſexto. Pro Rege Deiotaro dicturus Orator, inquit, cùm in attentionis potiùs, & commiſerationis conciliationem, quàm in quoduis aliud Rhetoricorum artificiorum genus, totius cauſæ ſtatum videret inclinandum, quibuſcunque poteſt modis in captanda Cæſaris beneuolentia, eloquentiæ ſuæ vires exercet, ídque præſertim contendit efficere, vt imminuta aduerſariorum auctoritate & fide, & concitato in eos odio, Deiotarum faciliùs iudicij laqueis eximere, cúmque ab omni criminis ſuſpicione & labe vindicare poſſit. Itaque ſtatim Caſtorem periculoſæ illius accuſationis auctorem aggreditur, & eum in odium non leue adducturus ait. Crvdelis Castor, &c. Qua vibrantium aculeorum ſequela nihil potuit afferri vehementius, nihílque in Caſtorem acerbius dici, quàm eum adoleſcentiæ primordia tam infauſtis inauſpicatíſque auibus ducere. Qua ratione Theſeus quoque apud Senecam, cùm à peſſima vxore circumuentus crederet Hippolytum nefarium illud facinus, quo de inſimulabatur, moliri auſum, aliquot primùm verſibus in integerrimi adoleſcentis habitum, mores, victũ, & vultum inuectus, hoc tandem epiphonemate & filij ſcelus exaggerare, & ſeipſum ad iram excitare conatur,

-Siluarum incola
Ille efferatus, caſtus, intactus, rudis,
Mihi te reſeruas? à meo primùm toro,
Et ſcelere tanto placuit ordiri virum?

Sic & Plato Eutyphrone, ait eum videri ſibi à laribus & focis, &c. initium peccandi in Remp. feciſſe, qui Socratem audeat accuſare, & contumeliis afficere. Ἀφ' ἑστίας μοι δοκεῖ ἄρχεσθαι κακουργεῖν τὴν πόλιν, σὲ ἐπιχειρῶν, ὦ Σώκρατες, ἀδικεῖν.

Cvm os videbam.] Impudentiam. in Piſonem 63. *Os tuum ferreum Senatus conuicio verberari noluiſti.* vide eandem orationem §. 51. 53. V.

De servo in dominvm.] Pro Milone 60. *Maiores noſtri in dominum de ſeruo quæri noluerunt, non quia non poſſet verum inueniri, ſed quia videbatur indignum eſſe, & dominis ipſa morte triſtius.* VI.

Elicere.] Quid eſt *dolor veram vocem elicere poſſit etiam ab inuito?* cùm eliciendi verbum aliquid lenitatis & blanditiarum, quàm violentiæ & doloris importare videatur. tamen 2. de natura Deorum, *elici* idem eſt atque *extundi. lapidum conflictu atque tritu elici ignem videmus.* Elicio autem, vt notant Grammatici, ab antiquo *lacio, lacit*, inquit Feſtus, *decipiendo inducit. Lax etenim fraus eſt.* Porrò vt noſter *elicere veram vocem.* ita Claudianus de quarto Honorij conſulatu. VII.

Nec legitur dubiis qui litibus addere finem
Iuſtior, aut merſum tenebris educere verum.

Eqvvleo.] De hoc & aliis tormentorum generibus fusè tractatum pro Milone 58. *Facti enim in equuleo quæſtio eſt, iuris in iudicio.* VIII.

AXIOMATA.

Impium eſt adoleſcentiæ noſtræ terrorem iis inferre, quorum ſenectutem tueri debemus.

Commendationem ineuntis ætatis ab impietate & ſcelere ducere non oportet.

De ſeruo in dominum ne tormentis quidẽ quæri licet.

Nemo ferè eſt qui ſui periculi iudex, non ſibi ſe æquiorem quam reo præbeat.

ARGVMENTVM.

Exponit ſextam timoris ſui cauſſam petitam à loco: quòd non in foro, ſed intra priuates parietes hanc habeat orationem: deinde ad leniendum timorem, Cæſaris æquitatem & diligentiam implorat, orationémque partitur ad perſpicuitatem.

MOVEOR etiam loci ipſius inſolentia, quòd tantam cauſam, quanta nulla vnquam in diſceptatione verſata eſt, dico intra domeſticos parietes, dico extra conuentum, & eam frequentiam, in qua oratorum ſtudia niti ſolent. In tuis oculis, in tuo ore, vultúque acquieſco: te vnum intueor: ad te vnum omnis mea ſpectat oratio: quæ mihi ad ſpem obtinendæ veritatis grauiſſima ſunt, ad motum animi, & omnem impetum dicendi contentionémque, leuiora. Hanc enim, C. Cæſar, cauſam ſi in foro dicerem, eodem audiente & diſceptante te, quantam mihi alacritatem Pop. Romani concurſus afferret? Quis enim ciuis ei Regi non faueret, cuius omnem ætatem in Pop. Romani bellis conſumptam eſſe meminiſſet? Spectarem curiam, intuerer forum, cœlum denique teſtarer ipſum. Sic, quum & Deorum immortalium, & Populi Romani & Senatus beneficia in Regem Deiotarum recordarer, nullo modo mihi deeſſe poſſet oratio. quæ quoniam anguſtiora parietes faciunt, actióque cauſæ maximè debilitatur loco: tuum eſt, Cæſar, qui pro multis ſæpe dixiſti, quid nunc mihi animi ſit, ad te ipſum referre, quò facilius tum æquitas tua, tum audiendi diligentia minuat hanc perturbationem meam. Sed antequam de accuſatione ipſa dico, de accuſatorum ſpe pauca dicam, qui quum videantur neque ingenio, neque vſu, atque exercitatione rerum valere, tamen ad hanc cauſam non ſine aliqua ſpe & cogitatione venerunt. III.

EXPLANATIO.

MOVEOR.] Id etiam me perturbat quod præter conſuetudinem Deiotari cauſſam defendo non in loco patenti, pro Roſtris: ſed intra domeſticos parietes Cæſaris, quò populus Romanus ad audiendam cauſſam non admittitur.

TANTAM CAVSSAM.] De fortunis & capite Regis, cauſſam in diſceptatione verſari dicit de qua diſceptatur, ſiue litigatur. Spes autem obtinendæ veritatis, eſt ſpes obtinendæ cauſſæ, ſiue referendæ de accuſatoribus victoriæ, comperta rei, de qua controuertitur, veritate, quam oſtendere facilius quidem fuit apud vnum Cæſarem, qui acri præditus ingenio, nouerat falſum à vero diſcernere, quàm apud multitudinem imperitam, quæ frequenter Oratorum præſtigiis in fraudem inducitur, nec certo veritatis examine poteſt rationum momenta ponderare.

DISCEPTANTE.] Iudicante, cognoſcente de cauſſa. Commodè autem & quaſi aliud agens, rationémque exponens cur alacriùs diceret in foro, quàm intra priuatos Cæſaris parietes, meritorum Deiotari in populum Rom. & viciſſim populi Senatúſque Romani beneficiorum in Deiotarum inculcat mentionem. hoc enim pacto reo beneuolentiam aucupatur.

CONSVMPTAM.] Propriè: nam conſumi dicitur quod paulatim carpitur & deficit, & in aliquam rem impenditur: conſumpta igitur vita Deiotari, quia longo temporis ſpatio pro imperio Romano bella geſſit.

SPECTAREM CVRIAM.] Aduerte quàm concinnè ſingula ſingulis, curia Senatui, forum populo Romano, cœlum ipſum Diis reſpondeat.

QVÆ QVONIAM.] Poſt ſui timoris expoſitionem ad remedium recurrit, nimirum ad Cæſaris diligentiam, & æquitatem, diligentiam vt ſe præbeat attentum, & ſingulas rationes conſideret; æquitatem vt clementia ſua & benignitate ſubleuet Oratorem.

PRO MVLTIS SÆPE DIXISTI.] Cæſar, antequam præturam gereret inter Oratores magna dicendi gloria in foro iudiciiſque verſatus eſt. Mens autem hæc eſt Oratoris: Quoniam dicens inter domeſticos parietes, non poſſum eam alacritatem adhibere, eóſque motus excitare, quos poſſem, ſi in foro haberetur oratio; Tuæ ſunt partes, C. Cæſar, qui pro multis ſæpe dixiſti, quid nunc mihi animi ſit, ex tuo ſenſu iudicare, & cogitare quid tibi animi eſſet, ſi tantam cauſſam non in foro, ſed intra priuatos parietes, perorare deberes, eámque mihi æquitatem & diligentiam præſtare, quam tibi ipſi velles exhiberi.

SED ANTEQVAM.] Orationis diuiſio.

ACCVSATORVM.] Caſtoris, & Phidippi medici, fugitiui à legatorum pedibus abſtracti.

NOTÆ.

I. INSOLENTIA.] Quid ſit *inſolens*, quid *inſolentia*, vide pro Sextio §. 119. hîc excurri poſſet in locum communem,

Excitat auditor ſtudium.-

Sed hoc non eſt inſtitutæ breuitatis. Vide dialogum de cauſſis corruptæ eloquentiæ.

II. DISCEPTATIONE.] Quid ſit diſceptatio conſtat ex Partitionibus oratoriis §.10. *Aut auſcultator eſt modò qui audit, aut diſceptator, id eſt, rei ſententiæque moderator : itaut aut delectetur, aut ſtatuat aliquid : ſtatuit autem aut de præteritis vt iudex, aut de futuris vt Senatus.*

COELVM DENIQVE IPSVM.] Quia nimirum ſub dio perorabant. vt diximus ad illa verba Cœlianæ 67. *Alia fori vis eſt, alia triclinij: alia ſubſelliorum ratio, alia lectorum : non idem iudicum comeſſatorúmque conſpectus : lux denique alia longè eſt ſolis & lychnorum.* Vnde & Athenis Iudices ἡλιασταὶ, iudicare, ἡλιάζειν. Seneca Rhetor præfat. lib. 4. ſcribit: *Declamatoriæ virtutis Latronem Porcium vnicum exemplum cùm pro reo in Hiſpania Ruſtico Porcio propinquo ſuo diceret, vſque eo eſſe confuſum vt à ſolœciſmo inciperet : nec ante potuiſſe confirmari tectum ac parietes deſiderantem, quàm impetrauit vt iudicium ex foro in baſilicam transferretur. Vſque eo ingenia in ſcholaſticis exercitationibus delicatè nutriuntur, vt clamorem, ſilentium, riſum, cœlum denique pati neſciant.* Idem præfatione epitomæ lib.3. idem propemodum affirmat. adi. Huc ſpectat quod Valerius Maximus lib. 8. cap. 1. ſcribit de L. Piſone. *Námque per idipſum tempus, quo triſtes de eo ſententiæ ferebantur, repentina vis nimbi incidit. cúmque proſtratus humi pedes iudicum oſcularetur, os ſuum cœno repleuit.* & illud Plinij lib. 19. cap. 1. *Marcellus Octauia ſorore Auguſti genitus, in ædilitate ſua, auunculo XI. Conſule Calend. Auguſti, velis forum inumbrauit, vt ſalubrius litigantes conſiſterent : quantum mutatis moribus Catonis* [illegible] *rij, qui ſternendum quoque forum muricibus cenſuerat.*

Iudicia ſub Dio exercita.

PRO MVLTIS SÆPE DIXISTI.] Suetonius cap. 55. *Poſt accuſationem Dolabellæ haud dubiè præcipuis patronis annumeratus eſt.* Vide Ligarianam 17. *Cauſſas, Cæſar, egi multas, & quidem tecum, dum te in foro tenuit ratio honorum tuorum.* Qua occaſione, ſi operis ſuſcepti breuitatíſque deſtinatæ ratio pateretur, oſtenderem maximis quibuſque Imperatoribus & principibus viris ſummam eloquentiæ ſemper habitam fuiſſe. vide eundem Tranquillum in Auguſto, Tiberio, Caio, Claudio. Sed de his qui vnà cum Cicerone in Rep. floruerunt, illud Plutarchi in Craſſo ſuffecerit. Παιδείας δὲ τῆς περὶ τὸν λόγον, μάλιστα μὲν τὸ ῥητορικὸν καὶ χρειῶδες εἰς πολλοὺς ἤσκησε. καὶ γενόμενος δεινὸς εἰπεῖν ἐν τοῖς μάλιστα Ῥωμαίων, ἐπιμελείᾳ καὶ πόνῳ τοὺς εὐφυεστάτους ὑπερέβαλεν. οὐδεμίαν γὰρ οὕτω δίκην φασὶ μικρὰν οὐδ᾽ εὐκαταφρόνητον γενέσθαι, πρὸς ἣν ἀπαρασκεύαστος ἦλθεν. ἀλλὰ καὶ Πομπηΐου πολλάκις ὀκνοῦντος, καὶ Καίσαρος ἐξαναστῆναι, καὶ Κικέρωνος, ἐκεῖνος ἀνεπλήρου τὴν συνηγορίαν, καὶ διὰ τοῦτο μᾶλλον ἤρεσκεν, ὡς ἐπιμελὴς, καὶ βοηθητικός. *Ex litterarum ſtudio artem oratoriam, & eam quæ publico vſui eſſe poſſet, potiſſimum exercuit. Et cùm inter eloquentiſſimos oratores Romanos dicendi facultate polleret, ſedulitate & labore quoſuis ad eloquentiam aptiſſimos ſuperabat. Nullam enim aiunt cauſſam fuiſſe adeò tenuem & leuem, ad quam imparatus accederet. Sed Pompeio frequenter & Cæſare, ac Cicerone ad dicendum ſurgere renuentibus, ipſe abſoluebat defenſionem. Qua de cauſſa imprimis gratus fuit, tanquam ſollicitus, & ad ſuccurrendum promptus.* IV.

Cæſaris eloquentia.

AXIOMA.

In conuentu & frequentia oratorum ſtudia niti ſolent.

Narratio ab 4. ad 8. duabus partibus continetur.

- Expoſitione rerum quibus compulſi ſunt accuſatores. ſciebant
  - 1. Cæſarem iratum Regi Deiotaro fuiſſe.
  - 2. Deiotarum à Cæſare affectum incommodis, & regni parte mulctatum.
  - 3. Cæſarem ſibi amicum eſſe cognorant.
  - 4. Cùm apud ipſum Cæſarem de Cæſaris periculo dicerent, fore putabant vt in exulcerato animo facilè fictum crimen inſideret.
  - Quæ cùm inficiari non poſſet Orator, miro artificio
    - ex iis aduerſarios in inuidiam adducit, quaſi occaſionem inde arripuerint, ad
      - Cæſarem fallendum.
      - innocentiam Regis opprimendã.
    - Cæſaris fidem, & conſtãtiam implorat.
    - & reconciliationem gratiæ in memoriam reducit.
    - Inimicitias priores eleuat.
- Expoſitione rerum à Deiotaro geſtarum bello ciuili. Tulit arma contra Cæſarem. vtitur
  - Excuſatione
    - Senatui parendum putauit
      - cùm eum Senatus Regem appellaſſet.
      - cùm illum ordinem ab adoleſcentia grauiſſimum ſanctiſſimúmq; dixiſſet.
      - iiſdem rebus inductus eſt
        - homo longinquus & alienigena.
        - quibus ij qui erant in media Rep. verſati.
    - deceptus eſt rumoribus cùm ab omnibus nuntiaretur
      - Senatus auctoritate arma ſumpta.
      - Magiſtratibus Remp. defendendam datã.
      - Conſules ex Italia profugiſſe omnéſque Conſulares.
      - Nihil audierat eorum quæ pro Cæſare faciebant
        - Cæſarem æquas conditiones proponere.
        - ſtudere concordiæ.
        - conſpiratione certorum hominum impugnari.
    - Ceſſit auctoritati Pompeij, eúmque bello ciuili ſequutus eſt,
      - quem ſequebantur principes ciuitatis.
      - in quem Dij & homines omnia ornamenta congeſſerant.
      - quem Cæſar ipſe multis rebus ornarat.
      - qui cæteros omnes ante Cæſarem rebus geſtis ſuperabat.
      - quem ipſe Deiotarus ſequutus fuerat bellis iuſtis, eum etiam bello ciuili ſequutus eſt,
        - vel rogatus vt amicus.
        - vel accerſitus vt ſocius.
        - vel euocatus vt qui Senatui parere didiciſſet.
        - Venit ad ſocietatẽ
          - non victoriæ,
          - ſed periculi.
  - compenſatione.
    - 1. Cum primùm potuit ab armis diſceſſit.
    - 2. Cæſari Alexandrinum bellum gerenti opem tulit.
    - 3. Cn. Domitij exercitum ſuſtentauit.
    - 4. Semel, iterum, tertiò pecuniam Cæſari miſit, etiam facta bonorum ſuorum auctione.
    - 5. Corpus ſuum periculo obiecit, & contra Pharnacem pro Cæſare dimicauit.
    - 6. Hæc ob merita eum Cæſar Regem nominauit.

NARRATIO.

ARGVMENTVM.

Exponit & eleuat dicendo cauſſas, cur accuſatores Deiotari aliquid ſe à Cæſare contra Deiotarum impetraturos eſſe confiderent.

IRATVM te Regi Deiotaro fuiſſe non erant neſcij: affectum illum quibuſdam incommodis & detrimentis propter offenſionem animi tui meminerant: téque cùm huic iratum, tum ſibi amicum cognouerant: qúmque apud ipſum te de tuo periculo dicerent, fore putabant, vt in exulcerato animo facilè fictum crimen inſideret. Quamobrem hoc nos primùm metu, C. Cæſar, per fidem & conſtantiam, & clementiam tuam libera, ne reſidere in te vllam partem iracundiæ ſuſpicemur. Per dexteram te iſtam oro, quam Regi Deiotaro hoſpes hoſpiti porrexiſti: iſtam, inquam, dexteram, non tàm in bellis & in præliis, quàm in promiſſis & fide firmiorem. Tu illius domum inire, tu vetus hoſpitium renouare voluiſti: te eius Dij Penates acceperunt: te amicum, & placatum Deiotari Regis aræ focíque viderunt. Cùm facilè exorari, Cæſar, tum ſemel exorari ſoles. Nemo vnquam te placauit inimicus, qui vllas reſediſſe in te ſimultatis reliquias ſenſerit. Quanquam cui ſunt inauditæ cum Deiotaro querelæ tuæ? Nunquam tu illum accuſauiſti vt hoſtem, ſed vt amici officio parum functum, quòd propenſior in Cn. Pompeij amicitiam fuiſſet, quàm in tuam: cui tamen ipſi regi veniam te daturum fuiſſe dicebas, ſi tum auxilia Pompeio, vel ſi etiam filium miſiſſet, ipſe tamen excuſatione ætatis vſus eſſet. Itaque cùm maximis eum rebus liberares, perparuam amicitiæ culpam relinquebas. Itaque non ſolùm in eum non animaduertiſti, ſed omni metu liberauiſti, hoſpitem agnouiſti, regem reliquiſti. IV.

EXPLANATIO.

IRATVM TE REGI.] 2. Philipp. §. 79. *Quis enim cuiquam inimicior, quàm Deiotaro Cæſar? æquè atque huic ordini, vt equeſtri, vt Maſſilienſibus, vt omnibus quibus Remp. populi Romani caram eſſe ſentiebat,* &c.

DETRIMENTIS.] Iactura Tetrarchiæ Troginorum, & Armenia minore eſſe multatum, quòd bello ciuili adhæſiſſet Cn. Pompeio, pecuniam ei fuiſſe imperatam, &c. de quibus loco citato 2. Philippicæ.

QVAMOBREM.] Obſecratio ſiue obteſtatio pulcherrima.

TV ILLIVS.] Refricat memoriam beneficiorum Cæſaris in Deiotarum, vt eum ad ſeruandam conſtantiam hortetur, ídque faciliùs vt impetret, Deorum & religionum facit mentionem.

CVM FACILE.] Non ſolùm facilè placari ſoles, ſed etiam ſemel placari. quia ſic omnem penitùs ex animo acceptæ iniuriæ memoriam oblitteras, vt nihil iracundiæ reſideat, nec ſis iterum placandus.

QVANQVAM CVI.] Poſt obſecrationem qua Cæſarem Deiotaro placare conatus eſt, quaſi ſeipſum reprehendens retexénſque orationem ſuã, negat vllas inter Cæſarem & Deiotarum inimicitias contigiſſe, ſed Cæſarem de Deiotaro amicè & moderatè eſſe conqueſtum.

FILIVM.] Deiotarum Iuniorem. de quo Philipp. II. ſub finem.

EXCVSATIONE ÆTATIS.] Si ipſe non interfuiſſet bello, cauſſatus ætatem armis inutilem.

NOTÆ.

DETRIMENTIS.] Lib. 2. de Diuinatione: *Cæſarem eodem tempore & hoſtem & hoſpitem vidit. Quid hoc triſtius? Is cùm ei Troginorum Tetrarchiam eripuiſſet, & aſſeclæ ſuo Pergameno neſcio cui dediſſet, eidémque detraxiſſet Armeniam à Senatu datam, cúmque ab eo magnificentiſſimo hoſpitio exceptus eſſet, ſpoliatum reliquit & hoſpitem & Regem.* I.

DEXTERAM.] Liuius libro I. agens de Numa Pompilio. *Fidei ſolemne inſtituit. ad id ſacrarium Flamines bigis curru arcuato vehi iuſſit, manúque ad digitos vſque inuoluta rem diuinam facere. ſignificantes fidem tutandam, ſedémque eius etiam in dextris ſacratam eſſe.* Plinius lib. II. cap. 37. *Aliis etiam partibus ineſt religio, vt dextræ, quæ in oſculis appetitur, in fide porrigitur.* II.

VETVS HOSPITIVM.] Vide Sextianam §. 10. *hoſpitij publici.* III.

DII PENATES.] Pro Milone 39. *Cùm do-* IV.

mum ac Deos Penates, illo oppugnante defenderet. vbi multas de Penatibus attulimus veterum ſententias.

V. ARÆ FOCIQVE.] De aris & focis diximus ad §. 90. Sextianæ. & iterum dicemus in Philippicam 2. §. 63. Notis 6.7.

AXIOMATA.

In exulcerato animo faciliè fictum crimen inſidet.

Non oportet habere dexteram in bellis & in præliis quam in promiſſis & fide, firmiorem.

Vir clemens cùm facilè exorari, tum ſemel exorari ſolet.

Si quem placauit inimicus, in eo non debent ſimultatum reliquiæ reſidere.

ARGVMENTVM.

Hæc eſt altera pars narrationis, qua demonſtrat Deiotarum bello ciuili, non odio Cæſaris, ſed errore communi lapſum adhæſiſſe Cn. Pompeio.

V. NEQVE enim ille odio tui progreſſus, ſed errore communi lapſus eſt. Is rex, quem Senatus hoc nomine ſæpe honorificentiſſimis decretis appellauiſſet, quique illum ordinem ab adoleſcentia grauiſſimum ſanctiſſimúmque duxiſſet, iiſdem rebus eſt perturbatus, homo longinquus & alienigena, quibus nos in media Republica nati ſempérque verſati. Quum audiſſet Senatûs conſentientis authoritate arma ſumpta: Conſulibus, Prætoribus, Tribunisplebis, nobis Imperatoribus Rempub. defendendam datam: mouebatur animo, vt vir huic imperio amiciſſimus, de ſalute Populi Romani extimeſcebat, in qua etiam ſuam incluſam eſſe videbat: in ſummo tamen timore quieſcendum ſibi eſſe arbitrabatur. Maximè verò perturbatus eſt, vt audiuit Conſulares (ſic enim nunciabatur) cunctum Senatum, totam Italiam eſſe effuſam: talibus enim nuntiis & rumoribus patebat ad Orientem via, nec vlli veri ſubſequebantur, nihil ille de conditionibus tuis, nihil de ſtudio concordiæ & pacis, nihil de conſpiratione audiebat certorum hominum contra dignitatem tuam, quæ cùm ita eſſent, tamen vſque eò ſe tenuit, quoad à Cn. Pompeio ad eum legati literæque venerunt.

EXPLANATIO.

NEQVE ENIM ILLE.] Reddit rationem cur Cæſar non grauiùs excanduerit in Deiotarum, & hac occaſione ad propriam huius cauſſæ narrationem delabitur.

IS REX QVEM SENATVS.] Rex appellatus fuiſſe videtur Cæſaris & Bibuli conſulatu. Hirtius de bello Alexandrino: *Contra quem Caſar, cùm plurima ſua commemoraſſet officia, quæ conſul ei decretis publicis tribuiſſet.* Commodè autem Deiotarum excuſat, errore communi lapſum aiens, & lapſum cum Senatu, cuius auctoritatem plurimi faciebat.

CONSVLIBVS.] L. Lentulo, C. Marcello, qui eo anno Conſules fuerunt, quo bellum ciuile conflatum eſt. Res autem ſic ab ipſo Cæſare libro primo de bello ciuili exponitur. *Decurritur ad illud extremum atque vltimum S.C. quo niſi penè in ipſo Vrbis incendio, atque deſperatione omnium ſalutis, latorum audacia, nunquam antè diſceſſum eſt: dent operam Conſules, Pratores, Tribuniplebis, quíque Proconſules ſunt ad Vrbem, ne quid Reſpub. detrimenti capiat.* Malè autem quibuſdam exemplaribus extat *nouis imperatoribus:* legendum *nobis imperatoribus.* Cicero enim cùm Ciliciam prouinciam obtineret, ob res præclarè geſtas appellatus eſt imperator, & è prouincia decedens incidit in ipſam flammam belli ciuilis, eſque vt reliquis Proconſulibus qui ad Vrbem aderant, à Senatu mandatum vt videret ne quid Reſp. detrimenti pateretur.

OMNESQVE CONSVLARES.] Dubium non eſt pleroſque Conſulares hæſiſſe Pompeio: nonnulli tamen, vt ipſe Cicero, Seruius Sulpitius, & alij, in Italia ſubſtiterunt. Nuntiatum fuiſſe dicit omnes exiiſſe, quia id plurimùm fauebat cauſſæ Deiotari: indicat falſum fuiſſe rumorem. ne Cæſaris animum offendat, ſi ipſius partes ab omnibus viris conſularibus damnatæ fuiſſe videantur. At Philippica 2. §. 43. cladem belli ciuilis exaggerans, ait *Conſules ex Italia expulſos fuiſſe, cúmque his Cn. Pompeium, qui imperij Romani lumen ac decus fuit: omnes Conſulares qui per valetudinem exequi fugam illam cladémque potuiſſent: Pratores, Prætorios, Tribunosplebis, magnam partem Senatus, omnem ſobolem iuuentutis, vnóque verbo Remp. expulſam, atque exterminatam ſedibus ſuis.*

NIHIL ILLE DE CONDITIONIBVS.] Oſtenderat Cæſar initio belli ciuilis, *ad omnia ſe deſcendere paratum, atque omnia pati Reipub. cauſſa: proficiſcatur Pompeius in ſuas prouincias: ipſi exercitus dimittantur: diſcedant in Italia omnes ab armis: motus è ciuitate tollatur: libera comitia atque omnis Reſp. Senatui populóq. Romano permittatur.* vt ſcribit Cæſar lib. 1. de bello ciuili.

NIHIL DE CONSP. AVD. CERT. HOMINVM.] Marcellorum, Lentulorum, Domitij, Scipionis, Catonis.

NOTÆ

NOTÆ.

I. REX QVEM SENATVS.] Reges appellabantur à Senatu. Lucanus lib. 5. Pharſal.

Reges appellabantur à Senatu.

Tunc Sadalen, fortémque Cotym, fidúmque per arma
Deiotarum, & gelidæ dominum Raſcipolin oræ
Collaudant: Libyámque iubent auctore Senatu
Sceptrifero parere Iubæ. prô triſtia fata!
Et tibi non fidæ gentis digniſſime regno
Fortunæ Ptolemæe pudor, criménque Deorum
Cingere Pellæo preſſos diademate crines
Permiſſum eſt: ſæuum in populos puer accipis enſem.

Vide Sextianam §. 57. Nota 1. vt & diximus quæ munera Regibus à Senatu mitterentur.

IMPERATORIBVS.] Vide Piſonianam §. 38. Nota 6. & §. 54. Nota 2. II.

REMP. DEFENDENDAM DATAM.] Vide pro Milone 71. *Cùm Senatus ei commiſerit, vt videret, ne quid Reſp. detrimenti caperet: quo vno verſiculo ſatis armati ſemper conſules fuerunt, etiam nullis armis datis.* III.

CVNCTVM SENATVM] Ita rem expoſuit Lucanus 5. Pharſal. IV.

Senatus pro Pompeio.

-docuit populos venerabilis ordo
Non Magni partes, ſed Magnum in partibus eſſe. &ibidem Lentulus Conſul:
-mœrentia tecta
Cæſar habet, vacuáſque domos legéſque ſilentes,
Clauſáque iuſtitio triſti fora: Curia ſolos
Illa videt Patres, plena quos Vrbe fugauit,
Ordine de tanto quiſquis non exulat, hic eſt.

ARGVMENTVM.

Commodè narrationi breuem & liberam veniæ poſtulationem, & Pompeij laudationem interſerit.

IGNOSCE, ignoſce, Cæſar, ſi eius viri authoritati Rex Deiotarus ceſſit, VI.
quem nos omnes ſequuti ſumus, in quem quum Dij atque homines omnia ornamenta congeſſiſſent, tum tu ipſe plurima & maxima, neque enim ſi tuæ res geſtæ cæterorum laudibus obſcuritatem attulerunt, idcirco Cn. Pompeij memoriam amiſimus. Quantum nomen eius fuerit, quantæ opes, quanta in omni genere bellorum gloria, quanti honores Pop. Rom. quanti tui, quis ignorat? Tanto ille ſuperiores vicerat gloria, quanto tu omnibus præſtitiſti. Itaque Cn. Pompeij bella, victorias, triumphos, conſulatus, admirantes numerabamus, tuos enumerare non poſſumus.

EXPLANATIO.

IGNOSCE.] Repetitio verbi loco aptiſſima ad incutiendam vim orationi. Eſt autem argumentum à comparatis.

Si ignouiſti ciuibus qui contra te ſecuti ſunt Pompeium, multo magis Deiotaro debes ignoſcere.
Sed ignouiſti ciuibus.
Ergo multo magis Deiotaro.

Quod argumentum roborat à perſona Pompeij, in quem & homines & Dij, & ipſe etiam Cæſar omnia ornamenta congeſſerant. Homines cùm ei extraordinaria imperia & honores detulerunt, Dij cùm eius conſilia ſecundis fortunæ flatibus ad optatos exitus prouexerunt, Cæſar ipſe, cùm legem Maniliam ſuaſit, contendítque vt extra ordinem ad bellum Mithridaticum mitteretur.

NEQVE ENIM.] Παῤῥησία, qua dum hoſtem Cæſaris laudat, ei tamẽ adulatur ſpecie libertatis.

OMNI GENERE BELLORVM.] Externorum, ciuilium, maritimorum, terreſtrium.

SVPERIORES.] Scipiones, Paulos, Fabios, Marcellos, Marios, &c.

CN. POMP. BELLA.] Ciuile Sullanum, Gallicum, Africanum, Sertorianum, Piraticum, Mithridaticum, &c. quibus ſingulis obtinuit victoriam.

TRIVMPHOS.] Pro Cornelio Balbo 9. *Tot habet triumphos quot oræ ſunt partéſque terrarum: tot victorias bellicas, quot ſunt in rerum natura genera bellorum.*

CONSVLATVS.] Tres geſſit conſulatus, duos primos cum M. Craſſo, tertium ſolus accepit, collegam tamen ſibi adſciuit Q. Metellum Scipionem.

TVOS.] De bellis & victoriis Cæſaris paſſim hiſtorici: nec ſanè facilè enumerari poſſunt, illud in præſentia dixiſſe ſuffecerit, è Plinio lib. 7. cap. 35. *Signis collatis quinquagies dimicauit. Quinque egit triumphos*, verba ſunt Velleij libro 2. *Gallici apparatus ex citro, Pontici ex acantho, Alexandrini teſtudine, Africi ebore, Hiſpanici argento raſili conſtitit.* Quinque geſſit etiam conſulatus, primum cum M. Bibulo, alterum cum Seruilio Iſaurico, tertium cum M. Æmilio Lepido, quartum ſolus, quintum cum M. Antonio.

NOTÆ.

IGNOSCE.] Dixi eſſe παῤῥησίαν, de qua vide Ligarianam §. 4. Nota 1. §. 5. n. 8. I.

QVANTVM NOMEN.] Lucanus lib. 1. de bello ciuili pulcherrima comparatione Pompeij nomen & auctoritatem expreſſit. II.

Quantum fuerit nomen Pompeij.

-ſtat magni nominis vmbra
Qualis frugifero quercus ſublimis in agro
Exuuias veteres populi, ſacratáque geſtans
Dona ducum: nec iam validis radicibus hærens
Pondere fixa ſuo eſt: nudóſq; per æthera ramos
Effundens, trunco non frondibus efficit vmbram.
Sed quamuis primo nutet caſura ſub Euro,
Tot circum ſyluæ firmo ſe robore tollant,
Sola tamen colitur. Sed non in Cæſare tantum
Nomen erat, nec fama ducis: ſed neſcia virtus
Stare loco, ſoliſque pudor non vincere bello.

Et libro 9. *-clarum & venerabile nomen*
Gentibus, & multum noſtræ quod proderat vrbi. Quod ad eius victorias ſpectat, putidum ſit in iis diutius immorari, cùm pleni ſint auctores quotquot Romanam hiſtoriam attigerunt. vnum illud Plinij ſatis eſto lib. 7. cap. 26. *Ad decus imperij Romani, non ſolùm ad viri vnius pertinet, victorias Pompeij Magni, triumphóſque hoc in loco nuncupari: æquato non modò Alexandri Magni rerum fulgore, ſed etiam Herculis prope ac Liberi Patris.* & enumeratis eius victoriis ita concludit. *Summa ſummarum in illo gloria fuit (vt ipſe in concione dixit, cùm de rebus ſuis diſſereret) Aſiam vltimam prouinciarum accepiſſe, eandémque mediam patriæ reddidiſſe.* Sed vide ipſum Ciceronem tum alibi frequenter, tum pro lege Manilia, & pro Cornelio Balbo. Valerius Maximus libro 9. cap. vltimo rerum Pompeij ſummam ita colligit. *Eques Romanus Proconſul in Hiſpaniam aduerſus Sertorium pari imperio cum Pio Metello principe ciuitatis miſſus eſt. Nondum vllum honorem auſpicatus bis triumphauit. Initia magiſtratuũ à ſummo imperio cepit. Tertium conſulatum decreto Senatus ſolus geſſit. De Mithridate & Tigrane, de multis præterea Regibus & gentibus, plurimiſq; ciuitatibus & prædonibus vnum duxit triumphum.*

Victoria Pompeij.

ARGVMENTVM.

Aliis circunſtantiis oſtendit Deiotarum non odio Cæſaris, ſed officio adductum fuiſſe ad partes Cn. Pompeij.

VII. AD eum igitur Rex Deiotarus venit hoc miſero fatalíque bello, quem antè iuſtis, hoſtilibúſque bellis adiuuerat: quo cum erat non hoſpitio ſolùm, verùm etiam familiaritate coniunctus: & venit vel rogatus, vt amicus: vel accerſitus, vt ſocius: vel euocatus, vt is qui Senatui parere didiciſſet: poſtremò venit, vt ad fugientem, non vt ad inſequentem, id eſt ad periculi, non ad victoriæ ſocietatem. Itaque Pharſalico prælio facto, à Pompeio diſceſſit: ſpem infinitam perſequi noluit: vel officio, ſi quid debuerat: vel errori, ſi quid neſcierat, ſatisfactum eſſe duxit: domum ſe contulit, téque Alexandrinum bellum gerente, vtilitatibus tuis paruit. Ille exercitum Cn. Domitij ampliſſimi viri, ſuis tectis & copiis ſuſtentauit: ille Epheſum ad eum quem tu ex tuis fideliſſimum & probatiſſimum omnibus delegiſti, pecuniam miſit: ille iterum, ille tertiò auctionibus factis, pecuniam dedit, qua ad bellum vtereris: ille corpus ſuum periculo obiecit, tecúmque in acie contra Pharnacem fuit, tuúmque hoſtem eſſe duxit ſuum. Quæ quidem à te in eam partem accepta ſunt, C. Cæſar, vt eum ampliſſimo Regis honore & nomine affeceris.

EXPLANATIO.

AD EVM.] Prima excuſatio Deiotari eſt, quòd fuerit perturbatus variis rumoribus, & in errorem inductus. Altera, auctoritas Pompeij inuitantis. Tertia quam nunc exequitur, eſt fatalis quædam neceſſitas, quæ incidit, & improuidas hominum mentes occupauit, vt nemo mirari debeat humana conſilia diuina neceſſitate eſſe ſuperata. Quarta excuſatio ducitur ab antecedentibus, quia cùm priùs Pompeium iuſtis hoſtilibúſque bellis adiuuiſſet, eum deſerendum non putauit, vt ſuperiora beneficia nouo beneficio cumularet. Quinta, quod fuerit inuitatus, vel accerſitus, vel euocatus. vbi aduerte verborum differentiam. Inuitantur amici, cùm æquale ius eſt vtriuſque. accerſuntur ſocij, qui ex fœdere debent ſibi inuicem auxilio venire. Euocantur à ſuperioribus, ij qui ex officio debent obtemperare.

POSTREMO VENIT.] Quinta excuſatio, quòd auxilio venerit Deiotarus potiùs vt conſolaretur Pompeium ex Italia fugientem, cùm primùm vrbe relicta ſe Brunduſium contuliſſet, & cùm ibi obſideretur à Cæſare in Theſſaliam nauigaſſet, non autem venerit vt Cæſari bellum inferret.

ITAQVE PHARSALICO.] A conſequentibus excuſat Deiotarum, quòd citò ab armis diſceſſerit, ſtatim atque vel officio ſatisfactum putauit, vel ſuum errorem agnouit: & Cæſarem deinde adiuuerit.

PHARSALICO PRÆLIO FACTO.] Pompeio acie Pharſalica ſuperato, reuerſus eſt ad ſuam Tetrarchiam, nec voluit ſpem inſtaurandi belli perſequi, quæ infinita erat, id eſt finem & exitum non habebat.

TEQVE ALEXANDRINVM.] Epitome lib. CXII. *Cn. Pompeius acie victus apud Pharſaliam, cùm Ægyptum petiſſet, iuſſu Ptolemai Regis pupilli, auctore Theodoro præceptore, cuius apud Regem maxima erat auctoritas, & Photino, occiſus eſt ab Achilla, cui delegatum id facinus erat in nauicula, antequam in terram exiret,* &c. *Cæſar poſt tertium diem inſecutus, cùm ei Theodorus caput Pompeij, & annulum obtuliſſet, infenſus eſt*

& illacrymauit, ſine periculo Alexandriam tumultuantem intrauit. Cæſar Dictator creatus Cleopatram in regnum Ægypti reduxit, & inferentem bellum iiſdem auctoribus Ptolemæum, quibus Ptolemæum interfecerat, cum maximo ſuo diſcrimine vicit. Ptolemæus dum fugit, in Nilo nauicula ſubſedit. quo tempore Deiotarus Cæſari & pecunias & auxilia ſummiſit.

ILLE EXERCITVM.] Poſt pugnam Pharſalicam Cn. Domitius Caluinus Aſiæ finitimíſque prouinciis præfectus eſt à Cæſare.

QVEM TV EX TVIS FIDELISSIMVM.] Cœlius Secundus Q. Fufium Calenum hîc interpretatur: vnde id acceperit non liquet: libenter de Sexto Cæſare interpreter, qui Syriæ poſt pugnam Pharſalicam præfectus eſt. ſed viderint eruditi.

AVCTIONIBVS FACTIS.] Deiotarus ſuam ſupellectilem haſtæ ſubiecit, & publica auctione addixit plus offerenti, vt pecuniam ex auctione redactam tibi ſummitteret.

CONTRA PHARNACEM.] Regem Ponti, filium Mithridatis, qui occaſione belli ciuilis Armeniam occuparat.

TVVMQVE HOSTEM.] Imò Deiotari potiùs quàm Cæſaris hoſtis fuit Pharnaces. Nam, vt ſcribit auctor libri de bello Alexandrino, *Rex Deiotarus ad Domitium Caluinum, cui Cæſar Aſiam finitimáſque prouincias adminiſtrandas tranſdiderat, venit oratum ne Armeniam minorem, regnum ſuum, néve Cappadociam, regnum Ariobarzanis poſſideri, vexaríque pateretur à Pharnace: quo malo niſi liberarentur, imperata ſibi facere, pecuniámque promiſſam Cæſari non poſſe perſoluere.* inde bellum ortum, Domitius ſuperatus: ſed paulò pòſt Cæſar VENIT, VIDIT, VICIT.

REGIS HONORE.] Hirtius de bello Alexandrino: *Cùm propiùs Pontum, finéſque Gallogræciæ* Cæſar *acceſſiſſet, Deiotarus,* &c. *depoſitis regiis inſignibus, neque tantùm priuato veſtitu, ſed etiam reorum habitu ſupplex ad Cæſarem venit oratum, vt ſibi ignoſceret,* &c. *regium veſtitum ei reſtituit. Legionem autem quam ex genere ciuium ſuorum Deiotarus natura diſciplináque noſtra conſtitutam habebat, equitatúmque omnem ad bellum gerendum adducere iuſſit.*

NOTÆ.

I. MISERO FATALIQVE.] Vide pro Marcello 18. pro Ligario 9.

II. IVSTIS, HOSTILIBVSQVE.] Iuſtis, legitimè indictis. de qua indictione vide 2. Philipp. §. 1. Nota 4. & Sext. 57. *Nullis repetitis rebus.* Hoſtile autem bellum appellat ad diſtinctionem belli ciuilis. Nam, vt notat Paulus ex Feſto, *Hoſtis apud antiquos peregrinus dicebatur.*

III. EVOCATVS.] Dio lib. 45. Τὸ τῶν ἠυοκάτων ἢ ἠουοκάτων σύστημα, οὓς ἀνακλήτους ἄν τις Ἑλληνίσας, ὅτι πεπαυμένοι τῆς στρατείας ἐπ' αὐτὴν αὖθις ἀνεκλήθησαν, ὀνομάσειε. *Euocatorum manus, quos aliquis* ἀνακλήτους, *Græcè, quaſi reuocatos, quòd defuncti militia iterum ad eam reuocentur, dixerit.* De quibus multa eruditè Lipſius dialogo 8. libri 1. de militia Romana. Donatus in Eunuchum euocationem ait propriè dici, *vbi dux alloquitur ciues: Qui Remp. ſaluam eſſe vultis me ſequimini.* vnde Virgilius ait

Euocatus: 7. Æneidos, *-deſuetáque bello*

Agmina in arma vocat ſubitò, ferrúmque retractat.

Cæſar lib. 3. ciuil. *Euocatorum circiter duo millia, quæ ex beneficiariis ſuperiorum exercituum ad eum conuenerant.* Id eſt ex iis qui beneficia & promotiones ab ipſo Pompeio habebant, nam tales ſcilicet magis obſtricti, vt interpretatur Lipſius, qui & notat eos in legionem non ſparſos & deſcriptos, ſed ſub vno vexillo habitos, cæterorum immunes niſi propulſandi hoſtis fuiſſe. ſed adi. ſatis eſt huic loco quòd Orator ad huiuſmodi euocatos alluſiſſe videatur. Agrætius: *Aduocatus, daturus patrocinium: inuocatus, præſtaturus auxilium: euocatus, præbiturus obſequium.* Quo ſenſu fortaſſe noſter vſurpat, quaſi Deiotarus non tam auxilij, quàm obſequij cauſſa Pompeium acceſſerit.

PHARSALICO.] Vide Ligarianam 5. *in acie Pharſalica.* IV.

FIDELISSIMVM.] Dio lib. 47. ἦρχε δὲ τῶν Σύρων Σέξτος. τούτῳ γὰρ καὶ ταμίᾳ, καὶ συγγενεῖ αὐτοῦ ὄντι ὁ Καῖσαρ πάντα τὰ τῇδε κατὰ τὴν ἐκ τῆς Αἰγύπτου, κατὰ τὸν Φαρνάκην ἔλασιν ἐπέτρεψεν. *Nam tum Syriæ Sextus Iulius præerat: quem Quæſtorem & propinquum ſuum Cæſar in ſua ex Ægypto contra Pharnacem expeditione omnibus iis regionibus præfecerat.* At Epheſus eſt in Aſia, non in Syria: fateor. Sed fieri poteſt vt eum Cæſar ei quoque negotio, id eſt Epheſiæ pecuniæ præfecerit. Certè Fufius Calenus tempore belli Alexandrini Achaiæ præerat, à quo Cæſar quoſdam milites euocauit, vt ipſe ſcribit lib. 3. de bello ciuili. eúmque diu poſt necem Pompeij in Græcia ſubſtitiſſe obſidione Megaræ diſtrictum, auctor eſt Dio lib. 42. Μεγαρεῖς δὲ καὶ ὣς ἀντέσχον, πολλῷ γὰρ ὕστερον χρόνῳ τὰ μὲν βίᾳ, τὰ δὲ καὶ προδοσίᾳ ἥλωσαν. *Megarenſes autem etiamnum* (audita clade Pompeij) *reſtiterunt, ac multo pòſt partim vi, partim proditione rapti ſunt à Caleno,* vt tunc temporis Cæſare Alexandrinum bellum gerente Epheſi eſſe non potuerit, quamuis paulò pòſt Patras dicatur ſe contuliſſe. V.

A POMPEIO DISCESSIT.] Secundo de Diuinatione: *Fugit è prælio cum Pompeio: graue tempus. Diſceſſit ab eo: luctuoſa res. Cæſarem eodem tempore & hoſtem & hoſpitem vidit: quid hoc triſtius? Is cùm ei Troginorum Tetrarchiam eripuiſſet, & aſſeclæ ſuo Pergameno neſcio cui dediſſet, eidémque detraxiſſet Armeniam à Senatu datam: cúmque ab eo magnificentiſſimo hoſpitio acceptus eſſet, ſpoliatum reliquit & hoſpitem & Regem.* Narrat Plutarchus Pompeium fugientem poſtridie in nauem onerariam cuiuſdam Peticij mercatoris cum duobus Lentulis & Faonio receptum fuiſſe. Καὶ μικρὸν ὕστερον ἰδόντες ἀπὸ γῆς ἁμιλλώμενον Δηϊόταρον τὸν βασιλέα ἀναλαμβάνουσι. *Et paulò pòſt Regem Deiotarum videntes ex terra ad ipſos properantem, eum quoque accipiunt.* Quando autem à Pompeio diſceſſerit, non liquet. Suſpicor eum ex inſula Cypro, cùm inde verſus Ægyptum ſolueret Pompeius, ad ſuam Tetrarchiam rediiſſe. VI.

AMPLISSIMI VIRI.] Nomen eſt magnæ dignitatis. Domitius autem Caluinus Conſularis fuit, & cum Valerio Meſſala geſſerat conſulatum, anno Vrbis DCC. VII.

AVCTIONIBVS.] Vide ſecundam Philipp. §. 62. Nota 3. VIII.

Prior pars confirmationis ab 8. ad 22. confutatur crimen inſidiarum.

- 1. à perſona Deiotari. 8.
  - 1. nec tam ſceleratus eſt vt hoſpitem in conſpectu Penatium necare voluerit.
  - 2. Nec tam importunus vt voluerit omnium gentium, & omnis memoriæ lumen extinguere.
  - 3. Nec tam ferox vt victorem orbis terrarum non extimuerit.
  - 4. Nec tam ingratus vt voluerit in eum tyrannus inueniri, à quo Rex fuerat appellatus.
  - 5. Nec tam demens vt contra ſe vnum voluerit excitare
    - omnes Reges.
    - omnes liberos populos.
    - omnes ſocios.
    - omnes prouincias.
- ab ipſo crimine, &c. quod
  - neque aptè ad ſuſpicionem mouendam confictum eſt. cùm enim teſtis ab accuſatore productus medicus eſſet, ſuſpicioſius erat dicere ſibi mandatum fuiſſe vt Cæſarem veneno occideret. 17. 18. quia fieri potuit
    - occultiùs,
      - Iouem hoſpitalem celare non potuiſſet.
    - impuniùs.
      - homines fortaſſe celauiſſet.
  - neque probabiliter dicitur, quia ſi inſidias poſuiſſet
    - inſidiatores, non niſi re perfecta dimiſiſſet.
    - ſaltem ad vnam aut duas horas retinuiſſet.
    - ſi inſidiæ non proceſſiſſent vno loco, ad alium facilè tranſtuliſſet. 21.
- ab ipſa Deiotari & ſeruorum conſcientiâ.
  - nulla trepidatio.
  - nulli tumultus.
  - nihil niſi moderatè & quietè.
  - nihil niſi ex hominis ſanctiſſimi diſciplinâ.

ARGVMENTVM.

Confutat crimen inſidiarum à perſona Deiotari, eiúſque tum probitate, tum etiam prudentia.

IS igitur non modò à te periculo liberatus, ſed etiam honore ampliſſimo ornatus, arguitur domi te ſuæ interficere voluiſſe: quod tu, niſi eum furioſiſſimum iudicas, ſuſpicari profectò non potes. Vt enim omittam, cuius tanti ſceleris fuerit, in conſpectu Deorum Penatium necare hoſpitem: cuius tantæ importunitatis, omnium gentium, atque omnis memoriæ clariſſimum lumen extinguere: cuius tantæ ferocitatis, victorem orbis terrarum non extimeſcere: cuius tam inhumani & ingrati animi, à quo Rex appellatus eſſet, in eum Tyrannum inueniri: vt hæc omittam, cuius tanti furoris fuit, omnes reges (quorum multi erant finitimi) omnes liberos populos, omnes ſocios, omnes prouincias, omnia denique omnium arma contra ſe vnum excitare? quónam ille modo cum regno, cum domo, cum coniuge, cum clariſſimo filio, diſtractus eſſet, tanto ſcelere non modò perfecto, ſed etiam cogitato? At, credo, hæc homo inconſultus & temerarius non videbat: quis conſideratior illo? quis tectior? quis prudentior? quanquam hoc loco Deiotarum non tam ingenio & prudentia, quàm fide & religione vitæ defendendum puto. Nota tibi eſt, C. Cæſar, hominis probitas, noti mores, nota conſtantia, cui porrò, qui modò populi Romani nomen audiuit, Deiotari probitas, integritas, grauitas, virtus, fides non ſit audita? Quod igitur facinus nec in hominem imprudentem cadere poſſet, propter metum præſentis exitij, nec in facinoroſum, niſi eſſet idem amentiſſimus, id vos & à viro optimo, & ab homine minimè ſtulto cogitatum eſſe confingitis. VIII.

EXPLANATIO.

IS IGITVR.] Conſtitutio cauſſæ, quaſi dicat: Status quæſtionis hic eſt, Vtrùm Deiotarus Cæſarem interficere voluerit, eíque ſtruxerit inſidias.

QVOD TV.] Primum argumentum petitum à perſona Regis Deiotari, atque ab improbabili. quòd crimen, quod fingitur, perſonæ haudquaquam conueniat. quaſi dicat,

Non eſt probabile crimen in Deiotaro, quod nemini poteſt niſi furioſiſſimo conuenire.

Sed inſidiarum Cæſari poſitarum crimen nemini poteſt niſi furioſiſſimo conuenire.

Ergo non eſt probabile illud crimen in Deiotaro.

VT ENIM.] Præteritione oratoria multa argumenta coaceruat ad probationem aſſumptionis, quæ opus non eſt ſingillatim ad ſyllogiſmi formam reuocare. Primum petitur à religione Deorum Penatium, & hoſpitij: ſecundum à Cæſaris ipſius dignitate: tertium à Cæſaris fortuna & felicitate: quartum à Cæſaris beneficiis in Deiotarum, & gratitudine Deiotari, quintum denique à periculo Deiotari, ſi Cæſari, necē intuliſſet. quod poſtremum argumentum per partium enumerationem exaggerat.

MVLTI ERANT FINITIMI.] Vt Sadalus Thraciæ Rex, Cotys, Raſcipolis; Ariobarzanes Cappadociæ, Tarcondimotus partis cuiuſdam Ciliciæ, Mithridates Pergamenus, cui Cæſar Armeniæ minoris regnum tradiderat. Item Ariarates Ariobarzanis frater.

DISTRACTVS.] Diuulſus ab aliorum Regum ſocietate & amicitia.

AT, CREDO.] Occupatio oratoria. Sed obiicies temerarium & inconſultum eſſe Deiotarum: ac proinde facilè potuiſſe induci, vt vel cum tanto periculo Cæſarem vellet occidere. Hanc obiectionem refellit à Deiotari prudentia: quòd probationi propoſitionis argumenti principalis inſeruit: ſi enim & probus & prudens eſt Deiotarus, non eſt probabile crimen in eo, quod non poteſt niſi furioſiſſimo conuenire.

QVIS CONSIDERATIOR ILLO.] Aduerte ſingulorum verborum proprietatem. conſideratus qui nihil agit temerè, nihil inconſulto, ſed omnia quæ facturus eſt, reuocat ad calculum, ſingularúmque circunſtantiarum momenta perpendit: tectus qui verſutè ſua conſilia tegit, & occultat, vel potiùs qui omnes caſus præuidet, ſéque quaſi quodam clypeo tegit & armat contra ictus imminentes. prudens qui eligit media aptè ad finem tendentia.

QVANQVAM HOC LOCO.] Oratoria correctio cauſſæ accommodata: quia calliditas & verſutia Deiotari, cum facere ſuſpectum poterat, ait ſe Deiotarum à religione potiùs & probitate defendere.

QVOD IGITVR.] Complexio ſyllogiſmi.

NOTÆ.

I. IN CONSPECTV DEORVM PENATIVM.] Lyricus Latinus,

Illum & parentis crediderim ſui
Fregiſſe ceruicem, & penetralia
Sparſiſſe nocturno cruore
Hoſpitis.-

Vide pro Cœlio 51. de Diis Penatibus, pro Sextio 30. pro Milone 39.

FVRORIS.] Furoris & inſaniæ diſtinctionem attulimus pro Milone 14. II.

TEMERARIVS.] Vide Piſonianam 39. Nota 5. Sextianam §. 134. n. 4. III.

QVIS TECTIOR, QVIS PRVDENTIOR.] Vel ipſo Cæſare teſte, qui vt ſcribit auctor belli Alexandrini, Deiotaro poſt pugnam excuſanti quòd ſecutus fuiſſet Cn. Pompeium, reſpondit *defenſionem eius, nullam poſſe excuſationem eius imprudentiæ recipere, quòd homo tantæ prudentiæ ac diligentiæ ſcire potuiſſet*, &c. IV.

ARGVMENTVM.

Crimen inſidiarum confutat ab ipſis facti circunſtantiis, ídque crimen non modò non probabiliter, ſed ne ſuſpicioſè quidem confictum eſſe confirmat.

IX. AT quàm non modò non credibiliter, ſed ne ſuſpicioſè quidem. Quum, inquit, in caſtellum Luceium veniſſes, & domum Regis hoſpitis tui diuertiſſes, locus erat quidam in quo erant ea compoſita, quibus te Rex munerare conſtituerat. huc te è balneo priuſquàm accumberes, ducere volebat: ibi enim erant armati, qui te interficerent, in eo ipſo loco collocati. En crimen, en cauſa, cur Regem fugitiuus, dominum ſeruus accuſet. Ego mehercule, C. Cæſar, initio, quum eſt ad me iſta cauſa delata, Phidippum medicum ſeruum regium, qui cum Legatis miſſus eſſet, ab iſto ipſo adoleſcente exiſtimaui eſſe corruptum, hac ſuſpicione ſum perculſus: medicum indicem ſubornabit, finget videlicet aliquod crimen veneni: etſi à veritate longè, tamen à conſuetudine criminandi non multùm res abhorrebat. Quid ait medicus? nihil de veneno, at id fieri potuit: primò occultiùs in potione, vel in cibo: deinde etiam impuniùs fit, quod quum eſt factum, negari poteſt. Si palàm te interemiſſet, omnium in ſe gentium non ſolùm odia, ſed etiam arma conuertiſſet: ſi veneno, Iouis illius quidem Hoſpitalis numen nunquam celare potuiſſet, homines verò fortaſſe celauiſſet. quod igitur & occultiùs conari, & efficere cautiùs potuit, id tibi, & medico callido, & ſeruo, vt putabat, fideli, non credidit: de armis, de ferro, de inſidiis celare te noluit?

EXPLANATIO.

AT QVAM.] Tranſitio ad ipſas facti circunſtantias.

CVM, INQVIT, IN CASTELLVM LVCEIVM VENISSES.] Narratio accuſatoris. Puteanus & ex eo Grutterus legunt *voluiſſes*, id eſt venire vel ire voluiſſes, aut vt vſitatius dicitur, cùm in caſtellum Luceium cogitares. Nam quod mox narrat, (verba ſunt Grutteri) actum fuit antequam Cæſar Luceium veniſſet, vt liquet ex alio huius paginæ loco: *In poſterum, inquit, diem diſtulit, vt cùm in caſtellum Luceium ventum eſſet, ibi cogitata perficeret.* Sequitur ergo id actum fuiſſe in domo Deiotari, ad quam Cæſar in Luceium proficiſcens diuerterat. Quod autem hîc nonnulli *veniſſes*, exponunt *ires*, vel *proficiſcereris*, duriuſculum eſt, neque in Cicerone præſertim admittendum. Hæc ille. Vereor tamen vt illud *voluiſſes*, adhuc ſit duriùs quàm vt Ciceroni arriſerit, & libenter legerem, paucioribus certè mutatis *venires*, id eſt *ires*, vt pro Ligario 11. *Vtrùm tandem exiſtimas facilius fuiſſe, Tubero, Ligarium ex Africa exire, an vos in Africam non venire?* Sicut contra vt notat Donatus in Adelphos Terentij *ire* pro *venire*, vt

Nec verò Alcidem me ſum lætatus euntem
Accepiſſe lacu.-

cætera perſpicua ſunt.

EN CRIMEN] Epiphonema per indignationem.

EGO MEHERCVLE.] Prima criminis circumſtãtia, qua oſtendit crimen probabiliter non eſſe confictum, quia ſi Cæſarem Deiotarus occidere voluiſſet, conſiliúmque ſuum ſeruo medico credidiſſet, veneno potiùs quàm ferro rem tranſigere maluiſſet.

CVM AD ME.] Cùm primùm rogatus ſum vt hanc cauſſam ſuſciperem, & Deiotarum inſidiarum reum defenderem.

MEDICVM.] Philippum ſiue Phidippum medicum Deiotari Caſtor inſtruet & producet teſtem à ſe ſubornatum, monitúmque quibus circunſtantiis crimen ſuum veſtire debeat, vt probabile videatur. Sed & hæc & quæ ſequuntur difficultatis nihil habent. quæ poſſunt ad hunc

ſyllogiſmum reuocaris.

Si Cæſarem Deiotarus necare voluiſſet, occultiùs eum tutiúſque veneno per medicum cui fidebat, quàm ferro per milites necauiſſet.

Sed noluit eum veneno per medicum, cui fidebat, necare.

Ergo noluit illum omninò necare.

NOTÆ.

I. Balneæ ante epulas. E BALNEO PRIVSQVAM ACCVMBERES.] Solitos veteres ad balneas ire priuſquàm menſis accumberent, liquet è Vatiniana 31. *Cui de balneis exeunti, præter te, toga pulla vnquam data eſt? cùm tot millia hominum accumberent: cùm ipſe epuli dominus Quintus Arrius Albatus eſſet*, &c. Plutarchus in Pompeio: ἐπεὶ δὲ καιρὸς ἦν δείπνου, καὶ παρεσκεύασεν ὁ ναύκληρος ἐκ τῶν παρόντων, ἰδὼν ὁ Φαώνιος οἰκετῶν ἀπορίᾳ τὸν Πομπήϊον ἀρχόμενον αὐτὸν ἀπολούειν, προσέδραμε, καὶ ὑπέλουσε, καὶ συνήλειψε. *Cùm tempus cœnæ inſtaret, paraſſet autem ex præſentibus copiis nauclerus, (poſt pugnam Pharſalicam) cernens Pompeium Fauonius ſeruorum inopia ſemetipſum lauantem, accurrit abluitque & vnxit eum.* Iam antè dixerat: Ὑψαῖος ἀνὴρ ὑπατικὸς δίκην φεύγων, καὶ παραφυλάξας τὸν Πομπήϊον ἐπὶ δεῖπνον ἀπιόντα, λελουμένον, ἱκέτευε τὸν γονάτιον λαβόμενος. ὁ δὲ παρῆλθεν ὑπεροπτικῶς, εἰπὼν διαφθείρειν τὸ δεῖπνον αὐτοῦ, ἄλλο δὲ μηδὲν περαίνειν. *Hypſæus vir Conſularis*, (imò non conſularis, ſed qui eo ipſo anno cum Scipione & Milone petierat conſulatum) *qui in iudicium erat vocatus, cùm expectaſſet Pompeium è balneo ad cœnam euntem, accidit ſupplex genibus eius. at ille præteriit hunc contumelioſè, nihil eum dicens agere aliud quàm quòd conuiuium ſuum corrumperet.* Idem in Bruto: ἤδη δὲ κατακειμένων, Φαώνιος ἧκε λελουμένος. *Cùm iam accubuiſſent acceſſit Fauonius lotus.* & alibi frequenter.

II. Accubitus. ACCVMBERES.] De lectulis diſcubitoriis & accubandi more fusè tractauimus in Piſonem 67. *Græci ſtipati, quini in lectulis.* 1. Æneidos,

-tu das epulis accumbere diuûm.
Conueniunt ſtratóque ſuper diſcumbitur oſtro.
Conuenere toris iuſſi diſcumbere pictis.

Lucanus 10.

Diſcubuere toris Reges, maiórque poteſtas
Cæſar.-

III. Subornatus teſtis. SVBORNABIT.] Inſtruet ad falſum. pro Cluentio 163. *A. Biennium quendam Cauponem de via Latina, ſubornatis, qui ſibi à Cluentio ſeruíſque eius in taberna ſua manus allatas eſſe dicat.* Pro Roſcio Comœdo 51. *Falſum ſubornauit teſtem Roſcius Cluuium.* Paulus D. de accuſat. & inſcript. l. 9. *Alij* accuſare non poſſunt, *propter ſuſpicionem calumniæ: vt illi qui falſum teſtimonium ſubornati dixerunt.* Rurſum noſter pro Cæcinna 71. *Et fictus teſtis ſubornari ſolet, & interponi falſæ tabulæ.* Neque ſolùm teſtes, ſed etiam accuſatores dicuntur ſubornari. in Vatinium 3. *Es confeſſus à te accuſatores inſtructos eſſe & ſubornatos.*

IV. IOVIS ILLIVS QVIDEM HOSPITALIS.] De hoc 1. Æneidos.

Iupiter, hoſpitibus nam te dare iura loquuntur. Iupiter hoſpitalis.

Ouid. 10. Metam.

Ante fores horum ſtabat Iouis hoſpitis ara.

Noſter de finibus lib. 3. §. 66. *Atque etiam Iouem cùm optimum maximum dicimus, cúmque eundem ſalutarem, hoſpitalem, ſoſpitatorem, hoc intelligi volumus ſalutem hominum in eius eſſe tutela.* Lib. 2. ad fratrem, epiſt. 11. *Sed non faciam, vt illum offendam ne imploret fidem Iouis hoſpitalis.* Fuerunt autem & alij Dij hoſpitales. vt *Venus hoſpitalis.* Venus hoſpitalis. de qua pro Cœlio 52. Verrina de ſignis 48. *Appoſuit patellam, in qua ſigilla erant egregia: iſte continuò vt vidit, non dubitauit illud inſigne Penatium, hoſpitaliúmque Deorum, ex hoſpitali menſa tollere.* Dij hoſpitales. Sed vide quæ diximus in Piſonem §. 85. Nota 4. Hunc autem fortaſſe locum Orator ex Lycurgo contra Leocratem fuerit imitatus: Τοὺς μὲν ἀνθρώπους πολλοὶ ἤδη ἐξαπατήσαντες, καὶ διαλαθόντες οὐ μόνον τῶν παρόντων κινδύνων ἀπελύθησαν, ἀλλὰ καὶ τὸν ἄλλον χρόνον ἀθῷοι τῶν ἀδικημάτων τούτων εἰσί. τοὺς δὲ θεοὺς οὔτ᾽ ἂν ἐπιορκήσας τις λάθοι, οὔτ᾽ ἂν ἐκφύγοι τὴν ἀπ᾽ αὐτῶν τιμωρείαν. ἀλλ᾽ εἰ μὴ αὐτός, οἱ παῖδές γε, καὶ τὸ γένος ἅπαν τὸ τοῦ ἐπιορκήσαντος μεγάλοις ἀτυχήμασι περιπίπτει. *Multi quidem homines decipere & celare potuerunt, nec ſolùm à præſentibus ſunt periculis liberati, ſed etiam in poſterum tempus admiſſorum ſcelerum ſunt impunitatem conſecuti. Deos verò neque peierans quiſquam celare poterit, neque ſupplicium quod ab ipſis irrogatur euadere. Quod ſi non ille ipſe qui fraudem admiſerit, & certè liberi omníſque periuri poſteritas in magnas calamitates incidet.* Menander apud Iuſtinum lib. de Monarchia Dei ſanè pulcherrimè.

Μηδὲ βελόνης ἔναμμ᾽ ἐπιθυμοῖς, Πάμφιλε,
Ὁ γὰρ θεὸς βλέπει σε, πλησίον παρών.
Ὃς ἔργοις ἥδεται δικαίοις, οὐκ ἀδίκοις δὲ μή.

Tertius verſus non conſtat: quid ſi ita ſcripſerat Menander.

Ἔργοις δικαίοις ἥδεται, ἀδίκοις δὲ μή.
Nec acus ligamen, Pamphile, alienum expetas.
Nam te videt, qui ſemper eſt præſens Deus,
Pietate gaudens, non iniquis actibus.

Elegans eſt apud Iocelinum Monachum narratio cap. 23. vitæ S. Patricij. Is paulò poſtquàm monaſticam vitam amplexus eſt, gulæ cupiditate victus, tentationíque ſuccumbens in dolio carnes abſconderat. *Nondum à loco longiùs receſſit, & ecce quidam habens oculos antè, & retro coram eo adſtitit: quem intuens Patricius oculatum modo tam miraculoſo, imò monſtroſo, mirabatur, & quis eſſet, aut quid oculi antè & retro fixi prætenderent (portenderent) ſciſcitabatur. Cui ille, Miniſter Dei ſum ego, oculíſque in fronte fixis, quæ in conſpectu ſunt, video, ac obtutibus in occipite, poſitis intueor, monachum in dolio carnes occultantem, vt ſatisfaciat ventri ſuo. Hæc dixit & continuò diſparuit.*

AXIOMATA.

Impunius fit quod cùm eſt factum negari poteſt.

Qui peccant, homines fortaſſe celabunt, Deum celare non poſſunt.

ARGVMENTVM.

Alias criminis circunſtantias examinat, & ex iis fictum crimen eſſe demonſtrat.

X. AT quàm feſtiuè crimen contexitur. Tua te, inquit, eadem quæ ſemper, fortuna ſeruauit, negauiſti tum te inſpicere velle. Quid poſtea? an Deiotarus re illo tempore non perfecta, continuò dimiſit exercitum? nullus erat alius inſidiandi locus? At eodem te, quum cœnauiſſes, rediturum dixeras: itaque feciſti, horam vnam aut duas eodem loco armatos, vt collocati fuerant, retinere magnum fuit? Quum in conuiuio comiter & iucundè fuiſſes, tum illuc iuiſti, vt dixeras, quo in loco Deiotarum talem erga te cognouiſti, qualis rex Attalus in P. Africanum fuit: cui magnificentiſſima dona, vt ſcriptum legimus, vſque ad Numantiam miſit ex Aſia, quæ Africanus inſpectante exercitu accepit. Quod quum præſens Deiotarus regio & animo & more feciſſet, tu in cubiculum diſceſſiſti.

EXPLANATIO.

AT QVAM.] Quàm ridiculè & improbabiliter accuſatio Phidippi componitur, & ſequentia præcedentibus attexuntur, & quaſi per ſe non cohærentia nouis mendaciis aſſuuntur.

TVA TE, INQVIT.] Ait accuſator te à præſenti necis periculo liberatum fuiſſe ab ipſa fortuna, quæ te à multis aliis periculis liberauit.

NEGASTI TVM.] Hæc ab illis ſuperioribus pendent. *Cùm*, inquit, *in Caſtellum Luc. veniſſes, & domum Regis hoſpitis tui diuertiſſes, locus erat quidam in quo erant ea compoſita, quibus Rex te munerare conſtituerat. huc te à balneo priùs quàm accumberes ducere volebat. ibi enim erant armati qui te interficerent in eo ipſo loco collocati*, &c. *negauiſti tum te inſpicere velle*, munera videlicet, & hoc pacto inſidias euaſiſti.

QVID POSTEA.] Confutat hanc accuſationem, ex eo quòd facile fuiſſet Deiotaro milites per vnam aut alteram horam eo loco retinere, vt venientem poſt cœnam ad inſpicienda munera Cæſarem occiderent.

RE NON PERFECTA.] Cæſare non interfecto, quia Cæſar eò non iuerat, an ſtatim Deiotarus iuſſit abire milites in inſidiis collocatos? omnia perſpicua ſunt.

ITAQVE FECISTI.] Cœnatus ad inſpicienda munera te contuliſti, vt ante cœnam te facturum eſſe promiſeras.

MAGNVM FVIT.] Difficile fuit & operoſum.

QVO IN LOCO.] Deiotari liberalitatem & magnificentiam commendat. ex comparatione Attali Regis Pergameni. de quo vide Notas.

P. AFRICANVM.] P. Cornelium Scipionem Æmilianum, ſiue minorem Africanum, qui Carthaginem Numantiámque deleuit.

NOTÆ.

I. CRIMEN CONTEXITVR.] Componitur, concinnatur, fallaciis mendaciíſque compingitur. Eo enim ſenſu *ſuendi texendique* verbum frequenter vſurpant. Nonius. Sutelam dici voluerunt aſtutiam, quaſi ſubtilem telam. vnde & Plautus Caſina,

Poſſíſne vécne clam me ſutelis tuis Sutelæ. Suere fraudes.
Præripere Caſinam vxorem proinde vt poſtulas?

idem Captiueis,

Quando ego te exemplis excruciauero peſſimis,
Atque ob ſutelas tuas te morti miſero.

vel potius à *ſimilitudine ſuentium*, vt explicat Feſtus Pompeius. Homerus odyſſ. γ´. verſu 112.

Εἰνάετες γάρ σφιν κακὰ ῥάπτομεν ἀμφιέποντες
Παντοίοισι δόλοισι.
Illis namq; nouem ſuimus mala multa per annos
Fraudibus omnimodis.

Item Iliados π´. verſu 420.

Μάργε, τίη δὲ σὺ Τηλεμάχῳ θάνατόν τε μόρον τε
Ῥάπτεις; οὐδ᾽ ἱκέτας ἐμπάζεαι, οἷσιν ἄρα Ζεὺς
Μάρτυρος; οὐδ᾽ ὁσίη κακὰ ῥάπτειν ἀλλήλοισιν.
Infelix, quid Telemacho mortémque necémque
Conſuis? haud ſupplex curæ eſt cui Iuppiter ipſe
Teſtis adeſt? nec fas ſuere eſt mala mutua nobis.

Phocylides.

Μήτε δόλους ῥάπτειν, μήθ᾽ αἵματι χεῖρα μιαίνειν.
Ne ſue mente *dolos, neu ſanguine pollue dextram.*

Quo ſenſu *nectere dolos, fraudem innectere clienti*, dixit Virgilius. Ex eodem lanificio ducta & illa tranſlatio. Odyſſ. ι. verſu 137.

Οἱ δὲ γάμον σπεύδουσιν, ἐγὼ δὲ δόλους τολυπεύω.
Hi thalamos ambire meos, ego nectere fraudes.

Sed frequentiùs etiam dicunt *ordiri & contexere*, ὑφαίνειν. Plautus in Pſeudolo, actu 1. ſc. 4.

Neque exordiri primùm, vnde occipias, habes, Contexere fraudes.
Neque ad detexundam telam certos terminos.

Homerus Iliad. ζ. verſu 187.

Τῷ δ᾽ ἄρ᾽ ἀνερχομένῳ πυκινὸν δόλον ἄλλον ὕφαινε.
Dum redit, aſtutas iterum contexuit illi
Fraudes.

Odyſſ. ε. verſu 356.

Ὤ μοι ἐγὼ μή τίς μοι ὑφαίνῃσι δόλον ἄλλον.
Hei mihi ne quiſquam pergat mihi texere fraudem. Odyſſ. κ´. verſ. 412.

--πάντας δὲ δόλους καὶ μῆτιν ὕφαινον
Ὥστε περὶ ψυχῆς.
- *ego conſilium* verſutus *& omnes*
Texo dolos, tanquam de vita & ſanguine certãs.

Et alibi frequenter μῆτιν ὑφαίνειν, vt bis Odyſſ. δ'. verſu 678. & 739. Item Odyſſ. ν'. verſu 303. & 386. E quibus intelligas quid ſit apud Ciceronem crimen contexere. Claudianus de 4. Honorij conſulatu:

Nulla nobilium cædes, non crimina vulgo
Texuntur.-

II. FORTVNA.] De fortuna Cæſaris, quantúmque ille fortunæ ſuæ confideret, plura diximus in Marcellina. ad quæ te remitto.

III. RE NON PERFECTA.] Eodem ſenſu 2. Philipp. §. 19. *Hanc rem in Cilicia ad oſtium fluminis Cydni confeciſſet.* id eſt *occidiſſet*, ſic apud Græcos frequenter πολέμου ἔργον γίγνεσθαι. *interfici.*

IV. CONTINVO DIMISIT EXERCITVM.] Ex Eunucho Terentij actu 4. ſc. 7. Vbi Thraſo qui ſuos ſeruulos inſtar aciei glorioſiùs inſtruxerat, re non ſuccedente, neque perfecta,

Iam dimitto exercitum.-

inquit. de quo eruditus Victorius lib. 15. variarum lect. cap. 6. Multùm autem, vt opinor, hoc valuit ad falſum illud crimen explodendum: &, ni fallor, riſum mouit: quæ ratio in iudicio quoque adhibetur, ac fructum fert: tanquam enim Deiotarus nullius conſilij homo eſſet, ac ſimilis Thraſoni, qui pòſt quàm ſtatim inſidiæ non ſucceſſerint, non potuerit retentis in armis inſidiatoribus, efficere quod deſtinaſſet, Cæſare poſt cœnam ad eas balneas veniente.

V. MAGNVM FVIT.] Difficile, arduum. ita etiam Græci, ſed addunt ἔργον. vnus Homerus huic loco ſuffecerit. Iliados ε'. verſu 302.

ὁ δὲ χερμάδιον λάβε χειρὶ
Τυδείδης, μέγα ἔργον, ὃ οὐ δύο γ' ἄνδρε φέροιεν
Οἷοι νῦν βροτοί εἰσ'. ὁ δέ μιν ῥέα πάλλε καὶ οἶος.

Armauit ſaxi Diomedes fragmine dextram:
Magnum opus: haud illud gemini ceruice *ſubirent,*
Vt nunc ſunt homines: ſolus facilè ille librabat.

Eodem ſenſu Iliados λ'. verſu 733.

Ἀλλά σφιν προπάροιθε φάνη μέγα ἔργον Ἄρηος.
Antè videbatur muros excindere *magnum*
Martis opus.-

Iliados μ'. verſu 415. Magnum pro arduo, ſiue difficili.

Ἀργεῖοι δ' ἑτέρωθεν ἐκαρτύναντο φάλαγγας
Τείχεος ἔντοσθεν, μέγα δέ σφισι φαίνετο ἔργον.
Argiui parte ex alia munire phalangas
Pergebant muros intra, magnúmque videbat
Eſſe opus.-

Iliados ν'. verſu 366.

ὑπέσχετο δὲ μέγα ἔργον
Ἐκ Τροίης ἀέκοντας ἀπωσέμεν υἷας Ἀχαιῶν
-promiſerat ille
Magnum opus, inuitos Troia depellere Graios.

& alibi frequenter. vt Iliados π'. verſu 208.

ATTALVS IN P. AFRICANVM.] Diſſentit Liuius à Cicerone lib. 58. *Scipio ampliſſima munera ſibi ab Antiocho Rege Syriæ miſſa, cùm celare aliis Imperatoribus Regum munera mos eſſet: pro tribunali accepturum ſe eſſe dixit: eáque omnia referre quæſtorem in publicas tabulas iuſſit: ex iis viris fortibus munera ſe daturum.* VI.

REGIO ET ANIMO ET MORE.] Liberaliter vel potiùs magnificè, βασιλικῶς. Plutarchus: Ἐπεὶ δὲ ληφθέντα Πῶρον ὁ Ἀλέξανδρος ἠρώτα πῶς αὐτῷ χρήσηται· Βασιλικῶς, εἶπεν. προσπυθομένου δὲ, μή τι ἄλλο λέγει, Πάντα, εἶπεν, ἔστιν ἐν τῷ βασιλικῶς. *Captum à ſe Porum rogabat Alexander qualiter illo vteretur, Regiè, inquit. Interrogante rurſus ecquid aliud diceret, omnia, inquit, inſunt in voce* REGIE. VII. Regius animus.

ARGVMENTVM.

Deiotarum oſtendit nihil de inſidiis cogitaſſe, ex eo quòd nihil eo die factum fuerit cùm tumultu, nullúmque perturbationis extiterit in cuiuſquam vultu veſtigium: & alia quædam adiecta confutat.

OBSECRO, C. Cæſar, repete temporis illius memoriam, pone illum ante oculos diem: vultus hominum te intuentium, atque admirantium recordare, num quæ trepidatio? num qui tumultus? num quid, niſi moderatè, niſi quietè, niſi ex hominis grauiſſimi, & ſanctiſſimi diſciplina? Quid igitur cauſſæ excogitari poteſt, cur te lotum voluerit, cœnatum noluerit occidere? In poſterum, inquit, diem diſtulit: vt quum in caſtellum Luceium ventum eſſet, ibi cogitata perficeret. Non video cauſſam loci mutandi: ſed tamen acta res criminosè eſt. Quum, inquit, vomere poſt cœnam velle te dixiſſes, in balneum te ducere cœperunt: ibi enim erant inſidiæ: at te eadem tua fortuna ſeruauit: in cubiculum te ire malle dixiſti. Dij te perdant, fugitiue: ita non modò nequam & improbus, ſed etiam fatuus, & amens es: quid? ille ſigna ænea in inſidiis poſuerat, quæ è balneo in cubiculum transferri non poſſent? XI.

EXPLANATIO.

OBSECRO.] *Qui de inſidiis & cæde magnorum virorum cogitant, ipſa ſcelerum ſuorum conſcientia iactati, omnia perturbatè agunt, & cum tumultu, fronte, oculis, toto denique vultu ſignificant animi ſui furorem.*

Sed nihil huiuſmodi fuit vel in Deiotaro, vel in eius domeſticis.

Ergo Deiotarus de inſidiis non cogitauit.

QVID IGITVR.] Aliud argumentum.

Si Deiotarus Cæſarem voluiſſet occidere, tam facilè poſt, quàm ante cœnam rem tranſegiſſet.

Sed non occidit poſt cœnam.

Ergo neque ante cœnam voluit occidere.

LAVTVM.] E balneis exeuntem. ſuprà. *Huc te è balneo, priuſquam accumberes, ducere volebat*, &c.

IN POSTERVM.] Nodus, vt ſuprà dictum eſt, haud parum perplexus & intricatus, quia iam ſuperiùs dixit: *Cùm, inquit, in caſtellum Luceium veniſſes:* quo loco, vt me tricis exoluerem, ſecutus ſum coniecturam Puteani, *in caſtellum Luceium voluiſſes*, vel legendum monui *venires*, id eſt, ires proficiſcereris. Ne tamē in ſcripturam temerè graſſati videamur: Dicamus fieri poſſe vt caſtellum Luceium fuerit regiæ Deiotari planè vicinum, & in ipſo ſuburbio conſtitutum. vt Cæſar ad Regiam accedens ad caſtellum quidem acceſſerit, ſed non fuerit ibi moratus, quòd eum Deiotarus in Regiam eo die deduxerit: poſtridie autem inuitarit ad conuiuium in caſtello Luceio celebrandum.

COGITATA PERFICERET.] Te occideret, vt animo deſtinarat.

CVM, INQVIT, VOMERE.] Videtur aliquid deeſſe. fortaſſe aliquid eiuſmodi: *Sed quæro cur poſtridiè, cùm in caſtellum Luceium ventum eſt, rem, vti ſtatuerat, non perfecerit? cùm, inquit, vomere*, &c.

EADEM TVA FORTVNA.] Quæ te pridie ſeruauerat.

DII TE PERDANT.] Execratio, legunt alij *perduint*, alij *perdiunt*, nihil moror iſtam nouitatem. At ita loquuntur Comici. Quid tum? ideóne Ciceronem antiquarium faciemus?

ITA NON MODÒ NEQVAM ET IMPROBVS.] Qui in dominum tuum tam nefariè mentiaris.

SED ETIAM FATVVS ET AMENS.] Qui tam incredibilia confingas, vt nulla in his veriſimilitudo appareat.

NOTÆ.

I. VVLTVS.] *Qui ſermo quidam tacitus mentis eſt*, vt dicitur in Piſonem §. 1. vide Sextianam §. 17. n. 11. §. 106. n. 2. & alibi. ſic etiam pro Milone 62. ex vultu Milonis & oratione eum pura mente atque integra nullo ſcelere imbutum fuiſſe demonſtrat, tanquam è quibuſdam impreſſis facti veſtigiis.

II. TE INTVENTIVM ATQVE ADMIRANTIVM.] Eodem ſenſu §. 41. Manilianæ. *Sicut aliquem non ex hac vrbe miſſum, ſed de cœlo delapſum intuentur.* Et epiſt. 1. lib. 1. ad Q. Fratrem: *Nam Græci quidem ſic te ita viuentem intuebuntur, vt quendam ex annalium memoria, aut etiam de cœlo diuinum hominem eſſe in prouinciam delapſum putent.* Cuius verbi ſignificationem mirè poëta nobilis expreſſit 2. Georg.

Intueri. *Nec varios inhiant pulchra teſtudine poſtes.*

id eſt cum admiratione intuentur, & 7. Æneidos excunte.

Illam omnis tectis agriſque effuſa iuuentus,

Admirari. *Turbáque miratur matrum & proſpectat euntē*
Attonitis inhians animis.-

Homerus bis Iliados Δ'.

Λαοὶ δ' αὖ θηεῦντό τε θάμβησάν τε.

Spectabant populi mirabantúrque tuentes.

& tum Odyſſ. 1. tum alibi.

Θεσπεσίην δ' ἄρα τῷ γε χάριν κατέχευεν Ἀθήνη.
Τὸν δ' ἄρα πάντες λαοὶ ἐπερχόμενοι θηεῦντο.

Huic Pallas Charitum dios afflarat honores.
Spectantis populi hunc admirabantur euntem.

& alibi paſſim, vt Odyſſ. θ'. verſu 459.

Θαύμαζεν δ' Ὀδυσῆα ἐν ὀφθαλμοῖσιν ὁρῶσα.
Illa tuens oculis admirabatur Vlyſſem.

LAVTVM.] Suprà: *è balneo priuſquam accumberes.* Adde temporibus heroïcis iam tum eam lauandi priuſquàm accumberent conſuetudinē viguiſſe. ſic in Neſtoris conuiuio Odyſſ. γ'. III.

Τηλέμαχον λοῦσεν καλὴ Πολυκάστη. Mos lau[andi] ante con[uiu]ium.

Lauit Telemachum Polycaſte pulchra.

& Vlyſſem Odyſſ. θ'.

-δμωαὶ λοῦσαν καὶ χρῖσαν ἐλαίῳ.
-lauerunt ancillæ, vnxeréque oliuo.

& alibi paſſim. Noſter de Cæſare nominatim, lib. 13. ad Attic. epiſt. poſtrema. *Poſt horam* VIII. *in balneum: dum audiuit de Mamurra, vultum non mutauit. vnctus eſt, accubuit.* ἐμετικὴν *egerat. itaque & edit & bibit* ἀδεῶς, *& iucundè. opiparè certè & apparatè.* Quòd autem ait Cæſarem vomere, ſiue ἐμετικὴν agere voluiſſe: caue ebrietati potiùs, quàm medicinæ tribuendum putes. Nam vt ſcribit Suetonius in eius vita cap. 55. *Vini parciſſimum ne inimici quidem negauerunt. Verbum M. Catonis eſt*, VNVM EX OMNIBVS CÆSAREM AD EVERTENDAM REMP. SOBRIVM ACCESSISSE. Etſi idem Cato, vt narrat Plutarchus in eius vita, cùm in Senatu cum Cæſare contenderet, in cauſſa Catilinæ, allatas ad Cæſarem litteras à ſe inſpectas ei reddiderit, dicens, Κράτει μέθυσε. *Cape ebrie.* erant autem à Seruilia ſorore Catonis amatoriè ſcriptæ. Tranquillus: *Nam circa victum C. Oppius adeò indifferentem docet, vt quondam ab hoſpite conditum oleum pro viridi appoſitum aſpernantibus cæteris, ſolùm etiam largiùs dicat appetiſſe, ne hoſpitem aut negligentiæ, aut ruſticitatis videretur arguere.* Plutarchus: Ξένε Οὐαλερίε Λέοντος, παραθέντος ἀσπάραγον, καὶ μύρον αὐτ' ἐλαίου καταχέαντος, αὐτὸς μὲν ἀφελῶς ἔφαγε. τοῖς δὲ φίλοις δυσχεραίνουσιν ἐπέπληξεν. *Hoſpite Valerio Leone aſparagum apponente, atque olei loco vnguentum affundente, ipſe ſimpliciter comedit, & faſtidientes amicos increpuit.*

DII TE PERDANT.] Formula execrationis apud comicos receptiſſima: atque vtinam altera ei ſimilis non adeò frequens eſſet inter Chriſtianos. Terentius Phormione actu 4. ſc. 4. IV.

Vt te quidem omnes Dij Deæque, ſuperi, inferi
Malis exemplis perdant.-

& ita paſſim Plautus, vt non ſit opus immorari, aut aliam lectionem inuitis etiam libris obtrudere.

SIGNA ÆNEA.] Nota, vt obiter dicam, Δαιδάλου ἀγάλματα, *Dædali ſigna.* de quibus Plato in Menone ſub finem: Ταῦτα ἐὰν μὲν μὴ δεδεμένα ᾖ, ἀποδιδράσκει, καὶ δραπετεύει. ἐὰν δὲ δεδεμένα, παραμένει. *Illa ni reuincta fuerint, diſcedunt atque aufugiunt: ſin vincta ſint, conſiſtunt.* Vide Ariſtotelem 1. Politic. & Zenobium centuria 4. Plato Comicus apud Tzetzen, V.

Τὰ Δαιδάλεια πάντα κινεῖσθαι δοκεῖ,
Βλέπειν τε τ' ἀγάλματα.
Omnes moueri Dædali ſtatuas putes
Atque intueri.

ARGVMENTVM.

Ex conſequente demonſtrat falſum eſſe quod aiebat Philippus medicus, ſe conſcium inſidiarum fuiſſe, quia Deiotarus eum Romam non miſiſſet, ſi tantum ſcelus ei credidiſſet.

HABES crimina inſidiarum: nihil enim dixit amplius. Horum, inquit, eram conſcius. quid tum? ita demens ille erat, vt eum, quem conſcium tanti ſceleris habebat, à ſe dimitteret? Romam etiam mitteret, vbi & inimiciſſimum ſciret eſſe nepotem ſuum, & C. Cæſarem, cui feciſſet inſidias: præſertim cùm is vnus eſſet, qui poſſet de abſente ſe vindicare? Et fratres meos, inquit, quòd erant conſcij, in vincula coniecit. Quum igitur eos vinciret quos ſecum habebat, te ſolutum Romam mittebat, qui eadem ſcires, quæ illos ſcire dicis? XII.

EXPLANATIO.

HABES.] Perſpicuitatis & docilitatis cauſſa ſignificat quid hactenus tractauerit, vt auditor fatigatus quaſi viator interiungat, & ad ea quæ reſtant reſumptis, vt ita loquar, viribus, ſe accingat.

HORVM, INQVIT.] Pulchrè demonſtrat Phidippum inſidiarum conſcium non fuiſſe.

Deiotarus ſi quemquam magni ſceleris conſcium haberet, abs ſe nollet dimittere: maximè autem caueret eum Romam mittere.

Sed abs ſe dimiſit, & quidem Romam miſit Philippum medicum.

Ergo Philippum medicum conſcium non habebat.

NEPOTEM SVVM.] Caſtorem filium Secundarij & filiæ Deiotari.

CVM IS VNVS ESSET.] Cùm Cæſar vnicus eſſet, cuius poteſtas totam Rempub. atque adeò terrarum orbem ita complecteretur, vt ei facile eſſet & expeditum etiam in abſentes animaduertere, quocunque illi terrarum angulo ſe abſcondiſſent. quanquam ſcio pleroſque hæc verba, non de Cæſare, ſed de Phidippo medico explicare.

ET FRATRES.] Aliud argumentum petitum ex dicto Philippi, quo confirmatur propoſitio ſuperioris ſyllogiſmi.

Qui in vincula dicitur conieciſſe fratres Philippi, propterea quod conſcij eſſent, is ſi Philippum ipſum conſcium habuiſſet, eum abs ſe non dimitteret.

Sed hoc. *Ergo illud.*

NOTÆ.

HABES.] Donatus in Eunuchum, actu 3. ſc. 1. *Habes, intelligis, quod enim tenemus corpore, habemus animo: quódque item animo habemus, intelligimus.* Plautus Perſa:

Vehiculum argenti miſer eieci: neque quamobrem eieci habeo.

Lucilius apud Nonium:

Habes rem omnem, timeo ne accuſer.

Terentius Heautontim.

Habes omnem rem, pergam quo cœpi, hoc iter.

DE ABSENTE SE VINDICARE.] Notum illud:

An neſcis longas Regibus eſſe manus?

Quam in rem habet elegantiſſima & ſuauiſſima auctor libri de mundo ad Alexandrum, Regum Perſidis faciens mentionem, qui cùm à Regia ſua pedem non diſcederent, potentia totam, quàm lata eſt, Aſiam obtinebant.

Poſterior pars confirmationis.

- Deiotarus contra Cæſarem exercitum non comparauit. §. 13.
  - Nunquam eas copias habuit quibus inferre bellum populo Romano poſſet. 22. Sed
    - quibus fines ſuos ab excurſionibus hoſtium & latrociniis tueretur.
    - & imperatoribus noſtris auxilia mitteret.
  - Nunc poſtquam regni parte multatus eſt, exiguas copias tueri vix poteſt.
  - Nec eſt veriſimile quod additur. 23.
    - ad Cœlium copias miſſas.
      - fictam eſſe Cœlij cauſſam ſciebat.
      - Cœlium magnum hominem eſſe non putabat.
      - contemnebat Cœliũ,
        - vel quod eum noſſet.
        - vel quod non noſſet.
    - Qui mittebantur ire noluiſſe.
    - Qui ire noluerant in vincula coniectos.
- Nec animo à Cæſare fuit alieno à §. 14. 15. poſtquam à Pompeio diſceſſit. probatur
  - Bello Alexandrino, cum Cæſar obſideretur. 14.
    - pecuniam dedit.
    - exercitum aluit.
    - quem Aſiæ præfecerat Cæſar ei nulla in re defuit.
  - Bello Pontico Cæſari contra Pharnacem proficiſcenti. 14.
    - non ſolùm hoſpitium dedit,
    - ſed etiam ad periculum præſto fuit.
  - Bello Africano cùm graues de Cæſare rumores ſpargerentur, bona auctionatus eſt, vt ei pecuniam ſubmitteret.
  - falſum quod dicitur
    - verſum quendam protuliſſe in odiũ Cæſaris. nam
      - manſuetus Deiotarus.
      - verſus immanis.
    - aduerſis de Cæſare rumoribus in cõuiuio ſaltaſſe. nam
      - Deiotarus,
        - & iam ſenex.
        - & magis deditus
          - exercitationi. armorũ, præſertim equitationi, quod per ætatẽ iam facere vix poteſt.
          - quàm ſaltationi.
        - & ab adoleſcentia frugalis.
      - Ebrietatis comes extrema ſaltatio.

ARGV-

ARGVMENTVM.

Obiectum fuerat Deiotaro, quòd & exercitum magnum contra Cæſarem comparaſſet, & quòd auxilium Cæſari mittere iuſſus equites malos miſiſſet: vtrique accuſationi reſpondet Orator.

RELIQVA pars accuſationis duplex fuit: vna Regem ſemper in ſpecu- XIII.
lis fuiſſe, quum à te animo eſſet alieno: altera, exercitum eum contra te magnum comparaſſe. De exercitu dicam breuiter, vt cætera. Nunquam eas copias Rex Deiotarus habuit, quibus inferre bellum Populo Romano poſſet, ſed quibus fines ſuos ab excurſionibus hoſtium, & latrociniis tueretur, & Imperatoribus noſtris auxilia mitteret: atque anteà quidem maiores copias alere poterat: nunc exiguas vix tueri poteſt. At miſit ad Cælium neſcio quem: ſed eos quos miſit, quòd ire noluerunt, in vincula coniecit. Non quæro quàm veriſimile ſit, aut non habuiſſe Regem quos mitteret, aut eos quos miſiſſet, non paruiſſe: aut qui dicto audientes in tanta re non fuiſſent, eos vinctos potiùs quàm necatos fuiſſe. Sed tamen quum ad Cælium mittebat, vtrùm cauſſam illam victam eſſe neſciebat? an Cælium iſtum magnum hominem putabat, quem profectò is qui optimè noſtros homines nouit, vel quia non noſſet, vel quia noſſet, contemneret? Addidit etiam illud, Equites non optimos miſiſſe tibi: veteres credo, Cæſar, nihil ad tuum equitatum: ſed miſit ex iis quos habuit, electos. Ait etiam neſcio quem ex eo numero ſeruum iudicatum, non arbitror, non audiui; ſed in eo, etiam ſi accidiſſet, culpam Regis nullam fuiſſe arbitrarer.

EXPLANATIO.

RELIQVA.] Propoſitio non quidem totius orationis, ſed vnius & alterius criminis, perſpicuitati mirum in modum inſeruiens. Promittit etiam breuitatem ad vitandum tædium.

NVNQVAM.] Inficias ire non potuit Orator exercitum à Deiotaro fuiſſe conſcriptum. Sed negat ideò comparatum fuiſſe vt Cæſari bellum inferret, cauſſamque alio deriuat, quaſi eo tantùm fine milites collegiſſet, vt vel ipſi Cæſari & Imperatoribus populi Romani auxilium mitteret, vel fines Gallogræciæ à latrociniis tueretur. Hunc autem exercitum, quem accuſator obiecerat, videtur ſcripſiſſe. id enim fecit cùm iam regno Armeniæ & Gallogræciæ parte fuiſſet à Cæſare mulctatus, vt indicant verba quæ proximè ſequentur: hanc autem mulctam Hirtius de bello Alexandrino ſignificat non ante confectum id bellum contigiſſe.

ATQVE ANTEA QVIDEM.] Cùm adhuc Armeniæ regnum, & totam penè Gallogræciam Tetrarchiæ nomine obtineret, *maiores copias alere poterat: nunc*, poſtquàm Armenia & Gallogræciæ parte mulctatus eſt, *exiguas tueri vix poteſt*. Eſt autem, vt vides, argumentum à minori ad maius.

Si integris viribus nunquam potuit exercitum comparare, vt populo Rom. bellum inferret, ſed tantùm, vt vel Imperatoribus noſtris auxilia mitteret, vel fines ſuos ab hoſtium incurſionibus tueretur, multò minùs id poteſt poſtquam magna regnorum ſuorum parte mulctatus eſt.

Sed hoc.

Ergo & illud.

AT MISIT.] Addebat accuſator confirmationis cauſſa ex eo liquere exercitum à Deiotaro contra Cæſarem fuiſſe comparatum, quòd ille milites ad Cœlium Pompeianum miſiſſet: ſed illos quòd ire noluiſſent in vincula fuiſſe coniectos. Quod Orator tribus capitibus reprehendit, & præterea duplici dilemmate. Vnum eſt,

Si ad Cœlium miſit, id fecit, vel quia partes Pompeij victas eſſe neſciebat, vel quia Cœlium magnum eſſe virum putabat.

Sed nec ignorabat victas eſſe partes Pompeij, nec Cœlium magnum eſſe virum putabat.

Ergo non miſit.

Alterum dilemma in probationem prioris aſſumitur.

Vel nouerat Cœlium, vel non nouerat.

Sed ſiue nouerit, ſiue non, eum contempſit.

Ergo Cœlium magnum virum non putauit.

ADDIDIT.] Duas obiectiunculas quaſi corollarium addit & refutat.

VETERES CREDO.] Credo fuiſſe dudum collectos, & pro ratione gentis bene exercitatos.

NIHIL AD TVVM EQVITATVM.] Fateor equidem turmas à Deiotaro miſſas cum tuo equitatu non poſſe comparari.

NOTÆ.

IN SPECVLIS.] Infrà 25. *At eo tempore, inquit, ipſo Nicæam Epheſúmque mittebat, qui rumores Africanos exciperent, & celeriter ad ſe referrent.* Quibus aduertis eum qui de principibus curioſiùs inquirat, & rumores quoſuis aucupetur, reprehendi quaſi ſit animo alieno. Pulchrè Tertullianus Apologetico, cap. 35. *Cui autem opus*

eſt perſcrutari ſuper Cæſaris ſalute, niſi à quo aliquid aduerſus illam cogitatur, vel optatur? Aut poſt illam ſperatur, & ſuſtinetur? non enim ea mente de charis conſulitur, qua de dominis. Ita & Lepidæ obiectum fuiſſe ſcribit Cornelius Tacitus lib.3. annalium, *quæſitum per Chaldæos in domum Cæſaris.*

II. AD COELIVM NESCIO QVEM.] Legit Lambinus: *ad Cæcilium*, quam lectionem extare teſtatur Grutterus in aliquot Palatinis: & ſanè hiſtoriæ fides exigit vt *Cæcilium* legamus, niſi velimus eum perperam ab Oratore fuiſſe nominatum: quaſi ſic eum contemneret, vt ne nomen quidem Q. Cæcilij Baſſi compertum haberet. Vel quia proderat cauſſæ Deiotari à quo contemptum illum fuiſſe dicit hac ipſa §. vel quia Cæſari gratum fore videbatur has Pompeiani belli reliquias adeò contemni. De hoc Epitome Liuiana libro 127. *Bellum in Syria Cæcilius Baſſus eques Rom. Pompeianarum partium excitauit, & relicto à legione Sexto Cæſare, quæ ad Baſſum tranſierat, occiſóque.* Quæ fuſiùs & diſertiùs à Dione referuntur libro 47. De eodem videndus & Strabo libro 16. Noſter Philipp. 11. §. 32. *Eſt Q. Cæcilij Baſſi priuati illius quidem, ſed fortis & præclari viri robuſtus & victor exercitus.* Vnus, quod ſciam, diſſentit Appianus libro 4. ciuilium. Vnius, inquit, legionis, *ἐπιμέλειαν αὐτοῦ ἐπιτέτραπτο μὲν Καικίλιος Βάσσος, τὸ δ' ἀξίωμα εἶχε νεανίας αὐτοῦ Καίσαρος συγγενής, Σέξτος Ἰούλιος.* *Curam commiſerat* Cæſar *Cæcilio Baſſo, honos fuit penes Sextum Iulium adoleſcentem, gentilem ipſius Cæſaris.* Conuenit tamen cum Dione eum à Sextio Muco, & Minutio Criſpo fuiſſe obſeſſum, donec paulò poſt Cæſaris necem Caſſius traduxit ad ſe horum trium legiones. Eum certè Pompeianum fuiſſe indicant quæ proximè ſequuntur. *Vtrùm cauſſam illam victam neſciebat?* id eſt partes Cn. Pompeij.

CONTEMNERET.] Non erat maximæ dignitatis Cæcilius Baſſus, ſed tantummodò eques, auctoribus Liuio & Dione, & priuatus auctore Cicerone. III

SERVVM IVDICATVM.] Seruos ab armis quàm longiſſimè remouebant. vnde & illud pro Sextio 34. *Iiſdem Conſulibus inſpectantibus ſeruorum delectus habebatur pro tribunali Aurelio nomine Collegiorum*, &c. Et in Piſonem 11. *Pro Aurelio tribunali ne conniuente quidem te, quod ipſum eſſet ſcelus, ſed etiam hilarioribus oculis, quàm ſolitus eras, intuente, delectus ſeruorum habebatur ab eo qui nihil ſibi vnquam nec facere, nec pati turpe eſſe dixit.* Vide dicta in eandem Piſonianam §. 23. n. 6. IV.

ARGVMENTVM.

Hactenus de exercitu contra Cæſarem comparato: nunc quæritur vtrùm Deiotarus animum habuerit à Cæſare alienum.

XIV. ALIENO autem à te animo fuit, quomodo? ſperauit, credo, difficiles tibi Alexandriæ fore exitus, propter regionis naturam, & fluminis. At eo ipſo tempore pecuniam dedit, exercitum aluit, quem Aſiæ præfeceras, ei nulla in re defuit: tibi victori non ſolùm ad hoſpitium, ſed ad periculum etiam, atque ad aciem præſto fuit. Sequutum eſt bellum Africanum, graues de te rumores qui etiam furioſum illum Cœlium excitauerunt. Quo tum erga te Rex animo fuit, qui auctionatus ſit, ſeſéque expoliare maluerit, quam tibi pecuniam non ſubminiſtrare?

EXPLANATIO.

ALIENO.] Aduerſarius vt probabile faceret crimen inſidiarum, probare nitebatur animum Deiotari fuiſſe ſemper à Cæſaris rationibus alienum. hîc igitur ponitur accuſatoris obiectio.

QVOMODO?] Confutatio per ironiam. Quaſi verò Cæſare bellum Alexandrinum gerente, Deiotarus animum à Cæſare profeſſus fuerit alienū, cùm iam tutum eſſe crederet odium illud apertè profiteri, quòd ſperaret te non poſſe euadere, ſalutémque tuam expedire propter naturam regionis, & Nili, qui intercluſerat tuum exercitum.

AT EO IPSO TEMPORE.] Quo Cæſar Alexandrinum bellum gerebat, & magnis premebatur anguſtiis. eſt autem argumentum à repugnantibus.

Qui pecuniam ſubminiſtrat & exercitum alicuius alit, is non habet animum alienum.

Sed Deiotarus & Cæſari pecuniam dedit, & aluit eius exercitum.

Ergo Deiotarus non habuit animum à Cæſaris rationibus alienum.

QVEM ASIÆ PRÆF.] Intelligit *Cn. Domitium Caluinum cui Cæſar Aſiam finitimáſque prouincias adminiſtrandas tranſdiderat.* vt ſcribit Hirtius lib. de bello Alex.

TIBI VICTORI.] Cæſar victor è bello Alexandrino per Gallogræciam tranſiuit, & contra Pharnacem arma conuertens *legionem* (verba ſunt Hirtij lib. citato) *quam ex genere ciuium ſuorum Deiotarus natura diſciplináque noſtra conſtitutam habebat, equitatúmque omnem ad bellum gerendum adducere iuſſit.*

SECVTVM EST BELLVM AFRICANVM.] Quod tu partâ de Pharnace victoriâ, paucos dies in Italia moratus, Iubæ Numidiæ Regi Scipioni & Catoni qui magnis exercitibus Africam occupauerant, intuliſti.

GRAVES DE TE RVMORES SPARSI.] Monet Grutterus *ſparſi* non extare in aliquot Palatinis, & rectiùs ſubaudiri potuiſſe. Qui autem rumores ſparſi fuerint, dicetur in Notis.

FVRIOSVM ILLVM.] Hinc etiam colligas legendum eſſe *Cæcilium* ex eo quòd, vt auctor eſt Dio, Cæcilius Baſſus aduerſis de Cæſare rumoribus fuit ad parandas copias excitatus.

Quòd ſi mordicùs *Cœlium* retinere velis (quod me auctore non facies) dices fuiſſe Cœlium illũ Vincianum, de quo Hirtius de bello Alexandrino, Cæſar, victo Pharnace, *duas legiones cum Cælio Vinciano in Ponto reliquit.* quem aduerſis de Cæſare res in Africa gerente rumoribus excitatum, Pompeianas partes amplexum fuiſſe, poterit quis ſuſpicari.

QVO TVM ERGA TE REX ANIMO FVIT?] Idem quod ſupra argumentum à repugnantibus: non fuiſſe Deiotarum à Cæſaris partibus alienũ, quia eo ipſo tempore quo graues de Cæſare rumores ſpargebantur, ipſe pecuniam Cæſari ſuggerebat. Quo tempore qui firmi non ſunt & ſtabiles, etiam ex amicis fiunt inimici.

AVCTIONATVS SIT.] Bona ſua haſtæ præconíque ſubiecerit, ad conflandam pecuniam quæ tibi mitteretur.

SESEQVE EXPOLIARE.] Suam ſupellectilem veſtémque auctionari & licitatoribus addicere. Monet Grutterus, verba, *& filium ſuum*, vulgatis editionibus intermixta, vix comparere in vllo manuſcripto.

NOTÆ.

1. PROPTER REGIONIS NATVRAM ET FLVMINIS.] Pharum intelligit, quæ tum à Strabone libro 17. tum ab ipſo Cæſare extremis penè verbis lib. 3. de bello ciuili, tum à Dione & aliis hiſtoricis fusè deſcribitur. Polyhiſtor cap. 45. *Nam Alexandria inſidioſo acceſſu aditur, fallacibus maris cœco mari, tribúſque tantùm canalibus admittit nauigantes.* Iiſdem verbis quibus Plinius lib. 5. cap. 31. deſcripſerat. Ammianus lib. 22. etiam *fallaces & inſidioſos* acceſſus appellat. Præter has anguſtias etiam Dio ποταμῶν, καὶ λιμνῶν καὶ διώρυχας agnoſcit lib. 42. vt mirum non ſit difficiles exitus Cæſari fuiſſe, cuius difficultatis deſcriptione Lucani Pharſalica terminantur

-via nulla ſalutis,
Non fuga, non virtus, vix ſpes quoque mortis honeſtæ.
Non acie fuſa, nec magnæ ſtragis aceruo
Vincendus tunc Cæſar erat: ſed ſanguine nullo
Captus ſorte loci pendet, dubiúſne timeret,
Optarétne mori.-

Tranquillus in Iulio cap. 64. *Alexandriæ circa oppugnationem Pontis, eruptione hoſtium ſubita compulſus in ſcapham, pluribus eodem præcipitantibus cùm deſiliiſſet in mare, nando per CC. paſſus euaſit ad proximam nauem, elata læua, ne libelli, quos tenebat madeſierent: paludamentum mordicus trahens ne ſpolio potiretur hoſtis.* Florus tamen & Dio lib. 42. relictum in fluctibus paludamentum affirmant: Τὴν δ' ἐσθῆτα αὐτοῦ οἱ Αἰγύπτιοι λαβόντες, πρὸς τὸ τρόπαιον, ὃ ἔστησαν τῆς τροπῆς ταύτης, ἀνεκρέμασαν, ὡς καὶ αὐτὸν ἐκεῖνον ᾑρηκότες. *At paludamento potiti Ægyptij, trophæo id quod de fugatis tum hoſtibus ſtatuerant, appenderunt, tanquam ipſum ducem cepiſſent.* De rumoribus eo tempore ſparſis breuiter Hirtius: *Alexandriæque cùm periculo magno, tum etiam maiore periculi fama dimicabat.*

GRAVES DE TE RVMORES.] Dio libro 47. Περί τε τοῦ Καίσαρος πολλὰ καὶ δεινὰ ἐκ τῆς Ἀφρικῆς ἠγγέλλετο. *Multæ res aduerſæ Cæſaris ex Africa nuntiabantur.* Quibus rebus excitatus fuit Cæcilius Baſſus, & alios ad inſtaurandum in Syria bellum, fictis etiam nuntiis atrocioribus, excitauit: Καὶ οὕτω μετὰ ταῦτα γράμματά τινα συνέπλασεν, ὡς καὶ παρὰ τοῦ Σκιπίωνός οἱ πεμφθέντα. καὶ ἐξ αὐτῶν τόν τε Καίσαρα ἐν τῇ Ἀφρικῇ ἡττῆσθαι, καὶ ἀπολωλέναι διήγγελλε, καὶ ἑαυτῷ τὴν ἀρχὴν τῆς Συρίας προστετάχθαι ἔλεγε. *Deinde ex litteris, quas à Scipione ſibi miſſas fingebat, retulit Cæſarem in Africa victum interiiſſe, ſibíque imperium Syriæ mandatum.* II.

Huiuſmodi verò rumores non ſine cauſſa ſparſos fuiſſe, indicio eſt, quòd vt ſcribit Appianus, Scipionis equites ducibus Labieno & Petreio, ἐκράτουν τῶν Καίσαρος παρὰ πολὺ, καὶ τραπέντας ἐδίωκον σοβαρῶς μετὰ καταφρονήσεως. *Cæſarianos inſigni victoria ſuperarunt, & fuſos perſequebantur petulanter & contemptim.* ὁ δὲ Πετρήϊος, ὡς ἀκριβῆ τοῦ στρατοῦ λαβὼν πεῖραν, καὶ νικήσων ὅτε βούλεται, διέλυε τὸ ἔργον. ἐπειπὼν τοῖς ἀμφ' αὐτὸν, μὴ ἀφελώμεθα τὴν νίκην, τὸν αὐτοκράτορα ἡμῶν Σκιπίωνα. *Petreius verò contentus præſenti experimento virtutis militum, & ratus ſe poſſe quandolibet vincere, cecinit receptui, dicens proximis, Non eſt fraudandus Imperator noſter Scipio laude victoriæ.*

AVCTIONATVS SIT.] Vide 2. Philipp. §. 62. Nota 3. III.

PECVNIAM NON SVBMINISTRARE.] Dio lib. 42. de hoc ipſo tempore: Ἐς τὴν Ἰταλίαν ἔπλευσε, πολλὰ καὶ ἐπὶ πάσῃ προφάσει χρήματα, παρὰ πάντων, ὥσπερ καὶ πρὶν, ἐκλέγων. τοῦτο μὲν γὰρ ὅσα τινὲς τῷ Πομπηΐῳ προϋπέσχηντο, ἐσεπράξατο. τοῦτο δὲ καὶ ἄλλα ἔξωθεν προσεπικαλῶν τινα, ᾔτει. *In Italiam nauigant, magna vi pecuniæ vndique quibuſcunque titulis confecta, veluti antè ab ipſo quoque factum fuerat. Partim enim eam pecuniam, quæ Pompeio priùs promiſſa fuerat, exigebat, partim aliis obtentis cauſſis alias imperabat, &c.* Item: Τό τε σύμπαν εἰπεῖν, χρηματοποιὸς ἀνὴρ ἐγένετο, δύο τ' εἶναι λέγων τὰ τὰς δυναστείας παρασκευάζοντα, καὶ φυλάσσοντα, καὶ ἐπαύξοντα, στρατιώτας καὶ χρήματα, καὶ ταῦτα δι' ἀλλήλων συνεστηκέναι. *Vtque ſummatim dicam, ideò pecuniis conficiendis intentus erat, quòd duas res eſſe prædicaret quibus & quæreretur, & conſeruaretur, & augeretur potentia, milites nimirum ac pecuniam: & alteram per alteram conſiſtere.* IV.

ARGVMENTVM.

Confutat aduerſarij crimen, Deiotarum aduerſis de Cæſare rumoribus ad ſe perlatis, verſum quendam quo ſuum odium oſtenderet, præ lætitia protuliſſe.

AT eo (inquit) tempore ipſo Nicæam, Epheſúmque mittebat, qui rumores Africanos exciperent, & celeriter ad ſe referrent. Itaque quum eſſet ei nunciatum, Domitium naufragio periiſſe, te in caſtello circumſideri, de Domitio dixit verſum Græcum eadem ſententia, qua etiam nos habemus Latinum, XV.

Pereant amici, dum vnà inimici intercidant.

Quod ille, ſi eſſet tibi inimiciſſimus, nunquam tamen dixiſſet: ipſe enim manſuetus, verſus immanis. Quî autem Domitio poterat eſſe amicus, qui tibi eſſet inimicus? Tibi porrò inimicus cur eſſet, à quo quum vel interfici belli lege potuiſſet, Regem & ſe & filium ſuum conſtitutos eſſe meminiſſet.

EXPLANATIO.

AT EO.] Deiotarum non amore Cæſaris, ſed metu fuiſſe compulſum, vt ei pecuniam ſummitteret, inde probabat accuſator, quòd eo ipſo tempore rumores omnes de Cæſare ſollicitè colligebat, eo videlicet fine, vt ei non ampliùs ſubminiſtraret pecuniam, ſi quid aduerſi contigiſſet. Quod cùm fortaſſe refellere non poſſet Orator, diſſimulat, & alia confutatione obruit, & quod in accuſatione improbabiliſſimum fuit, id apprehendit, videlicet Deiotarum, cùm circumſideri Cæſarem audiſſet, verſum quendam immanem ſuæ maleuolentiæ indicem protuliſſe.

NICÆAM.] Vrbem Bithyniæ.

EPHESVM.] Vrbem Aſiæ minoris.

DOMITIVM NAVFRAGIO.] Cn. Domitium poſt deuictum Pharnacem, vt res orientis componeret, aliquandiu ſubſtitiſſe ſcribit Dio lib. 42. τὰ λοιπὰ τῷ Δομιτίῳ καταστήσασθαι κελεύσας. *Reliquis rebus conſtituendis Domitio præfecto.* Non diu tamen ibi moratum fuiſſe, vel ex eo conſtat, quòd Africano bello interfuit. Hirtius, *C. Rebilo Proconſule cum tribus ad Thapſum legionibus, & Cn. Domitio cum duabus Thiſdræ, vbi Conſidius præerat, ad obſidendum relictis*, &c. Quare cùm in Africam proficiſceretur, nuntiatum eſt eum periiſſe naufragio.

TE IN CASTELLO CIRCVMSIDERI.] Cæſarem in caſtris fuiſſe circumſeſſum non diffitetur Hirtius de bello Africo, quamuis omnia in laudem Cæſaris ſuo more conuertat.

QVOD ILLE.] A moribus & natura Deiotari probat verſum, qui fingebatur, ab eo non fuiſſe prolatum.

VERSVS IMMANIS.] Indicans mores immanes, & planè belluinos. humanitas enim requirit, vt inimicum ſeruare, quàm amicum perdere malimus: at contrà, cui tribuitur hic verſus, is inimicum interire mauult, quàm amicum ſeruari.

QVI AVTEM.] A repugnantibus: quia cùm eadem cauſſa eſſet Cæſaris & Deiotari, qui amicus erat Domitij, non poterat eſſe Cæſaris inimicus, & contrà.

TIBI PORRÒ.] A beneficiis Cæſaris in Deiotarum, breuiter oſtendit eum non fuiſſe Cæſari infenſum.

NOTÆ.

I. NICÆAM.] Diuerſæ fuerunt vrbes hoc nomine. Vna, quam Maſſilienſes condiderunt, in Gallia, quam tamen Strabo lib. 4. mauult Italiæ adſcribere. Idem lib. 14. Nicæam ab Alexandro in India conditam agnoſcit. libro 9. Nicæam in Locride, lib. 12. Νικαία ἡ μητρόπολις τῆς Βιθυνίας. *Nicæa Bithyniæ metropolis.* de qua ſine dubio Noſter eſt intelligendus. Tum quòd eſt Gallogræciæ propinqua: tum quòd ad eam ex omnibus terræ partibus, ob loci ſitum, multi mortales appellerent, propter quam ſitus opportunitatem ad eam primum illud Concilium fuit à Conſtantino Magno conuocatum.

II. EPHESVM.] Epheſus vrbs eſt in Aſia minore *clariſſima*, vt ait Polyhiſtor. Celebris etiam conuentu. Plinius lib. 5. cap. 25. poſtquam egit de conuentu Smyrnæo, *Epheſum verò alterum lumen Aſiæ remotiores conueniunt*, &c. Strabo lib. 14. ἡ δὲ πόλις τῇ πρὸς τὰ ἄλλα εὐκαιρίᾳ τῶν τόπων αὔξεται καθ' ἑκάστην ἡμέραν, ἐμπόριον οὖσα μέγιστον τῶν κατὰ τὴν Ἀσίαν τὴν ἐντὸς τοῦ Ταύρου. *Vrbs ipſa ob opportunitatem locorum ad alias res, quotidie augetur, éſtque emporium Aſiæ eorum quæ ſunt intra Taurum maximum.* Meritò igitur eò miſiſſe dicitur Deiotarus, ad rumores de bello Africo rebúſque Cæſaris colligendos.

III. VERSVM GRÆCVM.] Monet Victorius lib. 1. var. lect. cap. 9. hunc verſum eſſe apud Plutarchum in commentario, quo diſputat de diſcrimine adulatoris & amici: neque enim ſe vllo modo probare dicit ſententiam eam.

- Ἐῤῥέτω φίλος σὺν ἐχθρῷ.

Quare nolle vt aſſentatorem tollat iacturam facere amici. Idem igitur paucis his Græcis verbis, quod pluribus illis Latinis ſignificatur. ſed adi Victorium, atque adeò ipſum Plutarchum.

IV. IPSE ENIM MANSVETVS.] Imò, ſi Plutarchum audimus, immaniſſimus omnium mortalium, adeò vt libello de contradictionibus Stoicorum: Ἄγρια ἔργα καὶ βάρβαρα, καὶ Γαλατικὰ coniunxerit. & paulò pòſt: Τῷ Γαλάτῃ Δηϊοτάρῳ ποιεῖ Χρύσιππος ὅμοιον τὸν θεὸν, ὃς πλειόνων αὐτῷ παίδων γεγονότων, ἑνὶ βουλόμενος τὴν ἀρχὴν ἀπολιπεῖν, καὶ τὸν οἶκον, ἅπαντας ἐκείνους ἀπέσφαξεν, ὥσπερ ἀμπέλου βλαστοὺς ἀποτεμὼν καὶ κολούσας, ἵνα εἷς ὁ λειφθεὶς ἰσχυρὸς γένηται καὶ μέγας. *Gallogræco Deiotaro facit Chryſippus Deum ſimilem, qui cùm plures liberos haberet, vni volens relinquere & regnum & domum, omnes illos iugulauit, tanquam vitis palmites reſecans luxuriámque caſtigans, vt qui ſupereſt robuſtus & magnus euadat.* Quæ ſi vera ſunt, qua fronte Deiotari manſuetudinem commendat Orator? Qua fronte hominem grauiſſimum & ſanctiſſimum appellat? Si liberos omnes interemit, quomodo Caſtor eiúſque parens adhuc ſuperſtites? Quomodo Noſter Caſtori crudelitatem obiecit, qui nepos auum capitis arceſſeret? Fateor tamen poſt necem Cæſaris Secundarium Caſtoris patrem eiúſque matrem necatam fuiſſe iuſſu Deiotari. Strabo libro 12. Γορβεοῦς τὸ τοῦ Κάστορος βασίλειον, τοῦ Σαωκονδαρίου, ἐν ᾧ γαμβρὸν ὄντα τοῦτον ἀπέσφαξε Δηϊόταρος, καὶ τὴν θυγατέρα τὴν ἑαυτοῦ. τὸ δὲ φρούριον ἀνέσπασε, καὶ διελυμήνατο τὸ πλεῖστον τῆς κατοικίας. *Gorbius regia Caſtoris, qui filius fuit Secundarij, quem ibi & vxorem eius filiam ſuam Deiotarus trucidauit, caſtellúmque diruit, & maximam pagi partem euaſtauit.* Certè inimicitias inter

Deiotarum & Caſtoris patrem, illius generum fuiſſe, & ab eodem Secundario Caſtorem impulſum fuiſſe, vt Deiotarum in diſcrimen capitis adducerent, conſtabit ex iis quæ ſequuntur: *Sed quamuis ingratè & impiè neceßitudinis nomen repudiaretis, tamen inimicitias hominum more gerere poteratis, non ficto crimine inſectari, non expetere vitam, non capitis arceſſere.* Quod ſi cùm

Filius ante diem patrios inquirit in annos,

ſumma cum patris gloria nonnunquam poteſt interfici, non video cur Secundarij cædes immanitati potiùs Deiotari, quàm iuſtitiæ tribuenda videatur. Sed quoniã plures à Deiotaro necatos ait Plutarchus, facilè crediderim, eum ſimilẽ ob cauſſam alteri genero Brogitaro necem intuliſſe: quòd videlicet & Sacerdotium Matris Magnæ Peſſinuntiæ, & nomen Regis inuaſiſſet, P. Clodio tam nefarij ſceleris adminiſtro. Vide orat. de Haruſpicum reſponſis §. 28. Quòd ſi, vt voluit Plutarchus, vt vnum Deiotarum minorem & regni & patrimonij relinqueret heredem, eſt [illegible] digna tanto ſceleri merces vlciſcente [illegible] perſoluta: vt cum Abramo Geneſi 15. [illegible] potuerit, infelix pater: *Et ecce ver[illegible] heres meus erit.* Siquidem (vt auctor e[illegible] D[illegible] 49.) M. Antonius, δυναστείας, Αμύντα μὲν [illegible] καὶ τῷ γραμματεῖ τοῦ Δηϊοτάρου γενομένῳ, ἔδωκε. *An[illegible]tæ, quamuis Deiotari ſcribæ fuiſſet, dedit Galat[illegible] principatum.* Sed iam antè Caſtor nepos quidem, ſed, quod miſerius eſt, inimicus, Deiotaro [illegible]ceſſerat. Idem Dio lib. 48. Κάστορι τέ τινι [illegible] τάλου, καὶ ἡ τοῦ Δηϊοτάρου ἀρχὴ ἐν τῇ Γαλατίᾳ τελευτη[illegible]των ἐδόθη. *Caſtori etiam cuidam Attali & Deiotari in Gallogracia defunctorum, ditio tradita eſt.*

ARGVMENTVM.

Addebat accuſator Deiotarum auditis de Cæſare ſiniſtris rumoribus lætitia geſtientem, [illegible] ſe obruiſſe, in conuiuióque nudum ſaltaſſe. id Cicero confutat, tum à moribus & frugalitate, tum etiam ab ætate Deiotari.

QVID deinde furcifer, quò progreditur? ait hac lætitia Deiotarum elatum, vino ſe obruiſſe, in conuiuióque nudum ſaltauiſſe. Quæ crux huic fugitiuo poteſt ſatis ſupplicij afferre? Deiotarum ſaltantem quiſquam, aut ebrium vidit vnquam? omnes ſunt in illo regiæ virtutes, quod te, Cæſar, ignorare non arbitror, ſed præcipuè ſingularis & admiranda frugalitas, & ſi hoc verbo ſcio laudari Reges non ſolere. Frugi hominem dici, non multum habet laudis in Rege: fortem, iuſtum, ſeuerum, grauem, magnanimum, largum, beneficum, liberalem, hæ ſunt Regiæ laudes. illa priuata eſt. Vt volet quiſque accipiat, ego tamen frugalitatem, id eſt modeſtiam & temperantiam, virtutem eſſe maximam iudico: hæc in illo eſt ab ineunte ætate, tum à cuncta Aſia, tum à magiſtratibus legatíſque noſtris, tum ab Equitibus Romanis qui in Aſia negotiati ſunt, perſpecta & cognita. Multis ille quidem gradibus officiorum erga Rempublicam noſtram ad hoc regium nomen aſcendit: ſed tamen quicquid à bellis Pop. Rom. vacabat, cum hominibus noſtris conſuetudines, amicitias, res, rationéſque iungebat: vt non ſolùm Tetrarcha nobilis, ſed optimus pater familiâs, & diligentiſſimus agricola, & pecuarius haberetur. Qui igitur adoleſcens nondum tanta gloria præditus, nihil vnquam niſi ſeueriſſimè & grauiſſimè fecerit, is ea exiſtimatione, eáque ætate, ſaltauit?

EXPLANATIO.

QVID DEINDE.] Oratoria ſuſtentatio, qua ſuſpenſus auditorũ animus ſuſtinetur.

FVRCIFER.] Phidippus ſeruus Deiotari fugitiuus & dominum accuſans, dignúſque proinde qui crucem ſuam ferat, & in ea figatur, aut furcam, ignominiæ cauſſa, per viciniam circumferat.

HÆC LÆTITIA.] Quam ex nuntio de rebus Cæſaris aduerſis perceperat.

DEIOTARVM SALTANTEM.] Confutatio criminis à moribus Deiotari.

Nemo ſaltat ſobrius & frugalis.

Sed Deiotarus & ſobrius eſt & frugalis.

Ergo non ſaltauit Deiotarus.

Deeſt propoſitio quòd facilè potuerit intelligi. complexio præponitur, ſequitur aſſumptio.

FORTEM.] Periculis pro honeſtate obeundis.

IVSTVM.] Ius ſuum cuique tribuendo.

SEVERVM.] Rigidum & ita tenacem iuſtitiæ, vt nullis aut precibus, aut pretio molliatur.

GRAVEM.] Firmum & conſtantem à leuitate alienum, vt nec ſecundis rebus efferatur, nec aduerſis deprimatur.

MAGNANIMVM.] Magno animo & excelſo, & virtutibus exaggerato præditum, tantóque animi robore ſeptum, vt nihil in rebus humanis magnum exiſtimet.

LARGVM, BENEFICVM, LIBERALEM.]

Hæc videntur eſſe propemodum ſynonyma. 2. de Officiis. *Duo ſunt genera largorum: quorum alteri prodigi dicuntur, alteri liberales.* Ita tamen poſſumus verbi cauſſa diſtinguere, vt largitas quidem & liberalitas conſiſtant in vſu pecuniæ: ſed largitas ſit quodammodo effuſior, liberalitas reſtrictior. Beneficus autem dicatur, qui quocunque modo ſiue opera, ſiue conſilio aliorum commodis inſeruit.

Vt homo qui erranti comiter monſtrat viam,
Quaſi lumen de ſuo lumine accendat, facit:
Vt nihilominus ipſi luceat, cùm illi accenderit.

ILLA PRIVATA EST.] Laus frugalitatis & temperantiæ, magis ad hominem ſpectat per ſe conſideratum, quàm ad Regem: qui quatenus Rex eſt iis virtutibus florere debet, quæ ad aliorum commodum redundant.

HÆC IN ILLO.] Alterum argumentum ab ætate.

Qui ab ineunte ætate frugalis fuit & modeſtus, ea exacta non eſt ſaltator & diſſolutus.

Sed Deiotarus ab ineunte ætate frugalis & modeſtus fuit.

Ergo Deiotarus exacta iam ætate non eſt ſaltator & diſſolutus.

A CVNCTA ASIA.] Aſiam minorem intelligit, quæ vt dicitur pro Flacco, *conſtat ex Phrygia, Myſia, Caria, Lydia.*

MAGISTRATIBVS.] Proconſulibus, Prætoribus, Quæſtoribus, aliiſque prouinciarum præſidibus.

AB EQVITIBVS ROMANIS.] Publicanis & aliis negotia gerentibus, ſiue mercaturam & rem pecuniariam exercentibus, quorum plerique omnes erant ex ordine equeſtri.

AD HOC REGIVM.] Hoc conſecutus eſt vt Rex appellaretur à Senatu.

SED TAMEN.] Ab anteacta vita ſic argumentatur.

Qui & regendæ familiæ, & agriculturæ, & rei pecuariæ primam ætatem addixit, is in ſenectute non factus eſt ſaltator.

Sed Deiotarus regendæ familiæ, agriculturæ primam ætatem addixit.

Ergo in ſenectute non eſt factus ſaltator.

EAQVE ÆTATE.] Iam decrepita & prope exacta.

NOTÆ.

I. FVRCIFER.] Furciferi dicti, quòd crucem humeris portantes ad ſupplicium ducerentur. Plutarchus de ſerâ numinis vindictâ. Τῷ μὲν σώματι τῶν κολαζομένων ἕκαστος, τῶν κακούργων ἐκφέρει τὸν αὐτοῦ σταυρόν. ἡ δὲ κακία τῶν κολαστηρίων ἐφ᾽ ἑαυτὴν ἕκαστον ἐξ αὐτῆς τεκταίνεται, &c. *Et corpore quidem quiſque maleficorum ſuam effert crucem, malitia verò cruciatuum quemque in ſe & ex ſe fabricatur.* Artemidorus libro 2. cap. 61. Βαστάζειν τινὰ τῶν δαιμόνων χθονίων. κακούργῳ μὲν ἰδόντι σταυρὸν αὐτῷ σημαίνει. ἔοικε γὰρ καὶ ὁ σταυρὸς θανάτῳ, καὶ ὁ μέλλων προσηλοῦσθαι, πρότερον αὐτὸν βαστάζει. *Ferre aliquem Deorum inferorũ, malefico quidem id videnti crucem prodicit, ſimilis enim eſt crux morti, & qui in eâ figendus eſt, priùs eam portat.* Atque hac ex conſuetudine Chriſtus Dominus in Scripturæ diuinæ oraculis ſuam ſibi crucem dicitur extuliſſe. vide Interpretes & Iuſtum Lipſium lib. 2. de Cruce, cap. 5. Plutarchus in quæſt. Romanis adfert aliam rationem. Διὰ τί τοὺς ἁπτηγνωσμένους ἐπὶ κλοπαῖς, ἢ δουλικοῖς τισιν ἄλλοις

Furciferi qui?

ἁμαρτήμασι φουρκίφερας καλοῦσιν; *Cur furti aut alius ſeruilis delicti damnatos furciferos appellant?* ἢ καὶ τοῦτο τῆς τῶν παλαιῶν ἐπιμελείας τεκμήριόν ἐστιν, ὁ γὰρ οἰκότριβος ἰδίου καταγνοὺς τινὰ μοχθηρίαν ἐκέλευε διπλοῦν ξύλον, ὃ ταῖς ἁμάξαις ὑφιστᾶσιν ἀράμενον διὰ τῆς συνοικίας, ἢ τῆς γειτνιάσεως διεξελθεῖν ὑπὸ πάντων ὁρώμενον, ὅπως ἀπιστοῖεν αὐτῷ, καὶ φυλάττοιντο πρὸς τὸ λοιπόν, τὸ δὲ ξύλον ἡμεῖς μὲν στήριγμα, Ῥωμαῖοι δὲ φοῦρκαν ὀνομάζουσι. Διὸ καὶ φουρκίφερ ὁ τοῦτο περιενεγκὼν καλεῖται. *Nónne hoc quoque vetuſtæ accurationis argumentum eſt? Qui enim à ſeruo ſuo nequiter quid factum eſſe comperiſſet, cogebat eum duplex lignum quod curribus ſubiici ſolet (furcam Romani appellant) per viciniam circumgeſtare, in conſpectu hominum, vt ab eo ſibi porrò cauendum eſſe ſcirent. Itaque à furcæ geſtatione dicebatur furcifer.* Furcifer igitur dicitur quiuis dignus patibulo, quo ſenſu eleganter dicunt Germani, *ein Galgen vogel.*

IN CONVIVIÓQVE NVDVM SALTAVISSE.] II.
In Piſonem 22. *Cùm collega tui domus cantu & cymbalis perſonaret, cúmque ipſe nudus in conuiuio ſaltaret.* In conuiuio. pro Murenâ 13. *Nemo enim ferè ſaltat ſobrius, niſi forte inſanit: neque in ſolitudine, neque in conuiuio moderato, atque honeſto. Tempeſtiui conuiuij, amœni loci, multarum deliciarum comes eſt extrema ſaltatio.* Hom. 1. Odyſſ.

Nemo fere ſobrius.

Μολπή τ᾽ ὀρχηστύς τε· τὰ γάρ τ᾽ ἀναθήματα δαιτός.

Quem verſum non poſſum meliùs explicare quã vulgari prouerbio, *Apres la panſe vient la danſe.* Vlyſſes 14. Odyſſ. verſu 463.

--οἶνος γὰρ ἀνώγει
Ἠλεός, ὅς τ᾽ ἐφέηκε πολύφρονά περ μάλ᾽ ἀεῖσαι,
Καί θ᾽ ἁπαλὸν γελάσαι, καί τ᾽ ὀρχήσασθαι ἀνῆκεν,
Καί τι ἔπος προέηκεν ὅπερ τ᾽ ἄρρητον ἄμεινον.

Vinu etenim iuſsit tribuens cantúmque, iocóſque,
Prudentémque iubet molles agitare choreas,
Verbáque (quæ meliùs fuerat reticere) profari.

Huc ſpectauit Anacharſis apud Ariſtotelem poſterioribus analyticis & Laërtium, qui ἐρωτηθεὶς εἰ εἰσὶν ἐν Σκύθαις αὐλοί, εἶπεν, ἀλλ᾽ οὐδ᾽ ἄμπελοι. *Rogatus eſséntne tibiæ apud Scythas, reſpondit, Atqui ne quidem ſunt vites.* Obiter illud ex Polyæno libro 5. ſtratagematum exemplum proferamus. Agathocles Syracuſanorum primores noua moliri audiuerat: victis Carthaginienſibus magnificam ob victoriam epulas celebrauit, ad eáſque quingentos ſibi maximè ſuſpectos inuitauit. Αὐτὸς δ᾽ ἤδη μεθυόντων ἐς μέσους παρελθὼν κροκωτὸν ἐνδὺς Ταραντῖνον περιβαλλόμενος ηὔλησεν, ἐκιθάρισεν, ὠρχήσατο· ὥσθ᾽ ὑφ᾽ ἡδονῆς θόρυβος, καὶ κρότος ἐκ πάντων ἦν. ἐν δὲ τῷ καιρῷ τῆς ἡδονῆς ἐπεξῆλθε τοῦ συμποσίου, ὡς κεκμηκὼς τὴν ἐσθῆτα ἀλλάξων. ἐκυκλώσαντο τὸν ἀνδρῶνα ὁπλῖται πολλοί. χίλιοι δὲ ξίφη σπασάμενοι δύο κατ᾽ ἕνα στάντες πάντας ἀπέσφαξαν, τοὺς κατακειμένους. *Ipſe conuiuis iam vino obrutis tibia cecinit, citharam pulſauit, ſaltauit Tarentinâ crocotulâ indutus, adeò vt omnes præ lætitia tumultuantes applauderent. In ipſo verò flagrantis voluptatis tempore, tanquam fatigatus veſtémque mutaturus exiuit è conuiuio. Multi autem milites triclinium virorum circumdederunt, mille verò gladiis eductis, bini ſingulos adorti, omnes conuiuas contrucidarunt.*

NVDVM.] De nuditate pluribus egimus in Cœlianam §. 11. *Vt exercitatione ludóque campeſtri tunicati vteremur.* & in Piſonem §. 18. *Cum illa ſaltatrice tonſa.* vbi de ſaltantium nuditate. III.

QVÆ CRVX.] Notat Iuſtus Lipſius libro 1. de Cruce cap. 12. crucem olim fuiſſe ſeruorum ſupplicium. Iuuenalis ſat 6. IV.

Pone crucem ſeruo.-

Seruus quidam apud Plautum Milite glorioſo.

Crux ſeruile ſupplicium. *Noli imitari, ſcio crucem futuram mihi ſepulchrum.*

Ibi maiores mei ſiti ſunt, pater, auus, proauus, abauus.

Idque ſupplicij genus decretum fugitiuis. Valerius lib. 2. de Luc. Calpurnio: *Cruce digniſsimis fugitiuis trophæa de ſe ſtatuere conceſſerant.* & de Africano Superiore. *Grauiùs in Romanos, quàm in Latinos transfugas animaduertit. hos enim tanquam patriæ fugitiuos crucibus affixit: illos autem, tanquam perfidos ſocios, ſecuri percuſsit.* Sic Auguſtus apud Dionem lib. 54. deuicto Sexto Pompeio: Τὸ μὲν δεδουλευκὸς τοῖς δεσπόταις πρὸς τιμωρίαν ἀπεδόθη. εἰ δέ του μηδεὶς κύριος εὑρίσκετο, ἀνεσκολοπίζετο. *Seruitia dominis reddita ad pœnam: quorum domini non extarent, cruci ſunt fixa.* Porrò, vt ſcribit Donatus in Heautontim. *Fugitiui propriè ſerui. vnde in edicto Ædilium Curulium titulus eſt ſeruorum fugitiuorum. Si quis fugitiuus, erróve, noxáve ſolutus non ſit.*

V. Frugalitas. FRVGALITAS.] Lib. 3. Tuſcul. quæſt. 16. *Eámque virtutem* σωφροσύνην *vocant, quam ſoleo equidem tum temperantiam, tum moderationem appellare: nonnunquam etiam modeſtiam: ſed haud ſcio an rectè ea virtus frugalitas appellari poſsit.* Itē §. 17. *Eius enim videtur eſſe proprium motus animi appetentis regere & ſedare, ſempérque aduerſantem libidini, moderatam in omni re ſeruare conſtantiam. cui contrarium vitium nequitia dicitur. Frugalitas vt opinor à fruge: qua nihil melius è terra oritur.*

VI. Homo frugi. FRVGI HOMINEM.] Plautus Caſina actu 1. ſc. 5.

Per bonæ frugi hominem iampridem eſſe arbitror.

Pſeudolo actu 1. ſc. 5.

Cupis me eſſe nequam, tamen ero frugi bonæ.

Comica hominis frugi deſcriptio Bacchidibus, ſcen. Hunc hominem.

Nullus frugi eſſe poteſt homo niſi qui bene & male facere tenet.

Improbus cum improbus ſit, harpaget, furibus furetur quod queat.

Verſipellem frugi conuenit eſſe hominem, pectus cui ſapit, &c.

Si frugi eſt, Herculem fecit ex patre, decumam partem ei

Dedit, ſibi nouem abſtulit.-

Horatius ſat. 7. lib. 2.

Amicum.-

Mancipium domino & frugi.-

E quibus videas hanc laudem ſeruis potiùs quàm Regibus conuenire. Sic epiſtola 6. lib. 5. ad famil. Decius librarius Sextij *homo frugi*, epiſtola 6. ad Brutum Glaucon medicus Panſæ, *modeſtus homo & frugi.* pro Cluentio 47. Quidam Diogenes: *Seruus non incallidus, ſed ipſa vt res declarauit, frugi atque integer.* Nihilominus tamen etiam liberis & ingenuis tributum. Teſtis ille L. Piſo frugi, de quo pro M. Fonteio 29. *Qui tanta virtute atque integritate fuit, vt etiam illis optimis temporibus, cùm hominem inuenire nequam neminem poſſes, ſolus tamen frugi nominaretur: quem cum in concionem Gracchus vocari iuberet, & viator quæreret quem Piſonem? quòd erant plures: cogis me, inquit, dicere inimicum meum, frugi.* De hac voce Donatus in Eunuchum actu 4. ſcen. 7. *Frugi, vtilis & neceſſarius, à frugibus, quæ quod his fruamur, dictæ ſunt. inde fructus & frumentum. Frui autem eſt veſci, à frumine quæ eſt ſumma pars gulæ, &c.* Addit in Phormionem actu 2. ſc. 2. *Frumen dicitur tractus gulæ, qua cibus in aluum demittitur.*

FORTEM.] Pulchrè Menander apud Stobæum: VII.

Καλόν γε βασιλεὺς τῇ μὲν ἀνδρείᾳ κρατῶν,
Τὰ δὲ τοῦ βίου δίκαια διατηρῶν κρίσει.

Eximia res eſt Rex anteſtans robore
Seruans iudiciis iuris ſanctimoniam.

Vnde & Pyrrhus apud Plutarchum rogatus ab vno filiorum ſuorum, ᾧ τινι καταλείψει τὴν βασιλείαν; *cuinam relicturus regnum eſſet?* reſpondit, ὃς ἂν ὑμῶν τὴν μάχαιραν ὀξυτέραν ἔχῃ. *Ei qui veſtrûm acutiſsimum habuerit gladium.* id eſt fortiſſimum. Sed ne in ſingulis hæreamus. Virtutes Regi neceſſarias Plato ſic enumerat, agens de Perſarum Regis inſtitutione: Δὶς ἑπτὰ δὲ γενομένων ἐτῶν, τὸν παῖδα παραλαμβάνουσιν οὓς ἐκεῖνοι βασιλείους παιδαγωγοὺς ὀνομάζουσιν. Εἰσὶ δὲ ἐξειλεγμένοι Περσῶν οἱ ἄριστοι δόξαντες ἐν ἡλικίᾳ τέτταρες. ὅ τε σοφώτατος, καὶ ὁ δικαιότατος, καὶ ὁ σωφρονέστατος, καὶ ὁ ἀνδρειότατος. ὧν ὁ μὲν μαγείαν τε διδάσκει τὴν Ζωροάστρου τοῦ Ὡρομάζου, (ἔστι δὲ τοῦτο θεῶν θεραπεία) διδάσκει δὲ καὶ τὰ βασιλικά. ὁ δὲ δικαιότατος ἀληθεύειν διὰ παντὸς τοῦ βίου. ὁ δὲ σωφρονέστατος μηδ' ὑπὸ μιᾶς ἄρχεσθαι τῶν ἡδονῶν. ἵνα ἐλεύθερος εἶναι ἐθίζηται, καὶ ὄντως βασιλεὺς ἄρχων πρῶτα τῶν ἐν αὑτῷ, ἀλλὰ μὴ δουλεύων. ὁ δὲ ἀνδρειότατος ἄφοβον καὶ ἀδεᾶ παρασκευάζων, ὅταν δείσῃ, δοῦλον ὄντα. *Anno verò quartodecimo puerum* Regiæ virtutes.
ſuſcipiunt hi, quos regios pædagogos appellant. Sunt ij profectò ex omnibus Perſis ætate vigentes electi præcipuíque quatuor, ſapientiſsimus, iuſtiſsimus, temperatiſsimus, atque fortiſsimus. Quorum primus magiam Zoroaſtri Oromaſi filij docet: eſt autem illa Deorum cultus: atque idem tradit inſtituta regia. Iuſtiſsimus admonet vt in omni vita ſit verax. Tēperatiſsimus ne vlla cupiditate ſuperetur, vt liber viuere conſueſcat, ac reuera Rex, imperans iis ante omnia quæ in ipſo ſunt, nec vlli ſeruiens. Fortiſsimus denique impauidum illum & intrepidum reddit, ne quandoquidpiam metuens ſeruus fiat. Apollonius Tyaneus apud Philoſtratum in eius vita lib. 5. c. 10. Βασιλέα δίκαιόν τε καὶ γενναῖον, καὶ σώφρονα, καὶ πολιᾷ κεκοσμημένον, καὶ πατέρα γνήσιον. *Regem iuſtum, generoſum, temperantem, ornatum canitie, & patrem verum* deſiderat. Dio Chryſoſtomus orat. 1. de regno, poſtquam Βασιλείαν in throno ſedentem & maieſtate plenam deſcripſit, hos ei ſtipatores adſignat: ἡ δὲ μὲν, ἔφη, σοι ἡ προσορῶσα γοργόν τε καὶ πρᾶον, ἐκ δεξιῶν, καθημένη, Δίκη, πλείστῳ δὴ καὶ φανερωτάτῳ λάμπουσα κάλλει. παρὰ δὲ αὐτὴν Εὐνομία πάνυ ὁμοία, καὶ μικρὸν διαφέρουσα τὸ κάλλος. ἐκ δὲ τοῦ ἐπὶ θάτερα μέρους γυνὴ σφόδρα ὡραία, καὶ ἁβρῶς ἐσταλμένη, καὶ μειδιῶσα ἀλύπως. Εἰρήνην καλοῦσιν αὐτήν. ὁ δὲ ἐγγὺς οὗτος ἑστηκὼς τῆς βασιλείας, παρ' αὐτὸ τὸ σκῆπτρον ἔμπροσθεν ἰσχυρὸς ἀνήρ, πολιὸς καὶ μεγαλόφρων, οὗτος δὲ καλεῖται Νόμος. ὁ δὲ αὐτὸς καὶ Λόγος Ὀρθὸς κέκληται. σύμβουλος καὶ πάρεδρος, &c. *Hæc quidem, reſpondit* Mercurius Herculi, *quæ nos acri & miti vultu adſpicit à dextris, ſedétque Iuſtitia eſt, maxima ſanè pulcherrimáque ſplendens pulchritudine. Circa eam autem eſt Eunomia prorſus illi ſimilis, nec admodum inferior pulchritudine. Porro in altera parte quæ ſedet mulier oppido ſpecioſa, & delicatè veſtita, & lætè ſubridens eam vocant Pacem. ille autem qui prope Baſileam conſiſtit ante ipſum ſceptrum vir fortis & canus, & magnanimus, appellatur Nomos, id eſt Lex. idem etiam Logos Orthos, id eſt recta ratio vocatur, conſiliarius & aſſeſſor, &c.* Vide illum quatuor ora-

tionibus, Ariſtotelem, Xenophontem, Syneſium, Themiſtium, & alios paſſim.

VIII. *Frugalitas virtus maxima.* VIRTVTEM ESSE MAXIMAM.] Lib. 4. Tuſcul. quæſt. §. 36. *Ex quo intelligitur qualis ille ſit quem tu moderatum, aliàs modeſtum & temperantem, aliàs conſtantem continentémque diximus, nonnunquam hac eadem vocabula ad frugalitatis nomen, tanquam ad caput referre volumus. Quòd niſi eo nomine virtutes continerentur, nunquam illud ita peruulgatum eſſet, vt iam prouerbij locum obtineret, Hominem frugi omnia rectè facere. quod idem cùm Stoici de ſapiente dicunt, nimis admirabiliter nimíſque magnificè dicere videntur.*

IX. NEGOTIATI.] Vide Sextianam §. 97. Nota 7. Piſonianam §. 55. n. 1.

X. *Tetrarchia Galatiæ.* TETRARCHA NOBILIS. De Tetrarchis Vat. §. 29. n. 4. Quod nominatim ſpectat ad Tetrarchiam Deiotari Strabo lib. 12. Τριῶν δ᾽ ὄντων ἐθνῶν ὁμογλώττων, καὶ κατ᾽ ἄλλ᾽ οὐδὲν ἐξηλλαγμένων, ἕκαστα διελόντες εἰς τέτταρας μερίδας, τετραρχίαν ἑκάστην ἐκάλεσαν, τετράρχην ἔχουσαν ἴδιον, καὶ δικαστὴν ἕνα, καὶ στρατοφύλακα ἕνα, ὑπὸ τῷ τετράρχῃ τεταγμένους. ὑποστρατοφύλακας δὲ δύο. ἡ δὲ τῶν δώδεκα τετραρχῶν βουλὴ, ἄνδρες ἦσαν τριακόσιοι. συνήγοντο δὲ εἰς τὸν καλούμενον Δρυναίμετον. τὰ μὲν οὖν φονικὰ ἡ βουλὴ ἔκρινε, τὰ δ᾽ ἄλλα οἱ τετράρχαι, καὶ οἱ δικασταί. Πάλαι μὲν οὖν ἦν τοιαύτη τις ἡ διάταξις, καθ᾽ ἡμᾶς δ᾽ εἰς τρεῖς, εἶτ᾽ εἰς δύο ἡγεμόνας, εἶτ᾽ εἰς ἕνα ἧκεν ἡ δυναστεία, εἰς Δηϊόταρον *Cùm autem ſint tres gentes* Gallogræcorum *eadem vtentes lingua, & aliis quoque in rebus nihil differentes, quamuis earum in quatuor diuiſerunt partes, & Tetrarchiam nominauerunt, quæ ſuum haberet Tetrarcham: & iudicem vnum, vnum exercitus præfectū Tetrarchæ ſubditos, ac duos præfectorum vicarios. Duodecim Tetrarcharum concilium viri erant treceenti. ij conueniebant in locum, cui nomen Drynæmeto. ij de cæde iudicabant, reliqua Tetrarchæ ac iudices. Quondam ergo ita erat conſtituta Galatia. Noſtra ætate in trium, deinde duorum, tãdem vnius venit poteſtatem Deiotari.*

XI. *Reges agricolæ.* DILIGENTISSIMVS AGRICOLA.] Nemo iure mirabitur laudari Regem quòd fuerit bonus agricola, qui antiquorum mores animo perſpexerit. Nam, vt ait Plinius: *De cultura agri præcipere principale fuit etiam apud exteros. Siquidem & Reges fecere, Hiero, Philometor, Attalus, Archelaus: & duces Xenophon & Pœnus etiam Mago: cui quidem tantum honorem Senatus noſter habuit Carthagine capta, vt cum Regulis Africæ bibliothecas donaret, vnius eius duodetriginta volumina cenſeret in Latinam linguam transferenda, cùm iam M. Cato præcepta condidiſſet.* Eadem teſtantur Columella, & Varro, vterque cap. 1. de re ruſtica. addit Varro de Magonis libris. *Hoſce ipſos vtiliter ad ſex libros redegit Diophanes in Bithynia, & miſit Deiotaro Regi.* Noſter Catone maiore, §. 59. ait Xenophonti *nihil tam regale videri quàm ſtudium agri colendi.* Refértque ex eodem hiſtoriam Cyri minoris, qui ſua manu arborum ordines deſcripſerat, & in quincuncem direxerat. Et vt omittam Laërtem illum Ithacæ Regulum, quem Homerus lenientem deſideriū, quod capiebat è filio, colentem agrum, & eum ſtercorantem facit, notum eſt Diocletianum imperio ſe abdicaſſe, vt agriculturæ ſe reíque hortenſi liberius applicaret.

PECVARIVS.] Varro libro 2. de re ruſtica cap. 1. *De antiquis, illuſtriſſimus quiſque paſtor erat, vt oſtendit Græca & Latina lingua, & veteres Poëtæ qui alios vocant* πολύαρνας, *alios* πολυμήλους, *alios* πολυβούτας, *qui ipſas pecudes propter caritatem aureas habuiſſe pelles tradiderunt, vt Argis Atreus, quam ſibi Thyeſtem ſubduxe queritur: vt in Colchide Æeta ad cuius arietis pellem profecti regio genere dicuntur Argonautæ, vt in Libya Heſperidas, vnde aurea mala,* &c. Et certè Regum pueros vt plurimùm paſtores olim fuiſſe, teſtatur Paris & Ganymedes. Generatim Homerus Odyſſ. γ´. verſu 222. XII. *Reges paſtores.*

Ἀνδρὶ δέμας εἰκυῖα νέῳ ἐπιβώτορι μήλων
Παναπάλῳ, οἷοί τε ἀνάκτων παῖδες ἔασιν.
Paſtori pecudum ſimilis, pueróque tenello,
Qualis progenies regum eſt pubentibus annis.

Nec immeritò ſanè his quaſi rudimentis eos inſtruebant, vt ποιμένες λαῶν his velut rudimentis euaderent. vnde & Plato in Politico Regem νομέα καὶ τροφὸν ἀγέλης ἀνθρωπίνης, *paſtorem & nutritorem humani gregis* appellat. vide planiſſimè.

AXIOMATA.

Frugi hominem dici non multùm habet laudis in Rege: fortem, iuſtum, ſeuerum, grauem, magnanimum, largum, beneficum, liberalem, hæ ſunt Regiæ laudes.
Maxima virtus frugalitas.

Inſectatio Caſtoris accuſatoris à 17. ad 21. quem in odium & inuidiam adducit.

- ab impudentia
  - in bello contra Cæſarem
    - equitando ſe iactabat, & concurſus faciebat.
    - nemini in illa cauſa ſtudio & cupiditate concedebat. 17.
  - tam obſtinatè bellum geſſit, vt Ciceronis auctoritati nõ acquieuerit, ſuadentis arma deponere 17. cuius tamen fuerat
    - in Cilicia miles.
    - in Græcia commilito.
  - nunc accuſat Deiotarum.
- à felicitate Caſtoris cum calamitate Deiotari collata. 18.
  - felix Caſtor qui
    - non ſolùm impunitatem adeptus eſt.
    - ſed etiam habet accuſandi licentiam.
  - calamitoſus Deiotarus, qui accuſatur
    - ab eo qui in iiſdem caſtris fuit.
    - & apud Cæſarem.
    - & à nepote.
- ab impietate & crudelitate
  - non eſt ſua felicitate, ſine aui ſui calamitate contentus. 18.
  - ingratus eſt in eum qui familiam Caſtoris abiectam & obſcuram è tenebris in lucem vocauit. 18.
  - crudelis eſt, nec humano modo inimicitias exercet.
    - ficto crimine inſectatur.
    - vitam expetit, & capitis accerſit.
- à ſerui corruptione. 30. 31. 32. quam exaggerat
  - à periculo communi. 19.
  - à comparatione Domitij. 19.
    - Domitius Scauro inimico ſeruum remiſit.
    - Caſtor ab aui ſui legatis abſtraxit.
    - Domitius incorruptum audire noluit.
    - Caſtor corrupit & magnis pecuniis induxit.
    - Domitius adiutorem ſeruum contra dominum repudiauit.
    - Caſtor ſeruum domini accuſatorem adhibuit.
  - non ſemel corrupit. 19.
- ab inſigni calumnia, qua dicebat à Bleſamio Deiotari legato Cæſarem tyrannum vocari. eam abſtergit
  - à Cæſaris clementia. 20.
  - à perſona Bleſamij qui cùm viuat in regno, non niſi crudeliſſimum tyrannum vocaret.
  - ab excuſatione ſtatuæ Cæſaris inter Reges poſitæ
    - vnica eſt inter multas aliorum.
    - non inuidetur eius ſtatuis, cuius tropæis non inuidetur.
  - à ratione cur minùs Cæſari plaudatur,
  - id non oritur ex odio populi in Cæſarem, ſed
    - Cæſar ipſe non deſiderat.
    - plauſus nonnunquam obſtupefactis hominibus admiratione compreſſus eſt.
    - fortaſſe prætermittitur, quia nihil vulgare Cæſare dignum videtur.

ARGVMENTVM.

Poſtquam Deiotarum purgauit, aculeum orationis in Caſtorem conuertit, in eúmque acriter inuehitur, quòd cùm fuiſſet etiam ipſe Cæſaris hoſtis acerrimus, non dubitabat tamen auum ſuum, ob bellum Cæſari illatum, in periculum capitis vocare.

XVII. IMITARI potiùs Caſtor, aui tui mores diſciplinámque debebas, quàm optimo & clariſſimo viro fugitiui ore maledicere. Quòd ſi ſaltatorem auum habuiſſes, neque eum virum, vnde pudoris pudicitiæque exempla peterentur: tamen hoc maledictum minimè in illam ætatem conueniret. Quibus ille ſtudiis ab ineunte ætate ſe imbuerat non ſaltandi, ſed benè vt armis, optimè vt equis vteretur: ea tamen illum cuncta iam ætate exacta defecerant. Itaque Deiotarum quum plures in equum ſuſtuliſſent, quòd hærere in eo ſenex poſſet, admirari ſolebamus, hic verò adoleſcens, qui meus in Cilicia miles, in Græcia commilito fuit, quum in illo noſtro exercitu equitaret cum ſuis delectis equitibus, quos vnà cum eo ad Pompeium pater miſerat, quos concurſus facere ſolebat? quàm ſe iactare? quàm ſe oſtentare? quàm nemini in illa cauſſa ſtudio & cupiditate concedere? Quum verò, exercitu amiſſo, ego, qui pacis author ſemper fui, poſt Pharſalicum autem prælium ſuaſor fuiſſem armorum non deponendorum, ſed abiiciendorum, hunc ad meam authoritatem non potui adducere, quòd & ipſe ardebat ſtudio ipſius belli, & patri ſatisfaciendum eſſe arbitrabatur.

EXPLANATIO.

IMITARI.] Satius erat, ò Caſtor, vt imitareris virtutem & frugalitatem Regis Deiotari aui tui, quàm vt Philippi medici ore illi maledíceres, & ea crimina in eum confingeres.

QVOD SI SALTATOREM.] Ab ætate ſiue ſenectute Deiotari demonſtrat accuſationis falſitatem.

Etiamſi ſaltator fuiſſet in iuuentute, tamen iam ei ſaltationis crimen non conueniret.

Sed non fuit ſaltator in iuuentute.

Ergo nunc, cùm iam eſt ætate prouectus, multò minùs ei conuenit ſaltatio.

Probat eius ſenectuti ſaltationem non conuenire à minori ad maius.

Quia vix iam equitare poteſt, & mirantur omnes quòd in equo hærere poßit.

Ergo multò minùs ſaltare.

HIC VERÒ ADOL.] Caſtorem in inuidiam adducit, à ſtudio & iactatione qua ſecutus fuerat Pompeium. Fuit autem in Cilicia miles Ciceronis, cùm Cicero Proconſul Ciliciam prouinciam obtineret, in Græcia commilito, quia & Caſtor & Cicero bello ciuili eundem ducem habuerunt Cn. Pompeium.

PATER.] Secundarius, gener Regis Deiotari.

IN ILLA CAVSSA.] Pompeianorum.

CVM VERÒ EXERCITV AMISSO.] Cæſar 3. de bello ciuili. *Ex Pompeiano exercitu circiter millia quindecim cecidiſſe videbantur: ſed in deditionem venerunt amplius millia* XXIV.

EGO QVI PACIS.] Vide pro Marcello 14. ſecunda Philipp. 17.

HVNC AD MEAM.] Caſtori perſuadere non potui, vt meam auctoritatem & tum conſilium, tum exemplum ſecutus à perſequendis belli reliquis deſiſteret, tum quòd ille magno ſtudio & animi ardore ſtatuerat ad extremum belli aleam experiri, tum quòd patri ſe ſatis eſſe factum non putaret, ſi à bello diſcederet.

NOTÆ.

IMITARI.] Maximam vim habent exempla domeſtica, vt vidimus pro Sextio §. 50. n. 2. I. *Cùm*, vt dicitur pro Rabirio Poſthumo §. 2. *ſit hoc generi hominum propè natura datum, vti qua in familia laus aliqua fortè floruerit, hanc ferè qui ſunt eius ſtirpis, quòd ſermo hominum ad memoriam prodendam patrum virtute celebretur, cupidißimè perſequantur.* Vnde illa Agamemnonis obiurgatio 4. Iliados.

Ὦ μοι Τυδέος υἱὲ δαΐφρονος ἱπποδάμοιο
Τί πτώσσεις; τί δ' ὀπιπεύεις πολέμοιο γεφύρας; Maiorum
Οὐ μὲν Τυδέϊ γ' ὧδε φίλον πτωσκαζέμεν ἦεν. imitatio.
Ἀλλὰ πολὺ πρὸ φίλων ἑτάρων δηΐοισι μάχεσθαι.
Hei mihi progenies Tydei mauortis potentis,
Quid metuis? téque ex acie ſubducere tentas?
At non ſic genitor Tydeus trepidare ſolebat,
Sed longè ante alios duro contendere Marte.

OPTIMO ET CLARISSIMO.] Vide orationem pro Milone §. 17. II.

PVDORIS PVDICITIÆQVE.] Vide Sextianam §. 73 Nota 3. *Profligatißimum hoſtem pudoris & pudicitiæ.* Philipp. 2. §. 12. n. 1. *Adeóne pudorem cum pudicitia perdidiſti?* & alibi. Porrò quomodo pudicitiæ iacturam ſenſim ſecuta fuerit pudoris amiſſio, narrat Chryſippus apud Ori- III.

genem lib. 4. contra Celſum: Πρῶται μὲν ἔξω πόλεως καὶ προσωπεῖα περικείμεναι αἱ ἑταῖραι ἐξεμίσθουν ἑαυτὰς τοῖς βουλομένοις. εἶθ' ὕστερον καταφρονήσασαι ἀπέθεντο τὰ προσωπεῖα, καὶ ὑπὸ τῶν νόμων μὴ ἐπιτρεπόμεναι εἰσιέναι εἰς τὰς πόλεις, ἔξω ἦσαν αὐτῶν. πλείονος δὲ τῆς διαστροφῆς γινομένης ὁσημέραι ἐτόλμησαν, καὶ εἰς τὰς πόλεις εἰσελθεῖν. *Primùm extra vrbes & perſonatæ meretrices cum certa flagitij mercede proſternebant ſe libidini volentium accedere. Deinde vna cum pudore depoſuerunt perſonas, foris tamen manſerunt arcentibus legibus: poſtremò diſciplina in dies deprauatiore intra vrbes penetrare auſæ ſunt.* vnde explicari poſſit illud Geneſis 38. de Thamar, quæ *mutato habitu ſedit in biuio itineris, &c. Quam cùm vidiſſet Iudas ſuſpicatus eſt eſſe meretricem: operuerat enim vultum ſuum ne agnoſceretur.* Pudorem autem à pudicitia Cyrus ita diſtinguebat, apud Xenophontem lib. 8. de Cyri inſtitutione: Διῄρει δ' αἰδῶ καὶ σωφροσύνην τῇδε, ὡς τοὺς μὲν αἰδουμένους τὰ ἐν τῷ φανερῷ αἰσχρὰ φεύγοντας, τοὺς δὲ σώφρονας καὶ τὰ ἐν ἀφανεῖ. *Quòd verecundi palàm turpia fugiant, temperantes autem* & pudici *etiam quæ clam ſunt inhoneſta.*

Pudoris & pudicitiæ coniunctio.

IV. MALEDICTVM.] Vide Cœlianam §. 6. Nota 5. *Aliud eſt maledicere, aliud accuſare.*

V. OPTIME VT EQVIS VTERETVR.] Prima fuit regiorum puerorum inſtitutio vt bene equis vterentur, adeò vt ab ipſis crepundiis ouiū dorſo impoſiti diſcerent equitare: quare vt iam pro Milone 58. verſu paulò antè citato, quidam legunt ἐπιβήτορι μήλων.

Studium rei equeſtris in regum filiis.

Ἀνδρὶ δέμας εἰκυῖα νέῳ ἐπιβήτορι μήλων
Πανναπάλῳ, οἷοί τε ἀνάκτων παῖδες ἔασι.
Scanſori pecudum formam aßimilata puello
Præmolli, quales pueri de regibus orti.

Plato de Perſarum Regibus Alcibiade priore, ἐπειδὰν δ' ἑπτέτεις γένωνται οἱ παῖδες, ἐπὶ τοὺς ἵππους, καὶ ἐπὶ τοὺς τούτων διδασκάλους φοιτῶσι. *Cùm ad ſeptimum ætatis annum peruenerint, ad equos & equeſtris artis magiſtros proficiſcuntur.* Huc etiam referri poſſit quod Ageſilaus, vt eſt apud Plutarchum, μικροῖς τοῖς παιδίοις οὖσι κάλαμον περιβεβηκὼς, ὥσπερ ἵππον, οἴκοι συνέπαιζεν. *Cùm paruis pueris in arundine longa equitans, ludebat.*

VI. ÆTATE EXACTA.] Frequenter, ætatem, tempora, horas, ſidera, menſes exigere. vt 1. Georgicon,

Ætas exacta.

Totus & ille dies & qui naſcetur ab illo
Exactum ad menſem pluuia ventiſque carebūt.

Propertius lib. 3. eleg. 10.

Cùm fuerit multis exacta trientibus hora.

& lib. 1. eleg. 3.

Namque vbi longa meæ conſumpſti tempora noctis
Languidus exactis hei mihi ſideribus.

In Verrem de legatione ac prætura vrbana. §. 48. *Latonam ex longo errore & fuga grauidam, & iam ad pariendum vicinam, temporibus exactis fugiſſe Delum, atque ibi Apollinem Dianámque peperiſſe.* 1. Æneidos,

Omnes vt tecum meritis pro talibus annos
Exigat.

Sed frequentiſſimè *exactam ætatem* dicunt, id eſt peractam, decurſam, ad finem perductam. Plautus Pœnulo act. 3. ſc. 3.

Malo ſi quid benefacias, id beneficium interit,
Bono ſi quid malefacias, ætatem exigit.

1. Tuſcul. quæſt. §. 94. *Eorum autem, qui exacta ætate moriuntur, fortuna laudatur.* Verrina de ſuppliciis §. 21. *Patri exacta ætate & adoleſcenti filio adeundi ad illum miſerum poteſtatem nunquam eſſe factam.* Iam Deiotarum extremæ fuiſſe ſenectutis, ex eo conſtat, quòd viginti antè annis, Pompeio in Mithridatem bellum gerente: Δηϊόταρος ὁ Γαλάτης, μετεπέμψατο τὸν Κάτωνα, πρεσβύτερος ὢν ἤδη, παραθέσθαι τοὺς παῖδας αὐτῷ βουλόμενος, καὶ τὸν οἶκον. *Deiotarus iam grauis annis acciuit Catonem vt liberos ſuos & domum eius fidei committeret.* inquit Plutarchus in Catone, & in M. Craſſo. Εὑρὼν δὲ τὸν βασιλέα Δηϊόταρον, πάνυ μὲν ὄντα γηραιὸν ἤδη, κτίζοντα δὲ νέαν πόλιν, ἐπέσκωψεν εἰπὼν, ὦ βασιλεῦ δωδεκάτης ὥρας οἰκοδομεῖν ἄρχῃ; Γελάσας δ' ὁ Γαλάτης, ἀλλ' οὐδ' αὐτὸς, εἶπεν, ὦ αὐτοκράτωρ, ὡς ὁρῶ, πολὺ λίαν ἐπὶ Πάρθους ἐλαύνεις. ἦν δ' ὁ Κράσσος ἑξήκοντα μὲν ἔτη παρηλλαχὼς, πρεσβύτερος δὲ τὴν ὄψιν ἢ καθ' ἡλικίαν. *Cùm reperiſſet Regem Deiotarum qui iam planè ſenex vrbem nouam condebat, dicto inceßit, ac Duodecima, inquit, hora, ô Rex ædificare exordiris? Cui Galata ridens, Atqui neque tu ait, Imperator, admodum matutinus contendis in Parthos. Exceſſerat autem Craſſus annum ſexageſimum, facie autem apparebat ſenior, quàm ætate.* Quæ octo ſaltem annis ante hanc orationem, vt eum meritò Dio Caſſius lib. 47. quo tempore Bruto auxiliatus eſt ὑπέργηρων *extrema ſenectute confectum* fuiſſe dicat.

Deiotari ſenectus.

HÆRERE IN EO.] Sic Horatius, VII.

—neſcit equo rudis
Hærere ingenuus puer.

ARGVMENTVM.

Caſtorem & patrem eius in inuidiam adducit, crudelitatem inſectatur, quoque magis rem exaggeret crimen ad publicam perniciem traducit, eóque demonſtrat omnia ſocietatis humanæ iura violari.

FOELIX iſta domus, quæ non impunitatem ſolùm adepta ſit, ſed XVIII habet etiam accuſandi licentiam, calamitoſus Deiotarus, qui ab eo, qui in iiſdem caſtris fuerit, non modò apud te, ſed etiam à ſuis accuſetur. Vos veſtrâ ſecundâ fortunâ, Caſtor, non poteſtis ſine propinquorum calamitate eſſe contenti. Sint ſanè inimicitiæ, quæ eſſe non debebant: Rex enim Deiotarus veſtram familiam abiectam & obſcuram è tenebris in lucem vocauit. Quis tuum patrem anteà, qui eſſet, quàm cuius gener eſſet, audiuit? Sed quamuis ingratè & impiè neceſſitudinis no-

men repudiaretis, tamen inimicitias hominum more gerere poteratis: non ficto crimine inſectari, non expetere vitam, non capitis arceſſere. Eſto, concedatur hæc quoque acerbitatis & odij magnitudo, adeóne, vt etiam omnia vitæ, ſalutíſque communis, atque etiam humanitatis iura violentur? Seruum ſollicitare verbis, ſpe, præmiíſque corrumpere, abducere domum, contra dominum armare, hoc eſt non vni propinquo, ſed omnibus familiis bellum nefarium indicere.

EXPLANATIO.

FELIX.] Omnia perſpicua ſunt: tantùm ſingula ſuis momentis ponderanda, vt & amplificationis grauitas & inſectationis pondus appareat. Et primo vide quo pacto inuidiæ motum inflammet impunitate Caſtoris, & comparatione Deiotari. Felices, inquit, Secundarius & Caſtor eius filius, qui cùm Pompeium bello ciuili ſecuti fuerint, non ſolùm veniam & impunitatem à Cæſare impetrarunt, ſed etiam ita ſunt in gratiam recepti, vt iam audeant alios accuſare. Calamitoſus Deiotarus, qui & accuſatur, & accuſatur ab eo qui in eadem cauſſa fuit, & in iiſdem caſtris Pompeij fuit, & accuſatur non ab alienis, quod eſſet fortaſſe ferendum, ſed à ſuo ipſius nepote, & accuſatur apud Cæſarem qui offenſus eſt, & contra cuius vitam dicitur coniuraſſe.

VOS.] Tibi & patri tuo Caſtor non ſufficit veniam impetraſſe, niſi auum tuum in perniciem adduxeris. Vide quàm inuidioſè, quàm inflammatè omnia.

SINT SANE. Conceſſio Rhetorica, cum exprobratione ingrati animi, quòd in eum ſuam crudelitatem expromant, qui Secundarium ſibi generum adſciſcens, hac affinitate familiam eius humilem & abiectam in lucem vocauit.

SED QVAMVIS INGRATE.] In Deiotarum bene de vobis ita meritum vt paternam Caſtoris familiam à tenebris in lucem extraxerit.

ET IMPIE.] In eundem Deiotarum ſocerum Secundarij, auum Caſtoris.

HOMINVM MORE.] Vt homines inter ſe inimicitias exercent, non inſtar belluarum ſanguinem Deiotari ſitire.

ESTO.] Aduerte quibus veluti cumulis exaggerata ſenſim aſſurgat oratio. ingratas & impias oſtenderat eſſe ſimultates contra Deiotarum à Caſtore ſuſceptas: cui amplificationi nihil addi poſſe videbatur: eas tamen concedit Caſtori: vt eius immanem & belluinam crudelitatem exaggeret. Nondum tamen in eo gradu conſiſtit: imò rurſum concedit hanc morum immanitatem poſſe in Caſtore tolerari: & quaſi nihil hactenus dixerit, id tanquam totius amplificationis faſtigium imponit, quod non iam inſtar hominis ingrati & impij benefactorem & affinem accuſet, non inſtar belluæ ſanguinem ſitiat humanum: ſed inſtar peſtis latius manet, & in publicam generis humani perniciem redundet.

NOTÆ.

FELIX.] Commodè ad ſtomachationem. Nam, vt ait Ariſtoteles 2. Rhetor. cap. 9. I.
Ἔστι τὸ νεμεσᾶν λυπεῖσθαι ἐπὶ τῷ φαινομένῳ ἀναξίως εὐπραγεῖν. Stomachari eſt moleſtia affici ob eum qui apparet indignè felicitatis aliquid conſecutus.

NECESSITVDINIS.] Hæc aſſignari ſolet inter neceſſitudinem & neceſſitatem diſtinctio: quod neceſſitas ſit cui nulla vi obſiſti poteſt: neceſſitudo intima quædam coniunctio. vnde *dicti neceſſarij*, vt *Gallus Ælius ait* apud Feſtum, *qui aut cognati aut affines ſunt in quos neceſſaria officia conferuntur præter cæteros.* Tamen & Cicero pro Sulla dixit *neceßitatem familiaritatémque violare:* & Salluſtius bello Iugurthino *coactum rerum neceßitudine:* & Siſenna *calamitatis neceßitudine inductum.* Sed pluribus ſuperſedeo, quòd exempla in vtramque partem reperire poſſis, vel apud Nonium, vel in ipſo Ciceronis apparatu. Eadem etiam diſtinctio apud Græcos inter *ἀνάγκην* & *ἀναγκαιότητα.* Quamuis etiam *ἀναγκαίην* pro neceſſitudine & coniunctione reperiri notauit vir eruditus. Ex Herod. Clione: *Ἀλυάττεα γὰρ ἔγνωσαν δοῦναι τὴν θυγατέρα Ἀρύηνιν Ἀστυάγεϊ τῷ Κυαξάρεω παιδί. ἄνευ γὰρ ἀναγκαίης ἰσχυρῆς συμβάσιες ἰσχυραὶ οὐκ ἐθέλουσι συμμένειν. Statuerunt vt Alyattes filiam ſuam Aryenem Aſtyagi Cyaxaris filio daret. Non enim ſine firma neceßitate firmæ confœderationes perdurant.*
II. Neceſſitas neceſſitudo.

SERVVM SOLLICITARE.] Vide Cœlianam §. 51. Nota 6. *Magnum crimen vel in legatis inſidiandis, vel in ſeruis ad hoſpitem domini necandum ſollicitandis:* & pro Milone 60. *De ſeruis in dominum quæri noluerunt.* Vide etiam D. de ſeruo corrupto. III.

AXIOMATA.

Meritò ſtomachamur in eos qui ſecunda ſua fortuna non poſſunt ſine propinquorum calamitate eſſe contenti.

Inter patrem & liberos inimicitiæ eſſe non debent.

Inimicitias hominum more non gerit qui falsò accuſat, & vitam expetit inimici.

Seruos contra dominum ſollicitare eſt vitæ communis, atque etiam humanitatis iura violare.

ARGV-

ARGVMENTVM.

A conſequenti demonſtrat quanta ex illa ſerui corruptela vniuerſo hominum generi peſtis impendeat.

NAM iſta corruptela ſerui, ſi non modò impunita fuerit, ſed etiam à tanta authoritate approbata, nulli parietes noſtram ſalutem, nullæ leges, nulla iura cuſtodient. vbi enim id, quod intus eſt, atque noſtrum, impunè euolare poteſt, contráque nos pugnare, fit in dominatu ſeruitus, in ſeruitute dominatus. O tempora, ô mores! Domitius ille quem nos pueri Conſulem, Cenſorem, Pontificem Maximum vidimus, quum Tribunusplebis M. Scaurum principem ciuitatis in iudicium populi vocauiſſet, Scauríque ſeruus ad eum clàm domum veniſſet, & crimina in dominum delaturum ſe eſſe dixiſſet, comprehendi hominem iuſſit, ad Scaurúmque deduci. Vide, quid interſit: etſi iniquè Caſtorem cum Domitio comparo: ſed tamen ille inimico ſeruum remiſit, tu ab auo abduxiſti: ille incorruptum audire noluit, tu corrupiſti: ille adiutorem ſeruum contra dominum repudiauit, tu etiam accuſatorem adhibuiſti. At ſemel iſte eſt corruptus à vobis? nonne quum eſſet productus teſtis, & quum tecum fuiſſet, refugit ad Legatos? nonne etiam ad hunc Cn. Domitium venit? nonne audiente hoc Seru. Sulpitio clariſſimo viro, qui tum caſu apud Domitium cœnabat, & hoc T. Torquato, optimo adoleſcente, ſe à te corruptum, tuis promiſſis in fraudem impulſum eſſe confeſſus eſt? Quæ eſt iſta tam impudens, tam crudelis, tam immoderata inhumanitas? Idcircò in hanc vrbem veniſti, vt huius vrbis iura & exempla corrumperes? domeſticáque tua inhumanitate, noſtræ ciuitatis humanitatem inquinares? XIX.

EXPLANATIO.

NAM ISTA.] Dixerat eum qui ſeruum corrumpit, bellum omnibus familiis indicere. probat.

Qui ſeruum corrumpit, id agit vt nulli parietes noſtram ſalutem, nulla leges, nulla iura cuſtodiant.

Ergo omnibus familiis bellum indicit.

A TANTA AVCT.] Quanta eſt auctoritas Cæſaris, qui niſi pœnas à Caſtore ſui ſceleris exegerit, ſerui corruptelam videbitur approbare.

ID QVOD INTVS EST.] Serui, qui nobiſcum in eadem domo verſantur.

O TEMPORA.] Commodùm hîc attexit exclamationem exemplum Domitij prolaturus, quaſi diceret, ô tempora! ô mores! quantum degeneraſtis à moribus antiquis?

CN. DOMITIVS.] Ænobarbus.

M. SCAVRVM.] Qui ſexies princeps Senatus lectus fuit à Cenſoribus.

IN IVDICIVM POP.] Aſconius in orat. pro Scauro: *Cn. Domitius qui Conſul fuit cum Caßio, cùm eſſet Tribunusplebis iratus Scauro, quòd eum in augurum collegium non cooptauerat, diem ei dixit ad populum, & mulctam irrogauit, quòd eius opera ſacra multa pop. Romani diminuta eſſe diceret. Crimini dabat ſacra publica populi Romani Penatium, quæ Lauinij fierent, opera eius minùs rectè caſtéque fieri. Quo crimine abſolutus eſt Scaurus quidem, ſed ita vt à tribus tribubus damnaretur à* XXXII. *abſolueretur, & in ea pauca puncta inter damnationem & abſolutionem intereſſent.* Vide antitheſim Caſtoris & Domitij, quæ perſpicua.

AT SEMEL.] Serui corruptelam exaggerat ex eo, quod fuerit iterata.

CN. DOMITIVM.] Eo tempore florebant duo Cn. Domitij, Caluinus vir Conſularis, & Ænobarbus L. filius adoleſcens. Vter hic fuerit, mihi non liquet. Legati autem fuerunt Deiotari Regis Hieras, Bleſamius, & Antigonus, à quibus Caſtor Phidippum eiuſdem Deiotari ſeruum abduxerat, eique perſuaſerat vt dominum ſuum accuſaret.

NOTÆ.

CORRVPTELA.] Quid ſit ſeruum corrumpere ſcribit Vlpianus D. de ſeruo corrupto lib. 1. *Siue ergo bonum ſeruum fecerit malum, ſiue malum fecerit deteriorem, corrupiſſe videbitur.* Quod Iuriſconſulti notant tam ad corpus quàm ad animum pertinere. Eodem ſenſu Græci διαφθείρειν vſurpant. vt Iliados ό. 1. Corruptela ſeruorum.

Μαινόμενε, φρένας ἠλὲ, διέφθορας. ἦ νύ τοι αὔτως
Οὔατ' ἀκουέμεν ἐστί. νόος δ' ἀπόλωλε, καὶ αἰδώς.
O inſane, excors, corruptus es. an tibi fruſtra
Auris ad auditum eſt? periit tibi ménſque pudórque?

διαφθείρειν. Sic Plato frequenter Apologia Socratis διαφθείρειν βελτίους ποιεῖν opponit. verbi cauſſa, Μὴ οἱ ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ ἐκκλησιασταὶ διαφθείρουσι τοὺς νεωτέρους, ἢ κἀκεῖνοι βελτίους ποιοῦσιν ἅπαντες. *Ecquid non Oratores in concionibus corrumpunt iuniores, an & illi omnes faciunt meliores?*

II. Domus tutiſſimum cuique refugiũ. NVLLI PARIETES.] Vide §. 109. orationis pro domo ſua. D. *Ad S. C. Silanianum* l. 1. Item: *de damno infecto* l. 4. §. 5. Caius *De in ius vocando*, l. 18. *Domus tutiſſimum cuique refugium atque receptaculum.* Quam ad rem plura congeſſimus ad §. 22. Vatinianæ. Nota 5.

III. CN. DOMITIVS.] Plutarchus, vt iam pro Milone monuimus 60. hanc hiſtoriam peruertit, & Scaurum accuſatorem, reum Domitium fuiſſe teſtatur. Sed Valerius lib. 6. cap. 5. adſtipulatur Ciceroni. ſed hoc addit: *Continuò & ſuis auribus obſeratis, & iudicis ore clauſo, duci eum ad Scaurum iuſsit.* Subdítque exemplum L. Craſſi, qui *Cn. Carbonis nomen infeſto animo, vtpote inimiciſsimum ſibi detulerat. Sed tamen ſcrinium eius à ſeruo allatum ad ſe, complura continens, quibus facilè opprimi poſſet, vt erat ſignatum, cum ſeruo catenato ad eum remiſit.*

AD IVDICIVM POPVLI.] Vide Piſonianam §. 94. Nota 2. IV.

AXIOMA.

Vbi quod intus eſt atque noſtrum impune euolare poteſt, contráque nos pugnare, fit in dominatu ſeruitus, in ſeruitute dominatus.

ARGVMENTVM.

Quædam crimina, & quaſdam accuſationis appendiculas confutat.

XX. AT quàm acutè collecta crimina? Bleſamius inquit (eius enim nomine optimi hominis, nec tibi ignoti, maledicebat tibi) ad Regem, inquit, ſcribere ſolebat, te in inuidia eſſe: tyrannum exiſtimari: ſtatuâ inter Reges poſita animos hominum vehementer offenſos; plaudi tibi non ſolere. Nónne intelligis, Cæſar, ex vrbanis maleuolorum ſermunculis hæc ab iſtis eſſe collecta? Bleſamius Tyrannum Cæſarem ſcriberet? multorum enim ciuium capita viderat: multos iuſſu Cæſaris vexatos, verberatos, necatos: multas afflictas & euerſas domos: armatis militibus refertum forum: quæ ſemper in ciuili victoria ſenſimus, ea te victore non vidimus. Solus, inquam es, C. Cæſar, cuius in victoria ceciderit nemo niſi armatus: & quem nos liberi in ſumma Reipub. libertate nati, non modò non Tyrannum, ſed etiam clementiſſimum in victoria videmus ducem: is Bleſamio, qui viuit in regno, tyrannus videri poteſt. Nam de ſtatua quis queritur, vna præſertim, quum tam multas videat? Valde enim inuidendum eſt eius ſtatuæ, cuius trophæis non inuidemus. Nam ſi locus affert inuidiam, nullus locus eſt ad ſtatuam quidem Roſtris clarior. De plauſu autem quid reſpondeam? qui nec deſideratus vnquam à te eſt, & nonnunquam obſtupefactis hominibus ipſa admiratione compreſſus eſt, & fortaſſe eò prætermiſſus, quia nihil vulgare te dignum videri poteſt.

EXPLANATIO.

AT QVAM ACVTE.] Ironia. Stolidè enim crimen, quod ſequitur, collegerat accuſator, quaſi in animo habuiſſet non Deiotaro nocere, ſed ipſum Cæſarem tyrannidis exprobratione grauiter offendere.

STATVA.] In Capitolio ſeptem Regum ſtatuæ fuerunt, & inter eas ſtatua L. Bruti ſtrictum gladium tenentis. inter eas etiam Cæſari ſtatua fuit excitata, quod animos hominum vehementer offendit, ratos illius ambitionem iam in apertam tyrannidem erumpere. Quod aiebat accuſator à Bleſamio legato ſcriptum fuiſſe ad Deiotarum.

PLAVDI TIBI NON SOLERE.] Populum Romanum ſic eſſe tibi offenſum, vt tibi ad ſpectacula venienti nemo aſſurgat, nemo plaudat, vt plaudi ſolet iis ciuibus qui à populo Romano magnifiunt.

NONNE INTELLIGIS.] Confutat crimen hoc ſyllogiſmo.

Is Bleſamio, qui viuit in regno; tyrannus videri non poteſt, qui nobis in libertate natis tyrannus non videtur.

Sed Cæſar nobis, qui in libertate nati ſumus, tyrannus eſſe non videtur.

Ergo Cæſar Bleſamio, qui viuit in regno, tyrannus videri non poteſt.

Aſſumptionem probat à clementia Cæſaris, & remotione factorum tyrannicorum quibus tyrannis ipſa continetur.

MVLTORVM ENIM CIVIVM.] Ironia pulcherrima.

Nam de statva.] Difficile eſt vim eius orationis explicare. Nam ſi ſenſus eſt, De ſtatua quis queritur? vna præſertim, cùm eodem loco ſtatuas alias octo videat: parum habet roboris. neque enim ſinguli reges plures vnâ ſtatuas habuerunt, ac proinde etiamſi vnam duntaxat ſtatuam habeat Cæſar, & ab appetendi regni ſuſpicione non liberatur. Si ſenſus eſt: De ſtatua quis queritur? vna præſertim, cùm tam multas videat aliis claris ciuibus excitatas, ne ſic quidem ſolida videri poteſt ratio. Neque enim ſtatuæ ipſæ, ſed locus inuidiam mouebat, at præter Cæſarem & Iunium Brutum nemo ſtatuas inter Reges obtinebat. Si denique mens eſt Oratoris: vnâ præſertim, cùm tam multas videat tibi toto imperio Romano excitatas, ea ratio videtur magis ad augendam, quàm ad minuendam inuidiam pertinere. Et ſanè videtur eſſe germana huius loci ſententia, propter ea quæ ſequuntur. Valde enim inuidendum eſt eius ſtatuæ cuius trophæis non inuidemus, fit enim neſcio quo modo vt inuidia quaſi inuidiæ acceſſione minuatur. Qui enim ad ſummam peruenerit, ei tanquam extra omnem aleam poſito de cætero non inuidetur.

Nam si locvs.] Eludit magis quàm confutat obiectionem, per fallaciam, vt loquuntur, accidentis: non enim inuidebatur illi ſtatuæ, quòd eſſet claro & omnibus conſpicuo loco poſita, ſed quòd inter Reges: at Orator ita refellit, quaſi propter ſolam loci claritatem ſtatua Cæſaris in inuidiam vocaretur. Elegans etiam, ſed tam perſpicua vt interpretatione non indigeat, & reſponſio de plauſu.

NOTÆ.

I. Statua Cæſaris inter Reges.

Statva inter Reges.] Tranquillus *ſtatuam inter Reges* poſitam vnam è præcipuis cauſſis fuiſſe dicit quibus inuidia Cæſari conflata eſt, cap. 76. Hæ autem Regum ſtatuæ in Capitolio. Plutarchus in Bruto. Ἰούνιος Βροῦτος ὃν ἀνέστησαν ἐν Καπιτωλίῳ χαλκοῦν οἱ πάλαι Ῥωμαῖοι μέσον τῶν βασιλέων, ἐσπασμένον ξίφος, ὡς βεβαιότατα καταλύσαντα Ταρκυνίους. *Iunius Brutus cui priſci Romani in Capitolio mediam inter Reges poſuere ſtatuam, ex ære, quæ ſtrictum tenet enſem, quo fortiſſimè regno Tarquinios expuliſſet.* De hac Cæſaris ſtatua Xylander interpretatur Dionem lib. 44. Δίφρος τ' ἐπίχρυσος καὶ στολὴ, ᾗ ποτε οἱ βασιλεῖς ἐκέχρηντο. *Additum eſt*, inquit Xylander, *vt ſella aurata vteretur: ſtatuáq; ei poſita eſt qualis Regibus quondam.* Sed viderint eruditi. libentiùs legerim στολῇ. *vt ſella aurata & veſte, vt olim Reges, vteretur.* Idem lib. 43. meminit & alterius ſtatuæ in Capitolio poſitæ, decretum à Senatu aiens, ἅρμα τέ τι αὐτοῦ ἐν τῷ Καπιτωλίῳ ἀντιπρόσωπον τῷ Διὶ ἱδρυθῆναι, καὶ ἐπὶ εἰκόνα αὐτὸν τῆς οἰκουμένης χαλκοῦν ἐπιβιβασθῆναι γραφὴν ἔχοντα, Ἡμίθεός ἐστι. *Vt currus ipſi aduerſum Iouem ſpectans in Capitolio collocaretur. ipſius quoque ærea ſtatua ſuper imaginem orbis terrarum poneretur, cum hac inſcriptione*, Semidevs est. Sed illa non inter Reges, vt videtur: ac proinde etiam alteram habuit in Capitolio: de qua Tranquillus lib. 1. cap. 80. *Subſcripſere quidam L. Bruti ſtatuæ*, Vtinam viveres: *item ipſius Cæſaris ſtatuæ:* Brvtvs, qvia Reges eiecit, Consvl primvs factvs est. Hic qvia Consvles eiecit, Rex postremo factvs est. Bruti autem & Cæſaris ſtatuæ vicinæ fuerunt. Dio 43. Ἄλλην τέ τινα εἰκόνα ἐς τὸν τοῦ Κυρίνου ναὸν θεῷ ἀνικήτῳ ἐπιγράψαντες, καὶ ἄλλην ἐς τὸ Καπιτώλιον παρὰ τοὺς βασιλεύσαντάς ποτε ἐν τῇ Ῥώμῃ ἀνέθεσαν. Καί μοι θαυμάσαι τῆς συντυχίας ἐπέρχεται. ὀκτὼ γὰρ ἅμα αὐτῶν (ἑπτὰ μὲν ἐκείνοις, ὀγδόῳ δὲ τῷ γε Βρούτῳ τῷ τοὺς Ταρκυνίους καταλύσαντι) οὐσῶν, παρὰ ταύτην τότε τὴν τοῦ Καίσαρος ἔστησαν. *Aliámque imaginem cum inſcriptione* Dei invicti *in fano Quirini poſuerunt: aliámque iterum in Capitolio iuxta Reges, qui quondam Romæ regnauerant. Ac mihi fortuitum iſtum caſum admirari ſubit, quòd cùm eſſent octo ſtatuæ, ſeptem poſitæ Regibus, & vnà Bruto, ei qui Tarquinios euertit, iuxta Bruti ſtatuam, poſita eſt Cæſaris ſtatua.*

Plavdi tibi.] De plauſu & acclamationibus theatralibus. Vide Sextianam §. 95. n. 5. Item 105. Nota 6. & §. 117. n. 6. Piſonianam 65. n. 6. II.

Militibvs refertvm forvm.] Confectis bellis ciuilibus, vt ſcribit Appianus lib. 2. Σπεῖραι ὅσαι στρατηγίδες αὐτὸν ἐκ τῶν πολέμων ἔτι ἐσωματοφυλάκουν ἀπέστησε τῆς φυλακῆς, καὶ μετὰ τῆς δημοσίας ὑπηρεσίας ἐπεφαίνετο μόνης. *Cohortes etiam prætorias quibus bellorum tempore pro ſatellitio vſus fuerat, amouit à ſui cuſtodia, contentus ſolis apparitoribus publicis.* Paterculus de Hirtio & Panſa: *Semper prædixerant Cæſari vt principatum armis quæſitum, armis teneret.* quibus ille reſpondit, *mori ſe quàm timeri malle.* vide Plutarchum & Appianum & Dionem lib. 44. III. Cæſaris clementia.

Tam mvltas videat.] Dio libro 44. Καὶ ἐν ταῖς πόλεσι τοῖς τε ναοῖς, τοῖς ἐν τῇ Ῥώμῃ πᾶσιν ἀνδριάντα τινὰ αὐτοῦ εἶναι ἐκέλευσαν. καὶ ἐπί γε τοῦ βήματος δύο, τὸν μὲν ὡς τοὺς πολίτας σεσωκότος, τὸν δὲ ὡς τὴν πόλιν ἐκ πολιορκίας ἐξῃρημένου μετὰ τῶν στεφάνων, τῶν ἐπὶ τοῖς τοιούτοις νενομισμένων ἱδρύσαντο. *Decretum eſt vt in omnibus vrbibus, omnibúſque Romæ templis eius ſtatua poneretur: in ipſis Roſtris duas ei ſtatuas collocarunt: ciuica vnam, alteram obſidionali corona inſignem, quaſi ciues ab interitu, & vrbem ab obſidione liberaſſet.* E quibus vides cur hîc Orator peculiarem Roſtrorum faciat mentionem: repugnat enim eum tyrannum exiſtimari, cui tanquam vrbis & ciuium ſeruatori ſtatuæ ponuntur. IV. Statuæ.

Trophæis.] Vide Piſonianam §. 92. Nota 1. 2. §. 59. n. 5. V.

Rostris.] Locus fuit in foro Romano, quod βῆμα Græci appellant. Vide Vatinianam §. 24. n. 1. VI.

Peroratio à §. 21. qua duo obtinere contendit.

- 1. Ne Cæſar ſuccenſere ſibi Deiotarum ſuſpicetur.
  - meminit Deiotarus
    - quid retinuerit. videlicet nomen regium, cum quo pariter retinentur
      - omnia beneficia pop. Rom.
      - Iudicia & decreta Senatus.
    - non quid amiſerit. videlicet regni partem qua mulctatus eſt à Cæſare.
  - ſe facilè conſolatur
    - exemplo Regis Antiochi.
    - etiam faciliùs. nam
      - Antiochus multam furoris ſuſtinuerat.
      - Deiotarus erroris, quo ſecutus eſt Pompeiũ.
    - conſolatione
      - virtutis, quæ nullo caſu amittitur.
      - honorum ſibi à S. P. Q. R. decretorum.
  - humanitate litterarum Cæſaris eſt recreatus.
- 2. Ne ipſe Cæſar Deiotaro ſuccenſeat, eumque condemnet
  - à communi ſollicitudine, quæ ſi ſuccenſeret inimicis reconciliatis, in animis hominum hæreret.
  - à perſona
    - Cæſaris, cuius clementia ſolet ſupplicibus & calamitoſis occurrere.
    - Deiotari, & regij nominis dignitate.
    - Legatorum, è quibus Hieras cauſſam omnem ſuſcipit, & pro Rege ſe opponit reum, quia rebus omnibus interfuit: qua occaſione fit breuis recapitulatio.
  - à conſequentibus
    - incommodis, ex damnatione Deiotari.
    - commodis, ex eiuſdem abſolutione.

ARGVMENTVM.

Prior pars perorationis, qua, vt viam ſibi ſternat ad captandam miſericordiam, demonſtrat cauſſæ nihil eſſe cur Deiotarus ob ereptam ſibi Armeniam & Callogræciæ partem Cæſari ſuccenſeat.

NIHIL à me arbitror prætermiſſum, ſed aliquid ad extremam cauſſæ partem reſeruatum. Id autem aliquid eſt, te vt planè Deiotaro reconciliet oratio mea: non enim iam metuo, ne tu illi ſuccenſeas: illud vereor, ne tibi illum ſuccenſere aliquid ſuſpicère: quod abeſt longiſſimè, mihi crede, Cæſar, quid enim retineat per te, meminit, non quid amiſerit: neque ſe à te mulctatum arbitratur, ſed quum exiſtimaret à multis tibi multa eſſe tribuenda, quò minùs à ſe, qui in altera parte fuiſſet, ea ſumeres, non recuſauit. Etenim ſi Antiochus Magnus ille Rex Aſiæ, quum poſteaquàm à Scipione deuictus, Tauro tenus regnare iuſſus eſſet, omnémque hanc Aſiam, quæ eſt nunc noſtra prouincia, amiſiſſet, dicere eſt ſolitus, benignè ſibi à Populo Romano eſſe factum, quòd nimis magna procuratione liberatus, modicis regni terminis vteretur: poteſt multò faciliùs ſe Deiotarus conſolari: ille enim furoris mulctam ſuſtinuerat, hic erroris. XXI.

EXPLANATIO.

NIHIL A ME.] Omnia mihi videor accuſatorum crimina diluiſſe, neque quicquam prætermiſiſſe eorum quæ ad cauſſam pertinerent, ſed aliquid dicendum reſeruaſſe, quod videbatur perorationi meliùs, quàm cæteris orationis partibus conuenire. Meritò autem apud Cæſarem Rhetorum præceptionibus penitus imbutum artem profitetur, quod tamen ipſum eſt contra artem, & Rhetorum ſcita, qui iubent artem diſſimulari: & ita miro modo, quo magis eam oſtentat, eò magis diſſimulat, & paulatim in Cæſaris animum irrepit.

QVID ENIM.] Meminit ſe tuo beneficio, Tetrarchiam Gallogræciæ, quam ei iure victoriæ adimere poteras, & nomen regium retinere: non autem meminit ſibi ademptam fuiſſe Armeniam, & Gallogræciæ partem, exercitum indictum, pecuniam imperatam, quòd bello ciuili ſecutus fuiſſet Pompeium. Neque id ſibi multæ nomine impoſitum fuiſſe arbitratur, ſed cùm te videret pecuniis & regnis egere, quibus eos qui te ſecuti fuerant munerares, libenter paſſus eſt, vt ea ſumeres quæ tuis partibus tribuiſti.

ETENIM SI ANTIOCHVS.] Pro Sextio 58. *Antiochum illum magnum maiores noſtri magna belli contentione, terra maríque ſuperatum intra montem Taurum regnare iuſſerunt,* &c.

A SCIPIONE.] A L. Scipione Aſiatico fratre maioris Africani.

TAVRO TENVS REGNARE IVSSVS EST.] Tota cis Taurum Aſia multatus eſt, vt regnum ſuum citra eum montem non extenderet.

HANC ASIAM.] Pro Sextio 58. *Aſiam qua illum multarunt, Attalo vt is regnaret in ea, condonauerunt.* poſteà tamen eiuſdem Attali teſtamento facta eſt populi Romani prouincia.

NIMIS MAGNA PROCVR.] Nimiùm magnis curis & ſollicitudinibus quas ei tam ampli regni adminiſtratio pariebat. eſt autem vt vides argumentum à minori ad maius tractatum pulcherrimè.

ILLE ENIM.] Antiochus furoris multam ſuſtinuerat, ſiue multabatur in pœnam furoris, quòd ipſe furioſus populo Romano nulla prouocatus iniuria bellum intuliſſet: HIC Deiotarus ERRORIS, quo ſecutus eſt Pompeium, exiſtimans eius cauſſam eſſe meliorem, lapſúſque non *cupiditate aut prauitate aliqua; ſed opinione officij, ſtulta fortaſſe, certè non improba, & ſpecie quadam Reip.*

NOTÆ.

1. Mulcta. MVLTATVM.] Alij *mulctatum*, alij etiam *mulcatum*. vide Germanum Valentem in II. Æneidos:

-Crudeli multatam morte Camillam.

Vbi *mulcatam* legendum eſſe contendit. Feſtus: *Multam oſcè dici putant pœnam quandam. M. Varro ait pœnam eſſe, ſed pecuniariam de qua ſubtiliter in lib. I. quæſtionum epiſtolicarum refert. Maximam multam dixerunt trium millium & viginti aſſium, quia non licebat quondam pluribus triginta bobus & duabus ouibus quemquam multari, æſtimabatúrque bos centum aſſibus, ouis decuſſibus.* Varro de lingua Latina lib. 5. *Multa pecunia quæ à magiſtratu dicta, vt exigi poſſit ob peccatum, quòd ſingulæ dicuntur appellatæ eſſe multæ, quòd olim vnum dicebant multa. Itaque cùm in dolium aut culleum addunt ruſtici prima vrna addita dicunt etiam nunc multa.* Scaliger exiſtimat *multare*, idem eſſe atque *numerare*, vnde & multa nomen acceperit. quòd pecunia multatitia numeretur. Ponitur etiam multa pro quouis ſupplicio. Catullus.

Nec priùs à feſſo ſecedent corpore ſenſus

Quàm ſæuam à diuis expoſcam prodita multam,
Quare facta virum multantes vindice pœna.
Vide quæ diximus pro Milone 37. *Multam irrogarat.*

II. Mvltis mvlta deberes.] Huc ſpectant quæ narrat Dio libro 43. στρατηγοὶ δὲ τεσσαρεσκαίδεκα, ταμίαι δὲ τεσσαράκοντα ἀπεδείχθησαν. πολλοῖς γὰρ δὴ πολλὰ ὑπεσχημένος οὐκ εἶχεν ὅπως σφᾶς ἄλλως ἀμείψεται. *Prætores quatuordecim, quadraginta Quæſtores facti ſunt. Aliam enim Cæſar rationem, præſtandi ea quæ multis multa promiſerat, nullam habebat.* Et eandem ob cauſſam tam multos allegit in Senatum, ὥστε καὶ ἐνακοσίους τὸ κεφάλαιον αὐτῶν γενέσθαι. *Adeò vt ſumma Senatorum nongentorum fuerit.* Et extremis eiuſdem libri verbis: Πολλοῖς εὐεργεσίαν ὀφείλων διά τε τῶν τοιούτων αὐτοὺς, καὶ διὰ τῶν ἱερωσυνῶν ἀπεδίδου, ἔς τε τοὺς πεντεκαίδεκα ἕνα, καὶ ἐς τοὺς ἑπτὰ αὖ καλουμένους τρεῖς ἑτέρους προσαποδείξας. *Cùm plurimis beneficia deberet, huiuſmodi* magiſtratibus *ac ſacerdotiis collatis eis ſatisfecit: itaque quindecim* auguribus *vnum, ſeptemuiris* epulorum tres *adiecit.*

III. Antiochvs ille Magnvs.] Plures fuerunt Antiochi Syriæ Reges à Seleuco progeniti. Primus fuit ille qui Nouercam Stratonicen adamauit, de quo Plutarchus in Demetrio, Appianus in Syriacis, Iulianus in Miſopogone, cognomento Σωτήρ. Secundus Antiochus Deus cognomine ὅτῳ θεὸς ἐπώνυμον ὑπὸ Μιλησίων γίνεται πρῶτον, inquit Appianus. Antiochi Dei nepos, fuit hic Magnus, cuius meminit Orator. Huius filius Antiochus Ἐπιφανὴς, ſiue Illuſtris, de quo plura in libris Machabæorum. Huius regnum Antiochus Eupator filius excepit. Secuti ſunt alij tres Antiochi, Grypus, Cicyſenus, Pius. de quibus ſingulis conſule citatum Appianum de bellis Syriacis. Quod ad Magni cognomen attinet, ita ſcribit Appianus eum Parthiam, Mediam, aliáſq; prouincias, quæ poſt Seleucum Nicanorem primum Syriæ Regem à progenitoribus ſuis defecerant, armis recepiſſe: ἐπιγενόμενος δὲ τοῖς γεγονόσι, καὶ τῇ δι' αὐτὰ προσωνυμίᾳ. *elatus tum ſucceſſibus, tum cognomine.* Iam dixerat, καὶ πολλὰ δράσας, καὶ Μέγας Ἀντίοχος ἐπικληθείς. *Poſt multas res geſtas Magnus cognominatus.* Eodem libro: ὀλίγοι τε πολλῶν, καὶ ἐξ ἐφόδου, καὶ ἐν πρώτῃ μάχῃ, καὶ ἐν ἀλλοτρίᾳ γῇ, τοσῶνδε ἐθνῶν καὶ παρασκευῆς βασιλικῆς, καὶ μισθοφόρων ἀρετῆς, καὶ δόξης Μακεδόνων, καὶ βασιλέως αὐτοῦ μεγίστην τε ἀρχὴν κεκτημένου, καὶ ἐπίκλησιν Μεγάλου κεκρατηκότες ἡμέρᾳ μιᾷ. πολύ τέ σφισιν ἦν τὸ ἔπος ἐν τοῖς λόγοις, ἦν βασιλεὺς Ἀντίοχος ὁ Μέγας. *Numero longè impares pauci multos primo impetu primóque congreſſu in terra aliena tam multas gentes, apparatúmque regium, auxiliariorum virtutem, Macedonum gloriam, ipsúmque Regem latiſſimè regnantem, cognomine quoque Magnum vno die ſuperarunt: & illud crebris vſurpabant ſermonibus,* fvit Rex Antiochvs Magnvs.

Regni terminis.] Iuſſerat eum Scipio, inquit Appianus, & Liuius lib. 7. decad. 4. eum IV.
Europa abſtinere, Aſiáque omni, quæ cis Taurum eſt decedere. καὶ τούτοις ὅροι τεθήσονται. *iuxta præſcribendos terminos.* Id ratum habuit Senatus, & decreuit, ὅρους μὲν Ἀντιόχῳ τῆς ἀρχῆς εἶναι δύο ἄκρας Καλυκαδνόν τε, καὶ Σαρπηδόνιον. *Vt Antiocho termini duo regni eſſent promontoria Calycadnum & Sarpidonium.* Quod ſpectat ad eius regni magnitudinem vltra Taurum, cùm, vt iam diximus ex Appiano, & Plutarchus ait: τὴν Ἀσίαν ὅσην ὁ Νικάνωρ Σέλευκος ἔσχεν, ὀλίγου δεῖν, ἅπασαν δὲ ὑπ' ἀρχῆς ἀνειληφώς. *Propemodum Aſiam, quibus finibus eam Seleucus Nicanor tenuit, à principio omnem ſuæ ditioni ſubiecerit,* magnam neceſſe eſt fuiſſe regni procurationem. ἀπὸ γὰρ Φρυγίας, inquit Appianus, ἐπὶ ποταμὸν Ἰνδὸν ἄνω πάντα Σελεύκῳ κατήκουε. *A Phrygiæ terminis Indum vſque Seleuco parebant omnia.*

AXIOMA.

Qui affliguntur meminiſſe debent quid ex priore fortuna retineant, non quid amiſerint.

ARGVMENTVM.

Oſtendit Deiotarum facilè ſe retento nomine Regis & honoribus ſibi à Pop. Rom. decretis, nec ſententia Cæſaris diminutis, & virtutis ſuæ conſcientia conſolari: ac proinde nihil eſſe cur Cæſari ſuccenſeat.

XXII. Omnia tu Deiotaro, Cæſar, tribuiſti, quum & ipſi, & filio nomen Regium conceſſiſti. Hoc nomine retento atque conſeruato, nullum beneficium Populi Romani, nullum iudicium de ſe Senatûs imminutum putat, magno animo & erecto eſt, nec vnquam ſuccumbet inimicis, ne fortunæ quidem. Multa ſe arbitratur & peperiſſe anteà factis, & habere in animo atque virtute, quæ nullo modo poſſit amittere. Quæ enim fortuna, aut quis caſus, aut quæ tanta poſſit iniuria omnium Imperatorum de Deiotaro decreta delere? Ab omnibus enim eſt ornatus, qui, poſtquam in caſtris eſſe potuit per ætatem, in Aſia, Cappadocia, Ponto, Cilicia, Syria, bella geſſerunt. Senatûs verò iudicia de illo tam multa, támque honorifica, quæ publicis Populi Romani literis monimentíſque conſignata ſunt, quæ vnquam vetuſtas obruet? aut quæ tanta delebit obliuio? Quid de virtute eius dicam? quid de magnitudine animi, grauitate, conſtantia? quæ omnes docti atque ſapientes ſumma

quidam etiam ſola bona eſſe dixerunt: hiſque non modò ad benè, ſed etiam ad beatè viuendum contentam virtutem eſſe. Hæc ille reputans, & dies & noctes cogitans, non modò tibi non ſuccenſet (eſſet enim non ſolùm ingratus, ſed etiam amens) verùm omnem tranquillitatem, & quietem ſenectutis acceptam refert clementiæ tuæ.

EXPLANATIO.

OMNIA.] Nullum ex eius ornamētis abſtuliſti, cùm permiſiſti vt nomen Regis quod & ipſe & filius Deiotarus iunior auctoritate Senatus acceperant, etiam poſt bellum ciuile retinerent.

MVLTA SE.] Ideò fortunæ non ſuccumbit, quia nouit ſe multa habere in quæ fortuna nihil iuris habeat: non enim gloriam & honores à Senatu populóque Romano ſibi decretos, quos ſibi rebus geſtis peperit, non habitus virtutum, quos ſibi frequentibus actionibus comparauit, vllo fortunæ caſu poteſt amittere. legit Modius *antefactis*.

OMNIVM IMPERAT.] Vt Syllæ, Murenæ, Pompeij, Luculli, qui contra Mithridatem bella geſſerunt, opibúſque Deiotari ſunt adiuti.

SENATVS VERÒ.] Senatuſconſulta in eius honorem facta quæ in tabulas publicas relata, & in ærario aut in Capitolio collocata ſunt ad memoriam futuri temporis ſempiternam, nulla temporis vetuſtate, nulla poterunt obliuione deleri.

QVID DE VIRTVTE.] Multò magis etiam ſe virtutum ſuarum, quàm honorum ſibi decretorum conſideratione conſolatur, & dolorem abſtergit, quem ob amiſſam Armeniam, & Gallogræciæ partem acceperat.

OMNES DOCTI.] Vt Plato, Ariſtoteles & alij, qui cùm tria bonorum genera deſcribant, & vnum iucundum, alterum vtile, tertium honeſtum appellent, cæteris duobus honeſtum anteponunt, ídque ſummum vocant, comparatione cæterorum.

QVIDAM ETIAM SOLA.] Vt Stoici, qui iucundum & vtile Boni nomine non dignantur, ſed hanc appellationem ſoli virtuti & honeſto aiunt conuenire.

NOTÆ.

I. ET FILIO.] Philipp. II. §. 33. *Deiotari Regis & patris & filij, & magnus, & noſtro more inſtructus exercitus: ſumma in filio ſpes, ſumma ingenij indoles, ſumma virtus.*

OMNIVM IMPERATORVM DE DEIOTARO DECRETA.] Ibidem: *Quid de patre dicam? cuius beneuolentia in Pop. Rom. eſt ipſius æqualis ætati: qui non ſolùm ſocius imperatorum noſtrorum fuit in bellis, verùm etiam dux copiarum ſuarum. Quæ de illo viro Sylla, quæ Murena, quæ Seruilius, quæ Lucullus, quàm ornatè, quàm honorificè, quàm grauiter ſæpe in Senatu prædicauerunt? Quid de Cn. Pompeio loquar? qui vnum Deiotarum in toto orbe terrarum ex animo amicum, veréque beneuolum, vnum fidelem Pop. Rom. iudicabat. Fuimus imperatores ego & M. Bibulus in propinquis finitimíſque prouinciis: ab eodem Rege adiuti ſumus & equitatu & pedeſtribus copiis.* Iam horum Imperatorum Pompeius in omnibus prouinciis quæ numerantur, Sylla & Lucullus in earum pleriſque, Murena in Cappadocia, Ponto, Phrygia, in Syria Bibulus, in Cilicia Cicero & Seruilius. II.

PER ÆTATEM.] Ætas militaris, more Romano, fuit ab anno decimo ſeptimo. Tubero apud Gellium: *Seruius ab anno decimo ſeptimo, quòd idoneos iam eſſe Reipub. arbitrabatur, milites ſcripſit.* Atque iſtud manſit, vt notat Lipſius. Et in Punico ſecundo bello, cùm neceſſitas violaſſet decretum, *Vt Tribuniplebis* (Liuij verba lib. 25.) *ad populum ferrent, vt qui minores annis ſeptem & decem ſacramentum dixiſſent, iis proinde ſtipendia procederent, ac ſi ſeptem ac decem annorum, aut maiores milites facti eſſent.* vide dialogum 2. lib. I. de Militia Romana. III. Ætas militaris.

PVBLICIS POPVLI ROM. LITTERIS.] Tabulæ publicæ videntur intelligi, de quibus egimus in Piſonem §. 36. Nota I. & pro Milone §. 74. Nota poſtrema. *Vt memoriam publicæ recenſionis tabulis publicis impreſſam extingueret.* IV.

SOLA BONA.] Vide quæ diximus pro Marcello ad §. 19. *Quæ non modò ſumma bona, ſed nimirum audebo vel ſola dicere.* V.

AXIOMATA.

Vir magno & erecto animo nunquam ſuccumbet inimicis, ne fortunæ quidem.
Nullo fortunæ caſu virtus amittitur.
Virtus vel ſummum, vel etiam ſolum eſt bonum.

ARGVMENTVM.

Deiotarum Cæſaris litteris confirmatum, & bene ſperare iuſſum demonſtrat, æquo animo rerum ſuarum ferre iacturam, nec Cæſari, quòd ab eo multatus fuerit, iraſci.

QVO quidem animo quum anteà fuerit, tum non dubito quin tuis literis, quarum exemplum legi, quas ad eum Tarracone huic Bleſamio dediſti, ſe magis etiam erexerit, ab omnique ſollicitudine abſtraxerit. Iubes enim eum benè ſperare, & bono eſſe animo: quod ſcio te non fruſtrà ſcribere ſolere: memini enim iiſdem ferè verbis ad me te ſcribere, méque tuis literis benè ſperare non fruſtrà eſſe iuſſum.

EXPLANATIO.

QVO CVM ANIMO.] Cùm ſemper res humanas earúmque iacturam contempſerit, dolorémque ex ea perceptum lenierit conſideratione ſuæ virtutis, &c.

TARRACONE.] Vrbe Hiſpaniæ, vbi tum Cæſar agebat, occupatus bello contra Cneium & Sextum Pompeios, Magni Pompeij filios.

HVIC BLESAMIO.] Legato Regis Deiotari, qui præſens eſt huius iudicij finem expectans. Prudenter autem hîc illarum litterarum mentionem interſerit, vt Cæſarem admoneat ſui promiſſi.

MEMINI ENIM.] Hoc ipſum tempus ſignificat, de quo in Ligariana. *Ad me ex Ægypto litteras miſit, vt eſſem idem qui fuiſſem*, &c. *C. Panſa nuntium perferente*, &c.

NON FRVSTRA ESSE IVSSVM.] Cùm non ſolùm patriæ fuerim reſtitutus poſt pugnam Pharſalicam, ſed ita reſtitutus, vt nulla ornamenta priſtinæ dignitatis amiſerim.

NOTÆ.

I. Tarraco. TARRACONE.] Vrbs eſt Citerioris Hiſpaniæ, de qua Plinius lib. 3. cap. 3. *Regio Coſſetana, flumen Subi, colonia Tarraco Scipionum opus, ſicut Carthago Pœnorum.* Ibi autem Cæſar deuictis Pompeiis videtur habuiſſe conuentus, & variarum gentium legationes excepiſſe. Nam, vt ſcribit Polyhiſtor cap. 36. *Caput eſt prouinciæ Tarraconenſis.* Sed Strabonem libro 3. loquentem audiamus: Μεταξὺ δὲ τῶν τοῦ Ἴβηρος ἐκτροπῶν, καὶ τῶν ἄκρων τῆς Πυρήνης, ἐφ' ὧν ἵδρυται τὰ ἀναθήματα τοῦ Πομπηΐου, πρώτη Ταῤῥακών ἐστι πόλις, ἀλίμενος μὲν, ἐν κόλπῳ δὲ ἱδρυμένη, καὶ κατεσκευασμένη τοῖς ἄλλοις ἱκανῶς, καὶ οὐχ ἧττον εὐανδροῦσα νυνὶ τῆς Καρχηδόνος. πρὸς γὰρ τὰς τῶν ἡγεμόνων ἐπιδημίας εὐφυῶς ἔχει, καὶ ἔστιν ὥσπερ μητρόπολις, οὐ τῆς ἐντὸς Ἴβηρος μόνον, ἀλλὰ καὶ τῆς ἐκτὸς τῆς πολλῆς. *Inter Iberi oſtia & Pyrenes extrema, vſi ſunt Pompeij trophæa, prima vrbs eſt Tarracon, portu quidem carens, ſed in ſinu condita, & aliis ſatis inſtructa rebus, nunc non paucioribus quàm Carthago frequentata viris. Commodè enim ſita eſt ad Præfectorum itinera. éſtque metropolis non tantùm intra Iberum ſitæ Hiſpaniæ, ſed & magnæ partis eius quæ extra eſt.*

EREXERIT.] Suprà: *Magno animo & erecto eſt.* & Virgilius 9. Æneidos. II.

Lætitiáque fremunt, animóſque ad ſidera tollũt.

Quod vel ad conſtantiam & animi magnitudinem, vel ad lætitiam & ſpem poteſt pertinere. pro Fonteio 23. erectum opponit humili & demiſſo. *Sic exiſtimatis eos hîc ſagatos, braccatóſque verſari animo demiſſo atque humili, vt ſolent ij qui affecti iniuriis, ad opem iudicum ſupplices inferioréſque confugiunt? nihil minùs. Hi contrà vagantur læti atque erecti*, &c. De ſenectute 75. *Legiones noſtras in eum ſæpe locum profectas alacri animo & erecto vnde ſe nunquam redituras arbitrarentur.* & alibi frequenter. Animum igitur erigere eſt ſupra res humanas, & quaſi ſupra fortunæ tempeſtates & procellas attollere, & *-munita tenere*

Edita doctrinâ ſapientum templa ſerenâ.

eúmque virtutibus contra res aduerſas exaggerare, quaſi iam peruenerit.

Οὔλυμπόνδ' ὅθι φασὶ θεῶν ἕδος ἀσφαλὲς αἰεὶ
Ἔμμεναι· οὔτ' ἀνέμοισι τινάσσεται, οὐδέ ποτ' ὄμβρῳ
Δεύεται. οὔτε χιὼν ἐπιπίλναται. ἀλλὰ μάλ' αἴθρη
Πέπταται ἀνέφελος, λευκὴ δ' ἐπιδέδρομεν αἴγλη.

Ad ſedes ſuperum ſecuras, culmen Olympi,
Quod non concutitur ventis, non imbre rigatur,
Non niue conſperſum candet: ſed lucidus æthrâ
Innubi polus, & ſplendor circumfluus ambit.

Odyſſ. ζ'. verſu 42.

Erectus igitur animus Deiotari, & ab omni ſollicitudine abſtractus, & ſuper omnes fortunæ procellas elatus.

ARGVMENTVM.

Poſterior pars perorationis qua Cæſarem pro Deiotaro deprecatur, eiúſque clementiam leniter implorat.

XXIV. LABORO equidem Regis Deiotari cauſſa, quo cum mihi amicitiam Reſp. conciliauit, hoſpitium voluntas vtriuſque coniunxit, familiaritatem conſuetudo attulit, ſummam verò neceſſitudinem magna eius officia in me, & in exercitum meum, effecerunt. Sed cùm de illo laboro, tum de multis ampliſſimis viris, quibus ſemel eſſe ignotum à te oportet, nec beneficium tuum in dubium vocari, nec hærere in animis hominum ſolicitudinem ſempiternam, nec accidere, vt quiſquam te timere incipiat eorum, qui ſemel à te ſint liberati timore. Non debeo, C. Cæſar, quod fieri ſolet in tantis periculis, tentare quónam modo dicendo miſericordiam tuam commouere poſſim: nihil opus eſt: occurrere ipſa ſolet ſupplicibus, & calamitoſis, nullius oratione euocata. Propone tibi duos Reges, & id animo contemplare quod oculis non potes: dabis profectò miſericordiæ, quod iracundiæ negauiſti. Multa ſunt tuæ clementiæ monimenta, ſed maximè eorum incolumitates, quibus ſalutem dediſti: quæ ſi in priuatis glorioſa ſunt, multò magis commemora-

buntur in Regibus. Semper Regum nomen in hac ciuitate ſanctum fuit: ſociorum verò Regum & amicorum, ſanctiſſimum: quod nomen hi Reges ne amitterent, te victore, timuerunt: retentum verò, & à te confirmatum poſteris etiam ſuis tradituros eſſe confido.

EXPLANATIO.

LABORO.] Commodè cauſſas ſuæ cum Deiotaro coniunctionis exponit, quòd vt ait pro Ligario: *Cauſſæ apud Cæſarem rogantium gratiores eſſent, quàm preces*, &c. Et epiſt. 12. lib. 6. ad famil. *Valent apud Cæſarem non tam ambitioſæ rogationes quàm neceſſariæ.* Aduerte autem gradationem pulcherrimam. *amicitiam reſp. conciliauit.* quia vt ipſe profitetur de prouinc. Conſul. 25. 24. ardebat incredibili amore patriæ, & nemini poterat eſſe bene de Rep. merenti non amicus. *hoſpitium voluntas vtriuſque coniunxit.* quia ex mutuo conſenſu ſibi dederant teſſeram hoſpitalem. *familiaritatem conſuetudo attulit.* quia & amici & hoſpites eſſe poterant, etiamſi conſuetudinem victûs inter ſe non haberent, familiaritas autem vſu mutuo & vitæ conſuetudine continetur. Neceſſitudinem autem magna Deiotari beneficia effecerant, quia ſibi deuinxerat Tullium, vt ad referendam gratiam ille viciſſim officia neceſſariò conferre deberet.

EXERCITVM MEVM.] Quem tunc habui cùm Ciliciam prouinciam obtinerem.

SED CVM.] Prudenter hanc cauſſam à priuatis Deiotari rationibus ad communes tradunt, vt plus auctoritatis habeat oratio.

QVIBVS SEMEL.] Quibus oportet tam abſolutè veniam eſſe conceſſam, vt non ſit opus eam iterare: nec vitam aduerſariis tuis à te conſeruatam in dubium vocari, quaſi tu non eam ex animo, ſed ex clementiæ ſimulatione conceſſeris.

NON DEBEO.] Prudenter Cæſaris clementiam commendat, & eam imploraturum ſe negans præteritione oratoria, vel maximè implorat.

OCCVRRERE.] Præuenire ſupplicantium vota, precibus obuiam ire, nec expectare dum rogetur.

DVOS REGES.] Deiotaros patrem & filium: videtur ſolus pater accuſatus fuiſſe. filium tamen appellat, vt magis duorum quàm vnius miſericordia moueatur: vel quia Cæſari filius erat acceptior, ideò cauſſam vtriuſque coniungit.

DABIS PROFECTÒ.] Miſericordia te vinci patieris, qui te non paſſus es iracundia ſuperari.

MVLTA SVNT.] Argumentum à minori ad maius hoc enthymemate tractatum,

Glorioſum eſt ſalutem dare priuatis.

Ergo multò glorioſius ſalutem dare Regibus.

SEMPER.] Aliud argumentum ab antecedentibus.

Illis iam antè conſeruaſti regium nomen, cùm illud timerent amittere.

Ergo per te iterum ſeruari debet, & ad eorum poſteros peruenire.

REGIVM NOMEN.] Commodiùs ſine dubio *Regum nomen*, quàm *regium* vt edidit Aldus Manutius, cui propterea grauiter inſultat, & iuueniliter exultat Franciſcus Robortellus cap. 43. Sed cauendum eſt ne & ipſe in id vitium incidam, quod in aliis reprehendo.

NOTÆ.

HOSPITIVM.] Vide Sextianam §. 10. n. 3. I.

FAMILIARITATEM.] Vide quæ diximus ad Milonianam 21. *Non enim mea gratia familiaritatibus continetur, quæ latè patere non poſſunt, propterea quòd conſuetudines victûs non poſſunt eſſe cum multis.* hinc ille ἁλὸς μέδιμνος, *modius ſalis.* cuius prouerbij facit Ariſtoteles mentionẽ. Sic apud Æſchinem & Demoſthenem: ποῦ ἅλες; ποῦ τράπεζαι; *vbi ſal? vbi menſa?* quia familiaritates victûs conſuetudine maximè continentur. Origenes lib. 2. contra Celſum: Καὶ ὀνειδίζων γε ὁ Πάριος ἰαμβοποιὸς τὸν Λυκάμβην μετ' ἅλας, καὶ τράπεζαν συνθήκας ἀθετήσαντα, φησὶ πρὸς αὐτόν. Ὅρκον δ' ἐνοσφίσθης μέγαν, ἅλας τε καὶ τράπεζαν. *Et Parius ille Iamborum ſcriptor* Archilochus *exprobrans Lycambæ violatum fœdus, quod ſal & menſa conciliauerat, ſic eum alloquitur: Sacramentum irritaſti magnum, ſalémque & menſam.* II.

NECESSITVDINEM] Vide quæ ſuprà diximus §. 18. Nota 2. & in Vatinium §. 18. n. 7. III.

SEMEL.] Suprà §. 4. *Cùm facilè exorari, Cæſar, tum ſemel exorari ſoles.* Semel autem eſt quod vulgo dicimus, *vne bonne fois pour toutes.* vt apud Martialem lib. 12. epiſt. 56. IV.

Ægrotas vno decies aut ſæpius anno,
Nec tibi, ſed nobis hoc, Polycarme, nocet.
Nam quoties ſurgis, ſoteria poſcis amicos:
Sit pudor: ægrota iam, Polycarme, ſemel. Semel.

11. Æneidos:

Procubuit moriens, & humum ſemel ore momordit.

Nec alio longè ſenſu dixiſſe videtur Homerus Odyſſ. μ'. verſu 350.

Βούλομ' ἅπαξ πρὸς κῦμα χανὼν ἀπὸ θυμὸν ὀλέσσαι.
Malo ſemel fluctus adhians amittere vitam.

Thucydides lib. 1. ἅπαξ περὶ ἁπάντων βουλευσαμένοις. *cùm ſemel de omnibus deliberaſſent.* quod Scholiaſtes exponit παντελῶς, *omnino.* Ex quo & Henricus Stephanus explicat, *ſemel exorari.*

MISERICORDIAM.] Dicebant Stoici Sapientes, ἐλεήμονάς τε μὴ εἶναι, συγγνώμην τ' ἔχειν μηδενί. μὴ γὰρ παριέναι τὰς ἐκ τοῦ νόμου ἐπιβαλλούσας κολάσεις. *Miſericordes non eſſe, veniámque nulli dare. neque enim prætermittere conſtitutas à lege pœnas.* Seneca lib. 2. De clementia cap. 5. *Clementiam manſuetudinémque omnes boni præſtabunt, miſericordiam autem vitabunt. Eſt enim vitium puſilli animi, ad ſpeciem alienorum malorum ſuccidentis*, &c. *Miſericordia non cauſſam, ſed fortunam ſpectat: clementia rationi accedit.* Sed præclarè Auguſtinus de Ciuit. lib. 9. cap. 5. *Miſericordiam Stoicorum eſt ſolere culpare: ſed longè meliùs & humaniùs, & piorum ſenſibus accommodatiùs Cicero in Cæſaris laude locutus eſt, vbi ait: Nulla de virtutibus tuis, nec admirabilior, nec gratior miſericordiâ eſt.* Clemens Alexandrinus 4. ſtrom. ὁ δ' ἔλεος οὐχ ἥ τινες τῶν φιλοσόφων ὑπειλήφασι, λύπη ἐπ' ἀλλοτρίαις συμφοραῖς. μᾶλλον δὲ θεῖόν τι ἐστιν, ὡς οἱ προφῆται λέγουσιν. ἔλεον γὰρ, φησί, θέλω καὶ οὐ θυσίαν. *Miſericordia non eſt, vt quidam philoſophi* V. Miſericordia ſitne virium. Imò virtus.

cenſuerunt, ægritudo ex alienis malis: ſed magis diuinum quiddam eſt, ſicut prophetæ loquuntur. miſericordiam enim, inquit, volo, non ſacrificium. vide Lipſium lib. 3. mand. ad Stoic. cap. 19.

VI. Incolumitas. INCOLVMITATES.] 2. De inuentione 169. *Incolumitas eſt ſalutis tuta atque integra conſeruatio.* Incolumes dicuntur, qui non ſunt damnati. Pro Plancio 12. *M. Seium qui ne equeſtrem quidem ſplendorem incolumem à calamitate iudicij retinere potuiſſet.* Pro Cornelio Balbo 28. *Multi etiam ſuperiore memoria ciues Romani ſua voluntate indemnati & incolumes, his rebus relictis alias ſe in ciuitates contulerunt.* Vide quæ diximus ad Sextianam §. 146. Nota 2.

VII. CLEMENTIÆ.] Huius virtutis variæ definitiones à Seneca referuntur lib. 2. de Clementia cap. 3. Prima eſt: *Clementia eſt temperantia animi in poteſtate vlciſcendi.* Altera: *Clementia eſt lenitas ſuperioris aduerſus inferiorem in conſtituendis pœnis. Inclinatio animi ad lenitatem in pœna exigenda.* Quarta: *Clementia eſt moderatio aliquid ex merita ac debita pœna remittens.* Clementia quid?

AXIOMATA.

Amicitiam reſp. conciliat: hoſpitium voluntas mutua coniungit: familiaritatem conſuetudo adfert, neceſſitudine officia efficiunt.

Beneficium in dubium vocari non debet, nec quiſquam timere, qui ſemel fuerit liberatus timore.

Vera miſericordia occurrere ipſa ſolet ſupplicibus & calamitoſis nullius oratione euocata.

Dandum miſericordiæ, quod iracundiæ negatur.

Regium nomen ſanctum eſt.

ARGVMENTVM.

A perſona legatorum & accuſatorum crudelitate Cæſaris miſericordiam implorat.

XXV. CORPORA verò ſua pro ſalute Regum ſuorum hi legati tibi regij tradunt, Hieras, & Bleſamius, & Antigonus, tibi nobíſque omnibus iam diu noti: eadémque fide & virtute præditus Dorylaus, qui nuper cum Hiera legatus eſt ad te miſſus: tum Regum amiciſſimi, tum tibi etiam, vt ſpero probati. Exquire de Bleſamio, nunquid ad Regem contra dignitatem tuam ſcripſerit. Hieras quidem cauſſam omnem ſuſcipit, & criminibus illis pro Rege ſe ſupponit reum: memoriam tuam implorat, qua vales plurimùm. Negat vnquam ſe à te in Deiotari Tetrarchia pedem diſceſſiſſe: in primis finibus tibi ſe præſtò fuiſſe dicit, vſque ad vltimos proſequutum: quum è balneo exiſſes, tecum ſe fuiſſe: quum illa munera inſpexiſſes cœnatus: quum in cubiculo recubuiſſes: eandemq; aſſiduitatem tibi ſe præbuiſſe poſtridie. Quamobrem ſi quid eorum quæ obiecta ſunt, cogitatum ſit, non recuſat, quin id facinus ſuum iudices. Quocircà, C. Cæſar, velim exiſtimes, hodierno die ſententiam tuam, aut cum ſummo dedecore miſerrimam peſtem importaturam eſſe Regibus, aut incolumem famam cum ſalute: quorum alterum optare illorum crudelitatis eſt: alterum conſeruare, clementiæ tuæ.

EXPLANATIO.

CORPORA VERÒ.] Se vades exhibent pro Deiotaro, & tanta fide ſunt erga ſuos Reges, vt eorum loco parati ſint mortem oppetere.

DORYLAVS.] Cur eum à cæteris ſegregarit non liquet: niſi quia fortaſſe iam perfunctus erat munere legationis, & aderat iudicio tanquam priuatus.

EXQVIRE DE BLESAMIO.] Etſi monet alicubi Cicero recapitulationem dictorum accuſatori magis quàm reo conuenire, quia crimina ipſa breuitate relinquunt quendam in animo iudicis aculeum: confutationes non item: aliquando tamen vincit ratio præceptum, & ἀνακεφαλαίωσις vtilis eſt reo. vt hîc quoniam totum firmamentum orationis Phidippi ſerui teſtimonio nitebatur, operæ fuit pretium claros viros & probatos opponere ſeruo & fugitiuo.

TETRARCHIA.] Gallogræciæ. Cætera perſpicua ſunt ex antedictis.

QVORVM ALTERVM.] Ad Caſtoris & Phidippi crudelitatem pertinet peſtem & calamitatẽ Deiotarum optare: qui ſunt adeò crudeles vt Caſtor Deiotari nepos auum, Phidippus ſeruus dominum non dubitauerit in diſcrimen capitis adducere.

NOTÆ.

SVPPONIT REVM.] Supponere ſe & in alterius locum venire: vnde gladiatores ſuppoſititij qui pro aliis veniunt in arenam. Martialis, 1. Suppoſititius.

Hermes ſuppoſititius ſibi ipſi.

Plautus feſtiuè Epidico, ſc. *Rem tibi:*

Men' piacularem oportet fieri ob ſtultitiam tuã? Succidanea hoſtia.
Vt meum tergum ſtultitiæ tuæ ſubdas ſuccidaneum.

Quem verſum profert Gellius lib. 4. Noct. Attic. cap. 6. & *Succidaneæ*, inquit, *hoſtiæ dicuntur è litterâ per morem compoſiti vocabuli in i litteram commutata. nam quaſi ſuccedaneæ appellatæ: quoniam ſi primis hoſtiis litatum non erat, aliæ poſt*

eaſdem ductæ hoſtiæ cadebantur, quæ quaſi priorибus iam cæſis, luendi piaculi gratia ſubdebantur & ſuccidebantur: ob id ſuccidaneæ nominatæ litterâ i, *tractim pronuntiatâ.* vult, opinor, dictas ſuccidaneas, vel quòd in alterius locum ſuccederent, vel quòd pro altera cæderentur. Is igitur dicitur ſe pro altero ſupponere, qui alterius vices gerit, operámque vicariam pro altero ſupponit, vt dicitur

Supponere. pro Roſcio Amerino §. 111. *Itaque mandati conſtitutum eſt iudicium non minùs turpe quàm furti: credo propterea quòd quibus in rebus ipſi intereſſe non poſſumus, in his operæ noſtræ vicaria fides amicorum ſupponitur: quam qui lædit, oppugnat omnium commune præſidium, & quantum in ipſo eſt, diſturbat vitæ ſocietatem.*

II. MEMORIAM TVAM.] Pro Ligario §. 21. *Obliuiſci nihil ſoles niſi iniurias.* Philipp. 2. *Fuit in illo ingenium, ratio, memoria, litteratura.* Placet hiſtoriam elegantem, ſi non vt neceſſariam, ſaltem vt bellam appẽdiculam attexere. *Cauſſam dicebat,* inquit Seneca lib. de Beneficiis cap. 24. *apud D. Iulium ex veteranis quidã paullo violentior aduerſus vicinos ſuos, & cauſſa premebatur.* Meminiſti, *inquit,* Imperator, in Hiſpania talum te torſiſſe, circa Sucronem? *Cùm Cæſar meminiſſe ſe dixiſſet:* Meminiſti quoque, inquit, ſub quadam arbore minimum vmbræ ſpargẽte, cùm velles reſidere, feruentiſſimo ſole, & eſſet aſperrimus locus in quo ſub rupibus acutis, vnica illa arbor eruperat, quendam ex commilitonibus penulam ſuam ſubſtrauiſſe? *Cùm dixiſſet Cæſar,* Quidni meminerim? & quidem ſiti confectus, quia impeditus ire ad fontem proximum non poteram, repere manibus volebam, niſi commilito, homo fortis ac ſtrenuus, aquam mihi in galea ſua attuliſſet. Potes ergo, *inquit,* Imperator, agnoſcere illum hominem aut illam galeam? *Cæſar ait ſe non poſſe galeam agnoſcere: hominem pulchrè poſſe: & adiecit puto ob hoc iratus quòd ſe à cognitione media ad veterem fabulam adduceret:* Tu vtique ille non es. Meritò, *inquit,* Cæſar, me non agnoſcis. nam, cùm hoc factum eſt, integer eram. poſtea ad Mundam in acie oculus mihi effoſſus eſt, & in capite lecta oſſa. nec galeam illam ſi videres, agnoſceres. machæra enim Hiſpanica diuiſa eſt. *Vetuit illi exhiberi negotium Cæſar, & agellos in quibus vicinalis via cauſſa rixæ ac litium fuerat, militi ſuo donauit. Quid ergo non repeteret beneficium ab Imperatore, cuius memoriam multitudo rerum confuderat?* At quoniam ſcammata tranſilire cœpimus, aliquot memoriæ fœlicis exempla referamus. Taceo Cyrum, Cineam, Mithridatem, Luc. Scipionem, Hortenſium. *Charmidas,* inquit Plinius lib. 7. cap. 23. vbi viri docti legendum putant, *Carneades quæ quis exegerat volumina in bibliothecis, legentis modo repræſentauit.* Seneca Rhetor præfatione controuerſiarum. *Memoria eſt res ex omnibus partibus animi maximè delicata & fragilis in quam primã ſenectus incurrit. Hanc aliquando in me floruiſſe vt non tantùm ad vſum ſufficeret, ſed in miraculum vſque procederet, non nego. Nam & duo millia nominum recitata, quo ordine erant dicta reddebam: & ab his qui ad audiendum præceptorem noſtrum conuenerant, ſingulos verſus à ſingulis datos, cùm plures quàm ducenti efficerentur, ab vltimo incipiens vſque ad primum recitabam. Nec ad complectenda tantùm quæ vellem velox erat mihi memoria: ſed etiam ad continenda quæ acceperat.* Muretus lib. 3. var. lect. cap. 1. rem miram & incredibilem refert de quodam adoleſcente Corſico, cui ipſe ad fatigationem verba Græca, Latina, Barbara, ſignificantia, nihil ſignificantia dictauerat. ὁ δαιμόνιος ἐκεῖνος exorſus loqui planè omnia eodem ordine, nuſquam prope inſiſtens, nuſquam hæſitans, nobis, inquit, ſtupentibus reddidit. deinde ab vltimo incipiens ſurſum verſus peruenit ad primum. rurſus ita vt primum, tertium, & quintum ac ſic deinceps omnia diceret, quo denique quiſque voluerat ordine, ſine vllo errore, omnia referebat. dicebátque ſe triginta ſex millia nominum eodem modo recitare poſſe. vide locum, & mirare.

Memoriæ fœlicis exempla.

HODIERNO DIE.] Vide pro Marcello §. 1. & 2. Philipp. §. 94. n. 3. III.

EVENTVS ORATIONIS.

VIDETVR Cæſar ſententiam diſtuliſſe, dum, vt ſtatuerat, primo quoque tempore proficiſceretur in Orientem: certè non fuit abſolutus, vt conſtat è 2. Philipp. §. 79. *Quis enim cuiquam inimicior quàm Deiotaro Cæſar? &c. à quo viuo nec præſens, nec abſens quicquam æqui boníve impetrauit, &c. At ille nunquam (ſemper enim abſenti affui Deiotaro) quicquam ſibi, quod nos pro illo poſtularemus, æquum dixit videri.*

FINIS.

IN M. TVLLII CICERONIS ORATIONEM PRIMAM PHILIPPICAM

PRÆFATIO.

10 ad famil. ep. 23.

POST Iul. Cæſaris necem videns Orator oppreſſam armis Antonij Remp. deſperata libertate ſtatuerat in Græciam proficiſci ea mente vt rediret ad Cal. Ianuarias, quibus Hirtius & Panſa deſignati Conſules, magiſtratum inirent, cùm, vt ipſe Cornificio ſcribit, illum Eteſiæ, quaſi boni ciues, relinquentem Remp. proſequi noluerunt, Auſtérque aduerſus maximo flatu ad Leucopetram, vnde conſcenderat, quod eſt agri Rhegini promontorium, reiecit. Ibi cùm à multis audiiſſet res conuenturas, & Antonium repudiatis malis ſuaſoribus ad auctoritatem Senatus eſſe rediturum, mutata profectionis voluntate, ventis remiſque in patriam omni feſtinatione properauit. Ad vrbem acceßit pridie Calendas Septembres, magnóque concurſu totius ciuitatis, tanquam amantißimus Reip. ciuis, & publicæ libertatis aſſertor, exceptus eſt. Calendis Senatum conuocauit Antonius, & nominatim iußit adeſſe Ciceronem. Ille, ſiue quòd reuera langueret de via, ſiue quòd Antonij metueret inſidias, non adfuit, abſentiæque ſuæ cauſſam morbi prætexuit. Enimuero ſic Antonius exarſit, vt elatus ira minatus fuerit ſe fabros, qui ſolo domum Ciceronis æquarent, eſſe miſſurum. Poſtridie venit Tullius, Antonius non venit, Dolabella, qui Conſul à Cæſare deſtinatus, poſt eius necem Conſulares faſces inuaſerat, Senatui præſedit. Orator in ſumma reliquorum ſeruitute liber vnus fuit, & primo quidem expoſuit conſilium profectionis & reuerſionis ſuæ, deinde de heſterna Antonij iniuria conqueſtus, & ad eius in Remp. ſcelera delapſus; ſic eſt in eum inuectus, vt ille non ferret, ſed omnem violentum ſuum furorem in Ciceronem effunderet. Hanc porrò, cæteráſque deinceps in Antonium orationes Philippicas inſcripſit, ad imitationem Demoſthenis, qui ſuas in Philippum Macedonem conciones Philippicas nominauit. Plutarchus in Cic. περὶ δὲ τῶν Δημοσθένους λόγων ἐρωτηθεὶς τίνα δοκοίη κάλλιστον εἶναι, τὸν μέγιστον, εἶπε. καί τοί τινες τῶν προσποιουμένων Δημοσθενίζειν, ἐπιφύονται φωνῇ τοῦ Κικέρωνος, ἣν πρός τινας τῶν ἑταίρων ἔθηκεν ἐν ἐπιστολῇ, γράψας, ἐνιαχοῦ τῶν λόγων ἀπονυστάζειν τὸν Δημοσθένη. τῶν δὲ μεγάλων καὶ θαυμαστῶν ἐπαινῶν, οἷς πολλαχοῦ χρῆται περὶ τοῦ ἀνδρός, καὶ ὅτι περὶ οὓς μάλιστα τῶν ἰδίων ἐσπούδασε λόγων, τοὺς κατ' Ἀντωνίου, Φιλιππικοὺς ἐπέγραψεν, ἀμνημονοῦσι. De orationibus Demoſthenis rogatus quam maximè probaret, Longiſſimam, reſpondit. Licet

cet nonnulli, qui ſe Demoſthenis ſimulant æmulos, arripiant dictum Ciceronis, quòd in epiſtola ad quoſdam amicos ſcripta poſuerit, in orationibus interdum indormire Demoſthenem: immemores quantis & quàm inſignibus laudibus illum paſſim extollat, & quòd orationes in quibus præ cæteris ſuis elaborauit, appellauerit Philippicas.

M. ANNAEI SENECAE

SVASORIA VI,

Deliberat Cicero, an Antonium deprecetur.

Q. ATERIVS. Sciant poſteri, potuiſſe Antonio ſeruire Rempublicam, non potuiſſe Ciceronem. Laudandus erit tibi Antonius: in hac cauſa etiam Ciceronem verba deficient. Crede mihi, cùm diligenter te cuſtodieris, faciet tamen Antonius quod Cicero tacere non poſſit. Si intelligis Cicero, non dicit, Roga vt viuas: ſed, Roga vt ſeruias. quemadmodum autem hunc Senatum intrare poteris exhauſtum crudeliter, repletum turpiter? Intrare autem tu Senatum voles, in quo non Cn. Pompeium viſurus es, non M. Catonem, non Lucullos, non Hortenſium, non Lentulum atque Marcellum: non tuos, inquam, Coſſ. Hirtium & Panſam? Cicero, quid in alieno ſæculo tibi? Iam noſtra peracta ſunt. M. Cato ſolus maximum viuendi moriendiq; exemplum, mori maluit quàm rogare: nec erat Antoniũ rogaturus, & illas vſque ad vltimum diem puras à ciuili ſanguine manus, in ſe infeſtas, acerrimè armauit: Scipio cùm gladium poni iuſſus foret, dicitur abdidiſſe ſe. quærentibus qui in nauem tranſierant militibus imperatorem: Imperator, inquit, benè ſe habet. Victus vocem victoris emiſit. Vetat, inquit, Milo rogari iudices. vir clariſſimus nunc & Antonium rogat. PORCII LATRONIS. Ergo loquitur imperator Cicero, vt non timeat Antonius: loquatur vnquam Antonius, vt Cicero timeat? Ciuilis ſanguinis Syllana ſitis in ciuitatem redit, & ad triumuiralem haſtam pro vectigalibus ciuium Romanorum mortes locantur. Iniuſta bella albo Pharſalica, ac Mundenſis Mutinenſiſque ruina vincitur, conſularia capita auro rependuntur. Tuis verbis Cicero vtendum eſt: O tempora, ô mores! videbis ardentes crudelitate ſimul ac ſuperbia oculos: videbis illum non hominis, ſed belli ciuilis vultum: videbis illas fauces, per quas Cn. Pompeij bona tranſierunt; illa latera, illam totius corporis gladiatoriam firmitatem: videbis illum pro tribunali loco, quem magiſter equitum cùm raptaretur, præerat, vomitu fœdauerat. Supplex accidens genibus deprecaberis, & ore, cui ſe debet ſalus publica, humilia in adulationem verba ſubmittes? Pudeat Verrem quoque, quia proſcriptus fortius perit. CYRI MARYLLI ÆSERNINI. Occurrat tibi Cato tuus, cuius à te laudata mors eſt. Quicquam ergo tanti putas, vt vitam Antonio debeas? CÆSTII PII. Si ad deſiderium populi reſpicis Cicero, quandoque perieris, parum vixiſti: ſi ad res geſtas, ſatis vixiſti: ſi ad iniurias fortunæ & præſentem Reipublicæ ſtatum, nimium diu vixiſti: ſi ad memoriam operum tuorum, ſemper victurus es. POMPEII SILONIS. Scias licet, tibi non expedire viuere, ſi Antonius permittit vt viuas. Tacebis ergo proſcribente Antonio? & Rempublicam laniente? & ne gemitus quidem tuus liber erit? Malo populus Romanus mortuum Ciceronem, quàm viuum deſideret. TRIARII. Quæ Charybdis eſt tam vorax? Charybdin dixi? quæ ſi fuit, animal vnum fuit. Vix mediusfidius Oceanus tot res támque diuerſas vno tempore abſorbere potuiſſet. Huic tu ſæuienti putas Ciceronem poſſe ſubduci? ARELLII FVSCI. Ab armis ad arma diſcurritur: foris victores, domi trucidamur. dum in ſanguine inteſtinus hoſtis incubat, quis non hoc populi Romani ſtatu, Ciceronem vt viuat, cogi putat? Rogabis Cicero turpiter Antonium, fruſtra? Non te ignobilis tumulus abſcondet: idem virtutis tuæ qui finis eſt immortalium: humanorum operum cuſtos me-

moria, quæ manſuri vita perpetua eſt, in omnia te ſæcula ſacratum dabit. Nihil aliud intercidet, quàm corpus fragilitatis caducæ, morbis obnoxium, caſibus expoſitum, proſcriptionibus obiectum. Animus verò diuina origine hauſtus, cui nec ſenectus vlla, nec mors, oneroſi corporis vinculis exſolutus, ad ſedes ſuas & cognata ſidera recurret. Et tamen ſi ad ætatem, annorúmque, nunquam obſeruatum viris fortibus, numerum reſpicimus, ſexaginta ſupergreſſus es: nec potes videri non nimis vixiſſe, qui moreris Reipublicæ ſuperſtes. Vidimus furentia toto orbe ciuilia arma, & poſt Italicas Pharſalicáſque acies Romanum ſanguinem hauſit Ægyptus: quid indignamur in Ciceronem Antonio licere? Sic in Pompeium Alexandrino licuit. An non occiduntur, qui ad indignos confugiunt? CORNELII HISPANI. Proſcriptus eſt ille, qui tuam ſententiam ſecutus eſt: tota tabula tuæ morti proluditur: alter fratrem proſcribi, alter auunculum patitur: quid habes ſpei? Vt Cicero periret, tot parricidia facta ſunt. Repete, age, tot patrocinia, tot clientelas, & maximum beneficiorum tuorum teipſum: iam intelliges Ciceronem in mortem cogi poſſe, in preces non poſſe. ARGENTARII. Explicantur triumuiralis regni delicata conuiuia, & popina tributo gentium inſtruitur: ipſe vino & ſomno marcidus deficienteis oculos ad capita proſcriptorum leuat. Iam ad iſta non ſatis eſt dicere, ô hominem nequam.

DIVISIO. LATRO ſic hanc diuiſit omnem ſuaſoriam: Etiam ſi impetrares vitam ab Antonio, non eſt tanti rogare: deinde impetrare non potes. In priore illa parte poſuit: Turpe eſſet cuilibet Romano, nedum Ciceroni, vitam rogare. Hoc loco omnium, qui vltrò mortem apprehendiſſent, exempla poſuit: deinde inutilis illi ſua vita futura proponitur, morte grauior, detracta libertate. Hic omnem acerbitatem ſeruitutis futuræ deſcripſit: deinde non futurum fidei impetratæ beneficiũ. Hic cùm dixiſſet, Aliquid erit quod Antonium offendat, aut factum tuum, aut dictum, aut ſilentium, aut vultus: adiecit ſententiam: Haud enim placiturus es. ALBVCIVS aliter diuiſit. primam partem fecit, moriendum eſſe Ciceroni, etiam ſi nemo proſcriberet. hæc inſectatio temporum fuit. deinde moriendum eſt: ille enim ſe ſua ſponte conficeret, quia moriendum eſſet, etiam ſi mori noluiſſet: graues odiorum cauſas eſſe: maximam cauſam proſcriptionis ipſum eſſe Ciceronem. Et ex ſolus declamatoribus tentauit dicere, non vnum illi eſſe Antonium infeſtũ. Hoc loco dixit illam ſententiam: Si cui ex triumuiris non es inuiſus, grauis es. Et illa ſententia valde excepta eſt: Roga Cicero, exora vnum, vt tribus ſeruias. CÆSTIVS ſic diuiſit: Mori tibi vtile eſt, honeſtum eſt, neceſſe eſt, vt illibatæ dignitatis conſummes vitam. Hic illam ſententiam dixit audacem: Vt numereris cum Catone, qui ſeruire nec Antonio quidem nondum domino potuit. MARCELLVS hunc ſenſum de Catone melius: Vſque eóne omnia cum fortuna populi Romani conuerſa ſunt, vt aliquis deliberet, vtrùm ſatiùs ſit viuere cum Antonio, an mori cum Catone? Sed ad diuiſionem Cæſtij reuertamur. Dixit vtile eſſe, ne etiam cruciatus corporis pateretur: non ſimplici illum modò periturum, ſi in Antonij manus incidiſſet. & in hac parte cùm deſcripſiſſet contumelias inſultantium Ciceroni, & verbera & tormenta, dixit illam multum laudatam ſententiam: Tu mehercules Cicero, cùm veneris ad Antonium, mortem rogabis. VARIVS GEMINVS ſic diuiſit: Hortarer te, ſi alterutrùm vtique faciendum eſſet, aut moriendum, aut rogandum, vt morereris potiùs, quàm rogares. & omnia complexus eſt, quæ à ceteris dicta erant: ſed addidit & tertium: adhortatus eſt illum ad fugam, illic eſſe M. Brutum, illic C. Caſſium, illic Sex. Pompeium. Et adiecit illam ſententiam, quam CASSIVS SEVERVS vnicè mirabatur: Quid deficiemus? & Reſpub. ſuos triumuiros habet. Deinde etiam quas petere poſſet regiones, percurrit: Siciliam dixit vindicatam eſſe ab illo, Ciliciam à Proconſule egregiè adminiſtratam, familiares ſtudiis eius & Achaiam & Aſiam, Deiotari regnum obligatum beneficiis, Ægyptum & habere beneficij memoriam, & agere perfidiæ pœnitentiam: ſed maximè illum in Aſiam & Macedoniam hortatus eſt in Caſſij & in Bruti caſtra. Item CASSIVS SEVERVS aiebat, alios declamaſſe, VARIVM GEMINVM vnum conſilium dediſſe.

Alteram partem pauci declamauerunt. nemo auſus eſt Ciceronem ad deprecandum Antonium hortari: benè de Ciceronis animo iudicauerunt. GEMINVS VARIVS declamauit alteram quoq; partem, & ait: Spero Ciceroni meo perſuaſurũ vt velit viuere, quòd grãdia loquitur, & dicit: Mors nec immatura cõſulari, nec miſera

ſapienti, non mouet me: idiotam petit. Ego belle mores hominis noui: faciet, rogabit. nam quod ad ſeruitutem pertinet, non recuſabit; iam collum tritum habet, & Pompeius illum, & Cæſar ſubiecerunt. Veteranum mancipium videtis. & complura alia dixit ſcurrilia, vt illi mos erat. Diuiſit ſic, vt diceret, non turpiter rogaturum, non fruſtra rogaturum. In priori parte illud poſuit, non eſſe turpe, ciuem victorem rogari à victo: hic quam multi rogaſſent C. Cæſarem, hic & Ligarium. deinde iniquum eſſe quidem, Ciceronem ſatisfacere, qui prior illum proſcripſiſſet, qui & iudicaſſet ab eo ſemper naſci ſatisfactionem, ac dato rogari. Deinde non pro vita illum, ſed pro Republica rogaturum: ſatis illum ſibi vixiſſe, Reipublicæ parum. In ſequenti parte dixit, exorari ſolere inimicos, ipſum exoratum à Vatinio. C. quoque Verri affuiſſe, facilius exorari Antonium poſſe: qui cùm tertius eſſet, ne quis tribus hanc tam ſpecioſam clementiæ occaſionem præteriret; fortaſſe iraſci Antonium, qui ne tanti quidem putaſſet illum quem rogaret. Fuga quàm periculoſa eſſet, cùm deſcripſiſſet, adiecit: Quocunque perueniſſet, ſeruiendum illi eſſe: ferendam aut Caſſij violentiam, aut Bruti ſuperbiam, aut Pompeij ſtultitiam. Quando in hanc ſuaſoriam incidimus, non alienum puto, indicare quomodo quiſque ſe hiſtoricis aduerſus memoriam Ciceronis geſſerit. Namque Cicero nec tam timidus fuerit vt rogaret Antonium, nec tam ſtultus vt exorari poſſe ſperaret, nemo dubitat, excepto ASINIO POLLIONE, qui infeſtiſſimus famæ Ciceronis permanſit, & is etiã occaſionem ſcholaſticis dedit. Solent enim ſcholaſtici declamatores ponere.

HISTORICORVM DE CICERONE ELOGIA.

Deliberat Cicero, an promittente ſalutem Antonio, orationes ſuas comburat.

HÆC ineptè ficta cuilibet videri poteſt. Pollio vult illam veram videri: ita enim dixit in illa oratione, quam pro Lamia dedit. ASINII POLLIONIS. Itaque nunquam perficeret; nec mora fuit quin eiuraret, ſuas eſſe, quas cupidiſſimè effuderat orationes in Antonium; multiplicéſque numero & accuratiùs ſcriptas illis contrarias edere, ac vel ipſe palàm pro concione recitare, pollicebatur: cæteráq; his alia ſordidiora multo: vt tibi facilè liqueret, hoc totum adeò falſum eſſe, vt ne ipſe quidem Pollio in hiſtoriis ſuis ponere auſus ſit. Huic certè actioni eius pro Lamia qui interfuerunt, negant eum hæc dixiſſe (nec enim mentiri ſub trium virorũ conſcientia ſuſtinebat) ſed poſteà compoſuiſſe. Nolo autem vos iuuenes mei contriſtari, quod à declamatoribus ad hiſtoricos tranſeo: ſatisfaciam vobis, & fortaſſe efficiam vt his ſententiis lectis ſolidis, & verum habentibus, recedatis æquiores. Hoc ſi tamen recta via conſequi non potero, decipere vos cogar, veluti ſalutarem pueris daturus potionem abſinthiati poculi. Liuius adeò detrectationis conſilium habuiſſe Ciceronem non dicit, vt neget tempus habuiſſe. Ita enim ait. LIVII. M. Cicero ſub aduentum triumuirorum ceſſerat vrbe, pro certo habens id quod erat, non magis Antonio eripi ſe, quàm Cæſari Caſſium & Brutum poſſe: primò in Tuſculanum fugit: inde tranſuerſis itineribus in Formianum, vt ab Caieta nauim conſcenſurus, proficiſcitur. Vnde aliquoties in altum prouectum cùm modò venti aduerſi retuliſſent, modò ipſe iactationem nauis cæco voluente fluctu pati non poſſet, tædium tandem eum & fugæ & vitæ cepit. regreſſúſque ad ſuperiorem villam, quæ paulò plus mille paſſibus à mari abeſt, Moriar, inquit, in patria ſæpe ſeruata. Satis conſtat, ſeruos fortiter fideliterque paratos fuiſſe ad dimicandum: ipſum deponi lecticam, & quietos pati, quod ſors iniqua cogeret, iuſſiſſe: Prominenti ex lectica, præbentíque immotam ceruicem, caput præciſum eſt. Nec ſatis ſtolidæ crudelitati militum fuit. manus quoque ſcripſiſſe in Antonium aliquid exprobrantes, præciderunt. Ita relatum caput ad Antonium, iuſſúque eius inter duas manus in Roſtris poſitum, vbi ille Conſul, vbi ſæpe conſularis, vbi eo ipſo anno aduerſus Antonium, quanta nulla vnquam humana vox, cum admiratione eloquentiæ auditus fuerat: vix attollentes lacrymis oculos homines intueri trucidata membra eius poterant. Baſſus Aufidius, & ipſe nihil de animo Ciceronis dubitauit, quin fortiter ſe mori non præbuerit tantùm, ſed obtulerit. AVFIDII BASSI. Cicero paulum remoto velo poſtquam armatos vidit: Ego verò conſiſto, ait: accede, veterane, & ſi hoc ſaltem potes rectè facere,

incide ceruicem. Trementi deinde, dubitantíque: Quid ſi ad me, inquit, primùm veniſſetis? Cremutius Cordus & ipſe ait, Ciceronem cùm cogitaſſet, vtrúmne Brutum, an Caſſium, an Sextum Pompeium peteret, omnia illi diſplicuiſſe, præter mortem. CREMVTII CORDI. Quibus viſis lætus Antonius, cùm peractam proſcriptionem ſuam dixiſſet eſſe: quippe non ſatiatus modò cædendis ciuibus, ſed defectus quoque: iuſſit pro roſtris exponi. Itaque quo ſæpius ille ingenti circumfuſus turba proceſſerat, quæ paulò antè coluerat piis concionibus, quibus multorum capita ſeruauerat, tum per artus ſuos lætus aliter ac ſolitus erat, à ciuibus ſuis conſpectus eſt, prætendenti capiti, oríque eius impenſa ſanie; breui antè princeps ſenatus, Romaníque nominis titulus, tum pretium interfectoris ſui. Præcipuè tamen ſoluit pectora omniũ in lacrymas gemitúſque, viſa ad caput eius deligata manus dextera, diuinæ eloquentiæ miniſtra: ceterorúmque cædes priuatos luctus excitauerunt, illa vna communem. BRVTIDII NIGRI. Elapſus interim altera parte villæ Cicero, lectica per agros ferebatur. ſed vt vidit appropinquare notum ſibi militem, Popilium nomine, memor defenſum à ſe, lætiore vultu aſpexit. at ille, victoribus idipſum imputaturus, occupat facinus, capútque deciſum, nihil in vltimo fine vitæ facientis, quod alterutram in partem poſſet notari, Antonio portat; oblitus ſe paulò antè defenſum ab illo. Et hic voluit poſiti in roſtris capitis miſerabilem faciem deſcribere, ſed magnitudine rei obrutus eſt. Item BRVTIDII NIGRI. Vt verò, iuſſu Antonij inter duas manus poſitum in roſtris caput conſpectum eſt, quo toties auditũ erat loco, dato gemitu & fletu maximi viri inferiæ, nec vt ſolet, ita depoſiti in roſtris corporis concio audiuit, ſed ipſa narrauit. Nulla non pars fori aliquo actionis inclytæ ſignata veſtigio erat. Nemo non aliquod eius in ſe meritum fatebatur: hoc certè publicum beneficium palàm erat, illam miſerrimi temporis ſeruitutem ac aleam delatam in Antonium. Quoties magni alicuius mors ab hiſtoricis narrata eſt, toties ferè totius conſummatio vitæ, & quaſi funebris laudatio redditur. hoc ſemel atque iterum à Thucydide factum, idem in pauciſſimis perſonis vſurpatum à Salluſtio; Liuius benigniùs omnibus magnis viris præſtitit. Sequentes hiſtorici multo id effuſiùs fecerũt. Ciceroni hoc, vt Græco verbo vtar, ἐπιτάφιον Liuius reddit. T. LIVII. Vixit tres & ſexaginta annos: vt, ſi vis affuiſſet, ne immatura quidem mors videri poſſit; ingeniũ & operibus & præmiis operum felix: ipſe fortunæ diu proſperæ, & in longo tenore felicitatis, magnis interim ictus vulneribus, exilio, ruina partium pro quibus ſteterat, filiæ morte, exitu tam triſti atque acerbo, omnium aduerſorum nihil vt viro dignum erat, tulit, præter mortem. quæ verè æſtimãti minùs indigna videri potuit, quod à victore inimico nil crudelius paſſurus erat, quàm quod eiuſdẽ fortunæ compos ipſe feciſſet. Si quis tamen virtutibus vitia penſarit, vir magnus, acer, memorabilis fuit, & in cuius laudes ſequendas Cicerone laudatore opus fuerit. Vt eſt natura candidiſſimus omnium magnorum ingeniorum æſtimator T. Liuius, pleniſſimum teſtimonium Ciceroni reddidit. Cordi Cremutij non eſt operæ deferre etiam redditam Ciceroni laudationem. Nihil enim in ipſa Cicerone dignum eſt: ac ne hoc quidem, quod pænè maximum eſt, tolerabile eſt. CREMVTII CORDI. Priuatas enim ſimultates deponendas interdum putabat, publicas nunquam. Vides credendam eius non ſolùm magnitudinem virtutum, ſed multitudinem quoque conſpiciendam. AVFIDII BASSI. Sic M. Cicero deceſſit, vir natus ad Reipub. ſalutem: quæ diu defenſa & adminiſtrata, in ſenectute demum è manibus eius elabitur, non ipſius vitio læſa, quod nihil in ſalute eius aliud illi, quàm ſi caruiſſet Antonio, placuit. Vixit ſexaginta & tres annos, ita vt ſemper aut peteret alterum, aut inuicem peteretur: nullámque rem rarius, quàm diem illum, quo nullius intereſſet ipſum mori, vidit. Pollio quoque Aſinius, qui Verrem Ciceronis reum fortiſſimè morientem tradidit, Ciceronis mortem ſolus ex omnibus malignè narrat; teſtimonium tamen, quamuis inuitus, plenum ei reddit. ASINII POLLIONIS. Huius ergo viri tot tantíſque operibus manſuris in omne æuum, prædicare de ingenio atque induſtria ſuperuacuum eſt. Natura autem pariter atque fortuna obſecuta eſt. Ei quidem facies decora ad ſenectutem, proſperáq; permanſit valetudo: tum pax diutina, cuius inſtructus erat artibus, contigit. namque à priſca ſeueritate iudicis exacti, maximorũ noxiorum multitudo prouenit, quos obſtrictos patrocinio incolumes pleroſque habebat. Iam feliciſſima conſulatus ei ſors petendi & gerendi. magna munera, Deûm conſilio, induſtriáque. vtinam moderatiùs ſecundas res, & fortiùs aduerſas ferre potuiſſet. namque vtræque cùm venerant ei, mutari eas non poſſe rebatur.

Inde ſunt inuidiæ tempeſtates coortæ graues in eum, certiórque inimicis aggrediendi fiducia: maiore enim ſimultates appetebat animo, quàm gerebat. Sed quando mortalium nulli virtus perfecta contigit, qua maior pars vitæ atque ingenij ſtetit, ea iudicandum de homine eſt. Atque ego ne miſerandi quidem exitus eum fuiſſe iudicarem, niſi ipſe tam miſeram mortem putaſſet. Affirmare vobis poſſum, nihil eſſe in hiſtoriis eius hoc, quem retuli, loco diſertius: vt mihi tunc non laudaſſe Ciceronem, ſed certaſſe cum Cicerone videatur. Nec hoc deterrendi cauſa dico, ne hiſtorias eius legere concupiſcatis: concupiſcite, & pœnas Ciceroni dabitis. Nemo tamen ex tot diſertiſſimis viris melius Ciceronis mortem deplorauit, quàm Cornelius Seuerus. CORNELII SEVERI.

Oráque magnanimum ſpirantia pæne virorum
In roſtris iacuere ſuis: ſed enim abſtulit omnis,
Tanquam ſola foret, rapti Ciceronis imago.
Tunc redeunt animis ingentia Conſulis acta,
Iurataque manus, deprensáque fœdera noxæ,
Patriciúmque nefas: eſt tunc & pœna Cethegi,
Deiectúſque redit votis Catilina nefandis.
Quid fauor aut cœtus, pleni quid honoribus anni
Profuerunt? ſacris exacta quid artibus ætas?
Abſtulit vna dies æui decus, ictáque luctu
Conticuit Latiæ triſtis facundia linguæ
Vnica ſollicitis quondam tutela ſaluſque,
Egregium ſemper patriæ caput: ille ſenatus
Vindex, ille fori, legum ritúſque, togæque.
Publica vox eius æternum obmutuit armis.
Informes vultus, ſparsámque cruore nefando
Caniciem, ſacráſque manus, operúmque miniſtras
Tantorum, pedibus ciuis proiecta ſuperbis
Proculcauit ouans: nec lubrica fata, deóſque
Reſpexit. nullo luet hoc Antonius æuo.
Hæc nec in Aemathio mitis victoria Perſe,
Nec te dire Syphax, non fecit in hoſte Philippo.
Inque triumphato ludibria cuncta Iugurtha
Afuerant; noſtraque cadens ferus Hannibal iræ,
Membra tamen ſtygias tulit inuiolata ſub vmbras.

Non laudabo municipem noſtrum bono verſu, ex quo hic multo melior Cornelij Seueri proceſſit: *Conticuit Latiæ triſtis facundia linguæ.*

SEXTILIVS ENA fuit homo ingenioſus magis quàm eruditus, inæqualis poëta, & pæne quibuſdam locis talis, quales eſſe Cicero Cordubenſes poëtas ait, pingue quiddam ſonantes atque peregrinum. Is hanc ipſam proſcriptionem recitaturus in domo Meſſalæ Coruini, POLLIONEM ASINIVM aduocauerat: & in principio hunc verſum non ſine aſſenſu recitauit:

Deflendus Cicero eſt, Latiæque ſilentia linguæ.

Pollio Aſinius non æquo animo tulit, & ait: Meſſala, tu quid tibi liberum ſit in domo tua, videris: ego iſtum auditurus non ſum, cui mutus videor. atque ita conſurrexit, ne intereſſet recitationi eorum: quod Cornelium ſcio, cui non æquè diſplicuiſſe hunc verſum, quàm Pollioni, apparet: quod meliorem quidem, ſed non diſſimilem illi & ipſe compoſuit. Si hic deſiero, ſcio futurum vt vos deſinatis eo loco legere, quo ego à ſcholaſticis receſſi. Ergo vt librum velitis vſque ad vmbilicum reuoluere, adiiciam ſuaſoriam proximæ ſimilem.

SVASORIA VII.

Deliberat Cicero, an ſcripta ſua comburat, promittente Antonio incolumitatem, ſi feciſſet.

Q. ATERIVS. Non feres Antonium: intolerabilis in malo ingenio felicitas eſt: nihílque cupientes magis accendit, quàm proſperæ turpitudinis con-

ſcientia. Difficile eſt. Non feres, inquam, & iterum irritare inimicum in mortem tuam cupies. Quod ad me quidem pertinet multum à Cicerone abſum: tamen non tædet tantùm me vitæ meæ, ſed pudet: ne propter hoc quidem pertinet multum à Cicerone. Ingenium tuum amas, quod illud Antonius plus odit quàm te. Remittere ait ſe tibi vt viuas: commentus, quemadmodum eripiat etiam quo vixeras. Crudelior eſt pactio Antonij, quàm proſcriptio. Ingenium erat, in quod nihil iuris haberent triumuiralia arma. Commentus eſt Antonius, quemadmodum quod non poterat cum Cicerone proſcribere, tolleret per Ciceronem. Hortarer te Cicero, vt vitam magni æſtimares, ſi libertas ſuum in ciuitate haberet locum, ſi ſuum in libertate eloquentia, ſi non ciuium ceruicibus luderetur. Nunc vt ſcias nihil melius eſſe quàm mori, vitam tibi Antonius promittit: pendet nefariæ proſcriptionis tabula: tot Prætorij, tot Conſulares, tot equeſtris ordinis viri perierе: nemo relinquitur, niſi qui ſeruire poſſit. Neſcio an hoc tempore viuere velis Cicero: nemo eſt cum quo velis. Meritò Hercules illo tempore vixiſti, quo Cæſar vltro te rogauit vt viueres ſine vlla pactione: quo tempore non quidem ſtabat Reſpublica, ſed in boni principis ſinum ceciderat. C ÆSTII PII. Nunquid opinio me fefellit? intellexit Antonius, ſaluis eloquentiæ monumentis, non poſſe Ciceronem mori. ad pactionem vocaris: qua pactione melior in te pars tui petitur. Accommoda mihi pauliſper eloquentiam. Ciceronem periturum rogo. Si te audiſſent Cæſar & Pompeius, neque iniſſent turpem ſocietatem, neque diremiſſent: ſi vti vnquam conſilio tuo voluiſſent: neque Pompeius Cæſarem, neque Cæſar Pompeium deſeruiſſet. Quid conſulatum ſalutarem vrbi, quid exilium conſulatu honeſtius, quid prouocatam inter initia adoleſcentiæ libertatem tyrociniis tuis Syllanam potentiam, quid Antonium auulſum, Catilinam Reipublicæ redditum? Ignoſce Cicero, ſi diu iſta narrauero. Forſitan hac die nouiſſimo audientur. Si occidetur Cicero, iacebit inter Pompeium patrem filiúmque: & Afranium Petreiúmque, Q. Catulum, M. Antonium illum indignum hoc ſucceſſore generis. Si ſeruatur, viuet inter Ventidios & Canicios & Saxas. Ita dubium eſt, an ſatius ſit cum illis iacere, an cum his viuere? Pro vno homine iactura publica paciſceris. Scio omne pretium iniquum eſſe, quod ille conſtituit: nemo tanti emit Ciceronis vitam, quanti vendit Antonius. Si hanc tibi pactionem ferret, Viues, ſed eruentur oculi tibi: viues, ſed debilitabuntur pedes: etiam ſi in alia damna corporis præſtares patientiam, excepiſſes tamen linguam. Vbi eſt ſacra illa vox tua? Mori enim naturæ finis eſt, non pœna. hoc tibi vni non liquet? At videris Antonio perſuaſiſſe. Aſſere te potiùs libertati, & vnum crimen inimico adiice. Fac Antonium moriendo nocentiorem. P. ASPRENATIS. Vt Antonius Ciceroni parcat, Cicero ipſe eloquentiam ſuam animaduertet. Quid autem tibi ſub hac pactione promittitur? Vt Cn. Pompeius & M. Cato, & ille antiquus reſtituatur Reipublicæ Senatus, digniſſimus apud quem Cicero loqueretur? Multos victuros animi ſui contemptus oppreſſit: multos perituros parati ad pereundum animi ipſa admiratio eripuit: & cauſa illis viuendi fuit, fortiter mori. Permitte te populo Romano contra Antonium. Si ſcripta combuſſeris, Antonius paucos annos tibi promittit: at ſi non combuſſeris, populus Romanus omnes. POMPEII SILONIS. Quale eſt vt perdamus eloquentiam Ciceronis, fidem ſequamur Antonij? miſericordiam tu iſtam vocas, ſupplicium ſummum ingenio Ciceronis? Credamus Antonio: Cicero, ſi bene illi pecunias crediderunt fœneratores, ſi bene pacem Brutus & Caſſius. hominem & vitio naturæ, & licentia temporum inſanientem, inter ſcenicos amores ciuili ſanguine luxuriantem: hominem, qui creditoribus ſuis oppignorauit Rempublicam, cuius gulæ duorum principum bona, Cæſaris & Pompeij, non potuerunt ſatisfacere. Tuis vtar Cicero verbis: Cara eſt cuiquam ſalus, quam aut dare, aut eripere poteſt Antonius? Non eſt tanti ſeruare Ciceronem, vt ſeruatum Antonio debeam. TRIARII. Compulſus aliquando populus Romanus in eam neceſſitatem eſt, vt nihil haberet præter Iouem obſeſſum & Camillum exulem: nullum tamen fuit Camilli opus maius, quàm quod indignum putauit viro, ſalutem pactioni debere. O grauem vitam, etiam ſi ſine pretio daretur. Antonius hoſtis à Republica iudicatus, nunc hoſtem Rempublicam iudicat. Lepidus, ne quis putet illum malè Antonio collegam placuiſſe, alienæ ſemper dementiæ acceſſio, vtriuſque

collegæ mancipium, noſter dominus. ARGENTARII. Nihil Antonio credendum eſt. mentior: quid enim iſte non poteſt, qui occidere Ciceronem poteſt? qui ſeruare, niſi crudeliùs, quàm occidebat, non poteſt? Ignoſcentem tibi illum putas, qui ingenio tuo iraſcitur? ab hoc tu ſperas vitam, cui nondum verba tua exciderũt? Vt corpus quod fragile & caducum eſt, ſeruetur, pereat ingenium quod æternum eſt? ego mirabar, ſi non ſupplicio crudelior eſſet Antonij venia. P. Scipionem à maioribus ſuis deſciſcentem generoſa mors in numerum Scipionum repoſuit. Mortem tibi remittit, vt id pereat quod ſolum in te immortale eſt. Qualis eſt pactio? Aufertur Ciceroni ingenium ſine vita: promittuntur obliuione nominis tui pauci ſeruitutis anni. Non ille te viuere vult, ſed facere ingenij tui ſuperſtitem. Viue, vt Cicero audiat Lepidum, Cicero audiat Antonium, nemo Ciceronem? Pati poteris, vt quod in te optimum habes, ante te efferas. Sine durare poſt te ingenium tuum, perpetuã Antonij proſcriptionem. ARELLII FVSCI. Quoad humanum genus incolume mãſerit, quamdiu vſus litteris, honor ſummæ eloquentiæ pretium erit: quamdiu Reip. noſtræ aut fortuna ſteterit, aut memoria durauerit, admirabile poſteris vigebit ingenium, & vno proſcriptus ſæculo proſcribes Antonium omnibus. Crede mihi, viliſſima pars tui eſt, quæ tibi vel eripi, vel donari poteſt. Ille verus eſt Cicero, quem proſcribi Antonius non putat, niſi à Cicerone poſſe. Non ille tibi remittit proſcriptionem, ſed tolli deſiderat ſuam. Si fidem deceperit Antonius, morieris: ſi præſtiterit, ſeruies. Quod ad me attinet, fallere malo. Per te M. Tulli, per quatuor & ſexaginta annos pulchrè actos, per ſalutarem Reipub. conſulatum, per æternam ſi pateris ingenij tui memoriam, per Rempub. quæ, ne quid te putes carum relinquere, ante te periit, oro & obteſtor, ne moriaris, confeſſus quod nolueris mori.

HVIVS ſuaſoriæ alteram partem neminem ſcio declamaſſe: omnes pro libris Ciceronis ſolliciti fuerunt, nemo pro ipſo, cùm adeò illa pars non ſit mala, vt Cicero, ſi hæc conditio ei lata fuiſſet, deliberaturus non fuerit. Itaque hanc ſuaſoriam nemo declamauit efficaciùs quàm *SILO* POMPEIVS. non enim ad illa ſpecioſa ſe contulit, ad quæ CÆSTIVS: qui dixit, hoc grauius eſſe ſupplicium quàm mortem, & ideò hoc Antonium eligere; breuem eſſe vitam homini, multò magis ſeni. ita memoriæ conſulendum, quæ magnis viris æternitatem promitteret. non qualibet mercede vitam redimendam: & has conditiones intolerabiles eſſe. omnia potiùs ſubeunda, quàm monumenta ingenij ſui ipſum exurere. Iniuriam illum facturum populo Romano, cuius linguam in tantum extuliſſet, vt inſolentis Græciæ ſtudia tantò antecederet eloquentia, quantò fortuna: iniuriam facturum generi humano. pœnitentiam illum acturum tam care ſpiritus empti, cùm in ſeruitute ſeneſcendum fuiſſet. in hoc vnum eloquentia vtendum, vt laudaret Antonium: Malè cùm illi ait, dare vitam, eripi ingenium. *SILO* POMPEIVS ſic egit, vt diceret, Antonium non paciſci, ſed illudere: non eſſe illam conditionem, ſed contumeliã. combuſtis enim libris, nihilominus occiſurum. non eſſe tam ſtultum Antonium, vt putaret ad rem pertinere, libros à Cicerone comburi, cuius ſcripta per totum orbẽ celebrarentur, & hoc petere eum quod poſſet ipſe facere: niſi fortè nõ eſſet in ſcripta Ciceronis is qui eſſet in Ciceronem. Quare nihil aliud eum agere, quàm vt ille Cicero multa fortiter de mortis contemptu locutus, ad turpes conditiones perductus occideretur. Antonium illi non vitam cum conditione promittere, ſed mortem ſub infamia quærere. Itaque quod turpiter poſteà paſſurus eſſet, nunc illum fortiter debere pati. Et hæc ſuaſoria inſignita eſt. Dixit enim ſententiam Cacozeliæ genere humillimo & ſordidiſſimo, quod detractu aut adiectione ſyllabæ facit ſenſum. Prô facinus indignum. peribit ergo quod Cicero ſcripſit, manebit quod Antonius proſcripſit? Apud Cæſtium Prætorem declamabat hanc ſuaſoriam *SVRDINVS*, ingenioſus adoleſcens, à quo Græcæ fabulæ eleganter in Latinum ſermonem conuerſæ ſunt. Solebat dulces ſententias dicere, frequentiùs tamen prædulces & infractas. In hac ſuaſoria cùm iuſiurandum bellis ſenſibus prioribus complexus eſſet, adiecit: Ita te legam. CÆSTIVS, homo naſutiſſimus, diſſimulauit exaudiſſe ſe, vt adoleſcentem ornatum quaſi imprudens obiurgaret: Quid dixiſti? quid? ita te fruar. Erat autem Cæſtius nullius quidem ingenij, Ciceroni etiam infeſtus: quod illi non impunè ceſſit. nam cùm M. Tullius filius Ciceronis Aſiam obtineret, homo qui nihil ex paterno ingenio habuit præter vrbanitatem, cenabat apud eum Cæſtius. M. Tullio & natura memoriam dempſerat, & ebrietas, ſi quid ex ea ſupererat, ſubducebat: ſubinde interrogabat, Quis ille vocaretur qui in imo

recumberet: & cùm ſæpe ſubiectum nomen Cæſtij excidiſſet, nouiſſimè ſeruus, vt aliqua nota memoriam eius faceret certiorem, interroganti domino, quis ille eſſet qui in imo recumberet, ait: Hic eſt Cæſtius, qui patrem tuum negabat litteras ſciſſe. afferri protinus flagra iuſſit, & Ciceroni, vt oportuit, de corio Cæſtij ſatisfecit. Erat autem etiam ibi Pietas, Niger, & Cotula Hybriæ diſertiſſimi viri filio malè apud ſe cauſam agenti ΑΤΗΜΗΟΝ ΠΑΤΗΡΩΝ: & cùm in quadam poſtulatione Hybrias de paritate ſtultorum locum ad litteram omnibus agnoſcentibus diceret: Age, inquit, non putas me ſcripta didiciſſe patris mei: Quouſque tandem abutere Catilina patientia noſtra? GARGONIVS amabiliſſimus in hac ſuaſoria dixit duas res, quibus ſtultiores ne ipſe quidem vnquam dixerat. vnam in principio. nam cùm cœpiſſet ſcholaſticorum frequentiſſimo iam more à iureiurando, & dixiſſet multa: Ita quamprimum tantum timeat, quantum poteſt; ita aut totus viuat Cicero, aut totus moriatur, vt ego quæ hodie prò Ciceronis ingenio dixero, nulla pactione delebo. Alteram rem dixit, cùm exempla referret eorum qui fortiter perierant: Iuba & Petreius, mutuis vulneribus concurrerunt, & mortes fœnerauerunt.

Diuiſio philippicæ primæ.

- Exordium in genere deliberatiuo neceſſarium non fuit, ſed nuda dicendorum propoſitio & diuiſio ſupplet vicem exordij. 1.
- Narrationem ſi propriè loquamur, genus deliberatiuum nõ requirit, quædam tamen ſpecies narrationis expoſitione conſiliorum continetur
  - profectionis à §. 1. ad 7.
    - Poſt necem Cæſaris remanſit, aliquandiu ſpe componendæ Reip. quam adferebant res geſtæ ab
      - Antonio 1. 2. 3. 4.
      - Dolabella. 5.
    - Profectus eſt in Græciam re deſperata, & Antonio in deterius mutato. 6.
  - reuerſionis à 7. ad 11.
- Querela, quæ duplex
  - priuata de Antonij iniuriis in ipſum Ciceronem, 11. 12.
  - publica
    - de ſupplicationibus decretis mortuo Cæſari, & religionibus perturbatis. 13.
    - de Conſularium quorundam timiditate, qui non auſi fuerant ſequi L. Piſonis ſententiam. 14. 15.
- Sententia: Cæſaris acta eſſe ſeruanda. 16. quæ tamen non ſeruat Antonius à 16. ad 27.
- Perorationis loco habetur hortatio
  - ad Dolabellam. à 27. ad 31.
  - ad Antonium. à 31. ad 36.
  - ad vtrumque. à 36. ad finem.

M. TVLLII CICERONIS ORATIO IN M. ANTONIVM PHILIPPICA PRIMA.

ARGVMENTVM.

M. Tullius poſt necem C. Cæſaris ſtatuerat in Græciam proficiſci, cùmque iam ad Leucopetram, quod eſt promontorium agri Rhegini, prouectus eſſet, ſubitò mutata voluntate redierat. Id homines inconſtantiæ tribuebant, quare prudenter Orator vt auctoritatem conciliet orationi ſuæ, hanc leuitatis opinionem deprecatur, & tum profectionis, tum reuerſionis ſuæ conſilium exponit: & nunc quidem reddit profectionis ſuæ rationem.

ANTEQVAM de Repub. Patres Conſcripti, dicam ea, quæ I.
dicenda hoc tempore arbitror, exponam vobis breuiter conſilium & profectionis, & reuerſionis meæ. Ego, cùm ſperarem aliquando ad veſtrum conſilium, auctoritatémque Rempub. eſſe reuocatam, manendum mihi ſtatuebam, quaſi in vigilia quadam conſulari, ac ſenatoria. nec verò vſquam diſcedebam, nec à Repub. deiiciebam oculos ex eo die, quo in ædem Telluris conuocati ſumus: in quo templo, quantum in me fuit, ieci fundamenta pacis, Athenienſiúmque renouaui vetus exemplum, Græcum etiam verbum vſurpaui, quod tum in ſedandis diſcordiis vſurpauerat ciuitas illa: atque omnem memoriam diſcordiarum obliuione ſempiterna delendam cenſui.

Præclara tum oratio M. Antonij, egregia etiam voluntas: pax deni- II.
que per eum, & per liberos eius cum præſtantiſſimis ciuibus confirmata eſt. Atque his principiis reliqua conſentiebant. ad deliberationes eas, quas habebat domi de Repub. principes ciuitatis adhibebat, ad hunc ordinem res optimas deferebat: nihil tum, niſi quod erat notum omnibus, in C. Cæſaris commentariis reperiebatur: ſumma conſtantia ad ea quæ quæſita erant, reſpondebat.

NVM qui exules reſtituti? vnum aiebat, præterea neminem. Num im- III.
munitates datæ? nullæ, reſpondebat. Aſſentiri etiam nos Seru. Sulpitio clariſſimo viro voluit, ne qua tabula poſt Idus Martias vllius decreti Cæſaris aut beneficij figeretur. Multa prætereo, eáque præclara: ad ſingulare enim M. Antonij factum feſtinat oratio. Dictaturam, quæ vim iam regiæ poteſtatis obſederat, funditus ex Repub. ſuſtulit. de qua, ne ſententias quidem diximus. ſcriptum Senatuſconſultum, quod fieri vellet, attulit. quo recitato auctoritatem eius ſummo ſtudio ſecuti ſumus, eíque ampliſſimis verbis per Senatuſconſultum gratias egimus.

IV. Lvx quædam videbatur oblata, non modò regno, quod pertuleramus, ſed etiam regni timore ſublato: magnúmque pignus ab eo Reipub. datum, ſe liberam ciuitatem eſſe velle, cùm Dictatoris nomen, quod ſæpe iuſtum fuiſſet, propter perpetuæ Dictaturæ recentem memoriam funditus ex Repub. ſuſtuliſſet. Liberatus cædis periculo paucis pòſt diebus Senatus, vncus impactus eſt fugitiuo illi, qui in C. Marij nomen inuaſerat. Atque hæc omnia communiter cum collega. alia porrò propria Dolabellæ: quæ niſi collega abfuiſſet, credo eis fuiſſe futura communia.

V. Nam, cùm ſerperet in vrbe infinitum malum, ídque manaret in dies latius, iidémque buſtum in foro facerent, qui illam inſepultam ſepulturam effecerant, & quotidie magis magíſque perditi homines, cum ſui ſimilibus ſeruis, tectis, ac templis vrbis minarentur: talis animaduerſio fuit Dolabellæ, cùm in audaces ſceleratóſque ſeruos, tum in impuros & nefarios liberos, talíſque euerſio illius execratæ columnæ, vt mirum mihi videatur, tam valde reliquum tempus ab illo vno die diſſenſiſſe.

VI. Ecce enim Calend. Iunij, quibus vt adeſſemus, edixerat: mutata omnia, nihil per Senatum, multa & magna per ſe ipſum, & abſente populo, & inuito. Conſules deſignati ſe audere negabant in Senatum venire: patriæ liberatores vrbe carebant: ea, cuius à ceruicibus iugum ſeruile deiecerant: quos tamen ipſi Conſules & in concionibus & in omni ſermone laudabant. Veterani, qui appellabantur, quibus hic ordo diligentiſſimè cauerat, non ad conſeruationem earum rerum, quas habebant, ſed ad ſpem nouarum prædarum incitabantur. Quæ, cùm audire mallem, quàm videre, haberémque ius legationis liberum, ea mente diſceſſi, vt adeſſem Kalend. Ianuariis, quod initium Senatus cogendi fore videbatur.

EXPLANATIO.

Antequam.] Monent Rhetores in genere deliberatiuo plerumque non requiri exordium, quòd penè ſemper qui audiunt, ſatis ſint ad audiẽdum parati. Hic igitur Orator exordium omittit ſola dicendorum propoſitione, ſiue orationis diuiſione contentus. duo, inquit, agam hac oratione. primò exponam conſilium profectionis meæ, ſecundò agam de rebus ad vniuerſam Remp. ſpectantibus.

Ego cvm sperarem.] Initium narrationis, ſiue expoſitionis conſiliorum ſuorum. Initiò, inquit, ſtatim poſt Idus Martias Cæſare de viuis ſublato, cùm putarem Reip. adminiſtrationem Senatui eſſe reſtitutam, quæ tyrannide Cæſaris erepta fuerat illi ordini, mihi in Vrbe manendum eſſe ſtatuebam, vt ego auctoritate conſulari & Senatoria, tanquam in vigilia quadam poſitus, Reip. ſaluti inuigilans excubarem, & Reip. ſemper intentus oculos aliò non deflectebam.

Ex eo die] Ex decimoquinto Calendas Aprilis, ſiue tertio poſt Idus Maias, vt conſtat è ſecunda Philipp. §. 76. *Cùm cæteri Conſulares irent ac redirent, in ſententia manſi: neque te illo die, neque poſtero vidi*, &c. *Poſt diem tertium veni in ædem Telluris, & quidem inuitus, cùm omnes aditus armati obſiderent.*

Atheniensivmqve.] Qui eiectis triginta tyrannis, in libertatem à Thraſybulo vindicati, præteritas iniurias obliuione ſempiterna delendas eſſe ſtatuerunt, vt dicetur in Notis.

Græcvm etiam verbvm.] Id verbum quod Cicero tum vſurpauit fuit, vel ἀμνηστία, vel μὴ μνησικακήσειν. de quo vide Notas.

2. Per liberos eivs.] Per Antonium, quem M. Antonius ex prima ſua coniuge Fadia M. Fadij Bambalionis filia ſuſceperat. infrà 31. *Reip. tuus paruulus filius in Capitolium à te miſſus pacis obſes fuit.* Percuſſores enim Cæſaris Antonij Conſulis, & M. Lepidi magiſtri equitum metu in Capitolium confugerant. Senatus in ædem Telluris conuocatus: præclaram orationem habuit Antonius, & imprimis Cicero perſuaſit vt omnem memoriam diſcordiarum ſempiterna obliuione delerent. inuitantur percuſſores vt ad Senatum veniant, & in commune de ſumma Rep. deliberent. ſed cùm ſibi adhuc metuerent, nec auderent è Capitolio deſcẽdere, filium ſuum obſidem in Capitolium miſit M. Antonius.

Ad hvnc ordinem.] Ad Senatum. hîc autem exponit quàm præclarè initio ſe geſſerit Antonius, vt hinc liqueat quam habuerit cauſſam remanendi in Vrbe Tullius, & quanta ſpes tum affulſerit conſtituendæ Reip.

3. Vnvm aiebat.] Videtur intelligere Sextum Clodium, de quo ipſe Antonius epiſtola quadam ad Ciceronem, quæ habetur lib. 14. ad Atticum. *A Cæſare petij vt Sext. Clodium reſtitueret: impetraui*, &c. quæ fuſiùs referemus 2. Philipp. §. 7. Paulò pòſt autem mutatus in dete-

rius, immunitates vendidit, exules reuocauit, ſyngraphas nomine Cæſaris ſuppoſuit, multáque alia ſcelera deſignauit, de quibus 2. Philipp. à §. 78. ad 85.

Servio Sulpitio.] De hoc S. C. item de dictatura ſublata. vide quæ dicimus 2. Philipp. 77.

4. Liberatus cædis periculo.] Seruus quidam, quem Epitome Liuij Chamacem, Valerius Maximus Herophilum, Amatium Appianus appellat, cùm ſe Marij ſepties Conſulis filium eſſe ſimularet, multas, adhuc viuo Cæſare, turbas in Vrbe & tota Italia concitarat: & à Cæſare in exilium eiectus audita eius nece rediit in Vrbem, plebémque denuò concitauit, & iam in Senatus vniuerſi necem erat intentus, cùm ab Antonio Conſule primùm in vincla coniectus, deinde etiam morte punitus eſt.

Cum collega.] Cn. Cornelio Dolabella, qui Conſul in locum Cæſaris mortis ſuffectus eſt. de quo infrà 31.

Nisi collega abfuisset.] Niſi Antonius Dolabellæ collega in Conſulatu, abfuiſſet, qui menſe Aprili atque Maio veteranorum colonias peragrauit. de qua peragratione 2. Philipp. 84. 85. &c.

5. Nam cum serperet.] Cùm ſeditio magis & magis creſceret, & ſe latiùs in dies diffunderet, cùm infima multitudo, vt ſcribit Tranquillus in D. Iulio cap. 85. Cæſari demortuo ſolidam columnam prope viginti pedum in foro ſtatuiſſet, ſcripſiſſétque Parenti patriæ, apud eam longo tempore perſeuerare, vota ſuſcipere, controuerſias quaſdam interpoſito per Cæſarem iureiurando diſtrahere perſeueraret, Dolabella Conſul euertit illam columnam, eos, qui ſeruilis erant conditionis, in crucem egit, liberos de ſaxo Tarpeio deiecit, aream in qua ſteterat columna ſternendam locauit. Eadem autem illa infima multitudo ſepulturam Cæſaris inſepultam effecerat, quia corpus eius pro Roſtris poſitum, rapuerat, & in forum tumultuariè detulerat, ibíque extructo è ſeptis, ſubſelliis, & tribunalibus rogo combuſſerat, &c. De quibus Philipp. 2. §. 76.

6. Calendæ Iunii.] Decreuerat Senatus, vt Conſules ex Calendis Iuniis de Cæſaris actis, cum conſilio cognoſcerent, vt dicitur 2. Philipp. 84. addit §. 91. 92. *Calendis Iuniis, cùm in Senatum, vt erat conſtitutum, venire vellemus, metu perterriti repentè diffugimus. At iſte, qui Senatu non egeret, neque deſiderauit quemquam & potiùs diſceſſu noſtro lætatus eſt, ſtatim illa mirabilia facinora effecit: qui chirographa Cæſaris defendiſſet lucri ſui cauſſa: is leges Cæſaris eáſque præclaras, vt Rempub. concutere poſſet, euertit*, &c.

Consules designati.] Hirtius & Panſa.

Patriæ liberatores.] M. Brutus, Decimus Brutus, C. Caſſius, & alij qui nece Cæſaris patriam à ſeruitutis iugo liberarant.

Ipsi Consules.] Antonius & Dolabella.

Veterani qui appellabantur.] Cæſariani milites, quibus poſt emerita ſtipendia cauerat Senatus, vt in agros ſibi aſſignatos emolumenta, ſiue commoda militiæ percepturi primo quoque tempore mitterentur. Ait, *qui appellabantur*, vel quia non putat & nomine & commodis veteranorum dignos eſſe, qui Cæſaris auſpiciis tulerant arma contra Rempub. vel quia multi nondum emeritis ſtipendiis, tamen pro veteranis ſe gerebant.

NOTÆ.

P. C. Vide Philippicam 2. §. 1. N. 2. I.

In vigilia.] Notum illud, II.

Οὐ χρὴ παννύχιον εὕδειν βουληφόρον ἄνδρα
Ὧ λαοί τ' ἐπιτετράφαται καὶ τόσσα μέμηλε.
Non debet totam ſomno traducere noctem
Conſiliis flectens populos, támque ardua curans.

Sed vide quæ diximus ad illa verba Sextianæ 99. *Vt vigilandum ſit iis qui ſibi gubernacula Reipub. depopoſcerunt.*

In ædem Telluris.] Cur Antonius eò Senatum conuocarit, ſcribit his verbis Appianus. III. Senatus in æde Telluris. Διάγραμμα νυκτὸς ἀνεγιγνώσκετο Ἀντωνίου τὴν βουλὴν συγκαλοῦντος ἔτι πρὸ ἡμέρας ἐς τὸ τῆς Γῆς ἱερὸν ἀγχοτάτω μάλιστα ὂν τῆς οἰκίας Ἀντωνίου. οὔτε γὰρ ἐς τὸ βουλευτήριον ἐθάρρει κατελθεῖν, ὑποκείμενον τῷ Καπιτωλίῳ, μονομάχων ὄντων ἐκείνοις συνεργῶν. *Legebatur adhuc noctu edictum Antonij Senatum in ædem Telluris conuocantis ante lucem, quòd ea ædes propinqua eſſet ædibus ipſius. Neque enim Curiam adire audebat, ſubiectam Capitolio, quod gladiatores opem ferrent coniuratis.*

Atheniensiumque.] Spartani Duce Lyſandro Athenienſium opes attriuerant: IV Atheniēſium lex de iniuriarum obliuione. *Cùm multi* (verba ſunt Iuſtini lib. 5.) *delendum Athenienſium nomen vrbémque incendio conſumendam cenſerent, negarunt ſe Spartani ex duobus Græciæ oculis, alterum eruturos, pacem polliciti ſi demiſſa Piræum verſus muri brachia deiicerent: nauéſque, quæ reliquæ forent traderent: réſque publica ex ſemetipſis triginta rectores acciperet.* Hi triginta rectores facti tyranni *miſeras vrbis reliquias cædibus & rapinis exhauriunt.* ciues paſſim in exilium eiecti: Thraſybulus exulibus collectis Phylem Atticæ caſtellum occupat, bellum infert triginta rectoribus, eos ſuperat, & vt pacis victimas trucidat: *Populus, quem emigrare iuſſerant, in vrbem reuocatur. Atque ita per multa membra ciuitas diſſipata, in vnum tandem corpus redigitur: & ne qua diſſenſio ex anteactis naſceretur, omnes iureiurando obſtringuntur diſcordiarum obliuionem fore.*

Græcum etiam verbum.] Quod Græcum verbum vſurparit Orator, V.

Grammatici certant, & adhuc ſub iudice lis eſt.

Beroaldus Annotat. cap. 61. ſe reperiſſe ait hoc verbum à Græcis dici ἀμνηστίαν. idque probat Pauli Oroſij & Flauij Vopiſci teſtimonio. Vopiſcus in Aureliano. *Amneſtia etiam ſub eo delictorum publicorum decreta eſt, de exemplo Athenienſium: cuius rei etiam Tullius in Philippicis meminit.* Amneſtia. Oroſius lib. 7. de Claudio Auguſto: *Illam præclaram & famoſam Athenienſium Amneſtiam, quam quidem Romæ inducere Iulio Cæſare interfecto Senatus Cicerone ſuadente tentauerat*, &c. Addere potuiſſet Æmilium Probum in Thraſybulo, Plutarchum præceptis politicis, vbi τὸ ψήφισμα τὸ τῆς ἀμνηστίας appellat. & in Cicerone, Ἔπεισε τὴν σύγκλητον Ἀθηναίους μιμησαμένην ἀμνηστίαν τῶν ἐπὶ Καίσαρι ψηφίσασθαι. Induxit Patres, vt Athenienſium exemplo omnium ſub Cæſare actorum decernerent obliuionem. Appianum 2. de bellis ciuilibus. Κικέρων πολὺ τῆς ἀμνηστίας εἰσηγούμενος πλεῖστος ἦν. *Cicero multa*

in laudem amneſtiæ, ſiue obliuionis iniuriarum diſſeruit, hos, inquam, & alios ſcriptores Beroaldus in ſuam ſententiam trahere potuiſſet. At Dio Caſſius lib. 44. in perſona Ciceronis non ἀμνηστίας nomen, ſed verbum μνησικακεῖν vſurpat. Quis prohibet eius orationem exhibere. Ἐκεῖνοι τοίνυν (λέγω δὲ ὃ πάντες ἴσασι) στασιάσαντές ποτε, καὶ ἐκ τούτου καὶ ἐκ τῶν Λακεδαιμονίων καταπολεμηθέντες, καὶ ὑπὸ τῶν δυνατωτέρων πολιτῶν τυραννηθέντες, οὐ πρότερον ἀπηλλάγησαν τῶν κακῶν, πρὶν συνθέσθαι καὶ διομολογήσασθαι τῶν τε συμβεβηκότων σφίσι, πολλῶν που καὶ δεινῶν ὄντων, ἐπιλήσεσθαι, καὶ μηδὲν τὸ παράπαν ὑπὲρ αὐτῶν μήτ' ἐγκαλέσειν ποτὲ, μήτε μνησικακήσειν τινί. *Athenienſes, (de re nota loquor) olim diſsidiis ciuilibus agitati, atque hinc bello à Lacedæmoniis attriti, ſubque ciuium potentiorum tyrannidem redacti, non ante exitum ſuis calamitatibus inuenerunt, quàm pacificatione compoſita, memoriam omnium malorum, quæ ipſi paſſi erant plurima à ſe inuicem ac grauiſsima, abolerent, ita ut iniuriam acceptam non modò iure perſequi, ſed ne reminiſci quidem vlli liceret.* Subdit Dio: Κικέρων μὲν ταῦτ' εἰπὼν, ἔπεισε τὴν γερουσίαν μηδένα μηδενὶ μνησικακῆσαι ψηφίσασθαι. *Hac oratione Cicero Senatum permouit, vt Senatuſconſultum faceret, ne quis acceptæ ab alio iniuriæ in poſterum meminiſſet.* Et ſanè hoc ipſum verbum μὴ μνησικακήσειν, ciuitas Athenienſium in ſedandis diſcordiis vſurpauerat, vt eruditè probat Muretus libro 2. variar. lect. cap. 15 Laudat Xenophontem libro 2. Græcanic. Καὶ ὀμόσαντες ὅρκους ἦ μὴν μὴ μνησικακήσειν, ἔτι καὶ νῦν ὁμοῦ τε πολιτεύονται, καὶ τοῖς ὅρκοις ἐμμένει ὁ δῆμος. Æſchinem orat. de Corona: Νῦν δὲ ἐκεῖνοι μὲν μεγάλων κακῶν συμβάντων, ἔσωσαν τὴν πόλιν, τὸ κάλλιστον ἐκ παιδείας ῥῆμα φθεγξάμενοι, μὴ μνησικακεῖν. Ariſtophanem,

Quod verbū Græcum Cicero vſurparit in æde Telluris.

Μὴ μνησικακήσῃς εἰ σὺ Φυλὴν κατέλαβες.

Addit Muretus. Sed quid coniecturis, vt in re dubia vtimur? triplex iuſiurandum fuit, quo ſe compoſitis rebus obſtrinxerunt Athenienſes, vnum commune totius ciuitatis, quod in hæc verba conceptum eſt. Οὐ μνησικακήσω τῶν πολιτῶν οὐδενὶ, πλὴν τῶν τριάκοντα, καὶ τῶν ἕνδεκα, οὐδὲ τούτων ὃς ἂν ἐθέλῃ εὐθύνας διδόναι τῆς ἀρχῆς ἧς ἦρξεν. Alterum Senatûs. οὐ δέξομαι ἔνδειξιν, οὐδ' ἀπαγωγὴν ἕνεκα τῶν πρότερον γεγενημένων, πλὴν τῶν φευγόντων. Tertium eorum qui res iudicabant. οὐ μνησικακήσω, οὐδ' ἄλλον πείσομαι. ψηφιοῦμαι δὲ κατὰ τοὺς κειμένους νόμους. Hæc è Mureto, quæ ille ex Andocide oratione de myſteriis.

VI. PER LIBEROS EIVS.] Imò per vnum filium, vt omnes hiſtorici tradiderunt: ſed liberos numero multitudinis pro vnico filio, aut etiam filia Latini ſcriptores libenter vſurpant, vt ex Gellio & Iuriſconſultis notauimus Orat. de Prouinc. Conſular. §. 35.

Liberi.

VII. PRINCIPES CIVITATIS.] Pro Sextio 97. *Horum, (optimatium) qui voluntati, commodis, opinioni in gubernanda Rep. ſeruiunt, defenſores optimatium, ipſique optimates grauiſſimi, & clariſſimi ciues nominantur, & principes ciuitatis.*

Principes ciuitatis.

VIII. CLARISSIMO VIRO.] Vide orationem pro Milone §. 17.

IX. DICTATVRAM.] Vide infrà 71. Dicitur autem vim regiæ poteſtatis obſediſſe, quemadmodum eam Dionyſius lib. 5. poteſtatem appellat, πολέμου τε καὶ εἰρήνης, καὶ παντὸς ἄλλου πράγματος κυρίαν, αὐτοκράτορα, καὶ ἀνυπεύθυνον ὧν ἂν βούληται καὶ πράξῃ. *Belli paciſque & omnium aliarum rerum dominam, à qua conſiliorum factorúmque rationem repoſcere non liceret.* Item: ἐξουσίαν μείζονα βασιλικοῦ σχήματος ἔχουσα ἀρχήν. *maiorem regia poteſtatem.* Rurſum: τὴν ἰσοτύραννον ἀρχήν. *æqualem tyrannicæ poteſtatem.* ἔστι γὰρ αἱρετὴ τυραννὶς ἡ δικτατωρεία. *Electitia quædam tyrannis eſt dictatoria poteſtas.* Ait: *quæ vim iam regiæ poteſtatis obſederat*, vt indicet antiquitus eum magiſtratum Dictatorum clementia & facilitate fuiſſe ciuilem, ſed Sullæ & Cæſaris impotentia in odium veniſſe. Dionyſ. eodem libro: Οὐδένα γοῦν ἐκ τῆς ἱστορίας παρειλήφαμεν, ὃς οὐ μετρίως αὐτῇ καὶ πολιτικῶς ἐχρήσατο. Nuſquam enim in omni hiſtoria proditum reperimus aliquem in hoc magiſtratu ſe geſſiſſe immodeſtè vel inciuiliter. Ὅσοι τηλικαύτης ἔτυχον ἐξουσίας ἅπαντες ἀνεπιλήπτους, καὶ τῷ πρώτῳ λαβόντι τὴν ἀρχὴν ὁμοίους ἑαυτοὺς παρέσχοντο. ὥστε ἅπασι παραστῆναι τὴν αὐτὴν δόξαν ὅτι μία βοήθεια παντός ἐστιν ἀνιάτου κακοῦ, καὶ τελευταία σωτηρίας ἐλπίς. *Omnes quotquot tantam poteſtatem acceperunt, inculpatos ſeſe primique Dictatoris ſimiles præſtiterunt, vt hæc omnium eſſet opinio Dictaturam eſſe vnicum cuiuſque inſanabilis mali remedium, & extremam hanc ſalutis ſpem reliquam eſſe.* Τετρακοσίων διαγενομένων ἐτῶν ἀπὸ τῆς Τίτου Λαρκίου δικτατωρείας διεβλήθη καὶ μισητὸν ἅπασιν ἀνθρώποις ἐφάνη τὸ πρᾶγμα Λευκίου Κορνηλίου Σύλλα πικρῶς καὶ ὠμῶς αὐτῇ χρησαμένου. ὥστε τότε πρῶτον αἰσθέσθαι Ῥωμαίους ὃ τὸν ἄλλον ἅπαντα χρόνον ἠγνόουν, ὅτι τυραννίς ἐστιν ἡ τοῦ Δικτάτορος ἀρχή. *Elapſis à Dictatura T. Largij annis circiter quadringentis, odioſa res viſa eſt omnium mortalium iudicio, quando L. Cornelius Sulla primus acerbè crudelitérque ea vſus eſt, vt tum primùm ſentirent Romani, quod ſuperioribus temporibus ignorauerant, Dictaturam eſſe tyrannidem.*

Dictaturæ poteſtas.

Primorum Dictatorum moderatio.

LVX QVÆDAM.] Salus. vide quæ diximus in Piſonem 34. *Qui dies poſt obitum occaſúmque noſtrum Reip. primus illuxit.* X.

VNCVS IMPACTVS EST FVGITIVO.] XI.
De Pſeudomario vide Appianum initio libri 3. de bellis ciuilibus. ſumma libabo. Ἀμάτιος ἦν ὁ Ψευδομάριος, Μαρίου γὰρ ὑπεκρίνετο υἱωνὸς εἶναι, καὶ διὰ Μάριον ὑπερήρεσκε τῷ δήμῳ. γιγνόμενος οὖν κατὰ τήνδε τὴν ὑπόκρισιν συγγενὴς τῷ Καίσαρι, ὑπερήλγει μάλιστα τοῦ τεθνεῶτος, καὶ βωμὸν ἐπῳκοδόμει τῇ πυρᾷ, καὶ χεῖρα θρασυτέρων ἀνδρῶν εἶχε, καὶ φοβερὸς ἦν ἀεὶ τοῖς σφαγεῦσι. *Erat Amatius quidam Pſeudomarius, qui ſe Marij nepotem eſſe ſimulabat, & eo nomine erat apud plebem gratioſus. Is quoniam hac ſimulatione effecerat, vt videretur non alienus à cognatione Cæſaris, præ cæteris ægrè ferens eius obitum, aram vbi crematus eſt poſuit, ſtipatúſque manu audacium terrori percuſſoribus fuit.* Antonius Conſul συλλαμβάνει καὶ κτείνει τὸν Ἀμάτιον χωρὶς δίκης, μάλα θρασέως. *Comprehendit Amatium: móxque indicta cauſſa interfecit per inſignem audaciam.* Vide quæ dicemus Philipp. 2. ad illa verba §. 14. *arma ipſe ceperis.*

Pſeudomarius.

VNCVS.] Vnco trahebantur in carcerem. Iuuenalis ſat. 10. XII.

Vncus.

Pone domi lauros, duc in Capitolia magnum
Cretatúmque bouem, Seianus ducitur vnco
Spectandus.-

Vnde & illud Lampridij in Commodo. *Corpus eius vt vnco traheretur, atque in Tiberim mitteretur, Senatus & populus poſtulauit.* Nec aliò videtur alluſiſſe Lyricus Latinus libro 1. Carm. Ode 31.

Te ſemper anteit ſæua neceſsitas,
Clauos trabales, & cuneos manu
Geſtans ahena: nec ſeuerus
Vncus. *Vncus abeſt, liquidúmque plumbum.*
Rurſum Iuuenalis ſat. 13.
-& nigri carceris vncum.
Ouid. in Ibin.
Carnificiſque manu populo plaudente traheris,
Infixúſque tuis oſsibus vncus erit.
Propertius lib. 4. eleg. 1.
Et bene cùm fixum mento diſcuſſeris vncum,
Nil erit hoc; roſtro te premet anſa ſuo.

XIII. Bvstvm.] Vide 2. Philipp. §. 90.

XIV. Insepvltam sepvltvram.] Petrus Victorius lib. 10. var. lect. cap. 12. plura refert exempla huius locutionis, vt illud antiqui Tragici apud Ciceronem 3. de Orator.
Qua tempeſtate Paris Helenam innuptis iunxit nuptiis.
Euripides Helena.
Ἰὼ Τροία τάλαινα δι' ἔργ' ἄεργ' ὄλλυσαι.
Idem Hippolyto, -Πότμον ἄποτμον.
Sophocles Aiace flagellifero.
Ἐχθρῶν ἄδωρα δῶρα, κοὐκ ὀνήσιμα.
Idem Electra,
Μαίνεται δ' ὑφ' ἡδονῆς Μήτηρ ἀμήτωρ.
Nolui Latinam interpretationem attexere, quòd compoſitionis leporem Latina lingua refugiat, neque plura exempla libare, quòd noſter Lælius Biſciola prima parte horarum ſubſeciuarum libro 4. cap. 13. plena manu congeſſerit. Ianus Gutterus *inſepultam ſepulturam refecerant.* Ita, inquit, Lilienſis Codex, meliùs omninò vulgato *effecerant.* inſtauratum enim funus Cæſari. Eſt autem hîc imitatio Græcorum τάφος ἄταφος, quod extat apud Euripidem Phœniſſis.

XV. Illivs execratæ colvmnæ.] Infima multitudo poſt Cæſaris necem, vt ſcribit Tranquillus in Iulio cap. 83. *Solidam columnam prope viginti pedum marmoris Numidici in foro*
Columna mortuo Cæſari erecta. *ſtatuit, ſcripſítque* Parenti Patriæ. *Apud eandem longo tempore ſacrificare, vota ſuſcipere, controuerſias quaſdam interpoſito per Cæſarem iniurando diſtrahere perſeuerauit.* Vocat execratam, quòd, vt opinor, Dolabella priuſquam eam euerteret, reſecrauit, & omni religione liberauit. Quid ſit autem *reſecrare*, ſiue *obſecrare* tradit Verrius apud Feſtum: *Reſecrare, ſoluere religione, vt cùm reus populum comitiis orauerat, vt eo periculo liberaretur, iubebat magiſtratus eum reſecrare.* Columna autem Cæſari, vel vt Deo, vel vt mortuo potuit excitari. De ſepulchro Archimedis Noſter 5. Tuſcul. quæſt. *Animaduerti columellam non multùm è dumis eminentem: in qua inerat ſphæræ figura & cylindri.* Homerus frequenter, vt Odyſſ. μ'. verſu 14.
Columnæ ſepulchris impoſitæ. Τύμβον χεύαντες καὶ ἐπὶ στήλην ἐρύσαντες.
Aggeſto buſto ſuper erectáque columna.
Iliados ρ'. verſ. 434.
Ἀλλ' ὥστε στήλη μένει ἔμπεδον, ἥτ' ἐπὶ τύμβῳ
Ἀνέρος ἑστήκει, &c.
Firma columna manet veluti buſtóque ſuperſtat.
Iliados π'.
Ἔνθα ἑ ταρχύσουσι κασίγνητοί τε ἔται τε
Τύμβῳ τε στήλῃ τε. τὸ γὰρ γέρας ἐστὶ θανόντων.
Hic illum ornabunt ſocij fratréſque ſepultum
(Qui functis debetur honor) buſto atque columna.

Vide Xiphilinum in Domitiano, & alios paſſim. De columnis Deorum numini conſecratis, quædam protulimus in Nonni paraphraſin cap. 10. quæ operæpretium fuerit exſcribere. Clemens Alexandrinus lib. 1. ſtromatum exeunte. Πρὶν γοῦν ἀκριβωθῆναι τὰς τῶν ἀγαλμάτων σχέσεις, κίονας ἱστάντες οἱ παλαιοὶ ἔσεβον τούτους, ὡς ἀφιδρύματα τοῦ θεοῦ. γράφει γοῦν ὁ τὴν Φορωνίδα ποιήσας,
Καλλιθόη κλειδοῦχος Ὀλυμπιάδος βασιλείης Columnæ
Ἥρης Ἀργείης, ἣ στέμμασι καὶ θυσάνοισι Deorum.
Πρώτη ἐκόσμησεν περὶ κίονα μακρὸν ἀνάσσης.
Ἀλλὰ καὶ ὁ τὴν Εὐρώπην ποιήσας ἱστορεῖ τὸ ἐν Δελφοῖς ἄγαλμα Ἀπόλλωνος κίονα εἶναι διὰ τῶνδε
Ὄφρα θεῷ δεκάτην ἀκροθίνιά τε κρεμάσαιμεν
Σταθμῶν ἐκ ζαθέων, καὶ κίονος ὑψηλοῖο.
Priuſquam igitur antiqui ſtatuas accuratè noſſent effingere, erectas columnas vt Deorum ſimulacra venerabantur. Scribit enim auctor Phoronidis,
Callithoe excelſi clauem quæ geſtat Olympi,
Iunonis quæ velleribus feſtáque corona
Reginæ ornauit ſublimem prima columnam.
Sed & qui Europeam ſcripſit, auctor eſt ſtatuam Apollinis Delphici columnam fuiſſe his verbis,
Vt Phœbo decimas, ſacra vt donaria templi
Figamus ſuſpenſa tholo, celſaque columnæ.
Sanchuniaton Berytenſis, Philone Biblio interprete apud Euſebiū primo præpar. Euang. Phœnices στήλας τε καὶ ῥάβδους ἀφιέρωσαν ἐξ ὀνόματος αὐτῶν. *Columnas & bacillos Deorum nomine conſecrarunt.* Omitto ſtatuam Veneris Paphiæ, quam Cornelius Tacitus, Maximus Tyrius, & alij columnam paullatim in anguſtum definentem fuiſſe prodiderunt. Quod ad Cæſaris columnam attinet, Græci ſcriptores eius non meminerunt, aram paſſim appellant. Dio 44. Βωμὸν δέ τινα ἐν τῷ τῆς πυρᾶς χωρίῳ ἱδρυσάμενοι, &c. θύειν τ' ἐπ' αὐτῷ, καὶ κατάρχεσθαι τῷ Καίσαρι, ὡς καὶ θεῷ ἐπεχείρουν. *Aram autem multitudo eo loco, quo rogus fuerat, extruxit,* &c. *ſacrificaréque apud eam, & primitias offerre* Ara Cæſaris. *Cæſari, tanquam Deo, inſtituit.* Appianus 3. ciuilium, βωμὸν ἐπῳκοδόμει τῇ πυρᾷ.

Servile ivgvm.] Ita frequenter. Seneca XVI. Iugum ſeruitutis.
Hercul. fur.
Cur ergo Regi ſeruit & patitur iugum.
Propertius lib. 8. el. 5.
Dum licet iniuſto ſubtrahe colla iugo.
Frequentiùs etiam Græci. Theognis.
Λὰξ ἐπίβα δήμῳ κενεόφρονι. τύπτε δὲ κέντρῳ
Ὀξέϊ, καὶ ζεύγλην δύσλοφον ἀμφιτίθει.
Calcibus inſulta populo, ſtimulíſque negantem
Percute: coge graui ſubdere colla iugo.
Item:
Οὔ ποτε τοῖς ἐχθροῖσιν ὑπὸ ζυγὸν αὐχένα θήσω
Δύσλοφον.-
Non ego ſeruili ſubdam deuictus ab hoſte
Colla iugo.- Oppianus 2. de venat.
Αὐτὰρ ὅ γ' οὔ τι φέρει δοῦλον ζυγόν.
At non fert ſeruile iugum.
Quod Nonnus 15. 27. & 33. Dionyſiacῶn vſurpat, & Pindarus Ode 2. Pyth. Epodo 4.

Veterani.] Vide 2. Philipp. §. 49. XVII.

Avdire mallem qvam videre.] XVIII.
Quia nimirum,
Segnius irritant animos demiſſa per aurem
Quàm quæ ſunt oculis accepta fidelibus.
Vide Cœlianam 59. Milonianam 38.

Ivs legationis liberæ.] Vide orationem de Prouinciis Conſularibus. XIX.

ARGVMENTVM.

Exponit conſilium reuerſionis ſuæ.

VII. EXPOSVI, P. C. profectionis conſilium: nunc reuerſionis, quæ plus admirationis habet, breuiter exponam. Cùm Brundiſium, itérque illud, quod tritum in Græciam eſt, non ſine cauſſa vitauiſſem, Kalend. Sextilibus veni Syracuſas, quòd ab vrbe ea tranſmiſſio in Græciam laudabatur. quæ tamen mihi vrbs coniunctiſſima plus vna me nocte cupiens retinere, non potuit: veritus ſum, ne meus repentinus ad meos neceſſarios aduentus ſuſpicionis aliquid afferret, ſi eſſem commoratus. Cùm autem me ex Sicilia ad Leucopetram, quod eſt promontorium agri Rhegini, venti detuliſſent, ab eo loco conſcendi, vt tranſmitterem: nec ita multum profectus, reiectus auſtro ſum in eum ipſum locum, vnde conſcenderam.

VIII. Cúmque intempeſta nox eſſet, manſiſſémque in villa P. Valerij comitis & familiaris mei, poſtridiéque apud eundem ventum expectans manerem, municipes Rhegini complures ad me venerunt, ex his quidam Roma recentes: à quibus primùm accipio M. Antonij concionem: quæ ita mihi placuit, vt ea lecta de reuerſione primùm cœperim cogitare. nec ita multo pòſt, edictum Bruti adfertur & Caſſij. quod quidem mihi, fortaſſe quòd eos etiam plus Reipubl. quàm familiaritatis gratia diligo, plenum æquitatis videbatur. Addebant prætereà (fit enim plerumque, vt ij, qui boni quid volunt adferre, affingant aliquid, quo faciant, id, quod nuntiant, lætius) rem conuenturam: Kalend. Sextilibus Senatum frequentem fore: Antonium, repudiatis malis ſuaſoribus, remiſsis Galliis prouinciis ad auctoritatem Senatus eſſe rediturum.

IX. Tum verò, tanta ſum cupiditate incenſus ad reditum, vt mihi nulli neque remi, neque venti ſatisfacerent: non quo me ad tempus occurſurum non putarem, ſed ne tardiùs, quàm cuperem, Reipublicæ gratularer. Atque ego celeriter Veliam deuectus Brutum vidi, quanto meo dolore, non dico: turpe mihi ipſi videbatur, in eam vrbem me audere reuerti, ex qua Brutus cederet: & ibi velle tuto eſſe, vbi ille non poſſet. Neque verò illum ſimiliter atque ipſe eram, commotum eſſe vidi. erectus enim maximi ac pulcherrimi facti conſcientia, nihil de ſuo caſu, multa de noſtro querebatur.

X. Ex quo primùm cognoui, quæ Kalend. Sextilibus in Senatu fuiſſet L. Piſonis oratio: qui quamquam parum erat (id enim ipſum à Bruto audieram) à quibus debuerat adiutus, tamen & Bruti teſtimonio (quo quid poteſt eſſe grauius?) & omnium prædicatione, quos poſteà vidi, magnam mihi videbatur gloriam conſecutus. Hunc igitur vt ſequerer properaui, quem præſentes non ſunt ſecuti: non vt proficerem aliquid (neque enim ſperabam id, neque præſtare poteram) ſed vt, ſi quid mihi humanitus accidiſſet (multa autem impendere videbantur præter naturam etiam, prætérque fatum) huius diei vocem teſtem Reipublicæ relinquerem meæ perpetuæ erga ſe voluntatis.

EXPLANATIO.

EXPOSVI.] Seiunctio dictorum à dicendis ad afferendam lucem & perſpicuitatem orationi.

CVM BRVNDVSIVM.] Brunduſium vrbs eſt in extremis Calabriæ finibus, vnde commodus in Græciam & Epirum traiectus: Brunduſium tamen orator vitauit, non ſine cauſſa. Sed cur vitauerit, non liquet, niſi fortaſſe quòd veteranorum, qui in colonias tota Campania & Appulia tranſcripti fuerant, vim & inſidias metuebat.

CALENDIS SEXTILIBVS.] Primo die menſis, qui paulò poſt Ciceronem dictus eſt Auguſtus.

VRBS MIHI CONIVNCTISSIMA.] Magna fuit omnium Siciliæ vrbium cum Cicerone coniunctio, ex quo eum ſibi contra C. Verrem in patronum adſciuerant.

AVSTRO.] Siue Noto, vento meridionali, qui nauigantibus ex Italia ad Græciam eſt contrarius.

ACCIPIO M. ANTONII CONC.] Ex ore eius exceptam, & celeriter notis compendiariis ita conſignatam, vt notarij manus dicentis verba facilè ſequeretur. Quæ autem illa M. Antonij concio fuerit, diuinare non poſſum: conſtat tamen eam fuiſſe de componenda Rep.

EDICTVM BRVTI AFFERTVR ET CASSII.] De hoc edicto nihil aliud occurrit, niſi illud Antonij cuidam edicto videri fuiſſe contrarium. lib. 16. ad Attic. epiſt. 7. *Antonij edictum legi à Bruto: & horum contrà: ſcriptum præclarè. Sed quid iſta edicta valeant, aut quò ſpectent, planè non video. Velleius Brutum & Caßium ait teſtatos edictis libenter ſe in perpetuo exilio victuros, dum Reſp. conſtaret concordia, nec vllam belli ciuilis præbituros materiam.*

REM CONVENTVRAM.] Fore vt Antonio cum Cæſaris percuſſoribus conueniret, & componeretur ciuilis diſcordia.

REMISSIS GALLIIS.] Gallia Tranſalpina Numantio Planco, Ciſalpina Decimo Plãco obuenerat. Eas prouincias Antonius ad ſe transferre conabatur, vnde & paulò pòſt ciuile bellum exarſit, & Brutus Mutinæ obſeſſus ab Antonio. Nuntiatum autem fuerat Ciceroni Antonium iam de obtinendis Galliis non cogitare, ſed remiſſis Galliis obtemperaturum Senatui, & ad eius auctoritatem, à qua diſceſſerat, eſſe rediturum. Vnde & magna componendæ Reip. ſpes affulſerat.

MALIS SVASORIBVS.] Caphone, Saxa, Cotyla, Muſtela, Tamiſio, & aliis eiuſmodi furoris Antoniani ſatellitibus. de quibus frequentem habet Orator mentionem.

AD TEMPVS OCCVRSVRVM.] Non ideò feſtinabam quod putarem me intereſſe poſſe Senatui, qui cogendus fuit Calendis Sextilibus: hunc enim nuntium aliquot diebus poſt Calendas acceperam: ſed vt quam primùm, cui putabam moderatione M. Antonij pacem & concordiam contigiſſe, gratularer.

BRVTVM VIDI.] Cùm incenſis ob Cæſaris necem veteranorum animis Bruto & Caſſio vitæ periculum immineret, Senatus vt eos præſenti periculo ſubduceret, his duobus annonæ curam mandauit, & quòd Prætores erant, decreuit vt legibus ſoluerentur, ſi ab vrbe plus quàm decem dies abfuiſſent. Brutum Veliæ vidit Cicero magno ſuo cum dolore, quòd vir vnicè amãs Rempub. non auderet in vrbe ſubſiſtere.

PVLCHERRIMI FACTI.] Reip. à dominatu Cæſaris liberatæ.

L. PISONIS ORATIO.] Quænam hæc fuerit Lucij Piſonis oratio habita Calendis Sextilibus in Senatu non ſatis conſtat: id conſtat vnũ eam fuiſſe liberrimã, vide infrà 14. 15. & Philipp. 5. §. 19. *At ille homo vehemens & violentus, qui hanc conſuetudinem liberè dicendi excluderet, fecerat enim hoc idem maxima cum laude L. Piſo triginta diebus ante me*, &c. Ex quibus meritò dubites de fide Appiani qui libro 3. de bellis ciuilibus L. Piſonem Antonio patrocinantem, & Ciceroni repugnantem inducit.

A QVIBVS DEBVERAT.] Obiter perſtringit quoſdam Conſulares qui Antonij metu non auſi fuerant liberam dicere ſententiam, ne Antonium offenderent.

PRÆTER NATVRAM, PRÆTERQVE FATVM.] Vide Notas.

NOTÆ.

BRVNDVSIVM.] Vide ſecundam Philipp. § 51. I.

CAL. SEXTILIBVS.] Vide Sextianam 131. II.

AD LEVCOPETRAM.] Libro 16. ad Atticum epiſt. 7. *Octauo Id. Sext. cùm à Leucopetra profectus (inde enim tramittebam) ſtadia circiter* CCC. *proceßiſſem, reiectus ſum auſtro vehementi ad eandem Leucopetram. Ibi cùm ventum expectarem (erat enim villa Valerij noſtri, vt familiariter eſſem & libenter) Rhegini quidam illuſtres homines eò venerunt Roma ſanè recentes: in iis Bruti noſtri hoſpes, qui Brutum Neapoli reliquiſſet: Hæc afferebant, edictum Bruti & Caßij, & fore frequẽtem Senatum Calendis: à Bruto & Caßio litteras miſſas ad Conſulares & Prætorios: vt adeſſent, rogare. Summam ſpem nuntiabant fore vt Antonius cederet, res conueniret, noſtri Romam redirent. Addebant etiam me deſiderari: ſubaccuſari.* III.

AGRI RHEGINI.] Rhegium, vt ſcribunt tum alij paſſim, tum Thucydides lib. 4. eſt ἀκρωτήριον τῆς Ἰταλίας, *Italiæ promontorium*, illis freti anguſtiis à Sicilia diuiſum, quæ Siciliam ab Italia diſterminant, cùm vt dicitur 3. Æneidos. IV.

-venit medio vi pontus, & vndis
Heſperium Siculo latus abſcidit.

ὠνομάσθη δὲ Ῥήγιον, inquit Strabo libro 6. εἴθ᾽ ὥς φησιν Αἰσχύλος, διὰ τὸ συμβὰν πάθος τῇ χώρᾳ ταύτῃ. ἀποῤῥαγῆναι γὰρ ἀπὸ τῆς ἠπείρου τὴν Σικελίαν ὑπὸ σεισμῶν, ἄλλοι τε, κἀκεῖνος εἴρηκεν, ἀφ᾽ οὗ δὴ Ῥήγιον κεκλῆσθαι. *Nomen Rhegio eſſe ait Æſchylus, ab eo quòd iſti accidit regioni. Terra enim motibus Siciliam à continente abruptam cùm alij, tum ille affirmauit: & nomen à verbo ῥήγνυσθαι, quod eſt rumpi, deductum videtur.* Idem paulò pòſt de Leucopetra. ἀπὸ δὲ τοῦ Ῥηγίου πλέοντι πρὸς ἕω Λευκόπετραν καλοῦσιν ἄκραν ἀπὸ τῆς χρόας, ἐν πεντήκοντα σταδίοις εἰς ἣν τελευτᾷν φασι τὸ Ἀπέννινον ὄρος. *A Rhegio verſus ortum ſolis ſi nauigatur ad* L. *ſtadia, peruenitur ad Leucopetram*, id eſt album ſaxum, *à colore ſic denomi-*

Rhegium.

natum, in quod deſinere montem Appenninum aiunt.

V. Conſcēdere. CONSCENDI.] Vox nautica, vt videtur. Plautus Bacchidib. ſc. *Ibo ad Piræum.*

Poſtquàm aurum abſtulimus, in nauem conſcendimus.

Virg. 1. Æneidos,

Bis denis Phrygium conſcendi nauibus æquor.

Frequenter etiam Græci. vt 2. Iliados.

-πολέες δ' ἐν νηὶ ἑκάστῃ
Ἀρκάδες ἄνδρες ἔβαινον ἐπιστάμενοι πολέμοιο.
-vnaquáque frequentes
Naue adſcendebant pugnaces Arcades armis.

Odyſſ. 4. --ἀναβαινέμεν, ὄφρα τάχιστα
Σὴν ἐς πατρίδ' ἵκοιο πλέων ἐπὶ οἴνοπα πόντον.
-conſcendere, vt oris
Siſtas te patriis ſubitò, maris æquora ſulcans.

VI. Nox intempeſta. INTEMPESTA NOX.] Virgilius 1. Georg.

Illic vt perhibent aut intempeſta ſilet nox
Semper, & obtenta denſantur nocte tenebræ.

3. Æneidos.

Et lunam in nimbo nox intempeſta tenebat.

In quem locum Seruius: *Intempeſta, quaſi intempeſtiua, inactuoſa, carens actibus per quos tempora dignoſcimus.* Sed vide Varronem libro 5. & 6. de lingua Latina, Macrobium lib. 1. Saturnal. Cenſorinum de die natali. Iis ego referendis eò ſuperſedeo libentiùs, quòd ſciam conſignata eſſe Calepino, & apud Maronis interpretes facilè reperiri.

VII. REM CONVENTVRAM.] Profert Ianus Grutterus Liuium libro 30. *Ac ſpem facere ſæpius vltro citróque agitantibus, rem conuenturam.*

VIII. Velia. VELIAM DEVECTVS.] Eadem epiſt. XVI. *Cal. Septemb. cùm veniſſem Veliam, Brutus audiuit. Erat enim cum ſuis nauibus apud Valetem fluuium, citra Veliam millia paſſuum* III. *Pedibus ad me ſtatim. Dij immortales! quàm valdè ille reditu, vel potiùs reuerſione mea lætatus effudit illa omnia quæ tacuerat?* &c. Addit: *Maximè autem dolebat me Calendis Sextil. in Senatu non fuiſſe: Piſonem ferebat in cœlum. Se autem lætari, quòd effugiſſem duas maximas vituperationes,* &c. quas tu vide. Subdit: *Reuerſionis has ſpecioſas cauſſas habes: iuſtas illas quidem & magnas: ſed nulla iuſtior, quàm quod tu idem aliis litteris:* PROVIDE SI CVI QVID DEBETVR, VT SIT VNDE PAR PARI RESPONDEATVR. MIRIFICA ENIM δυσχρηστία PROPTER METVM ARMORVM. *In freto medio hanc epiſtolam legi, vt quid poſſem prouidere, in mentem mihi non veniret, niſi quod præſens me ipſe defenderem.* Veliam autem quaſi ἕλιαν à ſtagnis & lacubus dictam, ait Halicarnaſſeus lib. 1. antiquit. Rom. Σύνηθες γὰρ ἦν τοῖς ἀρχαίοις Ἕλλησιν ὡς τὰ πολλὰ προστιθέναι τῶν ὀνομάτων, ὁπόσων αἱ ἀρχαὶ ἀπὸ φωνηέντων ἐγίνοντο τὴν ΟΥ συλλαβὴν ἑνὶ στοιχείῳ γραφομένην. τοῦτο δ' ἦν ὥσπερ Γ διπλοῖς ἐπὶ μίαν ὀρθὴν ἐπιζευγνύμενον ταῖς πλαγίαις, ὡς Ϝελένη, καὶ Ϝάναξ, καὶ Ϝοῖκος, καὶ Ϝανὴρ, καὶ πολλὰ τοιαῦτα. *Moris enim erat antiquis Græcis, vt plurimùm nominibus à vocali inceptis ſyllabam* OY *vna littera ſcriptam præponere. Erat autem inſtar* Γ *duabus rectis ſuper vnam rectam coniuncti, vt Felena,* &c.

IX. HVMANITVS ACCIDISSET.] Bene *humanitus*, quia nimirum homo omnibus calamitatibus obnoxius πᾶς ἀνὴρ ξυμφορή, inquit Solon apud Herodotum. Plautus prologo Captiuorum, ſed hic non moror.

Enimuerò Dij nos quaſi pilas homines habent.

PRÆTER NATVRAM PRÆTERQVE FATVM.] X. Fatum & natura. Hunc locum explicat Gellius lib. 13. Noct. Attic. cap. 1. *An vtrumque idem valere voluerit fatum & naturam, & duas res* ἀνθ' ἑνὸς ὑποκειμένου, πεπρωμένην καὶ φύσιν. *An verò diuiſerit ſepararitque, vt alios caſus natura ferre videatur, alios fatum, conſiderandum equidem puto. Atque id maximè requirendum, qua ratione dixerit accidere multa humanitus poſſe, præter fatum, quando ſic ratio & ordo, & inſeparabilis quædam fati neceſſitas, conſtituitur, vt omnia intra fatum claudenda ſint. niſi illud ſane Homeri ſecutus eſt.*

Μὴ καὶ ὑπὲρ μοῖραν δόμον Ἄϊδος εἰσαφίκηαι.
Ne præter fatum accedas Plutonis ad ædes.

Nihil autem dubium eſt quin violentam & inopinatam mortem ſignificauerit: qua quidem poteſt rectè videri accidere præter naturam. Sed cur id quoque genus mortis extra fatum poſuerit, neque operis huius eſt explorare, neque temporis. Ita quidem Gellius: ſed inſtituti noſtri ratio poſtulat, vt quod ille omiſit, nobis pro modulo rimandum eſſe videatur.

E philoſophis, vt dicemus in 2. Philippicam, nota prima, quidam omnia penitus, atque adeò humanas actiones fati neceſſitate deuinctas, alij planè liberas & ſolutas eſſe cenſuerunt, quam poſteriorem ſententiam Homerus, Cicero, Virgilius videntur amplexi, vt ea fato tribuerent quæ ex neceſſaria cauſſarum connexione eueniunt: quæ autem humana voluntate & opera contingunt, ea fati neceſſitate abſoluerent. Diſertè primo Odyſſeæ Iupiter in concilio Deorum.

Ὢ πόποι. οἷον δή νυ θεοὺς βροτοὶ αἰτιόωνται
Ἐξ ἡμέων γάρ φασι κάκ' ἔμμεναι, οἱ δὲ καὶ αὐτοὶ
Σφῇσιν ἀτασθαλίῃσιν ὑπὲρ μόρον ἄλγε' ἔχουσιν.
Ὡς καὶ νῦν Αἴγισθος ὑπὲρ μόρον Ἀτρείδαο
Γῆμ' ἄλοχον μνηστήν, &c.
O ſuperi! accuſant mortales numina Diuûm.
A nobis etenim dicunt mala ſurgere: at ipſi
Præter fata ſuis vitiis hauſere dolores. Quæ præter fatum eueniant.
Vt præter fatum Ægiſtus ſibi iunxit Atridæ
Deſponſam vxorem, &c.

Cur autem præter fatum, ipſe ſubdit, quia videlicet miſſo ad Ægiſtum Mercurio non ſolùm id fieri prohibuerat, ſed etiam, ſi id faceret, pœnam fuerat comminatus. Quo etiam ſenſu verſus à Gellio laudatus debet explicari. Iliados υ'.

Αἰνεία, τίς σ' ὧδε θεῶν ἀτέοντα κελεύει
Ἀντὶ Ἀχιλλῆος πολεμίζειν ἠδὲ μάχεσθαι,
Ὅς σεῦ ἅμα κρείσσων καὶ φίλτερος ἀθανάτοισιν,
Ἀλλ' ἀναχωρῆσαι, ὅτε κεν συμβλήσεαι αὐτῷ
Μὴ καὶ ὑπὲρ μοῖραν δόμον Ἄϊδος εἰσαφίκηαι.
Ænea, quis te amantem Deus ire ſubegit
Æacidem contra, & belli certamen obire,
Qui te fortior eſt & diuis charior ipſis.
Sed diſcede procul, quoties eris obuius illi
Ne præter fatum ſubeas Plutonis ad ædes.

Paſſim denique ea quæ præter fatum euentura fuiſſe dicit, ea liberis vel hominum, vel Deorum actionibus tribuuntur. vt initio eiuſdem libri,

Δείδω μὴ καὶ τεῖχος ὑπὲρ μοῖραν ἐξαλαπάξῃ.
Permetuo præter fatum ne mœnia vertat.

Iliados β'.

Ἔνθά κεν Ἀργείοισιν ὑπέρμορα νόστος ἐτύχθη.

Hic præter fatum populus rediiſſet Archiuis. — Odyſſ. ε΄.

Ἔνθά κε δὴ δύστηνος ὑπέρμορον ὤλετ' Ὀδυσσεύς.

Hic præter fatum infelix periiſſet Vlyſſes.

Mors ſecundum naturã. Iam illa mors eſt ſecundum naturam, & ſecundum fata quæ ex principiis naturæ intrinſecis, & ex pugna quatuor primarum qualitatum, vna præualente contingit, illa præter naturam quidem, ſed tamen ſecundum fata, quæ ab externarum cauſſarum ſeriè, & quaſi concatenatione quadam infertur, vt ſi quis pereat vel fortuita tecti ruina, vel incendio caſu excitato, vel naufragio. Illa præter naturam prætérque fatum, quæ nec à principiis naturæ intrinſecis, nec à cauſſis externis agendi neceſſitate conſtrictis, ſed ab hominis libertate dependet, vt cùm quis ſibi vel mortem conſciſcit, vel alterius ſcelere occiditur. Clarè 4. Æneidos.

Secundum fata.

Præter naturam.

præter fata.

Nam quia nec fato, meritâ nec morte peribat,
Sed miſera ante diem, ſubitóque accenſa furore,
Nondum illi flauum Proſerpina vertice crinem
Abſtulerat, Stygióque caput damnauerat orco.

Fato pereunt, qui propter cauſſas neceſſarias, ſiue internas, ſiue externas naturæ neceſſitati ſuccumbunt: merita morte pereunt qui pro ſceleribus debita morte plectuntur: at Dido miſera & innocens ſibi mortem adſciuerat. Hunc autem locum à Demoſthene περὶ στεφάνου, ſumptum etiã notauit Gellius. Nam quod Cicero fatum atque naturam videtur dixiſſe, Demoſthenes τὴν πεπρωμένην καὶ τὸν αὐτόματον θάνατον appellauit. vide.

AXIOMATA.

Fit plerumque vt ij, qui boni quid volunt afferre, affingant aliquid, quo faciant id quod nuntiant, lætius.

Multa hominibus impendent, præter naturam, prætérque fatum.

ARGVMENTVM.

Queritur de iniuria quam ab Antonio, pridie quàm haberet hanc orationem, acceperat, iuſſus cum magnis interminationibus intereſſe Senatui, quamuis langueret de via.

QVONIAM vtriuſque conſilij cauſſam, P. C. probatam vobis eſſe confido, prius quàm de Republica dicere incipio, pauca querar de heſterna M. Antonij iniuria, cui ſum amicus: ídque nonnullo eius officio debere eſſe, etiam præ me ſemper tuli. Quid tandem erat cauſſæ, cur in Senatum heſterno die tam acerbè ſolus cogerer? ſolúſne aberam? an non ſæpe minùs frequentes fuiſtis? an ea res agebatur, vt etiam ægrotos deferri oporteret? Annibal, credo, erat ad portas, aut de Pyrrhi pace agebatur: ad quam cauſſam etiam Appium illum, & cæcum, & ſenem delatum eſſe memoriæ proditum eſt. XI.

DE ſupplicationibus referebatur, quo in genere Senatores deeſſe non ſolent. Coguntur enim non pignoribus, ſed eorum, quorum de honore agitur, gratia: quod idem fit, cùm de triumpho refertur. ita ſine cura Conſules ſunt, vt pænè liberum ſit Senatori non adeſſe. qui, cùm mihi mos notus eſſet, cúmque è via languerem, & mihimet diſplicerem, miſi pro amicitia, qui hoc ei diceret. At ille vobis audientibus, cum fabris ſe domum meam venturum eſſe dixit. nimis iracundè hoc quidem, & valde intemperanter. cuius enim maleficij iſta pœna eſt, vt dicere in hoc ordine auderet, ſe publicis operis diſturbaturum publicè ex Senatus ſententia ædificatam domum? quis autem vnquam tanto damno Senatorem coëgit? aut quid eſt vltra pignus, aut multam? quod ſi ſciſſet quam ſententiam dicturus eſſem, remiſiſſet aliquid profectò de ſeueritate cogendi. XII.

EXPLANATIO.

QVONIAM VTRIVSQVE CONSILII.] Tam profectionis, quàm reuerſionis meæ.

NONNVLLO OFFICIO.] Antonius poſt pugnam Pharſalicam cum aliquot legionibus in Italiam remiſſus eſt à Cæſare, iuſſúſque Pompeianos aditu Italiæ prohibere, Ciceronem Brundusij non interemit: & ita officium exigebat vt Orator amicus eſſet Antonio. vide 2. Philipp. §. 5.

HESTERNO DIE.] Philipp. 5. §. 19. In cellam Concordiæ *niſi venirem Calendis Septembribus fabres ſe miſſurum, & domum meam diſturbaturum eſſe dixit. Magna res, credo, agebatur: de ſupplicatione referebatur. Veni poſtridie: ipſe non venit.* Paucis verò verbis iniuriam oſtẽdit. 1. quòd ſolus. 2. quòd acerbè. 3. quòd in re non magni momenti coactus fuerit.

SOLVSNE ABERAM?] *Solus cogi debet qui ſolus abeſt. Sed ego ſolus non aberam. Ergo ſolus cogi non debui.*

An non ſæpe.] *Cogi poſſunt Senatores cùm frequens non eſt Senatus.*

Sed ſæpe minus frequens fuit Senatus quàm heſterno die.

Ergo ſæpe magis cogendi fuerunt quàm heſterno die.

Non ſunt aliàs tam acerbè coacti,

Ergo neque heſterno die cogi debuerunt.

An ea res.] *Cùm agitur res non magni momenti, non ſunt acerbè cogendi Senatores.*

Sed heſterno die res agebatur non magni momenti.

Ergo heſterno die cogi non debuerunt acerbè Senatores.

Annibal, credo.] Magnum videlicet Reip. periculum imminebat, quod ita communi conſilio propulſandum eſſet, vt nullius excuſationem Conſul deberet admittere. Sicut cùm *Annibal ad tertium ab Vrbe Roma lapidem ſuper Anienem caſtra poſuit, ipſe verò cum duobus millibus equitum, vſque ad portam Capenam, vt vrbis ſitum exploraret, obequitauit.*

Avt de pace Pyrrhi.] Epitome Liuij lib. 13. *Cyneas legatus à Pyrrho ad Senatum miſſus petiit, vt componendæ pacis cauſſa Rex in Vrbem reciperetur. De qua re cùm ad frequentiorem Senatum referri placuiſſet, Appius Claudius qui propter inualitudinem oculorum iamdiu à conſiliis publicis abſtinuerat, venit in Curiam, & ſententia ſua obtinuit, vt id Pyrrho negaretur.* Epitome libro 26.

Non pignoribvs.] Conſules nonnunquam à Senatoribus pignora quædam auferebāt, vt videlicet Senator ea pignora perderet, qui Conſuli aliquid iubenti obtemperare noluiſſet.

Pvblice ædificatam.] In Piſonem 52. *Me conſequentibus diebus in ea ipſa domo, qua tu me expuleras, quam expilaras, quam incenderas, Pontifices, Conſules, Prætores, collocauerunt: mihique, quod ante me nemini, pecunia publica ædificandam domum cenſuerunt.* Et enucleatiùs de Haruſp. reſp. 15. 16. domum ſuam diuino & humano iure munitam eſſe demonſtrat. *Quæ primùm ædificatur ex auctoritate Senatûs pecuniâ publicâ. deinde contra vim nefariam huius gladiatoris,* Clodij, *tot Senatusconſultis munita atque ſepta eſt. Primum negotium iiſdem magiſtratibus eſt datum anno ſuperiore vt curarent, vt ſine vi mihi ædificare liceret, quibus in maximis periculis vniuerſa Reſpub. commendari ſolet: deinde cùm ille ſaxis & ignibus & ferro vaſtitatem meis ædibus intuliſſet, decreuit Senatus eos qui id feciſſent, lege de vi, quæ eſt in eos, qui vniuerſam Rempub. oppugnaſſent, teneri, &c. qui meam domum violaſſet, contra Rempub. eſſe facturum. Nego vllo de opere publico, de monumento, de templo, tot Senatûs extare conſulta, quot de mea domo, quam Senatus vnam, poſt hanc Vrbem conſtitutam, ex ærario ædificandam, à Pontificibus liberandam, à magiſtratibus defendendam, à iudicibus puniendam putaret.* E quibus videas impotentiam Antonij qui ſe fabros ad eam domum diſturbandam miſſurum eſſe minatus eſt.

Qvid est vltra pignvs avt mvltam.] An Senatores parere Conſuli renuentes, grauiùs à Conſule puniuntur, quàm ſi vel pignus ab iis auferatur, quod ipſi amittant niſi ſe præſtiterint Conſuli dicto audientes, vel pecuniaria multa irrogetur.

Qvi si scisset.] Tranſitio ad querelam de Repub.

NOTÆ.

Annibal, credo.] Imò non ſolùm fuit ad portas, ſed etiam in Vrbem haſtam immiſit. Plinius lib. 34. *Et adeò diſcrimen omne ſublatum, vt Annibalis etiam ſtatuæ tribus locis viſantur in Vrbe, cuius intra muros ſolus hoſtium emiſit haſtam.* I.

De Pyrrhi pace.] Noſter de Senectute. *Ad Appij Claudij ſenectutem accedebat etiã vt cæcus eſſet: tamen is cùm ſententia Senatus inclinaret ad pacem, & fœdus faciendum cum Pyrrho, non dubitauit dicere illa quæ verſibus perſecutus eſt Ennius.* II.

Quo vobis mentes rectæ quæ ſtare ſolebant
Antehac, dementi ſeſe flexere ruina?

Vide locum, Plutarchum in Pyrrho, & Epitomen Liuianam.

De svpplicationibvs.] De ſupplicationibus multis locis egimus vt pro Cornelio Balbo 61. *C. Cæſarem Senatus & genere ſupplicationum ampliſſimo ornauit, & numero dierum.* & aliis locis quæ citabimus infrà §. 13. III.

Non pignoribvs.] Paulò pòſt. *Quis autem vnquam tanto damno Senatorem coëgit? aut quid eſt vltra pignus aut multam?* Non ſolùm autem his pignoribus Senatores cogebant, Senatui intereſſe, ſed etiam aliis rebus coërcebant, & in officio continebant. Tertio de Oratore §. 4. *Hic cùm homini & vehementi & diſerto, & imprimis forti ad reſiſtendum. Philippo* (Conſuli) *quaſi quaſdam verborum faces admouiſſet, non tulit ille & grauiter exarſit, pignoribúſque ablatis Craſſum inſtituit coërcere. Quo quidem ipſo in loco multa à Craſſo diuinitus dicta referebantur, cùm ſibi illum Conſulem eſſe negaret, cui Senator ipſe non eſſet. An tu cum omnem auctoritatem vniuerſi ordinis propugnare putares, eámque in conſpectu populi Romani concideres, me his pignoribus exiſtimas poſſe teneri? Non tibi illa ſunt cædenda, ſi Craſſum vis coërcere: hæc eſt excidenda lingua, qua vel euulſa ſpiritu ipſo libidinem tuam libertas mea refutabit.* Sed, vt ad Ciceronem & Antonium redeamus, rem geſtam ita deſcribit Plutarchus: Τῇ δ' ὑστεραίᾳ βουλὴν συναγαγόντος Ἀντωνίου, καὶ καλοῦντος αὐτὸν οὐκ ἦλθεν, ἀλλὰ κατέκειτο, μαλακῶς ἔχειν ἐκ τοῦ κόπου σκηπτόμενος. ἐδόκει δὲ τὸ ἀληθὲς ἐπιβουλῆς εἶναι φόβος, ἔκ τινος ὑποψίας καὶ μηνύσεως καθ' ὁδὸν αὐτῷ προσπεσούσης. Ἀντώνιος δὲ χαλεπῶς μὲν εἶχεν ἐπὶ τῇ διαβολῇ, καὶ στρατιώτας ἔπεμψεν ἄγειν αὐτὸν, ἢ καταπρῆσαι τὴν οἰκίαν κελεύσας. ἐνστάντων δὲ πολλῶν καὶ δεηθέντων, ἐνέχυρα λαβὼν μόνον ἐπαύσατο. *Poſtridie Senatum habente Antonio, & ipſum accerſente, non venit in Senatum, ſed decubuit, languere ſe ex via cauſſans. Apparebat reuera formidinem ſubeſſe inſidiarum ex ſuſpicione quadam & delato in itinere ad eum indicio. At Antonius tulit acerbè eam calumniam, ac militibus miſſis imperauit vt adducerent eum, aut domum incenderent. Sed cùm intercederent frequentes deprecarentúrque, pignoribus tantummodò captis quieuit.* Hæc ille: quæ ſanè non video quomodo Ciceroni conſentiant. Neque enim, etſi heſternam iniuriam Antonij, quantum poteſt, exaggerat, vllam aut militum ab Antonio miſſorum, aut IV. Pignoribus coacti Senatores.

inflammationis ædium militibus demandatæ, aut captorum pignorum facit mentionem. Sed tantummodò queritur quòd comminatus fuerit Antonius ſe publicis fabris & operis diſturbaturum eſſe domum ipſius. Neque pignora à ſe capta fuiſſe dicit, ſed queritur Antonium diſturbationem ædium comminatum fuiſſe, cùm alij Senatores qui Conſuli parere renuerint, non grauiùs quàm aut pignorum acceptione, aut multæ irrogatione plectantur.

INTEMPERANTER.] Intemperantia non ſolùm in libidine, ſed etiam in ira. vide Vatin. §. I. V.

ARGVMENTVM.

Queritur ſupplicationes, pridie quàm haberet hanc orationem, Iulio Cæſari mortuo fuiſſe decretas.

AN me cenſetis, P.C. quod vos inuiti ſecuti eſtis, decreturum fuiſſe, vt parentalia cum ſupplicationibus miſcerentur? vt inexpiabiles religiones in Rempublicam inducerentur? vt decernerentur ſupplicationes mortuo? nihil dico cui: fuerit ille L. Brutus, qui, & ipſe regio dominatu Rempublicam liberauit, & ad ſimilem virtutem, & ſimile factum ſtirpem iam prope in quingenteſimum annum propagauit: adduci tamen non poſſem, vt quemquam mortuum coniungerem cum Deorum immortalium religione: vt cuius ſepulchrum vſquam exſtet, vbi parentetur, ei publicè ſupplicetur. Ego verò eam ſententiam dixiſſem, Patres Conſcripti, vt me aduerſus populum Romanum, ſi quis accidiſſet grauior Reipublicæ caſus, ſi bellum, ſi morbus, ſi fames, facilè poſſem defendere. quæ partim iam ſunt, partim timeo ne impendeant. Sed hoc ignoſcant Dij immortales velim, & populo Romano, qui id non probat, & huic ordini, qui decreuit inuitus. XIII.

EXPLANATIO.

AN ME CENSETIS.] Si heſterno die adfuiſſem, putatíſne me adeò timidum futurum fuiſſe, vt pro parētalibus & iuſtis, quæ mortuis fieri ſolent, ſupplicationes in honorem mortui Cæſaris decernerem. Quia tamen id Senatus vniuerſus decreuerat, eum à neceſſitate excuſat ne totum ordinem reprehendere videatur.

INEXPIABILES RELIGIONES.] Quæ nullis ſacrificiis, nulla inſtauratione poſſent expiari: quibus adeò Dij offenderentur, vt placari vix poſſent.

NIHIL DICO, CVI.] Prætermiſſio oratoria qua mirum in modum rei atrocitatem exaggerat.

Si nemo mortuus iungi debet cum Deorum immortalium religione, multo minùs afficiendus eſt honoribus diuinis tyrannus.

Sed hoc. *Ergo & illud.*

Subſumit: *Atqui Cæſar fuit tyrannus.*

Ergo non eſt afficiendus honoribus diuinis.

Prudenter ſumit exemplum à Iunio Bruto qui Tarquinium eiúſque liberos eiecerat, aſſeruerátque libertatem Reip. vt ex hac oppoſitione patriæ liberatoris, & publicæ libertatis oppreſſoris indignitas illius S. C. magis eluceat.

STIRPEM.] M. Brutum, & D. Brutum, qui præcipui duces fuerunt conſpirationis, & necis Cæſari inferendæ.

IN PROPE QVINGENTESIMVM.] Eiecti ſunt Reges anno ab Vrbe condita CCXLIV. vt probabiliſſima eſt omnium ſententia: habita eſt hæc oratio anno ab V. C. DCCX. vel vt alij ſupputant DCCIX. Si igitur alterum numerum ab altero ſubduxeris, erunt anni CDLXIV. vel CDLXIII. Iunius Brutus ſtirpem ſuam dicitur ad ſimile factum in annum propè quingenteſimum propagaſſe, quia poſteros reliquit qui anno, poſt quadringenteſimo ſexageſimo quarto virtutem eius imitarentur, & Remp. à Cæſaris dominatu liberarent, quemadmodum ipſe Tarquinios eiecerat, & Vrbem à ſeruitutis iugo vindicarat.

VT CVIVS SEPVLCHRVM NVSQVAM EXTET.] Videtur legendum *vt cuius ſepulchrū vſquam extet vbi parentetur, ei publicè ſupplicetur.* quaſi dicat ei non eſſe ſupplicandum, honoréſque diuinos tribuendos, qui mortuus fuerit & alicubi ſepultus, ad cuius ſepulchrum debeant iuſta perſolui.

EGO VERÒ.] Ego tam liberè huic impietati reſtitiſſem, repugnaſſémque ne mortuo ſupplicationes decernerentur, vt ſi peſtis aut bellum aut fames accidiſſet, populuſque Romanus, huius calamitatis cauſſam in Senatum, & violatas ab eo religiones refunderet, facilè poſſem me defendere, & demonſtrare has publicas clades mea culpa non contigiſſe.

NOTÆ.

PARENTALIA.] Noſter 2. de legibus 54. *Februario menſe, qui tunc extremus anni menſis erat, mortuis parentari voluerunt. quod tamen D. Brutus, vt ſcriptum à Siſenna eſt, Decembri ſacere ſolebat.* Tertullianus De teſtimonio animæ: *Vocas porrò ſecuros ſi quando extra portam cum obſoniis & matteis tibi potiùs parentans ad buſta recedis, aut à buſtis dilutior redis.* Plinius I. Parentalia.

lib. 18. cap. 12. *Quin & priſcæ ritu fabacia ſuæ*
Faba exhibita parentalibus. *religionis Diis in ſacro eſt, prævalens pulmentari cibo, & hebetare ſenſus exiſtimata, inſomnia quoque facere. ob hæc Pythagorica quoque ſententia damnata, vt alij tradidere: quoniam mortuorum animæ ſint in ea. Qua de cauſſa parentando vtique aſſumitur.* Feſtus: *Fabam nec tangere, nec nominare Diali Flamini licet, quòd ea putatur ad mortuos pertinere. Nam & Lemuralibus iacitur Laruis, & parentalibus adhibetur ſacrificiis, & in flore eius luctus litteræ apparere videntur.* E quibus apparet parentalia eſſe ſacrificia quædam & epulas in mortuorum memoriam celebratas. dicta parentalia, quòd id officij genus mortuis parentibus exhibetur.

II. CVM SVPPLICATIONIBVS.] De variis ſupplicationum generibus, vide quæ notauimus in Orationem pro Cornelio Balbo 61. *C. Cæſarem Senatus & genere ſupplicationum ampliſſimo ornauit, & numero dierum nouo.* De Prouinciis Conſularibus 26. *Supplicationem quindecim dierum decreui ſententiâ meâ.* Sed de numero dierum plura in Piſonem 45. Quatenus autem liceret aut nefas eſſet ſupplicationes mortuis decernere, fusè tractauimus, & hunc ipſum locum expoſuimus in Vatinium ad illa verba §. 30. *Dices te ſupplicationes illas non probaſſe.*

III. STIRPEM.] Tamen Dionyſius Halicarnaſſ. lib. 5. antiq. Rom. ὁ μὲν δὴ Βροῦτος, &c. τοιαύτης τελευτῆς ἔτυχεν, γενεὰν οὔτ᾽ ἄρρενα καταλιπὼν, οὔτε θήλειαν, ὡς οἱ τῶν Ῥωμαίων σαφέστατα ἐξητακότες γράφουσιν. *Et Brutus quidem hunc vitæ finem ſortitus eſt, nullam prolem aut maſculam, aut fœmellam relinquens, vt qui res Romanas clariſſimè examinarunt, litteris prodiderunt.* Cuius rei illud indicium certiſſimum eſſe dicit: ὅτι τῶν πατρικίων γένους ἐκεῖνος ἦν, οἱ δ᾽ ἀπ᾽ ἐκείνης ἑαυτοὺς λέγοντες τῆς οἰκίας εἶναι, Ἰούνιοί τε καὶ Βροῦτοι πάντες ἦσαν πληβεῖοι, καὶ τὰς ἀρχὰς μετῄεσαν, ἃς τοῖς δημοτικοῖς μετιέναι νόμος ἦν, ἀγορανομίας τε καὶ δημαρχίας. *Quòd ille erat patricius, at qui ex ea gente dicebant oriundos, Iunij & Bruti, omnes erant plebeij, eóſque magiſtratus geſſerunt, quos per legem licebat gerere plebeiis, ædilitates nimirum & tribunatus.* Sed & fieri potuit vt Iunia gens à patriciis ad plebem tranſiuerit, & ſcribit Plutarchus id ab iis qui ob Cæſaris necem Brutis erant infenſi, fuiſſe iactatum, & Luc. Bruto tertium fuiſſe filium, à quo ſtirps fuerit propagata, auctore Poſidonio, qui & addebat. Τῶν γε καθ᾽ αὑτὸν ἐκ τῆς οἰκίας γεγονότων ἐπιφανῶν ἀνδρῶν ἀναφέρειν ἐνίους πρὸς τὸν ἀνδριάντα τοῦ Βρούτου τὴν ὁμοιότητα τῆς ἰδέας. *Nonnullos etiam æqualium ſuorum, qui ex ea gente erant, clarorum virorum, repræſentaſſe facie Bruti ſtatuam.*

Brutorum familia an à L. Bruto propagata.

IV. SEPVLCHRVM VSQVAM EXTET.] Hanc lectionem confirmat Ianus Grutterus ex Codice Mauritiano & S. Victoris. Additque tangi morem Romanum. Diis enim ſupplicabant, vt Romulo, cuius nuſquā ſepulchrum: at viris illuſtribus ad ſepulchrum cuiuſque parentabant. Sic pro Flacco 95. *Cuius damnatione ſepulchrum L. Catilinæ floribus ornatum: hominum audaciſſimorum ac domeſticorum hoſtium conuentu epuliſque celebratum: iuſta Catilinæ facta ſunt. Quam poteſtis L. Lentulo, qui vos in complexu liberorum coniugúmque veſtrarum trucidatos incendio patriæ ſepelire conatus eſt, mactare victimam gratiorem, quàm ſi L. Flacci ſanguine illius nefarium in vos omnes odium ſaturaueritis? Litemus igitur Lentulo, parentemus Cethego,* &c.

V. Morbus. SI MORBVS.] Id eſt peſtis, quæ nihil aliud eſt quàm morbus epidemicus, vt medici loquuntur, vide orationem de prouinciis Conſularibus §. 5. N. 5. Quod autem ait ea mala partim iam eſſe, partim ſe metuere ne impendeant, eo ipſo tempore ἐπεγένετο μὲν οὖν καὶ ὁ λοιμὸς ἐπ᾽ αὐτοῖς πάσῃ, ὡς εἰπεῖν, τῇ Ἰταλίᾳ ἰσχυρός. Dio libro 45. *Hæc omnia* prodigia *peſtis vehemens excepit per totam ferè Italiam.* Hoc ipſo anno ereptum eſt bellum Mutinenſe, vt omittam alia bella ciuilia. biennio poſt ingens fames mare Siculum Sexto Pompeio, Ionium Cn. Domitio obtinente. vt ſcribit Dio libro 48. ἐπί τε τοῦ λιμοῦ φθορὰ πολλὴ ἐν τῷ ἄστει ἐγένετο. *Et fame multi in vrbe perierunt.*

ARGVMENTVM.

Pollicetur libertatem in dicenda ſententia, & queritur de cæterorum Conſularium timiditate, qui non auſi fuerant ſequi Luc. Piſonem, qui vtiliſſimam Reip. ſententiam dixerat abſente Cicerone.

XIV. QVID? de reliquis Reipub. malis? licétne dicere? mihi verò licet, & ſemper licebit, dignitatem tueri, mortem contemnere. poteſtas modò veniendi in hunc locum ſit: dicendi periculum non recuſo. Atque vtinam, P. C. Kalend. Sextilibus adeſſe potuiſſem: non quò profici potuerit aliquid, ſed ne vnus modò conſularis, quod tum accidit, dignus illo honore, dignus Repub. inueniretur. Qua quidem ex re, magnum accipio dolorem, homines ampliſſimis populi Romani beneficiis vſos L. Piſonem, ducem optimæ ſententiæ non ſecutos. idcircóne nos populus Romanus Conſules fecit, vt in altiſſimo, ampliſſimóque gradu dignitatis locati Rempub. pro nihilo haberemus? non modò voce nemo L. Piſoni conſularis, ſed ne vultu quidem aſſenſus eſt.

XV. Quænam (malum) eſt iſta voluntaria ſeruitus? fuerit quædam neceſſaria. nec ego hoc ab omnibus iis deſidero, qui ſententiam loco conſulari

dicunt. alia cauſſa eſt eorum, quorum ſilentio ignoſco: alia eorum, quorum vocem requiro. quos quidem doleo in ſuſpicionem populo Rom. venire, non modò metus, quod ipſum eſſet turpe, ſed alium alia de cauſſa deeſſe dignitati ſuæ. Quare primùm maximas gratias & habeo, & ago L. Piſoni, qui non quid efficere poſſet in Repub. cogitauit, ſed quid ipſe facere deberet. deinde à vobis, P. C. peto, vt, etiamſi ſequi minùs audebitis orationem, atque auctoritatem meam, benignè me tamen, vt feciſtis adhuc, audiatis.

EXPLANATIO.

QVID DE RELIQVIS.] Antonius armis Senatûs libertatem oppreſſerat, & ita omnes aditus obſepiebat, vt niſi, quos ipſe vellet, ad Senatum venire non poſſent: eam ob rem Orator dicendi libertatem pollicetur, nec ſe periculo deterreri ait dummodo liceat ad Senatum accedere.

IN HVNC LOCVM.] In cellam Concordiæ. ibi enim habitam fuiſſe hanc orationem liquet ex Philipp. 5. §. 19.

ATQVE VTINAM.] Calendis Sextilibus Senatum coëgerat Antonius, cúmque res quaſdam Reip. pernicioſas proponeret, cæteri Conſulares metu perterriti non reſtiterunt: vnus Luc. Piſo, qui ſocer fuerat Cæſaris, magna dicendi libertate dixit ſententiam Reip. ſalutarem, grauiter inſectans tyrannidem Antonij: nihil tamen profecit, quia cæteri non auſi ſunt eius libertatem imitari: hoc eſt igitur quod queritur Orator, & præ cæteris carpit Conſulares, quia cùm præ cæteris dignitate eminerent, debebãt præ cæteris ad Reip. ſalutem excubare.

VNVS MODO CONSVLARIS.] Luc. Piſo.

HOMINES AMPLISSIMIS.] Conſulares tum erant L. Piſo, Seruius Sulpicius, Luc. Cæſar, C. Marcellus, Fuſius Calenus, Seruilius Iſauricus, P. Vatinius. Horum pleroſque reprehendit: quorundam tamen ſilentio ignoſcit, vt Luc. Cæſaris, qui cùm eſſet auunculus Antonij, potuit conſanguinitatem ſilentio ſuo prætexere.

ALIVM ALIA DE CAVSSA.] Innuit obliquè quoſdam eſſe qui Antonio conniueant, quod etiam ipſi publicæ libertatis opprimendæ & inuadendæ tyrannidis ſtudio teneantur.

NOTÆ.

1. LOCO CONSVLARI.] Aduerte non omnes fuiſſe conſulares qui ſententiam loco conſulari dicebant. Quibuſdam enim honoris & præmij cauſſa conceſſum, vt ſententiam dicerẽt loco vel conſulari, vel prætorio, quamuis aut conſules aut prætores non fuiſſent. Vide Vatinianam 16. *Tertium ſcis ex illo obſeſſo atque afflicto tribunatu, conſularem auctoritatem hominem adoleſcentem eſſe conſecutum.* Pro Cornelio Balbo 57. *Obiectum eſt etiam quod in tribum Cruſtuminam peruenerit: quod hic aſſecutus eſt legis de ambitu præmio minùs inuidioſo, quàm qui legum præmiis prætoriam ſententiam & prætextam togam conſequuntur.* Philippica 5. § 46. Cenſet Senatuſconſultum his verbis eſſe concipiendum, *Senatui placere C. Cæſarem C. F. Pontificem, Proprætorem, Senatorem eſſe, ſententiámque loco Prætorio dicere.* Imò S. C. factum eſſe tradit Appianus 3. de bellis ciuilibus. vt poſſet τὴν γνώμην ἐσφέρειν ἐν τοῖς ὑπατικοῖς ἤδη. *iam tum dicere ſententiam inter Conſulares.* & C. Carbonem M. Cottæ accuſatorem, τιμαῖς ὑπατικαῖς, καίπερ δεδημαρχηκότα μόνον ἐσέμνυναν. *Honoribus Conſularibus, etſi duntaxat fuerat Tribunusplebis, affecerunt.*

Locus Conſularis & Prætorius dicendæ ſententiæ.

FACERE DEBERENT.] Simile eſt illud Arrhiani lib. 2. diſſert. Epict. cap. 7. ἡ γυνὴ καλῶς εἶπεν ἡ πέμψαι θέλουσα τῇ Γρατίλλῃ ἐξωρισμένῃ τὸ πλεῖον τῶν ἐπιμηνίων, κατὰ τὸν εἰπόντα ὅτι ἀφαιρήσεται αὐτὰ Δομιτιανός. μᾶλλον θέλω, φησὶν, ἵν' ἐκεῖνος αὐτ' ἀφέληται, ἢ ἐγὼ μὴ πέμψω. *Benè illa mulier mittere volens Gratillæ exulanti quod reſiduum erat menſtruæ penſionis, ei qui dixerat. atqui auferet iſta Domitianus, malo, inquit, vt ille auferat, quàm vt ego non omittam.* Nec etiam alienum fuerit huc referre Heluidij Priſci conſtantiam, qui vt Piſo in dicenda ſententia, non conſiderabat, quid efficere poſſet, ſed quid facere deberet, vt narrat idem Arrhianus lib. 1. diſſert. cap. 2. & narrationem ita concludit. Τί οὖν ὠφέλησε Πείσκος εἷς ὤν; τί δ' ὠφελεῖ ἡ πορφύρα τὸ ἱμάτιον; τί γὰρ ἄλλο ἢ διαπρέπει, ἐν αὐτῷ ὡς πορφύρα; καὶ τοῖς ἄλλοις δὲ καλὸν παράδειγμα ἔκκειται. *Quid igitur Priſcus profecit cùm vnus eſſet? quid proficit purpura veſtimento? quid enim aliud, quàm ſplendet in ſeipſo vt purpura, & aliis honeſtum eſt exemplum?*

AXIOMATA.

Licet & ſemper licebit dignitatem tueri, mortem contemnere.

Non ideò tribuuntur honores, vt in altiſſimo gradu dignitatis locati Remp. pro nihilo habeamus.

Non ſemper quid efficere poſſimus cogitandum, ſed quid ipſi facere debeamus.

Sententia. Acta Cæſaris eſſe ſeruanda.

- Non ſolùm priuata, quæ
  - chirographis & commentariolis vno Antonio auctore prolatis contineri dicuntur. 16.
  - & diligenter ſeruantur ab Antonio. 24.
    - ab exilio reducti.
    - ciuitas data populis vniuerſis.
    - immunitates multis conceſſæ.
- ſed etiam publica, quæ
  - propriè legibus continentur, vt probatur
    - exemplis actorum
      - Gracchi.
      - Sullæ.
      - Pompeij. 18.
    - ipſius Cæſaris ſenſu. 18.
  - & euertuntur ab Antonio, legibus
    - contrariis, vt
      - de tempore obtinendarum prouinciarum. 19.
      - de tertia decuria Iudicum. 20.
        - ex iis qui quocunq; modo ordinem duxerint.
        - vel fuerint manipulares in legione Alaudarum.
      - de prouocatione. 21. 22. quæ lex
        - & gratiam nullam habet, quia
          - nec vllus eſt reus de vi.
          - nec videtur futurus.
        - & turpitudinem habet annexam,
          - quæ tollit duas quæſtiones Reipub. ſalutares
            - de vi.
            - de maieſtate. 22.
          - & fauet ſeditioſis. 22.
        - & leges Cæſaris iudiciarias euertit. 23
    - & latis
      - per vim. 25.
      - contra auſpicia. 25. 26.

ARGVMENTVM.

Dicit ſuam ſententiam: Nimirum acta Cæſaris eſſe ſeruanda. Deinde docet acta Cæſaris legibus potiùs quàm chirographis & commentariolis contineri.

PRIMVM igitur acta Cæſaris ſeruanda cenſeo: non quo probem: quis enim id quidem poteſt? ſed quia rationem habendam maximè arbitror pacis, atque otij. Vellem adeſſet Antonius, modo ſine aduocatis: ſed, vt opinor, licet ei minùs valere: quod mihi heri per illum non licebat. doceret me vel potiùs vos, P. C. quemadmodum ipſe Cæſaris acta defenderet. An in commentariolis, & chirographis, & libellis ſe vno auctore prolatis: ne prolatis quidem, ſed tantummodò dictis. acta Cæſaris firma erunt: quæ ille in æs incidit, in quo populi iuſſa, perpetuáſque leges eſſe voluit, pro nihilo habebuntur? XVI.

Equidem ſic exiſtimo, nihil tam eſſe in actis Cæſaris, quàm leges Cæſaris. an, ſi cui quid ille promiſit, id erit fixum? quod idem non facere potuit, vt multis multa promiſſa non fecit. quæ tamen multò plura reperta ſunt illo mortuo, quàm viuo beneficia per omnes annos tributa, & data: ſed ea non muto, non moueo, ſummo etiam ſtudio præclara illius acta defendo. pecunia vtinam ad Opis maneret, cruenta illa quidem: ſed his temporibus, cùm iis, quorum eſt, non redditur, neceſſaria. quamquam ea quoque ſit effuſa, ſi ita in actis fuit. XVII.

Ecquid eſt, quod tam propriè dici poſſit actum eius, qui togatus in Repub. cum poteſtate, imperióque verſatus ſit, quàm lex? quære acta Gracchi: leges Semproniæ proferentur. quære Sullæ, Corneliæ. quid? Cn. Pompeij tertius conſulatus in quibus actis conſiſtit? nempe in legibus. à Cæſare ipſo ſi quæreres, quidnam egiſſet in vrbe & in toga: leges multas reſponderet ſe & præclaras tuliſſe: chirographa verò aut mutaret, aut non daret: aut ſi dediſſet, non iſta res in actis ſuis duceret. Sed ea ipſa concedo: quibuſdam in rebus etiam conniueo: in maximis verò rebus, id eſt, legibus, acta Cæſaris diſſolui, ferendum non puto. XVIII.

EXPLANATIO.

16. PRIMVM.] Poſt necem Cæſaris relatum eſt ad Senatum de reſcindendis actis Cæſaris: & multi quidem nihil eorum quæ Cæſar egiſſet ratum habendum eſſe cenſebant. Quia tamen multis primariis ciuibus prouincias, magiſtratus, alia beneficia conceſſerat, verendúmque fuit ne reſciſſis huiuſmodi actis noua belli ciuilis occaſio naſceretur, viſum eſt Reip. rationibus expedire, vt Cæſaris acta ſeruarentur, iíque magiſtratus & prouincias obtinerent quibus Cæſar eas conceſſerat. Calpurnia Cæſaris coniux audita mariti nece, eius libellos & chirographa cum magna pecuniæ vi detulit ad Antonium, verita ne coniurati in bona Cæſaris inuolarent, eáque fiſco addicerent, & Antonius Faberium Cæſaris amanuenſem ad ſe pellexit, qui Cæſaris ſyngraphas & commentarios adulteraret ipſius arbitratu. Et ita nomine Cæſaris aliis alia donauit, vectigales prouincias liberauit, immunitates diuiſit, exules reuocauit, omnem denique lacerauit Remp. vnum Cæſaris nomen ſingulis facinoribus prætexens, quaſi Cæſar, dum viueret, ea facere decreuiſſet, & in ſuos commentarios retuliſſet, vt tradunt Dio, Plutarchus, Appianus. Hoc igitur eſt quod Cicero reprehendit, huiuſmodi ſyngraphas acta Cæſaris vocari & ſeruari, leges à Cæſare perlatas contrariis legibus ab Antonio violari.

NON QVO EA PROBEM.] Imò quaſdam Cæſaris leges maximè probat, vt §. 19. legem de prouinciis. Verùm etſi rem ipſam probet, non probat tamen legis auctorem, quippe qui non legitimus erat magiſtratus, ſed Remp. tyrannicè inuaſerat.

VELLEM ADESSET ANTONIVS.] Vellem Senatui intereſſet. Videtur autem eſſe verbum iudiciale. *adeſſe* enim dicitur reus, cùm vadimonio ſe ſiſtit.

MODO SINE ADVOCATIS.] Ea tamen conditione vellem adeſſe Antonium, vt nullos ſecum milites adduceret, qui ſuam illi præſentiã & auxilium commodarent, vt fieri ſolet in iudiciis, cùm partibus litigantibus præſentiam ſuam commodant aduocati.

SED VT OPINOR.] Licet ei excuſatione vti valetudinis, quo minùs ad Senatum acce-

dat, qua excuſatione mihi vti per illum heſterno die non licebat. Cùm enim ad illum miſiſſem me non poſſe Senatui intereſſe, quòd languerem de via, ille Senatu audiente dixit ſe domum meam venturum eſſe cum fabris ad eam diruendam.

AN IN COMMENTARIOLIS.] In minutis ſchedulis, ſiue ephemeridibus ad ſeruandam memoriam ſcriptis, & manuſcriptionibus Cæſaris acta vim & auctoritatem obtinebunt, nihili fient autem ea quæ Cæſar in tabulas æneas iuſſit inſculpi, tanquam leges populi Romani ſuffragio receptas & comprobatas. Ait inuidioſè *populi iuſſa perpetuáſque leges eſſe voluit.* quòd videlicet populum non tam rogaret, quàm ad recipiendas leges iuſſu compelleret.

17. AN SI CVI.] An ſi quid Cæſar alicui promiſit, id erit fixum neceſſarióque ſeruandum, quòd ne ipſe quidem Cæſar, dum viueret, ſeruare potuit. Tam multis enim tam multa promiſit, vt ſeruare non potuerit omnia quæ promiſerat. Alij legunt, non *Quod idem facere non potuit*, ſed *quod idem non facere potuit.* Quaſi dicat, Ipſe Cæſar, ſi viueret, non ſeruaſſet omnia ſua promiſſa, potuiſſétque nõ facere promiſſum, vt multis multa promiſſa non fecit. Quare igitur nos poſt Cæſaris necem, eius omnia promiſſa faciemus?

QVÆ TAMEN.] Innuit Cæſaris libellos adulteratos fuiſſe à M. Antonio, quia poſt Cæſaris necem multo plura promiſſa, eius nomine prolata ſunt, quàm ille viuus per triennium, quo rerum potitus eſt, beneficia tribuiſſet.

SED EA NON MVTO.] Siue vera ſint, ſiue falſa, quæ nomine Cæſaris ab Antonio proferuntur, ea ſeruanda eſſe cenſeo pacis & concordiæ cauſsâ. Vnum eſt tamen quod mihi in his præcipuum inurit dolorem: videlicet ingens illa pecunia ex ærario deprompta, & horum actorum prætextu variis largitionibus diſſipata.

PECVNIAM VTINAM.] Philipp. 2. §. 78. *Vbi eſt ſepties millies ſeſtertium, quod in tabulis, quæ ſunt ad Opu, patebat? funeſtæ illius quidem pecuniæ, ſed tamen, ſi iis, quorum erat, non redderetur, quæ nos à tributis poſſet vindicare. Tu autem quadringenties ſeſtertiũ, quod Idibus Martiis debuiſti, quonam modo ante Calendas Apriles debere deſiiſti?*

OPIS.] Ærarium fuit in æde Opis & Saturni. Cruentam vocat illam pecuniam, quaſi vi, & non ſine multorum ſanguine extortam.

QVANQVAM EA.] Non queror eam pecuniam eſſe Antonij largitionibus effuſam atque diſſipatam, ſi in commentariolis & chirographis ſcriptum fuit vt effunderetur.

18. ECQVID EST.] Probat exemplis leges propriè actorum nomine contineri. Res eſt perſpicua. dictæ leges Semproniæ à Sempronio Graccho, Corneliæ à Cornelio Sulla. Solebant enim leges non à prænomine aut cognomine, ſed ab ipſo nomine nuncupari. Quanquam vt aliàs oſtendimus, quoties tria fuerunt vocabula, primum proprium fuit perſonæ, ſecundum gentis, tertium familiæ.

NOTÆ.

I. PACIS.] Boni Senatoris eſſe paci & ciuium concordiæ prouidere, iam oſtendimus de prouinciis Conſularibus §. 37. *Fungitur officio boni Senatoris.* Vide etiam pro Sextio 98. *Quid eſt igitur propoſitum his Reip. gubernatoribus quod intueri, & quò curſum ſuum dirigere debeant? id quod eſt præſtantiſſimum, maximéque optabile omnibus ſanis, & bonis, & beatis: CVM DIGNITATE OTIVM.*

Boni Senatoris eſt cauere concordiæ.

SINE ADVOCATIS.] Monui hanc vocem à iudiciis eſſe tranſlatam. Vide Cœlianam 10. *Cauſſam de pecuniis repetundis Catilina dixit: mecum eras hic: illi ne aduocatus quidem venit vnquam.* Qua verò occaſione militare præſidium ſibi comparauerit Antonius, etiam ex Senatus auctoritate, dicemus in Philippicam ſecundam §. 14. *Arma ipſe ceperis.* II.

CHIROGRAPHIS.] Quid inter chirographum & ſyngraphã interſit, videbimus ex Aſconio 2. Philipp. §. 80. III.

IN ÆS INCIDIT.] In æs incidebantur leges, fœdera, Senatuſconſulta. Vnde 1. Metamorphoſeos. IV.

Aurea prima ſata eſt ætas, quæ vindice nullo,
Sponte ſua, ſine lege fidem rectúmque colebat.
Pœna metúſque aberant, nec verba minantia fixo
Ære ligabantur, nec ſupplex turba timebat
Iudicis ora ſui, ſed erant ſine iudice tuti.

Leges & fœdera in æs inciſa.

3. in Catilinam §. 19. *Et ſimulacra Deorum immortalium depulſa ſunt, & ſtatuæ veterum hominum deiecta, & legum æra liquefacta.* Et leges duodecim tabularum *in æs inciſas* fuiſſe ſcribit Liuius. Halicarnaſſeus στήλαις χαλκαῖς ἐγχαράξαντες αὐτούς. *Cùm eas in columnas æreas incidiſſent.* Iterum: εἰς δώδεκα χαλκοῦς πίνακας, *in tabulas æreas duodecim*, &c. Fœdus cum Latinis ictum, *In columna ænea poſt Roſtra inciſum atque perſcriptum* fuiſſe ſcribit Orator pro Cornelio 54. De S.C. res etiam nota eſt: Sed obiter illud notandum ex Dionyſio Halicarn. libro 3. Χαλκαῖ γὰρ στῆλαι οὔπω τότε ἦσαν, ἀλλ᾽ ἐν δρυΐναις ἐχαράττοντο σανίσιν οἵ τε νόμοι, καὶ αἱ περὶ τῶν ἱερῶν διαγραφαί. μετὰ δὲ τὴν ἐκβολὴν τῶν βασιλέων εἰς ἀναφορὰν δημοσίαν αὖθις ἤχθησαν ὑπ᾽ ἀνδρὸς ἱεροφάντου Γαΐου Παπιρίου, &c. *Nondum enim* (ſub Numa & Anco Marcio) *in vſu erant columnæ æreæ; ſed in quernis tabulis incidebantur tam leges, quàm ſacrorum ritus: quæ tabulæ poſt exactos Reges rurſum in publicum vſum reuocatæ ſunt per ſummum Pontificem C. Papyrium.*

Initio etiam in tabulas quernas.

AD OPIS.] Vide Philipp. §. 28. *Maximo te ære alieno ad ædem Opis liberaſti.* Porrò in æde Opis & Saturni fuit ærarium: de quo plura diximus in Piſonem §. 37. *ærarium exhauſeras.* V.

HIS TEMPORIBVS.] Quantæ his temporibus fuerint anguſtiæ ærarij, liquet è Dione lib. 46. Ἐπειδὴ δὲ πολλῶν χρημάτων ἐς τὸν πόλεμον ἐδέοντο, πάντες τὸ πέμπτον καὶ εἰκοστὸν τῆς ὑπαρχούσης σφισὶν οὐσίας ἐπέδωκαν· οἱ δὲ δὴ βουλευταὶ καὶ τέσσαρας ὀβολοὺς καθ᾽ ἑκάστην κεραμίδα τῶν ἐν τῇ πόλει οἰκιῶν, ὅσας ἢ αὐτοὶ ἐκέκτηντο, ἢ ἄλλων οὔσας ᾤκουν. *Cùm autem multis pecuniis ad bellum gerendum indigerent, omnes quintam & vigeſimam bonorum ſuorum partem contribuerunt: Senatores autem etiam quatuor obolos in ſingulas tegulas ædium, quas vel ipſi in Vrbe poſſidebant, vel alienas habitabant.* Τοσαύτη γὰρ ἀχρηματία τὸ δημόσιον τότε εἶχεν, ὥστε μηδὲ τὰς πανηγύρεις, τὰς ἐν τῷ καιρῷ ἐκείνῳ ὀφειλούσας γενέσθαι, ἐπιτελεσθῆναι, ἔξω βραχέων τινῶν ὁσίας ἕνεκα. *Tanta enim tum temporis erant ærarij anguſtiæ,* VI.

Anguſtiæ ærarij quando maximæ.

vt ne

vt ne publicas quidem ſolemnitates quæ in id tempus inciderant, celebrarint paucis quibuſdam exceptis, religionis cauſſa. Et paulò poſt Triumuiri publicè propoſuerunt nomina mille & quadringentarum mulierum ditiorum, quæ bona ſua profiterentur, & in ſumptus belli contra Brutum & Caſſium gerendi conferrent, Triumuirorum arbitratu. Et paulò pòſt, vt ſcribit Appianus lib. 5. ciuilium. Χρημάτων οὐκ ὄντων, προυτέθη διάγραμμα ἐσφέρειν, ἐπὶ μὲν τοῖς θεράπουσι τοὺς κεκτημένους ὑπὲρ ἑκάστου τὸ ἥμισυ τῶν πέντε, καὶ εἴκοσι δραχμῶν ὡρισμένων ἐς τὸν πόλεμον τὸν Κασσίου καὶ Βρούτου, ἐσφέρειν δὲ καὶ μοῖραν τοὺς ἐκ διαθήκης τι καρπουμένους. *Cùm pecuniæ ad bellum* cum Sexto Pompeio gerendum, *non ſuppeterent, propoſitum eſt edictum, vt qui ſeruos haberent pro ſingulis medium aurei in bellum Bruto Caßióque inferendum impoſiti, conferrent: item vt qui hereditatem aliquam adiiſſent, aliquam eius partem contribuerent.* vnde & orta ſeditio popularis.

VII. LEGES SEMPRONIÆ.] Variæ fuerunt leges Semproniæ à Tiberio & Caio Sempronîis Gracchis latæ, vt Agraria, Frumentaria, Iudiciaria. de quibus Epitome, Plutarchus in Gracchis, Appianus 1. ciuilium, Cicero paſſim.

CORNELIÆ.] Vt omittam alias leges Cornelias, *Cornelius Sulla*, inquit Pomponius D. de origine iuris, *quæſtiones publicas conſtituit, veluti de falſo, de parricidio, de ſicariis, de iniuriis,* &c. VIII.

CN. POMPEII.] Pompeius inito tertio Conſulatu, vt ſcribit Pedianus, *Poſt diem tertium de legibus nouis ferendis retulit. Duas ex S.C. promulgauit. Alteram de vi, qua nominatim cædem in Appia via factam, & incendium Curiæ, & domum M. Lepidi Interregis oppugnatam comprehendit, alteram de ambitu, pœnam grauiorem, & formam iudiciorum breuiorem.* Atque haud ſcio an ea ſit lex, quam vocat Appianus περὶ δωροδοκίας καὶ δικασμοῦ. IX.

AXIOMATA.

Ratio maximè habenda pacis, atque otii.

Nihil eſt quod tam propriè dici poſſit actum eius, qui togatus in Rep. cum poteſtate imperióque verſatus ſit, quàm lex.

ARGVMENTVM.

Demonſtrat leges, quæ propriè acta Cæſaris dici debuerunt, ab Antonio contrariis legibus euerti. & nunc quidem agit de lege Iulia, quæ obtinendis prouinciis tempus limitabat, deinde de legibus iudiciariis.

QVÆ lex melior, vtilior, optima etiam Repub. ſæpiùs flagitata, quàm ne Prætoriæ prouinciæ plus quàm annum, néve plus quàm biennium Conſulares obtinerentur? Hac lege ſublata, videntúrne vobis acta Cæſaris ſeruari? quid? ea lege, quæ promulgata eſt de tertia decuria, nónne omnes iudiciariæ leges Cæſaris diſſoluuntur? & vos acta Cæſaris defenditis, qui leges eius euertitis? niſi fortè, ſi quid memoriæ cauſſa retulit in libellum, id numerabitur in actis, & quamuis iniquum & inutile ſit, defendetur: quod ad populum centuriatis comitiis tulit, id in actis Cæſaris non habebitur. XIX.

At, quæ eſt iſta tertia decuria? Centurionum, inquit. quid? iſti ordini iudicatus lege Iulia, etiam ante Pompeiâ, Aurelia non patebat? Cenſus præfiniebatur, inquit, non Centurioni quidem ſolùm, ſed equiti etiam Romano. itaque viri fortiſſimi atque honeſtiſſimi, qui ordines duxerunt, res & iudicant, & iudicauerunt. Non quæro, inquit, iſtos: quicumque ordinem duxit, iudicet. At ſi feratis. Quicumque equo meruiſſet, quod eſt laudatius, nemini probaretis. In iudice enim ſpectari & fortuna debet, & dignitas. Non quæro, inquit, iſta: addo etiam iudices manipulares ex legione Alaudarum. aliter enim noſtri negant poſſe ſe ſaluos eſſe. O contumelioſum honorem iis, quos ad iudicandum nec opinantes vocatis. hic enim eſt legis iudex, vt ij res in tertia decuria iudicent, qui liberè iudicare non audeant. in quo quantus eſt error, dij immortales, eorum, qui iſtam legem excogitauerint? vt enim quiſque ſordidiſsimus videbitur, ita libentiſsimè ſeueritate iudicandi ſordes ſuas eluet: laborabítque, vt honeſtis decuriis potiùs dignus videatur, quàm in turpem iure coniectus. XX.

EXPLANATIO.

19. QVÆ LEX.] Nullum certum tempus erat obtinendis prouinciis conſtitutum, ſed alij per triennium, alij per quinquennium, alij per vnum duntaxat annum eas obtinebant. Cæſar ipſe ſub initia belli ciuilis, cùm iuſſus eſt à Senatu exercitum dimittere, iam annum nonum agebat in prouincia. quo temporis ſpatio vires ſuas ita ſtabiliuit, vt patriæ bellum intulerit, dominationem inuaſerit, & plus potuerit quàm vniuerſa Reſp. Quare factus dictator, metuēs in aliis quod in ſe ipſo fuerat expertus, legem tulit, *Ne Prætoriæ prouinciæ pluſquàm annum, ne pluſquam biennium Conſulares obtinerentur.* Antonius ſubmiſit duos Tribunosplebis, qui hanc legem optimam & vtiliſſimam Reip. duabus contrariis legibus abrogarent. Philipp. 5. §. 7. *Tribuniplebis tulerunt de prouinciis contra acta Cæſaris, ille bienny, hic ſexenny.* Id eſt, opinor, legem tulerunt vt prouinciæ prætoriæ biennium, Conſulares ſexennium poſſent obtineri, contrà ac definitum fuerat lege Iulia de prouinciis.

QVID EA LEGE.] Iudices Cæſar in claſſes duas, ſiue decurias deſcripſerat: Tertiam Iudicum decuriam adiecit Antonius ex iis qui ordines duxiſſent, & manipularibus militibus legionis Alaudarum collectam, qua adiectione Cæſaris legem euertit.

NISI FORTE.] Niſi fortè ſi quid Cæſar retulit in commentariolum, ſiue vt vulgò dicimus, in memoriale, ne illius obliuiſceretur, id debet inter Cæſaris acta numerari, non numerabuntur autem leges quæ comitiis Centuriatis à Cæſare perlatæ, & populi ſuffragio comprobatæ ſunt.

20. AT QVÆ EST.] Hanc Antonij legem ex eo reprehendit, quod antiquis legibus addiderit aliud nihil, quàm vt in iudicibus legendis tolleret omne diſcrimen & fortunæ & dignitatis. Iam enim legibus Pompeia & Aurelia in iudices eligi poterant qui ordines duxiſſent, & qui equo publico meruiſſent, ſi adeſſet fortuna, ſiue cenſus conueniens, & ſplendor quidam & dignitas virtutibus rebúſque præclarè geſtis comparata. At Antonius hoc diſcrimen auferebat, ſanciens vt quicunque centurio fuiſſet, quacunque tandem fortuna aut vitæ ſplendore vel obſcuritate vteretur, is poſſet in iudicum album referri. Neque ſolùm centurionibus quibuſuis aditum patêre voluit ad iudicum collegium, ſed etiam militibus manipularibus & gregariis qui in legione Alaudarum meruiſſent.

QVID? ISTI ORDINI.] Nónne ante legem Antoniam in Iudices ſeligebantur Centuriones ex lege Iulia, Pompeia, Aurelia?

CENSVS PRÆF.] Reſpondet Antonius. Fateor iam antè ex illis legibus in Iudices fuiſſe ſelectos qui ordinem duxiſſent: tamen eſt aliqua diuerſitas inter veteres illas leges, & hanc recentem Antoniam. quia veteribus illis legibus definiebatur, quantum quiſque deberet habere in cenſu adhoc vt Iudex eligeretur. hac autē poſteriore lege Iudices eliguntur quicunque ordines duxerint, aut equo meruerint, nulla cenſus habita ratione.

ALAVDARVM] Nomen eſt legionis veteranorum nobiliſſimæ, quæ & in Galliis multa meruit ſtipendia, & à vocabulo etiam Gallico nomen accepit.

ALITER ENIM.] Reſpondet Antonius, niſi ex centurionibus & manipularibus Alaudarum inſtituatur tertia iudicum decuria, & iudices inopia & egeſtate perditi meorum familiarium cauſſas diſceptent, certum eſt eos damnatum iri, & eam ob cauſſam tertiam hanc decuriam adieci, quæ meos familiares abſolueret.

O CONTVMELIOSVM.] Reſpondet Orator per exclamationem, docétque iis ipſis contumeliam inferri, qui in tertiam iudicum decuriam alleguntur, eo veluti elogio quod liberè iudicare non audeant, & damnare ſceleratos.

LEGIS INDEX.] Titulus & quaſi rubrica ſiue inſcriptio.

IN QVO QVANTVS.] Valde ſpe ſua fruſtrati ſunt Antonij familiares, qui ſcelerum ſuorum conſcientia preſſi, metuentéſque iudicium auctores fuerunt Antonio, vt hanc tertiam iudicum decuriam reliquis duabus adiungeret, rati tam impuris ſordidíſque iudicibus fore vt iudiciorum laqueos euaderent. Vt enim quiſque ſordidiſſimus erit, ita ſeueriſſimus erit in iudicando, ratus ſe hac ratione eluere poſſe contumeliam, qua in tertiam iudicum decuriam reiectus eſt lege Antonij.

NOTÆ.

PROVINCIÆ.] De prouinciis tum Prætoriis, tum Conſularibus, vide dicta orat. de prouinciis Conſular. I.

TERTIA DECVRIA.] Iulius Cæſar, vt ſcribit Tranquillus in Iulio cap. 41. *Iudicia ad duo genera iudicum redegit, equeſtris ordinis ac Senatory: Tribunos ærarios, quod erat tertium, ſuſtulit.* Antonius tertiam decuriam adiecit, non quidem ex tribunis ærariis, ſed ex iis qui quocunque modo ordines duxiſſent, aut etiam manipulares fuiſſent in legione Alaudarum. vt conſtat ex iſto loco. Poſteà D. Auguſtus, vt ſcribit idem Tranquillus cap. 32. *Ad tres iudicum decurias quartam addixit.* vbi vide Caſaubonum. Caius etiam Caligula, *vt leuior labor iudicantibus foret, ad quatuor priores quintam decuriam addidit.* Idem Tranquillus cap. 16. vide Cornel. Vitellium cap. 20. II. Decuriæ Iudicum.

CENTVRIATIS.] Varia fuerunt comitia, tributa, curiata, centuriata. Vide Piſonianam §. 11. Nota 4. III.

CENTVRIONVM.] De Centurionibus aliiſq; ordinum ductoribus egimus pro Milone §. 3. Nota 1. in Piſonem, & alibi. Sed præcipuè Lipſius libro 3. de Militia Romana dialogo 8. conſulatur. IV.

POMPEIA, AVRELIA.] Pompeia lex iudiciaria lata à Cn. Pompeio tertiùm Conſule, Aurelia item iudiciaria lata ab L. Aurelio Cotta, de qua Velleius lib. 2. *Cotta iudicandi munus, quod C. Gracchus ademptum Senatoribus ad Equites, Sulla ab illis ad Senatum tranſtulerant, æqualiter inter vtrumque ordinem partitus eſt.* V.

FORTISSIMI ATQVE HONESTISSIMI.] Quid ſit honeſtas dictum pro Sextio §. 109. & potiſſimùm oratione de Prouinc. Conſularibus ad illa verba §. vndecimæ. *Non ſolùm bona, ſed etiam honeſtatem deperdiderunt.* VI.

VII. EQVO MERVISSET.] De equo publico & priuato non attinet plura dicere, quod Iuſtus Lipſius libro primo de Militia Romana, dialogo 5. totam hanc difficultatem exhauſerit, ad quem te remitto, & ad Valtrinum noſtrum libris de re militari Rom. tantum aduerte hunc locum intelligendum videri de iis qui equo publico meruiſſent, neque enim videtur laudatius equo priuato merere, quàm ordines ducere.

Equus publicus & priuatus.

VIII. QVOD EST LAVDATIVS?] Quid igitur? laudatius equo merere, quàm ordines ducere? Ita videtur: nam primipili centurio, qui & primus centurio, & dux legionis vocabatur, & LIX. reliquis centurionibus aquilæque præerat, præmij loco ſolebat ad dignitatem equeſtrem promoueri. Martialis,

Laudatius equo merere, quàm ordines ducere.

Soſpite me ſoſpes latias reuehêris ad vrbes,
Et referes pili prælia clarus eques.

Ouidius 3. Amorum, eleg. 7. de æmulo ſuo in amore.

Ecce recens diues parto per vulnera cenſu,
Præfertur nobis ſanguine factus eques.

Item:

Læua manus cui nunc ſerum malè conuenit aurū
Scuta tulit.

Oſtendit equitem ab inſigni & æmulo aureo. denique clariſſimè ad primum pilum hæc refert cum indignatiuncula.

Diſcite qui ſapitis non hæc, quæ ſcimus inertes,
Sed trepidas acies & fera bella ſequi.
Próque bono verſu primum deducite pilum.

Hæc Lipſius libro 2. de Militia Romana, dialogo 8. & dialogo ſequenti, *equites pari penè loco & dignitate cum tribunis* militum fuiſſe teſtatur.

IX. IN IVDICE.] De his pauca pro Sextio §. 2. Not. 3. Adde Senecam lib. 3. de Beneficiis cap. 8. *Non poteſt ad hæc ſumi iudex ex turba ſelectorum, quem cenſus in album, & equeſtris hereditas miſit.* & Plautum Rudenſe ſc. *Exi.*

-dato
De Senatu Cyrenenſi quemuis opulentum arbitrum.

MANIPVLARES.] Subſignanos milites intelligit qui erant in manipulis, ad diſtinctionem velitum qui proprios manipulos non habebant. vide Lipſium libro 2. de Militia Romana, dialogo 2. X.

EX LEGIONE ALAVDARVM.] Quot milites legio contineret, dictum pro Milone § 3. N. 1. De Alaudis ita Suetonius in Iulio cap. 24. *Ad legiones quas à Repub. acceperat, aliàs priuato ſumptu addidit: vnam etiam ex Tranſalpinis conſcriptam, vocabulo quoque Gallico (Alauda enim appellabatur) quam diſciplina cultúque Romano inſtitutam & ornatam, poſtea vniuerſam ciuitate donauit.* Vbi Caſaubonus aduertit eam legionem nouam, galearum criſtis inſignem militari laſciuia fuiſſe Alaudam de auis nomine, ſicut Plinius tradit, appellatam, ſicut Cares olim eandem ob cauſſam galli gallinacei ſunt vocitati. Plutarchus in Artaxerxe: Τοὺς Κᾶρας ἀλεκτρυόνας οἱ Πέρσαι διὰ τοὺς λόφους, οἷς κοσμοῦσι τὰ κράνη, προσαγορευον. *Caras gallos gallinaceos propter criſtas quibus ornant galeas, appellabant Perſæ.* Sed vide Caſaubonum loco citato, & Plinium libro 11. cap. 37. XI.

AXIOMATA.

In iudice & fortuna ſpectari debet, & dignitas.
Laborandum vt honeſto loco potiùs digni videamur, quàm in turpem iure conjecti.

ARGVMENTVM.

Inuehitur in legem Antoniam de prouocatione, oſtendítque ea leges Cæſaris iudiciarias euerti.

ALTERA promulgata lex eſt, vt & de vi, & de maieſtate damnati, ad populum prouocent, ſi velint. hæc vtrum tandem lex eſt, an legum omnium diſſolutio? quis eſt hodie, cuius interſit iſtam legem manere? nemo reus eſt legibus illis: nemo eſt, quem futurum putemus. armis enim geſta, nunquam profectò in iudicium vocabuntur. At res popularis. vtinam quidem velletis aliquid eſſe populare. omnes enim iam ciues de Reipub. ſalute, vna & mente, & voce conſentiunt. Quæ eſt igitur iſta cupiditas legis eius ferendæ quæ turpitudinem ſummam habeat, gratiam nullam? quid enim turpius, quàm qui maieſtatem populi Romani per vim minuerit, eum damnatum iudicio, ad eam ipſam vim reuerti, propter quam ſit iure damnatus? XXI.

Sed quid plura de lege diſputo? quaſi verò id agatur, vt quiſquam prouocet. id agitur, id fertur, ne quis omninò vnquam iſtis legibus reus fiat. Quis enim aut accuſator tam amens reperietur, qui reo condemnato obiici ſe multitudini conductæ velit? aut iudex, qui reum damnare audeat, vt ipſe ad operas mercenarias ſtatim protrahatur? Non igitur prouocatio iſta lege datur: ſed duæ maximè, ſalutares leges, XXII.

quæſtionéſque tolluntur. Quid eſt igitur aliud, quàm adhortari adoleſcentes, vt turbulenti, vt ſeditioſi, vt pernicioſi ciues velint eſſe? quàm autem ad peſtem furor tribunitius impelli non poterit, his duabus quæſtionibus de vi & de maieſtate ſublatis?

Quid, quòd obrogatur his legibus Cæſaris, quæ iubent ei, qui de XXIII. vi, itémque ei, qui maieſtatis damnatus ſit, aqua & igni interdici? quibus, cùm prouocatio datur, nónne acta Cæſaris reſcinduntur? Quæ quidem ego, P.C. qui illa nunquam probaui, ita conſeruanda concordiæ cauſſa arbitratus ſum, vt non modò, quas viuus Cæſar leges tuliſſet, infirmandas hoc tempore non putarem, ſed ne illas quidem, quas poſt mortem Cæſaris prolatas eſſe, & fixas videtis.

EXPLANATIO.

21. ALTERA.] Altera lex Antonij de iudiciis, quæ quod perſpicua ſit in Cicerone, maiorem explanationem non deſiderat.

AT RES POPVLARIS.] Dices, Antoni, te eam legem promulgaſſe, quòd ea lex ſit valde popularis. Quid enim magis populare, quàm dari prouocationem ad populum, itaut populus poſſit res iudicatas reſcindere, & iudicum ſententiâ damnatos ſua auctoritate abſoluere?

VTINAM.] Vtinam Antonius vellet aliquid eſſe populare, & populi Romani voluntati obſequeretur, cùm enim omnes ciues de Reip. ſalute vna & mente & voce conſentiant, ipſe ſi ſe ad populi Romani voluntatem accommodaret, vellet etiam ſaluam eſſe Remp.

TVRPITVDINEM.] Quia reliquas leges diſſoluit.

GRATIAM NVLLAM.] Quia nullus reus eſt, vel de maieſtate, vel de vi, in cuius gratiam iſta lex feratur.

QVID ENIM TVRPIVS.] Quid turpius quàm vt is qui ob ſeditiones in Rep. concitatas damnatus fuerit, iudicum ſententia ad populum appellet, & huius prouocationis occaſione nouis ſeditionibus, infima multitudine largitionibus corrupta, vexet Remp.?

22. SED QVID.] Oſtendit illius legis turpitudinem, ex eo quòd hac lege duæ quæſtiones de vi & de maieſtate maximi momenti de ciuitate tollantur hoc ſyllogiſmo.

Turpis eſt lex quæ duas quæſtiones magni momenti euertit.

Sed lex Antonia de prouocatione quæſtiones de maieſtate & de vi euertit.

Ergo turpis eſt lex Antonia.

Perſpicua eſt propoſitio: aſſumptio his verbis contenta. *Id agitur, id fertur ne quis omninò vnquam reus his legibus fiat.* Item illis: *duæ maximè ſalutares leges quæſtionéſque tolluntur,* hæc, inquam, aſſumptio ita probatur.

Hac lege poſita nemo audebit quemquam vel accuſare, vel iudicare.

Ergo hac lege tolluntur quæſtiones.

MVLTITVDINI CONDVCTÆ.] Mercede corruptæ.

QVID EST ALIVD.] E duobus aliis incommodis ſecuturis inuehitur in legem Antoniam. alterum eſt quod adoleſcentes videntes quæſtiones de vi & de maieſtate eſſe ſublatas facilè futuri ſint ſeditioſi & turbulenti. Alterum quòd Tribuni plebis harum quæſtionum metu ſoluti facilè vexaturi ſint Remp.

23. QVID QVOD ABROGATVR.] Aliud incommodum, hac lege acta Cæſaris reſcindi, eiúſque leges abrogari, quæ locum non habebunt, ſi damnati de vi & maieſtate poterunt ad populum prouocare. Leges enim Cæſaris damnatis de vi & de maieſtate exilium irrogabant, at lex Antonia iis prouocationem dabat.

QVI ILLA NVNQVAM PROBAVI.] Cui nunquam Cæſaris acta placuerunt, nõ quod rem ipſam in pleriſque legibus Cæſaris non probarem, ſed quod auctor legum publicæ libertatis oppreſſor mihi diſpliceret.

NOTÆ.

DE VI.] Pro Cœlio 70. *De vi quæritis, quæ lex ad imperium, ad maieſtatem, ad ſtatum patriæ, ad ſalutem omnium pertinet: quam legem Q. Catulus armata diſſenſione ciuium Reip. penè extremis temporibus tulit: quæque lex ſedata illa flamma conſulatus mei fumantis reliquias coniurationis extinxit.* Dicta lex Plautia à Q. Plautio Tribuno plebis, quem Q. Catulus in ea lege ferenda ſibi ſocium adſciuit. Ea lex autem, vt dicitur §. 1. Cœlianæ: *De ſeditioſis conſceleratíſque ciuibus, qui armati Senatum obſederint, magiſtratibus vim attulerint, Remp. oppugnarint, quotidie quæri iubebat.* I.

DE MAIESTATE.] Quid ſit *maieſtas* expoſuimus pro Cœlio 70. qui lege de maieſtate teneantur, videri poteſt ex verbis Vlpiani D. *Ad legem Iuliam maieſtatis.* Quod ſpectat ad prouocationem, iam antè lege Valeria conceſſam fuiſſe, conſtat eo ipſo anno, quo eiectis Tarquiniis in libertatem aſſerta eſt Reſpub. Liuius libro 2. *Ante omnes de prouocatione aduerſus magiſtratus ad populum ſacrandóque cum bonis capite eius, qui regni occupandi conſiliis iniiſſet, grata in vulgus leges fuere.* De qua lege Dionyſius Halicarnaſſeus lib. 5. antiquitatis Romanæ. II.

Ἕτερον δὲ, ἐν ᾧ γέγραπται ἐάν τις ἄρχων Ῥωμαίων τινὰ ἀποκτείνῃ, ἢ μαστιγοῦν, ἢ ζημιοῦν εἰς χρήματα θέλῃ, ἐξεῖναι τῷ ἰδιώτῃ προκαλεῖσθαι τὴν ἀρχὴν ἐπὶ τὴν τοῦ δήμου κρίσιν, πάσχειν δ᾽ ἐν τῷ μεταξὺ χρόνῳ μηδὲν ὑπὸ τῆς ἀρχῆς, ἕως ἂν ὁ δῆμος ὑπὲρ αὐτοῦ ψηφίσηται. *Alteram verò legem tulit Valerius Poplicola, in qua ſcriptum eſt, ſi quis magiſtratus quempiam ciuem Romanum, aut morte, aut virgis, aut*

Leges de prouocatione.

pecunia multare voluerit, priuato ligare magiſtratum, ad populi iudicium prouocare, neque magiſtratui interim fas eſſe pœnas ab eo exigere quoad populus de eo tuliſſet ſuffragium. Hanc prouocationem videntur Decemuiri duodecim tabulis ſuſtuliſſe: Liuius libro 3. Appius accuſante Virginio, *Arreptus à viatore. Prouoco, inquit. Audita vox vna vindex libertatis ex eo miſſa ore, quo vindiciæ nuper ab libertate dictæ erant, ſilentium fecit. Et dum pro ſe quiſque Deos tandem eſſe, & non negligere humana fremunt: & ſuperbiæ crudelitatique etſi ſeras, non leues tamen venire pœnas: prouocare. qui prouocationem ſuſtuliſſet*, &c. Quam prouocationem Valerius, qui eo ipſo anno quo Decemuiri magiſtratum abdicarunt, reſtituit: & quinquageſimo pòſt anno *M. Valerius Conſul*, vt ſcribit idem Liuius libro 10. *de prouocatione legem tulit diligentiùs ſanctam. Tertiò ea tum poſt Reges exactos, lata eſt ſemper à familia eadem. Porcia tamen lex ſola pro tergo ciuium lata videtur: quòd graui pœna, ſi quis verberaſſet, necaſſétve ciuem Romanum, ſanxit. Valeria lex, cùm eum qui prouocaſſet virgis cædi, ſecuríque necari vetuiſſet: ſi quis aduerſus ea feciſſet, nihil vltrà quàm improbè factum adiecit: id (qui tum pudor hominum erat) viſum credo vinculum ſatis validum legis: nunc vix ſeruo ita minetur quiſquam.* Quid eſt igitur, quod Orator in Antonio reprehendit eam legem, vt damnati de vi & de maieſtate poſſent, ſi vellent, ad populi iudicium prouocare? Dicerem prouocationem à L. Sulla à populi rationibus alieno fuiſſe ſublatam, vt Tribunitia poteſtas ab eodem eſt diminuta, niſi multis poſt Sullam annis C. Rabirius perduellionis damnatus à duumuiris ad populum prouocaſſet. Noſter pro eodem §. 12. *Hic popularis à duumuiris iniuſſu veſtro non iudicari de ciue Romano, ſed indicta cauſſa ciuem Romanum capitis condemnari coëgit.* Tranquillus in Iulio cap. 12. *Subornauit etiam qui C. Rabirio perduellionis diem diceret*, &c. *ac ſorte iudex in reum ductus, tam cupidè condemnauit, vt ad populum prouocanti nihil æquè ac iudicis acerbitas profuerit.* Quare arbitror Iulium ipſum Cæſarem rerum potitum damnatis de vi & de maieſtate prouocationem ad populum ſuſtuliſſe: niſi velimus id factum fuiſſe lege Pompeia, inſtituta de cæde Clodij & de Curiæ incendio noua quæſtione, qua multi tum de maieſtate, tum de vi damnati ad populum non prouocarunt.

AXIOMATA.

Armis geſta in iudicium vocari facilè non debent.

Nihil turpius quàm qui maieſtatem populi per vim minuerit, eum damnatum iudicio ad eam ipſam vim reuerti, propter quam ſit iure damnatus.

ARGVMENTVM.

Docet ridiculum eſſe eos qui Cæſaris acta defendunt, & ſeruanda putant, Cæſaris leges non defendere.

DE exilio reducti à mortuo: ciuitas data non ſolùm ſingulis, ſed etiam nationibus & prouinciis vniuerſis à mortuo: immunitatibus infinitis ſublata vectigalia à mortuo. Ergo hæc, vno, verùm optimo auctore, domo prolata defendimus: eas leges, quas ipſe vobis inſpectantibus recitauit, pronuntiauit, tulit, quibus latis gloriabatur, iíſque legibus Remp. contineri putabat. de Prouinciis, de Iudiciis, eas, inquam, Cæſaris leges nos, qui defendimus acta Cæſaris; euertendas putamus? XXIV.

EXPLANATIO.

DE EXILIO REDVCTI.] Sextus Clodius, & alij exules ſunt ab exilio reuocati nomine Cæſaris mortui, quaſi viuus Cæſar eos ab exilio reducere voluiſſet.

CIVITAS DATA.] Vt Siculis vniuerſis. libro 14. ad Atticarum epiſt. 12. *Ecce autem Antonius accepta grandi pecunia fixit legem à Dictatore comitiis latam, qua Siculi ciues Romani, cuius rei viuo illo mentio nulla.* quem locum fuſiùs referemus & explicabimus 2. Philipp. §. 78.

IMMVNITATIBVS.] 2. Philipp. §. 81. *At quàm cæca auaritia eſt? nuper fixa tabula eſt qua ciuitates locupletiſſimæ Cretenſium vectigalibus liberantur, ſtatuitúrque ne poſt M. Brutum Proconſulem ſit Creta prouincia.* Quod ſpectat ad repetitionem eiuſdem vocis in fine toties inculcatam, exempla quædam referemus 2. Philipp. §. 44.

ERGO HÆC.] Hæc eſſe Cæſaris acta credemus & ſeruabimus cùm ea ſolus Antonius domo protulerit, ſolúſque teſtetur Cæſarem illa, dum viueret, animo deſtinaſſe, & in commentariolos ſuos retuliſſe. Vocat optimum virum per ironiam, cùm ſignificare velit auariſſimum & fallaciſſimum.

VERVM OPTIMO.] Aliàs *viro optimo.*

DE PROVINCIIS.] De limitando tempore, quo prouinciæ obtinerentur.

NOTÆ.

A MORTVO.] Inde dicti Orcini, ſiue Charonitæ. Plutarchus in Antonio. παρεγγράφων οἷς ἐβούλετο, πολλοὺς μὲν ἄρχοντας ἀπεδείκνυε, πολλοὺς δὲ βουλευτάς, ἐνίους δὲ καὶ κατῆγε πεφυγαδευμένους, καὶ κατειργμένους ἔλυσεν, ὡς δὴ ταῦτα τῷ Καίσαρι δόξαντα. διὰ τούτους ἅπαντας ἐπισκώπτοντες, Χαρωνίτας ἐκάλουν. *Interſerens quos ei viſum eſt, multos magiſtratus dedit, multos in Senatum allegit, aliquos etiam reduxit exules, & cuſtodias ſoluit, tanquam ea decreuiſſet Cæſar.* I. Charonitæ.

Vnde omnes populus Rom. per ludibrium Charonitas appellabat. ἐλεγχόμενοι γὰρ, εἰς τοὺς τοῦ νεκροῦ κατέφευγον ὑπομνηματισμούς. *Cùm enim arguebantur, ad mortui confugiebant commentarios.* Eandem ob
Orcini. cauſſam à I. C. Orcini liberti appellantur, qui teſtamento manumiſſi ſunt, quaſi teſtatoris ad Orcùm demiſſi liberti. D. de legit. tutor. l. 3. & alibi frequenter. vide Schardium Lexico iuris ex Briſſonio.

II. CIVITAS DATA.] Quid ſit ciuitas, exponimus pro Sextio 91. & alibi. datam autem nonnunquam fuiſſe ciuitatem gentibus vniuerſis conſtat ex *lege Julia, qua lege ciuitas eſt Sociis & Latinis data.* pro Cornelio Balbo 21.

A MORTVO.] Talis eſt illa repetitio Sapphus poëtriæ apud Hephæſtionem. III.

Ολβιε γαμβρὲ, σοὶ μὲν δὴ γάμος, ὡς ἄραο
Εκτέτελες. ἔχεις δὲ παρθένον, ἂν ἄραο.
Felix gener, tibi nuptiæ vt optaſti
Confectæ ſunt: habéſque puellam, quam optaſti.

ARGVMENTVM.

Antonius poſt mortem Cæſaris quaſdam leges promulgauit, quaſi Cæſar dum viuebat eas ferre animo deſtinaſſet: aliàs ne promulgauit quidem, ſed eas ſeruandas propoſuit. quaſi Cæſar eas tuliſſet: & tum interceßiones tribunorum, tum auſpicia neglexit: & hoc eſt de quo maxime queritur Orator.

XXV. AT de iis tamen legibus, quæ promulgatæ ſunt, ſaltem queri poſſumus: de iis, quæ iam perlatæ dicuntur, ne illud quidem licuit. illæ enim nulla promulgatione latæ ſunt ante quàm ſcriptæ. Quærunt quid ſit, cur aut ego, aut quiſquam veſtrûm, P. C. bonis Tribunis plebis leges malas metuat. paratos habemus qui intercedant, paratos qui Rempub. religione defendant. vacui metu eſſe debemus. Quas tu mihi interceſſiones, inquis? quas religiones? eas ſcilicet, quibus Reipub. ſalus continetur. Negligimus iſta, & nimis antiqua, & ſtulta ducimus. forum ſepietur: omnes claudentur aditus: armati in præſidiis multis in locis collocabuntur.

XXVI. Quid tum? quod erit ita geſtum, id lex erit, & in æs incidi videbitis, cedo illa legitima. *Conſules populum iure rogauerunt.* hóc enim à maioribus accepimus ius rogandi? *populúſque iure ſciuit.* qui populus? íſne qui excluſus eſt? quo iure? an eo, quod vi, & armis omne ſublatum eſt? Atque hæc dico de futuris, quod eſt amicorum, ante dicere ea, quæ vitari poſſint: quæ ſi facta non erunt, refelletur oratio mea. Loquor de legibus promulgatis, de quibus eſt integrum vobis: demonſtro vitia, tollite. denuntio. vim, arma: remouete.

EXPLANATIO.

AT DE IIS.] Ita quidem Reip. libertatem oppreſſit Antonius, vt impedire non poſſimus, quo minùs leges Cæſaris nomine promulgatæ ferantur: tamen de iis queri poſſumus, cùm quid in illis contineatur compertum habeamus: At verò de illis legibus, quas à Cæſare viuente perlatas fuiſſe mentitus eſt, ne queri quidem potuimus, cùm eæ recipiendæ fuerint, priuſquam intelligeremus quid continerent. illæ enim ſine vlla promulgatione populo Romano impoſitæ ſunt, ante quàm ſcriptæ eſſent.

QVÆRVNT QVID SIT.] Quærunt nonnulli quid ſit, cur cùm tam boni Tribuni plebis ſint in Repub. nos qui Remp. ſaluam eſſe volumus, malas leges Antonij metuamus: cùm enim Tribuni plebis ament Remp. ſuis interceſſionibus & obnuntiationibus, poterunt impedire quo minùs malæ leges perferantur.

QVAS TV MIHI.] Per dialogiſmum inducit Antonium irridentem eos, qui vel interceſſionibus, vel obnuntiationibus Tribunorum plebis volebant malas leges impedire.

QVAS RELIGIONES?] Quæ auſpicia, quæ religioſè ſeruabantur à maioribus noſtris. Suſtuli è textu verbum, *nominas*, cum Gruttero & Ferrario, Palatinis codicibus.

EAS SCILICET.] Reſponſio ad interrogationem Antonij. Dicit autem Reip. ſalutem his interceſſionibus & religionibus contineri, quia obſtabatur legum multitudini, quibus reſp. facilè peſſundatur.

NEGLIGIMVS ISTA.] Loquitur Antonius.

FORVM SEPIETVR.] Philipp. 5. §. 9. *Primùm omnes fori aditus ita ſunt ſepti, vt etiamſi nemo obſtaret armatus, tamen niſi ſeptis reuulſis introiri in forum nullo modo poſſet. Sic verò erant diſpoſita præſidia, vt quomodo aditus hoſtium prohibetur caſtellis & aggeribus, ita ab ingreßione fori populum Tribunóſque plebis propulſari videres.*

IN ÆS INCIDI VIDEBITIS.] Grutterus edidit, *videbitis*, & ſecutus ſum, inquit, Guillelmium, qui iſtud repererat in fragmento Colonienſi, atque libro S. Victoris: neque aliter Palatinus ſecundus: vulgo erat, *iubebitis.* Minùs rectè: non enim Senatus id iuſſurus erat, neque

expectaturus Antonius iuſſum Senatus, quod ipſum omninò produnt & præcedentia, & ſequentia.

Cedo illa.] Et hoc loco malui ſequi Muretum quàm vulgatam lectionem, quæ ſic habebat: *Credo, illa legitima* Consvles popvlvm ivre rogavervnt. *hoccine à maioribus accepimus ius rogandi?*

Isne qvi exclvsvs est.] Iſne populus eam legem ſciuit, & ſuffragio ſuo comprobauit, qui ſeptis & militum preſidiis ſic excluſus eſt, vt non potuerit ad forum accedere.

Atqve ego.] Videtur eſſe quædam veluti conceſſio. Non eſt, Antoni, quòd mihi iraſcaris: non enim reprehendo præterita: non accuſo te quòd hactenus auſpicia & interceſſiones neglexeris, quòd leges quæ iam perlatæ ſunt, tuleris per vim, & foro militibus occupato. Hæc, inquam, præterita non reprehendo, ne tibi videar inimicus, ſi quod factum eſt, & infectum eſſe nequit, obiecerim: ſed loquor de futuris, vt obuiam eatur: in quo non modò non ſum tibi inimicus, ſed etiam fungor amici officio, prædicens ea quæ vitari poſſunt. Loquor de legibus iam promulgatis quidem, ſed nondum perlatis, de quibus eſt integrum vobis: Tu enim & Dolabella poteſtis populum iure rogare, ſi intercedetur aut obnuntiabitur, interceſſionibus & auſpiciis parêre, nullam populo Romano vim adhibere. Demonſtro periculum eſſe ne vitio ferantur eæ leges, neglectis auſpiciis & religionibus: vos tollite vitium, & tum auſpiciis, tum interceſſionibus parete: denuntio futurũ vt diſpoſitis in foro militibus populo Romano vis inferatur: vos arma remouete: Id ſi feceritis, refelletur oratio mea, dicóque in vanum timuiſſe, aut cùm non timerem inuidioſè finxiſſe. Videſne è duabus lectionibus, *quod eſt amicorum*, & *quod eſt augurum* poſteriorem anteferre.

NOTÆ.

I. Latæ svnt ante qvam scriptæ.] Philipp. 5 §. 7. *Tribunipleblis tulerunt de prouinciis contra acta Cæſaris, ille bienni, iſte ſexennij. Num etiam hanc legem populus Rom. accepit? Quid? promulgata fuit? quid? nónne antè lata, quàm ſcripta? nónne antè factum vidimus, quàm futurum quiſquam eſt ſuſpicatus? vbi lex Cecilia & Didia? vbi promulgatio trinundinum? vbi pœnæ recenti lege Iunia & Licinia?*

II. Saltem.] Vide Milonianam §. 6. Nota 5.

III. Intercessiones.] Vide Sextianam 77. *Ex pertinacia aut conſtantia interceſſoris oritur ſæpe ſeditio.* Milonianam 14. *Reliqua auctoritas Senatus empta interceſſione ſublata eſt.* Secundam Philipp. 42. *Interceſſio neglecta, ius tribunitium, &c.*

Religiones.] De auſpiciis vide Milonianam 44. *Ad illa auguſta centuriarum auſpicia veniebat.* De auſpiciorum religione Piſonianam 11. *Buſtum legum omnium ac religionum.* Cur autem auſpiciorum religionibus & Tribunorum plebis interceſſionibus dicat ſalutem Reip. contineri, id cauſſæ eſſe puto quòd legum multitudinem prohibebant, vnde & in Piſonem 9. lex Ælia & Fuſia *propugnacula muríque tranquillitatis atque otij* nominantur. Legum autem multitudine & nouitate turbas in Rep. concitari diximus in Sextianam 55. ad illa verba, *legum multitudinem.* & in Piſonianam 9. *Centum prope annos legem Æliam & Fuſiam tenueramus.* IV.

Nimis antiqva et stvlta.] Frequenter iſta coniungũt, vt Seneca de beneficiis lib. 16. c. 16. *Infrunita & antiqua eſt quæ neſcit matrimonium vocari vnius adulterium.* Socrates Ariſtophanicus in nebulis: Καὶ πῶς ὦ μωρὲ σὺ, καὶ Κρονίων ὄζων, καὶ βεκκεσέληνε. In quem locum interpres Κρονίων ὄζων, Saturnalia redolens, ἤγουν ἀρχαϊκῆς εὐηθείας ὀδωδώς. *quaſi antiquam ſimplicitatem redolens.* Et poſt idẽ Comicus: Οὐχὶ διδάξεις τοῦτον Κρόνος ὤν; *Non hunc docebis Saturnus exiſtens.* quod interpretatur idem Scholiaſtes, ἀρχαῖος, λῆρος. redditque rationem cur antiqui & ſtulti βεκκοσέληνοι nominentur. Ægyptij ſe mortalium vetuſtiſſimos eſſe credebant. ἤκουσε καὶ ἔγνω ὁ βασιλεὺς ὅτι ἀρχαιότεροι ἦσαν οἱ Παφλαγόνες. *Audiuit & agnouit Rex vetuſtiores eſſe Paphlagonas.* nam cùm duos infantulos mutis nutricibus duabus alendos tradidiſſet, illi vocem bec primam omnium ediderunt. Παρ' αὐτοῖς γὰρ ὁ ἄρτος βὲκ λέγεται. apud *Paphlagonas autem panis bec nominatur.* Vnde creditam hanc eſſe antiquiſſimam gentem, quippe quæ ſuas voces non ex hominum inſtituto, ſed ex ipſius naturæ fontibus hauſiſſet. Συνθέτως δ' εἶπε τὴν λέξιν βεκκεσέληνε. ἐπεὶ καὶ οἱ Ἀρκάδες προσέληνοι ἐλέγοντο. *Per compoſitionem autem beccejelni vocem vſurpat, quia Arcades Proſeleni,* id eſt antelunares, dicebantur. Statius, V. Antiquum & ſtultum.

-Lunæque priores Arcades.

Naſo, *Arcades & luna gens erat illa prior.*

Rurſum Ariſtophanes rem ſtolidam & ſimplicem ita deſcribit.

Ἀρχαῖα γ' καὶ Διιπολιώδη, καὶ τεττίγων ἀνάμεστα.

Rogavervnt.] Vide Milonianam 37. *multam irrogarat.* VI.

Qvo ivre? an eo qvod vi, &c.] De oppoſitione vis & iuris vide Sextianam 92. *Atque inter hanc vitam perpolitam humanitate, & illam immanem nihil tam intereſt quàm ius atque vis.* VII.

AXIOMA.

Ius vi & armis tollitur.

Peroratio tribus partibus continetur.

- Deprecatione iracundiæ. 27. 28.
  - à Dolabella.
  - ab Antonio, promiſſione lenitatis ex parte ſua
    - liberè de Rep. dicet.
    - in mores Antonij non inuehetur per contumeliam: qui ſi nihilominùs iraſcetur
      - ciuiliter: Cicero feret amici naturam.
      - grauiter: Cicero ſibi cauebit.
- Hortatione
  - oſtenſione erroris in quem lapſi ſunt: cùm hactenus peccarint,
    - non quidem ob pecuniam, vt quidam nimis creduli ſuſpicantur.
    - ſed ob gloriam, quam per ſummum errorem putauerunt conſiſtere
      - in potentia, & terrore ciuium potiùs,
      - quàm in ciuium charitate.
  - à fructu, quem vterque iam perceperat, ex rebus præclarè geſtis
    - Dolabella cùm
      - forum expiauit.
      - auctores ſeditionis ſupplicio affecit.
    - Antonius
      - quo die vocauit Senatum in ædem Telluris
      - ſequentibus diebus.
  - exemplo
    - maiorum Antonij qui charitatem ciuium tyrannicæ potentiæ prætulerunt.
    - Cæſaris, qui ob neglectam ciuium charitatem occiſus eſt.
- Pollicitatione officij. 38.

PERORATIO.

ARGVMENTVM.

Iracundiam Antonij & Dolabellæ deprecatur, profitetúrque ſe ita dicturum eſſe de Republica, vt tamen in mores Antonij per contumeliam nihil dicat.

IRASCI te quidem mihi, Dolabella, pro Repub. dicenti non oportebit. XXVII.
quamquam quidem te id facturum non arbitror: noui facilitatem tuam. Collegam tuum aiunt in hac ſua fortuna, quæ bona ipſi videtur: mihi, ne grauius quippiam dicam, auorum, & auunculi ſui conſulatum ſi imitaretur, fortunatior videretur: ſed eum iracundum audio factum. Video autem quàm ſit odioſum habere iratum eundem, & armatum, cùm tanta præſertim gladiorum ſit impunitas: ſed proponam ius, vt opinor, æquum, quod M. Antonium non arbitror repudiaturum. Ego, ſi quid in vitam eius, aut in mores cum contumelia dixero, quo minùs mihi inimiciſſimus ſit, non recuſabo. ſi conſuetudinem meam, quam ſemper in Repub. habui, tenuero, id eſt, ſi liberè, quæ ſentiam, de Rep. dixero: primùm deprecor ne iraſcatur: deinde, ſi hoc non impetro, peto, vt ſic iraſcatur, vt ciui. armis vtatur, ſi ita neceſſe eſt, vt dicit, ſui defendendi cauſſa, iis qui pro Rep. quæ ipſis viſa erunt, dixerint, iſta arma ne noceant. Quid hac poſtulatione dici poteſt æquius?

Quod ſi, vt à quibuſdam mihi eius familiaribus dictum eſt, omnis eum, XXVIII.
quæ habetur contra voluntatem eius oratio, grauiter offendit, etiamſi nulla ineſt contumelia: feremus amici naturam. ſed iidem illi ita mecum. Non idem tibi aduerſario Cæſaris licebit, quod Piſoni ſocero. & ſimul admonent quiddam, quod cauebimus: nec erit iuſtior P.C. in Senatum non veniendi morbi cauſſa, quàm mortis.

EXPLANATIO.

COLLEGAM TVVM.] M. Antonium collegam tuum in conſulatu, aiunt iracundum eſſe factum ex quo Conſul factus eſt, vel potiùs ex quo poſt necem Cæſaris ſucceſſit in eius dominatum, & nactus eſt occaſionem habendi circa ſe præſidium militare. Aduerte verò ἀνακολουθίας orationis. *Collegam tuam aiunt, &c. ſed eum audio iracundum eſſe factum.*

NE GRAVIVS QVIPPIAM DICAM.] Ne dicam illum eſſe miſerrimum, qui per ſcelus opprimit Reip. libertatem, & ſatius eſſe in crucem agi, quàm ad tyrannidem peruenire.

AVORVM.] M. Antonij Oratori, qui Conſul fuit cum A. Poſtumio Albino anno Vrbis 654. aui paterni. Quis autem maternus auus fuerit, quærendum. Mater Antonij fuit è Cæſarum familia. Cæſares duo Conſules fuerunt tempore belli Italici, Sext. Iulius Cæſar cum L. Marcio Philippo, & L. Iulius Cæſar cum P. Rutilio Lupo, Sextus anno Vrbis 662. Luc. anno proximè ſequenti, vt in re dubia, nec vllis quod ſciam teſtata veterum monumentis, faciliùs crediderim, Luc. Cæſarem auunculum & Iuliam matrem Antonij, Lucij Iulij Cæſaris liberos fuiſſe, quòd plerumque liberi patrum ſuorum prænomina retinerent.

AVVNCVLI.] Lucij Cæſaris qui cum C. Marcio Figulo Conſul fuit anno 689. id eſt proximè ante Ciceronem. Nullam C. Antonij, qui Antonij patruus fuit, facit mentionem, quia is ex conſulatu damnatus eſt. Quæ ſequuntur pleraque ſunt perſpicua.

DEINDE SI HOC.] Si non impetro ab Antonio, vt mihi pro Rep. liberè quæ ſentiam dicenti non iraſcatur, peto vt iis armis non vtatur ad me interficiendum, quæ ad ſui corporis cuſtodiam accepiſſe ſe dicit.

SED IIDEM.] Familiares Antonij ita mecum loquuntur. Non eſt quòd tibi perſuadeas, M. Tulli, te impunè laturum ſi liberè animi tui ſenſus exprompſeris, conqueſtuſque fueris de Repub. ex eo quod L. Piſo Calendis Sextilibus impunè de Antonio conqueſtus eſt: Non enim tibi (qui bello ciuili ſecutus es Pompeium contra Cæſarem) idem licebit quod Piſoni qui Cæſaris ſocer fuit. Sic, inquam, mecum loquuntur Antonij familiares, ſimúlque admonent vt caueam, ne ſi liberiùs locutus fuero, mihi nex inferatur. Quod cauebimus, & ſi propter morbum licet abeſſe à Senatu, non minùs ob mortis periculum, domi me continebo.

NOTÆ.

I. **F**ACILITATEM.] Hanc vocem Terentius libenter vſurpat, vt Hecyra actu 5. ſc. 1.

Facilem beneuolúmque lingua tua tam tibi me reddidit.

Facilitas. Adelphis actu 5. ſc. 4.

---Re ipſa repperi.

Facilitate nihil homini eſſe melius, neque clementia.

Vbi Donatus. *Inter facilitatem & clementiam hoc intereſt: facilis enim, cuius ira citò ſoluitur: clemens qui non iraſcitur.* & alibi frequenter.

II. IRATVM EVNDEM ET ARMATVM.] Hoc mihi reuocat in memoriam dictum Fauorini, de quo Spartianus in Hadriano. *Et Fauorinus quidem, cùm verbum eius quoddam ab Hadriano reprehenſum eſſet, atque ille ceßiſſet, arguentibus amicis quòd malè cederet Hadriano de verbo, quod idonei auctores vſurpaſſent, riſum iucundißimum mouit, ait enim; Non rectè ſuadetis, familiares, qui non patimini me illum doctiorem omnibus credere, qui habet triginta legiones.*

III. SVI DEFENDENDI CAVSSA.] Hoc prætextu præſidium à Senatu impetrauit, vt ſecunda Philipp. dicemus ad illa §. 14. *arma ipſe ceperis.* Sic Piſiſtratus tyrannidem occupaturus, τρωματίσας ἑωυτὸν, *cùm ſe vulneraſſet*, inquit Herodotus lib. 1. ἐδέετο τοῦ δήμου φυλακῆς τινος πρὸς αὐτοῦ κυρῆσαι. *Populum rogabat, vt aliquod præſidium obtineret.* Et ſtipatores quos impetrauerat, συνεπαναστάντες ἅμα Πεισιστράτῳ ἔσχον τὴν ἀκρόπολιν. *Simul inſurgentes cum Piſiſtrato arcem occuparunt.* Sic & Dionyſius, vt ſcribit Polyanus lib. 5. ſtratag. ὡς ἐπιβουλευόμενος, *tanquam inſidiis appetitus*, φυλακὴν τοῦ σώματος αἰτήσας, καὶ παρὰ τοῦ δήμου λαβών, τύραννος ἐγένετο Συρακουσίων μέγιστος. *Præſidium corporis à populo petiit: quod cùm impetraſſet, Tyrannus Syracuſanorum maximus euaſit.*

POSTVLATIONE.] Commodè. Donatus in Andriam. *Petimus precariò, poſcimus imperioſè, poſtulamus iure.* Agrætius: *Poſtulatur aliquid honeſtè, poſcitur improbè.* IV. Poſtulatio.

CONTVMELIA.] Ὕβρις. quid ſit autem ὑβρίζειν definit Ariſtoteles lib. 2. Rhet. cap. 2. Ἔστι γὰρ ὕβρις τὸ πράττειν καὶ λέγειν, ἐφ' οἷς αἰσχύνη ἐστὶ τῷ πάσχοντι, μὴ ἵνα τι γένηται αὐτῷ τῷ δρῶντι, ἀλλ' ὅπως ἡσθῇ. οἱ γὰρ ἀντιποιοῦντες οὐχ ὑβρίζουσιν, ἀλλὰ τιμωροῦνται. *Eſt enim contumelia facere & ea dicere, quæ pudorem afferunt patienti, non vt qui contumeliam facit aliquid conſequatur, ſed vt percipiat voluptatem. Etenim referentes non faciunt contumeliam, ſed vlciſcuntur.* Vides δρᾶν & ἀντιποιεῖν in contumelia: quem loquendi modum vſurparat Antonius, vt eius verba 3. Philipp. §. 21. referuntur. *Nulla eſt contumelia quam facit dignus, nec timor quem denuntiat inimicus.* Quod etſi reprehenditur à Tullio, *Quid eſt porrò facere contumeliam? quis ſic loquitur?* Habet tamen magnos auctores. vt Plautum Aſinaria actu 2. ſc. 4. V. Contumelia.

Tu contumeliam alteri facias, tibi non dicatur?

Terentius Eunucho actu 5. ſc. 2.

---Non te dignum, Charea,
Feciſti. Nam ſi ego digna hac contumelia
Sim maximè: at tu indignus qui faceres tamen.

AXIOMATA.

Odioſum eſt habere iratum eundem & armatum.
Ferenda amicorum natura.

ARGVMENTVM.

Amicè monet Dolabellam, & ex fructu rerum geſtarum ad meliorem frugem hortatur.

XXIX. **S**ED per deos immortales, te enim intuens, Dolabella, qui es mihi chariſſimus, non poſſum de vtriuſque veſtrûm errore reticere. Credo enim vos homines nobiles, magna quædam ſpectantes, non pecuniam, vt quidam nimis crudeli ſuſpicantur, quæ ſemper ab ampliſsimo quoque, clariſſimóque contempta eſt, non opes violentas, & populo Rom. minimè ferendam potentiam, ſed charitatem ciuium, & gloriam concupiſſe. eſt autem gloria, laus rectè factorum, magnorúmque in Rempublicam meritorum, quæ cùm optimi cuiuſque, tum etiam multitudinis teſtimonio comprobetur.

XXX. Dicere, Dolabella, qui rectè factorum fructus eſſet, niſi te præter ceteros paulisper eſſe expertum viderem. Quem potes recordari in vita tibi illuxiſſe diem lætiorem, quàm cum expiato foro, diſsipato concurſu impiorum, principibus ſceleris pœna affectis, vrbe incendio, & cædis metu liberata, te domum recepiſti? cuius ordinis, cuius generis, cuius denique fortunæ ſtudia tum laudi, & gratulationi tuæ ſe non obtulerunt? Quin mihi etiam, quo auctore, te in iis rebus vti arbitrabantur, & gratias boni viri agebant, & tuo nomine gratulabantur. Recordare quæſo, Dolabella, conſenſum illum theatri, cùm omnes earum rerum obliti propter quas tibi fuerant offenſi, ſignificarunt ſe beneficio nouo memoriam veteris doloris abieciſſe. Hanc

tu potuiſti Dolabella (magno loquor cum dolore) hanc tu, inquam, æquo animo potuiſti tantam dignitatem deponere?

EXPLANATIO.

SED PER DEOS.] Exclamatio ex intimo animi dolore erumpens. Res autem à Conſulibus contra Remp. geſtas, errori tribuit vt eas excuſet. qui cùm magna quædam ſpectarent, vt erant nobiles & generoſi, gloriámque expeterent, per præcipitia & abrupta potiùs, quàm virtutis recto tramite peruenire voluerunt.

NON OPES VIOLENTAS.] Non tyrannidem, vt fecit Cæſar.

EXPIATO FORO.] Euerſione illius execratæ columnæ, quam infima multitudo in buſto Cæſaris excitarat, & *diſſipato concurſu* illorum *impiorum* qui diuinos honores mortuo tribuebant, *principibus* & auctoribus illius *ſceleris*, ſiue factionis ea *pœna affectis*, vt liberi deiicerentur de ſaxo Tarpeio, ſerui verò in crucem agerentur, domum rediiſti.

QVIN MIHI.] Extat epiſtola Ciceronis ad Dolabellam lib. 14. ad Atticum, vbi hæc verba. *Neminem conueni, &c. quin omnes cùm te ſummis laudibus ad cœlum extulerunt, mihi continuò maximas gratias agant. Negant enim ſe dubitare, quin tu meis præceptis & conſiliis obtemperans præſtantiſſimum te ciuem & ſingularem conſulem præbeas*, &c. vide plures in hanc ſententiam.

RECORDARE.] Recordare quanto conſenſu ſpectatores qui ad theatrum conuenerant, tibi venienti applauſerint, ſuúmque erga te amorem declararint.

EARVM RERVM OBLITI.] Cornelius Dolabella triennio antè Tribunatum plebis adeptus, nouas tabulas propoſuerat, & magnas turbas in Repub. concitarat, quare apud bonos viros grauiter offenderat, vt videbitur in Notis. cuius offenſionis oblitus erat populus, & ob euerſionem columnæ nouo beneficio veterem illius maleficij memoriam abiecerat. Legit autem Grutterus *offenſi* ex 4. M.S. non *infenſi*.

HANC TV.] Adeóne tuiipſius oblitus fuiſti, vt collectam hoc facto populi gratiam & dignitatem rebus poſteà contra Rempub. geſtis effunderes.

NOTÆ.

I. Ambitio. NON PECVNIAM.] Non abſimilis locus Salluſtij bello Catilinario. *Sed primò magis ambitio, quàm auaritia animos hominum exercebat: quod tamen vitium propius virtutem erat. Nam gloriam, honorem, imperium, bonus, ignauus, æquè ſibi exoptant: ſed ille verâ viâ nititur: hic, quia bonæ artes deſunt, dolis atque fallaciis contendit.* Auaritia. *Auaritia pecuniæ ſtudium habet, quam nemo ſapiens concupiuit. Ea quaſi venenis malis imbuta, corpus animúmque virilem effœminat: ſemper infinita, inſatiabilis eſt, neque copia, neque inopia minuitur.*

II. GLORIA.] Vide dicta pro Marcello 27. *Gloria eſt illuſtris ac peruagata multorum & magnorum, vel in ſuos, vel in patriam, vel in omne genus hominum fama meritorum.*

III. TVM OPT. CVIVSQVE, TVM ET. MVLT.] Alibi notauimus *bonos* & *multos* frequenter opponi, vt apud Terentium Prologo Eunuchi.

Si quiſquam eſt qui placere ſe ſtudeat bonis,
Quàm plurimis, & minimè multos lædere
In his poëta hic nomen profitetur ſuum.

Sic etiam apud Græcos οἱ πολλοί. vt memini alicubi me notare. vide Nonium.

ILLVXISSE DIEM.] Vide Piſonianam 34. *Qui dies poſt obitum occaſúmque noſtrum Reipub. primus illuxit.* IV.

EXPIATO.] Vide Piſonianam 16. *A me quidem etiam pœnas expetiſtis, quibus coniuratorum manes mortuorum expiaretis. & 85. Tua ſcelera dij immortales in noſtros milites expiauerunt.* De re ipſa iam diximus ad §. 5. V.

EARVM RERVM OBLITI.] De his rebus fusè Dio libro 42. Summa delibo. Dolabella cùm grauiter obæratus eſſet, exemplo P. Clodij tranſiuit ad plebeios, factúſque Tribunusplebis ſtatuit nouas tabulas proponere, vt hoc pacto ſeipſum quoque nominibus expediret. Obſiſtebat eius conatibus Luc. Trebellius Tribunusplebis: hinc ſeditio grauis exorta. ταραχή τ' οὖν ἐκ τούτων πολλὴ ἐγένετο, καὶ ὅπλα πολλὰ καὶ πανταχοῦ ἑωρᾶτο. *Hinc tumultus ingens exiſtebat, armáque omnibus locis frequentia conſpiciebantur.* Gliſcente diſcordia Antonius magiſter equitum poſt pugnam Pharſalicam in Italiam remiſſus, contra vtrumque conflauit tertiam factionem, Paulò pòſt tamen adiunxit ſe Dolabellæ, deinde ab eo deſciuit, & clam fouit Trebellium. ἐκεῖνοι δ' ἐμάχοντο, καὶ τῆς τε πόλεως τὰ ἐπικαιρότατα αἰ-προκατελάμβανον, καὶ φόνους καὶ ἐμπρήσεις ἐποίουν. ὥστε καὶ τὰ ἱερά ποτε ἐκ τοῦ Ἑστιαίου ὑπὸ τῶν ἀειπαρθένων ἐκκομισθῆναι. *Illi verò pugnabant. ac loca Vrbis opportuniſſima alter alterius profligandi cauſſa occupabant. Inde cædibus ac incendiis eo modo graſſatum eſt, vt ſacra aliquando à Veſtalibus efferrentur.* Quibus incommodis permotus Senatus iterum Antonio cuſtodiam Vrbis, ídque accuratiùs quàm antè, mandauit. Cùm iam tota ferè Vrbis militibus eſſet referta, non tamen hi motus conciderunt. ὁ γὰρ Δολαβέλλας ἀπογνοὺς συγγνώμης τινὸς παρὰ τοῦ Καίσαρος τεύξεσθαι μέγα τι κακὸν ἐπεθύμει δράσας ἀπολέσθαι, ὡς καὶ ὄνομα ἐκ τούτου ἀεὶ σχήσων. ἤδη γάρ τινες, καὶ τῶν κακίστων ἔργων ἐρασταὶ ἐπὶ τῇ φήμῃ γίγνονται. *Dolabella enim deſperatione veniæ à Cæſare impetrandæ adductus id iam agebat, vt magno quodam facinore exhibito periret, ex quo ſempiternam nominis ſui memoriam relinqueret. quippe reperti ſunt nonnulli, qui famæ cupiditate peſſimas res agere animum inducerent.* Quid plura? cùm legem de nouis tabulis ferre obſtinatiùs pertenderet Antonius: τάς τε σανίδας τῶν νόμων κατέκοψε, καί τινας, καὶ μετὰ τοῦτο ταραχώδεις ἀπ' αὐτοῦ τοῦ Καπιτωλίου κατεκρήμνισεν. οὐ μέντοι καὶ ἐπαύσαντο διὰ τοῦτο στασιάζοντες, ἀλλ' ὅσῳ πλείους ἀπώλλυντο τούτων, τόσῳ μᾶλλον οἱ περιλιπεῖς ἐθορύβουν. *Tabulas legum diſcidit, nonnullóſque ne ſic quidem tumultuandi finem faciẽtes de Capitolio præcipitauit. Neque tamen ita ſeditionibus modus factus eſt: ſed quo plures ex ſeditioſis peribant, tantò plura reliqui miſcebant.* Hæc dum in Vrbe gererẽtur, ex improuiſo Cæſar acceſſit, ſeditionem ſedauit, præteritis VI. Dolabellæ ſeditiones.

ignouit, ipſum Dolabellam non ſolùm in familiaritatem recepit, ſed etiam poſteà profecturus ad bellum Parthicum, Conſulem ſuo loco deſtinauit. atque hæc illa ſunt, ob quæ optimus quiſque grauiter offenſus fuerat Dolabellæ. Omnes tamen earum rerum obliti, ſignificauerunt ſe nouo beneficio, id eſt aræ euerſione & expiatione fori, memoriam veteris doloris abiecisse.

AXIOMATA.

Pecunia ſemper ab ampliſſimo quoque, clariſſimóque contempta eſt.

Eſt gloria laus rectè factorum magnorúmque in Remp. meritorum: quæ cùm optimi cuiuſque, tum etiam multitudinis iudicio comprobatur.

Nouo beneficio memoria veteris doloris abiicitur.

ARGVMENTVM.

Ad Antoninm abſentem conuertit orationem, eique reuocat in mentem res illas, quas poſt necem C. Cæſaris geſſit pro Rep. & ſalute communi.

XXXI. TV autem, M. Antoni, abſentem appello, vnum illum diem, quo in æde Telluris Senatus fuit, non omnibus iis menſibus, quibus te quidam multùm à me diſſentientes beatum putant, anteponis? quæ fuit oratio de concordia? quanto metu veterani, quanta ſolicitudine ciuitas tum à te liberata eſt? collegam tuum depoſitis inimicitiis, oblitus auſpiciorum à te ipſo augure populi Romani nuntiatorum, illo primùm die collegam tibi eſſe voluiſti: tuus paruus filius in Capitolium à te miſſus pacis obſes fuit.

XXXII. Qvo Senatus die lætior? qui populus Romanus? qui quidem nulla in concione vnquam frequentior fuit. tum denique liberati per viros fortiſsimos videbamur: quia vt illi voluerant, libertatem pax conſequebatur. Proximo, altero, tertio, denique reliquis conſecutis diebus non intermittebas quaſi donum aliquod quotidie adferre Reipub. maximum autem illud, quod dictaturæ nomen ſuſtuliſti. hæc inuſta eſt à te, à te, inquam, mortuo Cæſari nota ad ignominiam ſempiternam. Vt enim propter vnius M. Manlij ſcelus, decreto gentis Manliæ neminem patricium M. Manlium vocari licet: ſic tu propter vnius dictatoris odium, nomen dictatoris funditus ſuſtuliſti.

XXXIII. Nvm huiuſce, cùm pro ſalute Reipub. tanta geſſiſſes, fortunæ te, num amplitudinis, num claritatis, num gloriæ pœnitebat? Vnde igitur ſubitò tanta iſta mutatio? non poſſum adduci, vt ſuſpicer te pecunia captum. licet, quod cuique libet, loquatur: credere non eſt neceſſe. nihil enim vnquam in te ſordidum, nihil humile cognoui, quanquam ſolent domeſtici deprauare nonnunquam, ſed noui firmitatem tuam: atque vtinam vt culpam, ſic etiam ſuſpicionem vitare potuiſſes. Illud magis vereor, ne ignorans verum iter gloriæ, glorioſum putes, plus te vnum poſſe, quàm omnes, & metui à ciuibus tuis, quàm diligi malis. Quod ſi ita putas, totam ignoras viam gloriæ. Charum eſſe ciuem, benè de Republ. mereri, laudari, coli, diligi, glorioſum eſt. metui verò, & in odio eſſe, inuidioſum, deteſtabile, imbecillum, caducum. Quod videmus etiam in fabula, ipſi illi, qui, *Oderint dum metuant*, dixerit, pernicioſum fuiſſe.

EXPLANATIO.

TE AVTEM.] Hactenus alloquutus ſum Dolabellam præſentem: nunc ad te M. Antoni, quamuis ad Senatum non veniſti, conuerto orationem meam.

VNVM ILLVM DIEM.] Tertio poſt necem C. Cæſaris die, Conſul Antonius Senatum in ædem Telluris conuocauit, ibíque præclarè conſuluit concordiæ ciuium.

OMNIBVS IIS MENSIBVS.] Aprili, Maio, Iunio, Quintili, Sextili quibus tu menſibus impunè lacerauiſti Remp.

QVANTO METV VETERANI.] Qui

metuebant ne iterum abriperentur in noua bella ciuilia.

Tvvm collegam.] Dolabellam. Dolabella, vt iam diximus, Tribunusplebis, legem de nouis tabulis ferens, cum Trebellio magnas turbas excitarat, & Antonius magiſter Equitum tertiam conflauerat factionem, vnde frequentes ciuium cædes exſtiterunt, & grauis inter eos ſimultas exorta eſt. Quare habenti comitia Cæſari, vt, quoniam ad bellum Parthicum proficiſcebatur, Dalabellam Conſulem ſubrogaret, obſtitit Antonius & comitiis obnuntiauit: nihilo tamen ſeciùs poſt Cæſaris necem, concordiæ publicæ cauſſa, eundem Dolabellam, quem obnuntiatione ſua vitioſum fecerat, ſibi collegam adſciuit, & filium ſuum ex Fadia Bambalionis filia ſuſceptum in Capitolium miſit, vt is eſſet obſes pacis & publicæ concordiæ, vt coniurati eo pignore accepto ſecuriùs è Capitolio deſcenderent.

Per viros fortiss.] Brutos, Caſſium & cæteros coniuratos qui Cæſari necem intulerunt.

Dictatvræ.] Cæſar interfecto Pompeio dictaturam perpetuam inuaſerat, eóque nomine ſolus vniuerſam Rempub. obtinebat. Poſt eius necem, ne quis in poſterum, magiſtratus illius prætextu tyrannidem occuparet, M. Antonius legem tulit, ne quis Dictator amplius crearetur, & vt illud nomen penitus è Rep. tolleretur. Quod Cæſaris demortui memoriæ ignominioſum fuiſſe dicit Orator.

Vnivs M. Manlii.] Qui cùm Reip. dominatum inuadere conaretur de ſaxo Tarpeio deiectus eſt, eáque notatus ignominia, vt in odium illius ſceleris, nemo de patricia Manliorum gente Marci prænomen in poſterum obtineret.

Nem. Patrit. M. Manlivm.] Delet Ferrarius *Manlium:* Guillelmius tranſponit tantùm, *Neminem patritium Manlium, Marcum vocari licet.*

Vnde igitvr.] Quærit rationem cur ita mutatus fuerit Antonius, adeóque à priſtina mente deſciuerit. Cúmque duæ potiſſimùm mutationis huius cauſſæ videri poſſint, auaritia & ambitio, ſiue potiùs ſtudium gloriæ: priorem illam cauſſam quæ abiectiorem animum oſtendit, miro artificio tractat Orator, aiens id quidem à multis iactari, veriſimile tamen id non eſſe, nec auaritiam ſordidum & abiectum vitium Antonij moribus conuenire. Poſteriorem cauſam ait ſibi credibiliorem, magíſque Antonij naturæ congruentem videri: in eo tamen illum errare dicit, quod cùm gloriæ ſtudio teneatur pro vera germanáque gloria, tyrannicam quandam poteſtatem, & fucatum gloriæ ſimulacrum, inanémque dignitatis vmbram aucupetur.

Ipsi illi.] Atreo, cui illa verba tribuuntur. vide Notas.

NOTÆ.

In æde Tellvris.] Vide initium huius orationis. De inimicitiis Antonij & Dolabellæ, de ementitis auſpiciis ab Antonio, de
II. cæteris ad hanc rem ſpectantibus ſecunda Philipp. 67. 68. 69.

Tom. II.

Pacis obses.] Quid ſit obſes dictum ad illa verba Cœlianæ 78. *Habet à M. Cœlio Reſp. indices, duas accuſationes vel obſides periculi, vel pignora voluntatis.*

III. Dictatoris nomen, vnde.

Dictatvræ nomen] Dionyſius libro 5. ὄνομα δ' αὐτῷ τίθενται Δικτάτωρα, εἴτε διὰ τὴν ἐξουσίαν τοῦ κελεύειν, καὶ διατάττειν ὅτι θέλει, τά τε δίκαια καὶ τὰ καλὰ τοῖς ἄλλοις, ὡς ἂν αὐτῷ δοκῇ. τὰ γὰρ ἐπιτάγματα, καὶ τὰς διαγραφὰς τῶν δικαίων, καὶ τῶν ἀδίκων ἔδικτα οἱ Ῥωμαῖοι καλοῦσι. εἴτε, ὥς τινες γράφουσι, διὰ τὴν τότε γινομένην ἀνάρρησιν. *Dictator appellatus, ſiue à poteſtate imperandi & edicendi quidlibet, tum aliis æqua & iuſta pro ſuo arbitrio præſcribendi: mandata enim iuſtique & iniuſti præſcriptiones edicta Romani vocant: ſiue, vt quidam malunt, quod tum à collega dictus ſit,* id eſt nominatus. Quod ad ſublatum lege Antonia nomen dictaturæ ſpectat, pauca diximus. 2. Philipp. §. 97. IV.

Marc. Manlivm.] Eadem ignominia notatus eſt ipſe M. Antonius, ſiquidem poſt pugnam Actiacam. Τήν τε ἡμέραν ἐν ᾗ ἐγεγέννητο μιαρὰν ἐνόμισαν, καὶ τὸ τοῦ Μάρκου πρόσρημα ἀπεῖπον μηδενὶ τῶν συγγενῶν αὐτοῦ εἶναι. *Dies eius natalis nefaſtus iudicatus, & edicto cautum ne quis ex ea familia Marci prænomen ferret*, inquit Dio libro 51. V.

Nihil enim vnqvam in te sordidvm.] Quam non fuerit Antonius ſordidus, ſed potiùs liberalis liquet è Plutarcho in eius vita. vnum aut alterum exemplum referemus. Iuuenis adhuc, etiamſi prætextatus decoxerat, & grande æs alienum conflauerat, tamen τῶν φίλων τινὶ μυριάδας ἐκέλευσε πέντε καὶ εἴκοσι δοθῆναι (τοῦτο Ῥωμαῖοι δέκιες καλοῦσι) τοῦ δ' ἐπιτρόπου θαυμάσαντος, καὶ ἵνα δείξῃ τὸ πλῆθος αὐτῷ, καταβαλόντος ἐν μέσῳ τὸ ἀργύρειον, ἠρώτησε παριὼν ὅ, τι δὴ τοῦτο εἴη. τοῦ δ' ἐπιτρόπου φράσαντος, ὡς ὃ κελεύσειε δοθῆναι. συμβαλὼν αὐτοῦ τὴν κακοήθειαν ὁ Ἀντώνιος, ἐγὼ πλεῖον ᾤμην, ἔφη, τὸ δέκιες εἶναι. τοῦτο δὲ μικρόν ἐστιν. ὥστε ἄλλο πρόσθες αὐτῷ τοσοῦτον. *Amico cuipiam decies HS. iuſſerat dari. obſtupeſcente diſpenſatore, &, quò ſummæ magnitudinem ei oſtenderet, argentum in medio proponente, tranſiens, quid hoc eſſet, rogauit. Vbi reſpondit diſpenſator, id quod donari iuſſerat, malignitatem eius coniiciens, Antonius, Ego verò, maiorem ſummam, inquit, eſſe decies putaui. hoc exiguum eſt. Itaque alterum tantùm adiice.* Multa alia eius liberalitatis exempla inuenire poterunt, qui magis erunt curioſi. Idem iam rerum potitus, Ἀνδρὸς Μάγνητος οἶκον ἐδωρήσατο μαγείρῳ περὶ ἕν, ὡς λέγεται, δεῖπνον εὐδοκιμήσαντι. *Hominis Magneſij domum dedit coquo, vt aiunt, quod vnius cænæ apparatu placuiſſet.* Sic Henricus VIII. Angliæ Rex coquum ad ſummos honores euexit, quod nefrendem bene coxiſſet: liberaliùs ſanè quàm Venceſlaus Rex Boëmiæ, qui coquum veru transfixum torreri iuſſit, quòd non ſatis ad ipſum palatum prandium paraſſet, vt narrat Florimondus Remondus de hæreſi lib. 4. cap. 3.

Antonij liberalitas.

VI. Gloria ſolida, Gloria vani.

Ignorans vervm iter gloriæ.] Initio 3. Tuſculanæ queritur pleroſque conſectari, *Nullam eminentem effigiem virtutis, ſed adumbratam imaginem gloriæ. Eſt enim gloria, ſolida quædam res & expreſſa, non adumbrata. Eſt conſentiens laus bonorum, incorrupta vox bene iudicantium de excellente virtute, ea virtuti reſo-*

nat, tanquam imago gloriæ. quæ quia rectè factorum plerumque comes eſt, non eſt à bonis viris repudianda. Illa autem quæ ſe eius imitatricem eſſe vult, temeraria atque inconſiderata, & plerumque peccatorum vitiorúmque laudatrix fama popularis, ſimulatione honeſtatis formam eius, pulchritudinémq; corrumpit. qua cæcitate homines, cùm quædam præclara etiam cuperent, eáque neſcirent nec vbi, nec qualia eſſent, funditus alij euerterunt ſuas ciuitates, alij ipſi occiderunt: atque hi quidem optima petentes, non tam voluntate, quàm curſus errore falluntur.

ILLI IPSI.] Primo de Officiis 97. *Sed tum ſeruare illud poëtas dicimus, quod deceat,* VII. *cùm id quod quaque perſona dignum eſt, & fit & dicitur, vt ſi Æacus aut Minos diceret:* Oderint dum metuant. *aut* Natis ſepulchrum eſt ipſe parens, *indecorum videretur, quòd eos fuiſſe iuſtos accepimus. At Atreo dicente plauſus excitantur. Eſt enim digna perſonâ oratio.* Seneca de Ira libro primo ſub finem: *Quid ergo? non aliquæ voces ab iratis emittuntur quæ magno emiſſæ videantur animo veram ignorantibus magnitudinem? qualis illa dira & abominanda:* ODERINT DVM METVANT. *Sullano ſcias ſeculo ſcriptam.* E quibus intelligas non ab Ennio, vt olim putaui, ſed ab alio poëta, Accio fortaſſe, qui Sullanis temporibus florebat, ſcriptam fuiſſe. Pergit Seneca: *Neſcio vtrum ſibi peius optauerit, vt odio eſſet an vt timori. occurrit illi futurum vt execrentur, inſidientur, opprimant. Quid adiicit? Dij illi malefaciant, adeò reperit dignum odio remedium.* ODERINT. *Quid? dum pareant? non. dum probent? non. Quid ergo?* DVM TIMEANT. *Sic nec amari quidem vellem. Magno hoc dictum ſpiritu putas? falleris, nec enim magnitudo iſta eſt, ſed immanitas. Non eſt quòd credas iraſcentium verbis: quorum ſtrepitus magni, minaces ſunt: intus mens pauidiſſima.*

AXIOMATA.

Licet quod cuique libet, loquatur: credere non eſt neceſſe.

Nihil eſt tam ſanctum quod non ſoleant domeſtici deprauare nonnunquam.

Multi vt culpam, ſic etiam ſuſpicionem vitare non poſſunt.

Carum eſſe ciuem, bene de Rep. mereri, laudari, coli, diligi glorioſum eſt. metui velle, & in odio eſſe inuidioſum, deteſtabile, imbecillum, caducum.

ARGVMENTVM.

Antonium exemplo aui ſui cohortatur ad patriæ charitatem, & rurſum Cæſaris exemplo eundem ab opprimenda Reip. libertate deterret.

VTINAM, Antoni, auum tuum meminiſſes: de quo tamen multa XXXIV. audiſti ex me, eáque ſæpiſſimè. Putáſne illum immortalitatem mereri voluiſſe, vt propter armorum habendorum licentiam metueretur? illa erat vita, illa ſecunda fortuna, libertate eſſe parem cæteris, principem dignitate. Itaque, vt omittam res aui tui proſperas, acerbiſsimum eius diem ſupremum malim, quàm L. Cinnæ dominatum, à quo ille crudeliſsimè eſt interfectus.

Sed quid oratione te flectam? ſi enim exitus C. Cæſaris efficere hoc XXXV. non poteſt, vt malis charus eſſe, quàm metui, nihil cuiuſquam proficiet, nec valebit oratio. quem qui beatum fuiſſe putant, miſerrimi ipſi ſunt. Beatus eſt nemo, qui ea lege viuit, vt non modò impunè, ſed etiam cum ſumma interfectoris gloria interfici poſsit. Quare flecte te, quæſo, & maiores tuos reſpice, atque ita guberna Rempub. vt natum te eſſe ciues tui gaudeant: ſine quo nec beatus, nec clarus, nec auctus quiſquam eſſe poteſtate poteſt.

EXPLANATIO.

34. VTINAM, ANTONI.] Hactenus oſtendit errorem Antonij, qui pro vera gloria falſam & tyrannicam amplectitur: nunc eundem hortaturus, vt ſolidam ſectetur gloriam adducit domeſticum exemplum aui ipſius M. Antonij Oratoris.

PVTASNE.] Amorem ciuium ſuorum tanti faciebat, ſic abhorrebat à tyrannica potentia impotentíque dominatu, vt immortalis eſſe nollet, ſi immortalitati id malum annexum fuiſſet, vt ipſe ciuibus ſuis odio eſſet ac timori, & tum demum ſe vitam viuere vitalem, proſperíſque fortunæ flatibus vti putaret, cùm ſe videbat libertate cæteris ciuibus ſuis parem, principem & omnium excellentiſſimum vitæ ſplendore & dignitate.

RES AVI TVI PROSPERAS.] Conſulatum, cenſuram, reliquos honores à populo mandatos, famam eloquentiæ, auctoritatem ſenatoriam, res præclarè geſtas, &c.

ACERBISSIMVM.] Marcus Antonius Orator iuſſu Cinnæ confoſſus eſt. tertio de Oratore §. 10. *Iam M. Antonij in his ipſis Roſtris, in quibus ille Rempub. conſtantiſſimè Conſul defenderat,*

quæque cenſor imperatoriis manubiis ornarat, poſitum caput illud fuit, à quo erant multorum ciuium capita ſeruata. Id contigit anno Vrbis conditæ 666. Luc. Cornelio Cinna, C. Octauio Conſulibus.

L. CINNÆ DOMINATVM.] Cùm ciuitas ita data eſſet Italicis, vt in octo tribus noui ciues contribuerentur, ne potentia eorum & multitudo veterum ciuium potentiam frangeret, Luc. Cinna Conſul legem tulit de admiſcendis nouis ciuibus in omnes tribus: ſed altero Conſule Cn. Octauio reſiſtente non ſine ſuorum ſtrage primùm ſeruos vocauit ad pileum, deinde ex vrbe ceſſit, eique Luc. Merula Flamen Dialis in conſulatum à Senatu ſuffectus eſt. Cinna Nolam contendit, & ab exercitu qui circa Nolam erat receptus, adſcito in partes Mario, rediit in Vrbem, in eáque ſui dominatus eſt, vt Octauium, Antoniū, Merulam, Catulum, alióſque principes ciuitatis occiderit, quatuórque continuos geſſerit conſulatus, donec tandem quarto Conſulatu à ſuis militibus contrucidatus tot ciuium ſuorum ſtrages expiauit. Vide Plutarchum in Marco, Epitomen, Velleium, Appianum.

35. EXITVS C. CÆSARIS.] Nex illata C. Cæſari, qui cùm victis Pompeianis partibus patriæ libertatem oppreſſiſſet, metuíque mallet à ciuibus quàm diligi, quinto poſt confectum Hiſpanienſe bellum menſe à Bruto Caſſio cæteriſque coniuratis in Senatu ad ſtatuam Cn. Pompeij eſt interemptus.

NEC CLARVS.] Edidit Grutterus: *Nec beatus, nec clarus, nec vnctus quiſquam eſſe omni poteſtate poteſt.* Ex fide Codicis Vaticani. vnde Muretus legendum arbitratur. *Nec auctus.* Pleræque editiones habent: *nec clarus eſſe quiſquam poteſt.* Vide Turnebum lib. 15. aduerſ. cap. 2. vbi legit, *Nec auctus eſſe quiſquam omni poteſt poteſtate.*

NOTÆ.

I. AVDISTI EX ME.] Videtur hoc loco id innui, quod Antonius paulò poſt Ciceroni obiecit 2. Philipp. §. 3. *Atenim te in diſciplinam meam tradideras (nam ita dixiſti) domum meam ventitaras. Ne tu ſi id feciſſes, melius famæ, melius pudicitiæ tuæ conſuluiſſes.* vbi vide Notas, & in Cœlianam §. 3. *Hoc dicam, hunc à patre continuò ad me eſſe deductum.*

II. IMMORTALITATEM MERERI.] Accipere, habere, obtinere. Monet Hieronymus Ferrarius, vir ſanè doctus hanc *merendi* ſignificationem, vix apud vllos auctores præter quàm apud Ciceronem & Plautum reperiri. Quid nocebit eius exempla producere? Plautus Sticho ſcen. 1.

--neque ille mereat Perſarum ſibi
Montes, qui eſſe perhibentur aurei, iſtud vt
Faciat, quod tu metuis.-

Id eſt, interprete Lambino, Neque ille velit montes aureos pro mercede ſibi dari, vt iſtud, quod tu metuis, faciat. Bacchidibus.

Quem quidem ego vt non excruciem alterum
tantùm auri non meream.

Menæchmis,

Neque hodie vt te non perdam, meream Deûm
diuitias mihi.

Noſter 2. de finibus 74. *Quid enim mereri velis iam, cùm magiſtratum inieris & in concionem adſcenderis (eſt enim tibi edicendum, quæ ſis obſeruaturus in iure dicundo, & fortaſſe etiam, ſi tibi erit viſum, aliquid de maioribus tuis, & de te ipſo dices, more maiorum) quid merearis igitur vt te dicas in eo magiſtratu, omnia voluptatis cauſſa facturum eſſe, téque nihil feciſſe in vita niſi voluptatis cauſſa?* 1. de natura Deorum 64. *Quid enim mereas vt Epicureus eſſe deſinas?* Id eſt quid enim mercedis loco vis accipere, ſi ab Epicuro deſciueris. Profert & alium locum Ferrarius ex Verrina de ſignis 135. *Quid arbitramini Rheginos, qui iam ciues Romani, mereri velle vt ab eis marmorea Venus illa ne auferatur?* Sed iam, opinor, alio ſenſu. niſi ſi legendum putamus *mereri nolle,* quantam mercedem accipere nolle: Si quis à Rheginis marmoream Venerem emere vellet, quod illius pretium non recuſarent? Certè Donatus ad illa Terentij verba And. actu 2. ſc. 1. Mereri

Ego, Charine, neutiquam officium eſſe liberi
puto,
Cùm is nihil promereat, poſtulare id gratiæ
apponi ſibi.

Mereri, inquit, *eſt aliquid mercedis pro labore, ſumere,* &c.

III. A QVO.] Imò non à Cinna, ſed iuſſu Marij M. Antonium Oratorem interfectum eſſe plerique tradiderunt. Appianus 1. ciuilium, & Plutarchus in Mario Antonium narrant in pauperis cuiuſdam domo latitaſſe, καὶ ὁ Μάριος, inquit Appianus, ἐπεὶ τ' ἤκουσεν, ὑφ' ἡδονῆς ἀνέδραμεν ὡς αὐτὸς ὁρμήσων ἐπὶ τὸ ἔργον. *Marius hoc audito præ lætitia procurrit ipſe patraturus facinus*, ſed ab amicis retentus Tribunum militum Annium eo miſit cum globo militum, præcepítque vt properè caput Antonij ad ſe referret. Cúmque diu milites facundia ſic leniiſſet, vt nemo auderet violentas ipſi manus inferre, Annius ἔκτεινε τὸν Ἀντώνιον ῥητορεύοντα ἔτι, καὶ τὴν κεφαλὴν ἔπεμψε τῷ Μαρίῳ. *Antonium inter orandum confecit, præciſúmque caput Mario miſit.* Florus lib. 3. cap. 21. *Octauij Conſulis caput pro Roſtris exponitur, Antonij Conſularis in ipſis Marij menſis.* Quomodo igitur id Cinnæ tribuit Orator, quod alij Mario tribuerunt? Quia nimirum, vt ſcribit Velleius lib. 2. *M. Antonius princeps ciuitatis atque eloquentiæ, gladiis militum quos ipſos facundiâ ſuâ moratus fuerat, iuſſu Marij Cinnæque confoſſus eſt.* Et Orator quod facinus vtrique commune fuerat, in alterum refundit, quòd Cinna ſine controuerſia ciuis nefarius omnium iudicio fuiſſet, Marius ob res bello Cimbrico geſtas, & olim conſeruator patriæ dictus eſſet, & adhuc in populi Romani viſceribus hæreret. Antonius Orator à Mario, an à Sylla necatus.

IV. CARVS ESSE QVAM METVI.] Vide 2. Philipp. 95. *Caritate & beneuolentia ciuium ſeptum oportet eſſe, non armis.* Pulchrè Claudianus Panegyri de quarto Honorij conſulatu. Qui metuitur, plus ipſe timet.

Qui terret, plus ipſe timet, ſors iſta tyrannis
Conuenit: inuideant claris, fortéſque trucident,
Muniti gladiis viuant, ſeptíque venenis
Ancipites habeant arces, trepidíque minentur.
Tu ciuem patrémque geras: tu conſule cunctis
Non tibi.-

Iam antè dixerat,

Non ſic excubiæ, non circumſtantia pila,
Quam tutatur amor: non extorquebis amari:
Hoc alterna fides, hoc ſimplex gratia donat.

ARGVMENTVM.

Antonium ſimul & Dolabellam hortaturus ad capeſſendam Rempub. oſtendit ciues qui ipſorum conatibus aduerſantur, libertatémque patriæ tuentur, eſſe populo Romano chariſſimos.

XXXVI. ET populi quidem Romani iudicia multa ambo habetis, quibus vos non ſatis moueri permoleſtè fero. Quid enim gladiatoribus clamores innumerabilium ciuium? quid populi verſus? quid Pompeij ſtatuis plauſus infiniti? quid duobus Tribunis plebis qui vobis aduerſantur? parúmne hæc ſignificant, incredibiliter conſentientem populi Romani vniuerſi voluntatem. Quid Apollinaribus ludis plauſus, vel teſtimonia potiùs, & iudicia populi Romani vobis parua eſſe videbantur? O beatos illos, qui, cùm adeſſe ipſis propter vim armorum, non licebat, aderant tamen, & in medullis populi Romani, ac viſceribus hærebant. niſi fortè Accio tum plaudi & ſexageſimo pòſt anno palmam dari putabatis, non Bruto, qui ſuis ludis ita caruit, vt in illo apparatiſſimo ſpectaculo ſtudium populus Rom. tribuerit abſenti, deſiderium liberatoris ſui perpetuo plauſu, & clamore lenierit.

XXXVII. Equidem is ſum, qui iſtos plauſus, cùm popularibus ciuibus tribuerentur, ſemper contempſerim: idémque, cùm à ſummis, mediis, infimis, cùm denique ab vniuerſis hoc idem ſit, cúmque ij, qui ante ſequi populi conſenſum ſolebant, fugiunt: non plauſum illum, ſed iudicium puto. Sin hæc leuiora vobis videntur, quæ ſunt grauiſſima: non etiam hoc contemnitis, quòd ſenſiſtis tam caram populo Romano vitam A. Hircij fuiſſe? ſatis erat enim probatum illum eſſe populo Romano, vt eſt: iucundum amicis, in quo vincit omnes: charum ſuis, quibus eſt ipſe chariſsimus: tantam tamen ſolicitudinem bonorum, tantum timorem omnium in quo meminimus? certè in nullo. Quid igitur? hoc vos per deos immortales quale ſit non interpretamini? quid eos de veſtra vita cogitare cenſetis, quibus eorum, quos ſperant Reip. conſulturos, vita tam chara ſit?

EXPLANATIO.

36. ET POPVLI.] Ex multis indiciis, tu, ô Dolabella & collega tuus M. Antonius, cognoſcere poteſtis, quanti faciat populus Romanus eos qui tuendam patriæ libertatem ſuſceperint, quibus doleo vos non ſatis ad amplectendam optimam quamque Reip. partem excitari.

QVID ENIM.] Quid enim aliud ij qui ad ſpectandos gladiatorum ludos in amphitheatrum conuenerant, ſignificare voluerunt, quàm ſibi libertatis publicæ vindices eſſe iucundos, qui magnis clamoribus exceperunt eos qui ad ludos veniebant, prout eos vel libertatis ſtudioſos, vel oppreſſores eſſe cognouerant?

QVID POPVLI VERSVS.] Quos populus Romanus identidem cantitabat in eorum laudem qui nece Cæſaris à Reip. ceruicibus iugum ſeruile deiecerant, aut in eorum contumeliam qui publicam libertatem rurſus opprimere cupiebant. Ferrarius legit, *Quid populi concurſus?*

QVID POMPEII STATVIS.] Adeò populus Romanus amore priſtinæ libertatis exarſerat, vt videns Pompeij ſtatuas iis applauderet, & ipſi Pompeio gratularetur.

QVID DVOBVS TRIBVNIS.] Tiberio Canutio, & Luc. Nouio Aſprenati: quorum Aſprenas aduerſatus eſt Dolabellæ Aſiam prouinciam ad ſe transferre cupienti, Canutius Cæſarem Octauianum produxit in concionem contra M. Antonium. vide Notas.

QVID APOLLINARIBVS LVDIS.] Brutus poſt necem Cæſaris metu veteranorum, & infimæ multitudinis ex vrbe ſe ſubduxerat, & cùm Prætor Vrbanus eſſet, deberétque ludos Apollinares ad quintum Nonas quintiles celebrare. his ludis eius loco præſedit C. Antonius, populúſque Romanus plauſu frequenti ſignificauit ſe magno Bruti abſentis deſiderio teneri, eúmque ſibi eſſe chariſſimum.

O BEATOS.] Brutum, Caſſium, cæteros qui C. Cæſari necem intulerunt, qui cùm veteranorum metu abeſſe ab Vrbe cogerentur, ita tamen populo Romano erant chari, vt eius viſceribus hærere viderentur.

NISI FORTE.] Niſi fortè cùm illis ludis

plauderetur, Accio poëtæ, cuius tragœdia nomine Tereus exhibebatur plaudi, eíque ſexageſimo anno, poſtquam ſcripta eſt ea tragœdia, palmam dari putabatis, non Bruto ludorum editori. legit Grutterus ex Codice Palatino: *Plaudi ſexageſimo poſt anno, & palmam dari non putabatis Bruto.*

Desiderivm liberatoris svi.] Dolorem quem ex abſentia Bruti, à quo, morte Cæſaris, in libertatem fuerat aſſertus, capiebat.

37. Eqvidem is svm.] Legunt alij, & fortaſſe meliùs: *Equidem is ſum, qui iſtos plauſus, cùm popularibus tribuerentur, ſemper contempſerim.* Id eſt, nunquam plauſus, cùm hominibus populares auras, & gratiam aucupantibus tribuuntur, magnifaciendos putaui.

Ante seqvi popvli consensvm.] Idem ego, qui ſemper contempſi plauſus illos, qui ab infimâ multitudine ſpe largitionis corrupta hominibus leuibus & popularibus tribuuntur. ego, inquam, idem plauſus qui à Senatu, populo, equeſtri ordine, qui à ſummis, à mediis, ab infimis exhibentur, ſemper magnifaciendos putaui, & huiuſmodi plauſus non inanes eſſe arbitror, ſed eſſe certiſſima iudicia exiſtimationis, quam populus vniuerſus concepit de illorum virtute, quibus applauditur. Cùm præſertim ij qui priùs aucupabantur plauſus populares, iam refugiant illum populi conſenſum, nec auſint theatro ſe committere, veriti ne ſibilis explodantur.

Vitam Avli Hirtii.] A. Hirtius Conſul deſignatus in annum ſequentem, eo penè ipſo tempore, quo habita eſt hæc oratio, in morbum inciderat, à quo vix conualuit ante Calendas Ianuarij, quibus cum Panſa iniit conſulatum. Et eum quidem ſaltem ad menſem Maium valuiſſe certò colligitur è multis epiſtolis libri 15. ad Atticum. At libro 12. ad familiares epiſtola 22. poſt XIII. Calendas Ianuarias data. *Hirtius,* inquit, *noſter tardiùs conualeſcit.* Oſtendit igitur populus Rom. charam ſibi vitam A. Hirtij ægrotantis fuiſſe, votis, opinor, pro eius ſalute & incolumitate ſuſceptis, vt quondam pro Cn. Pompeij valetudine ſuſceperat.

NOTÆ.

I. Gladiatores. Gladiatoribvs.] Per *gladiatores* ipſos gladiatorios ludos, ſiue munus ipſum intelligit. Vide quæ diximus pro Sextio 135. *Dicit ſe non gladiatores, ſed vnum gladiatorem dare, & totam ædilitatem in munus hoc tranſtuliſſe.* Innumerabiles autem ciues dicit, quia vt eadem oratione dicitur §. 24. Gladiatorium munus, *id ſpectaculi genus eſt, quod omni frequentia atque omni genere hominum celebratur, & quo multitudo maximè delectatur.* De clamoribus vide Sextianam 121. Nota 6.

II. Significationes theatrales. Significant.] Videtur eſſe vox theatralis, quam pro Sextio frequenter vſurpat. vt §. 95. *Populi iudiciis atque omni ſignificatione florebant.* 125. *Hæc populi Romani tanta ſignificatio, ſine vlla varietate vniuerſi.* Vide quæ diximus ad §. 127. *Eos omni populi Romani ſignificatione decorari.*

III. Dvobvs Tribvnis.] Duo Tribuni plebis Antonij & Dolabellæ conatibus obſtiterunt, cùm enim Dolabella ſibi Syriam & bellum Parthicum mandari à populo peteret, ὁ Ἀσπρήνας ἔφη διοσημείας ἀπαισίους γεγονέναι. *Obnuntiauit Aſprenas*, vt ait Appianus libro 3. Is autem fuiſſe videtur Aſprenas ille Nonius arctiùs Octauiano Cæſari iunctus, de quo Tranquillus in Auguſto 56. & Seneca Rhetor non ſemel.

Alter fuit Tiberius Canutius, qui Octauianum Cæſarem primus omnium produxit in concionem, & πρότερον ἐδημηγόρει κατὰ τοῦ Ἀντωνίου, *prior pro concione inuectus eſt in Antonium*, vt ſcribit Appianus libro 3. de quo etiam Dio 45. Octauius Tribunatumplebis petebat, κωλυθεὶς δ' ὑπὸ τῶν περὶ τὸν Ἀντώνιον, οὐχ ἡσύχασεν, ἀλλὰ Τιβέριον Καννούτιον δημαρχοῦντα ἀναπείσας, ἔς τε τὸν ὅμιλον ὑπ' αὐτοῦ ἐσήχθη. *Prohibitus ab Antonio, ne ſic quidem quieuit, ſed Tiberio Cannutio perſuaſit, vt ſe in concionem produceret.* Vnde ſecuta eſt tanta offenſio, vt *in concione dicere auſus ſit Antonius, Canutium apud eos ſibi locum quærere, quibus ſe ſaluo locus in ciuitate eſſe non poſſet.* verba ſunt Ciceronis ad Cornificium libro 12. ad famil. epiſt. 23. Immemor tamen fuit beneficij Cæſar: ſiquidem capta Peruſia, vt ſcribit Dio libro 48. ἐπὶ τὸν βωμὸν τὸν τῷ Καίσαρι, τῷ προτέρῳ ὡσιωμένον ἀχθέντες ἱππεῖς τετρακόσιοι, καὶ βουλευταὶ, ἄλλοι τε καὶ Καννούτιος, &c. ἐτύθησαν. CD. *equites Senatoréſque, cùm alij tum T. etiam Cannutius, &c. ad aram ſuperiori Cæſari ſacratam adducti & mactati ſunt.* Velleius libro 2. *Hæc ſunt tempora, quibus M. Tullius continuis actionibus æternas Antonij memoriæ inuſſit notas. ſed hic fulgentiſſimo & cœleſti ore, at Tribunus Cannutius continua rabie lacerabat Antonium.*

Apollinaribvs lvdis.] De his ludis fusè tractabimus 2. Philipp. §. 21. IV.

Plavsvs.] De plauſu theatrali frequenter egimus cum noſtro Cicerone. vt pro Sextio 105. *His in theatro plaudebatur.* 115. *Theatrales gladiatoriíque conſeſſus dicuntur omninò ſolere, leuitate nonnullorum, emptos plauſus, & exiles & raros excitare.* Ibidem: *Plauſum, immortalitatem, ſibilum, mortem videri neceſſe eſt.* Vide etiam §. 117. 124. V. Plauſus theatralis.

Accio.] Dixi Tereum Accij tragœdiam Apollinaribus actam fuiſſe. Cicero libro 16. ad Attic. epiſt. 2. *Delectari mihi Tereo videbatur, & habere maiorem Accio quàm Antonio gratiam. Mihi autem, quo lætiora ſunt, eo plus ſtomachi & moleſtiæ eſt, populum Romanum manus ſuas, non in defendenda Rep. ſed in laudando conſumere.* & epiſt. 5. *Tuas iam litteras Brutus expectabat, cui quidem ego non nouum attuleram de Tereo Accij: ille Brutum putabat. Sed tamen rumoris neſcio quid afflauerat, commiſſione Græcorum frequentiam non fuiſſe.* VI.

Palmam dari.] Palma ſignum victoriæ. 5. Æneidos.

Et palmæ pretium victoribus.

Plutarchus libro 8. conuiualium quæſtionum hanc proponit: Διὰ τί τῶν ἱερῶν ἀγώνων ἄλλος ἄλλον ἔχει στέφανον, τὸν δὲ φοίνικα πάντες. *Cur in ſacris certaminibus aliud aliam habet coronam, ſed palmam vniuerſa.* Cuius ille rei multas adfert rationes, quas ne in hac quidem breuitate velim præterire. Vna eſt quam ipſe non probat. Οὐκ ἐμὲ πείθουσιν οἱ τὴν ἰσότητα τῶν φύλλων, οἷον VII. Palma pretiũ victoribus.

ἀνταγωνιζομένων ἀεὶ καὶ συντεχόντων ἀγῶνι καὶ ἁμίλλῃ παραπλήσιόν τι ποιεῖν φάσκοντες. *Non mihi verum dicere videntur qui æqualitatem foliorum, quaſi ſibi repugnantium & concurrentium aiunt quandam certaminis & pugnæ ſimilitudinem adumbráre.* Ait ipſe cauſſam eſſe perennem foliorum viriditatem, quam victoriæ gloria debet imitari. Οὔτε γὰρ δάφνην, οὔτ' ἐλαίαν, οὔτ' ἄλλο τι τῶν μὴ φυλλοβολεῖν λεγομένων, ἑωρῶμεν ἀεὶ ταυτὰ φύλλα διατηροῦν, ἀλλὰ τοῖς πρώτοις ἀποῤῥέουσιν, ἑτέρων ἐπιβλαστανόντων, ὥσπερ πόλεις, ἕκαστον ἀεὶ ζῶον διαμένει. *Neque enim ficum, aut oliuam, aut aliam quamuis arborem earum quæ folia non amittere dicuntur, videmus iiſdem ſemper foliis eſſe veſtitam: ſed aliis defluentibus, aliis ſupernaſcentibus, vrbium inſtar vnaquæque arbor viuens perſeuerat.* ὁ δὲ φοῖνιξ οὐδὲν ἀποβάλλων ἀφ' αὐτοῦ τῶν φυομένων βεβαίως ἀειθαλής ἐστι. *Palma verò nihil amittens eorum quæ ipſi innata fuerint, ſemper frondet.* Item: Φοίνικος ξύλον ἂν αὖθεν ἐπιθεὶς βαρὺ πιέζῃς, οὐ κάτω θλιβόμενον ἐνδίδωσιν, ἀλλὰ κυρτοῦται πρὸς τοὐναντίον, ὥσπερ ἀνθιστάμενον τῷ βιαζομένῳ. *Palmæ lignum ſi pondere deſuper impoſito preſſerit, non infernè tritum cedit, ſed curuatur in contrarium quaſi reſiſtens vim inferenti.* Has ob cauſſas palmæ dantur victoribus.

Palmæ gladiatorum. Notæ gladiatorum palmæ. pro Roſcio Amerino 17. *Plurimarum palmarum vetus ac nobilis gladiator.*

Oratorum. Notæ oratorum de quibus nos fusè in Cœlianam 18. & 46. Palmæ etiam datæ hiſtrionibus & poëtis. De palma data poëtis intelligendus Maro 3. Georg.

Primus Idumæas referam tibi, Mantua, palmas.

Propertius lib. 4. eleg. 1.

-libris eſt data palma meis.

Et paulò pòſt cùm dixiſſet,

Poëtarum.

At tu finge elegos, fallax opus. hæc tua caſtra
Scribat vt exemplo cætera turba tuo, &c.

Subiecit:

Nam tibi victrices, quaſcunque labore paraſti,
Eludet palmas vna puella tuas.

Terentius prologo Phormionis de quodam maledico poëta.

Is ſibi reſponſum hoc habeat: In medio omnibus
Palmam eſſe poſitam, qui artem tractant muſicam.

ποιητικῶς, inquit Donatus, pro *qui comœdias ſcribunt.* De palma hiſtrionum Plautus prologo Amphitruonis.

Hiſtrionum.

Nunc hoc me orare à vobis iuſſit Iupiter,
Vt conquiſitores ſinguli in ſubſellia
Eant, per totam caueam ſpectatoribus
Si cui fautores delegatos viderint,
Vt his in cauea pignus capiantur togæ.
Siue etiam qui ambiſſent palmam hiſtrionibus,
Siue qui ipſi ambiſſent, ſeu per internuntium,
Siue adeò ædiles perfidiosè cui duint,
Sirempſe legem iuſſit eſſe Iupiter,
Quaſi magiſtratum ſibi alterive ambiuerit.

E quibus vides palmas non ſolùm datas hiſtrionibus fuiſſe, ſed etiam datas Ædilium iudicio. Rurſum prologo Pœnuli.

Quódque ad ludorum curatores attinet,
Ne palma detur cuiquam artifici iniuria, &c.

Apparatissimo spectacvlo.] De horum ludorum apparatu vide 2. Philipp. §. 21. VIII.

ARGVMENTVM.

Breuis totius orationis concluſio ad relinquendam in animis auditorum beneuolentiam comparata.

CEPI, P. C. reuerſionis meæ fructum: quoniam ea dixi, vt quicunque caſus conſecutus eſſet, exſtaret conſcientiæ meæ teſtimonium: & ſum à vobis benignè, ac diligenter auditus. Quæ poteſtas, ſi mihi ſæpius ſine meo, veſtróque periculo fiet, vtar ſi minùs, quantum potero, non tam mihi me, quàm Reipub. reſeruabo. Mihi ferè ſatis eſt, quòd vixi, vel ad ætatem, vel ad gloriam: huic ſi quid acceſſerit, non tam mihi, quàm vobis, reíque publicæ acceſſerit.

EXPLANATIO.

CEPI.] Duas rationes exponit, cur gaudeat ſe ex inſtituta profectione in Græciam rediiſſe, fructúmque ex illa reuerſione perceperit. Altera eſt quòd liberè locutus eſſet, ſuámque voluntatem teſtatus fuerit in Remp. vt quicunque tandem euentus conſecuturus ſit, omni poſteritati prodat ſe pro viribus aduerſatum fuiſſe eorum furori qui publicam libertatem perditum ibant. Altera quòd fuerit à Senatu benignè ac diligenter auditus, in qua & ſuam gratitudinem oſtendit, & breui Senatorum laude in eorum beneuolentiam pedetentim irrepit.

Qvæ potestas.] Officium ſuum Reip. pollicetur: ſi, inquit, mihi poteſtas fiet ſæpiùs de Rep. dicendi, ea poteſtate vtar, veniámque in Senatum: Sin autem Antonius armatis militibus Senatum obſederit, mihíque ſtruxerit inſidias, in Senatum non accedam, ſed mihi diligenter cauebo, non timore mortis, ſed amore Reip. quæ meis conſiliis reſtitui poterit, cùm arma extorta fuerint de manibus Antonij.

Mihi fere satis.] Reddit rationem cur ſe non ſibi, ſed Reip. conſeruare velit, quia nihil habet in vita, quod ſuiipſius cauſsâ magnopere deſideret: quippe qui iam annos duos & ſexaginta viuendo exegerit, & tum eloquentia, tum decurſis honoribus, tum etiam rebus geſtis fuerit conſecutus, vt iam nihil ſuperſit, quod ipſi in vita expetendum eſſe videatur.

NOTÆ.

MIHI FERE SATIS.]Epiſtola 1. ad Plancum. *Mihi maxima cura eſt, non mea quidem vita, cui ſatisfeci vel ætate, vel factis, vel (ſi quid etiam hoc ad rem pertinet) gloria: ſed me patria ſollicitat: imprimiſque, mi Plance, expectatio conſulatus tui,* &c. Ceſtius Declamator apud Senecam: *Si ad deſiderium populi reſpicis, Cicero, quandocunque perieris, parum vixiſti: ſi ad res geſtas, ſatis vixiſti: ſi ad iniurias fortunæ, & præſentem Reip. ſtatum, nimium diu vixiſti: ſi ad memoriam operum tuorum, ſemper victurus es.*

EVENTVS ORATIONIS.

PHilipp. 5.§.19.20. *Locutus ſum de Rep. minùs equidem liberè quàm mea conſuetudo: liberiùs tamen, quàm pericula, minæque poſtulabant. At ille homo vehemens & violentus, qui hanc conſuetudinem liberè dicendi excluſerat, &c. inimicitias mihi denuntiauit: adeſſe in Senatu iuſſit ad* XIII. *Cal. Octob. Ipſe intereà decem & ſeptem dies de me in Tiburtino Scipionis declamauit, &c. Cùm is dies, quo me adeſſe iuſſerat, veniſſet, tum verò agmine quadrato in ædem Concordiæ venit, atque in me abſentem orationem ore impuriſſimo euomuit. Quo die, ſi per amicos mihi cupienti in Senatum venire licuiſſet, cædis initium feciſſet à me, ſic enim ſtatuerat. Cùm autem ſemel gladium ſcelere imbuiſſet, nulla res ei fidem cædendi niſi defatigatio, & ſatietas attuliſſet.*

FINIS.

IN M. TVLLII CICERONIS ORATIONEM IN M. ANTONIVM PHILIPPICAM SECVNDAM.

PRÆFATIO.

HOMERVS & Archilochus, duo Græcæ poëſeos antiſtites, ſic omnibus ingenij laudibus floruerunt, vt in operibus, quorum ipſi auctores inuentoréſque fuerant, ſecutis omnibus aſſequendi deſperationem iniecerint: neque aut quos imitarentur ipſi, aut qui ipſos imitari poſſent, tot interlapſis annorum millibus potuerunt inuenire. Suum enim vterque dicendi genus & inchoauerat, & ad ſummam perfectionem adduxerat. Id inter ſimiles diuerſiſſimum fuit, quòd alter non ſolùm deos & homines, ſed mare, terram, equos, arbores, ocreas militum, habenas equorum, omnia denique vel tenuiſſima prolixè laudauit: vnum vituperauit Therſiten: ſed eam ob cauſſam vituperauit, quòd is effrenata quadam dicendi libertate ἀμετροεπὴς καὶ ἀκριτόμυθος, Græciæ principes palàm carperet, clam laceraret, in conuiuiis roderet, in circulis vellicaret. Alter omnibus planè mortalibus genuinum dentem impreſſit, & vt liberiùs in alios inueheretur, à ſe ſuáque ipſius ignauia reprehenſionem exorſus, ſibi, quòd abiecto clypeo fugiſſet ex acie, ſempiternas infamiæ notas inuſſit. Conſtat cæteros ad vnum poëtas ne comparari quidem cum his duobus vel ingenio, vel eloquentiâ potuiſſe: ſed vter eorum præſtiterit, non perinde conſtat. Sunt qui Homero palmam tribuant: ſunt qui Archilochum vel ex oraculis anteponendum putent. Felicior Homerus, cuius poëſis ad poſteros incolumis peruenerit: Callidior Archilochus, qui eam elegerit ſcribendi materiam, in qua ſe magis eloquentiæ vis exprомeret, & profunderet vniuerſam. Siue enim auditores, ſiue loquentem, ſiue rem ipſam orationi ſubiectam conſideres, id hominibus ab ipſa natura datum inuenies, vt cùm alios vituperant, diſerti, cùm laudant, vel aſſentari, ſi copioſè dixerint, vel ſi moderatè, infantes eſſe videantur. Et ambitionem quidem ſcriptoris, *inquit Tacitus*, facilè auerſeris. obtrectatio, & liuor pronis auribus accipiuntur: Quippe adulationi fœdum crimen ſeruitutis, malignitati falſa ſpecies libertatis ineſt. *Et verò ſi cuique in ſua arte credendum eſt, quis cum Demoſthene* τῆς τῶν λεγόντων δυνάμεως τοὺς ἀκούοντας πλεῖστον μέρος κυρίους, *auditores oratorum facundiæ maximam partem dominos eſſe refragetur, vt quo quis auditoribus fuerit acceptior: eo non ſolùm diſertior, ſed etiam eloquentior cenſeatur?*

Iam cùm excellentiæ ſtudio vel abiectiſsimus quiſque teneatur, idque tam altas in ipſa natura radices egerit, vt nulla ratione poſsit euelli, plerique, cùm ſuis virtutibus excellere non poſsint, aliorum vitiis eminere deſiderant: eam ob rem alienas laudes, ad quas ipſi præſertim præ anguſtiis animi adſpirare non poſſunt, adulationi, vituperationes & contumelias, tùm eloquentiæ, tùm veritati libenter aſsignant. Quid? quòd plerique ſibi aliorum comparatione blandiuntur, & tantùm de ſua gloria detractum putant, quantum ad alienas laudes acceſſerit. Quid? quòd aliorum magnitudinem exiguitate ſua metiuntur, & quod aſſequi ſe poſſe deſperant, id nec ab aliis fieri poſſe ducunt; ne ſe quoquam inferiores eſſe fateantur. Quòd ſi ita natura comparati ſumus, vt aliorum laudes auribus reſpuere, contumelias & probra libenter audire ſoleamus; ſi quiſque facundus & eloquens ita videtur, vt eius orationem auditor exceperit, qui ſuam eloquentiam laudibus alienis impendunt, quò id faciunt vberiùs, eò videntur, tanquam in adulationis ſcopulum impacti, grauius non veritatis ſolùm, ſed etiam eloquentiæ facere naufragium: Qui autem in aliorum infamiam ſuæ vela Orationis expandunt, obſecundantibus, vt ita loquar, beneuolentiæ fauoniis, prouecti, in auditorum animis, tanquam in tranquillo portu, placidè conquieſcunt. Iam ſi ipſum ſpectemus Oratorem, quis non intelligit eum nunquam eloquentiorem eſſe, quàm cùm incenſus ipſe ſuos auditores inflammat? Calor eſt quidem omnis affectus, ſed cùm iracundiâ pectus exarſerit, tum ex verbis irati conflatur incendium. Hinc illa verborum tonitrua, hinc orationis fulmina, quæ tum demum violenter & vibratè feruntur, cùm altercatione quadam & conflictu flammas eliſerint. Cùm autem, vt aiunt philoſophi, virtus in mediocritate conſiſtat, & ad centrum honeſtatis & rationis vnica deſtinatione collineet, peccatum exceſſu defectúque diuidatur, & à rationis ſcopo multifariam aberret, qui aliquid rectè factum eſſe defendit, eum neceſſe eſt exiguis admodum terminis contineri: qui peccatum accuſat, ſegetem orationis habet vberrimam. Qui alterum accuſat, plagam imponit; qui defendit, adhibet medicinam: vt igitur citiùs & faciliùs vel grauiſsimum vulnus infligitur, quàm tumor & contuſio vel leuiſsima ſanatur, ita facilius eſt accuſare reum, quàm tueri. Quòd ſi obſidetur patronus, obſidet accuſator, cùm latiorem campum habeat obſeſſoris induſtria, quàm obſeſsi, quòd alter mœnium premitur anguſtiis, alter poteſt, vt lubuerit, impunè ſpatiari: ſi maiorem ſibi parit gloriam qui caſtris hoſtem exuit, quàm qui ſua caſtra defendit, quòd quæſiti nouitas aſſuetudine ſeruati magis feriat oculos & liquidiùs appareat, quis non videt patronum, & cum maioribus difficultatibus plerumque luctari, & minorem eloquentiæ fructum ex defenſione decerpere? vt in ipſis etiam defenſionibus vix vnquam Orator feliciter aſſurgat, niſi cùm orationem à patrocinio rei ad accuſatoris inſectationem inflectit. Laudatur imprimis Cluentiana: Eius vel præcipua laus accuſatione Saſsiæ continetur. Miloniana cæteris antefertur: niſi frequenter inueheretur in Clodium, langueret pleriſque locis oratio. Si quid vnquam potuit Orator, vel potiùs ſi nihil vnquam dicendo potuit, tamen, cùm pro domo ſua diceret, facundum ſe fuiſſe non immeritò gloriatur: Totus eſt in accuſatione Clodij. Quid Sextiana? vnde ſuos illos dicendi floſculos carpit atque delibat? Ex inſectatione Clodij, Piſonis, Gabinij, Serrani, Vatinij, cæterorum. Vbi frequentiùs, quàm in Verrinis, eloquentiæ Tullianæ vis enituit? E quibus fontibus ad hominum commendationem latiùs manauit? vbi fulmen vibratius, aut abundantius flumen orationis? Neque tamen priuatus dolor, aut iniuria redundans in vniuerſam Remp. ſed expilatio ſociorum & vexatio Siciliæ coëgerat eum ad accuſandum Verrem deſcendere. At in Phi-

lippicis & priuatas perſequitur iniurias, & cauſſam ſuſcipit vniuerſæ Reip. & eam nactus eſt cauſſam, vt in maxima ſegete criminum, oratio deeſſe non poſſit, vt cùm cæteros reliquis orationibus ſuperarit, hac oratione ſecum ipſe certare, ſéque ipſum vincere multorum eruditorum iudicio cenſeatur.

M. ANTONIVS Conſul, vt antè dictum eſt, cùm poſt Iulij Cæſaris necem armis oppreſſiſſet Remp. dicendíque libertatem penitùs è Curia ſuſtuliſſet, Superiore Ciceronis oratione grauiter offenſus in Tiburtinam Metelli Scipionis villam ſeceſſerat, ibíque per otium decem & ſeptem dies commentatus orationem, quàm potuit, acerbiſſimam, rediit in Vrbem, Senatum vocauit ad XIII. Calendas Octobreis, & in Ciceronem abſentem grauiter inuectus eſt. Reſpondet hac oratione Cicero, & tum eius crimina refellit, tum aduerſarium iam inde à prætexta puerili vſque ad conſulatum excutiens, eius nomini ſempiternas infamiæ maculas adſpergit. Totius autem orationis hæc poteſt fieri diuiſio.

Exordium. 1. 2.
Purgatio Ciceronis. à 3. ad 30.
Inſectatio Antonij. à 30. ad 95.
Peroratio à 95. ad 100.

Velleius Paterculus libro 2.

NIHIL tam indignum illo tempore fuit, quàm quòd aut Cæſar aliquem proſcribere coactus eſt, aut ab vllo Cicero proſcriptus eſt, abſciſſáque ſcelere Antonij vox publica eſt, cùm eius ſalutem nemo defendiſſet, qui per tot annos & publicam ciuitatis & priuatam ciuium defenderat. Nihil tamen egiſti M. Antoni (cogit enim excedere propoſiti formam operis erumpens animo ac pectore indignatio) Nihil, inquam, egiſti, mercedem cœleſtiſſimi oris & clariſſimi capitis abſciſſi numerando, auctoramentóque funebri ad conſeruatoris quondam Reipub. tantíque Coſ. irritando necem. Rapuiſti tu M. Ciceroni lucem ſollicitam, & ætatem ſenilem, & vitam inferiorem te principe, quàm ſub te Triumuiro mortem: famam verò, gloriámque factorum atque dictorum adeò non abſtuliſti, vt auxeris. Viuit, viuétque per omnium ſeculorum memoriam. Dúmque hoc vel fortè, vel prouidentiâ, vel vtcumque conſtitutum rerum naturæ corpus, quod ille penè ſolus Romanorum animo vidit, ingenio complexus eſt, eloquentiâ illuminauit, manebit incolume, comitem æui ſui laudem Ciceronis trahet: omníſque poſteritas illius in te ſcripta mirabitur, tuum in eum factum execrabitur, citiúſque in mundo genus hominum, quàm *illius nomen* cadet.

Iuuenalis ſat. 10.

Eloquium ac famam Demoſthenis ac Ciceronis
Incipit optare, & totis quinquatribus optat
Quiſquis adhuc vno partam colit arte Mineruam:
Quem ſequitur cuſtos anguſtæ vernula capſæ.
Eloquio ſed vterque periit Orator, vtrumque
Largus & exundans letho dedit ingenij fons.
Ingenio manus eſt & ceruix cæſa: nec vnquam
Sanguine cauſidici maduerunt Roſtra puſilli.
O fortunatam natam me Conſule Romam,
Antoni gladios potuit contemnere: ſi ſic
Omnia dixiſſet. Ridenda poëmata malo
Quàm te conſpicuæ diuina Philippica famæ
Volueris à prima quæ proxima. --

M. TVLLII CICERONIS ORATIO IN M. ANTONIVM

PHILIPPICA SECVNDA.

Exordium §. 2 contentum, quo comparat

- ſibi ipſi
  - auctoritatem
    - à tempore quo geſſit Remp. *annis viginti.*
    - ab odio improborum.
    - à iudicio Senatus. *Qui ordo.*
    - generoſa ſui fiduciâ. *Mihi & pro me*, &c.
  - beneuolentiam
    - ſignificatione clementiæ. *Pœnarum illi plus.*
    - amore Reip. *A me Reip. cauſâ laceßiti.*
    - modeſtiâ. *Mediocritate ingenij.*
- Antonio
  - deſpectum
    - *quid deſpicere poßit Antonius.*
    - *contra Antonium dicere.*
  - odium à comparatione cum
    - Catilina.
    - Clodio.
- Auditoribus
  - attentionem, *quid plenius? quid vberius?*
  - docilitatem, proponens ſe de amicitiâ violatâ pauca dicturum.

ARGVMENTVM.

Inquirit cauſſas cur Antonius inimicitias ipſi denunciarit, & aliis remotis eam fuiſſe concludit, quòd Antonius improbis ſe commendatiorem fore putauerit, ſi Ciceroni fuiſſet inimicus.

QVONAM meo fato, P. C. fieri dicam, vt nemo his annis vi- I.
ginti Reip. hoſtis fuerit, qui non bellum eodem tempore mihi quoque indixerit? Nec verò neceſſe eſt quemquam à me nominari vobis, cùm ipſi recordemini. mihi pœnarum illi plus quàm optarem, dederunt: te miror, Antoni, quorum facta

imitere, eorum exitus non perhorreſcere. Atque hoc in aliis minus mirabar: nemo illorum inimicus mihi fuit voluntarius. Omnes à me Reipub. cauſa laceſſiti: tu ne verbo quidem violatus, vt audacior quàm L. Catilina, furioſior quàm P. Clodius viderere, vltro maledictis me laceſſiſti: tuámque à me alienationem, commendationem tibi ad impios ciues fore putauiſti.

EXPLANATIO.

QVONAM.] Exordium ex abrupto per dubitationem, quo cauſſas inquirit, cur ex quo tempore Remp. penitus ingreſſus eſt, & adeptus eſt Conſulatum, nemo Remp. turbare & ciuitatis ſtatum conuellere conatus fuerit, qui non palam profeſſus fuerit ſe nominatim eſſe Ciceronis inimicum.

MIHI POENARVM.] Commodè initio humanitatis & clementiæ ſpecimen exhibet: quas autem Reip. & Ciceroni pœnas exoluerint, palam eſt, ex eorum temporum hiſtoriis. Catilina contra patriam ſigna inferens à Petronio C. Antonij legato victus, multis telis confoſſus & inter corporum aceruos inuentus eſt. P. Clodius in Appia via à ſeruis Milonis occiſus eſt.

OMNES A ME REIP. CAVSSA LACESSITI.] Id oratoriè magis quàm verè dictum videtur ad cumulandam Antonio inuidiam. Priùs enim Catilina coniuratis in domum M. Porcij Leccæ conuocatis ſtatuerat interficere Ciceronem, quàm in eum Cicero inueheretur in Senatu. Clodius autem laceſſitus à Cicerone, cùm Cicero teſtis in Clodium de pollutis religionibus productus eſt. de quo vide Plutarchum in Cicerone, & Ciceronem ipſum lib. ad Atticum primo.

NOTÆ.

1. FATO.] Quid ſit factum videri poterit è variis definitionibus quæ à grauibus ſcriptoribus proferuntur. Boëtius Commentariis in topica Ciceronis ad illa verba. *Ex hoc genere cauſarum ex æternitate pendentium fatum à Stoicis nectitur.* ita ſcribit. *Fatum enim dicunt eſſe præcedentium cauſarum ſubſequentiúmque perplexionem quamdam & catenæ more continentiam.* &
Prouidentia. lib. 4. de conſolatione Philoſophiæ proſâ 6. *Prouidentia eſt ipſa illa diuina ratio in ſummo omnium principe conſtituta, quæ cuncta diſponit.*
Fatum. *Fatum verò inhærens rebus mobilibus, diſpoſitio per quam prouidentia ſuis quæque nectit ordinibus.* Subdit aliquantò pòſt. *Hæc actus etiam fortunáſque hominum indiſſolubili cauſſarum connexione conſtringit: quæ cùm ab immobilis prouidentiæ proficiſcantur exordiis ipſas quoque immutabiles neceſſe eſt eſſe.* Auguſtinus lib. 5. de ciuit. cap. 8. fatum appellat, *omnium connexionem ſeriémque cauſſarum, qua fit omne quod fit.* Chryſippus apud Gellium lib. 6. noct. Attic. cap. 2. Εἱμαρμένην eſſe dicit φυσικήν σύνταξιν τῶν ὅλων ἐξ ἀϊδίου τῶν ἑτέρων τοῖς ἑτέροις ἐπακολουθούντων, καὶ μεταπολουμένης ἀπαραβάτου οὔσης τῆς τοιαύτης συμπλοκῆς. *Fatum eſt,* (ita vertit Gellius) *ſempiterna quædam, & indeclinabilis ſeries rerum & catena, voluens ſemetipſa ſeſe, & implicans per æternos conſequentiæ ordines: ex quibus apta connexáque eſt.* Plutarchus lib. 1. de placitis ex Stoicorum ſententia, τὴν εἱμαρμένην συμπλοκὴν αἰτιῶν τεταγμένην. *complexionem cauſſarum ordinatam, fatum,* appellat. aut εἱρμὸν αἰτιῶν, τοῦτ᾽ ἔστι, τάξιν καὶ ἐπισύνδεσιν ἀπαράβατον. *Seriem cauſarum, hoc eſt, ordinationem, & colligationem inexplicabilem.* Idem opuſculo de fato ex variis Platonis locis varias, fati definitiones concinnat. Fati variæ definitionis. Τύπῳ ὑπέγραψεν ὁ Πλάτων ἐν τε τῷ Φαίδρῳ λέγων, Θεσμός τ᾽ Ἀδραστείας ὅδε, &c. ἔν τε τῷ Τιμαίῳ, Νόμους, οὓς ἐπὶ τῇ τοῦ παντὸς φύσει ὁ θεὸς εἶπε ταῖς ἀθανάτοις ψυχαῖς. ἐν δὲ τῇ πολιτείᾳ Ἀνάγκης θυγατρὸς κόρης Λαχέσεως λόγον φησὶν εἶναι τὴν εἱμαρμένην, οὐ τραγικῶς, ἀλλὰ θεολογικῶς τὸ ἀρέσκον αὐτῷ ἀποφαινόμενος. *Fatum primis lineamentis adumbrauit Plato tum in Phædro dicens lex Adraſtiæ, &c. tum in Timæo, leges, quas in vniuerſitatis naturam Deus animabus immortalibus dixit. Decimo verò libro de Rep. fatum Lacheſis puellæ quæ Neceſſitatis eſt filia, dicit eſſe rationem.* E quibus addit Plutarchus. Ὡς μὲν ἐν Φαίδρῳ λέγοιτ᾽ ἂν ἡ εἱμαρμένη λόγος θεῖος ἀπαράβατος δι᾽ αἰτίαν ἀνεμπόδιστον. Ὡς δὲ ἐν τῷ Τιμαίῳ, νόμος ἀκόλουθος τῇ τοῦ παντὸς φύσει, καθ᾽ ὃν διεξάγεται πάντα τὰ γινόμενα. *Sicut in Phædro fatum dici poſſit ratio diuina quam prætergredi nemo poſſit per cauſam quæ non poteſt impediri. Sicut autem in Timæo lex vniuerſi naturam ſequens ſecundum quam omnia quæ fiunt gubernantur.* Hanc porrò diuinam rationem ſiue legem æternam, quam fatum vocant, Deum eſſe voluerunt, Ariſtoteles, ſiue quis alius eſt auctor libri de mundo ad Alexandrum ſub finem. Οἶμαι δὲ καὶ τὴν ἀνάγκην οὐκ ἄλλο τι λέγεσθαι πλὴν τοῦτον, οἱονεὶ ἀκίνητον οὐσίαν ὄντα. εἱμαρμένην δὲ διὰ τὸ εἴρειν καὶ χωρεῖν ἀκωλύτως. πεπρωμένην δὲ διὰ τὸ πεπεράνθαι πάντα, καὶ μηδὲν ἐν τοῖς οὖσιν ἄπειρον εἶναι. καὶ μοῖραν μὲν ἀπὸ τοῦ μεμερίσθαι. νέμεσιν δὲ ἀπὸ τῆς ἑκάστου διανεμήσεως. ἀδράστειαν δ᾽ ἀναπόδραστον, αἰτίαν οὖσαν κατὰ φύσιν. αἶσαν δ᾽ ἀεὶ οὖσαν. Factum eſt ipſe Deus. Latinis ſuperſedeo, quòd & qui Græcè ſciunt Latina non requirant, & qui neſciunt, iis ſingularum appellationum vis & ratio non poſſit expediri. Tantùm nota vt fatum à fando, ſic vt notat Plutarchus libro de fato, εἱμαρμένη προσαγορεύεται ὡς ἂν εἰρημένη. Seneca lib. 2. natur. quæſt. cap. 45. *Vis illum fatum vocare? non errabis. Hic eſt ex quo ſuſpenſa ſunt omnia, & cauſſa cauſſarum. Vis illum prouidentiam dicere? rectè dices. Eſt enim cuius conſilio huic mundo prouidetur, vt inconcuſſus eat, & actus ſuos explicet.* Iam ſi fatum Deum ipſum eſſe dicamus, vix poterimus fatum à diuino decreto & ipſa prouidentia primáque rerum omnium cauſsâ diſtinguere. Plotinus Enneade 3. lib. 10. cap. 2. *Cauſam,* inquit, *hanc primam per omnia ſe diffundere, neque mouere ſolùm, verùm etiam ſingula facere arbitrantur. Quam quidem & fatum vocant, fatum*

fatum exiſtimantes cauſſam potentiſſimam cuncta mouentem, non modò cætera quotcunque ſunt, ſed cogitationes quoque noſtras ex ipſius motionibus proficiſci: non aliter quàm in animali partes ſingulæ mouentur, non quidem à ſeipſis, ſed ab eo quod in quolibet animali obtinet principatum. Alij præterea totius mundi circuitum omnia complectentem, motúque ſingula facientem, atque habitibus configurationibúſque ſtellarum tam errantium, quàm non errantium mutuis peragentem fatum iudicant. Et prædictionibus per cœleſtia factis freti ſingula inde fieri arbitrantur. Poſſet inſuper aliquis alia quadam ratione deſcribere fatum, dicens id eſſe complexionem mutuam cauſſarum, ſeriémque connexam deſuper emanantem, per quam poſteriora ſemper prioribus obſecundent: atque hæc ipſa poſteriora in præcedentia reflectantur, vtpote quæ per ipſa fiant, & abſque ipſis effici nequeant: quo efficiatur vt antecedentibus ſemper ſequentia ſeruiant. Qui primam cauſſam fatum eſſe volunt, niſi eam ſolam eſſe cauſſam omnium actionum, aut neceſſitatem humanis actionibus inferre dicant, nihil dicunt quod meritò poſſit improbari. Qui fatum aiunt cœli motu ſtellarúmque conſtitutionibus contineri ab Auguſtino 5. de Ciuitate, Baſilio homiliâ 6. in Hexameron, Ambroſio, Epiphanio, Euſebio, aliíſque paſſim confutantur: ſi nihil aliud contendunt quàm cœleſtia corpora quoſdam habere influxus in res è materiâ conflatas, è quibus indirectè, vt aiunt, redundare poſſit in humanas actiones, ita tamen vt voluntati libertas ſua ſeruetur, & ſapiens aſtris dominetur, adſtipulatores habebunt Theologos poſt D. Thomam 1. p. q. 115. art. 4. & 1. 2. q. 9. art. 5. *At qui introducunt cauſarum ſeriem ſempiternam*, vt cum Oratore loquar l. de fato, eorum nonnulli *mentem hominis voluntate libera ſpoliatam fati neceßitate deuinciunt.* In qua ſententia Democritum, Heraclitum, Empedoclem, Ariſtotelem fuiſſe dicit. Altera ſententia fuit, *Eorum quibus viderentur, ſine vllo fato eſſe animorum motus voluntarij.* Tertia fuit Chryſippi, qui tanquam arbiter honorarius ſe medium ferens, *cùm & neceßitatem improbare, & nihil vellet ſine præpoſitis cauſis euenire*, aptiſſimam cylindri & turbinis ſimilitudinem adferebat, *quæ moueri incipere niſi pulſa non poſſunt, id autem cùm accidit ſuapte natura, quod ſupereſt & cylindrum volui & verſari turbinem putat. vt igitur, inquit, qui protruſit cylindrum dedit ei principium motionis, volubilitatem autem non dedit: ſic viſum obiectum imprimet illud quidem, & quaſi ſignabit in animo ſuam ſpeciem, ſed aſſenſio noſtra erit in poteſtate, eáque, quemadmodum in cylindro dictum eſt, extrinſecus pulſa, quod reliquum eſt, ſuapte vi & natura mouebitur.* Vide Gellium libro 6. cap. 2. Quæ Chryſippi ſententia, ſi ſano ſenſu intelligatur, nihil habet veræ Theologiæ contrarium, cùm & voluntas ab intelligentia, intelligentia à ſenſu, ſenſus ab obiecto exteriore moueatur, & iſta cauſſarum ſeries ex ſempiterna illa diuinæ prouidentiæ diſpoſitione contexta ſit. Quo ſenſu veriùs quàm Latinus aſtronomus exclamare poterimus.

Quatenus verum dicant philoſophi de fato diſſerentes,

An fatum voluntati neceſſitatem importet.

Fata regunt orbem, certá ſtant omnia lege,
Longáque per certos ſignantur tempora curſus.
Naſcentes morimur, finíſque ab origine pendet, &c.

Plutarcho etiam dicitur εἱμαρμένη, ſiue fatum eſſe σύμπασα ἡ τοῦ κόσμου ψυχὴ τριχῆ διανεμηθεῖσα, εἴς τε τὴν ἀπλανῆ μοῖραν, καὶ εἰς τὴν πλανᾶσθαι νομιζομένην, καὶ τρίτην εἰς τὴν ὑπουράνιον τὴν περὶ γῆν ὑπάρχουσαν. ὧν ἡ μὲν ἀνωτάτω Κλωθὼ προσαγορεύεται, ἡ δὲ μετ' αὐτὴν Ἄτροπος, ἡ κατωτάτω δ' αὖ Λάχεσις. *Vniuerſa mundi anima trifariam diſtributa, in partem ſtellarum non errantium, in partem errantium vt putatur. In eam quæ ſub cœlo eſt circa terram, harum ſuprema Clotho, media Atropos, infima Lacheſis nominatur.* Paulò aliter auctor aurei libelli de mundo ad Alexandrum. Τά τε περὶ τὰς μοίρας, καὶ τὸν ἄτρακτον εἰς τοῦτό πως νεύει. Τρεῖς μὲν γὰρ αἱ μοῖραι κατὰ τοὺς χρόνους μεμερισμέναι. νῆμα δ' ἀτράκτου τὸ μὲν ἐξειργασμένον, τὸ δὲ μέλλον, τὸ δὲ περιστρεφόμενον, τέτακται δὲ κατὰ μὲν τὸ γεγονὸς, μία τῶν μοιρῶν Ἄτροπος. ἐπεὶ τὰ παρελθόντα πάντα ἄτρεπτά ἐστι. κατὰ δὲ τὸ μέλλον Λάχεσις. εἰς πάντα γὰρ ἡ κατὰ φύσιν μένει λῆξις. κατὰ δὲ τὸ ἐνεστὼς Κλωθὼ, συμπεραίνουσά τε καὶ κλώθουσα ἑκάστῳ τὰ οἰκεῖα, &c. ταῦτα δὲ πάντα ἐστὶν οὐκ ἄλλο τι πλὴν ὁ θεός. *Quæ de Parcis & fuſo iactantur, in idem quodammodo referuntur. Siquidem tres enumerantur pro ratione temporum diſtributæ. Penſum enim fuſi modò perfectum, modò futurum, modò verſatur. Diſpoſitæ ſunt per tempora, vt præterito vna adſcribatur, quæ Atropos dicitur, quoniam præterita omnia immutabilia ſunt. Futuro Lacheſis: omnia enim naturali terminantur exitu. Inſtanti Clotho, quippe quæ conficiat, & ſua cuique neat. Hæc autem nihil aliud ſunt niſi Deus.* Hinc *Parcæ fatalia nentes*, frequenter apud Poëtas poſt Homerum, vt Odyſſ. 7.

Fatum animæ mundi.

Parcæ.

Πείσεται ἅσσα οἱ αἶσα κατακλῶθές τε βαρεῖαι
Γεινομένῳ νήσαντο λίνῳ ὅτε μιν τέκε μήτηρ.
Ille feret quos Parca grauis fatúmque labores
Naſcenti neuit, dum matris proſilit aluo.

Abs re fortaſſe non fuerit Platonicam fabellam attexere ex decimo de Repub. libro. Is deſcribit Ἀνάγκης ἄτρακτον, *fuſum Neceßitatis.* Οὗ τὴν μὲν ἠλακάτην τε καὶ τὸ ἄγκιστρον εἶναι ἐξ ἀδάμαντος, τὸν δὲ σφόνδυλον μικτὸν ἔκ τε τούτου καὶ ἄλλων γενῶν. *Cuius quidem fuſus & cuſpis ex adamante: verticulum verò ex hoc aliíſque generibus mixtum.* Sequar Marcilij Ficini verſionem. Nomine verticilli orbem cœleſtem intelligit. id enim ait ex aliis verticillis alio in aliud incluſis eſſe compoſitum. ὀκτὼ γὰρ εἶναι τοὺς ξύμπαντας σφονδύλους. *Octo eſſe hæc omnia verticula*, vt cœlum ſphæras octo, alias aliis inſertas complectitur. Addit: ἐπὶ τῶν κύκλων αὐτοῦ ἄνωθεν ἐφ' ἑκάστου βεβηκέναι Σειρῆνα συμπεριφερομένην, φωνὴν μίαν ἱεῖσαν ἕνα τόνον, ἐκ πασῶν δὲ ὀκτὼ οὐσῶν μίαν ἁρμονίαν ξυμφωνεῖν. *Supernè præterea cuilibet circulo hærere Sirenem vna cum globo delatam, vocem vnam, tonum vnum videlicet emittentem. Vnam tamen harmoniam ex omnibus octo concinere.* Quarum Sirenum concentu cœleſtium motuum ordinem & temperiem adumbrauit, quibus hominum fata reſpondere voluerunt. Subdit: Ἄλλας δὲ καθημένας πέριξ δι' ἴσου τρεῖς, ἐν θρόνῳ ἑκάστην, θυγατέρας τῆς Ἀνάγκης, Μοίρας λευχειμονούσας, στέμματα ἐπὶ τῶν κεφαλῶν ἐχούσας, Λάχεσίν τε καὶ Κλωθὼ, καὶ Ἄτροπον, ὑμνεῖν πρὸς τὴν τῶν Σειρήνων ἁρμονίαν, Λάχεσιν μὲν τὰ γεγονότα, Κλωθὼ δὲ τὰ ὄντα, Ἄτροπον δὲ τὰ μέλλοντα.

Fuſum Neceſſitatis.

Sirenes. *Alias autem tres Neceſſitatis filias æquali inuicem interuallo in throno ſedere, Parcas veſtibus albis, capite coronato, Lacheſin, Clotho, Atropon, quæ ad Sirenum harmoniam canant, Lacheſis quidem præterita, præſentia Clotho, Atropos verò futura.* Secundum Ariſtotelem, *Atropos præterita, Lacheſis verò futura.* Concinnunt igitur Parcæ Sirenibus, id eſt, fata ſtellarum motioni. vnde & ἀστέρες Orpheo,

Μοιρίδιοι, πάσης μοίρης σημάντορες ὄντες.

Fatidica atque omnis certiſſima nuntia fati.

Conſtellationes. Quod, vt putabant, hominum fata pendebant ex illa conſtellatione, ſub qua quiſque naſceretur, quaſi diuinum numen in cœlo ſua decreta conſcripſerit. cuiuſmodi exemplum præter naturæ ordinem refert Zonaras tertio tomo Annalium, quendam Iudicem Antiochiæ, eo ipſo die quo in Perſide Iulianus animam orco deuotam exhalauit, συνθήκην ἀστέρων ἐν οὐρανῷ θεάσασθαι γράμματι ἐκτυποῦσαν λέγοντα, ΣΗΜΕΡΟΝ ΕΝ ΠΕΡΣΙΔΙ ΙΟΥΛΙΑΝΟΣ ΑΝΑΙΡΕΤΑΙ. *Vidiſſe congeriem aſtrorum litteras exprimentem in hanc ſententiam*, HODIE IN PERSIDE IVLIANVS OCCIDITVR.

II. Patres Conſcripti. PATRES CONSCRIPTI.] Plutarchus in Romulo: Τοὺς ἐν συγκλήτῳ τελοῦντας οἱ μὲν ἔξωθεν ἄνδρας ἡγεμόνας καλοῦσιν. αὐτοὶ δὲ Ῥωμαῖοι πατέρας συγγεγραμμένους, τῷ μέγιστον μὲν ἀξίωμα καὶ τιμὴν, ἥκιστα δὲ φθόνον ἔχοντι χρώμενοι τῶν ὀνομάτων. Ἐν ἀρχῇ μὲν οὖν πατέρας αὐτοὺς μόνον, ὕστερον δὲ πλειόνων προσαναλαμβανομένων, πατέρας συγγεγραμμένους προσηγόρευσαν. *Eos qui in Senatu cenſentur, externi quidem duces appellant, ipſi verò Romani Patres Conſcriptos, nomine quod plurimum dignitatis & honoris, inuidiæ minimum habet. atque initio quidem Patres duntaxat, poſteà verò pluribus in Senatum allectis Patres Conſcriptos nominarunt.* Liuius libro 2. *Cædibus Regis diminutum Patrum numerum, primoribus equeſtris gradus lectis ad trecentorum formam expleuit. traditúmque inde fertur, vt in Senatum vocarentur qui Patres quique Conſcripti eſſent. Conſcriptos videlicet in nouum Senatum appellabant.*

III. HIS ANNIS VIGINTI.] Qui fluxerunt ab ipſius conſulatu ad Cæſaris cædem. Quoniam autem Ciceronis orationes explicanti neceſſaria eſt huius chronologiæ cognitio, pretium operæ fuerit per Conſules horum annorum ſeriem contexere.

Anno Vrbis Conditæ	690.	M. Tullius Cicero.	C. Antonius.
	691.	D. Iunius Silanus.	Luc. Murena.
	692.	M. Puppius Calpurnianus.	M. Valerius Meſſala.
	693.	Q. Metellus Celer.	Luc. Afranius.
	694.	C. Iulius Cæſar.	M. Calpurnius Bibulus.
	695.	L. Calpurnius Piſo.	Aul. Gabinius.
	696.	P. Lentulus Spinther.	Q. Metellus Nepos.
	697.	C. Cornelius Lentulus Marcellinus.	L. Marcius Philippus.
	698.	Cn. Pompeius Magnus II.	M. Licinius Craſſus II.
	699.	App. Clodius Pulcher.	L. Domitius Ænobarbus.
	700.	Cn. Domitius Caluinus.	M. Valerius Meſſala.
	701.	Cn. Pompeius Magnus III.	
	702.	M. Claudius Marcellus.	P. Seruius Sulpitius Rufus.
	703.	L. Æmilius Paulus.	C. Claudius Marcellus.
	704.	Luc. Cornelius Lentulus.	C. Claudius Marcellus.
	705.	C. Iulius Cæſar II.	P. Seruilius Iſauricus.
	706.	Q. Fufius Calenus.	P. Vatinius.
	707.	C. Iulius Cæſar III.	M. Æmilius Lepidus.
	708.	C. Iulius Cæſar IV.	
	709.	C. Iulius Cæſar V.	M. Antonius.

Quo anno occiſo Cæſari Idibus Martij P. Cornelius Dolabella Conſul in reliquum annum ſuffectus eſt. Alij Chronologi Tullij conſulatum anno ab V. C. ſexcenteſimo nonageſimo primo aſſignant.

IV. Belli indictio. INDIXERIT.] Ad ſolemnem indicendi belli ritum videtur alludere. De quo Dio Cocceius libro 50. Τῇ δὲ Κλεοπάτρᾳ τὸν πόλεμον ἄντικρυς ἐπήγγειλαν. καὶ τάς τε χλαμύδας, ὡς καὶ ἐν χερσὶν αὐτοῦ ὄντος μετημπίσχοντο, καὶ πρὸς τὸ Ἐνυεῖον ἐλθόντες, πάντα τὰ προπολέμια, κατὰ τὸ νομιζόμενον, διὰ τοῦ Καίσαρος, ὡς καὶ φητιαλίου, ἐποίησαν. *Cleopatræ bellum manifeſtè indixerunt, ac quaſi id iam in manibus eſſet, ſaga ipſi ſumpſerunt, & ad ædem Bellonæ progreſſi ſunt, ibíque Cæſar, tanquam Fecialis, omnia, quæ antequam bellum iniretur, fieri Romano more conſueuerant, iuſſu eorum peregit.* Vide enucleatiùs apud Maronem 7. Æneidos.

Mos erat Heſperio in Latio, &c.

Gellius libro 16. Noct. Attic. cap. 4. *Cincius in libro tertio de re militari Fecialem populi Romani bellum indicentem hoſtibus, telúmque in agrũ eorum iacientem, hiſce verbis vti ſcripſit: Quòd populus Hermundulus, homineſque populi Hermunduli, aduerſus populum Romanum bellum fecere, deliquerèque: quódque populus Romanus, cum populo Hermundulo, hominibúſque Hermundulis*

bellum iuſſit, ob eam rem ego populúſque Romanus populo Hermundulo, hominibúſque Hermundulis bellum indico, facióque.

EORVM EXITVS.] Dio libro 45. Ciceronem ita loquentem inducit, facta prius Cinnæ mentione. Καὶ τοῦτο τοῦ Ἀντωνίου τεθαύμακα, ὅτι τὰ ἔργα αὐτοῦ μιμούμενος, οὐ φοβεῖται μή ποτε ὅμοια καταστροφῇ περιπέσῃ. *Et hoc in Antonio miror, quòd cuius facta imitetur, eius exitum non perhorreſcat.* Nazianzenus orat. de modeſtiâ in diſſerendo. ὧν φύγωμεν τὴν αὐθάδειαν, καὶ μηδ' ἀπόνοιαν μιμησώμεθα, μηδὲ τὸ τέλος δεξώμεθα. *Quorum audaciam fugiamus, neque deſperationem imitemur, neque exitum ſortiamur.* Hieronymus epiſtola ad Cteſiphontem aduerſus Pelagium: *Nec fieri poteſt vt diuerſus ſit eorum exitus, quorum eſt vna ſententia.* Plutarchus in Pompeio de lege Gabinia, & mittendo contra Piratas Pompeio diſſerens. Καὶ τῶν τε ὑπάτων ἅτερος εἰπὼν πρὸς αὐτόν, ὅτι Ῥωμύλον ζηλῶν οὐ φεύξεται ταὐτὸν ἐκείνῳ τέλος, ἐκινδύνευσεν ὑπὸ τοῦ πλήθους διαφθαρῆναι. *Et alter è conſulibus Pompeio dicens, fore vt qui Romulum imitetur, eundem cum illo exitum ſortiatur, à plebe propemodum occiſus eſt.*

v. Quorũ facta imitamur, eorum exitus perhorreſcere debemus.

AVDACIOR QVAM L. CATILINA.] De moribus & audacia Catilinæ Cicero quatuor Catilinariis, & oratione contra Antonium & Catilinam in toga candida, Porcius Latro declamatione quadam. Dio, Plutarchus, Appianus, alij paſſim. vno Salluſtio contenti ſimus. *Luc. Catilina nobili genere natus, fuit magna vi & animi & corporis. Huic ab adoleſcentia bella inteſtina, cædes, rapinæ, diſcordia ciuilis grata fuere: ibíque iuuentutem ſuam exercuit. corpus patiens inediæ, algoris, vigiliæ, ſuprà quàm cuiquam credibile eſt. Animus audax, ſubdolus, varius, cuiuſlibet rei ſimulator ac diſſimulator, alieni appetens, ſui profuſus: ardens in cupiditatibus, ſatis eloquentiæ, ſapientiæ parum, vaſtus animus, immoderata, incredibilia, nimis alta ſemper cupiebat.* de furore Clodij nihil attinet dicere.

AXIOMATA.

Quorum facta imitere, eorum exitus debes perhorreſcere.

Nonnulli ſuam à viris bonis alienationem, commendationi ſibi apud impios & gloriæ fore putent.

ARGVMENTVM

Quod aggreſſus erat ſuperiori ſectione clariùs & enucleatiùs oſtendit, nullam Antonio inimicitias denuntianti cauſam aliam fuiſſe, quàm vt certo argumento probaret improbis ciuibus ſe Reip. bellum intuliſſe.

QVID putem? contemptúmne me? non video nec in vita, nec in gratia, nec in rebus geſtis, nec in hac mea mediocritate ingenij, quid deſpicere poſſit Antonius. An in ſenatu facillimè de me detrahi poſſe credidit? qui ordo clariſſimis ciuibus bene geſtæ Reip. teſtimonium multis, mihi vni conſeruatæ dedit. An decertare mecum voluit contentione dicendi? hoc quidem beneficium eſt. quid enim plenius, quid vberius, quàm mihi & pro me, & contra Antonium dicere? illud profectò eſt: non exiſtimauit ſui ſimilibus probari poſſe ſe eſſe hoſtem patriæ, niſi mihi eſſet inimicus. Cui prius quàm de cæteris rebus reſpondeo, de amicitia, quam à me violatam eſſe criminatus, quod ego grauiſſimum crimen iudico, pauca dicam. II.

EXPLANATIO.

QVID PVTEM?] Dubitatio rhetorica, & ſubiectio, qua ſingulas cauſas inquirit, vt à confutatione reliquarum poſſit ad veram deuenire. Eæ autem cauſæ quatuor ſubeſſe potuerunt Antonio. 1. Contemptus Ciceronis aduerſarij. 2. Auditorum beneuolentia in Antonium, odium in Ciceronem, quæ ſi fuiſſent, Antonij fiduciam exaggerare potuiſſent. 3. Quædam æmulatio dicendi. 4. Studium probandi odij ſui contra Remp.

NON VIDEO.] Primam cauſſam confutat, petitam à contemptu. Confutat autem inductione, & remotione cauſſarum quæ ipſum Antonio deſpicabilem facere potuiſſent. *In vita,* in priuata ratione viuendi, & domeſticiis officiis. *In gratia,* auctoritate & beneuolentia ciuium, quam ſibi labore, induſtria, beneuolentiâ, humiliorum patrocinio aliiſque virtutibus compararat. *nec in rebus geſtis,* in adminiſtratione Reipub. rebúſque præclarè geſtis in quæſtura Sicilienſi, in ædilitate curuli, prætura vrbana, conſulatu; proconſulatu Ciliciæ prouinciæ. *mediocritate ingenij,* cuius modeſtiſſimè facit mentionem, vt conciliatis animis paulò pòſt liberiùs, & cum minore inuidia demonſtret eloquentiæ fiduciam. Notant autem nonnulli inductionem hanc ſuis partibus abſolutam non eſſe, quòd vnum membrum, videlicet familiæ nouitatem veram & germanam contemptûs cauſſam omiſerit, id fucum ſuis au-

ditoribus faciendum. Hæc enim nouitas vnica fuit quam in Cicerone deſpicere potuit Antonius.

An in Senatv.] Secundam cauſſam proponit, & refellit ab honoribus quos Senatus ipſi decreuerat, epiſt. ad familiares 4. libro 15. quæ eſt ad Catonem. *Tu idem mihi ſupplicationem decreuiſti togato, non vt multis, Repub. bene geſtâ, ſed, vt nemini, conſeruatâ.* Vide infra 9. Philippicâ 14. §. 24. *Mihi conſuli ſupplicatio, nullis armis ſumptis, non ob cædem hoſtium, ſed ob conſeruationem ciuium, nouo & inaudito genere decreta eſt.*

An decertare.] Tertia cauſſa proponitur & remouetur. Beneficium mihi contulerit, ſi mecum in eloquentiæ certamen deſcenderit. quod probat à facultate. Nihil, inquit, plenius & vberius quàm mihi, qui non ſum adeò dicendi rudis & imperitus, & pro me, qui & vitam innocenter exegi, multáſque res præclarè geſſi quas facile eſt ornare dicendo, & contra Antonium dicere multis ſceleribus & flagitiis inquinatum, cui maledicere facillimum eſt.

Illvd profecto est.] Remotis aliis, ſubdit rationem cur Antonius ipſi bellum indixerit: nimirum vt apud improbos ciues ſuíque ſimiles fidem faceret, ſe non ſimulatè, ſed verè & ex animo Reip. bellum indicere.

NOTÆ.

I. VITA] In Vatinium 8. *Scilicet aſpera natura: difficilis aditus: grauis vultus: ſuperba reſponſa: inſolens vita: nemo humanitatem meam, nemo conſuetudinem, nemo conſilium, nemo auxilium requirebat.* vide Notas.

II. Clarissimis.] Vide Milonianam §. 17.

III. Bene gestæ Reip.] De hac loquendi formula diximus in Piſ. §. 97. n. 9.

IV. Et mihi et pro me.] Duplex hoc loco videtur ἀλαζόνεια contineri, *mihi* eloquentiæ, *pro me* rerum geſtarum iactatio. De poſteriore genere §. 8. diſſeremus: nunc paucis videndum eloquentiámne ſuam & dicendi vbertatem inſolenter aliquando iactauerit. Plutarchus comparatione Ciceronis & Demoſthenis, in hoc genere Latinum grauiter reprehendit: Τελευτῶν δ' οὐ τὰ ἔργα, καὶ τὰς πράξεις μόνον, ἀλλὰ καὶ τοὺς λόγους ἐπῄνει τοὺς εἰρημένους ὑπ' αὐτοῦ καὶ γεγραμμένους, ὥσπερ Ἰσοκράτει, καὶ Ἀναξιμένει τοῖς σοφισταῖς διαμειρακιευόμενος, οὐ τὸν Ῥωμαίων δῆμον ἄγειν ἀξιῶν, καὶ ὀρθοῦν.

Βριθὺν ὁπλιτοπάλαν δάϊον ἀντιπάλοις.

Cicero iactator eloquentiæ. Ἰσχύειν μὲν γὰρ διὰ λόγου τὸν πολιτευόμενον ἀναγκαῖον, ἀγαπᾶν δ' ἀγεννὲς, καὶ λιχνεύειν τὴν ἀπὸ τοῦ λόγου δόξαν. *Tandem non opera ſolùm, & res à ſe geſtas, ſed etiam orationes à ſe dictas ſcriptáſve dilaudat, quaſi ſe apud Iſocratem aut Anaximenem Sophiſtas venditaret, non quocunque flectere, aut etiam corrigere populum Romanum vellet.*

Armatum aduerſis hoſtibus vſque grauem.

Eum enim qui ad Remp accedit, eloquentia munitum eſſe oportet, at leuis & abiecti animi eſt gloriam quæ ex dicendo prouenit amare, & quaſi ligurire. Quod crimen ſi verum eſt, meritò ſanè reprehendendus, imò exſibilandus fuerit Orator. Siquidem, vt auctor eſt Themiſtius oratione prima: Οὐδὲν οὕτως ἄκουσμα φορτικὸν, ὡς ὁ καθ' ἑαυτοῦ ἔπαινος, καὶ ταῦτα, ἐπὶ παιδείᾳ, ἐφ' ᾗ καὶ ἄλλων ἐπαινούντων ἐρυθριᾶν χρεὼν τοὺς ἀληθινῶς αὐτῆς ἐπηβόλους. χαλεπὸν μὲν γὰρ καὶ χρηματιστῇ συγγενέσθαι, οὐδὲν ἐθέλοντι ἐπαινεῖν ἀλλ' ἢ τὸν πλοῦτον, καὶ τὰ κύμβια, καὶ τὰ ῥυτὰ, καὶ τὴν πορφύραν, καὶ τὰ χρυσία. ἀποκναίσειε δ' ἂν καὶ στρατιώτης ἀλαζὼν, καὶ οἷος ἐν τῇ κωμῳδίᾳ. ἀλλ' οὐδὲν οὕτω πλήσμιον, καὶ ἐμποιοῦν πολλὴν ναυτίαν, ὡς τὸ ἄγεσθαι, καὶ ὑπεράγεσθαι ἀγχίνοιάν τ' αὐτοῦ καὶ ὀξύτητα, καὶ εὐμάθειαν, καὶ πολυμάθειαν, καὶ μνήμην. *Nec eſt auditu res adeò vlla intolerabilis vt ſui ipſius commendatio, præſertimque eruditionis nomine, de qua laudantibus aliis erubeſcere conuenit eos, qui verè illius compotes ſint. Etenim cum homine quæſtui dedito verſari eſt quidem ingratum, qui nihil aliud laudare velit, præterquam diuitias aut cymbia, atque pocula, aut purpuram, aut ornamenta aurea. Sed & miles aliquis glorioſus tædium adferat, cuiuſmodi induci in comœdia ſolet. Sed nihil æquè faſtidium & nauſeam parit, atque admirando extollere, & impensè extollere ſolertiam ſuam, & acumen ingenij, docilitatémque, & eruditionis copiam, atque memoriam.* Ingenij & eloquentiæ iactatio odioſa.

Nos Fabium libro 11. præfatione de Tullio loquentem audiamus. *Eloquentiam quidem cùm pleniſſimam diuerſæ partis aduocatis concederet, ſibi nunquam in agendo immodicè arrogauit. Illius ſunt enim* (pro Archia) *ſi quid eſt in me ingenij, quod ſentio quàm ſit exiguum. Et* (pro Quintio) *Nam quo minùs ingenio poſſum, ſubſidium mihi diligentiâ comparaui. Quin etiam contra Q. Cæcilium de accuſatore in Verrem conſtituendo, quamuis in hoc quoque multum eſſet momenti, vter ad agendum magis idoneus veniret, dicendi tamen facultatem, magis illi detraxit, quàm arrogauit ſibi: ſéque non conſecutum, ſed omnia ſe feciſſe, vt poſſet eam conſequi dixit. In epiſtolis aliquando familiariter apud amicos, nonnunquam in dialogis alienâ tamen perſona, verùm de eloquentia ſua dixit.* Sed quid tam inſolens vel in epiſtolis, vel etiam in dialogis, quàm ἐμβριθέστατος πάντων καὶ μεγαλοπρεπέστατος ὁ Δημοσθένης. *Firmiſſimus in eo genere & magnificentiſſimus Demoſthenes:* vt eum comparatione Ciceronis Plutarchus appellat. Audi Æſchinem de falſa legatione. Πηγὰς δὲ ἔφη λόγων ἀφθόνους ἔχειν ἐπηγγέλλετο, καὶ &c. τοιαῦτα ἐρεῖν ἔφη, ὥστε ἀπορράψειν τὸ Φιλίππου στόμα σχοίνῳ ἀβρόχῳ. *Iſte ſe fontes eloquentiæ vberrimos habere pollicebatur, &c. & talia dicturum aiebat, vt os Philippi laqueo ex integro fune confecto conſueret.* Qui nihilo ſeciùs cùm ad Philippum veniſſet repentè obmutuit, vt iam aduertimus oratione pro Cœlio 19. Quantò modeſtiùs Noſter Oratore ad Brutum, vt emendat Muretus lib. 12. var. lect. cap. 20. *Atque haud ſcio an plerique noſtrorum Oratorum, contrà atque nos ingenio plùs valuerint, quàm doctrinâ. Itaque illi dicere meliùs, quàm præcipere: nos contrà fortaſſe poſſumus meliùs docere.* Quid illud pro Murena 63. *Fatebor enim, Cato, me quoque in adoleſcentia diffiſum ingenio meo quæſiſſe adiumenta doctrinæ.* & 1. Tuſcul. *Ariſtoteles ait omnes ingenioſos melancholicos eſſe, vt ego tardiorem eſſe me non moleſtè feram.* Cicero in iactanda eloquentia moderatus, & moderatior ipſo Demoſthene.

Nisi mihi esset inimicvs.] Fortaſſe præ oculis habuerit illum Lyſiæ locum apologia Mantithei. Καὶ τὰ μὲν ἴδια οὕτω διῴκησα. περὶ δὲ τῶν κοινῶν μοι μέγιστον ἡγοῦμαι τεκμήριον εἶναι τῆς ἐμῆς ἐπιεικείας, ὅτι τῶν νεωτέρων ὅσοι περὶ κύβους ἢ πότους, ἢ περὶ τὰς τοιαύτας ἀκολασίας

τυγχάνουσι τὰς διατριβὰς ποιούμενοι, πάντας αὐτοὺς ὄψεσθέ μοι διαφόρους ὄντας, καὶ πλεῖστα τούτους περὶ ἐμοῦ λογοποιοῦντας, καὶ ψευδομένους. καίτοι δῆλον ὅτι εἰ τῶν αὐτῶν ἐπιθυμοῦμεν, οὐκ ἂν τοιαύτην γνώμην εἶχον περὶ ἐμοῦ.

Atque hæc mea vita priuata eſt. de rebus autem in Repub. geſtis maximum arbitror argumentum eſſe meæ probitatis, quòd ex iuuenibus quotquot aleæ, ebrietati, cæteris huiuſmodi voluptatibus & intemperantiæ vacant, eos mihi videbitis eſſe inimicos, plurimáque de me ſpargere mendacia. Atqui palàm eſt, non ita mecum ſe geſturos fuiſſe, ſi iiſdem ſtudiis tenerer.

AXIOMA.

Improbi exiſtimant ſui ſimilibus probari ſe non poſſe, niſi bonis fuerint inimici.

Summa Orationis Antonij in Ciceronem cui tria potiſſimum obiecerat.

- Ingrati animi vitium commemoratis
  - iniuriis Ciceronis, quas Antonius duas eſſe dicebat,
    - alteram, quòd iudicio quodam Cicero veniſſet contra rem Antonij.
    - alteram, quòd prima Philippica grauiter queſtus eſſet de Antonio.
  - cauſſis quæ Ciceronem Antonio coniungere debuerunt
    - Antonius tradiderat ſe in diſciplinam Ciceronis.
    - magnis eum beneficiis affecerat
      - auguratus petitionem ei conceſſerat.
      - ei poſt pugnam Pharſalicam pepercerat, cùm eum poſſet occidere.
      - & Cicero quibuſdam litteris multum ei ſe debere fatebatur.
- Violentiam & crudelitatem in omne genus hominum
  - in Conſulatu fuit violentus
    - 1. Capitolium ſeruis armatis occupauit.
    - 2. Indemnatos ciues in carcere iugulauit.
    - 3. Corpus P. Lentuli, qui vitricus Antonij fuerat, non permiſit ſepulturæ mandari.
    - 4. Inſolenter gloriatur de ſuo conſulatu.
  - Clodium ſuo conſilio interfecit.
  - Cauſſa fuit belli ciuilis, & Pompeium à Cæſare diſtraxit.
  - in caſtris Pompeij
    - moroſus fuit.
    - importunus in iocis.
    - contumelioſus in Pompeium.
- Odium ciuium in Ciceronem, idque ex eo conſtat quod nullus amicus eum inſtituerit heredem.

Obiecerat vt è ſuperiore tabula digeſſimus, Antonius M. Tullio ingratum animum, commemoratis Ciceronis iniuriis, & cauſſis neceſſitudinis quæ inter vtrumque intercedebant. Reſpondet Orator.

- Iniuriis
  - fateor quidem me quodam iudicio veniſſe contra rem tuam, ſed
    - pro familiari iniuſtè oppreſſo. 3.
    - contra alienum qui innocẽtem opprimebat
      - non iure prætorio.
      - ſed interceſſione iniquiſſima Tribuniplebis, apud quem erat gratioſus
        - nõ virtutis ſpecie,
        - ſed flore ætatis. 3.
  - fateor me queſtum fuiſſe, ſed
    - & neceſſaria querela fuit, cùm eſſem Conſularis. 6.
    - & queſtus ſum
      - grauiter de Rep.
      - de homine moderatè. 6.
- Cauſſis neceſſitudinis
  - diſciplinæ meæ,
    - nec te tradidiſti.
    - nec tradere potuiſti implicitus amicitia Curionis.
    - ſed ſi id feciſſes, meliùs conſuluiſſes
      - famæ.
      - pudicitiæ 3.
  - beneficiis reſpondet
    - negans auguratus petitionem ſibi ab Antonio fuiſſe conceſſam, quia quo tempore ipſe petiit auguratum, M. Antonius
      - nec ſoluendo erat.
      - & ita erat deſperatus, vt incolumem ſe fore non putaret, niſi euerſa Rep.
      - nec quicquam poterat abſente Curione 4.
    - negans ſibi vitam ab Antonio conceſſam, quod ipſum non potuerit occidere Cæſare prohibente. 5.
    - extenuans, & beneficium latronum appellans.
    - Antonium qui Ciceronis litteras protulerat, accuſans
      - inhumanitatis, qui hoc pacto tollat è vita vitæ ſocietatem, & amicorum colloquia abſentium.
      - ſtultitiæ
        - litteras proferebat, quas Cicero ſuas eſſe negare potuit.
        - his litteris non probabat Ciceronem eſſe ingratum, ſed potiùs contrarium.
        - id faciebat, quòd in ipſum retorqueri facilè potuiſſet, litteris eius recitatis. 7.

ARGVMENTVM.

Primum amicitiæ violatæ crimen confutat, redditque rationem cur cauſſam cuiuſdam ſui familiaris contra Q. Fadium Bambalionem M. Antonij ſocerum defendendam ſuſceperit.

CONTRA rem ſuam me neſcio quando veniſſe, queſtus eſt. An ego venirem contra alienum pro familiari & neceſſario? non venirem contra gratiam, non virtutis ſpe, ſed ætatis flore collectam? non venirem contra iniuriam, quam iſte interceſſoris iniquiſſimi beneficio obtinuit, non iure Prætorio? Sed hoc idcirco commemoratum à te puto, vt te infimo ordini commendares: cùm te omnes recordarentur libertini generum, & liberos tuos, nepotes Q. Fadij libertini hominis fuiſſe. At enim te in diſciplinam meam tradideras: nam ita dixiſti: domum meam ventitaras. Næ tu, ſi id feciſſes, meliùs famæ, meliùs pudicitiæ tuæ conſuluiſſes: ſed neque feciſti, nec, ſi cuperes, tibi id per C. Curionem facere licuiſſet. num. III.

EXPLANATIO.

CONTRA REM.] Res eſt obſcurior, nec vllis veterum teſtata monumentis, ac proinde ſuſpicionibus indaganda. Multas vxores habuit Antonius, quarum prima fuit Q. Fadij Bambalionis hominis libertini, ſed admodum opulenti filia. de qua tertia Philippica. *Tuæ coniugis, bonæ fœminæ, locupletis quidem certè, Bambalio quidam pater eſt, homo nullo numero. Nihil illo contemptius, qui propter hæſitantiam linguæ, ſtuporémque cordis cognomen ex contumelia traxerit.* Bambalio, vt erat ditiſſimus, alijs dabat partes, alios mittebat in negotia, cum alijs alia contrahebat. Quidam Ciceronis familiaris ei pecuniariam litem intendit. Bambalio cùm ſuæ cauſſæ ſi ex formula & edicto Prætoris ageretur, diffideret, à quodã Tribuno plebis per M. Antonium generum ſuum impetrauit, vt is illi iudicio intercederet, iuberétque diem proferri, quoad alij iudices in Bambalionem propenſiores conſtituerentur, vel totius iudicij mutari rationem. Actor obtinendæ cauſſæ ſpe deiectus, niſi quempiam magni nominis oratorem adhiberet, ad Ciceronem confugit. Cicero familiarem ſuum defendit, contra hanc iniquæ interceſſionis iniuriam, eiúſque cauſſam egit, etiam illa formula qua Tribunus plebis agi voluerat, vt quantumuis mutato iudicio, & iniquis conditionibus, ille ius ſuum obtineret. Hoc igitur facto querebatur Antonius, amicitiam à Cicerone fuiſſe violatam. Negat Orator, & illius ſui patrocinij tres oſtendit fuiſſe rationes. 1. quòd ille familiaris eſſet, alienus Bambalio. 2. quòd ille obtineretur gratiâ M. Antonij. 3. quòd contra omnem iuris formam, interceſſione Tribuni plebis, prohiberetur conſuetis formulis ius ſuum experiri.

REM SVAM.] Commodum ſuum, quia ſoceri ſui Bambalionis hereditatem erat aditurus, ac proinde eius omne detrimentum reíque familiaris iactura in ipſum Antonium redundabat.

CONTRA GRATIAM.] Contra iniuriam quam Tribunuſplebis interceſſione ſua, familiari meo inferebat, in gratiam Antonij, qui apud multos erat gratioſus; eámque gratiam non virtutis ſpecie, ſed impudicitiâ & pulchritudine collegerat. Quidam *virtutis ſpecie* ſplendorem virtutis, & pulchritudinem intelligũt: libentiùs interpreter prætextum ſimulationémq; virtutis, quaſi eam gratiam non ſolùm ſine virtute, ſed etiam ſine virtutis ſimulatione collegerit, ætatis flore quam proſtituebat libidini improborum.

QVAM ISTI.] Antonius obtinuit, vt familiari meo fieret iniuria, non quidem iure prætorio, & iudicij formulâ ſecundum Prætoris edictum conſtitutâ, ſed iniquiſſimâ Tribuni plebis interceſſione, qui contra ius fáſque iudicium diſcuſſit.

SED HOC.] Sarcaſmos per ironiam, quaſi Antonius crimen illud obiecerit, non tam vexandi Ciceronis cauſâ, quàm commemorandæ affinitatis, quàm ipſe cum homine libertino contraxerat.

AT ENIM.] Antonius vt violatæ amicitiæ crimen exaggeraret, dixerat ſe Ciceroni in diſciplinam ſe tradidiſſe, ac proinde à Cicerone oppugnari minime omnium debuiſſe. Negat Tullius, & obiter impudicitiæ crimen impingit.

NOTÆ.

VENISSE.] Notat Manutius eſſe iudiciale verbum. Octaua Philippica. *Negat ſe illum amicum eſſe debere, cùm ſuo eſſet magno beneficio veniſſe eum contra ſe.* pro Q. Roſcio. *Quid tu, Saturi, qui contra hunc venis exiſtimas aliter?* lib. 2. in Verrem. *Si de literis corruptis contraueneris.* Et pro Murena. *Si turpe exiſtimas te aduocato, illum ipſum, contra quem veneris, causâ cadere.* I. Venire iudiciale verbum.

ÆTATIS FLORE.] Humana vita frequenter cum flore comparatur ob breuitatem. Auſonius: II. Flos ætatis.

Collige virgo roſas, & dum tu colligis iſtas
Tum memor eſto æuum ſic properare tuum.

Vnde & Maro Pallantem 11. Æneidos, Euryalum 9. in ipſo ætatis flore, ſiue adoleſcentia necatos cum floribus marceſcentibus ſcitiſſimè comparauit. Pulchre Plinius præfat. libri 21. *Natura flores odoréſque in diem gignit, magna admonitione hominum, quæ ſpectatiſſimè floreant celerrimè marceſcere.* Frequenter tamen cùm florem ætatis appellant, aliquid ſubindicant obſcœni, vt hoc loco. Philo Iudæus lib. de profugis. Ἀκόλαστος γὰρ ἢ μαχλὰς, ἢ περιοδῖτις σοβαρὰ, ἢ τὸ τῆς ὥρας αὐτῆς ἐπευω-

νίζουσα,&c. *Impudica vel proſtituta, vel triuialis fœmina, vel ætatis florem vili venditãs.* Achilles Tatius lib. 1. Μὴ, πρὸς θεῶν, Χαρίκλεις, μή πω μοι δοῦλος γένῃ, μηδὲ τὸ ἄνθος περὶ κηρυγοῦ τῆς ἥβης ἀπολέσῃς, πρὸς γὰρ τοῖς ἄλλοις, καὶ τοῦτό ἐστι τοῦ γάμου τὸ ἀτύχημα, μαραίνειν τὴν ἀκμήν. Μὴ παρὰ δοὺς εὔμορφον τρυγῆσαι ῥόδον ἀμόρφῳ γεωργῷ. *Ne te, per Deos, ô Charicles, in ſeruitutem tradas, neque florem ætatis tuæ ante tempus perditum eas. Ad alia enim quæ in nuptiis mala ſunt, illud quoque accedit, quòd ætatis vigorem faciunt marceſcere. Noli venuſtam roſam inuenuſto agricolæ colligendam præbere.* Naſo Metamorphoſi.

Ætatis breue ver & primos carpere flores.

Lucretius lib. 4.

--flore fruuntur Ætatis.--

Apuleius Apologiâ. *Venit igitur ad eum noua nupta, ſecura & intrepida, pudore deſpoliato, flore exoleto, flammeo obſoleto.* Hieronymus Epiſt. ad Domnionem. *Vt florem ætatis non negligant, vt comedant & bibant, & balneas adeant, munditias appetant, vnguenta non ſpernant.* Tibullus lib. 1. eleg. 8.

At tu dum primi floret tibi temporis ætas,
Vtere. non tardo labitur illa pede.

Liuius l. 8. *Florem ætatis eius fructum aduentitium credidi ratus pellicere adoleſcentem ſermone inceſto eſt conatus.* Nomen etiam gratiæ eodem traducitur, vt iam expoſuimus in Cœlianâ, *aliam ineant gratiam.* Euripides Ioue, Κύπριδι χάριν πράσσων. *Veneri gratiam faciens.* Vide noſtrum Lælium Biſciolam virum ſanè eruditum horar. ſubceſiu. lib. 4. cap. 15. ex quo ſumpta quæ ſequuntur. Gratia. Suidas in voce Γάϊος Λαιτέριος. χαρίζεσθαι γὰρ κυρίως τὸ συνουσιάζειν λέγεται. Gratiam facere ſiue gratificari propriè dicitur in coitu. Scholiaſtes Pindari ad illa verba 2. Pyth. Ἄτερ δέ οἱ χαρίτων τέκε γόνον ὑπερφίαλον. *Sine gratiis verò ipſi partum edidit ſuperbum.* Ὥσπερ Θεόπομπος, inquit, ἐν Μήδῳ εἰσάγει τὸν Λυκαβηττὸν λέγοντα παρ' ἐμοὶ τὰ λίαν μειράκια χαρίζεται τοῖς ἡλικιώταις. Καὶ Ἀριστοφάνης ἐν Ἱππεῦσιν ἐκ μεταφορᾶς. Πολλῶν γὰρ ἤδη πειρασάντων αὐτὴν ὀλίγοις χαρίσασθαι. *Vt Theopompus in Medo Lycabetum dicentem inducit, apud me valdè pueri gratiam exhibent æqualibus. Et Ariſtophanes in Equitibus per tranſlationem. Multis enim iam perſuadentibus ipſi, vt paucis gratiam exhiberet.* Vt non ſit, inquit, Lælius, mihi difficile credere, huc alluſiſſe Ciceronem Græcarum conſuetudinum obſeruantiſſimum, cùm dixit quæſtu corporis gratiam alicuius colligere.

III. INTERCESSORIS INIQVISSIMI.] Iniquiſſimum vocat interceſſorem, vel quòd ea interceſſio Tribunitiam poteſtatem excederet, vel quòd iniuriam ei faceret, quem nõ patiebatur ius ſuum experiri. Non potuiſſe autem Tribunum plebis intercedere quo minùs reus cauſſam diceret, inſinuari videtur in Vatiniana. Tribunuſplebis non potuit impedire ne reus cauſã diceret. *Poſtulatúſne ſis lege Licinia & Iunia? Edixeritne C. Memmius Prætor ex ea lege, vt adeſſes die trigeſimo? cùm is dies veniſſet, feceriſne quod in hac Rep. non modò factum ante nunquam eſt, ſed in omni memoria ſit inauditum? appellariſne Tribunoſplebis ne cauſſam diceres: leuiùs dixi (quanquam id eſſet & nouũ, & non ferendum,) ſed appellariſne nominatim peſtem illius anni, furiam patriæ, tempeſtatem Reip. Clodium? Qui tamen cùm iure, cùm more, cùm poteſtate iudicium impedire non poſſet, redit ad illam vim, & furorem ſuum.* E quo loco, niſi fortaſſe oratoriè rem exaggerat, intelligi facilè poſſit hoc Q. Fadij iudicium poſt Tribunatum Clodij reditúmque Ciceronis ab exilio contigiſſe. Certè anno proximè ſequenti, eo videlicet ipſo quo reuocatus eſt Tullius, vt dicitur in Sextiana. *Ecce tibi Cõſul, Prætor, Tribunuſplebis noua noui generis edicta proponunt: ne reus adſit, nec citetur, ne quæratur, ne mentionem omnino cuiquam iudicum, aut iudiciorum facere liceat.* Non quidem vt iudicium omnino diſcuterent, ſed vt in aliud tempus proferrent, vt conſtat è Dione.

IVRE PRÆTORIO.] Papinianus D. de iuſtitia & iure. *Ius autem ciuile eſt quod ex legibus, plebiſcitis, Senatuſconſultis, decretis principum, auctoritate prudentium venit. Ius Prætorium eſt quod Prætores introduxerunt, adiuuandi, vel ſupplendi, vel colligendi iuris ciuilis gratiâ propter vtilitatem publicam: quod & honorarium dicitur ad honorem Prætorum ſic nominatum.* Subdit proximè eodem titulo Marcianus. *Nam eſt ipſum ius honorarium: viua vox eſt iuris ciuilis.* IV. Ius Prætoriũ

INFIMO ORDINI.] Varij fuerunt ordines, in quos ciuitas Romana deſcriberetur. Prima diuiſio fuit, in Senatum populúmque Romanum. quibus poſtmodum equeſter ordo acceſſit. vt ait Plinius lib. 33. cap. 2. Alia deſcriptio fuit in patritios & plebem, vt fusè oſtendimus pro Milone 4. *ampliſſimorum ordinum.* Plebem rurſus in tribunos ærarios, ſcribas, mercatores, & negotiatores, argentarios & fœneratores, artifices & opifices, turbam forenſem, libertinos & magiſtratuum apparitores diuidebant. de quibus fusè Sigonius lib. 2. de antiquo iure ciuiũ Romanorum à cap. 7. ad 15. aut etiam in aſſiduos & capite cenſos. de quibus nos loco citato Milonianæ. Infimus autem vocatur ordo libertinorum, quòd ſuffragiorum iure carerent, ſaltem in quatuor tantùm tribubus vrbanis ferrent ſuffragium, quòd in militiam ordinariè non adſciſcerentur niſi difficillimis Reip. temporibus, quòd ad magiſtratus & curiam aditum non haberent. vt eruditè probat Sigonius eiuſdem libri cap. 14. Libertini autem ij dicebantur, qui in libertatem aſſerti fuerant è ſeruitute: quamuis antiquitus ij non libertini, ſed liberti dicerẽtur, cùm libertini nomen in eorum filiis hæreret. Tranquillus in Claudio 24. *Etiam Appium Cæcum cenſorem, generis ſui proauctorem libertinorum filios in Senatum allegiſſe docuit: ignarus temporibus Appij, & deinceps aliquandiu, libertinos dictos non ipſos qui manumitterentur, ſed ingenuos ex his procreatos.* V. Varij ordines populi. Libertinorũ ordo omniũ infimus.

DOMVM MEAM VENTITARAS.] De more. Auctor de oratoribus & cauſis corruptæ eloquentiæ. *Ergo apud maiores noſtros iuuenis ille, qui foro & eloquentiæ parabatur, imbutus iam domeſticâ diſciplinâ, refertus honeſtis ſtudiis, deducebatur à patre vel à propinquis ad eum oratorem qui principem locum in ciuitate tenebat. Hunc ſectari, hunc proſequi, huius omnibus dictionibus intereſſe, ſiue in iudiciis, ſiue in concionibus aſſueſcebat.* Plinius Iunior lib. 8. ep. *Erat autem antiquitus inſtitutum, vt à maioribus natu non auribus modò, verùm etiam oculis diſceremus, quæ facienda nos ipſi ac per vices quaſdam tradenda minoribus haberemus. Inde adoleſcentuli ſtatim caſtrenſibus ſtipendiis imbuebantur, &c. Inde honores petituri aſſiſtebant curiæ foribus, & conſilij publici ſpectatores antequam conſortes erant. Suus cuique parens pro magiſtro, aut cui parens non erat, maximus quiſque &* VI. Mos deducendi adoleſcentulos ad viros graues ſumpta virili toga.

vetuſtiſſimus pro parente. Adeò vt ne forenſia quidem auſpicari ſtipendia,& ad dicendum prodire liceret ſine auctore. Idem libro 2. epiſt. 14. *At Herculè ante memoriam meam (maiores natu ita dicere ſolebant) ne nobiliſſimis quidem adoleſcentibus locus erat, niſi aliquo conſulari producente. Tanta veneratione pulcherrimum opus colebatur. Nunc refractis pudoris & reuerentiæ clauſtris omnia patent omnibus: nec inducuntur, ſed irrumpunt.* Neque ſolùm vt foro ſe aut militiæ pararent, ſed etiam vt mores componerent, ad maiores natu ventitabant. Perſius ſat. 5.

Cùm primùm pauido cuſtos mihi purpura ceſſit,
Bulláque ſuccinctis laribus donata pependit,&c.
Me tibi ſuppoſui, teneros tu ſuſcipis annos
Socratico, Cornute, ſinu. Tunc fallere ſolers
Appoſita intortos oſtendit regula mores,
Et premitur ratione animus, vincíque laborat,
Artificémque tuo ducit ſub pollice vultum.

E quibus intelligas huiuſmodi vitæ magiſtros ſumptâ virili togâ primùm adſcitos fuiſſe, vt in Cœliana: *Vt huic virilem togam dedit,*&c. *hoc dicam hunc à patre continuò ad me eſſe deductum.* vide initium lib. de amicitia.

MELIVS FAMÆ, MELIVS PVDICITIÆ.] Bene famam pudicitiæ coniungit: vt etiam Maro 4. Æneidos: VII. Libidinis & impudicitiis famam ſauciant.

Extinctus pudor, & qua ſola ſidera adibam
Fama prior.- Item:
--*& oblitos famæ melioris amantes.*

Sicut contra impuri amores, vt cum Piſtoclere Plautino loquar Bacchidibus ſc. 1.

Animum fodicant, bona diſſimulant, facta & famam ſauciant.

Lucretius 4.

Languent officia, atque ægrotat fama vacillans.

Hinc mulieres famoſæ, quo in genere lepidum illud 2. de Orat. *Cùm Q. Opimius Conſularis, qui adoleſcentulus malè audiſſet, feſtiuo homini Egilio, qui videretur mollior, nec eſſet, dixiſſet:*

-*quid tu Egilia mea?*
Quin ad me accedis cùm tua colu & lana?
-*non pol (inquit) audeo.*
Nam me ad famoſas vetuit mater accedere.

ARGVMENTVM.

Antonius vt ingratum fuiſſe Ciceronem oſtenderet, commemorabat ſua in illum beneficia, ac primò dixerat ſe cùm augur fieri poſſet, idque ſacerdotium præripere Ciceroni, ab auguratus petitione, in illius gratiam deſtitiſſe. Id confutat Orator.

AVGVRATVS petitionem mihi te conceſſiſſe dixiſti. O incredibilem audaciam! ô impudentiam prædicandam! Quo enim tempore me augurem à toto collegio expetitum Cn. Pompeius & Q. Hortenſius nominauerunt: neque enim licebat à pluribus nominari: nec tu ſoluendo eras, nec te vllo modo, niſi euerſa Repub. fore incolumem putabas. Poteras autem eo tempore auguratum petere, cùm in Italia Curio non eſſet? aut tum cùm es factus, vnam tribum ſine Curione ferre potuiſſes? cuius etiam familiares de vi condemnati ſunt, quòd tui nimis ſtudioſi fuiſſent. IV.

EXPLANATIO.

AVGVRATVS PETITIONEM.] Dixiſti te auguratus petitionem omiſiſſe in mei gratiam, ne videlicet ſi tu meus fuiſſes competitor, ego repulſam ferrem.

O INC.] Exclamatio in audaciam & impudentiam Antonij, ex eo quod eo tempore ſe auguratus petitionem conceſſiſſe alteri dicat, quo ipſe adeò gratiâ non valebat, vt oppreſſus ære alieno diutiùs ſtare locúmque tenere in ciuitate non poſſet.

QVO ENIM TEMPORE.] Anno, vt videtur, vrbis ſeptingenteſimo Cn. Domitio Caluino, & M. Valerio Meſſala Conſulibus, quo tempore Tullius P. Craſſo M. filio à Parthis deleto, augur in eius locum ſuffectus eſt.

A TOTO COLLEGIO.] Augurum omnium in mandando ſibi ſacerdotio beneuolentiam exponit, vt appareat cauſæ ſibi nihil eſſe cur Auguratum Antonio referat acceptum. ſiquidem eum facilè conſequi potuiſſet, etiamſi competitorem habuiſſet Antonium. A toto dicit ſe collegio expetitum, id eſt, à quatuordecim auguribus, qui in collegio ſuperfuerunt poſt mortem P. Craſſi: à Cn. Pompeio & Q. Hortenſio nominatum, quod ipſi perhonorificum fuit. Erant enim illi duo facilè principes ciuitatis. addit, *neque enim licebat à pluribus nominari*, innuens tam prolixam fuiſſe augurum voluntatem, vt ſi licitum fuiſſet, fuerit à toto collegio nominandus.

NEC TV.] Hactenus oſtendit ſibi ad auguratum facilè viam patuiſſe, nunc duas cauſas oſtendit quæ ad idem ſacerdotium Antonio aditum obſtruebant. Altera fuit æs alienum, altera Curionis abſentia. è quibus elicere poſſis hunc ſyllogiſmum.

Impudentia eſt cùm ipſe non potueris augur fieri, dicere te auguratus petitionem ei conceſſiſſe qui expetebatur à toto collegio.

Sed tu qui augur tum fieri non poteras auguratus petitionem, mihi, qui expetebar à toto collegio, te conceſſiſſe dixiſti.

Ergo impudens fuiſti.

AVT TVM.] A conſequenti probat eum auguratûs candidatum fieri non potuiſſe abſente Curione, quia poſteà, cùm augur factus eſt, id ſacerdotium adeptus eſt per Curionem. qui

tantopere ſtuduit Antonio auguratum petenti, vt eius familiares de vi damnati fuerint, quòd ſeditionem in comitiis concitaſſent.

NOTÆ.

I.
Petitionem alteri concedere, magnũ beneficiũ fuit.

AVGVRATVS.] De auguribus multa dicta ſunt pro Milone 44. cùm de auguſtis centuriarum auſpiciis diceremus. vide Plutarchum in Romulo, Halicarnaſſeum libro 2. & alios paſſim. Tantùm aduerte in huiuſmodi ſacerdotiorum petitione, cùm plures eſſent candidati, magnum beneficium fuiſſe ſi gratioſus competitor, petitionem alteri concederet. Sic Catulus ſummum pontificatum cum Cæſare & Iſaurico petens, προσέπεμψεν πείθων ἀποστῆναι τὸν Καίσαρα τῆς φιλοτιμίας ἐπὶ πολλοῖς χρήμασιν. *Miſit qui magnâ pecunia vi Cæſari perſuaderent, vt is à petitione deſiſteret.* vt narrat Plutarchus in Cæſare, ex quo etiam liquet quo tempore Noſter adeptus fuerit auguratum. Γίνεται δὲ καὶ τῶν ἱερέων, οὓς αὔγουρας Ῥωμαῖοι καλοῦσιν, ἀντὶ Κράσσου τοῦ νέου, μετὰ τὴν ἐν Πάρθοις αὐτοῦ τελευτήν. *Etiam in eorum ſacerdotum collegium adoptatus eſt, quos augures appellant Romani, loco Craßi Iunioris, cùm is apud Parthos mortem obiiſſet.*

II.
Collegium.
Tres augures.
Quatuor.
Nouem.
Quindecim.

A TOTO COLLEGIO.] *Tres faciunt Collegium*, vt ex Neratio ſcribit Marcellus D. de verb. ſignif. l. 85. Et ſanè initio tres tantùm augures fuerunt, poſt ſex, deinde nouem, poſt quindecim. Liuius libro 10. *Quemadmodum ad quatuor augurum numerum, niſi morte duorum, id redigi collegium potuerit, non inuenio: cùm inter augures conſtet imparem numerum debere eſſe, vt tres antiquæ tribus Ramnenſes, Titienſes, Luceres, ſuum quæque augurem habeant: aut ſi pluribus ſit opus, pari inter ſe numero ſacerdotes multiplicent: ſicut multiplicati ſunt, cùm ad quatuor quinque adiecti nouem numerum, vt terni in ſingulas eſſent, expleuerunt.* Vbi per imparem numerum intelligi videtur omnis numerus, ſiue par, ſiue impar, qui in partes tres æqualiter diuidatur. Pòſt vt dicitur in epitome lib. 89. *Sylla Dictator*, &c. *Pontificum, Augurúmque collegium ampliauit, vt eſſent quindecim.* Quod ait Dio extremis verbis libro 33. de Cæſare loquens. Ἔς τε τοὺς πεντεκαίδεκα ἕνα, καὶ ἐς τοὺς ἑπτὰ καλουμένους τρεῖς ἑτέρους προσαποδεῖξαι. *Ad quindecimuiros vnum, & ad ſeptemuiros tres alios adiunxit.* Id non de auguribus, ſed de quindecimuiris librorum Sibyllinorum cuſtodibus à Cornelio Sulla inſtitutis cùm primùm eos ſeruarent decemuiri, & de ſeptemuiris epulonum intelligo.

III.
Nominatio augurum.

NOMINAVERVNT.] Nominatione ſuâ in collegium cooptauerunt. Philipp. 13. de Sexto Pompeio loquens: *In primis paternum auguratus locum: in quem ego eum, vt quod à patre accepi, filio reddam, meâ nominatione cooptabo.* Initio libri de claris oratoribus de Hortenſio, *Interitu talis auguris dignitatem noſtri collegij diminutam dolebam: qua in cogitatione, & cooptatum me ab eo in collegium recordabar, in quo iuratus iudicium dignitatis meæ fecerat, & inauguratum ab eodem: ex quo augurum inſtitutis in parentis eum loco colere debebam.* Aduerte non ſolùm cùm augur in defuncti locum ſubrogandus eſſet, ſed etiam certo & ſolemni die nominatos fuiſſe à ſingulis quos digniſſimos eo ſacerdotio iudicarent. Plinius Iunior epiſtolâ 1. lib. 2. loquens de Virginio Rufo. *Hic illo die quo ſacerdotes ſolent nominare, quos digniſſimos ſacerdotio iudicant, me ſemper nominabat.* Et libro 4. epiſt. 8. *Gratularis quòd acceperim auguratum*, &c. *Mihi verò illud etiam gratulatione dignum videtur, quòd ſucceſſi Iulio Frontino principi viro, qui me nominationis die per hos continuos annos inter ſacerdotes nominabat, tanquam in locum ſuum cooptaret. Quod nunc euentus ita comprobauit, vt non fortuitum videretur.*

IV.
Qui ſoluendo non erant, iùs ſacerdotij petendi non habebant.

NEC TV SOLVENDO ERAS.] Antonij pater decoxerat. intrà 30. Ipſe ſeſtertium ſexagies æris alieni contraxerat. vel vt narrat Plutarchus: ὄφλημα βαρὺ καὶ παρ' ἡλικίαν αὐτῷ συνήχθη πεντήκοντα καὶ διακοσίων ταλάντων. *Æs alienum graue & præter ætatem ipſi conflatum eſt ducentorum & quinquaginta talentorum.* Qui autem ſoluendo non erant, non poterant ad ſacerdotia promoueri, lege iam inde à Romulo repetitâ, qui ſacerdotes eligi volebat, χρημάτων τε οὐσίαν ἔχοντας ἀρκοῦσαν. *qui ſatſicientes facultates poſſiderent.* atque adeò candidati profitebantur, id eſt reddebant rationem & facultatum ſuarum, & æris alieni, vt diximus pro Sextio.

V.

CVM IN ITALIA CVRIO NON ESSET.] In Aſia fuit Curio Domitio Caluino, & M. Valerio Meſſala Conſulibus, eóque ipſo anno reuerſus eſt cùm Milo peteret Conſulatum. Epiſtola 6. lib. 2. ad Curionem. *Cùm appropinquare tuus aduentus putaretur, & te iam ex Aſia Romam verſus profectum eſſe conſtaret.* Videtur autem in Aſia, cum imperio fuiſſe, epiſt. 5. *Gratulor, vel quia non vides ea quæ nos, vel quod excelſo & illuſtri loco ſita ſit laus tua in plurimorum & ſociorum & ciuium conſpectu: quæ ad nos nec obſcuro, nec vario ſermone, ſed & clariſſima & vna omnium voce perfertur.* Videtur autem quæſtor fuiſſe, is enim erat primus magiſtratus, & aditus ad cæteros honores.

VI.
Tribũ ferre.
Sacerdotes à collegio ſuffecti.
Deinde per populũ creati.

VNAM TRIBVM.] Nota locutio. Pro Sextio: *Tribum ſuam non tulit, palatinam denique, per quam omnes illæ peſtes vexare populum Romanum dicebantur, perdidit.* Sed quid tribus ad auguratum, cùm is è duorum augurum nominatione penderet? Variis modis pro diuerſitate temporum ſacerdotis collata ſunt. Siquidem tertio Marij conſulatu, vt ait Velleius lib. 2. *Cn. Domitius Tribunusplebis legem tulit, vt ſacerdotes, quos antea collega ſufficiebant, populus crearet.* Id ille fecit, vt aduertit Tranquillus in Nerone cap. 2. *Pontificibus offenſior, quòd alium quàm ſe in patris ſui locum cooptaſſent.* De hac lege noſter ep. 4. ad Brutum. *Exiſtimo omninò abſentium rationem ſacerdotum comitiis poſſe haberi. Nam etiam factum eſt antea. C. enim Marius cùm in Cappadocia eſſet, lege Domitia factus eſt augur: nec, quominùs id poſteà liceret, vlla lex ſanxit.* Hanc legem L. Sylla Dictator abrogauit, renouauit Tit. Labienus Conſulibus Cicerone & Antonio. Dio 77. *Cùm Labienus de Pontificibus creandis rogationem tuliſſet, Cæſar autem plebem demereretur, iterum plebs contra Syllæ legem, Domitij legem renouauit atque introduxit.* Parco Græcis contentus Guillelmi Xylandri verſione. Quod ita reor populi ſuffragiis fuiſſe permiſſum, vt neceſſe eſſet eum qui pontificatum vel auguratum adepturus erat, à duobus vel pontificibus vel auguribus no-

minari. Neque enim Cæſar adhuc adoleſcens, & plebeculæ quàm optimatibus iucundior, nominationem hanc contra Catulum & Seruilium Iſauricum cõpetitores obtinere facilè potuiſſet, niſi Domitia lege fuiſſet ita ſancitum. Noſter orat. 2. in Rullum §. 18. *Ne hoc quidem vidit maiores noſtros tam fuiſſe populares, vt quia per populum creari fas non erat, propter religionem ſacrorum, in eo tamen propter amplitudinem ſacerdotij* (Pontificatus maximi) *voluerint populo ſupplicari, atque hoc idem de cæteris ſacerdotiis Cn. Domitius Tribunusplebis, vir clariſſimus tulit, quia populus per religionem ſacerdotia mandare non poterat, vt minor pars populi vocaretur, ab ea parte qui eſſet factus, is à collegio cooptaretur.* Secuta eſt lex Iulia de ſacerdotiis à Iulio Cæſare lata, vt videtur, in primo conſulatu. de qua noſter ad Brutum epiſt. 4. *Eſt etiam in lege Iulia, quæ lex eſt de ſacerdotiis proxima, his verbis,* QVI PETIT CVIVSVE RATIO HABEBITVR. *apertè indicat poſſe rationem haberi etiam non præſentis.* Cuius, opinor, ea vis fuit vt ſacerdotes nominandi quidem, & cooptandi ſibi collegas ius haberent, ſed eorum tamen nominatio rata non eſſet, niſi populi ſuffragium & conſenſus accederet. Philipp. 3. *Reliqua populus Romanus in ea familia, quam vidit ampliſſimam, perſequetur. Imprimis paternum auguratus locum: in quem ego eum, vt quod à patre accepi filio reddam, meâ nominatione cooptabo. Vtrùm igitur augurem Iouis optimi maximi, cuius interpretes internuntiíque conſtituti ſumus, vtrùm populus Romanus libentius ſanciet, Pompeium an Antonium?* Atque adeò ſibi non repugnat, cùm in adeptione auguratus & nominationis & ſuffragij, ſiue tribuum facit mentionem.

SINE CVRIONE.] Plutarchus in Antonio: Κουρίων ὁ Ἀντωνίου φίλος ἐκ μεταβολῆς θεραπεύων τὰ Καίσαρος Ἀντώνιον προσηγάγετο. Καὶ μεγάλην μὲν ἀπὸ τοῦ λέγειν ἐν τοῖς πολλοῖς ἔχων ἰσχὺν, χρώμενος δὲ καὶ δαπάναις ἀφειδῶς, ἀφ' ὧν Καῖσαρ ἐχορήγει, δήμαρχον ἀπέδειξε τὸν Ἀντώνιον. Εἶτα τῶν ἐπ' οἰωνοῖς ἱερέων, οὓς αὔγουρας καλοῦσιν. *Curio amicus Antonij Cæſari ſtudens à ſe produxit Antonium. Cùmque propter eloquentiam magna apud populum auctoritate polleret, magnáſque, ſuppetitante ſumptus Cæſare, largitiones faceret, Antonium ad Tribunatumplebis, deinde ad auguratum etiam promouit.* Factus eſt igitur augur eo ipſo anno quo Tribunusplebis, id eſt Luc. Cornelio Lentulo & C. Claudio Marcello Conſulibus quadriennio poſt Ciceronem. vel potiùs ſub finem anni præcedẽtis cùm iam Marcellus & Lentulus eſſent Conſules deſignati. Hirtius ſupplemento commentariorum de bello Gallico. *Cæſar Hibernis peractis contra conſuetudinem in Italiam quammaximis itineribus eſt profectus, vt municipia & colonias appellaret, quibus M. Antonij quæſtoris ſui commendauerat ſacerdotij petitionem. Contendebat enim gratia cum libenter pro homine ſibi coniunctiſſimo, quem paulò antè præmiſerat ad petitionem, tum acriter contra factionem & potentiam paucorum, qui M. Antonij repulsâ Cæſaris decedentis conuellere gratiam cupiebant. Hunc etſi augurem factum prius quàm Italiam attingeret, in itinere audierat,*&c. Subdit: *Inſolenter aduerſarij ſui gloriarentur L. Lentulum & C. Marcellum Conſules creatos, qui omnem honorem & dignitatem Cæſaris ſpoliarent.* VII. Quando augur factus Antonius.

ARGVMENTVM.

Oſtendit ſe ingratum non fuiſſe, nec immemorem illius beneficij quod Antonius exprobrabat: & primò quidem negat id beneficium eſſe dicendum, quòd ipſum Antonius poſt pugnam Pharſalicam Brunduſij non occiderit.

AT beneficio ſum tuo vſus: quo? quanquam illud ipſum quod commemoras, ſemper præ me tuli. Malui me tibi debere confiteri, quàm cuiquam minùs prudenti non ſatis gratus videri. Sed quo beneficio? quod me Brunduſij non occideris? quem ipſe victor, qui tibi, vt tute gloriari ſolebas, detulerat ex latronibus ſuis principatum, ſaluum eſſe voluiſſet, in Italiam ire iuſsiſſet, eum vt tu occideres, fac potuiſſe. Quod eſt aliud, P. C. beneficium latronum, niſi vt commemorare poſsint, iis ſe dediſſe vitam, quibus non ademerint? Quod ſi eſſet beneficium, nunquam ij qui illum interfecerunt à quo erant conſeruati, quos tu ipſe viros clariſsimos ſoles appellare, tantam eſſent gloriam conſecuti. Quale autem beneficium eſt, quòd te abſtinueris nefario ſcelere? quà in re non tam iucundum mihi videri debuit, non interfectum à te, quàm miſerum, id te impunè facere potuiſſe. V.

EXPLANATIO.

AT BENEFICIO.] Obiectio Antonij. Ingratus es, ô Cicero, qui contra rem meam veneris, qui magnum à me beneficium acceperas. Hoc autem ita confutat vt primò neget beneficium fuiſſe, deinde factum ſuum defendat.

QVO?] Interrogatio per diſſimulationem, quaſi beneficium illud ignoret, vel potiùs vt hac ſuſtentatione ſuſpendat animos auditorum.

QVANQVAM.] Correctio ad temperandam diſſimulationem, ne ſi abſolutè beneficium acceptum diſſimulet, ingratus eſſe videatur.

SEMPER PRÆ ME TVLI.] Vt Philippicâ

primâ. *Pauca querar de heſterna M. Antonij iniuriâ, cui ſum amicus, idque nonnullo eius officio debere etiam præ me ſemper tuli.*

MALVI.] Subiicit facti ſui rationem, & quia negaturus erat eſſe beneficium, periculúmque erat, ne ingratus videretur; ſe ad futuram orationem præmunit, oſtendítque ſe tam gratum fuiſſe, vt illi etiam ſe obligatum eſſe fateretur, à quo reuera beneficium non acceperat.

SED QVO BENEF.] Redit ad propoſitam interrogationem. Sequitur ſubiectio. Illud videlicet eſt beneficium quod commemoras, quod me deuicto Pompeio redeuntem non occideris.

QVEM IPSE VICTOR.] Probat non fuiſſe beneficium quòd ſe Antonius à Ciceronis cæde temperarit.

Non eſt beneficium ei vitam relinquere, quem non poteras occidere.
Sed me non poteras occidere.
Ergo non fuit beneficium.

Propoſitio, cùm facilè potuerit intelligi, meritò ſubticetur. Aſſumptio probatur, quia Cæſar noluerat occidi Ciceronem. Complexio non expreſſa eſt, atque adeò tota argumentatio epichiremate continetur. Cæſar autem victor detulerat Antonio principatum, quia cùm Dictaturam iniuſtè, & quaſi per latrocinium inuaſiſſet, Antonium magiſtrum equitum nominarat.

FAC POT.] Ex abundanti concedit Antonium ſibi necem inferre potuiſſe, & nihilominùs beneficium extenuat odioſâ latronum comparatione.

QVOD SI.] Breui epichiremate duo argumenta complectitur. Alterum eſt à conſequentibus.

Si eſſet beneficium eos ſeruare qui ſine ſcelere occidi non poſſunt, nunquam Brutus & Caſſius qui Cæſarem interfecerunt, à quo erant conſeruati, tantam eſſent gloriam conſecuti.
Sed magnam gloriam ſunt conſecuti.
Ergo non eſt beneficium.

Alterum petitur ab ipſius Antonij teſtimonio.

Si eſſet beneficium, Brutum & Caſsium non appellares viros clariſſimos.
Sed eos viros clariſſimos appellas.
Ergo non eſt beneficium.

QVA IN RE.] Concludit per indignationem & miſerationem tantum Antonio homini nequiſſimo licentiæ fuiſſe, vt ciues præſtantiſſimos impunè potuerit occidere.

NOTÆ.

I. NON SATIS GRATVS.] De gratitudine vide Sextianam §.11. N.6. de Prouinc. Conſular. 44. Commodè referri poſſit ad hunc locum dictum Mneſilochi Plautini Bacchidibus, actu 3. ſc. 2.

Gratitudo.

Nam pol quidem meo animo ingrato homine nihil impenſiu' ſt.
Malefactorem amitti ſatiùs, quàm relinqui beneficium,
Nimio præſtat impendioſum te, quàm ingratum dicier.
Illum laudabunt boni, hoc etiam ipſi culpabunt mali.

II. BRVNDVSII NON OCCIDERIS.] Plutarchus in Cicerone: Γενομένης τῆς κατὰ Φάρσαλον μάχης, ἧς οὐ μετέσχε δι' ἀῤῥωστίαν, καὶ Πομπηΐου φυγόντος, ὁ μὲν Κάτων καὶ στράτευμα συχνὸν ἐν Δυῤῥαχίῳ, καὶ στόλον ἔχων μέγαν, ἐκεῖνον ἠξίου στρατηγεῖν κατὰ νόμον, καὶ τὸ τῆς ὑπατείας ἀξίωμα προὔχοντα. Διωθούμενος δὲ τὴν ἀρχὴν ὁ Κικέρων, καὶ ὅλως φεύγων τὸ συστρατεύεσθαι, παρ' οὐδὲν ἦλθεν ἀναιρεθῆναι. Πομπηΐου τοῦ νέου, καὶ τῶν φίλων προδότην αὐτὸν ἀποκαλούντων, καὶ τὰ ξίφη σπασαμένων, εἰ μὴ Κάτων μεταξὺ μόλις ἀφείλετο, καὶ διῆκεν αὐτὸν ἐκ τοῦ στρατοπέδου. καταχθεὶς δ' εἰς Βρεντέσιον ἐνταῦθα διέτριβε, Καίσαρα περιμένων βραδύνοντα διὰ τὰς ἐν Ἀσίᾳ καὶ περὶ Αἴγυπτον ἀσχολίας. *Poſt pugnam verò Pharſalicam, cui propter corporis infirmitatem non interfuit, Pompeio fugiente, Cato magnum exercitum magnámque claſſem habens Dyrrachij, poſtulabat vt is ſecundùm leges & conſularem gradum imperium ſuſciperet. Quod ille repudians, omnínoque à perſequendis belli reliquiis abhorrens, propemodum nihil abfuit quin necaretur, Pompeio Iuniore & amicis proditorem eum vocantibus, gladióſque ſtringentibus, niſi Cato ſe interponens vix eum ſubduxiſſet, & à caſtris tranſtuliſſet. Appulſus verò Brunduſium, ibi moratus eſt Cæſarem expectans in Aſiâ & Ægypto cunctantem, ibi variis occupationibus diſtrictum.* Ciceronis acta poſt pugnam Pharſalicam. Cæſar autem, vt narrat idem Plutarchus in Antonio, Μετὰ τὴν νίκην Δικτάτωρ ἀναγορευθεὶς αὐτὸς μὲν ἐδίωκε Πομπήϊον. Ἀντώνιον δὲ δήμαρχοι, lege ἵππαρχον ἑλόμενος, εἰς Ῥώμην ἔπεμψεν. *Poſt victoriam Dictator creatus ipſe quidem perſecutus eſt Pompeium. Antonium verò Magiſtrum equitum nominans Romam ire iuſſit.* Quod Cicero inuidioſè principatum latronum appellat, quia contra leges ei Cæſar hunc honorem conceſſerat. Dio libro 42. Ὅτι Καῖσαρ τὴν Δικτατωρείαν παραχρῆμα, καίπερ ἔξω τῆς Ἰταλίας ὤν, ὑπέστη, καὶ τὸν Ἀντώνιον μηδὲ ἐστρατηγηκότα ἵππαρχον προσελόμενος. καὶ εἶπέ τι τούτῳ ὁ ὕπατος, καί τοι τῶν οἰωνιστῶν σφοδρότατα ἀντειπόντων μηδενὶ ἐξεῖναι πλείω τοῦ ἑξαμήνου, χρόνον ἱππαρχῆσαι. ἀλλ' ἐκεῖνοι μὲν γέλωτα ἐπὶ τούτῳ πολὺν ὦφλισκανον, αὐτὸν μὲν τὸν Δικτάτορα εἰς ἐνιαυτὸν παρὰ πάντα τὰ πάτρια λεχθῆναι γνόντες, περὶ δὲ τοῦ ἱππάρχου ἀκριβολογούμενοι. *Cæſar quamuis extra Italiam erat, ſtatim Dictaturam accepit, Magiſtro Equitum aſſumpto Antonio, qui Prætor nondum fuerat (ei autem magiſtratui Conſul poſt habebatur) ſummopere reclamantibus auguribus, non licere Magiſtro Equitum vltra ſextum menſem magiſtratum tenere. Verùm hi multo riſu excepti ſunt, quòd cùm contra omnium maiorum inſtituta Dictatori annuum imperium ſtatuiſſent, de Magiſtro Equitum accuratam rationem inire vellent.* Secutus ſum Xylandri verſionem, niſi quòd illa verba, καὶ εἶπέ τι τούτῳ ὁ ὕπατος. perperam, vt videtur, ita reddiderat. *Iſque ab hoc magiſtratu Conſul deinde factus eſt.* Quid autem Ciceroni & Antonio, è diuerſis partibus à pugna Pharſalica in Italiam appulſis, interceſſerit negotij, conſtat ex ipſo Cicerone. Epiſtola 6. lib. 11. ad Atticum: *In oppido aliquo mallem reſediſſe, quoad accerſerer. minùs ſermonis ſubiiſſem: minùs accepiſſem doloris: ipſum hoc me non angeret. Brunduſij iacere in omnes partes eſt moleſtum. Propiùs accedere, vt ſuades, quomodo ſine lictoribus, quos populus dedit, poſſum? qui mihi incolumi adimi non poſſunt, quos ego modo pauliſper bacillis in turbam conieci ad oppidum accedens, ne quis impetus militum fieret.* Et epiſtolâ ſequenti: *Ad me miſit Antonius exemplum Cæſaris ad ſe literarum,*

literarum, in quibus erat ſe audiuiſſe Catonem & Luc. Metellum in Italiam veniſſe, Romæ vt eſſent palàm: id ſibi non placere ne qui motus ex eo fierent: prohiberíque omnes Italiâ, niſi quorum ipſe cauſam cognouiſſet, déque eo vehementiùs erat ſcriptum. Itaque Antonius petebat à me per literas vt ſibi ignoſcerem: facere ſe non poſſe quin his literis pareret: tum ad eum miſi Luc. Lamiam qui demonſtraret illum Dolabellæ dixiſſe, vt ad me ſcriberet, vt in Italiam quamprimùm venirem: eius me literis veniſſe: tum ille edixit ita vt me exciperet, & Lælium nominatim: quod ſane nollem: Poterat enim ſine nomine re ipſa excipi. Pro Ligario. *Apud quem igitur hoc dico? Nempe apud eum qui cùm hoc ſciret, tamen me antequam vidit, Reip. reddidit? qui ad me ex Ægypto literas miſit, vt eſſem idem qui fuiſſem: qui cùm ipſe imperator in toto imperio populi Romani vnus eſſet, eſſe me alterum paſſus eſt: à quo hoc ipſo C. Panſa mihi nuntium perferente conceſſos faſces laureatos tenui, quoad tenendos putaui,* &c. E quibus patet, & quomodo de Cæſaris voluntate in Italiam venerit, & cur eum Antonius non potuerit occidere.

III. Fac. FAC POTVISSE.] Sed eſto: potueris me occidere. Ita Virgilius 4. Æneidos.

Quis me autem (fac velle) ſinet, ratibúſque ſuperbis
Irriſam accipiet?

Lib. 14. ad Attic. epiſt. 16. *Nam liberalibus quis potuit in Senatum non venire? Fac id potuiſſe aliquo modo: num etiam cùm veniſſemus liberè potuimus ſententiam dicere?* Infrà 50. de hac ipſa re loquens. *Sed fac te dediſſe mihi, quod non ademiſti: méque à te habere vitam, quia à te non ſit erepta.*

IV. Beneficium latronum. BENEFICIVM LATRONVM.] Saluianus libro 8. de gubernatione Dei: *Latrones quidem hoc prouerbio vti ſolent, vt quibus non auferant vitam, dediſſe ſe dicant.* Xenophon libro 2. de expeditione Cyri Iunioris. Menon Theſſalus: εὐεργεσίας κατέλεγε, ὁπότε τις αὐτὸν ἀφίστατο, ὅτι κεχειρωμένος αὐτῷ οὐκ ἀπώλεσεν αὐτόν. *Beneficij loco numerabat, ſi quis ab ipſo diſcederet, quòd eum in poteſtate habens, non occidiſſet.* In eandem penè ſententiam Seneca libro 2. de beneficiis cap. 12. *Cæſar dedit vitam Pompeio Penno, ſi dat qui non aufert.* Et cap. 20. Brutus à Cæſare: *Vitam accipere debuit: ob hoc tamen non habere illum parentis loco, qui in ius dandi beneficij iniuriâ venerat. Non enim ſeruauit is qui non interfecit, nec beneficium dedit, ſed miſsionem.* Plinius libro 16. cap. 42. *Hinc ciuicæ coronæ meritum virtutis inſigne clariſsimum: poſtquam ciuilium bellorum profano, meritum cœpit videri, ciuem non occidere.*

ERANT CONSERVATI.] Inter eos qui Cæſari necem intulerunt, præter Brutum & Caſſium factionis duces Pompeiani Cecilius, Bucolianus, Rubrius Rex, Q. Ligarius, M. Spurius, Seruius Galba, Sext. Naſo, Pontius Aquila numerantur ab Appiano 2. bellorum ciuilium, qui omnes Pompeiani fuerant, & à Cæſare ſeruati. Cæteros omitto, de Bruto Plutarchus. Λέγεται δὲ Καῖσαρ οὐκ ἀμελεῖν τοῦ ἀνδρὸς, ἀλλὰ καὶ προσειπεῖν τοῖς ὑφ' ἑαυτὸν ἡγεμόσιν ἐν τῇ μάχῃ, μὴ κτείνειν Βροῦτον, ἀλλὰ φείδεσθαι, καὶ παραδόντα μὲν ἑκουσίως ἄγειν, εἰ δ' ἀπομάχοιτο πρὸς τὴν σύλληψιν, ἐᾶν καὶ μὴ βιάζεσθαι. *Cæſarem aiunt eius curam non abieciſſe, ſed iis ducibus qui circa ipſum pugnæ intererant, præcepiſſe ne Brutum occiderent, ſed ei parcerent, & ſi quidem ſe voluntariè traderet, eum adducerent, ſin repugnaret, neque ſe capi ſineret, eum relinquerent, nec vim inferrent.*

AXIOMATA.

Præſtat aliis debere confiteri, etiamſi nihil debeas, quàm cuiquam minus prudenti non ſatis gratum videri.

Quod eſt aliud beneficium latronum, niſi vt gloriari poſſint, iis ſe dediſſe vitam, quibus non ademerint?

Non eſt beneficium, ſi te abſtineas à nefario ſcelere.

ARGVMENTVM.

Poſtquam rationibus euicit beneficium non fuiſſe, quòd ab Antonio non occiſus eſt, ex abundanti concedit fuiſſe beneficium, & hoc etiam conceſſo ingratum ſe non fuiſſe demonſtrat, quòd amicitiam nullo pacto violarit.

SED ſit beneficium; quandoquidem maius à latrone accipi nullum potuit; in quo potes me dicere ingratum? an de interitu Reipub. queri non debui, ne de te ingratus viderer? at in illa querela miſera quidem & luctuoſa, ſed mihi pro hoc gradu, in quo me Senatus populúſque Rom. collocauit, neceſſaria: quid eſt dictum à me cum contumelia? quid non moderatè? quid non amicè? quod quidem cuius temperantiæ fuit, de M. Antonio querentem, abſtinere maledicto? præſertim cùm tu reliquias Reipub. diſſipauiſſes: cùm domi tuæ turpiſſimo mercatu omnia eſſent venalia: cùm leges eas quæ nunquam promulgatæ eſſent, & de te, & à te latas confiterere: cùm auſpicia augur, interceſſionem Conſul ſuſtuliſſes: cùm eſſes fœdiſſimè ſtipatus armatis: cùm omnes impuritates pudica in domo quotidie ſuſciperes, vino luſtríſque confectus. At ego, tanquam mihi cum M. Craſſo contentio eſſet, quo cum multæ & magnæ fuerunt, non cum vno gladiatore nequiſſimo, de Repub. VI.

grauiter querens, de homine nihil dixi. Itaque hodie perficiam, vt intelligat, quantum à me beneficium tum acceperit.

EXPLANATIO.

SED SIT.] Conceſſio ἐν μειώσει longè contumelioſior, quàm ſi omninò fuiſſe beneficium negauiſſet, dum eam adfert conceſſionis ſuæ rationem, quòd maius à latrone beneficium accipi non poſſit.

AN DE INT.] Tres cauſas adfert, propter quas ſine ingrati animi notâ queri potuerit. 1. quia querebatur non de iniuriis ſibi priuatim illatis, ſed de interitu Reip. 2. quia querela fuit niſi neceſſaria. 3. quia fuit moderata, & ſine contumeliis.

PRO HOC GRADV.] Conſulari dignitate, quæ mihi querelæ neceſſitatem imponit, tum ne ex mea diſſimulatione & ſilentio aliquid calamitatis in Remp. redundet, tum ne ingratus videar ſi Reip. deſim, à qua fuerim in hoc dignitatis gradu collocatus. Quantam autem adhibuerit moderationem, videndum 1. Philipp. §. 27. 33. &c. Hîc aduerte aculeum orationis, cùm ſuam ipſius temperantiam quaſi miratur, quod de Antonio querens abſtinuerit maledicto. vbi emphaſis eſt in nomine *M. Antonio*, homine videlicet ſcelerato, & nefario, qui amplam maledicendi præbet materiam.

PRÆSERTIM.] Acerbè enumerat ea flagitia quæ Antonio obiici potuerant, niſi ipſe ſibi temperaſſet. Reliquias autem Reipub. vocat eas pecunias quas Cæſar reliquerat in ærario publico, quæ videlicet ſupererant ex Cæſaris largitionibus. Quod ſtrictim & moderatè dixerat Philippica 1. §. 17. *Pecunia vtinam ad Opis maneret, cruenta illa quidem, ſed his temporibus, cùm iis, quorum eſt, non redditur, neceſſaria.* Apertiùs hac orat. 78. *Vbi eſt ſepties millies? quod eſt in tabulis quæ ſunt ad Opis, funeſtæ illius quidem pecuniæ; ſed tamen, quæ nos, ſi iis, quorum erat, non redderetur, à tributis poſſet vindicare.*

DOMI TVÆ.] Etiam vt infrà dicitur 80. *In gynæceo, quo in loco plurimæ res venierunt.*

TVRPISS. MERCATV.] Infrà 23. *Domus quæſtuoſiſſima eſt falſorum commentariorum & chirographorum officina, agrorum, oppidorum, immunitatum, vectigalium flagitioſiſſimæ nundinæ.* Item 78. *Neque ſolùm ſingulis veniebant immunitates, ſed etiam populis vniuerſis: ciuitas non iam ſigillatim, ſed prouinciis totis dabatur. Itaque ſi hæc manent, quæ ſtante Repub. manere non poſſunt, prouincias vniuerſas, P.C. perdidiſtis, neque vectigalia ſolùm, ſed etiam imperium populi Romani huius domeſticis nundinis deminutum eſt.*

CVM LEGES.] Poſt mortem Cæſaris multas leges, quæ ne ſcriptæ quidem antè fuerant, nedum promulgatæ, vel tulit, vel per Tribunosplebis ferri curauit Antonius. quarum aliquæ ad ipſum Antonium pertinebant, contra legem Liciniam & Æbutiam. Quibus ferendis auſpicia neglexit, & Tribunosplebis ad intercedendum prohibuit accedere. A perſona facinoris atrocitatem exaggerat. longè enim eſt indignius ab augure quàm à cæteris auſpicia contemni. Cúmque ad officium Conſulis ſpectet præuidere ne tribunitiarum legum multitudine reſpublica turbetur, eáque legum multitudo ſolâ reliquorum Tribunorumplebis interceſſione tollatur, indigniſſimum eſt Conſulem Tribunisplebis intercedendi facultatem adimere.

PVDICA IN DOMO.] Cn. Pompeij. infrà 59. *Quid enim vnquam domus illa viderat niſi pudicum, niſi ex optimo more & ſanctiſſima diſciplina,* &c. vide.

CVM M. CRASSO.] Multas contentiones fuiſſe Ciceroni cum M. Licinio Craſſo conſtat ex eius in Craſſum dicteriis, quæ à Plutarcho referuntur.

NOTÆ.

I. LATRONE.] *Latrones qui iniuſtum bellum mouent.* leg. hoſtes. D. de capt. & poſtliminio. item leg. Hoſtes. de verb. ſignif. Latro.

II. PRO HOC GRADV.] Hoc ipſum eſt, quod queritur prima Philippica 14. *Qua quidem ex re magnum accipio dolorem, homines ampliſſimis populi Romani beneficiis vſos L. Piſonem ducem optimæ ſententiæ non ſecutos. Idcircóne nos populus Romanus Conſules fecit, vt in altiſſimo gradu dignitatis locati Remp. pro nihilo haberemus?* &c. Philippica 6. *Quid enim non debeo vobis, Quirites? quem vos à ſe ortum hominibus nobiliſſimis omnibus honoribus prætuliſtis?* &c. *Etenim quis eſt ciuis, præſertim hoc gradu, quo me vos eſſe voluiſtis, tam oblitus beneficij veſtri, tam immemor patriæ, tam inimicus dignitatis ſuæ, quem non excitet, non inflammet, tantus veſter iſte conſenſus?* Hæc igitur prior eſt ratio cur quæri debuerit de interitu Reip. nimirum gratitudo, & recordatio beneficiorum quæ à populo Romano acceperat. altera eſt quam adfert Plinius libro 4. epiſt. 22. quia, *vt in corporibus, ſic in imperio grauiſſimus eſt morbus, qui à capite diffunditur.*

III. TEMPERANTIÆ.] Vide Vat. 1. *Fuit paulò in te intemperantior fortaſſe quàm debui.*

IV. MALEDICTO.] Pro Cœlio 6. *Maledictio autem nihil habet propoſiti præter contumeliam, quæ ſi petulantiùs iactatur, conuitium: ſi facetiùs vrbanitas nominatur.* Maledictum.

V. LEGES EAS.] Abs re non fuerit legum, quas tum per ſe, tum per alios & maximè per fratrem ſuum Luc. Antonium Tribunumplebis tulit Antonius hoc loco ſeriem contexere. atque vt taceam priuilegia de ſingulis exulibus reuocandis. Leges ab Antonio latæ.

Prima ſit de Siculis ciuitate donandis. de qua 14. ad Attic. epiſt. 12. *Scis quàm diligam Siculos, & quàm illam clientelam honeſtam iudicem. Multa illis Cæſar, neque me inuito, etſi Latinitas erat non ferenda. Veruntamen. Ecce autem Antonius acceptâ grandi pecuniâ, fixit legem à Dictatore comitiis latam, qua Siculi ciues Romani: cuius rei viuo illo mentio nulla.* Quibus poſtremis inſinuat, eam legem, antequam promulgaretur, latam fuiſſe. Prima de Siculis ciuitate donandis.

Secunda fuit de Armenia Deiotaro reddenda. de qua infrà 79. & epiſtola proximè laudatâ. *Quid? Deiotari noſtri cauſſa non ſimilis dignus ille quidem omni regno, ſed non per Fulviam.* 2. De Armenia Deiotaro reddenda.

3.Agraria. Tertia fuit agraria. de qua Philipp. 5. §. *Hic omnem Italiam moderato homini Luc. Antonio diuidendam dedit. Quid? hanc legem populus Romanus accepit?* Clariùs Dio lib. 45. parco Græcis. *Per Luc. Antonium fratrem ſuum tribunum plebis, promulgationem tulit de multis agris, iiſque etiam qui eſſent in paludibus Pontinis (cùm tamen eæ nondum complanatæ, nedum agriculturæ aptæ eſſent) populo diuidendis. Erant eo tempore tres fratres Antonij, gerebátque quilibet eorum aliquem magiſtratum, M. Conſulatum, Luc. Tribunatum plebis, C. Præturam.*

4. De prouinciis. Quarta fuit de prouinciis, Philipp. 5. §. 7. *Tribuni plebis legem tulerunt de prouinciis contra acta Cæſaris, ille biennium, hic ſexennium.* Id eſt, alter eorum tribunorum legem tulit de M. Antonij ſententia, vt Prætoriæ prouinciæ biennium, alter vt Conſulares ſexennium tenerentur, cùm lege Cæſaris, vt dicitur primâ Philippicâ 19. cautum eſſet, *Ne Prætoriæ prouinciæ plùs quàm annum, néve plus quam biennium conſulares obtinerentur.*

5. Iudiciaria. Quinta fuit iudiciaria, quæ, vt dicitur prima Philipp. 19. 20. *Promulgata eſt de tertia decuria iudicum,* vt videlicet *quicunque ordinem duxerat, iudicaret.* de qua ibi, & Philipp. 5. fuſiſſimè.

6. De actis Cæſaris ſeruandis. Sexta fuit de actis Cæſaris ſeruandis. Philippica 5.

7. De abolenda dictatura. Septima de nomine dictaturæ tollendo. prima Philippica 3. *Dictaturam quæ vim iam regiæ poteſtatis obſederat, funditus ex Repub. ſuſtulit. De qua ne ſententias quidem diximus: ſcriptum S. C. quod fieri vellet attulit.* Quod S. C. etiam lege latâ ſanciuit. Philipp. 5. §. *Si quam legem de actis Cæſaris confirmandis, déve dictatura in perpetuum tollenda, déve colonis in agros deducendis tuliſſe M. Antonius dicitur, eaſdem leges de integro vt populum teneant, ſaluis auſpiciis, ferri placet.*

Ex his autem legibus quædam ne promulgatæ quidem fuerunt. 1. Philipp. *Ac de iis tamen legibus, quæ promulgatæ ſunt, ſaltem queri poſſumus, de iis quæ iam latæ dicuntur, ne illud quidem licuit. illæ enim nulla promulgatione latæ ſunt, antè quàm ſcriptæ.* Philipp. 5. §. 7. *Tulerunt de prouinciis contra acta Cæſaris ille biennium, hic ſexennium: Num etiam hanc legem populus Romanus accepit? Quid? promulgata fuit? Quid? nónne antè lata quam ſcripta? nónne antè factum vidimus, quàm futurum quiſquam eſt ſuſpicatus? vbi lex Cæcilia & Didia? vbi promulgatio trinundinum? vbi pœna recenti lege Iunia & Licinia?*

ET DE TE ET A TE LATAS.] Contra V.
leges Liciniam & Æbutiam, de quibus Orator Lex Licinia.
2. agraria. *Leges veteres ſunt, neque eæ Conſulares, ſi quid intereſſe hoc arbitramini, ſed tribunitia, vobis maioribúſque veſtris vehementer gratæ atque iucundæ. Licinia eſt lex, atque altera Æbutia, quæ non modò eum qui tulerit de aliqua curatione ac poteſtate, ſed etiam collegas eius, cognatos, affines excipit, ne iis poteſtas curatione mandetur.* Lex Æbutia.

AVSPICIA AVGVR.] Philipp. 5. §. 8. 9. VI.
Quam legem igitur ſe augur dicit tuliſſe, non modò tonante Ioue, ſed prope cœleſti clamore prohibente, hanc dubitabit contra auſpicia latam confiteri? Quid? quòd cum eo collega tulit, quem ipſe fecit ſua nuntiatione vitioſum? nihílne ad auſpicia bonus augur arbitratus eſt pertinere?

INTERCESSIONEM CONSVL.] Eadem VII.
Philippica §. 9. Antonio leges perferente, *Omnes fori aditus ita ſunt ſepti, vt etiamſi nemo obſtaret armatus, tamen, niſi ſeptis reuulſis, introiri in forum nullo modo poſſet. ſic verò erant diſpoſita præſidia, vt quomodo aditus hoſtium prohibetur caſtellis & aggeribus, ita ab ingreſſione fori populum, tribunóſque plebis propulſari videres.* Et ita dicitur interceſſionem ſuſtuliſſe, quia tribunos plebis, qui intercedere potuerant, ab ingreſſu fori ſubmouerat.

AXIOMATA.

Maius accipi à latrone beneficium nullum poteſt, quàm vt non occidat.

Non eſt deſerenda Reipub. cura ne in priuatos ingrati videamur.

Etiamſi nonnunquam querelæ ſint neceſſariæ, nihil tamen dici debet cum contumelia, nihil non moderatè, nihil non amicè.

ARGVMENTVM.

Antonius vt oſtenderet amicitiam à Cicerone fuiſſe violatam, Ciceronis ad ſe literas protulerat, palámque recitarat: Cicero Antonium non ſolùm ſtultitiæ, ſed etiam inhumanitatis accuſat, quòd literas huiuſmodi produxerit.

AT etiam literas, quas me ſibi miſiſſe diceret, recitauit: homo & VII.
humanitatis expers, & vitæ communis ignarus. Quis enim vnquam, qui paulùm modò bonorum conſuetudinem noſſet, litteras ad ſe ab amico miſſas, offenſione aliqua interpoſita, in medium protulit, palámque recitauit? Quid eſt aliud, tollere è vita vitæ ſocietatem, tollere amicorum colloquia abſentium? quàm multa ioca ſolent eſſe in epiſtolis: quæ prolata ſi ſint, inepta videantur? quàm multa ſeria, neque tamen vllo modo diuulganda? Sit hoc inhumanitatis tuæ: ſtultitiã incredibilem videte. Quid habes, quod mihi opponas, homo diſerte? vt Muſtelæ Tamiſio, & Tironi Numiſio videris, qui cùm hoc ipſo tempore ſtent cũ gladiis

in conſpectu Senatûs, ego quoque te diſertum putabo, ſi oſtenderis, quomodo ſis eo inter ſicarios defenſurus. Sed quid opponas tandem, ſi negem me vnquam iſtas litteras ad te miſiſſe? quo me teſte conuincas? an chirographo? in quo habes ſcientiam quæſtuoſam, quî poſſis? ſunt enim librarij manu. Iam inuideo magiſtro tuo, qui te tanta mercede, quantam iam proferam, nihil ſapere doceat. Quid eſt enim minùs, non dico oratoris, ſed hominis, quàm id obiicere aduerſario, quod ille ſi verbo negarit, longiùs progredi non poſſit qui obiecerit? At ego non nego, téque in iſto ipſo conuinco, non inhumanitatis ſolùm, ſed etiam amentiæ. Quod enim verbum in iſtis literis eſt non plenum humanitatis? officij? beneuolentiæ? omne autem crimen tuum eſt, quòd de te in his literis non malè exiſtimem, quòd ſcribebam tanquam ad ciuem, tanquam ad bonum virum, non tanquam ad ſceleratum & latronem. At ego tuas litteras, etſi iure poteram à te laceſſitus, tamen non proferam: quibus petis, vt tibi per me liceat quendam de exilio reducere, adiuráſque id te inuito me non eſſe facturum: ídque à me impetras. quid enim me interponerem audaciæ tuæ? quàm neque auctoritas huius ordinis, neque exiſtimatio populi Romani, neque leges vllæ poſſent coërcere? veruntamen quid erat, quod me rogares, ſi erat is, de quo rogabas, Cæſaris lege reductus? ſed videlicet meam gratiam voluit eſſe, in quo ne ipſius quidem vlla eſſe poterat, lege lata.

EXPLANATIO.

At etiam.] Hoc ſyllogiſmo inhumanitatis conuincit Antonium.

Humanitatis expers eſt & vita communis ignarus, qui literas ad ſe ab amico miſſas, offenſione oppoſita profert, palámque recitat.

Sed Antonius offenſione interpoſita, literas quas me ſibi miſiſſe diceret, protulit, palámque recitauit.

Ergo eſt & humanitatis expers, & vitæ communis ignarus.

Primò aſſumptionem poſuit, quæ probatione non indigebat, deinde complexionem, tertiò propoſitionem ſubtexuit, quia probationem aliquam requirebat. Probatur autē ab effectu, quia hoc pacto vitæ ſocietas tolleretur, & ab incommodis quæ ex hac vel iocorum, vel ſeruorum prolatione ſequerentur.

Sit hoc.] Tranſitio & dictorum à dicendis ſeiunctio.

Qvid habes.] Alter ſyllogiſmus, quo Antonium ſtultitiæ conuincit.

Stultus eſt qui id obiicit aduerſario, quod ille ſi verbo negarit, longiùs progredi non poſſit qui obiecerit.

Sed id obieciſti mihi, quod ſi verbo negarim, longiùs progredi non poſſis.

Ergo ſtultus es.

Propoſitio rurſus argumentationis locum habet extremum: medium aſſumptio. *Sed quid opponas tandem ſi negem me vnquam iſtas literas ad te dediſſe?* Primum complexio ironia breui comprehenſa *homo diſertè*. Et vt ironicè ſe loqui demonſtret, id ait Muſtelæ Tamiſio, & Numiſio Tironi videri, qui & aſſeclæ fuerunt Antonij & principes gladiatorum alibi nominantur, qua occaſione nunc breuem eorum inſectationem interſerit. Ego quoque, inquit, te diſertum putabo, ſi oſtenderis aliquem colorem, quem eorum ſceleris prætexas, & probes eos non eſſe ſicarios.

Qvo me teste.] Probatio aſſumptionis à partium enumeratione.

Si conuinci poſſem vel teſtibus, vel chirographo conuincerer.

Neutro conuincar. *Ergo*, &c.

An chirographo.] An exhibere potes literas mea manu ſcriptas, aut ſaltem ſubſcriptas?

In qvo habes.] Commodè hîc obiicit quod infrà fuſiùs exponet. 23. *Domus quæſtuoſiſſima eſt falſorum commentariorum & chirographorum officina, agrorum, oppidorum, immunitatum vectigalium flagitioſiſſimæ nundinæ.*

Iam invideo.] Epiphonema quo ſuperioris argumentationis concluſio citra ironiam repetita continetur, & egregio lepôre exhilaratur oratio. Infrà 30. *At quanta merces Rhetori data eſt? audite, audite, P. C. Reip. vulnera. Duo millia iugerum campi Leontini Sexto Clodio Rhetori aſſignaſti, & quidem immunia, vt pro tanta mercede nihil ſapere diſceres.*

Qvid enim est.] Propoſitio ſecundi ſyllogiſmi.

At ego non.] Tertium argumentum quod enthymemate explicatur.

Nullum verbum in illis literis eſt non plenum humanitatis, officij, beneuolentiæ.

Ergo amens es qui eas criminandi mei cauſa protuliſti.

Vbi hæc propoſitio facilè poteſt intelligi. *Amens*

eſt qui alterius criminandi cauſâ literas profert, in quibus nullum verbum eſt non plenum humanitatis, officij, beneuolentiæ.

OMNE AVTEM CRIMEN.] Expoſitio planior Antonianæ dementiæ. omnis autem criminatio tua eſt, ſiue illud vnum in his literis criminaris.

EXISTIMEM.] Loquar.

AT EGO.] Concludit mentione literarum quas de Sexti Clodij reſtitutione ad Ciceronem ſcripſerat Antonius. Ex libro 14. ad Atticum loco item decimo quarto referũtur hoc initio. Occupationibus eſt factum meis. vbi his verbis petit Antonius. *A Cæſare petij vt S. Clodium reſtitueret: impetraui: Erat mihi in animo etiam tum ſic vti beneficio eius, ſi tu conceßiſſes: quo magis laboro, vt tua voluntate id per me facere nunc liceat.* & ita concludit: *Quòd ſi non impetro, per me Clodio daturus non ſum: vt intelligas quanti apud me auctoritas tua ſit, atque eò te placabiliorem prabeas.* Reſpondet Cicero epiſtolâ ſequenti. *Ego verò tibi iſtuc, mi Antoni, remitto, atque ita vt me à te, cùm his verbis ſcripſeris, liberaliſſimè & honorificentiſſimè tractatum exiſtimem.*

ADIVRAS.] Iuras inſuper.

SED VIDELICET.] Exponam hunc locum verbis Manutij: *Videtur ideò voluiſſe ad me ſcribere de Sexto Clodio, vt eo mihi beneficio, tanquam permittente me, reſtitutus, plurimum Clodius deberet. Si hoc ſpectauit, ſtultè fecit. Tantum enim abeſt vt beneficium illud meum eſſet, vt ne ipſum quidem eſſe poſſet, lege iam à Cæſare lata.*

NOTÆ.

I. AMICORVM COLLOQVIA ABSENTIVM.] Notum eſt illud ex Anthologiæ libro primo:

Litteræ ſunt amicorũ colloquia abſentium.

Η φύσις ἐξεῦρεν, φιλίης θεσμοὺς ἀγαπῶσα,
Τῶν ἀποδημούντων ὄργανα συντυχίης.
Τὸν κάλαμον, χάρτην, τὸ μέλαν, τὰ χαράγματα χειρὸς,
Σύμβολα τῆς ψυχῆς τηλόθεν ἀχνυμένης.
Organa queis ſecum abſentes loquerentur amici,
Natura inuenit fœdus amoris amans.
Chartam, atramentum, calamum impreßáſque figuras
Afflictæ mentis ſymbola miſſa procul.

Orator lib. 2. epiſt. 4. ad Curionem. *Epiſtolarum genera multa eſſe non ignoras, ſed vnum illud certiſſimum, cuius cauſâ inuenta res ipſa eſt, vt certiores faceremus abſentes, ſi quid eſſet, quod eos ſcire aut noſtra, aut ipſorum intereſſet.* Ac proinde eleganter Turpilius citatus ab Hieronymo ep. 1.

Sola res eſt quæ homines abſentes præſentes facit.

Et Libanius Sophiſta epiſtolam ita definit (Græca modò non occurrunt: Latinis eſto contentus) *Epiſtola eſt congreſſus per litteras abſentis cum abſente.* Antiphanes apud Athenæum lib. 10.

Ænigma de litteris.

Θήλεια μὲν οὖν ἐστὶ φύσις ἐπιστολὴ,
Βρέφη δ' ἐν αὐτῇ περιφέρει τὰ γράμματα,
Ἄφωνα δ' ὄντα (ταυτὰ) τοῖς πόῤῥω λαλεῖ
Οἷς βούλεται, ἕτερος δ' ἂν τύχῃ τις πλησίον
Ἑστὼς ἀναγιγνώσκοντος οὐκ ἀκούσεται.
Epiſtola natura muliebris data eſt.
Vtero illa fœtus litteras geſtat graui
Muta loquuntur litteræ, quibus volunt,
Etſi remotis: alius aßiſtens prope,
Tamen legentis verba non exaudiet.

Theodoretus oratione 4. de prouidentia longè pulcherrimè. Διὰ ταύτης τῆς ἐπιστήμης ἀπόντες ὁμιλοῦμεν ἀλλήλοις, καὶ οἱ πολλῶν ἡμερῶν ὁδῷ ἀφεστηκότες, καὶ πολλοῖς σταθμοῖς ἐν μέσῳ διατειχιζόμενοι ἔχοντες, πέμπομεν ἀλλήλοις διὰ χειρῶν τὰ τῆς ἐννοίας κυήματα, καὶ ἀργεῖ μὲν τὸ πρῶτον ὄργανον τοῦ λόγου, ὑπουργεῖ δὲ τῷ λόγῳ ἡ δεξιὰ, καὶ μεταχειριζομένη τὸν κάλαμον ἐγχαράττει τῷ χάρτῃ τὴν πρὸς τὸν φίλον διάλεξιν, καὶ γίνεται ὄχημα τοῦ λόγου οὐκ ἔτι στόμα καὶ γλῶττα, ἀλλὰ χεὶρ ἀσκήσασα τῷ χρόνῳ τὴν τέχνην, καὶ τῶν στοιχείων τὴν συνθήκην ἀκριβῶς ἐκμαθοῦσα. *Per hanc ſcribendi ſcientiam, quamuis abſente, nobiſcum inuicem conuerſamur, & qui multorum dierum itinere diſtamus, atque immenſis manſionum ſpatiis & interuallis ſeiungimur ingeniorum concepta, & animorum ſententias nobis inuicem, ſeu per manus tranſmittimus, & lingua quidem quæ primarium orationis organum eſt, otioſa ceſſat, ſermoni autem dextra ancillatur, quæ calamo arrepto quod nobis cum amico tranſigendum erat negotium calamo aut chartæ inſcribit, & ſermonis vehiculum eſt non os, nec lingua, ſed manus quæ longi temporis vſu artem exercuit, & elementorum compoſitionem probè edocta eſt.* Synesius epiſtola 157. Δύναται ἡ ἐπιστολὴ ἐρώντων οὐκ εὐτυχούντων εἶναι παραμύθια, παρεχομένη ἐν ἀπουσίᾳ σωμάτων φαντασίαν τῆς παρουσίας, καὶ τῷ δοκεῖν προσδιαλέγεσθαι, ψυχῆς ἐμπιπλᾶσα τὸ ἱμερόμενον. *Poteſt epiſtola infelicibus amantibus eſſe ſolatio, prebens in abſentia corporum opinionem præſentiæ, & allocutionis mutuæ ſpecie animæ deſiderium implens.* Diuus Baſilius epiſtolâ quadam ad S. Ambroſium inter præcipua diuinæ prouidentiæ munera illud enumerat. ὅτι πλεῖστον ἡμᾶς τῇ θέσει τοῦ τόπου διῃρημένους ἔδωκεν ἀλλήλοις συνάπτεσθαι διὰ τῆς ἐν τοῖς γράμμασι προσφωνήσεως. *Quod nos magna locorum intercapedine diſiunctos conceßit coniungi alloquio litterarum.* Et Diodorus Siculus lib. 12. Bibliothecæ Charondam laudat, quòd in ſua Rep. litterarum, vel potiùs ſcribendi artem cenſuerit, cæteris omnibus diſciplinis eſſe præferendam, tum ob alias, tum ob hanc præcipuè rationem. Διὰ γὰρ τούτων μόνων οἱ τετελευτηκότες τοῖς ζῶσι διαμνημονεύονται. οἱ δὲ μακρὰν τοῖς τόποις διεστῶτες, τοῖς πλεῖστον ἀπέχουσιν, ὡς πλησίον παρεστῶσι διὰ τῶν γεγραμμένων ὁμιλοῦσι. *Hæ ſolæ efficiunt vt defunctorum memoria inter viuos perduret. his internuntiis qui longißimis terrarum interuallis ſeparati ſunt, cum procul abſentibus, tanquam cum propè adſtantibus colloquia miſcent.* Litterarum commoda.

INEPTA.] Luc. Craſſus lib. 2. de Oratore: *Ego, mehercule, inquit, Cæſar ex omnibus Latinis verbis huius verbi vim vel maximã ſemper putaui. Quem enim nos ineptum vocamus, is mihi videtur ab hoc nomen habere ductum quòd non ſit aptus, idque in ſermonis noſtri conſuetudine perlatè patet. Nam qui aut tempus quid poſtulet non videt, aut plura loquitur, aut ſe oſtentat, aut eorum, quibuſcum eſt, vel dignitatis, vel commodi rationem non habet, aut denique in aliquo genere, aut inconcinnus, aut multus eſt, is ineptus eſſe dicitur. Hoc vitio cumulata eſt eruditiſſima illa Græcorum natio: itaque quòd vim huius mali Græci non vident, ne nomen quidem ei vitio impoſuerunt. vt enim quæras omnia, quomodo Græci ineptum appellent non reperies.* Cœlius Rhodiginus ac Budæus (vt Biſciolæ noſtri verbis vtar horarum ſubſeciuarum libro 2. cap. 21.) II. Ineptum quid?

Græcis contra Ciceronem pugnant, neque poſſunt in animum inducere tam vberem ac diuitem verborum nationem vllis eſſe vocabulis orbatam. Ille igitur antiquarum lectionum lib. 7. cap. 8. hoc vult eſſe ἀπειρόκαλον, ab ἄπειρος, quod inexpertum ſignificat, ex quo ἀπειρόκαλος, qui nullâ ſit boni aut pulchri experientiâ, inſolens, inquit, & *ineptus.* Budæus in commentariis linguæ Græcæ falſitatis accuſat Ciceronem, cùm ἀνάρμοστος id planè ſignificet. & lib. 1. de aſſe præter duo allata nomina, tam putat eſſe ſignificans ἀπίθανον, σκαιὸν, μάταιον, ἀφυὲς, ἀποικὸς apud illos quàm apud nos *ineptum.* Sed Cœlium & Budæum refellit idem Biſciola, & Franciſcus Floridus apologia in linguæ Latinæ calumniatores, & imprimis noſter Andreas Scotthus lib. de imitatione Ciceronis. ad quos lectorem remitto.

III. Inter sicarios.] Quid ſit ſica, quid ſicarius dictum pro Milone §. Inter ſicarios autem defendere, eſt eum defendere qui accuſatus fuerit lege Cornelia de Sicariis. de qua titulus in Pandectis. *Lege* autem *Cornelia de ſicariis & veneficiis,* vt ait ibi Marcianus, *tenetur* non ſolùm *qui hominem occiderit, cuiúſue dolo malo incendium factum erit,* ſed etiam qui *hominis occidendi furtiuè faciendi cauſſa cum telo ambulauerit.*

IV. Nihil sapere docuit.] Infra 30. Vide Notam 5. Non abludit Themiſtius oratione primâ, quæ βασανιστὴς inſcribitur, ita loquens de Rhetoricæ, ſiue artis Sophiſticæ auditoribus: ἰχθύων μὲν ἔσονται ἀναυδότεροι. μισθὸν δ' ὅμως εἰσπράξεται ὁ διδάσκαλος τῆς ἀφωνίας, &c. *Piſcibus quidem erunt magis elingues. Nihilo tamen ſeciùs magiſter exiget mercedem infantiæ.*

V. Qvid enim est minvs.] Lactantius lib. 3. cap. 29. *Turpe igitur eſt hominem ingenioſum dicere id, quod ſi neges, probare non poßit.* pro Cœlio 8. *Ea in alterum ne dicas, quæ cùm tibi falſa reſponſa ſint, erubeſcas.*

Existimem.] Loquar. Nazarius panegyricus Conſtantini: *Exiſtimare quidem de principe nemini fas eſt.* Macrobius 2. Saturn. cap. 3. *Strabone in adulationem Cæſaris male exiſtimante de Catonis peruicaciâ, ait Auguſtus: Quiſquis præſentem ſtatum ciuitatis commutari non volet, & ciuis & vir bonus eſt.* Loquendi modus Senecæ familiaris, vt notat Iſaacus Caſaubonus: ſic legit libro 3. de Ira. *Quid facilius Antigono quàm duos manipulares duci iubere, qui excubantes regio tabernaculo, faciebant quod homines & periculoſiſſimè & libentiſſimè faciunt, vt de rege ſuo male exiſtiment.* Epiſt. 31. *Nemo nouit Deum: multi de illo malè exiſtimant, & impunè.* Hieronymus contra Luciferianos: *Cogor de beato Lucifero ſecus quicquam, quàm & ipſius meritum & mea humanitas poſcit, exiſtimare.* id eſt loqui, ſequitur enim, *Quid faciam? veritas os reſerat, & inuitam linguam conſcium ad eloquendum pectus impellit.* Eſt autem cauſſa pro effectu, vt idem Caſaubonus alibi notat: nam exiſtimatio pro ſermone ponitur, quia ex ea, id eſt ἐκ τοῦ πληρώματος τῆς καρδίας ſermo naſcitur. VI. Exiſtimare.

AXIOMATA.

Quis vnquam, qui paulùm modo bonorum conſuetudinem noſſet, litteras ad ſe ab amico miſſas, offenſione aliqua interpoſita in medium protulit, palámque recitauit?

Litteræ mutuæ ſunt amicorum colloquia abſentium.

Multa ioca ſolent eſſe in epiſtolis, quæ prolata ſi ſint, inepta eſſe videantur.

Quidam magna mercede diſcipulos ſuos nihil ſapere docent.

Non modò non Oratoris, ſed ne hominis quidem eſt, id obiicere aduerſario, quod ille ſi verbo negarit, longius progredi non poſſit qui obiecerit.

Ciceronis Conſulatum reprehenderat Antonius: Orator poſt breuem præmunitionem hanc eius reprehenſionem diluens

- ſtultitiæ accuſat Antonium, quod Ciceronem vituperare ſe putans
  - reprehendat eius Conſulatum coram Senatu, qui auctor fuerat rerum in eo geſtarum. 9.
  - ſibi ipſe contradicat
    - comprehenſionem ſontium, quæ Ciceronis propria laus fuit, dilaudans.
    - punitionem vituperans, quæ per Senatum irrogata eſt.
- Vituperationi Antonij, clarorum virorum auctoritatem opponit, quibus placuit Conſulatus. 10.
  - Viris Conſularibus
    - mortuis
      - Seruilio.
      - Lucullis.
      - Catulo.
      - Craſſo.
      - Pompeio, &c.
    - ſuperſtitibus
      - Luc. Cottæ.
      - Luc. Cæſari. 11.
  - Conſulibus deſignatis
    - L. Murenæ.
    - D. Silano.
  - M. Catoni, cuius iam tum magna erat auctoritas.
  - Senatui vniuerſo.
- Diluit obiectiones
  - Cliuum Capitolinum Cicerone Coſ. plenum armatis fuiſſe, &
    - rem ipſam concedit, armatos fuiſſe.
    - negat
      - ſeruos fuiſſe armatos: cùm potiùs fuerint omnes adoleſcentes nobiles.
      - arma ſumpta, vt Senatui vis inferretur, cum potiùs his armis ſeruata fuerit Resp.
    - crimen retorquet in Antonium, qui
      - obiicit Ciceroni arma ſalutaria.
      - ipſe Senatum obſidet hominibus armatis, & arma ſumpſit contra Remp.
  - Pœna affectos queritur, quos coniuraſſe confitetur, in quo ſibi contradicit.
  - Corpus Lentuli qui Antonij vitricus fuerat, non redditum ad ſepulturam, quod inficiatione diluitur. 13.
  - Ciceronem de rebus à ſe Conſule geſtis inſolenter gloriari, quod feſtiuitate eluditur.

ARGVMENTVM.

Poſtquam reſpondit crimini de amicitia violata, ad reliquam orationem ſe præmunit, & auditores attentos, beneuolos, dociles ſibi reddere conatur.

VIII. SED cùm mihi, P. C. & pro me aliquid, & in M. Antonium multa dicenda ſint: alterum peto à vobis, vt me pro me dicentem, benignè: alterum ipſe efficiam, vt contra illum cùm dicam, attentè, audiatis. Simul illud oro, ſi meam cùm in omni vita, tum in dicendo moderationem modeſtiámque cognoſcitis, ne me hodie, cùm iſti, vt prouocauit, reſpondero, oblitum eſſe putetis mei. Non tractabo vt Conſulem: ne ille quidem me vt Conſularem. etſi ille nullo modo Conſul, vel quòd ita viuit, vel quòd ita Rempublicam gerit, vel quòd ita factus eſt: ego ſine vlla controuerſia Conſularis.

EXPLANATIO.

SED CVM.] Orationis diuiſio. dicet pro ſe ad §. 29. contra Antonium reliqua oratione: vbi videri poſſit Rhetorum præcepta tranſgreſſus: illi enim aiunt pollicendam eſſe breuitatem, hic dicit ſe multa dicturum. Sed id certo iudicio facit, & eadem fiduciâ qua ſubdit ſe non petere attentionem, ſed effecturum vt cùm contra Antonium dicet, attētè audiatur. Cùm enim ita natura comparatum ſit, vt aliorum reprehenſionem libenter audiamus, præſertim ſi ſint alicuius dignitatis ac nominis, quo quis plura dicturus eſt, eo auidiùs auditur. & eò maiorem attentionem ſibi conciliat, quò minùs præ ſe fert eam ſe eſſe petiturum. Hac enim cauſſæ fiduciâ ſatis oſtendit ſe res magnas & inuſitatas eſſe dicturum, quæ vel ab inuitis & oſcitantibus attentionem extorqueant. At verò cùm de ſeipſo dicturus eſt, benignitatem auditorum implorat, ne ſi ſe effecturum eſſe promittat, vt pro ſe dicens benignè audiatur, hac fiduciâ impudens eſſe videatur. nihil enim odioſius eſt auditu quàm ſui iactatio. Vides hac trimembri periodo quàm prudenter docilitatem, beneuolentiam, attentionem aucupetur. Docilitatem: *Sed cùm mihi P. C. & pro me aliquid, & in M. Antonium multa dicenda ſint*, beneuolentiam: *alterum peto à vobis, vt me pro me dicentem benignè*, attentionem: *alterum ipſe efficiam, vt contra illum cùm dicam, attentè audiatis.*

SIMVL ILLVD ORO.] Etſi qui alterum vituperat, attentè vt plurimùm auditur, ſolet tamen apud auditores in odium vocari, quare prudenter Orator vt ſuſpicionem à ſe malignitatis auertat, moderationis in dicendo ſuæ priſtinæ facit mentionem, & præ ſe fert ſe non ſponte ſuâ, ſed Antonij prouocatione ad hoc dicendi genus eſſe delapſum.

NON TRACT.] Reddit rationem cur inſectando Antonio nullam Conſularis dignitatis rationem ſit habiturus, ne petulantiùs, quàm par erat, in Conſulem populi Romani inuectus fuiſſe videatur. Immò Antonium Conſulem fuiſſe negat, tres ob cauſſas, quas tu vide.

VEL QVOD ITA FACTVS EST.] Non ſuffragio populi, ſed beneficio Cæſaris. Infrà §. 66. *Iuſſus es renuntiari Conſul, & quidem cum ipſo.*

NOTÆ.

PRO ME.] Pro ſe dicturus & breuitatem promittit, & beneuolentiam aucupatur, quia, vt ait Demoſthenes pro Corona ipſo exordio, φύσει πᾶσιν ἀνθρώποις ὑπάρχει, τῶν μὲν λοιδοριῶν καὶ τῶν κατηγοριῶν ἀκούειν ἡδέως, τοῖς ἐπαινοῦσι δ' αὐτοὺς ἄχθεσθαι. *Ita natura comparatum eſt vt conuitia & accuſationes libenter audiamus, eos verò qui ſe laudant moleſtè feramus.* Præclarè etiam Fabius Præfatione libr. 11. *In primis igitur omnis ſui vitioſa iactatio eſt, eloquentiæ tamen in oratore præcipuè: adfértque audientibus non faſtidium modò, ſed plerumque etiam odium. Habet enim mens noſtra naturâ ſublime quiddam, & erectum, & impatiens ſuperioris. Ideóque abiectos aut ſummittentes ſe libenter alleuamus, quia hoc facere tanquam ſuperiores videmur: & quoties diſceſſit æmulatio, ſuccedit humanitas. At qui ſe ſupra modum extollit, premere ac deſpicere creditur, nec tam ſe maiorem, quàm reliquos minores facere. Inde inuident humiliores (nam hoc vitium eſt eorum qui nec cedere volunt, nec poſſunt contendere) rident ſuperiores, improbant boni.* Subdit: *Reprehenſus eſt in hac parte non mediocriter Cicero.* Dio libro 38. ſuperſedeo Græcis, quòd iam in Vatinium prolata ſint. *Cicero acerbiſſimos ſibi inimicos parauerat, dum ſemper præſtantiſſimo cuique ſe præferre ſtuderet, libertatéque dicendi in omnes immodica ad ſatietatem vſque vteretur: quippe qui magis facundi ac præ reliquis diſerti, quàm boni viri nomen venabatur. His de cauſſis, ad hæc quod gloriando cæteros omnes excederet, neminem ſibi parem duceret, ſed cogitationibus ſuis vt & in vita, omnes præ ſe contemneret, neque idem cum vllo vitæ inſtitutum ſequeretur, oneri pleriſque & moleſtiæ erat.* Plutarchus in comparatione Ciceronis & Demoſthenis. Ἔτι τοίνυν ἐν τοῖς συγγράμμασι κατιδεῖν ἔστι τὸν μὲν ἐμμελῶς καὶ ἀνεπαχθῶς τῶν εἰς αὐτὸν ἁπτόμενον ἐγκωμίων, ὅτε τούτου δεήσαι πρὸς ἕτερόν τι μεῖζον. τἆλλα δ' εὐλαβῆ, καὶ μέτριον· ἡ δὲ Κικέρωνος ἐν τοῖς λόγοις ἀμετρία τῆς περιαυτολογίας, ἀκρασίαν τινὰ κατηγόρει, βοῶντος ὡς τὰ ὅπλα ἔδει τῇ τηβέννῳ καὶ τῇ γλώττῃ τὴν θριαμβικὴν ὑπείκειν δάφνην. *Præterea ex ſcriptis vtriuſque perſpicias ſobriè hunc & modeſtè ſuas ipſum laudes attingere, & quùm id poſtularet maior vſus: Cicero immodicus in orationibus ſuis laudum ſuarum prædicator ambitionem gloriæ nimiam arguit ſuam, dum clamat,*

Odioſa eſt ſui iactatio.

Ciceronis iactantia.

Cedant arma togæ, concedat laurea linguæ.

Nos non morum Ciceronis patrocinium, ſed orationum explanationem ſuſcepimus, quia tamen ſui iactatio non in moribus ſolùm, ſed etiam in orationibus eſt maximè vitioſa: de ea paucis diſſeremus. Cúmque alia ſit eloquentiæ, alia rerum geſtarum prædicatio, de rebus geſtis in præſentiâ quæremus. Et quoniam, vt ait Plutarchus opuſculo, quomodo quis ſe citra inuidiam laudare poſſit. Ὁ περὶ τοῦ στεφάνου λόγος εὐφυέστατα ταῖς ἀντιθέσεσι καὶ λύσεσι τῶν αἰτιῶν ἐπεισάγει τοὺς ἐπαίνους. *Oratio de coronâ commodiſſimè oppoſitionibus & criminum diſſolutionibus laudes attexit.* Operæpretium fuerit ex hac oratione exempla depromere, vt ſi noſter Demoſthene in ſuis laudibus, vt volunt, parciſſimo moderatior fuerit inuentus, ab odioſæ iactationis infamiâ vindicetur. Αὐτὸν ἐπαινεῖν, inquit Plutarchus, ἀμέμπτως ἔστι, πρῶτον μὲν ἂν ἀπολογούμενος τοῦτο ποιῇς. *Licet te ipſum ſine vituperatione laudes, primùm ſi tui defendendi causâ id facias.* Id quidem fecit Demoſthenes, vt teſtatur ipſo orationis exordio. Eadem etiam ſui laudandi cauſſa fuit Ciceroni, vt ait pro domo ſua 92. 92. 94. 95. 96. &c. niſi fortè grauius Demoſtheni fuit priuari corona, quam Ciceroni concedere ſe crudelem fuiſſe in Conſulatu, & exilio iure eſſe multatum. Fabius loco citato: *Rerum à ſe geſtarum maior, quàm eloquentiæ fuit in orationibus vtique iactator. Ac plerumque illud quoque non ſine aliqua ratione fecit. Aut enim tuebatur eos quibus erat vſus adiutoribus in opprimenda coniuratione: aut reſpondebat inuidiæ, cui tamen non fuit par, ſeruatæ patriæ pœnam paſſus exilium: vt illorum quæ egerit in Conſulatu frequens commemoratio poßit videri non gloriæ magis quàm defenſioni data.*

Licet ſeipſum laniare ſui defenſionis cauſſa.

Cicero ſe laudauit vt ſe defenderet.

Rurſum Plutarchus: Ὁ δ' ἐπ' αὐτοῖς ψεγόμενος, οἷς κατώρθωκε, παντάπασι συγγνωστός ἐστι καὶ ἄμεμπτος, ἐγκωμιάζων τὰ πεπραγμένα. δοκεῖ γὰρ οὐκ ὀνειδίζειν, ἀλλ' ἀπολογεῖσθαι. τοῦτο γοῦν λαμπρὰν τῷ Δημοσθένει παρρησίαν ἐδίδου, καὶ τὸν κόρον ἀφῄρει τῶν ἐπαίνων· οἷς παρ' ὅλον σχεδὸν τὸν λόγον ὁμοῦ τὸν περὶ τοῦ στεφάνου κέχρηται, σεμνυνόμενος οἷς ἐνεκαλεῖτο περὶ τοῦ πολέμου πρεσβεύμασι, καὶ ψηφίσμασιν. *Qui in iis ipſos quæ præclarè geßit vituperatur omni venia dignus eſt, & culpæ vacuus laudans res à ſe geſtas. videtur enim non exprobrare, ſed ſeipſum defendere. Hoc igitur illuſtrem dedit libertatem Demoſtheni, & ſuſtulit in ſua ipſius laude faſtidium, qua laudatione vtitur totâ oratione de coronâ, glorians de his ob quæ accuſabatur legationibus & decretis.*

Neque in hac parte Cicero conceſſerit, vt pro domo 7. *Tu me etiam cuſtodem defenſorémque Capitolij, templorúmque omnium, hoſtem Capitolinum appellare auſus es.* pro Sextio 54. *Ciuis erat expulſus is qui Remp. ex Senatus auctoritate cum omnibus bonis defenderat, & expulſus non alio aliquo, ſed eo ipſo crimine.*

Subdit Plutarchus: Καὶ τοῦτο χρήσιμόν ἐστιν ἐν ἐκείνῳ τῷ λόγῳ καταμαθεῖν, ὅτι μιγνὺων ἐμμελέστατα τῷ περὶ αὑτοῦ λόγῳ τὸν περὶ τῶν ἀκουόντων ἔπαινον ἀνεπίφθονον ἐποίει καὶ ἀφίλαυτον· οἵους μὲν Εὐβοεῦσιν οἱ Ἀθηναῖοι αὑτοὺς παρέσχον, οἵους δὲ Θηβαίοις, ὅσα δὲ Βυζαντίους ἀγαθὰ, καὶ Χερρονησίτας ἐποίησαν· αὐτῷ δὲ τῆς διακονίας μετεῖναι φάσκων. *Hoc etiam vtilitatis ex illa oratione poſſumus addiſcere, quòd de ſe dictis commodiſſimè admiſcens auditorum laudes inuidiam & amoris proprij ſuſpicionem à ſe remouit, vt cùm refert quales ſe Eubœenſibus præbuerunt Athenienſes, quales Thebanis, quæ in Byſantios & Cherroneſitas beneficia contulerunt: quorum ſe adminiſtrum duntaxat ait.* Hæc & alia Plutarchus in hanc ſententiam. Quid Noſter vel loco proximè laudato Sextianæ 54. vel hîc proximâ §. *Obiecit mihi Conſulatum meum, qui Conſulatus verbo meus, P. C. re veſter fuit. Quid enim conſtitui, quid geſſi niſi ex huius ordinis conſilio, auctoritate, ſententiâ?* In quo ſanè moderatior eſt Latinus, nam alter videri vult ſuis conſiliis Athenienſes eſſe gloriam conſecutos, hic Senatui ſuorum etiam conſiliorum laudem impertit. Quàm odioſum illud? Τί οὖν συνηγωνίσατο αὐτῷ πρὸς τὸ λαβεῖν ὀλίγου δεῖν ὑμᾶς ἑκόντας ἐξαπατωμένους, ἡ τῶν ἄλλων Ἑλλήνων εἴτε χρὴ κακίαν, εἴτ' ἄγνοιαν, εἴτε καὶ ἀμφότερα ταῦτ' εἰπεῖν; *Quid igitur opem ei tulit vt vos propemodum caperet volentes in fraudem inductos aliorum Græcorum ſiue improbitatem, ſiue ignorantiam dicere oportet?* Et illud, ἀπαγγείλας τὰ ψευδῆ, καὶ φενακίσας ὑμᾶς. *Falſa nuntians, & vos ludificans.* Quid eſt aliud quàm auditoribus imprudentiam obiicere, vt deinde ſubiungat. Πῶς οὐχ ἁπάντων ἐνδοξότατα ὑμεῖς ἐβουλεύσασθε ἐμοὶ πεισθέντες; *Quomodo non omnium glorioſiſſimè decreuiſtis mihi parentes?* Quòd ſi neceſſe fuerat oſtendere Athenienſes fuiſſe deceptos, quid attinebat orationem ad ipſos Iudices conuertere, vt ex eorum errore ſuam laudem accerſeret? Quanto lenius erat τὸν δῆμον ἑκόντα ἐξαπατώμενον, & φενακίσας τὴν πόλιν, aut aliud eiuſmodi.

Qui ſe laudat debet aliis hanc laudem communicare.

Demoſthenes odioſus ſui laudator.

Plutarchus: Εἰώθασιν ἔνιοι τοὺς ταὐτὰ προαιρουμένους, καὶ πράττοντας αὐτοῖς, καὶ ὅλως ὁμοιοτρόπους ἐπαινοῦντες ἐν καιρῷ συνοικειοῦν καὶ συνεπιστρέφειν πρὸς ἑαυτοὺς τὸν ἀκροατήν. *Solent nonnulli eos qui eâdem animi inductione vſi ſunt, eadémque fecerunt, ſibíque moribus ſunt ſimiles opportunè laudantes auditorem ſibi conciliare, & ad ſe conuertere.* Iam Tullius in aliorum laudibus quàm liberalis? plenæ ſunt eius orationes: ſed præſtat vel ipſum aduerſarium teſtem adhibere ſic loquentem in vita Ciceronis: Καὶ τὸν λόγον ἥδιστον ὄντα καὶ χάριν ἔχοντα πλείστην, ἐπαχθῆ καὶ φορτικὸν ἐποίησε τοῖς ἀκουομένοις, ὥσπερ τινὸς ἀεὶ κηρὸς αὐτῷ τῆς ἀηδίας ταύτης προσούσης· ὅμως δὲ καίπερ οὕτως ἀκράτῳ φιλοτιμίᾳ συνὼν, ἀπήλλακτο τοῦ φθονεῖν ἑτέροις, ἀφθονώτατος ὢν ἐν τῷ τοὺς πρὸ αὐτοῦ καὶ τοὺς καθ' αὑτὸν ἄνδρας ἐγκωμιάζειν. *Iucundißimam ſuam & venuſtiſsimam dictionem odioſam reddidit, & ingratam auditoribus, hac eum quaſi morbo aliquo ſemper comitante importunitate. Verumtamen quamquam ſupra modum cupiditate flagrauit gloriæ, caruit inuidiæ tamen aduerſus alios vitio, quippe qui effuſiſſime & veteres & æquales ſuos celebrauit.*

Qui ſimiles ſui laudat, ſeipſum laudat.

Cicero in alienis laudibus liberalis.

Quid ſimile in Demoſthene? quem nominare poſſit, quem tota illa oratione de corona laudauerit? imò quàm frigidè ſuæ ſententiæ laudat auctores? Ὁρῶν γὰρ ἐγὼ Θηβαίους, σχεδὸν δὲ καὶ ὑμᾶς ὑπὸ τῶν τὰ Φιλίππου πραττόντων, καὶ διεφθαρμένων παρ' ἑκατέροις, ὃ μὲν ἦν παρ' ἀμφοτέροις φοβερὸν, καὶ φυλακῆς πολλῆς δεόμενον, τὸ τὸν Φίλιππον ἐᾶν αὐξάνεσθαι παρορῶντας, καὶ οὐδὲ καθ' ἓν φυλαττομένους, εἰς ἔχθραν δὲ καὶ τὸ προσκρούειν ἀλλήλοις ἑτοίμως ἔχοντας, ὅπως τοῦτο μὴ γένοιτο παρατηρῶν διετέλουν. οὐκ ἀπὸ τῆς ἐμαυτοῦ γνώμης μόνον ταῦτα συμφέρειν ὑπολαμβάνων, ἀλλ' εἰδὼς Ἀριστοφῶντα καὶ πάλιν Εὔβουλον, πάντα τὸν χρόνον βουλομένους πρᾶξαι ταύτην τὴν φιλίαν, καὶ περὶ τῶν ἄλλων πολλάκις ἀντιλέγοντας ἑαυτοῖς, τοῦτο ὁμογνωμονοῦντας ἀεί. οὓς σὺ ζῶντας μὲν, ὦ κίναδος κολακεύων, παρηκολούθεις, τεθνεώτων δὲ οὐκ αἰσθάνῃ κατηγορῶν. Ἃ γὰρ

Demoſthenes parcus in laudibus alienis.

περὶ Θηβαίων ἐπιτιμᾷς ἐμοί, ἐκείνων πολὺ μᾶλλον, ἢ ἐμοῦ κατηγορεῖς, τῶν πρότερον ἢ ἐγὼ ταύτην τὴν συμμαχίαν δοκιμασάντων. *Cùm viderem Thebanos, atque adeo vos quoque, propemodum à Philippi procuratoribus & hominibus apud vtroſque corruptis, inductos, id quod vtriſque erat formidabile, magnámque cautionem requirebat, ne potentiam Philippi creſcere ſineretis, negligere: nec vllam rei cauendæ omnino ſuſcipere curam, ad inimicitias autem mutuáſque ſimultates propendere, hoc vt ne fieret, perpetuò cauebam: qui non meapte duntaxat prudentiâ ſic expedire exiſtimarem, ſed Ariſtophontem etiam itémque Eubulum, omni tempore conciliare voluiſſe illam amicitiam, & cùm alias de rebus ſæpè inter ſe diſſentirent, in hoc ſemper concordaſſe ſcirem: quos tu viuentes, vulpecula, aſſentans ſectabaris, defunctis obtrectare non erubeſcis. Nam quòd me de Thebanis accuſas, illos multò magis, quàm me accuſas, qui ante me ſocietatem illam probauerunt.* Quàm commodus erat locus laudandiæ eorum prudentiæ quos ſequebatur auctores? Sed nimirum tantum ſibi laudis detractum iri putauit, quantum vel defunctis accederet. Aliquantò pòſt tamen nonnullos laudat: Καί τοι πολλοὶ παρ' ὑμῖν, ἄνδρες Ἀθηναῖοι, γεγόνασι ῥήτορες ἔνδοξοι καὶ μεγάλοι πρὸ ἐμοῦ, Καλλίστρατος ἐκεῖνος, Ἀριστοφῶν, Κέφαλος, Θρασύβουλος, ἕτεροι μυρίοι. ἀλλ' ὅμως οὐδεὶς τούτων πώποτε διαπαντὸς ἔδωκεν ἑαυτὸν εἰς οὐδὲν τῇ πόλει. ἀλλ' ὁ μὲν γράφων, οὐκ ἂν ἐπρέσβευσεν. ὁ δὲ πρεσβεύων οὐκ ἂν ἔγραψεν. ὑπελείπετο γὰρ αὐτὸν ἕκαστος ἑαυτῷ ἅμα μὲν ῥᾳστώνην, ἅμα δὲ εἴ τι γένοιτο ἀναφοράν. *Atqui multi apud vos, Athenienſes, fuerunt oratores celebres & magni ante me: Calliſtratus ille, Ariſtophon, Cephalus, Thraſybulus, innumeri alij: Nemo tamen eorum perpetuò ſe Reipub. totum vlla in re tradidit: ſed qui decreta faciebat, legationem non obiſſet, qui legationem obibat, decreta non aſcripſiſſet: quiſque enim ſibi relinquebat, & otium, &, ſi quid accidiſſet, receptum.* Vides quàm frigidè laudarit, immo quantam huic laudationi ῥᾳστώνης ſiue deſidiæ labem adſperſerit. Videamus quàm putidè ſe veteribus oratoribus anteponat. Τί οὖν, εἴποι τις ἄν, σὺ τοσοῦτον ὑπερῆρας ῥώμῃ καὶ τόλμῃ τοὺς ἄλλους, ὥστε πάντα ποιεῖν αὐτός; οὐ λέγω ταῦτα· ἀλλ' οὕτως ἐπεπείσμην μέγαν εἶναι τὸν κατειληφότα κίνδυνον τὴν πόλιν, ὥστ' οὐκ ἐδόκει μοι χώραν, οὐδὲ πρόνοιαν οὐδεμίαν τῆς ἰδίας ἀσφαλείας διδόναι, ἀλλ' ἀγαπητὸν εἶναι εἰ μηδὲν παραλείπων τις, ἃ δεῖ πράξειεν. *Quid igitur, dicat aliquis, túne viribus & audaciâ vſque adeò præſtas aliis, vt ipſe omnia facias? non dico hoc, ſed adeo magnum eſſe, quod Rempub. occuparat, periculum credebam vt non mihi locum dare, neque vllam me rationem habere priuatæ ſecuritatis pati: ſed boni eſſe conſulendum videretur, ſi quis nihil prætermittendo, nauaret aliquid atque efficeret.* Hactenus ſatis modeſtè. Sed vide ſis quid proximè ſubiungat: Ἐπεπείσμην δ' ὑπὲρ ἐμαυτοῦ, τυχὸν μὲν ἀναισθητῶν, ὅμως δ' ἐπεπείσμην μήτε γράφοντ' ἂν ἐμοῦ γράψαι βέλτιον μηδένα, μήτε πράττοντά τι πρᾶξαι, μήτε πρεσβεύοντα πρεσβεῦσαι προθυμότερον, μήτε δικαιότερον. *De me ipſo autem perſuaſum habebam, ſtolidè fortaſſis, ſed perſuaſum tamen habebam, neque vllum decreta ſcribentem, meliora quàm me decernere, neque aliquid agentem agere, neque legatum ſtudioſiùs obire legationem poſſe, quàm me aut incorruptiùs.* Quantò moderatiùs Noſter, qui non res ſuas geſtas, vt plurimùm ſed hominum de ſe iudicia proponit, vt in Piſonem 6. *Me Q. Catulus princeps huius ordinis, & auctor publici conſilij frequentiſſimo Senatu parentem patriæ nominauit. Mihi hic vir clariſſimus qui propter te ſedet, L. Gellius, his audientibus ciuicam coronam deberi à Repub. dixit. Mihi togato Senatus non vt multis bene geſtæ, ſed vt nemini conſeruatæ Reipub. ſingulari genere ſupplicationis Deorum immortalium templa patefecit.* Et alibi paſſim, vt non tam arrogans in adſciſcendis ſibi laudibus, quàm gratus in commemorandis hominum de ſe iudiciis eſſe videatur.

Demoſthenes immodeſtè ſe aliis antepoinit.

Plutarchus: Τοὺς δ' ἀναγκασθέντας ἐπαινεῖν αὑτοὺς ἐλαφροτέρους παρέχει, καὶ τὸ μὴ πάντα προσποιεῖν ἑαυτοῖς. ἀλλ' ὥσπερ φορτικοῦ τῆς δόξης τὸ μὲν εἰς τὴν τύχην, τὸ δὲ εἰς τὸν Θεὸν ἀποτίθεσθαι. *Qui ſe ipſos laudare coguntur minùs ſunt odioſi, ſi non omnia ſibi vendicent, ſed tanquam oneris alicuius gloriæ partem fortunæ, partem Deo imponant.* Multa huius rationis exempla profert, eáque præclara, ſed nullum depromit ex orationibus Demoſthenis. immò verò omnia præclara ſibi ſuiſque conſiliis adſcribit, aduerſa Deo & fortunæ: Τὸ μὲν γὰρ πέρας, ὡς ἂν ὁ δαίμων βουληθῇ, πάντων γίγνεται. ἡ δὲ προαίρεσις αὐτὴ τὴν τοῦ συμβούλου διάνοιαν δηλοῖ· μὴ δὴ τοῦτο, ὡς ἀδίκημα ἐμὸν θῇς, εἰ κρατῆσαι συνέβη Φιλίππῳ τῇ μάχῃ, ἐν γὰρ τῷ Θεῷ τὸ τούτου τέλος ἦν, οὐκ ἐν ἐμοί. *Rerum enim omnium exitus talis eſt, qualem Deus eſſe voluit. Ipſum verò propoſitum conſulentis animum declarat. Ne igitur id iniuriæ loco mihi numeres, ſi ita contigit, vt Philippus prælio victor eſſet. Eius enim rei finis in Dei voluntate, non penes me fuit.* Et alia multa in hanc ſententiam. At, vt verbis vtar Fabij lib. 11. præfat. *Marcus Tullius ſæpè dicit de oppreſſa coniuratione Catilinæ, ſed modò id virtuti Senatus, modò prouidentiæ Deorum immortalium aſſignat.* Exemplum eſt tertia Catilinaria à §. 18. ad 22. vbi inter cætera: *Quibus ego ſi me reſtitiſſe dicam, nimium mihi ſumam, & non ſim ferendus. Ille, ille Iupiter reſtitit: ille Capitolium, ille hæc templa, ille hanc vrbem, ille vos omnes ſaluos eſſe voluit. Diis ego immortalibus hanc mentem, Quirites, voluntatémque ſuſcepi, atque ad hæc tanta indicia perueni.* Pro domo ſua 144. *Cuſtos vrbis Minerua, quæ ſemper adiutrix conſiliorum meorum, teſtis laborum extitiſti.* Quam modeſtiam non ſolùm verbis, ſed etiam re ipſa oſtenderet, πρὶν δὴ ἀφορμῆσαι, inquit Dio lib. 38. ἔς τε τὸ Καπιτώλιον ἀνέβη, καὶ ἀγαλμάτιόν τι Ἀθηνᾶς ἀνέθηκε, φυλακίδα αὐτὴν ὀνομάσας. *Priùs quàm diſcederet* (in exilium) *in Capitolium adſcendens, ſimulacrum quoddam Mineruæ, quam Cuſtodem appellabat, conſecrauit.* Quare modeſtiæ potiùs quàm arrogantiæ tribuerim *quæ non deſierunt carpere maligni.* verba ſunt Fabij: *Iouem illum à quo in concilium Deorum aduocatur: & Mineruam quæ omnes eum artes edocuit, quæ ſibi ille ſecutus quorumdam Græcorum exempla* in carminibus *permiſerat.*

Qui ſe ipſos laudant, debẽt Deo laudem tribuere.

Demoſthenes ſibi proſpera tribuit, aduerſa Deo & fortunæ.

Cicero Deo laudem rerũ à ſe geſtarum tribuit.

Omitto reliquas laudandi ſui rationes à Plutarcho tractatas, quibus Cicero nihil concedit Demoſtheni, illud tamen præterire non poſſum: Ὥσπερ οἱ τοὺς ὀφθαλμιῶντας ἐνοχλεῖν φυλαττόμενοι τοῖς ἄγαν λαμπροῖς σκιάν τινα παραμιγνύουσιν, οὕτως ἔνιοι τοὺς αὑτῶν ἐπαίνους μὴ παντελῶς λαμπροὺς μηδ' ἀκράτους προσφέροντες, ἀλλά τινας ἐλλείψεις ἢ ἀποτεύξεις, ἢ ἁμαρτίας ἐλαφρὰς ἐμβάλλοντες ἀφαιροῦσι τὸ ἐπαχθὲς αὐτῶν καὶ νεμεσητόν. *Quemadmodum qui lippientibus moleſtiam exhibere nolunt, valdè ſplendidis vmbram quamdam admiſcent, ita nonnulli ſuas ipſorum laudes neque omnino ſplendidis, neque*

Propriæ laudi admiſcẽda eſt erratorũ confeſſio.

meras proferunt, ſed aliquos defectus, repulſas & leuia peccata iniiciunt, vt auferant quod graue eſt & indignationi obnoxium. Nullum ex Demoſthene profert exemplum. Neque enim, quod ſciam, vlla in eius orationibus erroris ingenua confeſſio. Ne eam quidem Cicero prætermittit, in ea præſertim oratione, qua patriam bis à ſe cōſeruatam eſſe gloriatur, vt inimicum ſuum Clodium dolore diſrumpat. pro domo ſua 29. *Data merces eſt erroris mei magna, Pontifices, vt me non ſolùm pigeat ſtultitiæ meæ, ſed etiam pudeat: qui cùm me non repentinum aliquod meum tempus, ſed veteres multo antè ſuſcepti & prouiſi labores cum viro fortiſſimo & clariſſimo coniunxiſſent, ſim paſſus à tali amicitia diſtrahi, neque intellexerim quibus aut vt apertis inimicis obſiſterem, aut vt inſidioſis amicis non crederem.*

Poſtremò ἀνιαρεῦ ὄντος, inquit Plutarchus, καὶ μόλις ἀνεκτοῦ τοῦ τὸν πλησίον ἐλέγχειν, καὶ δεομένου πολλῆς εὐλαβείας, ὁ μιγνύων ἔπαινον ἴδιον ἀλλοτρίῳ ψόγῳ, καὶ δι᾽ ἀδοξίας ἑτέρου δόξαν αὐτῷ θηρώμενος, ἐπαχθὴς παντάπασι καὶ φορτικός ἐστιν, ὡς εὐδοκιμεῖν ἀσχημονοῦσιν ἄλλοις βουλόμενος. *Cùm aliorum reprehenſio moleſta ſit, & vix tolerabilis, ac proinde magna indigeat cautione, qui propriam laudem miſcet alienæ vituperationi, & per aliorum dedecus ſibi gloriam aucupatur, oneri planè eſt & faſtidio, tanquam in alterius turpitudine gloriam ſuam conſtituens.* Si tamen prouocatus fueris, poteris te cum inimico ſine inuidiâ comparare, & ex eius vitiis tuam illuſtrare virtutem, vt Demoſthenes cum Æſchyne, Cicero cum Vatinio, & Piſone ſe comparat. in hoc tamen differunt quòd Cicero magnifica quæque ſectatur, de vtriuſque Conſulatu diſſerens, de abſentia, de reditu: Demoſthenes nonnunquam hæret in nugis, quantumlibet ſe præmuniat, & opinionem frigiditatis à ſe deprecetur: Ἐρώτησον τουτονὶ τὴν ὁποτέρου τύχην ἂν ἕλοιτ᾽ ἕκαστος αὐτῶν. ἐδίδασκες γράμματα; ἐγὼ δ᾽ ἐφοίτων. ἐτέλεις; ἐγὼ δ᾽ ἐτελούμην. ἐχόρευες; ἐγὼ δ᾽ ἐχορήγουν. ἐγραμμάτευες; ἐγὼ δ᾽ ἐκκλησίαζον. ἐτριταγωνίστεις; ἐγὼ δ᾽ ἐθεώρουν. ἐξέπιπτες; ἐγὼ δ᾽ ἐσύριττον. *Hos interroga vtrius fortunam vnuſquiſque eorum malit. Docebas litteras? Ego ad ſcholas ibam. initiabas? Ego initiabar. Saltabas? Ego ſumptus præbebam. Scriba eras? Ego habebam conciones. tertias partes actitabas? Ego ſpectabam. Excidebas? Ego exſibilabam.* Verùm eſto: concedamus hanc Græculo leuitatem, & vt eiuſdem verbis vtar: Δότε, εἰ βούλεσθε, δότε αὐτῷ τοῦτο. Illud verò tolerari non poteſt, quòd ſuæ laudi, & obiurgationem iudicum, & beneficiorum in eos ſuorum exprobrationem admiſcuit. Obiurgationem: Ἀλλὰ δεδώκατε ἔθει τινὶ φαύλῳ πολλὴν ἐξουσίαν, τῷ βουλομένῳ τὸν λέγοντά τι τῶν ὑμῖν συμφερόντων ὑποσκελίζειν, καὶ συκοφαντεῖν, τῆς ἐπὶ ταῖς λοιδορίαις ἡδονῆς καὶ χάριτος τὸ τῆς πόλεως συμφέρον ἀνταλλαττόμενοι. Διόπερ ῥᾷόν ἐστι καὶ ἀσφαλέστερον ἀεὶ τοῖς ἐχθροῖς ὑπηρετοῦντα μισθαρνεῖν, ἢ τὴν ὑπὲρ ὑμῶν ἑλόμενον τάξιν πολιτεύεσθαι. *Sed prauæ cuidam conſuetudini multum licentiæ dediſtis, vt cuilibet eum liceat qui veſtris vtilitatibus patrocinatur, ſupplantare & calumniari: voluptatem et ſuauitatem audiendi conuitia publicæ vtilitati præferentes. Quapropter facilius eſt & ſemper tutius hoſtibus inſeruiendo locare operam, quàm eam in Repub. deligere ſtationem, qua veſtra commoda propugnentur.* Exprobrationem paulò pòſt: Αἰσχρόν ἐστιν, ἄνδρες Ἀθηναῖοι, εἰ ἐγὼ μὲν τὰ ἔργα τῶν ὑπὲρ ὑμῶν πόνων ὑπέμεινα· ὑμεῖς δὲ μηδὲ τοὺς λόγους αὐτῶν ἀνέξεσθε. *Turpe eſt Athenienſes, cùm ego moleſtias ipſas laborum veſtrâ causâ ſuſceptorum tolerarim, vos nec verba quæ de rebus ipſis facienda ſint, velle ſuſtinere.* Quid? quòd paulò antè finem cùm ſe magnificentiſſimè prædicaſſet: Πολλῷ τοῖς λόγοις ἐλάττοσι χρῶμαι τῶν ἔργων εὐλαβούμενος τὸν φθόνον. *Verbis vtor longè tenuioribus, quàm pro magnitudine rerum, inuidiæ metu.* Quid eſt inſultare ſuis auditoribus ſi hoc non eſt? Quid reſtat niſi vt in peroratione ſe omnibus ſua ætate viuentibus anteponat, idem etiam de mortuis quotcunque olim in Repub. floruerunt, dicturus, niſi liuor in viuis paſceretur. Quòd non paulo modeſtiùs, opinor, Cicero non in ſuam, ſed Pompeij laudem vſurpat oratione pro Cornelio Balbo 15. Verùm, vt à Demoſthene & Tullio ad inſolentem Græculi leuitatem gradum faciamus, Arrianus lib. 1. de expeditione Alexandri, poſtquàm Achillem fortunatum ab Alexandro prædicatum eſſe dixit, quòd Homerum rerum ſuarum præconem nactus eſſet, conqueſtus neminem hactenus dignum Alexandro ſcriptorem obtigiſſe: Ἔνθεν, inquit, καὶ αὐτὸς ὁρμηθῆναί φημι ἐς τήνδε τὴν ξυγγραφήν, οὐκ ἀπαξιώσας ἐμαυτὸν φανερὰ καταστήσειν ἐς ἀνθρώπους τὰ Ἀλεξάνδρου ἔργα. ὅστις δὲ ὢν ταῦτα ὑπὲρ ἐμαυτοῦ γιγνώσκω, τὸ μὲν ὄνομα οὐδὲν δέομαι ἀναγράψαι (οὐδὲ γὰρ οὐδ᾽ ἄγνωστον ἐν ἀνθρώποις ἐστίν) οὐδὲ πατρίδα ἥτις μοί ἐστιν, οὐδὲ γένος τὸ ἐμόν, οὐδ᾽ εἰ δή τινα ἀρχὴν ἐν τῇ ἐμαυτοῦ ἦρξα. ἀλλ᾽ ἐκεῖνο ἀναγράφω, ὅτι ἐμοὶ πατρίς τε καὶ γένος καὶ ἀρχαὶ οἵδε οἱ λόγοι εἰσί τε καὶ ἀπὸ νέου ἔτι ἐγένοντο. καὶ ἐπὶ τῷδε οὐκ ἀπαξιῶ ἐμαυτὸν τῶν πρώτων ἐν τῇ φωνῇ τῇ Ἑλλάδι, εἴπερ οὖν καὶ Ἀλέξανδρος τῶν ἐν τοῖς ὅπλοις. *Atque hac quidem de cauſſa me ad hanc hiſtoriam conſcribendam impulſum eſſe profiteor, non indignum me cenſens per quem Alexandri res geſtæ apud homines notæ celebréſque efficerentur. Quiſquis verò ſim qui ita de me ſentiam, nomen quidem adſcribere nihil attinet (neque enim obſcurum inter mortales eſt) ſed nec patriam, nec genus meum, neque an aliquem in ciuitate mea magiſtratum geſſerim. Sed illud ſcribo, mihi patriam & genus & magiſtratus litteras eſſe et à puero fuiſſe. Præterea non indignum me cenſeo qui inter diſertiſſimos Græcæ linguæ ſcriptores annumerer, ſiquidem dignus eſt Alexander qui cenſeatur inter eos qui præ cæteris armorum gloria floruerunt.*

Vrge &
Creſcentem tumidis infla ſermonibus vtrem.

NON TRACTABO VT CONSVLEM.] Tale illud quod, vt ſcribitur initio libro 3. de oratore dixit L. Craſſus in Philippum. *Cùm ſibi illum Conſulem eſſe negaret, cui Senator ipſe non eſſet.* II.

AXIOMA.

Qui de ſe dicunt, vix & non niſi precariò benignè audiuntur, qui alios verbis inſectantur, facilè efficiunt, vt attentè audiantur.

Propriæ laudi non eſt admiſcenda reprehenſio aliorum.

Niſi fueris laceſſitus.

Demoſthenes nugis gloriatur.

Suis laudibus obiurgationē iudicum admiſcet.

Et exprobrationem.

Inſolentia Arriani.

ARGVMENTVM.

Acturus de ſuo Conſulatu, primùm Antonij ſtultitiam oſtendit, qui coram iis ipſis quorum conſilio omnia geſſerat, obiicicbat Conſulatum, quem vnus vituperauit Clodius, cæteri mirè probauerunt.

IX. VT igitur intelligeretis, qualem ipſe ſe Conſulem profiteretur, obiecit mihi Conſulatum meum, qui Conſulatus verbo meus, P.C. re veſter fuit. quid enim ego conſtitui, quid geſſi, quid egi, niſi ex huius ordinis conſilio, auctoritate, ſententia? Hæc tu, homo ſapiens, non ſolùm eloquens apud eos quorum conſilio ſapientiáq. geſta ſunt, auſus es vituperare? Quis autem meum Conſulatum præter te & P. Clodium, qui vituperaret, inuentus eſt? cuius quidem te fatum, ſicuti C. Curionem manet: quoniam id domi tuæ eſt, quod fuit illorum vtrique fatale.

EXPLANATIO.

VT IGITVR.] Negauerat Antonium, quòd ita Rempub. gereret, eſſe Conſulem, hinc arreptâ occaſione ad ſuum ipſius Conſulatum commodè delabitur.

QVI CONSVLATVS.] Commodè Conſulatus ſui laudem Senatui communicat ad inuidiam leniendam. Cùm enim, vt apud Xenophontem Ageſilaus, ſuæ laudes ſi ab alio celebrentur, iucundiſſimum cuique ſint acroama, contra nihil auditoribus eſſe moleſtius poſſit, quàm ſui ipſius ſuarúmque rerum importuna laudatio, prudentiſſimè Cicero ſuarum laudum moleſtiam auditorum laudibus temperauit, imò ſibi nihil arrogat, maximam ſuæ laudis partem Senatoribus impertit, quos ſuorum conſiliorum facit auctores. In eóque ſermone iucundiſſimo per ſynonymiam diutiùs immoratur. *Quid enim aliud conſtitui, quid geſſi, quid egi.* ter id ipſum. & rurſus: *Niſi ex huius ordinis conſilio, auctoritate, ſententia.* Quibus præterea efficit, vt Senatores è iudicibus partes fiant, & omnia ſibi præſtanda putent, quæ Cicero geſſit in ſuo Conſulatu. Conſtituere ſpectare videtur ad Senatuſconſulta, quibus legum auctoritas non accedit, Gerere, ad oppreſſionem Catilinæ, Agere, ad leges à Cicerone Conſule perlatas. Sic conſilium eſt ſimplex rei faciendæ vel omittendæ ſuggeſtio, auctoritas aliquantò grauior, ſententiâ quandam velut obtemperandi neceſſitatem imponit.

HIC TV, HOMO SAPIENS.] Vt ſibi beneuolentiam quæſiuit, ita viciſſim in inuidiam vocat Antonium, eiúſque ſtultitiam oſtendit, quòd ea vituperet in Senatu quæ Senatus auctoritate geſta fuerant. Et ironicè ſapientem, non ſolùm eloquentem appellat, maiore contemptu quàm ſi ſtultiſſimum & infantiſſimum diceret, & aptiùs ad inuidiam concitandam. Neq. enim minùs intelligitur, & ſi apertè ſtultiſſimum dixiſſet hac verborum contumeliâ, nonnihil inuidiæ & indignationis in ſeipſum deriuaſſet: quæ nunc non iam in riuulos diducta, ſed pleno velut alueo fluens tota in Antonium effunditur. Stultiſſimum autem eſt id aduerſario crimini dare, quod iis conueniat quorum opus ſit beneuolentiam aucupari.

QVIS AVTEM.] Aliam inuidiæ facem ſubiicit: quòd vnus P. Clodius, quondam pernicioſus Reipub. ciuis id vituperare ſit auſus, quod nunc vituperat Antonius.

CVIVS QVIDEM.] Rem explico optimis verbis Pauli Manutij: *Fato præſcriptum videtur, vt qui vxorem Fuluiam ducant, omnes immaturâ morte intereant. Sic primus eius vir Clodius à Milone, ſic ſecundus Curio in Africa à Pompeianis occiſus eſt: tertium te manet idem fatum.* Infrà. *Dum iſtis conſiliis vteris, non potes, mihi crede, eſſe diuturnus. Etenim iſta tua minimè auara coniux nimiùm diu debet populo Romano tertiam penſionem.* Id eſt, mortem tuam, cùm duas iam populo Romano ſatis maturè ſoluerit, vnam Clodij, alteram Curionis morte, &c.

NOTÆ.

SAPIENS NON SOLVM ELOQVENS.] Magna ſapientiæ & eloquentiæ coniunctio. Vnde & teſtatur Orator initio librorum de inuentione: *Sapientiã ſine eloquentia parum prodeſſe ciuitatibus: eloquentiam verò ſine ſapientia nimium obeſſe plerumque, prodeſſe nunquam.* & in Oratore *ſapientiam eloquentiæ fundamentum* appellat, *Nihil enim eſt aliud eloquentia,* inquit in partitionibus oratoriis, *niſi copioſè loquens ſapientia.* I.

APVD EOS.] Cauendum imprimis ne apud quos dicimus eos noſtra offendat oratio. nobile exemplum eſt 2. de Oratore: *Puſillus teſtis proceſſit. Licet, inquit Philippus, rogare? Tum quæſitor properans, Modò breuiter. Hîc ille: non accuſabis, perpuſillum rogabo. Ridiculè. ſed ſedebat iudex L. Aurifex breuior etiam quàm ipſe teſtis. Omnis eſt riſus in iudicem conuerſus. viſum eſt totum ſcurrile iudicium.* vide infrà §.13. II.

VTRIQVE FATALE.] Fatalis maritis ſuis Fuluia, quod eos & ambitione inflaret, & ad ciendas turbas excitaret. Plutarchus in Antonio: Γάμῳ προσέσχε, Φουλβίαν ἀγόμενος τὴν Κλωδίῳ τῷ δημαγωγῷ συνοικήσασαν, οὐ ταλασίαν οὐδ' οἰκουρίαν φρονοῦν γύναιον, οὐδ' ἀνδρὸς ἰδιώτου κρατεῖν ἀξιοῦν, ἀλλ' ἄρχοντος ἄρχειν, καὶ στρατηγοῦντος στρατηγεῖν βουλόμενον. *Nuptiis animum adiecit, ducens Fuluiam, quæ olim Clodio populari concionatori nupſerat, mulierem neque lanificio, neque rei domeſticæ deditam, neque viro priuato imperare dignantem, ſed magiſtratum obtinenti præeſſe, & imperanti volentem imperare.* Adeò vt in proſcriptione triumuirali III.

rali

rali multos ipſa ſuo nomine proſcripſerit, vt referunt Dio, & Appianus, & tum ipſa tum Antonius Senatum ludibrio habuerint, vt auctor eſt Dio lib. 48. Διέσκωπτον γοῦν σφᾶς, ἄλλα τε καὶ τὴν βουλὴν καλίγαν ἀπὸ τῆς τῶν στρατιωτικῶν ὑποδημάτων χρήσεως ἀποκαλοῦντες. *Eos ludibrio habuerunt, tum aliis modis, tum Senatum Caligam vocantes, quòd Senatores calceamentis militaribus vterentur.* Et ipſa poſt victos Brutum & Caſſium abſente Antonio, bellum contra Cæſarem Octauianum, qui in Italiã redierat, excitarit. Quo bello, vt ibidem narrat Dio, Fuluia, καὶ ξίφος παρεζώννυτο, καὶ συνθήματα τοῖς στρατιώταις ἐδίδου. *& gladio accingebatur, & militibus teſſeram dabat.* Hæc illa eſt Fuluia, quæ tam fœdè inſultauit abſciſſo capiti Ciceronis. Idem Dio lib. 47. Ἡ δὲ Φουλουΐα ἔς τε τὰς χεῖρας αὐτὴν, πρὶν ἀποκομισθῆναι, ἐδέξατο, καὶ ἐπικραναμένη οἱ καὶ ἐμπτύσασα ἐπί τε τὰ γόνατα ἀνέθηκε, καὶ τὸ στόμα αὐτῆς διοίξασα, τὴν τε γλῶσσαν ἐξείλκυσε, καὶ ταῖς βελόναις, αἷς ἐς τὴν κεφαλὴν ἐχρῆτο κατεκέντησε, πολλὰ ἅμα καὶ μιαρὰ προσεπισκώπτουσα. *Fuluia autem id caput arreptum, priuſquam auferretur, inſultánſque amarulentis verbis & conſpuens genibus ſuis impoſuit: orique eius aperto linguam extractam, acubus (quales ſecum comendi capitis cauſâ mulieres ferunt) compunxit, additis crebris ac turpibus opprobriis.* vtor Xylandri verſione. Vt mirum non ſit turbulentam hanc mulierem Antonio dici fatalem. Etſi enim inſanus amor Cleopatræ extremam ei peſtem inuexit, id tamen Plutarchus Fuluiæ refert acceptum: Ὥστε Κλεοπάτραν διδασκάλια Φουλβίᾳ τῆς Ἀντωνίου γυναικοκρασίας ὀφείλειν, πάνυ χειροήθη καὶ πεπαιδαγωγημένον ἀπ' ἀρχῆς ἀκροᾶσθαι γυναικῶν παραλαβοῦσαν αὐτόν. *Vt mercedem Fuluiæ, quòd ancillari Antonium docuiſſet fœminis, debuerit Cleopatra, quæ planè cicurem & velut à tirocinio inſtitutum ad obtemperandum fœminis accepit.* Hæc Plutarchus. Neque tamen vxorem ſolùm, ſed etiam equum fatalem habuiſſe creditus eſt Antonius. Placet rem ipſis Gellij lib. 3. Noct. Attic. cap. 9. verbis exhibere, *Caius Baſſus, item Iulius Modeſtus, &c. Cn. Seium quempiam ſcribunt fuiſſe, eúmque habuiſſe equum natum Argis in terra Græcia, de quo fama conſtans eſſet, tanquam de genere equorum progenitus foret, quo Diomedis Thracis fuiſſent, quos Hercules, Diomede occiſo, è Thraciâ Argos perduxiſſet: Eum equum fuiſſe magnitudine inuſitata, ceruice arduâ, colore Phœniceo, flaua & comanti iuba: omnibúſque aliis equorum laudibus quoſcunque longè præſtitiſſe. Sed eundem equum tali fuiſſe fato, ſiue fortunâ ferunt, vt quiſquis haberet eum poſſideretque, is cum omni domo, familiâ, fortuniſque omnibus ſuis ad internecionem deperiret. Itaque primum illum Cn. Seium dominum eius, à Marco Antonio, qui poſtea Triumuir Reipub. conſtituendæ fuit capitis damnatum, miſerando ſupplicio affectum eſſe. Eodem tempore Cornelium Dolabellam Conſulem in Syriam proficiſcentem, famâ iſtius equi adductum Argos diuertiſſe, cupidinéque habendi eius exarſiſſe, emiſſéque eum LLS centum millibus. Sed ipſum quoque Dolabellam in Syria bello ciuili obſeſſum (an oppreſſum) atque interfectum fuiſſe. Mox eundem equum, qui Dolabellæ fuerat, C. Caſſium, qui Dolabellam obſederat, adduxiſſe, &c. quem Caſſium poſtea ſatis notum eſt, victis Parthis (lege victis partibus fuſóque exercitu ſuo, miſerâ morte oppetiiſſe. Deinde Antonium poſt interitum Caſſij, partâ victoriâ equum illum nobilem Caſſij requiſiſſe: & cùm eo potitus eſſet, ipſum quoque poſtea victum atque deſertum deteſtabili exitio interiſſe. Hinc prouerbium de hominibus calamitoſis ortum, dicique ſolitum: Ille homo habet equum Seianum.* Adfert & aliud prouerbium in eandem ſententiam: *Aurum Toloſanum. Nam cùm oppidum Toloſanum, in terrâ Galliâ, Qu. Cepio Conſul diripuiſſet, multúmque auri in eius oppidi templis fuiſſet, quiſquis ex ea direptione aurum attigit, miſero cruciabilíque exitu periit.* De quo Iuſtinus lib. 32. videatur. Fatalis etiam fuit illa nobilis armilla, de quo Papinius 4. Thebaidos:

Sic eriphylæos aurum fatale penates
Irrupit.

Eam Harmonie, Iocaſta, Argia, Eriphyle habuerunt. Harmonie in ſerpentem mutata:

Illyricos longo ſulcauit pectore campos.

Notæ calamitates Iocaſtæ, Argia miſerè virum Polynicem amiſit. Euryphile virũ Amphiaraum amiſit, & ab Alcmæone filio eſt interempta, aurúmque illud Apollini conſecratum. Deinde, vt auctor eſt Plutarchus opuſculo de ſera numinis vindicta: Ἀρίστων τὸν Ἐριφύλης κόσμον ἐνταῦθα κείμενον καθελὼν, τῶν τυράννων διδόντων ἐκόμισε τῇ γυναικὶ δῶρον. ὁ δ' υἱὸς αὐτοῦ πρὸς τὴν μητέρα διοργισθεὶς ἔκ τινος αἰτίας, ὑφῆψε τὴν οἰκίαν, καὶ πάντας ἐν τῷ αὐτῷ κατέκαυσεν. *Ariſton ornatum Eriphyle, concedentibus tyrannis inde abreptum vxori dono dedit. filius verò certam ob cauſam matri iratus domum incendit, & omnes ſimul combuſſit.* Quin etiam, vt narrat Ephorus apud Athenæum, Onomarchus, Phayllus, & Phalæcus templum Pythium expilarant, & inde armillam Eriphyles abſtulerant, inter alia templi donaria: Συνέβη δὲ ταῖς γυναιξὶν ἔριν ἐμπεσεῖν. καὶ διακληρουμένων, ἡ μὲν σκυθρωποτέρα οὖσα κατὰ τὸν βίον, καὶ σεμνότητι πλήρης τὸν Ἐριφύλης ὅρμον [ἔλαβε] ἡ δὲ ὥρᾳ διαφέρουσα καὶ μαχλὸς οὖσα τὸν τῆς Ἑλένης. καὶ αὕτη μὲν ἐρασθεῖσα νεανίσκου τινὸς Ἠπειρώτου συνεξεδήμησεν· ἡ δὲ τῷ ἀνδρὶ θάνατον ἐβούλευσεν. *Accidit, vt earum vxores inter ſe contenderent. Ductíſque ſortibus, ea quæ ſeueris erat moribus, & plena quadam maieſtate, mundum Eriphyles. Quæ forma excellebat erátque ad adulteria procliuior, Helenes armillam ſortita eſt. Et altera quidem iuuenis Epirotici amore ſuccenſa, cum ipſo ſolum vertit, altera necem marito ſuo machinata eſt.*

Fuluia virilis animi fœmina.

Equus Seianus.

Aurum Toloſanum.

Armilla Harmiones fatalis.

AXIOMATA.

Qui bonos accuſat, ſe malum eſſe profitetur.

Stultus eſt qui rem apud eos, quorum conſilio geſta fuerit, vituperat.

ARGVMENTVM.

Viros Conſulares enumerat, qui Conſulatum ipſius probauerunt, & grauiſſimam eorum auctoritatem opponit calumniis & obtrectationibus M. Antonij.

X. NON placet Marco Antonio Conſulatus meus: at placuit Pub. Seruilio: vt eum primum nominem ex illius temporis Conſularibus, qui proximè eſt mortuus. Placuit Qu. Catulo, cuius ſingularis ſemper in hac Republica viuet auctoritas. Placuit duobus Lucullis, M. Craſſo, Qu. Hortenſio, C. Curioni, C. Piſoni, M. Glabrioni, M. Lepido, L. Vulcatio, C. Figulo, D. Silano, L. Murenæ, qui tum erant Conſules deſignati: placuit idem quod Conſularibus, M. Catoni, qui cùm multa, vita excedens prouidit, tum quòd te Conſulem non vidit. Maximè verò Conſulatum meum Cn. Pompeius probauit, qui, vt me primùm decedens ex Syria vidit, complexus & gratulans, meo beneficio patriam ſe viſurum eſſe dixit. Sed quid ſingulos commemoro? frequentiſſimo Senatui ſic placuit, vt eſſet nemo, qui mihi non vt parenti gratias ageret, qui non mihi vitam ſuam, liberos, fortunas, Rempublicam referret acceptam.

EXPLANATIO.

NON PLACET.] Poſtquàm Antonium in inuidiam & cõtemptum adduxit, eum cum viris clariſſimis & Conſularibus componit.

AT PLACVIT PVB. SERVILIO.] Pub. Seruilius Vatia Iſauricus hoc ipſo anno diem obierat extrema ſenectute confectus, quo anno Cæſar eſt interẽptus, vt auctor eſt Dio. Cum Appio Claudio Pulchro Conſul fuerat, anno ab vrbe condita 675. ſedecim annis ante Ciceronem, eo ipſo anno quo Sulla dictaturâ ſe abdicauit.

PLACVIT QV. LVTATIO CATVLO.] Conſul fuit anno proximè ſequenti Seruilij Conſulatum. Ei Ciceronis Conſulatus ita placuit, vt eum parentem patriæ nominarit. in Piſonem 6. Tantæ fuit auctoritatis, vt id ei contigerit quod narrat Cicero pro lege Manilia; 59. *Cùm ex vobis quæreret ſi in vno Pompeio omnia poneretis, ſi quid ab eo factum eſſet, in quo ſpem eſſetis habituri, cepit magnum ſuæ virtutis fructum ac dignitatis, cùm omnes vnâ propè voce in eo ipſo vos ſpem habituros eſſe dixiſtis.* Obiit ſecundo anno poſt Conſulatum Ciceronis, vt ſcribit Dio.

DVOBVS LVCVLLIS.] Lucius Conſul fuerat anno 680. Marcus anno 681. mortui ſunt paulò ante bellum ciuile, vt ait Velleius. de anno non conſtat.

M. CRASSO.] M. Licinius Craſſus Conſul fuerat cum Pompeio anno 684 quo anno Cicero Verrem iudicio poſtulauit, ſeptem annis ante ſuum Conſulatum. Craſſus in ſuſpicionem coniurationis vocatus eſt, vt ait Dio, ſed is rumor breui intercidit. Et eum probaſſe geſta Ciceronis ex eo conſtat, quòd cùm faſciculum literarum ab ignoto quodam accepiſſet, & vnas à quopiam coniurato ſine nominis ſubſcriptione miſſas aperuiſſet, eas detulit ad Ciceronem, vt auctor eſt Plutarchus. A Parthis occiſus Cn. Domitio Caluino, & M. Valerio Meſſala Conſulibus, vno anno ante quam Orator Milonem defenderet. Vide epiſt. 13. lib. 1. ad Atticum, quantopere Craſſus probauerit M. Tullij Conſulatum.

QV. HORTENSIO.] Conſul fuerat proximè poſt Craſſum & Pompeium, ſex annis ante Ciceronem, quorum, vt dicitur præfatione libri de claris Oratoribus, coniunctiſſimus fuit conſiliorum omnium ſocietate. Diem obiit extremum anno qui proximè bellum ciuile anteceſſit, vt indicat ibidem Noſter his verbis, *Cùm è Cilicia decedens Rhodum veniſſem, & eo mihi de Qu. Hortenſij morte eſſet allatum, opinione omnium maiorem animo cepi dolorem.* & clariùs eodem libro: *Eſt autem L. Paulo, C. Marcello Conſulibus, mortuus.*

C. CVRIONI.] C. Scribonius Curio cum Cn. Octauio Conſul fuerat tredecim annis ante Ciceronem: eidem amantiſſimus pro quo etiam legationem ad Senatum Equeſtris ordinis nomine ſuſcepit cum Qu. Hortenſio. Obiit eodem anno quo Craſſus, vt videbitur in notis.

M. LEPIDO.] Tres fuerunt M. Æmilij Lepidi Cõſules ſedecim annorum decurſu ante M. Tullij Conſulatum. vnus Qu. Lutatij Catuli collega: alter anno proximè ſequenti cum D. Iunio Bruto: tertius cum L. Volcatio Tullo tribus annis ante Ciceronem. Primus ſuperſtes non fuit, ſed Bruto & Lepido Conſulibus dum patriæ bellum infert, à Catulo & Pompeio victus in Sardiniam fugit, ibíque morbo extinguitur. De cæteris duobus non conſtat vter ſuperſtes fuerit, & approbauerit Tullij Conſulatum.

C. PISONI.] Calpurnius Piſo, Conſul fuit cum M. Acilio Glabrione, quatuor annis ante Ciceronem, quibus Conſulibus Pompeius bellum piraticum, *extrema hieme apparauit, ineunte vere ſuſcepit, media æſtate confecit.* Iure igitur pro *M. Labeoni* reſcribitur *M. Glabrioni.* De Volcatio iam dictum eſt M. Lepidi fuiſſe Collegam.

C. FIGVLO.] C. Marcius Figulus cum L. Iulio Cæſare Conſul fuit, eo ipſo anno quo Cicero Conſul eſt deſignatus. De obitu non conſtat. Iure autem hîc miratur Paulus Manutius

omiſſum eſſe P. Torquatum, quem earum rerum, quas in Conſulatu pro patriæ ſalute geſſit, participem adiutorémque ſibi præcipuum fuiſſe fatetur in oratione pro Sulla. De Decio Iunio Silano, & Luc. Licinio Murena Conſulibus deſignatis, eorúmque in Ciceronem ſtudio nota res eſt, quamuis de obitu nihil mihi compertum eſt. Magna etiam mirari quis poſſit præteritum fuiſſe L. Gellium Publicolam, qui Conſul fuerat cum Cn. Cornelio Lentulo Clodiano, & vt dicitur in Piſonem 6. Senatoribus audientibus, *ciuicam coronam deberi à Repub. dixit.*

M. Catoni.] Peculiarem M. Porcij Catonis facit mentionem, etiamſi Conſularis nō eſſet, ſed duntaxat quæſtorius & deſignatus Tribunus plebis: tum quia propter morum ſanctitatem præcipua fuit eius auctoritas, tum quia præcipuus auctor fuit illius Senatuſconſulti de coniuratis in carcere iugulandis.

Vita excedens.] Victis à Cæſare in Africâ, Iubæ & Scipionis exercitibus, eorúmque caſtris vno die expugnatis, Cato Vticæ ſibi manus intulit violentas, vitámq. finiuit, ne in victoris manus deueniret, & videret oppreſſam ſeruitute Remp. In omnibus publicis cladibus ponit Antonij Conſulatum, quòd is maximum Reip. vulnus inflixerit: quaſi ob eam præcipuè cauſam ſibi necem intulerit, vt ſe ab ea calamitate ſubduceret.

Cn. Pompeivs.] Separatam facit Pompeij mentionem, vel quia illuſtrior eius quàm cæterorum fuit auctoritas, & ideò agmen claudere debuit: vel quia Pompeius rebus à Cicerone geſtis non interfuit, ſed biennio pòſt reuerſus eſt ex Aſia Syriáque decedens M. Pupio Piſone & M. Valerio Meſſala Conſulibus.

Sed qvid.] Poſtquam ſingulos Conſulares enumerauit, quibus placuit ipſius Conſulatus, ſeipſum reprehendit, & oſtendit iudicium Senatus vniuerſi.

NOTÆ.

I. Proxime est mortvvs.] Cæſare quintùm & Antonio Conſulibus, vt auctor eſt Dio, *extrema ſenectute diem clauſit.* Huius primo loco facit mētionem, vel quòd eſſet eius memoria recentior quàm cæterorum, vel quòd non mediocris eſſet eius auctoritas, vt ex eo videri poteſt quod oratione de prouinciis Conſularibus §. 1. verbis Valerij Maximi retulimus, eadem refert Dio, Οὕτως οἱ τότε Ῥωμαῖοι τούς τε τῷ ἀξιώματι προήκοντας ᾐδοῦντο, καὶ τοὺς ἀναιδείᾳ τινὶ χρωμένους καὶ ἐπὶ τοῖς ἐλαχίστοις ἐμίσουν, &c. *Vſque adeò qui tum erant Romani eos qui aliquâ dignitate præſtarent, reuerebantur, eóſque oderant qui vel in minimis rebus fuiſſent imprūdentes.* vt eum qui Seruilio prætereunte ex equo honoris causâ non deſcenderat, non auditâ eius defenſione damnarint. Vide locum: plura non addemus, ne bis idem dixiſſe videamur.

Publ. Seruilij mors & auctoritas.

II. Lvcvllis.] Lucius & Marcus fratres fuerunt, vt ex Plutarcho conſtat & Cicerone. Diem ſuum obiit Lucullus Lucius Philippo & Marcellino Conſulibus. Hunc enim oratione pro Sextio 58. appellat nulla mortis facta mentione: *A Lucullo ſummo viro atq. Imperatore pulſus.* vt autem dicitur lib. 2. ad Q. Fratrem ep. 3. *Ad quintum idus Februarij Sextius ab indice Cn. Nerio Pupiniâ de ambitu eſt poſtulatus, & eodem die à quodam M. Tullio de vi.* Vt ea cauſa non videatur peragi potuiſſe ante Martiū ineuntem. quo tempore Luc. Luculli, tanquā adhuc ſuperſtitis facit mentionem. Paulò pòſt tamen exceſſit è vitā, nā oratione de prouinciis Conſularib. quam habitam fuiſſe cōſtat ante comitia Cōſularia, indicatur diem obiiſſe 22. *Vtinam Lucius etiam Lucullus ille viueret.* De Marco Lucullo nihil conſtat niſi eū Lucio fratri ſuperſtitem fuiſſe, vt ibidem indicatur; & tamen ante bellum ciuile vitam finiiſſe. Velleius lib. 2. *Nunc propoſito operi ſua forma reddatur, ſi prius gratulatus ero Q. Catulo, duobus Lucullis, Metelloque & Hortenſio, qui cùm ſine inuidia in Repub. floruiſſent, eminuiſſéntque ſine periculo, quietâ aut certè non præcipitatâ, fatali ante initium bellorum ciuilium morte functi ſunt.* Quanta autem Lucullorū fuerit auctoritas, de Lucio Imperatore clariſſimo dicendum non eſt, de Marco oratione, de Haruſp. reſponſis 12. *Quæ tanta religio eſt, quæ non in noſtris dubitationibus, atque in maximis ſuperſtitionibus, vnius P. Seruilij ac M. Luculli reſponſo ac verbo liberemur.*

Lucullorum mors.

L. Volcatio.] Superſtes fuit initio belli ciuilis, & Cæſari ſe adiunxit. lib. 8 ad Att. ep. 1. *Nec me M. Lepidi, L. Volcatij, Seruij Sulpitij comitum pœniteret: quorum nemo nec ſtultior eſt quàm L. Domitius, nec inconſtantior quàm Appius Claudius.* Et Atticus fragmēto quodam epiſtolæ quæ habetur lib. 9. ep. 12. *Si M. Lepidus & Luc. Volcatius remanent, manendum puto.* Et videtur, quantum in ipſo fuit pacis auctor fuiſſe. Eodem lib. ep. 22. *Etiam equidem Senatuſconſulta facta quædam iam puto: vtinam in Volcatij ſententiam.* III.

C. Cvrioni.] Dixi C. Curionem eodē anno quo Craſſum è viuis eſſe ſublatum. quia, vt vidimus, Cicero eo anno in P. Craſſi locū augur ſuffectus eſt, cùm in Italia filius Curio non eſſet, qui non videtur plus anni ſpatio abfuiſſe: at eodem tempore Cicero pater mortuus eſt. Ep. 2. ad Curionem: *Graui teſte priuatus ſum amoris ſummi erga te mei, patre tuo clariſſimo viro: qui cùm ſuis laudibus, tum verò te filio, ſuperaſſet omnium fortunam, ſi ei contigiſſet, vt antè te videret, quàm à vita diſcederet.* Quātùm autem illi placuerit Tullij Conſulatus, conſtat ex ep. 15. lib. 1. ad Atticum: *Sed heus tu, vide ſis Conſulatum illum noſtrum, quē Curio antea* ἀποθέωσιν *vocabat, ſi hic factus erit, fabulam ac mimum futuram?* IV.

C. Curionis patris mors.

M. Catoni.] Quantùm placuerit Catoni Tullij Conſulatus indicio eſt, vt alios omittam, illud quod ait Plutar. in Cicerone: Τὴν Κικέρωνος ὑπατείαν οὕτως ᾖρε τῷ λόγῳ μεγάλην δημηγορήσας, ὥστε τιμὰς αὐτῷ τῶν πώποτε μεγίστας ψηφίσασθαι, καὶ προσαγορεῦσαι πατέρα πατρίδος. πρώτῳ γὰρ ἐκείνῳ δοκεῖ τοῦτο καθυπάρξαι, Κάτωνος αὐτὸν οὕτως ἐν τῷ δήμῳ προσαγορεύσαντος. *Ciceronis Conſulatum ita verbis extulit in concione, vt honores illi omnium qui vnquam fuerunt maximos decreuerit, & patrem patriæ nominarit. Huic enim primo videtur contigiſſe, cùm eum ita Cato appellaſſet in concione.* Nam quanta fuerit Catonis auctoritas ex eo patet, quòd eum adoleſcentulum, antequam Remp. attigiſſet, Pompeius & iam Conſularis, & triumphalis, & Imperator verebatur, & obſeruabat. Idem in Catone: Ἡ Πομπηΐου σπουδὴ περὶ αὐτὸν οὐκ ἐλάνθανεν θεραπεύοντος οὖσα μᾶλλον, ἢ φιλοῦντος. *Nemo dubitabat quin illud Pompeij ſtudium erga Catonem obſeruantiæ magis eſſet, quàm amoris.* Quid? quòd cùm rem incredibilem indicare volebant in prouerbium abierat: Ὅτι τοῦτο μὲν οὐδὲ Κάτωνος λέγοντος πιθανόν ἐστι. *Hoc quidem neque Catone decente probabile eſt.* V.

Cato probauit Cic. Conſulatum.

Catonis auctoritas.

Vt mirum non ſit eius auctoritatem Conſularibus adiungi. Quid autem moriens præuiderit, neque videre voluerit, oſtendit Dio lib. 43. Τῷ δ' υἱεῖ πρὸς τὸν Καίσαρα ἐλθεῖν ἐκέλευσε. πυθομένου δὲ τοῦ νεανίσκου, Διὰ τί καὶ σὺ οὐχὶ τοῦτο ποιεῖς; ἀπεκρίνατο αὐτῷ. ὅτι ἐγὼ μὲν ἐν τῇ ἐλευθερίᾳ καὶ παρρησίᾳ τραφεὶς οὐκ ἂν δυναίμην τὴν δουλείαν ἐκ μεταβολῆς ἐπὶ γήρως μαθεῖν. σὺ δ' ἐν τοιαύτῃ καταστάσει καὶ γεννηθέντι καὶ τραφέντι τὸν δαίμονα τὸν λαχόντα σε θεραπεύειν προσήκει. *Filium iuſsit ad Cæſare ire. Rogante verò adoleſcente, Quid tu igitur iſtud non facis? reſpondit, Ego quidem in libertate & viuendi & loquendi nutritus non poſſum tam ſubitâ rerum mutatione, ſeruitutem in ſenectute addiſcere. Tu verò in hoc rerum ſtatu & genitum & educatum conuenit eam conſortem amplecti, quàm tibi Deus obtulerit.* Sed profectò ineptirem propoſitæ breuitatis oblitus.

Grandia ſi vellem morituri verba Catonis
Dicere pluribus.

Cn. Pompeivs.] Cùm res geſtæ ſunt eas non admodum probauit Pompeius, déque eo Tullius conqueſtus eſt epiſtolá quædam quæ libro ad familiares quinto ſeptima numeratur. *Res eas geſſi, quarum aliquam in tuis litteris gratulationē expectaui, quam abs te prætermiſſam arbitror, quòd verebare ne cuius animum offenderes. Sed ſcito ea, quæ nos pro ſalute patriæ geſſimus orbis terræ iudicio ac teſtimonio comprobari.* Poſtea tamen in iis laudandis liberalior fuit. De officiis lib. 3. *Mihi quidem vir abundans bellicis laudibus Cn. Pompeius, multis audientibus hoc tribuit, vt diceret fruſtra ſe tertium triumphum deportaturum fuiſſe, niſi meo in Rempub. beneficio, vbi triumpharet, eſſet habiturus.* De eius auctoritate & obitu dicere non attinet. VI.

ARGVMENTVM.

Hactenus de Conſularibus mortuis, nunc oſtendit Conſulatum ſuum Luc. Cottæ & Lucio Cæſari, qui duo ex illius temporis Conſularibus ſuperſtites erant, placuiſſe. & hinc arrepta occaſione in Antonium inſectatur, quòd ad Cæſarem auunculum ſuum nihil referret de Repub.

XI. SED quoniam illis quos nominaui, tot ac talibus viris Reſpublica orbata eſt, veniamus ad eos, qui duo è Conſulari numero reliqui ſunt. L. Cotta vir ſummo ingenio, ſummáque prudentia, rebus iis geſtis, quas tu reprehendis, ſupplicationem decreuit verbis ampliſſimis: eíque illi ipſi quos modò nominaui, Conſulares Senatúſq. cunctus aſſenſus eſt: qui honos poſt conditam hanc vrbem habitus eſt togato ante me nemini. Luc. Cæſar auunculus tuus, qua oratione, qua conſtantia, qua grauitate ſententiam dixit in ſororis ſuæ virum vitricum tuum? Hunc tu cùm auctorem & præceptorem omnium conſiliorum, totiúſque vitæ debuiſſes habere, vitrici te ſimilem, quàm auunculi maluiſti. Huius ego alienus conſiliis Conſul vſus ſum: tu ſororis filius, ecquid ad eum vnquam de Republica retuliſti? At ad quos refert, Dij immortales? Ad eos ſcilicet, quorum nobis etiam dies natales audiendi ſunt. Hodie non deſcendit Antonius: cur non? dat natalitia in hortis: cui? neminem nominabo: putate cùm Phormioni alicui, tum Gnathoni, tum Ballioni. O fœditatem hominis flagitioſam! O impudentiam, nequitiam, libidinem non ferendam! Tu cùm principem Senatorem, ciuem ſingularem, tum propinquum habeas, ad eum de Repub. nihil referas: referas ad eos, qui domum ſuam nullam habent, tuam exhauriunt?

EXPLANATIO.

SED QVONIAM.] Tranſitio ad viuos cum deploratione publicæ calamitatis, ad augendam inuidiam, quia ſcelere Antonij bellum ciuile excitatum fuerat, & Reſpublica pleroſque eorum bello ciuili amiſerat.

Lvc. Cottæ.] Luc. Aurelius Cotta Conſul fuit cum Torquato duobus annis ante Ciceronem. Huius etiam prudentiam celebrat Orator pro domo ſua 68. *Vir prudentiſsimus & cùm Reipub. tum mihi, tum etiam virtuti amiciſsimus Luc. Cotta.* pro Sextio 73. *Diſputauit etiam multa prudenter.* quo loco dicitur, *Princeps rogatus ſententiam Luc. Cotta.* Vnde liqueat quanta fuerit eius auctoritas.

Verbis amplissimis.] In eius verba videtur factum S.C. de quo 4. in Catilinam. §. 20. *Cæteris enim ſemper bene geſta, mihi vni conſeruata Reip. gratulationem decreuiſtis.* & in Piſon. 6. *Mihi togato Senatus, non vt multis bene geſta, ſed vt nemini conſecrata Reip. ſingulari genere ſupplicationis Deorum immortalium templa patefecit.*

L. Cæsar.] Conſul fuerat cum C. Marcio Figulo proximè ante Ciceronem. De hoc oratione quarta in Catilinam. 13. *Niſi fortè cuipiam Luc. Cæſar vir fortiſſimus & amantiſſimus Reipub. crudelior nudiustertiùs eſt viſus, cùm ſororis ſuæ fœminæ lectiſſimæ virum præſentem & audientem vitâ priuandum eſſe dixit, cùm auum iuſſu*

Conſulis interfectum, filiúmque eius impuberem legatum à patre miſſum in carcere, necatum eſſe dixit.

VITRICVM TVVM.] Virum matris tuæ, nam mater Antonij fuit Iulia Lucij Cęſaris ſoror. quam poſt mortem Antonij patris P. Lentulus Sura duxit vxorem: Lentulus autem inter coniuratos iuſſu Ciceronis eſt in carcere iugulatus.

HVNC TV.] Digreſſio ad inſectationem Antonij, ne dum ſe defendit Cicero aduerſarium, interim reſpirare patiatur.

VITRICI.] Lentuli Suræ.

QVAM AVVNCVLI.] L. Cæſaris.

HVIVS EGO.] Ex comparatione ſui cum Antonio per oppoſita inuidiam magis inflammat.

AT AD QVOS REFERT.] Indignitatem exaggerat exclamatione: & ex eo quòd ſpretis auunculi ſui conſiliis hominibus nequiſſimis familiariter vteretur, eóſque ad conſilium adhiberet.

DIES NATALES.] Per indignationem, quòd eorum dies natales tanto ſtrepitu celebrentur, vt etiam ad Senatus aures eorum fama dimanet.

HODIE NON DESCENDIT ANT.] Non venit in Senatum. Aduerte dialogiſmum pulcherrimum.

DAT NATALITIA IN HORTIS.] Dat conuiuium natalitium ſuorum aliquorum nomine, quorum natales hodie celebrantur.

PHORMIONI.] Paraſitis, quales ſunt Phormio & Gnatho apud Terentium, & lenonibus ſimilibus illi Ballioni qui apud Plautum inducitur.

O FOEDITATEM.] Exclamatio per indignationem.

TV CVM.] Tu cùm Luc. Cæſarem virum præſtantiſſimum auunculum habeas, eum non conſultas de rebus ad Reipub. ſalutem ſpectantibus: conſultas autem neſcio quos paraſitos, qui iampridem ſua bona deuorauerunt, nunc tua deuorant & liguriunt.

NOTÆ.

I. Supplicatio. SVPPLICATIONEM.] Vide dicta peroratione pro Cornelio Balbo ad illa verba 61. *C. Cæſarem Senatus & genere ſupplicationum ampliſſimo ornauit.*

II. Quibus verbis ſupplicatio decreta Ciceroni. VERBIS AMPLISSIMIS.] Tertiâ Catilinariâ 15. *Atque etiam ſupplicatio Diis immortalibus pro ſingulari eorum merito meo, nomine decreta eſt, Quirites, quod mihi primo poſt hanc vrbem conditam togato contigit, & his decreta verbis eſt,* QVOD VRBEM INCENDIIS, CÆDE CIVEIS, ITALIAM BELLO LIBERASSEM.

III. LVC. CÆSAR.] Duo Lucij Cæſares eodem tempore floruerunt, quorum alter bello ciuili Cæſari hæſit, alter Pompeio. Priorem Dio lib. 42. vrbi præfectum fuiſſe ſcribit poſt ſeditionem Trebellij, & Dolabellæ, quæ ſecuta eſt pugnam Pharſalicam. Alter poſt victoriam Africanam iuſſu Cæſaris occiſus eſt. Dio 43. *Luc. Cæſarem propinquum ſuum, vltróque ſibi ſupplicem factum, tamen quod toto bello contra ſe ſtetiſſet, primùm cauſſam dicere iuſſit, eo conſilio vt iudicio victum condemnaſſe videretur: verùm cùm eum ſuâ voce morti addicere vereretur, iudicio ſuſpenſo* ὕστερον καὶ κρύφα ἀπέκτεινε. *poſtea clam interemit.* Quare hic locus de priore capiendus eſt, qui paulò pòſt à triumuiris proſcriptus, ſorore ſuâ, matre Antonij annitente incolumis euaſit.

VITRICI TE SIMILEM.] De moribus Lentuli Suræ vide quæ infrà diſſeremus §. 13. IV.

HODIE NON DESCENDIT.] *In forum,* inquit Manutius. *nam in collibus nobiliores habitabant.* Probat hanc locutionem exemplis. vt Philipp. 8 *Conſul ſe cum præſidio deſcenſurum eſſe dixit.* Philippica 14. *Scitis per hos dies creberrimum fuiſſe ſermonem, me cum faſcibus deſcenſurum fuiſſe.* Ad Attic. libro 4. *Cùm ſacrâ viâ deſcenderem.* Ego verò hanc explicationem libens amplecterer, tum quòd magna ſit apud me tanti viri auctoritas, tum quòd non habeam meliora. Sed Antonius non in collibus habitabat, verùm in Carinis, vbi domus erat Cn. Pompeij. auctor eſt P. Victor libello de vrbis regionibus. Plutarchus libro 2. *Cum Pompeio quoque circa Miſenum pax inita: qui haud abſurdè cùm in naui Cæſarémque & Antonium cœnâ exciperet, dixit: in Carinis ſuis ſe cœnam dare. referens hoc dictum ad loci nomen, in quo paterna domus ab Antonio poſſidebatur.* Ne tamen nihil omnino dicamus, videtur hîc eodem penè ſenſu dici *deſcendere*, quo §. 1. diuinationis in Qu. Cæcilium: *Subitò nunc mutatâ voluntate ad accuſandum deſcenderim.* Et pro Cœlio 2. *Sic conſtituetis, Iudices, nec deſcenſurum quemquam ad hanc accuſationem fuiſſe.* Eleganter Valla elegantiarum lib. 5. cap. 36. *Deſcendo in prælium, deſcendo in forum, deſcendo in campum dicimus, non quia de loco ſuperiore in inferiorem deſcendimus, ſed quia de loco tuto in locum diſcriminis: opinor, quòd qui in loco celſiore ſe tenet, pugnam detrectare exiſtimatur, quem cùm relinquit, & in locum æquum venit, atque deſcendit mentem ſe pugnandi habere declarat.* Ponit exemplum 11. Æneidos: V. Deſcendere.

Inſtructos acie Tiberino à flumine Teucros,
Tyrrhenámque manum totis deſcendere campis.

Horatius lib. 3. carm.

-Hic generoſior
Deſcendit in campum petitor.

Acies totis campis deſcendit in Martis aleam, cãdidatus ſiue petitor in campum Martium honoris & exiſtimationis periculum ſubiturus, accuſator in forum, Conſul in curiam.

BALLIONI.] Ballio leno apud Plautum in Pſeudolo. de quo Tullius pro Roſcio Comœdo. 20. *Nónne ab imis vnguibus vſque ad verticem ſummum (ſi quam coniecturam affert hominibus tacita corporis figura) ex fraude, fallaciis, mendaciis conſtare totus videtur? qui idcirco capite & ſuperciliis ſemper eſt raſis, ne vllum pilum viri boni habere dicatur. cuius perſonam præclarè Roſcius in ſcena tractare conſueuit, neque tamen pro beneficio ei par gratia refertur. Nam Ballionem illum improbiſſimum & periuriſſimum lenonem cùm agit, agit Chæream. Perſona illa lutulenta, impura, inuiſa in huius moribus, natura, vitáque eſt expreſſa.* Non abſimilis autem locus Demoſthenis 2. Philippica, quam alij Olynthiacam ſecundam vocãt: εἰ δέ τις σώφρων ἢ δίκαιος ἄλλως τὴν καθ' ἡμέραν ἀκρασίαν τοῦ βίου, καὶ μέθην, καὶ κορδακισμοὺς οὐ δυνάμενος φέρειν, παρεῶσθαι καὶ ἐν οὐδενὸς εἶναι μέρει τὸν τοιοῦτον. λοιποὺς δὲ περὶ αὐτὸν εἶναι, λῃστὰς καὶ κόλακας καὶ τοιούτους ἀνθρώπους· οἵους μεθυσθέντας ὀρχεῖσθαι τὰ τοιαῦτα, ἃ ἐγὼ νῦν ὀκνῶ πρὸς ὑμᾶς ὀνομάσαι. *Si quis autem temperans aut aliter iuſtus eſt, qui quotidianam* Philippi *intemperantiam, ebrietatem & impuras ſaltationes ferre non poſſit, eum quidam aiebat contemni & nullo loco haberi. Reliquos autem* VI. Ballio.

qui circa ipſum ſunt eſſe latrones, aſſentatores, eiuſmodi denique homines vt ebrij ſaltationes impuras exerceant, quas piget apud vos nominare. Item: Πολὺ τῶν θαυματοποιῶν ἀσελγεστέρους ὄντας, Καλλίαν ἐκεῖνον τὸν δημόσιον, καὶ τοιούτοις ἀνθρώποις μέρεις γελοίων, καὶ ποιητὰς αἰσχρῶν ᾀσμάτων, ὧν εἰς τοὺς συνόντας ποιοῦσιν ἕνεκα τοῦ γελασθῆναι, τούτους ἀγαπᾷ, καὶ περὶ αὑτὸν ἔχει. *Præſtigiatoribus longè impuriores, Calliam illum carnificem & huiuſmodi homines ridicularios mimos & poëtas turpium cantionum, quas in eos quibuſcum verſantur faciunt, vt rideantur: hos ille amat & circa ſe habet.*

ARGVMENTVM.

Confutat Orator quod Antonius obiecerat, pernicioſum fuiſſe Conſulatum Ciceronis, quòd is Conſul ſeruos armatos in Capitolino cliuo collocaſſet.

XII. TVVS videlicet ſalutaris Conſulatus, pernicioſus meus? Adeóne pudorem cum pudicitia perdidiſti, vt hoc in eo templo dicere auſus ſis, in quo ego Senatum illum, qui quondam florens orbi terrarum præſidebat, Conſulebam, tu homines perditiſſimos cum gladiis collocaſti? At etiam auſus es (quid autem eſt quod tu non audeas) cliuum Capitolinum dicere me Cos. plenum ſeruorum armatorum fuiſſe. Vt illa, credo, nefaria S.C. fierent, vim afferebam Senatui? O miſer, ſiue illa tibi nota non ſunt (nihil enim boni noſti) ſiue ſunt, quòd apud tales viros tam impudenter loquare. Quis enim eques Rom. quis præter te adoleſcens nobilis, quis vllius ordinis, qui ſe ciuem eſſe meminiſſet: cùm Senatus in hoc templo eſſet, in cliuo Capitolino non fuit? Quis nomen non dedit? quamquam nec ſcribæ ſufficere, nec tabulæ nomina illorum capere potuerunt. Etenim cùm homines nefarij de patriæ parricidio confiterentur, conſciorum indiciis, ſua manu, voce penè litterarum coacti ſe vrbem inflammare, ciues trucidare, vaſtare Italiam, delere Rempub. conſenſiſſe; quis eſſet qui ad ſalutem communem defendendam non excitaretur? præſertim cùm Senatus populúſque Rom. haberet ducem: qualis, ſi qui nunc eſſent, tibi idem quod illis accidit, contigiſſet.

EXPLANATIO.

TVVS VID.] Obiectio Antonij.

ADEÓNE.] Huius obiectionis impudentiam & indignitatem demonſtrat à contrario & comparatione ſui rerúmq. geſtarum cum Antonio: & à loco vbi hæc dicebantur. Nam hæc dicebat Antonius in templo Concordiæ, vbi Cicero Senatus auctoritatem ſeruauerat eum conſulens de Rep. Antonius hominibus armatis ibi collocatis eius libertatem oppreſſerat.

QVI QVONDAM FLORENS.] Pathos à præteritâ Senatûs dignitate, antequam tot Reip. lumina bello ciuili, ſed potiſſimùm ſcelere Antonij eſſent extincta. ſublatáque eius auctoritas & ad eos tráſlata qui ciuiũ libertatem oppreſſerant.

ORBI TERR. PRÆSID.] Penes Senatum erat, decernere prouincias, Imperatores & legatos eligere, diſpenſare pecunias ex ærario, Sociorum & Regum controuerſias dirimere, audire legatos, ipſos magiſtratus in officio continere, &c.

AT ETIAM.] Ratio cur Antonius diceret pernicioſum fuiſſe Tullij Conſulatum.

VT ILLA.] Confutatio rationis ironica, quam citra ironiam ad hunc ſyllogiſmum reuocare poſſis.

Non eſt opus vt fiant S.C. ſalutaris Reip. vim adferre Senatui.

Sed Senatus Conſulta me Conſule facta fuerunt ſalutaris Reipub.

Ergo, &c.

O MISER.] Seria refutatio per dilemma.

APVD TALES.] Senatores omni honore & reuerentiâ dignos, apud quos niſi pudenter non eſt loquendum.

QVIS ENIM.] Ab enumeratione eorum qui cùm Senatus in æde Concordiæ haberetur, præſidij cauſsâ conuenerant, oſtendit impudentiam Antonij, qui cliuum Capitolinum plenum ſeruis armatis fuiſſe obiecerat.

ADOLESCENS NOBILIS.] Cuius maiores curulibus magiſtratibus eſſent perfuncti.

VLLIVS ORDINIS.] Omnes ordines ad retinendam libertatem exarſerãt, vt dicitur orat. 4. in Catilinam §. 14. Equites, Tribuni ærarij, Scribæ, omnis ingenuorum multitudo. 15. libertini homines, etiam ſerui 16. *Seruus eſt nemo, qui modò tolerabili conditione ſit ſeruitutis, qui non audaciam ciuiũ perditorum perhorreſcat, qui non obſtare cupiat*, &c.

ETENIM CVM.] Adfert cauſſam à periculo quod adibat Reſpub. cur omnes ordines adeò fuerint ad deferendam Remp. excitati.

HOMINES NEFARII.] P. Lẽtulus Sura, C. Cornelius Cethegus, L. Statilius, Pub. Gabinius, L. Caſſius, M. Cæparius P. Furius, Q. Manlius Chilo, P. Vmbrenus: qui nouem in vincula coniecti

ſunt ob coniurationem Catilinæ, vt narratur 3.in Catil. §.14.15. ſed potiſſimùm primos quatuor intelligit, qui præſentes in Senatu conuicti fuerunt, cùm Senatus cenſuit. *Vt P. Lentulus, cùm ſe Prætura abdicaſſet, tum in cuſtodiam traderetur, Itémque vti C. Cethegus, Luc. Statilius, L. Gabinius, qui omnes præſentes erant, in cuſtodiam traderentur.*

CONSCIORVM INDICIIS.] Vulturcij 3. Cat. §. 8. Legatorum Allobrogum. ibidem 9.

SVA MANV.] Eadem oratione 10. *Tabellas proferri iuſſimus, quæ à quoque dicebantur datæ. primùm oſtendimus Cethego. Signum cognouit, nos linum incidimus, legimus, erat ſcriptum ipſius manu,* &c. Item: *Introductus Statilius, cognouit manum, & ſignum ſuum. Recitatæ ſunt tabellæ in eandem fere ſententiam: confeſſus eſt. Tum oſtendi tabellas Lentulo, & quæſiui cognoſceréτne ſignum, annuit.* Item 12. *Vulturcius verò ſubitò profert literas atque aperiri iubet, quas ſibi à Lentulo ad Catilinam datas eſſe dicebat. atque ibi vehementiſſimè perturbatus Lentulus, tamen ſignum & manum ſuam cognouit.* E quibus intelligis quæ fuerit illa vox litterarum.

VRBEM INFLAMMARE.] Salluſtius in Catilinâ: Negotia *diuiſa hoc modo dicebantur, Gabinius & Statilius vti cum magna manu duodecim ſimul opportuna loca vrbis incenderent, quo tumultu facilior aditus ad Conſulem, cæteróſque quibus inſidiæ parabantur fieret: Cethegus Ciceronis ianuam obſideret, eúmque vt aggrederetur, alius autem alium. Sed filij familiarum, quorum ex nobilitate magna pars erat, parentes interficerent, ſimul cæde & incendio perculſis omnibus ad Catilinam erumperent.*

HABERET DVCEM.] Meipſum Conſulem, qualis ſi qui nunc eſſes, morte plecteretis ob maleficia tua in Remp. quemadmodum illi ſunt in vinculis necati.

NOTÆ.

I. Pudor, Pudicitia. PVDOREM CVM PVDICITIA.] Frequenter duas has voces conuertit. vt Verrina de ſuppliciis 34. *Quot præſidia, quàm munita pudoris & pudicitiæ vi & audaciâ ceperit, quid me attinet dicere?* pro Milone 79. *Per me vnum effectum eſt vt ius, æquitas, leges, libertas, pudor, pudicitia in ciuitate manerent.* Vide Cœlianam 7. Sextianam 73.

II. Senatus poteſtas. ORBI TERRARVM PRÆSID.] Quæ Senatûs eſſet poteſtas, vide pro Sextio 137. *Noſſe deſcriptionem ciuitatis,* &c. in Vatinium 36. *Eripueras Senatui prouinciæ decernendæ poteſtatem, Imperatoris deligendi iudicium, ærarij diſpenſationem,* &c. Pro Milone 91. Curiam appellat, *Templum ſanctitatis, amplitudinis, mentis, conſilij publici, caput vrbis, aram ſociorum, portum omnium gentium,* &c. vide Notas, è quibus ſatis appareat cur dicatur orbi terrarum præſidere.

III. CLIVVM CAPITOLINVM.] Vide infrà 14. §.

IV. Arma ſeruis non permittenda. SERVORVM ARMATORVM.] Arma ſeruis non ſunt permittenda. Notum illud ex libro 7. in Verrem. §. 7. *Luc. Domitium Prætorem in Sicilia, cùm aper ingens ad eum allatus eſſet, admiratum requiſiſſe, quis eum percuſſiſſet. Cùm audiſſet paſtorem cuiuſdam fuiſſe, eum ad ſe vocari iuſſiſſe: illum cupidè ad Prætorem, quaſi ad laudem atque ad præmium accurriſſe. Quæſiſſe Domitium qui tandem beſtiam percuſſiſſet: illum reſpondiſſe, venabulo. Statim deinde iuſſu Prætoris in crucem eſſe ſublatum.* Hinc Orator in Piſonem 11. eum reprehendit, quòd à Clodio delectum ſeruorum haberi permiſiſſet.

CREDO.] Εἰρωνικῶς frequenter apud Oratorem. vide Sextianam §. 84. N. 3. & alibi. V.

O MISERVM TE.] Infrà 43. *O miſerum te ſi intelligis; miſeriorem ſi non intelligis.* VI.

ADOLESCENS NOBILIS.] Pro Milone. VII. *Adoleſcens nobiliſſimus,* vocatur. Nobilis genere paterno, cuius auus fuit ille M. Antonius orator. Antonij nobilitas. Matrem habuit Iuliam, è Cæſarum familia, gente Iuliorum, quæ quàm nobilis fuerit, indicant Cæſaris verba quæ à Tranquillo in eius vita cap. 6. referuntur. *Amitæ meæ Iuliæ maternum genus ab regibus ortum, paternum cum Diis immortalibus coniunctum eſt. nam ab Anco Marcio ſunt Marcij Reges, quo nomine fuit mater: à Venere Iulij cuius gentis familia eſt noſtra. Eſt ergo in genere & ſanctitas Regum, qui plurimùm inter homines pollent, & ceremonia Deorum, quorum ipſi in poteſtate ſunt Reges.* Quamuis cùm nobilitas Romana non ab antiquitate; ſed à curulibus magiſtratibus peteretur, videri potuit non admodũ nobilis, quòd vt notant viri docti, ea gens ſerò ad magiſtratus emerſerit.

IN HOC TEMPLO.] Mox: *Cùm in hac cella Concordiæ, ô Dij immortales, in qua me Conſule ſalutares ſententiæ dictæ ſunt, quibus ad hanc diem viximus, homines cum gladiis collocati ſtent.* VIII.

QVIS NOMEN NON DEDIT.] Nomen dare dicuntur, qui in delectu in militum matriculam referuntur. IX. Nomen dare. Liuius libro 2. *Delectúque decreto nemo nomen dedit.* Paulò pòſt: *Omiſſo certamine nomina dedere.* Lib. 4. *Cognitio vacantium militiæ munere poſt bellum differtur. Ita dubij quoque inclinant ad nomina danda.* Libro 3. *Cognoſcendis cauſſis eorum qui nomina non dediſſent, bello perfecto ſe daturos tempus.* Libro 6. *Neque duci addictos tribuni ſinebant, neque iuniores nomina dabant.*

VOCE PENE LITTERARVM.] Apuleius apologiâ: X. Vox litterarum. *Orò te, Maxime, ſi litteræ ita vt partim vocales dicuntur, etiam propriam vocem vſurparent: ſi verba ita, vt Poëtæ aiunt, pinnis apta vulgò volarent: Nónne cùm primùm epiſtolam iſtam Rufinus malâ fide excerperet, pauca legeret, multa & meliora ſciens reticeret, nónne tunc cæteræ litteræ ſceleſtè ſe detineri proclamaſſent? verba ſuppreſſa de Rufini manibus foras euolaſſent? totum forum tumultu compleſſent?* &c. Certè, vt Biſciolæ noſtri verbis vtar lib. 6. Subceſiuarum cap. 12. *Mirabantur & noſtro ſeculo Indi papyrum loquentem, vt ipſi putabant, quod à rerum Indicarum ſcriptoribus narratur.* Quo in genere lepida eſt narratiuncula de illo puero, qui iuſſu heri fiſcellam ficubus plenam ad herilem amicum deferens, partem ederat in via, partem ei reddiderat ad quem fuerant deſtinatæ. Et rem per litteras hero detectam admirans, paulò pòſt cùm eandem ferendarum ficuum accepiſſet prouinciam, litteras ne quid illæ reſciſcerent in terram defodit, ficúſque, vt rebatur, ſine arbitris manducauit. Vide Richeomum Valedictione animæ, Hermanum Hugonem præfatione libri de prima

ſcribendi origine, & Angelinum Gazæum libro Piorum Hilariorum, & alios, & Hieronymum Benzonem libro 2. nouæ noui orbis hiſtoriæ cap. 17. & in eum locum notas Vrbani Caluetonis, partim ex Gomara, partim ex Lerio non abſimilia referentem. Vnde & Nonnus quarto Διονυσιακῶν, τύπον ἀσιγήτοιο σιγῆς litteras nominabat. Quid vetat verſus pulcherrimos exhibere. v. 260.

Ελλάδι φωνήεντα καὶ ἔυφρονα δῶρα κομίζων Cadmus.
Γλώσσης ἔργανα τεῦξεν ὁμόθροα. Συμφυέος δ'
Αρμονίης στοιχηδὸν ἐς ἄζυγα σύζυγα μίξας
Γραπτὸν ἀσιγήτοιο τύπον τορνώσατο σιγῆς,
Πάτρια θεσπεσίης δεδαημένος ὄργια τέχνης,
Αἰγυπτίης σοφίης μετανάστιος, ἦμος Αγήνωρ
Μέμφιδος ἐνναέτης ἑκατόμπυλον ᾤκισε Θήβην.
Καὶ ζαθέων ἄρρητον ἀμελγόμενος γάλα βίβλων
Χειρὸς ὀπισθοπόρειο χαράγματα λοξὰ χαράσσων
Εγραψεν ἀγκύλα κύκλα.-

Græciæ vocalia & prudentia munera ferens
Linguæ inſtrumenta fecit concordia. cognata verò
Conſonantiæ ordinatim in non iuncta coniuncta miſcens
Scriptum vocalis typum expreſſit ſilentij,
Paterna diuinæ doctus myſteria artis
Ægyptiæ ſapientiæ aduena, cùm Agenor
Memphidis incola centum - portas - habentem conderet Theben,
Et diuinorum ineffabile emulgens lac librorum
Manus retrogradæ characteres, obliquos ſignans
Scripſit curuos circulos.-

AXIOMATA.

Qui pudicitiam perdiderunt, facilè perdunt & pudorem.

Miſeri ſunt improbi, ſiue illis mala ſua nota ſunt, ſiue non ſunt.

Omnes debent ad ſalutem communem defendendam excitari.

ARGVMENTVM.

Pergit diluere quod de nece coniuratorum, & crudelitate Ciceronis Conſulis obiicit Antonius, & ex eo ipſo crimine ſibi laudem, Antonio vituperationem deriuat.

XIII. AD ſepulturam corpus vitrici ſui negat à me datum. Hoc verò ne P. quidem Clodius dixit vnquam; quem, quia iure ei fui inimicus, doleo à te omnibus vitiis eſſe ſuperatum. Quî autem tibi venit in mentem, redigere in memoriam noſtram, te domi P. Lentuli eſſe educatum? an verebare, ne non putaremus, natura te potuiſſe tam improbum euadere, niſi acceſſiſſet etiam diſciplina? Tam autem eras excors, vt tota in oratione tua tecum ipſe pugnares, vt non modò non cohærentia inter ſe diceres, ſed maximè diſiuncta atque contraria, vt non tanta mecum, quanta tecum tibi eſſet contentio. Vitricum tuum fuiſſe in tanto ſcelere fatebare, pœna affectum querebare. Ita quòd propriè meum eſt, laudaſti: quod totum eſt Senatus, reprehendiſti. Nam comprehenſio ſontium, mea: animaduerſio, Senatus fuit. homo diſertus non intelligit eum, quem contra dicit, laudari à ſe: eos apud quos dicit, vituperari.

EXPLANATIO.

AD SEPVLT.] Obiicit Antonius me adeò fuiſſe crudelem, vt cùm Lentulum vitricum ſuum, id eſt matris ſuæ maritum iuſſiſſem in vinculis necari, corpus eius non reddiderim, vt ſepulturæ mandaretur.

HOC VERÒ.] Impudentiam tam aperti mendacij, non ſolùm inficiatione, ſed etiam indignatione confutat, & in auctorem aculeum orationis exerit, eo nomine quod Antonius ipſum Clodium impudentiâ ſuperarit. Clodius enim cùm vndequaque crimina ad inuidiam conſulatui Ciceronis conflandam corraderet, veritus erat huiuſmodi mendacium confingere.

QVI AVTEM.] Alius orationis aculeus, à P. Lentuli, apud quem educatus fuerat Antonius, impuritate, à quo puer prauis moribus imbutus eſt.

TAM AVTEM.] Antonij ſtultitiam demonſtrat, quòd Ciceronem vituperare volens laudauerit, Senatúmque apud quem loquebatur, quémque demereri oportebat, offenderit.

VITRICVM.] Lentulum Suram, matris tuæ Iuliæ maritum, coniurationis conuictum fuiſſe, & in vinculis ob coniurationem necatum fuiſſe fatebare.

QVOD PROPRIE MEVM EST.] Detectionem coniurationis occultæ, comprehenſionem iudicum, & prolationem litterarum.

QVOD TOTVM EST SENATVS.] Supplicium coniuratis irrogatum.

HOMO DISERTVS.] Hæc omnia colligi poſſunt huiuſmodi ſyllogiſmo.

Stultus eſt & excors qui eum, contra quem dicit, laudat: eos apud quos dicit, vituperans.

Sed me ob comprehenſionem ſontium, laudaſti: Senatum ob animaduerſionem vituperaſti.

Ergo, &c.

NOTÆ.

I. AD SEPVLTVRAM.] Plutarchus in Antonio: Φησὶ γοῦν Ἀντώνιος οὐδὲ τὸν νεκρὸν αὐτοῖς ἀποδοθῆναι τοῦ Λέντλου πρότερον, ἢ τῆς γυναικὸς τοῦ Κικέρωνος τὴν μητέρα δεηθῆναι. τοῦτο μὲν οὖν ὁμολογουμένως ψεῦδός ἐστιν. οὐδεὶς γὰρ εἴρχθη ταφῆς τῶν τότε κολασθέντων ὑπὸ τοῦ Κικέρωνος. *Dicit igitur Antonius, ne corpus quidem Lentuli ad ſepulturam, ſibi ſuiſque redditum fuiſſe, priuſquam mater coniugem Ciceronis exoraret. Hoc autem manifeſtè falſum: nemo enim eorum qui tum à Cicerone morte multati ſunt, prohibitus eſt ſepultura.*

II. VITRICI.] Quis appelletur vitricus ex Apuleio ſatis apparet ſub finem apologiæ; *Pugnaui cum irata matre pro priuigno malo, veluti pater pro optimo filio aduerſus nouercam.* Modeſtinus D. De gradibus & affinibus: *Affines ſunt viri & vxoris cognati, dicti ab eo quòd duæ cognationes quæ diuerſæ inter ſe ſunt per nuptias copulantur, & altera ad alterius cognationis finem accedit.* Mox vbi nomina affinitatis numerauit. *Socer, ſocrus: gener, nurus: nouerca, vitricus: priuignus, priuigna:* Subdit. *Et quidem viri pater vxoríſque, ſocer: mater autem eorum, ſocrus appellatur, cùm apud Græcos propriè viri pater ἑκυρὸς, mater verò ἑκυρὰ vocitetur: vxoris autem pater πενθερὸς, & mater πενθερὰ vocatur. Filij autem vxor, nurus: filia verò vir, gener appellatur. Vxor liberis ex alia vxore natis nouerca dicitur: matris vir ex alio viro natis vitricus appellatur. Eorum vterque natos aliunde priuignos, priuignáſque vocant.* Addamus obiter quæ ſubduntur. *Viri frater leuir, is apud Græcos δαὴρ appellatur, vt eſt apud Homerum relatum. Sic enim Helena ad Hectorem dicit,*

Gradus affinitatis & cōſanguinitatis.

Δᾶερ ἐμεῖο κυνὸς κακομηχάνου ὀκρυοέσσης.

Viri ſoror glos dicitur, apud Græcos γάλως. Duorum fratrum vxores ianitrices dicuntur, apud Græcos εἰνατέρες: quod vno verſu idem Homerus ſignificat.

Ἤ τις γαλόων, ἢ εἰνατέρων εὐπέπλων.

III. DOMI P. LENTVLI ESSE EDVCATVM.] Operæ fuerit pretium Lentuli mores ex Plutarcho in vita Ciceronis cognoſcere. Κορνήλιος Λέντλος, Σούρας ἐπίκλησιν, ἀνὴρ γένους μὲν ἐνδόξου, βεβιωκὼς δὲ φαύλως, καὶ δι᾽ ἀσέλγειαν ἐξεληλαμένος τῆς βουλῆς πρότερον. τότε δὲ στρατηγῶν τὸ δεύτερον, ὡς ἔθος ἐστὶ τοῖς ἐξ ὑπαρχῆς ἀνακτωμένοις τὸ βουλευτικὸν ἀξίωμα. *Cornelius Lentulus, Sura cognomine, homo nobilis ille quidem, ſed præterita vita flagitiis & ſordibus infamis, & iam ante Senatu motus, tunc autem Prætor ſecundùm, vt moris eſt illis qui recuperare volunt Senatoriam dignitatem.* Aduerte morem quem etiam Dio libro 37. de hoc ipſo Lentulo loquens non omiſit. Græca non ſunt ad manum. *Poſt geſtum conſulatum Senatu exciderat, ac Senatoriæ dignitatis recuperandæ cauſſâ præturam tunc gerebat.* Pergit Plutarchus: Λέγεται δὲ καὶ τὴν ἐπίκλησιν αὐτῷ γενέσθαι τὸν Σούραν ἐξ αἰτίας τοιαύτης. ἐν τοῖς κατὰ Σύλλαν χρόνοις ταμιεύων, συχνὰ τῶν δημοσίων χρημάτων ἀπώλεσε, καὶ διέφθειρεν. ἀγανακτοῦντος δὲ τοῦ Σύλλα, καὶ λόγον ἀπαιτοῦντος ἐν τῇ συγκλήτῳ, προελθὼν ὀλιγώρως πάνυ καὶ καταφρονητικῶς, λόγον μὲν οὐκ ἔφη διδόναι, παρέχειν δὲ τὴν κνήμην, ὥσπερ πάνυ εἰώθασιν οἱ παῖδες ὅταν ἐν τῷ σφαιρίζειν ἁμάρτωσιν. ἐκ τούτου Σούρας παρωνομάσθη. *Adhæſiſſe autem illi dicitur Suræ cognomentum hanc ob cauſam. Cùm Sylla Remp. obtineret, ipſe Quæſtor magnam pecuniæ publicæ vim perdidit ac diſſipauit. Indignante verò Sylla, & in Senatu rationem exigente contemptim, planè accedens ait ſe non reddere rationem, ſed Suram cædendam exhibere, vt ſolebant pueri cum pilâ ludentes errauerant. hinc Sura eſt agnominatus.* Addit & aliud impudentiæ non minoris exemplum. Πάλιν δὲ δίκην ἔχων, καὶ διαφθείρας ἐνίους τῶν δικαστῶν, ἐπεὶ δυσὶ μόναις ἀπέφυγε ψήφοις, ἔφη παρανάλωμα γεγονέναι τῷ θατέρῳ κριτῇ δοθέν. ἀρκεῖν γὰρ εἰ καὶ μιᾷ ψήφῳ μόνον ἀπελύθη. *Rurſum cum reus eſſet, & quoſdam iudices corrupiſſet, poſtquam duabus tantùm ſententiis abſolutus eſt, in ſuperfluos ſumptus immenſum eſſe dixit, quod alteri iudicium dediſſet. Satis enim eſſe ſi vnâ tantùm abſoluerentur ſententiâ.* Eum equidem eſſe crediderim, de quo Seneca tertio de Ira cap. 38. *Cato noſter meliùs: cui cùm cauſam agenti in frontem mediam, quantum poterat attractâ pingui ſaliuâ inſpuiſſet, Lentulus ille patrum noſtrorum memoriâ factioſus, & impotens abſterſit faciem, &, Affirmabo, inquit, omnibus, Lentule, falli eos qui te negant os habere.*

Mores Lentuli Suræ.

EDVCATVS.] Tempus & charta me deficiant, ſi quæ ſparſim de educatione liberorum à grauibus philoſophis referuntur, velim corradere. Quare ſatis erit ex ipſis philoſophiæ magiſtris, & quaſi fontibus nonnihil exhibere, ſic enim liquebit neceſſe fuiſſe, vt Antonius domi Lentuli perditiſſimi nebulonis educatus improbus omninò, & nefarius euaderet. ac primò, vt omittam Xenophōtem initio libri quarti Memorabilium, Plutarchus libro de Inſtitutione puerorum multa & præclara in hanc ſententiam: nos duo vel tria ſeligemus. De duobus Lycurgi canibus nota res eſt, quos ex eadem matre procreatos diuerſis rationibus aluerat, & venationi alterum, alterum aſſuefecerat culinæ. vtrumque producit in concionem, hinc ollam adipatis ferculis confertam proponit, inde leporem emittit, alter ad ollam, alter ad leporem aduolare. Tum Lycurgus: Οὗτοι γονέων, ἔφη, τῶν αὐτῶν ἀμφότεροι, διαφόρου δὲ τυχόντες ἀγωγῆς, ὁ μὲν λίχνος ὁ δὲ θηρευτὴς ἀποβέβηκε. *Hi*, inquit, *iiſdem è parentibus nati ſunt, ſed diuerſam educationem ſortiti, guloſus alter, alter venator euaſit.* IV.

Quare ne iam inde ab infantia teneri puerorum animi prauis moribus imbuantur, nolebat eos ancillis & nutricibus committi. Δεῖ αὐτὰς τὰς μητέρας τὰ τέκνα τρέφειν, καὶ τούτοις ὑπέχειν τοὺς μαστούς. *Matres oportet filios educare, & ipſis mammam ſummittere.* quod etiam à ſuâ coniuge fieri volebat Cato Cenſorius, vt narratur in eius vitâ. Addit Plutarchus inter alia, καθάπερ σφραγῖδες τοῖς ἁπαλοῖς ἐναπομάττονται κηροῖς, οὕτως αἱ μαθήσεις ταῖς τῶν ἔτι παιδίων ψυχαῖς ἐναποτυποῦνται. *Quemadmodum ſigna mollibus ceris, ita diſciplinæ puerorum animis imprimuntur.* Ideóque Platonem laudat, quòd à puerorum auribus inanes fabellas amouerit. Sed ipſum Platonem audiamus 2. de Rep. Οὐκοῦν οἶσθα ὅτι ἀρχὴ παντὸς ἔργου μέγιστον, ἄλλως τε καὶ νέῳ καὶ ἁπαλῷ ὁτῳοῦν; μάλιστα γὰρ δὴ τότε πλάττεται καὶ ἐνδύεται τύπος, ὃν ἄν τις βούληται ἐνσημήνασθαι ἑκάστῳ; Κομιδῇ μὲν οὖν. Ἆρ᾽ οὖν ῥᾳδίως οὕτω παρήσομεν τοὺς ἐπιτυχόντας ὑπὸ τῶν ἐπιτυχόντων μύθους πλασθέντας ἀκούειν τοὺς παῖδας, καὶ λαμβάνειν ἐν ταῖς ψυχαῖς ὡς ἐπιτοπολὺ ἐναντίας δόξας ἐκείναις, ἃς ἐπειδὰν τελεωθῶσιν ἔχειν οἰησόμεθα δεῖν αὐτούς; οὐδ᾽ ὁπωστιοῦν παρήσομεν. Πρῶτον δὴ ἡμῖν, ὡς ἔοικεν, ἐπιστατητέον τοῖς μυθοποιοῖς, καὶ ὃν μὲν ἂν καλὸν μῦθον ποιήσωσιν, ἐγκριτέον,

Educatio quanti momenti.

ὃν δ' αὖ μὴ ἀποκριτέον. τοὺς δ' ἐγκριθέντας πείσομεν τὰς τροφούς τε καὶ μητέρας, λέγειν τοῖς παισί, καὶ πλάττειν τὰς ψυχὰς αὐτῶν τοῖς μύθοις, πολὺ μᾶλλον ἢ τὰ σώματα ταῖς χερσί. *An neſcis in vnaquaque re maximum quid principium eſſe? præſertim iuueni & tenero cuique. Maximè enim tunc formatur induitúrque figura, quàm quis vnicuique imprimere velit. Omninò quidem. An adeò facilè permittemus quaſlibet fabulas à quibuſcunque fictas audire pueros, animiſque imbibere opiniones, vt plurimùm, contrarias illis, quas cùm adoleuerint, habere illos debere exiſtimamus? Nullo modò id permittemus. Primùm igitur, vt videtur, fabularum fictoribus præficiendi ſunt, qui, ſi quam bonam fabulam fecerint, eligant, reliquas autem abiiciant. Quas denique elegerimus, per nutrices & matres pueris narrandas curabimus, vt ipſorum animi fabulis, multò magis informentur, quàm corpora manibus.* vide plura ibidem. Et libro ſequenti admitti prohibet pictores inhoneſtos. ἵνα μὴ ἐν κακίας εἰκόσι τρεφόμενοι ἡμῖν οἱ φύλακες, ὥσπερ ἐν κακῇ βοτάνῃ πολλὰ ἑκάστης ἡμέρας, κατὰ σμικρὸν ἀπὸ πολλῶν δρεπόμενοί τε καὶ νεμόμενοι ἕν τι ξυνιστάντες λανθάνωσι κακὸν μέγα ἐν τῇ αὑτῶν ψυχῇ, ἀλλ' ἐκείνους ζητητέον τοὺς δημιουργούς, τοὺς εὐφυῶς δυναμένους ἰχνεύειν τὴν τοῦ καλοῦ καὶ εὐσχήμονος φύσιν. ἵνα ὥσπερ ἐν ὑγιεινῷ τόπῳ οἰκοῦντες οἱ νέοι ὠφελῶνται ἀπὸ παντός, ὁπόθεν ἂν αὐτοῖς ἀπὸ τῶν καλῶν ἔργων, ἢ πρὸς ὄψιν, ἢ πρὸς ἀκοήν τι προσβάλλῃ, ὥσπερ αὔρα φέρουσα ἀπὸ χρηστῶν τόπων ὑγίειαν, καὶ εὐθὺς ἐκ παίδων λανθάνῃ εἰς ὁμοιότητά τε καὶ φιλίαν, καὶ ξυμφωνίαν τῷ καλῷ λόγῳ ἄγουσα. *Ne in prauitatis imaginibus nobis enutriti cuſtodes, tanquam noxio in gramine, & multa quotidie paulatim à multis decerpentes, paſcentéſque, vnum aliquod maximum malum ignari in animo contrahant? Quamobrem illi quærendi ſunt artifices, qui naturali quadam induſtria poßint, tanquam per veſtigia exprimere pulchri ipſius decorìque naturam, vt tanquam in loco ſalubri habitantes iuniores, ex omnibus adiuuentur, vndecunque à pulchris honeſtíſque operibus, ſiue ad oculos, ſiue ad aures eorum honeſti aliquid peruenerit, veluti ſuauis aura quædam, à locis ſalubribus afferens ſanitatem: quæ quidem ſtatim afflare à primis annis incipiens, ſenſim in ſimilitudinem, amicitiam & concordiam honeſta ratione conciliat.* Hæſit Ariſtoteles magiſtri ſui veſtigiis, quamuis per quem proficit non ſolet nominare. ſic enim libro 7. Polit. cap. 17. agens de primâ educatione ante ſeptennium. Εὔλογον οὖν ἀπελαύνειν ἀπὸ τῶν ἀκουσμάτων, καὶ τῶν ὁραμάτων ἀνελευθερίας καὶ τηλικούτους ὄντας. ὅλως μὲν οὖν αἰσχρολογίαν ἐκ τῆς πόλεως, ὥσπερ ἄλλο τι δεῖ τὸν νομοθέτην ἐξορίζειν. ἐκ τοῦ γὰρ εὐχερῶς λέγειν ὁτιοῦν τῶν αἰσχρῶν γίνεται, καὶ τὸ ποιεῖν σύνεγγυς. μάλιστα μὲν οὖν ἐκ τῶν νέων, ὅπως μήτε λέγωσι, μήτ' ἀκούωσι μηδὲν τοιοῦτον. *Conſentaneum igitur eſt, vt qui vel tantuli ſunt, ab auditionibus & ſpectaculis illiberalibus procul arceantur. Cùm igitur vniuersè legiſlator verborum obſcœnitatem, ex ciuitate, ſi quicquam aliud eiicere debeat, (è licentia enim quodlibet turpe dicendi ſequitur, è proximo libertas turpiter faciendi) tum maximè à puerorum auribus oculíſque remouere, ne quid tale, vel audiant, vel loquantur.* Subdit: Ἐπειδὴ δὲ τὸ λέγειν τι τῶν τοιούτων ἐξορίζομεν, φανερὸν ὅτι καὶ θεωρεῖν ἢ γραφάς, ἢ λόγους ἀσχήμονας. *Quoniam autem tale quid proloqui vetamus, perſpicuum eſt etiam picturas & fabulas indecoras ac deformes ſpectare, per nos non licere.* Quam in ſententiam prudenter apud Plutarchum iubebat Cato Cenſorius. Τὰ αἴσχιστα τῶν ῥημάτων οὐχ ἧττον εὐλαβεῖσθαι τοῦ παιδὸς παρόντος, ἢ τῶν ἱερῶν παρθένων ἃς Ἑστιάδας καλοῦσι. *Abſtineri non minùs ab obſcœnitate verborum præſente puero, quàm ſacris virginibus, quas Veſtales appellant, præſentibus.* Vide planè Marullum eleganti illo poëmate de educatione principis, Sadoletum libro de inſtitutione principum, & præcipuè Iuuenalem ſat. 14. vbi illud.

Non quæuis fabulæ narrādæ pueris, ſine delectu.

Si damnoſa ſenem iuuat alea, ludit & heres
Bullatus, paruóque eadem mouet arma fritillo.
Nec de ſe melius cuiquam ſperare propinquo
Concedit iuuenis, qui radere pondera terræ,
Boletum condire, & eodem iure natanteis
Mergere ficedulas didicit nebulone parente,
Et canâ monſtrante gulâ, &c. Item:
Maxima debetur puero reuerentia. Si quid
Turpe paras, nec tu pueri contempſeris annos,
Sed peccaturo obſiſtat tibi filius infans, &c.

Sed vide totam ſatiram. Rationem huius rei reddit Plato 2. de Rep. ἃ αὖ τηλικοῦτος ὢν λάβῃ ἐν ταῖς δόξαις δυσέκνιπτά τε καὶ ἀμετάστατα φιλεῖ γίγνεσθαι. *Quæ enim opiniones teneris tantillorum animis imbibuntur, eæ nec elui facilè poſſunt, nec loco ſuo dimoueri.* Quod ita Flaccus expreſſit.

Quo ſemel eſt imbuta recens ſeruabit odorem
Teſta diu.- & alter,
-Adeò à teneris aſſueſcere multum eſt.

Non fruſtra igitur obiicit Antonio Tullius, quòd is domi P. Lentuli hominis impudentiſſimè nequam & profligatiſſimi nebulonis fuerit educatus.

V. Diſciplinæ vis.

DISCIPLINA.] Meritò diſciplinam cum natura coniungit. hæc enim duo magnam vim habent in vtramque partem. Æſchines in Timarchum: Ὅταν δ' ἡ φύσις τοῦ ἀνθρώπου πονηρὰν ἀρχὴν λάβῃ, τῆς παιδείας ἐκ τῶν κακῶς τετραμμένων παίδων παραπλησίους ἡγήσατο πολίτας ἔσεσθαι Τιμάρχῳ τουτῳί. *Cùm enim hominis natura malum inſtitutionis initium acceperit, è pueris qui malè fuerint educati legiſlator exiſtimauit, ciues iſti Timarcho ſimiles euaſuros.* Plutarchus opuſculo de inſtitutione liberorum: ἡ μὲν φύσις ἄνευ μαθήσεως τυφλόν, ἡ δὲ μάθησις δίχα φύσεως ἐλλιπές. *Natura ſine diſciplinâ cæca eſt, diſciplinâ ſine naturâ deficit.* Plato ſexto de legibus inter alia multa quæ tradit de inſtitutione liberorum. Ἄνθρωπος δ' ὥς φαμεν, ἥμερον· ὅμως μὴν παιδείας μὲν ὀρθῆς τυχὸν καὶ φύσεως εὐτυχοῦς, θειότατόν τε καὶ ἡμερώτατον γίγνεσθαι φιλεῖ· μὴ ἱκανῶς δὲ ἢ μὴ καλῶς τραφέν, ἀγριώτατον ὁπόσα φύει γῆ. *Homo, vt dicimus, cicur eſt, Tamen ſi rectam diſciplinam & felicem naturam fuerit ſortitus, diuiniſsimum & manſuetiſsimum animal ſolet euadere: immaniſsimum autem omnium quæ terra producit, ſi non ſufficienter aut malè fuerit educatus.* Quare, vt eleganti inductione probat Xenophon initio quarti memorabilium. αἱ ἄρισται δοκοῦσαι εἶναι φύσεις μάλιστα παιδείας δέονται. *Naturæ quæ optimæ videntur, maximè egent diſciplina.* Sed antequam finio temperare mihi non poſſum, quin ad educationem hominis transferam, quod de nutritione canum præcipit Oppianus libro 1. κυνηγετικῶν.

Educatio.

Μή ποτ' ἀμέλγεσθαι σκύλακας νεοθηλέϊ μαζῷ
Αἰγῶν ἢ προβάτων, μηδ' οἰκιδίῃσι κύνεσσι
(Ἦ γάρ τοι νωθροί τε καὶ οὐτιδανοὶ βαρύθοιεν)
Ἀλλ' ἐλάφων, ἤ που, μαζῷ τιθασοῦ τι λεαίνης.

Ἤπου ἀρκαδίδων, ἢ νυκτιπόροιο λυκαίνης,
Ὧδε γὰρ αὖ κρατεροί τε καὶ ὠκέες ἔξοχα θεῖεν
Εἰδόμενοι αὐτῇσι γαλακτοφόροισι τιθήναις.
Nec tu lacte capræ catulos nutriueris vnquam,
Atque ouis, atque canis quæ tecto gaudet & vmbrâ.
Sic etenim tardíque forent & robore caßi.
Sed ceruæ, ſi fortè datur, fac vt vbera ſugant
Nocturnæve lupæ, aut capreæ, cleuríſve leænæ.
Sic namque euadent, fortes, rapidóque volabant
Impete lactiferis ſimiles nutricibus olim.

VI. NON TANTA MECVM.] Apuleius apologiâ. *Recita, quæſo, clariùs vt omnes intelligant, quantùm lingua eius à manu diſcrepet, quantúmque minor illi ſit mecum, quàm ſecum diſſenſio.*

POENA AFFECTVM.] Notum illud Lyrici. VII.

Culpam pœna premit comes.

Item illud:

Rarò antecedentem ſceleſtum
Deſeruit pede pœna claudo.

AXIOMATA.

Multi natura improbi euadunt, etiamſi natura non acceſſerit.

Excordes ſunt qui ſecum ipſis pugnant.

ARGVMENTVM.

Regreditur ad crimen armatorum, qui in cliuo Capitolino fuerunt Cicerone conſule diſpoſiti, & Antonij ſtultitiam oſtendit, qui cùm Reip. pernicioſa arma ipſe cepiſſet, obiecit alteri ſalutaria.

IAM illud cuius eſt, non dico audaciæ (cupit enim ſe audacem) ſed quod minimè vult, ſtultitiæ, qua vincit omnes, Cliui Capitolini mentionem facere? cùm inter ſubſellia noſtra verſentur armati: cùm in hac cella Concordiæ (Dij immortales) in qua me conſule ſalutares ſententiæ pictæ ſunt, quibus ad hanc diem viximus, cum gladiis homines collocati ſtent. Accuſa Senatum, accuſa Equeſtrem ordinem, qui tum cum Senatu copulatus fuit: accuſa omnes ordines, omnes ciues, dum confiteare hunc ordinem hoc ipſo tempore ab Ithyreis circumſideri. Hæc tu non propter audaciam dicis tam impudenter, ſed qui tantarum rerum repugnantiam non videas, nihil profectò ſapis. Quid enim eſt dementius, quàm cùm Reipub. pernicioſa arma ipſe ceperis, obiicere alteri ſalutaria? XIV.

EXPLANATIO.

IAM ILLVD.] Quoniam alia ſunt ſcelera, de quibus etiam frequenter improbi gloriantur, alia de quibus erubeſcunt, poſterius vitiorum genus adſcribit Orator M. Antonio. Audacia, crudelitas, vltio, latrocinia, cætera huiuſmodi, quæ vim aliquam & poteſtatem deſiderant, hominibus nefariis gloriandi ſegetem præbent. Stultitia, inuidia, & alia quæ vel à ſtupore mentis, vel ab animi prauitate manant, ſunt pudori, & eam ob rem Orator Antonio non audaciæ, ſed ſtultitiæ labem adſpergit.

CLIVI CAP. FAC. MENTIONEM.] Dicere Cliuum Capitolinuum armatis ſeruis plenum fuiſſe. Huius autem obiectionis ſtultitiam oſtendit. 1. à loco: in quo duo ſpectanda ſunt, videlicet Numen cui dedicatus hic locus, Concordiæ nimirum quæ maximè eſt ab armis & diſcordiis aliena, & res in eo priùs geſtæ, dictæ olim ſententiæ Reipub. ſalutares, quibus duobus adiectis facti atrocitas, & ſtultitia criminis oſtenditur.

ACCVSA SENATVM.] A comparatione hominum qui tam in vtriuſque conſulatu arma ſumpſerunt ſtultitiam obiectionis oſtendit: Cicero Senatus, Equeſtris ordinis, omnium ciuium vſus eſt præſidio, Antonius barbarorum.

HÆC TV.] *Nihil eſt dementius quàm cum Reip. pernicioſa arma ipſe ſumpſeris, obiicere alteri ſalutaria.*

Sed id facis, Ergo nihil eſt te dementius.

Propoſitio plana eſt, & conceptis verbis habetur. Aſſumptio duas habet partes, quòd Ciceronis arma ſalutaria Reip. fuerint, Antonij pernicioſa. Vtraque pars ſatis iudicatur à perſonis, quæ pro vtroque arma ſumpſerunt.

NOTÆ.

NON DICO AVDACIÆ.] Simile eſt illud Vatinianæ 19. *Cogitaríſve in illo tuo intolerabili, non regno, (nam id cupis audire) ſed Latrocinio augur fieri in Q. Metelli locum.* I.

CLIVI CAPITOLINI.] In monte Tarpeio tria potiſſimùm fuerunt, quorum frequentem inuenias mentionem. Capitolium ipſum, ſiue templum Iouis opt. max. arx, Cliuus Capitolinus. Pub. Victor libello de vrbis Romæ regionibus, regione octaua. *Ædes Vaiouis inter arcem & Capitolium prope Aſylum.* Marlianus libro 2. cap. 1. *Diuidunt autem montem hunc in arcem & Capitolium: arcémque Aquilonem verſus, tanquam firmiorem locum ædificant. Capitolium verò ad Tiberim locum naturâ munitum extruunt.* Idem cap. 8. *Cliuum Capitolinum vocabant antiqui locum & viam, qua in Capitolium adſcendebatur,* &c. *Alij ad eam arcis partem quæ Auentinum reſpicit, vbi nunc S. Gregorij templum in Velabro eſt, fuiſſe affirmant: alij inter Saturni & Concordiæ templa, prope Seueri arcum, ad Sena-* II. Arx. Capitolium. Cliuus Capitolinus.

toris ſtabula. Arcus autem Seueri ad radices Capitolij in fori Romani capite excitatus: ſub quo tranſeuntes triumphaturi in Capitolium adſcendebant. Fuit ergo Cliuus Capitolinus ad forum Romanum ſilice à Cenſoribus ſtratus, &c. *Cornelius Tacitus Capitolium priſcis temporibus varios habuiſſe aditus ſcribit, & hinc tam variæ de Capitolino cliuo natæ ſunt opiniones.* De nomine Capitolij pro Sextio §.28. Nota 3. de Arce pro Sextio §.85. Nota 2. de Cliuo Capitolino item pro Sextio §. 28. Nota 3.

III. IN CÆLLA CONCORDIÆ.] Deprehenſis coniuratorum litteris, vt narrat Plutarchus in Cicerone, Βουλὴν ἀθροίσας εἰς τὸ τῆς Ὁμονοίας ἱερὸν ἐξανέγνω τὰ γράμματα, καὶ τῶν μηνυτῶν διήκουσεν. *Senatu in cællam Concordiæ conuocat, litteras recitauit, & indices audiuit.* Vnde illud pro Sextio 26. *Erat eodem tempore Senatus in æde Concordiæ, quod ipſum tempus repræſentabat memoriam conſulatus mei.* Fuit autem hæc ædes, illud Lucij Opimij, *monumentum celeberrimum in foro.* de quo eadem oratione 140. Marlianus lib. 3. cap. 11. *In area Volcani templi Concordiæ ædem Fuluius libertino patre natus trecentis tribus annis poſt Capitolij extructionem, ſi populo ordinem Senatorium reconciliaſſet, vouit. Extructum deinde ex condemnatorum fœneratorum multatitia pecunia in Palatini radicibus, Opimius Conſul poſteà reſtaurauit.*

Cella concordiæ.

IV. COLLOCATI STENT.] In rebus atrocibus ſolet vna ſyllaba periodum terminare. vt pro Milone. *Inſidiatori verò & latroni, quæ poteſt afferri iniuſta nex?* Pro Ligario 7. *Ad ea arma profectus ſum, quæ erant ſumpta contra te.* 11. *Non tu ergo hunc patriâ priuare, qua caret, ſed vitâ vis.* quæ clauſula eſt, vt ait Pedianus in Diuinationem, *de induſtria durior ad exprimendam ſententiam.*

V. CVM SENATV COPVLATVS.] Plinius libro 33. cap. 2. *M. Cicero demum ſtabiliuit equeſtre nomen in conſulatu ſuo et Senatum concilians*, &c. Quæ ordinum coniunctio diu nõ ſtetit. Nam biennio pòſt, vt dicitur lib. 1. ad Attic. ep. 16. penè diſtracta eſt Q. Metello Celere & Afranio Conſulibus. *Nos hîc in Rep. infirmâ, miſerâ, commutabilique verſamur. Credo enim te audiſſe noſtros equites penè à Senatu eſſe diſiunctos, qui primùm illud valdè grauiter tulerunt, promulgatum S. C. fuiſſe, vt de iis qui ob iudicandum pecuniam accepiſſent, quæreretur.* Paulò pòſt: *Ecce aliæ delitiæ Equitum vix ferendæ, quas ego non ſolùm tuli, ſed etiam ornaui. Aſiani qui de Cenſoribus conduxerunt, queſti ſunt in Senatu ſe cupiditate prolapſos, nimiùm magno conduxiſſe, & vt induceretur locatio poſtulauerunt*, &c. *Summum erat periculum, ne, ſi nihil impetraſſent, planè alienarentur à Senatu.* Paulò pòſt: *Tueor vt poſſum illam à me conglutinatam concordiam.* Quo tempore res cõfecta non eſt, nec retineri diutiùs potuit ordinum inter ſe conſenſio. Epiſtola 17. *Conſul eſt impoſitus nobis, quem nemo pater nos philoſophos adſpicere, ſine ſuſpirio poſſet.* (M. Puppium Calpurnianum intelligit, quem epiſtola 13. vocauerat inertem, ſomni plenum, imperitum, ἀπρακτότατον.) Pergit: *Qu[illegible] vulnus? facta S. C. de ambitu, de iudiciis, nulla lex perlata: exagitatus Senatus, alienati equites Romani. Sic ille annus duo firmamenta Reip. per me vnum conſtituta euertit. Nam & Senatus auctoritatem abiecit, & ordinum concordiam diſiunxit.* Epiſtola 18. *Vidi noſtros publicanos facilè à Senatu diſiungi, quanquam à me non diuellerentur.* Etiam apertiùs epiſt. 1. lib. ſequentis. *Nunc verò cùm equitatus ille, quem ego in Cliuo Capitolino, te ſignifero ac principe collocaram, Senatum deſeruerit: noſtri autem principes digito ſe cœlum putent attingere, ſi mulli barbati in piſcinis ſint, qui ad manum accedant: alij autem negligant: Nónne tibi ſatis prodeſſe videor, ſi perficio, vt nolint obeſſe, qui poſſunt?*

Equeſter ordo cum Senatu copulatus à Cicerone.

Sed ea coniunctio diu non ſtetit.

AB ITHYRÆIS.] Barbaris ab Ithyra vrbe in Tauro monte. Videntur autem optimi iaculatores fuiſſe, & eam ob cauſam Maro in Georgicis, VI.

Ithyræos taxi torquentur in arcus.

Vibius Sequeſter in nominibus gentium. *Ithyræi Syrij vſu ſagittæ periti.*

ARMA IPSE CEPERIS.] Imò à Senatu conceſſa, ſi credimus Appiano. Prima Philippica, poſtquàm egit de ſublata Dictaturâ. *Liberatus cædis periculo paucis pòſt diebus Senatus: vncus impactus eſt fugitiuo illi, qui in C. Marij nomen inuaſerat.* Hunc fugitiuum Epitome Chamacem, Valerius Maximus Herophilum medicum equarium, Amatium vocat Appianus. Hic, vt auctor eſt Valerius, cùm ſe Marij ſepties Conſulis filium ſimularet, ita credulam plebem ſibi conciliauit, vt viuente adhuc Cæſare eum multa municipia, & veteranorum Coloniæ patronum adoptarent. Sed ab eo eiectus in exilium, cùm in vrbem auditâ Cæſaris nece rediiſſet, Senatum trucidare volens ab Antonio comprehenſus & necatus eſt. Enimuerò plebs in Antonium ſic exarſit, vt in omnem eius necandi occaſionem immineret, vt narrat Appianus initio tertij ciuilium. Ἡ βουλὴ συγγινώσκουσα αὐτῷ διαφθορὰς ἐπιβουλεύοντα τὸν δῆμον, ἔδωκε φρουρὰν περιστήσασθαι περὶ τὸ σῶμα ἐκ τῶν ἐκστρατευομένων, καὶ ἐπιδημούντων ἑαυτῷ. ὁ δὲ, εἴτ' εἰς τοῦτο αὐτὸ πάντα πεπραχὼς, εἴτε τὴν συντυχίαν ὡς εὔχρηστον ἀσπασάμενος, τὴν φρουρὰν κατέλεγεν ἀεὶ προστιθεὶς μέχρι ἐς ἑξακισχιλίους, οὐκ ἐκ τῶν γνωρίμων ὁπλιτῶν, οὓς εὐμαρῶς ἂν ἐν ταῖς χρείαις ᾤετο ἕξειν καὶ ἑτέρωθεν, ἀλλὰ πάντας λοχαγοὺς, ὡς ἡγεμονικούς τε καὶ ἐμπειροπολέμους, καὶ οἱ γνωρίμους ἐκ τῆς στρατείας τῆς ὑπὸ Καίσαρος. *Senatus manifeſtè compertum habens Antonij inſidias à plebecula comparari, conceßit vt excubias ſibi conſtitueret è veteranis præſentibus. Is porrò, ſiue id vnum rebus antè gerendis ſpectauerat, ſiue occaſionem fortè oblatam amplexus eſt, delectum ſtipatorum habuit, ſemper numerum augens vſque ad ſena millia, non è militibus quos facilè, ſi qua neceßitas incũberet, aliunde ſe habiturum eſſe ſperabat, ſed omnes Centuriones, vt qui ordines ducere poſſent, & magnum vſum haberent rei militaris, ſibi cognitos è bellis quæ Imperatore Cæſare geſſerunt.* VIII.

Antonius cuſtodes obtinuit à Senatu.

AXIOMATA.

Nemo ſtultus videri vult, multi cupiunt ſe audaces videri.

Quid eſt dementius, quàm cùm ipſe contra Remp. pernicioſa arma ceperis, obiicere alteri ſalutaria?

ARGV-

ARGVMENTVM.

Antonius in vituperatione Conſulatus Ciceronis etiam verſum eiuſdem de ſuo conſulatu ſcriptum irriſerat. Nunc Orator huic obiectioni reſpondet.

AT etiam quodam loco facetus eſſe voluiſti. quàm id te (Dij boni) non decebat! in quo eſt tua culpa nonnulla. Aliquid enim ſalis à mima vxore trahere potuiſti. Cedant arma togæ. Quid? tum nónne ceſſerunt? At poſteà tuis armis ceſſit toga. Quæramus igitur, vtrum melius fuerit, libertati populi Romani ſceleratorum arma, an libertatem noſtram armis tuis cedere. Nec verò tibi de verſibus reſpondebo: tantùm dicam breuiter, te neque illos, neque vllas omninò literas noſſe, me nec Reip. nec amicis vnquam defuiſſe, & tamen omni genere monimentorum meorum perfeciſſe horis ſucciſiuis, vt meæ vigiliæ meæque literæ & iuuentuti vtilitatis, & nomini Romano laudis aliquid afferren.. Sed hæc non huius temporis: maiora videamus. XV.

EXPLANATIO.

AT ETIAM.] Non ſatis tibi fuit Conſulatum meum vituperare, niſi verſum à me ſcriptum de meo conſulatu,

Cedant arma togæ, concedat laurea laudi,

irridere, & in eum iocari voluiſſes.

QVAM ID.] Antonij iocum ioco diluit. primùm in eius inſulſitatem exclamãs, deinde familiariter reprehendens, tertiò cauſſam ridiculam afferens cur reprehendendus eſſe videatur.

TE NON DECEBAT.] Hominem humanitatis ignarum, & omnis lepôris expertem.

NONNVLLA.] Hanc vocem addit ad extenuandam accuſationem, vt familiariùs compellet.

ALIQVID.] Aliquid facetiarum, lepôris, & feſtiuitatis diſcere potuiſti, ab amicâ tuâ Cytheride ludia, quacum tam familiariter, tam liberè viuis, vt vxor tua videri poſſit.

QVID? TVM.] Quid? in meo conſulatu nónne arma Catilinæ meæ togæ ceſſerunt, cùm ego togatus coniurationem oppreſſi?

AT POSTEA.] Anno decimoquarto poſt meum conſulatum, bellum ciuile tuis nefariis interceſſionibus concitaſti, & Cæſarem contra patriam armaſti: quo tempore tuis armis ceſſit pax & tranquillitas Reip.

NEC VERÒ TIBI.] Quod me ob ſcriptos à me verſus tanquam Græculum otioſum, & ſophiſtam irrides, indigna eſt cui reſpondeatur, illa obiectio. reſpondet tamen breuiter, ſe ita animum ad poëſim, ad philoſophiam, ad cæteras eruditionis partes appuliſſe, vt nec amicis ſuis, quorum commodis ſeruiebat, nec Reip. cuius ſaluti conſulebat defuerit, & ſuis omnimodæ litteraturæ monumentis nomini Romano laudem pepererit, & vtilitatem iuuentuti.

HORIS SVCCISIVIS.] Quibus à foro & Senatu vacabam, *à heures perduës*, quaſi diceret, quod ait pro Archia poëta 13. *Quis tandem me reprehendat, aut quis mihi iure ſuccenſeat, ſi quantum ceteris ad ſuas res obeundas, quantum ad feſtos dies ludorum celebrandos, quantum ad alias voluptates, & ad ipſam requiem animi & temporis conceditur temporis: quantum alij tribuunt tempeſtiuis conuiuiis, quantum denique aleæ, quantum pilæ, tantum mihi egomet ad hæc ſtudia recolenda ſumpſero?* Scribitur autem *ſucciſiuis*, vel *ſubciſiuis*, vel etiam *ſubceſiuis*.

NOTÆ.

FACETVS.] Vide Cœlianam 67. *Quàm volent in conuiuiis faceti, dicaces, nonnunquam etiam ad vinum diſerti ſint.* I.

SALIS.] Leporis, vt apud Catullum, II.

Qui tum denique habent ſalem ac leporem.

Item: *-nam nulla venuſtas,*

Nulla in tam magno eſt corpore mica ſalis.

AB VXORE MIMA.] Cytheride, ſiue Volumnia, de qua infrà dicendum. Ea veréne vxor fuerit Antonij, an tantùm amica, dubitari meritò poſſit. multas enim habuit vxores. Prima fuit Bambalionis filia, de qua dictum tertiâ ſectione. Altera fuit C. Antonij filia, de qua infrà 83. *Filiam eius, ſororem tuam eiecisti, aliâ conditione quæſita & antè perſpecta.* vbi non optimè Lambinus emendat *vxorem tuam*. fuit enim illa verè ſoror patruelis Antonij. Quam autem conditionem quæſierit Antonius, & antè perſpexerit dubitari poteſt, Fuluiæne, quæ mortuo paucis antè menſibus Curione vidua relicta fuerat, an Cytheridis mimæ, non ſatis liquet. Certè cùm, vt ex Plutarcho & Cicerone conſtat, ſtatim poſt repudiatam Antoniam Italiæ oppida obierit cum illa mimulâ, non videtur adhuc de Fuluiæ nuptiis cogitaſſe, ne recentẽ vxorem iis flagitiis offenderet. Quare nihil obſtat quominùs ille Cytheridem, verè tum vxorem acceperit, vt loquitur Orator, à qua tamen paulò pòſt fecit diuortium, & Fuluiam duxit vxorem: Deinde, vt ſocietatem cum Cæſare Octauiano coalitam arctiùs cõglutinaret, & Octauiam Cæſaris ſororem in matrimonium adſciuit, & poſteà repudiauit in gratiam Cleopatræ. Sed hæc poſteà contigerunt. De mimis infrà. vide Cœlianam 65. *Mimi ergo eſt iam exitus non fabulæ.* III. Vxores Antonij.

CEDANT ARMA TOGÆ.] Hunc & alios huiuſmodi verſiculos, vt ait Fabius libro 11. cap. 1. IV.

Non deſierunt carpere maligni. vide in Piſonem 72. 73. 74. Salluſtius in Ciceronem 6. *Etiamne aures noſtras onerabis tuo odio? Etiámne moleſtiſſimis verbis inſectabere?*

Verſus Ciceronis. *Cedant arma togæ, concedat laurea linguæ.*

Quaſi verò togatus & non armatus ea, quæ gloriaris, confeceris? Victorius lib. 5. Var. cap. 24. legit *linguæ*, non laudi. Hunc autem verſum reprehendebant, non quaſi elegantiâ carentem, vt putauit hoc loco Manutius, ſed quaſi arrogantem. Plutarchus, ἡ δὲ Κικέρωνος ἐν τοῖς λόγοις ἀμετρία τῆς περιαυτολογίας ἀκρασίαν τινὰ κατηγόρει πρὸς δόξαν βοῶντος ὡς τὰ ὅπλα ἔδει τῇ τηβέννῳ, καὶ τῇ γλώττῃ τὴν θριαμβικὴν ὑπείκειν δάφνην. *At Ciceronis immoderata de ſe loquendi conſuetudo, intemperantem in eo gloriæ cupiditatem arguebat, cùm exclamaret*

Cedant arma togæ, concedat laurea linguæ.

V. De versibus.] M. Tullius, vt eſt apud Plutarchum, iam inde à pueritia, ἐῤῥύη πως προθυμότερον ἐπὶ ποιητικήν. *Erat aliquo modo ad poëſim propenſior.* Προϊὼν δὲ τῷ χρόνῳ, καὶ ποικιλώτερον ἁπτόμενος τῆς περὶ ταῦτα μούσης ἔδοξεν, οὐ μόνον ῥήτωρ, ἀλλὰ καὶ ποιητὴς ἄριστος εἶναι Ῥωμαίων. *Procedens ætate & maiore varietate huiuſmodi muſas exercens, viſus eſt non ſolùm Orator, ſed etiam omnium Romanorum optimus poëta.* Quamuis ſecutis temporibus, Τὴν ποιητικὴν αὐτοῦ, πολλῶν εὐφυῶν ἐπιγενομένων, παντάπασιν ἀκλεῆ καὶ ἄτιμον ἔῤῥειν συμβέβηκεν. *Poëſis eius, cùm ſequens ætas multos ad poëſim idoneos protuliſſet, facta eſt omninò ingloria & inhonorata.* Cuius tamen vnius ſtudio ſi ſe penitus tradidiſſet, poſteris etiam fortaſſe palmam præripere potuiſſet Siquidem Cæſare Remp. obtinente, iam annos ſexaginta natus. Τῇ πρὸς τὴν ποίησιν εὐκολίᾳ παίζων ἐχρῆτο. λέγεται γὰρ ὁπηνίκα ῥυείη πρὸς τὸ τοιοῦτον τῆς νυκτὸς ἔπη ποιεῖν πεντακόσια. *Facilitate, quam ad poëſim habebat, ludens vtebatur, dicitur enim cùm ad aliquid eiuſmodi dilaberetur, verſus vna nocte fudiſſe quingentos.* Atque eam ob rem ab inimicis carpebatur, quaſi poſthabitis amicorum commodis, abiectáque Reip. curâ, quaſi Græculus quidam, in eius vnius ſtudium ſe penitùs immergeret.

Cicero qualis poëta.

VI. Omni genere monument.] Calenus inuectiuâ contra Tullium apud Dionem lib. 46. Σοφιστὴς καὶ ποιητὴς, καὶ φιλόσοφος, καὶ ῥήτωρ, καὶ συγγραφεὺς εἶναι πλάττεται. *Et Sophiſtam, & Poëtam, & Philoſophũ, & Oratorem, & Hiſtoricum eſſe ſe ſimulat.* Γενόμενος (verba ſunt Plutarchi, ὥσπερ ὁ Πλάτων ἀξιοῖ τὴν φιλομαθῆ καὶ φιλόσοφον φύσιν, οἷος ἀσπάζεσθαι πᾶν μάθημα, καὶ μηδὲν λόγου, μηδὲ παιδείας ἀτιμάζειν εἶδος. *Sic erat ab ipſa natura comparatus, vt Plato indolem doctrina ſapientiæque cupidam requirit, adeò vt omnem doctrinam amplecteretur, neque vllum eruditionis genus poſthaberet.*

Cicero aptus ad omne genus diſciplinæ.

VII. Horis svccisivis.] Noſter 2. de Oratore exeunte. *Quid enim poterit dicere? Conſularem ſe eſſe hominem & cenſorium? Eadem noſtra cauſſa eſt. An ætatem afferet? quadriennio minor eſt. An ſe neſcire? Quæ ego ſerò, quæ curſim arripui, quæ ſucciſiuis operis, vt aiunt, iſte à puero, ſummo ſtudio, ſummis doctoribus.* Præfatione libri primi de legibus. *Subceſiua quædam tempora incurrunt, quæ ego perire non patior, vt ſi qui dies ad ruſticandum dati ſint, ad eorum numerum accommodentur quæ ſcribimus.* Vnde ducta ſit tranſlatio Turnebus è Iulio Frontino demonſtrat: ſic enim ille. *Subceſiuum eſt quod à ſubſecante linea nomen accepit. Subceſiuorum duo genera, vnum quod in extremis aſſignatorum finium nomen accepit: alterum quod in mediis aſſignationibus, & integris centuriis interuenit.* Tranquillus in Domitiano cap. 9. *Subceſiua quæ diuiſis per veteranos agris carptim ſuperfuerunt, veteribus poſſeſſoribus vt vſucapta conceſſit.* Et Varro lib. 1. de re ruſtica cap. 10. *Iugeri pars minima dicitur ſcripulum, id eſt decem pedes in longitudinem & latitudinem quadratum. Ab hoc principio menſores nonnunquam dicunt in ſubceſiuum eſſe vnciam agri aut ſextantem, aut quid aliud cùm ad iugerum peruenerunt. Id habet ſcripula* CCLXXVIII. *quantum as.* vide locum. Quemadmodum igitur cùm agri veteranis militibus diuiduntur, illa terræ portio ſucceſiua dicitur, quæ ſupereſt & domino vacãs *mediis aſſignationibus, & integris centuriis interuenit,* ita in temporis diſtributione ſucceſiuum dicitur tempus quod occupationibus certis vacans inter horas grauioribus attributas negotiis intercedit. Centuria autem eſt quædam agri dimenſio. Varro ibidem. *Centuria eſt quadrata in omnes quatuor partes, vt habeat latera longa pedum* CIↃ CIↃ IↃ. *hæ porrò quatuor centuriæ coniunctæ, vt ſint in vtramque partem binæ appellantur in agris diuiſis viritim publicè ſaltus.* Subceſiuum.

VIII. Nomini Rom. lavdis aliqvid afferrent.] Quantum eius lucubrationes nomini Romano laudis attulerint, paucis oſtendit Velleius lib. 2. *Vt vita clarus, ita ingenio maximus, qui effecit, ne quorum arma viceramus, eorum ingenio vinceremur.* Teſtis etiam Apollonius ille Rhetor apud Plutarchum, qui cùm Ciceronem adoleſcentem adhuc Græcè declamantem audiſſet, cæteris plaudentibus, ipſe mente confuſus & cogitabundus hærebat. Ἀχθομένου δὲ τοῦ Κικέρωνος, εἶπεν, Σὲ μὲν, ὦ Κικέρων, ἐπαινῶ, καὶ θαυμάζω, τῆς δ᾽ Ἑλλάδος οἰκτείρω τὴν τύχην, ὁρῶν ἃ μόνα τῶν καλῶν ἡμῖν ἀπελείπετο, καὶ ταῦτα Ῥωμαίοις διά σου προσγενόμενα, παιδείαν τε καὶ λόγον. *Grauiter id ferente Cicerone, dixit, Te quidem, ô Cicero, laudo & admiror. Sed miſeror Græciæ fortunam, videns quæ ſola nobis pulchra & honeſta ſupererant, ea per te ad Romanos perueniſſe, eruditionem & eloquentiã.* Sed quis Cęſare locupletior teſtis qui Anticatonẽ ſcribens, nõ ſolùm Pericli Tullium comparabat, vt ſcribit Plutarchus, ſed etiam, vt narrat Plinius lib. 7. cap. 30. ſcripſit eum, *omnium triumphorum lauream adeptum maiorem, quantò plus eſt ingenij Romani terminos in tantùm promouiſſe, quàm imperij.* vt meritò exclamarit Silius lib. 8.

Ciceronis literæ imperio Romano magnam laudem attulerunt.

Ille ſuper Gangem ſuper exauditus & Indos
Implebit terras voce, & furialia bella
Fulmine compeſcet linguæ, nec deinde relinquet
Par decus eloquij cuiquam ſperare nepotum.

- *Cætera crimina Antonij in Ciceronem refutantur*
  - 1. Auctor fuit Miloni Cicero vt Clodium occideret. refellitur
    - à pari. Tibi auctor non fui, cùm voluiſti Clodium occidere. ergo nec Miloni.
    - ab impoſſibili, non potuit ſuſpicari fore, vt eo die Clodius Miloni occurreret.
    - à perſona Milonis, qui hortatore non indigebat.
    - ab antecedentibus. Nemo id dixit cùm acta res eſt. ergo nunc probabile non eſt.
  - Cauſſa fuit belli ciuilis, 17. ſerens diſcordias inter Cæſarem & Pompeium, cui crimini reſpondet cum diſtinctione. 17.
    - Conatus ſum Pompeium à Cæſare diſiungere, antequam Cæſar potentiam ſuam ſtabiliret.
    - Poſtquam ſtabiliuit, ſemper auctor fui concordiæ, nec Pompeium contra Cæſarem excitaui, niſi duabus in rebus, quæ ad ſalutem Reip. pertinebant,
      - ne quinquennij imperium Cæſari prorogaretur.
      - ne comitiis Conſularibus Cæſaris abſentis ratio haberetur.
  - Auctor fuit necis Cæſaris
    - Irridet id criminis loco obiici, quòd laudem potiùs adferebat. 18. 22.
    - refellit, ex eo quòd nemo in illa coniuratione nomen eius audiuit, à comparatis
      - nullius nomen latuit cùm Cæſaris percuſſores fuerint
        - partim obſcuri.
        - partim adoleſcentes. 18.
      - Ergo multò minùs nomen meum latere potuiſſet.
    - à ſuperuacuo. 19. & perſona percuſſorum Cæſaris, qui
      - vel hortatore non egebàt
        - cùm alij domeſticis exemplis incitarentur ad liberandam Remp.
          - Bruti.
          - Caſſius.
          - Halæ.
          - Seruilij.
        - alij priuatas odij cauſſas habebant in Cæſarem, vt Domitius.
      - vel ita familiares erant Cæſari, vt nemo auderet eos ad necandum Cæſarem ſollicitare, vt
        - Trebonius.
        - Tillius Cimber.
    - oſtendit futilia eſſe argumenta, quibus id probare volebat Antonius
      - Brutus necato Cæſare potuit nominare Ciceronem, alia de cauſſa, quàm quòd eius conſilio Cæſarem occidiſſet.
      - lætatus fuit Cicero, ſed id bonis omnibus commune fuit.
    - ſtultitiæ Antonium coarguit, qui pugnantia
      - & loquatur. 20.
        - Brutum honoris cauſſa nominans, quem conſtabat Cæſari necem ſua manu attuliſſe.
        - Ciceronem vituperans, quem ſuſpicabatur auctorem Bruto fuiſſe, vt Cæſarem occideret.
      - & faciat. 21.
        - ornans omnibus rebus Cæſaris percuſſores.
        - Ciceronem ob leues ſuſpiciones in inuidiam vocans.
    - reiicit ironicè crimen in Antonium, qui ex nece Cæſaris magnas vtilitates perceperat. 23.
  - In caſtris Pompeij
    - mœſtus fuit.
      - non negat Orator.
      - ſed iure ſe mœſtũ fuiſſe demonſtrat, quòd imminẽtia mala præuideret. 24
    - iocis vſus eſt, ſed
      - neceſſarij fuerunt ad honeſtam animi relaxationem. 26.
      - & moderati, atque vt aiebat Antonius mœſtitia temperati.
    - alienauit à ſe Pompeium, id refellit
      - a cauſſa finali, quia cùm vterque quod optimum erat ſpectaret, voluntate à ſe inuicem non diſſidebant. 25.
      - à repugnantibus
        - mecum familiariter & iucundè verſabatur Pompeius.
        - de me honorificè locutus eſt, etiam poſt pugnam Pharſalicam.
  - Nullus amicus Ciceronem fecit heredem. Refellit
    - infitiatione, HS. ducenties acceptum hereditatibus retulit.
    - Reiectione criminis in Antonium, qui ignotorum etiam hereditates inuaſerat. 27.
  - Concludit irriſione Antonij, qui hæc tantùm crimina colligere potuerat
    - multo labore.
    - longo tempore.
    - magna Rhetoris mercede. 28. 29.

ARGVMENTVM.

Oſtendit ſuo conſilio Clodium interfectum non fuiſſe, quod Antonius obiecerat.

XVI. P. Clodium meo conſilio interfectum eſſe dixiſti. Quidnam homines putarent, ſi tum occiſus eſſet, cùm tu illum in foro, inſpectante populo Romano gladio ſtricto inſecutus es? negotiúmque tranſegiſſes, niſi ille ſe ſub ſcalas tabernæ librariæ conieciſſet, iiſque oppilatis impetum tuum compreſſiſſet? Sed quid ego? fauiſſe me tibi fateor, ſuaſiſſe ne tu quidem dicis. At Miloni ne fauere quidem potui, priùs enim rem tranſegit, quàm quiſquam eum facturum id ſuſpicaretur. At ego ſuaſi; ſcilicet is animus erat Milonis, vt prodeſſe Reip. ſine ſuaſore non poſſet. At lætatus ſum: quid ergo? in tanta lætitiæ cunctæ ciuitatis me vnum triſtem eſſe oportebat? quanquam de morte Clodij fuit quæſtio non ſatis prudenter illa quidem conſtituta: quid enim attinebat noua lege quæri de eo, qui hominem occidiſſet, cùm eſſet legibus quæſtio conſtituta? quæſitum eſt tamen. Quod igitur, cùm res agebatur, nemo in me dixit, id tot annis pòſt tu es inuentus qui diceres?

EXPLANATIO.

P. Clod.] Obiectio Antonij.

Qvidnam.] Purgatio ſui contenta hoc ſyllogiſmo.

Si cùm P. Clodium volebas occidere, tibi non ſuadebam, neque hortatus ſum Milonem.

Sed tibi non ſuadebam, cùm illum volebas occidere.

Ergo neque hortatus ſum Milonem.

Si tvm.] Paulò antè quàm Clodius occiſus eſt. Pro Milone 41. *Nuper verò cùm M. Antonius ſummam ſpem ſalutis bonis omnibus attuliſſet, grauiſſimámque adoleſcens nobiliſſimus Reip. partem fortiſſimè ſuſcepiſſet, atque illam belluam iudicij laqueos delinantem, iam irretitam teneret: qui locus, quod tempus illud, Dij immortales! fuit? cùm ille fugiens in ſcalarum tenebras abdidiſſet, magnum Miloni fuit conficere illam peſtem, nullâ ſuâ inuidiâ, Antonij verò maximâ gloriâ.*

Oppilatis.] Compreſſis.

Favisse.] Plauſu ſignificaſſe tuum factum, ſiue potiùs conatum mihi probari. Prudenter autem huius rei meminit, non ſolùm vt crimen defendat, ſed vt etiam in Antonium retorqueat. Cuius enim impudentiæ fuit, obiicere alteri conſilium patrati facinoris, quod ipſe ſuâ manu non ſolùm conſilio patrare voluerat Antonius.

Svspicaretvr.] Cùm nemo ſuſpicari poſſet fore, vt Clodius & Milo eo die ſibi in via Appia prope Bouillas occurrerent.

At ego svasi.] Alio argumento probat ſe necandi Clodij conſilium non dediſſe, petito à perſona Milonis qui ſuaſoribus haudquaquam indigebat: idque honoris cauſa tribuit eius amori in Remp. quod tribui potuerat eius audaciæ.

At lætatvs.] Argumentabatur à conſequenti Antonius Ciceronem necandi Clodij fuiſſe ſuaſorem, quod eius morte lætatus eſſet. Id confutat Orator, tãquam commune, & quod omnibus bonis, qui Clodij morte lætati ſunt, conueniret.

Qvanqvam de morte.] Occurrit tacitæ obiectioni, *Si omnes, vt dicis, Clodij morte lætati ſunt, cur igitur Milo damnatus eſt?* Id acceptum refert, non cauſſæ Milonis, quæ fuit optima, ſed inſtitutioni nouæ quæſtionis. de qua multis queritur pro Milone.

Qvod igitvr.] Poſtremò diluit crimen necis Clodianæ à tempore quo obiectũ eſt, quia cùm recens eſſet nex Clodij, id nemo dixit, quod nunc tot annis, id eſt octauo poſt Clodij necem anno, criminatur Antonius.

NOTÆ.

Tabernæ librariæ.] Horatius lib. 1. ſat. 4. I. Taberna.

Nulla taberna meos habeat, neque pila libellos.

Taberna propriè & ſtrictè dicitur locus tabulis clauſus, vt notant Feſtus, & Iſidorus, quamuis, vt ait Vlpianus de verb. ſignificat. lib. 183. *Taberna appellatio declarat omne vtile ad habitandum ædificium.* vbi notat Godefredus reperiri tabernam argentariam. D. de contrahend. empt. l. 32. Lanionis: de orig. iuris l. 2. §. 24. ferrariam. D. de leg. l. 88. caſeariam D. ſi ſeruit. vindicet. Cauponiam D. de inſtr. l. 13. inſtitoriam. de inſtit. l. 3. 18. Piſtrinariam. D. de inſtructo l. 15. Purpurariam. D. de leg. l. 91.

In tanta lætitia.] Boni ciuis eſt in publica lætitia gaudere, publicáſque gratulationes priuatis doloribus anteferre. quare malignè magis, & inimicè quàm meritò Æſchines obiecit Demoſtheni, quòd in publica lætitia ciuitatis poſt necem Philippi: ἑβδόμην ἡμέραν τῆς θυγατρὸς αὐτῷ τετελευτηκυίας, πρὶν πενθῆσαι καὶ τὰ νομιζόμενα ποιῆσαι, στεφανωσάμενος, καὶ λευκὴν ἐσθῆτα λαβὼν ἐβουθύτει. *Septimo die poſt filiæ mortem, priuſquam eluxiſſet, eique iuſta ſoluiſſet, coronatus, & albam veſtem aſſumens boues immolauit.* quòd ille reprehendens mirè paratragœdiat oratione contra Cteſiphõtem. Quantò meliùs Æſchinem carpit

Lugendũ non eſt in publica lætitia.

Demoſthenes oratione de Corona: Τοιαύτην γὰρ εἵλου πολιτείαν. (ἐπειδήποτε καὶ τοῦτ' ἐπῆλθέ σοι ποιῆσαι) δι' ἣν, εὐτυχούσης μὲν τῆς πατρίδος λαγὼ βίον ἔζης, δεδιὼς καὶ τρέμων, καὶ ἀεὶ πληγήσεσθαι προσδοκῶν, ἐφ' οἷς σαυτῷ συνῄδεις ἀδικοῦντι. ἐν οἷς δ' ἠτύχησαν οἱ ἄλλοι θρασὺς ὢν ὑφ' ἁπάντων ὦψαι. *Hanc elegiſti gerendæ Reipub. rationem (quando, vt id faceres, tibi venit in mentem) in qua, ſi qua patriæ felicitas contigiſſet, leporis vitam agebas, timens & tremens, & ſemper plagam expectans, in aliorum rebus aduerſis audax & confidens ab omnibus videbare.* Item: Καὶ ἔγωγε ἡδέως ἂν ἐροίμην Αἰσχίνην, ὅτε ταῦτ' ἐπράττετο, καὶ ζήλου, καὶ χαρᾶς, καὶ ἐπαίνων ἦν ἡ πόλις μεστή, πότερον συνέθυε καὶ συνευφραίνετο τοῖς πολλοῖς, ἢ λυπούμενος καὶ στένων, καὶ δυσμεναίνων ἐπὶ τοῖς κοινοῖς ἀγαθοῖς οἴκοι καθῆτο. *Et ego libenter Æſchinem rogauerim, cùm hæc fiebant, cùm zelo, lætitia, laudibus plena ciuitas erat, vtrùm ſacrificabat, & ſimul cum aliis lætabatur, an triſtis & gemens, & publicis commodis infeſtus domi ſedebat.* Subdit: Πῶς οὐκ ἀπολωλέναι πολλάκις ἐστὶ δίκαιος, εἰ ἐφ' οἷς ἔχαιρον οἱ ἄλλοι τοῦτ' ἐλυπεῖτο ὁρῶν. *Quomodo dignus non eſt qui non vna morte pereat, ſi ob quæ cæteri lætabantur, ipſe mœrebat cùm videret?*

III. LEGIBVS QVÆSTIO CONSTITVTA.] De quæſtionibus vide Milonianam 13. De quæſitoribus eandem 22. Quibus autem legibus fuerit quæſtio conſtituta patet ex Pomponio D. de origine iuris. *Cornelius Sylla quæſtiones publicas conſtituit, veluti de falſo, de parricidio, de ſicariis.* Sed vide D. ad legem Corneliam de ſicariis & veneficis. Lex de ſicariis.

NEMO IN ME DIXIT.] Imò pro Milone 48. *Scitis, Iudices, fuiſſe qui in hac rogatione ſuadenda dicerent Milonis manu cædem eſſe factam, conſilio verò maioris alicuius. Me videlicet latronem ac ſicarium abiecti homines & perditi deſcribebant. Iacent ſuis teſtibus ij, qui Clodium negant eo die Romam, niſi de Cyro auditum eſſet, rediturum fuiſſe. Reſpiraui, liberatus ſum; Non vereor, ne, quod ne ſuſpicari quidem potuerim, videar id cogitaſſe.* Sed vel temporis causâ mentitur, vel id dicit, quia reuera nemo id in ipſum dixerat nominatim, ſed tantùm perſonam obſcurè & ſuſpiciosè deſcripſerat. IV.

AXIOMATA.

Viri fortes, etiam ſine ſuaſore prodeſſe Reipub. poſſunt.

In lætitia communi vnum triſtem eſſe non oportet.

ARGVMENTVM.

Diluitur quartum Antonij crimen, culpâ Ciceronis bellum ciuile natum eſſe: imò contrarium oſtendit Orator, adeò ſe cauſam bello ciuili non dediſſe, vt potiùs quantum in ipſo fuit, obſtiterit quo minùs naſceretur.

QVOD verò dicere auſus es, idque multis verbis, opera mea Pompeium à Cæſaris amicitia eſſe diſiunctum, ob eámque cauſam mea culpa ciuile bellum eſſe natum: in eo non tu quidem tota re, ſed, quod maximum eſt, temporibus erraſti. Ego M. Bibulo præſtantiſſimo ciue, conſule nihil prætermiſi, quantum facere enitíque potui, quin Pompeium à Cæſaris coniunctione auocarem: in quo Cæſar fœlicior fuit. Ipſe enim Pompeium à mea familiaritate diſiunxit. Poſteà verò quàm ſe totum Pompeius Cæſari tradidit, quid ego illum ab eo diſtrahere conarer? ſtulti erat ſperare, ſuadere impudentis. Duo tamen tempora inciderunt, quibus aliquid contra Cæſarem Pompeio ſuaſerim, ea velim reprehendas, ſi potes. Vnum, ne quinquennij imperium Cæſari prorogaretur: alterum, ne pateretur fieri, vt abſentis eius ratio haberetur: quorum ſi vtrumuis perſuaſiſſem, in has miſerias nunquam incidiſſemus. Atque idem ego, cùm iam omnes opes ſuas & Reipub. Pompeius ad Cæſarem detuliſſet: ſeróque eadem ſentire cœpiſſet, quæ ego multò antè prouideram, inferríque patriæ bellum nefarium viderem, pacis, concordiæ, compoſitionis auctor eſſe non deſtiti. meáque illa vox eſt nota multis, Vtinam, Pompeij, cum Cæſare ſocietatem, aut nunquam coïſſes, aut nunquam diremiſſes. Fuit alterum grauitatis, alterum prudentiæ tuæ. Hæc mea, M. Antoni, ſemper & de Pompeio, & de Repub. conſilia fuerunt: quæ ſi valuiſſent, Reſp. ſtaret: tu tuis flagitiis, egeſtate, infamia concidiſſes. XVII.

EXPLANATIO.

QVOD VERÒ.] Quarta obiectio M. Antonij.

IN EO.] Reſponſio. Fateor, inquit, me ſuaſiſſe Pompeio vt à Cæſaris amicitiâ diſcederet. Sed tum ſuadebam cùm adhuc Cæſar ita non ſtabilierat ſuam potentiam, vt ab eius offenſione ciuilium armorum metus immineret. & eo conſilio ſuadebam ne Cæſar fictus amicitiâ Pompeij adeò potens euaderet, vt cùm vellet bellum patriæ poſſet inferre. At verò poſtquam ducta in matrimonium Iulia Cæſaris gener factus eſt Pompeius, nec ſuadere auſus ſum, nec perſuadere Pompeio potuiſſem vt hanc ſocietatem diſſolueret. Duabus tamen occaſionibus conatus ſum ſuadere Pompeio, ne Cæſarem ad nimiam potentiam promoueret, eúmque contra Rempublicam armaret. Quod cùm ille nihilominùs feciſſet, tum aduertens iam tantam eſſe Cæſaris potentiam, vt facilè bellum ciuile poſſet excitare, & opprimere Rempublicam, ſemper pacis & compoſitionis auctor fui, ne, quod euenit armis Cæſaris, euerteretur reſp.

NON TOTA RE.] Huiuſmodi enthymemate vſus fuerat Antonius.

Cicero Pompeium à Cæſaris amicitia diſiunxit.
Ergo culpa eius bellum ciuile natum eſt.

Diſtinguit antecedens (neque enim fortaſſe ineptiam ſi perſpicuitatis cauſſa diſputationum formulas vſurpem) Pompeium à Cæſaris amicitia, quantum in me fuit, diſiunxi; cùm prouidendum fuit, ne Cæſar ope Pompeij potentiam ſuam ſtabiliret contra Senatum & Remp. Concedo antecedens. Pompeium à Cæſaris amicitiâ diſiunxi, poſtquam Cæſar tantam potentiam adeptus eſt, vt periculum eſſet, ne ex eorum diſcordiis bellũ ciuile naſceretur, nego antecedens. Ergo, nego conſequentiam.

M. BIB. COSS.] Quindecim ab hinc annis quo tempore Marcus Bibulus cum Cæſare geſſit conſulatum.

FAMILIARITATE.] Signanter. vbique enim videri voluit Pompeium ſibi amicum fuiſſe, licèt ſuſpicionibus quibuſdam ſubortis deſierit eſſe familiaris, quo tempore ipſe Clodij factionibus eiectus eſt è ciuitate. Vide pro domo, 28. 29. pro Sextio, 41. in Piſonem 76. *Me Cn. Pompeius multis obſiſtentibus eius erga me ſtudio atque amori, ſemper dilexit, ſemper ſua coniunctione digniſſimum iudicauit*, &c. *Veſtræ fraudes, veſtrum ſcelus, veſtræ criminationes inſidiarum mearum, illius periculorum nefariè fictæ*, &c. *effecerunt vt ego excluderer.* Id eſt eius ſermone & aditu prohiberer. vide locum. Has autem criminationes Vatinio tribuit orat. pro Sextio 133. Sed cùm Vatinius fuerit Cæſaris aduerſarius, ad eiúſque nutum ſe omninò confinxerit, hic meritò ipſi Cæſari acceptæ referuntur, quod Cæſar per Vatinium fictis delationibus Pompeium à Ciceronis familiaritate diſtraxerit.

POSTEA VERÒ.] Libet rem Velleij Paterculi verbis exponere. *Inter eum*, Cæſarem videlicet, *Cn. Pompeium & M. Craſſum inita potentiæ ſocietas, quæ vrbi orbíque terrarum, nec minùs diuerſo quoque tempore ipſis exitiabilis fuit. Hoc conſilium ſequendi Pompeius cauſam habuerat, vt tandem acta in transmarinis prouinciis, quibus multi obtrectabant, per Cæſarem confirmarentur Conſulem. Cæſar autem, quòd animaduertebat ſe cedendo Pompeij gloriæ aucturum ſuam: &, inuidiâ communis potentiæ in illum relegatâ, confirmaturum vires ſuas: Craſſus, vt quem principatum ſolus, aſſequi non poterat, auctoritate Pompeij, viribus teneret Cæſaris.* Boni ciuis igitur officio functus eſt Tullius, qui ſocietatem hanc tum primùm coaleſcentem diſtrahere voluit, & Pompeium à Cæſaris amicitia diſiungere. Pergit. *Affinitas etiam inter Cæſarem Pompeiúmque contracta nuptiis, quippe filiam C. Cæſaris Cn. Magnus duxit vxorem.* Quo tempore omnem diſſoluendæ huius amicitiæ cogitationem abiecit Orator, quia ſtulti erat ſperare, ſuadere impudentis.

VNVM NE QVINQVENNII.] *Cæſari decretæ in quinquennium, Galliæ*, inquit Velleius, de quo pluribus dictum orat. de Prouinc. Conſular. Quarto pòſt anno Pompeius & Craſſus ſecundũ conſulatum inierunt, vt ſubdit aliquanto pòſt idẽ Velleius. *Cæſari lege quam Pompeius ad populum tulit, propagatæ in idem ſpatium prouinciæ.* Atque hoc eſt vnum tempus quo Cicero contra Cæſarẽ aliquid Pompeio ſuaſit, eum adhortans ne legem hanc à Trebonio Tribuno plebis ferri pateretur. Cæſare iam ſeptimum annum Gallias obtinente: *Conſternatâ P. Clodij cæde Rep.* (verba ſunt Tranquilli in Iulio cap. 26.) *cùm Senatus vnum Conſulem, nominatímque Cn. Pompeium fieri cenſuiſſet, egit cum Tribunis plebis collegam ſe Pompeio deſtinantibus, id potiùs ad populum ferrent, vt abſenti ſibi & quandocunque imperij tempus expleri cœpiſſet, petitio ſecundi conſulatus daretur, ne eâ causâ maturius, & adhuc imperfecto bello decederet.* Id non Cæſare, ſed ipſo Pompeio auctore narrat Dio lib. 40. ne Cæſar, ſi collega non fuiſſet Pompeij, omninò neglectus videri, iuſtámq; iræ cauſam habere poſſet. Sed quocunque auctore factũ fuerit, hinc (vt ſubdit Tranquillus) exitia rerum extiterunt. *Quod vt adeptus eſt, altiora iam meditans, & ſpei plenus, nullum largitionis aut officiorum in quemquam genus publicè, priuatímque omiſit*, vt prudenter eam Cicero legem voluerit impedire. His enim duabus legibus de prorogatione imperij, & petitione cõſulatus omnes opes & ſuas & populi Romani Pompeius ad Cæſarẽ deferebat. Sequenti anno *M. Marcellus Conſul edicto præfatus de ſumma ſe Rep. acturum, retulit ad Senatum vt ei ſuccederetur ante tempus.* Quo tempore id diſſuaſiſſe videtur Cicero, ne prætextus Cæſari daretur belli contra patriam inferendi: biennio pòſt reuerſus è Cilicia quam vno anno Proconſul obtinuerat, cùm iam iam ciuile bellum, quod aliquot annis tumuerat, erumperet, pacis & compoſitionis auctor eſſe non deſtitit, vt omnes hiſtorici prodiderunt.

NOTÆ.

M. BIBVLO PRÆST. CONSVLE.] Suetonius in Iulio cap. 20. agens de Cæſaris conſulatu violenter geſto, poſtquam is Bibulum collegam è foro armis expuliſſet. *Vnus ex eo tempore omnia in Rep. & ad arbitrium adminiſtrauit: vt nonnulli vrbanorum cùm quid per iocum teſtandi gratia ſignarent, non Cæſare & Bibulo, ſed Iulio & Cæſare actum ſcriberent, bis eundem, præponentes nomine atque cognomine: vtque vulgo mox ferrentur hi verſus:* I. Cæſaris & Bibuli Conſulatus.

Non Bibulo quicquam nuper, ſed Cæſare factum eſt.

Nam Bibulo fieri Conſule nil memini.

Nunc viciſſim Orator, vt Cæſarem viciſſim ob Remp. ita geſtam non fuiſſe Conſulem indicet, videtur ſolum Bibulum Conſulem nominare.

II. POSTEA VERÒ.] Cicero in patriam reuocatus, & Pompeium & Cæſarem complexus eſt, Attici ſui conſilio, cui iam ante monenti, vt ipſo initio cùm Cæſar, Craſſus & Pompeius ſocietatem inierant, eúmque Cæſar *in tribus ſibi coniunctiſſimis Conſularibus eſſe voluit*, vt dicitur orat. de prouinc. Conſularibus 41. obtemperare noluerat, quòd hanc coniunctionem videret eſſe contra Remp. lib. 7. ad Att. epiſt. 1. *Vidéſne vt te auctore ſim vtrumque complexus? ac vellem à principio te audiſſe amiciſſimè monentem.*

Ἀλλ' ἐμὸν οὔποτε θυμὸν ἐνὶ στήθεσσιν ἔπειθες.
Ὡς οὐδὲν γλύκιον ἧς πατρίδος.

Cicero Cæſaris amicus.

Sed aliquando tamen perſuaſiſti, vt alterum complecterer, quia de me erat optimè meritus: alterum quia tantùm valebat. Feci igitur. Itaque effeci omni obſequio, vt neutri illorum quiſquam eſſet me charior. Hæc enim cogitabamus, nec mihi coniuncto cum Pompeio fore neceſſe peccare in Remp. aliquando: nec cum Pompeio ſentienti, pugnandum eſſe cum Cæſare: tanta erat illorum coniunctio. Nunc impendet, vt & tu oſtendis, & ego video, ſumma inter eos contentio: me autem vterque numerat ſuum: niſi fortè ſimulat alter, &c. Quare ex eo tempore concordiæ causâ, quibus potuit rebus, quæ modò non erumperent in apertam perniciem Reipub. Cæſarem ornauit. Pro Cornelio Balbo 61. *C. Cæſarem Senatus & genere ſupplicationum ampliſſimo ornauit, & numero dierum quindecim. Idem in anguſtiis ærarij victorem exercitum ſtipendio affecit: Imperatori decem legatos decreuit, lege Sempronia ſuccedendum non cenſuit. Harum ego ſententiarum & princeps & auctor fui: neque me diſſenſioni meæ priſtinæ putaui potiùs aſſentiri, quàm præſentibus Reipub. temporibus, & concordiæ conuenire.* Pantagathus pro *lege Sempronia* legebat, *lege Trebonia*, ſed ἀισοειχῶς. Bis enim actum eſt de Cæſaris prouinciis, & priùs quidem in Senatu lege Sempronia Philippo & Marcellino Conſulibus, & tunc Cicero auctor fuit vt ſucceſſor Cæſari non mitteretur: qua de re extat oratio de prouinciis Conſularibus. Rurſus actum eſt de prouinciis Cæſaris, & lex à Trebonio lata de prorogatione quinquennij, ſed actum in concione non in Senatu, neque eodem anno, ſed ſequenti, Pompeio & Craſſo Conſulibus, neque legis huius auctor fuit Cicero, ſed potiùs diſſuaſor: eámque legem non magis probauit quàm exilium ſibi olim irrogatum. lib. 7. ad Attic. ep. 3. *De ſua potentia dimicant homines hoc tempore periculo ciuitatis: nam ſi Reſpublica defenditur, cur ea Conſule iſto ipſo defenſa non eſt?* puto legendum, *Cur ea Conſule iſto ab ipſo defenſa non eſt?* Id eſt, ſi nunc Reſpublica à Pompeio defenditur, cur ea Conſule Cæſare à Pompeio defenſa non eſt? pergit. *Cur ego in cuius cauſa Reipub. conſiſtebat, defenſus poſtero anno non ſum? cur imperium illi, aut cur illo modo, prorogatum eſt? cur tantopere pugnatum eſt, vt de eius abſentis ratione habenda decem Tribuniplebis ferrent? His ille rebus ita conualuit, vt nunc in vno ciue Reſpublica ad reſiſtendum imbecilla ſit, quæ mallem tantas ei vires non dediſſet, quàm nunc tam valenti reſiſteret.* Prudenter igitur faciendum putauit, quod monet Æſchylus Ariſtophanem in Ranis:

Οὐ χρὴ λέοντος σκύμνον ἐν πόλει τρέφειν,
Μάλιστα μὲν λέοντα μὴ 'ν πόλει τρέφειν.
Ἢν δ' ἐκτραφῇ τις, τοῖς τρόποις ὑπηρετεῖν.
Catulum leonis ciuitas ne nutriat,
Ita eſt, leonem nulla ciuitas alat.
Quòd ſi hunc aluerit, obſecundet moribus.

PACIS ET CONCORDIÆ.] Vide orationem pro Marcello 14. *de pace agendum.* Epiſtola 10. ad Tironem: *Incidi in ipſam flammam ciuilis diſcordiæ, vel potiùs belli: cui cùm cuperem mederi & vt arbitror poſſem: cupiditates certorum hominum (nam ex vtraque parte ſunt qui pugnare cupiant) impedimento mihi fuerunt.* Et epiſtola ſequenti declarat conditiones pacis à Cæſare propoſitas: *Feruntur omnino conditiones ab illo, vt Pompeius eat in Hiſpaniam: delectus qui ſunt habiti & præſidia noſtra dimittantur: ſe vlteriorem Gallicam Domitio, Citeriorem Conſidio Noniano (his enim obtigerunt) traditurum: ad Conſulatus petitionem ſe venturum: neque iam velle abſentis rationem haberi ſui: ſed præſentem trinundinum petiturum.* Hæ quoque vt acciperentur conditiones, & Pompeius iret in Hiſpaniam auctor fuerat. Epiſtola ad Cæcinam, quæ eſt ſexta libri ſexti ad famil. *Eundum in Hiſpaniam cenſui. quòd ſi feciſſet, ciuile bellum nullum omnino fuiſſet. Rationem haberi abſentis non tam pugnaui vt non liceret, quàm vt, quando ipſo Conſule pugnante populus iuſſerat, haberetur.* Sic emendo *non tam pugnaui, vt non liceret*, addita negatione cùm vulgo legatur, *vt liceret*, & ſic interpretor. Non tam pugnaui, vt id priuilegium Cæſari non concederetur ab initio, quàm vt conſeruaretur, poſtquàm ſemel illi conceſſum fuerit, ne ſi eriperetur illi priuilegium à populo conceſſum, offenderetur Cæſar, & inde prætextus belli ciuilis naſceretur. Et ſanè hoc priuilegium contra ſuam auctoritatem conceſſum Cæſari fuiſſe, præter ſuperius dicta etiam declarat ep. 3. lib. 8. ad Att. *Nihil actum eſt à Pompeio noſtro ſapienter: nihil fortiter: addo etiam nihil niſi contra conſilium, auctoritatémque meam. Omitto illa vetera, quòd iſtum in Remp. ille aluit, auxit, armauit,* &c. *Ille prouinciæ propagator: ille abſentis in omnibus adiutor: idem etiam tertio Cõſulatu, poſtquàm eſſe defenſor Reip. cœpit, contendit vt decem tribuniplebis ferrent, vt abſentis ratio haberetur. quod idem ipſe ſanxit lege quadam ſuâ, Marcóque Marcello Conſuli finienti prouincias Gallias Cal. Mart. reſtitit.* Pergit ep. ad Cæcinam: *Cauſa belli orta eſt: quid ego prætermiſi aut monitorum, aut querelarum? cùm vel iniquiſſimam pacem iuſtiſſimo bello anteferrem.* III.

Cicero paci & concordiæ ſtuduit.

MEAQVE ILLA VOX EST NOTA MVLTIS.] Eadem epiſtola ad Cæcinam: *Plurimi ſunt teſtes, me & initio ne coniungeret, ſe cum Cæſare monuiſſe Pompeiũ, & poſtea ne ſeiungeret. Coniunctione frangi Senatus opes, diſiunctione ciuile bellum excitari videbam: atque vtebar familiariſſimè Cæſare, Pompeium faciebam plurimi: ſed erat meum conſilium cum fidele Pompeio, tum ſalutare vtrique. Quæ præterea prouiderim prætereo.* Quid autem prouiderit, præterit veritus Cæſaris offenſionem, qui tum Remp. obtinebat, ſed apertè lib. 7. ad Atticum ep. 6. *Pace opus eſt. Ex victoria cùm multa mala, tum certè tyrannis exiſtet.* IV.

ARGVMENTVM.

Obiecerat Antonius Cæſarem fuiſſe conſilio Ciceronis interemptum. hanc obiectionem primò irridet. deinde oſtendit probabilem non eſſe ex eo quòd in illa ſocietate nemo vnquam ipſius nomen audiuerit.

XVIII. SED hæc vetera: illud verò recens, Cæſarem meo conſilio interfectum. Iam vereor, P. C. ne, quod turpiſſimum eſt, præuaricatorem mihi appoſuiſſe videar: qui me non ſolùm meis laudibus ornaret, ſed etiam alienis. Quis enim meum in iſta ſocietate glorioſiſſimi facti nomen audiuit? Cuius autem, qui in eo numero fuiſſet, nomen eſt occultatum? occultatum dico? cuius non ſtatim diuulgatum? Citius dixerim iactaſſe ſe aliquos, vt fuiſſe in iſta ſocietate viderentur, cùm conſcij non fuiſſent: quàm vt ſe quiſquam celari vellet, qui fuiſſet. Quàm veriſimile porrò eſt, in tot hominibus partim obſcuris, partim adoleſcentibus neminem occultantibus, meum nomen latere potuiſſe?

EXPLANATIO.

SED HÆC.] Ordo rerum geſtarum exigebat, vt priùs de caſtris Pompeij, quàm de nece Cæſaris loqueretur. Sed fortaſſe reſpondendo ſecutus eſt eum ordinem, quem Antonius obiiciendo ſeruarat: & vt oſtenderet Ciceronem natura turbulentum eſſe, & ſeditionibus delectari, crimina per quinque perſonas digeſſerat, Ipſum Antonium cuius ille amicitiam violarat, Lentulum quem prætextu coniurationis Cõſul in carcere iugularat, P. Clodium quem ſuis cõſiliis manu Milonis occiderat: Cæſarem quem & à Pompeij coniunctione primò diſtraxerat, vnde ciuile bellum exarſit; deinde ſuo conſilio Conſul interfecerat, Brutum & Caſſium ſuos neceſſarios ad eius necem impellens. Ipſum denique Pompeium cuius animum bello ciuili partim mœſtitia, partim iocis alienarat. Ex quibus omnibus colligebat Ciceronem, qui neminem amaret, à nemine etiam amari, adeò vt omnibus odio eſſet, nec à quoquam amicorum hæres ſcriberetur. Hæc igitur fuit cauſa cur ordine, tempore intermiſſo, omnia quæ ad perſonam Cæſaris pertinebant oratione coniunxerit.

ILLVD VERÒ.] Obiectio Antonij.

IAM VEREOR.] Obiectionis irriſio, quaſi metuat ne ſibi præuaricatorem appoſuiſſe videatur, id eſt, ſubornaſſe M. Antonium, qui accuſationis prætextu ipſum dilaudet, & colludat.

QVIS ENIM.] Probat huius facti ſuſpicionem à ſe eſſe alienam.

Si fuiſſem conſcius, veriſimile non eſt in tot hominibus neminem occultantibus meum nomen latere potuiſſe.

Sed in tot hominibus neminem occultantibus, nemo meum nomen audiuit.

Ergo non fui conſcius necis Cæſari illatæ.

Maior propoſitio expreſſa eſt εἰρωνικῶς. *Quam veriſimile*, &c. *potuiſſe*. Aſſumptio dum probatione etiam expreſſa. *Quis enim*, &c. *audiuit?* Concluſio pauculis illis, *Sed etiam ornaret alienis?*

OCCVLTATVM DICO?] Correctio verbi, vt aliud magis proprium ſubſtituat.

IACTASSE SE ALIQVOS.] Vt C. Octauium, & P. Lentulum Spintherem. Eos tamen non appellat, quia nec neceſſe fuit, nec voluit Lentulum amiciſſimi quondam ſui filium offendere.

NOTÆ.

PRÆVARICATOREM.] Apuleius apol. 2. *Quæ omnia tam falſa, tam nihili, tam inania oſtendam, adeóque facilè & ſine vlla controuerſia refutabo, vt, mediusfidius, verear, Maxime, quique in conſilio eſtis, ne demiſſum, & ſubornatum à me accuſatorem putetis, vt inuidiam meam reperta occaſione palàm reſtinguerem.* Cæterùm de hoc crimine Antonij ita lib. 12. ad familiares epiſtolâ 2. ſcripta ad Caſſium: *Homo amens & perditus, multóque nequior, quàm ille ipſe, quem tu nequiſſimum occiſum eſſe dixiſti, cædis initium quærit, nullámque aliam ob cauſam me auctorem fuiſſe Cæſaris interficiendi criminatur, niſi vt in me veterani incitentur, quod ego periculum non extimeſco, modò facti veſtri gloriam cum mea laude communicet.* Et epiſtola ſequenti: *Auget tuus amicus furorem in dies. primùm in ſtatuâ quam poſuit in Roſtris, inſcripſit,* PARENTI OPTIME MERITO, *vt non modò ſicarij, ſed iam etiam parricidæ iudicemini. Quid dico iudicemini? iudicemur potiùs. Veſtri enim facti ille furioſus me principem dicit fuiſſe.*

Cur Antonius videri voluerit Cæſarem necatum conſilio Ciceronis?

IACTASSE SE ALIQVOS.] Idem ſcribit Dio lib. 43. & Plutarchus in Cæſare: poſterioris verba ſunt, Ἔνιοι δὲ καὶ συνανέβαινον αὐτοῖς, καὶ κατεμίγνυσαν ἑαυτοὺς, ὡς μετεσχηκότες τοῦ ἔργου, καὶ προσεποιοῦντο τὴν δόξαν. ὧν ἦν καὶ Γάϊος Ὀκτάουϊος καὶ Λέντλος Σπινθήρ. οὗτοι μὲν οὖν τῆς ἀλαζονείας δίκην ἔδωκαν ὕστερον, ὑπὸ Ἀντωνίου καὶ τοῦ νέου Καίσαρος ἀναιρεθέντες, καὶ μηδὲ τῆς δόξης, δι᾽ ἣν ἀπέθνησκον, ἀπολαύσαντες, ἀπιστίᾳ τῶν ἄλλων. οὐδὲ γὰρ οἱ κολάζοντες αὐτοὺς τῆς πράξεως, ἀλλὰ τῆς βουλήσεως δίκην ἔλαβον. *Nonnulli verò & cum ipſis* Cæſaris percuſſoribus *ſimul adſcenderunt* in Capitolium, *ſéque cum illis miſcuerunt, tanquam facti participes, eámque ſibi gloriam arrogarunt. E quibus fuerunt C. Octauius, & Lentulus Spinther. atque hi quidem arrogantiæ ſuæ poſteà pœnas dederunt, ab Antonio & Cæſare in-* II.

Vanitas punita.

niore de medio ſublati. Neque opinionis illius, ob quam necati ſunt, fructum perceperunt, nemine fidem eorum dictis adhibente. Neque enim qui eos affecerunt ſuppliciis, facti, ſed voluntatis pœnas ab iis exegerunt. Ipſe certè Lentulus Spinther epiſtola quadam ad Ciceronem ait ſe conſilij participem fuiſſe. Ea eſt epiſtola 14. lib. 12. ad familiares: *Ego me de Repub. puto eſſe meritum, vt non prouinciæ iſtius beneficium expectare debeam, ſed tantum, quantum Caßius & Bruti, non ſolùm illius facti periculíque ſocietate, ſed etiam huius temporis ſtudio & virtute.*

AXIOMA.

Turpiſſimum eſt præuaricatorem nobis apponere, qui nos non ſolùm propriis laudibus ornent, ſed etiam on:ret alienis.

ARGVMENTVM.

Singulorum enumeratione demonſtrat ſe necandi Cæſaris auctorem non fuiſſe, quòd alij vel peculiaribus cauſis, vel domeſticis exemplis ad liberandam patriam impulſi nullius conſiliis indigerent, de aliis ne ſuſpicari quidem potuerit id eos vnquam eſſe facturos.

ETENIM ſi auctores ad liberandam patriam deſiderarentur illis au- XIX.
ctoribus, Brutos ego impellerem; quorum vterque L. Bruti imaginem quotidie videret, alter etiam Ahalæ. Hi igitur his maioribus, ab alienis potiùs conſilium peterent, quàm à ſuis? & foris potiùs quàm domi? Quid? C. Caſſius in ea familia natus, quæ non modò dominatum, ſed ne potentiam quidem cuiuſquam ferre potuit, me auctorem, credo, deſiderauit? qui etiam ſine his clariſſimis viris hanc rem in Cilicia ad oſtium fluminis Cydni confeciſſet, ſi ille ad eam ripam, quam conſtituerat, non ad contrariam, nauim appuliſſet. Cn. Domitium non patris interitus, clariſſimi viri, non auunculi mors, non ſpoliatio dignitatis, ad recuperandam libertatem; ſed mea auctoritas excitauit. An C. Trebonio ego perſuaſi, cui ne ſuadere quidem auſus eſſem? quo etiam maiorem ei Reſpub. gratiam debet, qui libertatem populi Romani vnius amicitiæ præpoſuit: depulſórque dominatus, quàm particeps eſſe maluit. An L. Tullius Cimber me eſt auctorem ſecutus? quem ego magis feciſſe illam rem ſum admiratus, quàm facturum putaui. admiratus ſum autem ob eam cauſam, quòd immemor beneficiorum, memor patriæ fuiſſet. Quid duos Seruilios, Caſcas dicam, an Halas? & hos auctoritate mea cenſes excitatos potiùs, quàm charitate Reipublicæ? Longum eſt perſequi cæteros, ídque Reipub. præclarum fuiſſe tam multos, ipſis glorioſum.

EXPLANATIO.

ETENIM.] Si M. Brutus, Decimus Brutus, C. Caſſius, qui conſpirationis in Cæſarem factæ principes & auctores fuerunt, eguiſſent aliis auctoribus & impulſoribus ad illud facinus deſignandum, non opus erat vt eos ipſe hortarer, iíſque tanti facinoris auctor eſſem, cùm haberent domeſticos hortatores & Maiorum ſuorum exempla. & vterque Brutus inter paternas maiorum ſuorum imagines in atrio domus ſuæ collocatas, viderent imaginem Luc. Bruti qui Tarquinios eiecit, & patriam ab eorum dominatione liberauit, M. Brutus etiam inter maternas maiorum imagines videret imaginem Halæ Seruilij, qui ſua manu occidit Spurium Melium, qui annonâ leuandâ, iacturíſque rei familiaris, quia nimis amplecti plebem putabatur in ſuſpicionem venerat regni appetendi. Caſſius haberet exempla maiorum ſuorum, è quibus ille fuit Caſſius qui filium ſuum legibus agrariis populares auras aucupantem, cùm in ſuſpicionem veniſſet affectati regni dicitur interemiſſe, & bona eius Cereri conſeruaſſe. vide Notas.

ME AVCTOREM, CREDO.] Ironia.

QVI ETIAM.] Caſſius ſine Brutis & aliis Cæſaris percuſſoribus *hanc rem confeciſſet*, id eſt, Cæſarem occidiſſet. vide Notas.

CN. DOMITIVM.] Cn. Domitius me auctore non egebat ad inferendam Cæſari necem ſatis excitatus interitu patris ſui Luc. Domitij qui occubuit pugnâ Pharſalica, & auunculi ſui M. Catonis Vticenſis, qui Vticæ mortem ſibi ipſe conſciuit, ne in Cæſaris victoris manus deueniret.

AN C. TREBONIO.] Non ſolùm Trebonio non perſuaſi, ſed ne auſus quidem fuiſſem ei ſuadere, vt Cæſarem occideret, quia videbam eũ eſſe familiariſſimum Cæſaris, vt dominatus etiam particeps eſſe poſſet, ob beneficia quibus Cæſa-

rem deuinxerat. legem ferens de prorogando Cæſaris in Galliis imperio in quinquennium.

A... L... TVLLIVS] Alij legunt *Tillius*, Plutarchus Μέτιλλιος. Aduerte prudentiam oratoris. vinoſus erat naturâ ſuâ Cimber & temulentus. Neque Cicero facilè hanc ei rem ſuaſiſſet, aut credidiſſet ſecretum tanti momenti, mirúmque fuit huiuſmodi hominem à Bruto & Caſſio in ſocietatem conſpirationis aduocari. Ait igitur Cicero: *quem ego magis feciſſe illam rem feciſſe illam rem ſum admiratus, quam facturum putaui.* Quo audito ſtatim omnes hanc Oratoris admirationem ad Cimbri temulentiam referebant, faciléq. acquieſcebant Ciceroni. Quia tamen Cimbrum offendere minimè volebat, aliam adfert admirationis ſuæ rationem, qua Cimbrum non modò non vituperat, ſed etiam laudat, quòd patriæ libertatem priuatis commodis anteferret.

QVID DVOS SERVILIOS?] Seruilia gens nobiliſſima fuit, & in plures familias diſtributa. In ea fuerunt Cæpiones, ad quos Marcus Brutus maternam originem referebat, Priſci ſiue Caſcæ, & Ahalæ, vt Geminos & alias Seruiliorum familias omittam, quæ minùs videntur ad cædem Cæſaris pertinere. Plutarchus non vnum Caſcam, ſed duos fratres agnoſcit: vides hoc loco etiam Ahalarum fieri mentionem. Vt non duo, ſed quatuor Seruilij numerentur. Vt intelligendus ſit Orator, quaſi dicat: *Quid duos Seruilios Caſcas dicam? quid item duos Seruilios Ahalas?* Sed hæc viderint eruditi. Hi autem omnes auctorem facti non deſiderabant, cùm haberent domeſticum exemplum illius Ahalę Seruilij, qui Spurium Melium noua molientem occidit.

LONGVM EST PERSEQVI CÆTEROS.] Vt Cecilium, Bucolianum, Rubrium Regem, Q. Ligarium, M. Spurium, Sextum Naſonem, Pontium Aquilam, qui ab Appiano numerantur. Addit Plutarchus in Bruto, Labeonem. Appianus & Suetonius, Sergium Galbam. Dio, Cornelium Cinnam.

IDQVE REIPVB.] Variæ ſunt huius loci lectiones. Editiones priſcæ habent, *Idque Reipub. præclarum fuiſſe, tum multò ipſis glorioſius eſt.* Alij legunt: *Tamen multò.* Grutterus: *Idque Reipub. præclarum, tum multo ipſius glorioſius eſt.* Ferrarius: *Præclarum fuiſſe tum multos, ipſis glorioſius eſt.* Victorius: *Fuiſſe tam multos, tum multo ipſis glorioſius eſt.* Alij denique: *Idque Reip. præclarum fuiſſe tam multos, ipſis glorioſum.*

NOTÆ.

I. LVC. BRVTI.] Plutarchus in Bruto primis verbis, Μάρκου δὲ Βρούτου πρόγονος ἦν Ἰούνιος Βροῦτος, ὃν ἀνέστησαν ἐν Καπιτωλίῳ χαλκοῦν οἱ πάλαι Ῥωμαῖοι, μέσον τῶν βασιλέων, ἐσπασμένον ξίφος, ὡς βεβαιότατα καταλύσαντα Ταρκυνίους. *Vnus è M. Bruti progenitoribus erat Iunius Brutus, cuius ſtatuam æream veteres Romani mediam inter Reges ſtricto gladio poſuerunt, vt qui fortiſſime Tarquinios expuliſſet.* Id tamen alij negarunt, vt Dio libro 43. Dionyſius Halicarnaſſeus lib. 5. his verbis, Ὁ μὲν δὴ Βροῦτος, &c. τοιαύτης τελευτῆς ἔτυχεν, γενεὰν οὔτ᾽ ἄρρενα καταλιπὼν, οὔτε θήλειαν, ὡς οἱ τῶν Ῥωμαίων ἀσφέστατα ἠκριβωκότες γράφουσιν. *Et Brutus quidem tali fato conceſſit ſobolem neque virilis, neque ſequioris ſexus relinquens, vt qui ſagaciùs res Romanas in-*

M. Bruti genus.

ueſtigarunt, ſcripto tradiderunt. Cuius rei τεκμήριον δυσαντίλεκτον, *ſignum cui facilè contradici non poßit,* adferre ſe putat, Ὅτι τῶν πατρικίων γένους ἐκεῖνος ἦν, οἱ δ᾽ ἀπ᾽ ἐκείνης ἑαυτοὺς λέγοντες οἰκίας εἶναι, Ἰούνιοί τε καὶ Βροῦτοι πάντες ἦσαν πληβήιοι, καὶ τὰς ἀρχὰς μετῄεσαν ἃς τοῖς δημοτικοῖς μετιέναι νόμος εἴα ἀγορανομίας τε καὶ δημαρχίας. *Quia ille fuit ex patritiis, at qui ex ea gente ſe ortos eſſe prædicabant, Iunij & Bruti erant omnes plebeij, eóſque geſſerunt honores quos lex permittebat plebeiis, vt adilitatem, & Tribunatum plebis.* Quod, vt notat Plutarchus, illi dixerunt qui Bruto propter necem Cæſaris infenſi in Auguſti gratiam Bruti genus obſcurare cupiebant, quaſi non à Lucio Bruto, ſed à quodam eius œconomo familia Brutorum fuiſſet propagata. Neque ſanè illud Halicarnaſſei argumentum tam firmum eſt, vt ei refragari nemo queat: fieri enim potuit, vt ea gens à patriciis ad plebem tranſiierit, vt de gente Octauia tradit Suetonius in Auguſto cap. 2. *A Tarquinio Priſco Rege inter Romanas gentes allecta in Senatum, mox à Seruio Tullio in patritios tranſducta, procedente tempore ad plebem ſe contulit: ac rurſus magno interuallo per D. Iulium in patriciatum rediit.* Ποσειδώνιος δ᾽ ὁ φιλόσοφος, inquit Plutarchus, τοὺς μὲν ἐνηλικιώους φησὶν ἀποθανεῖν τοῦ Βρούτου παῖδας, ὡς ἱστόρηται. τρίτον δὲ λειφθῆναι νήπιον, ἀφ᾽ οὗ τὸ γένος ὁρμηθῆναι. *Poſidonius vero Philoſophus, Bruti filios qui ad pubertatem peruenerant, fuiſſe ait, vt ab hiſtoricis traditur, iuſſu patris, interemptos. Tertium verò relictum fuiſſe infantem à quo genus fuerit propagatum.* Addebat & alterum ſignum: Καὶ τῶν γε καθ᾽ αὑτὸν ἐκ τῆς οἰκίας γεγονότων ἐπιφανῶν ἀνδρῶν ἀναφέρειν ἐνίους πρὸς τὸν ἀνδριάντα τοῦ Βρούτου τὴν ὁμοιότητα τῆς ἰδέας. *Eorum qui ipſius tempore ex ea familia floruerunt, nonnullos quoad figuram & oris lineamenta ad ſimilitudinem ſtatuæ Bruti accederent.* His duobus Poſidonij argumentis tertium addi poſſet petitum ex gentilitiis Brutorum imaginibus, inter quas, vt vel ex hoc loco palam eſt, Lucij Bruti imago fuit, nemine refragante antequam Brutus Cæſari necem intuliſſet. Quod opponi poſſit maleuolorum, & Auguſti gratiam aucupantium ſermonibus.

IMAGINEM.] Hunc locum non de ſtatua L. Bruti inter Reges in Capitolio poſita, ſed de II.
eius effigie cerea in priuatis Brutorum atriis ſeruata intelligendum putaui. Statuas autem non in atrio, ſed foris aut in ipſo veſtibulo collocabant. Ea porro fuiſſe videtur, ſi propriè loqui velimus, ſtatuas inter & imagines diſtinctio, quòd ſtatuæ è ligno, marmore, ære, auro, argento, aliáve ſolidâ materiâ fierent: imagines eſſent aut expreſſi è cera vultus, aut etiam picturæ in tabulis delineatæ. Statuæ non omnibus paſſim, ſed vel ipſi patri familias viuenti, vel iis qui ſua virtute præcipuam familiæ claritudinem attuliſſent: imagines non niſi defunctis, ſed quibuſuis maioribus qui curulem geſſiſſent magiſtratum. Vbi quis enim diem obierat, eius effigies exprimebatur è cera, quam poſt laudationem funebrem referebant in atrium, & inter gentilitias imagines collocabant. Vide dicta pro Milone 34. Quamuis Maro 7. Æneidos ad hanc ipſam conſuetudinem alludens imaginem cum ſtatuâ confuderit:

Quin etiam veterum effigies ex ordine auorum
Antiqua ex cedro Italúſque Paterque Sabinus
Vitiſator, curuam ſeruans ſub imagine falcem.

Saturnúſque ſenex, Ianíque bifrontis imago
Veſtibulo adſtabant, aliíque ab origine Reges
Martia qui ob patriam pugnando vulnera paßi.

Veſtibulo, inquit, adſtabant, id eſt, ſtabant ante veſtibulum. Crediderim tamen has maiorum ſtatuas non ad priorem ianuam in ipſo vico fuiſſe poſitas, ſed intra veſtibulum ad ianuam interiorem, per quam à veſtibulo ad atrium tranſitus patebat. Iuuenalis Sat. 7.

Statuæ in veſtibulis.

-Huius enim ſtat currus aheneus, alti
Quadriiuges in veſtibulis, atque ipſe feroci
Bellatore ſedens curuatum haſtile minatur
Eminus, & ſtatuâ meditatur prælia luſcâ.

Nec Plinius alibi quàm in veſtibulo, & ipſis foribus atrij videtur eas magnorum virorum ſtatuas collocare. Sic enim lib. 35. cap. 2. poſtquam imaginum atrij fecit mentionem: *Aliæ foris, & circa limina animorum ingentium imagines erant, affixis hoſtium ſpoliis, quæ nec emptori refringere liceret. triumphabántque etiam dominis mutatis ipſæ domus.* Quibus vides iterum imaginem cum ſtatua confundi, vt dum rem ſtatuamus eſſe diuerſam, operæpretium non ſit hæc nomina ſuperſtitiosè diſtinguere. Huiuſmodi ſtatuas Papinius 2. Thebaidos verſu 215. Romanorū morem adumbrans, ſed adumbrans, non exprimens in ipſo atrio ponit:

-læto regalia cœtu
Atria complentur: ſpecies eſt cernere auorum
Cominus, & viuis certantia vultibus æra.

Statuæ è lapide aut metallo.

Tria igitur, vt dixi, fuerunt etiam in domibus priuatis gentilitiarum imaginum genera. Aliæ fuerunt, è ligno, lapide, metallo, quæ in ipſo veſtibulo ponebantur: alia duo genera atrium occupabant. Eo diſcrimine quod imagines cereæ ſuis includerentur armariis: tabulæ pictæ quotidie paterent. Armaria verò diebus feſtis tantùm ſolebant aperiri, vel in publicâ totius ciuitatis, vel in priuatâ familiæ lætitia. De priuata lætitia Noſter pro Sulla: *Domus erit credo exornata, aperientur maiorum imagines.* De publica Flauius Vopiſcus in Floriano: *Tantùm illud dico Senatores omnes eâ lætitiâ eſſe elatos, vt domibus ſuis omnes albas hoſtias caderent, imagines frequentes aperirent, albati ſederent, conuiuia ſumptuoſiora præberent.* Vtramque Triarius cauſam complexus eſt apud Senecā controuerſiâ quæ ab aliis 21. ab aliis 22. numetur: *Age hoc non eſt præmium vnum omnium ſpectare cruces?* &c. *Indicit feſtum diem, aperiri iubet maiorum imagines, cùm maximè tegendæ ſunt.* ob nuptias filiæ *aperiri iubet, cùm maximè tegendæ ſunt* ob luctum publicum, & ſupplicia de tam multis ſeruis exacta, quamuis aliter interpretari poſſis.

Imagines ceræ.

Tabulæ pictæ.

Præter has imagines cereas armariis incluſas, aliæ vt diebus ſingulis ſpectari poſſint, depictæ erant in extimâ tabularum ſuperficie, quibus illæ cereæ tegebantur. Plinius lib. 35. cap. 2. *Expreßi cerâ vultus ſingulis diſponebantur armariis, vt eſſent imagines quæ comitarentur gentilitia funera, ſempérque defuncto totus aderat familiæ eius qui vnquam fuerat populus, ſtemmata vero lineis diſcurrebant ad imagines pictas.* En diſcrimen, alios *expreſſos cera vultus*, alias *imagines pictas* appellat. Seneca de beneficiis lib. 3. c. 28. *Qui imagines in atrio exponunt, & nomina familiæ ſuæ longo ordine, et multis ſtemmatū illigata flexuris in parte primâ ædium collocant.* Reor hæc imaginum ſtemmata iis non abſimilia fuiſſe, quas arbores proſapiæ vulgus appellat. vnde & ramos Perſius nominauit:

Stemmate quòd Tuſco ramum milleſime ducis. Stemma.

Στέμμα ſiue *corona*, vel quòd atrium coronamenti cuiuſdam inſtar, ambiret & circumdaret, vel quòd gentilitiæ imagines coronis, quibuſdam item depictis incluſæ pingerentur.

Atque hæc tria imaginum gentilitiarum genera Iuuenalis Sat. 8. videtur attigiſſe:

Stemmata quid faciunt? quid prodeſt, Pontice, longo
Sanguine cenſeri? pictóſque oſtendere vultus
Maiorum?-

En imagines pictæ. Pergit ad ſtatuas triumphales:

-Stantes in curribus Æmilianos, &c.

Paulò pòſt:

Quis fructus generis tabulâ iactare capaci
Coruinum? & poſt hæc multa deducere virgâ
Fumoſos equitum cum dictatore magiſtros.

Quod de cereis imaginibus libenter interpreter. Sed ibidem clariùs:

Tota licet veteres exornent vndique ceræ
Atria, nobilitas ſola eſt atque vnica virtus.

His cerearum imaginum loculamentis ſubiectæ fuerunt aliæ thecæ, ſiue armaria, quibus rerum à maioribus geſtarum volumina clauderentur: quæ haud ſcio an Plinius nomine tablinorum intelligat. lib. 35. cap. 2. *Tablina codicibus implebantur, & monumentis rerum in magiſtratu geſtarum.* Laudat Lipſius Liuium lib. 4. 8. 10. Valerium lib. 4. cap. 4. Tacitum lib. 16. Tibullum ad Meſſalam:

Volumina rerum geſtarū quo loco ſeruata.

Tablina.

Nec tua maiorum contenta eſt gloria famâ,
Nec quæris quid quáque index ſub imagine dicat.

Verùm hi titulorum potiùs ſiue inſcriptionum, &, vt Tibullus appellat, indicum quàm codicum meminerunt. Hæ porro inſcriptiones videntur ſtemmatum imaginibus pictis in tabulâ codicum armariis obiectâ fuiſſe ſubſcriptæ. Ab his inſcriptionibus Papinius in Hercule Surrentino *ſcriptum limen* appellat.

-Et ſcripto viuentes limine ceræ.

Liuius lib. 4. *Refellit falſum imaginis titulum.*

III. ALTER ETIAM HALÆ.] M. Brutus. Plutarchus in eius vitâ: Σερβιλία δὲ ἡ μήτηρ ἀνέφερε τὸ γένος εἰς Ἄλαν Σερβίλιον. *Seruilia mater genus ſuum ad Halam Seruilium referebat.* Vide quæ ſequuntur. Mihi parcendum Græcis. Epitome Liuiana: *Cùm fame populus Romanus laboraret, Spurius Melius Eques Romanus frumentum populo ſuâ impensâ largitus eſt, & ob id factum conciliatâ ſibi plebe regnum affectans à C. Seruilio Hala Magiſtro equitum iuſſu Quintij Cincinnati Dictatoris occiſus eſt.* Immò non iuſſu Dictatoris, ſed, vt narrat Liuius lib. 4. cùm ad cauſam dicendam vocatus parere noluiſſet, capto, vt aiunt, in arenâ conſilio, *vociferantem aſſecutus Hala Seruilius obtruncat.* Hinc autem illud etiam conſtat, quod in Vatinium probauimus 28. Mulieres cùm matrimonio tranſirent in alias familias, ſecum maiorum ſuorum imagines ad mariti domum detuliſſe, & in atrio mariti collocaſſe. Verba ſunt Vatinianæ: *At nunc quidem C. Antonius hac vna re miſeriam ſuam conſolatur, quòd imagines patris & fratris ſui, fratríſque filiam non in familia, ſed in carcere collocatas, audire maluit, quàm videre.*

Hala Seruilius.

IV. C. CASSIVS.] Sp. Caſſium regni affectati crimine, vt auctor eſt Liuius lib. 2. *Vbi primùm*

magiſtratu abiit, damnatum necatúmque conſtat. Sunt qui patrem auctorem eius ſupplicij ferant, eum cognitâ domi causâ verberaſſe, ac necaſſe, peculiúmque filij Cereri conſecrauiſſe: ſignum inde factum eſ-
Sp. Caſſius. *ſe & inſcriptum* EX FAMILIA CASSIA DATVM. Halicarnaſſeus lib. 8. Λέγεται δέ τισιν ὡς ἀδήλου πάσιν οὔσης ἔτι τῆς ὑπ᾽ αὐτοῦ συσκευαζομένης τυραννίδος, πρῶτος ὑποπτεύσας ὁ πατὴρ τοῦ Κασσίου, καὶ διὰ τῆς ἀκριβεστάτης βασάνου τὸ πρᾶγμ᾽ ἐξετάσας, ἥκειν ἐπὶ τὴν βουλὴν, ἔπειτα κελεύσας ἐλθεῖν τὸν υἱὸν, μηνυτής τε καὶ κατήγορος αὐτοῦ ἐγένετο. καταγνούσης δὲ καὶ τῆς βουλῆς ἀγαγὼν αὐτὸν εἰς τὴν οἰκίαν ἀπέκτεινεν. *Sunt qui dicant, cùm affectatio regni adhuc lateret, Caßium patrem primum omnium rem ſubodoratum, poſt habitam diligentißimam quæſtionem, veniſſe in Senatum, & vocato filio crimen indicaſſe, eúmque accuſaſſe. Cúmq. eum pariter damnaſſet Senatus, eum domum reducens interemit.* Hanc opinionem ſecutus eſt Orator, quod magis faceret ad inſtitutum. Ait: *Non modò dominatum, ſed ne potentiam quidem cuiuſquam ferre potuit.* quia certò non conſtabat, an largitionibus quibus ſocios & ciues Romanos conciliare ſibi voluerat, reuera viam ad regnum ſibi munire voluiſſet, an duntaxat aliquam ſibi populi Romani Sociorúmque gratiam & potentiam, quæ ciuilem excederet modum, aucupari. Vide Liuium loco citato. Iam quantopere Noſter hic Caſſius abhorruerit ab omni dominatu, ipſe apud Plutarchum in Bruto: Ἐδήλωσεν ἔτι παῖς ὤν, βαδίζων εἰς ταὐτὸ τῷ τοῦ Σύλλα παιδὶ Φαύστῳ διδασκαλεῖον. ὁ μὲν γὰρ ἐν τοῖς παισὶ μεγαληγορῶν, τὴν τοῦ πατρὸς ἐπῄνει μοναρχίαν. ὁ δὲ Κάσσιος ἐπαναστὰς κονδύλοις ἐνέτειβεν αὐτῷ. Βουλομένων δὲ τῶν ἐπιτρόπων τοῦ Φαύστου, καὶ οἰκείων ἐπεξιέναι, καὶ δικάζεσθαι, Πομπήϊος ἐκώλυσεν. καὶ συναγαγὼν εἰς ταὐτὸ τοὺς παῖδας ἀμφοτέρους, ἀνέκρινε περὶ τοῦ πράγματος. Ἔνθα δὴ λέγεται τὸν Κάσσιον, εἰπεῖν. Ἄγε δὴ, ὦ Φαῦστε, τόλμησον ἐναντίον τούτου τὸν λόγον ἐκεῖνον, ἐφ᾽ ᾧ παρωξύνθην, φθέγξασθαι, ἵνα σου πάλιν ἐγὼ συντρίψω τὸ στόμα. *Significauit cùm adhuc puer eſſet, & eundem cum Fauſto Syllæ filio ludum litterarium frequentaret. At Caßius ſurgens ei colaphos impegit. Volentibus autem curatoribus & domeſticis iudicio rem experiri, prohibuit Pompeius, & vtrumque puerum conuocans, de facto interrogauit. Ibi narratur Caßius dixiſſe: Age ſanè Fauſte, Aude hoc præſente illud ipſum dicere propter quod irâ ſum incitatus, vt tibi rurſum os pugno commitigem.*

V. IN CILICIA.] Vix vllum extat huius rei in hiſtoria veſtigium. Narrat tamen Appianus lib. 2. de bellis ciuilibus, Cæſari cùm is Pompeium è pugna Pharſalica fugientem paucis & inermibus nauigiis ſequeretur, obuiam in Helleſponto factum eſſe Caſſium, eíque claſſem ſeptuaginta triremium tradidiſſe, & à Cæſare veniam impetraſ-
Caſſius naues tradidit Cæſari. ſe: Οὐδ᾽ ἔργον ἕτερον ἡγοῦμαι τύχης ἐν ἀπόρῳ καιρῷ γενέσθαι μᾶλλον, ἢ Κάσσιον τὸν πολεμικώτατον ἐπὶ τριηρῶν ἑβδομήκοντα ἀπαρασκεύῳ Καίσαρι συντυχόντα μηδ᾽ ἐς χεῖρας ἐλθεῖν ὑποστῆναι, &c. *Neque aliud in rebus deſperatis opus fortunæ fuiſſe maius exiſtimo, quàm Caßium illum bellicoſißimum, cùm Cæſari imparato ipſe ſeptuaginta triremibus occurriſſet, ne manus quidem conſerere auſum fuiſſe, &c.* Subdit: Τὰς χεῖρας ὤρεγεν ἐς αὐτὸν ἀπὸ τριηρῶν ἐς σκάφη, καὶ συγγνώμην ᾔτει. *Manus ſupplices ad Cæſarem, à triremibus ad ſcaphas tendebat, & veniam petebat.* Haud ſcio an res eadem vtrobique referatur. Certè conueniunt perſonæ Cæſar & Caſſius, inter quos res tranſacta eſt, & locus. Nam & Helleſponto alluitur Cilicia; & Cydnus fluuius iuxta Tarſum in Helleſpontum deuoluitur. Quare fieri poteſt, vt res eadem narretur, & Caſſius cùm per exploratores de aduentu Cæſaris comperiſſet, ad inſidias eius vitæ ſtruendas in aliquo portu clam cum ſua claſſe ſubſederit, ſed videns inſidias ſibi non eſſe proceſſuras, quòd Cæſar non ad illam ripam, quam conſtituerat, ſed ad contrariam naues appuliſſet, mutato conſilio & traditâ claſſe veniam poſtularit. Neque facilè dixerim quid intellexerit per ripam contrariam. Neque enim Cydnus adeo latus videtur fuiſſe, vt vel duas claſſes continere potuerit, vel operoſum Caſſio fuerit Cæſaris aggrediendi cauſa ad ripam contrariam nauigare. Dicerem Caſſium ſtruentem inſidias ad oſtium Cydni in quodam Ciliciæ portu ſubſediſſe, ſed Cæſarem inſidias ſubodoratum, & ad contrarium Helleſponti littus, id eſt, ad Inſulam Cyprum naueis appuliſſe. Sed non inuenio littus maris ripam ab antiquis dictam fuiſſe. Quare videamus an aliqua ex Strabone libro 10. lux affulgeat: Μετὰ δὲ τὴν Ἀγχιάλην, inquit, αἱ τοῦ Κύδνου ἐκβολαὶ κατὰ τὸ Ῥῆγμα καλούμενον. ἔστι δὲ λιμνάζων τόπος, ἔχων καὶ παλαιὰ νεώρια, εἰς ὃν ἐμπίπτει ὁ Κύδνος διαῤῥέων μέσην τὴν Ταρσὸν τὰς ἀρχὰς ἔχων ἀπὸ τοῦ ὑπερκειμένου τῆς πόλεως Ταύρου. Καὶ ἔστιν ἐπίνειον ἡ λίμνη τῆς Ταρσοῦ. *Poſt Anchialum Cydni ſunt oſtia ad*
locum qui Rhegina, hoc eſt ruptura dicitur. Locus Cydnus.
ille ſtagnat habétque antiquitus naualia: ínque eum incidit Cydnus per mediam lapſus Tarſum, ortus è iacente ſupra vrbem Tauro. Subdit ab vrbe Tarſo ad oſtium Cydni quinque tantùm eſſe ſtadiorum interuallum: Ἐντεῦθεν δ᾽ ἑκατὸν εἴκοσι εἰσὶν εἰς Ταρσὸν στάδιοι, κἀκεῖθεν οὐ πλείους πέντε ἐπὶ τὴν ἐκβολὴν τοῦ Κύδνου. *Inde Tarſum ſunt centum viginti ſtadia, atque inde non plura quinque ad oſtia Cydni.* Cùm igitur illud Tarſenſium nauale non fluuius tantùm, ſed etiam palus eſſet, eaque, vt videtur, aliquanto latior, facilè fieri potuit, vt C. Caſſio vnam paludis ripam obſidente, Cæſar in contrariam ripam euaderet, ſéque in portum abderet loco & naturâ munitum, ſi præſertim vnico lembo Helleſpontum traiiciebat, vt narrat Dio lib. 42. Quo loco fortaſſe Tarſenſes audita Pompeij calamitate conſternati, Cæſari victori portas aperuerunt, & Caſſius omiſſo Cæſaris obſidendi conſilio claſſem tradidit. Sed hæc viderint eruditi. De Cydni natura vide noſtrum Biſciolam horis ſubceſiuis lib. 14. cap. 19.

CN. DOMITIVM.] Hic eſt Cn. ille Domitius Neronis proauus, quem Tranquillus in Nerone cap. 3. ait, *omnibus gentis ſuæ præferendum.* VI.
Subdítque: *Is inter conſcios Cæſarianæ necis (quanquam inſons) damnatus lege Pediâ, cùm ad Caßium Brutúmque ſe propinqua ſibi cognatione coniunctos contuliſſet, poſt vtriuſque interitum claſſem olim cõmiſſam retinuit, auxit etiam, nec niſi partibus vbique profligatis, M. Antonio ſponte & ingentis meriti loco tradidit, ſolúſque omnium ex iis qui pari lege damnati erant, reſtitutus in patriam, ampliſſimos honores percucurrit.* Cn. Domitius.

NON PATRIS INTERITVM.] Luc. Domitij, *qui ſucceſſor Cæſari per factionem nominatus principio ciuilis belli ad Corfinium captus eſt,* inquit Suetonius in Nerone cap. 2. De quo Seneca 3. de beneficiis cap. 24. *Corfinium Cæſar obſidebat. Tenebatur incluſus Domitius. Imperauit medico eidémque* VII.

demque ſeruo ſuo, vt ſibi venenum daret. Cùm tergiuerſantem videret, Quid cunctaris, inquit, tanquam tua in poteſtate totum iſtud ſit? Mortem rogo armatus. Tum ille promiſit, & medicamentum innoxium bibendum illi dedit: quo cùm ſopitus eſſet, acceſſit ad filium eius. Iube me, inquit, aſſeruari, dum ex euentu intelligis an venenum patri tuo dederim. Vixit Domitius & ſeruatus à Cæſare eſt. Prior tamen illum ſeruus ſeruauerat. Quod ad eius interitum ſpectat, ita Tranquillus loco citato: *Aciéque demum Pharſalicâ occubuit.* Eius mors à Lucano lib. 7. deſcribitur:

Mors L. Domitij.

Mors tamen eminuit clarorum in ſtrage virorum
Pugnacis Domiti, quem clades fata per omnes
Ducebant. Nuſquam Magni fortuna ſine illo
Succubuit. Victus toties à Cæſare, ſaluâ
Libertate perit. Tunc mille in vulnera lætus
Labitur, & veniâ gaudet caruiſſe ſecundâ.

Cui etiam animam exhalanti, ſi Poëtæ credimus, Cæſar inſultat:

Viderat in craſſo voluentem ſanguine membra
Cæſar. Et increpitans, Iam Magni deſeris arma,
Succeſſor Domiti, ſine te iam bella geruntur.

Quæ ſi vera ſunt Cn. Domitium facilè patris interitus contra Cæſarem potuit excitare. At ipſe Cæſar 3. de bello ciuili: *L. Domitius ex caſtris in montem refugiens, cùm vires eum laſsitudine defeciſſent, ab equitibus eſt interfectus.*

VIII. NON AVVNCVLI MORS.] Catonis Vticenſis, qui frater erat Porciæ matris Domitij. Plutarchus in Catone: κατελείφθη δὲ γονέων ὀρφανὸς μετ᾽ ἀδελφοῦ Καιπίωνος, καὶ Πορκίας ἀδελφῆς. ἦν δὲ καὶ Σερβιλία Κάτωνος ὁμομήτριος ἀδελφή. *Relictus eſt orbatus parentibus, cum Cæpione fratre & Porciâ ſorore. Erat autem & Seruilia Catonis ſoror vterina.* Nati ex Seruilia Brutus, ex Porcia Cn. Domitius. Eam enim Luc. Domitio nupſiſſe conſtat ex eodem Plutarcho: Μόνον δὲ Λεύκιον Δομίτιον Πορκίᾳ συνοικοῦντα τῇ ἀδελφῇ Κάτων ἔπεισε μὴ ἐκστῆναι. *Soli verò Luc. Domitio Porciæ ſororis ſuæ viro Cato perſuaſit, vt non cederet.* De morte Catonis plena ſunt omnia monumenta.

Cato auunculus Cn. Domitij.

C. TREBONIO.] De hoc vide Plutarchum in Pompeio, Cæſare, Catone, Dionem, Appianum. Fuerat autem bello ciuili legatus Cæſaris & cum Decimo Bruto Maſſiliam obſederat. Et meritò Cæſaris dominationis particeps erat, cuius ipſe auctor fuit, dum imperium Cæſaris in Galliis lege latâ in quinquennium, vel ſaltem, vt alij volunt, in triennium prorogauit. IX.

LVC. TVLLIVS CIMBER.] Seneca lib. 5. de ira cap. 30. *Vidit itaque ſtrictis circa ſellam ſuam gladiis commilitones ſuos, Cimbrum Tillium acerrimum paulò antè ſuarum partium defenſorem, alióſque poſt Pompeium demum Pompeianos.* Item ep. 83. *De illa C. Cæſaris cæde, illius dico qui ſuperato Pompeio Rempub. tenuit, tam creditum eſt Tillio Cimbro, quàm C. Caßio. Caßius tota vita aquam bibit. Tillius Cimber & nimius erat in vino, & ſcordalus. In hanc rem iocatus eſt ipſe. Ego, inquit, quemquam feram, qui vinum ferre non poſſum?* X.

ARGVMENTVM.

Hactenus oſtendit obiectionis falſitatem, nunc eius vanitatem demonſtrat, quòd & ratione parum probabili niteretur, & crimini dabat quod erat bonis omnibus commune, & repugnantia loqueretur eos laudans qui Cæſarem occiderant, eos vituperans quos necis conſcios fuiſſe ſuſpicabatur.

AT quemadmodum me coarguerit homo acutus, recordamini. Cæſare interfecto, inquit, ſtatim cruentum altè extollens Marcus Brutus pugionem, Ciceronem nominatim exclamauit, atque ei recuperatam libertatem eſt gratulatus. Cur mihi potiſſimùm qui ſciebam? Vide ne illa cauſa fuerit appellandi mei, quòd cùm rem geſsiſſet conſimilem rebus ij quas ipſe geſſeram, me potiſsimùm teſtatus eſt ſe æmulum mearum laudum extitiſſe. Tu autem omnium ſtultiſsime non intelligis, ſi id quod me arguis, voluiſſe interfici Cæſarem, crimen ſit: etiam lætatum eſſe morte Cæſaris, crimen eſſe. Quid enim intereſt inter ſuaſorem facti, & probatorem? Aut quid refert, vtrum voluerim fieri, an gaudeam factum? Ecquis eſt igitur, exceptis iis, qui illum regnare gaudebant: qui illud aut fieri noluerit, aut factum improbarit? Omnes enim in culpa. Etenim omnes boni quantum in ipſis fuit, Cæſarem occiderunt. Aliis conſilium, aliis animus, aliis occaſio defuit: voluntas nemini. Sed ſtuporem hominis, vel dicam pecudis, attendite. Sic enim dixit M. Brutus, quem ego honoris cauſa nomino, cruentum pugionem tenens, Ciceronem exclamauit: ex quo intelligi debet eum conſcium fuiſſe. Ergo ego ſceleratus appellor à te, quem tu ſuſpicatum aliquid ſuſpicaris: ille qui ſtillantem præ ſe pugionem tulit, is à te honoris cauſa nominatur? XX.

EXPLANATIO.

AT QVEMADMODVM.] Ironicè hominem acutum appellat, quem paulò pòſt ſtultiſſimum, imò pecudem, appellat.

CÆSARE INT.] Probatio Antonij. cuius ratio futilis eſt, quia Brutus Ciceronem inclamare potuit, etiamſi nihil ille de conſpiratione contra Cæſarem facta ſciuiſſet. Ergo non efficitur, vt ſi Brutus Ciceronem inclamauerit, Cicero quidquam de conſpiratione reſciuerit.

PVGIONEM.] Quo Cæſarem in Senatu ante Pompeij ſtatuam percuſſerat.

VIDE NE ILLA.] Subſtituit probabiliorem rationem. Quia cùm Brutus patriam liberaſſet, quemadmodum ego eandem in meo Conſulatu à coniuratione Catilinæ liberaram, me potiſſimum ſui in Rempubl. amoris teſtem eſſe voluit, quòd meam virtutem eſſet æmulatus.

TV AVTEM.] Altero argumento vanitatem obiectionis, quòd perſpicuum eſt. Propoſitio verbis illis, *Tu autem*, &c. *crimen eſſe.* Eius probatio: *Quid enim intereſt*, &c. *an gaudeam factum.* Aſſumptio: *Ecquis igitur*, &c. *factum improbarit.* Complexio: *Omnes igitur in culpa.* Totius denique argumentationis confirmatio illis: *Omnes enim*, *quantum*, &c. *voluntas nemini expreſſa eſt.*

TE EXC. QVI ILLVM REGN. GAVDEBAS.] Legit Grutterus: *Te excepto & iis qui eum regnare gaudebant.* Ex Palatino ſecundo, Gemblacenſi, Lilienſi, & S. Victoris. Mutare nihil neceſſe eſt. Et ſanè vehementior erit oratio ſi vnus Antonius in communi omnium mœrore, & publica ſeruitute Cæſaris regno lætatus eſſe dicatur.

OMNES ENIM IN CVLPA.] Legit Lambinus & opinor neceſſariò: *Omnes ergo in culpâ.*

SED STVPOREM.] Tertium argumentum, quo ſtultitiæ conuincit obiectionem M. Antonij, quòd pugnantia loqueretur. Brutum honoris cauſa nominans, quem Cæſarianæ necis auctorem eſſe conſtabat, Ciceronem eo ipſo nomine vituperans, qui tamen conuinci non poterat, ſed leui coniectura ſuſpectus erat, quaſi Cæſari necem inferre voluiſſet.

NOTÆ.

I. CICER. NOMINATIM.] Non vnus Brutus ſi Dionem audiamus, ſed etiam reliqui Cæſaris percuſſores. Calenus apud eundem lib. 46. Parco Græcis: *Nam vt cætera tranſiliam, miſericordiâ ſaluteque à Cæſare affectus, atque in patriciorum numerum relatus. Eum occidit, non quidem ſua manu. (Quî enim id faceret homo meticuloſus, & effœminatus) ſed ſubornatis qui id facerent. Id autem me verè loqui ipſi percuſſores Cæſaris declarauerunt.* Ὅτι γοῦν γυμνοῖς τοῖς ξίφεσιν ἐς τὴν ἀγορὰν ἐσέδραμον, ὀνόματι αὐτὸν ἀνεκάλεσαν συνεχῶς, εἰπόντες, ὦ Κικέρων, ὥσπερ πάντες ἠκούσατε. *Cùm in forum cum nudis gladiis procurrentes Ciceronem vobis audientibus nominatim ſubinde vocauerunt.* Sed aliæ cauſæ eſſe potuerunt. Vnam adfert Orator, alteram tacet quæ poterat ipſum in inuidiam adducere. Quia nimirum, vt ait Plutarchus, Cæſare Rempub. obtinente, nihilominùs Cicero: ἴσχυεν ἐν τῇ πόλει μέγιστον. *Maximam in vrbe auctoritatem habebat.* Appianus 4. ciuilium: Κικέρων ὃς μετὰ Γάϊον Καίσαρα ἴσχυσεν, ὅσον γένοιτ' ἂν δημαγωγοῦ μοναρχία. *Cicero qui poſt C. Cæſarem eò potentiæ peruenerat, quò poteſt orator peruenire.* Et eam ob cauſam Ciceronem tanquam primarium ciuem, & interfecto Cæſare totius Reipub. facilè principem appellare potuerunt, etiamſi conſpirationis particeps non fuiſſet.

ÆMVLVM.] Vide orationem pro Marcello 2. *Illo æmulo atque imitatore ſtudiorum ac laborum meorum.* II.

PVGIONEM.] Varia telorum, iaculorum, gladiorúmq. vocabula proferuntur à Gellio c. 25. lib. 10. III. Noct. Att. *Haſta, pilū, phalarica, ſemiphalarica, ſoliferrea, geſa, lancea, ſpari, rumigeſtri, falces, tragulæ, frameæ, meſanculæ, cateiæ, romphææ, ſcorpius, ſcibones, ſicilices, veruta, enſes, ſicæ, machæræ, ſpatæ, lingulæ, pugiones, climaculæ.* Addere potuiſſet Sariſſam, aclidem, ſibynum, ſemiſpatium, chelidoniacum gladium, ſecures, *quas & Hiſpani*, inquit Iſidorus 17. Orig. c. 6. *ab vſu Francorum per deriuationem franciſcas vocant.* De pugione ibidem: *Pugio à pungendo & transfigendo vocatur. Eſt enim gladius paruus, bis acutus, lateri adhærens. Item & clunabulum dictum, quòd religetur ad clunes.* Alii dictum pugionem putant, vel quod pugno ſiue pugillo continetur, vel à pugnando. Percuſſores au- Pugio. tem Cæſaris pugionibus vſos ſcribit Tranquillus cap. 82. *Vtque animaduertit vndique ſe ſtrictis pugionibus peti, toga caput obuoluit.* & poſtremis libri verbis, *Nonnulli ſemet eodem illo pugione quo Cæſarem violauerant, interemerunt.* Dio tamē lib. 44. ξίφη gladios non pugiones iis attribuit ξιφῶν ἐν κιβωτίοις ἀντὶ γραμματείων τινῶν ἐσκομισθέντων. *Gladiis in ſcriniis loco libellorum importatis*, Idem tamen aliquantò pòſt gladiolum dixit: Ἐπήρετο τὸν Κάσσιον ὁ Ἀντώνιος, ἆρα γε καὶ νῦν ξιφίδιόν τι ὑπὸ μασχάλης ἔχεις; καὶ ὅς, μάλα, ἔφη, μέγα ἄν γε καὶ σὺ τυραννῆσαι ἐπιθυμήσῃς. *Caſſium Antonius an adhuc pugionem ſub ala geſtaret percunctatus eſt; nimirum, inquit ille, magnum admodum ſi tu quoque tyrannidem occupare cupiueris.* Quamquam Græci *pugionem*, non ſolùm ξιφίδιον, ſed etiam ἐγχειρίδιον nominabant. Nam quod ait Tranquillus in Caligula cap. 49. *Reperti ſunt duo libelli diuerſo titulo: alteri gladius, alteri pugio index erat, ambo notas & nomina continebant morti deſtinatorum.* Quod ita reddidit Dio lib. 59. Ὥστε καὶ βιβλία ἀεὶ δύο περιφέρειν, καὶ αὐτῶν τὸ μὲν ξίφος, τὸ δὲ ἐγχειρίδιον ὀνομάζειν.

AXIOMATA.

Parum intereſt inter ſuaſorem facti & probatorem.

Parum refert vtrùm voluerimus aliquid fieri, an gaudeamus factum.

ARGVMENTVM.

Vrget ſtuporem & ſtoliditatem Antonij, qui Cæſaris percuſſores omnibus rebus ornabat, & eos vituperabat quos ſuſpicabatur aliquid, priuſquam res gereretur, de eorum conſiliis audiiſſe, atque ita non conſtitueret quam vellet percuſſorum Cæſaris eſſe cauſſam.

ESTO, ſit in verbis tuis hic ſtupor: quanto in rebus ſententiiſque maior? Conſtitue hoc Conſul aliquando, Brutorum, C. Caſſij, Cn. Domitij, C. Trebonij, reliquorum, quam velis eſſe cauſam. edormi crapulam, inquam, & exhala. an faces admouendæ ſunt, quæ te excitent tantæ cauſæ indormientem? Nunquámne intelliges ſtatuendum tibi eſſe, vtrum illi qui iſtam rem geſſerunt, homicidij rei ſint, an vindices libertatis? Attende enim paulisper, cogitationémque ſobrij hominis punctum temporis ſuſcipe. ego, qui ſum illorum (vt ipſe fateor) familiaris, vt à te arguor, ſocius, nego quicquam eſſe medium: confiteor eos, niſi liberatores populi Romani conſeruatoréſque Reipub. ſint, plus quàm ſicarios, plus quàm homicidas, plus etiam quàm parricidas eſſe. Siquidem eſt atrocius patriæ parentem, quàm ſuum occidere. Tu homo ſapiens & conſiderate, quid dicis? Si parricidas, cur honoris cauſa à te ſunt, & in hoc ordine, & apud populum Romanum ſemper appellati? Cur M. Brutus te referente, legibus eſt ſolutus, ſi ab vrbe plus quàm decem dies abfuiſſet? Cur ludi Apollinares incredibili M. Bruti honore celebrati? Cur prouinciæ Bruto & Caſſio datæ? cur quæſtores additi? cur legatorum numerus auctus? Atque hæc acta per te, non igitur homicidæ. ſequitur vt liberatores, tuo iudicio ſint: quandoquidem tertium nihil poteſt eſſe. Quid eſt? non conturbo te? Non enim fortaſſe ſatis, quæ diſtinctius dicuntur, intelligis. Sed tamen hæc eſt ſumma concluſionis meæ. Quoniam ſcelere à te liberati ſunt: ab eodem te ampliſſimis præmiis dignisſimos iudicatos. XXI.

EXPLANATIO.

ESTO.] Tranſitio. ſtupidum in verbis appellat, quòd Brutum honoris causâ nominans eodem nomine quo Brutum laudabat, vituperabat Ciceronem. Stupidum in rebus atque ſententiis, quòd non videret tertium nihil eſſe: ſed percuſſores aut omni ſcelere liberandos, aut grauiſſimi parricidij damnandos.

CONSVL.] Cuius eſt conſulere Reipub. & rebus maximè quæ ad ſummam Rempub. ſpectant prouidere. Conſtitue tandem aliquando, quod iam pridem eſſe oportuit, ad liberandam impendentis belli ciuilis metu Rempub. Conſtitue, inquam, vtrum eos tanquam homicidas & ſicarios puniendos, an tanquam patriæ liberatores præmio dignos arbitrere. Hîc autem de induſtria commoratur, & rem eandem variis verbis exponit, vt fieri ſolet ſtupidis, quibus res eadem inculcanda eſt, vt poſſit in cerebrum obtrudi. Et, vt eius oſcitantiam magis oſtendat, non rogat vt in huius rei conſideratione animum ſuum defigat, ſed tantùm vt attendat pauliſper, paulò pòſt illam animi contentionem laxaturus, & puncto ſiue momento temporis ſobrij hominis cogitationem, quaſi alienam perſonam ſuſcipiat, primo quoque tempore ad ſe moréſque ſuos, & priſtinam illam ſocordiam rediturus.

HOMICIDII REI SINT.] Grutterus ex Palatino ſecundo & Mauritiano legit, *Homicidæ ſint.*

FAMILIARIS.] In vitæ conſuetudine.

SOCIVS.] In conſpiratione.

TV HOMO SAPIENS.] Ironia.

TE REFERENTE.] Te Senatum Conſulente, factum eſt Senatus Conſultum, vt M. Brutus Prætor vrbanus ea lege non teneretur, quæ vetat Prætores vrbanos plus quàm decem dies abeſſe ab Vrbe.

CVR LVDI.] Brutus & alij Cæſaris percuſſores patratâ cæde veteranorum, & plebeculæ metu ex vrbe profugerant, & Senatus vt honeſtum fugæ prætextum daret Brutum, & Caſſium annonæ præfecerat. Cùm autem Prætoris eſſet vrbani ludos Apollinares exhibere, eos C. Antonius Prætor abſentis Bruti nomine magnificè ſuppeditatis à Bruto ſumptibus celebrauit.

PROVINCIÆ CASSIO ET BRVTO DATÆ.] Caſſio Syria, Bruto Macedonia. Hic autem eſt ſyllogiſmus.

Vel ſunt parricidæ, vel patriæ liberatores.

Non parricidæ.

Ergo patriæ liberatores.

Propoſitio probatur,quia eſt atrocius patriæ parentem quàm ſuum occidere. Aſſumptionis veritas demonſtratur vel ex ipſius Antonij ſententia.

Non ſunt parricidæ tuo iudicio quos honores cauſa ſemper appellas,quibus dediſti prouincias,&c.

Sed Brutum & Caſſium honoris cauſa ſemper appellas, iis dediſti prouincias,&c.

Ergo Brutus & Caſſius tuo iudicio non ſunt parricidæ.

Qvid est?] Idem iterum atque iterum inculcat,vt aduerſarium tanquam ſtupidum & bardum tractare videatur.

NOTÆ.

I. Stvpor.] Non acutiſſimum fuiſſe Antoniũ tradit Plutarchus in eius vita: Ἠγνόει γὰρ τὰ πολλὰ τῶν γιγνομένων, οὐχ οὕτω ῥᾳθυμὸς ὤν, ὡς δι' ἁπλότητα πιστεύων τοῖς περὶ αὐτόν. ἐνῆν γὰρ ἁπλότης τῷ ἤθει, καὶ βραδεῖα μὲν αἴσθησις. *Ignorabat multa quæ fiebant, non tam ob negligentiam, quàm ob ſimplicitatem iis credens qui cum ipſo verſabantur. Inerat enim moribus quædam ſimplicitas, & ſenſus tardus.* Item: Πολλὴν δὲ Κλεοπάτρα καὶ τοῖς σκώμμασι τοῖς Ἀντωνίου τὴν στρατιωτικὴν ἐνορῶσα καὶ βάναυσον, ἐχρῆτο καὶ τούτῳ πρὸς αὐτὸν ἀνειμένως ἤδη καὶ κατατεθαρρηκότως. *Videns autem Cleopatra Antonij dicteria militem & ſordidum artificem redolere, vtebatur eodem genere ad illum ſolutè iam & intrepidè.*

Stupor Antonij.

II. Edormi crapvlam.] De vinolentia Antonij infrà: *Vini exhalandi, non ingenij acuendi cauſa declamitas.* & totâ §. Satis in præſentia fuerit C. Antonij patrui non abſimilem temulentiam M. Cœlij verbis exhibere: *Namque ipſum offendunt temulento ſopore profligatum, totis præcordiis ſtertentem, ructuoſos ſpiritus geminare: præclaráſque contubernales ab omnibus ſpondis tranſuerſas incubare, & reliquas circumiacere paſſim: quæ tum exanimatæ terrore, hoſtium aduentu percepto excitare Antonium conabantur: nomen inclamabant: fruſtra ceruicibus tollebant: blandiùs alia ad aurem inuocabat, vehementiùs etiam nonnulla ferebat. quarum cùm omnium vocem tactúmque noſcitaret, proximæ cuiúſque collum amplexu petebat: nec dormire excitatus, nec vigilare ebrius poterat: ſed ſemiſomno ſopore inter manus centurionum concubinarúmque iactabatur.* Refert & laudat Fabius lib. 4. inſtitut. orat. c. 2. ſubdítque: *Nihil his credibilius fingi, neque vehementius exprobrari, neque manifeſtius oſtendi poteſt.*

Vinolentia Antonij.

III. Sobrii hominis.] Νήφοντος. Vide Cœlianam, & Piſonianam §. 22. nu. 1.

IV. Pvnctvm temporis.] In Vatinium 27. num. 4.

V. Sicarios.] Pro Milone 38. *Sica quam à Catilina acceperat.* vbi ex Ioſepho diximus qui dicerentur ſicarij.

VI. Patriæ parentem.] Πατέρα τ' αὐτὸν τῆς πατρίδος, inquit Dio lib. 43. ἐπωνόμασαν, καὶ ἐς τὰ νομίσματα ἐνεχάραξαν. *Cæſarem Patrem Patriæ nominauerunt, & in numiſmatibus inſculpſerunt.*

VII. Legibvs est solvtvs.] Dio lib. 53. Λέλυνται γὰρ δὴ τῶν νόμων, ὡς αὐτὰ τὰ Λατινικὰ ῥήματα λέγει, τοῦτ' ἔστιν ἐλεύθεροι ἀπὸ πάσης ἀναγκαίας νομίσεώς εἰσι. *Legibus enim ſoluuntur, vt ipſa verba Latina ſonant, hoc eſt ab omni legum neceſſitate liberi ſunt.* Quæ verba Xylander, (opinor, vt ſe legibus interpretandi ſolutum oſtenderet) ita verterat. *Legibus enim ſoluti ſunt Imperatores: quo ipſo ſolo & ea quæ retulimus, ac reliqua etiam omnia agendi licentia eis datur.* Neque verò Dio repugnat Ciceroni aiens id ante mutatam Remp. nemini vnquam Romano fuiſſe conceſſum. Nemo enim ſolutus antè fuerat legibus abſolutè & in omnibus rebus, ſed tantùm ab aliquâ lege peculiari, vt Scipio Æmilianus à legibus annalibus, Cæſar ea lege quæ vetabat abſentis rationem haberi in petitione Conſulatus, Brutus ea lege quæ Prætorem vrbanum ab vrbe plus quàm decem dies abeſſe prohibebat. Imò libera Rep. legibus facillimè fuiſſe ſolutos tradit Aſconius in præfationem Cornelianæ: *Promulgauítque legem qua auctoritatem Senatus minuebat, ne quis, niſi per populum, legib. ſolueretur: quod antiquo quoque iure erat cautum. Itaque in omnibus tum S. C. quibus tum aliquem legibus ſolui placebat, adiici erat ſolitum, vt ea de re ad populum ferretur: ſed paulatim ferri erat deſitum, réſque iam in eam conſuetudinem venerat, vt poſtremò ne adiiceretur quidem de rogatione ad populum ferenda, eáque ipſa S.C. per paucos admodum fiebant.* Paulò pòſt, cùm eam legem non pertuliſſet: *Tum Cornelius ita ferre rurſus cœpit, ne quis in Senatu legibus ſolueretur, niſi CC adfuiſſent,* &c. *eam tulit inuitis optimatibus, qui vel pauci S. C. facere ſolebant.* In aliis tamen rebus, vt dicemus §. 35. Senatuſconſultum non fiebat, ſi pauciores quadringentis aut ſaltem receptis adfuiſſent, è quibus videas quàm facilè etiam poſt legem Corneliam legibus ſoluerentur.

Legibus ſolui quid.

Lvdi Apollinares.] Liuius lib. 25. tradit VIII.
tempore belli Punici ſecundi inuētum eſſe Martij vatis Carmen in hanc ſententiam: *Hoſtem Romani ſi expellere vultis vomicámque, quæ gentium venit longè, Apollini vouendos cenſeo ludos, qui quotannis comiter Apollini fiant, cùm populus dederit ex publico partem: priuati vti conferant pro ſe ſuíſque. In ludis faciendis præerit Prætor is, qui ius populo plebíque dabit ſummum. Decemuiri Græco ritu hoſtiis ſacra faciant. Hæc ſi rectè faxitis, gaudebitis ſemper, fiétque res veſtra melior. Nam is diuus extinguit perduelles veſtros, qui veſtros campos paſcunt placidè.* Subdit Liuius inſpectis ludis Sibyllinis: *Cenſuerunt Patres Apollini ludos vouendos faciendóſque: & quando ludi facti eſſent, duodecim millia æris Prætori ad rem diuinam & duas hoſtias maiores dandas.* (lege *dandà.*) *Alterum S. C. factum eſt, vt decemuiri ſacra Græco ritu facerent, iiſque hoſtiis: Apollini boue aurato & capris duabus albis auratis, Latonæ boue fœmina aurata. Ludos Prætor in Circo maximo cùm facturus eſſet, edixit vt populus per eos ludos ſtipem Apollini, quantam commodum eſſet, conferret. Hæc eſt origo ludorum Apollinarium victoriæ non valetudinis ergò, vt plerique rentur, votorum. Factóſque populus coronatus ſpectauit: Matronæ ſupplicauere. vulgò, apertis ianuis in propatulo epulati ſunt: celeberque dies omni ceremoniarum genere fuit.* Idem lib. 30. *Ita abundauit Tiberis vt ludi Apollinares, Circo inundato extra portam Collinam ad ædem Erycinæ Veneris parati ſint. Cæterùm ludorum ipſo die ſerenitate ſubitâ ortâ, pompa duci cœpta ad portam Collinam, reuocata, deductáque in Circum eſt, cùm deceſſiſſe inde aquam nuntiatum eſſet. lætitiámque populo,*

Ludorum Apollinarium origo.

& ludis celebritatem addidit ſedes ſua ſolemni ſpectaculo reddita. Quo autem die celebrarentur, idem exponit lib. 37. *Ludis Apollinaribus ad quintum Idus Quintiles cœlo ſereno obſcurata lux eſt, cùm luna ſub orbem ſolis ſubiſſet.* Iam antè dixerat libro 27. *Ludi Apollinares Qu. Fuluio, Appio Claudio Conſulibus à P. Cornelio Sulla Prætore vrbis primùm facti erant. Inde omnes deinceps Prætores vrbani fecerant: ſed in vnum annum vouebant, diéque incertâ faciebant.* At aliquanto pòſt, nimirum M. Marcello, Tito Quintio Criſpino Conſulibus: *Peſtilentiæ cauſſa & ſupplicatum per compita tota vrbe eſt, & P. Licinius Varus Prætor vrbis legem ferre ad populum iuſſus, vt hi ludi in perpetuum in ſtatam diem vouerentur. Itaque ipſe primus ita vouit, fecítque ad tertium Nonas Quintiles. Is dies deinde ſolemnis ſeruatus.* Hæc diuerſis locis Liuius, è quibus multa de ludis Apollinaribus colliguntur.

1. Inſtitutos eſſe ex carmine Martiano, & inſpectis libris Sibyllinis.

2. Celebratos fuiſſe partim publicis ſumptibus, partim ſtipe quam priuati conferebant.

3. Votos fuiſſe primò victoriæ cauſa, deinde valetudinis, vnde & Horatius 1. Carm. Ode 24.

Hic bellum lacrymoſum, hic miſeram famem
Peſtémque à populo, & principe Cæſare in
Perſas atque Britannos
Veſtrâ motus aget prece.

Brutus, 4. His ludis Prætorem vrbanum præfuiſſe.

5. A Decemuiris Græco ritu ſacra facta.

6. Certas victimas Apollini & Dianæ fuiſſe immolatas.

7. In Circo maximo fuiſſe celebratos.

8. Pompam in Circum maximum fuiſſe deductam.

9. Matronas ſupplicauiſſe.

10. Populum ſpectaſſe coronatum, & apertis ianuis in propatulo ſolitum epulari.

11. Diem his ludis ſolemnem fuiſſe tertium Nonas Quintiles, ita tamen vt non vnico die fuerint abſoluti, ſed ſaltem ad quintum Idus Quintiles perdurarent.

12. Addi poteſt fuiſſe duos choros, alterum virginum, alterum puerorum, qui alternis Dianam & Apollinem celebrarent. Horatius Ode laudatâ:

Dianam teneræ dicite virgines,
Intonſum pueri dicite Cynthium
Latonámque.

13. Addi etiam poteſt arbitrio Prætoris actas fuiſſe comœdias, cuius rei indicio ſunt tituli nonnullarum fabularum Terentij, gladiatores productos, exhibitas venationes, vt mox vel ex ipſa M. Bruti munificentiâ conſtabit.

IX. M. Brvti honore celebrati.] Plebs partim oratione funebri M. Antonij Conſulis, partim aſpectu corporis Cæſaris tribus & viginti vulneribus confoſſi, partim tunicæ cruētæ & perfoſſæ concitata ſic exarſit, vt Eluium Cinnam, vnum è percuſſoribus rata diſcerpſerit, cum ardentibus ſudibus è Cæſaris rogo raptis ad percuſſorũ ædes, eas concrematura conuolarit, aram in medio foro Cæſari erexerit, atque adeo vix comprimi potuerit quin Curiam, in qua percuſſus fuerat Cæſar, incenderet. Et eam ob rem Brutus & Caſſius, cæterique conſpirationis particeps, ne vitam ſuam irritatæ plebi committerent, ex vrbe ceſſerunt, léxque lata vt, quoniã Brutus erat Prætor vrbanus, nec per leges plus quàm decem dies abeſſe poterat ab vrbe, legibus ſolueretur, eíque fraudi non eſſet, ſi plus quàm decem dies abfuiſſet. Brutus auctore Plutarchò: Προσεδοκᾶτο ταῖς θέαις ἀξίαν παρὼν αὐτὸς ἃς ὤφειλε στρατηγῶν παρέχειν. *Expectabatur præſens ludos daturus, quos Prætor debebat exhibere.* videlicet ludos Apollinares. Sentiens autem multos è veteranis qui ſub Cæſare meruerant, ab eóque agros & colonias acceperant, ad inſidias ipſi ſtruendas paulatim in vrbem influere, non auſus eſt ad Vrbem accedere. Ἀλλ' ὁ δῆμος ἐθεᾶτο, μὴ παρόντος ἐκείνου ἀφειδῶς πάνυ χορηγουμένας καὶ περιττῶς. θηρία τε γὰρ πάμπολλα συνεωνημένος, ἐκέλευσεν μηδὲν ἀποδόσθαι, μηδ' ὑπολιπεῖν, ἀλλὰ πᾶσι καταχρήσασθαι. καὶ τῶν περὶ τὸν Διόνυσον τεχνιτῶν αὐτὸς εἰς Νέαν πόλιν καταβὰς ἐνέτυχεν πλείστοις. *Sed populus ſpectauit eo abſente, ipſo ſumptus liberaliter omnino & abundè ſubminiſtrante. beſtias enim plurimas cùm coemiſſet, iuſsit nullam ſeruari, ſed omnes conſumi. & ex ſcenicis artificibus plurimos Neapolim deſcendens ipſe conuenit.* Quòd autem ait hos ludos incredibili M. Bruti honore celebratos, tradit Appianus Octauianum Cæſarem his Bruti honoribus non parum obſtitiſſe. Eius verba ſunt 3. ciuilium: Θέας δὲ πλησιαζούσης, ἣν ἔμελλεν ὑπὲρ Βρούτου στρατηγοῦντος ἐπιδώσειν Γάιος Ἀντώνιος ὁ ἀδελφὸς Ἀντωνίου, καὶ τἆλλα τοῦ Βρούτου τῆς στρατηγίας ἐπιτροπεύων ἀπόντος, παρεσκευή τ' ἦν ἐς τὴν αὐτὴν δαψιλής, καὶ ἐλπὶς ἐν τῇ θέᾳ τὸν δῆμον ἐπικλασθέντα καλέσειν τοὺς ἀμφὶ Βροῦτον. ὁ δὲ Καῖσαρ ἀντιθεραπεύων τὸ πλῆθος, ὅσον ἀργύριον ἐκ τῆς πράσεως, ἀεὶ κατὰ μέρος τοῖς φυλάρχοις ἀνεδίδου νέμειν τοῖς φθάνουσι λαβεῖν. *Cùm ludi appropinquarent, quos loco Bruti Prætoris* vrbani, *editurus erat C. Antonius frater M. Antonij, qui & alia quæ ad Bruti præturam ſpectabant, adminiſtrabat, & magnificus eſſet horum ludorum apparatus, ſpéſque affulgeret fore, vt plebs his ſpectaculis delinita Brutũ in Vrbem reuocaret. Cæſar ex alia parte populum demereri ſatagens, quicquid pecuniarum ex auctione bonorum corradere potuit, ſemper minutatim principibus tribuum dabat, vt iis diuiderent qui ad accipiendum priores accederent.*

Cvr provinciæ.] De prouinciis Bruto & Caſſio datis Appianus adeatur, de bellis ciuilibus. & vide quæ dicentur infrà §. 81. Nota 7. X.

Cvr qvæstores additi.] Aliquando non vnus, ſed plures quæſtores. Plutarchus in Pompeio agens de bello piratico ipſi demandato: Ἡγεμονικοὶ δὲ καὶ στρατηγικοὶ κατελέγησαν ἀπὸ βουλῆς ἄνδρες εἰκοσιτέσσαρες, δύο δὲ ταμίαι παρῆσαν. *Viri qui imperatores prætoréſque fuerant electi ſunt è Senatu, duóque Quæſtores adfuerunt.* XI.

Cvr legatorvm nvmervs avctvs.] Honoris cauſâ auctus legatorum numerus. Vide Orat. de Prouinc. Conſularibus 28. *actum eſt de decem legatis.* Vide etiam eandem Orat. 41. XII.

AXIOMA.

Eſt atrocius patriæ parentem quàm ſuum occidere.

ARGVMENTVM.

Irridet obiectionis vanitatem, & haberi pro conſcio conſpirationis in Cæſarem non recuſat.

XXII. ITAQVE iam retexo orationem meam. Scribam ad illos, vt ſi qui fortè, quod à te mihi obiectum eſt, quærent, ſítne verum? ne cui negent. Etenim vereor ne aut celatum me, illis ipſis non honeſtum: aut inuitatum refugiſſe, mihi ſit turpiſſimum. Quæ enim res vnquam, prô ſancte Iupiter, non modò in hac vrbe, ſed in omnibus terris eſt geſta maior? quæ glorioſior? quæ commendatior hominum memoriæ ſempiternæ? In huius me conſilij ſocietatem, tanquam in equum Troianum cum principibus includi non recuſo. Ago etiam gratias, quoquo animo facis. Tanta enim res eſt, vt inuidiam iſtam, quam tu in me vis concitare, cum laude non comparem. Quid enim beatius illis, quos tu expulſos à te prædicas, & relegatos? qui locus eſt aut tam deſertus, aut tam inhumanus, qui illos, quò acceſſerint, non affari atque appetere videatur? qui homines tam agreſtes, qui ſe, cùm eos aſpexerint, non maximum cepiſſe vitæ fructum putent? quæ verò tam immemor poſteritas, quæ tam ingratæ literæ reperientur, quæ eorum gloriam non immortalitatis memoria proſequantur? Tu verò adſcribe me talem in numerum: ſed vnam rem vereor: ne non probes: ſi enim affuiſſem, non ſolùm Regem, ſed regnum etiam de Repub. ſuſtuliſſem: & ſi meus ſtylus ille fuiſſet (vt dicitur) mihi crede non ſolùm vnum actum, ſed totam fabulam confeciſſem.

EXPLANATIO.

ITAQVE.] Retracto quæ dixeram, me videlicet conſpirationis illius conſcium non fuiſſe. Videtur autem eſſe ironia, non enim ad Brutum & Caſſium ea de re ſcribere decreuerat.

ETENIM VEREOR.] Vereor ne vel illis crimini vertatur, quod me ſibi coniunctiſſimum tanta de re celarint, cùm amicorum ſecreta debeant eſſe communia: vel mihi ſit turpiſſimum propter timiditatem & ignauiam.

QVÆ COMMEND. HOM. MEM.] Legit Grutterus ex Palatinis & Mauritiano: *Quæ commendatior erit hominum memoriæ ſempiternæ.* Loquitur prius membrum de præſenti, poſterius de futuro. Ferrarius, Manutius, Lambinus vocem *erit*, abiecerant.

CVM PRINCIPIBVS INCLVDI NON RECVSO.] Idem Grutterus ex Palatinis, Lilienſi, Mauritiano legit, & ni fallor eleganter: *In huius me conſilij ſocietatem, tanquam in equum Troianum includis? non recuſo.* Malim, *cum principibus includis? non recuſo.*

BEATIVS ILLIS.] Bruto, Caſſio, cæteris, qui periculi declinandi cauſa ex vrbe ceſſerunt, cùm Antonius oratione funebri multitudinem in eos concitaſſet. Aduerte verò rationem amplificandi longè pulcherrimam, dum locis etiam deſertis ſenſum tribuit, quo Brutum & Caſſium Roma pulſos affari, appetere, & ad ſe inuitare videantur.

SED VNAM REM.] Cùm me Cæſarianæ necis accuſabis, vna res minùs probabilem reddet orationem tuam: quia ſi feciſſem conſcius ſuaſiſſem illis, vt te pariter occiderent, vt tu etiam qui poſt Cæſarem Reipub. libertatem oppreſſurus eras, de medio tollereris.

NOTÆ.

RETEXO.] Muto & corrigo. Sic epiſt. 14. lib. 11. ad familiares: *Die tuo natali victoria nuntiata in multa ſecula videbamus Rempub. liberatam. Noui timores retexunt ſuperiora.* Matius eadem epiſt. 28. *An quod adoleſcens præſtiti, cùm etiam errare cum excuſatione poſſem: id nunc ætate præcipitatâ, commutem ac me ipſe retexam?* Vbi Manutius: *Qui retexit, mutat quod iam fecit quaſi malè factum.* Naſo 1. de remedio amoris: I. Retexere.

Nec te, blande puer, nec noſtras prodimus artes,
Nec noua præteritum muſa retexit opus.

Eodem tranſlationis genere Græcis dicunt *μύθους ὑφαίνειν*, *texere verba*, ſiue orationem. Homerus Iliados γ΄. verſu 212.

Ἀλλ᾽ ὅτε δὴ μύθους καὶ μήδεα πᾶσιν ὕφαινον.
Sed cùm conſilia, & cœpiſſent texere verba:

AVT CELATVM.] Veram rationem adfert Plutarchus cur Brutus & Caſſius Ciceronem celauerint: Καὶ Κικέρωνα, inquit in Bruto, τοῦτο μὲν πίστεως, τοῦτο δὲ καὶ εὐνοίας ἕνεκα πρῶτον ὄντα παρ᾽ αὐτοῖς, ἀπεκρύψαντο, μὴ τῇ φύσει τόλμης ἐνδεὴς εἶναι, προσειληφὼς ὑπὸ χρόνου γεροντικὴν εὐλάβειαν, εἶτα πάντα καθ᾽ II.

ἕκαστον ἀνάγων τοῖς λογισμοῖς εἰς ἄκραν ἀσφάλειαν, ἀμβλύνῃ τὴν ἀκμὴν αὐτῶν τῆς προθυμίας, τάχους δεομένην. *Et Ciceronem cùm plurimùm & fidei & beneuolentiæ apud eos obtineret, celauerunt, ne quòd naturâ timidior eſſet, & ex ipſa ætate ſenilem omnia cauendi prudentiam traxiſſet, ſingula expendendo ad ſummam exigens ſecuritatem alacritatis ipſorum aciem, quæ celeritatem requirebat, hebetaret & obtunderet.* Eadem in Cicerone. Cur autem dicat vereri ſe ne celatum ſe ab ipſis, illis ſit non honeſtũ. Videri poteſt ex iis quæ diximus in Cœlianam 53. *Si tam familiaris erat Clodiæ, &c. dixit profectò quò vellet aurum.* Eleganter tamen Epictetus apud Arrianum lib. 4. cap. 13. oſtendit non eſſe indiſcriminatim amicis ſecreta committenda, etiamſi priùs illi nobis animum ſuum detexerint. Pauca delibo. Τί δ' εἰ σὺ καλῶς μοι πεπίστευκας τὰ σεαυτοῦ, σοὶ δ' οὐκ ἔστι καλῶς πιστεῦσαι, θέλεις με προπεσεῖν; οἷον εἰ πίθον εἶχον ἐγὼ στεγνὸν οὐδὲ τετρυπημένον, καὶ ἐλθὼν παρακατέθου μοι σαυτοῦ οἶνον, ἵνα βάλω εἰς τὸν ἐμὸν πίθον, εἶτ' ἠγανάκτεις ὅτι μὴ κἀγώ σοι πιστεύω τὸν ἐμαυτοῦ οἶνον. Σὺ γὰρ τετρυπημένον ἔχεις τὸν πίθον, &c. *Quid verò ſi tu mihi rectè tua credidiſti, tibi verò rectè non poſſum credere, vis me hallucinari? Quemadmodum ſi ego firmum neque perforatum dolium haberem, & tu accedens vinum apud me deponeres, quod in meum dolium infunderes, deinde indignareris quòd ego tibi viciſſim meum vinum non committerem. atqui tu dolium habes perforatũ.* vide plura in hanc ſententiam.

III. Equus Troianus, IN EQVVM TROIANVM.] Videtur hæc locutio prouerbium redolens, quod etiam notauit Chiliaſtes. In eum autem equum Troianum Græciæ principes & fortiſſimos quoſque Heroas, incluſos fuiſſe fabulantur Tryphiodorus Carmine de Troiæ excidio, Quintus Smyrnæus libro 12. Virgilius 2. Æneidos, & alij paſſim poſt magiſtrum Odyſſeæ lib. 4. vbi ita loquitur Menelaus.

Ἵππῳ ἐνὶ ξεστῷ, ἵν' ἐνήμεθα πάντες ἄριστοι
Ἀργείων.
In equo polito vbi ſedebamus omnes optimates
Græcorum. & lib. 8.
Αἶσα γὰρ ἦν ἀπολέσθαι, ἐπὴν πόλις ἀμφικαλύψῃ
Δουράτεον μέγαν ἵππον, ὅθ' εἵατο πάντες ἄριστοι
Ἀργείων Τρώεσσι φόνον καὶ κῆρα φέροντες.
Fatum erat vt caderet, poſtquam vrbs in mœnibus altis
Durateum texiſſet equum, qui clauſerat omnes
Primores Graios Troianis fata ferentes.

IV. QVO QVO ANIMO.] Quo conſilio vellet Antonius hanc Ciceroni inuidiam concitare, declaratur epiſt. 2. lib. 12. ad familiares. *Nullámque aliam ob cauſſam me auctorem fuiſſe Cæſaris interficiendi criminatur, niſi vt in me veterani incitentur.*

V. RELEGATOS.] Vide Sextianam §. 29. N. 3. §. 35. N. 3.

VI. AFFARI ATQVE APPETERE.] Ad varios motus adhibet hanc amplificandi rationem, vt Verrinâ vltimâ ad miſerationem. 170. *Si hæc non ad ciues Romanos, non ad aliquos amicos noſtræ ciuitatis, non ad eos qui populi Romani nomen audiſſent: denique ſi non ad homines, verùm ad beſtias, aut etiam, vt longiùs progrediar, ſi in aliqua deſertiſſima ſolitudine ad ſaxa & ſcopulos hæc conqueri & deplorare vellem: tamen omnia muta atque inanima tantâ, & tam indigna rerum atrocitate commouerentur.* Aut ad delectationem, vt pro Archia poëta. 19. *Saxa & ſolitudines voci reſpondent, beſtiæ ſæpe immanes cantu flectuntur.* Ad admirationem indignationi mixtam. Pro Cornelio Balbo. 13. *Vtrum enim inſcientem vultis contra fœdera fecisse, an ſcientem? Si ſcientem: O nomen noſtri imperij, &c. Vos denique mutæ regiones imploro, & ſola terrarum vltimarum. Vos maria, portus, inſulæ, littora, &c.* vide fusè. Ad obteſtationem, vt pro Milone. 86. *Vos enim Albani tumuli atque luci, vos, inquam, imploro atque obteſtor, vóſque Albanorum obrutæ aræ, Sacrorum populi Romani ſociæ & æquales, quas illa præceps amentiâ cæſis proſtratiſque ſanctiſſimis lucis, ſubſtructionum inſanis molibus oppreſſerat: Veſtræ tum aræ, veſtræ religiones valuerunt.* Hoc loco ad virtutis admirationem loca deſerta Brutum & Caſſium *affari atque appetere* dicuntur.

VITÆ FRVCTVM.] Loquendi modus familiaris Ciceroni, vt pro lege Manilia 59. de Q. Catulo. VII. Fructus. *Qui cùm ex vobis quæreret, ſi in vno Cn. Pompeio omnia poneretis, ſi quid eo factum eſſet, in quo ſpem eſſetis habituri: cepit magnum ſuæ virtutis fructum ac dignitatis, cùm omnes vnâ propè voce in eo ipſo vos ſpem habituros eſſe dixiſtis.*

NON SOLVM REGEM, SED REGNVM VIII. ETIAM.] Hoc eſt quod ſæpè queritur. vt epiſtolâ primâ ad Caſſium. *Non regno, ſed rege liberati videmur. Interfecto enim rege, regios omnes nutus tuemur. Neque verò id ſolùm, ſed etiam quæ ipſe ille, ſi viueret, non faceret, ea nos quaſi cogitata ab illo probamus: nec eius quidem rei finem video. Tabulæ figuntur. immunitates dantur: pecuniæ maximæ deſcribuntur: exules reducuntur: Senatuſconſulta falſa referuntur: vt tantummodo odium illud hominis impuri, & ſeruitutis dolor depulſus eſſe videatur: Reſpublica iaceat in iis perturbationibus, in quas eam ille coniecit.* Et epiſtola 8. libri 14. ad Atticum: *O Dij boni! viuit tyrannis: tyrannus occidit. Eius interfecti morte lætamur, cuius acta defendimus.* Vide eodem libro epiſt. 10. & 16. *Sublato enim tyranno, tyrannida manere video. Nam quæ ille facturus non fuit, ea fiunt.* vide. Innuit autem cùm Cæſare occidendum etiam fuiſſe Antonium.

SI MEVS HIC STYLVS.] Si fuiſſem poëta illius fabulæ, quam Brutus & Caſſius egerunt, IX. Fabula. &c. Fabula eſt liberatio Reip. Poëta Cicero, ſtylus conſilium, actus vnus cædes Cæſaris, reliqui quatuor actus ad abſoluendam fabulam requiſiti videntur eſſe cædes Lepidi & trium Antoniorum, quos Cicero de medio ſuſtuliſſet, quòd iis ſtantibus non poſſet ſtare reſp. Alia tranſlatione, Item expreſſit epiſtolâ ad Caſſium 4. *Vellem Idibus Martiis me ad cœnam inuitaſſes; reliquiarum nihil fuiſſet, nunc me reliquiæ veſtræ exercent, & quidem præter cæteros me.* quod repetit libro 10. ad familiares epiſtola ad Trebonium, quæ eſt decima octaua. Et ſanè, vt auctor eſt Plutarchus tum in Bruto, tum in Antonio, Cæſaris percuſſores Antonium pariter interimere decreuerant, niſi Brutus eorum conſiliis obſtitiſſet. Dio libro 43. idem de Lepido conſilium initum fuiſſe teſtatur. Quod ſpectat ad allegoriam ſimile eſt illud, apud Plutarchum in præceptis politicis dictum Iphicratis. Ῥητόρων μὲν τῶν ἀντιδίκων ὑποκριτὴς, δεξιώ-

δὲ τἐμὸν ἄμεινον. *Melior & actor aduerſariorum, at mea fabula præſtantior.* Et magis accedit etiam illud ex eodem opuſculo libatum. Οἱ γοῦν Σκιπίωνι βασκαίνοντες ὑποκριτὴν αὐτὸν ἀπεφαίνοντο τῶν πράξεων, ποιητὴν δὲ Λαίλιον τὸν ἑταῖρον. *Qui Scipioni inuidebant, eum actorem dicebant rerum à ſe geſtarum, at amicum eius Lælium poëtam.* Sed vide orationem pro Cœlio 64. *Verùm hæc tota fabella veteris & plurimarum fabularum poëtriæ, quàm eſt ſine argumento?* Pro Marcello 28. *Hæc igitur tibi reliqua pars eſt: hic reſtat actus,* &c. De ſtylo nonnihil in Vatinium 5. §. opinor, cùm de codicibus & tabellis ageremus. Addit verbum ambiguum de induſtriâ *confeciſſem.* quod non ſolùm eſt abſoluere, ſed etiam occidere. Confici propriè dicebantur beſtiæ, cùm in theatro multis ictibus necabantur. Hinc beſtiarij *confectores* Suetonio & veteribus gloſſis, aut etiam *confectuarij*, & *confici*, vt pro Sextio iam oſtendimus. Vide Scaligerum ad illos verſus Manilij lib. 4. aſtronomicωn. Confici.

Sed pecorum membris media graſſentur in vrbe,
Et laceros artus ſuſpendant fronte tabernæ,
Luxuriæque parent cædē, mortéſque lucrentur.

ARGVMENTVM.

Poſtquam crimen Cæſarianæ necis à ſe depulit, illud ipſum in Antonium retorquet, probabilioribus argumentis quàm quæ ille obiecerat.

XXIII. QVANQVAM ſi interfici Cæſarem voluiſſe, crimen eſt, vide quæſo, Antoni, quid tibi futurum ſit, quem & Narbone hoc conſilium cum C. Trebonio cepiſſe notiſſimum eſt: & ob eius conſilij ſocietatem, cùm interficeretur Cæſar, tum te à Trebonio vidimus ſeuocari. Ego autem (vide quàm tecum agam non inimicè) quòd bene cogitaſti aliquando, laudo: quòd non indicaſti, gratias ago: quòd non feciſti, ignoſco: virum res illa quærebat. Quòd ſi te in iudicium quis adducat, vſurpétque illud Caſſianum, *Cui bono fuerit*, vide quæſo, ne hæreas: quanquam illud quidem fuit (vt tu dicebas) omnibus bono, qui vni ſeruire nolebant: tibi tamen præcipuè, qui non modò non ſeruis, ſed etiam regnas: qui maximo te ære alieno ad ædem Opis liberauiſti: qui per eaſdem tabulas innumerabilem pecuniam diſſipauiſti, ad quem è domo Cæſaris tam multa delata ſunt: cuius domus quæſtuoſiſſima eſt falſorum commentariorum & chirographorum officina: agrorum, oppidorum, immunitatum, vectigalium flagitioſiſſimæ nundinæ. Etenim quæ res egeſtati, & æri tuo alieno præter mortem Cæſaris ſubuenire potuiſſet? Neſcio quid conturbatus eſſe videris: nunquid ſubtimes, ne ad te hoc crimen pertinere videatur? libero te metu: nemo credet vnquam: non eſt tuum de Rep. bene mereri: habet iſtius pulcherrimi facti clariſſimos viros reſp. auctores. Ego te dico tantum gaudere: feciſſe non arguo. Reſpondi maximis criminibus: nunc etiam reliquis reſpondendum eſt.

EXPLANATIO.

QVANQVAM.] Antonius cùm Cæſari ex Hiſpania redeunti victis Pompeij liberis, Narbonem vſque obuiam progreſſus comitem habuit & contubernalem C. Trebonium. iſque obliquè necandi Cęſaris mentionem iniecit. Antonius Trebonij conſilio non acquieuit ille quidem, ſed fideliter rem ſilentio ſuppreſſit, ne ad aures Cæſaris manaret. Cicero rem aliter interpretatus contendit, Antonio necandi Cæſaris voluntatem adfuiſſe, ſed audaciam defuiſſe, & argumentatur ab antecedentibus.

Si crimen eſt voluiſſe interfici, puniendus is qui de necando Cæſare cogitauit.

Sed Antonius de necando Cæſare iam olim cogitauit.

Ergo puniendus.

Alterum argumentum à comitantibus.

Qui ob conſilij de nece Cæſaris ante ſuſcepti ſocietatem, cùm Cæſar occideretur, ſeuocatus eſt ab illo ipſo quocum id conſilium inierat, is Cæſarem voluit interfici.

Sed ob huius conſilij ſocietatem cùm Cæſar occideretur, vidimus à Trebonio ſeuocari.

Ergo voluiſti Cæſarem interfici.

Quæ argumenta etſi per ſe infirma ſunt, tamen confidentiâ oratoris firmiora redduntur, dum ait id eſſe notiſſimum.

QVOD SI.] Tertium argumentum à conſequentibus.

Cui bono fuit cædes Cæſaris, is Cæſarem voluit interfici.

Sed tibi bono fuit cædes Cæſaris.

Ergo voluiſti Cæſarem interfici.

ILLVD CASSIANVM.] Propoſitionem

ſuperioris ſyllogiſmi probat auctoritate L. Caſſij, de quo Pedianus in Milonianam 32. Qui cùm de homine occiſo quæreretur, quærebat cui bono fuiſſet perire eum, de cuius nece quæreretur, & eum cædis auctorem fuiſſe iudicabat cui plurimũ vtilitatis illa nex attuliſſet. vide locum citatum Milonianæ.

Qvi vni servire nolebant.] Gruterus vocem *vni* tanquam aduentitiam explodit, quod neque in Palatinis, aut Mauritiana, Colonienſi, aut Ferrarij membranis appareat.

Maximo te ære alieno.] Infrà 78. *Totum quadringenties HS, quòd Idibus Martiis debuiſti ante Calendas Aprilis debere deſiſti.* Ære videlicet alieno, pecuniis quæ ad ædem Opis ſeruabantur, perſoluto.

Qvi per easdem.] Ibidem 78. *Vbi eſt ſepties millies ſeſtertiûm, quod in tabulis quæ ſunt ad Opis patebat?* Quanta autem vtraque ſumma fuerit, ſuo loco dicetur. Eam autem pecuniam dicitur per eaſdem tabulas diſſipaſſe, quia tabulas adulterauerat, ne furtum illud extaret.

E domo Cæsaris.] Poſt Cæſaris necem Calpurnia Cæſaris coniux, verita ne vel Cæſaris percuſſores, vel etiam Senatus inuaderet, ingentem pecuniæ vim è domo Cæſaris prolatam, id eſt tria circiter talentûm millia depoſuit apud Antonium. Et in his Cæſaris commentarios, in quibus ipſius manu notata erant, quæ Cæſar facere decreuerat. Interim cùm Senatus nihil de Cæſaris actis mutandum cenſuiſſet, Antonius hanc occaſionem rapiens Cæſaris commentarios adulterauit, & agros, immunitates, vectigalia ciuitatibus conceſſit, nihílque non vendidit cuius inuenit emptorem. Atque hæc enumeratio probatio eſt aſſumptionis quam attulimus ſuperiore ſyllogiſmo.

Nescio qvid.] Feſtiua compellatio, & quaſi quædam conſolatio Antonij, quem fingit ſe omni metu liberare. Reuera tamen magis pungit, magíſque in odium adducit, quàm ſi reuera eum illius facti conſcium fuiſſe oſtenderet.

Respondi.] Tranſitio & ſeparatio dictorum à dicendis.

NOTÆ.

I. Hoc consilivm.] Ita rem narrat Plutarchus in Antonio. Καὶ τῶν φίλων τοὺς πιστοὺς καταλέγοντες ἐπὶ τὴν πρᾶξιν, ἐσκέπτοντο περὶ τοῦ Ἀντωνίου. τῶν δ' ἄλλων προσιεμένων τὸν ἄνδρα, Τρεβώνιος ἀντεῖπεν. ἔφη γὰρ ὑφ' ὃν χρόνον ἀπήντων ἐξ Ἰβηρίας ἐπανιόντι Καίσαρι, τοῦ Ἀντωνίου συσκηνοῦντος αὐτῷ καὶ συνοδεύοντος, ἅψασθαι τῆς γνώμης ἀτρέμα πως καὶ μετ' εὐλαβείας· τὸν δὲ νοῆσαι μέν, οὐ δέξασθαι δὲ τὴν πεῖραν, οὐ μὴν οὐδὲ πρὸς Καίσαρα κατειπεῖν, ἀλλὰ πιστῶς κατασιωπῆσαι τὸν λόγον. *Et cùm ex amicis fideliſſimum quemque ad id negotium eligerent, deliberabant circa Antonium. Cúmque cæteri vellent eum in conſilij ſocietatem admittere, repugnauit Trebonius. Dicebat enim quo tempore Cæſari ex Hiſpaniâ redeunti obuiam ierunt, ſibi comitem & contubernalem fuiſſe M. Antonium, cuius animum cùm ipſe pedetentim, & cautè experiri voluiſſet, Antonium aiebat ſenſiſſe quidem quorſum ea dicerentur, id tamen facinus aggredi noluiſſe, ſed nihilo ſeciùs fideliter tacuiſſe, neque inſidias ad Cæſarem detuliſſe.* Narbo autem eſt vrbs Galliæ, vnde & Gallia Narbonenſis, de qua Strabo lib. 2. ὁ καλούμενος Γαλατικὸς κόλπος ἀναχεῖται, καὶ ἐν αὐτῷ Μασσαλία τε καὶ Νάρβων ἵδρυνται πόλεις ἐπιφανέσταται. *Gallicus ſinus expanditur, in quo ſitæ ſunt duæ illuſtriſſimæ vrbes, Maſſilia & Narbo.* Et lib. 3. ἡ μὲν οὖν Νάρβων ὑπέρκειται τῶν τοῦ Ἄτακος ἐκβολῶν, καὶ τῆς λίμνης τῆς Ναρβωνίτιδος, μέγιστον ἐμπόριον ταύτῃ. *Narbo ſupra Atacis fluuij oſtia & lacum Narbonenſem ſitus eſt, maximum eorum qui ibi locorum ſunt emporium.* Colonia fuit populi Romani à Craſſo oratore deducta. Cicero in Bruto. *Voluit adoleſcens in Colonia Narbonenſi, cauſſæ popularis aliquid attingere, eámque coloniam, vt fecit, ipſe deducere.* Vide Auſonium in vrbium encomiis,

Nec tu Marcie Narbo ſilebere.

Te a Trebonio vidimvs sevocari.] Plutarchus tamen in Cæſare. Ἀντώνιον μὲν οὖν πιστὸν ὄντα Καίσαρι, καὶ ῥωμαλέον ἔξω παρακατεῖχε Βροῦτος Ἀλβῖνος ἐμβαλὼν ἐπίτηδες ὁμιλίαν μῆκος ἔχουσαν. *Antonium qui & Cæſari fidelis erat & robuſtus, extra curiam detinuit Brutus Albinus iniiciens ſermonem datâ operâ longiorem.* Sed Plutarcho Plutarchum opponimus. Τρεβώνιος δέ, inquit in Bruto, περὶ τὰς θύρας Ἀντώνιον ἐπισπασάμενος, καὶ προσομιλῶν ἔξω κατέσχεν. *At Trebonius Antonium circa curiæ ianuam ſeductum inſecto ſermone foris detinuit.* Cui conceptis verbis adſtipulatur etiam Dio lib. 43. & Noſter lib. 10. ad familiares ep. 28. quæ eſt ad ipſum Trebonium. *Quòd verò à te viro optimo ſeductus eſt, tuóque beneficio adhuc viuit hæc peſtis, interdum, quod vix mihi fas eſt, tibi ſubiraſcor.* Idem Philipp. 13. II.

Virvm.] Fortem & generoſum, vt fusè diximus pro Milone. adi. Homerus, III. Vir.

Ἀνέρες ἔστε φίλοι, καὶ αἰδῶ θέσθ' ἐνὶ θυμῷ.

Eſte viri comites, animúmque ornate pudore.

Noſter 2. de Diuinat. ex eodem.

Ferte viri, & duros animo tolerate labores.

Ridebitur fortaſſe quod addam: ſed addam, vel vt rideatur, Maiores noſtros, partâ inſigni victoriâ, barbam auream prolixam ſibi finxiſſe, opinor, vt hoc indicio ſe viros fuiſſe oſtenderent. Franciſcus Belcarius Pequillio commentario rerum Gallicarum tertio. *Caroli Burgundionis corpus compoſitum, multis comitantibus Lotharingus Renatus pullatus, barbâ aureâ ad pubem propè demiſſâ, veterum Heroum more, equitúmque, quos Preiſos, quaſi magnis rebus geſtis probatos, noſtri appellant, qui barbam huiuſmodi, parta memorabili victoriâ, geſtaſſe produntur, inuiſit: manúque ſub vmbellam immiſſâ, manum iacentis prehendens: Multa nobis, inquit, damna viuus importaſti, mortui immortalem animam Deus Opt. Max. vt ad ſe recipiat, precamur.* Veteres Galli barbam auream gerebãt parta victoria.

Illvd Cassianvm.] Vide Milonianam 32. *Itaque illud Caſſianum,* cvi bono fverit, *in his perſonis valeat.* quo loco plura de L. Caſſij ſeueritate. IV.

Ad ædem Opis.] Ops eſt Terra, vt ait Varro lib. 4. de lingua Latina. *Terra Ops, quod hic omne opus, & hac opus ad viuendum: & ideò dicitur Ops mater quod terra nutriat.* Paulò pòſt: *Sabinorum linguam olent quæ Tatij Regis voto ſunt Romæ dedicata. Nam, vt annales dicunt, vouit Opi Floræque.* Eius feſtiuitas tertio poſt Saturnalia die celebrata. Idem libro 5. *Saturnalia dicta ab Saturno, quòd eo die feriæ eius, & poſt* V. Ops terra.

diem tertium Opalia Opis. Hanc Deam Tellurem, Dindymenem, matrem Idæam, Berecinthiam, Magnam Matrem, Matrem Deorum, aliis etiam nominibus vocitabant. De qua pluribus agit Lucretius lib. 2. & ita concludit.

Hîc ſi quis mare Neptunum, Cereremque vocare
Conſtituet fruges, & Bacchi nomine abuti
Mauolt, quàm laticis proprium proferre vocamen:
Concedamus vt hic terrarum dictitet orbem
Eſſe Deûm matrem, dum re non ſit tamen ipſe.

Varia nomina Telluris.

Et quidem ſub variis nominibus ei Deæ varia templa Romæ fuerunt dedicata. Sub nomine Opis ædem habuit in Capitolio. Liuius libro 39. *Ædes Opis in Capitolio de cœlo tacta erat.* Fuit & alia Opi & Saturno communis, vt notat Victor Octaua regione. *Ædes Opis & Saturni in vico iugario.* De qua Pomponius Lætus libello de antiquitatibus vrbis Romæ. *Sub Capitolio eſt parua Eccleſia diruta, quæ imminet hoſpitali S. Mariæ de porticu, ibi fuit templum Saturni & Opis eius vxoris, in quo templo fuit ærarium populi Romani.* At Marlianus libro 2. cap. 4. Saturni templum agnoſcit. *In eo loco vbi nunc Sancti Saluatoris ſacellum eſt. Vbi adhuc hodie turris apparet, quam vocant in ærario, & illic omnium primum fuit ærarium publicum pop. Rom.* Quare dubitari meritò poſſit, vtram ædem Opis dicere voluerit Orator. Credat aliquis illam in Capitolio, quòd nudè ædem Opis appellet, nulla Saturni factâ mentione. Probabilius tamen hæc verba de æde Opis & Saturni capientur, quòd ibi fuerit publicum ærarium, ex quo Antonius ſepties millies auertit.

Varia Opis templa.

VI. FLAGITIOSISSIMÆ.] Quid ſit flagitium, vide in Piſonem §. 12. Nota 4. & pro Milone §. 14. *Nihil enim neceſſe eſt omnium flagitia proferre.*

VII. NVNDINÆ.] Dionyſius Halicarnaſſ. lib. 7. Αἱ δ' ἀγοραὶ Ῥωμαίοις ἐγίγνοντο, ὡς καὶ μέχρι τῶν καθ' ἡμᾶς χρόνων, δι' ἡμέρας ἐνάτης· ἐν αἷς ταύταις συνιόντες ἐκ τῶν ἀγρῶν οἱ δημοτικοὶ εἰς τὴν πόλιν, τάς τ' ἀμείψεις ἐποιοῦντο τῶν ὠνίων, καὶ τὰς δίκας παρ' ἀλλήλων ἐλάμβανον, τά τε κοινὰ ὅσων ἦσαν κύριοι κατὰ τοὺς νόμους, καὶ ὅσα ἡ βουλὴ ἐπιτρέψειεν αὐτοῖς, ψῆφον ἀναλαμβάνοντες ἐπεκύρουν· τὰς δὲ μεταξὺ τῶν ἀγορῶν ἑπτὰ ἡμέρας αὐτουργοί τε ὄντες οἱ πολλοὶ καὶ πένητες, ἐν ἀγροῖς διέτριβον. *Nundinæ autem Romæ nono quoque die celebrabantur, vt nunc etiam. Iis nundinis plebs agreſtis in vrbem confluebat, venaliáque permutabat, & iure inter ſe agebat, & ſuffragia ferebat de negotiis publicis, de quibus vel leges ei permitterent arbitrium, vel Senatus ad eam referret: reliquis ſeptem diebus intermediis ruri degebant, quòd magna pars ob paupertatem operarentur ſuis manibus.* Quod ait de ſuffragio, refragantur Feſtus & Plinius lib. 18. cap. 3. hic: *Comitia nundinis haberi non licebat, ne plebs ruſtica auocaretur.* ille: *Nundinas feriatum diem eſſe voluerunt antiqui, vt ruſtici conuenirent, mercandi vendendíque cauſſa: eúmque nefaſtum, ne ſi liceret cum populo agi, interpellarentur nundinatores.* Macrobius lib. 10. Saturn. cap. 16. auctores ita conciliat auctoritate C. Liciniani. *Ait nundinas Iouis ferias eſſe: ſiquidem flaminica omnibus nundinis in Regia Ioui arietem ſoleat immolare; ſed lege Hortenſia effectum, vt faſtæ eſſent, vti ruſtici, qui nundinandi cauſſa in vrbem veniebant, lites componerent. Nefaſto enim die Prætori fari non licebat. Ergo qui ferias dicunt, à mendacio vindicantur, patrocinio vetuſtatis: qui contrà ſentiunt, æſtimata ætatis, quæ legem ſequuta eſt, vera depromunt.* Subdit: *Rutilius ſcribit Romanos inſtituiſſe nundinas, vt octo quidem diebus in agris ruſtici opus facerent, nono autem die intermiſſo rure ad mercatum legéſque accipiendas Romam venirent: & vt ſcita atque conſulta frequentiore populo referrentur, quæ trinundino die propoſita à ſingulis atque vniuerſis facilè noſcebantur, vnde etiam mos tractus, vt leges trinundino die promulgarentur. Ea re etiam candidatis vſus fuit, in comitium nundinis venire, & in colle conſiſtere, vnde coram poſſent ab vniuerſis videri.* Sed quicquid ſit de aliis, ad rem noſtram ſatis eſt, nundinas rerum emptioni & venditioni fuiſſe deſtinatas, vnde & hoc loco nundinæ pro venditione ponuntur, quod ſæpè videbis apud Ciceronē, Miſitheus epiſtola quadam ad Gordianum tertium, quæ à Iulio Capitolino refertur. *Qui pepulerit homines per quos antea velut in auctione poſitus nundinatus eſt.* id eſt venditus. Reſcribit enim in hæc verba Gordianus. *Niſi Dij omnipotentes Romanum tuerentur imperium, etiam nunc per emptos ſpadones velut in haſta poſiti venderemur.* Ammianus libro 14. *Batne, municipium, &c. refertum mercatoribus opulentis: vbi annua ſolennitate prope Septembris menſis initium ad nundinas magna promiſcuæ fortunæ conuenit multitudo, ad commercanda quæ Indi mittunt & Seres, aliáque plurima vehi terra maríque conſueta.* Ad hunc mercatum etiam ſpectant illa Plinij lib. 28. cap. 1. *Vngues reſecari nundinis Romanis tacenti atque à digito indice multorum pecuniæ religioſum eſt.* lego: *à digito tacenti atque indice.* vt digitus pollici proximus dictus ſit index, quòd eo intento res præſens indicatur, & tacens quòd eo labiis admoto ſilẽtium indicitur. Atque hæc quidem ſatis ſupérque Ciceroni. Addamus tamen obiter religioſum fuiſſe, ſi quãdo nundinæ in Calendas Ianuarias incidiſſent. Dio libro 40. ad annum ab Vrbe condita 701. καὶ ἡ ἀγορὰ ἡ διὰ τῶν ἐννέα ἀεὶ ἡμερῶν ἀγομένη ἐν αὐτῇ τῇ τοῦ Ἰανουαρίου νουμηνίᾳ ἤχθη, καὶ τοῦτό τ' αὐτούς, ὡς οὐκ ἀπὸ ταυτομάτου συμβάν, ἀλλ' ἐν τέρατος λόγῳ γενόμενον, ἐθορύβει. *Nundinæ, quæ nono quoque die celebrabantur, ipſis Calendis Ianuariis actæ ſunt. Idque quaſi non forte fortuna accidiſſet, ſed prodigij rationem haberet, Romanos exterruit.* Et eam ob rem anno 714. vt ipſe narrat lib. 48. ἡμέρα ἐμβόλιμος παρὰ τὰ καθεστηκότα ἐνεβλήθη, ἵνα μὴ ἡ νουμηνία τοῦ ἐχομένου ἔτους τὴν ἀγορὰν τὴν διὰ τῶν ἐννέα ἡμερῶν ἀγομένην λάβῃ, ὅπερ ἀπὸ τοῦ πάνυ ἀρχαίου σφόδρα ἐφυλάσσετο, καὶ ὅτι αὖθις ἀφῃρέθη, ὅπως ὁ χρόνος κατὰ τὰ τῷ Καίσαρι τῷ προτέρῳ δόξαντα συμβῇ. *Dies vna intercalata præter conſuetudinem, ne Calendis Ianuariis inſequentis anni nundinæ eſſent (id enim antiquitus diligentiſſimè curatum eſt) ac deinde alia exempta dies, vt tempus ad Iulij Cæſaris ordinationem conueniret.* His quidem Cicero carere potuerat, quia tamen ſemel diffluere cœpi, habe & hanc mantiſam ſiue abituarium ex Seneca epiſt. 86. *Imò ſi ſcias, non quotidie lauabantur. nam vt aiunt qui priſcos mores Vrbis tradiderunt, brachia & crura quotidie abluebant, quæ ſcilicet ſordes opere collegerant, cæterum toti nundinis lauabantur.*

Nundinæ.

Faſtæne fuerint an nefaſtæ?

Trinundinũ.

Nundinæ dicuntur emptiones & venditiones.

Religioſum fuit vngues reſecari nundinis.

Item religioſum ſi nundinæ in Cal. Ianuarias incidiſſent.

Nundinis lauabantur.

ÆRI TVO ALIENO.] Vide quæ dicemus infrà §. 35. N. 1. *Æs alienum filij.* Seneca 5. de

beneficiis cap. 14. *Æs alienum babere dicitur, & qui aureos debet, & qui corium forma publica percuſſum, quale apud Lacedamonios fuit, quod vſum numeratæ pecuniæ præſtat.* Quia nimirum pecunia omnis olim ærea fuit, inquit Lipſius. vox igitur retenta, etſi argentum & aurum ſucceſſit. Plinius libro 33. cap. 3. *Seruius Rex primus ſignauit æs. antea rudi vſos Romæ Timæus tradit. ſignatum eſt nota pecudum, vnde & pecunia appellata.*

ARGVMENTVM.

Confutatis criminibus quæ petebantur à perſona Cæſaris, nunc ea confutat quæ ducuntur à perſona Pompeij, & primò quidem cauſſam refert illius mœſtitiæ quam bello ciuili, præ ſe tulerat in caſtris Cn. Pompeij.

CASTRA mihi Pompeij, atque omne illud tempus obiecisti; quo XXIV. quidem tempore, ſi (vt dixi) meum conſilium auctoritáſque valuiſſet, tu hodie egeres, nos liberi eſſemus, Reſp. non tot duces & exercitus amiſiſſet. Fateor enim me, cùm ea quæ acciderunt, præuiderem futura, tanta in mœſtitia fuiſſe, quanta cæteri optimi ciues, ſi idem præuidiſſent, fuiſſent. Dolebam, P.C. Rempub. quondam veſtris meíſque conſiliis conſeruatam, breui tempore eſſe perituram. Neque verò eram tam indoctus ignarúſque rerum, vt frangerer animo, propter vitæ cupiditatem: quæ me manens conficeret angoribus: dimiſſa, moleſtiis omnibus liberaret. Illos ego præſtantiſſimos viros, lumina Reip. videre volebam, tot Conſulares, tot Prætorios. tot honeſtiſsimos Senatores: omnem prætereà florem nobilitatis ac iuuentutis, tum optimorum ciuium exercitus: qui ſi viuerent, quamuis iniqua conditione pacis (mihi enim omnis pax cum ciuibus bello ciuili vtilior videbatur) Rempublicam hodie teneremus. Quæ ſententia ſi valuiſſet, ac non ij maximè, quorum ego vitæ conſulebam, ſpe victoriæ elati obſtitiſſent, vt alia omittam, tu certè nunquam in hoc ordine, vel potius nunquam in hac vrbe manſiſſes.

EXPLANATIO.

CASTRA.] Obiectio Antonij, quam inuidioſè exponit de induſtria. quaſi nihil aliud obieciſſet Antonius quàm caſtra Pompeij, ac proinde omnes alios eo crimine comprehenderet, qui auſpiciis Pompeij militauerant.

SI VT DIXI.] Suprà 17. *Hæc mea, M. Antoni, ſemper & de Pompeio & de Rep. conſilia fuerunt, quæ ſi valuiſſent, Reſp. ſtaret, tu tuis flagitiis, egeſtate, infamiâ concidiſſes.*

NON TOT DVCES.] Duos Pompeios, & P. Scipionem, qui cùm Imperatores eſſent, ſuíſq; auſpiciis rem gererent, bello ciuili variis caſibus ceciderunt. Præter Luc. Domitium, Afranium, Catonem & alios de medio ſublatos.

TOT EXERCITVS.] Tres, quorum vnus in Theſſalia apud Pharſalum, alter in Africa apud Thapſum, tertius in Hiſpania apud Mundam deletus eſt. Primus Imperatorē habuit Cn. Pompeium, ſecundus P. Scipionem, tertius Cneium & Sextum liberos Pompeij.

FATEOR ENIM.] Obiectum crimen mœroris agnoſcit, ita tamen vt ſe bonorum omniū auctoritate ſenſúque tueantur, qui in eadem mœſtitia futuri fuerant, ſi idem præuidiſſent, quod ipſe præuidebat. In quo non ſolùm parem cum cæteris bonis ſuam cauſam facit, quod plus habuerit prudentiæ.

DOLEBAM.] Reddit mœſtitiæ ſuæ rationem, quia videbat bello ciuili Remp. breui tempore perituram eſſe, quam olim Conſul cum Senatu ſeruauerat ab inſidiis Catilinæ.

NEQVE VERÒ.] Remouet alteram doloris ſui rationem, quaſi non amore Reip. ſed mortis metu & vitæ cupiditate mœſtus fuiſſet, allatis rationibus quæ ipſum ad mortis contemptum inducere potuerant.

ILLOS EGO.] Ab enumeratione omnium ordinum, oſtendit quantum ex eorum interitu Reſp. vulnus acceperit, & quantopere dolendum fuerit Remp. in illud deductam eſſe diſcrimen. Florem appellat nobilitatis & iuuentutis quia omnes propemodum nobiles adoleſcentes, præter paucos qui ſe Cæſari coniunxerant, fuerunt in caſtris Pompeij.

QVÆ SENTENTIA.] Si admiſſæ fuiſſent conditiones quas Cæſar proponebat, ſi Pompeius iuiſſet in Hiſpaniam, & vterque dimiſiſſet exercitum. vide epiſtolam vndecimam ad Tironem.

II MAXIME.] Cn. Domitium, C. Lentulum, & alios principes ciuitatis Cæſaris inimicos intelligit, qui ſpe victoriæ elati pugnare cupiebant, & omnes conditiones pacis à Cæſare propoſitas reſpuebant.

NOTÆ.

I. CASTRA.] Plutarchus in Cicerone tradit, μέγα μηδὲν αὐτῷ χρῆσθαι Πομπήϊον. *Pompeium nullum* Ciceroni *commiſiſſe munus alicuius momenti.* additque: Αἴτιος δ' ἦν αὐτὸς, οὐκ ἀρνούμενος μεταμέλεσθαι, φλαυρίζων δὲ τὴν τοῦ Πομπηΐου παρασκευὴν, καὶ περὶ τὰ βουλεύματα δυσκολαίνων ὑπούλως, καὶ τοῦ παρασκώπτειν τι καὶ λέγειν χάριεν εἰς τοὺς συμμάχους οὐκ ἀπεχόμενος. ἀλλ' αὐτὸς μὲν ἀγέλαστος ἀεὶ περιιὼν ἐν τῷ στρατοπέδῳ, καὶ σκυθρωπὸς, ἑτέροις δὲ παρέχων γέλωτα μηδὲν δεομένοις. *Ipſe verò cauſſa erat, non inficians pœnitere ſe quòd ſe ad Pompeium contuliſſet, vituperans omnem Pompeij apparatum, & ad eius conſilia exulcerato animo ſibi diſplicens, neque à dicteriis facetiíſque abſtinens in commilitones iaciendis: verùm cùm vultuoſus ipſe per caſtra incederet, aliis, eo nihil indigentibus riſum excitabat.*

II. PRÆVIDEREM FVTVRA.] Quàm prudenter Orator bellò ciuili futura præuiderit, fusè oſtendimus orat. pro Marcello 14. *Tantúmque apud me grati animi fidelis memoria valuit, vt nullâ non modò cupiditate, ſed ne ſpe quidem, prudens & ſciens, tanquam ad interitum ruerem voluntarium.* Adde epiſt. 4. lib. 10. ad Attic. *Præclarâ igitur conſcientiâ ſuſtentor, cùm cogito me de Republica aut meruiſſe optimè, cùm potuerim: aut certè nunquam niſi diuinè cogitaſſe: eáque ipſa tempeſtate euerſam eſſe Remp. quam ego quatuordecim annis antè proſpexerim.* Libro 7. epiſt. 5. *Pace opus eſt ex victoria cùm multa mala, tum certè tyrannis exiſtet.* Libro 10. epiſt. 5. *Regnandi contentio eſt, in qua pulſus eſt modeſtior Rex, & probior & integrior, & is qui niſi vincit nomen populi Romani deleatur neceſſe eſt: ſin autem vincit, Sullano more, exemplóque vincet.* Iam quid de interitu Pompeij prædixerit, conſtat è multis, vt lib. 8. ad Attic. epiſt. 1. *Inuitus in eam cauſſam deſcendo, in qua neque pacis, neque victoriæ ratio quæſita eſt vnquam: ſemper flagitioſæ & calamitoſæ fugæ.* Libro 11. epiſt. 6. *De Pompeij exitu mihi dubium nunquam fuit: tanta enim deſperatio rerum eius omnium regum & populorum animos occuparat, vt quocunque veniſſet, hoc putarem futurum.* Quid? quod etiam Cæſaris exitum longè antè proſpexit. Epiſt. 6. lib. 10. *Nullo enim modo poſſe video ſtare iſtum diutiùs, quin ipſe per ſe etiã languentibus nobis concidat, quippe qui florentiſſimus ac nouus ſeptem diebus ipſi illi egenti ac perditæ multitudini in odium acerbiſſimum venerit, qui duarum rerum ſimulationem tam citò amiſerit, manſuetudinis in Metello, diuitiarum in ærario.* Item: *Nos tamen hoc confirmamus illo augurio, quod diximus: nec fallit, nec aliter accidet: Corruat iſte neceſſe eſt aut per aduerſarios, aut ipſe per ſe: qui quidem ſibi eſt aduerſarius vnus acerrimus. Id ſpero viuis nobis fore: quanquam tempus eſt nos de illa perpetua iam, non de hac exigua vita cogitare: ſin quid acciderit maturiùs, haud ſanè meã multùm interfuerit, vtrùm factum videam, an futurum eſſe multo antè viderim.* Falſus eſt tamen aliquando, vt epiſtolâ vndecimâ ad Tironem. *Videtur ſi inſaniet, poſſe opprimi, modo vt vrbe ſaluâ.*

Quàm prudẽter Cicero belli ciuilis cladem præuiderit.

III. TAM IGNARVS RERVM.] In eandem ſententiam pro Sextio 47. *Tam eram rudis? tam expers conſilij, aut ingenij? nihil ipſe legendo, quærendóque cognoueram? neſciebam vitæ breuem eſſe curſum, gloriæ ſempiternum?* &c.

LVMINA REIP.] Vide Milonianam 21. *Delegit è florentiſſimis ordinibus ipſa lumina.* Nonnus lib. 41. Dionyſ. verſu 366. IV.

Υἱέες Αὐσονίων ὑπατήϊα φέγγεα Ῥώμης.

Auſoniæ ſoboles ſupremáque lumina Romæ.

FLOREM NOBILITATIS AC IVVENTVTIS.] V. Non abſimilis eſt ille loquendi modus quem tãtopere laudat Ariſtoteles 3. Rhet. cap. 10. Τῶν δὲ μεταφορῶν τεττάρων οὐσῶν, εὐδοκιμοῦσι μάλιστα αἱ κατ' ἀναλογίαν. ὥσπερ Περικλῆς ἔφη τὴν νεότητα τὴν ἀπολομένην ἐν τῷ πολέμῳ, οὕτως ἠφανίσθαι ἐκ τῆς πόλεως, ὥσπερ εἴ τις τὸ ἔαρ ἐκ τοῦ ἐνιαυτοῦ ἐξέλοι. *Cùm tranſlationum genera ſint quatuor, pulcherrimæ ſunt quæ ex proportione ducuntur. Vt Pericles dicebat de iuuentute bello extincta, eam diſparuiſſe ex vrbe, vt ſi quis ver ex anno demeret.*

CONDITIONE PACIS.] De conditionibus quas proponebat Cæſar iam dictum. ex epiſt. 11. ad Tironem lib. 8. ad Atticum ep. 3. VI. *Quæ conditio non accipienda fuit priùs, quam relinquenda patria? Malæ conditiones erant, fateor. Sed nunquid hoc peius? At recuperabit Rempublicam. Quando? aut quid ad eam ſpem eſt parati?*

OMNIS PAX CVM CIVIBVS BELLO CIVILI VTILIOR.] VII. Herodotus octauo libro meritò laudat Athenienſes, quòd ciuilis diſcordiæ vitandæ cauſâ ceſſerint principatu, γνόντες εἰ στασιάσουσι περὶ τῆς ἡγεμονίης, ὡς ἀπολέεται ἡ Ἑλλάς. στάσις γὰρ ἔμφυλος πολέμου ὁμοφρονέοντος τοσούτῳ κάκιόν ἐστι, ὅσῳ πόλεμος εἰρήνης. *Prope compertum habentes ſi inter ſe Græci de principatu diſſiderent, fore vt Græcia funditus interiret. Seditio enim ciuilis bello quod conſpirantibus animis geritur tanto peior eſt, quanto bellum pace deterius.* Halicarnaſſ. lib. 6. antiquit. Πολέμου δὲ πολιτικοῦ κάκιον χρῆμα οὐδέν. ἐν ᾧ τὰ μὲν κρατηθέντα ἀτυχεῖ, τὰ δὲ κρατήσαντα ἀδικεῖ. καὶ πρέπει τοῖς μὲν ὑπὸ τῶν φιλτάτων ἀπόλλυσθαι, τοῖς δὲ τὰ φίλτατα διολέσαι. *Bello ciuili nihil deterius. In quo qui vincuntur, damnum habent, qui vincunt ij faciũt iniuriam. Et inde nihil lucrãtur quàm vt alij ab amiciſſimis perdantur, alij amiciſſimos perdant.* Philipp. 13. ipſo exordio. *Nec priuatos focos, nec publicas leges, nec libertatis iura chara habere poteſt, quem diſcordiæ, quem cædes ciuium, quem bellum ciuile delectat: eúmque ex numero hominum eiiciendum, ex finibus humanæ naturæ exterminandum puto.* Quam in ſententiam alibi protuliſſe mihi videor illud Neſtoris 9. Iliados:

Omnis pax bello ciuili potior.

Ἀφρήτωρ, ἀθέμιστος, ἀνέστιός ἐστιν ἐκεῖνος
Ὃς πολέμου ἔραται ἐπιδημίου ὀκρυόεντος.

Qui ciuile cupit bellum, ſine gente videtur
Eſſe mihi, ſine lege, lares nec habere paternos.

SPE VICTORIÆ ELATI.] Iam pro Marcello retulimus illud ex epiſtola 6. lib. 6. VIII. *Cauſſa belli orta eſt. Quid ego prætermiſi aut monitorum, aut querelarum, cùm vel iniquiſſimã pacem iuſtiſſimo bello anteferrem? victa eſt auctoritas mea, non tam à Pompeio (nam is monebatur) quàm ab iis qui duce Pompeio freti peropportunam & rebus domeſticis, & cupiditatibus ſuis illius belli victoriam fore putabant.* Ipſe Cæſar de Domitio, Scipione, Lentulo Spinthere, & aliis 3. de bello ciuili. *Nec quibus rationibus ſuperare poſſent, ſed quemadmodum vti victoria deberent, cogitabant.*

Pompeiani ſpe victoriæ elati.

TV NVNQVAM IN HOC ORDINE.] Μείωσις qua ingens Reip. felicitas verbis tenuibus explicatur. IX.

μείωσις.

catur. Figura Homero vel imprimis vſitata. vt Odyſſ. 3.

Τῷ κέν τις κείνων γε καὶ ἐκλελάθοιτο γάμοιο.
Sic thalami iſtorum capiant obliuia quendam.

Id eſt interficiantur omnes proci, qui Penelopes nuptias ambitioſè petunt. & lib. 14.

Ἀλλὰ τά γ᾽ οὐκ ὀΐω πρὶν καί τινα γαῖα καθέξει
Ἀνδρῶν μνηστήρων οἵ τοι βίοτον κατέδουσιν.
Non hæc euentura reor, verùm antè procorum
Quendam condet humus tua qui patrimonia mandunt.

Id eſt priuſquam omnes proci internecione deleantur. Huc etiam quadrare poſſit, & ille loquendi modus vndecimo Iliados, verſu 160.

-- οἱ δ᾽ ἐπὶ γαίῃ
Κείατο γύπεσσιν πολὺ φίλτεροι ἢ ἀλόχοισιν.
--tellure iacebant.
Quo magis optabat vultur quàm fœmina pacto.

Et illud Odyſſ. 1. de Cyclope,

Οὐδ᾽ ἄρ᾽ ἔμελλ᾽ ἑτάροισι φανεὶς ἐρατεινὸς ἔσεσθαι.

Quod Virgilius voluit imitari.

Nec viſu facilis, nec dictu affabilis vlli.

AXIOMATA.

Non eſt quòd frangamur animo propter vitæ cupiditatem, quæ nos manens conficeret angoribus, demiſſa moleſtiis omnibus liberaret.

Omnis pax cum ciuibus bello ciuili vtilior.

Sæpe nobis obſtant ij ipſi, quorum commodis & ſaluti conſulimus.

ARGVMENTVM.

Confutat quod obiecerat Antonius Pompeij voluntatem bello ciuili alienatam fuiſſe à Cicerone culpâ ipſius Ciceronis, qui ſuis dicteriis inceſſebat Pompeium, & oſtendebat eius omnia conſilia ſibi diſplicere.

AT verò Cn. Pompeij voluntatem à me abalienabat oratio mea. An ille quenquam plus dilexit? cùm vllo aut ſermones, aut conſilia contulit ſæpius? quòd quidem erat magnum, de ſumma Repub. diſſentientes, in eadem conſuetudine amicitiæ permanere: ſed & ego, quid ille, & contra ille, quid ego ſentirem & ſpectarem, videbat. Ego incolumitati ciuium primùm, vt poſteà dignitati poſſemus, ille præſenti dignitati potiùs conſulebat. quod autem habebat vterque quid ſequeretur, idcircò tolerabilior erat noſtra diſſenſio. Quid verò ille ſingularis vir ac penè diuinus de me ſenſerit, ſciunt qui eum de Pharſalica fuga Paphum perſecuti ſunt, nunquam ab eo mentio de me niſi honorifica, niſi plena amiciſſimi deſiderij: cùm me vidiſſe plus fateretur, ſe ſperaſſe meliora. & eius viri nomine me inſectari audes, cuius me amicum, te ſectorem eſſe fateare? Sed omittatur bellum illud, in quo tu nimium felix fuiſti. XXV.

EXPLANATIO.

AT VERÒ.] Obiectio Antonij.

AN ILLE.] Confutatio Ciceronis à contrario.

Non alienatus eſt à me qui me plus cæteris dilexit.
Sed Pompeius plus me quàm cæteros dilexit.
Ergo non eſt alienatus à me Pompeius.

CVM VLLO.] Aſſumptio probatur ab effectu, ſiue conſequenti.

Is plus quàm cæteri diligitur quo cum ſermones & conſilia ſæpius quàm cum cæteris conferuntur.
Sed Pompeius mecum ſæpius ſermones, & conſilia ſua contulit quàm cum cæteris.
Ergo plus me quàm cæteros dilexit.

QVOD QVIDEM.] Amplificat ſuam & Pompeij concordiam in amicitia, cùm opinionibus inter ſe diſſiderent.

SED ET EGO.] Reddit rationem ſuæ concordiæ.

Cùm habet vterque quod ſequatur non diſſident affectu, qui conſiliis diſſentiunt.
Sed habebat vterque noſtrûm quod ſequeretur.

EGO.] Exponit quid vterque ſpectarit. Ego vel iniuſtis conditionibus cum Cæſare pacem iniri cupiebam, ſperans fore vt ſi præſens periculum declinauiſſet. Reſp. paulò pòſt recuperaret priſtinam dignitatem. Pompeius malebat ad præſens conſulere dignitati, nec vllas iniquas conditiones & maieſtati pop. Romani indignas volebat admittere.

QVID VERÒ ILLE CONSVLARIS VIR.] Minùs eſt *conſularis* quàm vt hæc vox poſſit huic loco conuenire. legunt alij *ſingularis vir*, quod placet. Probat autem ab effectu, vel potiùs à repugnanti.

Honorificè de me loquebatur.
Ergo non erat alienatus.

SCIVNT QVI.] Faonium intelligit, & alios de quibus in Notis. Pugnâ Pharſalicâ, cùm iam eius caſtra miles Cæſarianus inuaderet fugâ elapſus eſt Quod ait eum fugientem ad vrbem Paphum nauigium appuliſſe, credat aliquis eſſe *μνημονικὸν ἁμάρτημα*. Siquidem vt Dio, Plutarchus, Lucanus, & alij tradût ad Inſulam Leſbum iuxta Mitylenem appulſus eſt, vt inde Corneliam vxorem abduceret. quamuis cùm etiam Cypro nauem applicuerit, nihil videtur nouandum.

CVM ME VIDISSE PLVS.] Me prudentiorem fuiſſe in præuidendis malis quæ nata ſunt è bellis ciuilibus: ſe autem ſperauiſſe victoriam.

ET EIVS.] Epiphonema, ſector Pompeij fuit Antonius, quia vt infrà 54. dicetur. *Bona Cn. Pompeij Magni voci acerbiſſimæ ſubiecta præconis. Expectantibus omnibus, quiſnam eſſet tam*

impius, tam demens, tam Diis hominibúſque hoſtis, qui ad illud ſcelus ſectionis auderet accedere, inuentus eſt nemo præter Antonium.

NOTÆ.

I. AT VERÒ.] Macrobius libro 2. Saturnaliorum cap. 3. *Pompeius Ciceronis facetiarum impatiens fuit. Cuius hæc de eo dicta ferebantur. Ego verò quem fugiam habeo, quem ſequar non habeo.* Paulò pòſt: *Et cùm donaſſet Pompeius transfugam ciuitate Romanâ. O hominem bellum! inquit, Gallis ciuitatem promittit alienam, qui nobis noſtram non poteſt reddere. Propter quæ meritò videbatur dixiſſe Pompeius: Cupio ad hoſtes Cicero tranſeat, vt nos timeat.* Plura eius dicta referemus, cùm de iocis diſſeretur. Dictum verò Pompeij elegantius ponitur apud Fabium libro 6. cap. 4. *Tranſi ad Cæſarem, me timebis.*

II. CVM VLLO AVT SERMONES AVT CONSILIA.] Ennius Annali ſeptimo laudatus à Gellio cap. 4. lib. 12. noct. Attic.

Amicus.

Hocce locutu' vocat qui cùm bene ſæpe libenter
Menſam, ſermonéſque ſuos, rerúmque ſuarum
Comiter impertit, magnâ cum lapſa dies iam
Parte fuiſſet, de paruis ſummíſque gerendis
Conſilio, endo foro lato, ſanctóque Senatu:
Cui res audacter magnas paruáſque, iocúmque
Eloqueret, quæ tincta malis, & quæ bona dictu
Euomeret, ſi quid vellet, tutóque locaret:
Quo cum multa volup, ac gaudia, clámque palámque.

III. INCOLVMITATI.] Pro Sextio 98. *Quid eſt igitur propoſitum his Reipub. gubernatoribus, quod intueri & quo curſum ſuum dirigere debeant? id quod eſt præſtantiſſimum, maximéque optabile omnibus ſanis & bonis, & beatis,* CVM DIGNITATE OTIVM. Sed cùm nonnunquam otium à dignitate diſſideat, & alterutrius facienda iactura videatur, hinc magnæ dubitationes emergunt, vtrùm vtri ſit præferendum. Et quamuis notum eſt illud axioma, ſiué notio communis, quam noſter habet 3. de legibus. *Salus populi ſuprema lex eſto.* Tamen vt non minùs verè dicitur §. 100. Sextianæ, *plerumque fit vt* qui *otium volunt etiam ſine dignitate retinere, ipſi vtrumque amittant.* Halicarnaſſeus libro 6. Ἀνοίας δ' ἔργον εἶναι τῆς εὐπρεπείας ὀρεγομένοις τῆς ἀσφαλείας ὑπερορᾷν. ἀγαπητὸν μὲν γὰρ ἀμφοῖν τυγχάνειν. εἰ δ' ἐξείργοιτό τις θατέρου τὰ σωτήρια τῶν εὐπρεπεστέρων νομιστέον ἀναγκαιότερα. *Dementiæ eſt ſtudio dignitatis incolumitatem contemnere. Nam cùm optabile ſit vtrumque ſimul adipiſci, ſi alterum obtinere non valeas, ſalus eſt præferenda dignitati.*

Salus populi ſuprema lex.

IV. PAPHVM.] Paphus duplex fuit in Inſula Cypro. Strabo libro 14. Παλαιὰ Πάφος ὅσον ἐν δέκα σταδίοις ὑπὲρ τῆς θαλάσσης ἱδρυμένη ὕφορμον ἔχουσα, καὶ ἱερὸν ἀρχαῖον τῆς Παφίας Ἀφροδίτης. *Antiqua Paphus decimo à mari ſtadio condita, portum habens & vetus Paphiæ Veneris templum.* Εἶθ' ἡ Πάφος, κτίσμα Ἀγαπήνορος, καὶ λιμένα ἔχουσα, καὶ ἱερὰ εὖ κατεσκευασμένα. Δίεχει δ' πεζῇ σταδίους ἑξήκοντα τῆς πάλαι Πάφου. καὶ πανηγυρίζουσι διὰ τῆς ὁδοῦ ταύτης κατ' ἔτος ἐπὶ τὴν πάλαι Πάφον ἄνδρες ὁμοῦ γυναιξὶν ἐκ τῶν ἄλλων πόλεων συνιόντες. *Deinde Paphus ab Agapenore condita portum habens, & templa bene constructa. Diſtat à vetere Papho terreſtri itinere ſtadiorum ſexaginta: & peream viam ſolemnes pompæ ducuntur ad veterem Paphum, viris ſimul & mulieribus ex aliis vrbibus eò conuenientibus.* Iam dubium non eſt Pompeium è Pharſalia fugientem ad Cyprum naues appuliſſe. Lucanus 8.

Paphus duplex.

Tunc Cilicum liquere ſolum, Cypróque citatas
Immiſere rates: nullas cui prætulit aras
Vndæ Diua memor Paphiæ, ſi numina naſci
Credimus, aut quemquam fas eſt cœpiſſe Deorum.

quibus verbis non ſolùm Cyprus, ſed etiam vrbs Paphos indicatur. Plutarchus in Pompeio: Ὡς δ' οὖν ἔδοξε φεύγειν εἰς τὴν Αἴγυπτον, ἀναχθεὶς ἀπὸ Κύπρου, &c. *Vt igitur ſedit in Ægyptum fugere, à Cypro vela faciens,* &c. Quo tempore iam tum multi fugæ comites ad eum conuenerant ad Pamphyliam. Ἐνταῦθα δ' αὐτῷ καὶ τριήρεις τινὲς, inquit idem Plutarchus, ἀπήντησαν ἐκ Κιλικίας καὶ στρατιῶται συνελέγοντο, καὶ τῶν συγκλητικῶν πάλιν ἑξήκοντα περὶ αὐτὸν ἦσαν. *Ibi quædam ei triremes occurrerunt ex Cilicia, & milites ſcribebantur, & ex Senatoribus rurſum ad ſexaginta circa ipſum erãt.* Lucanus loco proximè citato.

-Cilicum per littora primus
Paruâ puppe fugit: ſequitur pars magna Senatus
Ad profugum collecta ducem.-

Cùm autem primò ad Inſulam Leſbum nauigauit, tres tantùm, aut ad ſummum quatuor, comites habuit. Plutarchus: Λέντουλοι δ' ἦσαν ἀμφότεροι καὶ Φαώνιος. *Ambo Lentuli erant, & Faonius.* Καὶ μικρὸν ὕστερον ἀπὸ γῆς ἰδόντες ἁμιλλώμενον Δηιόταρον τὸν βασιλέα, ἀναλαμβάνουσιν. *Et paulò pòſt videntes à terra ad ipſos tendentem Deiotarum Regem, eum acceperunt.* Hîc autem obiter notandum eſt omen quod Paphi accepit Pompeius. Valerius Maximus lib. 1. cap. 5. *Pompeius verò Magnus in acie Pharſalica victus à Cæſare fugâ quærens ſalutem, curſu in inſulam Cyprum, vt aliquid in ea virium contraheret, claſſem direxit, appellénſque ad oppidum Paphum, conſpexit in littore ſpecioſum ædificium: gubernatorémque interrogauit, quod ei nomen eſſet: qui reſpondit* κακοβασιλέα *vocari: quæ vox ſpem eius, quantulacunque reſtabat, comminuit.*

SECTOREM.] Vide infrà §. 55. Nota 3. V.

AXIOMATA.

Eos diligimus quibuſcum ſermones & conſilia conferimus.

Magnum eſt de ſumma re diſſentientes in eadem conſuetudine amicitiæ permanere.

Incolumitati primùm conſulendum eſt, poſteà dignitati.

Cùm habet vterque quod ſequatur, tolerabilior eſt diſſenſio.

ARGVMENTVM.

Confutat tertium Antonij crimen, quod ducebatur à Caſtris Pompeij, redditque iocorum quibus tum vſus eſt rationem.

NE iocis quidem reſpondebo, quibus me in caſtris vſum eſſe dixiſti. Erant quidem illa caſtra plena curæ, veruntamen homines, quamuis in turbidis rebus ſint: tamen, ſi modò homines ſunt, interdum animis relaxantur. Quòd autem idem mœſtitiam meam reprehendis, idem iocos: magno argumento eſt, me in vtroque fuiſſe moderatum. XXVI.

EXPLANATIO.

NE IOCIS.] Prætermiſſio. Quod ſpectat ad iocos quibus me in caſtris intempeſtiuè vſum eſſe dixiſti, illud crimen indignum eſt reſponſione.

ERANT ILLA.] Tradit Cæſar, Plutarchus & alij, Pompeianos in caſtris adeò victoriæ fuiſſe ſecuros, vt non de bello gerendo, ſed de diſponendâ victoriâ cogitarent, alij tanquam bello iam confecto, primo quoque tempore redituri ædes in vrbe conducerent, alij de ſacerdotiis & magiſtratibus inter ſe certarent. *In caſtris Pompeij*, verba ſunt Cæſaris, *videre licuit triclinia ſtrata, magnum argenti pondus expoſitum, recentibus ceſpitibus tabernacula conſtrata. Lucij etiam Lentuli, & nonnullorum tabernacula protecta hederâ. Multa prætereà quæ nimiam luxuriam & victoriæ fiduciam deſignarent, vt facilè exiſtimari poſſet nihil eos de euentu eius diei timuiſſe, quin non neceſſarias conquirerent voluptates.* Noſter tamen ea caſtra plena curæ fuiſſe dicit, quòd ipſe cæteris nimiâ inſoleſcentibus fiduciâ, plenus curæ fuerit, ſempérque de euentu belli timuerit, id tamen apertè non dicit, ne ſibi præcipuam laudem arrogare, cæteris leuitatis notam inurere videatur.

VERVNTAMEN.] Ab ipſa hominis naturâ nonnunquam iocis animum relaxandum docet, ne animus tanquam arcus aſſiduâ contentione frangatur. Dicit tamen *interdum*, ne in huiuſmodi iocis nimis effuſus fuiſſe credatur.

QVOD AVTEM.] Acutè ex ipſis Antonij criminibus demonſtrat ſe, & in iocis & in ſeriis & animi mœrore fuiſſe moderatum, quia Antonius & mœrorem & iocos obiiciebat, quæ duo niſi temperata, vt cæteris contrariis vſu venit, in vnâ & eadem perſonâ hærere non poſſunt.

NOTÆ.

1. IOCIS.] Plutarchus in Cicerone iam antè laudatus. Αὐτὸς μὲν ἀγέλαστος περιιὼν ἐν τῷ στρατοπέδῳ, καὶ σκυθρωπὸς, ἑτέροις δὲ παρέχων γέλωτα μηδὲν δεομένοις. *Ipſe quidem ſine riſu & mœſtus obibat exercitum, aliis autem, cùm minimè requirerent, ridendi materiam ſuggerebat.* Sed quid nocebit, ſi tum ipſe, tum Macrobius vterque loco citato, nonnihil nobis horum facetiarum impertiat? Macrobius: *Cùm ad Pompeium veniſſet, dicentibus ſerò eum veniſſe, reſpondit: Minimè ſerò veni: nam nihil hîc paratum video.* In eo iocus fuit, quod tanquam ad epulas inuitatus reſponderit, orationémque à bello ad conuiuia traduxerit. *Deinde interroganti Pompeio, vbi gener eius Dolabella eſſet, reſpondit: cum ſocero tuo.* Elegans planè iocus, obſcurè crimini dabat Pompeius, quòd in aduerſis partibus eſſet gener Ciceronis, quaſi genero & ſocero non bene conueniret, ipſe quaſi aliud agens crimen retorſit, & Pompeio crimini vertit, quòd à Cæſare ſocero ſuo diſſideret. Plutarchus: Δομιτίου τοίνυν ἄνθρωπον εἰς τάξιν ἡγεμονικὴν ἄγοντος οὐ πολεμικὸν, καὶ λέγοντος ὡς ἐπιεικὴς τὸν τρόπον ἐστὶ καὶ σώφρων, Τί οὖν, εἶπεν, οὐκ ἐπίτροπον αὐτὸν τοῖς τέκνοις φυλάττεις; *Cùm Domitius quendam vſu militari non ſatis probatum ad ordines militiæ promouere vellet, diceretque eum & probum eſſe & frugi, Cur igitur, inquit, eum non ſeruas, vt ſit curator tuorum liberorum?* Ἐπαινούντων δέ τινων Θεοφάνην τὸν Λέσβιον, ὃς ἦν ἐν τῷ στρατοπέδῳ τεκτόνων ἔπαρχος, ὡς εὖ παραμυθήσαιτο Ῥοδίους τὸν στόλον ἀποβαλόντας, ἡλίκον, εἶπεν, ἀγαθόν ἐστι, τὸ Γραικὸν ἔχειν ἔπαρχον; *Quibuſdam Theophanem Leſbium præfectum fabrûm laudantibus, quòd Rhodios amiſsâ claſſe commodè conſolatus eſſet, Quàm bonum eſt, inquit, Græcum habere præfectum?* Καίσαρος δὲ κατορθοῦντος τὰ πλεῖστα, καὶ τρόπον τινὰ πολιορκοῦντος αὐτοὺς, Λέντλῳ μὲν εἰπόντι πυνθάνεσθαι συγνοὺς εἶναι τοὺς Καίσαρος φίλους, ἀπεκρίνατο, λέγεις αὐτοὺς δυσνοεῖν Καίσαρι. Μαρκίου δέ τινος ἥκοντος ἐξ Ἰταλίας, καὶ λέγοντος ἐν Ῥώμῃ φήμην ἐπικρατεῖν ὡς πολιορκοῖτο Πομπήϊος, Εἶτ' ἐξέπλευσας, εἶπεν, ἵνα τοῦτο πιστεύσῃς αὐτὸς θεασάμενος; *Cùm Cæſari plurima ex animi ſententiâ ſuccederent, iſque quodammodo iam ipſos obſideret, Lentulo dicenti ſe comperiſſe Cæſaris amicos eſſe triſtes, reſpondit, Dicis eos Cæſarem odiſſe. Marico autem quodam ex Italia veniente, dicentéque Romæ famam eſſe Pompeium obſideri: Deinde, inquit, huc nauigaſti vt eſſes teſtis oculatus?* Μετὰ δὲ τὴν ἧτταν, Νοννίου μὲν εἰπόντος ὅτι δεῖ χρηστὰς ἐλπίδας ἔχειν, ἑπτὰ γὰρ ἀετοὺς ἐν τῷ στρατοπέδῳ τοῦ Πομπηΐου λελεῖφθαι. Καλῶς ἂν, ἔφη, παρῄνεις, εἰ κολοιοῖς ἐπολεμοῦμεν. *Poſt cladem Pharſalicam, Nonnio dicente bene ſperandum eſſe, quòd è Pompeij exercitu ſeptem aquilæ ſupereſſent, Bene, inquit, hortaris, ſi cum graculis bellum gereremus.* Λαβιηνοῦ δὲ μαντείαις τισὶν ἰσχυριζομένου, καὶ λέγοντος ὡς δεῖ περιγενέσθαι Πομπήϊον, οὐκοῦν, ἔφη, στρατηγήματι τούτῳ χρώμενοι νῦν ἀποβεβλήκαμεν τὸ στρατόπεδον. *Labieno diuinationibus nitente quaſi in fatis eſſet, vt penes Pompeium eſſet totius belli victoria; Videlicet, inquit, hoc vſi ſtratagemate modò caſtra amiſimus.*

Ioca Ciceronis bello ciuili.

II. In turbidis rebus recreationi magis indulgẽdum.

In tvrbidis rebvs.] Sapienter Ariſtoteles cap. 3. lib. 8. polit. Μᾶλλον ἐν ταῖς ἀσχολίαις χρηστέον ταῖς παιδιαῖς. ὁ γὰρ πονῶν δεῖται τῆς ἀναπαύσεως, ἡ δὲ παιδιὰ χάριν ἀναπαύσεώς ἐστι. τὸ δ' ἀσχολεῖν συμβαίνει μετὰ πόνου καὶ συντονίας. Διὰ τοῦτο δεῖ παιδιὰς εἰσάγεσθαι, καιροφυλακοῦντας τὴν χρῆσιν, ὡς προσάγοντας φαρμακείας χάριν. ἄνεσις γὰρ ἡ τοιαύτη κίνησις τῆς ψυχῆς, καὶ διὰ τὴν ἡδονὴν ἀνάπαυσις. *Potiùs in negotiis & occupationibus ludo & iocis vtendum eſt. Nam ei qui in labore verſatur, requie opus eſt, & requietis cauſâ ludus interponitur, negotium gerere autem cum labore & contentione coniunctum eſt: idcircò ludus & iocus nobis adhibendus eſt, captato & obſeruato eis vtendi tempore, proinde quaſi adhibeamus ea medicinæ faciendæ gratiâ. Talis enim animi agitatio remiſſio eſt, & requies ob voluptatem.* Contra tamen dicere videtur Paulus Silentiarius libro 4. Antholog. cap. 32.

Δεῖ γὰρ μήτε πονεῖν ἐν ἀθύρμασι, μήτε τι παίζειν
Ἐν σπουδῇ. καιρῷ δ' ἴσθι νέμειν τὸ πρέπον.
Eſt importunus ludo labor, atque labori
Ludus: ſed fiant tempore quæque ſuo.

III. Si modo homines svnt.] Notum eſt illud Philoſophi tertio Ethicorum exeunte. Ἐλλείποντες δὲ περὶ τὰς ἡδονὰς, καὶ ἧττον ἢ δεῖ χαίροντες οὐ γίνονται. οὐ γὰρ ἀνθρωπική ἐστιν ἡ τοιαύτη ἀναισθησία. *Qui in appetendis voluptatibus deficiant, minúſque quàm par eſt iis frui velint, haudquaquam multos reperias. Neque enim humana eſt huiuſmodi ſenſus vacuitas.* Item: Εἰ δέ τῳ μηδὲν ἐστιν ἡδὺ, μηδὲ διαφέρει ἕτερον ἑτέρου πόρρω ἂν εἴη τοῦ ἄνθρωπος εἶναι. *Si verò cui iucundum nihil eſt, neque inter aliud, & aliud quicquam intereſt, multum abeſt vt homo dicendus ſit.* Quod non ſolùm de voluptatibus quæ tactu & guſtu percipiuntur, ſed etiam de aliis, & potiſſimùm de iocis dicendum videtur. Idem enim penè eſt lepos atque humanitas, vt apud Tullium ſecundo de Oratore. *Socratem, opinor, in hac ironia diſſimulantiáque longè lepore & humanitate omnibus præſtitiſſe.* Qui tamen à iocis omninò ſunt alieni eos philoſophus non immanes, ſed duros & agreſtes appellat. quarto Ethic. cap. 8. Οἱ δὲ μήτ' αὐτοὶ ἂν εἰπόντες μηδὲν γελοῖον, τοῖς τε λέγουσι δυσχεραίνοντες, ἄγριοι, καὶ σκληροὶ δοκοῦσιν εἶναι. *At qui nihil ipſi iocantur, & iocantibus indignantur, agreſtes & aſperi videntur eſſe.* Talis fuit Aglaitides ille moroſus apud Xenophontem libro 2. de Cyri inſtitutione. de quo, vt in eum neſcio quis feſtiuè, πῦρ, οἶμαι, ῥᾷον ἄν τις ἐκτρίψειεν, ἢ γέλωτ' ἐξαγάγοι. *Faciliùs, opinor, ignem quis extriuerit, quàm riſum eduxerit.* Sed qui eiuſmod immanitate ſunt, ne hominum quidem loco cenſendi ſunt. Præclarè Craſſus 2. de Oratore: *Otij fructus eſt non contentio animi, ſed relaxatio.* Subdit: *Lælium ſemper fere cum Scipione ſolitum ruſticari, eóſque incredibiliter repueraſcere eſſe ſolitos, cùm rus ex vrbe tanquam è vinculis euolauiſſent. Non audeo dicere de talibus viris, ſed tamen ita ſolebat narrare Scæuola, conchas eos & vmbilicos ad Caietam, & ad Laurentum legere conſueſſe, & ad omnem animi remiſſionem ludúmque deſcendere: ſic enim ſe res habet, vt quemadmodum volucres videmus procreationis atque vtiliores ſuæ causâ fingere & conſtruere nidos, eaſdem autem cùm aliquid effecerint, leuandi laboris ſui cauſâ paſſim ac liberè ſolutas opere volitare: ſic noſtri animi forenſibus negotiis, atque vrbano opere defeſſi, geſtiunt ac volitare cupiunt vacui cura atque labore.*

Immanitas.

Moroſitas.

Animi remiſſio.

Mihi temperare nõ poſſum, quin huc adferam Poëtæ Gallici verſus, longè pulcherrimos hymno ad Carolum Lotharingiæ Cardinalem.

Auſſi ne faut touſiours languir embeſongné
Sous le ſoucy public, ny porter renfrongné
Touſiours vn triſte front: il faut qu'on ſe deſaſche,
Et que l'arc trop tendu quelquefois on déláſche.
Apres vn faſcheux ſoir vient vn beau lendemain,
Et le grand Iupiter de cette meſme main
Dont il lance la foudre, il prend la pleine coupe,
Et s'aſſied tout ioyeux au milieu de la troupe.
Apres vn froid Hyuer vn Printemps addoucy
Renaiſt auec ſes fleurs, il nous faut viure ainſi.

Pulchrè Gellius lib. 18. cap. 2. Noct. Atticarum, cuius verba furari maluit Macrobius libro 1. Saturnal. cap. 5. quàm mutuari. *Saturnalia Athenis agitabamus hilarè prorſum ac modeſtè: non, vt dicitur, remittentes animum. Nam remittere, inquit, Muſonius animum, quaſi amittere eſt: ſed demulcentes eum paulùm, atque laxantes iucundis honeſtiſque ſermonum illectationibus.* de quo ſequenti nota.

IV. Animis relaxantvr.] Arcus ſimilitudo ad vnum verbum contracta, quam fuſiùs tractat Amaſis apud Herodotum libro ſecundo ad finem vergente. Is negotiis publicis ante meridiem diligenter & magna animi contentione tractatis, τὸ δ' ἀπὸ τούτου ἔπινέ τε καὶ κατέσκωπτε τοὺς συμπότας. *Deinde potabat, & in compotores dicta iaciebat.* Monitus ab amicis quaſi alienum id eſſet à regia dignitate, ita reſpondit. Τὰ τόξα οἱ κεκτημένοι, ἐπεὰν μὲν δέωνται χρᾶσθαι, ἐντανύουσι, ἐπεὰν δὲ χρήσωνται, ἐκλύουσι. εἰ γὰρ δὴ τὸν πάντα χρόνον ἐντεταμένα εἴη, ἐκραγείη ἄν. ὥστε ἐς τὸ δέον οὐκ ἂν ἔχοιεν αὐτοῖσι χρῆσθαι. οὕτω δὴ καὶ ἀνθρώπου κατάστασις, εἰ ἐθέλοι κατεσπουδάσθαι αἰεὶ, μηδ' ἐς παιγνίην τὸ μέρος ἑωυτοῦ ἀνιέναι, λάθοι ἂν ἤτοι μανεὶς, ἢ ὅγε ἀπόπληκτος γενόμενος. *Qui arcum poſſident, qui illo opus habent, intendunt; poſtquam autem vſi ſunt, remittunt. Nam ſi perpetuò intentus eſſet, frangeretur, vt cùm opus eſſet, vti iam illo non poſſent. Talem & hominis conditionem eſſe: ſi aſſiduè ſeria tractare, nec vllam partem ad luſum ſibi indulgere velit, fore vt ſenſim ſine ſenſu aut mente captus, aut ſtupidus euadat.* Eadem arcus ſimilitudine Ioannem Euangeliſtam vſum ferunt. In ſylua quadam perdicem in ſuas manus ſponte delapſam permulcens animum relaxabat. Acceſſit fortè venator, eúmque compellans mirari ſe dixit quid eſſet, cur etiam ij qui ſanctitatis opinione florebant, perinde ac cæteri mortales, huiuſmodi ludis & animi remiſſionibus vterentur. Iuſſit ille vt venator ſuum arcum intenderet, & longiorem de induſtria ſermonem exorſus eſt. Venator arcum remiſit, rogatúſque cur id faceret, Ne funis, inquit, aſſidua contentione frangatur, Tum Ioannes, Et mihi, inquit, relaxandus animus ne nimia contentio neruos eius elidat. Eandem ſimilitudinem vſurpat Gregorius Nazianzenus oratione de ſuo reditu, rationem

Animus cum arcu comparatus.

Remiſſio animum frangit arcum intentio.

reddens cur ad littus maris animi relaxandi cauſâ ſe contuliſſet. Μηδὲ γοῦν φέρει τὸ σύντονον ἀεὶ τετονωμένον, καὶ δεῖταί τι μικρὸν τῶν γλυφίδων ἐκλυέσθαι, εἰ μέλλοι ταθήσεσθαι πάλιν, καὶ μὴ ἄχρηστος ἔσεσθαι τῷ τοξότῃ μηδ' ἀνόνητος ἐν καιρῷ χρήσεως, &c. *Neque funis contentionis vim ſeruat, ſi ſemper tendatur, ſed neceſſe eſt vt aliquando ex annulis relaxetur, ſi rurſum ſit tendendus, neque futurus eſt inutilis ſagittatori cum vtendi tempus aduenerit.* Hanc ſimilitudinem trahit in contrarium Publius Mimus.

Remiſſio animum frangit, arcum intentio.

v. Mœſtitia. MOESTITIAM.] Etiam hac mœſtitiæ ſignificatione ioci condiuntur. Noſter 2. de orat. *Me quidem hercule valdè illa mouent ſtomachoſa, & quaſi ſubmoroſa ridicula. Non cùm à moroſo dicuntur: tum enim non ſal, ſed natura ridetur. In quo, vt mihi videtur, perſalſum illud eſt apud Næuium. Quid ploras pater? Mirum ni cantem, condemnatus ſum.* Aliquantò pòſt: *Itaque imbuendus eſt is, qui iocosè vult dicere, quaſi naturâ quadam aptâ ad hæc genera, & moribus, vt ad cuiuſque modi genus ridiculi, vultu etiam accommodetur: qui quidem quo ſeuerior eſt, vt in te, Craſſe, hoc illa quoque, quæ dicuntur, ſalſiora videri ſolent.*

MODERATVM] Vt omnis alia. VI.

Virtus eſt medium vitiorum, & vtrimque reductum.

Ita iocandi dexteritas in aureâ illâ mediocritate conſiſtit. Ariſtoteles 4. Ethicorum. ὁ δὴ χαρίεις καὶ ἐλευθέριος οὕτως ἕξει, οἷον νόμος ὢν ἑαυτῷ. τοιοῦτος μὲν οὖν ὁ μέσος ἐστίν, εἴτ' ἐπιδέξιος, εἴτ' εὐτράπελος λέγεται. ὁ δὲ βωμολόχος ἥττων ἐστὶ τοῦ γελοίου, καὶ οὔτε ἑαυτοῦ, οὔτε τῶν ἄλλων ἀπεχόμενος εἰ γέλωτα ποιήσει, καὶ τοιαῦτα λέγων ὧν οὐδὲν ἂν ὁ χαρίεις εἴποι, ἔνια δ' οὐδ' ἂν ἀκούσαι. ὁ δ' ἄγροικος εἰς τὰς τοιαύτας ὁμιλίας ἀχρεῖος. οὐδὲν γὰρ συμβαλλόμενος, πᾶσι δυσχεραίνει. *Gratus & liberalis ſic habebit quaſi lex ſit ſibi ipſi.* Eutrapelia. *Talis eſt medius, ſiue dexter, ſiue Eutrapelus dicatur.* Scurrilitas. *Scurra verò à ridiculo vinci ſe patitur, neque aut à ſeipſo, aut ab aliis abſtinet, dummodo riſum aucupetur, & ea dicit quorum nihil ingenuus dicat, nonnulla verò quæ ne audiat quidem.* Moroſitas. *Agreſtis autem eſt ad huiuſmodi conuerſationes inutilis: cùm enim nihil conferat omnibus ſtomachatur.*

AXIOMA.

Homines quamuis in turbidis rebus ſint, tamen ſi modò homines ſunt, interdum animis relaxantur.

ARGVMENTVM.

Poſtremum Antonij crimen confutat, qui obiecerat Ciceronem vt neminem verè amabat, ita à nemine amari. idque ex eo conſtare dicebat, quòd nemo amicorum Ciceronem inſtitueret heredem: & crimen in Antonium retorquet, quòd in multorum etiam ignotorum hereditates inuaſerat.

HEREDITATES mihi negaſti venire: Vtinam hoc tuum verum XXVII. crimen eſſet: plures amici mei & neceſſarij viuerent. ſed quî iſtuc tibi venit in mentem? ego enim amplius HS. ducenties acceptum hereditatibus retuli: quanquam in hoc genere fateor feliciorem eſſe te. me nemo, niſi amicus, fecit heredem: vt cum illo commodo, ſi quod erat, animi quidam dolor iungeretur. te is, quem tu vidiſti nunquam, L. Rubrius Caſſina fecit heredem: & quidem vide, quàm te amarit is, qui, albus aterne fueris ignorans, fratris filium præteriit, Q. Furij honeſtiſſimi equitis Romani, ſuíque amiciſſimi, quem palàm heredem ſemper factitarat, ne nomen quidem perſcripſit: te, quem nunquam viderat, aut certè nunquam ſalutauerat, fecit heredem. Velim mihi dicas, niſi moleſtum eſt, L. Turſelius qua facie fuerit, qua ſtatura, quo municipio, qua tribu: nihil ſcio, inquies, niſi quæ prædia habuerit. Igitur fratrem exheredans, te faciebat heredem? In multas prætereà pecunias alieniſſimorum hominum vi eiectis veris heredibus, tanquam heres eſſet, inuaſit. Quanquam hoc maximè admiratus ſum, mentionem te hereditatum auſum facere, cùm ipſe hereditatem patris non adiſſes.

EXPLANATIO.

HEREDITATES.] Hac morum peruerſitate & malignitate, quam me in teipſum, in Lentulum vitricum tuum, in P. Clodium, in Cæſarem, in ipſum denique Pompeium exprompſiſſe dixiſti, me ciuibus meis odio eſſe probare voluiſti, adeò vt nemo eorum qui dum viuerent ſe mihi amicos eſſe ſimulabant, moriens & teſtamentum faciens ſe mihi verè amicum fuiſſe oſtenderit, & me bonorum ſuorum ſcripſerit heredem.

VTINAM.] Amabilium morum ſignificatione crimen eludit, vitam amicorum propriis emolumentis & rei familiaris compendiis anteponens. Vtinã à nemine amicorũ fuiſſem heres inſtitutus;

plures enim amici mei viuerent, vt mori non potuerint quin me inſtituerent heredem.

Sed qvi tibi.] Inficiatur crimen ipſo facto, quòd in tabulas accepti plus quàm ducenties hereditatibus acceptum retuliſſet. Ducenties autem, ſi ſummam hanc ad nummos Atticos reuocemus, erunt talenta octingenta triginta tria cum mnis viginti. ſi ad Gallicos, ſummam efficient quingentorum propè millium ſcutatorum.

Qvanqvam.] Non contentus refutatione criminis, hinc etiam occaſionem arripit grauiùs inuehendi, qui vel vi, vel fraude, vel blanditiis, vel denique ſubiectis falſis teſtamentis in multorum etiam ignotorum hereditates inuaſerat.

Cvm illo commodo.] Hereditatis adeundæ.

Dolor.] Ex amici, qui me faciebat heredem, morte perceptus.

Et qvidem vide.] Ironia quæ grauius aliquid ſuſpicandum relinquit. amor enim non fertur in incognitum: nec Rubrius amare potuit Antonium, quem penitùs ignorabat. Quibus innuitur teſtamentum illud quod Antonium Rubrij faciebat heredem, adulteratum & ſubiectum fuiſſe.

Præteriit.] Non inſtituit heredem.

Te qvem nvnqvam viderat ac nvnqvam sal.] Leguntalij & eleganter quidem, ſi magis librorum fide quàm ſuâ coniecturâ niterentur. *Te, quem nunquam viderat, certè nunquam ſalutauerat, fecit heredem.*

Velim.] Familiaris compellatio, & ironica, qua Antonium ob aditam Turſelij ignoti hereditatem in inuidiam adducit.

NOTÆ.

I. Ignominioſum fuit in teſtamento amicorum præteriri.

Hereditates.] Ignominioſum fuit in amicorum teſtamentis præteriri, quòd illud indicio eſſet præteritos parum amari. Plutarchus in Pompeio. Ἐδήλωσε δὲ μάλιστα Σύλλας ὅτι πρὸς Πομπήιον οὐκ εὐμενῶς εἶχε, ταῖς διαθήκαις ἃς ἔγραψεν. ἑτέροις γὰρ φίλοις δωρεὰς ἀπολιπὼν, καὶ τοῦ παιδὸς ἀποδείξας ἐπιτρόπους, τὸν Πομπήιον ὅλως παρῆλθεν. ἤνεγκε μέντοι τοῦτο μετρίως, καὶ πολιτικῶς ἐκεῖνος. *Oſtendit verò maximè Sylla teſtamenti ſui tabulis ſe beneuolum non eſſe Pompeio, aliis enim amicis dona legans, alióſque inſtituens filio ſuo tutores, Pompeium omninò præteriit. Quod ille tulit moderatè & ciuiliter.* Hæc ſiquidem vox illa eſt, de qua ſcitè Nigrinus apud Lucianum. ὅτι μίαν φωνὴν οἱ Ῥωμαίων παῖδες ἀληθῆ παρ᾽ ὅλον τὸν βίον προΐενται, τὴν ἐν ταῖς διαθήκαις. *Romanos vnam duntaxat in vitâ ſuâ vocem veram emittere: Eam videlicet quæ teſtamentis continetur.* Vide Milonianam 49. *Teſtamentum autem palàm fecerat, & illum heredem, & me ſcripſerat.* Vbi tum alia multa, tum illud imprimis protulimus ex Tacito 3. annalium de teſtamento Aſinij Salonini. *Teſtamentum multo apud vulgum honore fuit, quia in magnis opibus, cùm fermè cunctos proceres cum honore nominauiſſet, Cæſarem omiſit, quod ciuiliter acceptum.* Probro igitur fuit præteriri, quod & obiicit Antonius Ciceroni, & Clodio noſter exprobrauit ad Atticum libro primo, epiſt. 15. *Quouſque*, inquit, *hunc Regem feremus? Regem appellas, inquam, cùm Rex tui mentionem nullam fecerit? Ille autem Regis hereditatem ſpe deuorarat.* Pro Sextio III. *Te ſororis filius Poſtumus, adoleſcens grauis, ſenili iudicio notauit, cùm in magno numero tutorem liberis non inſtituit.* Quibus vides dedecori fuiſſe non ſolùm vt heredem, ſed etiam vt tutorem in teſtamenti tabulis præteriri.

II. Non expetendæ amicorum hereditates.

Vtinam.] Tale illud Pittaci apud Laërtium. ἀλλὰ καὶ Κροίσου διδόντος χρήματα, οὐκ ἐδέξατο, εἰπὼν ἔχειν ὧν ἐβούλετο διπλάσια. ἄπαιδος γὰρ τἀδελφοῦ τελευτήσαντος κεκληρονομηκέναι. *Sed etiam Crœſo pecunias ei largiente non recepit, dicens ſe duplo maiores habere quàm optaret. Fratre enim ſine liberis defuncto ſe factum fuiſſe heredem.* In eos enim qui hereditates habere malunt quàm amicos, aut propinquos ſuperſtites illud Heſiodi cadere poſſit.

Νήπιοι οὐδ᾽ ἴσασιν ὅσῳ πλέον ἥμισυ παντός.

Ah ſtulti! ignorant medium præcellere tots.

III. Quas hereditates adiecit Cicero.

HS. dvcenties.] Quid ſit ſeſtertium, cur duabus his litteris notetur, quomodo res nummaria per aduerbia numeretur, cúmque talentis Atticis aut Gallis aureis comparetur, fusè diximus oratione pro Rabirio Poſtumo. E quibus intelligere poſſis ducenties octingenta triginta tria talenta Attica, & tertiam talenti partem, quingenta verò Gallicorum aureorum millia contineri. Iam autem & Plutarchus ſcribit Ciceroni obuenerat, antequam Remp. attingeret. κληρονομία τις εἰς ἐννέα δηναρίων συναχθεῖσα μυριάδας. *Quædam hereditas quæ nonaginta denariorum millia colligebat.* Deinde multa alia ſibi legata fuiſſe ſignificat. Pro domo 85. *Quis meorum amicorum, teſtamentum diſceſſu meo fecit, qui mihi non idem tribuerit, quod ſi adeſſem.* Omitto hereditatem Cyri architecti, quam ipſe creuit cum P. Clodio, vt dicitur pro Milone 49. verbis iam antè laudatis. epiſtola 20. lib. I. ad Atticum. *Diodotus mortuus eſt: reliquit nobis HS. fortaſſe centies.*

Albvs aterve.] Adagium. Catullus. IV.

Non nimiùm cupio, Cæſar, tibi velle placere,
Nec ſcire vtrùm ſis albus, an ater homo.

Vidi viros eruditos qui *albus atérue* interpretarentur, *bonus malúſue.* ſic M. Antonius de vita ſua λευκὸν ἦθος, *albos mores*, id eſt bonos & commodos. & alibi μέλαν ἦθος, *malos mores.* Horatius.

-hic niger eſt, hunc tu, Romane, caueto. Albus an ater.

Hinc illud Pythagoræ ſymbolum. μὴ γεύεσθαι μελανούρων. *non guſtare melanurum.* interpretante Plutarcho lib. de educatione liberorum. τοῦτ᾽ ἔστι μὴ συνδιατρίβειν μέλασιν ἀνθρώποις διὰ κακοήθειαν. *Hoc eſt non conuerſari cum hominibus, qui morum improbitate ſunt nigri.* Addunt illud Amos 9. *Nunquid vt filij Æthiopum vos eſtis mihi filij Iſraël?* Ater quid.
In quæ verba ſic Hieronymus. *In omnibus ſcripturis Æthiopes dicuntur qui penitus in vitia demerſi ſunt.* Notat Victorius libro 6. variar. cap. 23. paraſitos à comicis atros induci. pro Cæcina. 27. *Et argentarius Sextus Clodius, cui nomen eſt Phormio, nec minùs niger, nec minùs confidens quàm ille Terentianus eſt Phormio.* Alexis apud Athenæum lib. 6. deipnoſ.

Δύ᾽ ἐστι, Ναυσίνικε, παρασίτων γένη,
Ἓν μὲν τὸ κοινὸν, καὶ κεκωμῳδημένον
Οἱ μέλανες ἡμεῖς. θάτερον ζητῶ γένος.
Sunt genera, Nauſinice, paraſitûm duo.

Vnum ſequens communéque in comœdiis,
Nos dico nigros: alterum quæro genus.

Hereditatem patris.] Paulò pòſt: *Tenéſne memoriâ, prætextatum te decoxiſſe. Patris, inquies, iſta culpa eſt. Concedo. Etenim pietatis plena defenſio.* Vide.

AXIOMA.

Non ſunt expetendæ hereditates, quia cum illo commodo, ſi quod eſt, animi quidam dolor iungitur ex amicorum morte perceptus.

ARGVMENTVM.

Concludit confutationem Antonij cum eius irriſione, qui hæc futilia multis diebus collegerat, diu ſe exercuerat, adhibuerat etiam magiſtrum, quo paratior ad dicendum accederet.

HÆC vt colligeres, homo amentiſſime, tot dies in aliena villa declamaſti? quamquàm tu quidem (vt tui familiariſſimi dictitant) vini exhalandi, non ingenij acuendi cauſa declamas. At verò adhibes ioci cauſa magiſtrum ſuffragio tuo, & compotorum tuorum rhetorem, cui conceſsiſti, vt in te, quæ vellet, diceret: ſalſum omnino hominem: ſed materia facilis eſt, in te & in tuos dicta dicere. Vide autem quid interſit inter te & auum tuum. Ille ſenſim dicebat, quod cauſæ prodeſſet: tu curſim dicis aliena. XXVIII.

EXPLANATIO.

HÆc tv.] Vt crimina contra me cõquireres & colligeres, quod mihi obieciſti de amicitiâ violatâ, de Conſulatu crudeliter geſto, de nece Clodij, de bello ciuili, de nece Cæſaris, de alienatione Pompeij, & reliquorum amicorum, quorum hereditates mihi negaſti contigiſſe.

Tot dies.] Philippica 5. §. 19. *Adeſſe in Senatu iuſſit ad XIII. Calend. Octob. ipſe interea decem & ſeptem dies de me in Tiburtino Scipionis declamitauit. Sitim quærens, hæc enim ei cauſa eſſe ſolet declamandi. Cùm in dies, quo me adeſſe iuſſerat, veniſſet, tum verò agmine quadrato in ædem Concordiæ venit, atque in me abſentem orationem ore impuriſſimo euomuit.*

In altera villa.] Legunt in (*aliena villa*) Scipionis videlicet, *in Tiburtino Scipionis.* Epiſtola 2. lib. 12. ad famil. *Cædem enim gladiator quærit, eiúſque initium ad XIII. Calendas Octob. à me ſe facturum putauit. At quàm paratus venerat, cùm in villa Metelli complures dies commentatus eſſet? Quæ autem in luſtris & in vino commentatio potuit eſſe? Itaque omnibus eſt viſus, vt ad te antea ſcripſi, ſuo more vomere, non dicere.*

Qvamqvam.] Bella & elegans correctio, quaſi non declamarit Antonius, non vt crimina conquireret, aut ſe ad dicendum pararet, ſed vt exhalato vino ſitim quæreret ad bibendum denuò.

Cvi concessisti.] Sexto Clodio. Legunt nonnulli: *Cui conceſſiſti, vt non in te quæ vellet, diceret. Sed, in quem vellet, diceret.* Sed fruſtra ſunt. melior vulgata. *Cui conceſſiſti, vt in te, quæ vellet, diceret.* Natus error ex ſcioli cuiuſdam emendatione, qui ignarus morum Antonij, putabat eum, quod iracundior eſſet, dicteriorum non eſſe patientem. Quod longè ſecus erat, vt in notis è Plutarcho referemus.

In te et in tvos.] Qui vitiis & ſordibus abundatis, vt facilè ſit in vos iocandi materiam inuenire.

Dicta dicere.] Scotthus tollit, *dicta*, vel pro *dicere*, reſcribit *iacere*.

Avvm tvvm.] M. illum Antonium Oratorum clariſſimum.

NOTÆ.

DEclamasti.] Nihil, opinor, prohibebit Creſolij noſtri lib. 4. Theatri Rhet. cap. 6. verba exhibere, *Inter præcipuas exercitationes, quæ in ſcholis Sophiſtarum adhibebantur, ponuntur declamationes.* quas Plutarchus libro de audiendo σοφιστικὰς μελέτας vocati, Dionyſius Halicarnaſſeus in Methodo: γυμνάσματά τε καὶ ἀσκήματα τῆς ῥητορικῆς. Photius: γυμναστικοὺς λόγους. Ariſtides de Smyrna: ἀγωνίσματα διατριβῶν, & quaſi interpretans Priſcianus libro de præexerc. *certamina Rhetorica.* S. Gregorius Nazianzen. πλάσματα. Auſonius, *falſas lites quas ſchola ſerit.* Auctor dialogi de Orator. *falſas controuerſias*, & alio loco *ſcenas ſcholaſticorum.* Nyſſenus: ἐν γυμνασίῳ τινὶ σχολαστικῷ ἐπιχειρήματα. Ennodius lib. 1. ep. 1. *dicendi ſimulacra.* Eumenius Rhetor. *Secreta ſtudiorum exercitia.* Arbiter: *Controuerſiam vmbrantibus ſententiolis pictam.* Gellius lib. 7. c. 3. *Decurſus lubricos & ſimulacra præliorum voluptaria.* Vulgò nominatur, vt Græcis μελέται, ſic Latinis *declamationes*, & μελετᾶν eſt *declamare.* Hæc Creſolius. Huiuſmodi porro declamationes ſerò ſunt in vrbem receptæ. Declamationes. Nam, vt ſcribit Gellius libro 15. Noct. Att. cap. 11. C. Fannio Strabone, M. Valerio Meſſala Conſulibus, factum eſt Senatuſconſultum M. Pomponio Prætore referente, Vt in vrbe non essent. Aliquot deinde annis poſt id S. C. Cn. Domitius Ænobarbus, & Luc. Licinius Craſſus Cenſores de coërcendis Rhetoribus Latinis edixerunt. Vide ibidem, & apud Suetonium præfatione libelli de claris Rhetoribus verba tum Senatuſconſulti, tum edicti Cenſorij. *Paulatim tamen*, inquit Suetonius, *& ipſa vtilis honeſtáque apparuit, multíque eam præſidij cauſâ & gloriæ appetiuerunt.* Adfert aliquanto poſt fragmẽtum epiſtolæ Ciceronis ad M. Titinnium: *Equidem me-*

Quis primus Latinè declamarit.

moria teneo pueris nobis primùm Latinè dicere cœpiſſe Luc. Plotium quemdam: ad quem cùm fieret concurſus, quòd ſtudioſiſſimus quiſque apud eum exerceretur, dolebã mihi idem non licere. Sed quod non fecerat puer, fecit iam ętate prouectus. Idem: *Cicero ad Præturam vſque Græcè declamauit, Latinè verò ſenior quoque, & quidem cum Hirtio & Panſa, quos diſcipulos & grandes prætextatos vocabat. Cneum Pompeium quidam hiſtorici tradiderũt, ſub ipſum ciuile bellum, quò faciliùs C. Curioni promptiſſimo iuueni, cauſam Cæſaris defendenti cõtradiceret, repetiſſe declamandi conſuetudinem: M. Antonium, item Auguſtum ne Mutinenſi quidem bello omiſiſſe. Nero Cæſar & primo imperij anno, publicè quoque bis antea declamauit. Plerique autem oratores etiam declamationes ediderunt.* Quod ſpectat ad Rhetoricas illas declamationes Ciceronis, notandum illud ex Seneca patre præfatione ad librum primum controuerſiarum. *Omnes autem magni in eloquentia nominis videor audiſſe. Nec Ciceronem quidem ætas mihi eripuerat, ſed bellorum ciuilium furor, qui tunc totum orbem peruagabatur, intra coloniam meam me continuit. Alioquin in illo atriolo, in quo duos grandes prætextatos ait ſecum declamare ſolitos, potui illud ingenium, quod ſolùm populus Romanus par imperio ſuo habuit cognoſcere, & quod vulgò de alio dici ſolet, ſed de illo propriè debet, potui viuam vocem audire. Declamabat autem Cicero,* &c. Huiuſmodi tamen declamationes, quamuis à tantis viris vſurpatas, nonnulli putauerint nihil ad eloquentiam profuiſſe. Montanus Votienus apud Senecam lib. 9. præfatione: *Qui declamationem parat ſcribit, non vt vincat, ſed vt placeat: omnia itaque lenocinia conquirit, argumentationes, quia moleſtæ ſunt, & minimum habent floris, relinquit: ſententiis explicationibúſque audientes delinire contentus eſt. Cupit enim ſe approbare non cauſam.* Et alia multa in hanc ſententiam. De his ipſis Petronius: *Nunc & rerum tumore, ſententiarum vaniſſimo ſtrepitu, hoc tantùm proficiunt, vt cùm in forum venerint, putent ſe in alium terrarum orbem delatos. Et ideo ego adoleſcentulos exiſtimo in ſcholis ſtultiſſimos fieri, quia nihil ex iis quæ in vſu habemus, aut audiunt, aut vident; ſed piratas cum catenis in littore ſtantes, &c. ſed mellitos verborum globulos, & omnia dicta factáque, quaſi papauere & ſeſamo ſparſa. Qui inter hæc nutriuntur, non magis ſapere poſſunt, quàm bene olere qui in culinâ habitant. Pace veſtra liceat dixiſſe, primi omnium eloquentiam perdidiſtis.* Exemplum adfert Seneca Rhetor loco proximè citato Porcij Latronis, quem cùm in forum veniſſet, ait: *Vſque eò eſſe confuſum, vt à ſolœciſmo inciperet, nec antè potuiſſe confirmari tectum ac parietes deſiderantem, quàm impetrauit vt iudicium ex foro in baſilicam transferretur.* Mihi temperare nõ poſſum (quamquam fortaſſe iampridem aberro) quin fabellam Caſſij Seueri ex Seneca Rhetore præfatione lib. 3. controuerſ. proferam, vel vt rideatur. *Memini me intrare ſcholas cùm recitaturus eſſet in Milonem Caſtius: ex conſuetudine ſuâ miratus dicebat: Si Thrax eſſem, fuſius eſſem: ſi pantomimus eſſem, Batyllus eſſem: ſi equus, Meliſſio. Non continui bilem, exclamaui: Et ſi cloaca eſſes, magna eſſes, &c. Caſtius Ciceroni reſponſurus, mihi quod reſponderet, non inuenit, &c. Inde libuit Ciceroni Caſtio in foro ſatisfacere, ſubinde nactus eum in ius ad Prætorem voco: & cùm, quantum volebam, iocorum conuitiorũmque effudiſſem, poſtulaui vt Prætor nomen eius reciperet, lege inſcripti maleficij. Tanta illi perturbatio fuit, vt aduocationem peteret. Deinde ad alterum Prætorem eduxi, et ingrati poſtulaui. Iam apud Prætorem Vrbanum curatorem ei petebam. Interuenientibus amicis, qui ad hoc ſpectaculum concurrerant, & rogantibus dixi, Moleſtum me ampliùs non futurum, ſi iuraſſet diſertiorem eſſe Ciceronem, quàm ſe. Verùm nec vt hoc faceret, vel ſeriò effici potuit.* Sed hæc non Rhetoricæ, ſed Rhetorum culpa: aut fortaſſe diſcipulorum, qui vel pueri admodum, nec bonis literis tincti, nec iudicio ſatis firmi ad Rhetoricas Scholas accedunt, vt ait Petronius: *Nimirum in his exercitationibus doctores peccant, qui neceſſe habent cum inſanientibus furere.* Subdit: *Quid ergo eſt? parentes obiurgatione digni qui nolunt liberos ſuos ſeuerâ lege proficere,* &c. *Quòd ſi paterentur laborum gradus fieri, vt ſtudioſi iuuenes lectione ſeuerâ irrigarentur, vt ſapientiæ præceptis animos componerent: vt verba atrocia ſtylo effoderent, vt quod vellent imitari diu audirent,* perſuaderent, *ſibi nihil eſſe magnificum, quod pueris placeret, iam illa grandis oratio haberet maieſtatis ſuæ pondus. Nunc pueri in ſcholis ludunt, iuuenes ridentur in foro, & quod vtroque turpius eſt, quod quiſque perperam didicit, in Senectute confiteri non vult.* Itaque qui ad veram & germanam eloquentiam paratur, non in floſculis carpendis & delibandis ætatem exigat, ſed

Magni viri qui declamarunt.

-Det primos verſibus annos
Mæoniúmque bibat felici pectore fontem.
Mox & Socratico plenus grege, mutet habenas
Liber, & inuicti quatiat Demoſthenis arma, &c.
Grandiáque indomiti Ciceronis verba minetur.
His animum ſuccinge bonis: ſic flumine largo
Plenus, Pierio defundes pectore verba.

II. Vini exhalandi.] Solent nonnunquam Oratores cauſſas ridiculas adferre, vt aduerſarios in contemptum adducant. vt Demoſthenes pro Cteſiphonte: Καὶ ἔμοιγε δοκεῖς ἐκ τούτων, Αἰσχίνη, τῶν λόγων ἐπίδειξίν τινα φωνασκίας βουλόμενος ποιήσασθαι, τοῦτον προελέσθαι τὸν ἀγῶνα, οὐκ ἀδικήματος οὐδενὸς λαβεῖν τιμωρίαν. *Et mihi quidem videris, ô Æſchines, his ſermonibus vocis tuæ exercitationis præbere, dum hanc cauſſam ſuſcepiſti, non iniuſtè factum iudicio perſequi voluiſſe.*

Eloquentiæ ne proſint declamationes.

III. Rhetorem.] *Sextus Clodius è Sicilia,* inquit Tranquillus lib. de claris Rhet. *Latinæ ſimul, Græcæque elegantiæ profeſſor.* Rhetor autem, vt notat Noſter Creſolius, propriè dictus eſt Latinæ eloquentiæ profeſſor, cùm qui Græcè docebat Sophiſtes diceretur. D. de excuſat. *Grammatici, Sophiſtæ, Rhetores, &c. à tutela requiem habent.* Cod. de ſtudiis lib. vrb. Rom. *Habeat igitur auditorium ſpecialiter noſtrum, in his primum quos Romana eloquentiæ doctrina commendat, Oratores quidem tres numero, Grammaticos verò decem: in his etiam qui facũdiâ Græcitatis pollere noſcuntur, quinque numero ſint Sophiſtæ, & Grammatici item decem.* Nihilo tamen ſeciùs tam Latinæ quàm Græcæ facundiæ doctores Rhetorum nomen habuerunt. Noſter 1. de officiis. *Hinc Rhetorum campus de Marathone, Salamine, Plateis.* Suetonius Veſpaſ. 18. *Primus è fiſco Latinis Græciſque Rhetoribus annua centena conſtituit.* Cod. Theod. de med. & pr. *Rhetores Atticæ Romanæque doctrinæ.* Et ſanè tum Rhetoras, tum Sophiſtas apud Græcos Chryſoſtomus agnoſcit in cap. 2. primæ ad Corinth. Καὶ σοφισταὶ, καὶ ῥήτορες, καὶ φιλόσοφοι, καὶ συγγραφεῖς. Et in cap. 1. ſecundæ ad Theſſal. Καὶ ποιηταὶ, καὶ ῥήτ-

Rhetor ſophiſta.

τορες, καὶ σοφισταί, καὶ λογογράφοι πάντες. Quare idē Creſolius c.2.lib.1. Theatri Rhet. diſtinctionem inter Rhetorem & Sophiſtam aliunde deriuat. *vt* ῥήτωρ, *cùm quidem ad docendum refertur, ſit politicus veluti eloquentiæ profeſſor, qui præcepta modò communia explicet:* σοφιστὴς *autem qui præterea plurimarum artium ſcientiam complectatur, & dictionem mirabiliùs exornet, omnibus luminibus pictam, floſculis et copiâ redundantem.* Id colligit ex Gregorio Nazianzeno, qui commēdans Eudoxio Rhetori Nicobulum adoleſcentem affinem ſuum: *Velim*, inquit, *eum à nobis accipias*, τὸ μὲν ῥητορικὸν ἔχειν τῷ πατρὶ χαριζόμενος, τὸ δὲ σοφιστικὸν ἡμῖν. *Rhetoricam quidem taniam patri, Sophiſticam autem nobis largiturus.* Sed ad Creſolium. Nobis enim, quod ad rem præſentem ſpectat, pauca de multis libaſſe ſuffecerit.

IV. IN TE QVÆ VELLET.] Antonius auctore Plutarcho multos quidem conuitiis appetebat: Ἡ δὲ περὶ τὰς παιδιὰς καὶ τὰς ἐπισκώψεις ὕβρις ἐν αὐτῇ τὸ φάρμακον εἶχεν. ἀντισκῶψαι γὰρ ἐξῆν καὶ ἀνθυβρίσαι. καὶ γελώμενος οὐχ ἧττον, ἢ γελῶν ἔχαιρε, &c. *At iocorum & dicteriorum contumelia in ſeipſa remedium habebat. Licebat enim viciſſim dicteria & contumelias reponere. Neque minus gaudebat cùm ridebatur, quàm cum aliis ridebat.* Quod Sext. Clodius Siculus probè intelligens ſe à iocis & dicteriis tum in Antonium, tum in Fuluiam Antonij coniugem iaciendis non abſtinebat. Tranquillus: *Malè oculatus & dicax, par oculorum in amicitia M. Antonij triumuiri extitiſſe ſe aiebat. Eiuſdem vxorem Fuluiam, cui altera bucca inflatior erat, acumen ſtili tentare dixit: nec eo minùs, immò vel magis ob hoc Antonio gratus. A quo mox Conſule ingens etiam congiarium accepit, vt ei in Philippicis Cicero obiicit. Adhibes ioci causâ magiſtrum*, &c. *cui conceſſiſti vt in quem vellet, diceret?* &c.

V. Materia ridiculi. MATERIA FACILIS.] Propter turpitudinem vitæ. Nam, vt dicitur 2. de Orat. *Locus & regio quaſi ridiculi turpitudine & deformitate quadam continetur. Hæc enim ridentur vel ſola, vel maximè quæ notant & deſignant turpitudinem aliquam non turpiter.* Quod addit non turpiter, ſumptum videtur ex Ariſt. 4. Eth. Nicomach. c. 8. Ἡ τοῦ ἐλευθερίου παιδιὰ διαφέρει, τῆς τοῦ ἀνδραποδώδους, καὶ αὖ τοῦ πεπαιδευμένου καὶ ἀπαιδεύτου. ἴδοι δ᾽ ἄν τις καὶ ἐκ τῶν κωμῳδιῶν τῶν παλαιῶν, καὶ τῶν καινῶν. τοῖς μὲν γὰρ ἦν γελοῖον ἡ αἰσχρολογία, τοῖς δὲ μᾶλλον ἡ ὑπόνοια. *Ingenui & eruditi ludus à ſeruilis & imperiti ludo diuerſus eſt: quod etiam in antiquis nouiſque comœdiis elucet. In illis enim ridiculum, eſt verborum obſcœnitas, in his obſcœni ſuſpicio.*

VI. DICTA DICERET.] Monui hanc lectionem Schotto non placere, at placuit Ciceroni 2. de orat. *Ne quotieſcunque potuerit dictum dici, neceſſe habeamus dicere.* Dictum autem dicere eſt noſtratibus, *dire le mot.* Quid ſit autem dictum, quid dicacitas, eodem libro pulchrè explicatur. *Cùm duo genera ſint facetiarum, alterum æquabiliter in omni ſermone fuſum, alterum peracutum & breue, illa à veteribus ſuperior, cauillatio: hac altera, dicacitas nominata eſt.* Dictum dicere. Subdit de Craſſo: *Non enim ferè quiſquam reperietur, præter hunc, in vtroque genere leporis excellens, & illo, quod in perpetuitate ſermonis, & hoc, quod in celeritate atque dicto eſt. Nam hæc perpetua contra Scæuolam Curiana defenſio tota redundauit, hilaritate quadam & ioco, dicta illa breuia non habuit.* Item: *Dicere enim aiunt Ennium flammam à ſapiente faciliùs ardente in ore opprimi, quàm bona dicta teneat. Hæc ſcilicet bona dicta quæ ſalſa ſint. Nam ea dicta appellantur proprio iam nomine.* Plautus Captiueis actu 3. ſc. 1.

Dico vnū ridiculum dictum de dictis melioribus
Quib. ſolebā menſtruales epulas ante adipiſcier.

Idem Sticho ſc. *Quiſnam.*

Ibo intro ad libros, et diſcam de dictis melioribus.

Nonnunquam tamen *bona dicta*, alio ſenſu capiuntur, vt in prologo Amphitruonis:

Verùm profecto hoc petere me precario Bonum dictum.
A vobis iuſſit leniter dictis bonis.

Id eſt (interprete Lambino) blandis; ſine contumelia verborum, ſine maledictis. Sic Catullus ad Furium & Aurelium:

Pauca & nuntiate meæ puellæ
Non bona dicta.

Contra infeſta dicta apud eundem de coma Berenices:

Non ſi me infeſtis diſcerpant ſidera dictis.

Sed, vt ad lectionem receptam redeamus, dictum dicere eſt etiā in Planciana. 85. *Admonuiſti etiam, quòd in Creta fuiſſet, dictum aliquod in petitionem tuam dici potuiſſe: me id perdidiſſe. Vter igitur noſtrûm eſt cupidior dicti? Egóne qui quod dici potuit, non dixerim, an tu qui etiam ipſe in te dixeris?* I nunc, & contende legendum dicta iacere.

VII. QVOD CAVSSÆ PRODESSET.] Ipſe Antonius Orator apud Tullium ſecundo de Oratore, ita declarat ſuam dicendi rationem. *Mea autem ratio in dicendo hæc eſſe ſolet, vt boni quod habeat* (cauſa) *id amplectar, exornem, exaggerem, ibi commorer, ibi habitem, ibi hæream: à malo autem vitióque cauſæ ita recedam, non vt id me defugere appareat, ſed vt totum bono illo ornando & augendo diſſimulatum obruatur.* Subdit: *Confiteórque me, ſi quæ premat res vehementiùs, ita concedere ſolere, vt non modò non abiecto, ſed ne reiecto quidem ſcuto fugere videar: ſed adhibere quamdam in dicendo ſpeciem, atque pompam, & pugnæ ſimilem fugam: conſiſtere verò in meo præſidio ſic, vt non fugiendi hoſtis, ſed capiendi loci causâ ceſſiſſe videar.* Antonij eloquentis. Et paucis interiectis: *Non tam vt proſim cauſis elaborare ſoleo, quàm vt non obſim: non quin enitendum ſit in vtroque, ſed tamen multo eſt turpius oratori nocuiſſe videri cauſæ, quàm non profuiſſe.* Sed vide plura in hanc ſententiam, & adde verba Ciceronis in Bruto: *Omnia veniebant Antonio in mentem: eáque ſuo quæque loco, vbi plurimùm proficere, & valere poſſent, vt ab Imperatore equites, pedites, leuis armatura, ſic ab illo in maximè opportunis orationis partibus collocabantur. Erat memoria ſumma, nulla meditationis ſuſpicio, imparatus ſemper aggredi ad dicendum videbatur, ſed ita erat paratus, vt iudices illo dicente, nonnunquam viderentur non ſatis parati ad cauendum fuiſſe.* vt meritò Iulius Cæſar eum 2. de Orat. ſic alloquatur: *Ego mehercule, inquit, Antoni, ſemper is fui, qui de te oratore ſit prædicarem vnum te in dicendo mihi videri tectiſſimum, propriúmque hoc eſſe laudis tuæ, nihil vnquam à te eſſe dictum quod obeſſet ei pro quo diceres.* Hinc eſt igitur quod eum Noſter ſenſim, id eſt, cautè & circumſpectè dixiſſe ait, quod cauſæ prodeſſet.

AXIOMATA.

Materia facilis in homines ſordidos & vitioſos dicta dicere.

Bonus Orator ſenſim dicit, quod cauſæ proſit, non curſim aliena.

ARGVMENTVM.

Agit obiter de mercede Sexto Clodio Rhetori data, deinde confutationi criminum finem imponens, viam ſibi ſternit ad inſectationem Antonij.

XXIX. AT quanta merces Rhetori data eſt? Audite, audite, P. C. & cognoſcite Reipub. vulnera. duo millia iugerum campi Leontini Sext. Clodio Rhetori aſſignaſti, & quidem immunia, vt pro tanta mercede nihil ſapere diſceres: num etiam hoc homo audaciſſime ex Cæſaris commentariis? Sed dicam alio loco de Leontino agro, & de Campano, quos iſte agros ereptos Reipubl. turpiſſimis poſſeſſoribus inquinauit. Iam enim, quoniam criminibus eius ſatis reſpondi, de ipſo emendatore & correctore noſtro quædam dicenda ſunt. Nec enim omnia effundam: vt ſi ſæpius decertandum ſit, vt erit, ſemper nouus veniam. quàm facultatem mihi multitudo iſtius vitiorum peccatorúmque largitur.

EXPLANATIO.

AT QVANTA.] Commodè poſtquàm Antonium inſulſum oratorem eſſe, parumque in Rhetorica profeciſſe docuit, ad mercedem Rhetori datam delabitur.

AVDITE, AVDITE.] Renouat attentionem, vt in re magna, & modò ad Antonium, modò ad Senatores conuertit orationem, quaſi dubius ad quos potiſſimùm ſe conuertat, vt in ſollicitudine, vel etiam in indignatione fieri conſueuit. & profuſam hanc largitionem Reipub. vulnus appellat, quòd ea facta non fuerit ſine magno Reipub. diſpendio.

DVO MILLIA.] Infrà. *Quid iam querar de agro Leontino? quandoquidem hæ duæ arationes in populi Romani patrimonio grandiferæ & fructuoſæ ferebantur. Medico tria millia iugerum, quaſi te ſanum feciſſet. Rhetori duo, quaſi diſertum facere potuiſſet.*

ET QVIDEM IMMVNIA.] Libera ab omni ſeruitute, decumis & aliis eiuſmodi vectigalibus non obnoxia.

NVM ETIAM HOC.] Quemadmodum alia te ex Cæſaris commentariis te facere ſimulaſti. *Cuius domus quæſtuoſiſſima eſt falſorum commentariorum & chirographorum officina, oppidorum, immunitatum, vectigalium, flagitioſiſſimæ nundinæ.* Suprà 23. Audaciſſimum vocat, quod id dicere non poſſet ſine impudentiſſimo mendacio.

TVRPISSIMIS POSSESSORIBVS.] Agrum Leontinum medico & Rhetori: Agrum Campanum compranſoribus ſuis & colluſoribus diuiſit. Mimos & mimas in agro Campano collocauit. infrà.

EREPTOS REIP.] Cùm priùs in populi Romani patrimonio cenſerentur.

IAM ENIM.] Tranſitio ad inſectationem M. Antonij. ſuperiùs 8. dixerat: *Et pro me aliquid, & in Antonium multa dicenda ſunt.* Neque hîc ſe multa negat eſſe dicturum, ſed quædam ait, vt oſtendat ſibi vberrimam dicendi materiam eſſe, vt cùm multa dixerit, plura ſuperſint.

NOTÆ.

I. VVLNERA.] Infrà eodem ſenſu & eadem in re, *infligi magnum Reip. vulnus putabamus.* Eodem ſenſu Pindarus Ode 4. Pythiorum epodo 12. *Reipub. vulnus* appellat his verbis, Reipub. vulnera.

Χρὴ μαλακὰν χεῖρα προσ-
βάλλοντα τρώμαν ἕλκεος ἀμφιπολεῖν.
Ῥᾴδιον μὲν γὰρ πόλιν σεῖ-
σαι καὶ φαυροτέροις. ἀλλ' ἐπὶ χώ-
ρας αὖθις ἔσσαι δυσπαλὲς
Δὴ γίνεται ἐξαπίνας.
ΕΙ μὴ θεὸς ἁγεμόνεσσι κυβερ-
νατὴρ γένηται.

Oportet mollem manum admouentem os vulneris tractare. Facilè enim vrbem concutere etiam imbecillioribus, ſed in ſedem rurſum collocare difficile ſanè eſt repentè, niſi Deus principibus gubernator fuerit. Vide dicta pro Sextio §. 17. Nota 8.

DVO MILLIA IVGERVM.] Cicero noſter apud Dionem lib. 45. Ταῦτα γὰρ ὁ Σέξτος αὐτὸν ὁ Κλώδιος τῶν δισχιλίων πλέθρων τῶν ἐν τῇ Λεοντίνων γῇ δοθέντων ἐξεπαίδευσεν. *Hæc enim ipſum Sextus Clodius docuit, mercede bis mille iugerum quæ ipſi aſſignauit in agro Leontino.* Videri poſſit perperam interpretatus Dio Ciceronem. Nam Euſtathius ad illa verba Iliados φ'. de Marte à Minerua percuſſo loquens: II. πλέθροι. Iugerum.

Ἑπτὰ δ' ἐπέσχε πέλεθρα πεσών, ἐκόνισε δὲ χαίτας.
Iugeribus ſeptem iacuit prolapſus & atro
Puluere fœdauit crines. -

Τὸ δὲ πέλεθρον, inquit, ἤτοι πλέθρον διάστημά ἐστι ποδῶν ἑκατὸν ἤτοι πηχέων ξς'. καὶ ἡμιολίου. *Interuallum eſt pedum centum ſiue ſex & ſexaginta cubitorum cum medio.* Idem Ὀδυσσείας λ'.

ΟΙ δὲ φασι καὶ ὅτι μέρος ἕκτον σταδίου ἐστί.
Aliqui dicunt plethrum eſſe ſextam ſtadij partem. Italicum autem ſtadium, vt auctor eſt Cenſorinus de die natali, eſt pedum *ſexcentorum viginti quinque, Olympicum eſt pedum ſexcentum*, atque adeo plethrum, quod ſexta pars ſtadij fuit, centum duntaxat pedes aut paulò amplius continebat. iugerum autem, ſi propriè & Latinè loquamur, quadraginta ſupra ducentos pedes habebat. Varro libro 1. de re ruſtica: *Iugum vocant quod iuncti boues vno die exarare poſſunt. Verſum dicunt centum pedes quoquouerſum quadratum. iugerum, quod quadratos duos actus habeat. Actus quadratus, qui & latus eſt pedes CXX. & longus totidem.* E quibus videri poſſit Dio non peritiſſimè πλέθρα pro iugeribus poſuiſſe. Magnos tamen habet aucto-

res,& quibuſcum ego libentiùs errauerim, quàm cum iſtis λεπτολόγοις καὶ κυμινοπρίσταις,rem ad viuum reſecuerim. Liuius lib.6.inter leges à C. Licinio & L. Sextio Tribuniſplebis promulgatas, vnam fuiſſe ait *de modo agrorum, ne quis plus quingenta agri iugera poßideret.* Quam legem Plutarchus in Camillo his verbis expreſſit, Ἐκέλευσεν οὗτος μηδένα πλέθρων πεντακοσίων πλείονα χώραν κεκτῆσθαι. Herodotus lib. 2. de maxima omnium pyramidum: Τῇ δὲ πυραμίδι αὐτῇ χρόνοι γενέσθαι εἴκοσι ἐπὰ ποιευμένῃ· τῆς ἐστὶ πανταχῇ μέτωπον ἕκαστον ὀκτὼ πλέθρα, ἐούσης τετραγώνου. *In pyramide hac extruenda annos viginti abſumptos: cuius ſingulæ frontes (nam eſt figura quadrata) ſunt octonûm plethrorum.* Plinius lib. 36. cap.12.de eadem, *Amplißima octo iugera obtinet ſoli.* Quòd ſi ne his quidem acquieſcimus, quem Virgilio poterimus auctorem habere grauiorem,qui illos verſus Ὀδυσσείας λ'.

Καὶ Τιτυὸν εἶδον γαίης ἐρικυδέος υἱὸν
Κείμενον ἐν δαπέδῳ· ὁ δ᾽ ἐπ᾽ ἐννέα κεῖτο πέλεθρα, &c.

Ita reddidit:

Nec non & Tityon terræ omniparentis alumnum
Cernere erat, per tota nouem cui iugera corpus.

III. ASSIGNASTI.] Propriæ aſſignari dicuntur agri qui colonis diuiduntur. Brutus apud Ciceronem lib. 11.epiſt.ad famil. *Æqualiter aut fortè agros legionibus aſsignari puto oportere.*

IV. CAMPI LEONTINI.] Sext. Clodius Siculus fuit: Campus Leontinus in Sicilia dictus ab vrbe Leontio, cuius meminerunt Plinius & Ptolemæus: Is autem ager fuit Siciliæ totius vberrimus. M. Tullius Frumentaria in Verrem §.47. *Ætnenſis verò ager,qui ſolebat eſſe cultißimus,&, quod caput eſt rei frumentariæ, campus Leontinus,* Campus Leōtinus. *cuius antea ſpecies hæc erat, vt cùm obſitum vidiſſes, annonæ caritatem non vererere: ſic erat deformis atqui horridus,vt in vberrimâ Siciliæ parte Siciliam quæreremus. labefactarat enim vehementer aratores iam ſuperior annus, proximus verò funditus euerterat.* Iam ſi fuit vberrima Siliciæ pars, facilè vides quantum Antonius hac largitione Reipub.vulnus inflixerit. Nam, vt auctor eſt Polybius de Sicilia ſcribens, καλοῦσι δ᾽ αὐτὴν ταμιεῖον τῆς Ῥώμης. *Siciliam vocant vrbis Romanæ cellam penariam.* Noſter Verrinâ de iuriſdict. Sicilienſi: *Ille M. Cato ſapiens cellam penariam Reipub. noſtræ, nutricem plebis Romanæ,Siciliam nominauit. Nos verò experti ſumus, Italico maximo difficillimóque bello, Siciliam nobis non pro penaria cella, ſed pro ærario illo maiorum vetere ac referto fuiſſe.* Vide infrà §.85.

V. IMMVNIA.] Frumentariâ 13. *Fœderatæ ciuitates duæ ſunt, quarum decumæ venire non ſoleant, Mamertina,& Taurominitana: quinque præterea ſine fœdere immunes ciuitates ac liberæ, Centuripina, Haleſina,Segeſtana,Halicienſis,Panormitana: Præterea omnis ager Siciliæ ciuitatum decumanus eſt.*

Agri immunes. Quare campus Leontinus immunis non erat,ſed decumanus,& quod facilè crediderim ex eo genere,quod proximè antè ſcribitur. *Perpaucæ ciuitates ſunt bello à maioribus noſtris ſubactæ: quarum ager cùm eſſet publicus populi Romani factus, tamen illis eſt redditus. Is ager à cenſoribus locari ſolet.* Imò videtur remanſiſſe publicus is ager,nec redditus fuiſſe Leontinis tum ob vbertatem eximiam, tum quod infrà perinde atque campanus, *in populi Romani patrimonio* cenſeatur. Agros autem huiuſmodi etiam in Sicilia quoſdam reſeruatos fuiſſe liquet ex 2. agraria §. 47. 48. AVCTIONIS PARS EA QVÆ AD SICILIAM PERTINET. *Nihil eſt in hac prouinciâ, quod aut in oppidis, aut in agris maiores noſtri proprium nobis reliquerint, quin id venire iubeat. Quod partum recenti victoria maiores vobis in Sociorum vrbibus ac finibus, & vinculum pacis, & monumentum belli reliquerunt, id vos ab illis acceptum. Hoc auctore venderis?* Vide §.56. de agro Recentorico. E quibus videas etiam in Sicilia quoſdam agros fuiſſe, An omnes agri Siciliæ fuerint decumani. nec eos omnes Siculis redditos ea conditione,vt fierent decumani: ac proinde locum è frumentaria laudatum de maxima parte,non de agris omnibus eſſe capiendum. Quæ porro dicantur immunia, liquet ex agrariâ 3.§.9. *Optimo enim iure ea ſunt profectò prædia, quæ optimâ conditione ſunt. Libera meliore iure ſunt quàm ſerua. Capite hoc omnia,quæ ſeruiebant, non ſeruient. Soluta meliore in cauſſa ſunt,quàm obligata. Eodem capite obligata omnia, ſi modò Syllana ſunt, liberantur. Immunia* Agri immunes. *commodiore conditione ſunt, quàm illa quæ penſitant. Ego Tuſculanis pro aqua Crabra vectigal pendam, quia à municipio fundum accepi, ſi à Sylla mihi datus eſſet, Rulli lege non penderem.* E quibus intelligis agros immunes eos eſſe, qui ab omni vectigalium penſitatione liberantur.

PRO TANTA MERCEDE.] De Rhetorum mercede fusè noſter, qui ſuprà, Creſolius: Ex VI. quo viſum eſt iſta excerpere. & ad rem noſtram traducere. Queritur Iuuenalis Sat.7. exiguam ſuo tempore fuiſſe mercedem.

Hos inter ſumptus ſeſtertia Quintiliano Rhetorum merces.
Vt multùm, duo ſufficient: res nulla minoris
Conſtabit patri quàm filius.–

Seſtertia duo,vt ſupputauimus oratione pro Rabirio Poſtumo, pecuniæ noſtratis aureos efficiunt Duo ſeſtertia. ferè quinquaginta: quam mercedem annuam pueri Rhetoribus penſitabant. Eum enim de annua mercede loqui colligitur ex iis quę de Grammatici mercede ſubduntur.

–*Et cùm ſe verterit annus*
Accipe victori populus quod poſtulat aurum.

Minorem tamen ſummam Proclus Naucratites à diſcipulis ſuis exigebat. Philoſtratus lib. 2. de Sophiſtis: ἑκατὸν δραχμὰς ἅπαξ καταβαλόντι ἐξῆν ἀκροᾶσθαι τὸν ἀεὶ χρόνον. *Ei qui centum drachmas ſe-* Centum drachmæ. *mel ſoluiſſet, ſemper audire licebat.* Cētū drachmæ, ſi ad monetam Romanam reuocentur, erūt quadringenti numi ſeſtertij, qui ſi ad duo ſeſtertia comparentur, tantùm illius ſummæ quintam partem efficient. Iſocrates in Sophiſtas, Pollicentur, inquit, adoleſcentibus felicitatem, τέτταρας ἢ πέντε μνᾶς ὑπὲρ τούτων αἰτοῦντες. *quatuor aut quinque mi-* Quinque mnæ. *nas pro mercede petentes.* Sic Euenus Parius, ἐδίδασκε πέντε μνῶν, *quinque minis docebat.* vt ait in apologia Socrates. Alij mercedem hanc duplicabant & μνᾶς δέκα, ſiue χιλίας δραχμὰς pendebant. Vide exempla: nobis illud in præſentia ſuffecerit ex Plutarcho in vita Iſocratis: Δημοσθένην ἔτι ῥητορεύοντί φασι μετὰ σπουδῆς προσελθεῖν αὐτῷ, καὶ χιλίας μὲν ἃς μόνας εἰσεπράττετο, μὴ ἔχειν φάναι παρασχεῖν, διακοσίας δὲ δώσειν ἐφ᾽ ᾧ τε τὸ πέμπτον μέρος ἐκμαθεῖν. τὸν δ᾽ ἀποκρίνεσθαι, οὐ τεμαχίζομεν, ὦ Δημόσθενες, τὴν πραγματείαν, ὥσπερ δὲ τοὺς καλοὺς ἰχθῦς ὅλους πωλοῦμεν, &c. *Demoſthenem aiunt ad Iſocratem cùm is adhuc* Decem minæ ſiue mille drachmas. *Rhetoricam profiteretur, magno diſcendi ſtudio veniſſe, dixiſſéque ſe mille drachmas, quas ille ſolùm exigebat, dare non poſſe, ſed ducentas ſe daturum, vt quintam artis partem addiſceret: illum autem reſpondiſſe, Non in fruſta tribuimus artem, ô De-*

moſthenes, ſed vt pulchros piſces integros vendimus, &c. Dixit ὡς μόνον εἰσεπράττετο, quòd nōnulli ſuam artem decuplo pluris æſtimarent. Gorgias enim, vt auctor eſt Diodorus Siculus lib. 12. Tantùm in

Cētum minæ.

Sophiſticâ excelluit, ὥστε μισθὸν λαμβάνειν παρὰ τῶν μαθητῶν μνᾶς ἑκατόν. *vt à diſcipulis centum minas pro mercede acciperet.* Laërtius de Protagora: πρῶτος μισθὸν ἐξεπράξατο μνᾶς ἑκατόν. *Primus in mercedem centum minas exegit.* Fabius lib. 3. cap. 1. *A Protagora decem millibus denariorum didiciſſe artem quam edidit Euathlus dicitur.* Addam, vel vt rideatur, ex Gellio lib. 5. Noct. Attic. c. 10. *Dimidiúmque eius* pecuniæ *dedit iam tunc ſtatim priùs quàm diſceret, pepigitque vt reliquum dimidium daret, quo primùm die cauſam apud Iudices*

Euathlus diſcipulus Protagoræ.

oraſſet & viciſſet. Is deinde cùm à cauſis orādis abſtineret, diem ei dixit Protagoras, &, *Diſce,* inquit, *ſtultiſſime adoleſcens vtroque id modò fore vti reddas quod peto; ſiue contra te pronunciatum fuerit, ſiue pro te. Nam ſi contra te lis data erit, merces mihi ex ſententia debebitur, quia ego vicero: ſin verò ſecundum te iudicatum erit, merces mihi ex pacto debebitur, quia tu viceris.* Ad ea reſpondit Euathlus: *Diſce tu quoque, magiſter ſapientiſſime, vtroque modo fieri vti non reddam quod petis: ſiue contra me pronuntiatum fuerit, ſiue pro me. Nam ſi Iudices pro cauſſa meâ ſenſerint, nihil tibi ex ſententia debebitur, quia ego vicero: ſin contra me pronuntiauerint, nihil tibi ex pacto debebo, quia ego non vicero.* Eadem ab Apuleio initio libri 4. floridorum referuntur. Sed hæc narratiuncula me admonet, vt aliam eius generis ſubtexam, quam refert Chiliaſtes ex prolegomenis in Hermogenis Rhetoricen, *Corax quidam primus Syracuſis poſt mortem Hieronis inſtituit artem Rhetoricen mer-*

Corax & Tiſias.

cede profiteri. Cùm hoc adoleſcens quidam Tiſias hac lege pactus eſt, vt tum demum mercedem perſolueret, vbi iam artem perdidiciſſet. Dein vbi iam arte cognita præmium reddere cunctaretur, Corax in ius diſcipulum vocat. Ibi iuuenis huiuſmodi dilemma proponit. Percunctanti quis eſſet artis finis, vbi Corax reſpondiſſet, Perſuadere dicendo: Age, inquit, ſi perſuaſero iudicibus, me nihil debere, non reddam, quia vici cauſſam: Sin minùs perſuaſero non reddam, quia non perdidici artem. At Corax Tiſiæ dilemma tanquam vitioſum & ἀντιστρέφον, in diſcipulum retorſit ad hunc modum: Immò, inquit, ſi perſuades, dabis, quia tenes artem, & debes ex pacto: ſin minùs, dabis, quia ſententiis iudicum damnatus. Quod commentum tam vafrum támque callidum vbi Iudices audiſſent, admirati verſutiam adoleſcentis ſucclamarunt, Κακοῦ κόρακος κακὸν ᾠόν. *Mali corui malum ouum. Sunt qui narrent hoc ſucclammatum eſſe à corona circunſtātium, cùm alter alteri litem intenderet.* Hæc Chiliaſtes, ſed vt finiamus hanc notam ἐξ ἐράνου, & ſtipe collatitia conſtructam, quantamcunque illi præceptionum & declamationum ſuarum mercedem exegerint, longè maiorem Antonius Rhetori ſuo largitus eſt. Veſpaſianus apud Tranquillum c. 18. *Primus è fiſco Latinis Græciſque Rhetoribus annua centena conſtituit.* Id eſt, aureos Romanos mille, ſiue totidem piſtollas Hiſpanicas.

Mali corui malū ouum.

Merces Rhetoribus conſtituta.

VII. Nihil sapere.] Suprà 7. *Iam inuideo magiſtro tuo qui te tanta mercede, quantam iam proferam, nihil ſapere docuit.* Nazianzenus ep. ad Euſtochium Sophiſtam, quæ 55. numeratur: Καὶ οὐκ ἐπιβουλεύσετε μὲν ὑμῶν αὐτοῖς, ἐπιβουλεύσετε μὲν ταῖς τῶν νέων ἐλπίσιν, οἳ πάντως ἂν τὰ δεινότατα, εἰ λόγοις ἀσκούμενοι κακίαν μάθοιεν, καὶ ταύτην οὐκ ἄμισθον. *Ne vobis ipſis, ne iuuenum ſpei inſidias comparate, qui profectò grauiſſima iniuria afficientur, ſi literarum ſtudia colentes vitium addiſcant, & quidem non ſine mercede.* Themiſtius in Baſaniſte: Ἰχθύων μὲν ἔσονται ἀναυδότεροι, μισθὸν δ᾽ ὅμως εἰσπράξεται ὁ διδάσκαλος τῆς ἀφωνίας, &c. *Magis erunt muti quàm piſces, nihilo tamen ſeciùs mercedem pro loquendi impotentia exiget magiſter.*

VIII. Semper novvs.] Hunc locum explanans Petrus Victorius lib. 21. Variar. lect. c. 17. *Nouum oratorem, inquit, Cicero quandoque appellauit eum, qui in ſimili vel potiùs eodem argumento, noua quædam anteáque inaudita afferret, non qui priùs auditus non foret.* Profert & alium locum ex Bruto: *Maximè verò perſpecta eſt vtriuſque noſtrum exercitatio paulò antè quàm perterritum armis hoc ſtudium, Brute, noſtrum conticuit ſubitò & obmutuit: cùm lege Pompeia, ternis horis ad dicendum datis, ad cauſſas ſimillimas inter ſe, vel potiùs eaſdem, noui veniebamus quotidie.* Item illud Dionyſij Halicarnaſſei de Lyſia: Οὑτοσὶ δὲ καινὸς ὁ ῥήτωρ ἐστὶ καθ᾽ ἕκαστον τῶν λόγων. *Hic autem ſingulis orationibus eſt nouus Orator.*

AXIOMA.

Plerique magna mercede nihil ſapere diſcunt.

Inſectatio

- *Inſectatio Antonij à 30. ad finem.*
  - Vita priuata
    - pueritia. 30.
      - ſordida. decoxit prætextatus. 30.
      - audax. ſedit in quatuordecim ordinibus contra legem Roſciam.
    - adoleſcentia.
      - forenſis & vrbana
        - impura
          - vulgare ſcortum. 31.
          - amatus à Curione, ex quo
            - turbata eſt familia Curionis. 32.
            - ſed Cicero malum ſedauit. 33.
        - ſeditioſa. fuit intimus Clodio in tribunatu. 35.
      - caſtrenſis
        - profectus Alexandriam
          - contra Senatus auctoritatem.
          - contra religiones. 35.
        - rediit. 36.
          - priùs in Galliam ad Cæſarem,
          - quàm Romam, quo deinde acceſſit
            - priùs ad Ciceronem,
            - quàm ad matrem.
    - reliqua ætas qua priuatus fuit per interualla tempore belli ciuilis.
  - Magiſtratus
    - Quæſtura
      - parta. 37. In quæſturæ petitione
        - cuſtodiuit & coluit Ciceronem, cui commendatus fuerat à Cæſare.
        - obſeruatus & deductus fuit à Cicerone, vt populo commendaretur.
      - geſta. 38.
        - profectus eſt ad exercitum Cæſaris
          - ſine S. C.
          - ſine ſorte.
          - ſine lege.
        - ibi ſe expleuit
          - Cæſaris largitionibus.
          - ſuis rapinis.
    - tribunatus plebis
      - partus. ad eum aduolauit egens.
      - geſtus. Cauſa fuit belli ciuilis.
    - magiſterium equitum
      - partum.
      - geſtum.
    - Conſulatus
      - partus.
      - geſtus.

ARGVMENTVM.

De Antonio dicturus à prima ſurgentis pueritiæ vita ſuam orationem orditur, & inſectatur eius audaciam, quod cùm decoxiſſet ſedit in quatuordecim ordinibus, cùm lex Roſcia decoctores ex eo loco ſpectare prohiberet.

XXX. VISNE igitur te inſpiciamus à puero? ſic opinor, à principio ordiamur. Tenéſne memoria prætextatum te decoxiſſe? Patris, inquies, iſta culpa. concedo, etenim eſt pietatis plena defenſio: illud tamen audaciæ tuæ, quod ſediſti in quatuordecim ordinibus: cùm eſſet lege Roſcia decoctoribus certus locus conſtitutus: quamuis qui fortunæ vitio, non ſuo, decoxiſſet.

EXPLANATIO.

VISNE IGITVR.] Communicatio Rhetorica, qua ordinem orationis fingit ſe arbitrio aduerſarij committere.

TENESNE MEMORIA.] Primum Antonij crimen in pueritia ſuſceptum, quod contra Roſciam legem, cùm decoxiſſet, in quatuordecim ordinibus ſpectauerit. Sed hîc aduerte artificium ſingulare. Primò exprobrat illi fortunam, quòd puer adhuc decoxerit, id eſt, ad tantam redactus fuerit inopiam, vt patrimonio ceſſerit, cùm ſoluendo non eſſet. Quia tamen, vt notat Demoſthenes, alteri obiicere fortunæ calamitatem, quæ cuilibet euenire poteſt, in eo non inſiſtit, ſed à fortunæ malis ad animi mala, id eſt, ad impietatem & audaciam Antonij traducit orationem.

PRÆTEXTATVM.] Cùm nondum decimum quartum ætatis annum attigiſſes, ſed adhuc indutus eſſes prætexta puerili.

DECOXISSE.] Ceſſiſſe bonis paternis, omnéſque diuitias quaſi ſuccum perdidiſſe, inſtar arborum, quæ ſuccum ſuum & humorem vitalem amittunt, & ſolis ardore decoquuntur.

PATRIS, INQVIES.] Huic obiectioni meæ reſpondebis. Mea culpa non eſt, ſed patris mei. Non enim ego, ſed pater meus viuendo luxurioſè patrimonium abliguriuit, & tam grande æs alienum contraxit, vt bonis cedere coactus fuerim, cùm non poſſem æs illud alienum diſſoluere, fidémque meam à paternis creditoribus liberare.

CONCEDO.] Antonij defenſionem admittit. Ne ſi, vt iam monui, acrius in illud non morum, ſed fortunæ crimen inſiſtat, frigida videatur oratio.

PIETATIS.] Ironia, qua vehementiùs pungit & cruentat Antonium, quàm ſi apertò reſponſionis illius impietatem exprobraret.

ILLVD TAMEN.] Lex Roſcia theatralis à L. Roſcio Othone Tribunoplebis lata, ne quis ſpectaret in quatuordecim primis graduum ordinibus, qui proximè ad orcheſtram & podium accedebant, niſi ſi eſſet ingenuus ab ingenuo patre & cenſum equeſtrem, id eſt, quadringenta ſeſtertia poſſideret. Iis autem ex Senatorio vel equeſtri ordine natis, qui ſiue ſuo, ſiue fortunæ vitio decoxerant, neque iam cenſum equeſtrem obtinebant, peculiarem locum conſtituit. Ex hoc igitur capite Antonij carpit audaciam, quod legem Roſciam præfractè violarit, & ſederit in quatuordecim cùm decoxiſſet. Atque vt huius loci numerum paucis attingamus, vides hoc loco membra inciſis mira concinnitate miſceri, & tandem membrorum quatuor ambitu terminari, ſiue, vt loquitur noſter in Oratore: *Omnia tanquam crepidine quadam comprehenſione longiore ſuſtineri. Viſne igitur te inſpiciamus à puero?* membrum eſt quod penè ad hexametri longitudinem accedens, duobus choriambis incœptum anapæſto finitur. Sequitur inciſum vno dichoræo contentum. *Sic opinor.* Sequuntur tria membra: quorum extrema duo ſunt hexametro breuiora, medium paulò etiam longiùs, quàm verſus heroicus extenditur:

A principio ordiamur.
Tenéſne memoria prætextatum te decoxiſſe.
Patris, inquies, iſta culpa eſt.

Excipit inciſum, *concedo*, pòſt membrum inchoatum à duobus anapæſtis, vt aures magis feriant & aduerſarij mentem percellant, limitatum ſpondæo & dochimo, vt ſpondæus orationi pondus addat, dochimus aliquid amœnitatis impertiat. Tandem huic multiplici ſtructuræ longior ambitus & circumſcriptio verborum quaſi faſtigium imponitur.

Illud verò audacia tua
quòd ſediſti in quatuordecim ordinibus,
cùm eſſet lege Roſciâ certus locus decoctoribus conſtitutus,
quamuis quis fortunæ vitio non ſuo decoxiſſet.

Vides circumſcriptionem hanc à duobus heroico verſu minoribus membris exorſam duobus grandioribus terminari, ſingula membra productas initio ſyllabas plures continuari, vt iis veluti cuidam fundamento inſiſtant, variè finiri, & hunc membrorum finem quaſi quibuſdam gradibus ſenſim ad culmen aſſurgere. *tuæ* iambus eſt qui minimum habet dignitatis, *ordinibus* pæan primus aliquantò ſublimior, ſi numerum ſyllabarum ſpectes, ſi menſuram non adeo grandis, *conſtitutus*, dichoræus iambo quidem & pæane quidem grandior, nondum tamen ſublimis, ſed quadam amœnitate temperatus. *Decoxiſſet*, diſpondæus magnificus planè & grauis totam circumſcriptionem ſuſtentans.

NOTÆ.

1. A PVERO.] Frequentes huiuſmodi inſectationes vel à pueritiâ, vel à toga purâ repetitæ. in Verrem de prætura vrbana: *Primum illum actum iſtius vitæ turpiſſimum, & flagitioſiſſimum prætermittam: nihil à me de pueritiæ ſuæ flagitiis audiet: nihil de illa impura adoleſcentia ſua: quæ qualis fuerit aut meminiſtis, aut ex eo quem ſui ſimillimum produxit, recognoſcere poteſtis.* Libro 7. ad Attic. epiſt. 8. *Habebamus autem in manibus Antonij concionem, habitam X. Calend. Ianuar. in qua erat accuſatio Pompeij vſque à toga pura: querela de damnatis: terror armorum.* In Vatin. 11. *At illud tenebroſiſſimum tempus ineuntis ætatis tuæ patiar latere: licet impune per me parietes in adoleſcentia perfoderis*, &c. Sic Æſchinem inſpicit à puero Demoſthenes oratione de corona: Παῖς μὲν ὤν, μετὰ πολλῆς ἐνδείας ἐτράφης, &c. *Cùm puer, eſſes educatus es in multa egeſtate*, &c. Ἐπειδὴ δὲ εἰς τοὺς δημότας ἐνεγράφης, ὁπωσδήποτε, ἐῶ γὰρ τοῦτο, ἐπειδὴ γ' ἐνεγράφης, &c.. *Poſtquam autem in populares adſcriptus es, quocunque tandem pacto (hoc enim in medio relinquo) Poſtquam adſcriptus es.* Sic Nazianzenus Iulianum ſteliteuticâ priore, (verba omitto) ſic Calenus Ciceronem apud Dionem initio libri 46. Sed nos aliò properemus.

II. PRÆTEXTATVM.] Qui nodum in ſcirpo quærunt dicere poſſent *prætextatum* ambiguè dici de induſtriâ. Prætextatus enim dici poteſt tam qui gerit prætextam, quàm qui eſt apertè impudicus, qua etiam Iuuenalis amphilogia luſerit. 1.

Prætextatus.

-Et prætextatus adulter.

Et Sat. 2. de Armenio quodam cunctis ephebis molliore:

Sic prætextatos referunt Artaxata mores.

Suetonius in Veſpaſian. cap. 22. *Erat enim dicacitatis plurimæ, & ſic ſcurrilis ac ſordidæ, vt ne prætextatis quidem verbis abſtineret.* Feſtus: *Prætextatum ſermonem quidam putant dici* (per antiphraſim videlicet) *quòd prætextatis nefas ſit obſcœno verbo vti. Alij quòd nubentibus depoſitis prætextis à multitudine puerorum obſcœna clamentur.* E quibus vides quàm gnauiter Paulus Feſtum corruperit, dum huius ſententiam his verbis expreſſit, *Prætextatum appellabant ſermonem qui nihil obſcœnitatis haberet.* Prætextatus igitur eo ſenſu dici potuit Antonius, quòd primam pueritiam probris & infamia traduxerat. Sed quoniam, vt reor, de hac amphilogia Tullius ne cogitauit quidem, vt aliquid dicamus de prætexta puerili, placet ex Macrobio lib. 1. Saturnal. cap. 6. nonnihil exſcribere.

Tarquinius Priſcus: *De Sabinis egit triumphum. Quo bello filium ſuum annos quatuordecim natum, quòd hoſtem manu percuſſerat, & pro concione laudauit, & bullâ aureâ prætextâque donauit: inſigniens puerum vltra annos fortem præmiis virilitatis & honoris.* Idem de Tarquinio Priſco refert Plinius cap. 1. lib. 35. naturalis hiſtoriæ, & Plutarchus in quæſtionibus

Prætexta.

Romanis problemate 101. Pergit Macrobius: *Nam ſicut prætexta magiſtratuum, ita bulla geſtamen erat triumphantium: quam in triumpho præ ſe gerebant, incluſis intra eam remediis, quæ crederent aduerſus inuidiam valentiſſimæ.* Quod haud ſciò an ſignificare voluerit Plinius lib. 28. cap. 4. *Faſcinus Imperatorum quoque, non ſolùm infantium cuſtos, qui Deus inter ſacra Romana à Veſtalibus colitur, & currus triumphantium ſub his pendens defendit medicus inuidiæ, iubétque eodem reſpicere.* bulla.

Addit Macrobius ex aliorum ſententia eundem Tarquinium Priſcum inſtituiſſe: *Vt patricij bullâ aureâ cum toga, cui purpura prætexitur, vterentur, duntaxat illi quorum patres curulem geſſerant magiſtratum. Cæteris autem vt prætextâ tantùm vterentur, indultum: ſed vſque ad eos quorum parentes equo ſtipendia iuſta meruiſſent. Libertinis verò nullo iure vti prætextis licebat.* Addit & aliam cauſſam cur poſteà conceſſum fuerit, *Vt libertinorum quoque filij, qui ex iuſta duntaxat matrefamilias nati fuiſſent, togam prætextam & lorum in collo pro bullæ decore geſtarent.* Iuuenalis Sat. 5. Lorum.

-Quis enim tam nudus vt illum
Bis ferat, Etruſcum puero ſi contigit aurum,
Vel nodus tantùm, & ſignum de paupere loro.

Aſconius in Verrem de prætura vrbana, §. 152. *Simul cum prætexta etiam bulla ſuſpendi in collo infantibus ingenuis ſolet aurea, libertinis ſcortea, quaſi bullientis aquæ ſinus communiens, pectúſque puerile.* Adde, ſi placet, Plinium cap. 1. lib. 33. Et poſt alia tandem addit Macrobius ex aliorum ſententia, Herſiliam vnam è raptis Sabinis primam omnium liberos procreaſſe: *Eúmque quod primus eſſet in hoſtico procreatus Hoſtum Hoſtilium à matre vocitatum, & eundem à Romulo bullâ aureâ ac prætextâ inſignibus honoratum. Is enim cùm raptas ad conſolandum vocaſſet, ſpopondiſſe fertur, ſe eius infanti, quæ prima ſibi ciuem Romanum eſſet enixa, illuſtre munus daturum. Nonnulli credunt ingenuis pueris attributum, vt cordis figuram in bulla ante pectus annecterent, quam inſpicientes ita demum ſe homines cogitarent ſi corde præſtarent. Togam quoque prætextam his additam, vt ex purpuræ rubore, ingenuitatis pudore regerentur.* De bulla Feſtus Pompeius: *Bulla aurea inſigne erat puerorum prætextatorum, quæ dependebat eis à pectore, vt ſignificaretur eam ætatem alterius regendam eſſe conſilio. Dicta autem eſt à Græco ſermone βουλὴ, quod conſilium dicitur Latinè, vel quia eam partem corporis bulla contingat, id eſt pectus, in quo naturale manet conſilium.* Quod ad figuram bullæ ſpectat, diſſentit à Macrobio Plutarchus: eam enim ille *cordis figuram* appellat, hic φακοειδῆ, in quæſtionib. Romanis problemate 101. vbi de bullâ copioſè: Ὅρα μὴ καὶ τοῦτο διὰ τὴν σελήνην φορεῖται. τὸ γὰρ φαινόμενον σχῆμα τῆς σελήνης, ὅταν ᾖ διχόμηνος οὐ σφαιροειδὲς, ἀλλὰ φακοειδές ἐστι καὶ δισκοειδές. *Vide an illud etiam propter lunam geſtent. apparens enim lunæ plenæ ſpecies, non ſphæræ, ſed lentis aut diſci figuram repræſentat.* Sed quoniam ſi longiùs in hoc ampliſſimo campo ſpatiemur, periculum eſt ne nos ipſi παιδαριώδεις & bullâ digni videamur, cum Tullio finiamus, & ex Verrina de Prætura vrbanâ curſim duo notemus. Alterum

Bulla cordis inſtar.

Cur data pueris.

Lentis aut diſci ſpecie, bulla.

prætextam ingenuitatis, bullam fortunæ indiciũ fuiſſe, alterum non pueros ſolùm, ſed etiam puellas ingenuas, vſus fuiſſe veſte prætexta. De priore cùm dixiſſet §.151. *Hic priore actione Qu. Hortenſius pupillum Iunium veniſſe prætextatum in veſtrum conſpectum, & ſtetiſſe cum patruo teſtimonium dicente queſtus eſt, & me populariter agere, atque inuidiam commouere, quòd puerum producerem, clamitauit.* adiecit §.152. *Neque te tam commouebat quòd ille cum toga prætexta, quàm quòd ſine bulla venerat. Veſtitus enim neminem commouebat is, quem illi mos & ius ingenuitatis dabat. Quod ornamentum pueritiæ pater dederat, indicium atque inſigne fortunæ, hoc ab iſto prædone ereptum eſſe, grauiter & acerbè homines ferebant.* Hunc autem pupillum Iunium Verres Prętor vrbanus per ſummam iniuriam bonis euerterat. vnde meritò ſuſpicère pueros, qui in prætexta vel decoxerant, vel alio quouis modo bonis paternis fuerant deuoluti, prætextam quidem retinuiſſe, ſed bullæ ius amiſiſſe, quantumuis eorum maiores curulem geſſiſſent magiſtratum, & fortaſſe bullis ſcorteis vſos fuiſſe. Quare non vacat quòd Orator prætextatum potiùs quàm bullatum decoxiſſe dicit Antonium. De poſteriore, eadem Verrina §.113. *Eripies igitur pupillæ togam prætextam? detrahes ornamenta non ſolùm fortunæ, ſed etiam ingenuitatis?* quas prætextas ipſo nuptiarum die ponebant, & cum ſtola mutabant. Iam Feſtum laudauimus. *Nubentibus depoſitis, prætextis à multitudine puerorum obſcœna clamantur.* E quibus eruditè Guillelmus Budæus annotationibus priùs in Pandectas locum illum Inſtit. tit. de iniuriis exponit: *Siue quis matremfamilias aut prætextatum, prætextatámque aſſectatus fuerit.* Sed iam tum de prætexta puerili, tum de aliis prætextæ generibus nonnihil dictum ad §.144. Sextianæ.

Prætexta ingenuitatis.

Bulla fortunæ fuit indicium.

Puellæ prætextatæ.

III. DECOXISSE.] Libet hoc loco Magni Budæi verba exſcribere. Eſt, inquit, decoquere creditum non reddere, ære credito fraudare, vorato patrimonio creditoribus fidem non præſtare, aut certè fidem ſuam obſtrictam per inopiam non liberare. Plinius lib.33. cap.10. *Dummodo notum ſit eum qui primus accepit hoc cognomen Diuitis, decoxiſſe creditoribus ſuis.* Is fuit Craſſus Diues, cuius Valerius Maximus lib.6. cap.11. facit mentionem. Sic Catullus:

Decoquere.

Decoctoris amica Formiani.

Decoquere enim eſt paulatim minuere. tranſlatione ducta à muſto cæteríſque liquoribus qui decoctione minuuntur. Fabius lib.2. cap.4. *Multum inde decoquent anni, multum ratio limabit, aliquid vſu deteretur.* Liuius initio lib.32. quem Budæus ſecundum de bello Macedonico librum appellat: *Carthaginienſes eo anno argentum in ſtipendium impoſitum primùm Romam aduexerunt. Id quia probum non eſſe quæſtores renuntiauerant, experientibúſque pars quarta decocta erat, pecuniâ Romæ mutuâ ſumptâ, intertrimentum argenti ſuppleuerunt.* Symmachus libro 9. *Senectus nihil decoquit firmitatis.* Perſius Sat.5.

Hunc alea decoquit.

Columella in principio lib.11. *Res tamen ipſa iam domino decoxit. Nec mox in tantum exuberat, vt & iacturam capitis amiſſi reſtituat, & quæſtum reſarciat.* Decoxit, inquit Budæus, id eſt, frugum fœturam, quaſi fœnus debitum non reddidit. Plinius lib.21. cap.6. *Crocum ſylueſtre optimum: ſerere in Italia minimè expedit, ad ſcrupula vſque ſingula areis decoquentibus.* Id eſt, depoſitum non reddentibus. Hinc apud Florum in præfatione decoquere ſenes dicuntur, quòd eorum vires paulatim carpantur, & humor radicalis, vt vocant, ſenſim ætate minuatur, vbi de populo Romano ita loquitur. *Inertiâ Cæſarum quaſi conſenuit atque decoxit.*

PATRIS INQVIES ISTA CVLPA EST.] Hic eſt ille M. Antonius Creticus tam diſſolutus nepos, vt ne tabulas quidem rationum conficere crederetur. Cicero libro 3. in Verrem §.60. *Audiuimus aliquem tabulas nunquam confeciſſe: quæ opinio hominum de Antonio falſa.* Vbi Aſconius: *Hic eſt Mar. Antonius diſſolutiſſimus curator oræ maritimæ, Cretæ mortuus, &c. quem Salluſtius ait perdundæ pecuniæ genitum, & vacuum à curis niſi inſtantibus.* Vt me Orator Antonio filio diſſolutionem patris his verbis obiecerit: PATRIS, INQVIES, ISTA CVLPA EST. Antonij pater fuit, *Antonius Creticus, vir*, vt eſt apud Plutarchum, *non ita quidem ſplendidus & illuſtris in Repub.* εὐγνώμων δὲ καὶ χρηστὸς, ἄλλως τε καὶ πρὸς τὰς μεταδόσεις ἐλευθέριος. *Vir bonis quidem & commodis moribus, tum potiſſimùm in largiendo liberalis, vt ex vno eius facto facilè cognoſci poteſt.* κεκτημένος γὰρ οὐ πολλὰ, *cùm enim magnas diuitias haudquaquam poſſideret, & eam ob rem ab vxore liberalitatem exercere prohiberetur, contigit vt familiaris quidam ad eum pecuniam petens accederet. Deficiente pecuniâ, ſeruulo mandauit, vt aquam in vas argenteum infunderet, ad ſéque deferret. Quo allato quaſi barbam raſurus mentum rigauit, & ſeruulum alio prætextu abs ſe dimiſit.* τῷ μὲν φίλῳ τὸ σκεῦος ἔδωκε χρῆσθαι κελεύων. *Amico vaſculum dedit iubens, vt eo pro ſuo commodo vteretur. Cùm autem quid eo vaſculo factum eſſet diligenter inter domeſticos quæreretur, vxorem grauiter ſtomachari videns, & de ſingulis velle habere quæſtionem,* ὡμολόγησε, συγγνώμην ἔχειν δεηθείς. *Factum confeſſus eſt rogans, vt illa ſibi ignoſceret.* Hæc Plutarchus, paulò liberaliùs & benigniùs quàm Orator, vel etiam ipſe Antonius.

IV. M. Antonius Creticus his luo.

SEDISTI.] Iam alibi, ni fallor, monuimus antiqui moris fuiſſe, vt ſtarent in ſpectaculis, & Scipionem Naſicam theatri ſubſellia ſuſtuliſſe, vel potiùs ipſum theatrum. καθεῖλε τὸ θέατρον, inquit Appianus 1. ciuilium. Adde quòd, vt teſtatur Valerius Maximus libro 2. de ſpectaculis: *Senatuſconſulto cautum eſt ne quis in vrbe propiúſve paſſus mille ſubſellia poſuiſſe, ſedénſve ludos ſpectare vellet, vt ſcilicet remiſſioni animorum iuncta ſtandi virilitas propria Romanæ gentis nota eſſet.* Paulò pòſt tamen mos ſedendi reuocatus. Plutarchus in Sylla: Ἔτυχε πλησίον τοῦ Σύλλα καθεζομένη γυνὴ τὴν ὄψιν εὐπρεπής. *Contigit vt iuxta Syllam ſederet mulier facie honeſta & liberali.* Cuius moris apud Naſonem & alios multa veſtigia. Lepidum illud apud Martialem lib.5.

V.

Antiqui non ſedebant in ſpectaculis.

Sedere primo ſolitus in gradu ſemper
Tunc cùm licebat occupare, Manneius,
Bis excitatus, térque tranſtulit caſtra,
Et inter ipſas penè tertius ſellas,

Poſt Caiúmque Luciúmque conſedit.
Poſteà ſedeunt.
Illinc cucullo proſpicit caput tectus,
Oculóque ludos ſpectat indecens vno.
Et hinc miſer deiectus in viam tranſit,
Subſellióque ſemifultus extremo
Et malè receptus altero genu, iactat
Equiti ſedere, Leotióque ſe ſtare.

Auſonius ludo ſeptem ſapientum:

Lumbi ſedendo oculique ſpectando dolent.

Notum & illud Ciceronis in Laberium mimum ex Macrobio 2. Saturnal. cap. 3. *Cùm Laberius in fine ludorum annulo aureo honoratus à Cæſare è veſtigio in XIV. ordinibus ad ſpectandum tranſiiſſet violato ordine: & cùm detractus eſſet eques Roman. & cùm mimus remiſſus, ait Cicero prætereunti Laberio, & ſedile quærenti, Recepiſſem te niſi anguſtè ſederem: ſimul & illum reſpuens & in nouum Senatum iocatus, cuius numerum Cæſar ſupra fas auxerat. Nec impunè: reſpondit enim Laberius: Mirum ſi anguſtè ſedes, qui ſoles duabus ſellis ſedere: exprobrata leuitate Ciceronis, qua immeritò optimus ciuis malè audiebat.* Procedente tempore, vt molliùs decatiúſque ſederent, à Caio Cæſare Caligula, vt auctor eſt Dio: Τά τε προσκεφάλαια τοῖς βουλευταῖς, ὅπως μὴ ἐπὶ γυμνῶν τῶν σανίδων καθίζωνται, πρῶτον τότε ὑποτέθη, καὶ πίλοις σφισὶ τὸν Θετταλικὸν τρόπον ἐς τὰ θέατρα φορεῖν, ἵνα μὴ ἡλιώσει ταλαιπωρῶνται ἐπετράπη. *Puluilli tunc primùm Senatoribus, ne nudis aſſeribus inſiderent ſubiecti, & pileos Theſſalico more in theatra inferre iis conceſſum ne inſolatione torquerentur.* Senatoribus? immò & Equitibus. Iuuenalis Sat. 3.

Etiam ſubiectis puluillis.

-Exeat, inquit,
Si pudor eſt, & de puluillo ſurgat equeſtri
Cuius res legi non ſufficit.

VI. IN QVATVORDECIM ORDINIBVS.] Quatuordecim gradus in theatro infimi & orcheſtræ proximi Roſcia lege fuerunt Equitibus deſtinati, vetitúmque ne quis plebeius huiuſmodi gradus occuparet. Vetus interpres Horatij ad illa epodi verba in Mænam, ſiue Mænodorum libertum Sexti Pompeij:

Sedilibúſque magnus in primis eques
Othone contempto ſedet.

Otho, inquit, *quatuordecim gradus in theatro equiti ſepararat, ex quibus primi tribunitiis poteſtatibus vacarent.* Hinc huiuſmodi gradus modò equeſtria, modò quatuordecim, modò ordines nominati. *Equeſtria.* Seneca 7. de beneficiis: *Equeſtria omnium equitum Romanorum ſunt, in illis tamen locus meus fit proprius quem occupaui.* Hunc locum profert Lipſius, & alterum ex Suetonio in Caligula, tertium ex Petronio. Notátque vt primos illos gradus quatuordecim *equeſtria*, ſic reliquos *popularia* fuiſſe dictos. Tranquillus in Claudio cap. 25. *Germanorum legatis in orcheſtra ſedere permiſit, ſimplicitate & fiduciâ eorum motus, quòd in popularia deducti cùm animaduertiſſent Parthos & Armenios in Senatu ſedentes ad eadem loca ſponte tranſierant.* Addit auctoritatem Vlpiani & Calliſtrati.

Equeſtria.

Popularia.

Dicti etiam quatuordecim, quòd is reuerà graduum numerus eſſet Equiti deſtinatus. Seneca, quem eiuſdem viri doctiſſimi fide tibi repræſento. *At mehercule multis quatuordecim gradus ſunt clauſi, non omnes curia admittit.* Aduertit tamen ſub Auguſtis, ita excreuiſſe equeſtrem ordinem, vt non ſolùm quatuordecim illos gradus, ſed interdum totam caueam occuparet. Calpurnius de ludis Carini:

Quatuordecim gradus.

Venimus ad ſedes, vbi pullâ ſordida veſte
Inter fœmineas ſpectabat turba cathedras.
Nam quæcunque patent ſub aperto libera cœlo
Aut Eques, aut niuei loca compleuere Tribuni.

Ordines. Martialis:

Et puros eques ordines recepit. Ordines.

Quare non diſplicet vulgata lectio: *Sediſti in quatuordecim ordinibus.* etſi quidam vocem *ordinibus* oblitterandam putarint.

LEGE ROSCIA.] Theatrali quam tulit Luc. Roſcius Otho Cicerone & Antonio Conſulibus. pro Murena 48. *Luc. Otho, vir fortis, meus neceſſarius, equeſtri ordini reſtituit non ſolùm dignitatem, ſed etiam voluptatem. Itaque lex hæc quæ ad ludos pertinet, eſt omnium gratiſſima, quòd honeſtiſſimo ordini cum ſplendore fructus quoque iucunditatis eſt reſtitutus.* Plutarchus in Cicerone: Τῶν ἱππικῶν πρότερον ἐν τοῖς θεάτροις ἀναμεμιγμένων τοῖς πολλοῖς, καὶ μετὰ τοῦ δήμου θεωμένων ὡς ἔτυχε, πρῶτος διέκρινεν ἐπὶ τιμῇ τοὺς ἱππέας ἀπὸ τῶν ἄλλων πολιτῶν Μάρκος Ὄθων στρατηγῶν, καὶ διένειμεν ἰδίαν ἐκείνοις θέαν, ἣν ἔτι καὶ νῦν ἐξαίρετον ἔχουσι. *Cùm priùs equites in theatro, mixti multitudini & cum plebeiis ſpectarent, vt caſus tulerat, primus Marcus Otho Prætor in honorem equeſtris ordinis Equites à reliquis ciuibus diſcreuit, iiſque proprium ſpectandi locum tribuit, quem ad hoc vſque tempus eximium habent.* Hoc loco niſi me Plutarchi reuerentia prohiberet, cenſoriam virgulam apponerem, & obiter tria notarem. Primum Othonem Roſciæ legis auctorem non Marci, ſed Lucii prænomen habuiſſe, vt patet vel ex ipſo Cicerone. Alterum Roſcium Othonem non videri primum fuiſſe qui equeſtria à popularibus diſcreuerit, non enim primùm conceſſus honeſtiſſimo ordini, ſed, vt auctor eſt Cicero, *cum ſplendore fructus quoque iucunditatis eſt reſtitutus.* Tertium eſt Othonem hunc dum legem ferret theatralem, à Plutarcho Prætorem, à Liuio epitome 99. Tribunum plebis, ab Aſconio commentationibus in orationem pro C Cornelio maieſtatis reo Conſulem nominari. Sed à Liuio ſtandum: neque enim Aſconij cohærere poteſt oratio: qui verba Ciceronis, *Quamdiu quidem hoc animo erga vos plebs erit quo ſe oſtendit eſſe, cùm legem Aureliam, cùm Roſciam non modò accepit, ſed etiam efflagitauit.* de Roſcia theatrali intelligit. Hui! Roſciam theatralem non modò plebs accepit, ſed etiam efflagitauit?

VII.

Lex Roſcia.

-Credit Iudæus apella Non ego.-

Quippe cui perſuaſum ſit, quod Plutarchus refert, plebem tam indignè tuliſſe hoc diſcrimen, vt legis auctorem in theatrum venientem initio ſibilis exceperit, donec tandem à Cicerone Conſule placata indignationem in plauſum conuertit. Plinius lib. 7. cap. 30. perſequens geſta Ciceronis in Conſulatu, eúmque compellans: *Te ſuadente Roſcio theatralis auctori legis ignouerunt, notatáſque ſe diſcrimine ſedis æquo animo tulerunt.* Quid? quod hanc legem Pedianus biennio latam fuiſſe dicit antè quàm Cicero Cornelium defenderet, id eſt, quatuor annis ante Conſulem Ciceronem? cui Plutarchus & Plinius refragantur dum plebem Ciceronis Conſulis

oratione pro Roſcio placatam fuiſſe teſtantur. Quid denique? quod nemo fuit Roſcius Conſul iis temporibus, vt ex omnibus faſtis apparet? Neque etiam prætor videtur fuiſſe. Hæc enim lex vera fuit quæ etiam mutata Repub. ſub Auguſtis ſuam obtinuit auctoritatem, vt ex Horatio
Legis & edicti Prætorij diſtinctio. conſtat, Iuuenale, Plutarcho: at Prætoriæ leges ſiue edicta non diuturniorem quàm annuam vim obtinebant. Cicero in Verrem de Prætura vrbana 109. *Qui plurimum tribuunt edicto Prætoris, edictum legem annuam dicunt eſſe. Tu edicto plus complecteris quàm lege. Si finem edicto Prætoris afferunt Calendæ Ianuarij, cur non initium quoque edicti naſcatur à Calendis Ianuarij?* Sed hæc ſatis. De cæteris Roſciæ legis capitibus, vide dicta pro Sextio 110. ad illa verba, *Cuius ille ordinis nomen retinet, ornamenta confecit.* Aduerte tantùm in hac lege nullam ſexus aut ætatis, ſed ordinis habitam fuiſſe rationem. Nam etiam poſt legem Roſciam viri cum mulieribus ſeſſitarunt, vt ex Ouidio liquet lib. 3. Amorum elegia 2. primo de arte, & 2. Triſtium elegia ad Auguſtum, & aliis paſſim. Et Auguſtus apud Tranquillum cap. 44. *Militem ſecreuit à populo: maritis è plebe proprios ordines aßignauit: prætextatis cuneum ſuum, & proximum pædagogis*, &c. Quare etiam prætextato Antonio per Roſciam legem in quatuordecim ordinibus ſedere licuiſſet, niſi fuiſſet decoctor.

VIII. Certvs locvs.] Meritò. Nam vt diximus in Sextiana 110. Roſcius in aſſignandis locis non ſolius ordinis, ſed etiam censús & fortunæ putauit habendam eſſe rationem. Nullum tamen præterea extat huius rei veſtigium: ac proinde hic locus notandus diligenter. Simile quid tamen Spartianus agens de conſtitutionibus A-
Decoctores catamidiati. driani. *Decoctores bonorum ſuorum, ſi ſuæ auctoritatis eſſent, catamidiari in amphitheatro & dimitti iußit.* catamidiari καταμιδιᾶσθαι, *irrideri, traduci, exſibilari, explodi.* Simile ludibrij genus aiunt Budæus in Pandectas, & Gregorius Toloſanus lib. 22. Syntagm. iuris cap. 8. illud eſſe, *quo polygami afficiuntur, id eſt, qui multis vxoribus eodem tempore abutuntur, cùm mitellati in ſcalario ſuggeſtu, laſciuientis plebeculæ ſcurrilitates obaudire coguntur. Mitrari id appellant.* Etiamnum Notæ in decoctores.
infamia quædam decoctoribus irrogatur, cùm nudato ano inſidere lapidi coguntur, vt refert Seſſio in lapide.
Guido Pappæus ex conſuetudine Curiarum Lugdunenſium & aliorum locorum. Huc etiam ſpectat galeri viridis nota, de qua pro Cœlio 42. Galerus viridis.
Ne fœnore trucidetur. Huc ille cophinus Bœo- Cophinus.
torum, de quo ibidem ex Nicolao Damaſceno. Nec aliam fortaſſe ob cauſſam decoctoribus zo- Zonæ ademptio.
na adimitur in bonorum ceſſione, quàm vt notentur eorum mores fluxi & diſſoluti, quamuis Gregorius ibidem hanc zonæ ſolutionem citra infamiam fieri putet, nihilque aliud indicari velit, quàm eos qui bonis ceſſerunt ſe omnibus omnino bonis exuiſſe. Pecuniam enim geſtabant o- Pecunia in zonis.
lim in zonis. C. Gracchus oratione habita cùm è Sardinia rediit. *Itaque Quirites cùm Româ profectus ſum, zonas quas plenas argenti extuli, eas ex prouincia inanes retuli.* Hæc verba in noctibus Matthæus explicatur.
Atticis lib. 15. cap. 12. referuntur. Spartanus in Nigro quaſi inuſitatum id refert. *Iußit ne in zonis milites ad bellum aureos vel argenteos nummos portarent, ſed publicè commendarent, recepturi poſt prælia.* Contra Aurelianus quadam epiſtola apud Vopiſcum: *Stipendium in baltheo non in popina habeat.* Hinc intelligas illud Matth. 10. ver. 9. *Nolite poßidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis veſtris.*

ARGVMENTVM.

Adoleſcentiam Antonij verbis inuadit, & tum cæteras impuritates in illo ætatis flore ſuſceptas, tum præcipuè familiaritatem C. Curionis.

XXXI. Svmpsisti virilem, quam ſtatim muliebrem togam reddidiſti: primò vulgare ſcortum: certa flagitij merces, nec ea parua. Sed citò Curio interuenit: qui te à meretricio quæſtu abduxit: & tanquam ſtolam dediſſet, in matrimonio ſtabili & certo locauit. Nemo vnquam puer emptus libidinis cauſa tam fuit in domini poteſtate, quàm tu in Curionis.

EXPLANATIO.

Svmpsisti.] Cùm annum ætatis tuæ ſextum & decimum attigiſti, poſuiſti prætextam puerilem, & togam puram ſumpſiſti, vt oſtenderes te non iam inter pueros, ſed inter viros eſſe numerandum.

Statim.] Primo tirocinij forenſis anno, ex quo pendet de reliqua vita iudicium.

Mvliebrem togam.] Monet Ianus Grutterus, *muliebrem togam* in omnibus codicibus ſuis reperiri, additque ſe totam illam vocem eradicatam malle, vt legatur: *Sumpſiſti virilem togam, quam ſtatim muliebrem reddidiſti.* & ſanè vix *togam* videtur eſſe ſuperflua, *ſtolam* contra mentem Ciceronis, & facilè crediderim gloſſema eſſe quod è margine in textum irrepſerit. *ſtolam* repudiaui, quamuis vulgatiorem, quòd ea lectio cohærere vix poſſit: *togam* retinui, vt Lambinus & Ferrarius ediderunt, quòd Ferrarius veteri codice Romano fulciatur. Quidquid ſit de lectione, mens eſt Oratoris. Ita te in flagitiis & impuritate totis corporis veſtigiis volutaſti, vt virilem illam togam quæ te ad viriles animos gerendos hortari debuit, in muliebrem togam, qua induuntur meretrices, mutaſſe videare.

Vvlgare.] Omnium libidini proſtitutum.

Cvrio.] Meritò C. Curionis conſuetudinem obiicit: Is enim fuit, vt verbis vtar Velleij,

lib. 2. *Vir nobilis, eloquens, audax, ſuæ alienæque & fortunæ & pudicitiæ prodigus, homo ingenioſiſſimè nequam & facundus malo publico. cuius animo, voluptatibus, vel libidinibus, neque opes vllæ, neque cupiditates ſufficere poſſent.*

STOLAM.] Alludit ad morem nuptiarum. Nouæ enim nuptæ prætextis poſitis ſtolas ſumebant, à maritis datas, vt videtur, fuit autem illud inſigne matronarum.

NOTÆ.

I. SVMPSISTI.] Totus hic locus ex Æſchine contra Timarchum videtur expreſſus. Pauca delibo. Perſtrictis breuiter pueritiæ flagitiis. Οὗτος, inquit, πρῶτον πάντων μὲν ἐπειδὴ ἀπηλλάγη ἐκ παίδων ἐκάθητο ἐν Πειραιεῖ ἐπὶ τοῦ Εὐθυδίκου ἰατρείου, προφάσει μὲν τῆς τέχνης μαθητὴς, τῇ δ᾽ ἀληθείᾳ πωλεῖν ἑαυτὸν προῃρημένος. ὅσοι μὲν οὖν τῶν ἐμπόρων ἢ τῶν ἄλλων ξένων, ἢ τῶν πολιτῶν τῶν ἡμετέρων κατ᾽ ἐκείνους τοὺς χρόνους ἐχρήσαντο τῷ σώματι Τιμάρχου, ἑκὼν καὶ τούτους παραβήσομαι. Latina non attexo: confer tantùm ἐπειδὴ ἀπηλλάγη ἐκ παίδων. *Sumpſiſti virilem togam quam ſtatim muliebrem reddidiſti.* Quantò acutiùs & elegantiùs noſter? *vulgare ſcortum.* Preſsè & curſim, vt in re turpi decebat, quod Græcus fuſiùs fortaſſe quàm modeſtiùs tractauit. *Certa flagitij merces, nec ea parua,* quod ille dixerat πωλεῖν ἑαυτὸν, & paulò pòſt: κατῃσχυμμένον τὸ σῶμα τὸ ἑαυτοῦ, καὶ τὴν πόλιν μισθαρνῶν ἐπ᾽ αὐτῷ τούτῳ. Quid deinde quæ ſequuntur, quàm honeſta? *Sed cito Curio interuenit,* &c. Quàm etiam in viliſſimis rebus ſplendida, ſi cum Græcanicis illis ſordibus conferantur. Græcus enim poſtquàm Miſgolam neſcio quem, qui vt Curio Antonium, ita Timarchum ab illo quæſtu abduxit, abundè laudauit. Ἀνὴρ τὰ μὲν ἄλλα καλὸς κἀγαθὸς, καὶ οὐδαμῇ ἄν τις αὐτὸν μέμψαιτο, περὶ δὲ τὸ πρᾶγμα τοῦτο δαιμονίως ἐσπουδακώς. *Vir cætera ſanè bonus, nec vllo nomine reprehendendus, cæterùm iſtius rei impotenter ſtudioſus.* Subdit: Οὗτος αἰσθόμενος ὧν ἕνεκα τὰς διατριβὰς ἐποιεῖτο Τίμαρχος οὑτοσὶ ἐπὶ τοῦ ἰατρείου, ἀργύριόν τι προαναλώσας, ἀνέστησεν αὐτὸν, καὶ εἶχε παρ᾽ ἑαυτῷ εὔσαρκον ὄντα καὶ νέον, καὶ βδελυρὸν, καὶ ἐπιτήδειον πρὸς τὸ πρᾶγμα, ὃ προῃρεῖτο ἐκεῖνος μὲν πράττειν, οὗτος δὲ πάσχειν. Sed aduerte quanto cautiùs noſter hanc impuritatem verbis ab honeſto matrimonio velarit, qui quantopere abhorreat ab illa Græculorum obſcœnitate teſtatur oratione pro Flacco 34. in Aſclepiadem teſtem inuehens. *Damnatus,* inquit, *turpiſſimis iudiciis domi, notatus litteris publicis: cuius de probris adulteriis ac ſtupris extant Æmonenſium litteræ: quas ego non ſolùm propter longitudinem, ſed etiam propter turpiſſimam obſcœnitatem verborum prætereundas puto.* Hæc ille.

Æſchines obſcœnus.

Cicero abhorrens ab obſcœnitate verborum.

II. VIRILEM TOGAM.] De togæ virilis ſumptione & ritibus, vide dicta pro Sextio §. 144. *Cui ſuperior annus idem & virilem patris, & prætextam populi iudicio togam dederit.* De anno quo ſumeretur pro Cœlio 9. *Vt huic virilem togam dedit.* Niſi ſi cui fortaſſe addendum videtur, Antonium, qui prætextatus decoxerat, togam cæteris arctiorem ſumere debuiſſe. Auctores enim ſunt Acron & Porphyrius, togas Romanorum vel laxas, vel arctas fuiſſe, prout magis & minùs diuitiis abundarent. Nec ſanè aliud innuere videtur Horatius Epodo 4.

Licet ſuperbus ambules pecunia
Fortuna non mutat genus.
Vidéſne ſacram metiente te viam
Cum bis ter vlnarum toga,
Vt ora vertat huc & huc euntium
Liberrima indignatio.

Toga laxa diuitibus, arcta pauperibus.

Quamuis hanc togæ laxitatem Orator non tam ad ſuperbiam quæ ex diuitiis naſci ſolet, quàm ad delicitias & mollitiem referre videatur. 2. Cat. §. 22. *Quos pexo capillo, nitidos & imberbes aut bene barbatos videtis, manicatis ac talaribus tunicis, velis amictos non togis.* Rurſum Horatius lib. 1. epiſt. 18.

Stultitiam patiuntur opes: tibi paruula res eſt.
Arcta decet ſanum comitem toga.

Nec fortaſſe aliud cauſſæ fuit cur Cato breuioribus togis vteretur, quàm quod omnem diuitiarum fugeret oſtentationem. Idem ep. 19.

Quid? ſi quis vultu toruo ferus, & pede nudo,
Exiguæque togæ ſimulet textore Catonem (aliàs *teſquore*)
Virtutémne repræſentet, moréſque Catonis.

STATIM.] Dixi primo forenſis tirocinij anno, de quo Noſter in Cœliana 11. *Nobis quidem olim annus erat vnus ad cohibendum brachium toga conſtitutus: & vt exercitatione ludóque campeſtri tunicati vteremur,* &c. *Qua in ætate niſi qui ſe ipſe ſua grauitate & caſtimonia,* &c. *defenderat,* &c. *quoquomodo à ſuis cuſtoditus eſſet, tamen infamiam veram effugere non poterat. Sed qui prima illa initia ætatis integra atque inuiolata præſtitiſſet; de eius fama ac pudicitia, cùm is ſe corroborauiſſet, ac vir inter viros eſſet, nemo loquebatur.* vide Notas, & ex iis collige iure Antonium notari, quòd ſtatim poſt ſumptam togam virilem, eo ipſo anno de quo pendebat iudicium & exiſtimatio totius ætatis, in omnem impudicitiam ſe effuderit. III.

MVLIEBREM TOGAM.] Aſconius in Verrinam de Prætura vrbana ad verba iam antè laudata. *Eripies igitur pupillæ togam prætextam. Toga,* inquit, *communis habitus fuit, & marium & fœminarum: ſed prætexta honeſtorũ, toga viliorum: quod etiam circa mulieres ſeruabatur.* Nonnius Marcellus: *Toga non ſolùm viri, ſed etiam mulieres vtebantur.* Quod probat auctoritate Afranij, IV.

Toga virilis & muliebris.

Equidem prandere ſtantem nobiſcum incinctam togam.

& Varronis de vita populi Romani. *Prætereo quòd in lecto togas antè habebant. Id enim olim fuit commune veſtimentum, & diurnum, & nocturnum, & muliebre, & virile.* Sed huiuſmodi togæ quãquam vtrique ſexui communes eſſent, non fuerunt omnium fœminarum, ſed vel puellarum antequam nuberent, vel meretricum, aut earum quæ adulterij damnatæ repudiabantur à maritis. Satis tamen erat diſcriminis inter puellas & mulieres impudicas, quòd puellæ prætextis, cæteræ non prætextis, ſiue puris togis vterentur. Quòd ad matronas ſpectat, eæ ſtolas habuerunt, vt infrà dicemus, nec vnquam togatæ fuerunt præterquam feriis Iunonis Caprotinæ, vt colligi videtur è Varrone libro 5. de lingua Latina. *Nonæ Caprotinæ quòd eo die in Latio Iunoni Caprotinæ mulieres ſacrificant, & ſub caprifico faciunt, & è caprifico adhibent virgam. Ob hoc toga prætexta data eis.* Adde quod vt ſcribit Paulus ex Feſto.

Togæ matronarum.

Mutini Titini ſacellum fuit Romæ, cui mulieres Togæ puellarum. *velatæ togis prætextis ſolebant ſacrificare.* Iam puellas antequam nuberent togis prætextis vſas fuiſſe, quas ipſo nuptiarum die deponerēt, liquet è dictis, & teſtatur Propertius elegia omnium poſtrema.

Mox vbi iam facibus ceſſit prætexta maritis,
Vinxit & acceptas altera vitta comas.

Licet Tertullianus puellis non togas prætextas, ſed ſtolas purpureas tribuat libro de idololatria. *Poterit & pueris prætexta concedi, & puellis ſtola, natiuitatis inſignia, non poteſtatis.* Arnobius lib. 2. *Nubentium crinem cœlibari haſta mulcetis? puellarum tegulas fortunam defertis ad puellarem?* Iam togatas fuiſſe meretrices conſtat ex Tibullo quodam epigrammate veriùs quàm elegia.

Item meretricum. *Sit tibi cura togæ potior, preſſúmque quaſillo*
Scortum, quàm Serui filia Sulpitia.

Martialis lib. 6. ep. 64.

Sed patris ad ſpeculum tonſi matríſque togatæ
Filius.

Horatius lib. 1. ſat. 2.

-malam deperdere famam,
Rem patris oblimare malum eſt vbicunque, quid inter-
-Eſt in matrona, ancilla, peccéſue togatâ.

& iterum eadem ſatyra eodem ſenſu togatam vſurpat, vt iam alibi oſtendimus.

De damnatis, Iuuenalis lib. 1. ſat. 2.

Damnetur ſi vis etiam Corſinia, talem
Non ſumet damnata togam.-

Martialis lib. 2. ep. 39.

Coccina famoſæ donas & ianthina mœchæ.
Vis dare quæ meruit munera, mitte togam.

Lib. 10. epiſt. 52.

Thelum viderat in toga ſpadonem.
Damnatam Numa dixit eſſe mœcham.

Totum autem hunc locum Petronius præ oculis videtur habuiſſe, etſi ſtolam non togam appellat. *Adoleſcens omni libidine impurus, & ſua quoque confeſſione dignus exilio, ſtupro liber, ſtupro ingenuus, cuius anni ad teſſeram venierunt, quem tanquam puellam conduxit etiam qui virum putauit, Quid? ille alter, qui tanquam die togæ virilis ſtolam ſumpſit, qui ne vir eſſet à matre perſuaſus eſt.* Sic emendaui cùm in exemplari meo legeretur, *ad teſſeram venerunt*, &, *Quid ille altero die, qui tanquam togæ virilis ſtolam*, &c.

V. VVLGARE.] Πάνδημον. videtur autem ad cognomentum Veneris πανδήμου alludere: de qua ſi non Ciceronis, animi certè gratiâ pauca dicemus. Plato in conuiuio Pauſaniam de duabus Veneribus ita loquentem inducit. Πῶς δ' οὐ δύο τὼ θεά; ἡ μέν γέ που πρεσβυτέρα, καὶ ἀμήτωρ, οὐρανοῦ θυγάτηρ. ἣν δὴ καὶ οὐρανίαν ἐπονομάζομεν. ἡ δὲ νεωτέρα Διὸς καὶ Διώνης, ἣν δὴ πάνδημον καλοῦμεν. *Quomodo igitur duæ ſunt Deæ? Altera quidem antiquior, & ſine matre, Cœli filia, quam Cœleſtem nominamus. Altera iunior, Iouis & Diones filia quam vulgarem vocamus.* Ex his duabus Veneribus Amores duo naſcuntur inter ſe contrarij, duóque genera amatorum. Πονηρὸς δ' ἐστιν ἐκεῖνος ὁ ἐραστὴς ὁ πάνδημος, ὁ τοῦ σώματος μᾶλλον ἐρῶν, ἢ τῆς ψυχῆς. καὶ γὰρ οὐδὲ μόνιμός ἐστιν, ἅτε οὐδὲ μονίμου ἐρῶν πράγματος. ἅμα γὰρ τῷ τοῦ σώματος ἄνθει λήγοντι, οὗπερ ἤρα, οἴχεται ἀποπτάμενος, πολλοὺς λόγους καὶ ὑποσχέσεις καταισχύνας. ὁ δὲ τοῦ ἤθους χρηστοῦ ὄντος ἐραστής, διὰ βίου μένει, ἅτε μονίμῳ συντακείς. *Malus autem eſt amator ille vulgaris, corpus magis quàm animum amans. neque perdurat. quippe qui rem amat minimè durabilem. Cùm primùm enim flos corporis, quem amabat, defecerit, auolat. multa verba & promiſſa dedecorans. Qui verò bonos mores amat, is totâ vitâ perſeuerat, quaſi transfuſus in rem permanentem.* Paulò pòſt: Πάντως γε καλὸν ἀρετῆς γ' ἕνεκα χαρίζεσθαι, οὗτός ἐστιν ὁ τῆς οὐρανίας θεοῦ ἔρως, καὶ οὐράνιος, &c. *Honeſtum omninò eſt virtutis cauſſâ gratificari. Hic eſt amor Cœleſtis Deæ, & ipſe Cœleſtis*, &c. Vtriuſq; amoris diſcrimen eleganter oſtendit Maximus Tyrius oratione decima. ὁ μὲν ἐφ' ἡδονὴν οἰστρεῖ, ὁ δὲ κάλλους ἐρᾷ. ὁ μὲν ἄκων νοσεῖ, ὁ δ' ἑκὼν ἐρᾷ. ὁ μὲν ἐπ' ἀγαθὸν ἐρᾷ τοῦ ἐρωμένου, ὁ δ' ἐπ' ὀλέθρῳ ἀμφοῖν. ἐκείνου τοῦ ἔρωτος ἀρετὴ ἔργον, τοῦ δὲ τοῦ ἔρωτος ἔργον, ὕβρις. ἐκείνου τοῦ ἔρωτος φιλία τέλος, τούτου τοῦ ἔρωτος ἔχθρα τέλος. ἄμισθος ὁ ἔρως ἐκεῖνος, μισθοφόρος ὁ ἔρως οὗτος, &c. *Alter quidem ad voluptatem inflammat, alter verò pulchritudinem amat. Alter inuitus ægrotat, alter voluntarius amat. Alter amat ad vtilitatem amati, alter ad exitium vtriuſque. Alterius amoris opus eſt virtus, alterius contumelia. alterius finis eſt amicitia, alterius finis eſt ſimultas. Alter mercedem non requirit, mercenarius eſt alter*, & alia in hanc ſententiam.

Duplex Venus popularis, ſiue vulgaris, & Cœleſtis.

Duplex amor

CERTA FLAGITII MERCES.] Talis fuit illa Corinthia Lais quæ grādem flagitij mercedem exigebat, vt narratur in Noctibus Atticis libro 1. cap. 8. ex Phocione Peripatetico. *Hinc ait natum eſſe illud frequens apud Græcos adagium.* VI.

Οὐ παντὸς ἀνδρὸς ἐς Κόρινθον ἔσθ' ὁ πλοῦς.

quòd fruſtra iret Corinthum ad Laidem, qui non quiret dare quod poſceretur. Hunc ſenarium ſic interpretatus eſt Horatius.

Non cuiuis homini contingit adire Corinthum.

Tali petulantia mulieris, atque pecuniæ magnitudine ictus expauidúſque Demoſthenes auertit iter, & diſcedens, Ego, inquit, pœnitere tanti non emo. Sed Græca ipſa quæ fertur dixiſſe lepidiora ſunt. οὐκ ὠνοῦμαι μυρίων δραχμῶν μεταμέλειαν. Prætereo illum neſcio quem οὐ φίλημα διτάλαντον, ex Luciano.

CVRIO.] Plutarchus. Ἀντωνίῳ δὲ λαμπρῷ καθ' ὥραν γενομένῳ τὴν Κουρίωνος φιλίαν καὶ συνήθειαν, ὥσπερ τινὰ κῆρα προσπεσεῖν λέγουσιν. αὐτοῦ τε περὶ τὰς ἡδονὰς ἀπαιδεύτου γενομένου, καὶ τὸν Ἀντώνιον, ὡς μᾶλλον εἴη χειροήθης εἰς πότους, καὶ γύναια, καὶ δαπάνας πολυτελεῖς καὶ ἀκολάστους ἐμβαλόντος. *Antonio cùm eſſet honeſta facie & liberali, in Curionis amicitiam & conſuetudinem, tanquam aliquod contagium incidiſſe narrant. Cùm is enim nulla honeſti ratione in voluptates eſſet effuſus Antonium, vt eum ſibi morigerum magis haberet, in compotationes, mulierculas, & ſumptus immoderatos immiſit.* Quantùm autem hæc Antonio Curionis familiaritas offecerit, colligi poteſt ex iis quæ dicebamus in explanatione, verbis Velleij. Fuit autem ex Scribonia gente, plebeia, quæ diuiſa fuit in duas præcipuas familias Libonum & Curionum. Hoc poſterius cognomen ortum videtur à Scribonio quodam, quem Liuius lib. 33. fuiſſe dicit maximū Curionem, & lib. 41. alium Scribonium maximum Curionem agnoſcit. VII.

TANQVAM STOLAM DEDISSET.] Nonius Marcellus libro de generibus veſtimentorum. *Stolam veteres non honeſtam veſtem ſolùm, ſed etiam omnem, quæ corpus tegeret.* Ennius Telepho. VIII.

Cedo & caueo veſtitu ſqualidâ ſeptus ſtolâ.

Idem eâdem.

Stola. *Regnum reliqui ſeptus mendici ſtolâ.*

Frequentiùs ſtola eſt veſtis muliebris. Varro περὶ φθορᾶς κόσμου apud eundem.

Mulieres aliam cerneres cum ſtola holoſerica.

Legunt alij *holoporphyro.* quod magis arridet. Antonius enim Heliogabalus trecentis poſt Varronem annis, Holoſerica. *Prima Romanorum holoſerica veſte vſus fertur, cùm iam ſubſerica in vſu eſſent*, vt auctor eſt in eius vita Lampridius. Et diu poſteà Aurelianus apud Vopiſcum, *Cùm ab eo vxor ſua peteret vt vnico pallio blatteo ſerico vteretur, ille reſpondit, abſit vt auro fila penſentur. libra enim auri tunc libra ſerici fuit.* Sed ad ſtolam. Idem Varro Eumeni,

Partum venuſta muliebri exornat ſtolâ.

Neque verò ſtola quarumlibet mulierum fuit, ſed duntaxat matronarum, & vt cum Tertulliano loquar, *cuſtos & index dignitatis.* Sed quid prohibet locum integrum exhibere? De pallio cap. 4. *Conuerte & ad fœminas. habes ſpectare quod Cæcina Seuerus grauiter Senatui impreſſit.* Stola matronarum. MATRONA SINE STOLA IN PVBLICO. *Deniq. Lentuli Auguris conſultis, quæ ita ſe exauctoraſſet pro ſtupro erat pœna. Quoniam quidem indices cuſtodéſque dignitatis habitus, vt lenocinij factitandi impedimenta ſedulò quædam deſnefecerant. At nunc in ſemetipſas lenocinando quò planitùs adeantur, & ſtolam, & ſupparum, & crepidulum, & caliendrum, ipſas quoque iam lecticas & ſellas, queis in publico quoque domeſticè ac ſecretè habebantur, eierauere.* Huc alludebat Calligula: *Liuiam Auguſtam proauiam ſuam Vlyſſem ſtolatum identidem appellans.* Apud Tranquillum cap. 23. Huc Dio Chryſoſtomus orat. 1. de regno citatus à Cerdano noſtro, πολλαχῇ δὲ καὶ κατέρρηκτο τῆς στολῆς. *Stola quoque multis in partibus erat diſrupta.* Sed clariſſimè Latini Poëtæ. Tibullus lib. 1. eleg. 6.

Sit modò caſta doce, quamuis non vitta ligatos
Impediat crines, nec ſtola longa pedes.

Ouidius 3. de Ponto, eleg. 3. ad Maximum penè Tibullum verbatim expreſſit.

Scripſimus hæc illis quarum nec vitta pudicos
Attingit crines, nec ſtola longa pedes.

Erat enim ſtola ad talos vſque demiſſa. Horatius 1. ſerm. ſat. 2.

Ad talos ſtola demiſſa & circundata palla.

quaſi quoddam velamen pudoris & honeſtatis, vnde & *ſtolatus pudor* Martiali lib. 1. ep. 92.

Quis floralia veſtit, & ſtolatum
Permittit meretricibus pudorem?

Siquidem, vt ait Horat. ſat. laudata, tam honeſtè ſtola totum matronæ corpus obtegebat, vt

Matronæ præter faciem nil cernere poſſis
Cætera, ni Catia eſt, demiſſâ veſte tegentis.

Contra meretrix,

Altera nil obſtat: Cois tibi penè videre eſt
Vt nudam.

Sed de hac nuditate & impudentia dictum alibi. Adde Iuuenalem ſat. 6. de Meſſalina.

Et nigrum flauo crimen abſcondente galero
Intrauit calidum veteri centone lupanar,
Et cellam vacuam atque ſuam: tunc nuda papillis
Conſtitit auratis, titulum mentita Lyciſcæ:
Oſtenditque tuum, generoſe Britannice, ventrem.

auratis, inquit, *papillis*, quia (vt notat Caſaubonus in Capitolini Verum) nonnullæ corporis Nuditas meretricum. partes ad maiorem ſpeciem auri bracteolis decorabant. Nonnullæ tamen matronæ parum videlicet pudicæ, datâ operâ ſtolarum ſinus laxabant, vt papillas oſtenderent. Tibullus eleg. 6. lib. 1. Deliæ maritum incautum ſic alloquitur.

Neu iuuenes celebret multo ſermone caueto,
Néve cubet laxo pectus aperta ſinu.

At nunc, prô nefas! nobiliſſima quæque matrona impudentiſſimè omnes penè corporis partes venditat. & hoc inter Chriſtianos. Sed audiamus magnum illum Chryſoſtomum in epiſtolã priorem ad Corinthios oratione 18. ἢ οὐκ οἴει καὶ τοῖς πλεονέκταις αὐτὸν τὸν διάβολον συγκατακλίνεσθαι; τὰς δὲ καλλωπιζομένας πρὸς ἀσέλγειαν γυναῖκας οὐχ ἡγῇ μετ' ἐκείνου μίγνυσθαι; καὶ τίς ἀντερεῖ τούτῳ τῷ λόγῳ; εἰ δέ ἐστί τις φιλονεικῶν, ἀποδυέτω τὴν ψυχὴν τῶν τὰ τοιαῦτα ἀσχημονουσῶν γυναικῶν, καὶ ὄψεται πάντως τὸν πονηρὸν δαίμονα ἐκεῖνον σφοδρῶς συμπεπλεγμένον αὐταῖς. *An non exiſtimas cum auaris ipſum diabolum accumbere? mulieres autem quæ ad intemperantiam formæ lenocinia conquirunt, non arbitraris cum ipſo miſceri? Et quis huic orationi contradicet? Quòd ſi quis contentionem amat, mulierum quæ in huiuſmodi fœditatibus inuerecundè ſe gerunt, animam denudet, & omninò videbit malum illum dæmonem eas arctiſſimè circumplecti.* Quòd ſi Patres vt auſteriores & caſtiores auribus reſpuunt, audiant vel Muhammedem in Alcorano. Azoara 34. *Mulieres itaque bonæ ſe curent ne lunaticum adſpiciant, ſuóque peplo tegentes collum* Muhāmedes vetat matronarum papillas nudari. *& pectus, omnémque ſuam pulchritudinem, niſi quantum apparere neceſſitas cogit, celent omnibus, ſpeciémque pedum etiam eundo, niſi maritis ſuis,* &c. Cæterùm, ne quid diſſimulem, non pauca eorum quæ à nobis de toga muliebri, & de ſtola dicta ſunt, viri doctiſſimi iam occuparant, vt Budæus in Pandectas, Muretus hunc ipſum locum explanans, Domitius Calderinus, & duo Societatis noſtræ viri doctiſſimi. Cerda in Tertullianum de Pallio, Lælius Biſciola horis ſubſeciuis lib. 4. cap. 5. qui hunc locum exponit, & fuſè, & eruditè. adde Roſinum & alios. Addo videri ſolas Senatorij ordinis matronas vſas fuiſſe ſtolis. Plinius libro 33. cap. 3. de auro loquens. *Etiámne pedibus induitur, atque inter ſtolam plebémque hunc medium fœminarum equeſtrem ordinem facit.*

IN MATR. STABILI ET CERTO LOCAVIT. Maro 1. Æneidos.

Coniugio iungam ſtabili propriámque locabo.

Sed ibi de honeſto matrimonio; hic Noſter honeſto verbo rem turpem velauit. vt lena apud Plautum Ciſtellaria actu 1. ſc. 1.

Hæc quidem ecaſtor, quotidie viro nubit, nupſitque hodie,
Nubet mox noctu, nunquam ego hanc viduam cubare ſiui.
Nam ſi hæc non nubat, lugubri mihi fame familia pereat. Nubere.

Et Demoſthenes pro Cteſiphonte, ἡ μήτηρ σου τοῖς μεθημερινοῖς γάμοις, &c. χρωμένη. *Mater tua vtens diurnis nuptiis.* Hanc notam debes P. Victorio libro 21. cap. 3. var. lect. Addit Turnebus lib. 12. cap. 12. hæc verba accipi poſſe, quaſi *de firmo certóque coniugio, nec diuortio fortaſſe vllo vnquam dirimendo*, dicerentur: *Sed,*

opinor, inquit, *ita appellabant, velut quodam omine ſtabilitatem & firmitatem matrimonio augurantes, cùm præſertim nemo nuptias contraheat, niſi ſpe permanſionis & diuturnitatis.*

ARGVMENTVM.

Incommoda deſcribit, quæ ex iſta Curionis & Antonij familiaritate redundarunt in familiam Curionis, & adhibitum ab ipſo Cicerone tantis malis remedium.

XXXII. QVOTIES te pater eius domo ſua eiecit? quoties cuſtodes poſuit, ne limen intrares? cùm tu tamen nocte ſocia, hortante libidine, cogente mercede, per tegulas demitterere?. quæ flagitia domus illa diutiùs ferre non potuit. Scíſne me de rebus mihi notiſſimis dicere? Recordare tempus illud, cùm pater Curio mœrens iacebat in lecto: filius ſe ad pedes meos proſternens, lacrymans te mihi commendabat: orabat vt ſe contra ſuum patrem, ſi ſeſtertium ſexagies peteret, defenderem, tantùm enim ſe pro te interceſſiſſe dicebat. Ipſe autem amore ardens confirmabat, quod deſiderium tui diſſidij ferre non poſſet, ſe in exilium iturum.

EXPLANATIO.

QVOTIES.] Cùm Curio pater videret tua familiaritate filij ſui famam & mores labefactari, te frequenter eiecit ne limen intrares, & te excluſo cuſtodes appoſuit ad ianuam, qui te ſi ingredi velles, excluderent, & aditu prohiberent. Langueret oratio ſi ita loqueretur, ſed interrogatione vim incutit orationi. *Quoties*, quaſi diceret, tam multis vicibus, vt earum numerus iniri non poſſit.

CVM TV.] Commodè ad maiorem impudicitiam Antonij notandam, quibus artibus & fallaciis patris Curionis de filij ſui fama & integritate ſolliciti vigilantiam eluſerit.

NOCTE SOCIA.] Quæ pudorem tollit, quæ libidines & flagitia ſuis tenebris inuoluit.

HORTANTE LIBID.] Quæ te impellebat, vt in omnibus flagitiis te volutares, pudicitiámque tuam Curioni filio ſubſterneres.

COGENTE MERCEDE.] Quam tibi dabat Curio filius, non hortante ſolùm, ſed etiam tibi vim inferente, vt te ab illis ſordibus abſtinere non poſſes. Aduerte quemadmodum ſenſim creſcat oratio. nox ſocia eſt, hortatur libido, merces cogit.

PER TEGVLAS.] Per tectum Curionis tegulis coopertum in domum deſcenderes.

QVÆ FLAGIT.] Monet Ianus Grutterus legi in Codice Gemblacenſi. *Quo flagitio domus illa diutiùs ſtare non potuit.* Non video quid neceſſe ſit quicquam nouare.

SCISNE.] Opportunè ipſius Antonij conſcientiam teſtatur, vt & ipſe hac fiducia maiorem fidem inueniat, & aduerſarium grauiore ictu percellat.

MOERENS.] Ob rei familiaris iacturam, filij impuritatem, & dedecus, quod intemperantiâ ſuâ filius toti familiæ inurebat, ſic afficiebatur vt dolor animi in corpus redundaret, eúmque lecto velut ægrotum affigeret.

FILIVS.] Curio adoleſcens meis pedibus aduolutus mihi ſupplicabat, lacrymis vbertim manantibus ex amore, vt me interponerem, ſuámque ipſius cauſam ſuſciperem, meaque auctoritate à patre Curione ſeſtertium ſexagies impetrarem, quibus ille æs alienum diſſolueret. Dicebat enim eam ſibi ſummam tuo nomine præſtandam eſſe, quòd pro te ſuam fidem obligaſſet. Ferrarius & Grutterus vocem *dicebat* è textu ſuſtulerunt, & ſanè facilè poteſt intelligi quamuis non exprimatur. *Tantùm enim ſe pro te interceſſiſſe.* Id eſt, ſua interceſſione obtinuiſſe à fœneratoribus, vt tibi tantum darent, & apud te occuparent.

IPSE.] Curio filius cùm te efflictim deperiret, quòd ferre non poſſet ſibi tuam congreſſionem patris ſui poteſtate & imperio prohiberi, dicebat ſe in exilium eſſe iturum, vt vel te ſecum abduceret, & remotus à patris conſpectu tua familiaritate frueretur, vel ſaltem ſi tui copiam habere non poſſet, vt abs te ſegregatus paulatim amorem deponeret.

NOTÆ.

QVOTIES TE PATER.] Plutarchus ita rem exponit: ὄφλημα βαρὺ καὶ παρ' ἡλικίαν αὐτῷ συνήχθη πεντήκοντα καὶ διακοσίων ταλάντων, τοῦτο πᾶν ἐγγυησαμένου τοῦ Κουρίωνος, ὁ πατὴρ αἰσθόμενος ἐξήλασε τὸν Ἀντώνιον ἐκ τῆς οἰκίας. *Magnum æs alienum præter ætatem contraxit ducentorum quinquaginta talentorum, intercedente Curione, id cùm ſenſiſſet pater, Antonium domo eiecit.* I. Æs alienum Antonij.

CVSTODES.] Cuſtodes qui matronas ſeruabant, ne adulteros admitterent. Sexcenta exempla ſunt, vt apud Tibullum lib. 1. eleg. 2. II. Cuſtodes matronarum.

Nam poſita eſt noſtræ cuſtodia dura puellæ,
Clauditur & durâ ianua firma ſerâ.

Item elegia 7. 9. & alibi frequēter. vnde & apud Horatium matrona dicitur *vallo circundata*, quod illi ſint

Cuſtodes, lectica, ciniflones, paraſitæ.

Iuuenaliis ſat. 6.

Pone ſeram, cohibe. Sed quis cuſtodiet ipſos
Cuſtodes.-

Sed eleganter Naſo, vtinam meliorem mentem habuiſſet.

Dure vir impoſito teneræ cuſtode puellæ.
Nil agis, ingenio quæque tuenda ſuo eſt?

Si qua metu dempto caſta eſt, ea denique caſta
eſt.
Quæ, quia non liceat, non facit illa facit.
Vt iam ſeruaris bene corpus, adultera mens
eſt:
Nec cuſtodiri, ni velit, vlla poteſt.
Nec mentem ſeruare potes: licet omnia claudas,
Omnibus excluſis intus adulter erit.

Huiuſmodi cuſtodes frequenter in catenis fuerunt, vt ne latum quidem vnguem à ianua diſcederent. Tranquillus libro de claris Rhetoribus. *Luc. Otacilius Pilitus ſeruiſſe dicitur, atque etiam oſtiarius veteri more in catena fuiſſe.* Ouidius 1. Amorum, eleg. 6.

Cuſtodes catenati.

Ianitor indignè durâ religate catenâ,
Difficilem moto cardine pande forem.

Item:

Excute, ſic nunquam durâ religere catena,
Nec tibi perpetuò ſerua bibatur aqua.

Canes etiam adhibebant, & ad hunc morem Lyricus alluſit 3. carm.

Canes cuſtodes.

Incluſam Danaen turris ahenea
Robuſtæque fores, & vigilum canum
Triſtes excubiæ munierant ſatis
Nocturnis ab adulteris.

Tibullus lib. 2. eleg. 4.

-hinc clauim ianua ſenſit,
Et cœpit cuſtos liminis eſſe canis.
Sed pretium ſi grande feras, cuſtodia victa eſt,
Nec prohibent claues, & canis ipſe tacet.

Fibulis etiam puerorum verenda conſtringebant, comœdorum præſertim & cantorum, ne vſu venereo vocem obtunderent, vt docent interpretes Iuuenalis ad illos verſus ſat. 6.

Soluitur his magno comœdi fibula.-
Si gaudet cantu, nullius fibula durat
Vocem vendentis pectoribus.-

Qua de re vide Martialem, & Raderum doctiſſimum interpretem, & Cornelium Celſum lib. 7. Sed hoc loco dicere mihi liceat. *Niſi dominus cuſtodierit caſtitatem, fruſtra vigilat qui cuſtodit eam.* Quo in genere feſtiuum eſt quod refert Nicolaus Orlandinus libro quinto hiſtoriæ Societatis Iesv. Petrus Faber & Antonius Araozius aulam Philippi ſecundi Hiſpaniarum Regis adierant, & tum primum in illud regnum Societatis nomen inuexerant. *Quibuſdã autem inſtar erant miraculi, quòd cum omni genere ſexúque promiſcuo tam verſarentur innoxij. Nec dubitauit in media curia Melchior Canus bellè iocari, Patres Societatis* Iesv *herbam quandam ſecum ſolitos circumferre, quæ vim haberet interimendæ libidinis: eóque velut antidoto tutò poſſe inter fœminarum verſari greges, & confitentibus puellis aurem ſalua integritate præbere,* &c. *Ea vox,* &c. *ſenſim ſparſa per curiam ad Principis peruenit aures. Qui rei auditæ curioſius inueſtigator Ioannem de Zuniga (is erat ei velut morum magiſter ac cuſtos) ad Patres miſit ſciſcitatum quod herbæ genus illud eſſet,* &c. Non negauit Araoſius huius virtutis herbam ſe habere, & cùm Ioannem aliquandiu ſuſpenſum reſponſi ambiguitate tenuiſſet, quo maiorem audiendi cupiditatem accenderet. *Hæc, inquit, herba communi ſermone Timor Dei nuncupatur,* &c. *hoc igitur principi, velim, narres, hoc fideliter referas.*

Timor Dei verus cuſtos caſtitatis.

III. Nocte socia.] Bene & eleganter Ouidius lib. 1. Amor. eleg. 6.

Nox & amor, vinúmque nihil moderabile ſuadent,
Illa pudore vacat, liber amórque metu.

Iam dixerat inter alia multa in hanc ſententiam.

Nec mora, venit amor: non vmbras nocte volantes,
Non timeo ſtrictas in mea fata manus.

Plura etiam Tibullus lib. 1. eleg. 3. vt illud.

Nec vetat obſcura ſurgere nocte timor. Nox tollit pudorem.

Item:

Parcite luminibus ſeu vir, ſeu fœmina fias
Obuia. celari vult ſua facta Venus.

Et Plutarchus quæſtionibus conuiualibus libro 3. problem. 6. παρακάλυμμα τῆς ἡδονῆς, τὸ σκότος. *Tenebras velum libidinis* ait, ἐξάγειν τῶν ὀμμάτων τὸ αἰδούμενον, καὶ τῷ ἀκολάστῳ θάρσος ἐμποιεῖν. *Ab oculis repellere quod eſt verecundum, & ei qui eſt intemperans conferre audaciam.* vnde & Sophocles in Thrachiniis:

--σκότῳ
Κἂν αἰσχρὰ πράσσῃς, οὔποτ' αἰσχύνῃ πίσῃ.
-nocte ſi ſociâ facis
Inhoneſta, nullus ora ſuffundet pudor.

Libanius loco communi contra homicidam non multùm abluſit à phraſi Tullianâ: τὴν νύκτα λαβὼν εἰς τὸ τόλμημα συνεργόν. *Aſſumens noctem ſociam & adiutricem audaciæ.* Sed vide quæ iam diximus in Sextianam 22. *Animus eius vultu, flagitia parietibus tegebantur.* Cœlianam 47. *Huc vnius mulieris libidinem eſſe prolapſam, vt ea non modò ſolitudinem ac tenebras, atque hæc flagitiorum integumenta non quærat, ſed in turpiſſimis rebus frequentiſſimâ celebritate, & clariſſima luce lætetur.* De prouinciis Conſularibus 8. *Lateant libidines eius illæ tenebricoſæ, quas fronte & ſupercilio, non pudore & temperantiâ contegebat.* Milonianam 51. *Neque muta ſolitudo indicaſſet, neque cæca nox oſtendiſſet.* E quibus facilè intelliges & turpitudines, ἐσχάτου ταρτάρου δεῖσθαι. *infimo tartaro indigere.* vt cum Philone loquar lib. de virtutibus, aut κυνέης ᾅδου, καὶ Γύγου δακτυλίου, vt loquitur Plato, *Orci galeâ & Gygia annulo*, aut vt Seneca,

-Tartaro abſcondi iuuat,
Aut ſi quid vltrà tartarum eſt.-

Quod non vnus Oedipus, ſed omnes impuri & libidinoſi meritò vſurpare poſſint.

Hortante libidine, cogente mercede.] Elegãter Perſius hoc cupiditatum imperium declarat, ſat. 5. IV.

Te nihil impellit, nec quicquam extrinſecus intrat
Quod neruos agitet: ſed ſi intus & in iecore ægro
Naſcantur domini, qui tu impunitior exis
Atque hic, quem ad ſtrigiles ſcutica & metus vrget herilis.

Mox auaritiam & luxuriam loquentes inducit, quæ non ſolùm hominem ſuis laqueis implicatum hortantur, ſed etiam cogunt. Vbi Caſaubonus ad ſigillaria neuroſpaſta vult hæc referri, quæ per ſe immota verticillis quibuſdam ac neruis mouentur. Laudat Platonem 1. legum: Τὰ πάθη ἐν ἡμῖν οἷον νεῦρα ἢ μήρινθοί τινες ἐνοῦσαι σπῶσί τε ἡμᾶς, καὶ ἀλλήλαις ἀνθέλκουσιν, ἐναντίαι οὖσαι, ἐπ' ἐναντίας πράξεις. *Paſsiones in nobis tanquam nerui quidam aut funes exiſtentes, nos trahunt, & contra ſe inuicem trahunt ad contrarias actiones ipſæ inter ſe contrariæ.* Exempla etiam refert ex M. An-

Neuroſpaſta.

tonino quibus γυῦ ἐμπεσεῖσθαι dixit pro *cupiditatibus impelli.* Sed his ſuperſedeo. Moneo tamen obiter interpretes, ipſum libri titulum exponentes, non aſſequutos mentem Antonini fuiſſe, dum quos libros εἰς ἑαυτὸν, inſcripſit, tranſtulerunt *de ſeipſo, vel de vita ſua.* neque enim de ſeipſo rebúſque à ſe geſtis ſcribit, ſed ad ſeipſum & de rebus & morum ſuorum formationem ſpectantibus, quaſi ſibi ſoli non aliis ſcriberet, quemadmodum Magnus ille Auguſtinus vnum è ſuis opuſculis *ſoliloquium* nominauit.

v. SE AD PEDES MEOS PROSTERNENS.] Nota conſuetudo. Tibullus lib. 1. eleg. 3.

-nunc me fleuiſſe loquentem
Nunc pudet ad teneros procubuiſſe pedes.

VI. SESTERTIVM SEXAGIES.] Dixi ex Plutarcho fuiſſe, ὄφλημα πεντήκοντα καὶ διακοσίων ταλάντων. *Debitum ducentorum & quinquaginta talentorum.* Nunc vtrùm inter ſe conſentiant paucis videamus. Decies, vt pro Rabirio Poſthumo fusè probauimus, efficiunt mille ſeſtertia. ergo ſexagies erunt ſexies mille ſeſtertia. Rurſum ſi talentum ad nummos Romanos reuocemus, ſingulis talentis quatuor & viginti ſeſtertia continentur. quare ſi ſena illa ſeſtertiorum millia, per viginti quatuor diuidamus, naſcetur numerus talentorum ducenta quinquaginta: vt experienti patet. E quibus etiam confirmari poſſit, quod ibidem oſtendimus talentum Atticum ſenis Romanorum denariorum millibus æſtimari. Licet Gellius libro 1. Noct. Attic. cap. 18. talentum pluris æſtimare videatur. *Laïs* μυρίας δραχμὰς ἢ τάλαντον *popoſcit: hoc facit nummi noſtratis denarîûm decem millia.* Verùm nõ de talento Attico & communi loquitur Gellius, ſed de Æginæo; de quorum diuerſitate Iulius Pollux lib. 9. cap. 6 Τὸ μὲν Ἀττικὸν τάλαντον ἑξακισχιλίας ἐδύνατο δραχμὰς Ἀττικάς. τὸ δὲ Βαβυλώνιον ἑπτακισχιλίας. τὸ δ᾽ Αἰγιναῖον μυρίας. τὸ δὲ Σύρων πεντακοσίας καὶ χιλίας, ὡς πρὸς τὴν Ἀττικὴν δραχμὴν λογισμόν. *Atticum talentum ſexies mille faciebat drachmas Atticas. Babylonium verò ſepties mille. Æginæum verò decem millia: Syrorum autem quingentas & mille, ad Attica ſcilicet drachmæ calculationem.* Quòd ſi, vt alibi monuimus, *decies* ad noſtratem pecuniam reuocetur, efficiet quinque & viginti ſcutatorum Gallicorum millia. Quare Antonius & decoctor, & penè puer tantum æs alienum conflauerat, vt centum & quinquaginta ſcutatorum Gallicorum millia deberet. Quod ſanè mirum videbitur, iis qui Romæ veteris opulentiam noſtrâ hac inopiâ metiuntur.

Varia talentorũ genera.

VII. PRO TE INTERCESSISSE.] *Intercedere pro alio fideiuſſor apud creditorem dicitur, quia pro eo rogat vt detur ei mutuò pecunia, vel illud quicquid eſt quo opus habet, quare quod iuſſu & rogatu ipſius factum datúmve eſt, fide ſua præſtare cogitur.* Verba ſunt Connani apud Schardium in Lexico iuridico. Aut, vt ibidem ait Cuiacius: *Intercedere eſt alienam obligationem accipere, id eſt ſe vel res ſuas obligare pro alio.* Cicero ad Atticum. *Adſcribit etiam & quaſi calcar admouet interceſſiſſe pro eis magnam pecuniam.* Ita libro 6. epiſt. 1.

Intercedere.

VIII. INTERCESSISSE.] Contra legem Lætoriam, vt videtur. Nam vt ſcribit Suetonius apud Priſcianum libro 8. *Lætoria vetat minorem annis viginti quinque ſtipulari.* Noſter 3. officiorum: *Iſte dolus malus etiam legibus erat vindicatus: vt tutela x 11. tabulis, & circumſcriptio adoleſcentium lege Lætoria, & ſine lege iudiciis, in quibus ex fide bona agitur.* De hac lege Callidorus Plautinus in Pſeudolo ſc. 3.

Lex Lætoria.

Perij, an non tùm lex me perdit quina vicenaria?
Metuunt credere omnes.

Verùm ea lex non omnem omninò filiisfamilias ſtipulandi contrahendíve poteſtatem adimebat, ſed iis duntaxat qui nondum ad quintum & viceſimum ætatis annum peruenerant. Quare, quantum ex hoc loco patet, iam tum Curio maior erat viginti quinque annis, vt cum Antonij creditoribus ſtipulari potuerit, iiſque fidem ſuam obligare, quam poſt mortem parentum exolueret. Sed multis pòſt annis, vt narrat Tacitus vndecimo annalium, Claudius Cæſar: *Lege latâ ſæuitiam coërcuit, ne in mortem parentum pecunias filiisfamiliarum fœnori darent.* Quæ lex paulò pòſt contrariis moribus exoleuit, donec tandem Veſpaſianus Auguſtus, vt ſcribit Tranquillus cap. 11. *Auctor Senatui fuit decernendi, vt quæ ſe alieno ſeruo iunxiſſet, ancilla haberetur, Néve filiorumfamilias fœneratoribus exigendi crediti ius vnquam eſſet, hoc eſt, ne poſt patrum quidem mortem.* Atque hoc fuit Senatuſconſultum illud Macedonianum, de quo peculiaris titulus in iure ciuili, cuius eodem titulo leg. 1. hæc ab Vlpiano verba referuntur. *Cùm inter cæteras ſceleris cauſſas Macedo, quas illi natura adminiſtrabat, etiam æs alienum adhibuiſſet, qui pecuniam, ne quid amplius diceretur, incertis nominibus crederet: placere ne cui qui filiofamilias mutuam pecuniam dediſſet, etiam poſt mortem parentis eius, cuius in poteſtate fuiſſet, actio petitióque daretur, vt ſcirent qui peſſimo exemplo fœnerarent, nullius poſſe filijfamilias bonum nomen expectata patris morte fieri.* Vbi *pecuniam incertis nominibus credere*, eſt ita fœnerari vt non ſingulis annis aut vſura, aut certo tempore caput exigatur, ſed vt maneat dies ſolutionis incertus, in mortem videlicet patrum. Sed ne te morer adi Iuriſconſultos.

S.C. Macedonianum.

AMORE ARDENS.] Ne hîc quidem moror. Nota ſunt illa: *Coridon ardebat Alexim, meus ignis Amintas. atque oſſibus implicat ignem. Eſt mollis flamma medullas.* & alia ſexcenta. Habeto etiam pauca ex Græcis. Theocritus Pharmaceutria, v. 133 11.

-- Ἔρως δ᾽ ἄρα καὶ λιπαραίω
Πολλάκις Ἁφαίστοιο σέλας φλογερώτερον αἴθει.
-Amoris
Sæpe eſt Vulcano liparæo ardentior ignis.

Amor ignis.

Oppianus initio 4. halieut. pulcherrima.

Σχέτλι᾽ ἔρως, δολόεντα θεῶν, κάλλιστε μὲν ὄσσοις
Εἰσιδέειν, ἄλγιστε δ᾽ ὅτ᾽ ἂν κραδίῃ ὀρθύνεις,
Ἐμπίπτων ἀδόκητος, ὑπὸ φρένα δ᾽ ὥστε θύελλα
Μίσγεαι, αἰθαλέης δὲ πυρὸς δρυμεῖαν ὁμοκλὴν,
Παφλάζων ὀδύνῃσι καὶ ἀκρίτοισι μανίαις.

Vertit Laurentius Lippius.

Improbe Amor ſuperas fallaci pectore diuos,
Iucundus viſu: figis ſub corde dolores:
Excipis incautos homines, velut alta procella,
Turbans accenſos ſpiras ſub mentibus ignes:
Triſtia feruenti depaſcis pectora curâ.

Ea locutio tum aliis paſſim, tum imprimis Nonno familiaris, vt 32. Dionyſ.

-ὁ γὰρ

--ἐν γὰρ ὁμίλῳ
Θερμότεροι γεγάασιν ἀεὶ συνόντες ἐρώτων.
-*quando inter ſe verſantur amantes*
Creſcit amor flammis ſemper maioribus ardens.

Sic autem Amor à Moſcho Idyllio primo deſcribitur.

Χρῶτα μὲν οὐ λευκός, πυρὶ δ᾽ εἴκελος. ὄμματα δ᾽ αὐτῷ
Δριμύλα καὶ φλογόεντα, κακαὶ φρένες, ἡδὺ λάλημα, &c.

Vertit Angelus Politianus.

Corpore non niueus, verùm ignem imitatur, ocelli
Acres, flammeoli, mala mens, ſuauiſsima verba.

x. Diſſidium. DISSIDII.] Diſſidium, vt notat Simon Schardius in Lexico iuridico, inter virum & vxorem diuortium eſt. Terentius Andria.

Valeant qui inter nos diſsidia quærunt.

Idē Hecyra. *Nihil mali eſt quod ſit diſsidio dignū.* Papinianus ad legem Iuliam de adult. l. miles. *Quære an cauſam diſsidij præſtitiſſe videar.* Tibullus lib. 1. el. 5.

Aſper eram, & bene diſsidium me ferre loquebar.
At mihi nunc longè gloria fortis abeſt.

Lambinus mauult legere *diſcidij*: quod perinde eſt, nam, vt idem Schardius refert ex Briſſonio diſcidium pro diuortio & repudio. l. 8. D. de captiuit. & poſtlim. l. 11. D. de adult. & apud Mart. lib. 10. ep. 41. de ea quæ à marito prætore deſignato ſumptuum futurorum metu diuerterat.

Menſe nouo Iani veterem, Proculeia, maritum
Deſeris atque iubes res ſibi habere ſuas.

& pòſt:

Diſcidium non eſt hoc, Proculeia, lucrum eſt.

Diſſidiū à diſſidendo, diſcidiū à diſcindendo. Placet lectio Lambini: non enim ſeparati ſunt abs ſe inuicē Curio & Antonius, quòd inter ſe diſſiderēt: ſed metuebat Curio, quod etiam euenit, ne pater nimiam hanc familiaritatem reglutinaret & diſcinderet. Sic idem Lambinus paſſim apud Lucretium legendum eſſe contendit. vt lib. 1.

Nulla vi foret vſus enim quæ partibus eius
Diſcidium parere, & nexus exoluere poſſet.

& longè pòſt:

Diſcidio potis eſt ſeiungi ſéque gregari.

Libro 2.

Conciliis & diſsidiis exercita crebris.

quo poſteriore verſu malim legere *diſsidiis*. commodiùs enim atomi de quibus loquitur, dicentur inter ſe conciliare, & rurſum à ſe diſſidere quàm diſcindi & diſſecari. Sed hæc fortaſſe ſunt leuiora.

IN EXILIVM.] Tale eſt Naſonis conſilium 1. de remed. amoris. XI. Exilium amoris remedium.

Tu tamen & quamuis firmis retinebere vinclis,
I procul & longas carpere perge vias.
Flebis, & occurret deſertæ nomen amicæ,
Stabit & in mediá pes tibi ſæpe viá.
Sed quanto minùs ire voles, magis ire memento:
Perfer & inuitos currere coge pedes, &c.

Quod etiam ſe feciſſe tradit Propertius libro 3. eleg. 19.

Magnum iter ad doctas proficiſci cogor Athenas,
Vt me longa graui ſoluat amore via.
Creſcit enim aſsiduè ſpectando cura puellæ:
Ipſe alimenta ſibi maxima præbet amor, &c.
Vnum erit auxilium mutatis, Cynthia, terris.
Quantùm oculis, animo tam procul ibit amor.

ARGVMENTVM.

Hactenus de amore Curionis, ære alieno, patris indignatione: nunc oſtendit Orator quodnam ipſe tantis malis adhibuerit remedium, patríque perſuaſerit vt præteritis mederetur, & futuris malis occurrens filium ab Antonij congreſsione prohiberet.

QVO tempore ego quanta mala florentiſſimæ familiæ ſedaui, vel potiùs ſuſtuli? patri perſuaſi, vt æs alienum filij diſſolueret: redimeret adoleſcentem ſumma ſpe & animi & ingenij præditum, rei familiaris facultatibus, eúmque non modò tua familiaritate, ſed etiam congreſſione patrio iure & poteſtate prohiberet. Hæc tu cùm per me acta meminiſſes: niſi illis quos videmus, gladiis confideres, maledictis me prouocare auſus eſſes? XXXIII.

EXPLANATIO.

QVO TEMP.] Alij legunt, *quo ego tempore.* parum refert. Lilienſis & Mauritianus Codices teſte Gruttero habent, *non ſedaui, ſed potiùs ſuſtuli.* Alij denique legunt *tanta* hoc pacto. *Quo ego tempore tanta mala florentiſsimæ familiæ ſedaui, vel potiùs ſuſtuli.* alij denique *quanta* cum nota admirationis. *Quo ego tempore quanta mala florentiſsimæ familiæ ſedaui, vel potiùs ſuſtuli!*

FLORENTISS. FAMILIÆ.] Quantoperè floruerit Curionum familia, vel ex hoc liquet quod auus, pater, filius inſignes oratores fuerunt.

SEDAVI.] Sedat qui malum lenit & mitigat, non tamen radices aut fibras euellit, tollit qui ipſas mali cauſas aufert, & elementa penitùs eradit. Sedauit malum Orator, cùm patri Curioni perſuaſit, vt æs alienum à filio contractum diſſolueret; ſuſtulit, cùm eidē perſuaſit vt filium ſuum omni Antonij congreſſione prohiberet: ex illa enim conſuetudine tanquam à radice omnia familiæ mala pullulabant.

PATRI PERS.] Curioni patri perſuaſi vt illud ſeſtertium ſexagies diſſolueret, & filij ſui fidem Antonij creditoribus obligatam liberaret, & ita redimeret filium ſuum Curionem, qui niſi hoc ære alieno ſolueretur, libertatem omnem amiſerat, nec poterat in vrbe conſiſtere, aut forum rectis oculis intueri. Bene autem quòd nondum rem, ſed ſpem tribuit adoleſcenti. Quæ ſit

inter animam & ingenium diſtinctio, videbitur in Notis.

Congressione.] Alloquio, & vel ſalutatione communi.

Hæc tv.] Cùm recordareris me fuiſſe ſequeſtrem inter patrem & filium.

Illis gladiis.] Ithyræorum & aliorum barbarorum, qui ſunt à te cum gladiis in cælla Concordiæ collocati.

NOTÆ.

I. Æs alienum. ÆS alienvm filii.] Æs alienum dictum, quòd aliis debeatur, *æs alienum filij*, quòd filius illud deberet, ſic apud Titum Liuium libro 8. *Cui cùm ſe C. Publius, ob æs alienum paternum nexum dediſſet.* Id eſt quod pater ipſius Luc. Papyrio debebar. Cornelius Nepos vita Attici. *Neque indulgendo inueteraſcere eorum æs alienum patiebatur, neque multiplicandis vſuris creſcere.* Quæ ſi benè inſpexerimus, inquit Hadrianus Cardinalis, contraria eſſe verba ſignificato reperiemus, & tamen dicendi talem eſſe modum, non rationem vllam fateri cogemur. Nam ſi æs alienum, quomodo meum? Si meum, quomodo alienum? Probat tamen multis exemplis, vt hoc ipſo, & ſuperiore, 23. *Quæ res egeſtati, & æri alieno tuo, præter mortem Cæſaris ſubuenire potuiſſet?* Iabolenus D. de priuilegiis creditorum. leg. Paterfamilias. *In omni ære alieno quod aut patris, aut filij fuerit.* Paulus De in rem verſo. l. ſi filiusfamil. *fœnus filij æs alienum patris eſt.*

II. Familia Curionum. Florentissimæ familiæ.] Familia Curionum inter pauca ſummæ felicitatis exempla numeratur à Plinio libro 7. natur. hiſt. cap. 41. *Vna fœminarum in omni æuo Lampido Lacedæmonia reperitur, quæ Regis filia, Regis vxor, Regis mater fuit. Vna Pherenice quæ filia, ſoror, mater Olympionicarum. Vna familia Curionum, in qua tres continua ſerie Oratores extiterunt. Vna Fabiorum, in qua tres continui principes Senatus.* Horum trium facit in Bruto Noſter mentionem, ſed patrem & auum parciùs laudat. De auo cùm dixiſſet Atticus. *Curio fuit igitur eiuſdem ætatis ferè ſanè illuſtris Orator, cuius de ingenio ex orationibus eius exiſtimari poteſt. Sunt enim & aliæ & pro Seruio Fuluio de inceſtu nobilis oratio.* Reſpondet: *Atqui hæc, inquam, de inceſtu laudata oratio puerilis eſt locis multis: de amore, de tormentis, de rumore loci ſanè inanes, veruntamen nondum tritis noſtrorum hominum auribus, nec erudita ciuitate tolerabiles. Scripſit etiam alia nonnulla, & multa dixit & illuſtria, & in numero patronorum fuit, vt eum mirer cùm & vita ſuppeditauiſſet, & ſplendor ei non defuiſſet, conſulem eum non fuiſſe.* De patre tum alia multa, tum hoc. *Neminem ex iis quidem, qui aliquo in numero fuerunt, cognoui in omni genere honeſtarum artium tam indoctum, tam rudem. Nullum ille poëtam nouerat, nullum legerat Oratorem, nullam memoriam antiquitatis collegerat, non publicum ius, non priuatum & ciuile cognouerat,* &c.

III. Redimere. Redimeret.] S. Ambroſius libro de Tobia cap. 8. ſic alloquitur filios debitoris. *Hoc meliores quòd veſtro pretio redimitis patrem, ſeruitute paternam emitis libertatem.* Mori antiquo alluſum: debitores enim, ſi ſoluendo non erant, ipſi vinciebantur, & creditoribus addicebantur in ſeruitutem, donec æs alienum diſſoluerent. Halicarnaſſeus: Οὐκ ἐμετρίαζον ἐν ταῖς ἐξουσίαις οἱ δανείζοντες, ἀλλ' εἰς δεσμοὺς τὰ τῶν ὑπόχρεων ἀπῆγον σώματα, καὶ ὥσπερ ἀργυρωνήτοις οὕτως ἐχρῶντο. *Sibi in licentia non moderabantur fœneratores, ſed debitorum corpora nectebant, & quaſi ſeruis venalibus vtebantur.* Liuius libro 2. *Ciuitas ſecum ipſa diſcors inteſtino inter patres plebémque flagrabat odio, maximè propter nexos ob æs alienum,* &c. Clamabat quidam ſenex: *Ductum ſe à creditore non in ſeruitium, ſed in ergaſtulum & carnificinam eſſe,* &c. Quæ conſuetudo etiam duodecim tabulis firmata eſt. Legis verba in Noctibus Atticis libro 20. cap. 1. *Æris confeſſi, rebúſque iure iudicatis, triginta dies iuſti ſunto. Poſt deinde manus iniectio eſto, in ius ducito, ni iudicatum facit, aut qui pſeudo iure vindicit, ſecum ducito, vincito aut neruo, aut compedibus, quindecim pondo, ne minore, aut ſi volet, maiore vincito,* &c. Quæ lex diu pòſt etiam ſeruata eſt. Liuius libro 7. *Etſi vnciario fœnore facto leuata vſura erat, ſorte ipſa obruebantur inopes, nexúmque ibant.* Libro 8. agens de C. Petilij, Luc. Papyrij conſulatu, quo anno Alexandriam in Ægypto proditum conditam. *Eo*, inquit, *anno plebi Romanæ aliud initium libertatis factum eſt, quòd necti deſierunt.* Et paulò pòſt: *Victum eo die ob impotentem iniuriam vnius ingens vinculum fidei: iuſſique Conſules ferre ad populum, ne quis, niſi qui noxam meruiſſet, donec pœnam lueret in compedibus, aut in neruo teneretur: pecuniæ creditæ bona debitoris, non corpus obnoxium eſſet. Ita nexi ſoluti, cautúmque in poſterum ne necterentur.* Sed horum multa & alia de crudelitate creditorum, vide Cœlianam 42. *ne fœnore trucidetur.* Sextianam §. 28. Not. 1. Nobis hoc loco ſuffecerit annotaſſe dicendi modum ex veteri nectendi obæratos conſuetudine manaſſe, vt qui ſoluebantur & liberabantur ære alieno *redimi* dicerentur, quaſi libertatem amiſſam reciperent, quamuis æuo Ciceronis obærati haudquaquam necterentur, antiquatâ videlicet lege duodecim tabularum. Sub Auguſtis tamen recruduit iſta, ſiue legis ſeueritas, ſiue creditorum crudelitas, vt, pro ære alieno patrum, liberi creditoribus addicerentur in ſeruitutem. Baſilius Magnus homiliâ contra fœneratores. Εἶδον ἐγὼ ἐλεεινὸν θέαμα, παῖδας ἐλευθέρους ὑπὲρ χρεῶν πατρῴων ἑλκομένους εἰς τὸ πρατήριον. οὐκ ἔχεις καταλιπεῖν χρήματα τοῖς παισί; μὴ προσαφέλῃ καὶ τὴν εὐγένειαν. ἐν τούτῳ διατήρησον αὐτοῖς τὸ κτῆμα τῆς ἐλευθερίας. Latina non apponam, quòd hæc apprimè cum Ambroſio conſentiant lib. de Tobia cap. 8. *Vidi ego miſerabile ſpectaculum, liberos pro paterno debito in auctionem deduci, & teneri calamitatis heredes, qui non eſſent participes ſucceſſionis: & hoc tam immane flagitium non erubeſcere creditorem,* &c. *Agitetur haſta de pretiis ſingulorum. Non immeritò haſta agitatur, vbi caput quæritur: Non immeritò ad auctionem peruenitur, vbi ſors petitur.* Neque verò ſolùm in viuos, ſed etiam in mortuos ſæuiebant, eóſque nectebant. Idem cap. decimo. *Quoties vidi à fœneratoribus teneri defunctos pro pignore, & negari tumulum dum fœnus expoſcitur,* &c. *Nihil intereſt, inter funus & fœnus, inter mortem & ſortem. Perſonat funebrem vlulatum fœnoris vſura: nunc verò capite minutus eſt*

(Liberi venditi pro ære alieno parentum.)

quem conuenitis, vehementioribus tamen nexibus alligate, ne vincula veſtra non ſentiat, &c. Quanquam quòd dixi æuo Ciceronis debitores non fuiſſe nexos, ſed hunc nectendi morem ſub Auguſtis recruduiſſe, fortaſsè verum non eſt. ſiquidem temporis belli Punici ſecundi nonnullos in vinculis fuiſſe conſtat. Liuius lib. 23. *Dictator M. Iunius,* &c. *deſcendit equo, dixítque: Qui capitalem fraudem auſi, quíque pecuniæ iudicati in vinculis eſſent, qui eorum apud ſe milites fierent, eos noxâ pecuniáque ſe exolui iuſſurum.* E quibus appareat iam tum antiquatam fuiſſe legem, quæ occaſione Papyriani flagitij vetuerat necti creditores.

IV. ADOLESCENTEM SVMMA SPE.] Adoleſcentes atque etiam pueros εὐέλπιδας, & magna ſpe præditos eſſe iam oſtendimus ad illa verba Cœlianæ 2. *Habet excuſationem vel pietatis, vel neceſſitatis, vel ætatis ſi voluit accuſare: pietati tribuo. Si iuſſus eſt: neceſſitati. Si ſperauit aliquid: pueritiæ.* Quòd ea ætas de ſe nihil non ſperet, ſempérque, vt illud Varronianum vſurpem, *ſpecibus lactetur nouis*, vnde & ſpes κουροτρόφος à Pindaro nominatur. Alio etiam ſenſu ſpes adoleſcētiæ tribuitur, quòd homines vt plurimùm de iis bene ſperare ſoleant. ſic Poëta lib. 6.

Spes adoleſcentiæ.

Per patrios manes & ſpem ſurgentis Iuli.

& de Marcello.

Nec verò Auſonia quiſquam de gente Latinos
In tantum ſpe tollet auos.-

Noſter pro Milone 41. *Nuper verò cùm M. Antonius ſummam ſpem ſalutis bonis omnibus attuliſſet, grauiſſimámque adoleſcens nobiliſſimus Reip. partem fortiſſimè ſuſcepiſſet.* Sed vt in Curione hæreamus, ſic illi Noſter reſcribit epiſt. 1. libri 2. *Tanta eſt expectatio vel animi, vel ingenij tui, vt ego te obſecrare, obteſtarique non dubitem, ſic ad nos confirmatus reuertare, vt quam expectationem tui concitaſti, hanc ſuſtinere ac tueri poſſis.* Et epiſt. 3. *Summa ſcito in expectatione te eſſe, eáque à te expectari quæ à ſumma virtute ſummóque ingenio expectanda ſunt.*

V. ET ANIMI, ET INGENII.] Quoniam & hîc & in epiſt. diſtinctam animi & ingenij facit mentionem, videndum eſt quæ ſit inter vtrumque diſtinctio, & vt tota res fiat liquidior, de animo, anima, mente, intelligentia, iudicio, ingenio, pauca dicemus.

Inter animum & animam eſt aliqua diuerſitas, vt patet è Lucretio lib. 3. de nat. rerum.

Et magis eſt animus vitaï clauſtra coërcens,
Et dominantior ad vitam quàm vis animaï.

Item:

Animæ & animi diſtinctio.

Hoc anima atque animus vincti ſunt fœdere ſemper.

Nonnius Marcellus in differentiis: *Animus & anima hoc diſtant. Animus eſt quo ſapimus, anima qua viuimus.* Acc. Epigr.

Sapimus animo, fruimur anima, ſine animo, anima eſt debilis.

Quo ſenſu dixerint Platonici animā mortalē, animum immortalem.

Varro Andabatis. *In reliquo corpore ab hoc fonte diffuſa eſt anima. Hinc animus ad intelligentiam tributus.* Quo ſenſu Platonici animum immortalem, mortalem animam eſſe voluerunt, quòd animus ſemper ſentiat, etiam cùm è corporis vinculis euolarit, anima non ſemper corporibus vitam impertiat.

Animus rurſum in duas partes, & quaſi formas diſtinguitur: altera generis, ſiue totius nomen retinet, & animus dicitur, altera mens nominatur. Mentem autem animi partem eſſe demonſtrant illæ loquendi rationes, quibus *mens animi* vocatur. Lucretius lib. 3.

Denique cur animi nunquam mens conſiliúmq; Mens animi.
Gignitur in capite, aut pedibus, manibúſue?

Lib. 4.

Nec ratione alia, cùm ſomnus membra profudit
Mens animi vigilat, niſi quòd ſimulacra laceſſunt. Lib. 6.
Perturbata animi mens in mœrore metúque.

Catullus.

Nec potis eſt dulces muſarum expromere fœtus
Mens animi: tantis fluctuat ipſa malis.

Ante vtrumque Plautus Ciſtell.

-nullam mentem animi habeo:
Vbi ſum, ibi non ſum: vbi non ſum, ibi eſt animus.

Aliàs animo tanquam pars diſtincta opponitur, vt ſexto Æneidos.

-magnam cui mentem animúmque Mens animus.
Delius inſpirat vates, aperítque futura.

Lucretius 6.

At manet in vita quoï mens animúſque remanſit.

Horatius lib. 1. ep. 14.

- iſtuc mens animúſque
Fert, & amat ſpatiis obſtantia rumpere clauſtra.

Sic Homerus frequenter videtur mentem ab animo diſcriminare, κατὰ φρένα, καὶ κατὰ θυμόν. Nam vt Græci mentem νοῦν ἀπὸ τοῦ νοεῖν, ita φρένα ἀπὸ τοῦ φρονεῖν dixerunt. Quamuis, vt notat S. Thomas 2. 2. quæſt. de magnanimitate Philoſophus animum in parte ſenſitiua collocauit. 3. de cœlo, textu 42. ἔν τε τῷ λογιστικῷ γὰρ ἡ βούλησις γίγνεται, καὶ ἐν τῷ ἀλόγῳ ἡ ἐπιθυμία καὶ ὁ θυμός. *In parte rationis compote conſilium eſt, & in parte rationis experte cupiditas & animus.* id eſt, vt interpretatur S. Thomas, concupiſcibilis & iraſcibilis. Sed iam alio ſenſu, vt patet, atque adeò triplex erit animi acceptio. & quemadmodum in parte animæ quæ rationis eſt expers ſenſus & paſſio reperitur, paſſio rurſum habet cupiditatem & iram, quæ vis etiam animus appellatur, ſic in ſuperiore parte quam animum appellant, duæ ſunt vires, quarum altera in rerum cognitione verſatur, altera circa res afficitur. Quæ ſenſus & imaginationem, vímque æſtimatiuam moderatur, ea videtur propriè mēs appellari: quæ iram & cupiditatem in gyrum rationis coërcet, videtur animus nominari. Quamuis animus ad partem, vt vocant iraſcibilem, magis ſpectat, & cùm ſit quaſi ἐν μεσείῳ inter cupiditatem & rationem conſtitutus, ſtat tamen propiùs à ratione. Si tum Ariſtotelem, tum imprimis Platonem audimus 4. de Repub. vbi, poſtquam animam in duas partes ſuperiorem & inferiorem deſcripſit, τὸ θυμοειδὲς, ſiue animum ait ἐν τῇ τῆς ψυχῆς στάσει τίθεσθαι τὰ ὅπλα πρὸς τοῦ λογιστικοῦ. *In ſeditione animæ pro ratione arma capere.* Et paulò pòſt: καθάπερ ἐν τῇ πόλει ξυνεῖχεν αὐτὴν τρία ὄντα γένη, χρηματιστικὸν, ἐπικουρικόν, βουλευτικὸν, οὕτω καὶ ἐν ψυχῇ τρίτον τοῦτό ἐστι τὸ θυμοειδὲς, ἐπίκουρον ὂν τῷ λογιστικῷ φύσει, ἐὰν μὴ ὑπὸ κακῆς τροφῆς διαφθαρῇ. *Quemadmodum in vrbe eam conſeruant tria hominum genera, mercatores, auxiliarij, Senatores, ſic in anima tertium genus eſt pars iraſcibilis, quæ auxiliatur rationi, niſi ſi malâ educatione corrumpitur.* & eam ob rem ab Ariſtotele θυμὸς cos virtutis nominatur. Hic igitur ſumma animi ſpe præditus

Animus, ſiue ira auxiliatur rationi.

eſt, qui oſtendit eam ſe habere indolem, vt pars iraſcibilis animæ ad auxiliandum rationi, & eluctandas omnes difficultates, quæ in exercitatione virtutis occurrunt, propenſa ſit. De qua naturali propenſione Dio Chryſoſtomus oratione 14. τοὺς γενναίους καὶ τοὺς εὐγενεῖς. τούτους γὰρ οἱ ἐξ ἀρχῆς ὠνόμαζον τοὺς εὖ γεγονότας πρὸς ἀρετὴν οὐδὲν πολυπραγμονοῦντες ἐκ τίνων εἰσίν. *Generoſos & nobiles, hos enim ita nominabant, qui feliciter ad virtutem nati eſſent, neque curioſiùs inquirebant à quibus eſſent oriundi.* vnde & frequenter animus virtuti coniungitur. vt 13. Æneidos;

Ecquid in antiquam virtutem animóſque viriles,
Et pater Æneas & auunculus excitat Hector.

Ingenium quid? Ingenium autem, vt ait Nonnius Marcellus, *eſt ſapientia naturalis*, vel, vt accuratiùs loquamur, eſt naturalis capacitas diſcendi, comprehendendi, retinendi, inueniendi, coniectandi, diſponendi, iudicandi de rebus omnibus clarè & expeditè: quæ capacitas ex intelligentiæ, vis imaginatiuæ, & æſtimatiuæ, vt loquuntur, perfectione efflorescit, & à Græcis εὐφυΐα, μνῆμαι, εὐμάθεια, ἀγχίνοια, vt eas appellat Ariſtoteles 1. Rhetor. cap. 6. Item, εὐβουλία, εὐστοχία, de quibus 7. moralium, & aliæ fortaſſe, de quibus non libet hoc loco ſubtiliùs diſputare. De ingenio huius Curionis Orator in Bruto. *Quod veriſimile dixiſſet ita facilè ſolutéque verbis voluebat, ſatis interdum acutus, crebras certè ſententias, vt nihil poſſet ornatius eſſe, nihil expeditius. Atque hic à magiſtris parum inſtitutus, naturam habuit admirabilem ad dicendum, induſtriam non ſum expertus, ſtudium certè fuit: qui ſi me audire voluiſſet, vt cœperat, honores quàm opes conſequi maluiſſet.* Adde, quòd, vt iam vidimus, deſcribitur à Velleio. *Homo ingenioſiſſimè nequam, &* Ingenium Curionis. *facundus malo publico. Cuius animo, voluptatibus, vel libidinibus, neque opes vllæ, neque cupiditates ſufficere poſſent.* Sed nihil magis indicat Curionis vel animum, vel ingenium, quàm illud theatrum & funebre patris munus, quo incredibilem M. Scauri magnificentiam, cum opibus apparatúque non poſſet, cùm iam ne ipſe quidem Scaurus comparari ſibi poſſet, & nemo poſteà par eſſet inſaniæ illi, conatus eſt animo & ingenio ſuperare. Plinij verba ſunt, vt Iacobus Dalecampius è veteribus codicibus emendat. *Ingenio ergo ſuo vtendum Curioni, aliúdque excogitandum fuit: operæpretium eſt ſcire quid inuenerit, & gaudere moribus noſtris, ac noſtro modo nos vocare maiores.* Et poſt deſcriptionem theatri illius mirabilis, quod populum Romanum binis cardinibus libratum ſuſtinebat, exclamat. *Et per hoc quæritur tribunitiis concionibus gratia, vt penſiles tribus faceret. Qualis hic in roſtris? Quid non auſurus apud eos, quibus hoc perſuaſerit? Vera namque confitentibus, populus Romanus funebri munere ad tumulum patris eius depugnauit vniuerſus.* Concludit tandem id factum eſſe non tam opibus quàm animo Curionis. *Nec fuit Rex Curio aut gentium Imperator, non opibus inſignis, vt qui nihil in cenſu habuerit, præter diſcordiam principum.* Hæc Plinius libro 36. cap. 15. Theatrum eiuſdem verbis deſcripſimus in Piſonem. 65. Dio libro 40. parco Græcis. *Ex nobili Curionum genere ortus, animo perſpicaci, viique dicendi præditus magnâ, atque ad perſuadendam multitudinem peridoneus, idémque vt vel ipſe primas in aliqua re obtineret, vel alios in ſimili cauſſa iuuaret nullis pecuniarum profuſionibus perpecerat.* Græca quæ magis ad rem faciunt, ſunt illa τὴν γνώμην ὀξὺς, εἰπεῖν τε δεινός. Lucanus 4.

Haud alium tantâ ciuem tulit indole Roma.

Ingeniorum verò diuerſitatem imagine pulcherrima Plato depingit in Theæteto, quã operæ fuerit pretium exhibere. Σωκρ. Θὲς δή μοι λόγου ἕνεκα, ἐν ταῖς ψυχαῖς ἡμῶν ἐνὸν κήρινον ἐκμαγεῖον, τῷ μὲν μεῖζον, τῷ δ' ἔλαττον, καὶ τῷ μὲν καθαρωτέρου κηροῦ, τῷ δὲ κοπρωδεστέρου καὶ σκληροτέρου. ἐνίοις δ' ὑγροτέρου, ἔστι δὲ οἷς μετρίως ἔχοντος. Θεαιτ. Τίθημι. Σωκ. Δῶρον τοίνυν αὐτὸ φῶμεν εἶναι τῆς τῶν μουσῶν μητρὸς Μνημοσύνης, καὶ ἐς τοῦτο ὅτι ἂν βουληθῶμεν μνημονεῦσαι ὧν ἂν ἴδωμεν ἢ ἀκούσωμεν, ἢ αὐτοὶ ἐννοήσωμεν, ὑπέχοντες αὐτὸ ταῖς αἰσθήσεσι καὶ ἐννοίαις ἀποτυποῦσθαι, ὥσπερ δακτυλίων σημεῖα ἐνσημαινομένους, καὶ ὃ μὲν ἂν ἐκμαγῇ, μνημονεύειν τε καὶ ἐπίστασθαι, ἕως ἂν ἐνῇ τὸ εἴδωλον αὐτοῦ. ὅταν δ' ἐξαλειφθῇ, ἢ μὴ οἷόν τε γένηται ἐκμαγῆναι, ἐπιλελῆσθαί τε καὶ μὴ ἐπίστασθαι. Socrates, *Pone exempli cauſâ cereum vnum in animis noſtris formarum quæ exprimuntur receptaculum, in hoc maius, minus in* Ingeniorum diuerſitas, vnde? *illo, in hoc purioris ceræ, ſordidioris in alio, ac durioris, in quibuſdam mollioris, in nonnullis etiam temperatæ.* Theætetus. *Pono.* Soc. *Donum igitur hoc eſſe a[...]mus Muſarum matris Memoriæ, & in hoc quicquid eorum, quæ aut videmus, aut audimus, aut ipſi excogitamus, meminiſſe cupimus, inſinuantes ipſum ſenſibus intelligentiiſque, veluti annulis ſignantes exprimimus, quódque ſignatum fuerit, meminimus nos, & ſcimus, quoad figura permanet: at cùm aboletur, vel exprimi nequit, obliuiſcimur atque neſcimus.* His poſitis aliquantò pòſt, ita ingenioſum hebetémque deſcribit. Ὅταν οὖν ὁ κηρὸς τοῦ ἐν τῇ ψυχῇ (legerim ὁ ἐν τῇ ψυχῇ) βαθύς τε καὶ πολὺς καὶ λεῖος, μετρίως εἰργασμένος ᾖ, τὰ ἰόντα διὰ τῶν αἰσθήσεων ἐνσημαινόμενα εἰς τοῦτο τὸ τῆς ψυχῆς κέαρ, ὃ ἔφη Ὅμηρος αἰνιττόμενος τὴν τοῦ κηροῦ ὁμοιότητα, τότε μὲν καὶ τούτοις καθαρὰ τὰ σημεῖα ἐγγιγνόμενα, καὶ ἱκανῶς τοῦ βάθους ἔχοντα, πολυχρόνιά τε γίνεται, καὶ εἰσὶν οἱ τοιοῦτοι πρῶτον μὲν εὐμαθεῖς, ἔπειτα μνήμονες. εἶτα οὐ παραλλάττουσι τῶν αἰσθήσεων τὰ σημεῖα, ἀλλὰ δοξάζουσιν ἀληθῆ. σαφῆ γὰρ καὶ ἐν εὐρυχωρίᾳ ὄντα ταχὺ διανέμουσιν ἐπὶ τὰ αὐτῶν ἕκαστα ἐκμαγεῖα, ἃ δὴ ὄντα καλεῖται, καὶ σοφοὶ δὴ οὗτοι καλοῦνται. *Cùm cera illa quæ in animo eſt* (id eſt materia exprimendis rerum formis ſubſtrata) *profunda & multa, lenîſque & probè ſubacta eſt, quæ per ſenſus influunt, in hoc animæ cor inſculpta, quod* Ingenioſi. *Homerus ceræ hanc ſimilitudinem intuens* κέαρ *dixit, tunc quidem etiam his ſigna quæ accedunt, pura & ſatis profunda & diuturna fiunt, ac primò quidem dociles ſunt & acuti, deinde etiam memores, poſtremò ſenſuum ſimulacra non commutant, vnde vera nimirum opinantur. Nam cùm ſint ea perlucida & ampla in regione, velociter diſtribuunt diuidúntque in proprium receptaculum ſingula, quæ quidem exiſtentia veráque vocantur, viríque tales ſapientes eſſe dicuntur.* Equidem iam breuior eſſe poteram, ſed quoties Platonem attingo, ita me vel elegantia verborum, vel ſententiarum lepos effaſcinat, ita facilè non poſſum calamo temperare: quare addamus etiam quæ ſequuntur. Ὅταν τοίνυν λάσιόν του τὸ κέαρ, ὃ δὴ ἐπῄνησεν ὁ πάντα σοφὸς ποιητής, ἢ ὅταν κοπρῶδες καὶ μὴ καθαροῦ τοῦ κηροῦ, ἢ ὑγρὸν σφόδρα, ἢ σκληρὸν, ὧν μὲν ὑγρὸν εὐμαθεῖς μὲν, ἐπιλήσμονες δὲ γίνονται. ὧν δὲ σκληρὸν τἀναντία. οἱ δὲ δὴ λάσιον καὶ τραχὺ, λιθῶδές τι ἢ γῆς ἢ κόπρου συμμιγείσης ἔμπλεων ἔχοντες,

ἀσαφῆ τὰ ἐκμαγεῖα ἴσχουσιν. ἀσαφῆ δὲ καὶ οἱ τὰ σκληρά· βάθος γὰρ οὐκ ἔνι, καὶ οἱ τὰ ὑγρὰ, ὑπὸ γὰρ τοῦ συγχεῖσθαι ταχὺ γίγνεται ἀμυδρά. ἐὰν δὲ πρὸς πᾶσι τούτοις ἐπ' ἀλλήλων συμπεπτωκότα ᾖ ὑπὸ στενοχωρίας, ἐάν του σμικρὸν ᾖ τὸ ψυχάριον, ἔτι ἀσαφέστερα ἐκείνων, &c. *Quando igitur denſum alicuius eſt cor, quod ſapientiſsimus poëta laudauit, vel cùm lutulentum, nec ex defecata cera, vel molle nimis, vel durum, mollis illa cera celeres quidem ad percipiendum efficit, ſed eoſdem obliuioſos: dura verò contra. Et qui denſam & aſperam, lapideámque vel terream, vel feculentam habent, obſcura ſimulacrorum habent receptacula: obſcura quoque qui duram: profunditas quippe non adeſt obſcura præterea qui molliorem, nam ex confuſione facilè euaneſcunt: quòd ſi præter hæc inuicem quoque congeſta ſint, ob regionis anguſtiam, ſiquidem exigua ſit animula, obſcuriora illis*, &c. Paulò pòſt columbarium in animo conſtruit, & ſcientias tanquam in nidulos diſpertit, ſed nolo plura, ne

Quo plus ſunt potæ, plus ſitiantur aquæ.

Non poſſum tamen illud præterire, quod initio dialogi illius dixit, de animi & ingenij coniunctione. Οἵ τ' ὀξεῖς, καὶ ἀγχίνοι, καὶ μνήμονες, ὡς τὰ πολλὰ καὶ πρὸς τὰς ὀργὰς ὀξύρροποί εἰσι, καὶ ἄττοντες φέρονται, ὥσπερ τὰ ἀνερμάτιστα πλοῖα, καὶ μανικώτεροι, ἢ ἀνδρειότεροι φύονται. οἵ τ' αὖ ἐμβριθέστεροι, νωθροί πως ἀπαντῶσι πρὸς τὰς μαθήσεις, καὶ λήθης γέμοντες. *Acuti ſagacéſque & memorioſi & dociles, vt plurimùm in iracundiam impetúſque præcipites ſunt: proruunt enim atque raptantur, quemadmodum ſine retinaculis naues, & furioſi potiùs quàm fortes exiſtunt. Graues autem ſæpe, cùm ad diſciplinas ſe conferunt, ſegnes, torpentes, obliuioſi ſunt.* Quod ad ingenij ſigna ſpectat Ariſtoteles cap. 3. Phyſiognomoniæ. Εὐφυοῦς σημεῖα, σὰρξ ὑγροτέρα, καὶ ἁπαλωτέρα, οὐκ εὐεκτικὴ, οὐδὲ πιμελώδης σφόδρα. τὰ περὶ τὰς ὠμοπλάτας καὶ τράχηλον, ἰσχνότερα καὶ τὰ περὶ τὸ πρόσωπον, καὶ συνδετὰ τὰ περὶ τὰς ὠμοπλάτας, καὶ τὰ κάτω ἀνειμένα, εὔλυτα τὰ περὶ τὰς πλευράς. καὶ τὸ νῶτον ἀσαρκότερον. τὸ σῶμα λευκέρυθρον, καὶ καθαρόν. τὸ δερμάτιον λεπτόν. τριχωμάτιον μὴ λίαν σκληρὸν, μηδὲ λίαν μέλαν, ὄμμα χαροπὸν, ὑγρόν. *Ingenioſi ſigna. Caro humidior & mollior, non boni habitûs, neque valdè pinguis: quæ ſunt circa muſculos ſcapularum & collum macriora, & quæ circa faciem. & colligata quæ ſunt circa muſculos ſcapularum, & quæ ſunt infernè, remiſſa. bene ſoluta quæ ſunt circa coſtas, & dorſum non carnoſum, corpus album mixto rubore, & purum, cutis ſubtilis: pili non valdè duri, nec valdè nigri, oculus rauus, humidus.*

Tardi & hebetes.

VI. Rei familiaris.] Res familiaris, ſiue domeſtica ſunt diuitiæ & facultates priuatæ. Noſter lib. 1. ad famil. epiſt. 9. *Neque Hercule in iis ipſis rebus, quæ quanquam erant mihi propter rei familiaris naufragia neceſſariæ, tamen à me minimi putabantur, in meis damnis ex auctoritate Senatus reſarciendis eam voluntatem, quam expectaram, præſtiterunt.* Libro 4. ad Attic. epiſt. 3. *Nos animo duntaxat vigemus, etiam magis quàm cùm florebamus; re familiari comminuti ſumus.* Cornelius Nepos Attici vitâ. *Ac ne illa peregrinatio detrimentum aliquod afferret rei familiari, eodem magnam partem fortunarum traiecit ſuarum.* Item: *Cùm & rei familiari tantùm operæ daret, quantùm non indiligens deberet pater familias.* & alij frequenter. Rem etiam ſimpliciter dicunt pro diuitiis, vt Græci τὰ χρήματα. Horatius lib. 1. epiſt. 2.

Qui cupit, aut metuit, iuuat illum ſic opus aut res,
Vt lippum pictæ tabulæ, fomenta podagram.

Et 2. ſerm. ſat. 5.

Et genus & virtus, niſi cum re, vilior alga eſt.

Item:

Si cui prætereà validus malè filius in re
Præclara ſublatus aletur.

Plautus Trinummo.

Probus eſt amator, qui relictis rebus rem perdit ſuam.

Iuuenalis ſat. 3.

Haud facilè emergunt quorum virtutibus obſtat
Res anguſta domi.

Sed ne his immoremur.

Facvltatibvs.] Facultates ſunt diuitiæ, lib. 4. ad Attic. epiſt. 3. *Quinti fratris tamen liberalitati pro facultatibus noſtris, ne omninò exhauſtus eſſem, illo recuſante, ſubſidiis amicorum reſpondemus.* ſic vernaculè *opulentus, vn homme bien aiſé, diuitiæ, les commoditez,* quaſi facultates. Nomen, opinor, inde manauit, quod diuitiæ naturâ ſuâ ſint ἀδιάφορα, iiſque in vtramque partem vti poſſimus. Terentius Heautontimorumeno.

Quid reliqui eſt quin habeat, quæ quidem in homine dicuntur bona? &c.
Diuitias. atque hæc perinde ſunt, vt illius animus eſt qui ea poſsidet,
Qui vti ſcit, ei bona ſunt: illi qui non vtitur rectè, mala.

Pro patrio ivre et potestate.] De his affatim pro Cœlio 17. *Tabulas, qui in patris poteſtate eſt nullas conficit.* Hoc loco ſatis fuerit monuiſſe patriam poteſtatem duobus maximè contineri, quòd pater ius & dominium in libertatem liberorum ſuorum haberet, & vitæ neciſque poteſtatem. Pro domo ſua 77. *Scilicet cum hoc iuris à maioribus proditum ſit, vt nemo ciuis Romanus aut libertatem, aut ciuitatem poſſit amittere, niſi ipſe auctor factus ſit, quod tu ipſe potuiſti in tua cauſa diſcere. Credo enim, quanquam in illa adoptione legitimè factum eſt nihil, tamen te eſſe interrogatum auctórne eſſes, vt in te P. Fonteius vitæ neciſque poteſtatem haberet, vt in filium. Quæro ſi aut negaſſes aut tacuiſſes, ſi tamen id triginta curiæ iuſsiſſent, non id iuſſum eſſet ratum? Certè non. Quid ita? quia ius à maioribus noſtris qui non fictè & fallaciter populares, ſed verè & ſapienter fuerunt, ita comparatum eſt vt ciuis Romanus libertatem nemo poſſit, inuitus amittere,* VII.

ARGVMENTVM.

Tranſitio à maculis adoleſcentiæ ad reliquam vitam, qua & attentio renouatur, & tædium lenitur promiſſione breuitatis, & animus ad reliquam orationem præparatur.

XXXIV. SED iam ſtupra & flagitia omittamus, ſunt quædam quæ honeſtè non poſſum dicere. Tu autem eò liberior, quòd ea in te admiſiſti, quæ à verecundo inimico audire non poſſes. Sed reliquum vitæ curſum videte, quem quidem celeriter perſtringam. Ad hæc enim quæ in ciuili bello, in maximis Reipub. miſeriis fecit, & ad ea quæ quotidie facit, feſtinat animus: quæ peto, vt quanquam multò notiora vobis, quàm mihi ſunt: tamen, vt facitis attentè audiatis. Debet enim talibus in rebus excitare animos, non cognitio ſolùm rerum, ſed etiam recordatio: & ſi incidamus oportet media, ne nimis ſerò ad extrema veniamus.

EXPLANATIO.

SED IAM.] Tranſitio. cui ſubiicit rationem à ſtudio vitandæ verborum obſcœnitatis, ſine qua non poſſet ea ſtupra & flagitia deſcribere.

TV AVTEM.] Acutè Antonij libertatem & petulantiam in maledictis iactandis, non ad conſcientiæ fiduciam, ſed contrà ad turpitudinem flagitiorum refert. Tu autem eò liberiùs & ſecuriùs me prouocaſti tuis maledictis, quòd non vereris ne à me maledicta regerantur; tam enim fœdæ ſunt adoleſcentiæ tuæ ſordes, vt tibi planè compertum ſit me præ verecundia & pudore de iis nihil eſſe dicturum.

RELIQVVM VITÆ CVRSVM.] Qui tuam pueritiam & primum tirocinij forenſis annum excepit, quem paucis verbis, & quaſi curſim attingam, neque ſingulis diutiùs immorabor.

AD EA.] Reddit rationem cur in multis Antonianæ vitæ partibus non moretur. Reliquas vitæ parteis ſtrictim attingo, non quod deſit materia inuehendi in ſingulas, ſed quia ad ciuile bellum feſtinat animus.

AD EA QVÆ QVOTIDIE FACIT.] Quæ quotidie faceret Antonius iam dixit §. 6. *Cùm tu reliquias Reip. diſſipauiſſes, cùm domi tuæ turpiſſimo mercatu omnia eſſent venalia, cùm leges eas, quæ nunquam promulgatæ eſſent, & de te & à te latas confiterere, cùm auſpicia augur, interceſſionem conſul ſuſtuliſſes, cùm eſſes fœdiſſimè ſtipatus armatis*, &c.

QVÆ PETO.] Iam renouarat re ipſa attentionem aiens ſe de maximis Reip. miſeriis eſſe dicturum, nunc eandem apertè petit: ſubditque petitionis ſuæ rationem.

ETSI INCIDAMVS OPORTET MEDIA.] Alij legunt *tametſi* reliquis ſeruatis: alij *etſi* incidamus, opinor, media. Nihil muto.

INCIDAMVS.] Curſim perſtringamus. MEDIA quæ inter tirocinium forenſe, ſiue togæ virilis ſumptionem & Tribunatum plebis interceſſerunt, NE NIMIS SERO AD EXTREMA quæ poſt illud tempus in bello ciuili fecit, & quotidie facit. VENIAMVS.

NOTÆ.

SED IAM.] Libet pluſcula è tertia Verrina §. 32. & 33. exhibere. *Itaque primum actum illum iſtius vitæ turpiſſimum & flagitioſiſſimum prætermittam: nihil à me de pueritiæ ſuæ flagitiis audiet: nihil de illa impura adoleſcentia ſua*, &c. *Omnia præteribo quæ mihi turpia dictu videbuntur: neque ſolùm quid iſtum audire, verùm etiam quid me deceat dicere, conſiderabo. Vos quæſo date hoc, & concedite pudori meo, vt aliquam partem de iſtius impudentia reticere poſſim.* Et alia quæ ibi tractat vberiùs, vt ætas ferebat, hîc incaneſcente, iam, vt ipſe loquitur, oratione maturiùs & decoctiùs. Solent autem etiam cæteri oratores hanc in verbis verecundiam oſtendere, vt Demoſthenes Olynthiaca 2. Τοιούτοις ἀνθρώποις, οἵους μεθυσθέντας ὀρχεῖσθαι τοιαῦτα, οἷα ἐγὼ νῦν ὀκνῶ πρὸς ὑμᾶς ὀνομάσαι. *Tales homines vt ebrij ſiltent eiuſmodi ſaltationes, quas nunc verecundor apud vos nominare.* De Corona: Ἀλλά, νὴ τὸν Δία καὶ τοὺς θεούς, ὀκνῶ μὴ περὶ σοῦ τὰ προσήκοντα λέγων, αὐτὸς οὐ προσήκοντας ἐμαυτῷ δόξω προῃρῆσθαι λόγους. ταῦτα μὲν οὖν ἐάσω. *Sed per Iouem & Deos omnes ſubtimeſco, ne ſi orationem tuis flagitiis dignam habuero, ipſe videar me indignos dixiſſe ſermones. Hæc igitur omittam.* Et ſub finem orationis: Πολλὰ τοίνυν ἕτερα εἰπεῖν ἔχων περὶ αὐτοῦ παραλείψω. οὐ γὰρ ὅσ' ἂν δείξαιμι προσόντ' αἰσχρὰ τούτῳ καὶ ὀνείδη, πάντ' οἶμαι δεῖν εὐχερῶς λέγειν, ἀλλ' ὅσου μηδὲν αἰσχρὸν ἐστὶν εἰπεῖν ἐμοί. *Cùm igitur alia multa de iſto poſſim dicere, hæc omittam. Non enim quæcunque turpia, aut probra huic conuenire demonſtrare poſſum, omnia mihi facilè dicenda reor, ſed ea duntaxat quæ mihi dicere non eſt inhoneſtum.* Æſchines contra Timarchum. Καὶ τοιαῦθ' ἁμαρτήματα καὶ τοιαύτας ὕβρεις ἐγὼ ἀκήκοα γεγονέναι ὑπὸ τοῦ ἀνθρώπου τούτου εἰς τὸ σῶμα τοῦ Τιμάρχου, οἵας ἐγώ, μὰ τὸν Δία τὸν Ὀλύμπον, οὐκ ἂν τολμήσαιμι πρὸς ὑμᾶς εἰπεῖν. ἃ γὰρ αὐτὸς ἔργῳ πράττων οὐκ ᾐσχύνετο, ταῦτ' ἐγὼ λόγῳ μόνον σαφῶς ἐν ὑμῖν εἰπὼν οὐκ ἂν ἐδεξάμην ζῆν. *Et tanta flagitia tantáſque contumelias ab iſto in Timarchi corpus admiſſas eſſe audiui. vt eas ego, mediusfidius apud vos verbis explicare non auſim. Quæ enim ille facere non verecundabatur, ea ſi verbo dumtaxat expoſuero, mihi viuendum non putabo.* 1.

Vitanda verborum obſcœnitas.

Idem oratione contra Cteſiphontem: Περὶ δ' εὐγνωμοσύνης καὶ λόγου δυνάμεως πῶς πέφυκε; δεινῶς λέγειν, κακῶς βιῶναι. οὕτω γὰρ κέχρηται καὶ τῷ ἑαυτοῦ σώματι, καὶ παιδοποιΐᾳ, ὥστε με μὴ βούλεσθαι λέγειν ἃ τούτῳ πέπρακται. ἤδη γάρ ποτ' εἶδον μισηθέντας τοὺς τὰ τῶν πλησίον ἁμαρτήματα λίαν σαφῶς λέγοντας. ἔπειτα τί συμβαίνει τῇ πόλει; οἱ μὲν λόγοι καλοί, τὰ δ' ἔργα φαῦλα. *Circa prudentiam in dicenda ſententia & dicendi facultate quomodo eſt comparatus? Sic vt fortiter loquatur, nequiter viuat. Sic enim ſuo corpore vtitur, & ſuſcipiendorum liberûm ratione, vt dicere nolim, quæ ille in ſe admiſit. Video enim quoſdam odio habitos, quòd proximorum turpitudinem nimis diſertè declararent. Deinde quid euenit ciuitati? pulchra verba, mala opera.* Iſæus de hereditate Dicæogenis: Τὴν δὲ μητέρα τὴν αὐτοῦ καθημένην ἐν τῷ τῆς Εἰλυθείας ἱερῷ πάντες ἑώρων, καὶ τούτῳ ἐνεκάλουν ἃ ἐγὼ αἰσχύνομαι λέγειν, οὗτος δὲ ποιῶν οὐκ ᾐσχύνετο. *Ipſius matrem ſedentem in Lucinæ templo videbant omnes, & ea iſti exprobrantem quæ dicere erubeſco, ille verò facere non erubeſcebat.*

ARGVMENTVM.

De familiaritate Antonij cum P. Clodio Tribunoplebis, & profectione Alexandriam ad reſtituendum Ptolemæum ab Alexandrinis expulſum.

XXXV. INTIMVS erat in tribunatu Clodio: qui ſua erga me beneficia commemorat, eius omnium incendiorum fax, cuius etiam domi iam tum quiddam molitus eſt, quid dicam, ipſe optimè intelligit. Inde iter Alexandriam, contra Senatus auctoritatem, contra religiones. Sed habebat ducem Gabinium, quicum quiduis rectiſſimè facere poſſet.

EXPLANATIO.

INTIMVS.] Cùm P. Clodius gereret tribunatum plebis, tam familiaris illi erat Antonius, vt non ſolùm inter amicos vulgares in atrium admitteretur ſed in intima domus penetralia cum maximè neceſſariis, & omnibus eius conſiliis intereſſet.

QVI SVA.] Videtur eſſe epichirema ductum à repugnantibus, quod ita reuocari poſſit ad ſyllogiſmum.

Non debet ſua erga me beneficia prædicare qui ſe coniunxit meo inimico.

Sed Antonius ſe coniunxit meo inimico.

Ergo non debet ſua erga me beneficia prædicare.

EIVS OMNIVM.] Vel eſt allegoria, & incendiorum nomine quaſuis ſeditiones intelligit, quarum omnium Antonius fuit adminiſter, & quaſiquidam incendiarius facem ſubiecit. vel loquitur de incendiis à Clodio excitatis, quibus ipſa domus Ciceronis, ædes nympharum, & alia loca deflagrarunt.

QVIDDAM MOLITVS EST.] De ſtupranda eius vxore, inquit Manutius. Dici poſſet etiam iam tum Antonium conſpiraſſe contra Rempub. vt Pompeium reliquóſque principes ciuitatis occiderent, ſtatúmque imperij Romani conuellerent. Sed Abramus ſum, non Oedipus, & fortaſſe non eſt in eo magnopere laborandum. Solent enim Oratores aliquando, etiamſi in re nihil ſubſit, ſuſpicioſè loqui, & cùm probare nihil poſſunt, teſtari ipſam aduerſariorum conſcientiam. Sic enim & aduerſarios mirè lancinant, nec alligantur mendacij.

INDE.] Poſt illam Clodij familiaritatem profectus eſt Alexandriam Ægypti, vt Ptolemæum à ciuibus ſuis eiectum regno reſtitueret, *contra Senatus auctoritatem*, quæ præſcripta fuerat ne quis omnino Ptolemæum reduceret cum exercitu, *contra Rempub.* quæ hac reductione graue vulnus accipiebat, *contra religiones*, ſibyllinum oraculum, quod Romanas legiones ingredi Ægyptum prohibebat. legunt quidam, *Inde itum Alexandriam.* Nihil refert.

SED HABEBAT.] Sed ſequebatur Aulum Gabinium Syriæ Proconſulem, qui Ptolæmei pecuniis inductus eum reducebat.

QVI CVM.] Ironia. Nam Gabinius damnatus fuerat maieſtatis ob reductum Ptolemæum.

NOTÆ.

INTIMVS ERAT.] Plutarchus: Ὁ δὲ βραχὺν μέν τινα χρόνον τῇ Κλωδίου τοῦ θρασυτάτου, καὶ βδελυρωτάτου τῶν τότε δημαγωγῶν φορᾷ πάντα τὰ πράγματα ταραττούσῃ προσέμιξεν ἑαυτόν. ταχὺ δὲ τῆς μανίας ἐκείνου μεστὸς γενόμενος, &c. *Pauliſper Clodij audaciſſimi illius temporis popularium furori Rempub. perturbanti applicuit ſe: ſed cito inſaniam Clodij pertæſus, & timens Clodij inimicos in Græciam ex Italia nauigauit.* Quis autem propriè dicatur *intimus*, videri poteſt ex Seneca lib. 6. de beneficiis cap. 33. *Non ſunt iſti amici qui agmine magno ianuam pulſant, qui in primas & ſecundas admiſſiones digeruntur.* Et capite ſequenti: *Apud nos primus omnium Gracchus, & mox Liuius Druſus inſtituerunt ſegregare turbam ſuam, & alios in ſecretum recipere, alios cum pluribus, alios cum vniuerſis. Habuerunt itaque iſti amicos primos, habuerunt & ſecundos, neutros veros.* Plinius lib. 33. cap. 3. *Fuit & alia Clodij principatu differentia in ſolis his, quibus admiſſionem liberti eius dediſſent imaginem principis in annulo gerendi, magna criminum occaſione: quæ omnia ſalutaris exortus Veſpaſiani principis aboleuit, æqualiter publicando principem.* Ad hanc autem admiſſionum varietatem diuerſa vela obtendebant, vt amicos prout magis vel minùs intimi eſſent, in penetralia ſua admitterẽt. Lampridius in Alexandro: *Salutaretur verò quaſi vnus de Senatoribus patente velo, admiſſionalibus remotis, aut ſolis iis qui miniſtri ad fores fuerant, cùm antea ſalutare principes non liceret, quod eos videre non poterat.* Gra-

I. Intimi.

Admiſſionum varietas.

Vela. tianus ex epiſtola Syluerij Papæ 23.quæſt.4. *Beliſarius Patricius noſter mandauit me ad ſe venire pacificè pro quibuſdam eccleſiaſticis diſpoſitionibus in palatium principis, & ad primum & ſecundum velum retinuit omnem clerum & populum qui mecum veniebat, & nullum permiſit introire niſi me ſolum, & Vigilium diaconum meum.* Atque haud ſcio an de huiuſmodi velis debeat intelligi Theodoſij & Valentiniani reſcriptum, C. Ne quis priuatus: *Ne quis vela regia ſuſpendere, vel titulum audeat ſine præceptione Iudicis competentis, alienis rebus imponere.* Poſt hæc vela erat oſtium domus interioris ſine intimæ. Corippus lib. 3. in laudem Iuſtini minoris:

Verùm, vt contracto patuerunt intima velo
Oſtia & aurati micuerunt atria tecti.

Intimus itaque propriè dicitur, qui per intimum illud oſtium admittitur, & vt cum Seneca loquar *in ſecretum recipitur.* Eadem etiamnum in aulis Principum ſeruatur admiſſionum diuerſitas. vulgo: *Le grand coucher, le petit coucher du Roy.* Atque hinc familiariſſimi quinque intimi dicuntur. Tacitus lib. 6. annalium: *Pater quoque* Pompeiæ Macrinæ, *illuſtris eques, ac frater Prætorius, cùm damnatio inſtaret, ſeipſi interfecere. Datum erat crimini quòd Theophanem Mitylenæum proauum eorum Cn. Magnus inter intimos habuiſſet: quódque defuncto Theophani cœleſtes honores Græca adulatione tribuerant.* Sed quoniam velorum fecimus mentionem, addamus & illud non ſolùm princeps viros obtendiſſe velum, vt intimiùs cum familiaribus ſuis verſarentur, ſed etiam Grammaticos, vt illas ſuas præceptiones hac ſecreti ſpecie magnificentiùs venditarent. S. Auguſtinus lib. 1. confeſſionum cap. 13. *At enim vela pandent in liminibus grammaticorum, ſed non illa magis honorem ſecreti, quàm tegumentum erroris ſignificant.*

II. INCENDIORVM FAX.] B. Cyprianus ad Cornelium de hæreticis: *Nouatianus fax & ignis ad conflanda ſeditionis incendia, turbo & tempeſtas ad facienda fidei naufragia.* Nec alio ſenſu opinor, Paris ille Alexander fax patriæ dictus. 7. Æneidos:

-Nec face tantùm
Cyſſeis prægnans igneis enixa iugaleis.

Quamquam id ad Hecubæ ſomnium referri poteſt. Vetus Poëta 1. de diuinatione:

Fax ſeditionis. *Quia mater grauida parere ſe ardentem facem*
Viſa eſt in ſomnis Hecuba.-

Quod portendebat:

Eum eſſe exitium Troiæ, peſtem Pergamo.

Item:

Adeſt, adeſt fax obuoluta ſanguine atque incendio.
Multos annos latuit. Ciues ferte opem & reſtinguite.

Dictus igitur Paris fax belli & ciuitatis, quòd bello Troiano cauſam præbuerit, fueritque ἀρχέκακος, vt Græci loquuntur. Eodem modo fax incendiorum dicetur Antonius, quòd Clodium ad ſeditiones excitarit, & turbis incendendis quaſi facem ſubiecerit. De incendiis Clodianis, etiam vocis proprietate ſeruata, frequenter Orator, vt pro domo ſua 62. *Domus ardebat in palatio non fortuito, ſed oblato incendio.* Pro Cœlio 78. de Sexto Clodio ſatellite furoris Clodiani: *Qui ædes ſacras, qui cenſum populi Romani, qui memoriam publicam ſuis manibus incendit.* Idem pro Milone 74. & 88. & alibi de Clodianis incendiis.

CONTRA SENATVS AVCTORITATEM.] Propriè. neque enim fecit Gabinius contra Senatuſconſultum, ſed contra Senatus auctoritatem. III. Epiſtola 7. ad Lentulum libri primi ad familiares: *Senatuſconſultum nullum extat quo reductio Regis Alexandrini tibi adempta ſit: eáque quæ de ea ſcripta eſt auctoritas, vt ne quis omnino Regem reduceret, tantam vim habet, vt magis iratorum hominum ſtudium, quàm conſtantis Senatus conſilium eſſe videatur.* Quare Gabinius ſine Senatuſconſulto quidem id fecit, ſed contra Senatuſconſultum non fecit. Fecit autem, vt dixi, contra Senatus auctoritatem. Magna quippe inter vtrumque diuerſitas. Liuius libro 4. *Si quis intercedat Senatuſconſulto, auctoritate ſe fore contentum.* Cicero epiſt. 2. ad Lentulum: *De his rebus pridiè quàm hæc ſcripſi, Senatûs auctoritas grauiſſima interceſſerat: cui cùm Cato & Caninius interceßiſſent, tamen eſt perſcripta.* Et Marcus Cœlius lib. 8. epiſt. 8. refert aliquot Senatuſconſulta, è quibus apparet eadem diſtinctio. *Senatuſconſultum quod tibi miſi factum eſt, auctoritatéſque perſcriptæ.* ſequuntur verba, *Si quis huic Senatuſconſulto interceſſerit, Senatui placere auctoritatem perſcribi.* quæ in altero S. C. iiſdem planè verbis repetuntur, vt videas hanc formulam fuiſſe ſolemnem. Paulò pòſt: *Si quis huic S. C. interceßiſſet, auctoritas perſcriberetur.* Clarè Dio libro 45. Εἰ δ' οὖν ποτε ἐκ συντυχίας τινὸς μὴ συλλεχθεῖεν, ὅσους ἡ χρεία ἑκάστοτε ἐκάλει, ἐβουλεύοντο μὲν καὶ ἥ γε γνώμη συνεγράφετο. οὐ μέντοι καὶ τέλος τι ὡς κεκυρωμένη ἐλάμβανεν, ἀλλ' αὐκτώριτας ἐγίγνετο. ὅπως φανερὸν τὸ βούλημα αὐτῶν ᾖ. τὸ δ' αὐτὸ τοῦτο καὶ εἴποτ' ἐν τόπῳ τινὶ μὴ νενομισμένῳ, ἢ ἡμέρᾳ μὴ καθηκούσῃ, ἢ καὶ ἔξω νομίμου παραγγέλματος ὑπὸ σπουδῆς ἠθροίσθησαν, ἢ καὶ ἐναντιωθέντων τινῶν δημάρχων, &c. Vertit Xylander: *Quòd ſi quando caſu fieret, vt non tot, quot opus erat, conuenirent, conſilium quidem ij capiebant, & quod ſtatuiſſent id perſcribebatur: non tamen vim Senatuſconſulti obtinebat, ſed auctoritas Senatus dicebatur, quæ videlicet oſtenderet, quæ fuiſſet ſententia eorum, qui conſilio interfuerant, Senatorum. Idémque hoc etiam tum obſeruatum eſt, cùm aut loco, aut tempore alieno, aut nullo legitimo edicto vocati feſtinatò coiiſſent, aut Tribuni aliqui plebis interceßiſſent.* Quis autem numerus ad S. C. requireretur, poteſt in dubium vocari. Prudentius in Symmachum libro priore trecentos requirit.

Senatuſconſultum & Senatus auctoritas.

Conditiones ad S. C. requiſitæ.

Sic conſulta Patrum conſiſtere Conſcriptorum
Non aliter licuit priſco ſub tempore, quàm ſi
Tercentum ſenſiſſe patres legerentur in vnum.

Plureis etiam Dio libro 54. de Auguſto loquens: καὶ τὴν βουλὴν κατελέξατο. ὁρῶν δ' ὅτι οὐκ ἀεὶ συχνοὶ συνελέγοντο, ἐκέλευσε τὰ δόγματα καὶ ἐν ἐλάττοσιν ἢ τετρακοσίοις γίγνεσθαι. οὐ γὰρ ἐξῆν τινα ἐκ τοῦ πρὶν ἄλλως κυροῦσθαι. *Senatum legit, & cùm videret frequenter non conuenire Senatores, Senatuſconſulta etiam à paucioribus quàm quadringentis Senatoribus, vt fieri poſſent, ſtatuit, cùm anteà hunc numerum ad hoc vt rata eſſent, requirerent.* Quare non errauerit fortaſſe, qui Prudentium non de priſca Repub. & Conſulum tempore, ſed de primis Auguſtis explicabit, quo tempore Senatorum numerus à quadringentis ad trecentos contractus eſt. Quamuis fortaſſe etiam Auguſti, vt Senatuſcon-

Numerus ad S. C. neceſſarius.

ſulta vim obtinerent, in aliis rebus trecentis contenti erant, in aliis etiam plureis exigebant. Idem Dio libro 55. Τόν τ' ἀριθμὸν τὸν ἐς τὴν κύρωσιν τῶν δογμάτων ἀναγκαῖον, καθ' ἕκαστον εἶδος αὐτῶν διενομοθέτησε. *Et numerum ad hoc vt Senatuſconſulta rata fierent neceſſarium, ſecundum ſingulas eorum formas lege latâ conſtituit.* Hinc intelliges illud Sexti Pompeij: NVMERA SENATVM *ait, quiuis Senator Conſuli cum impedimento vult eſſe quò minùs fiat S. C. poſtulátque, vt aut res quæ referuntur, diuidantur, aut ſinguli conſulantur, aut ſi tot non ſint Senatores, quo numero liceat perſcribi Senatuſconſultum.* Marcus Cœlius epiſt. 11. ad Ciceronem: *Renuntiatum nobis erat Hirrum diutius dicturum. prendimus eum: non modò non fecit, ſed cùm de hoſtibus ageretur, & poſſet rem impedire, ſi, vt numeraretur, poſtularet, tacuit: tantùm Catoni aſſenſus eſt.* Id eſt, cùm de tuis ſupplicationibus ageretur, nobis renuntiatum erat fore, vt Hirrus diem dicendo eximeret: prenſauimus eum, & magna animi contentione rogauimus, vt id ne faceret. Non modò noſtris precibus acquieuit, & diem dicendo non extraxit; ſed cùm de hoſtibus à te profligatis ageretur, & poſſent impedire Senatuſconſultum, ſi, vt Senatus numeraretur, poſtularet, tacuit, &c. Quæ explicanda cenſui ne te P. Manutij viri ſanè doctiſſimi lapſus in fraudem induceret, qui ad illa verba, *Poſſet rem impedire.* Sic infert. Falsò igitur Cicero illud ſcripſerat epiſt. 10. lib. 2. *Victoriâ iuſta appellatus ſum.* & illa, *vt numeraretur*, ſic exponit. *Vt oſtenderetur quo cæſi hoſtes numero eſſent.* Sed prætorquàm quod tam inhumanus non erat Cœlius, vt Ciceroni quem plurimùm amabat, & quaſi alterum patrem obſeruabat, mendacij crimen impingeret, ſi de hoſtium numero ageretur, non *vt numeraretur*, ſed, *vt numerarentur* poſtulaſſet. Summa dictorum eſto. ad S. C. faciendum quinque requirebantur.

Numera Senatum.

1. Vt Senatores certo numero conuenirent, puta trecenti, vel etiam quadringenti.
2. Vt haberetur Senatus loco certo & legibus conſtituto.
3. Vt tempore non alieno.
4. Vt legitimo edicto conuocaretur à Conſule, cæteriſque magiſtratibus, quibus ea fuit auctoritas.
5. Vt Tribuni plebis non intercederent.

Harum quinque conditionum ſi vel vnica defuiſſet, Senatuſconſultum non fiebat, nihilo tamen ſeciùs nonnunquam ſcribebatur, quid Patres cenſuiſſent, & id vocabatur Senatus auctoritas. Hîc antequam finio, aduerto quibuſdam in rebus pauciores trecentis neceſſarios fuiſſe ad S. C. faciendum. Docet enim Aſconius in orationem pro C. Cornelio, *Cornelium primò legem promulgaſſe, ne quis per Senatum lege ſolueretur: deinde tuliſſe vt tum denique de ea re S. C. fieret, cùm adeſſent in Senatu non minus ducentis.*

SED HABEBAT DVCEM GABINIVM.] IV.
Tradit contrà Plutarchus Antonium fuiſſe Ducem Gabinio: Γαβίνιον ἐπὶ μυρίοις ταλάντοις Πτολεμαίου πείθοντος εἰς Αἴγυπτον ἅμα συνεμβαλεῖν αὐτῷ, καὶ τὴν βασιλείαν ἀναλαβεῖν, οἱ μὲν πλεῖστοι τῶν ἡγεμόνων ἠναντιοῦντο, καὶ Γαβίνιον δ' ὄκνος εἶχε τοῦ πολέμου. καίπερ ἐξηνδραποδισμένον κομιδῇ τοῖς μυρίοις ταλάντοις. Ἀντώνιος δὲ πράξεων μεγάλων ἐφιέμενος, καὶ τῷ Πτολεμαίῳ χαριζόμενος δεομένῳ, συνέπεισε μὲν καὶ συνεξώρμησεν ἐπὶ τὴν στρατείαν τὸν Γαβίνιον. *Gabinium decem talentorum millibus ſollicitante Ptolemao, vt ſimul cum ipſo in Ægyptum expeditionem ſuſciperet, & ipſe regnum reciperet, legatorum & præfectorum plurimi repugnabant, & Gabinium quamuis tantâ mercede conſtrictum ab eo bello quædam formido reuocabat. Antonius autem in omnes magnarum rerum occaſiones intentus, & Ptolemæo roganti gratificans, ad hanc expeditionem Gabinium impulit, & concitauit.* Cæterùm poſtquàm à Clodio diſceſſit, antequam ſe Gabinio coniungeret, in Græcia fuerat aliquandiu commoratus. Sed Orator tempus illud relinquit intactum, vel ſtudio breuitatis, vel quia quod in eo reprehenderet non habebat. hoc enim temporis ſpatio Antonius intermiſſa litterarum & eloquentiæ ſtudia renouarat. Miſſus etiam à Gabinio fuerat in Iudæam, hoſtium arcem primus inuaſerat, Ariſtobulum cum filio ceperat, paruâ militum manu ingentes Iudæorum copias conciderat. Id quoque prudens & ſciens Tullius omittit. Pauciſque perſtringit profectionem in Ægyptum dixiſſe contentus ea profectione Senatus auctoritatem, Rempub. religiones fuiſſe violatas, diſſimulatis rebus in Ægypto præclarè geſtis, quibus Antonius reliquerat ſuæ fortitudinis, prouidentiæ, humanitatis impreſſa veſtigia. Nam cum equitatu præmiſſus, viarum anguſtias, atque adeo vrbem Peluſium occuparat, & interuenerat ne Ptolemæus Ægyptiorum primores occideret, & ingenti prælio, circuiens hoſtes & à tergo inuadens, τὴν νίκην τοῖς κατὰ στόμα παρέσχων, ἀριστεῖα, καὶ τιμὰς ἔλαβε πρεπούσας, *victoriam iis qui ex aduerſo veniebant expediens præmiis, vt par fuit militaribus donatus eſt:* & Archelai, τὸ σῶμα πεσόντος ἐξευρὼν, καὶ κοσμήσας βασιλικῶς ἐκήδευσεν. *demortui caput inuentum, & ornatum regiâ magnificentiâ ſepeliuit.* Quare Noſter quod inuidioſum erat, videlicet ipſam profectionem contra religiones & oracula ſuſceptam inſectatur, reliqua tacet quòd Antonius ex iis veluti fontibus ad hominum commendationem & militum beneuolentiam profluxerat. & allegoriâ ſuam orationem obſcurat, ne vel apertè damnet Gabinium quem olim maieſtatis accuſatum defenderat, vel inimicum laudare videatur.

ARGVMENTVM.

De reditu Antonij ex Aegypto, profectione in Galliam, aduentu in vrbem, reconciliatione cum ipſo Cicerone.

XXXVI. QVI tum inde reditus? aut qualis? priùs in vltimam Galliam ex Ægypto, quàm domum. Quæ autem erat domus? ſuam enim quiſque domum tum obtinebat, nec erat vſquam tua. domum dico? quid erat in terris, vbi in tuo pedem poneres? præter vnum Miſenum, quod cum ſociis tanquam Siſaponem tenebas. Veniſti è Gallia ad Quæſturam petendam. Aude dicere, te priùs ad patrem tuum veniſſe, quàm ad me. Acceperam iam antè Cæſaris litteras, vt mihi ſatis fieri paterer à te: itaque ne loqui quidem ſum te paſſus de gratia.

EXPLANATIO.

QVI TVM.] Iure inuehitur in reditum Antonij, quòd ex Ægypto rediẽs, non domum & neceſſarios ſuos inuiſerit, ſed profectus fuerit in vltimam Galliam ad Cæſarem. Quod profectò non feciſſet, niſi deſperatis vitæ ſuæ rationibus videret ſe in vrbe ſtare non poſſe, aut propter flagitia ſic inuiſum eſſe ſuis, vt ad matrem non auderet accedere.

QVÆ AVTEM ERAT DOMVS?] Correctio Rhetorica, quaſi lapſus fuerit verbo. non enim domum habebat Antonius, ſed in prætexta decoxerat, & paterna domo fuerat expulſus.

SVAM ENIM.] Acriter reddit rationem cur Antonius domum non haberet. Si enim dixiſſet, tu enim decoxeras, & domus patris addicta fuerat creditoribus, veram quidem ille cauſam reddidiſſet. Sed longè vehementiùs, *Suam enim quiſque domum tum obtinebat*, quibus verbis & memoria belli ciuilis, quòd tam multos ſedibus ſuis expulit, refricatur, & inuidia quæritur Antonio, qui in tam multorum ciuium domos inuaſit.

DOMVM DICO?] Alia correctio, ad augendam inopiam Antonij.

MISENVM.] *Maritimam villam in Baiano littore*, inquit Manutius.

TANQVAM SISAPONEM.] Idem: *Cum probro dictum, quaſi ciuitatem vitiis infamem & luxu perditam.* Magis arridet Turneb. lib. 10. aduerſ. cap. 12. id referens, *ad miniaria metalla Siſaponenſium, quæ ſocietates publicanorum exercebant: dicit enim Antonium non vnum poſſeſſorem Miſeni fuiſſe, ſed poſſeſſionis ſocios habuiſſe multos.*

AD PATREM TVVM.] Hic locus criticos haud parum exercuit, dum alij *matrem tuam*, alij *parentem tuam*, alij *patruum tuum*, alij denique *amatorem tuum* emendant. Vnum Biſciolam audiamus. *Non poſſum intelligere, quem hìc Antonij patrem vocet: quidam imperitiſſimè C. Cæſarem, qui poſteà Dictator fuit, accipiunt: ſed is bellum gerebat in Galliâ vnde nuper diſceſſerat Antonius. Nec M. Antonius Creticus intelligi poteſt, à quo moriente puerulus fuerat relictus. Non L. Lentulus vitricus: nam eum in carcere Conſul Cicero ſtrangularat: & in hac tamen ſcriptura codices omnes, quos quidem mihi legere contigit, legi autem plurimos, conſentiunt. Itaque exiſtimo* parentem tuam *legi debere, vt matrem M. Antonij intelligamus: Ea erat Iulia lectiſſimá fœmina.* Eadem ſentiunt Manutius, Lambinus & Bucananus. & hi quidem duo negant *patruum* legi poſſe, quòd tum temporis C. Antonius Marci patruus exularet. Sed de damnatione & exilio C. Antonij poſteà diſſeremus. *Amatorem tuum.* eſt à coniectura Mureti lib. 18. variarum lect. cap. 6. id eſt, Curionem qui te efflictim adamabat. Primam illam lectionem *parentem tuam* eò libentiùs amplector, quòd & plures ei ſuffragentur, & Ianus Grutterus aſſerat *parentem tuam* in manuſcriptis melioribus inueniri.

ACCEPERAM.] Reddit rationem cur ipſum conuenerit Antonius, antequam domeſticos & neceſſarios inuiſeret: quia nimirum ſciebat ſe cõmendatum eſſe literis Cæſaris, & faciliorem gratiæ reconciliationem fore ſperabat, ſi primo quoque tempore ſatisfeciſſet Ciceroni. Cùm enim intimus fuiſſet Clodio, & eius omnium incendiorum fax, Ciceronem inimicum Clodij violarat. Petebat itaque per litteras Cæſar à Cicerone, vt Antonio veniam petenti & ſatisfacienti concederet. Quibus litteris tantum tribuit Cicero, vt Antonium ad ſe venientem complexu exceperit, neque paſſus fuerit, vt de petendâ veniâ loqueretur.

NOTÆ.

IN VLTIMAM GALLIAM.] Quo tempore Gabinius Romam rediit Cæſar non ſolùm in vltimis Galliis erat, ſed etiam *toto diuiſos orbe Britannos* adierat. Epiſtola prima lib. 3. ad Q. Fratrem. *Quid præterea? quid? etiam. Gabinius ad IV. Calend. Octobris noctu in vrbem introiuit: & hodie horâ octauâ, cum edicto C. Alfij de maieſtate eum adeſſe oporteret, concurſu magno, & odio vniuerſi populi penè afflictus eſt.* Paulò pòſt: *Ex Britannia Cæſar ad me Calend. Septembris dedit litteras, quas ego accepi ad IV. Calend. Octob. ſatis commodas de Britannicis rebus*, &c. Cæſar paulò ante æquinoctium in Galliam reuerſus, & *ſubductis nauibus, conciliόque Gallorum Samarobrinæ peracto*, exercitum in hibernis partim in Morinis, partim in Neruiis, Eburonibus, confinio Treuirorum collocauit, vt ipſe narrat lib. 5. de bello Gallico, ipſe in Belgio viginti quinque millibus paſſuum à Bellouaco moratus eſt. Ad quem eo loci morantem aut fortaſſe Samarobrinæ, aut apud Neruios agentem venit Antonius, non auſus 1.

in vrbem accedere, ob conſcientiam profectionis Alexandrinæ contra religiones ſuſceptæ.

II. In tvo pedem poneres.] Pedem ponere eſt alicuius loci poſſeſſionem ſibi vẽdicare. Vnde Philippica 3. §. 28. per tranſlationem. *Hodierno die primùm, P. C. longo interuallo in poſſeſſionem libertatis pedem ponimus.* Ductus, opinor, loquendi modus à veteri iudiciorum conſuetudine, cùm fiebat moribus deductio. Id eſt, cùm litigantes in rem præſentem, videlicet in eum agrum de quo lis erat, communi conſilio veniebant, & ibi pedem ponebat is qui poſſeſſionem illius agri ſibi vendicabat, & ab altero repetebat, & alter alterum vi quadam non vera, ſed ficta & adumbrata repellebat, & qui repulſus erat, interdictum à Prætore impetrabat, vt vnde deiectus erat reſtitueretur. Hæc omnia conſtant ex oratione pro Cæcina §.2. *Si facta vis non eſſet moribus, ſuperior in poſſeſſione retinenda non fuiſſet.* 20. *Cùm hoc nouæ litis genus tam malitioſè intenderet, placuit Cæcinæ de amicorum ſententia, conſtituere quo die in rem præſentem veniretur, & de fundo Cæcina moribus deduceretur. Colloquuntur, dies ex vtriuſque commodo ſumitur.* 32. *Eſt hæc res poſita quæ ab aduerſario non negatur: Cæcinam, cùm ad conſtitutam diem tempúſque veniſſet, vt vis ac deductio moribus fieret, pulſum prohibitúmque eſſe vi, coactis hominibus & armatis.* Pedis autem poſitionem ibi dictam fuiſſe patet è §.31. *An verò illa defenſio vobis præclara viſa eſt? Non deieci, ſed obſtiti: non enim te ſum paſſus in fundum egredi: ſed armatos homines oppoſui, vt intelligeres ſi in fundo pedem poſuiſſes, ſtatim tibi eſſe pereundum.* Rurſum 39. *Quid ergo? hoc* Eieci ego te, non deieci, *quam habet vim? vt illa res reliqua ex parte differre videatur, vtrùm, pedem cùm intulero, atque in poſſeſſionem veſtigium fecero, tum expellar, atque deiiciar,* &c. Ad hanc conſuetudinem alluſit & epiſt. 2. lib. 13. ad Attic. *Nam quomodo nunc eſt, pedem vbi ponat in ſuo non habet.*

Pedem poneſe quid?

III. Sisaponem.] Siſapo oppidum eſt in Hiſpania olim in conuentu Cordubenſi, vt auctor eſt Plinius lib.3. naturalis hiſtoriæ, cap.1. Ibi, vt ex Turnebo diximus, miniariæ fodinæ. Plinius lib.35. c. 7. *Iuba minium naſci & in Carmania tradit: Hermogenes & in Æthiopia. Sed neutro ex loco inuehitur ad nos, nec ferè aliunde, quàm ex Hiſpania. Celeberrimum ex Siſaponenſi regione in Bætica. miniario metallo vectigali populi Romani, nullius rei diligentiore cuſtodia. Non licet id ibi perficere, excoquique. Romam perfertur vena ſignata, ad dena millia fere pondo annua. Romæ autem lauatur, in vendendo pretio lege ſtatuto, ne modum excederet LXX. in libras.* Vel, vt alij legunt, *X. LX. in libras.* E quibus vides ſexies centena denariorum millia ex illis fodinis aureo prouentu fuiſſe collecta: quæ non vnus publicanus, ſed aliqua publicanorum ſocietas redimebat. ſubdit enim: *Sed adulteratur multis modis, vnde præda ſocietati.* Item: *Hoc ergo adulteratur minium in officinis ſociorum.* id eſt publicanorum, vt patet ex Vitruuio lib. 7. c. 9. *Id genus venæ poſteà eſt inuentum Hiſpaniæ regionibus, ex quarum metallis glebæ portantur, & per publicanos Romæ curantur. Eæ autem officinæ ſunt inter ædem Floræ & Quirini.* E quibus facilè vides cur Miſenum tanquam Siſaponem habuerit, quia videlicet non vnus illud prædium poſſidebat, ſed multos habebat ſocios illius poſſeſſionis ſuæ, quemadmodum miniaria Siſaponenſium metalla, non vnus, ſed plures habebant publicani. Videtur autem fuiſſe adagium: non enim aliter M. Tullius hunc dicendi modum inde vſque ab Hiſpania petiiſſet, cùm ipſe monuerit voraginem patrimonij, potiùs quàm ſyrtim eſſe dicendam, ne voces longiùs accerſitas aliò transferamus. Quòd ſi nouos huic orationi ſenſus vellemus affingere, diceremus Miſenam Antonij villam Siſaponenſibus miniariis eo etiam ſimilem eſſe, quod quemadmodum fodinæ miniariæ peſtilentem auram exhalant, quapropter *Qui minium,* inquit loco citato Plinius, *in officinis poliunt, faciem laxis veſicis illigant, ne in reſpirando pernicialem puluerem trahant, & tamen vt per illas ſpectent,* ita Antonij villula oppoſita eſſet ad ventum horribilem atq. peſtilentem, id eſt, oppignerata creditoribus &, vt loquuntur, hypothecata. Quidquid ſit de mente Ciceronis, ab hac explicatione non abludit Catullus:

Siſapo.

Furi, villula noſtra non ad auſtri
Flatus oppoſita eſt, nec ad Fauoni,
Nec ſæui Boreæ, aut Apeliotæ.
Verùm ad millia quindecim ac ducentos.
O ventum horribilem atque peſtilentem!

Avde dicere.] Simile eſt illud Licinij Calui in Vatinium apud Fabium lib.9. cap.2. *Perfrica frontem, & dic te digniorem qui prætor fieres quàm Catonem.* IV.

ARGVMENTVM.

Mutua inter ſe & Antonium beneficia commemorat, & ſtudium Antonij quo ſatisfacere Ciceroni cupiebat pro ſuis in illum iniuriis, vt hinc etiam vel Antonij confeſſione conſtet illatas iniurias ab Antonio fuiſſe Ciceroni.

Postea ſum cuſtoditus à te, tu à me obſeruatus in petitione Quæſturæ. Quo quidem tempore P. Clodium, approbante populo Romano in foro es conatus occidere, cúmque eam rem tua ſponte conarere, non impulſu meo: tamen ita prædicabas te non exiſtimare, niſi illum interfeciſſes, vnquam mihi pro tuis in me iniuriis ſatis eſſe facturum. In quo demiror, cur Milonem impulſu meo rem illam egiſſe dicas, cùm te vltro mihi idem illud deferentem nunquam ſim adhortatus, quamquàm ſi in eo perſeuerares, ad tuam gloriam rem illam referri malebam, quàm ad meam gratiam. XXXVII.

EXPLANATIO.

POSTEA CVLTVS.] Alij legunt, *cuſtoditus*, & teſtatur Ianus Grutterus in vno Codice M.S. Palatino reperiri: idem tamen in altero Palatino, & in vno Ferrarij *cultus* agnoſcit. Si legas, *Poſtea cultus ſum à te*. ſenſus eſt, Domum meam ventitaſti vt me coleres, & obſequium tuum mihi deferres: Si malis, *Poſtea cuſtoditus ſum à te*. Mens fuit Oratoris: Poſteaquam Cæſaris litteris commendatus in gratiam meam receptus es, me comitatus es per vrbem, meúmque latus ſtipauiſti, vt me contra vim & arma P. Clodij defenderes. vide Notas.

TV A ME OBSERVATVS.] Quibus hæc lectio non placuit, quòd Antonium adoleſcentem à Cicerone viro Conſulari obſeruandum fuiſſe non putarent, hunc locum miſerè lancinarunt. & alij quidem *adiutus*, alij *comitatus*, alij *ornatus*, alij denique *ſubleuatus* legendum eſſe cenſuerunt. Nihil muto, quod *obſeruari* dicerentur adoleſcentes à proceribus, qui in petitione magiſtratuum honoris & commendationis cauſſa deducebantur, vt in Notis oſtendam.

PVB. CLODIVM.] Hoc ipſum eſt de quo in Milone 41. *Nuper verò cum M. Antonius ſummam ſpem ſalutis bonis omnibus attuliſſet, grauiſſimámque adoleſcens nobiliſſimus Reip. partem fortiſſimè ſuſcepiſſet, atque illam belluam iudicij laqueos declinantem, iam irretitam teneret, qui locus, quod tempus illud, Dij immortales, fuit? cùm ſe ille fugiens in Scholarum tenebras abdidiſſet, magnum Miloni fuit conficere illam peſtem, nullâ ſuâ inuidiâ, Antonij verò maximâ gloriâ.* Vide ſuprà 16.

PRO TVIS IN ME INIVRIIS.] Quas tu mihi intuleras, cùm eras intimus Clodio in tribunatu, eiúſque omnium incendiorum fax.

REM ILLAM EGISSE.] Clodio necem intuliſſe.

SI IN EO PERSEVERARES.] Si conſtans eſſes in illo odio improborum.

NOTÆ.

I. Colere. CVLTVS.] Colere dicimur Deum & parentes. Græcis σέβεσθαι, vnde εὐσέβεια, σέβασμος, & alia eiuſmodi. Qui *cuſtoditus* legunt, reſpiciunt tempus illud quo Publius Clodius reſtituto Cicerone, inſidias ei comparauit, ad vímque confugit. Vide epiſt. 3. lib. 4. ad Atticum, vbi narrauit domum Qu. Fratris ante diem tertium Non. Nouemb. à Clodianis inflammatum fuiſſe. *Ille*, inquit, *vehementer furere. Poſt hunc verò furorem nil niſi cædem inimicorum cogitare, vicatim ambire, ſeruis apertè ſpem libertatis oſtendere.* Paulò pòſt: *Itaque ante diem tertium Idus Nouembres, cùm ſacrâ viâ deſcenderem, inſecutus eſt me cum ſuis: clamor, lapides, fuſtes, gladij: hæc improuiſa omnia.* Ciceronem autem ſecum lateris ſui cuſtodes & ſtipatores (nobiles videlicet adoleſcentes, equitúmque liberos) habuiſſe, qui ipſum contra Clodij vim defenderent, indicant quæ ſequuntur. *Diſceſſimus in veſtibulum M. Terentij Damionis: qui erant mecum facilè operas aditu prohibuerunt. Ipſe occidi potuit. Sed ego diætâ curari incipio: chirurgiæ tædet.* Quæ etſi C. Lentulo & Metello Nepote Conſulibus contigerunt: Tamen Clodius ad conſequentes annos propagauit, donec tandem poſt annos quatuor à Milone occiſus eſt. Vide epiſtolam 3. lib. 2. ad Quintum Fratrem, & Dionem lib. 39. Et ſanè Ciceronem, cùm opus fuit, nobiles adoleſcentes adhibuiſſe ad ſui corporis cuſtodiam cōſtat ex iis, quæ refert Plutarchus de ipſius conſulatu, in Cæſare: Πολλοὶ τὸν Κικέρωνα φρουρούντων τῶν νέων γυμνὰ τὰ ξίφη συνδραμόντες ἐπέσχον. *Multi adoleſcentium qui Ciceronem cuſtodiebant, concurſu facto nudos gladios intentabant.* Et in Cicerone ipſius Clodij faciens mentionem: Κικέρων δὲ τοῦ μὲν αὐτοῦ φίλος, καὶ τῶν περὶ Κατιλίναν πεπραγμένων ἐχρήσατο προθυμοτάτῳ συνεργῷ καὶ φύλακι τοῦ σώματος. *Cicero autem erat amicus Clodij: & eorum quæ circa Catilinam geſſit, vſus fuerat adminiſtro promptiſſimo corporíſque cuſtode.* Quare Clodio vim parante, credendum eſt ei nobiles adoleſcentes non defuiſſe, qui prætextu deductionis honorariæ eius latus ſtiparent & cuſtodirent, ex equitibus præſertim, quem ille ordinem ſibi arctiſſimè deuinxerat. In his autem fuit M. Antonius.

Cicero cuſtodes ſibi adhibebat.

OBSERVATVS.] Obſeruatur etiam minor à maiore. Cic. lib. 7. ad familiares ep. 27. *Ego enim te in conſulatu obſeruaram.* Scribit autem ad Gallū. Fuit autem Gallus, (vt multis probat Manutius) Publius ille Sextius, qui Quæſtor fuit Coſule Cicerone, & ab eo pòſt iudicio de vi defenſus eſt, pro quo extat nobilis illa oratio. Igitur obſeruatus eſt Quæſtor à Conſule, vt mirari non debeas Antonium quæſturæ candidatū obſeruatum fuiſſe à Tullio conſulari, *Eſt autem obſeruare*, verba ſunt Manutij Epiſt. citatâ, *cùm ad aliquem honoris officiíque cauſa ſæpè accedimus.* Id quidem ille probat tum hoc loco, tum ep. 1. ad Atticum: *Obſeruat Luc. Domitium maximè.* Sed expreſſiùs exemplū eſt pro Murena 70. *Neque enim fieri poteſt, neque poſtulandum eſt à nobis, aut ab equitibus Romanis, vt ſuos neceſſarios candidatos ſectentur totos dies: à quibus ſi domus noſtra celebratur, ſi interdum ad forum deducimur, ſi vno baſilicæ ſpatio honeſtamur, diligenter obſeruari videmur, & coli.* Qui legunt *ſubleuatus*, habent exemplum Cęſaris de Lentulo Spinthere, ita loquentis 1. de bello ciuili. *In petitione conſulatûs ab eo erat ſubleuatus.* II.

Obſeruare.

QVO QVIDEM TEMPORE.] Narrat Dio lib. 39. Clodium in gratiam cum Pompeio rediiſſe, & contra Marcellinum & alios habuiſſe cōcionem: III.
Cùm magna ex eo Senatus indignatio cooriretur, Clodius rupto ſermone plebem reliquit, contendénſque in curiam, parum abfuit quin periret. obuij enim facti Senatores arcuerunt: interímque ab equitib. circundatus, diſcerptus vſque fuiſſet, niſi plebem inclamaſſet. Non eſt tamen quòd exiſtimes his rebus interfuiſſe Antonium. Rediit enim Gabinius ad 4. Cal. Octobris Appio & Domitio Conſulibus, anno poſt ſecundum M. Craſſi & Pompeij conſulatum, at id periculum adiit Clodius, cùm iidem Craſſus & Pompeius conſulatum petebant, quibus Conſulibus bellum Alexandrinum confectum eſt. At Antonius eo bello confecto Clodium voluit occidere. Apud Dionem, plebs Clodium defendit contra Senatum & equeſtrem ordinem. *Ibi multis cum igne accurrentibus, ipſos, ſi quam vim in Clodium feciſſent, cum curia combuſturis, Clodius cùm minimùm ab interitu abfuiſſet, ſeruatus eſt.* Hæc Antonius fecit, *approbante populo Romano.*

ARGV-

ARGVMENTVM.

Paucis inuehitur in Quæſturam Antonij, deinde ad Tribunatum & bellum ciuile delabitur.

QVÆSTOR es factus: deinde continuò ſine S. C. ſine ſorte, ſine lege ad Cæſarem cucurriſti. Id enim vnum in terris, egeſtatis, æris alieni, nequitiæ, perditis vitæ rationibus perfugium eſſe ducebas, ibi te cùm & illius largitionibus, & tuis rapinis expleuiſſes (ſi hoc eſt explere, quod ſtatim effundas) aduolaſti egens ad Tribunatum, vt in eo magiſtratu, ſi poſſes, viri tui ſimilis eſſes. XXXVIII.

EXPLANATIO.

QVÆSTOR ES FACTVS.] Videtur factus fuiſſe Quæſtor M. Marcello & Seruio Sulpitio Conſulibus, anno exeunte: nam Quæſturam geſſit in Gallia anno proximè ſequenti, L. Æmilio Paulo & C. Marcello Conſulibus, vt Hirtius in ſupplemento teſtatur.

DEINDE CONTINVO.] Solebant Patres quas in prouincias Quæſtores annui mitterentur, deinde Quæſtores inter ſe ſortiebantur, vt in eam prouinciam mitterentur, quæ cuique ſorte obueniſſet. aliquando tamen extra ordinem non Senatus aut ſortis beneficio, ſed populi ſuffragiis & lege perlatâ prouinciæ mandabantur Quæſtoribus. Antonius vt primùm factus eſt Quæſtor, nullâ interpoſitâ morâ, contra ius & morem maiorum, ſine S. C. ſine ſorte, ſine lege ad Cæſarem cucurrit. Videbat enim ſe ſic oppreſſum eſſe ære alieno, ſic deſperatas & perditas vitæ ſuæ rationes, vt ſaluus eſſe non poſſet, niſi Cæſaris opibus & potentiâ fulciret, & ſuſtentaret rei familiaris ruinas.

PERDITIS VITÆ RAT.] Neſcio qui locum hunc ita concinnant, vt idem fit vbique caſus *egeſtati, æri alieno*, &c. Sed cùm ſine nouitate cohæreat oratio, nihil mutamus. Senſus eſt tùm perditæ ſunt & deſperatæ vitæ rationes.

IBI.] In Gallia cùm te effuſis Cæſaris donationibus expleuiſſes, multa etiam rapuiſſes, & prouinciam expilaſſes, & ſtatim malè parta malè perdidiſſes, ad priſtinam egeſtatem redactus Romã curriculo rediſti ad petendum Tribunatum, vt rurſum ab illa egeſtate poſſes emergere. Addit oratoriam correctionem quia videri poterat non ſatis propriè locutus, *Si hoc eſt explere, quod ſtatim effundas*. Quod eſt dictum obſcuriùs, niſi legatur, *Si hoc eſt explere, deuorare, quod ſtatim effundas*.

SI POSSES, VIRI TVI SIMILIS ESSES.] Pro *viri* in libro Vaticano eſt *virtutis*, omnino mendosè. *Vitrici* eſt in alio libro, quod placet, & de P. Lentulo intelligendum eſt. Ita quidem Fuluius Vrſinus. Sed cùm P. Lentulus Sura fuerit gentis Patriciæ, non potuit geſſiſſe Tribunatum. Quare retinenda eſt communis lectio *Viri*, id eſt, C. Curionis, qui anno ſuperiore, vel potiùs hoc ipſo anno Tribunusplebis erat, magiſtratúmque ſuum Cæſari addixerat & mancipарat, adeò vt nemo flagrantiorem facem bello ciuili ſubiecerit. Dicitur vir Antonij, eadem mente qua ſuperiùs. 31. *Sed citò Curio interuenit qui te à meretricio quæſtu abduxit, & tanquam ſtolam dediſſet, in matrimonio ſtabili & certo locauit*. Addit ſi poſſes, quia difficile fuit Antonio Curionis ſimilem euadere, quod neque animo, neque ingenio & eloquentia ad Curionem adſpiraret.

NOTÆ.

QVÆSTOR.] Quæſtura, vt auctor eſt Vlpianus de officio Quæſtoris: *Ingreſſus eſt, & quaſi primordium gerendorum honorum, ſententiaque in Senatu dicendæ*. Cicero 3. Verrina §. 35. Quæſturam vocat. *Principium magiſtratuum gerendorum, & Reipub. adminiſtrandæ*. Aſconius in diuinationem ad illa verba, *Pecuniam publicam tu tractabas*. ita ſcribit: *Hæc erat prima Senatoris adminiſtratio, Quæſtorem fieri, & in prouincia curam gerere pecuniæ publicæ in vſus diuerſos erogãdæ*. Vnde videas cur Noſter ab Quæſtura potiſſimum auſpicetur, non hîc ſolùm, ſed etiam Verrina tertia, pro Murena, pro Sextio, in Vatinium, in Piſonem, & alibi. Vlpianus: *Et à genere quærendi Quæſtores initio dictos, & Iunius, & Trebatius, & Feneſtella ſcribunt*. Pomponius D. de origine iuris. *Cùm ærarium populi auctius eſſe cœpiſſet, vt eſſent qui illi præeſſent conſtituti ſunt Quæſtores, qui pecuniæ præeſſent, dicti ab eo quòd inquirendæ & conſeruandæ pecuniæ cauſa creati erant*. Quot autem fuerint ij Quæſtores dictũ à nobis in Piſonem §. 2. Huic loco nos aduertiſſe ſuffecerit, alios fuiſſe Quæſtores vrbanos, alios Prouinciales. Noſter in Verrem de Quæſtura, legatione, Prætura vrbanâ, §. 11. *Probemus iſtum in Quæſtura pecuniam publicã Cn. Carboni Conſuli datam auertiſſe, quibus perſuadeamus, iſtum alieno nomine à Quæſtoribus vrbanis, quod priore actione didiciſtis, pecuniam abſtuliſſe*. Erat autem Verres Quæſtor Prouincialis, ibidem 34. *Ne diutiùs teneã, pecunia attributa numerata eſt. Profectus eſt Quæſtor in Prouinciam. Venit expectatus in Galliam ad exercitum Conſularem cum pecuniâ*. Subdit: *Auersâ publicâ Quæſtor Conſulem, exercitum, ſortem prouinciámq. deſeruit*. Hæc autem fuit inter vtroſq. Quæſtores diuerſitas, quòd *Quæſtores vrbani*, vt in eum locũ docet Pedianus, *ærariũ curabant, eiúſq. pecunias expenſas & acceptas in tabulas publicas referre conſueuerant*. Prouinciales, vt iam diximus, *in prouincia curam gerebant pecuniæ publicæ in vſus diuerſos erogandæ*. Sed de vtriuſque generis officio Conſule Alexandrum Neapolitanum lib. 2. Genialium dierum c. 2. & alios paſſim.

I. Quæſtura. Quæſtores Vrbani & Prouinciales.

SINE S. C. SINE SORTE, SINE LEGE.] In Verrẽ de Quæſt. legat. & Præt. vrbana 34. *Quæſtor ex S. C. Prouinciam ſortitus es, obtigit tibi Conſularis, vt cum Conſule Cn. Carbone eſſes, eámque Prouinciam obtineres*. E quibus conſtat Senatum cùm de Prouinciis Conſularib. ageret lege Semproniâ, ſtatuiſſe etiã quaſdã ad Prouincias Quæſtores mitterentur, nõ tamen ſingulos Quæſtores nominatim ſingulos aſſignaſſe Quæſtoribus, ſed eos inter ſe Prouincias à Senatu decretas fuiſſe ſortitos. Nõnunquam tamen extra ſortem ex Senatuſcõſulto ſingulis Prouinciis aſſignabãtur ſui

II. Quæſtores ſorte.

Quæſtores. Vt Tiraquellus ad Alexandrum, & Sigonius lib. 2. de antiquo iure Prouinciarũ c. 3. Notant ex illis Titi Liuij verbis lib. 30. *Lælium, cuius antè legati, eo anno Quæſtoris extra ſortem ex S. C. operâ vtebatur*, &c. E quib. patet & S. C. & lege Quæſtorib. Prouincias obtigiſſe. Tertia obtinẽdæ prouinciæ ratio fuit, vt Quæſtor ad certam prouinciam lege ad populum perlata mitteretur, vt vel ex hoc loco videtur liquere. Quemadmodum enim poſtquam Senatus prouincias alias prætorias faciebat, alias conſulares, tum demum Prætores, Conſuléſve eas ſortiebantur, aut inter ſe comparabant, aliquando tamen extra ordinem populus Romanus eas ſuo ſuffragio mandabat, vt Pompeio bellum piraticum lege Gabinia, bellum Mithridaticum lege Manilia, Cæſari Galliam & Illyricũ lege Vatinia, Piſoni Macedoniã, Gabinio Syriam lege Clodia, ita ordinariè prouincias à Senatu decretas ſortiebantur Quæſtores, nonnunquam tamen eas lege & populi ſuffragiis obtinebant. Quartus demum obtinendæ prouinciæ modus fuit extra ordinem *ſine S. C. ſine ſorte, ſine lege*, ex ſola magiſtratuum voluntate dependens, qui ſibi Quæſtores allegebant. Ad Atticum lib. 6. epiſt. 6. *Pompeius eo robore vir, his radicibus Qu. Caßium ſine ſorte delegit, Cæſar Antonium: ego ſorte datum offenderem?* Sed hoc, vt dixi, extra ordinem, ídque Tullius meritò reprehendit, cùm ne Reges quidem Quæſtores ſibi ſine lege & populi voluntate ſuffragiis teſtatâ delegerint. Vlpianus D. de officio Quæſt. *Gracchanus denique Iunius lib. ſeptimo de poteſtatibus etiam ipſum Romulum, & Numam Pompilium binos Quæſtores habuiſſe, quos ipſi non ſuâ voce, ſed populi ſuffragio crearent, refert.* Quamuis Tacitus 11. annalium contra Gracchanum ſentire videatur: *Sed Quæſtores Regibus etiam tum imperantibus, inſtituti ſunt: quod lex Curiata oſtendit ab Luc. Bruto repetita. Manſítque Conſulibus poteſtas eos diligendi, donec eum quoque honorem populus mandaret.* Fortaſſe tamen conciliari poterunt, ſi dicamus Regibus quidem & primis Conſulibus poteſtatem deligendi Quæſtores fuiſſe, quod apertè ſignificat Tacitus, ſed neceſſarium fuiſſe, vt hæc electio rata fieret populi ſuffragiis & lege curiata, quod innuit idem Tacitus quamuis paulò obſcuriùs. Gracchanum autem abſolutè dixiſſe, *Quæſtores non Regum voce, ſed populi ſuffragio creari*, quòd rata non eſſet electio niſi populi ſuffragium acceſſiſſet. Quò inclinare videtur Grucchius lib. 3. de comitiis: quem

Quæſtores ex S. C.

Quæſtores ex lege.

Extra ordinem.

Sigonius ita reprehendit: *Neque verò legem curiatam prætermiſſam in Antonio intelligere debemus, vt Grucchio homini eruditiſſimo placuit, neque enim militare imperium quod lege curiata dabatur, vllo modo in Quæſtore requirebatur, quippe cui pecunia publica, non res militaris à populo Romano committebatur. Verùm id Cicero ſignificauit, Antonium Cæſari Quæſtorem, neque à Senatu, quod ordine, accedente ſorte fiebat, neque à populo, quod fiebat extra ordinem, datum, ſed ab ipſo tantùm Cæſare, vt Caßius à Pompeio fuerat, nouo vtrumque exemplo, eſſe allectum.* Priorem huius orationis partem non diſcutio, quantumuis Tacitus Grucchij ſententiam auctoritate ſua fulcire videatur: poſteriorem ad inſtitutum mihi aſſumo, quæ non ineleganter mentem Ciceronis explanat.

VNVM IN TERRIS.] Hæc verba indicant raritatem. ſuprà 36. *Quid erat in terris vbi in tuo pedem poneres?* lib. 4. ad Attic. epiſt. 5. *Nemo enim in terris eſt mihi tam conſentientibus ſenſibus.* Hac rurſum oratione 47. *Etenim quod vnquam in terris tantum flagitium extitiſſe auditum eſt?* III.

EGESTATIS.] Tranquillus in Iulio cap. 27. *Tum reorum aut obæratorum, aut prodigæ iuuentutis ſubſidium vnicum ac promptißimum erat: niſi quos grauior criminum vel inopiæ, luxuriæve vis vrgeret, quàm vt ſubueniri poſſet à ſe: his planè palam bello ciuili opus eſſe dicebat.* IV.

PERFVGIVM.] Infrà. *Habebat hoc omnino Cæſar: quem planè perditum ære alieno, egentémque, ſi eundem nequam hominem, audacémque cognouerat, hunc in familiaritatem libentißimè recipiebat.* Cœlius ad Cic. epiſt. 14. hoc ipſum ante bellum ciuile præuiderat. *In hac diſcordia video Cn. Pompeium Senatum, quique res iudicant ſecum habiturum: ad Cæſarem omnes, qui cum timore aut mala ſpe viuant, acceſſuros. exercitum conferendum non eſſe.* Noſter hoc ipſo tempore ad Atticum lib. 7. epiſt. 3. ita reſcripſit: *Veruntamen hoc video cum homine audaciſſimo paratiſſiméque negotium eſſe: omnes damnatos, omnes ignominiâ affectos, omnes damnatione ignominiáque dignos illac facere: omnem fere iuuentutem, omnem illam vrbanam ac perditam plebem, Tribunos valentes, addito C. Caſsio: omnes qui ære alieno premantur, quos plureis eſſe intelligo, quàm putaram. Cauſam ſolùm illa cauſa non habet: reliqua rebus abundat.* V.

AXIOMA.

Non eſt animum explere, deuorare quod ſtatim effundas.

Tribunatus plebis Antonij.

- partus. 38.
  - aduolauit egens ad Tribunatum.
  - vt ſimilis eſſet Curionis.
- geſtus à 39. ad 48.
  - interceſſit S.C. de ſummis Rep. exaggeratur
    - à fine illius S. C. & Senatus voluntate, qui Rempub. labantem fulcire cupiebat. 39.
    - ab antecedentibus. 39. vendiderat & manciparat ſuum Tribunatum.
    - à conſequentibus.
      - notatus eſt iudicio Senatus, & hoſtis iudicatus. 39. 40.
      - odio & execrationi erit apud poſteros. 40.
      - ſecutū eſt bellum ciuile, quo
        - expulſi
          - Conſules.
          - reliqui magiſtratus.
          - ipſe Pompeius.
        - interfecti
          - tres exercitus.
          - clariſſimi ciues.
        - afflicta Senatus auctoritas.
      - à ſimili
        - Seminis.
        - Helenæ.
    - ab adiunctis & impudentia Antonij, qui cùm & vnus eſſet, & adoleſcens repudiauit
      - preces principum ciuitatis.
      - monitiones maiorū natu.
      - actiones & auctoritatem Senatus vniuerſi.
  - Damnatos reſtituit in integrum
    - Licinium Lenticulam aleatorem. 45. nullam adferens reſtitutionis cauſam. 46.
      - non quòd abſens fuiſſet in reos relatus.
      - non quòd fuiſſet iudicata cauſa iudicatum.
      - nō quòd vi fuiſſet oppreſſus.
      - non quòd iudicium fuiſſet corruptum.
      - non quòd eſſet ciuis vtilis Reipub.
    - nullam fecit patrui ſui C. Antonij mentionem.
  - Conculcauit Italiam. 47. 48.
    - 1. Vehebatur in eſſedo Tribunus plebis.
    - 2. lictores laureati antecedebant.
    - 3. inter lictores apertâ lecticâ mima portabatur, quam honeſti municipales obuiam neceſſariò prodeuntes ſalutabant
      - non noto mimico nomine Cytheridis,
      - ſed honeſto nomine Volumniæ.
    - 4. Sequebatur rheda cum leonibus.
    - 5. Comites nequiſſimi.
    - 6. Reiecta mater mimam ſequebatur.

ARGVMENTVM.

Hactenus de flagitiis, egeſtate, rapinis Antonij, nunc inſectatur eiuſdem Tribunatum, & primo quidem attentionem renouat, deinde illam eius interceſſionem inuadit, ex qua bellum ciuile exarſit.

XXXIX. ACCIPITE nunc, quæſo, non ea quæ ipſe in ſe atque in domeſticum dedecus impurè & intemperanter, ſed quæ in nos, fortunáſque noſtras, id eſt, noſtram Rempub. impiè ac nefariè fecerit: ab huius enim ſcelere omnium malorum principium natum reperietis. Nam cùm, L. Lentulo, C. Marcello Conſulibus, Kalend. Ian. labentem & propè cadentem Rempub. fulcire cuperetis: ipsíque C. Cæſari, ſi ſana mente eſſet, conſulere velletis: tum iſte venditum atque mancipatum Tribunatum conſiliis veſtris oppoſuit, ceruicéſque ſuas ei ſubiecit ſecuri, qua multi minoribus in peccatis occiderunt.

EXPLANATIO.

ACCIPITE.] Duplex attentionis conciliandæ ratio: altera ſi directè petat, altera ſi rerum de quibus dicturus eſt magnitudinem oſtendat, doceátque quæ dicuntur ea non aliena eſſe, ſed ad ipſos auditores pertinere. Vtramque rationem vſurpat. *Accipite nunc, quæſo.* directa petitio. Sequitur, *quæ in nos fortunáſque noſtras, id eſt, noſtram Remp.* quibus magnitudo rei oſtenditur. Simul perſpicuitatis cauſa dicenda, proponit, & iam dicta remouet ab iis quæ dicturus eſt.

IMPIE.] quaſi in matrem, NEFARIE, quaſi in Deos. *Omnes enim charitates patria vna complectitur,* vt dicitur in libris Officiorum.

NAM CVM.] De Tribunatu plebis Antonij & initio bellorum ciuilium plura dicturus, iacit veluti narrationis ſuæ fundamentum, & chronologiam inſtituit, expoſito nō ſolùm anno, ſed etiam die quo Antonius occœpit ſuis interceſſionibus turbare Rempub.

LABENTEM ET PROPE CAD.] Luc. Lentulus Conſul ipſis Calendis Ianuariis retulerat ad Senatum de ſumma Rep. quæ Cæſaris factionibus ruinam minabatur, & Patres his factionibus occurrentes labentem & propè cadentem Remp. fulcire cupiebant, id eſt, tantis malis remedium adhibere, ne Reſpublica, quæ inſtar cuiuſdam ædificij vitium facere & ruinam minari videbatur, penitus corrueret, & affligeretur. Labi eſt ſenſim ſine ſenſu deorſum ferri, cadere & ſubitò & cum tumultu procumbere. Quidam, è veteribus, vt aiunt, codicibus legunt *labantem*, quod fortaſſe magis quadrat. Eſt enim labare, grauiter concuti, & præſentem ruinam minari, vt videbimus in Notis. Et ſanè quę labuntur nullo ampliùs adminiculo ſunt fulcienda, quæ labant autem etiamnum fulciri poſſunt.

IPSIQVE C. CÆSARI.] Quoniam potuit Antonius cauſari ſe interceſſiſſe Senatuſconſulto, quòd Cæſari cui fuerat Quæſtor anno ſuperiore iniuriam fieri videret (ſiquidem factum fuerat S. C. vti ante certam diem Cæſar exercitum dimitteret, ſi non faceret, eum aduerſus Rempub. facturum videri) idcirco prudenter huic obiectioni noſter occurrit, aiens Senatum, C. Cæſari ſi ſana mente eſſet, & Senatui obtemperare vellet, conſulere voluiſſe.

TVM ISTE.] Cæſar Antonium magnis largitionibus ſibi deuinxerat, eíque Tribunatum ſuum vendiderat, & quaſi ære & librâ mācipauerat Antonius, vt eo Tribunatu Cæſar, tanquam re propria abuteretur ſuo arbitratu. Tribunatum ſuum ita venditum conſiliis Patrum oppoſuit Antonius cum decreto Senatus interceſſit pro Tribunitia poteſtate, & eam ob rem ſententiā Senatus iudicatus eſt feciſſe contra Rempub. quam ille Senatus ignominiam timere debet, quaſi ſecurim ſuis ceruicibus imminentem. Multi enim qui eam notam minores ob culpas contraxerant, penitus euerſi & afflicti corruerunt.

NOTÆ.

IMPIE AC NEFARIE.] Hæc verba frequenter cohærent. Exemplum ſit in Verrem de Prætura vrbana 6. *Multa enim & in Deos & in homines impiè nefariéque commiſit.* Quem in locum Aſconius: *Nefarium quod ſacra polluit, farre pio ſolita celebrari. ergo nefarij, ſacrilegi.* Sed de nefario pro Milone 87. & alibi. *Pietas etiam,* vt aduertit Paulus Manutius in prima verba epiſtolæ primæ ad familiares, *Propriè conuenit in Deos, quibus omnia debemus: deinde in patriam atque in parentes, quorum charitas proximè accedit ad Deos: tertio loco erga omnes propinquos: poſtremo erga optimè meritos, quos diligere vt propinquos, & colere parentum ferè loco æquum eſt.* Singula probat exemplis percommodis ad quæ te remitto.

LVC. LENTVLO, C. MARCELLO CONSVLIBVS.] Duo breuiter hîc ſunt dicenda, alterum qui fuerint hi Conſules: alterum quoto vrbis conditæ anno geſſerint Conſulatum. De priore, vt dicamus, Gens Cornelia duplex fuit, patrítia & plebeia. Rurſum gens Cornelia patritia, varias in familias fuit deſcripta. Nā alij dicti ſunt Scipiones, alij Syllæ, alij Cethegi, Cinnæ, Dolabellæ, Lentuli: familia Lentulorum in alias rurſum familias eſt propagata. Fuerunt enim Lentuli Spintheres, Marcellini, Suræ ſiue Crures. Lentulus Spinther Conſul fuit cum Metello Nepote anno 696. ab Vrbe condita. Lentulus Marcellinus anno ſequenti cum Marcio Philippo, Lentulus Sura vitricus Antonij qui inter coniuratos in carcere necatus eſt Conſul fuerat cum Cn. Aufidio Oreſte, octo

annis Ciceronem. Iam cuius familiæ fuerit noſter hic Lentulus dubitatur. Videtur ad Suras ſiue Crures pertinere. Hunc enim viri docti eſſe contendunt, cuius meminit Cœlius epiſtola 4. ad Ciceronem, aiens: *P. Dolabellam quindecimuirum factum. Hoc tibi non inuideo caruiſſe te pulcherrimo ſpectaculo, & Lentuli Cruris repulſi vultum non vidiſſe. At qua ſpe, quàm certa opinione deſcenderat? quàm ipſo diffidente Dolabella?* &c. Crederem hunc Lentuli Suræ filium eſſe, propter conſortium nominis. (Solebant enim veteres eiuſdem familiæ, cognomenta ſua, eadem ſignificatione ſeruata nonnunquam deflectere, vt alibi diximus de Caſcis & Priſcis, & Suetonius à patre Leni dictus Tranquillus.) Sic à Lentulo illo Sura patre Lentulus Crus facilè nomen acceperit. Certè Dio P. filium appellat.

Quod ad C. Marcellum ſpectat, fuit è gente Claudia: quæ gens, perinde vt Cornelia duplex fuit, Suetonius in Tiberio c. 1. *Patritia gens Claudia (fuit enim & alia plebeia nec potentiâ minor, nec dignitate) orta eſt ex Regillis, oppido Sabinorum.* Patritia in familias duas potiſſimas, Pulchrorum & Neronum, Plebeia in duas itidem eſt propagata; quorum alij Aſelli dicti videntur, alij Marcelli. Marcellos autem fuiſſe plebeios conſtat ex eorum Tribunatu. Liuius lib. 29. *Tribuni plebis cum Prætore & decem legatis profecti, Mar. Claudius Marcellus, & M. Cincius Alimentius.* Tres autem ſub initium belli ciuilis Marcelli floruerunt. M. Marcellus pro quo extat Ciceronis oratio, Conſul fuit anno 702. anno ſequenti geſſit conſulatū C. Marcellus M. Marcelli Sobrinus ἀνεψιός, ſiue (vtrumq. enim fertur) ἀδελφὸς, frater, inquit Dio, ſiue potiùs frater patruelis, auctore Trãquillo 29. cap. lib. 1. *C. Marcello qui fratri patrueli ſuo Marco in Conſulatu ſucceſſerat.* Hic eſt qui Octauiam Auguſti ſororem vxorem habuit, è qua natus ille Marcellus deploratus ſexto Æneidos. Tertius fuit hic C. Marcellus, Marci frater, vt tum ex aliis conſtat, tum colligitur ex Dione qui vtrumque Marci filium appellat. Quoto vrbis conditæ anno hi duo Lentulus & Marcellus Conſules fuerint, & bellum ciuile exarſerit, non conſtat inter auctores. Velleius hanc init chronologiæ ſuæ rationem: *Lentulo & Marcello Conſulibus, poſt vrbem conditam annis DCCIII. & anno LXXIIX. quàm tu M. Vinici Conſulatum inires, bellum ciuile exarſit.* Dio Coccianus biennio ſeciùs anno ab V. C. ſeptingenteſimo quinto aſſignat eorum Conſulatum.

XII. LABANTEM.] Labare eſt nutare, vacillare, ruinam minari. 2. Æneidos:

-labat ariete crebro
Ianua, & emoti procumbunt cardine poſtes.

Et clariùs 4.

Solus hic inflexit ſenſus, animúmque labantem
Impulit.- Hanc autem allegoriam libenter vſurpat, vt de Haruſpicum reſponſis 60. *Prouidete ne Reip. ſtatus commutetur. Etenim vix hæc, ſi vndique fulciamus, iam labefacta, vix, inquam, innixa in omnium noſtrum humeris cohærebunt.* Pro Sextio 5. *In grauiſſimis temporibus ciuitatis atque in ruinis euerſæ, atque afflictæ Reip. P. Sextij tribunatus eſt à fortuna ipſa collocatus.*

IV. MANCIPATVM.] In Cæſaris dominio poſitum, & abs te alienatum: Plus eſt autem mancipare quàm vendere, quòd mancipatio certos certámque iuris formulam requirat, venditio non requirat. Noſter Topicis ad Trebatium: *Finge mancipio aliquem dediſſe id quod mancipio dari non poteſt, num idcirco id eius factum eſt qui accepit? aut num is qui mancipio dedit ob eam rem ſe vlla re obligauit?* Item: *Abalienatio eſt eius rei quæ mancipij eſt, aut traditio alteri nexu, aut in iure ceſſio, inter quos ea iure ciuili fieri poſſunt.* Quem in locum Boëtius: *Mancipi res veteres appellabant, quæ ita abalienabantur, vt ea abalienatio per quandam nexûs fieret ſolennitatem. Nexus verò eſt quædam iuris nexus ſolennitas, quæ fiebat eo modo quem in inſtitutionibus Caius exponit,* &c. *Eſt autem mancipatio imaginaria quædam venditio, quod ipſum ius proprium Romanorum eſt ciuium. Eóque res ita agitur. Adhibitis non minùs quàm quinque teſtibus Romanis ciuibus puberibus, & præterea alio eiuſdem conditionis, qui libram æneam teneat, qui appellatur libripens, is qui mancipium accipit, æs tenens ita dicit:* HVNC EGO HOMINEM EX IVRE QVIRITIVM MEVM ESSE AIO. ISQVE MIHI EMPTVS EST HOC ÆRE ÆNEAQVE LIBRA. *Deinde ære percutit libram, indéque æs dat ei à quo mancipium accipit, quaſi pretij loco. Quæcunque igitur res lege XII. tabularum aliter niſi per hanc ſolemnitatem abalienari non poterat.* Mancipare. Plinius lib. 33. cap. 3. *Libralis, vnde etiam nunc libella dicitur, & dipondius appendebatur aſſis. Quare æris grauis pœna dicta. Et adhuc expenſa in rationibus dicuntur: item impendia & dependere. Quin & militum ſtipendiorum, hoc eſt ſtipis ponderandæ penſatores libripendes dicuntur. Qua conſuetudine, in his emptionibus quæ mancipij ſunt, etiam nunc libra interponitur.* Verba autem legis XII. tabularum, cuius meminit Boëtius hæc erant, vt à Varrone 4. de lingua Latina referuntur, *Porta Rauduſcula, quòd ærata fuit. æs raudus dictum: ex eo in veteribus mancupiis ſcriptum* RAVDVSCVLO LIBRAM FERITO. Ideò autem plus eſt mancipare, quàm vendere, quia qui ſolùm vendebat, nihil aliud quàm dominium & proprietatem rei à ſe in emptorem transferebat, qui autem ſolennibus illis ritibus mancipio dabat, is mancipi ſiue emptori periculum omne iudicij præſtare debebat, vt ſi res ea iudicio repeteretur auctor ſiue venditor, emptorem omni diſpendio liberaret. quòd tum alij, tum Sigonius de antiquo iure ciuium Rom. cap. 11. notauit. Cicero pro Murena: *In iis rebus repetendis, quæ mancipi ſunt, is periculum iudicij præſtare debet, qui ſe nexu obligauit.* Quare qui ſimpliciter emebat, ſuo ipſius periculo rem emebat, qui mancipio emebat periculo venditoris. Plautus in Perſa:

Ac ſuo periculo is emat, qui eam mercabitur.
Mancipio neque promittet, neque quiſquã dabit.

Reſpondet alter:

-Nihil mihi opus eſt litibus.
Niſi mancupio accipio, quod eo mihi opus
Mercimonio. TOX. *Nihil pericli videtur, ne metuas,*
Ne quis verò ex Arabis penitiſſima perſequatur eam.

Eam ob rem in adoptionibus, vt adoptati à patribus repeti non poſſent, æs & libram adhibebant. Æs & libra. Tranquillus in Auguſto cap. 64. *Caium & Lucium adoptauit domi per aſſem & libram emptos à patre Agrippa.* & alibi frequenter. Ad hanc dominij proprietatem alluſit Curius epiſtola quadam ad Ciceronem, quæ lib. 7. ad fam. 29. numeratur. *Sum enim* χρήσει μὲν *tuus,* κτήσει δὲ *Attici noſtri. Ergo fructus eſt tuus, mancipium illius.*

Cui reſpondet noſter epiſtola ſequenti: *Atticum noſtrum. Cuius quando proprium te eſſe ſcribis mãcipio & nexu: meum autem vſu & fructu: contentus iſto ſum. id enim cuiuſque proprium eſt, quo quiſque fruitur atque vtitur.* Lucretius lib. 3. de nat. rer.

Vitáque mancupio nulli datur, omnibus vſu.

Poſt quem Arnobius lib. 2. aduerſus gentes: *Vſu & fructu illis eſt vita non mancipio tradita.*

V. TRIB. CONSILIIS VESTRIS OPPOSVIT.] Res variè à variis deſcribitur. Pretium operæ fuerit aliquorum verba proferre. Cæſar lib. 1. de bello ciuili videri vult Senatum liberum non fuiſſe. *Sic vocibus Conſulis, terrore præſentis exercitus, minis amicorum Pompeij plerique compulſi, inuiti, & coacti Scipionis ſententiam ſequuntur, vti ante certam diem Cæſar exercitum dimittat: ſi non faciat, eum aduerſus Remp. facturum videri. Intercedunt M. Antonius, Qu. Caßius Tribuniplebis. Refertur confeſtim de interceßione Tribunorum: dicuntur ſententiæ graues. Vt quiſque acerbißimè crudelißiméque dixit, ita quàm maximè ab inimicis Cæſaris collaudatur.* Epitome Liuiana lib. 109. *Cùm Senatuſconſultum factum eſſet, vt ſucceſſor Cæſari omnino mitteretur, M. Antonio & Qu. Caßio Tribuniſplebis, quoniam interceßionibus id S. C. impediebant, vrbe pulſis, mandatum à Senatu Conſulibus & Cn. Pompeio, vt viderent ne quid Reſp. detrimenti caperet.* Quòd ſi, vt narrat Cæſar, Senatuſconſultum illud vi fuit expreſſum, quo decretum eſt, vt ante certam diem Cæſar exercitum dimitteret, reprehẽdendus non eſt Antonius, qui conatus eſt interceſſione rem impedire. Sed vereor, vt Cæſar cauſam ſuam agat callidiùs quàm veriùs, ne iniuſtè Conſulibus & Pompeio bellum intuliſſe videatur. Dio Caſſius rem aliter narrat, nec omni culpa liberat interceſſionem Antonij. Satis erit breuitatis causâ Dionis lib. 4. verba Latina protuliſſe. Poſtquàm egit de Cæſaris litteris per Curionem allatis, & in Senatu per Antonium recitatis, ſubdit: *Cùm ſententiæ eſſent ferendæ, eæ non à ſingulis pronuntiatæ ſunt (metuebant enim ne quis verecundia timoréve compulſus ſecus, quàm ſentiret, diceret.) Sed in diuerſas Curiæ partes diſceſſum eſt; Ibi qui Pompeium (is tum in ſuburbanis cum exercitu erat) ab armis iuberet diſcedere, repertus eſt nemo: Cæſarem verò vniuerſi præter M. quendam Cæcilium & Curionem eum qui litteras attulerat, &c. His ita decretis, tamen per Longinum Antoniúmque effectum eſt, vt neque ea die, neque poſtridie eius diei quicquam ratum haberetur. Id reliquis indignè ferentibus, lugubrémque veſtem ſumentibus, cùm ne ſic quidem ratum fieret decretum, tamen ea ſententia perſcripta eſt.* E quibus vides magno totius ordinis conſenſu fuiſſe decretum, vt omnino Cæſar exercitum dimitteret. At Plutarchus in Pompeio, Cæſare, Antonio videtur omnẽ culpam in L. Lentulum transferre: Δίκαια καὶ μέτρια Καίσαρος ἀξιοῦν ἀφ' ὧν ἔγραψε δόξαντος. *Cùm Cæſar ex iis quæ ſcripſerat iuſta & moderata petere videretur.* Τέλος δὲ δυοῖν ἐρωτήσεων ἐν τῇ βουλῇ γενομένων, τῆς μὲν εἰ δοκεῖ Πομπήιον ἀφεῖναι τὰ στρατεύματα, &c. *Tandem verò cùm de duobus Patres rogarentur ſententias, cenſerentne vt Pompeius exercitum dimitteret, rurſum an cenſerent vt Cæſar, cúmque pauci iuberent Pompeium arma ponere, Cæſarem propemodum omnes, ſurgens Antonius rogauit.* Εἰ δοκεῖ καὶ Πομπήιον ὁμοῦ καὶ Καίσαρα τὰ ὅπλα καταθέσθαι, καὶ τὰς δυνάμεις ἀφεῖναι. ταύτην ἐδέξαντο λαμπρῶς τὴν γνώμην ἅπαντες, καὶ μετὰ βοῆς ἐπαινοῦντες τὸν Αντώνιον, ἠξίουν ἐπιψηφίζεσθαι. *Videretúrne, vt Pompeius & Cæſar arma ponerent, exercitúſque dimitterent. Hanc ſententiam omnes clarè amplexi ſunt, & cum clamore laudantes Antonium, id ratum haberi flagitabant.* Repugnantibus autem Conſulibus, rurſum alias conditiones modeſtas vt videbantur, propoſuerunt amici Cæſaris, quibus reſtitit Cato: Καὶ Λέντλος ὑπατεύων ἐξέβαλε τῆς βουλῆς τὸν Αντώνιον. *Et Lentulus Conſul Curia eiecit Antonium.* Quæ ſi vera ſunt, & imprudentiſſimè Cæſar ea prætermiſit, & impudentiſſimè Tullius Antonio ſuam interceſſionem obiecit. Sed fortaſſe Plutarchus & rem & perſonas, & tempora confuderit. id enim quod in vita Cæſaris & Antonij Antonio tribuit, in vita Pompeij refert ad Curionem, qui anno ſuperiore fuerat Tribunuſplebis, voluerátque vt vterq. ſimul exercitum dimitteret, & vt narrat etiã Appianus lib. 2. de bellis ciuilibus: *Cùm rogaret Curio ecquid iubeant ambos poteſtatem deponere, viginti duob. id non placuit, trecenti ſeptuaginta omiſsâ contentione ob commodum publicum in Curionis ſententiam diſceſſerant.* Sed hæc, vt dixi, anno ſuperiore. Hoc autem tempore, quo de nunc agitur, cùm minaces litteras Cæſar ad Senatum miſiſſet, ſiue per Curionem, vt volunt Dio & Appianus, ſiue potiùs per C. Fabium, vt Cæſar ipſe teſtatur, iis recitatis, magno totius ordinis conſenſu, *conclamatum eſt* (inquit Appianus) *denunciari bellum, iuſsúſque ei ſuccedere L. Domitius.* Quæ veriſſima eſſe conſtare videtur ex epiſtola decima ad Tironem. Etſi enim non adfuit Cicero, cùm hæc agerentur, tamen tertio pòſt die ad vrbem acceſſit: *Ego ad vrbem acceßi pridie Nonas Ian.* Nec cauſa ſuberat vt mentiretur, cùm & ad ſuum Libertum ſcriberet, & adhuc amicus eſſet tum Cæſaris, tum Antonij. *Omnino, inquit, & ipſe Cæſar, amicus noſter minaces ad Senatum & acerbas litteras miſerat, & erat adhuc impudens, qui exercitum & prouinciam inuito Senatu teneret: & Curio meus illum incitabat. Antonius quidem noſter & Caßius nulla vi expulſi ad Cæſarem cum Curione profecti erant.*

SECVRI.] Periculo vel etiam ſupplicio, quia ſecuri ceruices amputabant. Herodianus libro 8. occiſo Maximino: Ὁ δὲ Βαλβῖνος καὶ αὐτὸς ἑκατόμβας ἔθυε, ἀρχαί τε πᾶσαι καὶ σύγκλητος, ὥσπερ ἀποσεισάμενοι πέλεκυν τοῖς αὐχέσιν ἐπικείμενον. *Balbinus verò etiam ipſe hecatombas immolauit, omnéſque magiſtratus & Senatus, vt ſi excußiſſent ſecurim ſuis ceruicibus imminentem.* Elegans illud Iuliani lib. 4. Anthologiæ cap. 32. εἰς ἀργυρικὸν πέλεκυν. cuius alibi memini me facere mentionem. VI. Securis.

Ἢν μὲν ἀλιτραίνῃς, πέλεκυν βλεφάροισι δοκεύεις,
Ἂν δὲ σαοφρονέῃς, ἄργυρός εἰμι μόνον.

Si pecces, rigidam cernes hìc ſtare ſecurim,
At verò argentum ſum modò, ſi ſapias.

Damnatorum tamen capita non ſolùm ſecuri, ſed etiam gladio demebant. Spartianus in Caracalla: *In conſpectu eius Papinianus ſecuri percuſſus eſt, & à militibus occiſus: quo facto percuſſori dixit: Gladio te exequi oportuit meum iuſſum.* E quibus colligunt viri eruditi maioris ignominiæ fuiſſe gladium, quàm ſecurim. Gladius. etſi Florus lib. 2. cap. 5. de Illyricis agens videtur innuere contrarium. *Legatos quoque noſtros ob ea quæ deliquerant, iure agentes nec gladio quidem, ſed vt victimas, ſecuri percutiunt.*

ARGVMENTVM.

Interceſſionem Antonij tribus argumentis vituperat. 1. à nota Senatûs. 2. ab audacia & impudentia M. Antonij. 3. à iudicio poſterorum.

IN te, M. Antoni, id decreuit Senatus, & quidem incolumis: nondum tot luminaribus extinctis, quod in hoſtem togatum decerni eſt ſolitum more maiorum. Et tu apud Patres Conſcriptos, contra me dicere auſus es, cùm ab hoc ordine ego conſeruator eſſem, tu hoſtis Reip. iudicatus? Commemoratio illius tui ſceleris intermiſſa eſt, non memoria deleta. Dum genus hominum, dum pop. Romani nomen extabit (quod quidem erit, ſi per te licebit, ſempiternum) tua illa peſtifera interceſſio nominabitur. XLI

EXPLANATIO.

IN TE.] Suprà dixerat Antonium, cùm interceſſit, ceruices ſuas ei ſecuri ſubieciſſe, qua multi minoribus in peccatis occiderunt. Nunc à conſequentibus, & pœnâ iudicio Senatûs inflictâ Antonij peccatum exaggerat. Hanc autem notam à Senatus dignitate amplificat, qui tum erat incolumis, necdum Catones, Marcellos, Lentulos, Domitios, cæteráque illa lumina Reip. bellis ciuilibus amiſerat. 2. amplificat quod in eo mos maiorum ſeruatus fuerit, eáque notatus fuerit ignominia, qua maiores notare conſueuerant eos qui damnati & conuicti fuerant quaſi perduelles in Remp.

ET TV.] Secundum argumentum ab impudentia M. Antonij, qui cùm ſibi conſcius eſſet huius notæ à Senatu ſibi inuſtæ, ita tamen omnem pudorem abiecerat, vt non vereretur in ipſo Senatu contra Ciceronem inuehi, quem ſciebat patrem & conſeruatorem Reip. à Senatu fuiſſe iudicatum, poſtquam Catilinæ coniurationem oppreſſit, & Remp. ab exitio liberauit.

COMMEMORATIO.] Tertium argumentum à conſequenti ductum, ex infamia & iudicio poſteritatis: quia nimirum etſi ad aliquod tempus intermiſſa fuerit illius ſceleris commemoratio, tamen hoc factum litteris mandatur, hoc litteris proditur, neque vlla vnquam ætas de interceſſione tam nefaria conticeſcet.

SI PER TE LICEBIT.] Niſi tu tuis ſceleribus Rempub. euerteris.

NOTÆ.

1 IN HOSTEM TOGATVM.] Senatus nonnunquam decernebat, vt perturbatores Reip. in hoſtium numero haberentur. In Piſonem 35. *De me Senatus ita decreuit, Cn. Pompeio auctore, & eius ſententiæ principe, vt ſi quis impediſſet reditum meum in hoſtium numero putaretur.* Vbi diximus Senatum nonnunquam ita decreta ſua muniiſſe, vt adſcriberet ſi quis interceſſerit, ſe grauiſſimè laturum, vel interceſſorem videri facturum contra Remp. vel eum in hoſtium numero habendum. Quæ eodem penè recidebant. Idem enim fuit videri feciſſe contra Remp. atque in hoſtium numero cenſeri. Nam pro Sextio, de eodem illo S. C. facto in ſentẽtiam Pompeij diſſerens, ait additum: *Ne quis impediret, ne quis moram vllam faceret: Si quis aliter feciſſet eum planè euerſorem Reipub. fore, ídque Senatum grauiſſimè laturum, & vt ſtatim de eius facto referretur.* Et epiſtolâ 8. Cœlij ad Ciceronem hæc verba cuiuſdam S.C. referuntur. *Qui impedierit eum Senatum exiſtimare contra Remp. feciſſe.* Sed vide Notas in Piſonianam loco citato. In ciues armatos idem etiam Senatus pronuntiabat. Sed ſuperſedeo exemplis, cùm multis Philippicis nihil aliud contendat Orator, quàm vt Antonius hoſtis iudicetur. Operæ tamen pretium fuerit ex Aldo Manutio libro de antiqua orthographia, & Petro Crinito lib. 12. de honeſta diſciplina cap. 5. edictum, quod in ponte Rubiconis legebatur, ex peruetuſtis monumentis attexere. *Iuſſu mandatóve populi Romani Conſul, Imperator, Tribunus, miles, tiro, commilito armate, quiſquis es, manipularis, centurio, turmarie, legionarie, hic ſiſtito, vexillum ſinito, arma deponito: nec citra hunc amnem Rubiconem ſigna, arma, exercitum, commeatúmve traducito. Si quis huiuſce iuſſionis ergò aduerſus præcepta ierit, fecerítve, adiudicatus eſto hoſtis populi Romani, ac ſi contra patriam arma tulerit, penatéſve è ſacris penetralibus adſportauerit.*

Hoſtem iudicari.

2 DVM POP. ROM. NOMEN EXTABIT.] Credebant imperij Populíque Romani nomen fore ſempiternum. Quia nimirum ædificando Capitolio, vt narrat Liuius libro 1. Tarquinius. *Vt libera à cæteris religionibus area eſſet, tota Iouis templique eius quod inædificaretur, exaugurare fana ſacelláque ſtatuit.* Subdit: *Cùm omnium ſacellorum exaugurationes admitterent aues, in Termini fano non addixere: ídque omen auguriúmque ita acceptum eſt, non motam Termini ſedem, vnúmque eum Deorum non euocatum ſacratis ſibi finibus firma ſtabiliáque cuncta portendere. Hoc perpetuitatis auſpicio accepto*, &c. Furius Camillus apud eundem libro 5. exeunte. *Hîc Capitolium eſt vbi quondam capite humano inuento reſponſum eſt, eo loco caput rerum ſummámque Imperij fore. Hîc cùm augurato liberaretur Capitolium, Iuuentas Terminúſque maximo gaudio patrum noſtrorum moueri ſe non paſſi.* Quòd ſcilicet his auſpiciis portendi putarent, neque terminos Imperij Romani motum iri, & eius iuuentutem perpetuam fore, atque proinde nomen populi Romani ſempiternum. Hinc illud 1. Æneidos.

His ego nec metas rerum, nec tempora pono,
Imperium ſine fine dedi.

Imperium Romanum an æternum?

Sed in hunc locum præclarè D. Auguſtinus lib.

de verbis Domini, ſermone 29. *Fortè ſi vellemus hinc exagitare Virgilium, & inſultare quare hoc dixerit in parte tolleret nos, & diceret nobis, Et ego ſcio. Sed quid facerem qui Romanis verba vendebam, niſi hac adulatione aliquid promitterem quod falſum erat? & tamen & in hoc cautus fui quando dixi Imperium ſine fine dedi.-*
Iouem ipſorum induxi qui hoc diceret. Non ex perſona mea dixi rem falſam, ſed Ioui impoſui falſitatis perſonam: ſicut Deus falſus erat, ita mendax vates erat. Nam vultis noſſe quia iſta noueram alio loco, quando non Iouem lapidem induxi loquentem, ſed ex perſona mea locutus ſum, dixi.

Non res Romanæ perituráque regna.-

Videte quia dixi peritura regna. Dixi peritura regna, non tacui. Peritura veritate non tacui: ſemper manſura adulatione promiſi. Sed, vt quæ volumus facilè nobis perſuademus, ideò plerique Ioui mentienti quàm Poëtæ vera dicenti credere maluerunt. Hinc Tibullus lib. 2. eleg. 5.

Romulus æternæ nondum formauerat vrbis
Mœnia, conſorti non habitanda Remo.

Vrbs æterna. vt Ammianum, Claudianum & cæteros omittam. Ex hac etiam perſuaſione illud 9. Æneidos.

Nulla dies vnquam memori vos eximet æuo,
Dum domus Æneæ Capitoli immobile ſaxum
Accolet, Imperiúmque pater Romanus habebit.

Horatius:

-dum Capitolium
Scandet cum tacita virgine Pontifex.

id eſt, *dum populi Romani nomen extabit.* Quanquam veriſſimum illud quod habet Lactantius de diuino præmio cap. 15. *Romanum nomen, quo nunc regitur orbis (horret animus dicere, ſed dicam quia futurum eſt) tolletur de terra.* Magis incertum quod ſequitur. *Et imperium in Aſiam reuertetur, ac rurſus Oriens dominabitur, atque Occidens ſeruiet.* tempore videlicet Antichriſti. Addit cap. 25. *Fortaſſe quiſpiam nunc requirat, quando iſta quæ diximus ſint futura? Iam ſuperiùs oſtendi, completis annorum ſex millibus mutationem iſtam fieri oportere, & iam propinquare concluſionis extremæ diem.* Videntur autem ea inducti fuiſſe ratione, qui hunc annorum modum rebus humanis definiendum putauerunt, quòd hæc rerum vniuerſitas ſex diebus fuerit procreata, eámque rerum molitionem Sabbatum, ſiue requies exceperit; ita ſenis annorum millibus, qui ſunt ſeni dies apud Deum permanſura videatur. *Quoniam mille anni ante oculos tuos, tanquam dies heſterna quæ præteriit.* Pſalmo 89. Adeò vt ab anno Chriſti milleſimo iam ſextus & poſtremus dies numeretur. Vidi, ſi ſuperis placet, qui partim ex diuinis, partim ex Sibyllinis oraculis coniecturam ducerent rerum vltimum finem imminere, & Romam quidem anno ſæculi 948. perituram, Chriſtum anno bis milleſimo eſſe venturum. De interitu Romæ Sibylla.

Ἔςαι καὶ Ῥώμη ῥύμη, καὶ Δῆλος ἄδηλος,
Καὶ Σάμος ἄμμος.

Interitus Romæ. *Roma ruet. Delus nunquam deleta patebit,*
Fiet arena Samos.-

Hydaſpes quoque, inquit Lactantius, *qui fuit Medorum Rex antiquiſſimus, à quo amnis quoque nomen accepit, qui nunc Hydaſpes dicitur, admirabilis omnium ſub interpretatione vaticinantis pueri ad memoriam poſteris tradidit, ſublatum iri ex orbe Imperium noménque Romanum, multò antè præfatus quàm illa Troiana gens conderetur.* De tempore Sibylla lib. 8.

Τρεῖς δὲ τριηκοσίους καὶ πεντήκοντα, καὶ ὀκτὼ
Πληρώσεις λυκάβαντας, ὅταν σοὶ δύσμορος ἥξει
Μοῖρα, βιαζομένη τεὸν οὔνομα πληρώσασα.
Porrò quater decies complebis, térque trecentos
Annos, atque octo, cùm te pertingere metam
Triſtia, fata, tuo completo nomine, cogent.

Hoc oraculum, ſi de excidio Romanæ ciuitatis intelligas, dicendum eſt hos nongentos quadraginta octo annos, non ab vrbe condita, ſed à milleſimo poſt Chriſti natiuitatem anno, id eſt, ab initio ſextæ diei numerandos: Sed fortaſſe illa,

--ὅταν σοὶ δύσμορος ἥξει Μοῖρα.-
-infœlix fato cùm parca ſubibit.

Exponenda ſunt non de exitio, ſed de bellis ciuilibus quæ tum inter Seuerum, Nigrum, Albinum coorta Remp. miſerè lacerarunt. De quibus & illud quod à Dione refertur in Tiberio. *Neque parum mouit animos hominum oraculum quoddam pro Sibyllino habitum, nihil quidem ad iſtæc, ſed ad noſtra tempora pertinens in hanc ſententiam.*

Τρὶς δὲ τριακοσίων περιτελλομένων ἐνιαυτῶν
Ῥωμαίους ἔμφυλος ὀλεῖ στάσις, ἁ Συβαρῖτις
Ἀφροσύνη.-
At poſt tercentum ter lapſis menſibus annos
Vrbem ſeditio manet inteſtina, furórque
Omnia vaſtabit Sybariticus.-

Cuius prædictionis occaſione, vt videtur, neſcio quis planus (vt narrat Iulius Capitolinus in vita Marci, qui anno ab V. C. CMXIV. imperium ſuſceperat.) *De caprifici arbore in campo Martio concionabundus ignem de cœlo lapſurum, finémque mundi adfore dixit, ſi ipſe lapſus ex arbore in ciconiam verteretur, cùm ſtatuto tempore decidiſſet, atque ex ſinu ciconiam emiſiſſet.* Comprehenſus & ad M. Antonium perductus veniam impetrauit. Quando Roma ſit peritura. Varro apud Cenſorinum de die Natali. *At fuiſſe Vettium Romæ in augurio non ignobilem, ingenio magno cuiuis docto in diſputando parem. Eum ſe audiſſe dicentem: Si ita eſſet, vt traderent hiſtorici de Romuli vrbis condendæ auguriis, ac duodecim vulturiis, quoniam centum viginti annos incolumis præteriiſſet populus Romanus, ad mille & ducentos peruenturum.* Quod augurium videtur euentus comprobaſſe, dum anno ab Vrbe Condita 1209. Geiſericus Romanū penè funditus deleuit, anno 1224. Odoacer Auguſtulum interemit, & imperium Romam penitùs extinxit. Lucius Tarutius vt auctor eſt Cic. 2. de Diuinatione. *Romam cùm eſſet in iugo luna natam eſſe dicebat, nec eius fata canere dubitabat. O vim maximam erroris! Etiámne Vrbis natalis dies ad vim ſtellarum & lunæ pertinebat? Fac in puero referre ex qua affectione cœli primum ſpiritum duxerit: num hoc in latere, aut in cæmento, ex quibus vrbs effecta eſt, potuit valere?* Atque adeò nihil certò colligi poteſt de tempore excidij Romanæ vrbis, nec fortaſſe antè delebitur, quàm *maria ac terras, cœlúmque*, vt verbis vtar Lucretij lib. 5.

Tres ſpecies tam diſſimiles, tria talia texta,
Vna dies dabit exitio, multóſque per annos
Suſtentata ruet moles ac machina mundi.

Quando autem id futurum ſit, *Non eſt veſtrum noſſe tempora, vel momenta quæ pater poſuit in*

ſua poteſtate, inquit ipſe Chriſtus act. 1. *Fruſtra igitur*, inquit Auguſtinus, *annos qui huic ſeculo remanent, computare ac definire conamur, quum hoc ſcire non eſſe noſtrûm ex ore Veritatis audiamus. Quos tamen alij quadringentos, alij quingentos, alij etiam mille ab Aſcenſione Domini vſque ad eius vltimum aduentum compleri poſſe dixerunt.* Sed iam euolutis his annorum ſpatiis, res ipſa & tempus Veritatis pater contrarium perſuaſit. Alij, vt ad citata Lucretij verba notat Lambinus, mundum interiturum eſſe tradiderunt: *Cùm ſeptem errantia ſidera in vnum ex* XII. *animalibus, quæ ſunt in circulo ſignifero (Græci ζωδιακὸν nominant) coierint & conuenerint: idque per Deorum pugnam quæ deſcripta eſt ab Homero lib. Iliados υ'. ſignificari volunt.*

Mundus quãdo periturus.

Non nemo ſomniauit id futurum anno pòſt Chriſtum natum M D X X X I I. ex anachroniſmo prophetici illius oraculi: VIDerVnt In qVeM pVpVgerVnt: ſed iam mundus eo periculo defunctus eſt. Vide Camerarium centuria 1. medit. hiſt.

Alij, vt iam ſuprà diximus è Lactantio, mundi incendium exactis ſex annorum millibus ab orbe condito futurum eſſe crediderunt. Quòd ſi verum eſſet, & ſi, vt voluit doctiſſimus Noſter Petauius lib. 13. de Doctrina temporum, Chriſtus natus eſſet anno poſt orbem conditum 3984. hoc qui 1629. à natiuitate Chriſti numeratur, annum orbis 5613. ageremus, & trecenti octoginta ſeptem anni ad rerum interitum ſupereſſent. Sed quoniam, vt ait idem Petauius libro 9. cap. 6. *Annorum ab orbe condito ad hæc tempora numerus, neque certa ratione compertus eſt, neque citra diuinam ſignificationem poteſt comperiri*, etiamſi de ſenis illis annorum millibus inter omnes conueniret, certus tamen annus ſtatui non poſſet. Hanc opinionem fulcire poſſet illa prophetia, quæ S. Malachiæ nomine circumfertur, in qua quibuſdam ænigmatum inuolucris Romanorum Pontificum à Cœleſtino ſecundo ad perſecutionem Antichriſti ſeries contexitur, cúmque ſexcentis ſuperioribus annis à Cœleſtino ſecundo ad Vrbanum VIII. cenſeantur 70. ab Vrbano VIII. ad Petrum Romanum triginta tantùm numerantur, & ita prophetia concluditur. *In perſecutione extrema S. R. E. ſedebit Petrus Roma, qui paſcet oues in multis tribulationibus, quibus tranſactis ciuitas ſepticollis diruetur, & iudex tremendus iudicabit populum ſuum.* Sed hoc opinor eſſe nouitium inuentum, quod ſuperiore ſeculo ſedente Vrbano VII. Pontifice primùm in lucem emerſerit. Pontificibus enim qui vſque ad Vrbanum ſeptimum ſederunt, tam bellè quadrant nonnulla ænigmata, vt nihil poſſit eſſe concinnius. Verbi causâ. Eugenius tertius, patria Ethruſcus oppido Montis Magni verbis illis deſcribitur. *Ex magnitudine montis.* Victor IV. Cardinalis S. Nicolai in carcere Tulliano illis. *Ex tetro carcere.* Lucius III. Lucenſis Cardinalis Oſtienſis. *Lux in oſtio.* Et alia eiuſmodi omni luce clariora. At verò qui ab Vrbano VII. ad hæc tempora ſingula ænigmata ſuis Pontificibus applicaret, Oedipus repertus eſt nemo. vt facilè credam planum neſcio quem, vt iis quæ futura dicebat auctoritatem conciliaret, altiùs repetiiſſe, & ex euentu ſuas vaticinationes finxiſſe. Quoniam tamen Vrbanus VIII. his verbis expreſſus eſt, *lilium & roſa.* omnibus votis expetendum eſt, vt roſa Britannica ſinceræ fidei profeſſione, & veneratione Romani Pontificis lilium Gallicum imitetur. Vix enim ſperari poteſt Pontifex dignior cui videre iſta contingunt.

Alij putauerunt anno Chriſti milleſimo futurum,

—vt magni mœnia mundi
Expugnata darent labem putréſque ruinas.

vel potiùs vt orbis terrarum extremo incendio deflagraret. Abbo Floriacenſis Abbas, qui tum florebat, quémque tibi repræſento fide doctiſſimi Baronij ad annum milleſimum. *De fine quoque mundi coram populo ſermonem in Eccleſia Pariſiorum adoleſcentulus audiui, quod ſtatim finito mille annorum numero Antichriſtus adueniret, & non multò pòſt tempore vniuerſale iudicium ſuccederet.* Paulò pòſt: *Nam fama totum mundum impleuerat, quòd quando Annuntiatio Dominica in paraſceue contigiſſet, abſque vllo ſcrupulo finis ſeculi eſſet.* Atque hinc factum putat idem illuſtriſſimus ſcriptor, vt anno tertio poſt milleſimum Chriſtiani paſſim, quaſi periculo perfuncti Eccleſias incredibili magnificentia, vel inſtaurarint veteres, vel nouas excitarint, cùm ſuperioribus annis huiuſmodi ſubſtructiones imminente iam rerum excidio ſuperuacaneas eſſe credidiſſent.

Alij anno pòſt Chriſtum natum milleſimo ſexcenteſimo nonageſimo ſeptimo extremum iudicij diem fore crediderunt, quòd Sibylla libro 1. Deum ita de ſuo nomine loquentem induxerit.

Ἐννέα γράμματ᾽ ἔχω, τετρασύλλαβός εἰμι· νόει με.
Αἱ τρεῖς αἱ πρῶται δύο γράμματ᾽ ἔχουσιν ἑκάστη
Αἱ λοιπαὶ δὲ τὰ λοιπά, καὶ εἰσὶν ἄφωνα τὰ πέντε.
Τοῦ παντὸς δ᾽ ἀριθμοῦ ἑκατοντάδες εἰσὶ δὶς ὀκτώ,
Καὶ τρεῖς τρὶς δεκάδες, σὺν γ᾽ ἑπτά, &c.

Sunt elementa nouem mihi, ſum tetraſyllabus autem
(Percipe me) primæ tres ſyllabæ efficiuntur.
Ex binis omnes elementis. Cætera reſtant
In reliquis. quorum ſunt non vocalia quinque.
Totius numeri bis ſunt hecatontades octo
Et ter tres decades cum ſeptem.—

Hoc nomen alij τετύκωβος, alij τεμωνται eſſe volunt, alij alia confingunt. Fortaſſe nihil eſt aliud quàm Latinè *meum nomen*. ibi ſunt enim ſyllabæ quatuor, litteræ nouem, quinque conſonantes. Et ſi verè Sibylla diuino inſtincta ſpiritu fuit, non video quid impediat quò minùs Deus Noëmo loquens, ſuúmque nomen exponens ad futuram totius Eccleſiæ linguam reſpexerit. Alioquin ij, qui cùm Hebraïcum nomen inuenire non poſſint (carent enim Hebræi vocalibus) Græcum nomen indagant, in eadem difficultate verſantur, cùm ne Græcè quidem Noëmo Deus loqueretur. Neque verò neceſſe eſt vt hæ duæ voces *meum nomen*, præfatum numerum ſuis litteris comprehendant. Et fortaſſe nihil aliud Sibylla ſignificat, quàm cùm mille ſexcenti nonaginta ſeptem anni poſt Chriſtum natum effluxerint, fore vt illud Iſaiæ 30. vaticinium impleatur. *Ecce nomen Domini venit de longinquo, ardens furor eius & grauis ad portandum: labia eius repleta ſunt indignatione, & lingua eius quaſi ignis deuorans.* Et illud Malachiæ 13. *Et ducam tertiam partem per ignem, & vram eos ſicut vritur*

argentum, & probabo eos ſicut probatur aurum. Ipſe vocabit nomen meum, &c. Sed hæc faciliùs imperitis dici poſſunt, quàm probari viris cordatis & eruditis.

Alij non paulò liberaliores mundi finem expectant, cùm ex diſparibus ſtellarum errantium motionibus magnus annus (quem vulgò Platonicum appellant) fuerit euolutus. qui, vt auctor eſt Cicero ſecundo de natura Deorum, *tum efficitur, cùm ſolis & lunæ, & quinque errantium ad eandem inter ſe comparationem, confectis omnium ſpatiis eſt facta conuerſio. Quæ quàm longa ſit magna quæſtio eſt: eſſe verò certam & definitam neceſſe eſt.* De quo Cenſorinus de die Natali cap. 18. *Eſt præterea annus, quem Ariſtoteles maximum potiùs quàm magnum appellat: quem ſolis & lunæ vagarúmque quinque ſtellarum orbes conficiunt, cùm ad idem ſignum, vbi quondam ſimul fuerunt vnà referuntur: cuius anni hiems ſumma eſt cataclyſmus, quem noſtri diluuionem vocant, æſtas autem ecpyroſis, quod eſt mundi incendium. Nam his alternis temporibus mundus tum exigneſcere, tum exaqueſcere videtur. Hunc Ariſtarchus putauit eſſe annorum vertentium duûm millium quadringentorũ octuaginta quatuor: Aretes Dyrrhachinus quinque millium quingentorum quinquaginta duorum: Heraclitus & Linus decem millium octingentorum: Dion decem millium octingentorum octuaginta quatuor: Orpheus centum millium viginti: Caſſandrus tricies millies centum millium: alij verò infinitum eſſe, nec vnquam in ſe reuerti exiſtimarunt.* Clauius in cap. 1. Sphæræ Ioannis de Sacroboſco ex tabulis Alphonſi. *Hoc autem ſpatium ſeu tempus 49000. annorum appellari ſolet annus Platonicus. hoc enim interuallo ſidera omnia ad eundem ſitum reditura autumant, immò quidam volunt tunc omnia quæcunque in mundo ſunt, eodem ordine eſſe reditura quo nunc cernuntur.* Subdit: *Albategnius verò vult iſtum motum abſolui ſpatio viginti trium millium ſeptingentorum ſexaginta annorum.* Volunt igitur illi tum demum naturam renouatum iri, cùm ſidera omnia permenſis omnibus ſpatiis ad eum ſtatum punctúmque redierint, in quo in prima ſui molitione fuerunt conſtituta.

Credat Iudæus apella: Non ego.

Alij denique definitum à Sibylla extremi iudicij tempus arbitrantur, quæ lib. 5. vbi Romanis, Ægyptiis, Gallis, Britannis ruinam prædixit, Indos & Æthiopas ita compellat.

Ἰνδοὶ δὴ ταρβεῖτε, καὶ Αἰθίοπες μεγάθυμοι.
Ἡνίκα γὰρ τούτοις τροχὸς ἄξονος Αἰγοκέρωτος
Ταῦρός τ' ἐν διδύμοις μέσον οὐρανὸν ἀμφιελίξει
Παρθένος ἐξαναβᾶσα, καὶ ἥλιος ἀμφὶ μετώπῳ
Πηξάμενος ζώνην περιπάμπολον ἡγεμονεύσῃ,
Ἔσσεται ἐμπρησμὸς μέγας αἰθέριος κατὰ γαῖαν,
Ἄστρων δ' ἐν μαχίμοις καινὴ φύσις, ὥστ' ἀπολέσθαι
Ἐν πυρὶ, καὶ στοναχαῖς Ἰνδῶν γῆν Αἰθιόπων τε.
Præſtantes animis Æthiopes, Indíque pauete.
Cùm perſtringet enim Capricorni circulus axis
Taurus, & in geminis medio vertetur Olympo.
Et Virgo adſcendens, & zona tectus amictu
Sol frontem ductor medium peragrabit Olympũ.
Ardore ingenti flagrabit ab æthere tellus,
Aſtrorúmque nouum certamen ſurget, vt omnis
India & Æthiopum tellus conſidat in ignes.

Græci ſchiſmatici, vt mihi certis auctoribus compertum, mundum duabus columnis ſuſtineri putant, quarum altera Chriſto Domino, altera B. Virgini ſit dedicata. Harum ſingulas aiunt, pro ſe quamque patroni ſui feſtiuitatibus feriari & ſubſidere: quare cùm ante quatuor annos ſecundũ eorum menologium Reſurrectio Domini in Annuntiationem Virginis incidiſſet, nihil expectabant aliud, niſi vt ſimul ſubducentibus ſe ambabus columnis, vniuerſi machina laberetur.

Lepidum quod narrat Noſter Ioſephus à Coſta hiſt. noui orbis, lib. 6. cap. 2. de Mexicanis. Illi ſeculum annis duobus & quinquaginta definiũt, & annos ſingulos in vnius rotæ ambitu vario colore depingunt. quibus euolutis, poſtremo ſeculi die, primis intendentibus ſe tenebris, omnem ſuam ſupellectilem affligunt, comminuunt, diſſipant, quaſi hora mundi decretoria, ſole in perpetuum Occidente, rebus ad exitium vergentibus, ſupellectile non ſint ampliùs opus habituri. Quidam ex illa prophetia Habacuc cap. 3. *Domine opus tuum in medio annorum,* &c. Interpretantur opus Dei eſſe generis humani reparationem, quã *in medio annorum* factam eſſe contendunt, vt tum demum mundi finis ingruat, cùm tot anni poſt Chriſti vel natiuitatem, vel paſſionem fuerint elapſi, quot ab orbe condito ad reparatum effluxerant. Fauet Paraphraſis Chaldaïca. *Quòd ſi non conuertantur, ſed ipſi prouocauerint te ad iram, in medio annorum quibus dediſti eis vitam, tandem ita futurum eſt, vt notam facias potentiam tuam,* בגר שנוא דאמרתא לחדתא עלמא *In medio annorum quibus dixiſti te renouaturum mundum vt vindictam ſummas de impiis qui tranſgreſſi ſunt verbum tuum.* Nihil tamen hinc certi colligitur. Nam præter quàm quòd Septuaginta ita verterunt, *ἐν μέσῳ δύο ζώων γνωσθήσῃ, ἐν τῷ ἐγγίζειν τὰ ἔτη γνωσθήσῃ, ἐν τῷ παρεῖναι τὸν καιρὸν ἀναδειχθήσῃ. In medio duorum animalium cognoſceris: cùm appropinquauerint anni, cognoſceris: cùm aderit tempus, demonſtraberis.* Textus Hebraïcus his verbis conceptus eſt, פָּעָלְךָ בְּקֶרֶב שָׁנִים *in medio annorum.* Notat autem Arias Montanus dictionem, קֶרֶב ſignificare arithmeticam proportionem, vt res quæpiam in duas partes æquales diuidatur, ſed idem eſſe atque *inter & intra:* atque adeò in medio annorum nihil aliud eſſe, quàm certo tempore, quodcunque tandem illud ſit, inter primam mundi creationem, & eius finẽ conſtituto. Lyranus quidem pro medio arithmetico, ſiue geometrico ſumit, ſed notat quoſdam interpretari de Balthazare Rege, qui in medio annorum, id eſt, in virili ætate necatus eſt: ipſe referre mauult ad annos deſtructionis & inſtaurationis templi. Alij interpretantur de Chriſto, non quòd in medio annorum mundi, ſed quòd in medio annorum vitæ ſuæ, opus quod dederat illi pater hoc fecerit, & pretioſo ſanguine ſuo ſcelerum noſtrorum pœnas exoluerit.

Sed hunc locum præſtat optimis Auguſtini verbis concludere lib. 18. de Ciuit. Dei, cap. 53. *Omnium*, inquit, *de hac re calculantium digitos, reſoluit, & quieſcere iubet ille qui dicit: Non eſt veſtrum ſcire tempora quæ pater poſuit in ſua poteſtate.* Vide Rabinum Elcha Ben Dauid de die Domini, ſiue de fine mundi, non ita pridem à Iacobo Gafarello Latinitate donatum.

INTERCESSIO.] Vide Milonianam 14. III.
Reliqua auctoritas Senatûs empta interceſſione ſublata eſt. infrà §. 42. pro Sextio.

ARGVMENTVM.

Ab ætate Antonÿ, à dignitate Senatorÿ ordinis, à cauſa quæ Senatum mouebat, vt de prouinciis Cæſaris decerneret, interceſſionem reprehendit.

QVID cupidè à Senatu, quid temerè fiebat, cùm tu vnus adoleſcens vniuerſum ordinem decernere de ſalute Reip. prohibuiſti? neque id ſemel, ſed ſæpius; neque tu tecum de Senatus auctoritate agi paſſus es. Quid autem agebatur, niſi ne delere & euertere Remp. funditus velles? cùm te neque principes ciuitatis rogando, neque maiores natu monendo, neque frequens Senatus agendo, de vendita atque addicta ſententia mouere potuit? Tum illud multis antè tentatis, neceſſariò tibi vulnus inflictum, quod paucis ante te, quorum incolumis fuit nemo. Tum contra te dedit arma hic ordo Conſulibus, reliquiſque imperiis & poteſtatibus, quæ non effugiſſes, niſi te ad arma Cæſaris contuliſſes. XLI.

EXPLANATIO.

QVID CVPIDE.] Vulgò dicitur, *quid cum paßione?* Potuit autem Antonius hanc excuſationem facto ſuo prætexere, quòd non oppoſuerit ſe Senatûs voluntati, ſed cupiditatibus & ſtudiis certorum hominum, qui Cæſarem oderant, & eius odio impulſi eum de prouincia reuocabant, aut potiùs detrahebant. Occurrit Tullius id non cupidè, aut temerè factum à Senatu, quod iuſta cauſa Cæſaris reuocandi ſubeſſet. Intelligebat enim Senatus conſilia Cæſaris iam in manifeſtam tyrannidem erumpere, niſi maturè occurreretur, ac proinde non eum reuocabat, vt odium ſuum expleret, ſed vt labantem ac prope cadentem fulciret Remp.

CVM TV.] Singulorum verborum momenta perpende, *vnus, adoleſcens, vniuerſum ordinem,* &c. quibus quædam antitheſis continetur, *vnus, vniuerſo, adoleſcens, ordini.* i Senatui, addit *decernere de ſalute Reip.* quia ex eo pendebat Reip. ſalus vt Cæſar exercitum dimitteret, quo ille exercitu fretus ſuam potentiam ſtabiliebat contra Remp.

NEQVE ID SEMEL.] Aliud adiectum quo Antonij ſcelus exaggerat, quod Antonius in eo pertinax fuerit & obſtinatus, oſtenderítque ſe non ſubitò naſcentis cupiditatis impetu, ſed certa animi inductione Senatuſconſulto de prouinciis intercedere, neque ſecum agi de Senatus auctoritate, id eſt, ne voces quidem eorum admiſerit qui rogabant, ne ſe vnus Senatus auctoritati opponeret.

QVID AVTEM.] A re ipſa quæ agebatur, videlicet ſalute Reip. facti indignitatem oſtendit, ad maiorem acerbitatem non ait, quid autem aliud agebatur, niſi vt conſeruaretur reſp. ſed orationem ad ipſum Antonium conuertit.

NEQVE FREQVENS SENATVS.] Monent Grutterus & Guillelmius ſe in aliquot M.S. reperiſſe. *Neque Rom. eques aut Senatus.* Sed ſine graui cauſa nolim à vulgata diſcedere.

VENDITA ATQVE ADDICTA.] Res venduntur in priuatis etiam contractibus, addicuntur auctionibus publicis. Atque adeò minùs eſt vendere quàm addicere. vide Notas.

TVM ILLVD.] Redit ad notam Senatus, qui in Antonium decreuit, quod in hoſtem togatum decerni eſt ſolitum more maiorum. Id eſt, decreuit eum contra Remp. facturum videri ſi diutiùs Senatuſconſulto de prouinciis Cæſaris obſtitiſſet. Notat tamen id factum fuiſſe, & multis rebus antè tentatis & neceſſariò, vt oſtendat Senatûs lenitatem, qui ad huiuſmodi pœnam infligendam non deſcendiſſet, niſi neceſſitate compulſus. Notat paucis ante Antonium id vulnus inflictum fuiſſe, vt eò pœna grauior quò inuſitatior appareat. Addit eorum quibus inflictum eſt, incolumem fuiſſe neminem, ad exaggerandam pœnæ grauitatem.

TVM CONTRA TE.] Epiſtola 10. ad Tironem. *Senatus Conſulibus, Prætoribus, Tribunisplebis & nobis, qui Proconſules ſumus, negotium dederat vt curaremus, ne quid reſp. detrimenti caperet.* Quo Senatuſconſulto (vt notat Salluſtius in Catilina) *Poteſtas per Senatum more Romano maxima permittitur, exercitum parare, bellum gerere, coërcere omnibus modis ſocios atque ciues, domi militiæque imperium & iudicium ſummum habere.*

NOTÆ.

VNVS.] Immò, vt ait Cæſar, lib. 1. de bello ciuili. *Intercedunt M. Antonius, Q. Caßius* Longinus *Tribuniplebis.* De interceſſione vtriuſque adſtipulatur Dio libro 41. innuit Appianus lib. 2. de bellis ciuilibus. Plutarchus in Cæſare & Antonio interceſſionis ſolius Antonij facit mentionem, etſi fortaſſe data operâ ambiguitatem orationis captauerit, τῶν περὶ Ἀντώνιον. Apud omnes tamen in confeſſo eſt, tam Caſſium quàm Antonium ſe ad Cæſarem contuliſſe. Facilè inducor, vt credam elatoriè dictum ad exaggerandam interceſſoris audaciam, ſi vnus interceſſiſſe videatur. I.

ADOLESCENS.] Iam erat adoleſcens Antonius Ciceronis & C. Antonij Conſulatu, ſuprà 14. *Quis enim eques Romanus, quis præter te adoleſcens nobilis, quis vllius ordinis, qui ſe ciuem meminiſſet, cùm Senatus in hoc templo eſſet, in cliuo Capitolino non fuit?* At inter Conſulatum Ci- II.

ceronis & Antonij Tribunatum anni quatuordecim effluxerant. Quare mirum cuipiam videri poſſit Antonium adoleſcẽtem tamdiu fuiſſe. Verùm cùm lege Cornelia annali annus trigeſimus eſſet tribunatui plebis conſtitutus, potuit etiam tum adoleſcens vocari. Cenſorinus de die natali: *Varro quinque gradus ætatis æquabiliter putat eſſe diuiſos, vnumquemque ſcilicet præter extremum, in annos quindecim. Itaque primo gradu vſque ad annum quintumdecimum, pueros dictos, quòd ſint puri, id eſt impubes: ſecundo ad triceſimum annum adoleſcentes ab aleſcendo ſic nominatos: in tertio gradu qui erant vſque quinque & quadraginta annos iuuenes appellatos, eo quòd Remp. in re militari poſſent iuuare: in quarto autem ad vſque ſexageſimum annum ſeniores eſſe vocitatos, quòd tunc primùm ſeneſcere corpus incipiat: inde vſque finem vitæ vniuſcuiuſque quintum gradum factum, in quo qui eſſent, ſenes appellatos, quòd ea ætate corpus ſenio iam laboraret.*

Adoleſcẽtes. Iuuenes. Seniores. Senes.

Notat tamen doctiſſimus Manutius in epiſtolam 1. lib. 2. ad Familiares, & pueros dici nonnunquam poſt annum decimum quintum, & adoleſcentes poſt triceſimum, & iuuenes ante triceſimum. Singulorum exempla proferemus. Octauianus Cæſar natus eſt Conſulatu Ciceronis, vt Velleius & alij prodiderunt, ergo cùm ex Apollonia rediit Cæſariſque Dictatoris nomen & hereditatem adiit, annum ætatis vndeviceſimum exceſſerat. Nihilo tamen ſeciùs puer à Tullio nominatur, epiſt. 7. lib. 11. *Et adoleſcentiam vel puerum potiùs Cæſarem indices temere feciſſe, qui tantam cauſam publicam priuato conſilio ſuſceperit.* Philippica 4. *Laudo, laudo vos, Quirites, cùm gratiſſimis animis proſequimini nomen clariſſimi adoleſcentis, vel pueri potiùs.* Immò puer abſolutè, lib. 10. epiſt. 28. ad Trebonium. *Puer egregius Cæſar.* Lib. 12. epiſt. 25. Antonium *ructantem & nauſeantem conieci in Cæſaris Octauiani plagas. puer enim egregius præſidium ſibi primùm, & nobis, deinde ſummæ Reip. comparauit.* Quid quòd Solon apud Philonem libro de mundi opificio, etiam completa tertia annorum hebdomade, eum qui quartam ageret puerum dixit? Sed nihil prohibet plures verſus exhibere, quòd & pulcherrimi ſint & faciant ad inſtitutum.

Παῖς μὲν ἄνηβος ἐὼν ἔτι νήπιος ἕρκος ὀδόντων
Φύσας ἐκβάλλει πρῶτος ἐν ἑπτ' ἔτεσιν.
Τοὺς δ' ἑτέρους ὅτε δὴ τελέσει θεὸς ἑπτ' ἐνιαυτούς
Ἥβης ἐκφαίνει σήματα γεινομένης.
Τῇ τριτάτῃ δὲ γένειον ἀεξομένων ἐπὶ γυίων
Λαχνοῦται, χροιῆς ἄνθος ἀμειβομένης.
Τῇ δὲ τετάρτῃ πᾶς ἐν ἑβδομάδεσσιν ἄριστος
Ἰσχύν, οἵ τ' ἄνδρες σήματ' ἔχουσ' ἀρετῆς.
Πέμπτῃ δ' ὥριον ἄνδρα μεμνημένον ἀρχάμου εἶναι
Καὶ παίδων ζητεῖν ἐξοπίσω γενεήν.
Τῇ δ' ἕκτῃ περὶ πάντα καταρτύεται νόος ἀνδρός,
Οὐδ' ἔρδειν ἔθ' ὅμως ἔργ' ἀπάλαμνα θέλει.
Ἑπτὰ δὲ νοῦν καὶ γλῶσσαν ἐν ἑβδομάσιν μέγ' ἄριστος,
Ὀκτώ δ' ἀμφοτέρα, τεσσαρεςκαίδεκ' ἔτη.
Τῇ δ' ἐνάτῃ ἔτι μὲν δύναται, μαλακώτερα δ' αὐτῆς
Πρὸς μεγάλην ἀρετὴν γλῶσσά τε καὶ σοφίη.
Τῇ δεκάτῃ δ' εἴ τις τελέσας κατὰ μέτρον ἵκοιτο,
Οὐκ ἂν ἄωρος ἐὼν μοῖραν ἔχοι θανάτου.

Primùm vbi ſeptenos dentes produxerit annis
Prodit adhuc, infans & ſine pube puer.
Septenos vbi deinde Deus conceſſerit annos
Incipiet, pubem ſignificare nouam.
Ter ſeptem attingens mẽbris creſcentibus, annos — Gradus ætatis.
Flos oriens verſo menta colore teget.
At puero quartus dat ſeptenarius ingens
Robur, virtutis dant quoque ſigna viri.
Quarto tempus erit vincli meminiſſe iugalis
Tempus natorum quærere progeniem.
Ætas ſexta viri iam perficit vndique mentem
Moliri facinus, nec iuuenile volet.
Septem, octo hebdomades mentem linguámque virilem
Perficiunt annis quatuor atque decem.
Noua ætas eſt fortis adhuc, ſed mollior eſſe
Virtutem ad magnam linguáque ménſque ſolet.
Ad decimam ſi quis vitam produxerit, illum
Non immaturo funere parca rapit.

In ſeptimo verſu videtur legendum,

Τῇ δὲ τετάρτῃ πᾶς ἐν ἑβδομάδι ἔστιν ἄριστος.

Tamen Henricus Stephanus edidit, πᾶς τις ἐν ἑβδομάδεσσιν. Qui & in multis videtur parum horum verſuum ſenſus attigiſſe. Neque feliciùs interpretatus eſt Sigiſmundus Gelenius, vt operæpretium me facturum putauerim, ſi paulò plures verſus afferrem, & iis nouam interpretationem attexerem. Eodem penè recidit Hippocratica ætatum diuiſio: ſed parco Græcis Cenſorini auctoritate contentus. *Hippocrates medicus in ſeptem gradus ætatem diſtribuit; finem primæ putauit ſeptimum annum, ſecundæ quartumdecimum, tertiæ duodetriceſimum, quartæ triceſimum quintum, quintæ duo & quadrageſimum, ſextæ quinquageſimum ſextum, ſeptimæ nouiſſimum annum vitæ humanæ.* Sed quoniam paulò aliter eius verba ſonant apud Philonem, ipſum audiamus. Ἐν ἀνθρώπου φύσει ἑπτά εἰσιν ὧραι, ἃς ἡλικίας καλέουσι, παιδίον, παῖς, μειράκιον, καὶ αἱ λοιπαί. Καὶ παιδίον μέν ἐστιν ἄχρις ἑπτὰ ἐτῶν ὀδόντων ἐκβολῆς, παῖς δ' ἄχρι γονῆς ἐκφύσεως, ἐπτά, δὶς ἑπτά. μειράκιον δ' ἄχρι γενείου λαχνώσεως, ἐς τὰ τρὶς ἑπτά. νεανίσκος δ' ἄχρις αὐξήσιος ὅλου τοῦ σώματος ἐς τὰ τετράκις ἑπτά. ἀνὴρ δ' ἄχρις ἑνὸς δέοντος πεντήκοντα, εἰς τὰ ἑπτάκις ἑπτά. πρεσβύτης δ' ἄχρι πεντήκοντα ἓξ ἐς τὰ ἑπτάκις ὀκτώ. τὸ δ' ἐντεῦθεν γέρων. *In hominis natura ſeptem ſunt tempora, quas ætates vocant, infans, puer, adoleſcens, & cætera. Infans eſt ad ſeptennium dum dentes emittit. Puer vſque genituræ excretionem ad geminatum ſeptennium. Adoleſcens vſque barbæ hirſutiem ad annum ter ſeptimum. Iuuenis vſque dum creſcit totum corpus ad quater ſeptimum. Vir vſque vndequinquageſimum ad ſepties ſeptimum. Senior vſque ad ſextum ſupra quinquageſimum ad octies ſeptimum. Quicquid verò deinceps ſequitur ad ſenium pertinet.* Sed, vt ad inſtitutum redeam, hi gradus ætatum apud bonos auctores non ſemper ad amuſſim ſeruantur. Brutus enim eo ipſo anno quo Præturam gerens Cæſarem percuſſit dictus adoleſcens Cornelio Nepoti in Attici vita. *Sic M. Bruto vſus eſt, vt nullo ille adoleſcens æquali familiariùs quàm hoc ſene vteretur: neque ſolum eum principem conſilij haberet, ſed etiã in conuictu.* Prætura autem, vt conſtat è legibus annalibus, nõ ante annum ætatis nonum & trigeſimum conferebatur.

VELLES.] Hoc verbum in legibus, Senatuſconſultis, & edictis vſitatum. Macrobius 2. Saturnal. cap. 6. *Lapidatus à populo Vatinius, cùm gladiatorium munus ederet, obtinuerat vt ædiles edicerent,*

edicerent, ne quis in arenam niſi pomum miſiſſe velle t. Fortè iis diebus Caſellius conſultus à quodam an nux pinea pomum eſſet, reſpondit, ſi in Vatinium miſſurus es, pomum eſt. Gellius lib. 13. Noct. Attic. cap. 14. *In edicto Conſulum quo edicunt, quis dies comitiis centuriatis futurus ſit, ſcribitur ex vetere forma perpetuâ.* NE QVIS MAGISTRATVS MINOR DE COELO SERVASSE VELIT. Valerius Maximus lib. 2. de ſpectaculis. *Senatuſconſulto cautum eſt, ne quis in vrbe propiúſve paſſus mille, ſubſellia poſuiſſe, ſedénſve ludos ſpectare vellet.*

PRINCIPES CIVITATIS.] Pro Sextio 9. fusè explicatur, qui ſint principes ciuitatis. *Defenſores optimatium, ipſique optimates grauiſſimi, & clariſſimi ciues nominantur, & principes ciuitatis.* vide.

IV. VENDITA ATQVE ADDICTA.] Suprà *venditum & mancipatum.* Atque vt ibi diximus id eſſe inter vtramque dictionem diſcriminis, quòd vẽditio ſit ſimplex contractus, qui etiam ſine teſtibus & priuatim iniri poſſit, mancipatio autem & teſtes, & certam iuris formulam requirat: ſic etiã in præſenti dicendum eſt, addictionem propriè dici in publica auctione, vel etiam in iudicio, cùm ſententiâ Prætoris res controuerſa vni è litigatoribus attribuitur. qui ſecundus addictionis modus parum ad hunc locum videtur attinere. De priore modo vide Iuriſconſultos D. de in diem addictione, Antonium Auguſtinum lib. 2. emendat. cap. 3. Vallam lib. 5. elegant. cap. 28. Budæum, Alciatum, &c. E quibus conſtat rem addici cùm in auctione publica plus offerenti, & ad pretium ſuperioris licitatoris aliquid adiicienti attribuitur. Exempla plurima adferri poſſent: ea libabo quæ nonnihil habent elegantiæ & leporis. Pro Cæci-

Addicere. na 16. *Adeſt ad tabulam: licetur Æbutius. deterrentur emptores multi, partim gratia Ceſenniæ, partim etiam pretio. Fundus addicitur Æbutio: pecuniam argentario promittit Æbutius,* &c. *hac emptione facta pecunia ſoluitur à Ceſennia.* Tranquillus in Iulio cap. 50. *Ante alias dilexit M. Bruti matrem Seruiliam, cui & primo ſuo conſulatu ſexagies H. S. margaritam mercatus eſt: & bello ciuili ſuper alias donationes ampliſſima prædia ex auctionibus haſtæ minimo addixit. Cùm quidem pleriſque vilitatem mirantibus, facetiſſimè Cicero, Quò meliùs, inquit, emptum ſciatis, Tertia deducta eſt: exiſtimabatur enim Seruilia etiam filiam ſuam Tertiam Cæſari conciliare.* Idem in Caio Caligula 38. *Nota res eſt Aponio Saturnino inter ſubſellia dormitante, monitum à Caio præconem, ne prætorium virum crebro capitis motu nutantem ſibi præteriret: nec licendi finem factum quoad XIII. gladiatores H S. nonagies ignoranti addicerentur.* id eſt ducentis viginti quinque millibus aureorum Gallicorum.

V. MVLTIS REBVS ANTE TENTATIS.] Iure notat Orator multas res fuiſſe antè tentatas, ne quis Senatum putet temerè deſcendiſſe ad illud Senatuſconſultum, quod, vt mox è Cæſare dicemus, erat *extremum atque vltimum.*

VI. DEDIT ARMA.] Cæſar libro 1. de bello ciuili. *Decurritur ad illud extremum atque vltimum Senatuſconſultum, quo niſi penè in ipſo vrbis incendio, atque in deſperatione omnium ſalutis, latorum audaciâ nunquam antè diſceſſum eſt: Dent operam Conſules, Prætores, Tribuniplebis, quique Conſules, lege Proconſules ſunt ad vrbem, ne quid Reſp. detrimenti capiat.* Videtur autem Noſter inter imperia & poteſtates ponere diſtinctionem, quòd Tribuniplebis poteſtatem haberent, imperium non haberent. Vide Sigonium lib. 1. de antiquo iure ciuium Romanorum cap. 20. vbi prudenter aduertit Dictatoris, Conſulum, Decemuirûm, Tribunorúmque militum Conſularium, ac Prætorum, eorum denique omnium qui lictores cum faſcibus habuerunt, non poteſtatem ſolùm, ſed etiam imperium extitiſſe, Cæſorum verò, & Ædilium & Tribunorum plebis, qui non lictores, ſed viatorem duntaxat habuerunt, poteſtatem tantùm fuiſſe. Atque vt Cenſores & Ædiles omittam, quibus, vt ex Cicerone & Cæſare conſtat, mandata non fuerat Reſp. iure Tribunuſplebis dicitur habere poteſtatem, nõ imperium, quia vis eius magiſtratus ſita non erat in imperando, ſed in prohibendo. Plutarchus Catone Vticenſi. Τὸ γὰρ ἰσχυρὸν ἡ ἀρχὴ πρὸς τὸ κωλύειν ἔχει μᾶλλον, ἢ πρὸς τὸ πράττειν, κἂν πάντες οἱ λοιποὶ παρ' ἕνα ψηφίσωνται, τοῦ μὴ θέλοντος μηδ' ἐῶντος τὸ κράτος ἐστί. *Poteſtatem enim is magiſtratus habet magis prohibendi, quam faciendi. Etſi omnes reliqui præter vnum decernant, tamen eius qui non vult, neque ſinit poteſtas obtinet.*

TE AD ARMA CÆSARIS CONTVLISSES.] VII.
Res variè narratur. Noſter epiſtola 10. ad Tironẽ ſuum, apud quem nulla ſuberat ratio mentiendi, negat expulſos. *Antonius quidem noſter & Caſſius nulla vi expulſi ad Cæſarem cum Curione profecti erant, poſteà quam Senatus, Conſulibus, Prætoribus, Tribuniſplebis, & nobis, qui Proconſules ſumus, negotium dederat, vt curaremus ne quid Reſp. detrimenti caperet.* Affirmat & quæritur Cæſar. *Nec Tribuniſplebis ſui periculi deprecandi, neque etiam extremi iuris interceſſionem retinendi, quod Luc. Sylla reliquerat, facultas tribuitur; ſed de ſua ſalute ſeptimo die cogitare coguntur.* Sed opinor, prætextus ſuis armis quærendi causâ, Senatus & Cõſulum præſertim violentiam in maius exaggerat. Adſtipulatur tamen Lucanus.

Expulit ancipiti diſcordes vrbe Tribunos
Victo iure minax iactatis Curia Gracchis.

Suetonius in neutram partem affirmat, ſed ait *ſublatam Tribunorum interceſſionem, ipſóſque vrbe ceſſiſſe nuntiatum.* E Græcis Plutarchus in Cæſare, non ſolùm expulſum à Conſulibus, ſed etiam cum contumeliis expulſum fuiſſe teſtatur, προπηλακίσαντες ἐξήλασαν ἀτίμως. *Contumeliis affectos cum ignominia expulerunt.* Dio cum Cicerone inuitam à Senatu fuiſſe notam narrat, non tamen expulſos, ſed tantùm monitos vt diſcederent. Vbi enim interceſſionem Antonij expoſuit. *Qui eius decreti auctores fuerant,* inquit, *ſtatim Curiâ egreſſi, mutatâque veſte in Curiam reuerſi, de ſuppliciis eorum qui ſe oppoſuerant, deliberauere: qui cùm re percepta primùm reſtitiſſent, poſt territi cum aliis de cauſſis, tum quòd Lentulus ſuaſiſſet, vt vrbe exirent priùs quàm ſententiæ perferrentur, multis verbis factis, obteſtatíque cum Curione ac Cæcilio ad Cæſarem abiere, non iam magni pendentes quòd eſſent ex Senatorum albo ſublati.* Appianus libro 2. *Conſules quoque Marcellus & Lentulus iuſſerunt hos Tribunos Senatu excedere,* Antonium & Caſſium Longinum, *ne forte quamuis ſacroſancti violarentur. Tum Antonius iratus è ſella proſilit, magno clamore fidem hominum deûmque inuocans, quòd nec poteſtas hactenus inuiolata iam tuta ſit, & auctores ſalubrium ſententiarum*

eiiciantur per contumeliam, quaſi homicidio ſe polluiſſent, alióve ſcelere. His dictis furibundus excurrit, bella, cædes, proſcriptiones, exilia, multtationes, ceu è tripode vaticinans diriſque deuouens eos qui cauſſa eſſent tantorum malorum. Quare arbitror Antonium & Caſſium Tribunoſplebis Conſulum iuſſu ignominiæ cauſsâ, è curia magnis Senatûs vniuerſi conuitiis expulſos fuiſſe, nulla vi tamen ex vrbe expulſos. Hi autem huiuſmodi Senatus ignominia notati cum Curione & M. Cæcilio (vt eſt apud Dionem, videtur autem legendum & M. Cœlio, nam ipſe Cæſar M. Rufum conuicio Lucij Lentuli Conſulis fuiſſe correptum, M. autem Rufus is ipſe eſt M. Cœlius, pro quo Ciceronis extat oratio) hi, inquam, ita notati, vt ſcribunt Plutarchus & Appianus, ἐπὶ μισθίων ζευγῶν πεφευγότες, ἐν ἐσθῆσιν οἰκετικαῖς. *Vehiculo meritorio fugientes, ſeruilíque habitu* ad Cæſaris arma ſe contulerunt.

ARGVMENTVM.

A conſequenti & bello ciuili, quòd ex Antonij natum eſt interceſſione, eius audaciam & ſcelus tribus ſequentibus numeris exaggerat.

XLII. TV, tu, inquam, M. Antoni, princeps C. Cæſari omnia perturbare cupienti cauſam belli contra patriam inferendi dediſti. Quid enim aliud ille dicebat? quam cauſam dementiſſimi ſui conſilij & facti afferebat, niſi quod interceſſio neglecta, ius Tribunitium ſublatum, circumſcriptus à Senatu eſſet Antonius? Omitto quàm hæc falſa, quàm leuia, præſertim cùm omninò cauſa nulla iuſta cuiquam eſſe poſſit contra patriam arma capiendi. Sed nihil de Cæſare. Tibi certè confitendum eſt cauſam pernicioſiſſimi belli in perſona tua conſtitiſſe.

EXPLANATIO.

TV, TV, INQVAM.] Verbi reduplicatione Antonium pungit, & quaſi repetitis ictibus ſtimulat, quòd C. Cæſari quaſi quidam anteſignanus fuerit, ad bellum patriæ inferendum. legunt aliqui, vt notat Lambinus, *anſam belli*, pro *cauſam belli*, quæ lectio mihi plurimùm arridet. Si enim Cæſar iam antè omnia turbare cupiebat, & tantummodò ſpecioſum prætextum ſuo ſceleri quærebat, non reipſa belli cauſa fuit expulſio, & circumſcriptio M. Antonij, ſed tantùm prætextus, & occaſio, quam Cæſar oblatam arripuit, quaſi anſam, ad bellum Reip. inferendum. Eam tamen cauſam videri volebat Cæſar, quaſi non ambitione duceretur, ſed interceſſionẽ Tribunitiã & iura plebis Romanæ defenderet.

QVID ENIM.] Cæſaris ipſius auctoritate probat cauſam, vel ſaltem prætextum belli ciuilis in Antonij perſonâ conſtitiſſe: quòd ille nullam aliam cauſam ſuo facto prætexeret, nihil cauſaretur aliud, quàm ſe arma ſumpſiſſe, non contra patriam, ſed contra quoſdam factioſos, qui Tribunitiis interceſſionibus non paruerant, eámque poteſtatem ad infimæ plebis patrocinium inſtitutam de Rep. ſuſtulerant, & Antonium circumſcripſerant, id eſt, eius poteſtatem minuerant, & quaſi poſitis cancellis limitarant.

OMITTO QVAM.] Duo reprehendit. Nam & falſum erat quòd cauſabatur Cæſar, non enim interceſſio neglecta, aut ius tribunitium ſublatũ erat, ſed repreſſa impotentia Antonij. quæ cauſa fuit leuis ad bellum patriæ inferendum.

CONSTITISSE.] Aduerte prudentiam Oratoris, nondum dicit belli cauſam fuiſſe Antonium, ſed cauſam in eius perſona cõſtitiſſe, quod videlicet Cæſar eam cauſam ſuo facto prætexeret. paulò pòſt cùm animos hominum commemoratione cladis accenderit, apertè dicet eum belli ciuilis cauſam fuiſſe.

NOTÆ.

PERTVRBARE.] Eodem ſenſu Cæſar 1. de bello ciuili. *Omnia permiſceri mallent, quàm imperium exercitúſque dimittere.* Eodem ſenſu videtur dixiſſe Plutarchus in Gracchis. Ὡς γῆς ἀναδασμὸν ἐπὶ σύγχυσιν τῆς πολιτείας εἰσάγοντος τοῦ Τιβερίου, καὶ πάντα τὰ πράγματα κινοῦντος. *Tanquam agrorum diuiſionem ad confuſionem ſtatus totius ciuitatis Tiberius induceret, & omnia perturbaret.* Comicus: I. Perturbare

Ἤστραπτ᾽, ἐβρόντα, ξυνεκύκα τὴν Ἑλλάδα.
Sic fulgurabat, intonabat, Græciam
Miſcebat.-

CAVSSAM BELLI.] Lucanus 1. Pharſal. II. Cauſſa belli.

Ecce faces belli dubiæque in prælia menti
Vrgenteis addunt ſtimulos, cunctáſque pudoris
Rumpunt fata moras. Iuſtos fortuna laborat
Eſſe ducis motus, & cauſſas inuenit armis.
Expulit ancipiti diſcordes vrbe Tribunos
Victo iure minax iactatis Curia Gracchis.

Alij tamen, vt monui, malunt legere, *anſam belli*, Anſa belli. anſa autem eſt per tranſlationem occaſio quæ auidè arripitur, vt res alia velut apprehendatur. ſic pro Plancio. 84. *Si locus habet reprehenſionis anſam aliquam, neſcio cur ſeueriorem Nicæam putes, quàm Rhodum.* Pro Sextio. 22. *Denique etiam ſermonis anſas dabat, quibus reconditos eius ſenſus tenere poſſemus.* vbi & protulimus illud Eunapij in Chryſanthio. καὶ πρώτης τινὸς λαβῆς ἀποδραξάμενος. *& primam quamque anſam apprehendens.*

INTERCESSIO NEGLECTA.] Iam videri poteſt è dictis ſuperiore §. hoc ipſum eſſe quod III. Cæſar cauſaretur, & maximè inferendi belli conſilio prætexeret. lib. 1. de bello ciuili. *Refertur de interceſſione Tribunorum: dicuntur ſententiæ graues. Vt quiſque acerbiſſimè, crudeliſſiméque dixit, ita quàm maximè ab inimicis Cæſaris collaudatur.* Item: *Nec Tribuniſplebis ſui periculi deprecandi, neque etiam extremi iuris interceſſionem retinendi,*

quod Luc. Sylla reliquerat, facultas tribuitur: ſed de ſua ſalute ſeptimo die cogitare coguntur: quod illi turbulentiſſimi ſuperioris temporis tribuniplebis octauo denique menſe ſuarum actionum reſpicere, ac timere conſueuerant. Atque hanc vnam conſilij ſui cauſam attulit in illa militari concione, qua milites ſuos ad bellum ciuile ſuſcipiendum hortatus eſt. ibidem: *Nouum in Rep. introductum exemplum queritur, vt tribunitia interceßio armis notaretur atque opprimeretur, quæ ſuperioribus annis armis eſſet reſtituta. Syllam, nudatâ omnibus rebus tribunitiâ poteſtate, tamen interceßionem liberam reliquiſſe: Pompeium qui amiſſam reſtituiſſe videatur, dona etiam quæ antè habuerit, ademiſſe.* Iure autem id cauſſabatur Cæſar, quod vellet cauſam ſuam videri popularem. Hic enim magiſtratus creatus fuerat, vt infimæ plebis commoda contra patriciorum cæterorúmque magiſtratuum vim defenderet. vt videre eſt apud Halicarnaſſeum libro 6. *Vt plebi ſui magiſtratus eſſent ſacroſancti*, inquit Liuius libro 2. *quibus auxilij latio aduerſus Conſules eſſet.* Multiplex autem fuit tribunitia interceſſio, nam & intercedebant Senatuſconſultis (vide Milonianam 14.) & legibus ferendis, vt paſſim videre eſt præſertim apud Appianum libro primo de bellis ciuilibus: & triumphis. pro Cælio 34. *Virgo illa Veſtalis quæ patrem complexa triumphantem ab inimico Tribunoplebis de curru detrahi paſſa non eſt.* Et delectui militum. Dionyſius Halicarnaſſ. lib. 8. exeunte. Οἱ ὕπατοι ἔξω τῆς πόλεως ἐν τῷ παρακειμένῳ πεδίῳ τοὺς στρατηγικοὺς δίφρους ἔθηκαν. ἐνταῦθα καὶ τὸν στρατιωτικὸν ἐποίουν κατάλογον, &c. ὁ δὲ κωλύων τὴν καταγραφὴν δήμαρχος οὐδὲν ἔτι ποιεῖν, ἦν δυνατός. οὐδενὸς γάρ εἰσι τῶν ἔξω τῆς πόλεως οἱ τὴν δημαρχικὴν ἔχοντες ἐξουσίαν, κύριοι. *Conſules extra vrbem in campo adiacentes Conſulares (Prætorias) ſellas poſuerunt. ibi militum delectum habuerunt*, &c. *Tribunus autem plebis qui intercedebat delectui, nihil amplius facere poterat. Nullius enim rei extra vrbem Tribuniplebis poteſtatem habent.* Profectioni magiſtratuum in Prouincias, vt interceſſit Craſſo ad Parthos proficiſcenti Ateius Tribunuſpl. & cùm neque interceſſionibus, neque diris & execrationibus quicquam profeciſſet, quas refert Plutarchus & alij, ἐπεχείρησε μὲν, inquit Dio libro 39. ὁ Ἀτήιος ἐς τὸ δεσμωτήριον αὐτὸν ἐμβαλεῖν. *Eum Atteius in carcerem conijcere conatus eſt.* Iudicijs & quæſtionibus inſtituendis ſuprà 3. *Non venirem contra iniuriam, quam iſte interceſſoris iniquiſſimi beneficio obtinuit, non iure prætorio.* Sententiis iudicum iam pronuntiatis, & earum executioni vt Tiberius Gracchus interceſſit, ne L. Scipio damnatus peculatûs in vincula duceretur. vide de Prouinciis Conſularibus. 19. Denique omnibus collegarum ſuorum actionibus, vt mox ex Dionyſio libro 10. antiq. Rom. conſtabat. Cuius interceſſionis ea vis fuit, vt vnus poſſet contra collegarum ſuorum omniũ ſententiam rem impedire, neque interceſſionis ſuæ cauſam dare cogeretur, vt pro Milone §. 14. nota poſtrema iam probauimus ex Plutarcho & Appiano.

Interceſſio Tribunitia.

Senatuſconſultis.

Legibus ferendis.

Triumphis.

Delectui.

Profectioni magiſtratuũ.

Iudiciis & quæſtionib.

Executioni ptolatæ iam ſententiæ.

Actionibus collegarum.

IV. Tribuniplebis ſacroſancti.

IVS TRIBVNITIVM.] Præter interceſſionem multa alia iura Tribunatusplebis habuit. 1. vt ſacroſancti eſſent. Auctor eſt Liuius lib. 3. ex Iuris interpretum ſententia. *Tribunos vetere iureiurando plebis, cùm primùm eam poteſtatem creauit, ſacroſanctos eſſe.* 2. lege Valeriâ Horatiâ lata poſt Triumuiros exactos id iuris habuerunt. *Vt qui Tribuniſplebis, Ædilibus iudicibus, decemuiris nocuiſſet, eius caput Ioui ſacrum eſſet: familia ad ædem Cereris Liberi, Liberaque venum iret.* Quæ lex quomodo à ſuperiore differat, vide Liuium loco citato. Videtur tamen Dionyſius libro 6. vtramque confundere. 3. vt cum Tribunisplebis haberet concionem non liceret interfari. Vide Sextianam 79. *Fretus ſanctitate Tribunatûs, cùm ſe non modò contra vim & ferrum, ſed etiam contra verba atque interfationem legibus ſacratis eſſe armatum putaret, venit in templum Caſtoris.* 4. Quandam etiam habuit certis in rebus iuriſdictionem. Iuuenalis ſat. 8.

Qui Tribuniplebis nocuerat, eius caput ſacrum Ioui.

Tribuno interfari nefas.

Rara tamen merces quæ cognitione Tribuni
Non egeat.

Tribunorum Iuriſdictio.

Quam iuriſdictionem non per ſe ſolùm, ſed etiam per Ædiles exercebat. Dionyſius Halicarnaſſeus libro 6. *Inſuper rogauerunt Senatum, vt ipſis per ſingulos annos binos è plebe viros eligere permitteret.* Τοὺς ὑπηρετήσοντας τοῖς δημάρχοις, ὅσων ἂν δέωνται, καὶ δίκας, ἃς ἂν ἐπιτρέψωνται ἐκεῖνοι, κρινοῦντας. *Qui Tribunorumplebis, quibuſcunque in rebus ij vellent, eſſent adminiſtri, & lites eorum permiſſu iudicarent, qui ſacrorum & publicorum locorum, qui forenſis annonæ curam haberent. Quod vbi etiam plebi conceſſum eſt à Senatu homines elegerunt.* οὓς ὑπηρέτας τῶν δημάρχων, καὶ συνάρχοντας καὶ δικαστὰς ἐκάλουν. *Quos Tribunorumplebis miniſtros & collegas & iudices vocabant. Nunc autem eorum lingua, ab vno eorum operum quæ ipſis incumbunt.* ἱερῶν τόπων ἐπιμεληταί. *Ædiles, quaſi ſacrarum ædium curatores nuncupantur, in eóque poteſtas eorum conſiſtit, vt aliis, quemadmodum priùs*, videlicet Tribunisplebis *ſubſeruiant*, multa autem iis & magna commiſſa ſunt, *& ferè multis in rebus ſunt ſimiles, iis quos Græci ἀγορανόμους appellant.* 5. Tribunitij iuris fuit, vt nemo, qui Tribunuſplebis non eſſet, ordinariè poſſet actiones tribunitias impedire. Halicarnaſſeus libro 10. Οὐδὲν γὰρ τῶν πραττομένων ὑπὸ τῆς ἀρχῆς ἐκείνης ἐπισχεῖν, ἢ κωλῦσαι τῶν ἄλλων τινὶ ἔξεστιν, ἀλλ' ἑτέρου δημάρχου τοῦτό ἐστι τὸ κράτος. *Nihil enim eorum, quæ ab illo magiſtratu fiunt, impedire aut prohibere cuiquam fas eſt, ſed ea eſt alterius Tribuniplebis auctoritas.* Adeò vt ipſi etiam Conſules contra Tribunos frequenter aliorum Tribunorumplebis auxilium implorarent. Addit id cautum fuiſſe legibus ſacratis. Οὔτε γὰρ ἄρχοντι οὔτ' ἰδιώτῃ συνεχωρεῖτο πράττειν οὐδὲν ἐναντίον δημάρχῳ. *Neque enim aut magiſtratui, aut priuato permittebatur quicquam facere aduerſus Tribunũplebis.* Dixi ordinariè, quia, vt ſequenti Nota dicendum eſt, Senatus Tribunos circumſcribebat, aut penitùs ab adminiſtratione Reip. ſubmouebat. 6. Vt creato Dictatore cæteris magiſtratibus abrogatis, ipſe magiſtratum retineret. Plutarchus in Antonio. ἡ γὰρ δημαρχία διαμένει, τὰς δ' ἄλλας καταλύουσι πάσας δικτάτωρος αἱρεθέντος. 7. Brutus oratione in Cæſarem apud Appianum 2. de bellis ciuilibus. ὁ μὲν νόμος ὁ τῶν προγόνων, καὶ ὁ ὅρκος οὐδ' ἐπάγεσθαι δίκην οὔτι δημάρχοις ἐπιτρέπουσι. *Lex & iuſiurandum maiorum noſtrorum Tribunoplebis, ne quidem iudicium intendere permittunt.* 8. Vt Senatum poſſet conuocare. 9. Vt etiam præſentibus Conſulibus in Senatu ius relationis

Ædiles plebeij miniſtri Tribun.

Tribunuſplebis nõ potuit ab alio magiſtratu impediri.

Creato Dictatore non ceſſabat.

Cauſſam dicere non cogebatur.

Senatum cõuocabat.
Ius relationis habebat.

haberet. vtrumque probauimus in Sextiana 26. *Luc. Mummius ad Senatum de Repub. retulit.* Et poſterius quidem, quod ibi leuiter attigimus, conſtat vel ex primis ſeptimæ Philippicæ verbis. *Paruis de rebus, ſed fortaſſe neceſſariis conſulimur, P.C. de Appia via, & de Moneta Conſul: de Lupercis Tribunuſplebis refert.* 10. Aliquod etiam in ipſos Conſules ius habuerunt Tribuniplebis, ſi quando Conſules Patribus Conſcriptis obtemperare noluiſſent. Titus Liuius lib. 4. hanc refert illius iuris originem, quòd cùm T. Quintius Cincinnatus & Cn. Iulius Mento. *Dictatorem dicere iuſſi, in auctoritate Senatus Conſules non eſſent. Q. Seruilius Priſcus ſummis honoribus egregiè vſus. Vos, inquit, Tribuniplebis, quoniam ad extrema ventum eſt, Senatus appellat vt in tanto diſcrimine Reip. Dictatorem dicere Conſules pro poteſtate veſtra cogatis. Qua voce audita occaſionem oblatam rati Tribuni augendæ poteſtatis ſecedũt, próque collegio pronuntiant placere Conſules Senatui dicto audientes eſſe: ſi aduerſus conſenſum ampliſſimi ordinis vltrà tendant, in vincula ſe duci eos iuſſuros. Conſules ab Tribunis quàm ab Senatu vinci maluerunt: proditum à Patribus ſummi imperij ius, datúmque ſub iugum Tribunitiæ poteſtati conſulatum memorantes, ſiquidem cogi aliquid pro poteſtate ab Tribuno Conſules, & (quo quid vlteriùs priuato timendum foret?) in vincula etiam duci poſſent.*

Ius aliquod habuit in ipſos Conſules.

Quàm frequenter autem Tribuniplebis ab his initiis auſpicati ipſos etiam Conſules in carcerem compegerint, dictum à nobis eſt in Vatinium 21. *Cùm eum tu Conſulem,* de Bibulo loquitur, *in vincula duceres, & à tabula Valeria collegæ tui mitti iuberent: feceríſne ante roſtra pontem continuatis tribunalibus, per quem Conſul populi Romani moderatiſſimus & conſtantiſſimus, ſublato auxilio, excluſis amicis, vi perditorum hominum incitata, turpiſſimo miſerrimóque ſpectaculo, non in carcerem, ſed ad ſupplicium & ad necem duceretur?* Huc adderẽ & illud quod refert Epitome Liuiana* decadis ſextæ, lib. 9. *C. Atinius Labeo Tribunuſplebis Q. Metellum Cenſorem, à quo in Senatu legendo præteritus erat de ſaxo deiici iuſſit. Quod ne fieret cæteri Tribuniplebis auxilio quàm maximè fuerunt.* Sed id impotentiâ potiùs & furore hominis quàm legitima poteſtate, & iure tribunitio factum.

Tribunuſplebis cũ legatis miſſus extra Italiam.

11. Etſi, vt modò dicemus, extra pomœrium ordinariam poteſtatem haudquaquam habuerunt, tamen nonnunquam cum legatis miſſi ſunt à Senatu, vt Proconſules in officio cõtinerent, eóſque ſi Senatui obtemperare noluiſſent, comprehendi iuberent, vt oratione de prouinciis Conſularibus, §. 28. cùm *de decem legatis* ageremus auctoritate Liuij lib. 9. & lib. 29. iam oſtendimus. Atque hæc præcipua Tribunitij iuris capita fuerunt. Ob quæ non immeritò Auguſti mutatâ Rep. Tribunitiam poteſtatem ſibi adſciſcebant, eámque ſic in oculis ferebant, vt annuos principatus nõ aliunde quàm ab indepta tribunitia poteſtate numerarent, vt teſtantur veteres inſcriptiones, & Auguſtorum numiſmata.

Alia iura Tribunatûs.

Alia Tribunorumplebis iura prætermitto, vt quod eorum eſſet diem ad populum dicere, denuntiare cauſſæ dictionem, multam irrogare, actionem perduellionis intendere, de quibus partim pro Sextio 40. partim pro Milone 37. Tempus habentibus concionem perſcribere, de quo pro C. Rabirio perduellionis reo 6. *Nunc quoniam, Tite Labiene,* (is erat Tribunuſplebis,) *diligentiæ meæ temporis anguſtiis obſtitiſti, méque ex comparato & conſtituto ſpatio defenſionis in ſemihoræ curriculum coëgiſti, parebitur, &, quòd iniquiſſimum eſt accuſatoris conditioni, &, quod miſerrimum inimici poteſtati. Quanquam in hac præſcriptione ſemihoræ, patroni mihi partes reliquiſti, Conſulis ademiſti.* E quibus vides potuiſſe Tribunum non ſolùm priuatis, ſed etiam Conſulibus ad populum dicendi tempus circumſcribere, & limitare. Sic cùm Pompeius & Craſſus peterent alterum Conſulatum. ὁ μὲν Φαώνιος, inquit Dio libro 39. μίαν ὥραν μόνην παρὰ τοῦ Τρεβωνίου πρὸς ἀντιλογίαν λαβών, κατέτριψεν αὐτὴν ὑπὲρ αὐτῆς τῆς τοῦ καιροῦ στενοχωρίας εἰκῆ βοῶν. ὁ δὲ Κάτων ἔτυχε μὲν ἐν δύο ὥραις δημηγορῆσαι, &c. *Faonius quidem cùm vnam duntaxat horam ad contradicendum à Trebonio impetraſſet, eam contriuit de anguſtiis temporis ſibi conceſſi temerè declamans: Cato autem obtinuit vt duas horas haberet concionem,* &c.

Tempus concionum limitabant.

Omitto etiam Tribunoplebis id iuris fuiſſe videri, vt aliis magiſtratibus iuſtitium indiceret, & clauderet ærarium. Sic Tiberius Gracchus, vt eſt apud Plutarchum in eius vita, Διαγράμματι τὰς ἄλλας ἀρχὰς ἐκώλυσε χρηματίζειν ἄχρις ἂν ἡ περὶ τοῦ νόμου διενεχθῇ ψῆφος. τῷ δὲ τοῦ Κρόνου ναῷ σφραγῖδας ἰδίας ἐπέβαλεν, ὅπως οἱ ταμίαι μηδὲν ἐξ αὐτοῦ λαμβάνοιεν, μηδ' εἰσφέροιεν. καὶ τοῖς ἀπειθήσασι τῶν στρατηγῶν ζημίαν ἐπεκήρυξεν, ὥστε πάντας ὑποδείσαντας ἀφεῖναι τὴν ἑκάστῳ προσήκουσαν οἰκονομίαν. *Edicto vetuit cæteros magiſtratus ius dicere priuſquam lege Agraria latum eſſet ſuffragium. Et Saturni templum ſuo ipſius ſigillo communiuit, ne Quæſtores quicquam efferrent, aut inferrent in ærarium. Prætoribus verò, qui dicto audientes non eſſent, mulctam indixit, adeò vt omnes perterriti ſuam quiſque adminiſtrationis partem omiſerint.*

Iuſtitium dicebant.

Ad ius etiam tribunitium pertinuit, vt bona improborum ciuium priſcis & ſolennibus verbis Cereri conſecrarent foculo poſito in roſtris adhibitóque tibicine. vt C. Atinius, *bona Q. Metelli, qui eum ex Senatu Cenſor eiecerat,* Cn. Lentuli Cenſoris alter Tribunuſplebis, Gabinij Clodius, ipſius Clodij L. Mummius bona conſecrarunt: qui mos *ductus ex nonnullis veterum temporum exemplis,* vide orat. pro domo ſua 123. 124. 125.

Bona conſecrabant.

Item eos qui interceſſionibus ſuis non parerent Diris deuouere. vt Craſſum Ateius poſito foculo, verbis etiam priſcis & ſolennibus. Vide Plutarchum, Dionem, Appianum. Hæc, inquam, omitto, quòd eorum non pauca ex abuſu potiùs poteſtatis, & quadam tribunitij furoris in potentiâ, quàm ex tribunitio iure prouenerint: illud omittere non poſſum quod indicat, quanta iam inde ab initio fuerit Tribunatuſplebis ſanctitas.

Non parẽtes ſuis interceſſionibus deuouebant.

Καὶ Φαλίσκοις ἐπολέμησαν (loquitur C. Gracchus apud Plutarchum in eius vita) ὑπὲρ Γενυκίου τινὸς δημάρχου λοιδορηθέντος, καὶ Γαΐου Βουτουρίου θάνατον κατέγνωσαν, ὅτι δημάρχῳ προσιόντι δι' ἀγορᾶς οὐχ ὑπεξέστη μόνος. *Et Phaliſcis bellum intulerunt ob Genutium quendam Tribunumplebis conuitiis appetitum, & C. Butorium morte mulctarunt, quòd Tribunoplebis per forum ambulanti ſolus non aſſurrexerat.* Vt meritò tribunitia poteſtas, quamuis imperium non haberet, dicatur à Tacito 3. annal. *Summi faſtigij vocabulum:* verba ſunt, *Tiberius famâ moderationis partâ, quod ingruenteis accuſatores re-*

Sanctitas tribunatus.

preſſerat, mittit litteras ad Senatum, queis poteſtatem tribunitiam Druſo petebat. Id ſummi faſtigij vocabulum Auguſtus reperit, ne Regis aut Dictatoris nomen adſumeret: hac tamen appellatione aliqua cætera imperia præemineret.

V. Circumscriptus.] Quatuor modis potuit Senatus magiſtratum coërcere, notâ, circumſcriptione, remotione ab adminiſtratione Reip. expulſione à ciuitate. ad Atticum lib. 7. ep. 9. *Ire autem ad arma aut hanc vnam ob cauſſam quod ratio eius non habeatur: aut additâ cauſâ, ſi fortè Tribunusplebis Senatum impediens, aut incitans notatus, aut S.C. circumſcriptus, aut ſublatus, aut expulſus ſit, dicénſve ſe expulſum ad illum confugerit.* Quibus verbis ita diſiunctis liquet hos quatuor modos eſſe diuerſos.

Notâ Senatûs coërcebantur magiſtratus. Notâ coërcebatur, vt cùm Senatuſconſulti verbis addebat Senatus, ſe ſi quis rem impediret grauiter eſſe laturũ, cuius exempla protulimus quadrageſimâ §. aut idem veſtis mutatione aliôve facto declarabat, vt contra Clodium factum eſt in cauſſa Ciceronis, & , vt refert Epitome Liuij decadis II. lib 5. *Cum M. Catonis* (lege *C. Catonis*) *Tribuniplebis interceſſionibus comitia tollerentur, Senatus veſtem mutauit.* Et hac ignominiâ Senatús affectus eſt M. Antonius, vt è Plutarcho conſtat, & Dione, & ex albo Senatorum deletus. Neque ſolùm verbis, ſed etiam facto notabant. vt anno V. C. 701. cùm Quintus Pompeius Rufus comitia conſularia pertinaciùs impediret. ἐς τὸ δεσμωτήριον ὑπὸ τῆς βουλῆς, καί περ τοῦ Σύλλου θυγατριδοῦς ὤν, καὶ δημαρχῶν, ἐνεβλήθη. *Quamuis Tribunusplebis, Sullæque ex filia nepos in carcerem iuſſu Senatus abductus eſt*, inquit Dio lib. 40.

Circumſcriptione. Circumſcriptione cùm Senatus magiſtratuum poteſtatem certis finibus & cancellis limitabat, & quaſi exultantem & tripudiantem, extráque fines euagantem in girum reuocabat. Pro Milone 89. *Senatus, credo, Prætorem eum circumſcripſiſſet. Ne cùm ſolebat quidem hoc facere, in priuato eodem hoc aliquid profecerat.* vide Notas. Circumſcribere autem, ſiue περιγράφειν, idem eſſe quod coërcere, ſiue συνέχειν, vt alios omittam, conſtat ex oratione priore S. Greg. Nazianzeni contra Iulianum. Θυομένῳ τὰ σπλάγχνα τὸν σταυρὸν ὑποδεικνύουσι στεφανούμενον, ὃ τοῖς μὲν ἄλλοις φρίκην παρέσχε, καὶ ἀγωνίαν, καὶ τῆς ἡμετέρας κράτους παρεῖδησιν. τῷ δὲ διδασκάλῳ τῆς ἀσεβείας, καὶ θάρσος δίδωσι, ὡς περιγεγραμμένων ἡμῶν, καὶ συνηργμένων. οὕτω γὰρ τὸν σταυρὸν, καὶ τὸν κύκλον παρεξηγήσατο. *Ei ſacrificanti exta crucem coronatam oſtendunt, quod aliis quidem horrorem, deſperationem, noſtræque potentiæ ſenſum incuſſit: magiſtro autem erroris etiam audaciam, quaſi nos eſſemus circumſcripti & coërciti. ſic enim crucem & circulum interpretatus eſt ex tempore.*

Remotione à Rep. Remotione à Rep. Tranquillus in Iulio cap. 16. de Prætura Cæſaris, qui *Cæcilio Metello Tribunoplebis turbulentiſſimas leges aduerſus collegarum interceſſionem ferenti, auctorem propugnatorémque ſe pertinaciſſimè præſtitit, donec ambo adminiſtratione Reip. decreto Patrum ſubmouerentur.* Quæ etiam circumſcriptio Latinis dici poteſt. Græcis περιγραφή. 14. Philipp. §. 19. *Senatus in Capitolium: parata de circumſcribendo adoleſcente ſententia conſularis*, id eſt de remouendo Cæſare à Rep. & exercitu. Æſchines: Ὅποι ὑμᾶς ἐπερωτῶ, ποῖ καταφύγω, ἄνδρες Ἀθηναῖοι; περιγράψετέ με ἐκ τῆς πολιτείας; *Quo confugiam Athenienſes? circumſcribetis me ex Republica?* Cæſar 3. de bello ciuili. *Senatúſque Cæ-*

lium ab Rep. remouendum cenſuit.

Expulſione. Expulſione denique, quemadmodum vel expulſus eſt à Lentulo, vel expulſus videri voluit Antonius, quæ item circumſcriptio dici potuit. Eſt enim circumſcribere penitùs auferre, & tollere de medio. Verrina tertia, §. 43. *Illud tempus Syllanarum proſcriptionum ac rapinarum prætermittam*, &c. *Quamobrem hoc omni tempore Syllano ex accuſatione circumſcripto, legationem eius præclaram cognoſcite.* Quo ſenſu etiam Tatianus ad Græcos. Μετὰ δ' Ἴναχον ἐπὶ Φορωνέως μόγις τὸν θηριώδους βίον, καὶ νομάδος περιγραφῆναι λέγειν. *Poſt Inachum verò, ſub Phoroneo vix tandem circumſcripta eſt vaga & belluina vitæ ratio.* Vnde & Suidas περιγράφει interpretatur ἀποκόπτεται. *Tranſlatio*, inquit Budæus commentariis linguæ Græcæ, *eſt à fabris aut chirurgis, qui ea quæ ferrâ amputaturi ſunt, priùs circumſcribunt, & præcidunt.* Nec alio ſenſu quàm hoc atrociſſimo Cæſar accepit primo de bello ciuili orationem habens in Senatu, vt primùm Romam occupauit. *Iniuriam in eripiendis legionibus prædicat: crudelitatem & inſolentiam in circumſcribendis Tribuniſplebis.*

Contra patriam.] Non eſt animus in patentem hunc locum excurrere: de patria Briſciola noſter multa congeſſit priore parte horarum ſubceſiuarum, lib. 17. cap. 1. Vnus in præſentia Platonis in Critone locus ſuffecerit. Damnatus erat in vinculis Socrates, hortabatur Crito vt fuga ſalutẽ expediret. Noluit ille, ne patriam, quæ vel iniuſtè mortem inferebat, aliquo modo violaret: & ipſas Athenienſium leges ita ſecum loquentes inducit. *An cùm nec ad patrem, nec ad dominum, ſi eum habeas, tibi ius ex æquo ſit, vt quæ ab illis patiare in eos referre poſſis, neque ſi iurgio hi te laceſſant, contrà iurgare, neque ſi te verberent, viciſſim verberare, neque alia eiuſmodi in eos tentare liceat, contra patriam & leges tibi licebit? Adeò vt ſi nos iudicantes id eſſe iuſtum, interficere te velimus, tu viciſſim nos leges & patriam pro viribus tuis coneris occidere, dicáſque te in his agendis iuſta facere, qui virtutis curam reuera habere profiteris.* Addit: Καὶ σέβεσθαι δεῖ καὶ μᾶλλον ὑπείκειν, καὶ θωπεύειν πατρίδα χαλεπαίνουσαν, ἢ πατέρα. *Colere eam oportere magis, eique cedere, & rigidiùs ſe gerentem blanditiis demulcere quàm patrem. & ſi quid iubeat, vel diſſuadere illi quantum liceat, vel facere & patientiſſimè ſuſtinere, quicquid iuſſerit patiendum: ac ſiue mandauerit verberari te, ſiue in vincula conijci, ſiue in prælium miſerit ad vulnera excipienda, mortémque ſubeundam, obediendum eſt omnino*, &c. Poſt pauca: Καὶ τὸν μὴ πειθόμενον τριχῇ φαμὲν ἀδικεῖν, ὅτι τε γεννηταῖς οὖσιν ἡμῖν οὐ πείθεται, καὶ ὅτι τροφεῦσι, καὶ ὅτι ὁμολογήσας ἡμῖν πείθεσθαι οὔτε πείθεται, οὔτε πείθει ἡμᾶς εἰ μὴ καλῶς τι ποιοῦμεν. *Atque eum qui non paruerit tripliciter iniuriari cenſemus, & quòd genitricibus nobis non obtemperat, & quòd nutricibus non obſequitur, & quòd pactus nobis obedire, neque obedit, neque perſuadere nobis ſtudet, ſi quid minùs rectè facere videamur.* Tandem addunt ſi ipſas auſus fuerit violare. *Nos vtique & viuenti tibi infenſæ erimus*, καὶ οἱ ἡμέτεροι ἀδελφοὶ οἱ ἐν ᾅδου νόμοι, *& in altera vita leges quæ illic ſunt noſtræ ſorores, haudquaquam te benignè recipient, ſcientes te nos pro viribus diſperdere conatũ fuiſſe.* Plura Græcè retulimus pro Milone 64. *Caderet æquo animo legibus.* VI. Patriæ charitas.

AXIOMA.

Omninò nulla iuſta cauſa cuiquam eſſe poteſt contra patriam arma capiendi.

ARGVMENTVM.

A belli ciuilis grauitate, & fuga principum ciuitatis, qui metu armorum Cæſaris Italiam reliquerunt, per enumerationem, M. Antonij interceſsionem inſectatur.

XLIII. O Miſerum te, ſi hæc intelligis, miſeriorem ſi non intelligis, hoc litteris mandari, hoc memoriæ prodi, huius rei ne poſteritatem quidem omnium ſeculorum vnquam immemorem fore! Conſules ex Italia expulſos, cúmque his Cn. Pompeium, quod imperij populi Romani decus ac lumen fuit, omnes conſulares qui per valetudinem exequi cladem illam fugámque potuiſſent: Prætores, Prætorios, Tribunosplebis, magnam partem Senatus, omnem ſobolem iuuentutis, vno verbo Remp. expulſam atque exterminatam ſuis ſedibus.

EXPLANATIO.

O MISERVM TE.] Graui exclamatione Antonij interceſſionem inuadit: & *miſerum* appellat, *ſi intelligit* apud poſteros infamem fore, propter dolores & conſcientiæ ſtimulos qui eius animum fodiunt & cruentant, & propter metum infamiæ quæ apud poſteros conſequetur: *Miſeriorem ſi non intelligit*, quia hæc eſt demum ſumma miſeria, miſerum eſſe nec ſibi videri, ſed omnem ſenſum amittere, & miſeriâ ſua delectari: & in maximo errore vexari. Nam ſi ſuam miſeriam intelligeret, poſſet ab ea ſe expedire, nunc autem cùm non intelligat, in eáque ſibi placeat, nunquam emerget.

HOC LITTERIS PRODI.] Expolitio qua res eadem variis modis effertur, vt plagam repetitis ictibus vehementiùs infligat.

CONSVLES.] L. Lentulum, C. Marcellum. ab enumeratione autem & plurium conglobatione belli ciuilis atrocitatem exaggerat, ne vno vel altero verbo rem tantam exponens auditorum ſuorum aures præteruolet. Grutterus legit, *ex Italia excuſſos*, ex Codice Mauritiano, quod placet.

OMNES CONSVLARES.] Seruilius Iſauricus, Luc. Volcatius, Seruius Sulpitius alij fortaſſe Conſulares videntur remanſiſſe: quare ne mendacij ſe alliget Orator, inſinuat eos per valetudinem exire cum Pompeio haudquaquam potuiſſe, quia fortaſſe illi valetudinem cauſati ſunt ne Pompeium ſequerentur.

EXEQVI FVGAM ILLAM.] A funeribus & exequiis videtur petita tranſlatio, quaſi Conſulibus & Pompeio fugientibus funere elata fuerit Reſp.

PRÆTORES.] Et hoc elatoriè dictum. Non enim omnes Prætores, aut Tribuniplebis exceſſerant. Nam & M. Æmilius Lepidus Prætor in vrbe manſit, qui & Cæſarem dixit Dictatorem, vt omnes hiſtorici memoriæ prodiderunt, & L. Metellus Tribunusplebis, qui tum aliis Cæſaris actionibus interceſſit, tum impedire conatus eſt, ne pecunias depromeret ex ærario.

VNO VERBO REMP.] Poſt enumerationem ſingulorum omnia coacervat, & vno verbo comprehendit.

NOTÆ.

O MISERVM.] Suprà 12. *O miſerum, ſiue tibi illa nota non ſunt (nihil enim boni noſti) ſiue ſunt qui apud tales viros tam impudenter loquare.* Ea verò ſumma miſeria eſt miſerum eſſe, non cognoſcere, ſed miſeriam ſuam amare, quo nihil miſerius Iupiter Heſiodius potuit iratus comminari. I. Miſeria eſt ſuam miſeriã non cognoſcere.

Σοί τ' αὐτῷ μέγα πῆμα, καὶ ἀνδράσιν ἐσσομένοισιν.
Τοῖς δ' ἐγὼ ἀντὶ πυρὸς δώσω κακὸν, ᾧ κεν ἅπαντες
Τέρπωνται κατὰ θυμὸν ἑὸν κακὸν ἀμφαγαπῶντες.
Sed dolor hinc ingens tibi erit cunctiſq; futuris,
His dabo namque malum, mihi quòd furatus es ignem,
Ob quod gaudebunt cuncti proprium malum amantes.

Syneſius de inſomniis. Τοῦτο κακῶν ἐστὶ τὸ ἔσχατον, μηδ' ἐπαΐειν κακοῦ παρόντος. *Hoc eſt malorum omnium poſtremum, non intelligere mala præſentia.* Subdit rationem: Τοῦτο γάρ ἐστι μηδ' ἀναδῦναι ζητούντων· ὥσπερ ὁ σκίρρος τῷ μηκέτι λυπεῖν, οὐδ' ὑπομιμνήσκει τοῦ σώζεσθαι. καὶ διὰ τοῦτο ἀνάγωγον ἡ μετάνοια. ὁ γὰρ τὰ ἐν οἷς ἐστι δυσχεραίνων φυγεῖν μηχανᾶται. καὶ καθαρμοῦ τὸ μέγιστον μέρος ἡ βούλησις. *Hoc enim eorum eſt proprium qui emergere nequaquam cupiunt: ſicut calloſa durities, quod dolorem nullum ampliùs pariat curationis ac ſalutis memoriam nullam affert. ideò extrahendi è malis vim habet pœnitentia: quiſquis enim ea moleſtè fert in quibus verſatur, inde ſe omni ope ſubducere nititur*, &c. Seneca epiſtola 6. *Et hoc ipſum argumentum eſt in melius tranſlati animi, quòd vitia ſua, quæ adhuc ignorabat, videt.* Et rurſum epiſt. 28. *Initium eſt ſalutis notitia peccati. Egregiè mihi hoc dixiſſe videtur Epicurus. Nam qui peccare ſe neſcit, corrigi non vult. Deprehendas te oportet antequam emendes. Quidam vitiis gloriantur. Tu exiſtimas aliquid de remedio cogitare, qui mala ſua virtutum loco numerant? ideò quantum potes te ipſum coargue, inquire in te: accuſatoris primùm partibus fungere, deinde Iudicis, nouiſſimè deprecatoris. Aliquando te offende*, Nec abludit illud ep. 53. *Quare vitia ſua nemo confitetur? quia etiam nunc in illis eſt. Somnium narrare vigilantis eſt, & vitia ſua confiteri ſanitatis indicium eſt.*

EXPVLSOS.] Monui à Gruttero legi *excuſſo*. Virgilius. *-Excutimur curſu.*
id eſt expellimur, Terent. Phormione act. 4. ſc. 2. II. Excutere. Quatere.
- Vt me excutiat, atque egrediar domo
Id reſtat.-

Vel ſimpliciter *quatere.* Horatius 1. Carm.

-non ego te, candide Baſſareu
Inuitum quatiam.-

Terentius Eunucho actu 2. ſc. 3.

-homo quatietur certè cum dono foras.

Vbi Donatus. Non reiicietur, ſed quatietur. *Vide quàm contumelioſiùs dictum ſit, quatietur foras, vel verberibus pelletur foras, non expulſione, ſed detruſione.*

III. Exeqvi.] Lib. 9. ad Atticum epiſt. 14. de hac ipſa fuga Pompeij diſſerens: *Miſeros nos cur non omnes fatum illius executi ſumus?* Exequi vox funerum Cicero 1. Tuſc. vertens illa Euripidis:

Exequi.

Ἐχρῆν μὲν ἡμᾶς σύλλογον ποιουμένους
Τὸν ζῶντα θρηνεῖν, εἰς ὅσ᾽ ἔρχεται κακά.
Τὸν δ᾽ αὖ θανόντα, καὶ πόνων πεπαυμένον
Χαίροντας, εὐφημοῦντας ἐκπέμπειν δόμων.

Nam nos decebat cœtu celebrantes domum
Lugere, vbi eſſet aliquis in lucem editus.
Humanæ vitæ varia reputantes mala.
At qui labores morte finiſſet graues
Omnes amicos laude & lætitia exequi.

IV. Tribvnos plebis.] Monui L. Metellum Tribunum plebis in vrbe ſubſtitiſſe. Cæſar 1. de bello ciuili: *Subiicitur etiam Luc. Metellus Tribunus plebis ab inimicis Cæſaris, qui hanc rem diſtrahat, reliquáſque res, quaſcunque agere inſtituerit, impediat.* Imo ne vnus quidem Tribunus plebis videtur fugam Conſulũ executus, quantum colligi poteſt ex illis verbis lib. 8. ad Atticum ep. 23. *Quod videris no dubitare, ſi Conſules tranſeant, quid nos facere oporteat: certè tranſeunt, vel quomodo nunc eſt, tranſierunt: ſed memento præter Appium neminem eſſe ferè qui non ius habeat tranſeundi: Nam aut cum imperio ſunt, vt Pompeius, vt Scipio, Aſprenas, Setenas, Fannius, Coponius, Seſtius, ipſi Conſules (quibus more maiorum conceſſum eſt vel omnes adire Prouincias) aut legati ſunt eorum. Sed nihil deſidero.* E quibus poſſis meritò ſuſpicari reliquos etiam Tribunos plebis, cum Metello, vt Cæſaris actionibus & tum Antonij, tum Caſſij Longini rogationibus intercederent, in Italia vel potiùs Romæ ſubſtitiſſe fretos ſanctitate Tribunatûs ſui. Cùm præſertim Cæſar videri vellet aſſertor tribunitiæ dignitatis, ideóque ſe bellum ſuſcepiſſe iactaret, quòd à Senatu circumſcriptus fuiſſet Antonius, neque Tribuni plebis more maiorum extra vrbem pernoctare poſſent, aut extra pomerium quicquam auctoritatis obtinerent. Halicarnaſſeus lib. 8. exeunte. Οὐδενὸς γάρ εἰσι τῶν ἔξω τῆς πόλεως οἱ τὴν δημαρχικὴν ἔχοντες ἐξουσίαν, κύριοι. περιγράφεται δ᾽ αὐτῶν τὸ κράτος τοῖς τείχεσι, καὶ οὐδ᾽ ἀπαυλισθῆναι τῆς πόλεως αὐτοῖς θέμις, ὅτι μὴ πρὸς ἕνα καιρὸν ἐν ᾧ πᾶσαι θύουσιν αἱ τῆς πόλεως ἀρχαὶ κοινὴν ὑπὲρ τοῦ Λατίνων ἔθνους τῷ Διὶ θυσίαν ἐπὶ τὸ Ἀλβανῶν ὄρος ἀναβαίνουσαι. *Nam Tribuni plebis nullius rei poteſtatem habent extra pomœrium. Sed mœnibus eorum poteſtas circumſcribitur. Neque ipſis extra vrbem pernoctare fas eſt, excepto vno tempore, quo magiſtratus omnes vrbis commune pro natione Latinorum adſcendentes in montem Albanum Ioui ſacrum faciunt.* Et eam ob cauſam biennio poſt hanc orationem, vt Dio narrat lib. 46. P. Titio legem ferente, Pub. Seruilio Caſcæ Tribuno plebis poteſtas eſt abrogata. Ἐπειδὴ περιϋποπτεύσας τὸν Καίσαρα ὑπεξῆλθε, πρὶν καὶ ἐς τὴν πόλιν αὐτὸν ἐπελθεῖν, τῆς τ᾽ ἀρχῆς, ὡς παρὰ τὰ πάτρια ἀποδημήσας ἐπαύθη. *Quoniam Iuniorem Cæſarem antè ſuſpectum habens, priuſquam ille ad vrbem accederet, diſceſſerat, à magiſtratu depoſitus eſt eo prætextu quod contra morem maiorum vrbe exceſſiſſet.* Sed ſilent leges inter arma, neque ſe expectari ſiuerunt Cæſare in earum perniciem imminente, & ſanè conſtat è Tullio lib. 7. ad Atticum epiſt. 22. nonnullos etiam Tribunos plebis tum temporis exiiſſe. *M. Lepidum, Luc. Torquatum, C. Caſſium Trib. pleb. (ij enim ſunt nobiſcum, id eſt, in Formiano) Philotimi litteræ ad vitam reuocarunt.*

ARGVMENTVM.

Enumeratione cladium belli ciuilis, & duplici comparatione Antonium magis & magis in odium adducit, quòd intercesſione ſuâ C. Cæſari omnia perturbare cupienti cauſam vel ſaltem prætextum dederit belli contra patriam inferendi.

VT igitur in ſeminibus eſt cauſa arborum & ſtirpium: ſic huius luctuoſiſſimi belli ſemen tu fuiſti. Doletis tres exercitus populi Romani interfectos? interfecit Antonius. Deſideratis clariſſimos ciues? eos quoque vobis eripuit Antonius. Auctoritas huius ordinis afflicta eſt? afflixit Antonius. omnia denique quæ poſtea vidimus, (Quid autem mali non vidimus?) ſi rectè ratiocinabimur, vni accepta referemus Antonio: vt Helena Troianis, ſic iſte huic Reipub. cauſa belli, cauſa peſtis atque exitij fuit. XLIV.

EXPLANATIO.

VT igitvr.] Similitudo quæ non modò rem illuſtrat, ſed etiam probationem corroborat. Quemadmodum, inquit, ſemina dicimus eſſe cauſam arborum ac ſtirpium, quòd ex iis in terram iactis ſtirpes & arbores oriantur, ita tu belli ciuilis cauſa dicendus es, quia intercesſione tua & fuga ad Cæſarem bellum ciuile conflatum eſt.

Doletis.] Enumeratio cladium quæ bello ciuili contigerunt: qua ſcelus Antonij mirum in modum exaggerat. Numerum aduerte poſt periodum bimembrem, *Vt igitur,* &c. *tu fuiſti.* membris propemodum æqualibus ſex, ſolutis à ſeque diuulſis euoluit orationẽ, laudem illuſtrat ſubie-

ctione pulcherrimâ, & alterna verba concludit non eodem ſolùm numero, ſed etiam eodem nomine *Antonij*, vt non ſolùm animos rei grauitate, ſed etiam aurea vocis eiuſdem repetitione percellat.

TRES EXERCITVS.] Primus populi Romani exercitus deletus à Cæſare, & interfectus eſt ad Philippos & Pharſalum in Theſſalia, cui præerat ipſe Cn. Pompeius. Secundus in Africa ad Thapſum, duce Scipione ſocero Pompeij; tertius ad Mundam in Hiſpania, ducibus Cneio & Sexto Pompeiis. Multas & ipſe Cæſar clades per ſuos legatos accepit, *quorum C. Curio*, inquit Tranquillus cap. 36. *in Africa periit*, (cum duabus legionibus & equitibus quingentis ex Cæſare) *C. Antonius in Illyrico in aduerſariorum deuenit poteſtatem: P. Dolabella claſſem in eodem Illyrico, Cn. Domitius Caluinus in Ponto exercitum amiſerunt.* Ipſe duo circiter millia militum prælio Dyrrhachino, Mûdenſi mille amiſerat. Sed tres tantùm clades enumerat Orator, quaſi Cæſariani non in ciuium, ſed in hoſtium numero cenſeantur.

INTERFECIT ANTON.] Cauſa fuit illius belli, quo deleti ſunt tres illi exercitus.

DESIDER. CLAR. CIV.] Pompeium, Scipionem, Domitium, cætera illa lumina Reip.

AVCTORITAS.] Senatus auctoritas penitus euerſa eſt, tum quòd ei non obtemperauerit Cæſar, exercitúſque non dimiſerit, vt iuſſerat Senatus, tum quòd principes illius ordinis bello ciuili extincti fuerint, vt iam vix illius auctoritatis veſtigiû ſuperſit, quia non ſolùm Vrbem olim gubernabat, ſed etiam orbi terrarum præſidebat.

OMNIA DENIQVE.] Poſt enumerationem partium, omnia velut in cumulum coaceruat, & vehementi illa parentheſi *(Quid autem mali non vidimus)* magis rem amplificat, quàm ſi longam omnium calamitatum ſeriem contexeret. Vtitur verbo videndi, quia

Segniùs irritant animum demiſſa per aurem,
Quàm quæ ſunt oculis ſubiecta fidelibus.

Et vt vincta oratione magis feriat, ea concludit quadrimembri circumſcriptione verborum: vtque preſſiùs in memoriâ defigat frequentem adhibet dochimum, à quo temperandum fuerat, niſi illud cauſæ ſubeſſet. nam dochimus, vt dicitur in Oratore, *Quouis loco aptus eſt, dum ſemel ponatur: iteratus aut continuatus numerum apertum & nimis inſignem facit.*

VT HELENA.] Altera comparatio, qua rem eandem magis & magis inculcat: & vt priorem à re naturali, ita poſteriorem ab hiſtoria deriuat. hac enim varietate magis amœnatur oratio.

NOTÆ.

1. IN SEMINIBVS.] Totus hic locus è Demoſthene de corona videtur expreſſus, vt iam alij aduerterunt. Operæ facturus videor pretium, ſi verba paulò latius exſcripſero. Τίς οὖν ὁ ταῦτα συμπαρασκευάσας αὐτῷ; τίς ὁ τὰς ἀφορμὰς ταύτας ἐνδούς; τίς ὁ τῶν κακῶν τῶν γεγενημένων μάλιστ' αἴτιος; οὐχ οὗτος; μὴ τοίνυν λέγετε, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, περιιόντες, ὡς ὑφ' ἑνὸς τοιαῦτα πέπονθεν ἡ Ἑλλὰς ἀνθρώπου. οὐχ ὑφ' ἑνός, ἀλλ' ὑπὸ πολλῶν καὶ πονηρῶν τῶν παρ' ἑκάστοις, ὦ γῆ καὶ θεοί. ὧν εἷς οὑτοσί ἐστιν, ὅν, εἰ μηδὲν εὐλαβηθέντα τἀληθὲς εἰπεῖν δέοι, οὐκ ἂν ὀκνήσαιμι ἔγωγε κοινὸν ἀλιτήριον τῶν μετὰ ταῦτ' ἀπολωλότων εἰπεῖν ἀνθρώπων, τόπων, πόλεων. ὁ γὰρ σπέρμα παρασχών, οὗτος τῶν φύντων κακῶν αἴτιος. *Quis hæc cum illo comparauit? quis hos dedit prætextus? quis malorum quæ contigerunt cauſſa fuit? nónne iſte. Nolite igitur dicere, Iudices, circumeuntes quod ab vno homine tantas Græcia clades perpeſſa eſt. Non ab vno, ſed à multis, et ſceleratis qui ſunt apud ſingulos, ô terra & Dij! Quorum iſte vnus eſt. quem ſi ſine cuiuſquam reſpectu verum dicendum eſt, non dubitabo vocare communem peſtem eorum quæ poſtea perierunt, hominum, locorum, ciuitatum. Nam qui ſemen, erit, is cauſſa eſt malorum quæ deinde pullularunt.*

Quod ſpectat ad imagines ſiue parabolas, monet Demetrius Phalareus, ſi modum exceſſerint eſſe vitioſas, ac proinde eas in pauca verba eſſe contrahendas. Ταῦτα γὰρ οὐκ εἰκασίαις ἔτι ἔοικεν, ἀλλὰ παραβολαῖς ποιητικαῖς. τὰς δὲ παραβολὰς ταύτας οὔτε ῥᾳδίως ἐν τοῖς πεζοῖς λόγοις τιθέναι δεῖ, οὔτ' ἄνευ πλείστης φυλακῆς. *Hæc enim non iam ſimilitudinum ſpeciem habent, ſed poëticarum comparationum. Huiuſmodi autem comparationibus, neque facilè in ſoluta oratione, neque ſine cautione plurimâ vti oportet.* Prudenter tamen Seneca ep. 59. Demetrium, vt videtur, tacitè reprehendit. *Inuenio imagines, quibus ſi quis nos vti vetat, & poëtis illas ſolis iudicat eſſe conceſſas, neminem mihi videtur ex antiquis legiſſe, apud quos nondû captabatur plauſibilis oratio. Illi qui ſimpliciter & demonſtrandæ rei cauſſa eloquebantur, parabolis referti ſunt: quas exiſtimo neceſſarias, non ex eadem cauſſa quæ poëtis, ſed vt imbecillitatis noſtræ adminicula ſint, & vt diſcentem & audientem in rem præſentem adducant.* Quo in genere maximè laudantur quæ paucis verbis rem in oculis cum aliqua vrbanitate deſignunt, *vt ille Gallus teſtis in Piſonem* (de quo 2. de Oratore) *cùm innumerabilem Magio præfecto pecuniam dixiſſet datam, idque Scaurus tenuitate Magij redargueret: Erras, inquit, Scaure, Ego enim Magium non conſeruaſſe dico ſed tanquam nudus nuces legeret, in ventrem abdidiſſe.* & Marcus Cicero auus Oratoris dicebat, *Noſtros homines ſimiles eſſe Syrorum venalium, vt quiſque optimè Græcè ſciret, ita eſſe nequiſſimum.* Tale eſt illud Philipp. 13. §. 12. *An is non reddet qui domini patrimonium circumplexus, quaſi theſaurum draco, Pompeij ſeruus, libertus Cæſaris, agri Lucani poſſeßiones occupauit.* In Vatinium 4. *Repente enim te, tanquam ſerpens è latibulis, oculis eminentibus, inflato collo, tumidis ceruicibus intuliſti.* Demoſthenes 3. Philipp. Ἀλλ' ὅμως τοῦθ' ὁρῶντες οἱ Ἕλληνες ἀνέχονται, καὶ τὸν αὐτὸν τρόπον, ὥσπερ οἱ τὴν χάλαζαν, ἔμοιγε δοκοῦσι θεωρεῖν, εὐχόμενοι μὴ καθ' ἑαυτοὺς ἕκαστοι γενέσθαι· κωλύειν δ' οὐδεὶς ἐπιχειρῶν. *Nihilo tamen minùs hæc videntes Græci tolerant, & eodem modo, quo qui grandinem, mihi videntur iſta ſpectare: ſinguli orantes ne ad ſe veniat, ſed nemo conatur auertere.* Vide plures huiuſmodi comparationes apud Ariſtotelem lib. 3 Rhet. cap. 10. & Plutarchum de præceptis politicis.

Nonnunquam diffundunt & dilatant huiuſmodi parabolas, vt 1. Catilin. §. 31. *Quòd ſi ex tanto latrocinio iſte vnus tolletur, videbimur fortaſſe ad breue quoddam tempus cura & metu eſſe releuati: periculum autem reſidebit, & erit incluſum penitus in venis, atque in viſceribus Reipub. Vt ſæpè homines ægri morbo graui, cùm æſtu febrique iactantur, ſi aquam gelidam biberint, primo releuari videntur: deinde multò grauius vehementiúſque inſectantur:*

Imaginum, ſiue ſimilitudinum vſus apud Oratores.

ſic hic morbus qui eſt in Repub. releuatus iſtius pœnâ, vehementiùs viuis reliquis ingraueſcet. Pro Sextio 24. *Sed ita eſt, Iudices, vt ſi gladium paruo puero,* &c. Demoſthenes Olynth. 2. Ὥσπερ γὰρ ἐν τοῖς σώμασιν ἡμῶν, ἕως μὲν ἂν ἐρρωμένος ᾖ τις, οὐδὲν ἐπαισθάνεται τῶν καθ' ἕκαστα σαθρῶν, ἐπὰν δ' ἀρρώστημά τι συμβῇ, πάντα κινεῖται, κἂν ῥῆγμα, κἂν στρέμμα, κἂν ἄλλο τι τῶν ὑπαρχόντων σαθρὸν ᾖ· οὕτω καὶ τῶν πόλεων, καὶ τῶν τυράννων, ἕως μὲν ἂν ἔξω πολεμῶσιν, ἀφανῆ τὰ κακὰ τοῖς πολλοῖς ἐστιν· ἐπειδὰν δ' ὅμορος πόλεμος συμπλακῇ, πάντα ἐποίησεν ἔκδηλα. *Vt enim in corporibus noſtris, dum valeas, nullum adeo ſenſum doloris afferunt ſingulæ partes labefactæ: ſin in morbum incideris, omnia mouentur, ſiue ruptum ſit, ſiue luxatum, ſiue quid aliud vitiatum: ſic & ciuitatum, & tyrannorum dum foris bella gerunt obſcura vulgo mala ſunt: quando autem finitimum bellum conſeritur, omnia eluceſcunt.* Item Philippica prima: Ὥσπερ δ' οἱ βάρβαροι πυκτεύουσιν, οὕτω πολεμεῖτε Φιλίππῳ. Καὶ γὰρ ἐκείνων ὁ πληγεὶς ἀεὶ τῆς πληγῆς ἔχεται, κἂν ἑτέρωσε πατάξῃ τις, ἐκεῖσέ εἰσιν αἱ χεῖρες, προβάλλεσθαι δὲ ἢ βλέπειν ἐναντίον οὔτ' οἶδεν, οὔτ' ἐθέλει. Καὶ ὑμεῖς, ἐὰν ἐν Χερρονήσῳ πύθησθε Φίλιππον, ἐκεῖσε βοηθεῖν ψηφίζεσθε, ἐὰν δ' ἐν Πύλαις, ἐκεῖσε, ἐὰν δ' ἄλλοθί που, συμπαραθεῖτε ἄνω καὶ κάτω, καὶ στρατηγεῖσθε μὲν ὑπ' ἐκείνου, βεβούλευσθε δ' οὐδὲν αὐτοὶ συμφέρον περὶ τοῦ πολέμου. *Vt barbari pugiles dimicare ſolent, ita vos bellum geritis cum Philippo. Ex iis enim is qui ictus eſt, ictui ſemper inhæret, quòd ſi eum alibi verberes, illò manum transfert: ictum autem depellere, aut contra intueri neque ſcit, neque vult. Ita & vos, ſi eſſe in Cherſoneſo Philippum auditis, illuc mittenda eſſe auxilia decernitis. ſi in Pylis, illuc: ſi alibi vſpiam aſſectamini ſurſum ac deorſum: & eum vt ducem milites ſequimini: neque vllum vobis vtile de belli gerendi ratione conſilium initis,* &c. In hoc genere Demades inter veteres illos Atticos excelluit, quantum ex eo fragmento orationis περὶ δωδεκαετίας apparet, quod velut tabula ſupereſt è naufragio: Οὔτ' ἰατρὸς ἐμπείρως δύναται θεραπεῦσαι τοὺς κάμνοντας, ἂν μὴ τὴν αἰτίαν τοῦ νοσήματος καταμάθῃ, οὔτε δικαστὴς ὁσίαν θεῖναι τὴν ψῆφον, ἐὰν μὴ τοῖς τῆς κρίσεως δικαίοις ᾖ παρηκολουθηκώς. *Neque enim medicus peritè curare poteſt ægrotos, niſi cauſſam morborum cognouerit, neque iudex ſanctam & religioſam ferre ſententiam, niſi rationes & firmamenta cauſſæ fuerit mente complexus.* Item: Ὥσπερ ἡ τῶν ὀφθαλμῶν νόσος τὴν ὅρασιν συγχέασα κωλύει τὰ ἐμποδὼν κείμενα θεωρεῖν, οὕτως ἀδίκως παρεισδὺς ὁ λόγος εἰς τὰς τῶν δικαστῶν γνώμας οὐκ ἐᾷ δι' ὀργὴν συνορᾶν τὴν ἀλήθειαν. *Quemadmodum oculorum morbus viſum confundens, ea quæ iacent antè pedes prohibet intueri, ſic oratio quæ ſe iniuſtè in Iudicum mentes inſinuat, non patitur, præ iracundia, vt illi videant veritatem.* Sed redeamus ad Latinos, A. Licinius Cæcina epiſtola ad Ciceronem, quæ habetur libro 6. ad fam. *Quemadmodum igitur ſcalarum gradus ſi alios tollas, alios incidas, nonnullos malè hærentes relinquas, ruinæ periculum ſtruas, non adſcenſum pares: ſic tot malis tum victum, tum fractum ſtudium ſcribendi, quid dignum auribus aut probabile poteſt adferre?* Commodior illa Titi Quintij Flaminini comparatio apud Liuium lib. 35. *Sicut teſtudinem, vbi collecta in ſuum tegumen eſt, tutam ad omnes ictus video eſſe, vbi exerit partes aliquas, quodcunque nudauit, obnoxium atque infirmum habere; haud diſsimiliter, vos, Achæi, clauſos vndique mari, quæ intra Peloponeſi ſunt terminos, ea & iungere vobis, & iuncta tueri facilè, ſimul auiditate plura amplectendi hinc excedatis, nuda vobis omnia quæ extra ſunt, & expoſita ad omnes ictus video.* Nec inconcinniùs exercitum Antiochi conuiuio ex ſuilla carne ſtructo comparauit. Vide verba eodem libro exeunte. Quæ ſi cui diſplicent, equidem non video quid illi poſſit placere. Fatendum eſt tamen pleraſque huiuſmodi comparationes maiorem orationi côcinnitatem & lepôrem, quàm impetum & δεινότητα, vehementiam adferre, vt Demetrius Phalereus libro περὶ ἑρμηνείας aduertit. Αἱ παραβολαὶ τῇ δεινότητι οὐκ ἐπιτήδειαι διὰ τὸ μῆκος, οἷον τὸ, Ὥσπερ δὲ κύων γενναῖος ἄπειρος, ἀπρονοήτως ἐπὶ κάπρον φέρεται. κάλλος γὰρ καὶ ἀκρίβειά τις ἐν τούτοις ἐμφαίνεται, ἡ δὲ δεινότης σφοδρόν τι βούλεται, καὶ σύντομον, καὶ ἐγγύθεν πλήττουσιν ἔοικε. *Comparationes ob longitudinem vehementi orationi non ſunt idoneæ.* vt apud Xenophôtem libro 1. de Cyri inſtitutione, *Quemadmodum generoſus canis inexpertus improuidè in aprum fertur. Elegantia enim & accuratum dicendi genus apparet. at grauitas illa vehemens aliquid & conciſum requirit, & cominus ferienti ſimilis eſt.* Nihilò tamê ſeciùs ſi non ſolùm ad exprimendam rerum imaginem componantur, ſed etiam probationis gratia vim habeant argumenti, non video cur eas neceſſe ſit à vehementi illo genere dicendi excludere. Qualis eſt illa Ciceronis pro Sextio 45. 46. *Etenim ſi mihi in aliqua naue,* &c. aut illa Æſchinis contra Cteſiphontem: Ὑμεῖς δὲ, ὦ Ἀθηναῖοι, οὐκ αἰσχύνεσθε, εἰ ἐπὶ μὲν τοὺς πορθμέας τοὺς εἰς Σαλαμῖνα πορθμεύοντας νόμον ἔθεσθε, ἐάν τις αὐτῶν ἄκων ἐν τῷ πόρῳ πλοῖον ἀνατρέψῃ, τούτῳ μὴ ἐξεῖναι πάλιν πορθμεῖ γενέσθαι. ἵνα μηδεὶς αὐτοσχεδιάζῃ εἰς τὰ τῶν Ἑλλήνων σώματα, τὸν δὲ τὴν Ἑλλάδα καὶ τὴν πόλιν ἄρδην ἀνατετροφότα, τοῦτον ἐάσετε πάλιν ἀπευθύνειν τὰ κοινά; *Vos autem, Athenienſes, non pudet, ſi in portitores qui Salaminem tranſuehunt, legem tuliſtis, vt ſi quis eorum etiam inuitus transfretando nauigium euerterit, ei ne liceat iterum eſſe portitorem. Ne quis temere ſe gerat in Græcorum corpora, eum autem qui Græciam & vrbem ſius déque euerterit, hunc ſinetis rurſum gubernare Rempublicam?* Aut illa Demoſthenis pro Cteſiphonte: Ὥσπερ ἂν εἴ τις ναύκληρον, &c. quę verba nota proximè ſequenti referentur. Omitto Platonem cæteróſque Philoſophos, qui penè toti ſunt in huiuſmodi parabolis, illuſtriorem enim illi & concinniorem quàm vehementiorem orationem facere maluerût. Omitto Sophiſtas, qui non tam eloquentiæ vim, quàm lenocinia quæſierunt. Omitto Sanctos Patres, qui huiuſmodi comparationibus abundât, in quo genere præcipui fuerût Baſilius, Chryſoſtomus, Anſelmus. Sed omnibus anteponendus videtur vnus Gregorius Nazianzenus, qui etiam mirâ ſolertiâ parabolas ſolùm ad exprimendam rerum imaginem compoſitas ad vehementiam orationis vſurpat, cuiuſmodi imaginibus duæ contra Iulianum orationes circumfluunt. vnâ contenti ſimus: Ὥσπερ δράκοντος κινουμένου φολίδες αἱ μὲν ἤδη φρίσσουσιν, αἱ δ' ἐπιφρίσσουσιν, αἱ δὲ μέλλουσι· τὰ δ' οὐκ ἔτι μὴ κινηθῆναι, κἂν ἠρεμοῦσαι τέως τυγχάνωσιν. εἰ βούλει δὲ, ὥσπερ κεραυνῷ, τὰ μὲν ἤδη κατέχεται, τὰ δὲ προμηνύεται, μέχρις ἂν καὶ τοῦτ' ἐπέλθῃ τοῦ κακοῦ δυναστεύοντος. οὕτω κἀκείνῳ τὰ μὲν ἤδη παρηνόμειτο, τὰ δ' ὑπεγράφετο, ταῖς ἐλπίσι, καὶ ταῖς καθ' ἡμῶν ἀπειλαῖς. *Quemadmodum moto dracone, aliæ ſquamæ iam inhorreſcunt, ſuperhorreſcunt aliæ; aliæ mox cohorreſcent. Nec fieri*

poteſt, vt aliæ non moueantur, quamuis ad id tempus quierint. Aut ſi manis, quemadmodum fulmine alia iam inuoluuntur & occupantur, alia iam afflata nigreſcunt, quoad gliſcente malo ea quoque fulmen inuaſerit. Sic ille iam alia iniuſtè patrarat, alia ſpe deſignabat, & minis contra nos intentatis.

II. Lvctvosissimi belli semen.] Eadem tranſlatio Demoſthenes oratione contra Timocratem: Οὐδὲ σπέρμα δεῖ καταβάλλειν ἐν τῇ πόλει, ὦ ἄνδρες δικασταὶ, τοιούτων πραγμάτων, οὐδ' εἰ μήπω τὰ ἐκφύῃ. *Nec rerum huiuſmodi ſemen in vrbe faciendum eſt, Iudices, etiamſi nondum pullularit.* Et Gregorius Nazianzenus eadem oratione priore in Iulianum. Poſtquam deſcripſit immanem illam crudelitatẽ, quam Arethuſij contra ſacras virgines & Marcum exprompſerãt, culpam omnem in Iulianum refundens: Τοῦ σπέρματος, inquit, τὰ βλαστήματα, καὶ τοῦ πνεύματος τὸ ναυάγιον. *Seminis ſunt germina & venti naufragium.* Iam aduerte præclarum illius ἀνταποδόσεως rationem. Poſtquam Antonium cum ſemine comparauit, iam metaphoricè ſemen appellat, ſicut contra nõnunquam metaphora comparationem antecedit, aut etiam inter duas comparationes locum habet, vt apud Demoſthenem pro Cteſiphonte, cùm dixiſſet: Τοῦτο τὸ ψήφισμα τὸν τότε τῇ πόλει περιστάντα κίνδυνον, παρελθεῖν ἐποίησεν, ὥσπερ νέφος. *Hoc pſephiſma periculum quod imminebat vrbi, tanquam nubem auertit.* Paulò pòſt adiecit: Εἰ δὲ ὁ συμβὰς σκηπτὸς, ἢ χειμὼν μὴ μόνον ἡμῶν, ἀλλὰ καὶ πάντων τῶν ἄλλων Ἑλλήνων μείζων γέγονε, τί χρὴ ποιεῖν; ὥσπερ ἂν εἴ τις ναύκληρον πάντ' ἐπὶ σωτηρίᾳ πράξαντα, καὶ πᾶσι κατασκευάσαντα τὸ πλοῖον, ἀφ' ὧν ὑπελάμβανε σωθήσεσθαι, εἶτα χειμῶνι χρησάμενον, καὶ πονησάντων αὐτῷ τῶν σκευῶν, ἢ συντριβέντων ὅλως τῆς ναυαγίας αἰτιῷτο. Ἀλλ' οὔτ' ἐκυβέρνων τὴν ναῦν, φήσειεν ἄν. ὥσπερ οὐδ' ἐστρατήγουν ἐγὼ, οὔτε τῆς τύχης κύριος ἦν, ἀλλ' ἐκείνη πάντων. *Si verò fulmen quod accidit & tempeſtas, non ſolùm nos, ſed omnes Græcos ſuperauit, quid faciendum fuit? vt ſi quis nauclerum, qui omnia ad ſalutem nauis effecerit, nauigiúmque rebus omnibus inſtruxerit, quibus ſeruatum illud iri ſperabat, deinde tempeſtate deprehenſum, deterſis remis & omnino confractis accuſet naufragij. Sed nauem non gubernabam, inquiet. vt nec ego rebus præeram, neque fortuna dominus eram, ſed fortuna omnium dominabatur.* ὥσπερ νέφος, comparatio, σκηπτὸς ἢ χειμὼν tranſlatio, ὥσπερ ἂν, &c. comparatio. Atque hæc eſt parabolarum & metaphorarum coniunctio, quam in Homero Porphyrius aduertit, vt initio Odyſſ. υ'.

Similitudines. -Κραδίη δέ οἱ ἔνδον ὑλάκτει.

Ὡς δὲ κύων ἀμαλῇσι περὶ σκυλάκεσσι βεβῶσα
Ἄνδρ' ἀγνοιήσασ' ὑλάει, μέμονέν τε μάχεσθαι.
Ὣς ῥα τοῦ ἔνδον ὑλάκτει ἀγαιομένου κακὰ ἔργα.

-Animúſque in pectore latrat
Ac veluti circum catulos canis incita latrat,
Ignotum adſpiciens hominem atque in prælia ſæuit.
Sic indignatis facinus præcordia latrant.

Vbi cùm aſperiùs videri poſſet dixiſſe *animus latrat*, quaſi remedium adhibens allata comparatione reddit tranſlationis ſuæ rationem, mox quaſi præmunitus & factus audacior, eandem denuo metaphoram vſurpat.

Quòd autem bellum ciuile luctuoſiſſimum noſter appellat, vide orationem pro Marcello §. 18. *Ciuile bellum tantum & tam luctuoſum excitauerunt.* Hoc autem epitheton & Homero familiare, vt Iliados γ'. Priamus Helenam ſic alloquitur:

Οὔ τί μοι αἰτίη ἐσσὶ, θεοί νύ μοι αἴτιοί εἰσιν,
Οἵ μοι ἐφώρμησαν πόλεμον πολύδακρυν Ἀχαιῶν.
Nec mihi tu cauſa, at ſuperi mihi cauſa fuerunt,
Qui mihi Græcorum intulerint lacrymabile bellum.

Iliados θ. -ἵνα συνέησι καὶ ἄλλος
Τρωσὶν ἐφ' ἱπποδάμοισι φέρειν πολύδακρυν Ἄρηα.
-Vt & oderit alter
Troiugenis inferre viris lacrymabile bellum.

& alibi frequenter: nec ſolùm πολύδακρυν, ſed etiam δακρυόεντα frequenter appellat: vt Iliados ε', & θ'.

Τεύχεσιν ἐς πόλεμον θωρήσσετο δακρυόεντα.
Fortibus in bellum lacrymabile cingitur armis.

Sic alibi στονόεντες ὀϊστοί. Item βέλεα στονόεντα.

Doleti tres exercitvs.] Hoc eſt exemplum illud ſubiectionis in Rhetorum exedria celebre cum illo 2. Agrariæ §. 22. *Quis legem tulit? Rullus. Quis maiorem partem populi ſuffragiis priuauit? Rullus. Quis comitiis præfuit? Rullus. Quis tribus quas voluit vocauit, nullo cuſtode ſortitus? Quis decemuiros quos voluit renunciauit? Idem Rullus. Quem principem renunciauit? Rullum. Vix mehercule ſeruis hoc eum ſuis, non vobis omnium gentium dominis probaturum arbitrarer.* Ea eſt inter vtrumque exemplum diuerſitas, quòd ibi nudum Rulli nomen ſine adiecto ſubiicitur ad ſingulas interrogationes: hîc præter Antonij nomen etiam aliæ voces adduntur, vt apud Demoſthenem de falſa legatione: Οὗτοι δ' οὐ παρὰ τὰ γράμματα; οὐ τὸ μὲν ψήφισμα Ἀθηναίοις, καὶ τοῖς Ἀθηναίων συμμάχοις εἶναι κελεύει τὴν εἰρήνην, οὗτοι δὲ Φωκέας ἐκσπόνδους ἀπέφηναν. οὐ τὸ μὲν ψήφισμα τοὺς ἄρχοντας ὁρκοῦν τοὺς ἐν ταῖς πόλεσιν; οὗτοι δὲ οὓς ὁ Φίλιππος αὐτοῖς προσέπεμψε, τούτους ὥρκωσαν. οὐ τὸ μὲν ψήφισμα οὐδαμοῦ μόνοις ἐντυγχάνειν Φιλίππῳ; οὗτοι δὲ οὐδὲν ἐπαύσαντο ἰδίᾳ χρηματίζοντες. *Hi verò nónne præter ſcripta? Ecquid non decretum Athenienſibus eorúmque ſociis pacem eſſe iubet? hi verò Phocenſes extra fœdera poſuerunt. Nunquid decretum eſt vt magiſtratibus qui ſunt in vrbibus iuramentum exigatur? hi ab iis quos miſit Philippus exegerant. Ecquid decretum non prohibet ſolus cum Philippo loqui? hi non ceſſarunt priuatum cum Philippo deridere.* Vbi vox οὗτοι ſubiicitur ſingulis interrogationibus, ſed aliis & aliis vocibus annectitur. Paulo pòſt eſt & aliud exemplum, vbi non ſingulis, ſed alternis tantùm membris, hæ duæ voces οὐδὲ εἷς ſubduntur. Sed iam exemplum illud retulimus oratione pro Rabirio Poſtumo ad illa verba, *Quibus tabulis? quæ* &c.

Tres exercitvs.] Pugnà Pharſalicâ, vt auctor eſt ipſe Cæſar lib. 3. de bello ciuili: *Ex Pompeiano exercitu circiter millia quindecim cecidiſſe videbantur. Sed in deditionem venerunt amplius millia XXIV.* Appianus lib. 2. bellorum ciuiliũ: Οἱ μὲν ἐπαίροντές φασι δυσμυρίους ἀμφὶ πεντακισχιλίους. Ἀσίνιος δὲ Πολλίων ὑπὸ Καίσαρα τῆς μάχης ἐκείνης στρατηγῶν ἑξακισχιλίους ἀναγράφει νεκροὺς εὑρεθῆναι τῶν Πομπηΐου. *Qui rem exaggerant dicunt viginti quinque millia* Italici ſanguinis cecidiſſe. *Aſinius Pollio, qui in illa pugna ſub Cæſare legioni præfuit, ſcribit ſena millia Pompeianorum inuenta fuiſſe cæſa.* Vt cõcilientur inter ſe Cæſar & Pollio facilè crediderim Cæſarem omnium qui ceciderunt, tum

III. (margin, beside "Doleti tres exercitvs")

IV. (margin, beside "Tres exercitvs")

ex legionariis, tum ex auxiliariis iniſe rationem, Aſinium autem ſolorum ciuium meminiſſe, quod innuit Appianus.

Pugnâ Africanâ, vt ſcribit Oppius de bello Africo: *Omnes Scipionis milites, cùm fidem Cæſaris implorarent, inſpectante ipſo Cæſare, & à militibus deprecante, vti eis parcerent, ad vnum ſunt interfecti. Cæſar trinis caſtris potitus, occiſiſque hominum decem millibus, fugatiſque compluribus ſe recepit, quinquaginta militibus amiſſis, paucis ſauciis in caſtra.*

Pugna Hiſpanienſi, vt idem narrat, *Ceciderunt millia hominum circiter triginta, & ſi quid ampliùs, præterea Labienus, & Actius Varus, quib. occiſis vtriſque funus eſt factum. Itémque equites Romani partim ex vrbe, partim ex prouincia ad millia tria. noſtri deſiderati ad hominum mille, partim peditum, partim equitum: ſaucij ad quingentos.*

V. Vt Helena Troianis.] Plutarchus in Antonio: Κικέρων ἐν τοῖς Φιλιππικοῖς ἔγραψε, τοῦ μὲν Τρωϊκοῦ πολέμου τὴν Ἑλένην τοῦ, δ' ἐμφυλίου τὸν Ἀντώνιον ἀρχὴν γενέσθαι, περιφανῶς ψευδόμενος. *Cicero in Philippicis ſcripſit Helenam belli Troiani, ciuilis Antonium principium fuiſſe apertè mentiens.* Magnum crimen: ſed videamus quo tandem argumento Ciceronem conuincat aperti mendacij: ΟΥ γὰρ οὕτως εὐχερὴς ἦν, οὐδὲ ῥᾴδιος ὑπ' ὀργῆς ἐκπεσεῖν τῶν λογισμῶν Γάϊος Καῖσαρ, ὥστε εἰ μὴ ταῦτα πάλαι ἔγνωστο πράττειν, οὕτως ἂν ἐπὶ καιροῦ τὸν κατὰ τῆς πατρίδος ἐξενεγκεῖν πόλεμον, ὅτι φαύλως ἠμφιεσμένον εἶδεν Ἀντώνιον καὶ Κάσσιον ἐπὶ ζεύγους μισθίου πεφευγότας πρὸς αὐτόν. Ἀλλὰ ταῦτα πάλαι δεομένῳ προφάσεως, σχῆμα καὶ λόγον εὐπρεπῆ τοῦ πολέμου παρέσχεν. *Neque enim tam promptè & facilè C. Cæſar efferebatur iracundia, & à mentis ſtatu deiiciebatur, vt niſi hæc longè antè facere decreuiſſet, ex tempore bellum patriæ fuerit illaturus, quia malè veſtitos viderat Antonium & Caſſium vehiculo meritorio ad ſe fugientes, ſed, hæc ipſi iam pridem prætextum quærenti ſpecioſum belli colorem præbuerunt.* Verùm hoccine eſt manifeſti mendacij conuincere Ciceronem, an apertæ calumniæ ſeipſum alligare? Quis enim dixerit eam fuiſſe mentem M. Tullij, vt voluerit Iulium Cæſarem ſubitâ iracundiâ concitatum viſo Antonio patriæ bellum intuliſſe, & non potiùs hanc occaſionem, in quam ſimilémve iamdudum imminebat, auidè rapuiſſe, quam ſuo facto prætexeret? Quíd aliud indicant illa 42. *Tu, tu, inquam, M. Antoni, princeps C. Cæſari omnia perturbare cupienti anſam belli contra patriam inferendi dediſti*, &c. Atenim cauſſam belli dixit, cùm vel anſam, vel occaſionē, vel prætextum, vel colorem, vel aliud eiuſmodi dicere debuiſſet. Verùm quid opus iſto vocularum aucupio, quid his verborum tendiculis, quibus Oratorem quaſi mendacio conſtrictum irretias, vbi ſuam mentem ſatis expreſſit? Quid ſi reſpondeam, neque abſolutè dici Helenam belli Troiani cauſſam fuiſſe, neque ciuilis Antonium, ſed tātummodò alterum cum alterâ comparari, vt dicatur Antonius fuiſſe belli ciuilis cauſſa, quemadmodum fuerat Helena Troiani. At quàm multi Helenam belli illius cauſſam fuiſſe negant, aut ab Alexandro abductam, ſed eius idolum aiunt à Iunone ſuppoſitum fuiſſe, vt eo prætextu Græcos ad bellum excitaret, & Troiam euerteret. Plato in Phædro: Ἔστι δὲ τοῖς ἁμαρτάνουσι περὶ μυθολογίαν καθαρμὸς ἀρχαῖος· ὃν Ὅμηρος μὲν οὐκ ᾔσθετο, Στησίχορος δέ· τῶν γὰρ ὀμμάτων στερηθεὶς διὰ τὴν Ἑλένης κακηγορίαν, οὐκ ἠγνόησεν, ὥσπερ Ὅμηρος, ἀλλ' ἅτε μουσικὸς ὢν ἔγνω τὴν αἰτίαν, καὶ ποιεῖ εὐθύς. Οὐκ ἔστ' ἔτυμος ὁ λόγος οὗτος· οὐδ' ἔβας ἐν νηυσὶν εὐσέλμοις οὐδ' ἵκεο Πέργαμα Τροίας. ποιήσας δὲ πᾶσαν τὴν καλουμένην παλινῳδίαν παραχρῆμα ἀνέβλεψεν. *Iis qui fabulis texendis peccauerint, eſt quædam antiqua purgatio, quam Homerus non ſenſit, ſenſit Steſichorus. Cùm enim ob quædam in Helenam maledicta, oculis priuatus fuiſſet, non, vt Homerus, ignorauit, ſed tanquam muſicus agnouit cauſam cæcitatis, & continuò fecit hoc poëma. Non eſt id verum quod iactatur, neque naues adſcendiſti bene tranſtris inſtructas, neque iuiſti ad Pergama Troiæ. Cùm autem perfeciſſet palinodiam, quam vocant, continuò vidit.* De hac Palinodia etiā Iſocrates Helenæ encomio exeunte. Abduxit tamen Alexander Helenæ idolum. Idem Plato 9. de Repub. Ἆρ' οὖν οὐκ ἀνάγκη καὶ ἡδοναῖς ξυνεῖναι μεμιγμέναις λύπαις, εἰδώλοις τῆς ἀληθοῦς ἡδονῆς, καὶ ἐσκιαγραφημέναις, ὑπὸ τῆς παρ' ἀλλήλας θέσεως ἀποχραινομέναις. ὥστε σφοδροὺς ἑκατέρας φαίνεσθαι, καὶ ἔρωτας ἑαυτῶν λυττῶντας τοῖς ἄφροσιν ἐντίκτειν, καὶ περιμαχήτους εἶναι, ὥσπερ τὸ τῆς Ἑλένης εἴδωλον ὑπὸ τῶν ἐν Τροίᾳ Στησίχορός φησι γενέσθαι περιμάχητον ἀγνοίᾳ τοῦ ἀληθοῦς. *An non neceſſe eſt eos voluptates doloribus mixtas proſequi, quæ ſimulacra voluptatis veræ & vmbræ ſunt, vſque adeo inuicem dolore comparatione mutua inquinatæ, vt & voluptates & dolores ex ea comparatione vehementiores appareant, amoréſque ipſarum huiuſmodi voluptates rabidos inſipientibus pariant, inflaméntque ad pugnam. Quemadmodum Steſichorus Troianos inquit veræ ignaros Helenæ de imagine ipſius inuicem decertaſſe.* Quod apud Euripidem Helenæ prologo Helena ipſa ſic exponit: poſtquam Iudicium Paridis narrauit.

Helenæ Idolum à Paride raptum non ipſa Helena.

Ἥρα δὲ μεμφθεῖσ', οὕνεκ' οὐ νικᾷ θεάς,
Ἐξηνέμωσε τἄμ' Ἀλεξάνδρῳ λέχη.
Δίδωσι δ' οὐκ ἔμ', ἀλλ' ὁμοιώσασ' ἐμοὶ
Εἴδωλον ἔμπνουν, οὐρανοῦ ξυνθεῖσ' ἄπο,
Πριάμου τυράννου παιδί, καὶ δοκεῖ μ' ἔχειν,
Κενὴν δόκησιν, οὐκ ἔχων, &c.
Infenſa Iuno, quia Deas non vicerat,
Meos inanes facit Alexandro toros.
Deditque non me, at ſimile ſimulacrum mihi
Spirans, ſub altis nubibus fictum poli,
Priami Tyranni filio: is fruſtra putat
Habere me, quam non habet.-

Et in tragœdiæ progreſſu ipſum Helenæ idolum in auras euaneſcens ita loquitur:

-Ὦ ταλαίπωροι Φρύγες
Πάντες τ' Ἀχαιοί, δι' ἐμ' ἐπὶ Σκαμανδρίοις
Ἀκταῖσιν Ἥρας μηχαναῖς ἐθνήσκετε,
Δοκοῦντες Ἑλένην οὐκ ἔχοντ' ἔχειν Πάριν.
-O miſeri Phryges
Omnéſque Achiui, qui meâ cauſâ, dolo
Iunonis oppetiîſtis ad Xanthum necem.
Habere Paridem, quâ caruit, Helenam rati.

Adſtipulatur Herodotus libro 2. Helenam in Ægypto apud Proteum ſubſtitiſſe: nec alia fortaſſe mens Homeri fuit 3. Iliados Priamum Helenæ ita loquentem inducentis:

Οὔ τί μοι αἰτίη ἐσσί, θεοί νύ μοι αἴτιοί εἰσιν, &c.
Nec mihi tu belli cauſſa es, ſed numina Diuûm,
&c.

ARGVMENTVM.

Hactenus de interceſſione: nunc de reliquis Antonij geſtis in Tribunatu, & primo de damnatis quibuſdam in integrum ab eo reſtitutis.

XLV. RELIQVÆ partes Tribunatus principio ſimiles: omnia perfecit, quæ Senatus, ſalua Repub. ne fieri poſſent, perfecerat: cuius tamen ſcelus in ſcelere cognoſcite. Reſtituebat multos calamitoſos: in his patrui nulla mentio. Si Seuerus, cur non in omnes? ſi miſericors, cur non in ſuos? ſed omitto cæteros: Licinium Lenticulam de alea condemnatum colluſorem ſuum reſtituit: quaſi verò ludere cum condemnato non liceret: ſed vt quod in alea perdiderat, beneficio legis diſſolueret.

EXPLANATIO.

RELIQVÆ.] Tranſitio. quemadmodum Tribunatum ſuum à ſummo & nefario ſcelere fuerat auſpicatus, & interceſſione ſua cauſam præbuerat bello ciuili, ita ſceleratè & impiè reliquas magiſtratus ſui partes exegit. Hæc autem interceſſio facta fuerat Calendis Ianuariis, inierat Tribunatum plebis IV. Idus Decembris, ac proinde vnus tantùm & viginti dies ab inito magiſtratu ad illam interceſſionem effluxerant, vt ea actio meritò tribunitiarum actionum principium dicatur.

OMNIA PERFECIT.] Reſcidit res iudicatas, damnatos reſtituit, exules reuocauit, omnia denique iura turbauit, quæ tam firmè munierat Senatus, vt ſtante Republica labefactari non poſſent.

CVIVS TAMEN.] Scelus in ſcelere dicit, quia ſcelus quidem fuit reſtituere damnatos, & res iudicatas reſcindere, ſed hoc ſcelere poſito ſcelus aliud admiſit patruum ſuum C. Antonium qui damnatus erat, beneficio ſuæ legis excludens. vel enim nullum omninò reſtituere debuit, vel non debuit patruum ſuum excludere, cuius tamen nullam fecit mentionem.

MVLTOS CALAMITOSOS.] Grutterus: *Scriptus*, inquit, *Ferrarij vnus* DAMNOSOS, *quod placuit Guillelmio, & Plautus quidem ea voce vſus eſt in partem talem.* alij *damnatos.* Sed nihil muto. calamitas enim Ciceroni paſſim idem eſt atque damnatio.

PATRVI.] C. Antonij Collega Ciceronis in Conſulatu, qui accuſatus à M. Cœlio fuit, à Cicerone defenſus, à Iudicibus damnatus, quòd expilauiſſet Macedoniam.

SI SEVERVS.] Dilemma. vbi vtrumuis dicat Antonius, manifeſto ſcelere alligatur.

LICINIVM LENTICVLAM.] Ita vulgatæ paſſim editiones, quam lectionem etiam vno Palatino codici ſtabiliri fatetur Ianus Grutterus, mauult tamen cum altero Palatino & Mauritiano legere, LECINIVM DENTICVLAM. Parum id quidem refert, ſed vel ideo quia parum refert, nihil nouemus, cùm præſertim vulgatam confirmet Dionis auctoritas l. 45. vbi *Lenticulus* nominatur.

QVASI VERÒ.] Et hîc variæ ſunt lectiones eorum, opinor, ſtudio, qui critica quadam prurigine proritati ſibi tum demũ placent, cùm aliquam in veteres auctores nouitatem induxerint. Lambinus legit nimis fortaſſe de ſuo liberalis, *colluſorem ſuum reſtituit, non vt luderet cum reſtituto, quaſi verò ludere cum condemnato non liceret, ſed vt*, &c Bono ſenſu, fateor, ſed cùm etiam ſine his verbis ſtet ſententia, quid opus fuit veteri receptæque lectioni, coniecturas nouas intexere? Legunt Scottus & Muretus: *Non quaſi luderet cum condemnato.* Neutrum habeo præ manibus, nec dicere poſſim quibus rationibus inducti reſpuerint veterem lectionem: niſi quia fortaſſe rati ſunt Lenticulam Antonia lege ab exilio fuiſſe reuocatum. Quod etſi Dio dicere videatur, magis tamen placet expoſitio P. Manutij. *Reſtituit*, inquit, an vt cum eo ludere poſſet? quaſi verò ludere cum condemnato non liceret? quid enim impediret? nam Denticulæ, quamquam lege non reſtituto, in vrbe tamen licebat, eſſe, Tribuno plebis Antonio.

SED VT.] Inſinuat Antonium fuiſſe pecuniis inductum ad ferendam legem de reſtitutione Lẽticulæ, vt videlicet *huius legis beneficio*, id eſt, pecuniis ob hanc legem ferendam acceptis, æs alienum diſſolueret Antonius, quod ipſe contraxerat, vt pecuniis mutuatitiis alea luderet, totumque illud mutuum ludendo perdiderat.

NOTÆ.

CALAMITOSOS.] condemnatos. pro Sylla 88. *Domus erit, credo, exornata, aperientur maiorum imagines, ipſe ornatum ac veſtitum recuperabit. Omnia, Iudices, hæc amiſſa ſunt: omnia generis, nominis, honoris inſignia atque ornamenta vnius iudicij calamitate occiderunt.* & 91. *Quid enim erat mali quod huic ſpoliato honore, fama, fortunis deeſſe videretur? aut cui noua calamitati locus vllius relictus eſſet? Vrget eadem fortuna, quæ cœpit: reperit nouum mœrorem: non patitur hominem calamitoſum vno modo afflictum, vno in luctu perire.* Fuerat autem Sylla damnatus ambitûs cum Antronio. I.

PATRVI.] De iudicio & damnatione C. Antonij frequenter aliàs. vt in Vatinium 27. *Expectariſne dum C. Antonius reus factus eſſet: vt homo conſularis excluſus, miſer, puncto temporis ſpoliaretur beneficio & æquitate legis tuæ?* Pro M. Cœlio 74. *Accuſauit C. Antonium collegam meum, cui miſero præclari in Remp. beneficij memoria nihil profuit, nocuit opinio maleficij cogitati.* Qui in exiliúmne fuerit eiectus, an tantùm æſtimatâ lite ob expilatam prouinciam mulctatus, & ab honoribus & II.

bus & Reipub. adminiſtratione ſubmotus, poſſit non immeritò dubitari. Exulaſſe ſignificant illa verba Vatinianæ. 18. *At nunc quidem C. Antonius hac vna re miſeriam ſuam conſolatur, qui imagines patris & fratris ſui, fratriſque filiam non in familia, ſed in carcere collocatas audire maluit, quàm videre.* Contrà videri poſſit non exulaſſe verbis illis infrà §. 83. *Frequentiſſimo Senatu, ſedente patruo, hanc tibi eſſe cum Dolabella odij cauſam auſus es dicere, quòd ab eo ſorori & vxori tuæ ſtuprum oblatum eſſe comperiſſes.*

III. Licinivm Lenticvlam.] Tullius apud Dionem lib. 45. oratione contra Antonium: Τίς γὰρ οὐκ οἶδε ταῦτα ὅτι πολλοὺς φεύγοντας, καὶ ἐπὶ τοῦ Καίσαρος, καὶ μετὰ ταῦτα ἐκ τῶν γραμμάτων δὴ τῶν ἐκείνου ἀγαγὼν, οὐκ ἐπεκούρησε τῷ θείῳ· ἀλλὰ τὸν μὲν συγκυβευτὴν τὸν Λεντίκουλον, τὸν ἐπὶ τῇ τοῦ βίου ῥᾳδιουργίᾳ φυγόντα ἐπανήγαγε. *Id verò neminem latet, quòd cùm multos in exilium miſſos non Cæſare modò ſuperſtite, ſed defuncto etiam, ex libellis ſcilicet eius, in vrbem reduxerit, patruo ſuo non ſubuenerit, ſed Lenticulum, quicum alea ludere ſolebat, propter vitæ nequitiam patria exterminatum reſtituerit.* Duo ſunt, quibus vſquequaque non aſſentior. Alterum Lenticulam patria exterminatum fuiſſe, alterum eundem ex Cæſaris commentariis, poſt eius mortem ab exilio rediiſſe: quibus duobus vides Oratorem apertè refragari.

De alea.] Non eſt animus fuſiùs hoc loco de alea tractare, teſſeras à talis diſtinguere, oſtendere quid ſit iactus Veneris, quid in eo ludo Hercules, quid ſenio, canis, aſella, vulturius, quid tabula, pyrgus, fimus, fritillus. Vide Ouidium (ſi tamen videre expedit) lib 3. de arte, lib. 2. triſtium eleg. ad Auguſtum. Vide interpretes Perſij an Sat. 3. IV.

— Quid dexter ſenio ferret
Scire erat in votis: damnoſa canicula quantum
Raderet, anguſtæ collo non fallier orcæ.

Idem Horatij, Iuuenalis, Martialis, & aliorum Poëtarum interpretes. Et quatuor Societatis noſtræ viros ſanè eruditos, Biſciolam parte poſteriore horarum ſucceſiuarum, Raderum in Martialem. Delrio in Senecam, Iulium Cæſarem Bulingerum. Ex aliis item recentioribus Thomam Dempſterum Paralipomenis in Roſinum, Alexandrum ab Alexandro, & Tiraquellum interpretem. E veteribus B. Cyprianum libro in aleatores, Ambroſium lib. in Tobiam, Athenæum eiúſque interpretem Caſaubonum lib. 1. quædam etiam apud Senecam ἀποκολοκυνθώσει, Pollucem libro 9. & alios paſſim.

ARGVMENTVM.

Reiectis aliis cauſis oſtendit Antonium ideo legem de reſtituendo Lenticula tuliſſe, quòd ipſe deditus eſſet aleæ, neque putaret vllum crimen eo ſtudio contineri.

QVAM tuliſti rationem populo Romano, cur eum reſtitui oporteret? abſentem, credò, in reos relatum, rem indicta cauſſa iudicatam: nullum fuiſſe de alea lege iudicium: vi oppreſſum, & armis. poſtremò, quod de patruo tuo dicebatur, pecunia iudicium eſſe corruptum? nihil horum. At vir bonus & Repub. dignus: nihil id quidem ad rem, ego tamen, quoniam condemnatum eſſe pro nihilo vis, ſi ita eſſet, ignoſcerem, hominem omnium nequiſſimum, qui non dubitaret vel in foro alea ludere, hunc lege quæ eſt de alea condemnatum qui in integrum reſtituit, is non apertiſſimè ſtudium ſuum ipſe profitetur? XLVI.

EXPLANATIO.

QVAM TVLISTI.] Cùm rogatio ferebatur ad populum de reſtituendis damnatis, ſubiici debebat ratio propter quam populus iudicium illud ſuo ſuffragio reſcinderet: nullam autem ſubiecit M. Antonius.

Absentem, credo.] Ironia, quâ omnes cauſas, quibus res iudicata reſcindi potuit, complectitur. 1. ſi abſens in reos referretur, nec daretur ei ſpatium veniêdi, ſéque defendendi: ſi temerè nec auditis partibus reus damnaretur, ſi quæſtio nulla lege eſſet conſtituta, ſi vi oppreſſus eſſet reus, ſi Iudices pecuniâ corrupti reum damnauiſſent, ſed cauſas eiuſmodi attulit ad reſtituendũ Lenticulã.

At vir bonvs.] Etiamſi eæ reſtituendi Lenticulæ cauſæ defuiſſent, potuit tamen quædam adumbrata ratio prætexi, nimirum vt reſtituendus diceretur, quia vir bonus erat, dignúſque qui incolumis in Repub. verſaretur.

Nihil id qvidem ad rem.] Hunc locum ſic explanat Manutius: *Quamuis bonus vir eſſet ac Repub. dignus, quid tamen refert? non enim ideo reſtituendus. nam res iudicatas reſcindi non oportet.* Maximum enim damnum naſceretur ex cõtemptu legum & iudiciorum, quàm vtilitas Reip. ex vnius viri boni incolumitate. *Veruntamen ſi ita eſſet, id eſt, ſi bonus ille vir eſſet, ac Republica dignus, ignoſcerem, reſtituendum cenſerem. quoniam, condemnatum eſſe pro nihilo eſt: quoniam crimen ipſum aleæ, quo damnatus eſt, leue ducitur.*

Hominem.] Lenticulam hominem flagitioſiſſimum, adeóque impudentem, vt cùm cæteri aleatores captent latebras, & in ganeum ſe abſtrudant, ipſe non dubitaret luce, palam, & in foro alea ludere, hunc qui reſtituit, iudiciúmque de eo factum reſcindit, ille manifeſtè ſe aleæ deditum eſſe profitetur.

NOTÆ.

ABSENTEM.] D. de pœnis l. 5. Vlpianus. *Abſentem in criminibus non debere D. Traianus Iulio Frontoni reſcripſit. Sed nec de ſuſpicionib. debere aliquem damnari D. Traianus Aſſiduo* I.

Seuero reſcripſit. Satius enim eſſe impunitum relinqui facinus nocentis, quàm innocentem damnari. Item D. de requirendis vel abſent. *D. Seueri & Antonini Magni reſcriptum eſt, ne quis abſens puniatur.* Papinianus lib. 6. D. de publicis. iudiciis: *Inter accuſatorem & reum cognitione ſuſcepta, excuſatio pro abſente iuſtis rationibus admittitur. nec per triduum per ſingulos dies ter citatus reus damnetur, nec de accuſatoris abſentis præſente reo calumnia pronuntietur.* Quod ad contumaces ſpectat Vlpianus l. citata de pœnis: *Aduerſus contumaces verò qui neque denuntiationibus, neque edictis præſidum obtemperaſſent, etiam abſentes pronuntiari oportet, ſecundum morem priuatorum iudiciorum.*

Abſens damnari non debet.

II. INDICTA CAVSA.] Notum illud Tragici poëtæ:

Inauditâ cauſsâ nemo damnandus.

Quicunque ſtatuit parte inauditâ alterâ
Æquum licet ſtatuerit, iniuſtus fuit.

Neque enim, vt ait Marcianus D. De requirendis vel abſent. damn. l. 1. *Inauditâ cauſsâ, quemquam damnari æquitatis ratio non patitur.* Feſtus apud Lucam actorum 25. v. 16. *Non eſt Romanis conſuetudo damnare aliquem hominem, priuſquam is qui accuſatur, præſentes habeat accuſatores, locúmque defendendi accipiat ad abluenda crimina.* Alioquin, vt inquit Iulianus apud Ammianum lib. 18. *Ecquis innocens erit, ſi accuſaſſe ſufficiat?*

III. NVLLVM FVISSE DE ALEA LEGE IVD.] Id ipſum inſinuare videtur Beatus ille Chryſoſtomus in priorem epiſtolam ad Corinthios, vbi περὶ τῶν ἔξωθεν νομοθετῶν *de gentilium legiſlatoribus* diſſerens, Τὸ κυβεύειν, inquit, πάλιν τῆς παρ' αὐτῶν τιμωρίας ἐστὶν ἐλεύθερον, καὶ οὐδεὶς ὑπὲρ τούτων δίκην ἔδωκέ ποτε παρ' ἐκείνοις. *Rurſus alea nullis apud eos ſuppliciis vindicatur, neque quiſquam hactenus ob res eiuſmodi apud eos pœna mulctatus eſt.* Hæc ille homilia 12. paulò pòſt tamen leges & veteres, & non paucas de alea referemus.

IV. VI OPPRESSVM ET ARMIS.] Eo prætextu videtur Cæſar reſtituiſſe non paucos, qui damnati fuerant tertio Pompeij conſulatu. Noſter lib. 10. ad Atticum epiſtola 4. data ad XV. Cal. Maij ſub id tempus quo Cæſar, pulſo Pompeio ex Italia victor ad vrbem acceſſit, ita confirmat ſibi dixiſſe Curionem. *In primis nihil eſſe certius, quàm vt omnes qui lege Pompeia condemnati eſſent, reſtituerentur, itáque ſe in Sicilia eorum operâ vſurum.*

Iudiciis vis non inferenda.

Quid autem cauſæ reſcindendis his iudiciis Cæſar prætexeret, ipſe declarat apud Lucanum lib. 1.

-Quis caſtra timenti
Neſcit miſta foro? gladij cùm triſtè minantes
Iudicium inſolitâ trepidum cinxere coronâ,
Atque auſo medias perrumpere milite leges,
Pompeiana reum clauſerunt ſigna Milonem:

Tradunt tamen Dio & Appianus vnum ex omnibus Milonem non eſſe reſtitutum.

V. PECVNIA IVDICIVM ESSE CORRVPTVM.] Auaritiam à iudicibus debere eſſe penitus alienã, cauendúmque imprimis eſſe ne in Iudiciis pecunia verſetur, multis oſtendimus in Piſonem §. 87. Hodiernæ tamen lucis feſtiuitas me admonet, ne quod ſubiungam, prætereundum eſſe videatur ex Ioanne Ionuillano hiſtoriâ S. Ludouici. Ludouicus Abbati Cluniacenſi à quo mannos honorarios duos, quorum ſinguli quingentis æſtimarentur libris, dono acceperat) aures patientiſſimas diutiſſimè commodauit. Acceſſit deinde Ionuillanus, rogauit Regem vt animi ſui ſenſum ſine fuco exponeret. ille promiſit. Tum Ionuillanus: Ecquid, inquit, ô Rex, heſterno munere delinitus Abbatem ſolito benigniùs audiſti? Ille rem, vt erat, ingenuè confeſſus eſt. Hic Ionuillanus: Vide ſis igitur, vt legem feras ne tui conſiliarij quicquam muneris admittant: eos enim diligentiùs & prolixiùs audient, à quibus plus acceperint: quod non Regis ſolùm, ſed etiam totius Senatus ſuffragio comprobatum.

Iudices pecunia non corrumpendi.

NIHIL ID QVIDEM AD REM.] Cur non ad rem, cauſſa redditur Verrinâ de ſuppliciis 13. VI. *Perditæ ciuitates, deſperatis omnibus rebus, hos ſolent exitus exitiales habere, vt damnati in integrum reſtituantur, vincti ſoluantur, exules reducantur, res iudicatæ reſcindantur. Quæ cùm accidunt, nemo eſt quin intelligat ruere illam Rempub. Hæc vbi eueniunt, nemo eſt qui vllam ſpem ſalutis reliquam eſſe arbitretur. Atque hæc ſicubi facta ſunt, facta ſunt, vt homines populares, aut nobiles ſupplicio & exilio leuarentur,* &c.

VEL IN FORO.] Latebras captabant cæteri. Ammianus lib. 14. VII. *Ex turba verò infimæ ſortis & pauperrimæ in tabernis aliqui pernoctant vinariis: nonnulli velabris vmbraculorum theatralium latent, quæ campanam imitatus Luſciuiam Catulus in ædilitate ſua ſuſpendit omnium primus: aut pugnanter aleis certant, turpi ſono fragoſis naribus introrſum reducto ſpiritu concrepantes.*

LEGE QVÆ EST DE ALEA.] Periplectomenes Plautinus actu 1. ſc. 3. legem talariam appellat milite glorioſo. VIII.

Niſi herclè deſiegeritis talos, poſthac quemque in tegulis
Videritis alienum, ego veſtra faciam latera lorea.
Mihi quidem iam arbitri vicini ſunt, meæ quid fiat domi, &c.
Atque adeò vt ne legi fraudem faciam talariæ,
Accuratote vt ſine talis domi agitent conuiuium.

Horatius 3. Carm. Ode 24.

-Neſcit equo rudis.
Hærere ingenuus puer,
Venaríque timet, ludere doctior
Seu Græco iubeas trocho:
Seu malis vetitâ legibus aleâ.

Ad quas veteres leges videntur Ouidij verba pertinere lib. 2. Triſtium, elegia ad Auguſtum:

Sunt aliis ſcriptæ, quibus alea luditur, artes:
Hoc eſt ad veſtros non leue crimen auos.

Eæ fuerunt Titia, Publicia, Cornelia firmatæ non ſolùm Prætoris edicto, ſed etiam S.C. quibus legibus non ſolùm aleâ ludere vetabatur, ſed etiam facere ſponſionem. Paulus D. de Aleatoribus. *Senatuſconſultum vetuit in pecuniam ludere, præter quàm ſi quis certet haſtâ, vel pilo iaciendo, vel currendo, ſaliendo, luctando, pugnando, quod virtutis cauſa fiat.* Proximè ſubditur verbis Marciani: *In quibus rebus ex lege Titia, & Publicia & Cornelia, etiam ſponſionem facere licet: ſed ex aliis, vbi pro virtute certamen non fit, non licet.* Vide C. de aleatoribus & alearum vſu. Idem etiam prohibetur iure canonic. 3. decretal. De vita & honeſtate clericorum. *Ad aleas & taxillos non ludant, nec eiuſmodi rebus interſint.*

Leges de alea.

Quibus autem pœnis eo ſcelere conuicti plecterentur, non conuenit inter auctores. Dio verbis non ita pridem laudatis putat Lenticulam exterminatum patriâ fuiſſe. Sed nec exulauit Lenticula, vt conſtat ex hoc ipſo loco Ciceronis: neque huius pœnæ tam grauis extat aliud veſtigium. Maiorem tamen aleæ quàm vel furti, vel plagij pœnam eſſe voluerunt. Aſconius in diuinationem: *Alij dicunt quadruplatores eſſe eorum reorum accuſatores, qui quadrupli damnari ſoleant, vt aleæ aut pecuniæ grauioribus vſuris fœneratæ, quàm pro conſuetudine, aut eiuſmodi aliorum criminum.* Cato initio libri de re ruſtica. *Maiores enim noſtri ſic habuerunt, & ita in legibus poſiuerunt, furem dupli condemnari, fœneratorem quadrupli: quantò peiorem exiſtimarunt fœneratorem quàm furem, hinc licet exiſtimari.*

Alias pœnas continet edictum Prætoris D. de aleatoribus. *Si quis eum apud quem alea luſum eſſe dicetur, verberauerit, damnúmve ei dederit, ſiue quid eo tempore dolo eius ſubtractum eſt, iudicium non dabo. In eum qui aleæ ludendæ cauſa vim intulerit, vti quæque res erit animaduertam.* Vbi tum alia exponit Vlpianus, tum illud addit: *Hæc clauſula pertinet ad animaduerſionem eius, qui compulit ludere, vt vel multa multetur, aut in latumias vel in vincula publica ducatur.*

Videntur etiam ipſo iure eſſe infames, quamuis nulla fiat eorum mentio D. de his qui notantur infamiâ. Innuit S. Ambroſius libro de Tobia cap. 11. *Habet & alea ſuas leges, quas fori iura non ſoluant. Notatur (ſi credi poteſt) infamiâ qui putauerit eſſe retinendum, & infamium ſententia grauius, quàm cenſura iudicialis inurit opprobrium: quoniam qui apud Iudices damnantur, apud illos glorioſi ſunt; qui apud illos laudantur, apud Iudices criminoſi ſunt.* Certè nunc multis locis infamiæ cauſæ taxilli à Iudæis exiguntur, quos ſi non exhibuerint colaphus illis impingitur. Quantæ eſſet infamiæ ſi Iudæorum inſtar iuberemur cum galeris giluis incedere? Vix minor eſt infamia talorum. In Codice reſcriptum eſt Iuſtiniani de Aleat. *Prohibemus ne ſint equi lignei. & vt ſi quis ex hac occaſione vincatur, hoc ipſe recuperet, domibus eorum publicatis, vbi hæc reperiuntur*, &c. Quid autem ſint equi lignei, & quod aleæ genus eodem titulo explicatur. Quibuſdam autem ludis quos ibidem Iuſtinianus: μονόβολον, κυντανον κόντακα χωρὶς τῆς πόρπης, καὶ περιχύτην, καὶ ἱππικὴν ἄνευ τέχνης καὶ ἐπινοίας appellat, permittit exerceri. Subdit tamen: *Liceat quidem ditioribus ad ſingulas commiſſiones, ſeu ad ſingulos congreſſus aut vices, vnum aſſem, ſeu numiſma, ſeu ſolidum deponere & ludere, cæteris autem longè minori pecunia. Si plus luſum fuerit, neque repetitio detur, & ſolutum repetatur. Curent verò iſta præſides, decem librarum pœna impoſitâ ſi hanc legem contempſerint, vel contemni permiſerint.* Extat etiam Canon Apoſtolorum Decreti 1. parte diſtinct. 35. *Epiſcopus aut presbyter, aut diaconus aleæ atque ebrietati deſeruiens, aut deſinat, aut certè damnetur. Subdiaconus aut lector aut cantor ſimilia faciens, aut deſinat, aut communione priuetur. Similiter & laicus.* Sed hæc iam præter inſtitutum. Ad veteres leges redeamus.

Apud antiquos Saturnalibus alea permiſſa fuit: quò alluſit Tranquillus in Auguſto cap. 71. *Aleæ rumorem nullo modo expauit: luſitque ſimpliciter & palam, oblectamenti cauſa etiam ſenex: ac præter quam Decembri menſe aliis quoque feſtis, profeſtiſque diebus.* Martialis libri 4. epigr. 14.

Dum blandâ vagus aleâ December
Incertis ſonat hinc & hinc fritillis
Et ludit rota nequiore talo.

Lib. 11. epigr. 7.

Vnctis falciferi ſenis diebus
Regnator quibus imperat fritillus,
Verſu ludere non laborioſo
Permittis, puto, pileata Roma.

Lib. 14. epigr. 1.

Syntheſibus dum gaudet eques, dominúſque Senatus,
Dumque decent noſtrum pilea ſumpta Iouem.
Nec timet Ædilem moto ſpectare fritillo,
Cum videat gelidos iam prope verna lacus.

Nota, *Nec timet Ædilem.* quia Ædilis fuit in aleatores inquirere. idem Martialis libro 5. epigr. 126.

Iam triſtis nucibus puer relictis
Clamoſo reuocatur à magiſtro,
Et blando malè proditus fritillo
Arcanâ modò raptus è popinâ
Ædilem timet vdus aleator.
Saturnalia tranſiere tota.

Inde apud Senecam libro de vita beata cap. 7. ganeæ dicuntur *loca Ædilem metuentia.*

Sed age, cauſſas videamus cur effrenem aleatorum furorem tot legum, vt cum veteri poëta loquar, habenis conſtrinxerint: neque enim eſt quòd ſemper à me criticam expectes, ſcio quàm id præſtare non poſſim. Ad cauſſas igitur veniamus.

Beatus ille Franciſcus Borgia è Duce Gandienſi tertius Societatis noſtræ Præpoſitus Generalis dicebat in ludo quatuor rerum fieri iacturam, temporis, pecuniæ, deuotionis, frequenter etiam animæ & conſcientiæ. De iactura deuotionis antiqui ne cogitarunt quidem, dum aleam prohiberent, cæteris iacturis moueri potuerunt. Iacturæ ex alea.

De temporis iactura Naſo 2. triſtium el. ad Auguſtum, vbi de talis, teſſeris, aliíſque aleæ generibus diſſeruit.

Quique alij luſus (neque enim iam perſequar omnes) Iactura temporis.
Talia luduntur fumoſo menſe Decembri,
&c.

Et ſanè inuentam aleam ad tempus fallendum ſcribit Herodotus libro 1. referens ex narratione Lydorum: Ἐπὶ Ἄτυος τοῦ Μάνεω βασιλῆος σιτοδείην ἰσχυρὴν ἀνὰ τὴν Λυδίην πᾶσαν γενέσθαι, καὶ τοὺς Λυδοὺς τέως μὲν διάγειν λιπαρέοντας, μετὰ δὲ, ὡς οὐ παύεσθαι, ἄκεα δίζεσθαι. Ἄλλον δὲ ἄλλο ἐπιμηχανᾶσθαι αὐτῶν. Ἐξευρεθῆναι δὴ ὦν τότε καὶ τῶν κύβων, καὶ τῶν ἀστραγάλων, καὶ τῆς σφαίρης, καὶ ἄλλων πασέων παιγνιέων τὰ εἴδεα, πλὴν πεσσῶν. *Aty Manis filio regnante magnam totâ Lydiâ fuiſſe annonæ penuriam, & Lydos quidem precibus & ſupplicationibus vacantes aliquod tempus exegiſſe: deinde verò, cùm malum non ceſſaret, remedium quæſiſſe. Et alium aliud excogitaſſe. Tunc igitur inuentas eſſe, talorum, aſtragalorum, ſphæræ, aliorum ludorum formas, teſſeris exceptis.* Vertit Valla, nec

emendat Stephanus: Καὶ τοὺς Λυδοὺς τέως μὲν διάγειν λιπαρέοντας. *Et initio quidem Lydos vitam aſſiduis laboribus toleraſſe.* Sed perperam, ni fallor, quod relinquo iudicio lectoris eruditi. Pergit: Πρήσειν δ' ὧδε πρὸς τὸν λιμὸν ἐξευρόντας· τὴν μὲν ἑτέρην τῶν ἡμερέων παίζειν πᾶσαν, ἵνα δὴ μὴ ζητέοιεν σιτία· τὴν δὲ ἑτέρην σιτέεσθαι παυομένους τῶν παιγνιέων· τοιούτῳ τρόπῳ διάγειν ἐπ' ἔτεα δυῶν δέοντα εἴκοσι. *Cùm autem hæc inueniſſent, ita contra famem illis vſos fuiſſe. alternos dies ludo impendiſſe ne cibos requirerent; alternos ciborum ſumptioni cùm à ludis ceſſarent. & hoc pacto exegiſſe annos octodecim.* E quibus videas aleam temporis fallendi cauſâ inuentam, vnde & Socrates apud Xenophontem 3. memorabilium: Σχολὴν δὲ ποιοῦν τίς εἴη, τοιούτους μὲν τι τοὺς πλείστους ἔση εὑρίσκειν. Καὶ γὰρ τοὺς πεττεύοντας, καὶ τοὺς γελωτοποιοῦντας ποιεῖν τι. πάντας δὲ τούτους ἔφη σχολάζειν. *Conſiderans quid eſſet otium, multos aiebat ſe, qui aliquid facerent, inuenire. Nam aleatores & ridicularios aliquid agere dicebat, ſed eos omnes nihilò ſeciùs otiari.* Quæ quanta ſit iactura demonſtrat Seneca epiſt. 1. pulcherrimè. *Magna pars vitæ elabitur malè agentibus, maxima nihil agentibus, tota aliud agentibus. Quem mihi dabis qui aliquod pretium tempori ponat? qui diem æſtimet? qui intelligat ſe quotidiè mori?* Pomponius Mela libro 1. de ſitu orbis cap. 21. *Tabareni Chalybas attingunt, quibus in riſu luſúque ſummum bonum eſt.* Ita nobis ſæpè riſu, luſúque vita conſumitur, tempúſque fallimus ludendo, dum de nobis æternitatis iactatur alea.

Opum. Secundum aleæ damnum eſt opum iactura. Iuuenalis Sat. 1. *-Alea quando*
Hos animos? neque enim loculis comitantibus itur
Ad caſum tabulæ, poſita ſed luditur arcâ,
Prælia quanta illic diſſentatore videbis
Armigero?

Cyprianus de aleatoribus: *Aleæ tabulam dico, vbi poſſeſſionis amiſſio, & pecuniarum ingentium perditio.* Paulò pòſt: *O manus crudeles, & ad periculum ſui armatæ, quæ bona paterna & opes auorum ſudore quæſitas ignominioſo ſtudio dilapidant.* Item: *Alea eſt alueus mali & ſupplantatio amici, quæ nec lucrum confert, ſed totum conſumit. Hinc deinde pauperes fiunt. hinc opes ſuas perdunt. Hinc iam conſumptis omnib. reb. ſuis mutuis pecuniis ſe obruunt. hinc patrimonium ſine vlla fori calumnia amittunt. Qualis eſt lis, vt quos nemo perſequitur, ſeipſos per inuidiam perſequantur.* Ambroſius lib. de Tobia c. 11. *Videas reliquos* (aleatores) *ſubitò egentes, repente diuites, deinde nudos, ſingulis iactibus ſtatum mutantes. Verſatur enim eorum vita vt teſſera. Voluitur cenſus in tabula, fit ludus de periculo, & de ludo periculum. Quot propoſitiones, tot proſcriptiones. clamor plaudentium fletus deſpoliatorum, gemitus deplorantium.* Paulò pòſt: *Fertur Hunnorum populos omnibus bellum inferre nationibus, fœneratoribus tamen eſſe ſubiectos: & cùm ſine legibus viuant, aleæ ſolius legibus obedire, in procinctu ludere, teſſeras ſimul & arma portare, & plures ſuis quam hoſtilibus ictibus interire. In victoria ſuâ captiuos fieri, et ſpolia ſuorum perpeti, quæ pati ab hoſte non nouerint. Ideo nunquam belli ſtudia deponere, quòd victi aleæ ludo. cùm totius prædæ munus amiſerint, ludendi ſubſidia requirunt bellandi periculo. Frequenter autem tanto ardore rapiuntur, vt cùm ea, quæ ſola magni æſtimant, victus arma tradiderit, ad vnum aleæ iactum vitam ſuam poteſtati vel victoris, vel fœneratoris addicat. Denique conſtitit, quòd quidam eorum, & Imperatori Romano cognitus fide, pretium ſeruitutis, quam ſibi tali ſorte ſuperatus intulerat, ſuppliciis imperatæ mortis exoluerit.* Quod mihi reuocat in memoriam illud Taciti libro de moribus Germanorum: *Aleam, quod mirere, ſobrij inter ſeria exercent, tantâ lucrandi perdendíve cupiditate, vt nouiſſimo iactu, de libertate, & de corpore contendant. victus voluntariam ſeruitutem adit.* Hæc igitur altera cauſſa fuit aleæ prohibendæ. *Quidam enim ludentes, nec ludum ſcientes, ſed numeratione tantùm proprias ſubſtantias perdiderunt, die noctúque ludendo,* inquit Iuſtinianus C. de aleat.

Tertia cauſſa eſt vis ſcelerum, quæ ex alea promanant. Et vt omittam malum exemplum quod aliis exhibetur, vt ait Iuuenalis, Conſcientiæ.
Si damnoſa ſenem iuuat alea, ludit & infans
Bullatus, paruóque eadem mouet arma fritillo.

Hinc primò mala conſuetudo contrahitur, quæ deinde euelli non poteſt. Notum illud Horatij Sat. 7. lib. 2.
Scurra Volanerius, poſtquam illi iuſta chiragra
Contudit articulos, qui pro ſe tolleret, atque
Mitteret in pyrgum talos, mercede diurna
Conductum pauit.-

Et eam ob cauſam. ὁ Πλάτων, inquit Laërtius in eius vita, λέγεται θεασάμενός τινα κυβεύοντα αἰτιάσασθαι, τοῦ δ' εἰπόντος, ὡς ἐπὶ μικροῖς, ἀλλὰ τό γε ἔθος, εἶπεν, οὐ μικρόν. *Cùm quemdam vidiſſet alea ludentem, eum obiurgaſſe fertur, cui dicenti ſe in modicam pecuniam ludere. Atqui, inquit, non eſt modica conſuetudo.* Deinde, vt ait Ouidius, omnia ſcelera oriuntur, è quibus ipſius animæ iactura.
Ira ſubit deforme malum, lucríque cupido,
Iurgiáque & rixæ ſollicitúſque dolor.
Crimina dicuntur: reſonat clamoribus æther,
Inuocat iratos & ſibi quiſque Deos.

Sed audiamus Cyprianum de aleatoribus: *Hoſtis ille antiquus circuit pulſans Dei ſeruos, non vno genere tentans, multæ ſunt enim tentationes eius,* &c. *Ex quibus eſt alea tabula, praſto eſt diaboli laqueus manifeſtus, venenum portans lethale ſerpentis,* &c. Item: *Aleatrices manus libidinoſo ſtudio conſueuerunt, quod eſt diaboli venabulum, & delicti vulnus inſanabile. Aleæ tabulam dico, vbi diabolus præſto eſt,* &c. Iterum: *Aleæ tabulam dico, vbi dementia & furia, & venale periurium & colloquium ſerpentinum. Illic rabioſa amicitia, illic atrociſſimi ſceleris fraternitas diſcordans, illic conuicia & audacia ſæua, & mens inſana, & fera impatientia.* Caligula apud Dionem libro 59. κυβεύων δέ ποτε καὶ μαθὼν ὅτι οὐκ εἴη ἀργύριον ᾔτησέ τε τὰς τῶν Γαλατῶν ἀπογραφάς, καὶ ἐξ αὐτῶν τοὺς πλουσιωτάτους θανατωθῆναι κελεύσας, ἐπανῆλθέ τε πρὸς τοὺς συγκυβευτάς, καὶ ἔφη, ὅτι ὑμεῖς περὶ ὀλίγων δραχμῶν ἀγωνίζεσθε, ἐγὼ δὲ εἰς μυρίας καὶ πεντακισχιλίας μυριάδας ἤθροισα. Vertit Xylander: *Aleam quondam ludens, audítóque deeſſe pecuniam, Gallorum cenſus indices popoſcit, iuſſitque ex iis locupletiſſimis necari, ad colluſores reuerſus paucos ipſos ludere denarios inquit, as ſe iam nunc ad ſexies millies ſeſtertium coëgiſſe.* In vita S. Alberti Carmelitæ apud Surium 7. Auguſti. Aleator bona ſua ludendo amiſerat: duas Sanctorum imagines, alteram B. Virginis, alteram S. Alberti videns, in furorem conuerſus gladium eduxit: multas in Sanctos contumelias effudit,

quòd ludenti non affuiſſent, imagines gladio appetiit, magna vis ſanguinis ex ictu manauit, ipſe de cœlo tactus & in puluerem redactus eodem temporis & loci veſtigio.

IX. IN INTEGRVM RESTITVIT.] In priſtinum ſtatum perinde ac ſi nulla damnatio contigiſſet. pro Cluentio §. 98. *Qui cauſſam de ambitu dixerunt: qui accuſati ſunt ab iis, qui erant ipſi ambitus condemnati: quos ego non idcirco eſſe arbitror in integrum reſtitutos, quòd planum fecerint illos ob rem iudicandam pecuniam accepiſſe: ſed quod iudicibus probarint, quòd in eodem genere, in quo ipſi offendiſſent, alios reprehendiſſent, ſe ad præmia legis venire oportere.* Eodem ſenſu pro domo ſua 86. *Damnatíque comitiis centuriatis, cùm in exilium profugiſſent, rurſus ab eodem populo placato ſunt in ſuam priſtinum dignitatem reſtituti.* Neque verò ſolùm in damnatis, ſed etiam in quibuſuis rebus locum habet reſtitutio in integrum. pro Flacco 79. Prædia *à noſtris magiſtratibus in integrum reſtituta.* & procœmio actionum in Verrem §. 11. Siciliam *iſte per triennium ita vexauit ac perdidit, vt ea reſtitui in antiquum ſtatum nullo modo poßit.*

Reſtitutio in integrum.

AXIOMATA.

Reſtituendus in integrum qui abſens in reos relatus, & indicta cauſſa damnatus, aut vi & armis oppreſſus eſt.

Qui iuſtè damnatos ſine cauſſa in integrum reſtituit, is apertè ſtudium ſuum profitetur.

ARGVMENTVM.

Executurus reliqua geſta Tribunatûs Antonij, vtitur præmunitione, quòd nihil noui ſit dicturus, ſed in re omnium ſermonibus celebratiſſima verſetur.

IN eodem verò Tribunatu, cùm Cæſar in Hiſpaniam proficiſcens, huic conculcandam Italiam tradidiſſet, quæ fuit eius peragratio itinerum? luſtratio municipiorum? Scio me in rebus celebratiſſimis ſermone omnium verſari: eáque quæ dico, dicturúſque ſum, notiora omnibus eſſe, qui in Italia tum fuerunt, quàm mihi, qui non fui: notabo tamen ſingulas res, etſi nullo modo poterit oratio mea ſatisfacere veſtræ ſcientiæ. Etenim quod vnquam in terris tantum flagitium extitiſſe auditum eſt? tantam turpitudinem? tantum dedecus? XLVII.

EXPLANATIO.

IN EODEM.] Cæſar cùm initio belli ciuilis ſexageſimo die, vt narrat Plutarchus, ſine ſanguine, tota Italia potitus eſſet, Pompeium & Conſules *fruſtra per omnes moras, exitu prohibere conatus* (verba ſunt Suetonij cap. 34.) *Romam iter conuertit, appellatíſque de Repub. Patribus, validißimas Pompeij copias, quæ ſub tribus legatis M. Petreio, & Luc. Afranio, & M. Varrone in Hiſpania erant, inuaſit, profeſſus ante inter ſuos, ire ſe ad exercitum ſine duce, & inde reuerſurum ad ducem ſine exercitu.* Quo tempore, ne Pompeius rediens Italiam occuparet, Antonium exercitui & Italiæ præfecit: Noſter autem inuidioſè, traditam ait Italiam conculcandam, id eſt, vexandam & expilandam.

QVÆ FVIT.] Quo faſtu, qua ſuperbiâ, quibus etiam nequitiis Italiam peragrauit, & omnia municipia obiuit?

SCIO ME.] Præmunitio, quòd de re omnibus comperta orationem ſit habiturus.

MIHI QVI NON FVI.] Aliquanto tempore ſubſtitit in Italia Cicero, poſtquam Cæſar in Hiſpaniam profectus eſt, vt conſtat ex litteris Cæſaris ad Ciceronem XV. Cal. Maij ex itinere datis, quibus eum rogat, vt ab omni contentione abſit, nec nauiget ad Pompeium. Habentur libro decimo ad Atticum epiſt. 8. Subſtitit autem in Italia vſque ad æquinoctium. Eodem lib. epiſt. 18. *Nunc quidem æquinoctium nos moratur: quod valdè perturbatum erat, id ſcilicet cras erit.* Datæ ſunt hæ litteræ XVII. Calendas Iunij. imò epiſtola ſequenti ſcribit Tulliam ſuam peperiſſe XIV. Calendas Iunij, quo tempore adhuc in Italia morabatur. E quibus videas eum in Italia fuiſſe quadraginta penè dies poſtquam Cæſar Italiam conculcandam Antonio tradidiſſet.

NOTABO.] Significabo potiùs, & obiter attingam, quàm explanabo.

ETENIM.] Reddit rationem cur Antonij flagitia nemini ſint ignota, propter magnitudinem videlicet, quia res tam ſingularis non poteſt, non omnium ſermone celebrari.

NOTÆ.

I. IN EODEM VERÒ.] Plutarchus in Antonio: Λεπίδῳ μὲν στρατηγοῦντι τὴν Ῥώμην, Ἀντωνίῳ δὲ δημαρχοῦντι τὰ στρατεύματα καὶ τὴν Ἰταλίαν ἐπέτρεψεν. *Lepido quidem Prætori Romam, Antonio verò Tribuno plebis exercitus Italiámque commiſit.*

II. CONCVLCANDAM.] Vexandam & quaſi pedibus proterendam. vt pro Flacco 53. *Proterendum eſſe & conculcandum putauerunt.* & libro 8. ad Atticum epiſtola 11. *Conculcari, inquam, miſeram Italiam videbis, proxima æſtate ab, vtriuſque mancipiis ex omni genere collectis.*

Conculcare.

III. LVSTRATIO.] Luſtrare eſt obire & peragrare. 5. de finibus §. 87. *Cur ipſe Pythagoras & Ægyptum luſtrauit, & Perſarum magos adiit? cur tantas regiones barbarorum pedibus obiit? tot maria tranſmiſit?* Et libro 4. Tuſcul. quæſtione §. 43. *Vltimas terras luſtraſſe Pythagoram, Democritum, Platonem accepimus.* Et alibi frequenter: nec infrequentiùs Maro, vt 4. Georg.

Luſtrare.

Aruáque Riphæis nunquam viduata pruinis
Luſtrabat.

3. Æneidos:

Ante & Trinacria lentandus remus in vnda
Et ſalis Auſonij luſtrandum nauibus æquor.

Quamuis hoc verbum non ſolùm obire, circumire, & peragrare ſignificat, ſed etiam obeundo & peragrando inſpicere ſignificat: vt Antonius non ſolùm peragrauit Italiam, ſed etiam inſpexit, & prouidit, vt eſſet in Cæſaris poteſtate. 1. Æneidos:

-Et Libyæ luſtrare extrema iubebo.

6. *-hic tota paßim regione vagantur*
Æris in campis latis, atque omnia luſtrant.

7. *Ecce furens animis aderat Tirynthius, omnémque*
Acceſſum luſtrans, huc ora ferebat & illuc
Dentibus infrendens. Ter totum feruidus ira
Luſtrat Auentini montem.-

Lib. 9.

Luſtrat equo muros, aditúmque per auia quærit.

Lib. 12.

-Solum denſa in caligine Turnum
Veſtigat luſtrans, ſolum in certamina poſcit.

MVNICIPIORVM.] Vide dicta pro Sextio §. 97. num. 5. pro Cœlio §. 4. num. 1. in Piſonem §. 51. num. 2. IV.

CELEBRATISSIMIS.] Non laudatiſſimis, ſed frequentatis hominum ſermone. de qua celebrandi notione vide Sextianam §. 131. n. 9. Cœlianam §. 34. n. 18. V.

FLAGITIVM.] Vide Milonianam §. 14. *Nihil enim neceſſe eſt omnium flagitia proferre.* IV.

ARGVMENTVM.

Deſcribit luſtrationem Italiæ, & flagitia, quorum veſtigiis omnia municipia, præfecturas, colonias, totam denique Italiam Antonius impreßit.

XLVIII. VEHEBATVR in eſſedo Trib. pleb. lictores laureati antecedebant, inter quos apertâ lecticâ mima portabatur, quam ex oppidis municipales homines honeſti obuiàm neceſſariò prodeuntes, non verò illo & mimico nomine, ſed Volumniam conſalutabant. ſequebatur rheda cum lenonibus, comites nequiſſimi: reiecta mater amicam impuri filij tanquam nurum ſequebatur. O miſeræ mulieris fœcunditatem calamitoſam! Horum flagitiorum iſte veſtigiis omnia municipia, præfecturas, colonias, totam denique Italiam impreſſit.

EXPLANATIO.

VEHEBATVR.] Aduerte vim ſingulorum verborum, quibus luſtrationem Italiæ eiúſque turpitudinem exaggerat. *Vehebatur* muliebri mollitie. *In eſſedo,* quod genus eſt barbarici vehiculi, & à moribus Romanis alieni. *Tribunuſ plebis,* qui pedibus deberet incedere, vt ſe magis popularem & conuentu facilem exhiberet. *Lictores antecedebant,* quos habere Tribuno plebis ius non fuit, *laureati* ob expulſos Conſules & Cn. Pompeium. *Inter quos* lictores Citheris *mima portabatur,* quod eſt indigniſſimum meretriculam ornare his magiſtratûs inſignibus, & *apertâ lecticâ portabatur,* ad maiorem impudentiam. Cætera etiam ſuam emphaſim habent, vt quod eam ſalutarent municipales homines honeſti, quod non ſpontè, ſed neceſſariò illi obuiam procederent.

NON VERÒ.] Illam mimam conſalutabant non nomine Citheridis, quod erat verum illius mimæ nomen, ſed appellabant Volumniam, vt non mima & meretricula, ſed nobilis matrona è nobili & patritia gente Volumnia eſſe crederetur.

SEQVEBATVR RHEDA CVM LENONIBVS.] Ita Ferrarius, Vrſinus, alij paſſim, & hanc lectionem Grutterus Palatinorum auctoritate confirmat. Quidam legunt, *Sequebantur rhedam cum lenonibus comites nequißimi.* Victorius: *Sequebatur rheda cum leonibus,* quod non diſplicet. Antonius enim, vt præter Ciceronem ſcribunt Plutarchus & Plinius vehiculis leones iunxit, & ſi quod ad tempus attinet, nonnihil à Cicerone diſſentiant.

REIECTA MATER.] In extremum compulſa Iulia lectiſſima fœmina, mater Antonij. Fuluius Vrſinus in veteri codice repertum ait, *Rhedicula,* alij emendant *lectica,* ſed ex nulla meliorem ſenſum elicere poſſis, quàm ex communi lectione. Sequitur enim *amicam impuri filij,* id eſt, Citheridem amicam Antonij ſequebatur, quæ verba oſtendunt eum in extremo comitatu fuiſſe.

O MISERÆ.] Graui exclamatione Iuliæ matris miſeriam deplorat, quæ nunquam eò veniſſet indignitatis, niſi Antonium peperiſſet.

HIS ILLE.] Epiphonemate narrationem concludit. Horum, inquit, flagitiorum in omnibus coloniis, municipiis, præfecturis, totâ denique Italiâ reliquit impreſſa veſtigia. Aduerte nouam dicendi rationem, *veſtigiis Italiam impreßit.* quam vſurpaſſe videtur, vt in gratum illum & abſonum vocalis hiantis concurſum vitaret.

NOTÆ.

VEHEBATVR ESSEDO.] Varia fuerunt vehiculorũ genera: ea nunc obiter ſignabo, quæ venient in mẽtem, currus, carri, carrucæ, ciſia, carpenta, pilenta, rhedæ, lecticæ, liburni, plauſtra, ſarraca, eſſeda, bigæ, quadrigæ, harmamaxæ, tenſæ. I.

Curſus, vt 12. Æneidos:

-Ingenti mole Latinus Currus.
Quadriiugo vehitur curru.-

Carra, inquit Nonius Marcellus, neutri generis eſſe cõſuetudine perſuaſum eſt. Maſc. Siſenna hiſtoriarum lib. 4. *Impedimenta conlocant omnia, conſtruunt carros, & ſarraca crebra diſponunt:* Varro: *Gallica porta carros adiurat vſque politos.* Carra.

Carruces. Carruca. Tranquillus in Nerone cap. 30. *Nunquam carrucis minùs mille iter feciſſe traditur, ſoleis mularum argenteis, canuſinatis mulionibus, armillata & phalerata cum hamaxicorum turba atque curſorum.*

Ciſium. *Ciſium vehiculi biroti genus*, inquit Nonius, de quo infrà. *Inde ciſio celeriter ad vrbem adductus* Ploxemum. *domum venit.* vbi & de ploxemo pauca dicemus.

Carpentum. Carpentum videtur fuiſſe magiſtratuum vehiculum. Flauius Vopiſcus vita Aureliani: *Hilaribus quibus omnia feſta & fieri debere ſcimus, & dici, impletis ſolemnibus vehiculo ſuo me, & iudiciali carpento Præfectus vrbis accepit.* Fuit etiam vehiculum muliebre, lege Oppia fœminis interdictũ, de qua lege Liuius lib. 34. *Tulerat eam C. Oppius Tribunus plebis*, &c. *ne qua mulier plus ſemunciâ auri haberet: neu veſtimento verſicolori vteretur, neu iuncto vehiculo in vrbe oppidóve, aut propiùs inde mille paſſus, niſi ſacrorum publicorum cauſſa veheretur.* Vbi Porcius Cato legis abrogationem diſſuadens. *Quid honeſtum dictu*, inquit, *ſaltem ſeditioni prætenditur muliebri? vt auro & purpura fulgeamus, inquiunt; vt carpentis feſtis profeſtíſque diebus, velut triumphantes de lege victa & abrogata, & captis, & ereptis ſuffragiis veſtris per vrbem vertemur.*

Plauſtrum. Plauſtra, Sarraca, harmamaxæ fuerunt vehicula ruſticana. de plauſtris Virgilius 1. Georg.

Tardáque Eleuſinæ matris voluentia plauſtra.

11. Æneidos:

Nec plauſtris ceſſant vectare gementibus ornos.

Ploſtellum. Hinc ploſtella apud Horatium lib. 2. ſat.

Ædificare caſas, ploſtello adiungere mures,
Ludere par impar, equitare in arundine longa,
Si quem delectet barbatum amentia vexet.

Eſt etiam Plauto vehiculum muliebre. Arcera lege XII. tabularum apud Gellium lib. 20. cap. 1. Noct. Attic. cap. 1. *Si morbus æuitáſque vitium eſſet, qui in ius vocabit, iumentum dato: ſi nolet,* Arcera. *arceram ne ſternito.* Addit Gellius: *Arcera autem vocabatur ploſtrum tectum vndique & munitum*, &c. De ſarraco Iuuenalis ſat. 3.

-modò longa coruſcat
Sarracum. *Sarraco veniente abies, atque altera pinum*
Plauſtra vehunt, nutant altè, populóq; minantur.

alibi: *-cùm ſe*
Frigida circumagunt tardi ſarraca Bootæ.

Couinus. *Couinus* κάῤῥιον καθιδρωτον, inquit Gloſſarium. fuit autem Britannorum vehiculum, vt quidam volunt, ſed veriùs Belgarum. Lucanus lib. 1.

Et docilis rector monſtrati Belga couini.

Harmamaxa. De harmamaxa Plautus: ſed omitto, quòd ſit Vehes. planè Græcum. Vehem etiam fœni appellat Plinius lib. 36. cap. 15. agens de cloacis à Tarquinio Priſco extructis. *Amplitudinem cauis eam feciſſe proditur, vt vehem fœni largè onuſtam tranſmitteret.*

Traha. Traham etiam appellat Maro in Georgicis, ſed vix eſt cùm eam inter vehicula cenſeamus.

Bigæ. Quadrigæ. Bigæ & quadrigæ à numero equorum nomen habuerunt, in quibus non eſt morandum.

Pilentum. Alia fuerunt ſacra vehicula, vt pilentum & tenſa. De pilento Feſtus Pompeius: *Pilentis & carpentis per vrbem vehi matronis conceſſum eſt, quòd cùm aurum non reperiretur, ex voto quod Camillus vouerat Apollini Delphico contulerunt.* Dixi ſacra 8. Æneidos:

-caſtæ ducebant ſacra per vrbem
Pilentis matres in mollibus.-

De tenſa idem Feſtus: *Tenſam ait vocari Sinnius Capito vehiculum, quo exuuiæ Deorum ludicris Circenſibus in Circum ad puluinar vehuntur. fuit & ex ebore, vt apud Titinnium in Barbato, & ex argento.* Sed de tenſis, ſiue thenſis, vide noſtrum Martinum de Roa, virum eruditum lib. 6. ſingularium cap. 2. Tenſa, ſiue thenſa.

Arcuma, inquit Paulus ex Feſto, *genus plauſtri eſt modici, quo homo geſtari poſſit.* Arcuma.

Hoc loco eſſedi, rhedæ, lecticæ meminit Orator. De lectica, ſella, hexaphoro, octaphoro, liburno, nihil hîc dicam, quòd eruditus Lipſius lib. 1. Electorum cap. 19. rem & diligenter & eruditè tractauerit. Rheda Gallicum eſt vocabulum, & fortaſſe Gallicum vehiculum. Fabius lib. 1. cap. 9. Lectica. Sella. Hexaphorus. Octaphorus.

Plurima Gallica valuerunt, vt rheda ac petorritum: quorum altero Cicero tamen, altero Horatius vtitur. lib. 1. ſatyr. 6. Rheda.

-plures calones, atque caballi
Paſcendi ducenda petorrita.- Petorritum.

Porrò rhedæ nomen ante Ciceronem non temerè reperias. Varro tamen frequenter vſurpat, vt epiſtola quadam ad Varronem à Nonio laudatâ. *Quòd ſi tuam heri rhedam non habuiſſem, varices haberem, & in Marcipore. Dixe Regi Medeam auertam per aëra in rheda anguibus.* Hinc epirhedium. Fabius lib. 1. cap. 9. nomen è duabus vocibus compoſitum agnoſcit. *Nam cùm ſit propoſitio* ἐπὶ *Græca, Rheda Gallicum: nec Græcus tamen, nec Gallus vtitur compoſito: Romani ſuum ex alieno vtroque fecerunt.*

Eſſedum etiam fuit vehiculi genus Romanis incognitum, vt reor, antequam Cæſar in Britanniam nauigaret. Cæſar lib. 4. de bello Gallico. *At Barbari conſilio Romanorum cognito, præmiſſo equitatu & eſſedariis (quo plerumque genere in prælius vti conſueuerant) reliquis copiis ſubſecuti noſtros nauibus egredi prohibebant.* Item: *Genus hoc eſt ex eſſedis pugnæ: primò per omnes partes perequitant, & tela coniiciunt, atque ipſo terrore equorum, & ſtrepitu rotarum ordines plerumque perturbant: & cùm ſe inter equitum turmas inſinuauerint, ex eſſedis deſiliunt, & pedites præliantur. Aurigæ interim paulatim è prælio excedunt, atque ita currus collocant, vt ſi illi à multitudine hoſtium premantur, expeditum ad ſuos receptum habeant. Ita mobilitatem equitum, ſtabilitatem peditum in præliis præſtant: ac tantùm vſu quotidiano & exercitatione efficiunt, vt in decliui ac præcipiti loco incitatos equos ſuſtinere, & breui moderari & flectere, & per temonem percurrere, & in iugo inſiſtere, & inde ſe in currus citiſſimè recipere conſueuerint. Quibus rebus perturbatis noſtris nouitate pugnæ, tempore opportuniſſimo Cæſar auxilium tulit.* Atque propter hanc nouitatem ſæpè iocatur epiſtolis ad Trebatium libro 7. ad familiares. vt epiſt. 6. *Tu qui cæteris cauere didiciſti in Britannia, ne ab eſſedariis decipiaris, caueto.* 7. *In Britannia nihil eſſe audio, neque auri, neque argenti. Id ſi ita eſt, eſſedum aliquod ſuadeo rapias, & ad nos quamprimùm recurras.* Epiſt. 10. *Sed tu in re militari multo es cautior quàm aduocationibus, qui neque in Oceano natare volueris ſtudioſiſſimus homo natandi, neque ſpectare eſſedarios, quem anteà ne andabatam quidem fraudare poteramus.* Atque hæc quanquam Britannorum propria Eſſedum.

fuerunt, à vicinis etiam nationibus ſunt vſurpata. Maro 3. Georg.

Belgica vel molli melius feret eſſeda collo.

Claudianus Epigrammate de mulabus Gallicis.

Eſſeda concordes multicolora trahant.

Liuius libro 10. de Gallis etiam loquens: *Eſſedis carriſque ſuperſtans armatus hoſtis ingenti ſonitu equorum rotarúmque aduenit.* Sed, vt iam dixi, non videtur cognitus eſſedorum vſus populo Romano antequàm Cæſar Gallias obtinuit prouincias. Meritò igitur eſſedum obiectat Orator, quaſi rem nouam & inſolentem: neque hoc ſolùm loco, ſed etiam lib. 6. ad Atticum ep. 1. *Putat enim ſuos nummos vos comediſſe, Cæſarem in Marathone readificando diligentiorem fore, hoc ego ex P. Vedio magno nebulone, ſed Pompeij tamen familiari audiui. Hic Vedius venit mihi obuiam cum duobus eſſedis, & rhedâ equis iunctâ, & lecticâ & familia magna. Pro qua ſi Curio legem pertulerit, HS. centena pendat neceſſe eſt. Erat præterea cynocephalus in eſſedo, nec deerant onagri, nunquam vidi hominem nequiorem.* Hæc autem facta ſunt vno anno antequam Italiam luſtraret Antonius. Certè poſteà citra notam, vt opinor, Mecœnatem iter facientem eſſedo vehi ſolitum, colligitur è Propertio lib. 2. eleg. 1.

Curtus falcati.

Seu te fortè meo ducet via proxima buſto,
Eſſeda cælatis ſiſte Britanna iugis.

Prætereò currus falcatos, quibus vtebantur Perſæ, quòd eorum vix extet in hiſtoria Romana veſtigium. Vide Curtium lib. 4. de rebus geſtis Alexandri, & alios qui de illo ſcripſerunt. Item Xenophontem de Cyri minoris expeditione. Aliud vehiculi genus deſcribitur à Iulio Capitolino in Pertinace. Cùm auctio fieret rerum Commodi, haſtæ ſubiecta fuiſſe dicit, *Vehicula arte fabricâ nouâ, perplexis diuerſiſque rotarum orbibus, & exquiſitis ſedilibus, nunc ad ſolem declinandum, nunc ad ſpiritûs opportunitatem per vertiginem, & alia iter metientia horáſque monſtrantia.*

Vehicula iter metientia & horas monſtrantia.

II. TRIBVNVS PLEBIS.] Non temerè Tribunumplebis appellat: quãtùm enim coniectare licet, fas non fuit Tribunoplebis vti vehiculo quamdiu erat in magiſtratu, neque enim poterat longiùs ab vrbe diſcedere, aut extra pomœrium pernoctare; neque decebat vt magiſtratus plebeius ad infimi ordinis patrocinium inſtitutus, cultu corporis, aut inceſſu à plebeiis differret, aut vehiculo vteretur, ne difficilis ad eum eſſet acceſſus. Quam ob cauſſam περιπόρφυρον ὁ δήμαρχος οὐ φορεῖ. *Prætextam non geſtat Tribunusplebis*, vt ſcribit Plutarchus quæſt. Rom. probl. 81. Subdit: Οὐδὲ γὰρ ῥαβδούχους ἔχουσιν, οὐδ' ἐπὶ δίφρου καθήμενοι χρηματίζουσιν. *Neque enim aut lictores habent, aut in ſella curuli ſedentes ius dicunt.* Et aliquantò pòſt, quod magis facit ad præſens inſtitutum. Τῆς δὲ δημαρχίας τὴν γένεσιν ἐκ τοῦ δήμου λαμβανούσης, τὸ δημοτικὸν ἰσχυρόν ἐστι, καὶ μέγα τὸ μὴ μεῖζον φρονεῖν τῶν λοιπῶν, ἀλλ' ὁμοιοῦσθαι τῷ σχήματι, καὶ στολῇ, καὶ διαίτῃ τοῖς ἐπιτυγχάνουσι τῶν πολιτῶν. ὁ γὰρ ὄγκος ὑπάτῳ προσήκει, καὶ στρατηγῷ, τὸν δὲ δήμαρχον, ὡς Γάϊος Κουρίων ἔλεγε, καταπατεῖσθαι δεῖ, καὶ μὴ σεμνὸν εἶναι τῇ ὄψει, μηδὲ δυσπρόσοδον, μηδὲ τοῖς πολλοῖς χαλεπόν, ἀλλ' ὑπὲρ τῶν ἄλλων, τοῖς δὲ πολλοῖς εὐμεταχείριστον.

An Tribunusplebis equo vteretur.

Cùm autem Tribunatusplebis è plebe ſumpſerit originem, in eo vis eius eſt omnis vt ſit valdè popularis, eiúſque omnis amplitudo eſt, vt non maiores ſpiritus ſumat quàm cæteri, ſed & habitu corporis & veſte & viuendi ratione ſimilis ſit cuicunque ciuium. Nam pompa Conſuli conuenit & Prætori, at verò Tribunumplebis, vt aiebat C. Curio, conculcari oportet, neque ſpecie maieſtatem præferre, aut eſſe inacceſſum, & multitudini difficilem, ſed ita ſuper alios omnes eminere, vt tamen poßit facilè conueniri. Ὅθεν οὐδ' οἰκίας αὐτοῦ κλείεσθαι νενόμισται θύραν, ἀλλὰ καὶ νύκτωρ ἀνέῳγε, καὶ μεθ' ἡμέραν ὥσπερ λιμὴν καὶ καταφυγὴ τοῖς δεομένοις. ὅσῳ δὲ μᾶλλον ἐκταπεινοῦται τῷ σώματι, τοσούτῳ μᾶλλον αὔξεται τῇ δυνάμει. *Et eam ob rem neque illi domus ianuas claudere fas eſt, ſed diu noctuque aperit, tanquam portus & perfugium indigentibus. Quo magis autem externâ ſpecie corporis abiectus eſt, eo magis poteſtate attollitur.* Quare probabiliſſimum eſt eos, vt planiùs à quouis etiam plebeio adiri poſſent, vehicula ſpernauiſſe, vt ſe magis populares exhiberent.

Tribunusplebis habitu & inceſſu plebeius.

Quod de matronis quibuſdam queritur Tertullianus lib. de pallio cap. 4. *Sed nunc in ſemetipſas lenocinando, quò planiùs adeantur, & ſtolam, & ſupparum, & crepidulum, & calliendrum, ipſas quoque iam lecticas & ſellas, queis in publico quoque domeſticè ac ſecretè habebantur, eierauere.* Sed non vt Tribunumplebis ita quoque matronam in publico conuenit omnibus expoſitam eſſe & popularem.

Dictator equo non vtebatur.

Confirmari poteſt ex eo quòd etiam Dictatorem equo, aut vehiculo vti nefas fuit, vt quoniam ſummam rerum omnium poteſtatem obtineret, hac ſaltem vna re plebeius videretur. Plutarchus in Fabio: Ἀποδειχθεὶς δικτάτωρ Φάβιος, καὶ ἀποδείξας αὐτὸς ἵππαρχον Λεύκιον Μινούκιον, πρῶτον μὲν ᾐτήσατο τὴν σύγκλητον, ἵππῳ χρῆσθαι παρὰ τὰς στρατείας. οὐ γὰρ ἐξῆν, ἀλλ' ἀπηγόρευτο κατά δή τινα νόμον παλαιόν, εἴτε τῆς ἀλκῆς τὸ πλεῖστον ἐν τῷ πεζῷ τιθεμένων, &c. εἴθ' ὅτι τυραννικὸν εἰς ἅπαντα τ' ἄλλα, καὶ μέγα τὸ τῆς ἀρχῆς κράτος ἐστὶν, ἔν γε τούτῳ βουλομένων τὸν Δικτάτορα τοῦ δήμου φαίνεσθαι δεόμενον. *Dictator creatus, L. Minucium magiſtrum equitum ipſe elegit, & primò quidem petiit à Senatu, vt in expeditionibus equo vteretur. Non enim id licebat, ſed veteri quadam lege vetabatur, ſiue quòd præcipuum robur in peditibus collocarent, &c. ſiue quia, cùm in cæteris tyrannicus & abſolutus ſit magiſtratus, hac vna re ſaltem, voluerunt eum à plebe pendere.* Quod etiam de legatis tradit Spartianus in Seuero. *Ex quo factum eſt vt in vehiculo etiam legati ſederent, qui antè pedibus ambulabant.* vide. Flamini etiam Diali, ne facilè ab vrbe diſcederet equi vſus interdictus fuit. Plutarchus quæſtionibus Romanis, problemate 40. Τοῦ παρὰ Ῥωμαίοις ἱερέως ἴδιόν ἐστι τὸ μήτε ἵππῳ χρῆσθαι, μήτε πλείονας νύκτας ἀποδημεῖν τριῶν, &c. *Apud Romanos id ſacerdoti* (loquitur de Flamine Diali) *proprium eſt, vt neque Equo vtatur, neque vltra dies tres peregrinetur.* Feſtus etiam cauſſam addit. *Equo vehi Flamini Diali non licebat, ne ſi longiùs digrederetur, ſacra negligerentur.*

LICTORES LAVREATI.] Cæſar potitus III.

Tribunusplebis lictores non habebat.

Italia, iis, quos ſibi legauit, dedit lictores laureatos, non Antonio ſolùm, ſed etiam Curioni. Narrat enim Tullius epiſt. 4. lib. decimi ad Atticum, hoc ipſo tempore quo Cæſar proficiſcebatur in Hiſpaniam, C. Curionem in villam ad ſe diuertiſſe. *Quid iſti, inquam, tui faſces? ſi ab Senatu, cur laureati? ſi ab ipſo, cur ſex? Cupiui, inquit, ex S. C. ſurrepto: nam aliter non poterat. At ille impendio nunc magis odit Senatum. A me,*

inquit, omnia proficiſcentur. Sex autem quia duodecim nolui; nam licebat. Sed id magis tolerari potuit in Curione quàm in Antonio. quia hic Tribunuſplebis erat, qui lictores habere non potuit, vt iam vidimus è Plutarcho. lib. 10. ad Attic. ep. 17. *Meliùs quàm Collega noſter Antonius: cuius inter lictores lecticâ mima portatur.*

IV. Aperta lectica.] Eruditus Lipſius duplicem ait lecticarũ formam fuiſſe. *Alia*, inquit, *aperta, alia tecta. Apertæ formæ ſimplex, aſſeres aliquot compacti, qui capere puluinum oblongum poſſent, in quo homo ſingularis porrectus iacebat.* (Lectica aperta.) *Ad ſummam non aliud quàm modicus, quaſi lectus.* Et vtramque lecticæ formam accuratè diſcriminat. (Operta.) Nihil tamen affert, quod ab inuitis extorqueat, vt fateantur duplicem eam fuiſſe. Potuit enim eadem lectica, modò velis obductis operiri, modò iiſdem ſubductis & collectis aperiri. Suetonius in Tito cap. x. *Cùm inde lecticâ transferretur, ſuſpexiſſe dicitur dimotis plagulis cœlum.* Plagulæ autem quæ dicantur, patet è Nonio. *Plagæ, grande linteum tegmen, quod nunc torale vel lecticariam ſindonem dicimus.* Vela igitur dimouebant, & aperiebant lecticæ feneſtram, ſi vellent cœlum intueri: claudebant ſi vel dormire vellent, vel aliud agere quod arbitros non deſideraret. Iuuenalis:

Namque facit ſomnum clauſâ lectica feneſtrâ.

V. Homines honesti.] Vide dicta pro Sextio §. 6. N. 4. & potiſſimùm de prouinciis Conſularibus §. 11. Nota item 4. *honeſtatem miſeri deperdiderunt.*

VI. Noto illo, et mimico nomine.] Notæ vel etiam nobiles dictæ meretrices & famoſæ. vide Cœlianam 31. *Res eſt omnis in hac cauſa nobis, Iudices, cum Clodia muliere non ſolùm nobili, ſed etiam notâ.* Notum autem illud & mimicum nomen fuit Cytheris, vt & Plutarchus teſtatur, & Cicero libro x. ad Atticum ep. 11. *Hic tamen Cytheridem ſecum lecticâ apertâ portat, alterâ vxorem.* (bene Lipſius, *alteram vxorem*) *ſeptem prætereà coniunctæ lecticæ amicarum: hæ ſunt amicorum. vide quàm turpi letho pereamus.*

VII. Volumniam.] Cytheris liberta fuit P. Volumnij Eutrapeli, vt ſcribit Seruius in Eclogam decimam, & eadem à Volumnio adamata, vt colligitur ex epiſtola vltima, libri 9. ad familiares. *Accubueram hora nona cùm ad te harum exemplum in codicillis exaraui. Dices, Vbi? apud Volumnium Eutrapelum, & quidem ſupra me Atticus, infrà Verrius, &c. Infrà Eutrapelum Cytheris accubuit.* Ad hunc amorem lib. 7. ep. 32. alludit ſcribens ad eundem Volumnium. *Vt nihil ſit tam ἀκύθηρον, quod non alicui venuſtum eſſe videatur.* Volumnius autem familiaris fuit Antonio. Cornelius Nepos Attici vita. *Atticus cùm Ciceronis intima familiaritate vteretur, amiciſſimus eſſet Bruto, non modò nihil iis indulſit ad Antonium violandum, ſed è contrario familiares eius ex vrbe profugientes, quantùm potuit, texit: quibus rebus indiguerunt, adiuuit. Pub. verò Volumnio ea tribuit, vt plura à parente proficiſci non potuerint.* Apud quem etiam latuit Triumuirali proſcriptione. *Idem Luc. Iulium Calidium, &c. in proſcriptorum numerum à P. Volumnio præfecto fabrûm Antonij abſentem relatum expediuit.* E quibus agnoſcis & coniunctionem Antonij cum Cytheride, & cauſſam cur Cytheris Volumnia diceretur. Adde quòd gens Volumnia nobiliſſima fuit, & patricia, ex qua P. Volumnius Conſul fuit anno poſt Reges exactos quarto & quinquageſimo, quo tempore ſolis patriciis patebat aditus ad Conſulatum, vt conſtat è Liuio lib. 3. & faſtis Caſſiodori. Ex eadem etiam gente fuit Volumnia vxor Coriolani, de qua Liuius lib. 2. & alij paſſim, vt meritò Cytheris ex hoc nomine gloriam quæſierit.

Rheda cvm lenonibvs.] Monuimus hanc vulgatiorem eſſe lectionem: legi tamen à Victorio *cum leonibus*, quæ ſanè emendatio, & ſi non è libris tamen ex hiſtoria magnam auctoritatem habet. Rhedas enim leonibus iunctas habuit Antonius. Non ſolùm poſt victoriam Pharſalicam, ſed etiam initio belli ciuilis, cùm ei Cæſar Italiam primùm contra Pompeianos obtinendam tradidiſſet. VIII. (Antonius leones ſub iugauit ante pugnam Pharſalicam.) Noſter lib. 10. ad Atticum ep. 14. eo ipſo tempore data quo Cæſar in Hiſpaniam. *Tu Antonij leones pertimeſcas caue. nihil eſt illo homine iucundius.* Non inficior tamen eoſdem ductos fuiſſe etiam cùm victor è Theſſalia rediit. tunc enim Antonio fuerunt, vt auctor eſt Plutarchus, καὶ λέοντες ἅρμασιν ὑποζευγνύμενοι. *Etiam leones curribus ſubiugati.* Plinius lib. 8. naturalis hiſtoriæ cap. 16. *Iugo ſubdidit eos, primúſque Romæ ad currum iunxit M. Antonius, & quidem ciuili bello, cùm dimicatum eſſet in Pharſalicis campis, non ſine quodam oſtento temporum, generoſos ſpiritus iugum ſubire illo prodigio ſignificante: nam quòd ita vectus eſt cum mima Cytheride ſupra monſtra etiam illarum calamitatum fuit.* (Item poſt pugnam.) Neque verò ſunt hæc Ciceroni contraria, cur enim non potuit & ante & poſt pugnam Pharſalicam rhedas habere leonibus iunctas? vt immeritò Petrus Victorius lib. 16. cap. 3. hunc παραχρονισμόν, *Negligentiæ illius ſcriptoris aſſignandum* putet, *qui in temporibus lapſus ſit, vt in multis aliis rebus ſæpe peccat.* Cùm præſertim noſter luſtrationem Italiæ denuo repetitam ab Antonio victore narrans, eandem fuiſſe dicat cum ſuperiore. *Italiæ rurſus concurſatio eadem comite mima.* quibus verbis ſatis oſtenditur, etiam tum leones ſub iugum miſſos fuiſſe: quòd ſi pertendas *lenonibus* omninò legendum, mirum ſanè fuerit, tam ſingularis, tam inſignis ad memoriam inſolentiæ nullam fieri mentionem. Quid? quòd Alciatus emblemate quarto, id etiam accidiſſe putat poſt obitum Ciceronis. (Aut etiã poſt mortem Ciceronis.)

Romanum poſtquam eloquium Cicerone perempto
Perdiderat patriæ peſtis acerba ſuæ,
Inſcendit currus victor, iunxítque leones,
Compulit & durum colla ſubire iugum,
Magnanimos ceſſiſſe ſuis Antonius armis,
Ambage hac cupiens ſignificare duces.

Neque fortaſſe hallucinatus videri poſſit, vt ſuſpicari meritò poſſumus, ex antiquis numinis ab Huberto Goltzio collectis, de quibus Lipſius lib. 2. epiſtolicarum quæſtionum ep. 21. ad eundem Goltzium ſcriptâ. *Admonitus libro tuo euoluebam antiquitates meas. Reperio nummûm duorum inſcriptionem (& vidiſſe puto Romæ apud peritum harum rerum virum Nicolaum Florentium.* Antoni. Imp. A. xl. iii. vir. R. P. C. *adiuncta leonis effigies erat.* Hos leones vt ſubiugaret, fortaſſe exarmauerat, id eſt, vngues illis den-

téſque decuſſerat, ſic Heliogabalus apud Lampridium, *Habuit leones & pardos exarmatos in delitiis, quos edoctos per manſuetarios ſubitò ad ſecundam & tertiam menſam iubebat accumbere, ignorantibus cunctis quòd exarmati eſſent, ad pauorem & ridiculum excitandum.* Idem, *iunxit ſibi & leones.*

O MISERÆ MVL. FOECVND.] Apuleius apologiâ. *O infœlix vterum tuum, Pudentilla! ô ſterilitas liberis potior! ô infauſti decem menſes! ô ingrati quatuordecim anni viduitatis! Vipera, vt audio, exeſo matris vtero in lucem proſerpit, atque ita parricidio gignitur. Atenim tibi à filio, iam adultero acerbiores morſus viuenti, & videnti offeruntur,* &c.

MVNICIPIA, PRÆFECTVRAS, COLONIAS.] Vide Piſonianam §. 51. N. 2.

AXIOMA.

Multis eſt ſua fœcunditas calamitoſa.

ARGVMENTVM.

Dicturus de rebus ab Antonio geſtis bello ciuili, præmunitionem adhibet, ne offendat veteranos qui Cæſarem ſequuti fuerant eodem bello, quorum animos incitare conabatur Antonius contra Cæſaris interfectores, & ipſum Ciceronem.

XLIX. RELIQVORVM factorum eius, P. C. difficilis eſt ſanè reprehenſio, & lubrica: verſatus in bello eſt, ſaturauit ſe ſanguine diſſimillimorum ſui ciuium: fuit fœlix, ſi poteſt vlla eſſe in ſcelere fœlicitas. Sed quoniam veteranis cautum eſſe volumus: quanquam diſſimilis eſt militum cauſa, & tua: illi ſecuti ſunt: tu quæſiſti ducem: tamen ne apud illos me in inuidiam voces, nihil de genere belli dicam.

EXPLANATIO.

RELIQVORVM.] Difficile eſt & periculoſum ea reprehendere, quæ fecit Antonius bello ciuili, ne hæc reprehenſio redundare videatur in veteranos milites, qui in eadem cauſa fuerunt.

SATVRAVIT SE.] Homo ſceleratus & nefarius optimos ciues tam crudeliter necauit, vt eorum quodammodo carnibus veſci, & ſanguinem exorbere videretur.

FVIT FOELIX.] Eam partem ſequutus eſt penes quam manſit victoria: quod eius felicitati potiùs tribuendum eſt, quàm vel prudentiæ in parte eligenda, vel fortitudini in conſequenda victoria. Quanquam impropriè loquor: nulla enim poteſt eſſe in ſcelere felicitas.

SED QVONIAM.] Intricatior eſſe, nec optimè cohærere videtur oratio. Eſt enim *ἀνακόλουθον*, nec illa particula *quoniam*, habet aliud membrum quod ſibi perſpicuè reſpondeat. Mens eſt Oratoris. Nihil de belli genere dicam, nec inuehar in te, quòd interfueris bello ciuili ſuſcepto contra Remp. Non, inquam, inuehar propter duas rationes: altera eſt, quoniam veteranis cautum eſſe volumus, ne priuentur iis militiæ commodis, quæ vel iam adepti ſunt à Cæſare, vel breui adipiſcentur à Senatu: altera eſt, quia nolo committere, vt tu me apud illos in inuidiam voces, eorúmque animos contra me incites, quaſi ego eorum commodis detrahendum putem. Quanquam, etiamſi in te inueherer, quòd interfueris bello ciuili, non tamen reprehenderentur à me veterani. Siquidẽ alia tua eſt, alia veteranorum cauſa. Illi enim ſequuti ſunt Cæſarem ducem, qui ipſis datus fuerat à Senatu populóque Romano: nec examinare debuerunt cauſam, cur Cæſar Pompeio bellum inferret: Tu autem cùm & Tribunus plebis eſſes, ac proinde nullo ſacramento militari obligatus, tu ſponte Ducem quæſiſti.

NOTÆ.

LVBRICA.] Lyricus Ode 1. lib. 2. de hoc ipſo bello ciuili. I.

Periculoſæ plenum opus aleæ
Tractas & incedis per ignes,
Suppoſitos cineri doloſo.

SATVRAVIT SE SANGVINE.] Vatin. 6. *Cùm per meum nomen fortunas locupletum diripere, ſanguinem principum ciuitatis exſorbere, crudelitatem veſtram, odiúmque diuturnum, quod in bonos iam inueteratum habebatis, ſaturare cuperetis.* Sic Hierocles Iudici, à quo virgis cædebatur, crudelitatẽ exprobrauit. Ῥεόμενος δὲ τῷ αἵματι, inquit Suidas, βάψας κοίλην τὴν χεῖρα προσέρραινε τὸν δικαστὴν ἅμα λέγων. II. Crudelitas cyclopica.

Κύκλωψ, τῆ πίε οἶνον, ἐπεὶ φάγες ἀνδρόμεα κρέα.

Manans ſanguine cauam manum intingens Iudicem adſperſit, ſimúlque dixit,

Vina bibe, ô Cyclops, humanâ carne repletus.

Plinius lib. 15. naturalis hiſtoriæ cap. 22. de hoc ipſo Antonio. *Quò facilè intelligatur ebrius iam ſanguine ciuium, & tanto magis eum ſitiens.*

VETERANIS.] Vetus Gloſſarium. *Veteranus* παλαιστρατιώτης. *Veterani ſunt*, inquit Cuiacius, *qui militia honeſtè dimiſſi, & ſacramento ſoluti ſunt.* D. de veteranis. *Honeſtè ſacramento ſolutis data immunitas,* &c. Suidas: Βετεράνος παρὰ Ῥωμαίοις ὁ ἀπολυθεὶς τῆς στρατείας. ἐπὶ εἰκοσαετίαν δὲ ἐδούλευον. *Veteranus apud Romanos dicitur militia ſolutus, in viceſimum autem annum merebant.* Dioclετianus & Maximianis Cod. Quando prouocare nõ eſt neceſſe, l. 9. *Veterani qui in legione vel vexillatione militantes poſt viceſima ſtipendia, honeſtam vel cauſſariam miſſionem conſecuti ſunt, onerum vel munerum perſonalium vacationem conceſſimus.* III. Veterani.

AXIOMATA.

Non poteſt in ſcelere vlla eſſe felicitas.
Aliud eſt ſequi ducem, aliud quærere.

ARGVMENTVM.

Prætermiſsis illis quæ militiæ geſſit M. Antonius, eius in Italiam reditum deſcribit victo pugnâ Pharſalicâ Cn. Pompeio, ac primùm de Antonij beneficio tractat, qui cùm Ciceronem ipſum victoriæ iure poſſet occidere, vitam ei conceſsit.

VICTOR è Theſſalia Brunduſium cum legionibus reuertiſti. Ibi me non occidiſti: magnum beneficium: potuiſti enim, fateor; quanquam nemo erat eorum qui tunc tecum fuerunt, qui mihi non cenſeret parci oportere. Tanta enim eſt charitas patriæ, vt veſtris etiam legionibus ſanctus eſſem, quòd eam à me ſeruatam eſſe meminiſſent. ſed fac te dediſſe mihi, quòd non ademiſti, méque à te habere vitam, quia à te non ſit erepta. Licuítne mihi per tuas contumelias hoc tuum beneficium ſic tueri, vt tuebar: præſertim cùm te hæc auditurum videres? I.

EXPLANATIO.

VICTOR.] Antonius multo præclarè geſſerat bello ciuili ſi meliorẽ cauſam amplecti voluiſſet. Nam & exercitum (maiori audacia dicam, an periculo, an felicitate?) in Macedoniam traiecerat, Vrbem Liſſon ceperat, Cæſari cum paucis inter hoſtes deprehenſo peroportunè ſubuenerat, bis, fugientem Cæſarianorum aciem reſtituerat, cauſámque præbuerat victoriæ: tandem pugnâ Pharſalicâ dextero cornui præfectus Cn. Domitium occiderat: quare quæ in eius laudem redundare poterant, Cicero prætermittit, & ad eius in Italiam reditum delabitur.

E THESSALIA.] Vbi prælium Pharſalicum commiſſum eſt, & victus Pompeius.

BRVNDVSIVM.] Italiæ vrbem ad mare Adriaticum ſitam, vbi portus celeberrimus.

CVM LEGIONIBVS.] Cæſar victo ad Pharſalum Pompeio magnam exercitus ſui partem in Italiam remiſit, eíque præfecit M. Antonium: ipſe cum reliquiis copiis inſtituit ſequi Pompeiũ fugientem. Cicero qui & inuitus bellum ſuſceperat, & nullam videbat Pompeianis partibus ſpem ſupereſſe, auditâ clade Pharſalicâ, cui propter aduerſam valetudinem non interfuit, ſtatuit ab armis diſcedere, neque Catoni & Cn. Pompeio filio exercitum ei tradentibus, hortantibúſque, vt præeſſet, bellique extrema perſequeretur acquieuit, ſed in Italiam nauigauit, appulſúſque Brunduſium incidit in Antonium cum exercitu victore redeuntem. Quem cùm Antonius iure belli occidere poſſet, incolumem dimiſit.

IBI.] Brunduſij.

MAGNVM BENEF]. Ironia: hoc enim eſt beneficium latronum.

POTVISSE ENIM FATEOR.] Fateor enim in tua poteſtate fuiſſe, vt me occideres. Quædam exemplaria habent: *Potuiſti enim, fateor.* Quæ lectio non diſpliceret, ſi accederet veterum Codicum auctoritas.

QVANQVAM.] Correctio eſt, qua oſtenditur iure non potuiſſe occidere Ciceronem, quia etiamſi eſſet hoſtis, omnium tamen iudicio nefas erat patriæ conſeruatorem occidere.

TANTA EST ENIM.] A patriæ charitate rationem reddit cur non debuerit occidi, imò nec iure potuerit. Tanta eſt enim patriæ charitas, tam altis in cuiuſque animo defixa radicibus, tam naturalis ad eam propenſio, vt etiam ille ipſe Cæſaris exercitus, qui patriæ bellum inferebat, me ſanctum & inuiolabilem eſſe duceret, quòd patriam à me ſeruatam eſſe meminiſſet extincta coniuratione Catilinæ.

SED FAC.] Sed eſto: concedamus magnum eſſe beneficium, quaſi vitam mihi conceſſeris, quia non ademiſti: tamen hoc poſito non debeo videri ingratus, quia non per me ſtetit quo minùs gratus eſſet: ſed mihi non licuit per tuas contumelias, quibus affectus ſum à te, tuum illud beneficium ſic tueri vt tuebar, tantíque illud facere quanti antea faciebam. A quibus certè contumeliis abſtinere te debuiſti, præſertim cum videres certóque ſcires, ſi me nouis tuis contumeliis veteris beneficij memoriam ex animo abiicere coëgiſſes, fore vt tu hæc à me audires quæ ſummam infamiæ labem tuo nomini adſpergerent.

NOTÆ.

CVM LEGIONIBVS.] Legio, inquit Varro, *dicta quod leguntur milites in delectu*, ſub Romulo terna tantùm peditum millia, trecentos equites, a Regibus exactis ad Annibalem quatuor millia, bello Punico ſecundo quinque etiam millia continebat. Quin etiam Scipio traiecturus in Africam, *ſuppleuit ita legiones*, inquit Liuius lib. 30. *vt ſingulæ ſena millia & ducenos pedites, trecentos haberent equites.* vide fuſius apud Lipſium lib. 2. de militia Romana dialogo 5. I. Legiones.

MAGNVM BENEFICIVM.] Suprà 5. *Quod eſt aliud, P. C. beneficium latronum, niſi vt commemorare poſsint, iis ſe dediſſe vitam quibus non ademerint.* Quem in locum vide Notas. Biſciola noſter parte 1. hor. ſubceſ. lib. 5. cap. 11. notat non eſſe diſſimile Græcum illud prouerbium κύκλωπος δωρεά, *Cyclopis donum*, natum ex Homeri verſibus, apud quem muneris loco Polyphemus Vtini, qui idem Vlyſſes erat, promittit. II. Beneficium latronum.

Οὔτιν' ἐγὼ πύματον ἔδομαι μετ' οἷς ἑτάροισι
Τοὺς δ' ἄλλους πρόσθεν. τὸ δέ τοι ξεινήιον ἔσται.
Vtinam poſtremum comedam, ſocróſque vorabo
Ante tuos: hæc hoſpitij tibi munera ſunto.

Cuius prouerbij meminit Lucianus in cataplo. nec abludit Euripides in Medea, vbi Iaſon beneficij loco ponit, quòd Medeam Creon non occiderit, ſed tantùm exilio multauerit.

Ἃ δ' ἐς τυράννους ἔστι σοι λελεγμένα

Πᾶν κέρδος ἡγοῦ ζημιούμενον φυγῇ.
Tu cum tyrannis multa maledicta ingeras,
Appone lucro quòd relegaris procul.

Nicetas Choniates in Andronico Theſſalonicam à Siculis captam deſcribens, his verbis immanem eorum crudelitatem exaggerat. *τὸ μαχαίρᾳ δηλονότι παραυτίκα πεσεῖν, ἤγ' οὖν τῆς οὐσίας ἁπάσης ψιλωθέντα τινὰ διαφίεσθαι παρὰ τοῖς πορθηταῖς εἰς μεγίστην εὐποιΐαν συνεζυγίζετο.* *Nimirum gladio ſtatim interfici, aut bonis omnibus nudatum dimitti ſummi beneficij loco numerabatur.* Addit & alia vt prouerbium è Suida, *ἀπὸ καταδυουμένης*, *à ſubmerſa.* Vt dictum Pauſaniæ Spartanorum Regis ad Lamponem Æginetam ſuadentem vt in Mardonij cadauer ſæuiret ex Herodoto lib. 9. Sed hæc fortaſſe iam extra lineam, & ſufficit ea ſuperiora alienis manibus collecta protuliſſe. quanquam is Græca non protulerat Latinâ interpretatione contentus.

III. SANCTVS ESSEM.] Inuiolabilis. Vide Milonianam 86. ad illa verba, *latialis ſancte Iupiter.*

IV. FAC TE DEDISSE.] Vide ſupra 5. *fac potuiſſe.* Notat autem illuſtriſſimus Latinitatis inſtaurator, hoc eleganti loquendi modo id ſignificari, quod illiterati dicunt. *Ponamus quòd dederis, ponamus quòd potueris:* aut quod aliqui ſe elegantiùs dicere putant, poſito quòd dederis, dato quòd potueris. eámque locutionem non paucis confirmat exemplis è Cicerone corraſis: addítque pulcherrimos Cleanthis verſus fœlici, vt ait illo ſeculo in Latinum verſos, quos apud Senecam philoſophum reperies.

Duc me parens celsíque dominator poli,
Quocunque placuit: nulla parendi mora eſt. Faceſſe.
Adſum impiger. FAC NOLLE. *comitabor gemens,*
Malúſque patiar, facere quod licuit bono.
Ducunt volentem fata: nolentem trahunt.

Nollem tamen ſuperiores illos loquendi modos quaſi barbariem omninò excludendam putaret, & velut ſibilis ex orcheſtra litteratorum exploderet. Nam Vlpianus Latiniſſimus auctor, D. de iniuriis & famoſis libellis. *Ponamus enim ſtudiorum cauſa Romæ agere.* Et Terentius Latina Siren, in Phormione actu 4. ſc. 3.

Verùm pone eſſe victurum, at tandem tamen
Non capitis eius res agitur, ſed pecuniæ.

AXIOMA.

Tanta eſt charitas patriæ, vt eius conſeruator ſanctus ſit etiam illis qui patriæ bellum intulerunt.
Non dedit is beneficium qui non ademit.
Nonnunquam per contumelias eorum qui beneficium dederunt, non licet beneficium tueri.

ARGVMENTVM.

Reliquam reditus fœditatem deſcribit à perſonâ Cytheridis mimæ, quæ Antonio venit obuiam in omnium oculis gratulatum.

LI. VENISTI Brunduſium, in ſinum quidem, & in complexum tuæ mimulæ. quid eſt? num mentior? quam miſerum eſt id negare non poſſe, quod ſit turpiſſimum confiteri: ſi te municipiorum non pudebat, ne veterani quidem exercitus? quis enim miles fuit, qui Brunduſij illam non viderit? quis, qui neſcierit veniſſe eam tot dierum tibi viam gratulatum? quis qui non indoluerit tam ſerò ſe, quàm nequam hominem ſecutus eſſet, cognoſceret? Italiæ rurſus percurſatio, eadem comite mima: in oppida militum crudelis & miſera deductio: in vrbe auri & argenti maximéque vini fœda direptio.

EXPLANATIO.

VENISTI.] E Theſſalia Brunduſium cum legionibus reuertiſti: éſtque reditus ad propoſitum ex breui illa digreſſione de beneficio Antonij.

TVÆ MIMVLÆ.] Cytheridis à te adamatæ, quam per contemptum non mimam, ſed mimulam per diminutionem appellat.

QVID EST.] Vrget & vehementiùs inſiſtit, quaſi inſultans inimico, quod tam apertè conuincatur, vt negare non poſſit, nec vllo modo laqueis infamiæ quibus tenetur ſe expedire.

SI TE.] Si eò impudentiæ prolapſus fueras, vt luce palàm, in oculis municipiorum Cytheridem habere non dubitares, at ſaltem pudere te debuit hoc flagitij committere coram veteranis, qui diuturnis militiæ laboribus aſſueti, has nequitias ferre æquo animo non poterant, cùm tu præſertim iis præfectus fuiſſes à Cæſare, & officij tui ratione cæteris temperantiæ, modeſtiæque exemplum exhibere deberes.

ILLAM.] Cytheridem mimam.

TOT DIERVM.] De longitudine viæ Appiæ quæ Roma Brunduſium extendebatur, Lipſius libro 3. cap. 10. de Magnitudine Romana, vbi & teſtatur inter vtramque vrbem fuiſſe milliariorū circiter CCCL. interuallum: quare ſi ſingulis diebus quinque & viginti milliaria conficias, iter erit dierum quatuordecim, quam viam Cytheris iuit Antonio gratulatum. vide Notas.

QVIS QVI.] Quis fuit in toto illo veteranorum exercitu, qui non doluerit ſe tam ſero cognoſcere tuas nequitias. Si enim priùs cognouiſſent quàm eſſes homo nequam, te ducem ſequi tibíque parêre noluiſſent.

ITALIÆ.] Quemadmodum priùs in Tribunatu Italiam conculcaueras, eámque veſtigiis flagitiorum tuorum impreſſeras, ita rurſum eandem Italiā percurſaſti cùm victor è Theſſalia rediiſſes. Vox *eadem*, vel ad percurſationem referri poteſt, *percurſatio eadem, comite mimâ*, vel ad mimam *percurſatio, eâdem comite mimâ.* Malo ad percurſationem referre: quaſi dicat, Non opus eſt referre,

ferre, quid fecerit è Theſſalia reuerſus, ne bis idē dixiſſe videamur. eodem enim modo ſe geſſit in iſta ſecunda percurſatione Italiæ, quo ſe geſſerat in priore. Cùm enim vt referunt Plutarchus & Plinius hac ſecundâ luſtratione Italiæ, tum alia inſolentiſſimè fecerit, profectò non omiſiſſet Orator, niſi eadem vtrâque percurſatione contigiſſent.

IN OPPIDA.] Dicuntur in oppida deduci milites, cùm vel ad hiberna mittuntur ad tempus vt cùm ſe vis hyemis remiſerit, rurſus ad militiam educantur, vel cùm ſtipendiis confectis, in oppida mittuntur aſſignatis agris, accepturi præmia & veteranorum priuilegia. Poſteriore ſenſu libentiùs interpretor. Hæc enim deductio crudelis fuit & miſera, cùm eiectis veteribus colonis in eorum poſſeſſiones noui ſuccederent.

VRBE.] Romæ.

MAXIMEQVE VINI.] Quia cùm Antonius eſſet auarus & iniuſtus, magis tamen erat vinolentus.

NOTÆ.

I. Brunduſij ſitus.

BRVNDVSIVM.] Operæ fuerit pretium nonnihil ex Geographo deſcribere libro 6. Καὶ εὐλίμενον δὲ μᾶλλον τὸ Βρεντέσιον. ἑνὶ γὰρ στόματι πολλοὶ κλείονται λιμένες ἄκλυστοι, κόλπων ἀπολαμβανομένων ἐντὸς, ὥστ' ἐοικέναι κέρασιν ἐλάφου τὸ σχῆμα. ἀφ' οὗ καὶ τοὔνομα. σὺν γὰρ τῇ πόλει, κεφαλῇ μάλιστ' ἐλάφου προσέοικεν ὁ τόπος. τῇ δὲ Μεσσαπίᾳ γλώττῃ Βρεντέσιον ἡ κεφαλὴ τοῦ ἐλάφου καλεῖται. ὁ δὲ Ταραντῖνος οὐ παντελῶς ἐστὶν ἄκλυστος, διὰ τὸ ἀναπεπτάσθαι, καί τινα καὶ πρὸς βράχη ἔχειν τὰ περὶ τὸν μυχόν. Ἔτι δὲ τοῖς ἀπὸ τῆς Ἑλλάδος καὶ τῆς Ἀσίας διαίρουσιν, εὐθύπλους μᾶλλον ἐστὶ τὸ Βρεντέσιον, καὶ δὴ καὶ δεῦρο πάντες καταίρουσιν ὅσοι εἰς Ῥώμην προέχονται. *Ad hac, Brunduſium portus habet quàm Tarentum commodiores. Nam ad Brunduſium multi includuntur portus vnico aditu à fluctibus tuti, intus receptis intra fauces multis ſinibus, ita vt eorum forma figuram cornuum ceruinorum exprimat: vnde & vrbi nomen. Locus enim, ſi vnà cum vrbe conſideretur, maximè ceruini capitis eſt ſimilis, quod Meſſapiorum linguâ Brenteſium dicitur. Tarentinus autem ſinus non omninò immunis à fluctibus eſt, quia patet ac prætereà intimo receſſu quædam vadoſa habet. Prætereà è Græcia & Aſia rectius eſt Brunduſium traiectus, omnéſque huc deferuntur, quibus inde Romam iter eſt.* De portu Brunduſino Plinius lib. 3. cap. 11. & cap. 26. Vbi & illud notatu dignum, quod idem refert lib. 2. cap. 103. *Brunduſij in portu fons incorruptas præſtat aquas nauigantibus.*

II. TOT DIERVM VIAM.] Horatius lib. 1. ſat. 5. ſuum iter deſcribens Româ Brunduſium innuit ſe quindecim diebus illud confeciſſe. Primū.

Digreſſum magnâ me excepit Aricia Româ.

2. inde forum Appij. 3. non nominatur vbi ventri bellum indixit, non procul à luco Feroniæ.

4. *Impoſitum ſaxis latè candentibus Anxur.*

5. Fundi. 6. Mamurrarum vrbs, id eſt Formiæ. 7. Sinueſſa. 8. *Proxima campano ponti quæ villula.* 9. Capua. 10. Cocceij villa. 10. Beneuentum. 11. Triuici villa. 12. *Oppidulum quod verſu dicere non eſt.* id eſt Equotutium. 13. Rubi. 14. Bari mœnia piſcoſi. 15. Gnatia. Tandem

Brundiſium longæ finis chartæque, viæque.

Sed cùm ſemel vnum diem diuiſerit, id eſt partitus fuerit in duos dies, quod vno die confici poterat ab expeditis.

Hoc iter ignaui diuiſimus, altiùs ac nos Præcinctis vnum.

Quatuordecim tantummodò dies ſunt numerandi, vt decimo quinto quàm ab vrbe diſceſſerant, die Brundiſium peruenirent. Quod etiam aliunde colligitur, nimirum ex diſtantia & longitudine viæ Appiæ, quæ ab vrbe Brunduſium pertinebat, vt iam oſtendimus in Cœliana. 54. *Ideóne viam munimi, vt eam tu alienis viris comitata celebrares?* Hinc vt eſt apud Tacitum 2. annalium, *Conſultauit Libo*, Druſus è familiâ Scriboniorum, *an habiturus foret opes, queis viam Appiam Brunduſium vſque pecuniâ operiret.* Strabo lib. 5. ἡ Ἀππία ὁδὸς ἐστρωμένη μὲν ἀπὸ τῆς Ῥώμης μέχρι Βρεντεσίου. *Via Appia ſtrata à Roma Brunduſium vſque.* Et lib. 6. ἡ δὲ πᾶσά ἐστιν ἐκ Ῥώμης εἰς Βρεντέσιον μίλια τξ΄. *Tota via à Brunduſio Romam trecentorum ſexaginta milliariorum eſt.* milliariorum, inquam, non *ſtadiorum*, vt vertit Xylander. Quod ſpatium quindecim circiter dies requirit. Quod autem ait Procopius: *Longitudinem eius* (Appiæ viæ) *quinque dierum ſpatio vir expeditus poſſet emetiri.* Iure Lipſius interpretatur de Appia via, prout initio cō-ſtrata ab Appio Clodio, non prout ſecutis temporibus, vel à Graccho, vel à Cæſare Dictatore, vel ab Auguſto. Brundiſium vſque producta eſt. Frontinus de aquæductibus. *Appia aqua inducta eſt ab Appio Claudio Cenſore, qui & viam Appiam à porta Capena vſque ad vrbem Capuam muniendam curauit.*

Longitudo itineris Roma Brunduſium.

III. Alphonſus Neapolitanus vinum cæteris omnibus antepoṅit.

MAXIMEQVE VINI.] Venit in mentem Alphonſi illius Neapoleos Regis, quem Carolo octauo Chriſtianiſſimo Rege ingruente, *tantus terror inceſſerat, vt noctu perpetuò exclamaret audire ſe aduentantes Gallos, vt non homines tantùm, ſed arbores etiam & ſaxa nomen Gallicum ſonare.* atque adeò ſocrui neſcio quas moræ cauſas necttenti reſponderit, *niſi pateretur ſe diſcedere eiecturum ſeſe per feneſtram, & nonne auditis, inquit, omnes homines inclamantes nomen Gallicum?* Nihilò tamen ſeciùs in hac tanta trepidatione, *ſecum ille extulit diuerſa vinorum genera, quæ pluris ille quàm cætera omnia faciebat, omnimodáque ſeminum genera ad rem hortenſem, nulla vel ſupellectilis, vel cæterorum bonorum habita ratione.* Hæc Philippus Commineus libro 7. commentariorum, capite vndecimo, interpretationē à Ioanne Sleidano ſum mutuatus, niſi ſi quando viſus eſt à Comminco diſſidere.

AXIOMA.

Miſerum eſt id negare non poſſe, quod ſit turpiſſimum confiteri.

Magiſterium Equitum à 52. ad 60.

- partum. 52.
  - Cæſare ignaro.
  - beneficio amicorum.
- geſtum
  - familiaritas cum mimis
    - Hippia. 52.
    - Sergio, cui dedit equos vectigales.
  - violentia. 52.
    - decreta.
    - rapinæ.
    - poſſeſſiones hereditatum.
  - vinolentia. 53.
    - à corporis firmitate.
    - à vomitu, qui exaggeratur
      - 1. à minori ad maius.
      - 2. à loco & cœtu populi Rom.
      - 2. à tempore, poſtridie.
      - 4. à negotio publico quod gerebat.
      - 5. à perſona Antonij, eiúſque magiſtratu.
  - ſectio
    - emptio bonorum Pompeij, quæ exaggeratur
      - à loco, pro æde Iouis Statoris. 54.
      - à perſona
        - Pompeij, & eius
          - virtute.
          - iuſtitia. 56.
        - Antonij & eius
          - audacia, vnus qui id auderet inuentus eſt.
          - natalibus. 55.
      - ab aliis circunſtantiis. 54.
        - haſtâ poſitâ.
        - voce præconis.
        - gemitu pop. Rom.
      - à conſequentibus .56. 57. & dilapidatione bonorum Pompeij, per
        - enumerationem. 56.
          - vini.
          - argenti.
          - veſtis.
          - ſupellectilis.
        - hypotypoſim. 57.
        - comparationem.
          - cũ Charybdi.
          - cum Oceano.
    - emptio domus & hortorum Pompeij exaggeratur.
      - à domus ipſius
        - ſanctitate.
        - maieſtate & ſpoliis. 58.
      - à comparatione dominorum. 59.
        - Pompeij moderatiſſimi, & ſplendidiſſimi ciuis.
        - Antonij nequiſſimi, & impudiciſſimi.

ARGVMENTVM.

Magiſterium Equitum Antonij, & in eo magiſtratu minorum familiaritatem, iniuſta decreta, rapinas, hereditatum poſſeſſiones datas & ereptas, egeſtatem etiam commemorat.

ACCESSIT, vt Cæſare ignaro, cùm eſſet ille Alexandriæ, beneficio amicorum eius Magiſter equitum conſtitueretur, tum exiſtimauit ſe ſuo iure cum Hippia viuere, & equos vectigales Sergio mimo tradere, tum ſibi non hanc, quam nunc malè tuetur, ſed M. Piſonis domum, vbi habitaret, legerat. Quid ego iſtius decreta, quid rapinas, quid hereditatum poſſeſſiones datas, quid ereptas proferam? cogebat egeſtas: quò ſe verteret, non habebat: nondum ei tanta à L. Rubrio, non à L. Turſelio hereditas venerat, nondum in Cn. Pompeij locum, multorúmque aliorum, qui aberant, repentinus heres ſucceſſerat; erat ei viuendum latronum ritu, vt tantum haberet, quantum rapere potuiſſet. LII.

EXPLANATIO.

ACCESSIT.] Ad ſuperioris percurſationis nequitiam, acceſſit huic poſteriori magiſtratus, nimirum vt magiſter equitum crearetur Cæſare Dictatore. Poſteaquam enim de pugna Pharſalica, & nece Cn. Pompeij Romæ nuntiatum eſt, multi honores Cæſari decreti fuerunt, iſque ad annum integrum Dictator, Antonius autem magiſter equitum conſtitutus. Id Cicero videri vult factum ignaro Cæſare, beneficio amicorum eius, vt etiam indicet Antonium Cæſari contemptui fuiſſe.

TVM.] Poſtquàm magiſter equitum conſtitutus eſt Antonius, exiſtimauit ſe ius habere viuendi familiariter cum Hippia: quia videlicet ipſe magiſter equitum erat, ſiue ἵππαρχος, Hippia autem ab equis, quos Græci ἵππους appellant, nomen obtinebat. vide Notas.

EQVOS VECTIGALES.] Equos qui tributi nomine mittebantur, putabat ſe ſuo iure poſſe Sergio mimo tradere, quòd ad magiſtrum equitum ſpectaret equos publicos dare, pro meritis ſingulorum.

TVM SIBI.] In eo magiſtratu non domum Cn. Pompeij, quam inuaſit quidem, ſed malè tuetur Sexto Pompeio Cnei Magni filio eam repetente, M. Piſonis domum elegerat, cùm ipſe propriam domum non haberet in qua habitaret. Pater enim eius decoxerat. Hic autem M. Piſo videtur eſſe M. Puppius Calpurnianus, qui biennio poſt Ciceronem cum M. Valerio Meſſala Conſul fuit. Hæc verba, *Tum ſibi non hanc, &c. vbi habitaret, legerat,* multis editionibus non extant, ita tamen Lambinus & Manutius ediderunt, etiam Faernus apud Fuluium Vrſinum: nec abludit citatus ab eo liber Vaticanus: Neque ſanè poteſt ſubeſſe cauſa, cur ſi non eſt germana lectio, tot verba in textum aliunde ſubrepſerint.

QVID EGO ISTIVS DECRETA.] Quibus alienos in poſſeſſiones eorum qui adhæſerant Pompeio mittebat, aliáque miſcebat.

QVID RAPINAS.] Auri, argenti maximéque vini fœdam direptionem.

DATAS.] Alienis, *Ereptas*, veris & legitimis poſſeſſoribus.

COGEBAT EGESTAS.] Eleganter excuſat ab egeſtate, & vehementiùs etiam vulnus infligit, quàm ſi non excuſaret omninò, dum mentionem facit Rubrij, Turſelij, Pompeij in quorum bona per ſummum ſcelus inuaſerat. Suprà: *Te is, quem nunquam vidiſti Luc. Rubrius Caſſinas fecit heredem, &c. Lucius Turſelius, &c. fratrem exheredans te faciebat heredem.*

EI.] Antonio.

NOTÆ.

CÆSARE IGNARO.] Rem aliter narrat Plutarchus in Antonio: Μετὰ δὲ τὴν νίκην Δικτάτωρ ἀναγορευθεὶς, αὐτὸς μὲν ἐδίωκε Πομπήϊον. Ἀντώνιον δὲ δήμαρχον (lege ἵππαρχον) ἑλόμενος εἰς Ῥώμην ἔπεμψεν. *Poſt victoriam verò ipſe Dictator dictus ſecutus eſt Pompeium. Antonium autem magiſtrum equitum elegit.* Quæ vides à Tullio diſcrepare. Nam Tullius ait Antonium abſente, & ignaro Cæſare magiſtrum equitum factum fuiſſe aliquantò poſt pugnam Pharſalicam, cùm Alexandriam Cæſar iam perueniſſet. Plutarchus ſtatim à pugna Pharſalica, & eodem penè temporis veſtigio (neque enim poſt eam pugnam vltrà dies duos in Theſſalia moratus eſt Cæſar) ait Cæſarem & Dictaturam inuaſiſſe, & Antonio magiſterium equitum detuliſſe. Dio libro 42. partim cum vtroque conuenit, partim ab vtroque diſſentit. Nam cum Cicerone contra Plutarchum ſignificat Dictatorem à Senatu dictum fuiſſe Cæſarem, àudita morte Pompeij, cùm iam videlicet Cæſar Alexandriæ eſſet: rurſus cum Plutarcho contra Ciceronem, ait Cæſaris ipſius voluntate, vt primùm delatam à Senatu Dictaturam accepit, allegiſſe ſibi Antonium. Quid prohibet eum audire? Ταῦτα οὖν οὕτω ἐψηφίσθη καὶ ἐκυρώθη, καὶ ὅ τε Καῖσαρ τὴν Δικτατωρείαν παραχρῆμα, καίπερ ἔξω τῆς Ἰταλίας ἂν ὑπέστη, καὶ τὸν Ἀντώνιον μηδὲ ἐστρατηγηκότα ἵππαρχον προσελόμενος. *His ita decretis approbatíſque, Cæſar quamuis extra Italiam erat, ſtatim Dictaturam accepit, magiſtro equitum aſſumpto Antonio.* Sed vt taceam auctoritatem Ciceronis, qui his rebus interfuit, eſſe maiorem, placet Plutarcho Plutarchum opponere. Conſtat apud omnes Cæſarem initio penè belli ciuilis, antequam proficiſceretur in Hiſpaniam

dictum fuiſſe Dictatorem, eíque ſecundam Dictaturam poſt pugnam Pharſalicam contigiſſe. hanc verbis citatis, refert Plutarchus ad id tempus quo poſt pugnam Pharſalicam Antonium in Italiam remiſit cum victore exercitu. Idem in Cæſare longè poſteà bellis Alexandrino Ponticóque confectis, id factum fuiſſe ſcribit. Ἐκ τούτου διαβαλὼν εἰς Ἰταλίαν αὖθις ἀνέβαινεν εἰς Ῥώμην, τῷ μὲ ἐνιαυτῷ καταστρέφοντος, εἰς ὃν ᾕρητο Δικτάτωρ τὸ δεύτερον οὐδέποτε τῆς ἀρχῆς ἐκείνης πρότερον ἐνιαυσίου γενομένης. *Deinde cùm traieciſſet in Italiam Romam profectus eſt, anno vertente, in quem Dictator creatus eſt, cùm is magiſtratus nunquam eatenus annuus fuiſſet.* Quanquam fortaſſe mens eius fuit hanc Dictaturæ delationem non eo tempore, quo rediit Cæſar, obtigiſſe, ſed quia ſuo loco prætererat, refert alieno. Sed quidquid ſit, cum Tullio potiùs & Dione ſentiendum, vt Cæſarem Dictatorem factum fuiſſe dicamus cùm eſſet Alexandriæ. Neque verò neceſſe eſt, vt ipſe Antonium ſibi magiſtrum equitum aſſumpſerit. Quanquam enim moris antiqui fuit, vt ſibi magiſtrum equitum Dictator adſciſceret, id tamen in Cæſare non videtur eſſe ſeruatum. vt vel ex ipſo Dione compertum eſt lib. 43. vbi de tertia Cæſaris dictatura. Ἱππάρχησε δὲ τότε αὐτὸς ἑαυτὸν ἐν τῇ ὑπατείᾳ ἐπιπέμψας, ἱππαρχεῖν παρὰ τὰ πάτρια. *Magiſter equitum erat Lepidus, qui ipſe ſe dixerat & inſtituerat in conſulatu contra maiorum inſtituta.* Vide infrà 61. Notâ 2.

II. Hippia.] Putaui nonnunquam Hippiam mulierculam fuiſſe famoſam. Id enim nomen eo ſenſu Iuuenalis vſurpat:

-quot amauerit Hippia mœchos.

Imò hanc Sergio ludio adhæſiſſe tradit ſat. 6.

Nupta Senatori comitata eſt Hippia ludium
Ad Pharon & Nilum, famoſaque mœnia lagi
Prodigia & mores vrbis damnante Canopo.

Hippia fuerítne mimus an matrona.

Et pòſt aliquot verſus.

Quæ tamen exarſit formâ, quâ capta iuuentâ eſt
Hippia? Quid vidit propter quod ludia dici
Suſtinuit? Nam Sergiolus iam radere guttur
Cœperat, & ſecto requiem ſperare lacerto.
Prætereà multa in facie deformia: ſicut
Attritus galeâ mediſque in naribus ingens,
Gibbus & acre malum ſemper ſtillantis ocelli.
Sed gladiator erat: facit hoc illos hyacinthos,
Hoc pueris, patriæque hoc pratulit illa ſorori,
Atque viro. ferrum eſt quod amant. Hic Sergius idem
Accepta rude cœpiſſet Veiento videri,
Quid priuata domus, quid fecerit Hippia curas?

E quibus vides & ludium & gladiatorem fuiſſe Sergium, & Hippiam matronam fuiſſe nobilem, ſed multorum adulterorum libidini proſtitutam, & eandem ab Antonio amari potuiſſe, & cum Sergio libidinis habuiſſe commercium, vt non fruſtrà Noſter vtriuſque meminerit. Hæc, inquam, putaui, & etiamnum putarem, niſi me Plutarchi reuerentia rem in medio relinquere compelleret veritum toties à tanto viro diſſidere. qui, vt ſequenti ſectione referemus, Hippiam nō mulierem, ſed mimum fuiſſe teſtatur, ἐν Ἱππίου ποτὲ τοῦ μίμου γάμοις. *in Hippiæ mimi nuptiis.* Eo porrò tempore, quo magiſter Equitum fuit Antonius, etiam Plutarchus ait notatas in eo fuiſſe κωλινδήσεις ἐν γυναιξί. facileque crediderim Hippiam & Sergium tum temporis, nuptiis in vrbe contractis, ad vitandos hominum rumores, recentémq; turpitudinis fabulam, Antonij literis commendatos, profectos Alexandriam, ad Cleopatram & Cæſarem ibi nonnihil commorantem, & Cleopatræ conſuetudine deuinctum. Sed viderint eruditi.

Eqvos vectigales.] Φόρος δὲ, inquit Appianus 1. ciuilium, ἦν τοῖς προβατεύουσι τέλη μειζόνων τε καὶ ἐλαττόνων ζώων. *Definitum erat certum tributum pecuariis maiorum & minorum animalium.* Sic opinor, vt, verbi gratia, è regionibus equorum generoſorum feracibus, decimus quiſque equus vectigalis, ſiue potiùs tributi nomine mitterentur. quod inſinuare videtur Sidonius Panegyrico Maioriani. III.

-tum quæque ſuos prouincia fructus
Expoſuit, fert Indus ebur, Chaldæus amomum,
Aſſyrius gemmas, Ser vellera, tura Sabæus,
Attis mel, Phœnix palmas, Lacedæmon oliuum,
Argos equos, Epirus equas, pecuaria Gallus,
Arma Chalybs, frumenta Libys, Campanus Iacchum,
Aurum Lydus, Arabs guttam, Pāchaia myrrhā.

Atque huiuſmodi equi vectigales dabant iis qui equo publico merebant vbi autem naſcātur equi optimi, commodè ſcribit Oppianus 1. de venatione.

Ὅσσοι δ᾽ ἱππαλίοισιν ἀεισεύουσιν ὁμίλοις
Τυρσηνοί, Σικελοί, Κρῆτες, Μάζηκες, Ἀχαιοί,
Καππαδόκαι, Μαῦροι, Σκυθικοί, Μάγνητες, Ἐπειοί,
Ἴονες, Ἀρμένιοι, Λίβυες, Θρῆικες, Ἐρεμβοί.

Moris autem antiquis fuiſſe, vt equi tributi nomine mitterentur, auctor eſt Herodotus lib. 2. de Darij tributis agens. Ἀπὸ δὲ Κιλίκων ἵπποι τε λευκοὶ ἑξήκοντα καὶ τριηκόσιοι, ἑκάστης ἡμέρης εἷς γινόμενος. *A Cilicibus verò equi candidi trecenti ſexaginta, vnus in ſingulos dies.* Strabo lib. 11. Τῆς Καππαδοκίας παρεχούσης τοῖς Πέρσαις κατ᾽ ἐνιαυτὸν πρὸς τῷ ἀργυρικῷ τέλει ἵππους χιλίους καὶ πεντακοσίους, ἡμιόνων δὲ δισχιλίους, προβάτων δὲ πέντε μυριάδας, διπλάσια σχεδόν τι τούτων ἐτέλουν οἱ Μῆδοι. *Cùm Cappadocia Perſis conferret vltra cenſum argenteum, quotannis equos* M D. *mulos* MM. *oues* 1ↃↃↃ. *ferè duplum eius Medi pendebant.* Quid ni igitur putemus ab his etiam prouinciis poſtquam in ditionem populi Romani conceſſerunt, equos vectigales exactos fuiſſe? cùm prætorum frequenter veterem in exigendis vectigalibus modum ſeruarent, ne qua nouitate prouincialium animos offenderent, vt de frumenti decimis lege Hieronica exactis ſcribit, Orator Verrina frumentaria, de didrachmo à Iudæis pendi ſolito Ioſephus, & Reſpub. permultis equis opus haberet. vt ex iis videri poteſt quæ narrat Liuius lib. 1. *Ad equos emendos* (Seruio regnante) *dena millia æris ex publica data, & quibus equos alerent viduæ attributæ, quæ bina millia æris in annos ſingulos penderent.* Certè innuere videtur Claudianus in laude Serenæ ab Illyricis equos vectigales fuiſſe collatos.

Namque aliæ gentes, quas fœdere Roma recepit,
Aut armis domuit, varios aptantur in vſus.
Imperij. Phariæ ſegetes, & Punica meſſis
Caſtrorum deuota cibo: dat Gallia robur
Militis: Illyricis ſudant equitatibus alæ.
Sola nouum Latiis vectigal Iberia rebus
Contulit, Auguſtos.-

Hereditatvm.] Alij per diphthongum ſcribunt *hæreditatū*. Bonâ cādidi lectoris veniâ, viſum eſt è noſtro Lælio Biſciola parte priore horarum IV.

ſubſeciuarum lib. 4. cap. 12. quædam ad hos cõmentarios eſſe transferenda. Hæredem, inquit, vno ore Grammatici ab hærendo dictum exiſtimant, quòd hæreat, qui hæres eſt, id eſt ei ſit, cuius hæreditatem adit, proximus: ab his plerique diſſentiunt, vt S. Primaſius in 2. cap. epiſtolæ ad
Heres. Hebræos. *Heres*, inquit, *ab hero dicitur, id eſt à domino, eò quòd in libera poteſtate in hereditate dominetur.* Ac certè nihil eſt aliud hereditas, quàm *ſucceſſio in vniuerſum ius quod defunctus habuit*, vt habetur lege, *Nihil aliud.* D. de verb. ſignificatione. Neque refert quòd alia ſit heri, heredis alia quantitas, vt multis probari poſſet: hoc etymon Caſſiodorus, & Cuiacius probant, aliíque non pauci. Certè apud veteres idem fuit *heres*, quod *herus*, ſiue dominus. Plautus Menæchmis actu tertio, ſcena 2. de palla quam abſtulerat vxori ſuæ Soſicles loquens.

-abſtuli

Hanc cuius hæres nunquam erit poſt hunc diem.

Alij ἀπὸ τῆς ἔρας, quo nomine Græci terram appellant, *hereditatis*, ſiue, vt frequens eſt apud Iureconſultos *ereditatis* nomen deriuare maluerũt. Veteres enim, vt ait Varro 1. de re ruſtica cap. 10. prædium vocabant heredium. *Antiquus noſter ager ante bellum Punicum pendebat bina iugera, quod à Romulo primùm diuiſa dicebantur viritim: quæ quod heredem ſequerentur, heredium appellarunt.* Feſtus: *Heredium, prædium paruulum.* Prateius abſurdum non putat ab erciſco heredẽ appellatum, quod verbum ſignificat diuido. Beatus Iſidorus 9. orig. cap. 5. ab ære ortum arbitratur. Placuiſſe videtur Ciceroni in Topicis: *Heditas pecunia eſt quæ morte alicuius ad quemquam peruenit.* Hæc Lælius, & vel Primaſij, vel Iſidori ſententiæ ſuffragatur. Addit ex Feſto: *Herem Marteam antiqui accepta hereditate colebant.*

COGEBAT EGESTAS.] Maro Georg. IV.

-Duris vrgens in rebus egeſtas.

Horatius:

-Paupertas impulit audax
Vt verſus facerem.- Item:
Magnum pauperis opprobrium iubet,
Quiduis & facere & pati.-

De qua, ne te morer, vide Theognidem à verſu 175.

ARGVMENTVM.

Inuehitur in vinolentiam Antonij, qui cùm eſſet Magiſter equitum tantum vini hauſit, vt poſtero die vomere ei neceſſe fuerit in populi Romani concione.

SED hæc, quæ robuſtioris improbitatis ſunt, omittamus: loquamur LIII.
potiùs de nequiſſimo genere leuitatis. Tu iſtis faucibus, iſtis lateribus, iſta gladiatoria totius corporis firmitate, tantum vini in Hippiæ nuptiis exhauſeras, vt tibi neceſſe eſſet in pop. Romani conſpectu vomere poſtridie. O rem non modò viſu fœdam, ſed etiam auditu! Si inter cœnam in ipſis tuis immanibus illis poculis hoc tibi accidiſſet, quis non turpe duceret? in cœtu verò populi Romani, negotium publicum gerens, magiſter equitum, cui ructare turpe eſſet, is vomens fruſtis eſculentis vinum redolentibus, gremium ſuum, & totum tribunal impleuit. Sed hoc ipſe fatetur eſſe in ſuis ſordibus: veniamus ad ſplendida.

EXPLANATIO.

SED HÆC.] Tranſitio, qua Orator ab iniuriis & rapinis, quæ aliquid roboris & audaciæ requirunt, ad nequitiam & ebrietatem delabitur.

DE NEQVISSIMO.] Aliàs *iniquiſſimo*, quod & frequentiùs. non dubitaui tamen cum Lambino, Gruttero & aliis legere *nequiſſimo*, ſententiâ poſtulante.

TV ISTIS.] Hunc locum Fabius frequenter expendit, vt lib. 8. cap. 4. *Obiecturus Antonio Cicero merum & vomitum, Tu, inquit, iſtis faucibus, &c. Quid fauces & latera ad ebrietatem? Minimè ſunt otioſa. Nam reſpicientes ad hæc poſſumus æſtimare, quantum ille vini in Hippiæ nuptiis exhauſerit, quod ferre & coquere non poſſet illa gladiatoria corporis firmitate.* Libro 9. cap. 4. *Augeri debent ſententiæ & inſurgere, vt optimè Cicero, Tu, inquit, iſtis faucibus, iſtis lateribus, iſtâ gladiatoriâ totius corporis firmitate. Aliud enim maius alio ſuperuenit. At ſi cœpiſſet à toto corpore, non bene ad latera fauceſque deſcenderet.* Paulò pòſt: *Sæpe tamen eſt vehemens aliquis ſenſus in verbo: quòd ſi in media parte ſententiæ latet, tranſiri intentione & obſcurari circumiacentibus ſolet: quale eſt illud Ciceronis, Vt tibi neceſſe eſſet in conſpectu populi Romani vomere poſtridie. Transfer vltimum, minùs valebit. Nam totius ductûs hic eſt quaſi mucro, vt per ſe fœdæ vomendi neceſſitati, iam nihil expectantibus hanc quoque adiiceret deformitatem, vt cibus teneri non poſſet poſtridie.* Et longè pòſt: *Creticus eſt initiis optimus. Quod precatus à Diis immortalibus ſum. Et clauſulis, In conſpectu populi Romani vomere poſtridie. Apparet verò quàm bene eum præcedant, vel anapæſtus, vel ille qui videtur fini aptior, pæon.*

GLADIATORIA.] Græci ἕξιν ἀθλητικὴν appellant, quia & gladiatores & athletæ toti ſunt in curãda cute, vt quã robuſtiſſimi fiant. vide Notas.

IN HIPPIÆ NVPTIIS.] Quas Hippia relicto priore marito Senatore, cum Sergio mimo & gladiatore contrahebat.

POSTRIDIE.] Fabius lib. 8. c. 4. *Sic ex conſequentibus amplificatio ducitur, ſiquidem tanta vis fuit vini erumpentis, vt non caſum afferret aut voluntatem, ſed neceſſitatem, vbi minimè deceret, vomendi: & cibus non recens, vt accidere interim ſolet, redderetur, ſed qui vſq; in poſterum diem redũdaret.*

O REM.] Exclamatione rem exaggerat. Plus eſt autẽ eſſe fœdum auditu quàm viſu, quia

Segnius irritant animos demiſſa per aures,
Quàm quæ ſunt oculis immiſſa fidelibus.

Sántque proinde nonnulla aſpectu fœda, quæ ſi narrentur, non vſque adeò fœda videantur: id autem eſt fœdiſſimum, quod ne dici quidem poteſt ſine fœditate.

SI INTER COENAM.] Argumentum à minori. Propoſitio, *Si inter*, &c. *turpe duceret.* Aſſumptio. *In cœtu*, &c. *tribunal impleuit.* Complexio videtur exclamatione contineri.

TVRPE DVCERET.] Hanc clauſulam expendit, & parum probat Fabius lib. 9. cap. 4. Idque vocat exultantiſſimum & trimetri finem.

IN COETV.] Inde Quintilianus cap. 4. lib. 8. *Creſcit oratio minùs apertè, ſed neſcio an hoc ipſo efficaciùs, quum citra diſtinctionem in contextu, & curſu ſemper aliquid priore maius inſequitur: vt de vomitu in Antonium Cicero: In cœtu verò populi Romani, negotium publicum gerens, Magiſter equitum. Singula incrementum habent. Per ſe deforme, vel non in cœtu vomere: in cœtu etiam non populi: populi etiam non Romani: vel ſi nullum negotium ageret, vel ſi non publicum: vel ſi non Magiſter equitum. Sed alius diuideret hæc, & circa ſingulos gradus moraretur: hic in ſublime etiam currit, & ad ſummum peruenit non nixu, ſed impetu. Verùm vt hæc amplificatio in ſuperiora tendit, ita quæ fit per comparationem, incrementum ex minoribus petit. augendo enim quod eſt infrà, neceſſe eſt extollat id quod ſuprà poſitum eſt: vt idem atque in eodem loco, ſi hoc tibi inter cœnam*, &c. Addit: *Nec putet quiſquam hoc, quanquam eſt ſimile, illi ex argumentis loco, quo maiora ex minoribus colliguntur, idem eſſe. illic enim probatio petitur: hîc amplificatio*, &c. *eſt tamen quanquam diuerſarum rerum quædam vicinia.*

VOMENS.] Idem Fabius lib. 8. exeunte profert hoc exemplum, & ad eam hyperboles ſpeciem refert, qua *plus facto dicimus.* Et libro 9. cap. 4. hoc idem adfert aptæ & concinnæ compoſitionis exemplum, in qua *plurimùm refert quæ quibus anteponas.* Atque hinc aduertis, quo tandem artificio præclarus Orator rem per ſe auditu fœdam tractauerit, vix vt vllum inuenias locum illuſtriorem, quem Rhetor, & Fabius Rhetor toties expenderit.

SED HOC.] Tranſitio ad ſectionem bonorum Cn. Pompeij.

NOTÆ.

I. NEQVISSIMO GENERE LEVITATIS.] Vide dicta ad Sextianam 22. *Nequam eſſe hominem & leuem.*

II. GLADIATORIA.] Eodem genere locutionis Plautus Epidico ſc. 1.

EPID. *Quid herilis noſter filius valet?*
THESPRIO. *Pugilicè atque athleticè.*

Et Bacchidibus actu 2. ſc. 3.

NICOB. *Benè ne vſque valuit?*
CHRYSALVS. *Pancraticè, atque athleticè.*

De hoc athletico habitu multa doctiſſimus Faber lib. 3. Agoniſticon cap. 1. vbi & refert illud Galeni lib. ὑγιεινῶν 3. non longè ab initio. ὁ δὲ νῦν ἡμῖν προκείμενος ἄνθρωπος οὐκ ἀθλητικὴν εὐεξίαν, ἀλλ' ἁπλῶς ὑγίειαν ἔχει τὸν σκοπόν. *Homo autem de quo nunc agimus, non gladiatoriam corporis firmitatem, ſed ſimpliciter ſanitatem pro fine habet.* Item commentario ad tertium aphoriſmum Hippocratis. Τῆς δὲ τῶν ἀθλητῶν εὐεξίας, οὐ μικρὸν τοῦτό ἐστιν ἔγκλημα τὸ περιβάλλεσθαι περιττὸν μέγεθος ὄγκου κατὰ τὸ σῶμα. *Gladiatoria firmitas non parum reprehenditur, quòd ad magnam corporis molem excreſcat.* Scio quidem Athletas Græcorum fuiſſe, gladiatores Romanorum: verti tamen ἀθλητικὴν εὐεξίαν, *gladiatoriam corporis firmitatem.* Plinium ſecutus qui libro 18. cap. 7. Athletas Græcorum gladiatores appellat. *Antiquiſſimum in cibis hordeum, ſicut Athenienſium ritu, Menandro auctore apparet, & gladiatorum cognomine, qui hordearij vocabantur.* Quòd ſi exemplum deſideras gladiatoriæ firmitatis, habes apud Plinium lib. 7. cap. 20. *Corpore veſco, ſed eximius viribus Tritanum, in gladiatorio ludo, ac Samnitium armaturâ celebrem, filiúmque eius militem Magni Pompeij, & rectos & tranſuerſos cancellatim toto corpore habuiſſe neruos, in brachiis etiam, manibúſque auctor eſt Varro, &c. atque etiam hoſtem ab eo ex prouocatione dimicantem, inermi dexterâ, vno digito ſuperatũ, & poſtremò correptum in caſtra tranſlatũ.* Quod ad athleticam voracitatẽ bibacitatémque ſpectat, Athenæus lib. 10 Θεαγένης δ' ὁ Θάσιος ἀθλητὴς ταῦρον μόνος κατέφαγε. *Theagenes Thaſius athleta ſolus taurum comedit* vide de hoc epigramma Poſidippi. Milo Crotoniates, vt ſcribit Theodorus Hierapolitanus: ἤσθιε μνᾶς κρεῶν εἴκοσι, καὶ τοσούτους ἄρτους, οἴνου δὲ τρεῖς χόας ἔπινεν. *Manducabat mnas carnium viginti, panis totidem, tres vini choas ebibebat.* Idem Olympiæ taurum quadrimum humeris impoſitum vno ſtadio circumtulit, & in fruſta diſcerptum comedit. Phylarchus,

Ὃς γὰρ ἐπωμάδιον βοῦν ἄζυγον, ἐς κρέα τόνδε
Κόψας, πάντα κατ' οὖν μοῦνος ἐδαίσατό νιν.
Indomitum namque ille bouem circumtulit, atque
Fruſtatim ſecuit ſolus & edit eum.

Ἀμάρανθος δὲ ὁ Ἀλεξανδρεὺς ἐν τοῖς περὶ σκηνῆς, Ἡρόδωρόν φησι τὸν Μεγαρέα σαλπιγκτὴν γενέσθαι, τὸ μὲν μέγεθος πηχῶν τριῶν καὶ ἡμίσους, εἶναι δὲ καὶ ταῖς πλευραῖς ἰσχυρόν. ἐσθίειν δ' ἄρτου μὲν χοίνικας ἕξ, κρεῶν δὲ λίτρας εἴκοσιν οἵων ἂν εὑρήκοι, πίνειν δὲ χόας δύο, καὶ σαλπίζειν ἅμα σάλπιγξι δυσί. *Amaranthus Alexandrinus lib. de rebus ſcenicis, ait Herodorum Megarẽſem tubicinem fuiſſe, magnitudine trium ſexqui cubitorum, magna laterum firmitate, comediſſe panis ſex chœnicas, carniũ quarumlibet libras viginti, bibiſſe choas duas, tubis duabus ceciniſſe.* quæ referre placuit, quãuis athleta non eſſet, vt videres in voracibus & bibacibus notari laterum firmitatem. Theocritus Idyllio 4.

Καὶ τὸ ποταῷον τὸ Λακίνιον, ᾇπερ ὁ πύκτας
Αἴγων ὀγδώκοντα μόνος κατεδαίσατο μάζας.
Quáque ſub auroram ſe Diua Lacinia tollit
Ægon ſolus vbi pugil octoginta placentas
Edit.

TANTVM VINI] De ebrietate Antonij Plinius lib. 15. cap. vltimo. *Tergilla Ciceronem M. filium binos congios ſimul haurire ſolitum ipſi obiicit: Marcóque Agrippæ à temulento ſcyphum impactũ. Etenim hæc ſunt ebrietatis opera. Sed nimirum hanc gloriam auferre Cicero voluit interfectori patris ſui M. Antonio. Is enim ante eum auidiſſimè apprehenderat hanc palmam, edito etiam volumine de ſua ebrietate: quo patrocinari ſibi auſus, approbauit planè (vt equidem arbitror) quanta mala per temulentiam terrarum orbi intuliſſet. Exiguo tempore ante prælium Actiacum id volumen euomuit: quo facilè intelligatur ebrius iam ſanguine ciuium, & tanto magis eum ſitiens.* Lepidum illud apud Macrobium libri 2. Saturnal. capite ſecundo. III.

Poſt Mutinenſem fugam quærentibus quid ageret Antonius, reſpondiſſe familiaris eius ferebatur: Quod canis in Ægypto, bibit & fugit. Quoniam in illis regionibus conſtat canes raptu crocodilorum exterritos currere & bibere. id eſt, fugere dum bibunt. Quam vinolentiam adeò non diſſimulabat, vt *nouum ſe Liberum Patrem appellari iuberet,* inquit Velleius lib 2. & *redimitus hederis, coronáque velatus aurea, & thyrſum tenens, cothurniſque ſuccinctus, curru velut Liber Pater* veheretur. Dio lib. 48. Καὶ Διόνυσον ἑαυτὸν νέον αὐτός τ' ἐκάλει, καὶ ὑπὸ τῶν ἄλλων ὀνομάζεσθαι ἠξίου. ἐπειδή τε οἱ Ἀθηναῖοι πρός τι τοῦτο καὶ πρὸς τὰ ἄλλα τὴν Ἀθηνᾶν αὐτῷ κατηγγύησαν, δέχεσθαί τε τὸν γάμον, ἔφη, καὶ προῖκα μυριάδας ἑκατὸν παρ' αὐτῶν ἐξέπραξε. *Nouum ſe Liberum Patrem nominauit, idque nominis ſibi tribui ab aliis voluit. cúmque Athenienſes inter reliquos honores ei etiam Mineruam deſpondiſſent, probare ſe id matrimonium dixit, dotiſque nomine quadragies ſeſtertium exegit.* Idem narrat Seneca 1. Suaſoria, aitque eum *hoc nomen ſtatuis ſubſcribi iuſſiſſe, & dotis nomine imperaſſe mille talenta.* Tum ex Græculis quidam ait, Κύριε, ὁ Ζεὺς τὴν μητέρα σου Σεμέλην ἄπροικον εἶχε. Huic quidem impune fuit; ſed Athenienſium ſponſalia mille talenta æſtimata ſunt.

LV. IN HIPPIÆ NVPTIIS.] Rem ita narrat Plutarchus: Λέγεται γοῦν ὡς ἐν Ἱππίου ποτὲ τοῦ μίμου γάμοις ἑστιαθεὶς, καὶ πιὼν διὰ νυκτὸς, εἶτα πρωῒ τοῦ δήμου καλοῦντος εἰς ἀγορὰν, προελθὼν ἔτι τροφῆς μεστὸς ἐμέσειε, τῶν φίλων τινὸς ὑποσχόντος τὸ ἱμάτιον. *Dicitur cùm in Hippiæ mimi nuptiis conuiuans tota nocte perpotaſſet, mane populo in concionem vocato, cùm prodiiſſet, crapula adhuc plenus vomuiſſe, quodam amicorum veſtem ſubmittente.* Sed præter quàm quòd nuptiarum nomen quadrat in fœminas potiùs quàm in viros, quod ipſo nuptiarum die flammeo nuberentur, id eſt, operirentur & tegerentur, iam ſuprà diximus ex Iuuenale, Hippiam matronam Sergio mimo adhæſiſſe.

Atenim Hippia illa Iuuenalis fuerat
Nupta Senatori. -

Mulieres autem maritos ſuos repudiare non poterant, quare dicendum eſt illas Hippiæ & Sergij nuptias non fuiſſe Romæ celebratas, nec eam omnino Sergio nupſiſſe, ſed adulterio fuiſſe coniunctam, & clam arreptâ fugâ Alexandriam nauigaſſe. Quod etiam innuit loco citato Iuuenalis:

Quæ mœcham ſequitur, ſtomacho valet.

Plutarchus in Romulo: Ἔθηκε δὲ καὶ νόμους τινάς, ὧν σφοδρὸς μέν ἐστιν ὁ γυναικὶ μὴ διδοὺς ἀπολείπειν ἄνδρα, γυναῖκα δὲ διδοὺς ἐκβάλλειν ἐπὶ φαρμακείᾳ τέκνων, ἢ κλειδῶν ὑποβολῇ, ἢ μοιχευθεῖσαν. *Leges quaſdam tulit, quarum grauis eſt illa mulieri non permittens à marito diſcedere, marito vxorem repudiare permittens, ſi vel liberos veneno necaſſet, vel claues ſubieciſſet, vel adulterio ſe polluiſſet.* Magnum eſt fateor apud me Plutarchi nomen, auctoritas grauis, nec temerè auſim à tanto viro diſcedere. Multis tamen exemplis conſtat vxores à maritis feciſſe diuortium, etiam vel leuibus de cauſis, vel omnino nullis. Cœlius ad Ciceronem epiſtolâ ſeptimâ: *Paula Valeria ſoror Triarij diuortium ſine cauſa, quo die vir prouinciâ venturus erat, fecit. Nuptura eſt Decimo Bruto. Nondum (res ſuas) retulerat.* Martialis lib. 6. epigr. 7.

Aut minus, aut certè non plus triceſima lux eſt,
Et nubit decimo iam Teleſina viro.
Quæ nubit toties, non nubit, adultera lege eſt, &c.

Quibus ſignificat nullam aliam tot diuortiorum cauſam fuiſſe præter incontinentiam muliebrem. Seneca de beneficiis lib. 3. cap. 16. *Numquid iam vlla repudio erubeſcit, poſtquàm illuſtres quædam ac nobiles fœminæ non Conſulum numero, ſed maritorum annos ſuos computant, & exeunt matrimonij cauſâ, nubunt repudij.* Iuuenalis Sat. 6.

Imperat ergo viro: ſed mox hæc regna relinquit,
Permutátque domos, & flammea conterit: inde
Aduolat & ſpreti repetit veſtigia lecti.
Ornatas paulò ante fores: pendentia linquit
Vela domus, & adhuc virides in limine ramos.
Sic creſcit numerus: ſic fiunt octo mariti
Quinque per autumnos: titulo res digna ſepulchri.

Nonnunquam ob cauſas leues. Martialis libro 10. epigr 41.

Menſe nouo Iani veterem Proculeia maritum
Deſerit, atque iubet res ſibi habere ſuas.

quia videlicet maritus ſumptûs facturus erat.

-Prætor erat
Conſtatura fuit Megalenſis purpura centum
Millibus. -
Et populare ſacrum bis millia dena tuliſſet.

Vt mirum non ſit repudiatos fuiſſe viros ob cauſas grauiores. Seneca de beneficiis libro 4. cap. 27. *Malè filiæ conſulit, qui illam contumelioſo & ſæpè repudiato collocauit.* Sic apud Iuſtinum Martyrem mulier Chriſtiana maritum Ethnicum repudiauit, à quo ad nefarias quaſdam impuritates impellebatur, & ab eo τὸ λεγόμενον παρ' ὑμῖν ῥεπούδιον δοῦσα, ἐχωρίσθη. *dato, vt vos appellatis, repudio, fecit diuortium.* Videatur Plautus Menæchmis actu 5. ſc. 1. 2.

Quid id ad me? tu te nuptam poßis perpeti
An ſis abitura à tuo viro?

Et alia plura, quibus videtur Plautus ad mores iam ætate ſuâ Romæ receptos alludere, nam & mulier à viro diſceſſura patrem ſui facti vocat auctorem; more videlicet maiorum, qui mulieres ſine auctore nihil agere voluerunt, vt iam notauimus in Cœlianam. Sed cùm hæc comœdia ſit palliata, fortaſſe nihil ex ea colligi poteſt quòd ad mores Romanorum pertineat, cùm præſertim id moris fuerit Athenis: nam & mulieres auctores adhibebant, quos Ariſtophanes κυρίους in Equitibus, Dinarchus contra Ariſtogitonem προστάτας appellat, & à maritis diuertebant. Andocides in Alcibiadem: ἠνάγκασε τὴν γυναῖκα σωφρονεστάτην οὖσαν ἀπολιπεῖν, ἐλθοῦσαν πρὸς τὸν ἄρχοντα κατὰ τὸν νόμον. *Coëgit vxorem, cùm eſſet temperantiſſima, cùm ex legibus magiſtratum adiſſet, à ſe diuertere.* De Romanis expreſſiùs Valerius Maximus lib. 8. cap. 1. *A. Attilium Calatinum Soranorum oppidi proditione reum admodum infamem imminentis damnationis periculo Q. Maximi Soceri pauca verba ſubtraxerunt: quibus affirmauit, ſi in eo crimine ſontem illum ipſe comperiſſet, diremptorum ſe fuiſſe affinitatem.* Quintus autem Fabius Maximus eodem tempore floruit quo Spurius ille Caruilius, qui primus Romanorum repudiauit vxorem, adeò vt ipſi in Conſulatu ſucceſſerit. vt videas eodem tempore quo repudiari cœperunt vxores, ius etiam vxoribus fuiſſe à maritis diuertendi. Quare Plutarcho reſpondendum eſt (neque enim ab eo diſcedere placet) legi Romuli poſte-

rioribus legibus vel moribus derogatum fuiſſe: neque quidquam obſtitiſſe quò minùs à marito priſtino Senatore Hippia diuerteret, vt cum Sergio Mimo matrimonium iniret. Sed res in medio relinquatur, cùm præſertim Iuuenalis de Hippia quadam & Sergio Ludio, qui Domitiani tempore vixerint, loquutus eſſe videatur:

Immemor illa domùs, & coniugis atque ſororis,
Nil patriæ indulſit, plorantéſque improba natos,
Vtque magis ſtupeas ludos Paridémque reliquit.

Paris autem floruit æuo Domitiani: quare dicendum eſt vel alios fuiſſe Sergium & Hippiam, ab iis quorum Cicero facit mentionem, vel Paridem pro quouis ludio à Poëta vſurpari, vel denique pro *Paridémque*, legendum *Pyladémque.* Siquidem, vt ait Zoſimus lib. I. hiſtoriarum: Κατὰ τὴν Ὀκταβιανοῦ βασίλειαν. *Circa Octauiani regnum* is florebat. ἥ τε γὰρ παντόμιμος ὄρχησις ἐν ἐκείνοις εἰσήχθη τοῖς χρόνοις, οὔπω πρότερον οὖσα, Πυλάδου καὶ Βαθύλλου πρώτων αὐτὴν μετελθόντων. Quam lectionem eò faciliùs admiſerim, quòd paucis antè verſibus Bathylli quoque fecerat mentionem,

Chironomon Ledam molli ſaltante Bathyllo.

vt cùm hæc ſcriberet, Auguſti & Antonij tempora præ oculis habuiſſe videatur. ſed rurſus viderint eruditi.

IMMANIBVS POCVLIS.] In Piſonem v.
C7. *Maximi calices.* Baſilius Magnus, εἰκάλῳ ὠμιγέθη. Quantus autem fuerit luxus in huiuſmodi poculis comparandis, quanta multorum inſania, videri poteſt è Plinio lib. 15. cap. vltimo: *Iam verò quæ vaſa adulteriis cælata? tanquam per ſe parum doceat libidines temulentia. Ita vina ex libidine hauriuntur.* & proœmio lib. 33. *In poculis libidines cælare iuuit, ac per obſcœnitates bibere. Abiecta deinde ſunt hæc & ſordere cœpere: & auri argentíque nimium fuit. murrhina & cryſtallina ex eadem terra effodimus, quibus pretium faceret ipſa fragilitas,* &c. *Nec hoc fuit ſatis, turba gemmarum potamus, & ſmaragdis teximus calices: ac temulentiæ cauſa tenere Indiam iuuat: & aurum iam acceſſio eſt.* Vide Nonnium Marcellum de variis poculorum generibus, Athenæum lib. II. Pollucem.

FRVSTIS ESCVLENTIS.] Homerus 9. Odyſſ.

-φάρυγος δ' ἐξέσσυτο οἶνος
Ψωμοί τ' ἀνδρόμεοι· ὁ δ' ἐρεύγετο οἰνοβαρείων.

Quod ita Virgilius expreſſit:

-Saniem eructans, ac fruſta cruenta
Per ſomnum commixta mero.-

ARGVMENTVM.

Inuecturus in M. Antonium, quòd in auctione publicâ ſector fuerit bonorum Cn. Pompeij, illius auctionis miſeriam deplorat. quâ bona Pompeij voci præconis & haſtæ publicè ſubiecta fuerant.

LIV. CÆSAR Alexandriâ ſe recepit, fœlix, vt ſibi quidem videbatur: meâ autem ſententiâ, niſi qui Reipubl. ſit fœlix, fœlix eſſe nemo poteſt, haſtâ poſitâ pro æde Iouis Statoris bona Cn. Pompeij (miſerum me, conſumptis enim lacrymis, tamen infixus animo hæret dolor) bona, inquam, Cn. Pompeij Magni, voci acerbiſſimæ ſubiectâ præconis, vna in illa re ſeruitutis oblita ciuitas ingemuit, ſeruientibúſque animis, cùm omnia metu tenerentur, gemitus tamen populi Romani liber fuit.

EXPLANATIO.

CÆSAR.] In vulgatis paſſim legitur, *Cæſar Alexandriam ſe recepit*, ſed reponunt *Alexandria* viri eruditi. & ſanè ſenſus exigit, vt ita legatur, interpretemúrque factam eſſe auctionem bonorum Cn. Pompeij, poſtquam Cæſar confecto bello Alexandrino Romam repetiit. ſignanter autem *ſe recepit*, quia ſe recipere dicuntur, qui ex aliquo periculo incolumes euaſerint. Cæſar autem Alexandriæ, vt Tranquilli verbis vtar, *Cùm Ptolemæo Rege, à quo ſibi quoque inſidias tendi videbat, bellum ſanè difficillimum geſſit: neque loco, neque tempore æquo, ſed hieme anni & intra mœnia copioſiſſimi ac ſolertiſſimi hoſtis inops ipſe rerum omnium atque imparatus.* Neque refert quòd non continuò Romam Alexandriâ contendit, ſed *ab Alexandria in Syriam & inde Pontum tranſiit*, tam celeriter enim eas regiones obiit, vt non opus habuerit Orator illius itineris facere mentionem. Pharnacem enim *intra quintum, quam adfuerat diem, quatuor, quibus in conſpectum venerat, horis vnâ profligauit acie.* vt nihil aliud ad Senatum de hac victoria reſcripſerit, quàm VENI, VIDI, VICI.

FOELIX.] Qui bellum illud Alexandrinum tam periculoſum, tantâ felicitate confecerat. Non autem omnino fuiſſe felicem ait, ſed tantùm *vt ſibi quidem videbatur*, quia non poteſt eſſe in ſcelere vlla felicitas, & commodè ſententiam moralem interfecit.

HASTA POSITA.] In auctionibus publicis haſtam figebant eo loco, vbi res venales ſubiiciebantur auctioni, fortaſſe quia publicarum auctionum origo fuit ex venditione prædæ armis & haſtâ partæ.

PRO ÆDE.] Ante ædem Iouis Statoris in radice montis Palatini, inter Palatium & Capitolium.

MISERVM ME.] Egregiam reddit miſeriæ ſuæ rationem, quia cùm in cæteris miſeriis lacrymæ conſolationem adferant, & dolor in pectore conceptus per lacrymas egeratur, tantum ex proſcriptione bonorum Pompeij hauſerat

animo dolorem, vt ne lacrymæ quidem potuerint adferre ſolatium, ſed fruſtra conſumptæ fuerint, nec vllo modo dolorem illum egeſſerint.

Bona, inqvam.] Hoc exemplum geminationis poſt aliquam interiectionem cum vehementia repetitæ profert Quintilianus lib. 9. cap. 3. Aduertenda verò ſingulorum verborum energia. Miſerum eſt *bona* cuiuſquam publicari, quanto miſerius *bona Cn. Pompeij*, & bona illius Pompeij qui ob Remp. bene geſtam, ob propagatum imperium *Magni* cognomen fuerat conſequutus; neque quolibet modo publicari, ſed haſtâ poſitâ, quaſi res bello partæ, quaſi prædæ hoſtium venderentur: & *ſubiici voci præconis*, in illa vrbe in qua fuerat princeps, & *voci acerbiſſimæ* fortaſſe non ſine dicteriis & ſarcaſmis.

Vna in illa.] A variis adiectis, à gemitu populi Romani, quaſi quibuſdam gradibus cumulat orationem: neque temerarium eſt quod ait *vna in illa re*, hinc enim mirum in modum exaggeratur proſcriptionis illius atrocitas: quia cùm populus Romanus in cæteris imperij Romani ruinis, in bonorum direptione, in cæde tot ciuium à lacrymis & gemitu ſibi temperaſſet, non potuit tamen lacrymas in auctione bonorum Pompeij continere: & in vna illa re ſeruitutis oblitus eſt, neque metu armorum Cæſaris incluſus animo dolor impediri potuit, quo minus per gemitus erumperet. Hinc etiam deploratur ſtatus ciuitatis, dum dicitur populus Romanus adeò Cæſaris armis, crudelitate Antonij oppreſſus fuiſſe, vt ne gemere quidem liberè auderet, & ſi gemuit in illa proſcriptione bonorum Pompeij, id faceret ex obliuione ſeruitutis: quaſi cùm hinc dolor, gemendi, illinc ſeruitus non gemendi neceſſitatem imponerent, in cæteris rebus ſeruitus & timor dolorem ſuperaret, in hac vna re dolor ſeruitutis & doloris obliuionem induceret. Quo maior autem eſt illius facti indignitas, eò maior in Antonium, qui ſector fuit, inuidia redundat.

NOTÆ.

I. Se recepit.] Frequenter apud Ciceronem, *ſe recipere*, eſt ſimpliciter redire: hîc tamen expreſſiùs vocabuli proprietatem obſeruat, vt recipi dicantur quæ ex aliquo periculo liberantur, vt 1. Æneidos:

Tum Cererem corruptam vndis, frugéſque receptas, &c. Sexto:

Recipere. *Illum ego per flammas & mille ſequentia tela*
Eripui his humeris medióque ex hoſte recepi.

Nono;

Accipe præterea fortunæ parua prioris
Munera, relliquias Troia ex ardente receptas.

II. Hasta posita.] De more. Paulus ex Feſto: *Haſtæ ſubiiciebantur ea, quæ publicè venundabat: quia ſignum præcipuum eſt haſta. Nam & Carthaginienſes cùm bellum vellent, Romam haſtam miſerunt: & Romani fortes viros ſæpè haſtâ donarunt.* Sed nota Pauli barbaries in Feſto mutilando: non dubito Feſtum ſcripſiſſe, *quæ publicè venundabant, præſertim ex præda bello capta, quia belli ſignum*, &c. vel aliud eiuſmodi. Dionyſius Halicarnaſſeus lib. 4. antiq. Roman. Ὠνησάμενοι παρὰ τοῦ δημοσίου τοὺς ὑπὸ δόρυ πωλουμένους ἐκ τῶν λαφύρων. *Ementes è publico eos qui ſub haſta venduntur è præda.* Et quamuis in omnibus auctionibus haſta ponebatur, è præda tamen origo manauit, Res vendibiles haſtæ ſubiiciebantur. haſtæque poſitio belli ciuilis memoriam renouabat. Huiuſmodi verò haſtam in auctione crebrò quatiebant. S. Ambroſius lib. de Tobia cap. 8. *Pro alimonia ſeruitutem recognoſcant, pro ſumptu licitationem ſubeant. Agitetur haſta de preciis ſingulorum. Non immeritò haſta agitatur vbi caput, non immeritò ad auctionem peruenitur, vbi ſors poſcitur.* De ſubhaſtatione Iuuenalis Sat. 3.

Et præbere caput dominâ venale ſub haſtâ.

Tertullianus apologetico capite 13. *Publicos Lares*, &c. *in haſtario vectigales habetis. Sic Capitolium ſicut olitorium forum petitur: ſub eadem voce præconis, ſub eadem haſta, ſub eadem annotatione Quæſtoris diuinitas addicta conducitur.* Valerius Maximus cap. 1. lib. 5. *A Quæſtore ſuo haſtæ ſubiectos captiuos vendente puer eximiæ formæ & liberalis habitûs miſſus eſt.* 1. Agraria cōtra Rullum §. 6. *Num obſcurè videntur propè haſtâ præconis inſectari Cn. Pompeij exercitum, qui venire iubeant eos ipſos agros, in quibus ille etiam nunc bellum gerat atque verſetur.* & ſecundâ §. 52. *An Pompeium non adhibebit? in eius prouincia vendet manubias Imperatoris? Ponite ante oculos vobis Rullum in Ponto, inter veſtra atque hoſtium caſtra, haſtâ poſitâ, cum ſuis formoſis finitoribus auctionantem.*

Cæterùm vides ex Tertulliano in huiuſmodi auctionibus tria fuiſſe, haſtam, vocem præconis, annotationem Quæſtoris. Annotatio, vt videtur, fuit inſcriptio quædam ſiue titulus. Tibullus lib. 2. elegia 4.

Quin etiam ſedes iubeat ſi vendere auitas Titulus ſiue annotatio rerum vendibilium.
Ite ſub imperium, ſub titulúmque Lares.

Ouidius lib. 1. de remedio:

Sub titulum noſtros miſit auara Lares.

Noſter pro Quintio 49. libellos appellat: *De quo libelli in celeberrimis locis proponuntur*, &c. *cui magiſtri fiunt & domini conſtituuntur, qui qua lege & qua conditione pereat, pronuntient: de quo homine præconis vox prædicat, & pretium conficit*, &c.

Iovis Statoris.] Varia fuerunt Iouis cognomenta. Lilius Giraldus ſyntagmate ſecundo trecenta collegit. Stephanus Hudelotus Societatis Noſtræ vir eruditus Gymnadum miſcellarum lib. 4. c. 13. adiecit quinquaginta. Quas ille Gymnadas multiplici eruditione ſpectabiles, morte præuentus abſoluere non potuit. Spero non defore qui extremam manum adhibeat, & partum hunc poſtumum, adſpirante Deo, in lucem emittat. De Ioue Statore omnes paſſim qui primam Romanorum originem litteris prodiderunt. Liuius lib. 1. Plutarchus in Romulo, alij. Sabini ob raptum Sabinarum bellum Romanis intulerant, & iam Tarpeiam arcem occupauerant, *atque inde poſtera die*, inquit Liuius, *cùm Romanus exercitus inſtructus, quod inter Palatinum Capitolinúmq. collem campi eſt, compleſſet: non priùs deſcenderunt in æquum, quàm ira & cupiditate recuperandæ arcis ſtimulante animos, in aduerſum Romani ſubiere.* Iupiter Stator. Manibus collatis Romulus impulſam ſuorum aciem videns, Ædem Statori Ioui, ſi Romanos ſtare faceret, vouit, & eodem, vbi ſteterant loco, excitauit. Ouidius 6. faſtorum exeunte:

Tempus idem Statoris erit, quod Romulus olim
Ante Palatini condidit ora iugi.

Orator 1. in Catilinam 11. *Magna Diis immortalibus habenda eſt gratia, atque huic ipſi Ioui Statori, antiquiſſimo cuſtodi huius vrbis, quòd hanc tetram, tam horribilem, tam infeſtam Reipub. peſtem toties iam effugimus.* de finibus. *Cùm Iouem Salu-*

tarem, Hoſpitalem, Statorem dicimus, hoc intelligi volumus ſalutem hominum in eius eſſe tutelâ. Aduertit ſuprà laudatus Hudelotus extare nummum Gordiani Imperatoris ad annum V. C. XM. in quo pro prioris partis commate eſt caput laureatum; pro poſterioris, Iupiter ſtans, ſiniſtrâ fulmen, dextrâ haſtam gerens, cum duabus hiſce dictionibus IOVI STATORI. Ex qua effigie colligit vix differre à Tonante, aut Capitolino, aut Cuſtode.

IV. CONSVMPTIS ENIM LACRYMIS.] Maior fuit ille dolor, quàm vt potuerit lacrymis mitigari. Lacrymis autem dolorem ſedari multis oſtendimus pro Sextio 32. *Quis tyrannus miſeros lugere vetuit?* Et in Piſonem 18. *Quis hoc fecit vlla in Scythia tyrannus, vt eos, quos luctu afficeret, lugere non ſineret: mœrorem relinquis, mœroris aufers inſignia. Eripis lacrymas non conſolando, ſed minando.* Vnde, vt ait Seneca Rhetor controuerſia prima lib. 4. *Nulla flendi maior eſt cauſa, quàm flere non poſſe.* Et ex hoc capite etiam Ezechiel Propheta Iudæorum cladem exaggerat cap. 24. *Et factum eſt verbum Domini ad me, dicens: Fili hominis, ecce ego tollo à te deſiderabile oculorum tuorum in plaga, & non planges, neque plorabis, neque fluent lacrymæ tuæ. Ingemiſce tacens, mortuorum luctum non facies,* &c. *Non plangetis, neque flebitis, ſed tabeſcetis in iniquitatibus veſtris.* Quam calamitatem Hieronymus in caput primum Sophoniæ his verbis eleganter exponit: *Vt ruinam ſuæ eis flere liceat ciuitatis, pretio redimunt: vt qui quondam emerant ſanguinem Chriſti, emant lacrymas ſuas, & ne fletus quidem gratuitus ſit. Videas in die quo capta eſt à Romanis & diruta Hieruſalem, venire populum lugubrem, confluere decrepitas mulierculas, & ſenes pannis, annísque obſitos, in corporibus & in habitu ſuo iram Domini demonſtrantes. Congregatur turba miſerorum, & patibulo Domini coruſcante, ac radiante ἀναστάσει eius, de Oliueti monte quoque fulgente vexillo, plangere ruinas templi ſui populum miſerum, & tamen non eſſe miſerabilem: adhuc fletus in genis, & liuida brachia, & ſparſi crines, & miles mercedem poſtulat, vt illis flere plus liceat.*

Lacrymæ cōſolantur.

V. CN. POMPEII MAGNI.] Quando, quáue occaſione Pompeius Magni cognomentum acceperit, dubitatur. Plutarchus in eius vita, id ei nominis adhæſiſſe dicit ex bello Africano, cùm Sylla redeunti προσελθὼν ἀπήντησεν αὐτῷ, καὶ δεξιωσάμενος, ὡς ἐνῆν προθυμότατα, μεγάλῃ φωνῇ Μάγνον ἠσπάσατο, καὶ τοὺς παρόντας οὕτως ἐκέλευσε προσαγορεύειν. *Obuiam progreſſus occurrit illi, eúmque, quàm potuit, propenſiſſimè excepit, & magnâ voce Magnum ſalutauit, eóſque qui aderant iuſſit, vt ita ſalutarent.* Ἕτεροι δέ φασιν ἐν Λιβύῃ πρῶτον ἀναφώνημα τοῦτο τοῦ στρατοῦ παντὸς γενέσθαι, κράτος δὲ λαβεῖν, καὶ δύναμιν ὑπὸ Σύλλα βεβαιωθῆν. *Alij verò dicunt hanc appellationem primùm ab vniuerſo exercitu in ipſa Libya profectam eſſe, ſed à Sylla confirmatam vim habuiſſe.* Cui videtur Plinius maior lib. 7. cap. 26. ſubſcribere: *Africâ verò totâ ſubactâ, & in ditionem redactâ. Magníque nomine ſpolio inde capto, Eques Rom. (id quod anteà nemo) curru triumphali reuectus eſt.* Pergit Plutarchus: Αὐτὸς μέν τοι πάντων ὕστατος, καὶ μετὰ πολὺν χρόνον εἰς Ἰβηρίαν ἀνθύπατος ἐκπεμφθεὶς ἐπὶ Σερτώριον, ἤρξατο γράφειν ἑαυτὸν ἐν ταῖς ἐπιστολαῖς, καὶ τοῖς διατάγμασι Μάγνον Πομπήϊον. οὐκ ἔτι γὰρ ἦν ἐπίφθονον τοὔνομα συνήθες γενόμενον. *Ipſe autem omnium poſtremus, & longo pòſt tempore, cùm in Hiſpaniā contra Sertorium pro Conſule miſſus eſſet, occœpit in epiſtolis & decretis ſe Pompeium Magnum inſcribere. Id enim nomen iam inuidioſum non erat apud homines aſſuetos.* Inſinuatur autem in vita Craſſi ab ipſo populo inditum fuiſſe: Οὐ ὑμεῖς μήπω γενειῶντα Μέγαν ἀνηγορεύσατε. *Quem vos nondum primâ lanugine ornatum Magnum appellaſtis.* At Appianus bello Mithridatico huius nominis occaſionem aſſignat: Καὶ μάλιστα δοκεῖ τόνδε τὸν πόλεμον ἡγεῖσθαι μέγαν, καὶ τὴν ἐπ' αὐτῶν νίκην μεγάλην καλεῖν, καὶ τὸν στρατηγήσαντα Πομπήϊον Μέγαν τῇ ἰδίᾳ φωνῇ μέχρι νῦν ἐπονομάζειν. *Et maxime videtur* populus Romanus *hoc bellum magnum putaſſe, & relatam de his* Mithridate & Tigrane *victoriam magnam vocaſſe, & eum qui illi bello præfuerat Cn. Pompeium, ſua linguâ Magnum appellaſſe.* viderint eruditi. Certè ante confectum bellum Mithridaticum id Pompeio cognomentum adhæſerat. 2. Agrariâ contra Rullum §. 51. CN. POMPEIO CN. F. *non adeo adſcripturum* MAGNO.

Pompeius vnde Magni nomē habuerit.

VOCI ACERBISSIMÆ.] Liuius lib. 2. cùm de pace inita cum Porſena Rege Hetruſcorum pluribus egiſſet: *Huic,* inquit, *tam pacatæ profectioni ab Vrbe Regis Hetruſci abhorrens mos, traditus ab antiquis vſque ad noſtram ætatem inter cætera ſolennia manet; bonis vendendis bona Porſenæ Regis vendendi. cuius originem moris neceſſe eſt aut inter bellum natam eſſe, neque omiſſam in pace: aut mitiore creuiſſe principio quàm hîc præ ſe ferat titulus bona hoſtiliter vendendi.* Subdit probabile videri Porſenam dediſſe populo Romano caſtra opulēta: *Ea deinde ne populo Romano immiſſo diriperentur hoſtiliter, veniſſe bona, quæ Porſenæ appellata, gratiam muneris magis ſignificante titulo, quàm auctionem fortunæ regiæ.* Sed vnde vnde mos iſte manarit, præconi dicteriorum in Pompeium ſegetē vberem ſuggerebat: quippe cui non pauci viuo videntíque regium nomen obiecerant. Valerius lib. 6. cap. 2. *Cui candidâ faſciâ crus alligatum habenti, Fauonius: Non refert, inquit, qua in parte corporis ſit diadema: exigui panni cauillatione regias eius vires exprobrans.* Suetonius in Iulio cap. 49. *Octauius etiam quidam valetudine mentis liberiùs dicax, conuentu maximo, cùm Pompeium Regem appellaſſet, ipſum* Cæſarem *Reginam ſalutauit.* huc accedit quòd paulò ante pugnam Pharſalicam, vt ſcribit Plutarchus, Δομίτιος αὐτὸν ἀεὶ ὁ Αἰνόβαρβος Ἀγαμέμνονα καλῶν, καὶ βασιλέα βασιλέων, ἐπίφθονον ἐποίει. *Cùm Domitius Ænobarbus Agamemnonem & Regem Regum aſſiduè vocans, inuidioſum faciebat.* VI.

GEMITVS POPVLI ROMANI.] Simile eſt illud Plutarchi in Bruto, oppreſſâ Triumuirorum factionibus Repub. dies dicta fuerat Cæſaris percuſſoribus, *præcone, vt moris erat, Brutum è ſubſellio ad iudicium citante ferunt.* τὸ μὲν πλῆθος ἐπιδήλως στενάξαι, τοὺς δ' ἀρίστους κύψαντας ἐς γῆν ἡσυχίαν ἄγειν, Πόβλιον τε Σιλίκιον ὀφθῆναι δακρύσαντα. *multitudinem manifeſtè ingemuiſſe, primores in terram reſpicientes quieuiſſe, P. Silicium viſum fuiſſe lacrymantem, & ea de cauſâ paulò pòſt eſſe proſcriptum.* VII.

AXIOMATA.

Niſi qui Reipub. ſit felix, felix eſſe nemo poteſt.

Magnus eſt dolor, qui conſumptus lacrymis tamen infixus animo hæret.

ARGVMENTVM.

Variis adiectis & comparatione cæterorum, qui quantumuis improbi, tamen ab illo ſcelere ſe abſtinuerant, Antonij ſectionem exaggerat.

EXPECTANTIBVS omnibus, quiſnam eſſet tam impius, tam demens, tam Diis hominibúſque hoſtis, qui ad illud ſcelus ſectionis auderet accedere, inuentus eſt nemo præter Antonium: præſertim cùm tot eſſent circum haſtam illam, qui alia omnia auderent, vnus inuentus eſt, qui id auderet, quod omnium fugiſſet & reformidaſſet audacia. Tantus igitur te ſtupor oppreſſit, vel (vt veriùs dicam) tantus furor, vt primùm cùm ſector ſis iſto loco natus, deinde cùm Pompeij ſector, non te execratum populo Romano, non deteſtabilem, non omnes tibi Deos, non omnes homines & eſſe inimicos, & futuros ſcias? LV.

EXPLANATIO.

EXPECTANTIBVS.] Aduerte præclarum ab antecedentibus & hominum expectatione amplificandi modum. Tantum erat ſcelus in ſectione bonorum Cn. Pompeij, vt iis publicatis & haſtæ ſubiectis, homines expectatione ſuſpenſi tenerentur, vixque ſibi perſuaderent, vllum fore adeò ſceleratum & nefarium, vt auderet quicquam emere, aut omnino attingere. Vicit tamen omnium expectationem Antonius, & ad haſtam publicam accedens, licitatus eſt bona Pompeij. Aduerte verò conglobatam & coaceruatam verborum congeriem, qua ſemper altiùs & altiùs cumulatur oratio. Impietas, immane ſcelus, tamen in hominem cadit: dementia vix retinet vllum cum humana natura conſortium, & iam ad belluas accedit: at verò qui eſt Diis hominibúſque hoſtis, is exterminandus ex ipſa rerum natura. Dicet aliquis dicendum fuiſſe, non *tam Diis, hominibúſque hoſtis*, ſed ordine mutato *tam hominibus Diiſque hoſtis*. Quòd plus ſit Diis quàm hominibus eſſe infenſum: verùm atrocioris ſceleris eſt omnem penitus humanitatem, quàm religionem ſolam exuiſſe: nam qui religionem exuerunt, ſunt illi quidem Diis infeſti, ſed poſſunt aliquod humanitatis retinere veſtigium: at qui omnem penitùs humanitatem abiecit, is naturam eiurat, qui autem contra naturam pugnat, is etiam gigantum more contra Deos pugnat, vt dicitur libro de ſenectute.

SECTIONIS.] Licitationis & emptionis bonorum Pompeij.

PRÆSERTIM.] A comparatione reliquorum amplificat ſcelus Antonij: potiſſimùm autem P. Sulla, Mindius Marcellus, & Attius pigmentarius excandefaciebant haſtam Cæſaris. vide epiſt.17.lib.5.ad famil.

CIRCA HASTAM.] Poſitam pro æde Iouis Statoris.

TANTVS IGITVR.] Expoſito ſcelere Antonij, ipſum auctorem inuadit, & nouis circunſtantiis ſectionem exaggerat.

VEL, VT VERIVS.] Correctio oratoria. minus enim dixerat, cùm ſtuporem obiecit, ſubſtituit vocem grauiorem furoris.

ISTO LOCO NATVS.] Vel quòd nobilitatẽ ſui generis dedecoraret illâ ſectionis infamiâ, vel quòd filius eſſet M. Antonij Cretici, hominis ad perdendam pecuniam geniti, & ipſe prætextatus patris ſui culpâ decoxiſſet. Indigniſſimum eſt autem eum qui antè decoxerit, ad haſtam publicam accedere, & fortunæ prioris oblitum fieri ſectorem. atque hæc à perſona Antonij, deinde à Pompeij perſonâ ſectionis indignitatem amplificat. Si enim, cuiuſcunque bona publicentur, indignum eſt vel nobilem, vel decoctorem, licitari; quanto indignius id facere in publicatione bonorum Pompeij, qui imperij Romani decus ac lumen fuit.

NON TE EXECRATVM.] A conſequenti, & omnium odio hac ſectione conflato amplificationem vrget, initio dixerat, *Diis hominibúſque hoſtis*, cùm de ſcelere ageret, nunc ait *Deos & homines eſſe* inimicos, dum agit de pœna ſceleri inflicta. alij legunt *execrandum*.

NOTÆ.

ACCEDERE.] Hoc verbum in ſectionibus vſitatum. Cornelius Nepos Attici vita. *Ad haſtam publicam nunquam acceſſit. Nullius rei neque præs, neque manceps factus eſt.* Liuius lib. 43. *Cenſores edixerunt ne quis eorum, qui Qu. Fuluio, & Aulo Poſtumio Cenſoribus publica vectigalia, aut vltro tributa conduxiſſent, ad haſtam ſuam accederet.* I. Accedere ad haſtam.

CIRCA HASTAM ILLAM.] Haſtæ triplex vſus in re forenſi, in iudicio, in locatione vectigalium, in auctione. In iudicio. Pomponius D. de orig. iuris. *Cùm eſſet neceſſarius magiſtratus qui haſtæ præeſſet. Centumuiri litibus iudicandis conſtituti ſunt.* Valerius lib.7.cap.8.de Tuditano. *Teſtamento is filium inſtituit heredem: quod Tib. Longus ſanguine proximus, haſtæ iudicio ſubuertere fruſtra conatus eſt. Magis enim centumuiri quid ſcriptum eſſet in tabulis, quàm quis eas ſcripſiſſet, conſiderandum exiſtimauerunt.* Tranquillus in Octauio cap. 36. eum auctorem fuiſſe ſcribit, *Vt centumuiralem haſtam, quam Quæſturâ functi conſueuerant cogere, decemuiri cogerent.* Et Poëta laudatus à Sigonio lib. 2. de ciue Romano cap. 18. II. Haſta centumuiralis.

Seu trepidos ad iura decem citat haſta virorum,
Et firmare iubet centeno milite cauſas.

Is autem eſt auctor Carminis ad Piſonem, quod alij Ouidio, Lucano alij tribuerunt. Martialis lib. 7.

Nunc miratur adhuc centum grauis haſta virorum.

In locatione vectigalium, vt eruditè probat Briſſonius libro 6. de formulis. Columella præfatione libri 1. de re ruſtica. *Ad haſtam locamus, vt nobis ex tranſmarinis prouinciis frumentum aduehatur.* Ouidius libro 4. de ponto eleg. 5. de Conſule Pompeio:

Locationis vectigalium.

Aut reget ille ſuos dicendo iura Quirites,
Conſpicuum ſignis cùm premet altus ebur.
Aut populi reditus poſitam componet ad haſtam,
Et minui magnæ non ſinet Vrbis opes.

Item elegia 9. ad Græcinum:

Nunc longi reditus haſtæ ſupponere luſtri
Credet, & exactâ cuncta locare fide.

Liuius libro 39. *Cenſores edicto, ſubmotis ab haſta qui ludificati priorem locationem erant, omnia eadem paulùm imminutis pretiis locauerunt.* Seneca Suaſoria 6. *Ciuilis ſanguinis Syllana ſitis in ciuitatem rediit, & ad triumuiralem haſtam pro vectigalibus ciuium Rom. mortes locantur.* hæc Briſſonius.

Haſta auctionis.

De auctione iam dictum ſuperiori ſectione, & probat laudatus Briſſonius, lib. 12. ad Attic. ep. 3. *Nomen illud, quod à Cæſare, treis habet conditiones, aut emptionem ab haſtâ, &c. aut delegationem à mancipe annuâ die, &c. aut Vecteni conditionem ſemiſſe.* Sic apud Valerium libro 6. cap. 3. M. Curius cuiuſdam qui in delectu citatus ad nomen non reſponderat, *Bona adoleſcentis haſtæ ſubiecit, &c. & bona eius & ipſum vendidit.* Seneca lib. 1. de ira cap. 2. *Videbis principum ſub ciuili haſtâ capita venalia.* Idem libro de conſolat. ad Marciam cap. 20. *Non haſtam conſularia ſpolia vendentem.* Ioſephus lib. 14. antiq. cap. 22. Δοῦλοι ὑπὸ δόρυ ἐπράθησαν. *Serui ſub haſta venditi ſunt.* Noſter 2. offic. *Sic par eſt agere cum ciuibus, non vt bis iam vidimus, haſtam in foro ponere, & bona ciuium voci ſubiicere præconis.* Claudianus Panegyri de quarto Honorij Conſulatu.

Non infelices tabulæ: non haſta refixas
Vendit opes, auidus emptor non voce citatur:
Nec tua priuatis creſcunt æraria damnis.

III. SECTOR.] Aſconius in tertiam Verrinam. *Sectorem autem dicit æſtimatorem redemptorémque bonorum damnati, atque proſcripti, qui ſpem ſectans lucri ſui, id eſt, ſecutus ſpem æſtimationis ſuæ, bona omnia auctione vendit, & ſemel infert pecuniam, vel ærario, vel ſociis.* Satis obſcurè. libenter legerim pro *vendit*, *emit.* clariùs aliquanto pòſt: *Sectores autem dicti ſunt, qui ſpem lucri ſui ſecuti, bona condemnatorum ſemel auctionabantur, próque iis pecunias penſitabant ſingulis: ac poſteà compendio ſuo ſingulas quaſque res pecunia populo venditabant.* Vellem Feſti verba ſupereſſent, nam Paulus ridiculè mutilauit. *Sectio, perſecutio iuris. Sectores, & qui ſecant dicuntur, & qui empta ſua perſequuntur.* Nonius Marcellus: *Secare, ſequi, vnde & ſectatores bonorum ſectores dicti ſunt.* Virgilius lib. 10.

Sector.

Quæ cuique eſt fortuna hodie, quam quiſque ſecat ſpem.

Hinc colligo eum in auctionibus publicis ſectorem fuiſſe, qui bona proſcripti vel damnati vniuerſa ſimul & ſemel ſuo periculo redimebat, quæ deinde vel ſibi retineret, vel per partes venderet ad maius rei familiaris compendium. Dictus ſector, vel quòd commodum ſuum & lucrum ſequeretur, vt volunt illi Grammatici, vel potiùs quòd illa damnati vel proſcripti bona in partes ſecaret, & ſingulis creditoribus ſingulas partes exolueret. Atque hic fortaſſe ſenſus fuit legis illius atrociſſimæ duodecim tabularum, cuius alibi fecimus mentionem. *Æris confeſſi, rebúſque iure iudicatis, triginta dies iuſti ſunto. Poſt deinde manus iniectio eſto, &c. Tertiis nundinis partes ſecanto: ſi plus minúſve ſecuerunt, ſine fraude eſto.* Hæc, inquam, fortaſſe intelligi poſſunt de illa bonorum diuiſione, vt ſinguli debitores ſuas partes auferant, dicantúrque ſecare debitorem, quòd bona debitoris creditoribus diuidantur. Atrocius Secare debitorem. tamen hanc legem exponunt Gellius lib. 20. Noct. Attic. cap. 1. & Tertullianus apologetico, vt iam videor dixiſſe in Cœlianam §. 42. *Ne fœnore trucidetur.* quaſi lex illa, ſi *plures forent quibus reus eſſet adiudicatus, ſecare ſi vellent, atque partiri corpus addicti ſibi hominis permiſerit.*

EXECRATVM.] Ἐξάγιστον. Halicarnaſſeus lib. 6. IV. antiquitatis Romanæ agens de lege ſacrata & creatione Tribunorumplebis. Ἐὰν δέ τις τῶν ἀπηγορευμένων τι ποιήσῃ, ἐξάγιστος ἔστω, καὶ τὰ χρήματα αὐτοῦ Δήμητρος ἱερὰ, καὶ ὁ κτείνας τινὰ τῶν ταῦτ' εἰργασμένων, φόνου καθαρὸς ἔστω. Scaliger, neſcio vnde acceperit, ita legis verba refert. QVEI. ALITER. FAXIT. CVM. PECVNIA. FAMILIAQVE. SACER. ESTO. SEI. QVIS. EM. OCCISIT. PARICEIDA. NEC. ESTO. Item SINE. FRVDE. SOVA. LICETO. Sacer autem idem eſt quod execratus. Idem Dionyſius lib. 2. Τὸν δ' ἁλόντα τῷ βουλομένῳ κτείνειν ὅπου λῷ, ὡς θῦμα τοῦ καταχθονίου Διός. ἔθος γὰρ Ῥωμαίοις ὅσους ἐβούλοντο νηποινὶ τεθνάναι, τὰ τούτων σώματα θεῶν ὁτῳδή τινι, μάλιστα δὲ τοῖς καταχθονίοις κατονομάζειν. *Eum qui ſe illo ſcelere alligaſſet, volenti fas erat occidere, vt victimam inferno Ioui ſacram. Id enim moris eſt apud Romanos, vt ſi quos impunè occidi volunt, eorum corpora alicui Deo nuncupent, maximè autem Diis infernis.* Liuius lib. 3. *Cùm religione inuiolatos eos* (Tribunosplebis) *tum lege etiam fecerunt, ſanciendo vt qui Tribunisplebis, Ædilibus, Iudicibus, Decemuiris nocuiſſet, eius caput Ioui ſacrum eſſet: familia ad ædem Cereris, liberi liberæque venum irent.* Hinc, *Auri ſacra fames*, id eſt, execranda.

AXIOMA.

Diis eſt hominibúſque hoſtis qui id vnus audet, quod omnium fugit & formidat audacia.

ARGV-

ARGVMENTVM.

Poſtquàm egit de ſectione bonorum Pompeij, demonſtrat quanta nequitia helluatus fuerit Antonius, & ea bona vel effuſis largitionibus diſſiparit, vel in profundum libidinum ſuarum gurgitem immerſerit.

AT quàm inſolenter ſtatim helluo inuaſit in eius viri fortunas, cuius LVI. virtute terribilior erat populus Romanus exteris gentibus, iuſtitia charior? In eius igitur viri copias cùm ſe ſubitò ingurgitauiſſet, exultabat gaudio perſona de mimo, modò egens, repentè diues: ſed vt eſt apud Poëtam neſcio quem, *Malè parta, malè dilabuntur.* Incredibile, ac ſimile portenti eſt, quonam modo illa tam multa, quàm paucis, non dico menſibus, ſed diebus effuderit. maximus vini numerus fuit, permagnum optimi pondus argenti, pretioſa veſtis multa, & lauta ſupellex, & magnifica multis locis: non illa quidem luxurioſi hominis, ſed tamen abundantis. Horum paucis diebus nihil erat.

EXPLANATIO.

AT QVAM.] Aduerte ſingulorum verborum energiam, & modum amplificandi pulcherrimum. Primò vtitur interrogatione per admirationem, vt maiorem orationi ſuę vim incutiat, ſine qua planè langueret. Deinde, ait *inſolenter*, quia qui voluptatis eſt inſolens, in eam ſe cupidiùs & vehementiùs effundit, & ingurgitat. *Statim*, quod auiditatis eſt ſignum & intēperantiæ. *Helluo* vim etiam ſuam & peculiare momentum habet. Quæ ſequuntur mirè rem exaggerant à dignitate Cn. Pompeij. Cùm præſertim nihil ſit miſerius quàm virtus afflicta, & eius viri fortunas ab impuris helluonibus hauriri, qui virtute patriam ſuam non vicinis ſolùm, ſed etiam exteris nationibus terribiliorem, iuſtitiâ chariorem effecerit. Quibus verbis ineſt etiam ſuum pōdus & momentum: Nam præter oppoſitionem illam virtutis & fortunæ, eſt etiam quædam antitheſis inter terrorem & charitatem: ſiquidem, vt ait ille, *Quem metuunt, oderunt.* Incredibilis igitur fuit Cn. Pompeij virtus, qui res inter ſe diſſidentes coniunxit, & à barbaris etiam gentibus expreſſit, vt quem metuebant, amarent.

IN EIVS.] Cùm ſubitò Antonius ſe immerſiſſet in bona Pompeij, vt primùm ipſi addicta ſunt in auctione, inſolentia rerum ſecundarum ſic efferebatur & geſtiebat, vt continere ſe non poſſet, ſed exultare gaudio & tripudiare videretur. Nec mirum, ſimilis enim erat illis mimorum geſticulatoribus, qui cùm paulò antè mendici & egentis cuiuſdam perſonam ſuſtinuerint, repentè mutatâ perſonâ prodeunt in ſcenam habitu Regum aut tyrannorum. Hæc autem verba, *modò egens, repentè diues.* coniicit Schottus, approbante Gruttero ex aliquo Poëta eſſe deprompta.

POETAM NESCIO QVEM.] Næuium.

MALE PARTA.] Malis artibus acquiſita, per luxuriam & nequitiam effunduntur.

VINI NVMERVS] Maxima vini quantitas. Aduerte quemadmodum rem eandem poliat, & enumeratione ſingulorum amplificet. Prudentérque à Pompeio luxûs opinionem amoliatur. Et tandem inferat, *Horum paucis diebus nihil erat.* Maiore cum emphaſi quàm ſi dixiſſet, Hæc omnia paucis diebus conſumpta ſunt.

NOTÆ.

INSOLENTER] Vide Cœlianam 75. *In hoc flexu ætatis, &c. fama adoleſcentis paulùm hæſit ad metas, notitiâ nouâ mulieris, & infelici vicinitate, & inſolentia voluptatum.* Piſonianam 24. *Non infirmitas ingenij ſuſtinet, non inſolentia rerum ſecundarum tantam perſonam, tam grauem, tam ſeueram.* Inſolenter itaque ſumi poteſt pro auidè, quia qui voluptatum ſunt inſolentes eas, cùm ſe obtulerint, auidiùs perſequi ſolent, & quaſi omnib. animi modis deuorare. Quamquam dici poteſt fortunas Pompei inſolenter inuaſiſſe, quia, vt dicitur pro Marcello 9. *Victoria.* præſertim in bello ciuili, *naturâ inſolens eſt & ſuperba.* vt Valerius Maximus lib. 5. cap. 1. *Victoria inſolentiſſimos ſpiritus* appellat. Horatius epodon 16.

Barbarus heu! cineres inſiſtet victor, & vrbem
Eques ſonante verberabit vngulâ.
Quæque carent ventis & ſolibus oſſa Quirini,
Nefas videre, diſſipabit inſolens.

Inſolens autem, vt ſcribit Nonius, impudens & audax dicitur, aut etiam non ſolens. vide.

HELLVO.] Feſtus: *Heluo dictus eſt immoderatè bona ſua conſumens ab eluendo. Cui aſpiratur, vt auiditas magis exprobretur, fit enim vox incitatior.* Hinc Plauto *elauare*, ſiue *eluere*, idem quod *heluari.* Aſinaria actu 1. ſc. 2

Nam mare haud eſt mare, vos mare acerrimum.
Nam in mari reperi, hic elaui bonis.

Rudente actu 2. ſc. vltima: Helluo.

- Eho! an te pœnitet
In mari quod elaui, niſi hîc in terra iterum eluam?

Sticho:

Volo, eluamus hodie, peregrina omnia?
Relinque. -

Sed apertiſſimè Trinummo actu 2. ſc. 4.

Comeſum, expotum, exutum, elotum in balneis,
Piſcator, piſtor abſtulit, lanij, coqui,
Olitores, myropolæ, aucupes, confit citò
Quàm ſi tu obiicias formicis papauerem.

TERRIBILIOR.] Notum eſt illud Ennianum:

Quem metuunt oderunt, quem quiſque odit, periiſſe expetit.

ad cuius imitationem Naſo quadam ad Bageum elegiâ:

Si ſapis, ô cuſtos, odium (mihi crede) mereri

Deſine, quem metuit quiſque, periſſe cupit.

Timor & amor. Quare difficillimum eſt eorum habere Charitatem, quibus terrorem armorum incuſſeris. id tamen obtinuit Pompeius. pro lege Manilia 41. poſtquam de eius iuſtitia, temperantia, abſtinentia diſſeruit. *Itaque*, inquit, *omnes quidem nunc in his locis Cn. Pompeium, ſicut aliquem non ex hac vrbe miſſum, ſed de cœlo delapſum intuentur*, &c. *Nunc imperij noſtri ſplendor illis gentib. lucet: nunc intelligunt non ſine cauſa maiores ſuos tum, cùm hac temperantiâ magiſtratûs habebamus, ſeruire populo Romano, quàm imperare aliis maluiſſe.*

IV. Copias.] Copiæ dictæ videntur à Dea Ope, & opibus, vt ſcribit Varro 4. de lingua Latina. Feſtus Pompeius, vt eius lectionem mutilam Scaliger inſtaurat. *Ops, antiqui dicebant quem nunc opulentum dicimus: vt teſtimonio eſt non ſolùm ei contrarius inops, ſed etiam cops, vt is cops edit, ego egens exortus ſum.* Adfert alia teſtimonia Nonius Marcellus. Plautus Pſeudolo:

Cops. *Atque ego nunc me vt glorioſum faciam & copi pectore.*

Turpilius Epiclero:

Copiæ. *Te quidem omnium iam pater copem cauſa rem facit.*

Nulla videtur his verbis, *cauſſa rem* eſſe ſubiecta ſententia. Quid ſi legeremus *caſnarem*. eſt enim Caſnar. *caſnar ſenex oſcâ linguâ*, vt ſcribit Feſtus, quam vocem non retuliſſet, niſi vidiſſet à veteribus poëtis vſurpatam. Rurſum Pacuuius Peribœa:

O multimodis variè dubium, & proſperum copem diem.

Dictæ ſunt igitur *copiæ*, quaſi *coopiæ*, ſiue opes in vnum congeſtæ, vnde & prima ſyllaba contra naturam originis producitur, quòd duæ ſyllabæ in vnam coaleſcant. Copiari. Hinc *copiari* idem eſt atq. *abundare*. vt, *Armis & magno commeatu, prædâque ingenti copiantur.* Hunc locum Nonius Marcellus Cœlio tribuit, Gellius lib. 17 Noct. Attic. cap. 2. Quinto Claudio. Sed hîc fortaſſe faſtidioſus lector

Ingeminat tremulos naſo criſpante cachinnos.

Et iampridem has Grammaticorum obſeruationes deridet. Cui dicere poſſim,

-Σίζειν δ' ἐγὼ οὐκ ἀλεγίζω,
Οὐδ' ὄθομαι γελῶντος.-

Cùm eadem operâ Varronem non Latinorum ſolùm, ſed etiam, vt ait Auguſtinus, Græcorum omnium doctiſſimum in his tricis morantem derideat. Candidi certè lectoris erit has etiam minutias æqui boníque conſulere. Hanc enim ſectionem integram grammaticis obſeruationibus addixi.

V. Persona de mimo.] C. Baſſus apud Perſona. Gellium lib. 5. cap. 7. perſonæ vocabulum à perſonando factum eſſe côiectat. *Nam caput*, inquit, *& os cooperimento perſonæ tectum vndique, vnâque tantum vocis emittendæ viâ peruium, quâ non vaga neque diffuſa eſt, in vnum tantummodo exitum collectam, coactámque vocem, & magis claros canoróſque ſonitus facit. Quoniam igitur indumentum illud oris clareſcere & reſonare vocem facit: ob eam cauſam perſona dicta eſt, o litterâ propter vocabuli formam productiore.* Fuit autem propriè perſona vultûs integumentû, *vn maſque*. Iuuenalis Sat. 3.

-*Tandémque redit ad pulpita notum*
Exodium, cùm perſonæ pallentis hiatum
In gremio matris formidat ruſticus infans.

de qua Horatius in Arte:

-*Perſonæ, pallæque repertor honeſtæ*
Æſchylus, & modicis inſtrauit pulpita tignis.

Quando autem primùm Romanis in vſu fuerit perſona, dubitari poteſt. Innuit Feſtus ſerò id factum. Perſonata fabula. *Perſonata, inquit, fabula quædam Næuij inſcribitur, quam putant quidam primùm à perſonatis hiſtrionibus actam. ſed cùm poſt multos annos, comœdi & tragœdi perſonis vti cœperint, veriſimilius eſt eam fabulam propter inopiam comœdorum actam nouam per Atellanos, qui propriè vocantur perſonati, quia ius eſt iis non cogi in ſcena ponere perſonam, quod cæteris hiſtrionibus pati neceſſe eſt.*

Male parta.] Partus eſt paratus, inquit Feſtus, & hunc ipſum locum profert ex Næuio. VI. Lucretius 4.

Et bene parta patrum fiunt anademata mitræ.

vulgatum illud,

Non minor eſt virtus quàm quærere, parta tueri.

Et alibi paſſim. Apuleius Apologia: *Omnia in paucis annis ita hic degulator ſtudioſè in ventrem condidit, & omnimodis colliurcinationibus dilapidauit, vt crederes metuere, ne quid habere ex fraude paterna diceretur. homo iuſtus*, &c. dedit operam vt quod malè partum erat, malè periret.

Vini numervs.] Loquendi modus primæ VII. notæ ſcriptoribus vſitatus. Hirtius de bello Africo: *In caſtris vnis poſitis, ipſe frumentatum circum villas cum parte exercitus profectus, magno inuento hordei, olei, vini, fici numero, pauco tritici, atque recreato exercitu redit in caſtra.* Vlpianus D. De tritico, vino & oleo. lege *Si quis.* vini numero frequêter vſurpat: ſed alio longè ſenſu. Vini numerus. Vſitatius eſt *frumenti numerus* apud Cæſarem, Hirtium ipſum Ciceronem: quibus referendis ſuperſedeo, quòd Hadrianus nobiliſſima quæq. exêpla prælibarit.

Argenti.] Argentum & aurum pro vaſis VIII. argenteis, & aureis ſumptum videtur, vt in Vatin. 31. *Sed omitto epulum, populi Romani feſtum diem argento, veſte, omni apparatu ornatúque viſendo.* Horatius 4. Carminum Ode 11.

Ridet argento domus.-

Catullus de Nuptiis Pelei & Thetidos:

Ipſius at ſedes, quacunque opulenta receſſit
Regia, fulgenti ſplendent auro atque argento.

Iuuenalis Sat. 10.

-*Sed nulla aconita bibuntur*
Fictilibus, tunc illa time, cùm pocula ſumes
Gemmata & lato ſetinum ardebit in auro.

Aurum igitur & argentum pro pateris aureis & argenteis. Quo in genere quanta fuerit Antonij inſolentia, videre eſt apud Plinium lib. 33. c. 3. *Meſſala Orator prodidit Antoniū Triumuirum aureis vſum in omnibus obſcœnis deſideriis, pudendo crimine etiam Cleopatræ. Summæ apud exteros licentiæ fuerat, poculo aureo puluino ſubdito, Philippum Regem dormire ſolitum: Agonem Teium Alexandri Magni præfectum aureis clauis ſuffigere crepidas. Antonius in contumeliam naturæ vilitatem auro fecit, opus proſcriptione dignum.* Ad hanc naturæ contumeliam refero Iuuenalem Sat. 3.

-*Laudare paratus,*
Si bene ructauit, ſi rectum minxit amicus,
Si trulla inuerſo crepitum dedit aurea fundo.

Quamquam alij referunt ad cottabiſmum, de quo infrà.

AXIOMA.

Malè parta, malè dilabuntur.

ARGVMENTVM.

Per hyperbolen & hypotypoſim oſtendit qua nequitia helluatus fuerit Antonius, & paucis diebus abligurierit bona Cn. Pompeij.

QVÆ Charybdis tam vorax? Charybdin dico? quæ ſi fuit, animal LVII.
vnum fuit. Oceanus medius fidius vix videtur tot res, tam diſſipatas, tam diſtantibus in locis poſitas, tam citò abſorbere potuiſſe. Nihil erat clauſum, nihil obſignatum, nihil ſcriptum: apothecæ totæ nequiſſimis hominibus condonabantur: alia mimi rapiebant, alia mimæ, domus erat aleatoribus referta: plena ebriorum, totos dies potabatur: atque id locis pluribus. ſuggerebantur etiam ſæpè (non enim ſemper iſte fœlix) damna aleatoria; conchyliatis Cn. Pompeij periſtromatis ſeruorum in cellis lectos ſtratos videres. Quamobrem deſinite mirari hæc tam celeriter eſſe conſumpta. non modò vnius patrimonium, quamuis ampliſſimum, vt illud fuit, ſed vrbes & regna celeriter tanta nequitia deuorare potuiſſet.

EXPLANATIO.

QVÆ CHARYBDIS.] Hyperbolica comparatione rem exaggerat. Aduerte verò miram amplificandi rationem. Iam fidem exceſſerat dicens nullam Charybdin poſſe cum Antonij voracitate & nequitia comparari. Non tamen eo contentus fuit, ſed quaſi pro rei magnitudine parum dixiſſet, ſeipſum retexit, & verbum reprehendit, vt alia hyperbole maiore ſuam orationem attollat. Fuit autem Charybdis vorago quædam, ſiue potiùs mare vorticoſum naueis ad ſe appulſas deuorans. Poëtæ tamen animal quoddam ſiue monſtrum fuiſſe fabulantur.

ANIMAL VNVM FVIT.] Legere videtur Fabius. *Quæ ſi fuit, fuit animal viuum.* nihil facilè mutauerim. Siquidem illud, *viuum*, & ſuperfluum eſt, & potiùs auget quàm minuit voracitatem Charybdis, quæ tamen fuerat minuenda, vt correctionis illius *Charybdin dico?* ratio redderetur.

OCEANVS MEDIVSFIDIVS.] Ad maiorem vim hyperbolem etiam iureiurando confirmat, vt pro Marcello 10. *Parietes mediusfidius, C. Cæſar, vt mihi videntur, huius curiæ tibi gratias agere geſtiunt.* Ne tamen inuerecundè nimis ſuprà fidem efferatur, & periurio ſe obſtringat, vtrobique videri ſibi dicit, non ita eſſe confirmat, & hîc additâ particulâ *vix* temperat orationem, eámque & crebris anaphoris altiùs inculcat, & in auditorum animis, velut ictu repetito penitùs infigit, & aſynthetis diſſoluit, vt plura & plura dici & in aceruum congeri, non in ordinem digeri videantur.

NIHIL ERAT.] Tribus potiſſimùm modis res ſeruantur ſerâ, ſigillo, inſcriptione. magna igitur Antonij vel incuria, vel profuſio, qui nullam harum adhiberet rebus ſuis cuſtodiam.

APOTHECÆ TOTÆ.] Tam erat prodigus, tam effuſus, vt non per partes aliquot vini amphoras, ſed totas apothecas celláſque vinarias condonaret ſimul & ſemel hominibus nequiſſimis.

ALIA MIMI.] Ad has Antonij profuſiones accedebant furta mimorum, qui rapiebant quicquid ſuperfuerat donationibus Antonij. Quæ ſequuntur perſpicua ſunt.

NEQVE ENIM.] Videtur dictorum ſuperiùs habere rationem. 49. Non enim perinde in alea felix eſt, vt cùm *verſatus in bello eſt: ſaturauit ſe ſanguine diſsimillimorum ſui ciuium. Fuit felix, ſi poteſt vlla eſſe in ſcelere felicitas.*

CONCHYLIATIS.] Fabius lib. 8. cap. 4. *Quid M. Tullius de M. Antonij luxuria tantum fingere ſaltem potuiſſet, quantum oſtendit dicendo*, CONCHILIATIS, &c? *Conchiliata periſtromata, & Cn. Pompeij, & in cellis ſeruorum, nihil poteſt dici vltrà: & neceſſe eſt tamen vltrà infinito plus in domino cogitare. Eſt hoc ſimile illi quod ἔμφασις dicitur: ſed illa ex verbo, hoc ex re coniecturam facit: tantóque plùs valet, quantò res ipſa verbis eſt firmior.*

VT ILLVD.] Patrimonium Cn. Pompeij.

NOTÆ.

CHARYBDIS.] Seneca epiſt. 79. *Scyllam ſaxum eſſe & quidem non terribile nauigantibus optimè ſcio. Charybdis an reſpondeat fabulis perſcribi mihi deſidero, &c. vtrùm vno tantùm vento agatur in vortices, an omnis tempeſtas aque mare illud contorqueat: & an verum ſit quidquid illo freti turbine arreptum eſt, per multa millia trahi conditum, & circa Taurominitanum littus emergere.* A Poëtis ita deſcribitur. 3. Æneidos: I. Scylla.

Dextrũ Scylla latus, læuum impacata Charybdis Charybdis.
Obſidet, atque imo barathri ter gurgite vaſtos
Sorbet in abruptum fluctus, rurſúſque ſub auras
Erigit alternos, & ſidera verberat vndâ.

Et Odyſſeæ 12. tribus locis:

Τῷ δ' ὕπο δῖα Χάρυβδις ἀναῤῥοιβδεῖ μέλαν ὕδωρ.
Τρὶς μὲν γάρ τ' ἀνίησιν ἐπ' ἤματι, τρὶς δ' ἀναῤῥοιβδεῖ
Δεινόν. μὴ σύ γε κεῖθι τύχοις ὅτε ῥοιβδήσειεν.
ΟΥ γάρ κεν ῥύσαιτό σ' ὑπ' ἐκ κακοῦ οὐδ' Ἐνοσίχθων.
Nigras ſubter aquas abſorbet diua Charybdis,
Vnoquoque die reicit ter, térque reſorbet
Horrendum. Nec tu adfueris, ſorbente Charybdi.
Seruaret ne te ipſe quidem diſcrimine tanto
Neptunus.

Hîc vir eruditus,ſed Homero nō æquiſſimus,tria reprehendit Cur toties ἀναρροιβδεῖ? Quid αἴνυσι,cùm erigit, quo vſus eſt Maro? quid cum monſtro diuinitas? Breuiter reſpondeo, eiuſdem verbi repetitio,vim addit orationi, cùm præſertim Charybdis ἀπὸ τοῦ χάσκω καὶ ῥοιβδῶ, *ab hio & ſorbeo* nuncupetur. αἴνυσι proprium eſt, & fortaſſe accommodatiùs rei naturam quàm illa hyperbole. *-ſub auras*

Erigit alternos & ſidera verberat vndâ,

Propriè enim ſignificatur id quod nomine vomitûs alij dixerunt Ouidius 2.amorum eleg.16.

Nec quas ſubmerſis ratibus ſaturata Charybdis
Euomit, & potas ore receptat aquas.

Seneca Thyeſte:

Quod rapax hauſtum reuomit Charybdis.

Eodem autem modo Δῖα Χάρυβδις, quo Romani mortem, febrim, pauorem diuino honore coluerunt. Quid autem maiorem incutiat horrorem, quàm illa verba,

Ἡ δέ τοι οὐ θνητή, ἀλλ' ἀθάνατον κακόν ἐστι
Δεινόν τ' ἀργαλέον τε καὶ ἄγριον, οὐδὲ μαχητόν.
Οὐδέ τίς ἐστ' ἀλκή· φυγέειν κάρτιστον ἀπ' αὐτῆς.
Non eſt mortalis, malū at immortale Charybdis
Difficile, horrendúmque,& inexpugnabile,ſæuū.
Nec contra vis vlla valet. procul,hinc procul eſto.

Sed hæc Poëtæ τερατευόμενοι & ſpecioſa miracula promentes exaggerant. Reuera autem, vt ait Plinius lib.3.cap.8. *Eſt ſcopulus Scylla, item Charybdis mare verticoſum.* Mela lib. 2. de ſitu orbis cap.7. *Scylla ſaxum eſt,Charybdis mare,vtrumque noxium appulſis.* Neque quemquam facilè reperias antiquorum, qui cùm hiſtoricè rem explicaret,magnopere exaggerarit. Adeò, vt Strabo lib. 1.geographiæ, non tam ob periculum naufragij, quàm ob latrones eum tractum infeſtantes Vlyſſe ibi nauigante,fictam eſſe fabulam putet: καὶ τὴν Χάρυβδιν καὶ τὸ Σκύλλαιον ὑπὸ λῃστῶν κατέχεσθαι *Charybdin quoque et Scylleum à latronib. fuiſſe infeſſa.* Et paulò pòſt notat in hac deſcriptione mentitam fuiſſe Circem, & hyperbolicè locutam de induſtriâ. Τραγῳδίας χάριν ἢ φόβου, ὅτι Κίρκη πολλὰ τοῖς λόγοις προσέθηκεν, ἀποτροπῆς χάριν, ὥστε τὸ ψεῦδος παραμίγνυσθαι *Tragicæ amplificationis cauſâ, & metûs incutiendi, quem Circe in ſua oratione exaggerat, abſterrendi cauſâ.itaque mendacium etiam admiſcet.* Vide locum,& mirare cur viri graues miraculum ſine neceſſitate confixerint. Salluſtius tamē, *Charybdis*,inquit,*quæ fortè illata naufragia ſorbens gurgitibus occultis millia ſexaginta Tauromintana ad littora trahit.* Sed iam ad Ciceronem. Commodè ad hunc locum Euſtathius 12. Odyſſ. Ὅτι δ' εἴς τινα πολυδάπανον ἀσωτίαν, ἡ Χάρυβδις ἀλληγορικῶς ἐκλαμβάνεται δῆλον ἐστὶν ἐκ τῶν παλαιῶν. ὁ γοῦν δή τινι λόγῳ καὶ κωμῳδία τὴν φάραγγα ἐπὶ ὁμοίου νοήματος. ἔφη. σιν, &c. *Quòd autem in luxum & ſumptus etiam Charybdis allegoricè transfertur, manifeſtum eſt ex antiquis. Quemadmodum etiam comœdia voraginem ſimili modo vſurpat.* Hæc porro comœdia eſt Equites Ariſtophanis:

Παῖε, παῖε, τὸν πανοῦργον, καὶ ταραξιππόστρατον,
Καὶ τελώνην, καὶ φάραγγα, καὶ Χάρυβδιν ἁρπαγῆς.
Καὶ πανοῦργον, καὶ πανοῦργον. πολλάκις γὰρ αὔτ' ἐρῶ.
Καὶ γὰρ οὗτος ἦν πανοῦργος πολλάκις τῆς ἡμέρας.
Cæde, cæde verſipellem, copiarum equeſtrium
Hoſtem, publicanum, barathrúmque, & rapinæ gurgitem.
Verſipellem, verſipellem. non enim dicam ſemel.
Nam frequenter verſipellis eſt diebus ſingulis.

Sidonius Apollinaris lib.9.ep.6. *Vt primùm intelligere cœpit & retractare, quantum de bonuſculis auitis paterniſque, ſumptuoſitas domeſtica Charybdis abliguriuiſſet, quamquam ſerò reſipiſcens,attamē tandem veluti frenos momordit, excuſſitq. ceruices, atque Vlyxeas (vt ferunt) ceras auribus figens,fugit, aduerſum vitia ſurdus,meretricij blandimenta naufragij* Horatius 1.Carminum Ode 27.

Quanta laboras in Charybdi
Digne puer meliore flamma.

Diuus Heronymus ad Heliodorum de laude vitæ ſolitariæ: *In illo æſtu Charybdis luxuriæ ſalutem vorat. Ibi ore virgineo ad pudicitiæ perpetranda naufragia,Scylla ſeu renidēs libido blanditur.* Item epiſtola ad Demetriadem: *Quem neſcias vtrùm auarior an crudelior fuerit: cui nihil dulce præter vinum & pretium,* Charybdin appellat. *Hanc feram Charybdin Scyllámque ſuccinctam multis canibus fugiens, barbaros matrona ſuſtinuit, qui nec naufragiis parcerent,nec captiuitatibus flecterentur.*

VORAX.] Commodum epitheton. Veteres Gloſſæ Χάρυβδις, *vorago.* Tertullianus de pallio. *Nomen vitij maris induit, non expuentis naufragia, ſed deuorantis.* Verè.nam inde nomen. Euſtathius in 12. Odyſſ. Charybdin dictam putat παρὰ τὸ εἰς χάος ῥᾶον ὑποδύειν, aut vt alij malunt εἰς χάος ῥοιβδεῖν. Ouidius 13. Metamorph.

-auidámque Charybdin. Certè præter Siculam aliæ fuit Charybdis ab eadem voracitate dicta. Strabo lib.6. Ὀρόντης ἐν τῇ Συρίᾳ καταδὺς εἰς τὸ μεταξὺ χάσμα Ἀπαμείας καὶ Ἀντιοχείας, ὃ καλοῦσι Χάρυβδιν, ἀνατέλλει πάλιν ἐν μ' σταδίοις. *Orontes in Syria hiatu qui inter Apamæam eſt & Antiochiam, ac dicitur Charybdis,abſorptus, poſt quadraginta ſtadia rurſum emergit.* Hinc Apollonio Rhodio lib.4. Charybdis vorax.

Πάντας ἀποβρώξασα. *Omnes deuorans.*

Hinc etiam paſſim ἀναρροιβδεῖν, καταπίνειν, *haurire, abſorbere deglutire* dicitur Charybdis,quarum locutionum exempla plura congeſſit vir eruditus de la Cerda in 3.Æneidos. vbi & notat id ductum ex fabula. Charybdin enim fuiſſe voraciſſimam fœminam Neptuni Terræque filiam tradunt,quæ quia boues Herculis rapuit, fulminata eſt à Ioue, & in mare præcipitata: vnde ſeruat naturam proximam vorandi & vomendi.

CHARYBDIN DICO?] Latinus Pacatus Paneg. Theodoſij. *Noſter ille pirata quicquid vndecunque conuerrerat, id nobis ſibique periturum in illam ſpecum ſui Charybdim congerebat. Charybdim loquor? quæ cùm plena nauigia ſorbuerit, dicitur tamen reiectare naufragia, & contortas fundo rates Tauromintanis littoribus exponere.* Fabius lib.8.cap.vltimo probat hoc exemplo creſcere interdum hyperbolem aliâ ſuperadditâ. Subditque: *Exquiſitā verò figuram huius rei deprehendiſſe apud principem Lyricorum Pindarum videor in libro,quem inſcripſit ὕμνους. Is námque Herculis impetum aduerſus Meropas, qui in inſula Co dicuntur habitaſſe, non igni,nec ventis,nec mari, ſed fulmini dicit ſimilem fuiſſe: vt illa minora, hoc par eſſet. Quod imitatus Cicero illa cōpoſuit in Verrē* (Orat.7.) *Verſabatur in Sicilia longo interuallo, nō Dionyſius ille nec Phalaris. (Tulit enim illa quondam Inſula multos & crudeles tyrannos.) Sed nouum quoddam monſtrum ex vetere illa immanitate, quæ in iiſdem verſata locis dicitur. Non enim Charybdim tam infeſtam,neq. Scyllam nauibus, quàm iſtum in eodem freto fuiſſe arbitror,&c.* Similis eſt etiam elatio Maronis 12. Æneidos in Turni & Æneæ conflictu:

III.

Amplificandi modus.

-Murali concita nunquam

Tormento ſic ſaxa fremunt, nec fulmine tanti
Diſſultant crepitus: volat atri turbinis inſtar
Exitium dirum haſta ferens.-

Quaſi murale tormentum & fulmen minora eſſent, ater turbo ſolus par eſſet. Ater autem turbo non vnum fulmen, ſed fulmina plura ſibi colluctantia, ſéque illidentia complecti videtur, quod fortaſſe dicere voluit Lucretius lib. 6.

Turbo.

Præterea perſæpe niger quoque per mare nimbus
Vt picis è cœlo demiſſum flumen in vndas
Sic cadit, & fertur tenebris procul, & trahit atram
Fulminib. grauidam tempeſtatem atq. procellis,
Ignibus ac ventis cum primis ipſe repletus.

Aut etiam preſterem ſignificat, quæ eſt ἀνέμου συστροφὴ καὶ πυρὸς, *venti & ignis conuolutatio*, quem etiam deſcribens Lucretius ait:

Verſabundus enim turbo deſcendit, &c.

Fitque cùm venti vortex, vt eiuſdem verbis optimis vtar, inuoluit ſe nubibus, &c

Turbinis immanem vim prouomit atq. procellæ.

Sed hæc Virgilio quàm Ciceroni ſunt aptiora: nolui tamen omittere, quòd omiſerint ij ad quos maximè pertinebat, cùm in lōgè minorib. & inutilioribus hærerent, tam inſignem amplificationis ornatum expendere: quem ſic Orator Tulliano more tractare potuiſſet. *Plagam inflixit tormenti muralis ictu grauiorem. Tormenti dico? imo & fulminis. fulminis autem? imò turbinis atri vehementiam & impetum expreßit.* De his hyperbolis Strabo lib. 1. Εἰσί τινες ὑπερβολαὶ ἐπὶ ὑπερβολαῖς, ὡς τὸ κουφότερον εἶναι φέλλου σκιᾶς, δειλότερον δὲ λαγὼ Φρυγὸς. ἐλάττω δὲ ἔχειν γῆν ἐπιστολῆς Λακωνικῆς. *Quædam ſunt hyperbolarū hyperbolæ, vt cùm dicimus aliquid ſuberis vmbra eſſe leuius, aut Phrygio aliquem lepore timidiorem, aut poßidere fundum epiſtolâ Laconicâ minorem.* Vt ſi diceremus, *Eſt leuior ſubere? ſubere dico? etiam vmbrâ ſuberis. Eſt timidior lepore. lepore autem? imò etiam lepore Phrygio. Fundum poſſidet epiſtolâ minorem? Epiſtolâ dico? etiam Laconicâ.* Poſtremum ex comico Poëta refert Dionyſius Longinus περὶ ὕψους §. 33. Pindarus Ode 8. Pyth.

Hyperbole geminata.

Ἐπάμεροι· τί δέ τις; τί δ' οὔ τις;
Σκιᾶς ὄναρ ἄνθρωποι.-

Mortales, quid aliquis? quid verò nullus?
Vmbræ ſomnium homines.

Quam hyperbolem Plutarchus conſolatione ad Apollonium ſic expendit: Ἐμφαντικῶς σφόδρα καὶ φιλοτέχνως ὑπερβολῇ χρησάμενος τὸν τῶν ἀνθρώπων βίον ἐδήλωσε. τί γὰρ σκιᾶς ἀσθενέστερον; τὸ δὲ ταύτης ὄναρ οὐδ' ἂν ἐκφράσαι τις ἕτερος δυνηθείη σαφῶς. Clarè admodum & artificio hyperbolē vſurpans humanam vitā expoſuit. *Quid enim vmbrâ infirmius? huius autem ſomnium ne dicere quidem alius manifeſtè queat.* Seneca Rhetor ſuaſoriâ primâ neſcio quem reprehendit, qui neſcio quid ad hyperbolem Charybdis adiecerat. *Efficit hæc ſententia, vt ignoſcamus ei qui dixit ipſis Charybdi & Scylla maius portentum, Charybdim ipſius maris naufragium videri, & ne in mare ſemel inſaniret, quid ibi poteſt eſſe ſalui, vbi ipſum mare perit?* Verùm, vt finiam, hic locus me admonet alterius ex Seneca fi[...]o depromptilib. 7. de beneficiis cap. 23. *In ho[...]nis hyperbole excedit, vt ad verum menda[...]io veniat.* Item: *Nunquam tantùm ſperat hyperbola, quantùm audet: ſed incredibilia affirmat, v[...] ad credi[...]l[...]a perueniat.* Incredibile quidem eſt Charybdim, atque adeò ipſum Oceanum tam mu[...]a res, tam citò abſorbere non potuiſſe, quàm citò abſorbuerat Antonius, at [...] peruenit, [...]

deretur paucis menſibus dilapidaſſe bona Cn. Pompeij.

IV. MEDIVS FIDIVS.] Vide Sextianam §. 20. n. 4.

V. VIX VIDETVR.] Vide pro Marcello 10. citata in explanatione.

VI. NIHIL SCRIPTVM.] Clauſum ſerâ, ſignatum ſigillo, ſcriptum titulis. De ſera & clauibus Euſthatius in Odyſſ. θ. Παλαιὸν δὲ, φασιν, ἔθος ἦν καταφραγίζεσθαι δεσμοῖς. ἡ κλεὶς γὰρ νεωτέρων καὶ Λακώνων εὕρημα. καὶ ἔστιν ἀσφαλέστερον δεσμὸς ποικίλος τὸ κλειδίον. *Antiquus verò, vt aiunt, mos fuit vinculis aſſeruare, Clauis enim recentiorum & Laconum eſt inuentio, eáque ſecurior eſt vario vinculo.* Porro vt notat Turneb. lib. 19. aduerſ. c. 7. *Sic videntur antiquorū ſeræ fores occluſiſſe, vt exemptiles eſſent, & quoties fores reſerarentur, ſeræ remouerentur, liberarentúrque è catena pendentes, cùm non ita vt nunc impagibus hoſtiorum vncis affixæ ferreis hærerent.* Petronius: *Dum loquimur ſera iam ſua ſponte delapſa cecidit.* Ouidius 1. amor. eleg. 6.

Serę antiquorum exemptiles.

Excute poſte ſeram.-

De ſigillo 2. de Oratore. *Ridiculum eſt illud Neronianum vetus in furace ſeruo. Solum eſſe cui domi nihil ſit nec obſignatum, nec occluſum.* Plutarchus in Tiberio Graccho: Τῷ δὲ τοῦ Κρόνου ναῷ σφραγῖδας ἰδίας ἐπέβαλεν, ὅπως οἱ ταμίαι μηδὲν ἐξ αὐτοῦ λαμβάνοιεν, μηδ' εἰσφέροιεν. *Ædem Saturni ſuo ipſius ſigillo communiuit, ne Quæſtores quicquam efferrent, aut inferrent in ærarium.* Obſignabant verò cellas, lagenas, & alia etiam quæ tutiùs ſeruari cupiebant, ſic Cleoſtrata domo abitura apud Plautum Caſina actu 1. ſc. 2.

Sigilla & obſignatio.

Obſignate cellas, referte annulum ad me,
Ego vt tranſeo in proximum ad meam vicinam.

De lagenis Quintus Cicero epiſt. ad Tironem: *Sicut olim matrem noſtram facere memini, quæ lagenas etiam inanes obſignabat, ne dicerentur inanes aliquæ fuiſſe quæ dicerentur exſiccatæ.* Horatius lib. 2. epiſt. 2.

Comis in vxorem poſſet qui ignoſcere ſeruis
Et ſigno læſo non inſanire lagenæ.

De aliis etiam vaſis Plautus Perſa actu 1. ſc. 6.

Nam id demum lepidum eſt triparcos homines,
vetulos, auidos, aridos.
Bene admordere, qui ſalinum ſeruo obſignant cum ſale.

Et ne longior ſim notum illud Matth. 27. *Illi autem abeuntes munierunt ſepulchrum ſignantes lapidem cum cuſtodibus.* Dio Pruſæus orat. 7. de fortuna, θύραις καὶ σφραγῖσι καὶ κλεισὶ πιστεύων. *foribus & ſigillis & clauibus confidens.* Vide planè Ciceronem & Aſconium de legat. Verris §. 50.

De ſcriptione intelligo illud Plinij lib. 33. c. 1. *Non ſignat Oriens aut Ægyptus etiam nunc litteris contenta ſolis.* niſi ſi fortè intelligendum eſt de ſigillis litterarum ſiue epiſtolarum. Plautus Rudente ſcena *Pro Dij.*

Scriptio.

Nam hæc vrna litterata eſt, abs ſe cantat cuia ſit.

Vide ſcenam *Nunquam ædepol.* & ſcena *Serio: enſiculus litteratus, ſecuricula litterata.* Idem Pœnulo ſc. *Satis ſpectatum.*

Ibi tu videas litteratas fictiles epiſtolas.

id eſt, amphoras.

Pice ſignatas: nomina inſunt cubitū longis litteris.

Temporibus heroicis ciſtas nodis claudebant. Odyſſ. θ.

Αὐτίκ' ἐπήρτυε πῶμα, θοῶς δ' ἐπὶ δεσμὸν ἴηλε
Ποικίλον, ὅν ποτέ μιν δέδαε φρεσὶ πότνια Κίρκη.
Continuò aptauit tegmen varióque ligauit

Nodus Circes.

Aptatum nodo, docuit quem dædala Circe.

Non eſt tamen quòd cum Euſtathio dicamus nondum claues inuentas fuiſſe, & ſeras clauéſque inter nouitia inuenta numeremus. Iliados ξ'. de Iunone:

Βῆ δ' ἴμεν εἰς θάλαμον, τόν οἱ φίλος υἱὸς ἔτευξεν
Ἥφαιστος, πυκινὰς δὲ θύρας σταθμοῖσιν ἐπῆρσε
Κληῗδι κρυπτῇ, τὴν δ' οὐ θεὸς ἄλλος ἀνῷγεν.
Ad thalamum acceſsit, fecit quem filius illi
Vulcanus, ſolidaſque fores aptauerat olim
Poſtibus, occulta claue, haud reſerauerit alter.

Et extremis penè verſibus primi Odyſſ.

Βῆ ῥ' ἴμεν ἐκ θαλάμοιο, θύρην δ' ἐπέρυσε κορώνῃ
Ἀργυρέῃ. ἐπὶ δὲ κληῗδ' ἐτάνυσεν ἱμάντι.
Exceſsit thalamo, atque fores argenteus orbis
Attraxit, lento clauis ſuper addita loro.

Quòd ad clauis inuentionem attinet eam Plinius lib.7.cap. 56. non Lacedæmoniis, vt Euſtathius, tribuit, ſed Theodoro Samio.

VII. APOTHECÆ.] Vinum aliud erat doliare, aliud diffusũ. doliare in doliis ſiue in cupis ſeruabatur, de quo plura in Piſonem 67.n.10. *Panis & vinum à propola atque de cupa.* Diffuſum dictũ, quod vbi in cupa ferbuerat defundebatur in amphoras, dicebatúrq. colari, ſaccari, διαχεῖν, διηθεῖν, tranſuaſari, elutriari. huiuſmodi amphoras teſtaceas pice allinebant, & obturabant, & Conſulum nomine ſignatas reponebant, non in cellis vinariis, ſed in apothecis, vt fumo vaporatæ acerbitatem vina deponerent, fieréntque mitiora. Plinius lib. 14. cap. 14. *Apothecas fuiſſe & diffundi ſolita vina anno* DCXXXIII. *vrbis apparet indubitato Opimiani vini argumento, iã intelligente ſuum bonum Italia.* Iam cap. 4. cùm Opimiani vini faciens mentionem dixiſſet. *Quo fit vt eius temporis æſtimatione in ſingulas amphoras centeni nummi ſtatuantur.* Adiecit: *Tantum pecuniarum detinent vini apothecæ.* Et vt etiam vltra hoc pretium ſerpſiſſe videas inſaniam, ſubdit: *Raró quippe adhuc fuere, nec niſi in nepotatu, ſingulis teſtis millia nummum.* Rurſum de apothecis cap.18. *Vina in apothecis canis ortu mutantur, quædam poſteáque reſtituuntur ſibi.* Dixi amphoras pice oblitas fuiſſe. Horatius:

Apothecæ.

Vile potabis modicis Sabinum
Cantharis. Græcâ quod ego ipſe teſtâ
Conditum leui, datus in theatro
Cùm tibi plauſus.

Iis adſcribebant nomen patriæ, & temporis. Iuuenalis Sat.5.

-cuius patriam titulúmque ſenectus
Deleuit multa veteris fuligine teſtæ.

Signanter *fuligine*, ad fumum enim exponebant vt fumi vapore vetuſteſcerent. Horatius lib. 3. Carm. Ode 8.

Hic dies anno redeunte feſtus
Corticem adſtrictum pice dimouebit
Amphoræ fumum bibere inſtitutæ
Conſule Tullo.

Columella lib. 1. de re ruſtica cap. 7. *Fumarium quoque, quo materia, ſi non ſit iam pridem cæſa, feſtinato ſiccetur in parte ruſtica villæ fieri poteſt, iunctum ruſticis balneis, &c. Apothecæ rectè ſuperponentur his locis, vnde plerumque fumus earum exoritur, quoniam vina celeriùs vetuſteſcunt, quæ fumi quodam tenore præcocem maturitatem trahũt. Propter quod & aliud tabulatum eſſe debebit, quo admoueantur* (lego *quo amoueantur*, id eſt, à balineis ſeparentur interiectu illius tabulati) *ne rurſus nimia ſuffitione medicata ſint.* Hanc tamen præcocem vini maturitatem damnat Plinius lib.23.cap. 1. *Vinum ſi ſit fumo inueteratum inſaluberrimum eſt. Mangones iſta in apothecis excogitauere.* Itaque mauult percolatione quàm fumo vini acerbitatẽ mitigari. *Vtiliſsimum omnibus ſacco viribus fractis.* In quem locum Iacobus Dalecampius. *Saccabant olim vinum, cùm muſtum priuſquam ferbuiſſet, per ſaccum toties colabant, vt defæcaretur. Sic adempta fece, quæ vini vim alit & auget, vinum lenius & imbecillius bibebatur.* De quo vini langore Horatius lib.3. Carm. Ode 16.

Fumarium.

Nec leſtrygonia Bacchus in amphora
Langueſcit mihi.

E dictis promptum eſt cellæ vinariæ & apothecæ diſtinctionem exhibere. Cellæ vinariæ ſub terra fuerunt & vinum doliare continebãt. Plinius lib. 14.c.21. cuius inſcriptio de cellis vinariis. *Mitiores plagæ doliis condunt, infodiúntque terræ tota aut ad portionem ſitus, &c. latus cellæ vinariæ aut certè feneſtras obuerti in Aquilonem oportere, &c.* Apothecæ autem fuerunt in ſuperiore tabulato, & vinum in amphoras defuſum ſeruabant. Vnde Horatius lib. 3. Ode 21. amphoram, ſiue, vt ait ipſe, piam teſtam ita compellat.

Quocunque lectum nomine Maſsicum
Seruas, moueri digna bono die,
Deſcende Coruino iubente
Promere languidiora vina.

Deſcende, inquit, tanquam è loco ſuperiore, ſiue ex horreo, vt etiam loquitur Ode 28.

Inclinare meridiem
Sentis, ac veluti ſtet volucris dies,
Parcis decipere horreo
Ceſſantem Bibuli Conſulis amphoram.

Iam Noſter non cellas vinarias, ſed apothecas ait viris nequiſſimis fuiſſe condonatas, quia maioris pretiis vetuſtiora fuerunt vina in amphoris & apothecis, quàm in doliis celliſque vinariis. Noſter in Bruto: *Vt ſi quis Phalerno vino delectetur, ſed eo nec ita nouo vt proximis Conſulibus natum velit, nec rurſus ita vetere, vt Opimium aut Anicium Conſulem quærat. Atqui eæ notæ ſunt optimæ: credo: Sed nimia vetuſtas nec habet eam, quam quærimus, ſuauitatem, nec eſt iam ſanè tolerabilis. Num igitur qui hoc ſentiat, ſi is potare velit, de dolio ſibi hauriendum putet? Minimè: ſed quandam ſequatur ætatem.* E quib. intelligas vinum proximis Cõſulib. natum hauriri de dolio conſueſſe, vetuſtius ex amphoris & apothecis: ac proinde non aliud vinum in amphoras defuſum fuiſſe quàm generoſum, quódque ferre poſſet ætatem.

ALIA MIMI RAPIEBANT, ALIA MIMÆ.] VIII.
Horatius lib.1. Sat.2.

Qui patrium mimæ donat fundúmq. larémque.

Vopiſcus Carino: *Legat hunc locum Iunius Meſſala, quem ego liberè culpare audeo. ille enim patrimonium ſuum ſcenicis dedit, heredibus abnegauit. Matris tunicam dedit mimæ, lacernã patris mimo. & rectè, ſi auiæ pallio aurato, atque purpurato pro ſyrmate tragœdus vteretur. Inſcriptum eſt adhuc in choraulæ pallio tyrianthino, quo ille velut ſpolio nobilitatis exultat, Meſſalæ nomen & vxoris.*

NEQVE ENIM SEMPER ISTE FOELIX.] IX.
Contrà Leon Mitylenæus origine Athenienſis, Ἀήττητος ἦν κατὰ τὴν πεττευτικήν. *Inuictus erat aleæ luſu*, vt ſcribit Athenæus lib.1. dipnoſ.

DAMNA ALEATORIA.] Damni iactus X.
fuit canicula, id eſt, vnitas. Ouidius 2. triſtium elegia ad Auguſtum:

Quid valeant tali, quo poſsis plurima iactu
Figere, damnoſos effugiaſque canes.

Canicula infelix in alea iacta. Libro 2. de Arte:

Si iacias talos, victam ne pœna ſequatur,
Damnoſi facito ſtent tibi ſæpe canes.

Perſius ſat. 3.

-quid dexter ſenio ferret
Scire erat in voto, damnoſa canicula quantum
Raderet, anguſtæ collo non fallier orcæ.

In quos verſus adi interpretes, ne nos in alieno fundo diutiùs hæſiſſe videamur.

XI. CONCHYLIATIS.] Catullus de Nuptiis Pelei & Thetidos lectum conchyliato periſtromate ſtratum ita deſcribit.

Puluinar verò Diuæ geniale locatur
Ædibus in mediis, Indo quod dente politum
Tincta tegit roſeo conchylis purpura fucos.

Conchyliatæ veſtes. Dicta autem conchylis, ſiue conchyliata veſtis, quòd purpuræ, ſiue muris ſint quædam genera conchyliorum, id eſt piſciculi conchâ veſtiti, de quibus Plinius lib. 9. cap. 36. *Purpuræ florem illum tingendis expetitum veſtibus in mediis habent faucibus. Liquor is nimirum eſt in candida vena, vnde pretioſus ille bibitur nigricantis roſæ color ſublucens.* Lucretius lib. 2.

Iam tibi Barbaricæ veſtes, Melibœáque fulgens
Purpura, Theſſalico concharum tincta colore.

Et libro 6.

Purpureúſque color conchylî mergitur vnâ
Corpore cum lanæ, dirimi qui non queat vnquã.

XII. Periſtromata. PERISTROMATIS.] Plautus Pſeudolo actu 1. ſc. 2.

Ita ego veſtra latera loris faciam, vt validè
varia ſint,
Vt ne periſtromata quidem æquè picta ſint Campanica,
Neque Alexandrina belluata conchyliata tapetia.

Sticho actu 2. ſc. 3.

Lectos eburatos auratos.

Babylonica. *Tum Babylonica periſtromata, conſutáque tapetia.*

Babylonica autem periſtromata, vt breuiter id dicam, facilè crediderim eadem fuiſſe cum amphitapis. de quibus Lucilius lib. 1. apud Nonium.

Pſilæ atque amphitapæ, villis ingentibus molles. Amphitapæ.

Item lib. 6.

Pluma atque amphitapæ, & ſi aliud quid delitiarum.

Varro Manio. *Alterum bene acceptum dormire ſuper amphitapa bene molli.*

SERVORVM IN CELLIS.] Cellæ ſeruorum fuerunt. Varro lib. 1. de re ruſtica cap. 13. XIII. Cellæ. *Villici proximè ianuam cellam eſſe oportet.* quas proinde Vitruuius lib. 6. de architectura cap. 10. *familiaricas* appellat. *Circum autem in porticibus triclinia quotidiana, cubicula etiam, & cellæ familiaricæ conſtituuntur.* E quibus Vitruuij verbis vnius literæ mutatione corrigi poteſt Varro ibidem. *In eóque quidam ſellas familiaricas ponunt.* lege *cellas.* Cato de re ruſtica cap. 14. monet *cellas familiæ* faciendas. Vide Columellam lib. 1. cap. 6.

LECTOS STRATOS.] Propriè. vnde & XIV.

-lecti mollia ſtrata dicuntur Lucretio. Stratum.

Stragulum, id eſt veſtis ſtragula Ciceroni 5. Tuſcul. quæſt. § 60. Stragula. Sternator. *Collocari iuſsit hominem in aureo lecto, ſtratu pulcherrimo, textili ſtragulo, magnificis operibus picto: abacóſque complures ornauit argento, auróque cælato.* Hinc *lectiſterniator* in Pſeudolo Plautina actu 1. ſc. 2.

Tu eſto ſterniator: tu argentum eluito, idem extruito.

Hinc apud Homerum ϛορέσαι λέχος frequenter, vt Iliados 1. Clemens Alexandrinus libro 2. Pædag. cap. 3. Philo de vita contemplatiua ϛρωμνὰς ἁλουργεῖς appellant. Maro 1. Æneidos:

-ſtratóque ſuper diſcumbitur oſtro.

Tibullus:

Nam neque tum plumæ, nec ſtragula picta ſoporem,
Nec ſonitus placidæ ducere poſſit aquæ.

Horatius lib. 2. ſat. 6. non abludit. Sed vide Stuckium libro 2. antiquit. conuiual. cap. 24.

ARGVMENTVM.

Grauiter inuehitur in Antonium, quòd Cn. Pompeij domum inuaſerit, in eáque veritus non fuerit habitare, quàm eius audaciam variis modis exaggerat.

AT eiuſdem ædes etiam, & hortos. O audaciam immanem! tu etiam LVIII. ingredi illam domum auſus es? tu illud ſanctiſſimum limen intrare? tu illarum ædium Diis Penatibus os importuniſſimum oſtendere? quam domum aliquandiu nemo aſpicere poterat, nemo ſine lacrymis præterire, hac te in domo tamdiu diuerſari non pudet? in qua quamuis nihil ſapias, tamen nihil tibi poteſt eſſe iucundum. An tu illa veſtibula, roſtra, ſpolia cùm aſpexiſti, domum tuam te introire putas? fieri non poteſt: quamuis enim ſine mente, ſine ſenſu ſis, vt es, tamen & te, & tua, & tuos noſti. Nec verò te vnquam, neque vigilantem, neque in ſomnis credo poſſe mente conſiſtere. Neceſſe eſt, quamuis ſis, vt es, violentus & furens, cùm tibi obiecta ſit ſpecies ſingularis viri, perterritum te de ſomno excitari, furere etiam ſæpe vigilantem.

EXPLANATIO.

AT EIVSDEM.] Non ſolùm in Cn. Pompeij fortunas inuaſit, ſed etiam domum eiuſdem, & hortos à Cæſare publicatos, & haſtæ ſubiectos emit.

O AVDAC.] Ex graui indignatione in exclamationem erumpit: etſi autem vt plurimùm exponi ſolet rei, qua de agitur, indignitas, antequam exclames, tamen in rebus valdè atrocibus vim exclamatio maiorem habet, ſi rei declarationem antecedat.

TV ETIAM.] Expolitione oratoriâ rem amplificat: & ab eiuſdem vocis repetitione, *tu.* ſingula membra orditur, vt magis inculcet, & quaſi repetitis ictibus in auditorum memoria defigat: à religione etiam Deorum Penatium, & liminis ſanctitate magis exaggerat.

ALIQVANDIV.] Dum recentior erat dolor è Pompeij morte perceptus, necdum ipſa vel conſuetudo, vel diuturnitas ciuium animis callum obduxerat. Eſt autem amplificatio ab antecedentibus, & contrariis. Populus ſine lacrymis videre non poterat domum Pompeij, Antonius in eadem domo helluabatur.

DIVERSARI.] Non quidem tanquam in domo propria viuere, ſed tanquam in alienâ, & quaſi diuerſorio quodam. qua voce indicare videtur fore, vt breui Sextus Pompeius Cnei filius paternam domum recuperet, & ex ea deturbet Antonium.

IN QVA.] Hactenus ex antecedentibus, nunc à conſequentibus amplificat Antonij audaciam: quod tantum ſit ſcelus illius ſectionis, vt neceſſariò perpetuis conſcientiæ ſtimulis fodiatur, qui nullam ei vel nocturnam, vel diurnam quietem impertiunt.

AN TV ILLA VESTIBVLA.] Variæ ſunt huius loci lectiones. Alij legunt: *An tu illa in veſtibulo roſtra, ſpolia cùm adſpexiſti.* Alij: *in veſtibulo roſtra & hoſtium ſpolia.* Alij denique, quod magis placet, *An tu illa veſtibula, roſtra, ſpolia.* Maiorem enim vim habet oratio ſi diſſoluta fuerit, vt plura conglobari, & quaſi in cumulum coaceruari videantur, nec moris eſt oratori, duas tantùm voces continuari, niſi vinculo copulentur. Faernus etiam & Manutius frigidiùs, opinor, ediderunt. *Illa in veſtibulo hoſtium ſpolia.*

VIOLENTVS.] Alij *vinolentus*, quod poſterius recepit Ianus Grutterus, quod inueniſſet in ſuis aliquot Ferrarius, reſtarétque in Palatino ſecundo atque Mauriciano. Vrſinus etiam in veteri libro tradit ita legi, ídque Antonio Auguſtino placuiſſe. *Sed hæc lectio*, inquit, *plus habet ſpeciei quàm veritatis.* itaque retinet *violentus.* verùm *ineptè*, inquit Grutterus, *Ebrietas enim & furor duo ſunt, quæ non patiuntur ſimulacra in ſomnis liquidò nobis imprimi: itaque miror hactenus exulaſſe à libris lectionem maximè ratione ſubnixam.*

SINGVLARIS VIRI.] Cn. Pompeij.

NOTÆ.

I. AT EIVSDEM ÆDES.] Plutarchus in Cæſare videtur dicere non Antonium, ſed Cornificium in ædes Pompeij ad Pharſaliũ victi inuaſiſſe ἦν δ' αὐτῶν διαβολὴ καὶ ἡ Δολαβέλλα μανία, καὶ ἡ Ἀμιντίου φιλαργυρεία, καὶ μεθύων Ἀντώνιος, καὶ Κορφίνιος τὴν Πομπηΐου σκευωρούμενος οἰκίαν, καὶ μετοικοδομῶν, ὡς ἱκανὴν οὐκ οὖσαν. ἐπὶ τούτοις γὰρ ἐδυσχέραινον Ῥωμαῖοι *Ipſi crimini dabatur Dolabellæ furor, Aminij auaritia, ebrietas Antonij Corfinius Pompeij domum conuaſans, & aliter ædificans, quaſi non ſufficeret. hæc moleſtè ferebant Romani.* hæc ille. Verùm ne Plutarcho neceſſe ſit Velleium, Dionem, ipſum adeò Ciceronem opponere, loquatur ipſe Plutarchus in Antonio. Τὴν δὲ Πομπηΐου πολυτελῆ οἰκίαν ὠνήσατο μὲν Ἀντώνιος, ἀπαιτούμενος δὲ τὴν τιμὴν ἠγανάκτει. *Pompeij domum ſubhaſtatam emit Antonius, cúmque ab eo pretium exigeretur, iniquo ferebat animo.*

SANCTISSIMVM LIMEN.] An ob Deos liminum præſides? Magnus Doctor libro 4. de Ciuitate Dei, cap. 8 *Vnuſquiſque domui ſuæ ponit oſtiarium, & quia homo eſt, omninò ſufficit. Tres Deos iſti poſuerunt, Forculum foribus, Cardeam cardinibus, Limentinum limini.* Carnam nõ Cardeam vocat Ouidius, eámque Calẽdis Iuniis cultam fuiſſe teſtatur 5. Faſt. II.

Prima dies tibi, Carna, datur, Dea cardinis hæc eſt,
Numine clauſa aperit, claudit aperta ſuo.

De Limentino Arnobius lib. 4. *Quis* credat *Limentinum, quis Limam cuſtodiam liminum gerere, & ianitorum officia ſuſtinere?* Paulò poſt: *Et negligi ſacrilegè clamitatis, quiritaminique contemni Larem Genium focorum, Limentinum præſidem liminum, Pertundam, Perſicam, Nodotuvenſem?*

DIIS PENATIBVS.] De Diis Penatibus adi Milonianam § 39. & adde etiam Lares & Penates cum domibus voci præconis & haſtæ fuiſſe ſubiectos. ex Tertulliani apologetico cap. 13 *Publicos Lares in haſtario vectigales habetis.* vide ſuprà § 54 Nota I. III.

OS.] Os pro impudentia, temeritate, audacia, & cum verbo audendi coniungitur, in Oratore. *Quod tandem os eſt illius patroni, qui ad eas cauſas ſine vlla ſcientia iuris audet accedere?* Pro Rabirio Poſtumo 34. *Quod habent os? quam audaciam?* Vide Notas noſtras in Piſonem 53. *Nihil incolume domum præter os illud priſtinum tuum retuliſti.* & 63. *Os tuum ferreum Senatûs conuicio verberari noluiſti.* IV. Os.

VESTIBVLA.] Veſtibulum non fuit, vt aliqui putant, vel ipſa ianua, vel arcus ianuæ præpoſitus, quaſi προπύλαιον, aut etiam porticus ante ianuam, ſed Aquilius Gallus apud Gellium in noctibus Atticis libro 16. cap. 5. *Veſtibulum eſſe dicit non in ipſis ædibus, neque partem ædium, ſed locum ante ianuam domus vacuum, per quem à via aditus acceſſúſque ad ædeis eſt, cùm dextrâ ſiniſtráque inter ianuam tectáque, quæ ſunt viæ iuncta ſpatium relinquitur: atque ipſa ianua procul à via eſt areâ vacanti interſita.* Subdit Gellius: *Qui domos igitur amplas antiquitus faciebant, locum ante ianuam relinquebant, qui inter fores domus & viam medius eſſet. In eo loco qui dominum eius domum ſalutatum venerant, priuſquam admitterentur, conſiſtebant: & neque in via ſtabant, neque intra ædes erant. ab illa ergo grandis loci conſtitutione, & quaſi quadam ſtabulatione, veſtibula appellata ſunt ſpatia (ſicuti diximus) grandia, ante fores ædium relicta, in quibus ſtarent qui veniſſent, priuſquam in domum intromitterentur.* Aliter Ouidius 6. Faſtorum, qui cùm dixiſſet, V. Veſtibula.

Veſta eadem eſt & terra. — Item: Veſta.
Nec tu aliud Veſtam, quàm viuam intellige flammam. Subiecit:

Stat vi terra ſuâ: vi ſtando Veſta vocatur,
Cauſáque par Graij nominis eſſe poteſt.
At focus à flammis, & quod fouet omnia dictus,
Qui tamen in primis ædibus antè fuit.
Hinc quoque veſtibulum dici reor, vnde precando
Dicimus, ô Veſta quæ loca prima tenes.

Quibus verbis videtur veſtibulum cum atrio cōfundere, neque enim veteres extra domum & in propatulo, ſed in atriis ignem excitabant, vnde *fumoſæ imagines*, quòd in atrio poſitæ fuliginem ex igne contraherent, vt vidimus in Piſonem 2. Sum tamen in Aquilij ſententiam propenſior, & fortaſſe domus, vt nunc videmus, tria potiſſimùm ædificia continebat. Præcipuum fuit medium, in quo ianua domus, & atrium, id eſt aula quædam pauimentata & tecta laqueari, ad dextram & ſiniſtram ædificia duo, quæ Vitruuius alas appellat. Anteriores alarum partes ad vicum pertinebant, nullas tamen ianuas, quibus ad vicū exitus eſſet, habuerunt: medium ædificium receſſu quodam ſubmouebatur à vico communi, in eóque medio ianua. Quamuis fortaſſe tota domus interiectu parietis ſic à vico diuidebatur, vt anterior ille paries, ab ala ad alam pertineret, totúmque illud ſpatium vacuum inter alas, atrium & parietem hunc interceptum veſtibulum diceretur, id eſt area quædam inſtar earum quas cortes vulgus appellat. Præter hæc fuerunt & alia ædificia in interiore domo, ſed omiſi quod ad propoſitum non attinerent.

VI. ROSTRA.] Notat Germanus Valens in ſeptimum Æneidos ad illa verba,

-ereptáque roſtra carinis.

victis hoſtibus nauali certamine naues à victoribus mutilari conſueuiſſe, quòd Græci ἀκρωτηριάζειν dicebant. Herodotus in Thalia. Καὶ τῶν νηῶν καπρίους ἐχουσέων τὰς πρῴρας ἀκρωτηρίασαν, καὶ ἀνέθεσαν εἰς τὸ ἱερὸν τῆς Ἀθηναίης ἐν Αἰγίνῃ. *Et nauium roſtratarum proras amputantes, depoſuerunt in templo Mineruæ Æginetica.* Hinc illud Liuij lib. 8. *Naues Antiatium partim in naualia Romæ ſubductæ, partim incenſæ, roſtriſque earum ſuggeſtum in foro extructum adornari placuit: Roſtráque id templum appellatum.* Idem Liuius lib. 10. ſub initium. *Roſtra nauium ſpoliáque Laconum in æde Iunonis veteri fixa multi ſuperſunt qui viderunt.* Philippus quodam epigrammate,

Roſtra poſtibus affixa.

Ἔμβολα χαλκογένεια, φιλόπλοα τεύχεα νηῶν
Ἀκτιακοῦ πολέμου κείμεθα μαρτύρια.

Roſtra autem in veſtibulo Pompeij, quia mare à Piratis purgauerat, vnde & roſtrata. Capitolinus in Gordianis: *Extat ſilua eius memorabilis, quæ [illegible]a eſt in domo roſtrata Cn. Pompeij. quæ ipſius, & [illegible]ris eius & proaui fuit.* Gordiani autem ab Antonio duxerant originem, & hanc Pompeij domum [illegible]itario iure acceperant, vt aduertit I[illegible] Lipſius lib. 5. de militia Romana, Dialo[illegible].

VII. SPOLIA.] De more ad quem Maro frequenter alludit, vt lib. 2. Æneidos de Regiâ Priami.

Barbarico poſtes auro ſpoliiſque ſuperbi.

Libro 5. de domo Entelli.

vbi fama per omnem
Trinacriam, & ſpolia illa tuis pendentia tectis.

Libro 7. de Regia Latini.

Spolia poſtibus affixa.

Multáque præterea ſacris in poſtibus arma
Captiui pendent currus, curuaque ſecures
Et criſtæ capitum, & portarū ingentia clauſtra,
Spiculáque, clypeique, ereptáque roſtra carinis.

Superſedeo exemplis quæ ex Statio, Silio, Naſone, Platone, Liuio refert doctiſſimus Cerdanus. vnum tamen ex eo referam quod è Liuij 38. deprompſit, vbi C. Flaminius Fuluij cauſam defendens: *Ambraciam captam*, inquit, *ſignáque quæ ablata criminantur, & cetera ſpolia eius vrbis antè currum laturus & fixurus in poſtibus ſuis.* De more, inquam, ſiquidem Ἐν ταῖς οἰκίαις κατὰ τοὺς ἐπιφανεστάτους τόπους τιθέασι τὰ σκῦλα. *In ædibus locis patentiſſimis ponunt ſpolia.* Hæc verba Germanus Valens ex interprete Apollonij retulit, Willelmus Godeleuæus è Polybio lib. 6. tu fontes adito, ſi otium. Et vt viris eruditis ſubſidiariam opellam nauemus, adde Propertium libro 3. elegia 8. ad Mecœnatem.

Cùm tibi Romano dominas in honore ſecures,
Et liceat medio ponere iura foro,
Vel tibi Medorum pugnaces ire per hoſtes,
Atque onerare tuam fixa per arma domum.

Tibullum lib. 1. eleg. 1.

Te bellare decet terrâ, Meſſala, marique
Vt domus hoſtileis præferat exuuias.

Ouidius lib. 3. de Triſtibus, elegiâ primâ Auguſti domum ita deſcribit.

Singula dum miror video fulgentibus armis
Conſpicuos poſtes, tectáque digna Deo.

Tranquillus in Nerone cap. 38. agens de Neroniano vrbis incendio. *Tunc præter immenſum numerum inſularum, domus priſcorum ducum arſerunt, hoſtilibus adhuc ſpoliis adornatæ.* E quibus Suetonij verbis colligitur mutatis dominis, eadem ſpolia manſiſſe, nec loco fuiſſe mutata, vt nemini mirum eſſe debeat ſpolia, quæ Cn. Pompeius olim veſtibulo poſtibúſque ſuis appenderat ab Antonio refixa non fuiſſe. Expreſsè Plinius lib. 35. cap. 2. poſtquàm de cereis maiorum imaginibus in atrio diſponi ſolitis egit. *Aliæ foris, inquit, & circum limina animorum ingentium imagines erant, affixis hoſtium ſpoliis. quæ nec emptori refringere liceret: triumphabántque etiam dominis mutatis ipſæ domus, & erat hæc ſtimulatio ingens, exprobrantibus tectis quotidie imbellem dominum intrare in alienum triumphum.* Ideò autem, opinor, hæc ſpolia loco mouere nefas erat, quòd eſſent Diis Penatibus, aut veſtibulorum ianuarúmque præſidibus conſecrata. Vbi tamen delapſa fuerant reſtitui non potuerunt. Plutarchus quæſtionibus Romanis 37. Διὰ τί τῶν τοῖς θεοῖς ἀνατιθεμένων μόνα τὰ σκῦλα νενόμισται περιορᾶν ἀφανιζόμενα τῷ χρόνῳ, καὶ μήτε προσκυνεῖν (lego προσκινεῖν μήτ᾽ ἐπισκευάζειν. *Cur mos inualuit, vt ex omnibus quæ Diis conſecrata ſunt, ſola ſpolia vetuſtate fatiſcentia negligantur, nec loco moueantur, aut reſarciantur.* Item in Gracchis: ὡπλίζοντο τοῖς περὶ τὴν οἰκίαν λαφύροις, ἃ Γαλάτας νενικηκώς, ὅτε ὑπάτευεν εἰλήφει. *Armabantur ſpoliis quæ circa domum erant, quæ partâ de Gallis victoria, reportauerat in ſuo conſulatu.* Ad hunc etiam morem alludit Albinouanus ad Liuiam:

Affixa ſpolia nec emptori domus refringere licebat.

Mœſta domus clangore ſonat: cui figere latus
Parta ſuâ dominus vouerat arma manu.

Eadem veteribus Gallis conſuetudo. Diodorus Siculus lib. 6. *Hoſtium ſpolia ſanguine perfuſa famulis tradunt in foribus domorum cum cantu atque hymnis affigenda, quemadmodum feras ſolent venatu captas.*

ARGVMENTVM.

A frugalitate & ſanctitate morum Cn. Pompeij, inſectatur impuritatem M. Antonij, ſubdítque quemadmodum ille dilapidatis Pompeij bonis helluari deſtiterit, & Cytheridem mimam repudiarit.

LIX. ME quidem miſeret parietum ipſorum atque tectorum. quid enim vnquam domus illa viderat, niſi pudicum? quid niſi ex optimo more, & ſanctiſſima diſciplina? fuit enim ille vir, P. C. ſicut ſcitis, cùm foris clarus, tum domi admirandus: neque rebus externis magis laudandus quàm inſtitutis domeſticis: huius in ſedibus pro cubiculis ſtabula, pro tricliniis popinæ ſunt, etſi iam negat, nolite quærere, frugi factus eſt. Mimam illam ſuam ſuas res ſibi habere iuſſit: ex duodecim tabulis cauſam addidit, claueis ademit, foras exegit; quàm porrò ſpectatus ciuis, quàm probatus, cuius ex omni vita nihil eſt honeſtius, quàm quòd cum mima fecit diuortium?

EXPLANATIO.

ME QVIDEM.] Ad maiorem vim & orationis grauitatem ſenſum ædibus Pompeianis attribuit, quaſi domus illa ex Pompeij & Antonij comparatione magnum dolorem acceperit.

ILLE VIR.] Cn. Pompeius.

HVIVS IN ÆDIBVS.] Alij legunt, *in ſedibus*: ſequor Fuluij Vrſini lectionem.

PRO CVB. STAB.] Hunc locum vexarunt viri eruditi. Pet. Faber ductus antiquæ ſcripturæ veſtigiis legendum putabat, *pro conclauibus triclinia ſunt*, vel *pro cubiculis ſtabula, pro conclauibus triclinia, pro tricliniis popinæ ſunt.* Monet tamen Grutterus vulgatam lectionem Palatinorum omnium auctoritate ſtabiliri. Senſus eſt autem cubicula Cn. Pompeij, vt primùm ea occupauit Antonius, in lupanaria in quibus pueri puellæque proſtarent, triclinia autem in popinas eſſe mutata, in quibus homines nequam & perditi biberent, vomerent, omne flagitij genus admitterent.

ETSI IAM NEGAT.] Elegans tranſitio. Iam, inquit, negat ſe pro cubiculis Pompeij lupanaria & ſtabula, pro tricliniis popinas feciſſe: nolite curioſiùs ſciſcitari & inquirere quid antè fecerit, nunc enim ita ſe collegit, & ad meliorem frugem recepit, vt ſuperioris vitæ maculas præſenti frugalitate abſterſerit. Eſt autem elegans ironia, cum emphaſi, qua ſignificatur Antonium omne Pompeij patrimonium abliguriuiſſe. Non enim aliter frugi fieri potuiſſet.

EX XII. TABVLIS.] Variæ ſunt huius loci lectiones. Communior eſt. *Ex XII. tabulis cauſam addidit, exegit.* Manutius extrita voce *mimã*, quam etiam Grutterus in ſuis M. S. non extare teſtatur, legit *Illam ſuam ſuas res ſibi habere iuſſit ex duodecim tabulis: claues ademit: exegit.* adſtipulantur Muretus & Petrus Victorius. Lambinus & Grutterus addunt particulam *foras*, alter *foras exegit*: alter *foráſque exegit.* Et ſanè hæc verba *claueis ademit, foráſque exegit*, à Nonnio Marcello referuntur: quia tamen hæc verba *cauſam addidit*, neque orationis numero, neque ſenſui officiunt, imò plurimum leporis addunt, non auſim ea excludere, & quaſi è veteri librorum poſſeſſione deturbare. Itaque lego: *Habere iuſſit: ex duodecim tabulis cauſam addidit: claueis ademit: foras exegit.* Nam, vt ait Vrſinus, *Valdè iuri & æquitati conſentaneum eſt, eum qui dimittat vxorem cauſam addere, cùm ſponte ſua, vt ſe apud Iudices excuſet, & faciliùs alteram reperiat vxorem: tum iubente lege hoc facere, quæ non temerè, & pro arbitrio ſinat dimitti vxores, & ſeri diſcordias inter vtraſque familias.* Prætereà, vt cum Victorio loquar lib. 2. cap. 2. variar. *Erat mos inſtitutúmque Romanorum, vt vxoribus primùm domum ingredientibus claues darent, quo (ni fallor) ſignificabant, ipſas matresfamilias eſſe, atque omnem rei quæſitæ à viro poteſtatem habere*, &c. *& veriſimile eſt quas initio matrimonij darēt, ipſas diuortio facto adimere ſolitos. Quod prorſus ſignificare arbitror voluiſſe Ciceronem, cùm omnem ritum illum exprimeret, vt fœdiorem notam inureret turpiſſimo viro, cuius ex omni vita nihil erat honeſtius, quàm quòd cum mima feciſſet diuortium. indicat etiam turpitudinem hominis, cùm oſtendit eum mimæ claues amicæque, ingenuarum mulierum legitimæque vxoris inſigne conceſſiſſe.*

NOTÆ.

ME QVIDEM.] Hunc locum Plutarchus penè verbatim expreſſit in Antonio. I.
Προσῆν δὲ τῇ κοινῇ κακοδοξίᾳ τὸ διὰ τὴν οἰκίαν οὐ μικρὸν μῖσος, ἣν ᾤκει, Πομπηΐου τοῦ Μεγάλου γενομένην, ἀνδρὸς οὐχ ἧττον ἐπὶ σωφροσύνῃ καὶ τῷ τεταγμένως καὶ δημοτικῶς διαιτᾶσθαι θαυμασθέντος, ἢ διὰ τοὺς τρεῖς θριάμβους. *Acceßit ad communem infamiã non mediocre odium ex ea in qua habitabat domo, quæ fuerat Magni Pompeij, viri non minùs ob temperantiam, modeſtámque & ciuilem vitã, quàm ob tres triumphos mirabilis.*

PRO CVBICVLIS STABVLA.] Hunc lo- II.
cum videtur Seuerus Auguſtus præ oculis habuiſſe epiſtola quadam ad Ragonium Celſum, quæ extat apud Spartianum in Peſcēnino Nigro. *Miſerum eſt vt imitari eius diſciplinam militarem non poßimus, quem per bellum vicimus. Milites tui vagantur, Tribuni medio die lauant, pro tricliniis popinas habent, pro cubiculis meritoria. Saltant, bibunt, cantant, & menſuris conuiuiorum vacant, cùm ſine menſurâ potent. Hæc ſi vlla vena paternæ diſciplinæ in nobis viueret, fierent.* Stabulum autē vel pro diuerſorio ponitur, vel etiam pro lupanari. Pro diuerſorio. Petronius: *Nec quo ſtabulum*

eſſet, ſciebam. Item: *Cùm errarem per totam ciuitatem, nec inuenirem quo loco ſtabulum reliquiſſem.* Pro lupanari: *Poſtquam enim* dixit, *iam ſerò intellexi me in fornicem eſſe deductũ.* fingit Quartiliæ ancillam eò venientem ita loqui. *Ecce ipſa venit ad ſtabulum, petítque vt vobiſcum loqui liceat.* Dictum opinor ſtabulum, quòd ibi proſtarent meretrices, aut etiam pueri. C. Gracchus apud Gellium lib. 15. cap. 12. quod etiam notauit P. Faber. *Nulla apud me fuit popina, neque pueri eximiâ facie ſtabant, ſed in conuiuio liberi veſtri modeſtiùs erant, quàm apud præceptorem.* Clarè Valerius pro lupanari ſtabulum accepit lib. 7. c. 7. *Qu. Metellus*, &c. *Vecilio lenoni bonorum Iuuentij poſſeſſionem ſecundum tabulas teſtamenti non dedit: quia vir nobiliſſimus & grauiſſimus fori ac lupanaris ſeparandam conditionem exiſtimauit: nec aut factum illius comprobare voluit, qui fortunas ſuas in ſtabulum contaminatum proiecerat: aut huic tanquam integro ciui iura reddere, qui ſe ab omni honeſto vitæ genere abruperat.*

III. Triclinia. PRO TRICLINIIS.] Triclinia duobus modis dicuntur, vel enim ſunt lecti illi triplices quibus accumbebant, vel etiam locus ipſe in quo celebrabatur conuiuium. Pro lectis conuiualibus ſumit Plinius lib. 33. cap. 11. *Lectos verò mulierum iampridem totos operiri argento, & triclinia quædam, quibus argentum addidiſſe primus traditur Caruilius Pollio eques Rom. non vt operiret, aut Deliaca ſpecie faceret, ſed Punica. Idem & aureos fecit.* Item: *Cornelius Nepos tradit ante Syllæ victoriam duo tantùm triclinia Romæ fuiſſe argentea. Repoſitoris argentum addi ſua memoria cœptum Feneſtella dicit, qui obiit nouiſſimo Tiberij Cæſaris principatu. Sed & teſtudines tum in vſum veniſſe: ante ſe autem paulò lignea rotunda ſolida: nec multò maiora quàm menſas fuiſſe. Se quidem puero quadrata & compacta aut acere, aut citro cœpiſſe. Mox additum argentum in angulis, lineáſque per commiſſuras.* Idem lib. 34. cap. 2. *Antiquiſſima æris gloria Deliaco fuit, mercatus in Delo concelebrante toto orbe, & ideò cura officinis tricliniorum pedibus fulcriſque.* & cap. ſequenti. *Nam triclinia ærata abacóſque & monopodia Cn. Manlium Aſiâ deuictâ primùm inuexiſſe triumpho ſuo, quem duxit anno DLXVII. Luc. Piſo auctor eſt. Antias quidem Luc. Craſſum heredem Luc. Craſſi Oratoris multa etiam triclinia ærata vendidiſſe.* Philo lib. de vita contemplatiua: Τρίκλινά τε καὶ τρίκλινα χελώνης ἢ ἐλέφαντος κατεσκευασμένα, καὶ τιμαλφεστέρας ὕλης, ὧν τὰ πλεῖστα λιθοκόλλητα, στρωμναὶ ἁλουργεῖς συνυφασμέναι χρυσῷ, καὶ ἀνθοβαφεῖς ἕτεραι παντοίων χρωμάτων, &c. *Triclinia & ſigmata è teſtudine aut ebore facta, aut è pretioſiore materia, pleraque gemmata, conchyliata intexto auro periſtromata, aut alia floridis coloribus omnimodè variata.* Quibus locis triplices illos lectos diſcubitorios circa menſam ſemicirculi figura diſpoſitos triclinia vocant. Lampridius in Heliogabalo *lectos tricliniares* appellat. *Hic ſolido argento factos habuit lectos & tricliniares & cubiculares.* Varro lib. 8. de lingua Latina: *Rogant ſi ſimilitudo ſit ſequenda, cur malimus habere lectos alios ex ebore, alios ex teſtudine, ſic item genere aliquo alio. Ad quæ dico non diſſimilitudines quoque ſequi. ſæpe itaque ex eadem ſupellectili licet videre. Nam nemo facit triclinij lectos, niſi pares & materia, & altitudine, & figura? Quis facit mappas triclinarias non ſimiles inter ſe? quis puluinos?* Tres autem eos fuiſſe paulo ſuperiùs indicarat. *Nam vt qui triclinium conſtrarunt, ſi quem lectum de tribus vnum imparem poſuerunt, aut de paribus nimium aut parum produxerunt, vnà corrigimus & ad conſuetudinem communem, & ad aliorum tricliniorum analogias: Sic ſi quis in oratione, in pronuntiando ita declinat verba vt dicat diſparia: quod peccat redigere debemus ad cæterorum ſimilium verborum rationem.* Horatius:

Lecti tricliniares. Argentei. Aurei.

Eburnei. Teſtudinei.

Sæpe tribus lectis videas cœnare quaternos.

Iuuenalis ſat. 5.

Tertia ne vacuo ceſſaret culcitra lecto. Tres lectuli in triclinio.

Plutarchus lib. 1. conuiualium quæſtionum, problem. tertio. Τῶν δυοῖν κλινῶν, inquit, ἀποδεδομένων τοῖς παρακεκλημένοις, ἡ τρίτη καὶ ταύτης ὁ πρῶτος τόπος μάλιστα τοῦ ἑστιῶντός ἐστιν. *Cùm duo lecti inuitatis tribuantur, tertius lectus, eiúſque primus locus ei congruit qui præbet conuiuium.* Quem locum fuſiùs tractauimus notis in Nonni paraphraſim cap. 13. & in Piſonem 67. Nota 13. quibus locis oſtendimus medium lectum honoratiſſimum fuiſſe. Præcipuam tamen, vt ibi diximus, dignitatem habebat infimus lecti medij locus. Adde Martialem lib. 6. ep. 74.

Medio recumbit imus ille qui lecto.

Is enim erat locus Conſularis.

Menſas autem orbiculatas, ſiue rotundas fuiſſe conſtat è ſexcentis auctoribus. Tibullus libro 1. eleg. 7.

Neu te decipiat nutu, digitóque liquorem
Detrahat, & menſæ ducat in orbe notas.

Helena Paridi.

Orbe quoque in menſa legi ſub nomine noſtro
Quod deducta mero littera fecit, AMO. Menſæ rotundæ.

Iuuenalis ſat. 11.

- putere videntur
Vnguenta atque roſæ latos niſi ſuſtinet orbes
Grande ebur, & magno ſublimis pardus hiatu.

Atque vt omittam Plinium libro 13. cap. 15. de menſa Ptolemæi Mauritaniæ Regis, *commiſſa ex orbibus dimidiatis duobus*, & Tertullianum de pallio ſcribentem de orbe citreo Ciceronis, Martialis lib. 9. ep. 60. de Mamurra.

--menſas & opertos exuit orbes
Expoſitúmque altè pingue popoſcit ebur,
Et teſtudineum menſus quater hexaclinon,
Ingemuit citro non ſatis eſſe ſuo.

Quibus verſibus, vt Guillelmum Philandrum commentariis in Vitruuium lib. 6. cap. 5. audiamus: *Querebatur Mamurra, quòd accubitorius laminis teſtarum teſtudinum veſtitus lectus, quem comparare velle videbatur, minùs quadraret, cùm ſex tantùm caperet, ipſius verò citrea menſa eſſet aptior, atque capacior.* Vnde colligitur non ſemper tres lectos circa menſam diſpoſitos fuiſſe, ſed nonnunquam vnicum lectum accubitoriũ fuiſſe lunatum & arcuatum, qui mediam menſæ orbicularis partem ambiret, & συντρίκλινος, ἑξάκλινος, ἑπτάκλινος diceretur pro numero accumbentium quos capiebat. Neque enim apud Martialem ſenos lectos intelligere poſſumus: neque vlla citrea menſa tantæ amplitudinis fuit, vt tot lectis ſtiparetur. Plinius libro 13. cap. 15. *Magnitudo ampliſſima adhuc fuit vnius commiſſæ ex orbibus dimidiatis duobus à Rege Mauritaniæ Ptolemæo, quatuor pedum longitudinis per medium ambitum, latitudine quadrantali.* Huiuſmodi lectos ſigma vocabant. Lampridius in Heliogabalo: *Multis vilioribus amicis folles pro accubitis ſternebat, eóſq; reflabat prandentibus illis, itaut plerumque ſubitò* Sigma.

ſub menſis inuenirentur prandentes. primus denique inuenit ſigma ſternere, non in lectulis, vt à pedibus vtres per pueros ad reflandum ſpiritum ſoluerentur. Item: *Illud ſanè mirum videtur quod dicitur ab eo factum, vt de croco ſigma ſtrauerit, cùm ſummos viros rogaſſet ad prandium pro eorum dignitate ſe dicens fœnum exhibere.* Idem rogabat ad cœnam, *octo pingues cùm capi non poſſent vno ſigmate.* Martialis lib. 10. ep. 48.

Septem ſigma capit, ſex ſumus, adde lupum.

Dictum ſigma à figura veteri litteræ C. quæ etiã-num pro Σ in veteribus inſcriptionibus reperitur. vnde & Martialis lib. 14. ep. 87. *lunatum* appellat. eius inſcriptio ſtibadium.

Accipe lunatâ ſcriptum teſtudine ſigma.

quem in locum ita noſter Raderus. Apud Athenæum lib. 10. arcui Scythico comparatur. Σκυθικῷ τόξῳ τρίκλινον ἦν περιφερὲς, &c. erat enim lectus, ſeu thorus ad lectas rotundas accommodatus, quem ſemirotundum ſuggeſtum vocat Apuleius libro 5. *Viſóque ſtatim proximo ſemirotundo ſuggeſtu propter cœnatorium rata refectui commodum libens accumbit.* Nonnunquam duo lecti vni menſæ fuerunt applicati, vnde & Plautus Bacchidibus ſemigræco vocabulo biclinium nominauit, quo biclinij nomine Philander & Geſnerus lectum interpretantur in quo bini diſcumberent. ego duos lectos vnam menſam ſtipantes interpretor, cùm accubitores quatuor à Plauto numerentur, & apertè non vnus lectulus, ſed duo fuiſſe dicantur. Nam actu 4. ſc. 4. Chryſalus Seruus & Mneſilochus adoleſcens ita colloquuntur.

-CH. *Coctum eſt prandium.*
Vos duo eritis, atque amica erit tecum tertia.
Biclinium. MN. *Sicut dicis.* CH. *Piſtoclero nulla amica eſt?*
MN *immò adeſt.*
Alteram ille amat ſororem, ego alteram, ambas Bacchides.
CH. *Quid tu loqueris.* MN. *Hoc vt futuri ſumus.* CH. *vbi eſt biclinium*
Vobis ſtratum? &c.

Et apertiùs etiam infrà:

Mneſiloche & tu Piſtoclere, iam facite in biclinio
Cum amica ſua vterque accubitum eatis. ita negotium eſt.
Atque ibidem vbi nunc ſunt lecti ſtrati, potetis citò.

Rurſum ſc. 7. idem Chryſalus Mneſilochi patrem adductum ita compellat.

CH. *Sat eſt, accede huc tu. viden' conuiuium?*
NIC. *Video ex aduorſum Piſtoclerum & Bacchidem.*
CH. *Qui ſunt in lecto illo altero?* NIC. *Interij miſer.*

Dictorum ſumma eſto: Menſæ veterum rotundæ fuerunt: ad eas tres lectuli diſcubitorij ſic applicati, vt non totas menſas ambirẽt, ſed mediam earum partem, ſemicirculi & litteræ C figurâ ſtiparent: hinc à numero lectorum *triclinium*, à figurâ ſigma nuncupatum. Nonnunquam tamen vel vnicus fuit lectus vel duo. Si vnicus, dicebatur ſtibadium: ſi duo, biclinium.

Triclinium etiam ſumitur pro ipſo loco conuiuij, vt hîc *pro trîclinijs popinæ.* Varro de lingua Lat. lib. 7. *Et hiberna triclinia & æſtiua, non item valuata & feneſtrata facimus.* Vitruuius lib. 6. de

Triclinium pro ipſo loco conuiuij. architect. cap. 5. *Tricliniorum quanta latitudo fuerit, bis tanta longitudo fieri debebit. altitudine omnium conclauiorum, quæ oblonga fuerint,* &c. Bene triclinium enim quoddam conclaue fuit. Nam vt notat Guillelmus Stuckius lib. 2. antiquitatum conuiualium cap. 14. & Philander in Vitruuium, quod Cicero 2. de Oratore *conclaue* dixerat, Fabius & Valerius Maximus *triclinium* tranſtulerunt. Cicero loquens de Simonide inuentore artis memoriæ. *Surrexiſſe illum ipſum, prodiſſe, vidiſſe neminem. hoc interim ſpatio, conclaue illud, vbi epularetur Scopas, concidiſſe.* Valerius cap. 8. lib. 1. *Egreſſus neminem reperit ibi, cæterùm eo momento temporis, triclinium in quo Scopas epulabatur, collapſum.* Fabius libro 11. cap. 2. *Vix eo limen egreſſo triclinium illud ſupra conuiuas corruit.* Vitruuius: *In triclinijs autem cæteríſque conclauibus maximus eſt vſus luminum.* Græci οἴκους vocabant in iiſque plures lectos ſiue triclinia collocabant. Vitruuius lib. 6. cap. 10. *Ad meridiem verò ſpectantes œcos quadratos tam ampla magnitudine vti faciliter in eis, triclinijs quatuor ſtratis, miniſtrationum, ludorúmque operis locus poſſit eſſe ſpatioſus.* Hinc οἶκος τρίκλινος, πεντάκλινος, ἐννεάκλινος, δεκάκλινος, τρισκαιδεκάκλινος, τριακοντάκλινος, ἑκατοντάκλινος. vt è Plutarcho, & potiſſimùm è Polluce Stuckius aduertit.

POPINÆ.] Popinæ dictæ videntur à popis. IV.
Popæ autem ſunt vel ſcriblitæ & placentæ, vel ſacrificulorum miniſtri qui ſacrificiorũ reliquias ſecum auferebant, & deinde vendebant. Vide dicta in Milonianam §. 66. *Quin etiam audiendus ſit popa Licinius, neſcio quis, de circo maximo.* Porrò ſcriblitas in popinis fieri ſolitas teſtatur Plautus prologo Pœnuli. Popinæ.

Dum ludi fiunt in popinam pediſequi
Irruptionem facite, nunc dum occaſio eſt,
Nunc dum ſcriblitæ æſtuant, occurrite.

Fuerunt autem popinæ loci quidam obſcuriores, ſiue ganeæ & fornices, in quibus voluptati operam dantes latitabant. Vide Piſonianam §. 13. Nota 5. & adde Plautum Pœnulo actu 4. ſc. 2.

-*itaque in totis ædibus*
Tenebræ, latebræ, bibitur, eſtur, quaſi in popina haud ſecus.
Ibi tu videas litteratas fictiles epiſtolas
Pice ſignatas, nomina inſunt cubitum longis litteris.
Ita vinariorum habemus noſtræ delectum domi.

Martialis lib. 5. ep. 126.

Arcanâ modò raptus è popinâ
Ædilem timet vdus aleator.

RES SVAS SIBI HABERE.] Hæc eſt concepta formula verborum in diuortiis. Martialis libro 10. ep. 41. V.

Menſe nouo Iani veterem Proculeia maritum
Deſeris, atque iubes res ſibi habere ſuas.

Alcmena Plautina Ioui, quem Amphitruonem putabat, ita loquitur. Amphitr. actu 3. ſc. 2.

Valeas, tibi habeas res tuas, reddas meas.
Iuben' mi ire comites. IVP. *ſanan' es?* ALC. *ſi non iubes*
Ibo egomet comitem pudicitiam duxero.

Quintilianus Declam. CCLXII. *Tunc repudiatam tu credis vxorem, cùm res ſuas ſibi habere iuſſa eſt, cum egredi domo.* Hæc autem ne morer fuiſſe verba ſolennia, *Res tuas tibi habeto, res tuas tibi agito.* Scribit Caius D. de diuort. leg. 2. Vide Raderum noſtrum in Martialem loco citato, Briſſonium lib. 8. de Formulis, Alexandrum libro 4. Genial. cap. 8. Tiraquellum Connubial. 2. gloſſ. 8. & alios paſſim.

EX XII.

VI. Ex XII. Tabvlis.] Vide Milonianam §. 9. N. 1. Cæterùm verba legis quæ à quibuſdam referuntur, cùm non à veteribus accepta, ſed ex hoc ipſo loco concinnata fuerint, viſum eſt prætерire.

VII. Cavsam addidit.] Iam §. 53. Dictum è Plutarcho Romuli lege tribus tantùm de cauſis vxorem dimitti potuiſſe, ἐπὶ φαρμακείᾳ τέκνων, ἢ κλειδῶν ὑποβολῇ, ἢ μοιχευθεῖσαν. *Si liberos veneno necaſſet, claues adulteraſſet, adulterium admiſiſſet.* Subdit: Εἰ δ' ἄλλως τις ἀποπέμψαιτο τῆς οὐσίας αὐτοῦ τὸ μὲν τῆς γυναικὸς εἶναι τὸ δὲ τῆς Δάμητρος ἱερὸν κελεύων. *Si verò aliam ob cauſam quis vxorem dimiſiſſet, partem eius bonorum mulieri donari, partem Cereri conſecrari lex iubebat.* Quod ait de clauium adulteratione, intelligendum videtur de clauibus cellæ vinariæ, nam, vt ſequenti notâ videbitur reliquas claues ſeruabant. Alias tamen ob cauſas fecerunt ab vxoribus diuortium: fortaſſe quod duodecim tabulis legi Romuli fuerit derogatum, additæque cauſæ, propter quas repudiare liceret vxorem. Plutarchus Quæſtionibus Rom problemate 14. Ἱστορεῖται ὅτι πρῶτος μὲν ἐξέβαλε γυναῖκα Σπόριος Καρβίλιος ἐπ' ἀτεκνίᾳ, δεύτερος δὲ Σουλπίκιος Γάλλος ἐφελκυσαμένην ἰδὼν κατὰ κεφαλῆς τὸ ἱμάτιον. Τρίτος Πόβλιος Σεμπρώνιος ἀγῶνα θεωρήσασαν ἐπιτάφιον. *Narratur primus dimiſiſſe vxorem Spurius Carbilius ob ſterilitatem. Secundus Sulpitius Gallus cùm vxorem videret veſtem ad caput attraxiſſe, tertius Publius Sempronius, quòd vxor munus funebre ſpectaſſet.* Non tamen ſemper cauſam addebant, ſed vel eludebant vt Cæſar, cùm P. Clodius habitu fidicinæ ad eius vxorem in opertum bonæ Deæ ingreſſus eſſet. ὁ δὲ Καῖσαρ ἐπέμψατο μὲν εὐθὺς τὴν Πομπηΐαν, ἐρωτηθεὶς πῶς ἀπεπέμψω τὴν γυναῖκα, ὅτι, ἔφη, τὴν ἐμὴν ἠξίουν μηδ' ὑπονοηθῆναι. *Cæſar ſtatim dimiſit Pompeiam, rogatúſque cur id feciſſet, quia, inquit, meam ne ſuſpectam quidem eſſe volui.* verba ſunt Plutarchi in Cæſare. Vel nullam omninò cauſam addiderunt, vt Paulus Æmilius apud eundem, & ille neſcio quis, qui increpantibus amicis ob dimiſſam vxorem, ſe pulchrum quidem habere calceum dixit, ſed amicos neſcire qua parte pedis læderetur. Ita Plutarchus in Æmilio, vt Pompeius qui Mutiæ ἔπεμψεν αὐτῇ τὴν ἄφεσιν, οὔτε τότε γράψας, οὔτε ὕστερον ἐφ' οἷς ἀπῆκεν ἐξειπών. *Libellum repudij miſit, neque tunc ſcribens, neque poſteà cauſam dicens.* Cæterùm libenter legerem apud Plutarchũ de Sulpicio Gallo ἀφελκυσαμένην, vt cum Valerio Maximo lib. 6. cap. 3. conueniret. *Horridum C. quoque Sulpicij Galli maritale ſupercilium. Nam vxorem dimiſit, quòd eam capite aperto foris verſatam cognouerat. abſciſa ſententia, ſed tamen aliquâ ratione munita. Lex enim, inquit, tibi meos præfinit oculos, quibus formam tuam approbes. His decoris inſtrumenta compara: his eſto ſpecioſa, horum te certiori crede notitiæ: vlterior tui conſpectus ſuperuacua irritatione accerſitus, in ſuſpicione & crimine ſubhæreat neceſſe eſt.* Legerem, inquam, ἀφελκυσαμένην, ſi Plutarchus ipſe pateretur, ſed cùm ibi quærens rationem cur filiæ nudo capite parentum funeribus intereſſent, proximè præmiſerit. Ταῖς δὲ γυναιξὶν οὐδ' ὅλως ἔξω ἐπικαλύπτεσθαι τὴν κεφαλήν. *Mulieribus autem omnino non licebat caput operire.* Quid eo faciemus? viderint eruditi. Me certè piget & pudet à tanto viro toties diſſidere; ne videar ſimultatum occaſiones voluntarius accerſere.

VIII. Claveis ademit.] Xenophon in Oeconomico: Ἔρχεται μὲν εἰς τὴν οἰκίαν διὰ τῶν τοῦ ἀνδρὸς συμπράξεων τὰ κτήματα, ὡς ἐπὶ τὸ πολύ. δαπανᾶται δὲ διὰ τῶν τῆς γυναικὸς ταμιευμάτων τὰ πλεῖστα. καὶ εὖ μὲν τούτων γινομένων αὔξονται οἱ οἶκοι. κακῶς δὲ τούτων πραττομένων οἱ οἶκοι μειοῦνται. *Induſtria viri maximam partem bona quæruntur, quorum mulier adminiſtratione ſua, vt plurimum facit impenſas. quæ ſi ritè fiant, res familiaris augetur, ſi male, minuitur.* Sic enim vertere malui quàm cum Strebæo: *Venit enim domum magna ex parte quò bona labore viri parta cuſtodiat. cúmque facienda ſunt impenſæ omnes ferè ab illa priuatæ, quemadmodum à Quæſtore publicæ adminiſtrantur.* Ariſtoteles 3. Polit. c. 4. Οἰκονομία ἑτέρα ἀνδρὸς καὶ γυναικός. τοῦ μὲν γὰρ κτᾶσθαι, τῆς δὲ φυλάττειν ἔργον ἐστί. *Adminiſtratio rei familiaris alia eſt viri, alia mulieris. illius enim munus eſt quærere, huius cuſtodire.* Et elegantiſſimè libro priore œconomicorum diuinam prouidentiam admiratur, quæ hoc poſuit maris & fœminæ diſcrimen. Τὸ μὲν γὰρ ἰσχυρότερον, τὸ δ' ἀσθενέστερον ἐποίησεν, ἵνα τὸ μὲν φυλακτικώτερον ᾖ διὰ τὸν φόβον, τὸ δ' ἀμυντικώτερον, διὰ τὴν ἀνδρείαν, καὶ ὁ μὲν πορίζῃ τὰ ἔξωθεν, τὸ δὲ σώζῃ τὰ ἔνδον. καὶ πρὸς ἐργασίαν, τὸ μὲν δυνάμενον ἑδραῖον εἶναι, πρὸς δὲ τὰς ἔξωθεν θυραυλίας ἀσθενές. τὸ δὲ πρὸς μὲν τὰς ἡσυχίας χεῖρον, πρὸς δὲ τὰς κινήσεις ὑγιεινόν. καὶ περὶ τέκνων, τὴν μὲν γένεσιν κοινήν, τὴν δ' ὠφέλειαν ἰδίαν. τῶν μὲν γὰρ τὸ θρέψαι, τῶν δὲ τὸ παιδεῦσαί ἐστι. *Illum enim robuſtiorem, hanc imbecilliorem finxit, vt hæc propter metum ad ſeruandum, ille propter fortitudinem ad defendendum eſſet aptior, ille quæreret foris, hæc domi parta tueretur. Et ad operationem, hæc ſedentaria poſſet eſſe, ſed eſſet ad externas negotiationes infirmior, ille ſegnior eſſet ad quietem, ſed ſanior ad motionem. Et circa filios* eadem Dei prouidentia voluit eſſe *generationem vtrique communem, ſed proprium cuique officium. huius enim nutrire, illius eſt inſtituere.* Potueram verbis paucioribus eſſe contentus, ſed & locus eſt concinnior quàm vt debuerit mutilari, & operæpretium fuit notare nouam vocis ὠφελείας acceptionem, res enim ipſa exigit vt *officium*, non *vtilitatem* interpretemur. Nobis ad inſtitutum ſatis fuerit mulierem debere rei familiaris eſſe cuſtodem. vnde & ab Æſchylo cum cane pulcherrimè confertur in Agamemnone.

Γυναῖκα πιστὴν ἐν δόμοις εὕροι μολών, Mulier canis
Οἵαν περ οὖν ἔλειπε δωμάτων κύνα domeſtica.
Ἐσθλὴν ἐκείνῳ, πολεμίαν τοῖς δύσφροσιν.
Καὶ τἄλλ' ὁμοίαν πάντα, σημαντήριον
Οὐδὲν διαφθείρασαν ἐν μήκει χρόνου.
Veniens fidelem coniugem inueniet domi,
Qualem reliquit exiens tecti canem,
Fili bonam, ſed maleuolis aſperrimam
Similémque cunctis rebus, haud longo improbè
Vllum ſigillum adulterantem tempore.

Huius fidelitatis indicium, & quaſi hieroglyphicum fuit clauis. Artemidorus ὀνειροκριτικῶν, lib. 3. cap. 54. Κλεὶς ὄναρ ὁρωμένη, γῆμαι μὲν προαιρουμένῳ, πιστὴν καὶ οἰκουρὸν ἔσεσθαι τὴν γυναῖκα σημαίνει. *Clauis per ſomnium viſa fidelem & caſariam,* ſiue domus cuſtodem, *futuram coniugem ſignificat.* Vt igitur ſignificarent ſe rei familiaris diſpenſationem, domúſque cuſtodiam vxori credere clauem ei donabant, vt primùm ad mariti domum acceſſerat, vt rectè Victorius. Aliam tamen Feſtus Pompeius huius rei voluit eſſe rationem. *Clauium conſuetudo erat mulieribus donare ob ſignificandam partûs facilitatem.* Tertullianus exhortatione ad caſtitatem. *Scio quibus excuſationibus coloremus*

Clauis ſignũ fidelitatis & cuſtodiæ.

Clauis data nouis nuptis.

inſatiabilem carnis cupiditatem, ex quibus neceſſitates adminiculorum deſcendunt, adminiſtrandam familiam, regendos loculos, claues cuſtodiendas, lanificium diſperſandum, victum procurandum, curas domeſticas, &c. Claueis igitur ſeruabat vxor: non tamen cellæ vinariæ. Plinius lib. 14. *Non licebat id vinum fœminis Romæ bibere. Inuenimus inter exempla Egnatij Merennij* (Egnatium Metellum vocat Valerius Maximus libro 3. cap. 6. *Vxorem, quòd vinum bibiſſet è dolio, interfectam fuſte à marito, eúmque cædis à Romulo abſolutum, Fabius Pictor in annalibus ſuis ſcripſit: Matronam, quòd loculos, in quibus erant vinariæ cellæ claues, reſignauiſſet, à ſuis inediâ mori coactam. Cato ideò propinquos fœminis oſculum dare, vt ſcirent an temetum olerent.* Has claues viri in diuortio ſuis vxoribus adimebant, vt ex hoc ipſo loco liquet, vxores viris remittebant. S. Ambroſius epiſtola 65. quæ ſecunda eſt ad Syagrium Veronenſem. *Hinc frequens iurgium, quo mulier offenſa claueis remiſit, domum reuertit.* Quæ ad hiſtoriam ſacram non addidiſſet, niſi communis hominum conſuetudinis rationem habuiſſet. Atque hæc clauium remiſſio videtur fuiſſe in omnibus planè diuortiis, quo ritu ſignificabatur familiæ curam reſignari, *ſuas autem res ſibi habere* iubebantur, ſi dos ſtatim redderetur. Nonnunquam autem dotis partem retentam fuiſſe propter liberos, aut propter mores eruditè probat noſter Lælius Biſciola Parte priore horarum ſubceſiuarum, lib. 10. cap. 4. ad quem te remitto. Neque ſemper ſtatim reddebatur, ſi pecuniaria fuiſſet. Vlpianus in fragmentis. *Dos ſi pondere, numero, menſurâ continetur, annuâ, bimâ, trimâ, die reddetur, niſi ſi vt præſens reddatur conuenerit: quæ dos pecunia non eſt, ſtatim redditur.* In dote verò reddenda, licebat, marito, cui nuntium remittebat vxor, petere tertiam penſionem, vt videlicet diuiſim terniſque penſionibus, non ſimul & ſemel totam dotem reddere cogeretur, lib. 11. ad Atticum ep. 24. *Audimus enim de ſtatu Reip. o Dij! generúmne noſtrum* Dolabellam *potiſſimùm vel hoc, vel tabulas nouas? Placet mihi igitur & idem tibi, nuntium remitti, petet fortaſſe tertiam penſionem.* id eſt, petet vt annuâ, bimâ, trimâ die dotem reddat. Epiſtola 25. *In penſione ſecunda cœci fuimus* Lib. ſequenti epiſtola 9. *Sed de prima penſione videamus: adeſt enim dies, & ille currit.* Lib. 6. ad famil. ep. 18. *Me Romæ tenuit omninò Tulliæ meæ partus: ſed cùm ea, quemadmodum ſpero, ſatis firma ſit: teneor tamen dum à Dolabellæ procuratoribus exigam primam penſionem.* Vide Biſciolam rurſus eadem parte lib. 11. cap. 18. Quòd ſi ob grauem vxoris culpam fieret diuortium, poterat integra dote mulctari. Plinius lib. 14. cap. 13. *Cn. Domitius Iudex pronuntiauit mulierem videri plus vini bibiſſe, quàm valetudinis causâ viro inſciente, & dote mulctauit.* Quod vbi fiebat illa formula, RES TVAS TIBI HABE, locum non habebit.

Clauis adempta repudiatis.

FORAS EXEGIT.] Et Nonnius particulam *foras* admittit, & alij in diuortiis vſurpant. Martialis lib. 11. epig. 105. IX.

Vxor vade foras, aut moribus vtere noſtris.

Varro apud Nonnium in *Betere. Quod parere eis non poterat mulier, foras betere iuſſit.*

Hactenus de Antonij Tribunatu & Magiſterio Equitum: nunc inſectatur eiuſdem ignauiam, & nequitiam in priuata vita, quæ duo ipſum à perſequendis belli ciuilis reliquiis ita reuocarunt, vt defuerit bellis.

- Africano cui defuit
  - non tædio belli, quippe qui
    - ſaturauerit ſe ſanguine bonorum ciuium. 60.
    - & potiſſimùm L. Domitium occiderit. 60.
  - ſed timiditate & libidine: quam ob cauſſam ſic à Cæſare deſpectus eſt Antonius, vt
    - appellaretur de pecunia. 61.
    - quãuis fuiſſet illius.
      - Imperatoris Quæſtor.
      - Dictatoris Magiſter Equitum.
      - Crudelitatis in bello auctor, cui
        - cauſſam belli dederat. 61
        - leges pernicioſas rogauerat. 61.
        - arma dederat contra Remp. 61.
      - Teſtamenti filius.
    - auctionem facere cogeretur. 62.
    - & conatus fuerit Cæſarem occidere.
- Hiſpanienſi cui
  - & præ cæteris intereſſe debebat:
    - propter cauſſam publicam belli ciuilis. 63.
    - propter cauſſam priuatam ipſius Antonij, qui ſector fuerat bonorum Pompeij, quæ liberi eiuſdem Pompeij repetebant. 75.
  - Nec interfuit tamen: cauſſatus ſe illuc peruenire non potuiſſe: 74.
  - qui prætextus diluitur per comparationem Dolabellæ, qui
    - maiore animo profectus eſt, eóque peruenit.
    - cùm ipſi priuata eò proficiſcendi cauſſa non ſubeſſet. 75.
  - Et ex ſuſcepto itinere ex improuiſo reuerſus eſt. quod exaggeratur
    - ab habitu
      - cum Gallicis. 64.
      - cum lacerna. 64.
      - capite inuoluto. 65.
    - à cauſſa finali
      - vt ſe præter ſpem mulieri oſtenderet. 65.
      - ne Luc. Plancus ipſius prædes venderet. 65.
    - ab effectu repleuit
      - Italiam multorum dierum metu. 65.
      - Romam terrore nocturno.

ARGVMENTVM.

Hactenus de Magiſterio equitum: nunc ad priuatam vitam Antonij gradum facit: eiúſque primò iactantiam qua ſe & Conſulem & Antonium eſſe gloriabatur, reprehendit: deinde timiditatem & libidines, quæ illum impedierunt quò minùs bello Africano Cæſarem ſequeretur.

LX. AT quàm crebrò vſurpat, & Conſul, & Antonius? hoc eſt dicere, & Conſul, & impudiciſſimus, & Conſul, & homo nequiſſimus. quid enim eſt aliud Antonius? nam ſi dignitas ſignificaretur in nomine, dixiſſet, credo, aliquando auus tuus ſe & Conſulem & Antonium. nunquid dixit? dixiſſet etiam collega meus, patruus tuus, niſi tu es ſolus Antonius. Sed omitto ea peccata, quæ non ſunt earum partium propria, quibus tu Remp. vexauiſti: ad ipſas tuas partes redeo, id eſt, ad ciuile bellum, quod natum, conflatum, ſuſceptum operâ tuâ eſt. Cui bello cùm propter timiditatem tuam, tum propter libidines defuiſti. Guſtaras ciuilem ſanguinem, vel potius exorbueras: fueras in acie Pharſalica anteſignanus: L. Domitium clariſſimum & nobiliſſimum virum occideras: multóſque præterea qui è prælio effugerant, quos Cæſar, vt nonnullos, fortaſſe ſeruaſſet, crudeliſſimè perſecutus trucidaras: quibus rebus tantis, talibus geſtis, quid fuit cauſæ, cur in Africam Cæſarem non ſequerere, cùm præſertim belli pars tanta reſtaret?

EXPLANATIO.

AT QVAM.] Commodè poſtquàm Antonij nequitiam oſtēdit, ad eius ſuperbiam & inſolentiam delabitur: nam cùm omnis arrogantia vitioſa eſt, & fatua, tum illa potiſſimùm quæ homines nequam & luxu libidinibúſque perditos ad verborum iactantiam impellit.

NAM SI.] Syllogiſmus.

Si dignitas ſignificaretur hoc nomine, dixiſſet M. Antonius Orator & C. Antonius qui ambo Conſules fuerunt.

Sed non dixerunt.

Ergo dignitas non ſignificatur hoc nomine.

AVVS TVVS.] M. Antonius Orator duos filios habuit, M. Antonium Creticum patrem Antonij Triumuiri, & C. Antonium. fuit autem Conſul anno DCLV. cum A. Poſtumo Albino.

SE ET CONSVLEM ET ANTONIVM.] Alij legunt, *& Conſul & Antonius.* Grutterus neutram lectionem admittit, ratus eſſe gloſſema quod è margine in textum irrepſerit. Itaque legit, *Auus tuus, nunquid dixit?*

PATRVVS TVVS.] C. Antonius, qui meus collega fuit in Conſulatu, anno DCXC.

SED OMITTO.] Tranſitio per præteritionem oratoriam.

CVI BELLO.] Cæſar victo ad Pharſaliam Pompeio, confecto Alexandrino bello, victo Pharnace reuerſus Romam, nec in Italia diu moratus in Africam profectus eſt contra Scipionem & Catonem, qui poſt cladem Pharſalicam, accito in belli ſocietatem Iuba Numidiæ Rege magnis præſidiis occuparant. Ei bello defuit Antonius, ſiue propter timiditatem & libidines, vt vult Cicero, ſiue quod Antonius iratus eſſet Cæſari, vt dicebat Antonius.

GVSTARAS.] Probat Antonium propter timiditatem & libidines bello defuiſſe.

Qui crudeliter bellum incœpit, non deſiſteret niſi illum timiditas & libidines in vrbe retinerent.

Sed tu bellum ciuile incœperas.

Ergo non deſtitiſſes, niſi te timiditas & libidines in vrbe tenuiſſent.

GVSTARAS.] Inductio qua probatur aſſumptio de crudelitate Antonij. Quia autem *guſtandi* verbo minùs eam expreſſerat (guſtat enim qui cibum primoribus attingit, non vt ſe expleat, ſed vt ſaporem cognoſcat) retexit orationem, grauiúſque *exorbendi* verbum ſubſtituit, quo auiditas quædam & ingluuies denotatur.

FVERAS IN ACIE.] Siniſtrum cornu duxerat, vt auctor eſt Plutarchus: ſed ad contemptum dicitur *anteſignanus* fuiſſe. hæc enim appellatio militum potiùs eſt quàm ducum.

LVC. DOMITIVM.] Ænobarbum, qui ante bellum ciuile iuſſus fuerat Cæſari Gallias contra Senatus auctoritatem obtinenti ſuccedere. Is, vt ſcribit Cæſar 3. de bello ciuili. *Ex caſtris in montem refugiens, cùm vires eum præ laßitudine defeciſſent, ab equitibus eſt interfectus.*

NOBILISSIMVM.] Nobilitas Romanorum à curulibus magiſtratibus. De Ænobarbis Suetonius in Nerone cap. I. *Functi autem conſulatibus ſeptem, cenſuráque duplici, & inter patricios allecti perſeuerauerunt omnes in eodem cognomine.*

NOTÆ.

ET CONSVL ET ANTON.] Huc ſpectant Appiani verba 3. ciuilium. Φίλος ὢν Καίσαρος, καὶ ὕπατος, καὶ Ἀντώνιος. Quanquam, ni fallor, non ibi loquitur Antonius, ſed Octauius qui pòſt Auguſti nomen accepit. 1.

II. GVSTARAS.] Plato libro octauo de Rep. circa Iouis Lycæi templum in Arcadia refert homines ita fabulari. ὡς ἄρα ὁ γευσάμενος τοῦ ἀνθρωπίνου σπλάγχνου, ἐν ἄλλοις ἄλλων ἱερείων ἑνὸς ἐγκατατετμημένου, ἀνάγκη δὴ τούτῳ λύκῳ γενέσθαι, &c. *Quòd qui ex humano inteſtino guſtauerit cum aliis aliarum victimarum extis immixto, eum neceſſe eſt in lupum mutari.*

III. EXORBVERAS.] Hoc demum ingentis, vel odij vel crudelitatis indicium. Oenone Paridi apud Quintum Smyrnæum lib. 8.

Αἲ γάρ μοι μέγα θηρὸς ὑπαὶ κραδίῃ μένος εἴη
Δαρδάψαι τεὸν σάρκας, ἔπειτα δὲ θ' αἷμα λαφύσσαι.

Exorbere ſanguinem.

Atque vtinam mihi magna feræ ſub pectore vis ſit
Dilaniare tuas carnes, ſorbere cruorem.

In Vatinium 6. *Cùm per meum nomen fortunas locupletum diripere, ſanguinem principum ciuitatis exorbere*, &c. *cuperetis*. Pro Milone 39. *Non ſanguine & vulneribus ſuis crudeliſſimi inimici mentem oculóſque ſatiauit.* 64. *Sanguine inimici expleſſet odium ſuum.* Suprà 49. *Saturauit ſe ſanguine diſſimillimorum ſui ciuium.* Quibus ſingulis locis quædam huius locutionis exempla produximus. Adde illud tragici, cuius Philo libro de Ioſepho, Clemens Alexandrinus, aliíque meminerunt.

Πίμπρα, κάταιθε σάρκας, ἐμπλήσθητί μου
Πίνων κελαινὸν αἷμα, &c.
Combure, carnes concrema, expletor meum
Sorbens cruorem.-

Hinc ille Sarcaſmus Tomiridis, cùm amputatum Cyri caput in vtrem cruoris humani plenum miſiſſet. Σὲ δ' ἐγὼ, κατάπερ ἠπείλησα, αἵματος κορέσω. *Te, vt minata ſum, cruore ſatiabo.* apud Herodotum lib. 1. Iliados vltimo ſuum in Achillem odium Hecuba ſic expromit.

-τοῦ ἐγὼ μέσον ἧπαρ ἔχοιμι
Ἐσθέμεναι προσφῦσα.-
-vtinam iecur eius adhærens
Manducare queam.-

Et neſcio quis apud Xenophontem libro 4. de Cyri Iunioris expeditione. Τούτοις, ἤν πως δυνώμεθα, καὶ ὠμοὺς δεῖ καταφαγεῖν. *Eos, ſi quo modo poſſimus, etiam crudos oportet deuorare.* Clemens Romanus, ſiue quis alius auctor Recognitionum. Τοσοῦτον αὐτοὺς ἠρέθισε κατὰ σοῦ, εἰς γλίχεσθαι τοὺς ἐκεῖ πάντας τῶν σαρκῶν αὐτῶν θηριωδῶς ἀπογεύσασθαί σου. *Vſque adeò eos contra te irritauit, vt omnes qui illic ſunt, carnes ipſas tuas guſtare deſiderent.* Sic tempore Iuliani, cùm Arethuſij ſacras Deo virgines medias ſecuiſſent, narrat Gregorius Nazianzenus oratione contra eum priore, quoſdam καὶ ἰδίοις ὀδοῦσι κακῶς ἑστιαθῆναι, καὶ τῆς ἑαυτῶν κακοδαιμονίας ἀξίως ὠμῶν τῶν ἡπάτων ἐμφορηθῆναι, &c. *& ſuis dentibus nefariè manducaſſe, & quod ipſorum infelicitate dignum erat, crudis hepatibus ſe repleuiſſe.* Sic Phalaris, ἐπιμαστιδίους θοινώμενος παῖδας, *epulans pueros ad vbera pendentes*, à Polyſtrato Ambraciota depictus eſt ad crudelitatem notandam, vt ſcribit Tatianus ad Græcos & Plinius alicubi.

IN ACIE PHARSALICA.] Vide Ligarianam 5. IV.

ANTESIGNANVS.] Plutarchus : Ἐδήλωσε δ' ὁ Καῖσαρ, ἣν εἶχε περὶ αὐτοῦ δόξαν. ἐπεὶ γὰρ ἔμελλε τὴν τελευταίαν, καὶ τὰ ὅλα κρίνασαν ἐν Φαρσάλῳ μάχην μάχεσθαι, τὸ μὲν δεξιὸν αὐτὸς εἶχε κέρας, τοῦ δ' εὐωνύμου τὴν ἡγεμονίαν Ἀντωνίῳ παρέδωκεν, ὡς πολεμικωτάτῳ τῶν ὑφ' ἑαυτῷ. *Oſtendit verò Cæſar quam de ipſo opinionem haberet, cùm enim poſtremam, qua ſumma rerum agebatur pugnam in Pharſalia pugnaturus eſſet, ipſe dextrum cornu duxit, ſiniſtro verò præfecit Antonium, tanquam rei militaris peritiſſimum omnium qui ſub ipſo erant.* Anteſignani porrò dicuntur, qui ante ſigna pugnabant. Liuius lib. 2. *Deſiliunt ex equis, prouolant in primum, & pro anteſignanis parmas obiiciunt* Varro apud Nonnium cap. 15. vt reſcribendum reor, verbis ſeruatis, ſed mutata numeri ratione. V. Anteſignani.

Quem ſequuntur cum rotundis velites parmis leues
Anteſignani quadratis, multis tecti inſignibus.

vel fortaſſe pro *multis tecti*, legendum *milites*.

ARGVMENTVM.

Oſtendit quid Antonius ob libidines & timiditatem apud Cæſarem in contemptum adductus, & appellatus de pecunia quam pro ſectione debebat, ad patrocinium ſuæ cauſæ reſponderit. & ex hac ipſa reſponſione maiorem inuidiam & odium in animis auditorum inflammat.

ITAQVE quem locum apud ipſum Cæſarem poſt eius ex Africa reditum obtinuiſti? Quo numero fuiſti? cuius tu Imperatoris Quæſtor fueras, Dictatoris Magiſter equitum, belli princeps, crudelitatis auctor, prædæ ſocius, teſtamento, vt dicebas ipſe, filius; appellatus es de pecunia, quam pro domo, pro hortis, pro ſectione debebas. Primò reſpondiſti planè ferociter: &, ne omnia videar contra te, propemodum æqua & iuſta dicebas, A me C. Cæſar pecuniam? cur potiùs quàm ego ab illo? an ſine me ille vicit? at ne potuit quidem. ego ad illum belli ciuilis cauſam attuli: ego leges pernicioſas rogaui: ego arma contra Conſules Imperatoréſque populi Rom. contra Senatum populúmque Romanum, contra Deos patrios, aráſque & focos, contra patriam tuli: num ſibi ſoli vicit? quorum facinus eſt commune, cur non ſit eorum præda communis? Ius poſtulabas: ſed quid ad rem? plus ille poterat. LXI.

EXPLANATIO.

ITAQVE.] Cùm igitur propter timiditatem & libidines Africano bello defuiſſes, ſic apud Cæſarem in contemptũ veniſti, ſic refrixit tua apud illum gratia, vt poſtquam ex Africa victor rediit, nec vllum locum dignitatíſque aut gratiæ gradum obtineres, nec vllo numero eſſes, id eſt, ne numerareris quidem inter eius amicos.

CVIVS TV.] Commemorat neceſſitudines Antonij cum Cæſare, vt eo maiorem infamiæ labem aſpergat, quò grauiùs Cæſaris ipſius iudicio damnatus videbitur.

IMPERATORIS QVÆSTOR.] Suprà 38. *Quæſtor es factus: deinde continuò ſine S. C. ſine ſorte, ſine lege ad Cæſarem cucurriſti.* 62. *Acceſſit vt Cæſare ignaro cùm ille eſſet Alexandriæ, beneficio amicorum, magiſter equitum conſtitueretur.*

BELLI PRINCEPS.] 44. *Vt igitur in ſeminibus eſt cauſa arborum & ſtirpium: ſic huius luctuoſiſsimi belli ſemen tu fuiſti.*

TESTAMENTO.] Dicebas te teſtamento Cæſaris ab eo adoptatum fuiſſe, vt tu in eius vniuerſa bona ſuccederes. Faërnus emendabat *teſtamenti*, non admitto nouitatem.

APPELLATVS EST.] Intimatum eſt tibi vt eam pecuniam ſolueres quam debebas pro emptione ab haſta publica, & ſectione bonorum Cn. Pompeij.

PRIMÒ RESP.] Aduerte artificium Oratoris omnia aduerſarij ſui crimina coacervantis & conglobantis, ſub perſona ipſius Antonij, quem loquentem inducit, & Cæſari exprobrantem.

A ME C. CÆSAR PEC.] Petit, appellat me de pecunia.

EGO LEGES.] Quas leges initio bellorum ciuilium rogauerit Antonius non comperi, nam interceſſione ſua nefaria, non autem legibus illud belli ciuilis conflauit incendium. Egreſſis tamen Conſulibus & Cn. Pompeio cùm in vrbem rediiſſet, rogationes de reſtituendis damnatis, tum aliis, tum Licinio Lenticula. Suprà §. 45. Sed hæc non ſpectant ad belli ciuilis initium. Quærant eruditi. Facilè crediderim nullas ab Antonio leges, è quibus bellũ exarſerit, latas fuiſſe, ſed id ab Oratore veteratoriè confictum, quaſi non ipſe, ſed Antonius hanc orationem habeat, & exprobrandi cauſſa aliquid addat ad veritatem. & ita ſi nullas ab Antonio leges perlatas fuiſſe intelligis, eximitur nihilò ſeciùs Orator à mendacio dum aduerſarium loquentem ſuáque beneficia exaggerantem inducit. Si latas credis, aduerſarius in inuidiam adducitur.

EGO ARMA.] A partium enumeratione rem exaggerat: patria enim vna & Conſules, & religiones, & Senatum & populum complectitur, ſed maius eſt orationis pondus, ſi texatur ſeries ſingulorum, & mox in vnum omnia colligantur. Facit autem Antonius ſyllogiſmum à coniugatis.

Quorum eſt facinus commune, eorum debet eſſe præda communis.

Sed meum & Cæſaris facinus commune eſt.

Ergo mihi cum Cæſare debet eſſe præda communis.

Aſſumptio non quidem conceptis verbis expreſſa eſt, ſed probatur ex abundanti, quòd cauſam belli dederit, & Cæſarem contra patriam armarit. & vt notat Ramus 2. Dialectic. Inſtitut. complexio præcedit, aſſumptio deinde ſequitur, & propoſitio vltima eſt.

PLVS ILLE POTERAT.] Maiorem quàm tu, poteſtatem habebat, & eius vis & arma, iuri tuo præualebat.

NOTÆ.

NVMERO.] Eodem penè ſenſu Brutus ad Atticum: *Quid enim tam alienum ab humanis ſenſibus eſt, quàm eum patris habere loco, qui ne liberi quidem hominis numero ſit?* Varro de re ruſtica. *Minùs ſe putant deſpici, atque aliquo numero haberi à domino.* Plus eſt autem *eſſe loco* quàm *numero*, quia vel vnus loco eſſe dicitur, vt patris loco; numero autem is eſſe dicitur, qui cum aliis eſt. vt lib. 5. ad familiares epiſt. ad Valerium Iuriſconſultum. *Nos aliquando reuiſas, & ibi malis eſſe vbi aliquo numero ſis, quàm iſtic, vbi ſolus ſapere videare.* Hinc *homo nullo numero* dicitur, qui nullius eſt pretij. Philipp. 3. §.16. *Bambalio quidam pater, homo nullo numero.* Verrinâ de Prætura Siciliensi. 134. *Qui illum ſecum habuerit, eo præſertim numero ac loco.* Vide Chiliaſtem Chil. 2. centuria prima, adagio 79. apud quem Pythium oraculum, I. Eſſe numero, eſſe loco.

Ὑμεῖς δ᾽, ὦ Μεγαρεῖς, οὔτε τρίτοι, οὔτε τέταρτοι,
Οὐδὲ δυωδέκατοι, οὔτ᾽ ἐν λόγῳ, οὔτ᾽ ἐν ἀριθμῷ.

& alia longè ſanè doctiſſima.

IMPERATORIS QVÆSTOR.] De quæſtura nonnihil dictum ſuprà 38. in Piſonem 2. & alibi. Huc pertinet illud Diuinatione in Q. Cæcilium. *Sic enim à maioribus noſtris accepimus Prætorem Quæſtori ſuo parentis loco eſſe oportere, nullam neque iuſtiorem, neque grauiorem cauſam neceſsitudinis poſſe reperiri, quam coniunctionem ſortis, quàm prouinciæ, quàm publici muneris ſocietatem.* Pro Plancio: *Luc. Apuleius hunc tanti facit, vt morem illum maiorum qui præſcribit in parentum loco Quæſtoribus ſuis Prætores eſſe oportere, officiis beneuolentiáque ſuperarit.* Epiſtola 10. libro 13. ad famil. *Satis enim commendatum tibi eum arbitrabar ab ipſo more maiorum qui, vt te non fugit, hanc quæſturæ coniunctionem liberorum neceſsitudini proximam voluit eſſe.* adde epiſt. 26. II. Imperatoris & Quæſtoris coniuncti.

DICTATORIS MAGISTER EQVITVM.] Magna Dictatoris & Magiſtri equitum neceſſitudo: quòd vt plurimùm Magiſter Equitum à Dictatore legeretur, frequentérque accidit, vt is ipſe Magiſter equitum fieret qui Dictatorem creauerat. Liuius libro 4. *Aulus Cornelius Dictatorem Mamercum Æmylium dixit, & ipſe ab eo Magiſter Equitum eſt dictus.* Paulò pòſt Q. Seruilium Priſcum Dictatorem fuiſſe dicit: *Magiſtro equitum creato, à quo ipſe Tribuno militum Dictator erat dictus filio ſuo.* Ibidem: Hala Seruilius *Dictatore Pub. Cornelio dicto ipſe ab eo Magiſter equitum creatus eſt.* Ad hanc etiam neceſſitudinem pertinet, quòd Dictatores magiſterium equitum familiariſſimis quibuſque vel etiam propinquis deferebant. Lib. 6. *P. Manlius deinde Dictator rem in cauſſam plebis inclinauit, C. Licinio qui Tribunus militum fue-* III. Dictatoris & magiſtri equitum neceſſitudo. Dictator magiſtrum equitum eligebat.

rat, magiſtro equitum de plebe dicto. Id agrè Patres paſſos accipio: Dictatorem propinquâ cognatione Licinij ſe apud Patres excuſare ſolitum, ſimul negantem Magiſtri Equitum maius, quàm Tribuni Conſularis imperium eſſe. Nonnunquam tamen dabatur Dictatori Magiſter Equitum, ſiue decreto Patrum, ſiue populi ſuffragio, ſiue quo alio modo. Lib. 7. *Dictatorem quoque hic annus habuit M. Fabium, nullo terrore belli, ſed ne Licinia lex comitiis Conſularibus obſeruaretur. Magiſter equitum Dictatori additus Qu. Seruilius.* Paulò pòſt: *Senatui placuit Dictatorem feriarum conſtituendarum cauſá dici. Dictus P. Valerius Poplicola, Magiſter Equitum ei Qu. Fabius Ambuſtus datus eſt.* Sic ipſi Cæſari datus Magiſter Equitum non ab ipſo allectus. ſuprà 52. *Acceſſit vt Cæſare ignaro, cùm ille eſſet Alexandriæ, beneficio amicorum Magiſter Equitum conſtitueretur.* Poſſet etiam ad hanc neceſſitudinem referri ſimilitudo nominis & poteſtatis. tradit enim Seneca epiſt. 108. è Cicerone de Repub. *Eum, quem nos Dictatorem dicimus, & in hiſtoriis ita nominari legimus apud antiquos Magiſtrum populi vocatum. hodieque id extat in auguralibus libris, & teſtimonium eſt, quòd qui ab illo nominatur Magiſter Equitum eſt.* Varro libro 4. de linguâ. *Dictator, quòd à Conſule dicebatur, cui dicto audientes omnes eſſent. Magiſter Equitum, quòd ſumma poteſtas huius in Equites & adcenſos: vt eſt ſumma populi Romani Dictator: à quo is quoque Magiſter populi appellatus.* In hoc tamen differebant, quòd Magiſter Equitum Dictatori ſubeſſet, & equo vteretur, Dictator cùm præeſſet omnibus, equo tamen vtendi ius ordinarium non haberet abſque peculiari populi Romani ſuffragio. Liuius lib. 23. *Dictator M. Iunius Brutus, rebus diuinis perfectis, latóque vt ſolet ad populum, vt equum adſcendere liceret, &c. deſcendit equo dixitque, Qui capitalem fraudem auſi, quíque pecuniæ iudicati in vinculis eſſent, qui eorum apud ſe milites fierent, eos noxa pecuniáque ſe exolui iuſſurum.* Fabius tamen Maximus, ᾐτήσατο, *rogauit*, non populum, ſed τὴν σύγκλητον, *Senatum*, ἵππῳ χρῆσθαι παρὰ τὰς στρατείας, *vt in expeditionibus equo vteretur*, inquit Plutarchus. Non auſim inter tam graues viros arbiter ſedere. Videri poſſit Plutarchus contra ſeipſum ſecundum Liuium pronuntiare, dum id factum fuiſſe tradit, ἦν γε τούτῳ βουλομένων τὸν Δικτάτορα τοῦ δήμου φαίνεσθαι δεόμενον. *hac vna re ſaltem volentibus videri Dictatorem à populo pendere.* Locum fuſiùs protulimus §. 48. Notâ 2. quem adeant, & Liuio concilient eruditi. Quibus autem de cauſſis Dictator apud Romanos olim fieri conſueuerit, vide Alexandrum Neapolitanum libro 1. Genialium dierum cap. 6. Quod ius quámve poteſtatem in Repub. Dictator obtineret, lib. 4. cap. 23.

Vel accipiebat à Senatu.

Dictator vocabatur Magiſter populi.

IV. TESTAMENTO FILIVS.] Scribit Dio lib. 44. Antonium in ſecundis heredibus ſcriptum fuiſſe in teſtamento Cæſaris.

V. APPELLATVS ES DE PECVNIA.] Appellatur debitor de pecunia, cùm non ſolùm admonetur vt ſoluat, ſed iam grauioribus verbis ab eo pecuniæ flagitantur & exiguntur. Pro Quintio 40. *Anno & ſex menſibus verò, cùm tibi quotidie poteſtas fuiſſet hominis admonendi, verbum nullum facis. biennio iam confecto ferè, appellas.* Vide locum. Epiſtola 24. ad Tironem: *Dolabellæ procuratores fac vt admoneantur. Appellabis etiam Papiam.* Lib. 15. ad Attic. epiſt. 19. *De Attiliano nomine ſcripſi ad Philotimum, ne appellaret Meſſalam.* De claris Oratoribus ſub finem procemij. *Videor enim iam te auſurus eſſe appellare, quoniam longo interuallo modò primùm animaduerti paulò te hilariorem. Itaque, quoniam id quod mihi deberetur, ſe exacturum profeſſus eſt, quod huic debes, ego à te peto.* 2. Agraria §. 99. *Nulli populo Romano pro me maiores mei ſpoponderunt: mihi creditum eſt, à me petere quod debeo, me ipſum appellare debetis.* Seneca lib. 5. de beneficiis. *Fœnerator quoſdam debitores non appellat, quos ſcit decoxiſſe.* Martialis lib. 7. epigr. 91.

Appellat rigidâ triſtis me voce Secundus,
Audis, ſed neſcis, Bacchara, quid ſit opus.

Appellare debitorem.

Verrinâ de ſignis §. 66. *Ipſe hominem appellat, rogat vt reddat.* Seneca lib. 1. de benef. cap. 2. *Nemo beneficia in Calendario ſcribit; nec auarus exactor ad horam & diem creditorem appellat: nunquam illa vir bonus cogitat, niſi admonitus à reddente. alioquin in formam crediti tranſeunt, turpis fœneratio eſt, beneficium acceptum ferre.*

VI. PROPEMODVM ÆQVA ET IVSTA.] Ariſtoteles 7. polit. cap. 7. Πρὸς τοὺς συνήθεις καὶ φίλους ὁ θυμὸς αἴρεται μᾶλλον, ἢ πρὸς τοὺς ἀγνῶτας, ὀλιγωρεῖσθαι νομίσας. *In familiares & amicos ira magis concitatur quàm in ignotos, ſi ab iis contemni videamur.* Et libro 2. Rhetoric. cap. 2. Καὶ τοῖς φίλοις μᾶλλον (ὀργίζονται) ἢ τοῖς μὴ φίλοις. οἴονται γὰρ προσήκειν μᾶλλον ὑπ' αὐτῶν εὖ πάσχειν, ἢ μή· καὶ τοῖς εἰθισμένοις τιμᾶν, ἢ φροντίζειν, ἐὰν πάλιν μὴ οὕτως ὁμιλῶσι. καὶ γὰρ ὑπὸ τούτων οἴονται καταφρονεῖσθαι, &c. καὶ τοῖς μὴ ἀντιποιοῦσιν εὖ, μηδὲ τὴν ἴσην ἀνταποδιδοῦσι. *Et amicis magis ſuccenſent, quàm non amicis. putant enim conuenire magis ab ipſis boni aliquid accipere, quàm contrà. & iis qui ſoliti erant honore vel cura proſequi, ſi deinceps non ita ſe cum ipſis gerant. ſiquidem ab iis contemni ſe putant. & iis qui non retribuunt beneficia, neque par pari referunt.* E quibus hunc locum ſic explicat Noſter Lælius, 1. parte ſubceſ. cap. 8. *Igitur M. Antonius Cæſar, cuius res plurimùm iuuerat, ſe ab eo parùm exiſtimans pendi, vehementiùs iraſcebatur, ægriúſque ferebat, eum pecuniam à ſe petere, cui vitam & imperium deberet: quod cùm Cicero vidiſſet, vt acutus erat, inimicum ſuum propè excuſat.*

In familiares facilius iraſcimur.

ARGVMENTVM.

Auctionem bonorum Antonij deſcribit, iuſſam à Cæſare fieri, vt ex redactis inde pecuniis æs alienum expediretur, quod Antonius ſectione ſiue emptione bonorum Pompeij Magni contraxerat.

LXII. ITAQVE excuſſis tuis vocibus, & ad te, & ad prædes tuos milites miſit: cùm repentè à te præclarâ illâ tabulâ prolatâ, qui riſus hominum de te erat? tantam eſſe tabulam, tam varias, tam multas poſſeſſiones, ex quibus præter partem Miſeni nihil erat, quod is qui auctionaretur, poſſet ſuum dicere: auctionis verò miſerabilis aſpectus, veſtis Pompeij non multa, eáque maculoſa: eiuſdem quædam argentea vaſa colliſa: ſordidata mancipia; vt doleremus quicquam eſſe ex illis reliquiis, quod videre poſſemus. Hanc tamen auctionem heredes L. Rubrij decreto Cæſaris prohibuerunt. hærebat nebulo: quo ſe verteret, non habebat. quippe in his ipſis temporibus domi Cæſaris percuſſor ab iſto miſſus, deprehenſus dicebatur eſſe cum ſica: de quo Cæſar in Senatu apertè in te inuehens, queſtus eſt.

EXPLANATIO.

ITAQVE.] Cùm igitur vis & arma Cæſaris tuis verbis & iuri præualerent, nullâ habitâ tuorum dictorum ratione, milites miſit non ſolùm ad te, ſed etiam ad tuos prædes ſiue fideiuſſores, qui & te & illos ad ſoluendum compellerent, tuáque bona publicarent. In vulgatis legitur *prædas tuas*, commodiùs Ferrarius, Manutius, Lambinus, Grutterus *prædes tuos* ediderunt. eámque lectionem Grutterus Mauritiani codicis auctoritate confirmat.

CVM REPENTE.] Ex improuiſo, nemine expectante, aut opinante te id eſſe facturum, bona tua proſcripſiſti, tabuláſque rerum tuarum, quas auctione publica vendere cupiebas propoſuiſti, vt auctione factâ, pecuniis inde redactis ſolueres Cæſari pecuniam, quam pro domo Pompeij, pro hortis, pro ſectione debebas. Riſum autem hominum fuiſſe de Antonio dicit, qui cùm longam rerum ſuarum ſeriem videri vellet texuiſſe, non ſua, ſed aliena bona proſcripſit, & multorum poſſeſſiones in quas contra ius fáſque inuaſerat.

PRÆTER PARTEM MISENI.] Suprà 36. *Quid erat in terris vbi in tuo pedem poneres, præter vnum Miſenum, quod tu cum ſociis tanquam Siſaponem tenebas.* Non igitur totum Miſenum, id eſt, villam ad radices montis Miſeni ſitam, ſed duntaxat eius partem poſſidebat.

IS QVI AVCTIONARETVR.] Antonius qui bona ſua proſcribebat, vt addicerentur ei qui pretium magis auxiſſet.

AVCTIONIS VERÒ.] Subiicit oculis quandam veluti faciem auctionis, vt ex eo colligatur, quàm impurè bona Põpeij diſſiparit. Nam cùm priùs fuiſſet, *Maximus vini numerus, permagnum optimi pondus argenti, pretioſa veſtis, multa & lauta ſupellex & magnifica multis locis.* cùm *conchyliatis Pompeij periſtromatis lectos ſtrauiſſet*, veſtis Pompeij non multa, ſed maculoſa ſubiecta fuit auctioni, &c. Aduerte quemadmodum ſingula verba minuant.

HEREDES LVC. RVBRII.] Antonius in poſſeſſiones L. Rubrij Caſſinatis cõtra ius & fas, ſubiecto teſtamento, excluſis veris heredibus, repentinus heres inuaſerat. Hi igitur repetentes ab Antonio bona Rubrij quæ per fraudem occupauerat: Cæſarem adierunt, apud eum de auctione queſti ſunt, dixerunt Antonium nonnulla in hanc proſcriptionis bonorũ tabulam proſcripſiſſe pro ſuis, quæ non ad illum, ſed ad ipſos, quibus hæc hereditas obuenire debuerat, pertinerent: his auditis Cæſar decretum fecit, quo illi muniti prohibuerunt auctionem.

HÆREBAT NEBVLO.] Sic vndique tenebatur vt expedire ſe non poſſet, cùm nec auctionem facere poſſet, nec vllum alium pecuniæ vndevnde extricandæ modum inueniret

QVIPPE IN HIS.] Legunt alij, *Quin his*, alij. *Quin in his.* Grutterus ait, *Quippe in his*, in omnibus libris reperiri. Suſpicabatur Guillelmius legendum, *Quippe in? his ipſis temporibus.* vt Cicero ſignificet meritò trepidaſſe, vtpote qui inſidiarum etiam manifeſtus fuerit.

AB ISTO.] Antonio.

NOTÆ.

PRÆDES TVOS.] Cicero in Verrem de Prætura vrbana 142. *Vbi illa conſuetudo in bonis prædibus, prædiiſque vendendis, omnium Conſulum, Cenſorum, Prætorum, Quæſtorum denique, vt optimâ conditione ſit is cuia res ſit, cuium periculum.* Vbi Aſconius: *Bona prædia dicuntur bona ſatiſdationibus obnoxia, ſiue ſint in mancipiis, ſiue in pecuniâ numeratâ, prædia verò, domus, agri, hæc omnia venduntur, ſi rationi publicæ locator ſartorum tectorum non reſponderit.* Ibidem Cicero: *Prædibus & prædiis populo cautum eſt*, &c. Vbi rurſus Aſconius: *Ærario ſcilicet, & prædibus, & prædiis. Prædia ſunt res ipſæ, prædes homines, id eſt, fideiuſſores, quorum res bona prædia non vno nomine dicuntur.* Varro libro 4. de linguâ: *Prædia dicta item vt prædes à præſtando, quod ea pignori data* (legitur in margine, quòd eo pignore dato) *publicè* 1.

mancupes fidem præſtent. Vel, vt è veteri libro legit Turnebus, *quòd ea pignori data vt publicè mancupes fidem præſtent.* Prædes igitur Antonij fuerunt, qui in ſectione bonorum Pompeij, tanquam fideiuſſores populo Romano bona fidémque ſuam obligarunt, vt pecunia pro emptione bonorum Pompeij debita ærario ſolueretur. Vide dicta pro Cornelio Balbo 45. *Qu. Scæuola ille augur, cùm de iure prædiatorio conſuleretur, homo iuris peritiſsimus, conſultores ſuos nonnunquam ad Furium & Caſellium prædiatores reiiciebat.* Et pro Rabirio Poſtumo 37. *Si aut prædes dediſſet Gabinius, aut tantùm ex eius bonis, quanta ſumma litium fuiſſet, populus recepiſſet.*

II. ILLA TABVLA.] De more, nam qui auctionem faciebant bonorum, quæ haſtæ publicæ ſubiicerent, indicem in tabulâ ſiue libello ſcriptum proponebant. Pro Quintio 49. 50. *Cuius bona venierunt.* &c. *cuius bona ex edicto poſſidentur, huius omnis fama & exiſtimatio cum bonis ſimul poſſidentur: de quo libelli in celeberrimis locis proponuntur, huic ne perire quidem certè tacitè obſcuréque conceditur.* Plutarchus in Cicerone: Ἐπεὶ δὲ Φαῦστος ὁ Σύλλα τοῦ μοναρχήσαντος ἐν Ῥώμῃ, καὶ πολλοὺς ἐπὶ θανάτῳ προγράψαντος, ἐν δανείοις γενόμενος, καὶ πολλὰ τῆς οὐσίας διασπαθήσας, ἁμαρτίαν (locus mẽdoſus. emenda τὴν οὐσίαν) προέγραψε, ταύτην ἔφη μᾶλλον αὐτῷ τὴν προγραφὴν ἀρέσκειν, ἢ τὴν πατρῴαν. *Cùm Fauſtus Syllæ Dictatoris filius, qui multos proſcripſerat, grandi ære alieno contracto, magnáque diuitiarum parte diſsipata, bona proſcripſiſſet, dixit hanc proſcriptionis tabulam ſibi magis quàm paternam placere.*

Tabula auctionis.

III. AVCTIONARETVR.] Fulgentius de priſco ſermone: *Auctio dicitur venditio, quaſi quòd & ementem augeat, & vendentem.* Plautus Curculione: *Auctionem facio paraſiticam.* Valla lib. 4. elegant. c. 32. dicit eſſe venditionem quandam in publico ac celebri loco. Et hinc auctionari publicè & ferè ſub haſta vendere, non ea quæ ad eſum ſpectant, ſed ea quæ ad ſupellectilem, atque ad alios vſus, nec ferè niſi quæ penes alium in vſu fuerunt. Non video tamen cur ea quæ ad eſum ſpectant, non poſſint ſubiici auctioni. ſiquidem auctionari videtur aliud eſſe nihil, quàm rem quamlibet venalem proponere, vt ei addicatur, qui licitando pretium auxerit. vulgo dicimus, *laiſſer au plus offrant & dernier encheriſſeur.* Quod etiam fiebat in licitatione vectigalium. Caius D. *Licitatio vectigalium, quæ calore licitantium vltra modum ſolitæ conditionis inflatur, ita demum admittenda eſt, ſi fideiuſſores idoneos & cautionem, is qui licitatione vicerit, offerre paratus ſit. Ad conducendum vectigal inuitus nemo compellitur.*

Auctio.

NEBVLO.] Feſtus: *Nebulo dictus eſt, vt ait Ælius Stilo, qui non pluris eſt quàm nebula, aut qui non facilè perſpici poſſit, qualis ſit, nequam, nugator.* Gloſſarium, *Nebulo* μάλθων, ὁ τὰ ἴδια καταφαγών, εἴρων, ὁ λάθρα ἄσωτος. Nonius Marcellus: *Nebulones & tenebriones dicti ſunt, quia mendaciis & aſtutiis ſuis nebulam quamdam & tenebras obiiciant,* &c. Pomponius: IV.

Nebulo.

Quid dedi nebuloni, quem pertaſum pauperem?

Lucilius:

Publiu' Panu' mihi Tuditanus Quæſtor, Ibera
In terra fuerat lucifugus nebulo.

Sic enim legendum arbitror, non *Turditanus* & *In terra fuit*, & fortaſſe legendum *Pennus*: id enim cognomentum fuit familiæ Iuniorum. *Panus*, vix Romanum eſt. Rurſum Lucil.

Nugator quidam ac nebulo ſit maximu' multò.

Adfert & alia exempla *tenebrionis.* hoc in præſentia ſuffecerit ex Varrone γεροντοδιδασκάλῳ. *Manius Curius Conſul in Capitolio, cùm delectum haberet, nec citatus in tribu ciuis reſpondiſſet, vendidit tenebrionem.* Addit nebulones & tenebriones dici, quòd tenebræ & nebulæ fugitiuis, & furibus accommodatæ ſint. Homerus 3. Iliados initio:

Tenebrio.

Εὖτ' ὄρεος κορυφῇσι νότος κατέχευεν ὀμίχλην,
Ποιμέσιν οὔτι φίλην, κλέπτῃ δέ τε νυκτὸς ἀμείνω,
Τόσσον τίς τ' ἐπιλεύσσει, ὅσον τ' ἐπὶ λᾶαν ἵησι.

Vertit Elius Eobanus Heſſus,

- Aëris nebulam cum montibus auſter
Infudit, gratam nocturnis furibus vmbram,
Inuiſam pecudes paſcentibus, vnde putaris
Non vltra teli iactum potuiſſe videri.

CVM SICA.] Vide Milonianam 38. *Sica quam à Catilina acceperat.* V.

ARGVMENTVM.

Inſectatur Antonij timiditatem, quòd Cæſari defuerit perſequenti belli ciuilis reliquias, & in Hiſpaniam proficiſcenti contra Cneium & Sextum liberos Cn. Pompeij. Sed Narbone ſubſtiterit.

PROFICISCITVR in Hiſpaniam Cæſar, paucis tibi ad ſoluendum, LXIII. propter inopiam tuam, prorogatis diebus, ne tum quidem ſequeris: tam bonus gladiator rudem tam citò accepiſti? Hunc igitur quiſquam, qui in ſuis partibus, id eſt, in ſuis fortunis tam timidus fuerit, pertimeſcat? Profectus eſt aliquando tandem in Hiſpaniam: ſed tutò, vt ait, peruenire non potuit: quonam modo igitur Dolabella peruênit? Aut non ſuſcipienda fuit iſta cauſa, Antoni, aut cùm ſuſcepiſſes, defendenda vſque ad extremum. Ter depugnauit Cæſar cum ciuibus, in Theſſalia, Africa, Hiſpania. Omnibus affuit his pugnis Dolabella, in Hiſpanienſi etiam vulnus accepit: ſi de meo iudicio quæris, nollem: ſed tamen conſilium à principio reprehendendum, laudanda conſtantia. Tu

verò quis es? Cn. Pompeij liberi primùm patriam repetebant: eſto, fuerit hæc partium cauſa communis. repetebant præterea Deos patrios, aras, focos, larem ſuum familiarem, in quæ tu inuaſeras. Hæc cùm repeterent armis ij, quorum erant legibus; etſi in rebus iniquiſſimis quid poteſt eſſe æqui? tamen quem erat æquiſſimum, contra C. Pompeij liberos pugnare? quem? te ſectorem.

EXPLANATIO.

PROFICISC.] Velleius. *Victorem Africani belli C. Cæſarem grauius excepit Hiſpanienſe, quod Cn. Pompeius Magni filius adoleſcens impetûs ad bella maximi, ingens ac terribile conflauerat, vndique ad eum adhuc paterni nominis magnitudinem ſequentium, ex toto orbe terrarum auxiliis confluentibus.* Ad hoc bellum cùm proficiſceretur Cæſar paucos dies ad ſoluendum Antonio prorogauit, quòd eum videret non eſſe ſoluendo. Sed hac etiam vice Antonius Cæſari defuit, quemadmodum defuerat bello Africano.

TAM BONVS GLAD.] Tu qui initio belli ciuilis tantam in ciues Romanos crudelitatem exprompſeras, eorúmque ſanguinem exorbueras, tam citò militiæ vacationem habuiſti: inſtar gladiatoris, qui non tam citò, ſed cùm ſatis ſpectatus fuerit, multúmque & fortiter in arena pugnauerit, rude donatur, ad indicium libertatis, & vacationis à ludo. Rudis eſt virga, quam gladiatores cùm acceperint, amplius pugnare non coguntur.

HVNC IGITVR.] Epiphonema, vel potiùs epichirema, vel etiam ſyllogiſmus.

Is non eſt timendus qui cùm priuata res ipſius agitur, timidus eſt.

Sed tam timidus fuit Antonius, vt Cæſarem in Hiſpaniam ſecutus non fuerit, cùm ipſius fortunæ réſque priuata ageretur.

Ergo timendus non eſt Antonius.

Probat rem Antonij priuatam Hiſpanienſi bello actam fuiſſe, quia Pompeij liberi, domum paternam & patrimonium repetebant, in quæ Antonius inuaſerat: & à quibus exturbatus fuiſſet, ſi illi fuiſſent in integrum reſtituti.

PROFECTVS EST.] Alio indicio Antonij timiditatem & ignauiam oſtendit. quia poſtquàm diu deliberauit, tandem aliquando ſtatuit in Hiſpaniam proficiſci, ſed ſubtitit in Gallia cauſatus omnes Hiſpaniæ àditus à Pompeianis obſideri.

QVONAM MODO.] A comparatione Dolabellæ, qui peruenit in Hiſpaniam cùm eodem tempore profectus eſſet, Antonij timiditatem exaggerat.

ISTA CAVSA.] Factio Cæſaris contra Rempub.

TER DEPVG. CÆSAR.] In Theſſalia ad Pharſalum cum Pompeio, in Africa ad Thapſum cum Scipione, in Hiſpania ad Mundam cum liberis Pompeij.

HISPANIENSI.] Pugna Hiſpanienſi, vt ſcribit Hirtius è Cæſaris exercitu *deſiderati ad hominum mille partim peditum, partim equitum ſaucij ad quingentos.* inter ſaucios ait noſter fuiſſe Dolabellam.

SI DE MEO.] Quia periculum erat ne laudans Dolabellam qui Cæſarem ſecutus fuerat, damnare videretur partes Pompeij, commodè quid tota de re ſentiat exponit, & ne Dolabellam offendat, conſtantiam appellat, pro peruicacia ſiue pertinacia. Cuius conſilium ab initio quidem reprehendendum fuiſſe dicit qui Cæſarem contra Pompeium ſecutus patriæ bellum indixit, laudandam conſtantiam, quia timiditate aut libidine Cæſarem non reliquit. Lambinus & Grutterus è veteribus codicibus legunt, *à primo reprehendendum.*

TV VERÒ QVIS ES?] Idem Grutterus ex Palatino ſecundo. *Tu verò quid cenſes?* Probat autem tum à perſonâ Antonij, tum à cauſa belli Hiſpanienſis ſummam Antonij timiditatem fuiſſe hoc pacto.

Summa timiditas eſt ei bello deeſſe, è cuius exitu pendet incolumitas tua.

Sed è belli Hiſpanienſis exitu incolumitas tua pendebat.

Ergo ſumma timiditas tua fuit, cùm bello Hiſpanienſi defuiſti.

Atque hic ſyllogiſmus inſinuatur, potiùs quàm exprimitur, totâque vis in aſſumptionis probatione verſatur.

E belli Hiſpanienſis exitu incolumitas tua pendebat, ſi & tu ſector fueras Pompeij, & eius liberi paterna bona bello repetebant, in qua tu contra ius fáſque inuaſeras.

Sed tu ſector fueras Pompeij, & eius liberi paterna bona repetebant, &c.

PATRIAM REPETEBANT.] Si nihil aliud petiiſſent, quàm vt in patriam redirent, & recuperarent Rempub. non fuiſſet potior ratio, cur tu contra illos pugnares, quàm cæteri qui duce Cæſare Pompeij parteis eiecerant: ſed repetebant patrimonium, & ipſam domum paternam, quam tu poſſidebas. Ergo ſi non Cæſaris, ſaltem tui ipſius cauſſâ Pompeiis bellum inferre debuiſti. A religione verò rem exaggerat.

QVORVM ERANT LEGIBVS.] Quorum erat iuſta poſſeſſio.

TAMEN.] Legunt alij, nec ineptè. *Tamen quem erat æquiſſimum contra Cn. Pompeij liberos pugnare? quem? te ſectorem.* Ita Fuluius ex libro Vaticano. Alij, *Tamen erat æquiſſimum contra Cn. Pompeij liberos Cn. Pompeij pugnare ſectorem.*

NOTÆ.

RVDEM.] De rude multa Lipſius lib. 1. Saturnal. ſerm. cap. 15. & lib. 2. c. 23. pauca libo. Rudis duplex: tironum & laniſtarum. De rude tironum dicere non attinet. De rude laniſtarum Chariſius. *Rudis, ſcipio quem laniſta liberandis gladiatoribus gerit.* Gloſſæ *Rudis* ῥάβδος ἡ τῶν ἐπιστατῶν τῶν μονομάχων. Eius effectus liberatio ab arena. Calpurnius Declamat. 1. in themate. *Redemit eum laniſta, & rudem ei in arena dedit.* Quintilianus Declamat. *Quidam vt patrem ſepeliret* Rudis.

ſe auctorauit: ſed die muneris productus ſub titulo cauſæ rudem poſtulante populo accepit. Hinc tuta rudis Ouidio, quòd rudiarij non ampliùs pugnare cogerentur.

Tutáque depoſito poſcitur enſe rudis.

Accepta rude arma ad Herculis poſtes figebant. Horatius epiſtola prima:

Spectatum ſatis, & donatum iam rude quæris
Mecenas iterum antiquo me includere ludo.
Non eadem eſt ætas, non mens, Veianius armis
Herculis ad poſtem fixis, latet abditus agro
Ne populum extremâ toties exoret arenâ.

Nolo plura vel è veteribus corradere, vel ex hac abundante penu depromere.

II. TAM CITO.] Tempus certum fuiſſe ante quod rudem accipere non poſſent, conſtat è fragmentis Vlpiani: *Enimuerò qui in ludum damnantur non vtique conſumuntur, ſed etiam pileari, & rudem accipere poſſunt poſt interuallum. Siquidem poſt quinquennium pileari: poſt triennium autem rudem induere iis permittitur.* (Quando rudem accipiat gladiatores.)

III. LAVDANDA CONSTANTIA.] Imò vituperanda pertinacia, cùm conſilio malè ſuſcepto perſiſtitur. quod frequenter Homerus inculcat, vt 9. Iliados:

-οὐδέ τί σε χρὴ
Νηλεὲς ἦτορ ἔχειν· στρεπτοὶ δέ τε καὶ θεοὶ αὐτοί.
-Implacabile pectus
Nec te ferre decet: ſuperi mutantur & ipſi.

Item lib. 13.

Ἀλλ' ἀκειώμεθα θᾶσσον· ἀκεσταί τοι φρένες ἐσθλῶν.
Queratur medicina: bonis medicabile pectus.

Nec ſanè, vt videtur, mens alia fuit Oratoris, ſed Dolabellam hîc laudat εἰρωνικῶς, vt ipſe ſignificat epiſtola vndecima libri 16. ad Attic. Monuerat Atticus ne hac ipſa oratione, quam ei Cicero legendam miſerat, Dolabellam tam impensè laudaret. Reſpondet: *Libenter ea corrigam, quæ à te animaduerſa ſunt, eodē iure quo Rubriana potiùs quàm quo Scipionis: & de laudibus Dolabellæ deruam cumulum. Attamen eſt iſto loco bella, vt mihi videtur, εἰρωνεία, quòd eum ter contra ciues in acie.*

IV. DEOS PENATES.] Vide Sextianam 30. *Exterminabit ciues Romanos edicto Conſul è ſuis Diis Penatibus? expellet à patria?* Pro Milone 39.

V. PATRIOS.] Deorum patriorum frequens mentio, vt iam diximus in Sextianam 45. *Te, te, inquam, patria obteſtor, & vos Penates, patriíque Dij.* Vide Notas. Maro 7. Æneidos:

Dij patrij.
Diis ſedem exiguam patriis littúſque rogamus
Innocuum.- 1. Georg.
Dij patrij, indigetes, & Romule, Veſtáque mater.

Quem in locum Germanus adfert verba Æliani: οὗτοι μὲν οὐθ' ὑπὲρ πατρίδος, οὐθ' ὑπὲρ πατρῴων θεῶν, οὐδὲ μὴν ὑπὲρ γενικῶν ἡρώων κακοπαθοῦσι. *Hi verò* galli gallinacei, *neque pro patria, neque pro Diis patriis, neque propter gentiles heroas moleſtiam ſubeunt.*

VI. ARAS.] Vide Sextianam 90. *Ab aris, focis, ferrum flammámque depellit.* Varro lib. 4. de linguâ: *Loca in vrbe pura, areæ, à quo poteſt etiam ara Deum eſſe, quòd pura. niſi potius ab ardore,* &c. Malim à Græco deducere ἀρὰ precatio, vel execratio. vnde & Homerum Chryſem, nunc ἀρητῆρα, nunc ἱερῆα, primâ paginâ Iliados appellat. Sunt qui aram ab anſa deriuent, quòd à iurantibus aræ manibus teneantur. (Aræ.) Fuit autem inter aras & altaria quædam diſtinctio: altaria Diis dicata, aræ heroibus. Maro Eclogâ 5.

-En quatuor aras
Ecce duas tibi, Daphni, duóque altaria Phœbo.

Aræ autem illæ domeſticæ non Deo, ſed Lari videntur fuiſſe conſecratæ, quem Plutarchus opuſculo de fortuna Romanorum, ἥρωα οἰκογενῆ, *domeſticum heroem* appellat. Quemadmodum Euſtathius βωμοὺς Dæmonibus, ἐσχάρας heroibus tribuit.

VII. FOCOS.] Foci domeſtici ſuam religionem habuerunt, in quos ciborum primitias & libationes inferebāt. Plutarchus opuſculo de fortuna Rom. Παρθένον (γάρ) τὴν Ὀκρισίαν ἀπαρχὰς καὶ λοιβὰς ἑκάστοτε λαμβάνουσαν ἀπὸ τῆς βασιλικῆς τραπέζης, ἐπὶ τὴν ἑστίαν κομίζειν. καί ποτε τυχεῖν μὲν αὐτήν, ὥσπερ εἰώθει, τῷ πυρὶ τὰς ἀπαρχὰς ἐπιβάλλουσαν, &c. *Virginem, aiunt, Ocriſiam primitias & libamina identidem à menſa regia capientem, ad focos ferre ſolitam: & aliquando, vt ſolebat foco primitias inieciſſe,* &c. Vide Dicta pro Sextio 90. (Foci.)

VIII. LAREM SVVM FAMILIAREM.] Vide Sextianam 30. *Illis tum erat reditus in ſuas ciuitates, ad ſuos Lares familiares.* Adde Auſonium:

Nec genius domuum Larunda progenitus Lar.

Lactantius de falſa religione lib. 1 cap. 20. *Quis cùm audiat Deam Mutam tenere riſum queat? Hanc eſſe dicunt ex qua ſint nati Lares: & ipſam Laram nominant, vel Larundam.* (Dea Muta. Lara. Larund.) Auguſtinus lib. 9. de Ciuitate Dei cap. 11. *Dicit quidem* Plotinus *& animas hominum dæmones eſſe, & ex hominibus fieri Lares ſi meriti boni ſunt: Lemures ſeu Laruas, ſi mali: Manes autem Deos dici cùm incertum eſt bonorum eos ſeu malorum eſſe meritorum.* (Lemures, Laruæ.) His concinunt quæ tradit Apuleius libro de Deo Socratis: *Qui poſterorum ſuorum curam. ſortitus, placato & quieto numine domum poſſidet, Lar dicitur familiaris.* Cætera omitto, quæ notatu digniſſima. Plutarchus Quæſtionibus Romanis parentes emeritos vitæ ſtipendiis honore diuino cultos fuiſſe teſtatur: Καὶ γὰρ ἐπὶ τῶν τάφων, ὥς φησι Βάρρων, περιστρέφονται, καθάπερ θεῶν ἱερὰ τιμῶντες τὰ τῶν πατέρων μνήματα, καὶ καύσαντες τοὺς γονεῖς, ὅταν ὀστέῳ προστύχωσι, θεὸν γεγονέναι τὸν τεθνηκότα λέγουσι. *Etenim in ſepulchris, vt ait Varro, circumuertuntur, tanquam Deorum templa, ita parentum monumenta venerantes, eorúmque corporibus exuſtis, cùm primum oſſi occurrerint, Deum factum fuiſſe dicunt eum qui eſt demortuus.* Certè Æneas 5. Æneidos Anchiſæ diuinitatem tribuit. Cornelia oratione ad C. Gracchum filium excerptâ è libris Cornelij Nepotis. *Vbi mortua ero, petito tribunatum, facito quod lubebit, cùm ego non ſentiam: Vbi mortua ero, parentabis mihi, & inuocabis Deum parentem in eo tempore, nec pudet te eorum Deûm preces expetere, quos viuos atque præſentes relictos, atque deſertos habueris.* Ouidius 5. Faſtorum:

Præſtitibus Maiæ Laribus videre Calendæ
Aram conſtitui, paruáque ſigna Deûm.

Cur autem Præſtites cognominentur, ſic exponit: (Præſtites.)

Quòd præſtant oculis omnia tuta ſuis.
Stant quoque pro nobis, & præſunt mœnibus Vrbis,
Et ſunt præſentes, auxiliúmque ferunt.

Τούτοις, inquit Plutarchus Quæſt. Rom. problem. 51. λέγων περιέχειν, αὐτοὶ δὲ κυνῶν διφθέραις ἀμπέχονται.

His canis adſtat, ipſi verò caninis veſtibus induun-tur. Plures adſert rationes, ſed parcendum Græcis, vt Latinum audiamus:

Et canis ante pedes ſaxo fabricatus eodem
Stabat. Quæ ſtandi cum Lare cauſſa fuit? — Lares.
Seruat vterque domum, domino quoque fidus vterque eſt.
Compita grata Deo, compita grata cani.
Exagitat & Lar, & turba diania fures,
Peruigilántque Lares, peruigilántque canes.

E dictis animaduertis duo Larium fuiſſe genera. alteros Lares fuiſſe publicos Mutæ, quam etiam Laram ſiue Larundam appellant, filios, quam adamatam à Mercurio ſcribit Ouidius 2. Faſtorum, & addit, — Larunda.

Fitque grauis, geminóſque parit, qui compita ſeruant,
Et vigilant noſtra ſemper in æde Lares.

Alteros fuiſſe priuatos, mortuorum animas, quæ, vt cum Apuleio loquar, iuſtè & prudenter vitæ curriculo gubernato, poſterorum ſuorum curam ſortitæ, placato & quieto numine putabantur domos & familias poſſidere. Cuiuſmodi, opinor, in Aululariæ Plautinæ prologo loquens inducitur.

Ego Lar ſum familiaris, ex hac familiâ
Vnde exeuntem me adſpexiſtis. Hanc domum
Iam multos annos eſt, cùm poſſideo & colo.

Quæ ſit autem inter Manes & Lares diſtinctio fusè explicamus in Vatinium 14. *Cùm puerorum extis Deos Manes mactare ſoleas.*

Non ſolùm autem domeſticis, ſed etiam agreſtibus rebus videntur præfuiſſe. Tibullus lib. 1. eleg. 1.

Lares agreſtes. — *Vos quoque felicis quondam, nunc pauperis horti*
Cuſtos, felicis munera veſtra, Lares.

Noſter 2. de legibus. *Neque ea quæ à maioribus prodita eſt, cùm dominis tum famulis poſita in villæ fundique cōſpectu religio Larium repudianda eſt.* Fuerunt & Lares Hoſtilij, de quibus Feſtus: *Hoſtilis Laribus immolabant, quòd ab his hoſtes arcer putabant.* — Hoſtilij.

Alij Lares nauigationibus præſidebant, vnde & dicti Lares Permarini Liuius lib. 40. de M. Æmilio Cenſore loquens: *Idem dedicauit ædem Larium permarinùm in Campo, vouerat eam annis quadraginta antè L. Æmilius Regillus nauali prælio aduerſus Præfectos Regis Antiochi.* Item vetus inſcriptio ſupra valuas illius templi fixa. *Eius rei ergô ædem Laribus permarinis vouit.* θεοὶ videlicet διαπόντιοι. — Permarini.

Fuerunt & Lares Querquetulani, de quibus Varro libro 4. de linguâ. *Item lucus, Larum Querquetulanùm ſacellum.* Dicti Querquetulani, quòd in Cœlio colerentur. mons autem Cœlius à quernâ ſyluâ ſiue querquetulo. — Querquetulani.

Lares viales, Plautus Mercatore actu 5. ſc. 2. — Viales.

-Inuoco
Vos Lares Viales, vt me bene iuuetis.-

Dij ſunt (inquit Turnebus Aduerſar. lib. 7. cap. 15.) qui viæ præſunt, vt ſunt θεοὶ ἐνόδιοι, quos inuocare ſolent qui peregrè proficiſcuntur, & ad viam ſe accingunt, quo etiam cognomento colebatur Mercurius: erat & Apollo ἀγυιεὺς, ſed is à viis vrbis nomen habebat. Arnobius lib. 3. aduerſus Gentes: *Poſſumus, ſi videtur, ſummatim aliquid & de Laribus dicere, quos arbitratur vulgus vicorum atque itinerum Deos eſſe, ex eo quòd Græci vicos cognominant Lauras.* Hinc etiam in compitis culti Lares, quòd vicis & compitis præſiderent.

ARGVMENTVM.

Antonij reditum à Narbone Marcio, quò profectus fuerat, quaſi Hiſpaniam inde petiturus, Dolabellæ, & ſuiipſius comparatione grauiter inſectatur.

LXIV. AN tu Narbone in menſas hoſpitum cùm vomeres, Dolabella pro te in Hiſpania dimicaret? Qui verò Narbona reditus? & tamen quærebat, cur ego ex ipſo curſu tam ſubitò reuertiſſem. Expoſui nuper Patribus conſcriptis cauſam reditus mei. Volui, ſi poſſem, etiam ante Kal. Ian. prodeſſe Reipub. nam quod quærebas, quomodo rediſſem: primùm luce, non tenebris: deinde cum calceis & toga, nullis nec caligis, nec lacerna. At etiam aſpicis me, & quidem vt videris, iratus. Næ tu mecum iam in gratiam redeas, ſi ſcias, quàm me pudeat nequitiæ tuæ, cuius te ipſum non pudet. Ex omnium omnibus flagitiis nullum turpius vidi, nullum audiui, quàm quòd qui Magiſter Equitum fuiſſe tibi viderere, in proximum annum Conſulatum peteres, vel potiùs rogares: is per municipia, coloniáſque Galliæ, à qua nos tum cùm Conſulatus petebatur, non rogabatur, petere Conſulatum ſolebamus, cum caligis & lacerna cucurriſti.

EXPLANATIO.

AN TV NARBONE.] Concluſio ſuperioris ſectionis ex comparatione cum Dolabella, qui cùm Antonius ebrietati vacaret, ipſe pro Antonio in Hiſpania dimicabat, ne videlicet liberi Pompeij recuperarent Rempub. & repeterent ſuum patrimonium ab Antonio occupatū.

QVI VERÒ.] Qualis fuit, quàm propudioſus, quantâ nequitia & leuitate implicatus reditus Antonij, cùm Narbone in Vrbem rediret?

ET TAMEN.] Antonius qui tam fœdè redierat,

dierat, reditum meum, è Græcia, quò poſt necem Cæſaris proficiſci decreueram, iámque iter ſuſceperam, mihi obiecit.

Exposvi nvper.] Quarto Nonas Septembres, vt conſtat è Philippicâ quintâ §. 19. expoſuit reditum profectionis & reuerſionis ſuæ, oratione primâ in Antonium. profectionis à §. 1. ad 7. reuerſionis à 7. ad 11. nũc paucis repetit cur redierit.

Nam qvod qværebas.] Horum verborum, *Quomodo rediſſem*, duplex poteſt eſſe ſenſus. nam vel de causâ, vel de facti circunſtantiis poſſunt intelligi. Quæſiſſe videtur cauſam Antonius: Cicero per dilogiam iocularem aliò transfert, vt hinc arripiat occaſionem in Antonium grauiùs inuehendi, eáque à ſe remoueat, quæ retorquentur in Antonij reditum, qui non habitu ciuis Romani, ſed vel militis, vel etiam ſerui in Vrbem redierat.

At etiam.] Familiarem compellationem, & reprehenſionem interſerit, ad lepôrem orationi concinnandum.

Tibi viderere.] Cùm reuera Magiſter Equitum non fuiſſes, hunc enim magiſtratum oppreſſa Repub. contra leges & inſtituta maiorum obtinueras.

Rogares.] Petit Conſulatum, qui prehenſat populum, eiúſque petit ſuffragia: rogat, qui non à populo petit, ſed ab eo qui ſummam habet poteſtatem in Repub.

NOTÆ.

I. Narbo. Narbone.] *Narbo Martius*, inquit Plinius lib. 3. c. 4. *Decumanorum colonia* XII. M. *paſſuum à mari diſtans.* Noſter pro Fonteio: *Narbo Martius, colonia noſtrorum ciuium, ſpecula populi Romani ac propugnaculum, iſtis ipſis nationibus oppoſitum & obiectum.* Velleius Paterculus tempus etiam notat quo ea colonia deducta eſt. annis circiter CLIV. ante M. Vinicij Conſulatum, M. Porcio, Q. Marcio Conſulibus.

II. In menſas vomere. In mensas.] Noſter lib. 2. de Finibus §. 23. *Nolim enim mihi fingere aſotos, vt ſoletis, qui in menſam vomant, & qui de conuiuiis auferantur, crudíque poſtridiè ſe rurſus ingurgitent, qui ſolem, vt aiunt, nec Occidentem vnquam viderint nec Orientem, qui conſumptis patrimoniis egeant.*

III. Lvce, non tenebris.] Reditus in tenebris frequenter obiectus, vt in Piſonem 53. *Nónne tibi nox erat pro die? non ſolitudo pro frequentia? caupona pro oppido?* Libro 3. ad Quintum Fratrem epiſt. 1. *Gabinius IV. Calend. Octob. noctu in Vrbem introiuit.* Id enim faciunt admiſſi flagitij conſcientiâ, vt milites à Caudinâ clade redeuntes, *Captorum habitu vultúque ingreſſi in vrbem, ita ſe in ſuis quiſque tectis abdiderunt, vt poſtero atque inſequentibus diebus nemo eorum forum aut publicum adſpicere vellet.*

IV. Calcei & toga. Cvm calceis et toga.] De calceis Senatoriis præſertim, & lunatis fusè diſſeruimus orat. pro Milone 28. Lunati patritiorum fuerunt. Papinius iam pro Milone laudatus:

Primáque patritiâ clauſit veſtigia lunâ.

Sic à Philoſtrato in Herodis Attici vita neſcio quis nobilis & patritius adoleſcens deſcribitur: Καὶ τὸ ξύμβολον τῆς εὐγενείας περιηρτημένος τῷ ὑποδήματι, τοῦτο δ᾽ ἐστὶν ἐπισφύριον ἐλεφάντινον μονοειδές. lege, μηνοειδές. *Indicio nobilitatis ad calceum aſſuto. Hoc autem eſt talare eburneum lunatum.*

Gallicis.] Aliàs *caligis*. Gellius cap. 20. lib. 13. Noct. Attic. *Senatores vidiſſet, die feriato tunicis & lacernis indutos, & gallicis calceatos.* & hoc ipſo Ciceronis loco *gallicas*, non *caligas* agnoſcit, eáſque ſoleas eſſe tradit. *Plerique autem ex iis qui audierant, requirebant cur ſoleatos dixiſſet, qui gallicas non ſoleas haberent. Sed Caſtricius profectò ſcitè atque incorruptè locutus eſt. Omnia enim fermè id genus, quibus plantarum calces tantùm infimæ teguntur, cætera prope nuda, & teretibus habenis vincta ſunt, ſoleas dixerunt: nonnunquam voce Græcâ crepidulas.* V. Gallicæ.

Lacernis.] Lacerna fuit veſtis militaris. Propertius lib. 3. eleg. 10. VI.

Tu tamen iniectâ tectus, veſane, lacernâ,
Potabis galeâ feſſus Araxis aquam.

Et lib. 4 eleg. 3.

Texitur hæc caſtris quarta lacerna tuis.

Lacernæ autem, vt ſcribit noſter Raderus in Martialem, *breuia fuere palliola, qualia hodie penulæ ſcorteæ peregrinorum, aut canonicorum, doctorúmque epomides. longiores tamen epomidibus lacernæ medium opinor virum tegebant.* Spectatoribus autem vſui poſtea eſſe cœperunt, non ſolùm militibus. Martialis lib. 14. epig. 137.

Amphitheatrales nos commendamur ad vſus Lacernæ.
Cùm tegit algentes noſtra lacerna togas.

Huiuſmodi verò lacernas togis iniiciebant, vt vides, & teſtatur etiam Iuuenalis Sat. 9.

- Pingueis aliquando lacernas,
Munimenta togæ, duri craſſique coloris.

Imò non ad ſolos theatri vſus, ſed etiam in foro lacernæ paſſim vſurpatæ. Cœpit id ſtatim ſub Auguſto. Tranquillus cap. 40. *Etiam habitum veſtitúmque priſtinum reducere ſtatuit: ac visâ quondam pro concione pullatorum turbâ, indignabundus ac clamitans, En ait,*

Romanos rerum dominos gentémque togatam.

Negotium Ædilibus dedit, ne quem poſthac paterentur in foro circóve, niſi poſitis lacernis togatum conſiſtere. Neque ſolùm pullato populo in vſu fuerunt, ſed etiam delicatis. Iuuenalis Satyrâ primâ:

Cùm pars Niliacæ plebis, cùm verna Canopi
Criſpinus Tyrias humero reuocante lacernas
Ventilet æſtiuum digitis ſudantibus aurum.

Imò & mulierculis. Ibidem:

- Puer Automedon nam lora tenebat,
Ipſe lacernatæ dum ſe iactaret amicæ.

Fuerunt pulli, candidi, leucophæati, purpurei, coccinei, amethyſtini coloris. vide Lipſium 1. electorum cap. 13. Martialem lib. 1. epigr. 97. lib. 5. epig. 8. & noſtrum Raderum eius interpretem, Baifium & alios

ARGVMENTVM.

Antonij leuitatem inſectatur, quòd Narbone rediens, vt inſperanti coniugi Fuluiæ ſe oſtenderet, Vrbem terrore nocturno, Italiam multorum dierum metu perturbauit.

LXV. AT videte leuitatem. Cùm hora diei ferè decima ad Saxa Rubra veniſſet, delituit in quadam cauponula: atque ibi ſe occultans, perpotauit ad veſperam: inde ciſio celeriter ad vrbem aduectus, domum venit capite inuoluto. Ianitor. Quis tu? A Marco tabellarius. confeſtim ad eam, cuius cauſa venerat, deducitur: eíque epiſtolam tradidit: quam cùm illa legeret, flens (erat enim ſcripta amatoriè, caput autem literarum, ſibi cum illa mima, poſthac nihil futurum: omnem ſe amorem abieciſſe illinc, atque in hanc transfudiſſe) cùm mulier fleret vberiùs, homo miſericors ferre non potuit, caput aperuit, in collum inuaſit. O hominem nequam! quid enim aliud dicam? magis propriè nihil aliud poſſum dicere. Ergo vt te catamitum necopinatò cùm oſtendiſſes, præter ſpem mulier aſpiceret: idcirco vrbem terrore nocturno, Italiam multorum dierum metu perturbaſti? Et domi quidem cauſam amoris habuit: foris etiam turpiorem, ne L. Plancus prædes tuos venderet. Productus autem in concionem à Tribunoplebis cùm reſpondiſſes te rei tuæ cauſa veniſſe, populum etiam dicacem in te reddidiſti.

EXPLANATIO.

CVM HORA DIEI DECIMA.] Duabus horis ante noctem. Veteres enim diem in partes duodecim diuidebant: & non à media nocte, ſed à ſolis ortu horas numerabant. Saxa autem Rubra videntur fuiſſe viculus vno vel altero diſtans ab Vrbe milliari. Aduerte verò ſingulas circumſtantias quibus res geſta veſtitur, & leuitas Antonij deſcribitur.

AD EAM.] Ad Fuluiam, quam Antonius poſt Clodij & Curionis priorum maritorum necem, duxerat vxorem.

CAPVT AVTEM.] Summa litterarum hæc erat, Antonium cum Cytheride ſiue Volumnia mima, non ampliùs eſſe victurum, ſed omnem illum amorem quo mimam illam proſecutus fuerat, abieciſſe, & abſtraxiſſe ab ea, & in Fuluiam transfudiſſe.

CVM MVLIER.] Cùm Fuluia fleret Antonij abſentiam, Antonius ferre non potuit, &c.

VT TE CATAMITVM.] Mollem & impudicum. Feſtus: *Catamitum pro Ganymede dixerunt, qui fuit Iouis concubinus.* Verùm non video quid faciat ad hunc locum vox iſta: vereórque ne moroſiores exclament frontem mihi perriſſe, ſi animi mei ſenſum exprompſero. Dicam tamen, & ne mihi quid arrogare videar, in medio relinquã. Fortaſſe Græcis litteris ſcripſerat Orator κατὰ μυθὸν, librarius Latinis characteribus exſcripſit *cata mython*, quod in multis aliis videmus contigiſſe. Sciolus mendum ſubeſſe ratus repoſuit *catamitum*. Atenim non ſolet Orator, in orationibus præſertim, Græca Latinis intexere. Fateor id quidem. Sed tamen in Piſoniana Græcam vocem vſurpat. *argentum* οἴχεται. Et quamuis peregrinæ voces officiant orationis grauitati, eidem tamen ſi ſuo loco ponantur, neſcio quid lepòris & ſuauitatis affundunt, & in nequitiis nugíſque Græca frequenter adhibebant. Notæ voces Ζωὴ καὶ ψυχὴ ex Iuuenale Sat. 6. Idem verò penè eſt κατὰ μυθὸν, atque *nec-opinatò*, & *præter ſpem*. κατὰ μυθὸν, cùm Fuluia de te loqueretur, & nimiùm diu abeſſe fleret. Sic apud Terentium, *En lupus in fabula.* & primo Æneidos cùm Dido dixiſſet,

Atque vtinam Rex ipſe noto compulſus eodem
Afforet Æneas, &c.

κατὰ μυθὸν ſecundùm hunc ſermonem, necopinatò & præter ſpem ſe oſtendit.

-cunctiſque repente
Improuiſus ait: Coram, quem quæritis, adſum, &c.

VRBEM TERRORE NOCT.] Cùm fama percrebuiſſet, inquit Plutarchus, per totam Italiam, Pompeios victores, Cæſare necato ad vrbem accedere, Romam reuerſus eſt Antonius. vrbem igitur terrore nocturno, & Italiam multorum dierum metu perturbauit, cùm omnes ſibi perſuaderent Antonium tam præcipiti curſu rediturum non fuiſſe, niſi mortem Cæſaris & Pompeiorum victoriam certis nuntiis comperiſſet.

ET DOMI.] Alteram reditûs adeò præcipitis cauſam refert, ne videlicet L. Munatius Plancus, *cui*, vt ait Manutius, *videtur Cæſar in Hiſpaniam proficiſcens hoc mandaſſe, vt ſi Antonius intra dies illos, quos ei ad ſoluendum prorogauerat, non ſoluiſſet, bona prædum venderet.*

PRÆDES TVOS.] Bona fideiuſſorum tuorum, ſiue prædum, qui tuo nomine bona ſua obligarant.

DICACEM.] Populus ex tua oratione dicteriorum occaſionem arripuit, ex amphilogia ambiguóque ſenſu verborum REI TVÆ CAVSÆ, quæ tam ad rem familiarem & prædes, quàm ad libidines & amorem referri poſſunt.

NOTÆ.

I. LEVITATEM.] Vide Sextianam 22. *Nequam eſſe hominem, & leuem.*

II. HORA FERE DECIMA.] De ratione dierum Cenſorinus aureo illo libello de die natali: *Naturalis dies eſt tempus ab Oriente ſole ad ſolis occaſum, cuius contrarium tempus eſt nox, ab occaſu ſolis vſque ad exortum. Ciuiliter autem dies vocatur tempus, quod fit vno cœli circumactu, quo dies verus & nox continetur.* Paulò pòſt: *Babylonij quidem à ſolis exortu ad exortum eiuſdem aſtri diem ſtatuerunt. At in Vmbria plerique à meridie in meridiem: Athenienſes autem ab occaſu ſolis ad occaſum. Cæterum Romani à media nocte ad mediam noctem diem eſſe exiſtimauerunt.* Idem tradunt ex Varrone Gellius lib. 3. cap. 2. Noct. Attic. & iiſdem verbis Macrobius lib. 1. cap. 3. Item Plutarchus quæſt. Romanis, & Plinius lib. 1. cap. 77. Additque Ægyptios & Hipparchum à media nocte ad mediam, perinde ac Romanos diem finiiſſe. Veteres Galli videntur ab occaſu ſolis ad occaſum diem ciuilem cum Athenienſibus habuiſſe. Cæſar lib. 6. *Spatia omnis temporis non numero dierum, ſed noctium finiunt, dies natales & menſium, & annorum initia ſic obſeruant, vt noctem dies ſubſequatur.*

Dies naturalis.

Ciuilis.

Dierum varietas.

In horas duodecim, inquit Cenſorinus, *diuiſum eſſe diem noctémque in totidem vulgo notum eſt.* Philo de profugis: Τέλειος δ᾽ ἀριθμὸς ὁ δώδεκα. μάρτυς δ᾽ ὁ ζωδιακὸς ἐν οὐρανῷ κύκλος τοσούτοις κατηστερισμένος φωσφόροις ἄστροις. μάρτυς καὶ ἡ ἡλίου περίοδος. μησὶ γὰρ δώδεκα τὸν ἑαυτοῦ περατοῖ κύκλον, ἰσαρίθμους τε τοῖς ἐνιαυτοῦ μησὶ τὰς ἡμέρας καὶ τὰς νυκτὸς ὥρας ἄγουσιν ἄνθρωποι. *Perfectus autem numerus duodenarius, quod teſtatur zodiacus in cœlo circulus illuſtratus tot ſideribus. Teſtatur etiam ſolis ambitus. nam intra duodecim menſes circuitum ſuum peragit: & æquales numero menſibus anni tum nocturnas, tum diurnas horas homines eſſe voluerunt.* Galenus libro 2. de curatione propriarum affectionum: Σύμμετρον δ᾽ εἶναι κρίναντες τὸν δωδέκατον εἰς τοσαῦτα μέρη τὸν χρόνον τῆς ὅλης (ἡμέρας) διέτεμον. *Moderatum eſſe duodenarium numerum iudicantes in totidem partes totius diei tempus diuiſerunt.*

Diei in horas 12. diuiſio.

Quod ad primos huius diuiſionis auctores ſpectat, Herodotus in Euterpe: Πόλον μὲν γὰρ καὶ γνώμονα, καὶ τὰ δυώδεκα μέρεα τῆς ἡμέρης παρὰ Βαβυλωνίων ἔμαθον Ἕλληνες. *Polum enim & gnomonem & duodecim diei partes à Babyloniis Græci didicerunt.* Contrà Mar. Fabius Victorinus in expoſitione primi libri Rhetoricorum. *Horarum autem*, inquit, *duodecim hæc eſſe origo memoratur. Quodam tempore Triſmegiſtus, cùm eſſet in Ægypto, ſacrum quoddam animal Serapidicatum*, lege, *Serapidi dicatum, cùm in toto die duodecies vrinam feciſſet, pari ſemper interpoſito tempore, per duodecim horas diem dimenſum eſſe coniecit, & exinde hic horarum numerus cuſtoditur. Deinde alij dicunt ex quadratura cœli, quæ ſecundum muſicam rationem in duodecim partes dicitur eſſe diuiſa, horas duodecim eſſe nominatas.* Et ſanè ipſum nomen horæ diei diſtributionem ab Ægyptiis profectam eſſe declarat, nam vt Macrobij verbis vtar libro primo Saturnal. cap. 21. *Apud eoſdem Apollo qui eſt ſol, Horus vocatur. Ex quo & horæ vigintiquatuor, quibus dies nóxque conficitur, nomen acceperunt.* Sed hæc apud Babylonios & Ægyptios, *Seciùs etiam hoc Romæ contigit*, inquit Plinius libri 1. cap. 60. *Duodecim tabulis ortus tantùm & occaſus nominantur: poſt aliquot annos adiectus eſt & meridies. Accenſo Conſulum id pronuntiante, cùm à Curia inter Roſtra & Græcoſtaſim, proſpexiſſet ſolem à columnâ Mæniâ ad carcerem, inclinato ſidere ſupremam pronuntiabat.* Ac proinde paraſitus ille Plautinus apud Gellium lib. 3. cap. 3. Noct. Attic. hanc diei partitionem, vt nouitium inuentum inſectatur.

Primi huius diuiſionis auctores.

Vt illum Dij perdant primus qui horas repperit,
Quique adeò primus ſtatuit hic ſolarium,
Qui mihi comminuit miſero articulatim diem.
Nam me puero vetus erat ſolarium.
Multo omnium iſtorum optimum & veriſſimum.
Vbi iſte monebat eſſe, niſi cùm nihil erat,
Nunc etiam quod eſt, non eſt, niſi Soli lubet.
Itaque adeò iam oppletum eſt oppidum ſolariis.
Maior pars populi aridi reptant fame.

Romanis quādo primum ſolarium.

Verſus quartus neque ſenſum, neque numeros habet abſolutos. legerim,

Nam me puero venter fuit ſolarium.

Has autem horas ita deſcriptas, diurnas quidem à ſolis exortu, nocturnas autem ab eiuſdem ſideris occaſu numerabant: eáque fuit, vt vides diei naturalis dimenſio: Nunc Itali diem ciuilem quatuor & viginti partibus æqualibus ita metiuntur, vt à ſolis occaſu ad ſequentem occaſum diem ciuilem, Athenienſium & veterum Gallorum more definiant, & horam diei primam appellent, cur ſol ſub horizontem noſtrum deciduus quartam & viceſimam curſus diurni partem confecerit, quartam & viceſimam, tum denique numerent horam, cum integro curſu euoluto, ad idem cœli punctum redierit vnde diſceſſerat. Qua in dimenſione duo ſunt incommoda, quæ momenti non mediocris eſſe videantur. Alterum quòd cùm ſol tum accedat, tum recedat, diéſque faciat, tum breuiores, tum longiores, ſeciùs ociùs occidat. oriatur, horologia ſubinde mutanda ſunt, vt cum ſolis occaſu conſentiant. Alterum quòd incertus illis ſit meridies, & nunc horæ decimæ quintæ, nunc decimæ ſextæ, aut etiam decimæ quartæ, ſolis autem æquinoctiis horæ octauæ præciſè reſpondeat. vnde & prouerbium. *Vous cherchés midy à quatorze heures.*

Horarum ratio apud Italos.

Commodiùs Ciſalpinæ nationes, aliæque non paucæ, diem ciuilem à media nocte auſpicantur, & ad ſequentis noctis medium extendunt. Nam & eodem ſemper temporis momento diem inchoant, & certum habent meridiem, qui ſemper horâ duodecimâ partes diei non ſolùm naturalis, ſed etiam ciuilis bifariam diſcernat ac diſterminet.

Apud Ciſalpinas nationes.

Eccleſia diem variis modis vſurpat. Nam quoad externam feſtiuitatem & abſtinentiam tum à cibis vetitis, tum ab operibus ſeruilibus, à media nocte ad mediam noctem dies extenditur. In precibus, quas horas

Horæ Eccleſiaſticæ.

canonicas ſeruamus, Deo recitandis, antiqua diei naturalis diſtributio ſeruatur, vnde priprimam, ſextam, nonam, non à principio diei ciuilis, ſed à ſolis exortu nominamus. Officium eccleſiaſticum à veſpera ad veſperam & completorium terminatur. Cenſorinus de die natali verbis XII. tabularum recitatis SOL OCCASVS SVPREMA TEMPESTAS ESTO. *Poſt ſupremam*, inquit, *ſequitur veſpera, ante ortum ſcilicet eius ſtellæ, quam Plautus Veſperuginem, Ennius Veſperum, Virgilius Heſperon appellat.*

Horarum ratio apud veteres Romanos.

Romani veteres, vt diem in horas duodecim, noctem in totidem diuidebant, ita horas inæquales & æſtate quidem diurnas longiores, breuiores nocturnas, hyeme contrà nocturnas longiores, breuiores diurnas habuerunt. vnde & illud in Moreto:

Iam nox hybernas bis quinque peregerat horas.

Et horam ſextam numerabant cùm ſol medium cœli ſpatium emenſus ad meridiem peruenerat. & horam quintam Perſius appellat, quam nos more noſtro vndecimam diceremus. Sat. 3.

Stertimus indomitum, quod deſpumare Falernum
Sufficiat, quintâ dum linea tangitur vmbrâ.
En quid agis? ſiccas inſana canicula meſſes
Iamdudum coquit, & patulâ pecus omne ſub vlmo eſt.

Sed de tota horarum diſtributione notum epigramma Martialis lib. 4. epig. 8.

Prima ſalutantes atque altera continet hora:
Exercet raucos tertia cauſidicos.
In quintam varios extendit Roma labores:
Sexta quies feſſis, ſeptima finis erit.
Sufficit in nonam nitidis octaua palæſtris:
Imperat extructos frangere nona toros.

Quadripertita diei diuiſio, in primã, tertiam, ſextam nonam.

Præter hanc diei noctiſque in partes duodecim deſcriptionem, *alij diem quadripertitò*, inquit Cenſorinus, *ſed & noctem ſimiliter diuidebant: idque ſimilitudo teſtatur militaris, vbi dicitur vigilia prima, item ſecunda, & tertia & quarta.* quarum ſingulæ vigiliæ tres horas continebant. Lucanus lib. 5.

Tertia iam vigiles commouerat hora ſecundos.

Inde factum, opinor, vt non ſolùm in Eccleſiaſticis precibus, ſed etiam in rebus ciuilibus horæ tertia, ſexta, nona, tanquam quatuor illarum diei partium articuli quidam & internodia celebres haberentur. Tertullianus aduerſus Pſychicos cap. 10. *Treis iſtas horas, vt inſigniores in rebus humanis, quæ diem diſtribuunt, quæ negotia diſtinguunt, quæ publicè reſonant, ita & ſolemniores in orationibus diuinis* eſſe teſtatur. Varro lib. 5. de lingua Latinâ: *Coſconius in actionibus ſcribit, Prætorem accenſum ſolitum tum eſſe iubere, vbi ei videbatur horam eſſe tertiam, inclamare horam eſſe tertiam, itémque meridiem, & horam nonam.*

Vel in tertiã, ſextam, nonam, veſperam.

Non pauci ſunt è recentioribus, qui primum illud diei trihorium, horam primam, ſecundum horam tertiam, tertium ſextam, quartum denique nonam appellent. Alij primum trihorium tertiam, ſecundum ſextam, tertium nonam, quartum denique veſperam dicere maluerunt.

Id Petauius noſter minùs probat lib. de doctrina temporum 12. cap. 19. quòd nemo veterum partes illas diei quatuor horas appellaſſe videatur. Sed pace doctiſſimi, mihíque amiciſſimi viri dixerim. Videtur Nonnus paraphraſi in Ioannem ſecundum diei trihorium tertiam horam nominaſſe, dum illa Ioannis 19. verba: *Erat autem paraſceue paſchæ, hora quaſi ſexta:* ſic explanat,

Εκτη δ' ἦν ὀλίποισι προσάββατος ἔπλετο ἠώς,
Ην δὲ τιταινομένη τριτάτη θανατηφόρος ὥρη.
Sabbatha præcedens iam ſexta aurora rubebat,
Tertia lethalis iam ſeſe extenderat hora.

Conciliantur Euangeliſtæ de hora paſſionis.

Τιταινομένην appellat, quòd ſe ad ſextam extenderet, & tantumnon ad illam accederet. Quam interpretationem, ſi ſemel admiſeris, maximam illam in conciliandis Euangeliſtis difficultatem habebis enodem, de qua Iamſenius, Maldonatus, Baronius, Melchior Canus, Toletus, Ribera, aliíque complures. Id certè malim, quàm vel in Marco, vel in Ioanne mendum agnoſcere. Et ſanè Gregorius Magnus homilia 19. in Euangelia non obſcurè nomina horæ primæ, tertiæ, ſextæ, nonæ. pro totidem trihoriis vſurpat. *Hic itaque paterfamilias ad excolendam vineam ſuam manè, hora tertia, ſexta, nona, & vndecima operarios conducit*, &c. *Manè etenim mundi fuit ab Adam vſque ad Noë: hora verò tertia à Noë vſque ad Abraham: ſexta quoque ab Abraham vſque ad Moyſem: nona autem à Moyſe vſque ad aduentum Domini: vndecima verò ab aduentu Domini vſque ad finem mundi.* Quæ comparatio locum non haberet, niſi ſingulæ horarum appellationes, pro trihoriis ponerentur.

Iam vt de horologiis pauca dicamus, antiqui clepsydras habuerunt, de quibus noſter Petauius Notis in Syneſium fusè & eruditè.

Horologia Sciotherica.

Horologij Sciotherici vſus iam ante Romam conditam receptus in Oriente, 4. Regum cap. 20. *Ægrotauit Ezechias vſque ad mortem*, &c. *Dixerat autem Ezechias ad Iſaiam. Quod erit ſignum, quia Dominus me ſanabit?* &c. *Inuocauit itaque Iſaias Propheta Dominum, & reduxit vmbram per lineas, quibus iam deſcenderat in horologio Achaz, retrorſum decem gradibus.* De Ezechiæ ætate S. Auguſtinus lib. 18. de Ciuitate cap. 20. *Rex tunc erat Iuda, cuius nomen erat Achaz, vel ſicut alij computant qui ei ſucceſſit Ezechias, quem quidem conſtat optimum & piiſſimum Regem Romuli regnâſſe temporibus.* Seriùs apud Græcos. Siquidem Anaximenes Mileſius, vt ſcribit Plinius lib. 2. cap. 76. *Primus horologium quod appellant Sciothericum Lacedæmone oſtendit.* Quando autem primùm horologia Romæ viſa fuerint fusè Plinius lib. 6. Conſulatur. Cenſorinus de die natali. *Alij apud ædem Quirini primum ſtatutum dicunt, alij in Capitolio, nonnulli ad ædem Dianæ in Auentino. Illud ſatis conſtat, nullum in foro priùs fuiſſe, quàm id quod M. Valerius ex Sicilia aduectum ad Roſtra in columna poſuit. Quod cùm ad clima Siciliæ deſcriptum ad horas Romæ non conueniret, L. Philippus cenſor aliud iuxtà conſtituit. Deinde aliquantò pòſt P. Cornelius Naſica Cenſor ex aqua fecit horarium*, &c. Primum illud ad ædem Quirini ſtatuit Luc. Papyrius Curſor circa annum ad V. C. CDL. ſecundũ Valerius Meſſala anno CDLXXVII. Tertium Philippus anno DLXXVI. quartum Scipio Naſica *anno Vrbis* DXCV. *Tandiu populi Romani indiſcreta lux fuit.* inquit Plinius loco citato.

Horologia rotulata.

Cæterùm habueríntne horologia rotulata, quæ implexis rotarum orbibus ſuo circumactu

tum diurnas, tum nocturnas horas oſtenderent, poſſit dubitari. Habuiſſe certè colligi poteſt è Varrone libro 3. de re ruſtica cap. 5. deſcribente villam ſuam Caſinatem. *Intrinſecus ſub tholo ſtella Lucifer interdiu, noctu Heſperus ita circumeunt ad infimum hemiſphærium, ac mouentur, vt indicent quot ſint horæ. In eodem hemiſphærio medio circum cardinem eſt orbis ventorum octo, vt Athenis in horologio quod fecit Cypreſtes. Ibique eminens radius à cardine ad orbem ita mouetur, vt eum tangat ventum qui flet, vt intus ſcire poſsis.* Quæ certè ſine rotulis certóque libramento non videntur fieri potuiſſe. Clarè Iulius Capitolinus in Pertinace: *Vehicula arte fabricæ nouâ, perplexis diuerſíſque rotarum orbibus, & exquiſitis ſedilibus nunc ad ſpiritûs opportunitatem per vertiginem, & alia iter metientia, horáſque monſtrantia.*

An autem huiuſmodi horaria rotulata tintinnabulorum ſonitu horas indicarent, mihi non liquet, nec vllum reperi in veteribus ſcriptis veſtigium cui tutò poſſem inſiſtere. Certè Scholiaſtes Ariſtophanis ad illa verba in Auibus,

κωδωνοφορῶν περίτρεχε, καὶ κάθευδ' ἐκεῖ.

Tintinnabulũ ferens circumcurre, & dormi ibi. Οἱ περίπολοι, inquit, τὰς φυλακὰς περισκοποῦντες, ἐρχόμενοι ἐπὶ τοὺς φύλακας, κώδωνας εἶχον, καὶ διὰ τούτων ἐψόφουν. *Circuitores, qui cuſtodias circumluſtrabant, euntes ad cuſtodes tintinnabula habebant, & illis ſonitum edebant.*

Dormientem familiam, vt etiam nunc apud religioſos fieri ſolet, tintinnabulis excitabant. Lucianus de mercede conductis: ἕωθεν δ' ὑπὸ κώδωνι ἐξαναστὰς, ἀποσεισάμενος τοῦ ὕπνου, &c. *manè ad tintinnabuli ſonitum ſurgens, ſomno excuſſo*, &c. Item, ἔτι σοι ταῦτα διαλογιζομένου ὁ κώδων ἤχησε. *Hac te adhuc ratiocinante tintinnabulum ſonat*, &c.

Significabant balneas eſſe temperatas. Martialis in apophoretis. Tintinnabulum:

Redde pilam: ſonat æs thermarum. Ludere pergis?
Virgine vis ſolâ lotus abire domum.

Tintinnabula, vt etiamnum fieri ſolet, ad ianuas appendebant: opinor vt eorum pulſu ianitor euocaretur. Tranquillus in Auguſto, cap. 91. *Cùm dedicatam in Capitolio ædem Tonanti Ioui aſsiduè frequentaret, ſomniauit queri Capitolinum Iouem cultores ſibi abduci: ſéque reſpondiſſe Tonantem pro ianitore ei appoſitum: ideóque mox tintinnabulis faſtigium redimiuit, quòd ea ferè ianuis dependebant.*

III. Saxa Rubra. SAXA RVBRA.] Notant interpretes Saxa Rubra fuiſſe inter Vrbem & Veios prope Cremeram, vbi ceciderunt Fabij trecenti. Liuius lib. 2. de Veientibus: *Fuſi ad Saxa Rubra (ibi caſtra habebant) pacem ſupplices petunt, cuius impetrata ab inſita animis leuitate, ante deductum Cremera Romanum præſidium pœnituit.*

IV. CAVPONVLA.] Vide Piſonianam §. 53. Nota 8.

V. CISIO.] Nonius: *Ciſium vehiculi biroti genus.* hunc locum profert, ſed legit, *In quadam caupona.* non *cauponula.* Fuit autem id vehiculi genus ad celeritatem comparatum. pro Roſcio Amerino: *Decem horis nocturnis ſex & quinquaginta millia paſſuum ciſiis peruolauit.* Virgilius in catalectis parodia phaſeli Catullianæ:

Ciſium. *Neque vllius volantis impetum ciſij*
Nequiſſe præterire, ſiue Mantuam
Opus foret volare, ſiue Brixiam.

Monet tamen Ioachimus Camerarius, legi etiam *Caſsia*, id eſt, Caſſiâ viâ, cuius mentio 12. Philippicâ §. 23.

CAPITE INVOLVTO.] Vide Piſonianam 13. *Neſcio quo è gurguſtio te prodire, inuoluto capite, ſoleatum.* Aduerte tantum moris fuiſſe, vt lacernis caput obuoluerent. Horatius lib. 2. Sat. 7. VI.

Turpis odoratum caput obſcurante lacernâ. Caput inuolutum.

Eodem trahunt interpretes illud Martialis in apophoretis:

Si poſſem, totas cuperem miſiſſe lacernas:
Nunc tantùm capiti munera mitto tuo.

IANITOR.] Vide §. 32. vbi diximus ex Ouidio ianitores in catena fuiſſe. 1. amorum eleg. 6. VII.

Ianitor indignè durâ religate catenâ
Difficilem moto cardine pande forem.

Item ex Tranquillo de claris Rhetoribus: *Luc. Octacilius Pilitus ſeruiſſe dicitur, atque etiam oſtiarius veteri more in catena fuiſſe.* Adde Columellam præfatione de re ruſtica. *An honeſtius duxerim mercenarij ſalutatoris mendaciſsimum aucupium: circumuolitantis limina potentiorum, ſomniúmque regis ſui rumoribus inaugurantis? neque enim roganti, quid agatur intus, reſpondere ſerui dignantur. An putem fortunatius à catenato repulſum ianitore ſæpè nocte ſera foribus ingratis adiacere?* Ianitores catenati.

A MARCO.] Honoris cauſâ patremfamilias deſignabant ſolo prænomine, vt nunc dominum abſolutè. Horatius lib. 2. Sat. 5. VIII.

Quinte puta aut Publi (gaudent prænomine molles Vſus prænominum.
Auriculæ) tibi me virtus tua fecit amicum.

Perſius Sat. 5.

Verterit hunc dominus, momento turbinis exit
Marcus Dama, papæ! Marco ſpondente recuſas
Credere tu nummos? Marco ſub iudice palles?
Marcus dixit, ita eſt. has ſigna Marce tabellas.

Plutarchus Quæſtionibus Roman. 30. Διὰ τί τὴν νύμφην εἰσάγοντες λέγειν κελεύουσιν, ὅπου σὺ Γάϊος, ἐγὼ Γαΐα. *Cur nouam nuptam ducentes dicere iubent. vbi tu Caius, ego Caia?* Subdit: Πότερον ὥσπερ ἐπὶ ῥητοῖς εὐθὺς εἰσίεισι τοῦ κοινωνεῖν ἁπάντων, καὶ συνάρχειν, καὶ τὸ μὲν δηλούμενόν ἐστιν· ὅπου σὺ κύριος καὶ οἰκοδεσπότης, καὶ ἐγὼ κυρία καὶ οἰκοδέσποινα. *Vtrùm tanquam ex conuentione ſtatim ingreditur ad participandum in omnibus & ſimul imperandum: quod verò ſignificatur hoc eſt, vbi tu dominus & paterfamilias, ego domina & materfamilias.*

TABELLARIVS.] Diuus Hieronymus epiſt. 1. lib. 1. *Ante chartæ & membranarum vſum, aut in dedolatis è ligno codicillis, aut in corticibus arborum mutuò epiſtolarum colloquia miſsitabant. vnde & portitores earum tabellarios, & ſcriptores à libris arborum librarios vocauere.* eadem Feſtus Pompeius. IX. Tabellarij.

CVM ILLA NIHIL FVTVRVM.] Eodem ſenſu pro Cœlio 33. *Mulier, quid tibi cum Cœlio?* X.

NEQVAM.] Vide Sextianam 21. *Nequam eſſe hominem & leuem.* & Lælium Biſciolam lib. 17. cap. 4. prioris partis horarum ſubſceſiuarum: vbi *nequam* à *nequeo* dictum putat: Varro lib. 4. de lingua, quaſi *nequicquam*, media ſyllaba extrita dici mauult, cui & Cicero adſtipulatur in Tuſculanis. XI.

XII. CATAMITVM.] Diximus ex Feſto Catamitum dictum fuiſſe Ganymedem. Plautus Menæchmis:

Vbi aquila Catamitum raperet, aut vbi Venus Adoneum.

Catamitus. Arnobius libro 4. aduerſus Gentes: *Catamitus rapitur delitiarum futurus & poculorum cuſtos.* Notat Scaliger in elegiam Pedonis Albinouani de obitu Mæcenatis à Γαδαμύδης, quod idem eſt cum Γανυμήδης detortum eſſe. γάδεσθαι enim & γάνυσθαι idem, vt prius diceretur Gadamidus, inde Catamitus.

XIII. NEC OPINATÒ.] Tibullus lib. 1. eleg. 3.

Tunc veniam ſubitò, nec quiſquam nuntiet antè:
Sed videar cœlo miſſus adeſſe tibi.
Tunc mihi, qualis eris, longos turbata capillos,
Obuia nudato Delia curre pede.

Inſperatus enim amantiũ adſpectus magis oblectat. Id tamen præter morem factum. Plutarchus Quæſt. Rom. problem. 9. Διὰ τί κἂν ἐξ ἀγροῦ, κἂν ἀπὸ ξένης ἐπανίωσιν, ἔχοντες οἴκοι γυναῖκας, προπέμπουσι δηλοῦντες αὐταῖς ὅτι παραγίνονται; *Cur etiamſi ex agro, aut ex longinqua terra redierint, vxoribus domi reſidentibus, mittunt qui ſuum aduentum denuntient?*

TERRORE NOCTVRNO.] Vide Cœlianam 36. *Nocturnos quoſdam & inanes metus.* XIV.

PRÆDES TVOS VENDERET.] *Prædia ſunt, vt iam ſuprà ex Aſconio dictum, res ipſæ, prædes homines, id eſt, fideiuſſores.* Vide ſuprà 62. E quibus mireris quid ſit cur prædes vendi aſſeueret hîc, & in Verrem de Prætura Vrbana 142. *Vbi illa conſuetudo in bonis prædibus prædiiſque vendendis.* Manutius in Verrinam laudatam, prædes, id eſt, mancipia, aut aliquid quod moneri loco poſſet, ita vendita fuiſſe putat, vt prædia. quod huius ipſius, quem in manibus habemus, loci auctoritate confirmat. Subditque: *Prædes igitur & prædia bona ſunt, quæ & ſatiſdationibus obligantur, & niſi promiſſum præſtetur à creditore venduntur.* Diſſentit, vt vides, à Pediano hac impulſus ratione quòd homines liberi non venderentur. XV. Prædes vendere.

PRODVCTVS IN CONC. A TRIBVNO PLEBIS.] Non licebat priuatis agere cum populo, niſi ab aliquo magiſtratu producti eſſent. vide dicta in Sextianam §. 107. Nota 2. Vatin. §. 24. num. 3. XVI.

DICACEM.] Vide Cœlianam 67. *Quàm volent in conuiuiis, faceti, dicaces, nonnunquam etiam ad vinum diſerti ſint.* XVII.

Antonij Conſulatus

- Partus. 66.
  - reditu in gratiam cum Cæſare. 66.
    - perditos ære alieno.
    - nequam & audaces.
  - qui libentiſſimè recipiebat
  - perfidia Cæſaris & Antonij in Dolabellam.
- Geſtus: qui in quatuor tēpora perſpicuitatis cauſſâ diuidi poteſt.
  - Calend. Ianuar.
    - inuectus eſt in eum Dolabella.
    - Cæſar vt placaret Dolabellam promiſit illi conſulatum.
    - Antonius eo ſe ſacerdotio præditum eſſe dixit, quo poſſet comitia vel impedire, vel vitiare, & ita ſe facturum eſſe dixit
      - imperitè: dicens ſe ſacerdotij iure facere poſſe, quod faciliùs conſulatus iure facere potuiſſet.
      - impudenter
        - ſtatuens ſeruare de cœlo contra leges.
        - dicens ſe comitia vitiaturum auſpiciis, quaſi dicat ſe ementiturum auſpicia ſi nulla euenerint.
  - tempus à Calendis Ianuariis vſque ad Idus Martias. à 68. ad 75.
    - aſſecla fuit Cæſaris tanquam humilis apparitor. 68.
    - obnuntiauit comitiis Dolabella. 68. 69.
    - ſupercalibus impoſuit Cæſari diadema. 70.
  - Ipſas Idus Martias. 75. quo die
    - Cæſar occiſus eſt.
    - Antonius latitauit.
  - Reliquum tempus ab Idibus Martiis ad duodecimum Calēdas Octobreis, quo die habita fuiſſe videtur hæc oratio
    - aliqua præclarè geſſit
      - dedit obſidem filium, vt Cæſaris percuſſores è Capitolio tutò deſcenderent.
      - leges tulit
        - ne qua poſt Idus Martias immunitatis tabula figeretur.
        - vt Dictaturæ nomen in perpetuum de Rep. tolleretur.
    - plura ſceleratè
      - laudatione funebri mulitudinem concitauit.
      - perſcriptis falſis Cæſaris nomine commentariis vendidit
        - immunitatē Cretenſibus.
        - regni reſtitutionem Deiotaro.
        - Siculis ciuitatem.
      - HS. ſepties millies ex ærario diſſipauit.
      - exules reduxit, dānatóſq; reſtituit, in his C. Antonij patrui nulla mentio, quem
        - non reſtituit cum aliis.
        - induxit ad petendum ſeptemuiratum.
        - deſtituit in petitione.
        - & iam ante Calendis ipſis Ian. repudiata eius filia contumeliis affecerat.
      - Cæſaris acta adulterauit, nemine qui ea recognoſceret, aduocato.
      - obiit Italiā menſe April. & Maio.
        - cum Capuam nouam Coloniam deducere vellet, penè occiſus eſt.
        - Agrum Campanum & Leontinum alienauit à Rep.
        - Deduxit Coloniam Caſilinū
          - contra auſpicia.
          - cum Capuanorum iniuria.
        - inuaſit in fundum Caſinatem Varronis.
        - tam arroganter ſe geſſit vt neminem reſalutaret.
        - cùm interim Dolabellæ præclarè de Rep. mereretur.
      - rediit ſtipatus armatis, &
        - Cæſaris præclaras leges euertit.
        - teſtamētū irritū fecit ex honorib. Cæſari decretis
          - alios ſeruauit.
          - alios neglexit.
        - armatos in Senatu collocauit.

ARGVMENTVM.

Inuaſurus Conſulatum Antonij demonſtrat quemadmodum Cæſaris magis iuſſu & voluntate, quàm ſuffragio populi Romani fuerit eum honorem conſecutus, & Cæſari Dolabellam prodenti ſuam voluntatem adſcripſerit.

LXVI. SED nimis multa de nugis: ad maiora veniamus. Cæſari ex Hiſpania redeunti obuiam longiſſimè proceſſiſti, celeriter iſti, & rediſti, vt cognoſceret te, ſi minùs fortem, at tamen ſtrenuum: factus es ei rurſus neſcio quomodo familiaris. Habebat hoc omninò Cæſar: quem planè perditum ære alieno, egentémque, ſi eundem nequam hominem audacémque cognouerat, hunc in familiaritatem libentiſſimè recipiebat. His igitur rebus præclarè commendatus, iuſſus es renuntiari Conſul: & quidem cum ipſo: nihil queror de Dolabella, qui tum eſt impulſus, inductus, eluſus. Qua in re, qua fuerit vterque veſtrûm perfidia in Dolabellam, quis ignorat? Ille induxit, vt peteret: promiſſum & receptum interuertit, ad ſéque tranſtulit: tu eius perfidiæ voluntaté tuam adſcripſiſti.

EXPLANATIO.

SED.] Tranſitio à nequitia & leuitate Antonij, quas ille nugas appellat, ad Conſulatum & ſcelera quibus in eo magiſtratu vexauit Remp.

CÆSARI.] Cæſari poſt victos Cneium & Sextum Pompeij Magni liberos in Italiam ex Hiſpania redeunti complures obuiam ierunt gratulatum. Antonius autem, vt videtur, iterum Narbonem vſque proceſſit, qua in vrbe, vt ſuprà dictum eſt 23. cum C. Trebonio Cæſaris necandi conſilium cepit.

CELERITER.] Aduerte lepidam celeritatis rationem, vt nimirùm Antonius, quoniam bello per timiditatem defuerat, ſe ſaltem ſtrenuum & ſedulum oſtenderet, & hac ſtrenuitate oblitteraret ſuſceptam timiditatis infamiam.

FACTVS ES EI RVRSVS.] Eum Cæſar occurrentem tanti fecit, vt ſuo vehiculo exceperit, & cum eo viam totâ Italiâ confecerit, cùm eius currum Decimus Brutus Albinus, & Octauius adoleſcens, qui pòſt Auguſti nomen accepit, ſequeretur. Auctor Plutarchus, quod ad inuidiam Antonij deriuat Orator.

HIS IGITVR REBVS.] Ære alieno, egeſtate, audaciâ, nequitiâ.

IVSSVS ES REN.] Inuidioſè in Cæſarem, quòd non ſibi & amicis magiſtratus petebat à populo, ſed iubebat vt ij renuntiarentur quos volebat ad magiſtratus promoueri.

ET QVIDEM CVM IPSO.] Cæſare, qui quintum inibat Conſulatum.

NIHIL QVEROR.] Cæſar P. Cornelium Dolabellam hortatus fuerat vt peteret conſulatum, ſuámque in eo adipiſcendo operam ei promiſerat: mutatâ deinde ſententiâ promiſſum Dolabellæ conſulatum interuertit, ad ſéque tranſtulit, contra fidem Dolabellæ datam, & ita Dolabella impulſus eſt Cæſaris hortationibus, inductus promiſſis, eluſus contumeliâ repulſæ.

VTRIVSQVE.] Cæſaris & Antonij.

TV EIVS.] Tu Cæſari contra fidem datam Dolabellam prodenti aſſenſus es.

NOTÆ.

STRENVVM.] Strenuitas eſt celeritas in itinere faciendo. Plautus in Aulularia actu 1. ſcen. 4. I. Strenuitas.

Heus Strobile, ſequere properè me ad macellum ſtrenuè.

Trinummo actu 3. ſc. 7. *-ſtrenuè.*

Curre in piræum atque vnum curriculum face.

Milite Glorioſo, actu 4. ſc. 8.

-Ire melius eſt ſtrenuè.

Nonnunquam tamen ſtrenuus pro forti. Truculento actu 1. ſc. 7.

Non placet quem ſcurræ laudant, manipulares mußitant.

Neque illi quorum lingua gladiorum aciem præſtringuit domi.

Strenui nimio plus proſunt populo quàm arguti & cati.

Hirtius ad Ciceronem, quæ eſt epiſtola 6. lib. 15. ad Atticum. *Noli autem me tam ſtrenuum putare, vt ad nouas curram.*

IN FAMILIARIT.] Vide ſuprà 38. *Id enim vnum in terris egeſtatis, æris alieni, nequitiæ, perditis vitæ rationibus perfugium eſſe ducebas.* Cur autem nequiſſimum & egentiſſimum quémque in familiaritatem reciperet, non liquet, niſi fortè eâdem ratione, qua Dionyſius ſenior impulſus eſt, qui (vt ait Plutarchus in apophthegm.) αἰτιωμένων τινῶν ὅτι τιμᾷ καὶ προάγεται πονηρὸν ἄνθρωπον, καὶ δυσχεραινόμενον ὑπὸ τῶν πολιτῶν, ἀλλὰ καὶ βούλομαι, εἶπεν, εἶναι τὸν ἐμοῦ μᾶλλον μισούμενον. *Incuſantibus quibuſdam, quòd improbum hominem, quique ciuibus eſſet faſtidio honoraret, & promoueret, Atqui, inquit, volo eſſe qui maiori, quàm ego, apud ciues odio habeatur.* Aut imitatus eſt Philippum, qui Συνεβούλευε τῶν ἐν ταῖς πόλεσι δυνατῶν, καὶ τοὺς ἀγαθοὺς φίλους κτᾶσθαι, καὶ τοὺς πονηρούς. εἶτα οἷς μὲν χρῆσθαι, οἷς δ᾽ ἀποχρῆσθαι. *Suadebat vt eorum qui in ſingulis vrbibus plurimùm poſſent, tum bonorum, tum improborum amicitia quæreretur, ad vtendum aliis, aliis abutendum.* II. Cur tyranni homines nequam in familiaritatem recipiant.

INDVCTVS, ELVSVS.] Eiuſmodi ſynonymiam vſurpat initio Piſonianæ. *decepit, feſellit, induxit.*

IV. RENVNTIARI.] De magiſtratuum renuntiatione, vide Piſon. §. 3.

V. INTERVERTIT.] Interuertere eſt rem alteri promiſſam ad ſe transferre, & ita malis artibus impedire, ne ad eum perueniat cui fuerat deſtinata. Antiochus Candelabrum Ioui Capitolino deſtinarat, id Verres ad ſe tranſtulit: de eo Tullius ita queritur Verrina de ſuppliciis 68. *Si*
Interuertere. *intellexerint interuerſo regali hoc dono, grauiter vos tuliſſe, grata fore vobis populóque Romano ſua ſtudia ac dona arbitrabuntur.* Pro domo ſua 112. *Is poſteaquam intellexit, poſſe ſe interuerſa ædilitate, à Luc. Piſone Conſule Prætorem renuntiari, ſi modò eadem primâ litterâ competitorem habuiſſet aliquem, ædilitatem duobus in locis, partim in arca, partim in hortis ſuis collocauit.* vbi *interuerſa ædilitate*, eſt iis quæ ad ornamentum ædilitatis ſuæ ludorúmque magno ſtudio quæſiuerat ad priuatum emolumentum tranſlatis. Plautus Aſinaria actu 2. ſcen. 2. cùm duxiſſet Leonidas ſeruus de quodam mercatore.

Ait ſe ob aſinos ferre argentum atrienſi Saureæ.

Libanum alterum ſeruum ita loquentem inducit. *-iſtuc ago*

Quomodo argentum interuortam, & aduentorem, & hauream.

ARGVMENTVM.

De geſto conſulatu plura dicturus initium ſumit ab ipſis Calendis Ianuariis, & Antonij altercationem cum Dolabella, eiuſdémque impudentiam inſcitiâ implicatam oſtendit.

VENIVNT Kal. Ian. cogimur in Senatum: inuectus eſt copioſiùs LXVII.
multò in iſtum & paratiùs Dolabella, quàm nunc ego. Hic autem iratus, quæ dixit, Dij boni, cùm primùm Cæſar oſtendiſſet, ſe priùs quàm proficiſceretur, Dolabellam Conſulem eſſe iuſſurum: quem negant regem: qui & faceret ſemper eiuſmodi aliquid, & diceret. Sed cùm Cæſar ita dixiſſet, tum hic bonus augur eo ſe ſacerdotio præditum eſſe dixit, vt comitia auſpiciis vel impedire, vel vitiare poſſet: ídque ſe facturum eſſe aſſeuerauit. In quo primùm incredibilem ſtupiditatem hominis cognoſcite. Quid enim? iſtud quod te ſacerdotij iure facere poſſe dixiſti, ſi augur non eſſes, & Conſul eſſes, minùs facere potuiſſes? Videne etiam faciliùs: nos enim nuntiationem ſolùm habemus: Conſules & reliqui magiſtratus etiam inſpectionem. Eſto hoc imperitè (nec enim eſt ab homine nunquam ſobrio, poſtulanda prudentia) ſed videte impudentiam: multis antè menſibus in Senatu dixit, ſe Dolabellæ comitia aut prohibiturum auſpiciis, aut id facturum eſſe quod fecit: quiſquámne diuinare poſſet, quid vitij in auſpiciis futurum ſit, niſi qui de cœlo ſeruare conſtituit? quod neque licet comitiis per leges, & ſi quis ſeruauit, non comitiis habitis, ſed priuſquam habeantur, debet nuntiare: verùm implicata inſcitia impudentia eſt, nec ſcit quod augurem, nec facit quod pudentem decet.

EXPLANATIO.

VENIVNT.] Calendis Ianuariis inibant Conſulatum, & ominis cauſa Senatum conuocabant: non ait autem *vocamur in Senatum*, ſed *cogimur* ad maiorem inuidiam Cæſari conflandam.

INVECTVS EST.] Dolabella cùm videret interuerſum eſſe conſulatum ad Cæſarémque tranſlatum, iniquo ferens animo contumeliam, nec auſus tamen palàm de Cæſare conqueri, orationis aculeum in Antonium conuertit, eíque perfidiam exprobrauit, vt per eius latus Cæſar peteretur. Antonius autem repentè excanduit, & tot probra in Dolabellam euomuit, vt indignarentur Patres Conſcripti, ipſe Cæſar pudore ſuffuſus ob impudentiam collegæ, vt altercationem illam ſedaret, & Dolabellæ faceret ſatis, promiſit ſe, priùs quàm ad bellum Parthicum proficiſceretur, Dolabellam ſuo loco ſuffecturum in Conſulatu.

ESSE IVSSVRVM.] Ex verbo inuidiam quærit, quòd Cæſar in mandandis magiſtratibus, non expectato populi ſuffragio, ſummam poteſtatem ſibi vindicaret.

TVM HIC BONVS AVGVR.] Antonius (quem εἰρωνικῶς bonum augurem appellat, ob eius impudentiam inſcitia implicatam) ſe augurem eſſe dixit, ac proinde poſſe comitia vel impedire antequã fiant, vel vitiare cùm facta fuerint.

IN QVO PRIMVM.] Imperitiam & ſtupiditatem Antonij declarat hoc ſyllogiſmo.

Imperiti eſt & ſtupidi dicere te id iure ſacerdotij facere poſſe, quod iure magiſtratus faciliùs potuiſti.

Sed iure ſacerdotij te facere poſſe dixiſti, quod faciliùs facere poteras iure conſulatûs.

Ergo ſtupidus es & imperitus.

Maior propoſitio, vt nota, ſubiicetur. aſſumptio partes habet duas: alteram, quòd id dixerit, & exprimitur illis verbis. *Tum hic bonus*, &c. *perſeuerauit.* Alteram, quòd faciliùs comitia vel impedire ne fierent, vel iam facta vitiare potuerit, iure Conſulatûs, & habetur illis verbis: *Quid enim*, &c. *facere potuiſſes.* Quæ pars poſterior ita probatur.

Qui ſimul inſpectionem habent, & nuntiationem comitia faciliùs impedire vel vitiare poſſunt, quàm qui duntaxat nuntiationem habent.

Sed Conſules & reliqui magiſtratus ſimul ſpectionem habent & nuntiationem, augures nuntiationem duntaxat.

Ergo Conſules reliquique magiſtratus comitia faciliùs impedire vel vitiare poſſunt quàm augures.

Propoſitio rurſum tacetur: aſſumptio *nos enim*, &c. *ſpectionem.* complexio, *vide ne etiam faciliùs.* Monet autem Grutterus in Palatinis, Gemblacenſi, Lilienſi, Mauriciano legi *inſpectionem*, non *ſpectionem*, vt receperunt Manutius, Lambinus, Ferrarius.

Nuntiationem.] Manutius hoc loco. *Nuntiant augures & impediunt, ſi vel tonantem Iouem audierint, vel fulgentem viderint: ſpectionem autem non habent: id eſt de cœlo non ſeruant: ea enim ſpectio eſt: at magiſtratus, & nuntiationem habent, vt augures, & ſpectionem, qua augures carent.* Sed vide Notas.

Sed videte.] Aliud argumentum quod hoc ſyllogiſmo poſſit explicari:

Impudentis eſt dicere te auſpiciis impediturum vel vitiaturum eſſe comitia, cùm quid vitij futurum eſſet in auſpiciis diuinare non poſſet.

Sed id dixiſti. Ergo fuiſti impudens.

Id factvrvm esse qvod fecit.] Vitiaturum eſſe comitia. infrà 83. *Confecto negotio, bonus augur (Lælium diceres) alio die, inquit.* Quod autem ait mvltis ante mensibvs, id elatoriè dictum. Cùm enim Cæſar comitiis Dolabellæ præfuerit, neceſſe eſt ea comitia ante Idus Martias habita fuiſſe, duobus videlicet menſibus poſt Calendas Ianuarias.

Qvisqvamne.] Hîc nec Ciceronem, nec meipſum extrico. Neque enim qui ſeruare de cœlo conſtituit, magis diuinare poteſt, quid in auſpiciis vitij futurum ſit, quàm is qui non conſtituit ſeruare de cœlo. Quare facilè crediderim neſcio quid deeſſe, & ita verbi cauſa, legendum. *Quiſquámne diuinare poteſt quid vitij in auſpiciis futurum ſit? vel omninò dicere ſe comitia prohibiturum, aut vitiaturum, niſi qui de cœlo ſeruare conſtituit?* Ad captanda videlicet auſpicia, & obnuntiandum ſi quid fortè decurrerit, quod comitia prohibere poſſe videatur.

Qvod neqve.] Lex Clodia prohibebat iis diebus ſeruare de cœlo, quibus diebus habebantur comitia. Quia tamen Orator hanc legem ab inimico quondam ſuo latam vbique reprehendit, aliam adhibet rationem. Eſto, inquit, fateamur, lege Clodia populum non teneri, ſed ſeruari poſſe de cœlo iis diebus quibus indicta erant comitia, vt ante legem Clodiam licebat: tamen impudentiæ te alligaſti, quòd qui ſeruauit de cœlo, ante comitia debet nuntiare, tu autem confecto iam negotio, abſolutiſque comitiis, obnuntiauiſti, & alio die dixiſti.

NOTÆ.

Veniunt Cal. Ianvariæ.] Calendis Ianuariis inibant Conſulatum, quãuis in eo nonnihil variatum. vide Piſonianam §. 4. N. 2. imò cæteros magiſtratus excepto Tribunatu plebis, qui inibatur IV. Idus Decembris. pro Sextio § 72. N. 1. Eo die Conſules, boni, opinor, ominis cauſa Senatum conuocabant. Suprà 39. Vide Philippic. 5. & 6. pro Sextio 72. cùm dixiſſet, *Veniunt Calendæ Ianuarij.* narrat quid eo die actum fuerit in Senatu. & §. 129. de eodem S. C. loquens illud aſſerit *in templo Iouis optimi maximi factum.* De more, nam auſpicaturi magiſtratum, & ab ipſo Ioue ducturi primordia ſe in Capitolium conferebant, & ibi maioribus hoſtiis immolatis Senatum habebãt, & quaſi rerum à ſe gerendarum primitias libabant. Ouidius I. Faſtorum de Calendis Ianuariis. I.

Veſtibus intacti Tarpeias itur in arces,
Et populus feſto concolor ipſe ſuo eſt.
Iámq; noui præeunt faſces, noua purpura fulget,
Et noua conſpicuum pondera ſentit ebur.
Colla rudes operũ præbent feriendo iuuenci, &c.

Calendis Ianuarij Senatus habitus.

Lib. 4. de Ponto eleg. 1. ad Græcinum Conſulem deſignatum.

Miſsaque Dij faciant auroram occurrat ad illã
Biſſenos faſceis, quæ tibi prima dabit.
Et quoniam ſine me tanges Capitolia Conſul, &c.

Hoſtias Conſules in Capitolio immolabant.

Paulò pòſt:

At cùm Tarpeias eſſes deductus in arces,
Dum caderet iuſſu victima ſacra tuo.

Eodem etiam die ius dicebant, vectigalia locabant, verba in Senatu faciebant, quantum ex eadem elegia colligi poteſt. Seruos etiam manumittebant, vt docet Claudianus quarto Honorij conſulatu, cuius verba pro Milone 58. pluſcula referuntur. omnia denique vt dixi quæ toto anno acturi erant, delibabant. I. Faſtorum.

Ius dicebant, & auſpicij cauſſa ſingula delibabant, quæ toto anno erant facturi.

Poſteà mirabar cur non ſine litibus eſſet
Prima dies: cauſſam percipe, Ianus ait.
Tempora commiſi naſcentia rebus agendis,
Totus ab auſpicio ne foret annus iners.
Quiſque ſuas arteis ob idem delibat agendo,
Nec plus quàm ſolitum eſt, teſtificatur opus.

Columella lib. 11. cap. 2. *Per hos quoque dies abſtinent terrenis operibus religioſiores agricolæ: ità tamen vt ipſis Cal. Ianuariis, auſpicandi cauſſâ, omne genus operis inſtaurent.* Quod autem obiicit Orator Antonium multa effutiuiſſe iratum, non abs re eſt, ſiquidem à iurgiis, eo die, vt cùm maximè, ſibi temperabant.

Lite vacent aures, inſanáque protinùs abſint
Iurgia, differ opus liuida lingua tuum.

A iurgiis abſtinebant.

Imò aliquantò pòſt:

At cur læta tuis dicuntur verba Calendis?
Et damus alternas, accipimúſque preces?

Neque verò tantùm verba dulcia, ſed etiam cibos dulces, boni ominis cauſſa ſibi miſſitabant.

Quid vult palma ſibi, rugoſáque carica? dixi,
Et data ſub niueo condita mella cado?
Omen, ait, cauſſa eſt, vt te ſapor ille ſequatur,
Et peragat cœptum dulcis vt annus iter.

Martialis lib. 8. ep. 33.

Hoc linitur ſputo Iani caryota Calendis
Quam fert cum paruo ſordidus aſſe cliens.

Caricis veſcebantur.

& lib. 13. ep. 27.

Aurea porrigitur Iani caryota Calendis.
Vide Senecam epiſtola 87. *Nuſquam ſine caricis, &c. quotidie mihi annum nouum faciunt.* Stipem etiam in manus Iani conferebant. ibidem.

Sipem Iano offerebant.

Tu tamen auſpicium cur ſit ſtipis vtile quæris,
Curve iuuent noſtras æra vetuſta manus.
Æra dabant olim: melius nunc omen in auro eſt,
Victáque conceſſit priſca moneta nouæ.

Quem ſtipis capiendæ morem à Iano ad ſe traduxit Caligula. Tranquillus cap. 42. *Edixit & ſtrenas ineunte anno ſe recepturum: ſtetitque in veſtibulo ædium ineunte anno Calendis Ianuariis ad captandas ſtipes, quas plenis ante eum manibus ac ſinu omnis generis turba fundebat.*

II. PROFICISCERETVR.] Cogitabat, vt ſcribit Tranquillus in eius vita cap. 44. *Dacos qui ſe in Pontum & Thraciam effuderant coërcere, mox Parthis inferre bellum per Armeniam minorem, &c.* Imò, vt ſcribit Plutarchus, Παρασκευὴ καὶ γνώμη στρατεύειν μὲν ἐπὶ Πάρθους. καταστρεψαμένῳ δὲ τούτους, καὶ δι' Ὑρκανίας παρὰ τὴν Κασπίαν θάλασσαν, καὶ τὸν Καύκασον ἐκπεριελθόντι τὸν Πόντον εἰς τὴν Σκυθικὴν ἐμβαλεῖν, καὶ τὰ περίχωρα Γερμανοῖς, καὶ Γερμανίαν αὐτὴν ἐπιδραμόντι διὰ Κελτῶν ἐπανελθεῖν εἰς Ἰταλίαν, καὶ συνάψαι τὸν κύκλον τοῦτον τῆς ἡγεμονίας τῷ πανταχόθεν ὠκεανῷ περιορισθείσης. *Parabat & inſtituebat Parthos bello petere. his ſubiugatis per Hircaniam ſecundum mare Caſpium & Caucaſum circuire Pontum, & ita Scythiam inuadere, incurſatiſque quæ Germaniæ circumiecta ſunt, ac Germania ipſa, per Galliam regredi in Italiam, atque hunc orbem committere, imperiúmque vndique Oceano terminare.*

Bellum Parthicum Cæſar animo deſtinarat.

III. CONSVLEM ESSE IVSSVRVM.] Videtur Cæſar nihil omninò iuris populo reliquiſſe in mandando conſulatu. Nam, vt auctor eſt Tranquillus cap. 76. *Binos Conſules ſubſtituit ſibi in ternos nouiſſimos menſes: ita vt medio tempore comitia nulla habuerit præter Tribunorum & Ædilium plebis.* Quo pacto nullis habitis comitiis Dolabellam ſibi ſubſtituere decreuerat. & cap. 41. *Comitia cum populo partitus eſt, vt exceptis conſulatûs competitoribus, de cætero numero candidatorum pro parte dimidia, quos populus vellet, pronuntiarentur: pro parte altera, quos ipſe dediſſet.*

IV. Spectio.

SPECTIONEM.] Feſtus: *Spectio in auguralibus ponitur pro adſpectione.* Spectio & *nuntiatio* data erat iis magiſtratibus qui *omne ius* auſpiciorum *habent. auguribus ſpectio duntaxat, quorum conſilio rem gererent magiſtratus, non vt poſſent impedire nuntiando* quæcumque *vidiſſent*, at iis *ſpectio, ſine nuntiatione data eſt.* Ita profligatiſſimum locum, & multis vulneribus confectum, Scaliger emendat in emendandis grammaticis, quàm in temporum emendatione felicior! Nos verba quæ vel ſuppleuit, vel mutauit Scaliger Romano charactere, verba Feſti Italico exhibemus. addit Scaliger: *Hoc videndum eſt in his verbis. Nuntiationem duplicem eſſe: nuntiationem augurij, quam habebat ſolùm cui ſpectio erat, hoc eſt augur, & nuntiationem auocandæ concionis, quam ſolus habebat, qui omne ius auſpiciorum habet, hoc eſt maior magiſtratus, quæ vocabatur obnuntiatio. Cùm Philippica ſecunda dicitur augures habere nuntiationem, eſt ius tantùm nuntiandi magiſtratui de eo quod viderit. Conſules habere ſpectionem, quam & augures habeant, & obnuntiationem quam*

Nuntiatio.

augures non habebant. Cæterùm vt animi mei ſenſum expromam, libenter in Cicerone ordinem verborum inuerterem. *Nos enim* Augures *ſpectionem ſolùm habemus, Conſules & reliqui magiſtratus etiam nuntiationem*, vel potiùs *obnuntiationem.* Senſus eſt. Nos enim qui ſumus augures, obſeruare tantùm auſpicia poſſumus, non autem obnuntiare magiſtratibus, & quaſi iure noſtro eos impedire, & concionem ab iis auocare. Etſi putat Scaliger auguribus nonnunquam obnuntiationem tribui, vt 1. de Diuinatione. *M. Craſſo quid acciderit videmus dirarũ obnuntiatione neglecta, &c. Si enim ea cauſa calamitatis fuit, non in eo eſt culpa qui obnuntiauit, ſed in eo qui non paruit. Veram enim fuiſſe obnuntiationem, vt ait idem Augur & Cenſor, exitus approbauit.* Verùm fruſtrà eſt Scaliger, hæc enim dirarum obnuntiatio, non fuit mera nuntiatio augurij, ſed obnuntiatio, ſiue deuotio & execratio facta ab Atteio Tribuno plebis, vt conſtat è Plutarcho & Dione. Legendum autem *ſpectionem*, non *inſpectionem* liquet è Varrone lib. 5. de Lingua. *Spectare dictum ab ſpecio antiquo: quo etiam Ennius vſus, Vos epulo poſtquam ſpexit.*
Et quod in auſpiciis diſtributum eſt, qui habeant ſpectionem, qui non habeant, & quod in auguriis Augures dicunt auem ſpecere. Verùm ne quid diſſimulem, nihil mutare neceſſe eſt in ordine verborum Ciceronis. Nam, vt optimè Nicolaus Grucchius vir eruditus exponit libro primo de Comitiis Rom. *Dicit Augures nuntiationem auſpiciorum tantùm habuiſſe, magiſtratus verò & ſpectionem & nuntiationem. Vnde intelligi poteſt penes magiſtratus fuiſſe auſpicia, ita vt ne Auguribus quidem fas eſſet conſulere auſpicia, niſi à magiſtratibus iuſſi eſſent.* His autem verbis auſpicari iubebantur. *Quinte Fabi te mihi in auſpicio eſſe volo:* vt vidimus pro Milone §. 44. Notâ 3. vbi & de toto genere auſpiciorum non pauca.

NVNQVAM SOBRIO.] De voce ſobrij vide Piſonianam 22. Nota prima. Non eſſe ab homine nunquam ſobrio poſtulandam prudentiam diximus in Cœliana 45. V.

VI. Vitium in auſpiciis.

VITII IN AVSPICIIS.] Vitium in auſpiciis dicitur, cùm quid occurrit quod turbet, ſiue vitiet comitia. Idem enim eſſe turbare & vitiare conſtat è verbis Valerij Meſſalæ apud Gellium lib. 15. Noct. Attic. cap. 13. *Neque Conſules aut Prætores Cenſoribus, neque Cenſores Conſulibus aut Prætoribus turbant aut retinent auſpicia. at Cenſores inter ſe, rurſus Prætores Conſuléſque inter ſe & vitiant, & retinent.*

VII. De cœlo ſeruare.

DE COELO SERVARE.] Auſpicia alia de cœlo, alia è terra, alia ex animantibus petebantur: de cœlo ſeruare eſt captare auguria de cœlo, & fulmina, fulgura, tonitrua, cometas, faces ardentes cætera eiuſmodi obſeruare. Lucanus:
Nec cœlo ſeruare licet, tonat augure ſurdo.

QVOD NEQVE LICET COMITIIS PER LEGES.] Gellius lib. 13. Noct. Attic. cap. 13. *In edicto Conſulum quo edicunt, quis dies comitiis centuriatis futurus ſit, ſcribitur ex vetere forma perpetua*, NE QVIS MAGISTRATVS MINOR DE COELO SERVASSE VELIT. Sed ea formula tantùm magiſtratus minores, non autem collegas qui eadem auſpicia habebant, de cœlo ſeruare prohibebat. Cæſaris autem collega fuit Antonius, nec proinde eâ formula comprehẽſus: VIII.

Non licebat comitiis ſeruare de cœlo.

at per legem Clodiam ſeruare omninò cuiquam non licebat. Dio lib. 38. Ἐσήνεγκε μηδένα τῶν ἀρχόντων ἐν ταῖς ἡμέραις ἐν αἷς ψηφίζεσθαί τι τὸν δῆμον ἀναγκαῖον εἴη, τὰ ἐκ τοῦ οὐρανοῦ γινόμενα παρατηρεῖν. *Legem tulit vt nemo magiſtratuum iis diebus quibus ad populum aliquid decernere oporteret, de cœlo ſeruaret.* Eadem etiam clauſula nonnunquam adita Senatuſconſultis. pro Sextio 129. *Decretum in Curia, populi ipſius Romani, & eorum qui ex municipiis conuenerant admonitu, ne quis de cœlo ſeruaret, ne quis moram vllam afferret.*

AXIOMATA.

Ab homine nunquam ſobrio non eſt poſtulanda prudentia.

Frequenter implicata inſcitiâ impudentia eſt.

ARGVMENTVM.

Antonij Conſulis abiectionem animi, & obſequium erga Cæſarem collegam ſuum, deinde inſcitiam eiuſdem in obnuntiando comitiis Dolabellæ verbis inuadit.

LXVIII. ATQVE ex illo die recordamini eius vſque ad Idus Martias conſulatum. Quis vnquam apparitor tam humilis? tam abiectus? nihil ipſe poterat, omnia petebat, caput in auerſam lecticam inſerens, beneficia, quæ venderet, à collega petebat. Ecce Dolabellæ, comitiorum dies, ſortitio prærogatiuæ: quieſcit: renuntiatur: tacet: prima claſſis vocatur: renuntiatur: deinde ita vt aſſolet, ſuffragia; tum ſecunda claſſis vocatur, quæ omnia ſunt citiùs facta, quàm dixi. Confecto negotio, bonus augur, C. Lælium diceres, *Alio die*, inquit.

EXPLANATIO.

ATQVE EX ILLO.] Reuocate in memoriam, P. C. quàm humiliter & abiectè, à Calendis Ianuariis quibus magiſtratum iniit, vſque ad Idus Martias quibus Cæſar occiſus eſt, geſſerit conſulatum, vt nullo modo Conſulis dignitatem animi magnitudine tueretur, ſed inſtar apparitoris cuiuſdam aut lixæ Cæſarem ſequeretur, ſéque totum ad eius voluntatem effingeret.

NIHIL IPSE POTERAT.] Ita Cæſar omnem Conſulatûs poteſtatem ad ſe tranſtulerat, vt Antonius nomen tantùm & vmbram Conſulis ſuſtineret, nihil per ſeipſum haberet poteſtatis, tantúmque poſſet, quantum Cæſar ipſi permitteret.

IN ADVERSAM LECTICAM.] Qua Cæſar geſtabatur.

ECCE DOLABELLÆ.] Cæſar promiſerat ſe priùs quàm ad bellum Parthicum proficiſceretur, effecturum, vt ſuo ipſius loco Conſul fieret Dolabella. Cùm itaque comitiorum dies appetiſſet, populum ad ea comitia conuocauit, & ex omnibus centuriis, in quas populus vniuerſus deſcribebatur, ſortitus eſt vnam centuriam, vt ea omnium prima rogaretur ſuffragium, cuius nomen è ſitella primum ſortitione eductum exiiſſet. Quieuit Antonius, nec ſe interpoſuit, quo minùs fieret illa ſortitio. Rogatis, exceptis, diribitiſque centuriæ prærogatiuæ ſuffragiis, Dolabella renuntiatur adeptus prærogatiuæ ſuffragium. Tacuit interim Antonius, & ne verbo quidem ſignificauit huiuſmodi comitia eſſe vitioſa. Poſt prærogatiuam, prima claſſis vocatur intra ſepta, vt ferat ſuffragium, & vt fieri ſolet rogantur ſuffragia. Huius quoque claſſis voluntate renuntiatur Conſul Dolabella: quod maior pars illarum nonaginta & octo centuriarum, quæ prima claſſe continentur, ei fuerit ſuffragata. Sed cùm refragarentur aliquot centuriæ, nec ſolius primæ claſſis ſuffragiis legitimus punctorum numerus expleri potuiſſet, ſecunda claſſis vocata eſt ad ferendum ſuffragium. Ad cuius rei intelligentiam notandum eſt populum omnem in quinque claſſes, & capite cenſos fuiſſe diſtributum, ſingulas claſſes quibuſdam centuriis fuiſſe deſcriptas, vt centum nonaginta treis eſſent centuriæ, & prima claſſis plures quàm cæteræ omnes ſola contineret centurias. (Erant enim in prima claſſe 98. in ſecunda 22. in tertia 22. in quarta 20. in quinta 30. Reliqui omnes qui non claſſibus, ſed capite cenſebantur, in vnicam erant redacti centuriam.) Quare ſi prima claſſis conſpiraſſet, omniúmque centuriarum ſuarum calculo Dolabellam Conſulem feciſſet, neceſſe non fuiſſet ad ſecundam claſſem procedere. Vide Dionyſium lib. 4.

RENVNTIATVR: DEINDE.] Placet emendatio Nicolai Grucchij. *Prima claſſis vocatur: deinde, vt aſſolet ſuffragia: renuntiatur.* Priùs enim eſt ſuffragia ferri, quàm Conſulem renuntiari. Lambinus, *Deinde, vt aſſolet, ſuffragatum ſecunda claſſis vocatur.* Non incommodè Pantagathus apud Fuluium Vrſinum. *Sortitio prærogatiuæ: quieſcit. Renuntiatur: tacet. Prima claſſis vocatur: deinde ſuffragia. Renuntiatur: item ſilet. Tum ſecunda claſſis vocatur.*

CONFECTO NEGOTIO.] Abſolutis comitiis, & Dolabella Conſule renuntiato.

BONVS AVGVR.] Ironia.

LÆLIVM DICERES.] Caium illum Lælium, qui Sapiens eſt cognominatus, & peritiâ auguriorum præ cæteris excelluit.

ALIO DIE, INQVIT.] Dixit ea comitia eſſe vitioſa, & ea propter in ALIVM DIEM differenda.

NOTÆ

NOTÆ.

I. APPARITOR.] Apparitores ait Budæus annotationibus reliquis in Pandectas eſſe miniſtros apparituram magiſtratibus factitantes multiplici ac diſtinctâ functione: οἱ παρεστάμενοι τοῖς ἐπ' ἀξιώμασι. hoc eſt qui præſto ſunt magiſtratibus ad imperia accipienda & exequenda. Idem in Forenſibus. *Eſt enim apparere officij exhibendi gratia præſto eſſe.* Valerius libro 2. de Fabio Maximo loquens, *Indignatus quòd ex lictoribus nemo ſe equo deſcendere iuſſiſſet, plenus iræ ſedere perſeuerauit. Quod cùm filius ſenſiſſet, proximo lictori, vt ſibi appareret, imperauit.* Id eſt officio ſuo fungeretur, & patrem iuberet ex equo deſilire. Lucianus de Mercurio: Δεῖ γὰρ παρεστάναι τῷ Διΐ, καὶ διαφέρειν τὰς ἀγγελίας τὰς παρ' αὐτοῦ ἄνω καὶ κάτω. *Oportet enim apparere Ioui, & eius nuntia ferre infra ſupráque.* Sed vt notat Simon Schardius, id iam antè Seruius aduerterat in 12. Æneidos.

Hæ Iouis ad ſolium, ſæuique in limine Regis
Apparent, acuuntque metum mortalibus ægris,

Hinc apparitores frequenter apud Ciceronem, vt frumentariâ. *Mittit ad hominem Venerios, hoc quoque attendite, apparitores à Prætore aſſignatos habuiſſe decumanum.* quos paulò pòſt ſtipatores appellat. *Apronius ſtipatores Venerios ſecum habebat.* Epiſtola prima ad Quintum Fratrem. *Quos verò ex domeſticis conuictoribus, aut ex neceſſariis apparitoribus tecum eſſe voluiſti, qui quaſi ex cohorte Prætoris appellari ſolent, horum non modò facta, ſed etiam dicta omnia præſtanda nobis ſunt.* Item libro 3. de legibus exeunte. *Legum cuſtodiam nullam habemus. Itaque hæ leges ſunt, quas apparitores noſtri volunt: à librariis petimus: publicis litteris conſignatam memoriam nullam habemus.* Tranquillus in Tiberio 11. *Regreſſus domum repentè cum apparitoribus prodiit: citatúmque pro tribunali voce præconis, conuitiatorem rapi iuſſit in carcerem.* Multa porrò fuerunt apparitorum genera, vt lictores, de quibus dictum ex Valerio Maximo. 2. Brutiani, de quibus Aulus Gellius libro 10. Noct. Atticarum cap. 3. Romani *Brutios*, quòd ad Annibalem defecerant, *ignominiæ causâ non milites ſcribebant, nec pro ſociis habebant: ſed magiſtratibus in prouincias euntibus parere*, lego *apparere*, *& præminiſtrare ſeruorum vicem iuſſerunt. Itaque ij ſequebantur magiſtratus, tanquam in ſcenicis fabulis qui dicebantur lorarij, & quos erant iuſſi, vinciebant, aut verberabant. Quod autem ex Brutiis erant, appellati ſunt Brutiani.* 3. Accenſi, de quibus Tranquillus in Iulio cap. 20. *Antiquum etiam retulit morem, vt quo menſe faſces non haberet, accenſus ante eum iret, lictores pone ſequerentur.* Nonius verba M. Varronis refert ex 20. Rhetoricorum. *Vt Conſules ac Prætores qui ſequuntur in caſtra, accenſi dicti, quòd ad neceſſarias res ſæpius acciantur, veluti accerſiti.* & alibi frequenter. vt ad Quintum fratrem epiſt. 1. *Accenſus ſit eo etiam numero, quo eum maiores noſtri eſſe voluerunt, qui hoc non in beneficij loco, ſed in laboris ac muneris non temerè, niſi libertis ſuis deferebant: quibus illi quidem non multò ſecus ac ſeruis imperabant. Sit lictor non ſuæ, ſed tuæ voluntatis apparitor, maioráque præferant faſces illi ac ſecures dignitatis inſignia quàm poteſtatis.* Item: *Cn. Octauius iucundiſſimus fuit: apud quem primùm lictor quieuit, tacuit accenſus: quoties quiſque voluit dixit, & quàm voluit diu.* 4. Scribæ, pro Cluentio. 147. *Quid ſibi autem illi ſcribæ? quid lictores? quid cæteri quos apparere huic quæſtioni video?* Feſtus: *Naualis ſcriba, qui in naue apparebat*, &c. & verè apparere dicuntur: erant enim quæſtorum miniſtri. Plutarchus in Catone Vticenſi: ὑπηρέταις (ὅπερ ἦσαν) ἠξίου χρῆσθαι τοῖς γραμματεῦσι. *Scribis tanquam miniſtris, vt reuera erant, vtendum ſibi putabat.* Varro libro 3. de re ruſtica cap. 1. *Scriba librarius libertus eius qui apparuit Varroni.* 5. Eadem videtur eſſe librariorum ratio, quos Orator tertio de legibus *apparitores* appellat, aitque habuiſſe legum cuſtodiam: neque diuerſi videntur à ſcribis fuiſſe, de quibus Plutarchus loco citato: οἱ διὰ χειρὸς ἀεὶ τὰ δημόσια γράμματα καὶ τοὺς νόμους ἔχοντες. *Semper in manibus habentes litteras publicas & leges.* 6. Præcones, qui etiam magiſtratibus apparebant. Varro 5. de Lingua, *In aliquot rebus idem vt præco, accenſus acciebat*, &c. 7. Viatores apparitores dici potuerunt, Plinius libro 18. cap. 3. *Aranti quatuor ſua iugera in Vaticano, quæ prata Quintia appellantur, Cincinnato Viator attulit dictaturam, & quidem, vt traditur, nudo, plenóque pulueris etiamnum ore. Cui Viator, vela corpus, inquit, vt proferam Senatus populique Romani mandata. Tales tum etiam viatores erant, quod ipſum nomen inditum eſt ſubinde, & ex agris Senatum ducéſque accerſentibus.*

LECTICAM.] Vide quæ diximus ad Sextianam § 17. Notâ 5. de lectica conſulari. Adde ex Lipſio lib. priore electorum cap. 19. vſum lecticæ primum in agris fuiſſe, non in vrbe: tamen viciſſe delitias, & ſub tempora Iulij Cæſaris receptam quoque in vrbem fuiſſe lecticam: ſcilicet corruptis moribus, & per bella ciuilia impunito luxu. vt vel ex hoc ipſo loco patet, & infrà. *Agmine quadrato cum gladiis ſequuntur ſcutati milites: lecticas portari videmus.* Philipp. 5. § . 18. *Cum autem erat ventum ad ædem Concordiæ, gradus complebantur, lecticæ collocabantur, non quod ille ſcuta occulta eſſe vellet, ſed ne familiares, ſi ſcuta ipſi ferrent, laborarent.* Vulgatæque iam lecticæ in fœminas, in viros, in omnes ordines: donec animum iterũ Reip. aduertens Cæſar, in parte reſtituit morem pedibus eundi antiquũ. Suetonius hoc voluit in Iulio c. 43. *Lecticarum vſum, item conchyliatæ veſtis & margaritarũ, niſi certis perſonis & ætatibus, pérque certos dies ademit.* Et, qui Suetonio dat lucem, Euſebius in chronicis: *Prohibitæ*, ait, *lecticis vti margaritíſque, quæ nec viros nec liberos haberent, & minores eſſent annis quadraginta.* Hæc etſi apud Lipſium totidem penè verbis videri poſſunt, nec debui lectoribus inuidere, nec potui meliora conquirere. II.

SORTITIO.] Liuius lib. 27. *Galeria iuniorum, quæ ſorte prærogatiua erat, Quintum Fuluium & Q. Fabium Conſules dixerat, eodémque iure vocatæ reliquæ inclinaſſent, ni Tribuni plebis C. & L. Ariani ſe interpoſuiſſent.* Et lib. 24. *Eodem die cùm ſors prærogatiuæ antè iuniorum exiſſet, eáque T. Otacilium & M. Æmilium Regillum Conſules diceret*, &c. *Prærogatiua iuniorum in ſuffragium reuocata*, &c. Ex quibus colligit Nicolaus Gruchius lib. 1. de Comitiis Rom. eo genere ſortis in hac re vſos fuiſſe Romanos, vt in ciſtam quandã ſortes coniicerent; cuius autẽ centuriæ ſors prima exiiſſet, ea prærogatiua erat. Quòd ſi prærogatiua ius erat III.

vna centuria ex quadam tribu deſumpta, neceſſe eſt vt prima ſortitio fieret inter tribus, deinde altera inter centurias eiuſdem tribus, ac tribus quidem quæ prima exiiſſet, ea erat vnde deſumenda eſſet centuria prærogatiua: ſed quoniam multæ erant in vna tribu centuriæ, neceſſe erat vt rurſus inter centurias ſortitio fieret.

IV. PRÆROGATIVÆ.] Vide Piſonianam II. Nota 3. *Cui primam comitiis tuis dederas tabulam prærogatiuæ.*

V. RENVNTIATVR.] De duplici magiſtratuum renuntiatione, vide eandem Piſonianam §. 3. N. 1. *Conſul es renuntiatus.*

VI. PRIMA CLASSIS VOCATVR.] Poſt prærogatiuam tribus & centuriæ iure ſecundum ius & ordinem à Seruio Tullio inſtitutum vocatæ ferebant ſuffragium, vt fuſè diximus in Piſonem §. II. Nota 3. Diicebantur autem & intro vocari. Liuius lib. 10. *Populus nihilominùs ſuffragia inibat, & vt quæque introuocata erat centuria, Conſulem haud dubiè Fabium dicebat.* Et paulò pòſt: *Cùm primò vocatæ Q. Fabium Conſulem dicerent omnes centuriæ.* & alibi paſſim. Vocabantur autem, qui ius habebant ferendi ſuffragiis intra ſepta, videlicet in locum quendam cancellis circumdatum. Ouidius I. Faſtorum diem comitialem ita deſcribit:

Eſt quoque quo populum fas eſt includere ſeptis.

Lucanus:

Septorúmque nefas & clauſi prælia campi.

Ad ea ſepta tranſibant per pontes quoſdam anguſtos, & in tranſitu ſua ſuffragia tabellis inſcripta in ciſtam, ſiue ſitulam iaciebant, Noſter 3. de legibus. *Ne quis inſpiciat tabellam, ne roget, ne appellet, pontes etiam lex Maria fecit anguſtos, quæ ſi oppoſita ſunt ambitioſis vt ſunt ferè, non reprehendo.* Cornificius I. ad Herennium de Cæpiono impediente legem frumentariam Saturnini. *Pontes diſturbat, ciſtas deiicit, impedimento eſt quo ſeciùs lex feratur.* Tranquillus in Iulio, capite 80. percuſſores Cæſaris deliberaſſe ait: *Vtrúmne illum in campo per comitia tribus ad ſuffragia vocantem, partibus diuiſis è ponte deiicerent, atque exceptum trucidarent.* Lib. I. ad Atticum ep. 13. *Operæ Clodianæ pontes occuparant: tabellæ miniſtrabantur, ita vt nulla daretur.* VT ROGAS. Ad comitia centuriata, vt inquit Dio, πάντες οἱ τὰ ὅπλα ἔχοντες ἀνάγκην εἶχον συνιέναι. *Omnes qui arma ferre poterant, neceſſe habebant conuenire:* qui ſexageſimum ætatis annum exceſſerant, vt à militia vacationem habebant, ita excludebantur iure ſuffragij. Vnde, vt ait Feſtus, *Depontani ſenes appellabantur, qui ſexagenarij de ponte deiiciebantur.* Et alibi: *Sed exploratiſſimum illud eſt cauſæ, quo tempore primùm per pontem cœperunt comitiis ſuffragium ferre iuniores, conclamauerunt, vt de ponte deiicerentur ſexagenarij, qui iam nullo publico munere fungerentur, vt ipſi potiùs ſibi quàm illi deiicerent imperatorem.* Huc alluſit Macrobius I. Saturnal. cap. 5. *Hiſne tam doctis viris, quorum M. Cicero & Varro imitatores ſe gloriantur, adimere vis in verborum comitiis ius ſuffragandi, & tanquam ſexagenarios maiores* (lege ſexagenariis maiores) *de ponte deiicies?* Noſter pro Roſcio Amerino §. 100. *Habeo etiam dicere quem contra morem maiorum maiorem annis LX. de ponte in Tiberim deiecerit.* Ouidius 5. Faſtorum:

Pars putat, vt ferrent iuuenes ſuffragia ſoli
Pontibus infirmos præcipitaſſe ſenes.

Caue tamen te verba Ciceronis in errorem inducant, quaſi quos ſuffragij iure priuatos volebant, eos in Tiberim deiecerint. non enim extat vllum ſeniorem qui ſe ad ſuffragandum intruderet in Tiberim fuiſſe deiectum. Etſi vt ait Varro libro 5. *Argei fiunt è ſcirpeis virgultis: ſimulacra ſunt hominum triginta: ea quotannis è ponte ſublicio à ſacerdotibus publicè iaci ſolent in Tiberim.* de quibus Feſtus & Ouidius locis citatis. Plutarchus quæſtionibus Romanis, & Prudentius libro poſteriore in Symmachum.

Præcipites Scythica iuuenis pietate vietum
Votiuo de ponte ſenem, ſic mos fuit olim.

Quibus innuit ita præcipitatos eſſe ſexagenarios vt neci dederentur. Verùm, vt ait Naſo,

Corpora poſt decies ſenos qui credidit annos
Miſſa neci, ſceleris crimine damnat auos.

Et Nonnius: *Sexagenarios per pontem mittendos malè diu popularitas intellexit, cùm* Varro de vita populi Romani libro 2. honeſtam cauſam religioſámque patefecerit. *Cùm in quintum gradum peruenerant, atque haberent ſexaginta annos, tum denique erant à publicis negotiis liberi atque otioſi. Ideò in prouerbium quidam putant veniſſe, vt diceretur ſexagenarios de ponte deiici oportere, id eſt quòd ſuffragium non ferant, quod per pontem ferebant.*

CITIVS FACTA QVAM DIXI.] Vide Sextianam §. 130. N. 4. *dicto citiùs.* VII.

ALIO DIE.] Sectione proximè ſequenti. *Confitere te, cùm* ALIO DIE *dixeris, ſobrium non fuiſſe.* VIII.

ARGVMENTVM.

Impudentiam Antonij demonſtrat, qui & ementitis auſpiciis religione pop. Romanum obſtrinxerit, & iis verbis obnuntiarit quæ vim nullam obtinerent.

LXIX. O Impudentiam ſingularem! quid videras? quid ſenſeras? quid audieras! neque enim te de cœlo ſeruaſſe dixiſti, nec hodie dicis. Id igitur obuênit vitium, quod tu iam Kal. Ian. futurum eſſe præuideras, & tantò antè prædixeras. Ergo hercle magnâ, vt ſpero, tuâ potiùs quàm Reip. calamitate ementitus es auſpicia: obſtrinxiſti religione pop. Rom. Augur auguri, Conſul Conſuli obnuntiauiſti: Nolo plura, ne acta Dolabellæ videar conuellere: quæ neceſſe eſt aliquando ad noſtrum collegium deferantur. Sed arrogantiam hominis, inſolentiámque cognoſcite.

Quamdiu tu voles, vitioſus Conſul Dolabella. rurſus cùm voles, ſaluis auſpiciis creatus. ſi nihil eſt, cùm Augur hîs verbis nuntiat, quibus tu nũtiaſti, confitere te, cùm alio die dixeris, ſobrium non fuiſſe: ſin eſt aliqua vis in iſtis verbis, ea quæ ſit, Augur à collega requiro.

EXPLANATIO.

O IMPVD.] Exclamatio ex graui indignatione.

Impudentis eſt comitiis obnuntiare, cùm nihil videris aut ſenſeris quod comitia vitiaret.

Sed nihil videras aut ſenſeras quod comitia vitiaret.

Ergo impudens fuiſti.

Probatur aſſumptio, quia de cœlo ne ſeruauerat quidem: deinde quòd antè prædixerat, ſed comitia facturum eſſe vitioſa: quod iudicio fuit eum obnuntiaturum fuiſſe, etiamſi nullum vitium obueniret.

QVID VIDERAS.] Multa auſpicia, comitia priuſquam haberentur, impedire potuerunt, at verò ea ſola, quæ de cœlo petebantur, poterant vitiare. his autem verbis videndi, ſentiendi, audiendi, omnia cœleſtium auſpiciorum genera complectitur, non audiuntur tonitrua, videntur fulgura, fulmina ſentiuntur.

NEC ENIM.] Quia, quibus diebus habentur comitia, per leges de cœlo ſeruare prohibetur.

ID IGITVR.] Nullum igitur reuera vitium comitiis interuenit, ſed tu ipſe finxiſti, vt facere decreueras, cùm Calendis Ianuariis eo te præditum eſſe ſacerdotio dixiſti, vt auſpiciis vel impedire comitia, vel vitiare poſſes. Quo tempore diuinare non poteras, quid vitij in auſpiciis futurum eſſet, niſi iam tum ementiri auſpicia ſtatuiſſes.

OBSTRINXISTI.] Aliàs *obſtrinxit*, ſed corruptè vt videtur. Obſtrinxiſſe verò dicitur Antonius populum Romanum religione dum obnuntiaret comitiis, quia religio quidam & ſcrupulus in animis hominum reſidere poterat, quaſi populus Romanus contra auſpicia Conſulem fecerit Dolabellam, & ſic auſpicia religionéſque Deorum violaret, qui ſcrupulus eo vehementiùs ſtimulat & pungit animos, quòd tu & Conſul & Augur eras, tantámque iure tum magiſtratûs, tum ſacerdotij poteſtatem habebas, quantam ipſe Cæſar qui præfuit illis comitiis, & non habita obnuntiationis tuæ ratione, Dolabellam Conſulem declarauit. vnde metuendum eſt ne Dij violatarum religionum pœnas exigant à populo Romano, & aliquam ei calamitatem importent: ſed in tuum caput, vt ſpero, qui ementitus es auſpicia, calamitas illa redundabit, & à te vno ſupplicium violatæ religionis exigetur.

AVGVR.] Antonius qui & Conſul erat & Augur, Cæſari Conſuli & Auguri obnuntiauit.

NOLO PLVRA.] Nolo pluribus demonſtrare quantum ſcrupulum & religionem populo Romano inieceris: ne infirmare videar acta Dolabellæ: ſi enim obnuntiatio tua vim habuit, Dolabella Conſul fuit vitio creatus, ſi vitio creatus, non fuit verè Conſul; ſi non Conſul, nihil iure egit & legitima poteſtate; ſi nihil iure egit in Conſulatu, eius acta omnia conuelluntur, nihilque auctoritatis habere debent in Repub.

QVÆ NECESSE EST.] Cùm Reſpublica, iſtud, quo nunc opprimitur tuæ dominationis iugum excuſſerit, emerſerítque è fluctibus ſeruitutis, neceſſe eſt vt Dolabellæ Conſulis acta ad Augurum Conſulum deferantur, vt nos qui ſumus Augures, eáne rata eſſe debeant, an infirma, iudicemus. tunc enim conſiderabimus quid de tua obnuntiatione ſtatuendum ſit, vt ſi valeat, Dolabella iudicetur Conſul vitioſus, ſi non valeat, tu ob ementita auſpicia damneris.

SED ARROGANTIAM.] Tantum ſibi Antonius arrogabat, vt vellet auſpicia à ſua vnius voluntate pendere, Dolabellámque ſuo arbitrio vel vitioſum Conſulem, vel ſaluis auſpiciis creatum eſſe vellet. Nam cùm ante Cæſaris necem eum contenderet eſſe vitioſum, eum occiſo Cæſare, tanquam ſaluis auſpiciis creatum, ſibi conſularis poteſtatis collegam adſciuit. Philippica ſuperiore. *Collegam tuum depoſitis inimicitiis, oblitus auſpiciorum à te ipſo Augure populo Romano nuntiatorum illo primùm die collegam tibi eſſe voluiſti.*

SI NIHIL EST.] Alio argumento Antonij demonſtrat impudentiam inſcitia implicatam. quia iis verbis obnuntiauit, quæ nullam vim obtinerent: dixit enim ALIO DIE, quæ verba impedire poſſunt comitia priuſquam reſoluantur, habita autem & abſoluta vitiare non poſſunt.

NOTÆ.

QVID VIDERAS.] Feſtus: *Quinque genera ſignorum obſeruant Augures, ex cœlo, ex auibus, ex tripudiis, ex quadrupedibus, ex diris.* de quibus ſingulis dictum nonnihil pro Milone. Hîc de cæteris generibus dicendum non eſt, quòd comitiis iam incœptis non officerent. vide Ioannem Saraberienſem libro primo Policratici, cap. 13. vbi propemodum omnia congeſſit: hic autem Orator intelligendus de ſolis illis auſpiciis quæ de cœlo petebantur, quòd ea duntaxat vel iam incœpta comitia dirimebant. Porrò quædam oculis vſurpantur vt fulgura, & quæ rariùs contingunt, cometæ, faces, lampades, trabes, bolides, chaſmata, cœli ardores, coronæ, areæ, parelia, paraſelenæ, & alia eiuſmodi prodigia, de quibus Ariſtoteles in Meteoris, Seneca quæſtionibus naturalibus, Plinius libro ſecundo, Liuius paſſim, cæteríque hiſtoriæ Romanæ Scriptores, Iulius Obſequens, è recentioribus, vt alios omittam, Conradus Lycoſthenes omnia prodigia collegit, quæ ab orbe condito ad annum reparatæ ſalutis MDLVII. contigerunt. Ego ne latiùs vagari poſſim, certos mihi terminos circumſcribam, & ea tantùm exequar quæ Cæſaris necem exceperunt. Et quidem ipſo die quo Cæſar extinctus eſt, καὶ βροντὴ ἄπλετος, καὶ ὑετὸς λάβρος ἐπεγένετο. inquit Dio libro 43. *Sol quoque*, inquit Virgilius 1. Georg.

Ille etiam extincto miſeratus Cæſare Romam

Cùm caput obſcura nitidum ferrugine texit,
Impiáque æternam timuerunt ſecula noctem.

Item:

Non alias cœlo ceciderunt plura ſereno
Fulgura: nec diri toties arſere cometæ.

Cùm intraret vrbem Octauius adoleſcens, qui poſteà Cæſar Auguſtus, *Solis orbis ſupra caput eius curuatus æqualiter, rotundatúſque in colorem arcus, veluti coronam tanti mox viri capiti imponens, conſpectus eſt.* Ita narrat Velleius, adſtipulantibus Plinio & Dione. Eodem ipſo anno apparuit illud aſtrum, de quo Virgilius:

Ecce Dionæi proceſſit Cæſaris aſtrum.

& Auguſtus ipſe verbis apud Plinium relatis lib. 2. cap. 25. *Iis ipſis ludorum meorum diebus*, (eos ludos faciebat Veneri Genitrici paulò poſt Cæſaris necem) *ſidus crinitum per ſeptem dies in regione cœli, quæ ſub ſeptentrionibus eſt, conſpectum. Id oriebatur circa vndecimam horam diei, clarúmque & omnibus è terris conſpicuum fuit. Eo ſidere ſignificari vulgus credidit Cæſaris animam inter Deorum immortalium numina receptam: quo nomine id inſigne ſimulacro capitis eius, quod mox in foro conſecrauimus, adiectum eſt.* Addit Plinius lib. 2. cap. 31. eodem ipſo anno tres ſoles eſſe conſpectos: ſed Dionem lib. 45. quo loco fusè declarat quæ prodigia ſolutionem Democratiæ portenderint. Τό τε φῶς τοῦ ἡλίου ἐλαττοῦσθαί τε καὶ σβέννυσθαι, τότε δ' ἐν τρισὶ κύκλοις φαντάζεσθαι ἐδόκει, καὶ ἕνα γ' αὐτῶν στέφανος σταχύων πυρώδης περιεῖχεν, &c. *Solis lumen aliquando diminui extinguique, aliquando intra tres circulos effulgere, quorum vnum corona ſpicarum ignita circundaret, viſum fuerat.* Addit eodem anno viſam fuiſſe facem, quæ per cœlum ab ortu ad occaſum percurreret. Plinius lib. 2. cap. 26. de ea loqui videtur, & non facem, ſed bolidem appellat. *Diſtant quod faces veſtigia longa faciunt, priore ardente parte: bolis verò perpetua ardens longiorem trahit limitem.*

II. Qᴠɪᴅ ꜱᴇɴꜱᴇʀᴀꜱ.] Terræmotus & fulminum afflatus ſentiuntur. Eo ipſo anno

-*inſolitis tremuerunt motibus Alpes.*

Sed auſpicia de cœlo quæruntur. Eodem anno fulmina permulta deciderunt, quibuſdámque cella Iouis Capitolini, quæ erat in templo victoriæ, tacta fuit, vt auctor eſt Dio.

III. Qᴠɪᴅ ᴀᴠᴅɪᴇʀᴀꜱ.] De auditis eodem anno prodigiis Orator quinta Philipp. §. 9. *Quam legem igitur ſe Augur dicit tuliſſe, non modò tonante Ioue, ſed propè cœleſti clamore prohibente, hanc dubitabit contra auſpicia latam confiteri?* Item: *En cauſſam cur lex tam egregia, támque præclara, maximo imbri, tempeſtate, ventis, procellis, turbinibus, inter fulmina & tonitrua ferretur.* Imò, vt ſcribit Virgilius,

Armorum ſonitum toto Germania cœlo
Audiit.

Tibullus lib. 2. eleg. 5.

Atque tubas, atque arma ferunt ſtrepitantia cœlo
Audita, &c.

vt omittantur boues locutæ.

Vox quoque per lucos vulgo exaudita ſilentes.

Sed hæc aliáque prodigia, quanquam hoc anno contigerunt, facta ſunt tamen poſt comitia Dolabellæ, & Cæſaris necem, nam Suetonius, Dio, cæteri, qui magno ſtudio prodigia quæ Cæſari necem portendere videri poterant, collegerunt, nullam vllius prodigij cœleſtis faciunt mentionem. niſi quòd Plutarchus ait: Σέλα οὐράνια καὶ τύπους νύκτωρ πολλαχοῦ διαφερομένους. *Cœleſtes fulgores & figuras hac illac noctu circumlatos*, ait fuiſſe conſpectos, ſed ea, quòd noctu contigiſſent, ſi comitiis Dolabellæ viſa fuiſſent, debebant ante comitia nuntiari, nec potuerunt iam incœpta prohibere. Addit: Στράβων δ' ὁ φιλόσοφος ἱστορεῖ πολλοὺς ἀνθρώπους διαπύρους ἐπιφερομένους φανῆναι. *Strabo Philoſophus narrat multos homines igneos apparuiſſe quaſi impreſſionem facientes.* Sed non omiſiſſet Plutarchus, ſi tam inſigne ſpectrum Dolabellæ comitiis eueniſſet. De quibus Comitiis ita loquitur in Antonio. Προελθὼν ἀναγορεῦσαι Δολαβέλλαν, Ἀντωνίου δὲ τοὺς οἰωνοὺς ἐναντιοῦσθαι βοῶντος, εἶξε καὶ προήκατο Δολαβέλλαν ἀχθόμενον. *Progreſſus ad renuntiandum Dolabellam, Antonio obnuntianti ceſſit & prodidit dolentem candidatum.*

Oʙᴠᴇɴɪᴛ ᴠɪᴛɪᴠᴍ.] Vide ſupra 67. *Vitij in auſpiciis.* hac ipſa ſectione. *Vitioſus Conſul Dolabella.* IV.

Tᴠᴀ ᴘᴏᴛɪᴠꜱ.] Huius rei inſigne exemplum eſt apud Liuium lib. 10. *Tertiâ vigiliâ noctis iam relatis litteris à collega Papyrius ſilentio ſurgit, & pullarium in auſpicium mittit. Nullum erat genus hominum in caſtris intactum cupiditate pugnæ: ſummi infimíque æquè intenti erant: dux militum, miles ducis ardorem ſpectabat. Is ardor omnium etiam ad eos, qui auſpicio intererant, peruenit. Nam cùm pulli non paſcerentur, pullarius auſpicium mentiri auſus, tripudium ſoliſtimum Conſuli nuntiauit. Conſul lætus auſpicium egregium eſſe, & Diis auctoribus rem geſturos pronuntiat, ſignúmque pugnæ proponit, &c. Altercatio inter pullarios orta de auſpicio eius diei, exauditáque ab equitibus Romanis.* Id Spurius Papyrius *ad Conſulem detulit. Cui ille: Tu quidem macte virtute, diligentiáque eſto: cæterum qui auſpicio adeſt, ſi quid falſi nuntiat, in ſemetipſum religionem recipit: mihi quidem tripudium nuntiatum, populo Romano exercituíque egregium ſignum eſt. Centurionibus deinde imperauit, vt pullarios inter prima ſigna conſtituerent. Promouent & Samnites ſigna, inſequitur acies ornata, armatáque, vt hoſtium quoque magnificum ſpectaculum eſſet: Priuſquam clamor tolleretur, concurreretúrque, emiſſo temerè pilo, pullarius ante ſigna cecidit; quod vbi Conſuli nuntiatum eſt, Dij in prælio ſunt, inquit, habet pœnam noxium caput.* V.

Cᴏɴꜱᴠʟ Cᴏɴꜱᴠʟɪ.] Valerius Meſſala citatus à Gellio. *Cenſores inter ſe, rurſus Prætores Conſuléſque inter ſe, & vitiant, & retinent auſpicia.* Item: *Conſul ab omnibus magiſtratibus & comitiatum, & concionem auocare poteſt. Prætor & comitiatum & concionem vſquequaque auocare poteſt, niſi à Conſule. Minores magiſtratus nuſquam, nec comitiatum, nec concionem auocare poſſunt.* Hæc lib. 13. Noct. Att. cap. 14. è quibus vides cur Conſul Conſuli obnuntians religione populum Romanum obſtrinxerit, quod non feciſſet ſi Prætor, vel alius magiſtratus Conſuli obnuntiaſſet. VI. Magiſtratus qui ſibi obnuntiarent.

Aʟɪᴏ ᴅɪᴇ.] Secundo de legibus 50. *Maximum autem & præſtantiſſimum in Rep. ius eſt augurum, cùm eſt auctoritati coniunctum*, &c. *Quid enim maius eſt, ſi de iure quærimus, quàm poſſe à ſummis imperiis, & ſummis poteſtatibus comitia tollere? concilia vel inſtituta dimittere, vel habita reſcindere? quid grauius, quàm rem ſuſceptam dirimi, ſi vnus Augur* ᴀʟɪᴏ ᴅɪᴇ Alio die. VII.

dixerit? quid magnificentius quàm poſſe decernere, vt magiſtratu ſe abdicent Conſules? quid religioſius, quàm cum populo, cum plebe agendi ius aut dare, aut non dare? quid legem ſi non iure rogata eſt, tollere? Quomodo igitur nihil eſt cùm Augur iis verbis nuntiat, quibus Antonius nuntiauit? Quia, opinor, ea verborum formula vim habebat, volebat Augur rem ſuſceptam dirimere, & comitia inſtituta dimittere, non cum volebat iam habita & abſoluta reſcindere.

ARGVMENTVM.

Ad lupercalia delabens vrget & inſtat vehementiùs, quòd tantum ſcelus tam apertè commiſerit Antonius, vt ne reſpondere quidem poſſit, aut colorem ſuo facto prætexere.

SED ne fortè ex multis rebus geſtis M. Antonij rem vnam pulcherrimam tranſiliat oratio, ad Lupercalia veniamus. non diſſimulat, P. C. apparet eſſe commotum; ſudat, pallet: quidlibet, modò ne nauſeet, faciat, quod in porticu Minucia fecit. Quæ poteſt eſſe turpitudinis tanta defenſio? cupio audire: vt videam vbi rhetoris tanta merces, vbi campus Leontinus appareat.

EXPLANATIO.

SED NE.] Tranſitio: qua ironicè ſcelus Antonij *rem pulcherrimam* appellat.

AD LVPERCALIA.] Ad rem geſtam Lupercalibus, id eſt decimo quinto Calendas Martij, quo die Iuuenes Lycæum Pana venerantes nudi per luxum atque laſciuiam currebant.

NON DISSIMVLAT.] Commodùm inſultat aduerſario, quòd ſceleris admiſſi conſcientiâ preſſus interiorem animi æſtum diſſimulare non poſſit, auditâ Lupercaliorum mentione.

SVDAT, PALLET.] Sudor & pallor duo animi commoti indicia.

IN PORTICV MINVCIA.] Alias *Numicia.* In qua porticu *Magiſter equitum, cui ructare turpe eſſet, is vomens fruſtis eſculentis vinum redolentibus, gremium ſuum & totum tribunal impleuit.*

QVÆ POTEST.] Tam flagitiosè libertatem populi Romani prodidiſti, vt nullum colorem, nullam excuſationem inuenire poſſis, qua tuum factum defendas.

CVPIO.] Cupio tuam defenſionem audire, vt ſciam quantum in Sexti Clodij Siculi Rhetoris ſchola profeceris: cui duo millia Campi Leontini aſſignaſti, & quidem immunia, vt pro tanta mercede nihil ſapere diſceres.

NOTÆ.

1. Lupercalia. AD LVPERCALIA.] *Lupercalia,* inquit Varro libro 5. de Lingua, *dicta, quòd in Lupercali Luperci ſacra faciunt. Rex cùm ferias menſtruas Nonis Februariis edicit, hunc diem februatum appellat. Februum Sabini purgamentum, & id in ſacris noſtris verbum. Nam & Lupercalia februatio, vt in antiquitatum libris demonſtraui.* Ibidem, ſed longè infrà. *Arbitror Februarium à die februata, quòd tum februatur populus, id eſt lupercis nudis luſtratur antiquum oppidum palatium.* Fuerunt autem Lupercalia ſtatiuæ feriæ. Macrobius libro 1. Saturnal. cap. 16. *Sunt ſtatiuæ vniuerſi populi communes, certis ac conſtitutis diebus ac menſibus, & in faſtis ſtatis obſeruationibus annotatæ; in quibus præcipuè ſeruantur, Agonalia, Carmentalia, Lupercalia.* Is dies erat decimus quintus Calendas Martias. Ouidius 2. Faſtorum,

Tertia poſt Idus nudos aurora Lupercos Quo die celebrata.
Adſpicit, & Fauni ſacra bicornis erunt.

Nomen vel à lupa quæ Remum & Romulum nutriuit, vel à Pane lycæo, de quo 8. Æneidos.

-gelida monſtrat ſub rupe Lupercal
Parrhaſio dictum Panos de more Lycæi. Vnde nomē.

Quem Romani deinde vocarunt Innum, vt ſcribit Liuius libro 1. Faunum Ouidius appellat. Quamuis, vt ait Fabius lib. 1. Inſtit. orat. cap. 9. *Inueniuntur qui Lupercalia tres partes orationis eſſe contendant, quaſi luere per caprum.* Id eſt februare, ſiue purgare capro immolato.

De ſacrificij ritibus Plutarchus in Cæſare, & in Antonio, ſed in Romulo expreſſiùs: (Sacrificij ritus.) Σφάττουσι γὰρ αἶγας, εἶτα μειρακίων δυεῖν ἀπὸ γένους προσαχθέντων αὐτοῖς. οἱ μὲν ᾑμαγμένῃ μαχαίρᾳ τοῦ μετώπου τυγχάνουσιν, ἕτεροι δ' ἀπομάττουσιν εὐθὺς ἔριον βεβρεγμένον γάλακτι προσφέροντες. γελᾶν δὲ δεῖ τὰ μειράκια μετὰ τὴν ἀπόμαξιν. ἐκ δὲ τούτου τὰ δέρματα τῶν αἰγῶν κατατεμόντες, διαθέουσιν ἐν περιζώματι γυμνοὶ, τοῖς σκύτεσι τὸν ἐμποδὼν παίοντες. αἱ δ' ἐν ἡλικίᾳ γυναῖκες οὐ φεύγουσι τὸ παίεσθαι, νομίζουσαι πρὸς εὐτοκίαν καὶ κύησιν συνεργεῖν. ἴδιον δὲ τῆς ἑορτῆς καὶ τὸ κύνα θύειν τοὺς Λυπέρκους. *Iugulant enim capras, deinde duobus adoleſcentibus ad victimas admotis, alij quidem gladiis cruentis, frontem attingunt, alij verò lanâ lacte madefactâ detergunt. abſterſos autem adoleſcentes ridere oportet. deinde inciſis in corrigias caprarum pellibus, nudi cum ſubligaculis diſcurrunt, corrigiis obuium quemque verberantes. Adulta autem mulieres non refugiunt vapulare, ratæ ad fœcunditatem facilitatémque partûs id profuturum. Proprium autem eſt illius Feſti vt etiam canis à Lupercis immoletur.* In Antonio verò dicuntur Luperci ἀλαλημμένοι λίπα, *vnguento delibuti* diſcurrere. Idem etiam inſinuat Cicero Philipp. 13. §. 31. *Lupercorum mentionem facere audet? neque illius diei memoriam perhorreſcit, quo auſus eſt obrutus vino, vnguentis oblitus, nudus, gementem populum Romanum ad ſeruitutem cohortari.* & apud Dionem lib. 45. de eodem. Καὶ τῆς μιαρᾶς σου φωνῆς καὶ ἀλιμεισμένης τὰ δεινὰ ἐκεῖνα λεγούσης ἀκούωμεν. *Vnctámq; tuam impuram vocem grauibus iſtis in verbis audiremus.* & clariùs paulò antè. ὁρᾶ-τε αὐτὸς γυμνὸς, ὦ πατέρες, γυμνὸς καὶ μεμυρισμένος ἐς τὴν

ἀγορὰν εἰσῆλθε, πρόφασιν τὰ λυκαῖα ποιησάμενος. *Conſul, P.C. nudus, vnguentíſque delibutus in forum venit ſpecie Lupercaliorum peragendorum.* Sed, vt ad Plutarchum redeamus, lanam hanc lacte madefactam februa dixerunt, vnde & lupercalia dies februatus. Ouidius 2. Faſtorum initio.

Pontifices ab Rege petunt & Flamine lanas,
Queis veteri in linguâ februa nomen erat.

Corrigias illas *Iunonis amiculum* nominabant. Feſtus menſem Februarium dici putat *à Iunone februata, quam alij februalem, Romani februlim vocant: quòd ipſi eo menſe ſacra fiebant, eiúſque feriæ erant Lupercalia, quo die mulieres februabantur à Lupercis anniculo Iunonis, id eſt pelle caprinâ.* Pellem autem caprinam dicebant Iunonis amiculum, quod Iuno Soſpita Lanuuij, vt inquit Cicero 3. de Natura Deorum, *Cum pelle caprina, cum haſta, cum ſcutulo, cum calceolis repandis* fingeretur. At, vt ait Naſo 2. Faſtorum.

Principio menſis Phrygiæ contermina matri
Soſpita delubris dicitur aucta nouis.

Probabilius tamen non à Iunone Soſpita, ſed à Iunone Lucina nomen acceptum, ſiquidem cùm ſteriles eſſent Romanæ matronæ, redditum Lucinæ oraculum,

Italides matres, inquit, ſacer hircus inito.

& Augur,

Ille caprum mactat, iuſſæ ſua terga puellæ
Pellibus exectis percutienda dabant.

E quibus & illud è ſat. 2. Iuuenalis intelligas,

--ſteriles moriuntur, & illis
Turgida non prodeſt condita pyxide Lyde,
Nec prodeſt agili palmas præbere Luperco.

De lupercorum cinctu & nuditate paulò pòſt diſſeremus.

SVDAT, PALLET.] Hæc duo malæ conſcientiæ indicia. Iuuenalis ſat. 1.

-rubet auditor cui frigida mens eſt
Criminibus: tacitâ ſudant præcordia culpâ.

Horatius Epod. 7.

Tacent, & ora pallor albus inficit
Mentéſque perculſæ ſtupent.

Perſius ſat. 3.

Palleat infelix quod proxima neſciat vxor.

Non igitur tantùm rubor, ſed etiam pallor malæ conſcientiæ eſt effectus. De ſudore ex metu proueniente Plautus Caſina, actu 1. ſc. 7.

-ſtimulus ego nunc ſum tibi,
Ego quod corculum aſſudaſſit iam ex metu.

RHETORIS.] De Rhetoribus ſuprà 28. de 11.
Rhetorũ mercede 29. de campo Leontino ibidẽ.

ARGVMENTVM.

Exponit quemadmodum Lupercalibus Antonius impoſuerit Cæſari diadema, Cæſar autem ne regnum appetere videretur, illud inſigne regiæ poteſtatis à ſe reiecerit.

LXXI. SEDEBAT in Roſtris collega tuus amictus toga purpurea, in ſella aurea, coronatus: aſcendis; accedis ad ſellam (ita eras Lupercus, vt te Conſulem eſſe meminiſſe deberes) diadema oſtendis: gemitus toto foro. vnde diadema? non enim abiectum ſuſtuleras, ſed attuleras domo meditatum & cogitatum ſcelus. Tu diadema imponebas cum plangore populi: ille cum plauſu reiiciebat. Tu ergo vnus, ſcelerate, inuentus es, qui cùm auctor regni eſſes, eum quem collegam habebas, dominum habere velles: & idem tentares, quid populus Rom. ferre & pati poſſet.

EXPLANATIO.

SEDEBAT.] Priuſquam Antonij factum narrat, inſolentiam & faſtum Cæſaris deſcribit, vt eò ſcelus Antonij magis exaggeret, quòd regem adeò ſuperbum voluerat Romanis imponere.

IN ROSTRIS.] In ſuggeſtu, qui in medio foro Romano fuit, vnde habebantur conciones, qui è roſtris nauium Antiatium primum extructus fuerat, & inde Roſtrorum nomen acceperat. Ibi autem ſedebat Cæſar vt prætereuntes Lupercos ſibi à Senatu per adulationem tanquam Deo decretos è ſuperiore loco ſpectaret.

COLLEGA TVVS.] Iulius Cæſar Conſul cum M. Antonio.

AMICTVS TOG. PVRP.] Indutus veſte triumphali, vt ait Plutarchus, aut etiam regiâ, vt Dio.

IN SELLA AVREA.] Sibi pariter à Senatu decretâ.

CORONATVS.] Duplex corona Cæſari conceſſa à Senatu. Decretum enim vt coronâ laureâ perpetuò vti poſſet, & vt ludis coronam gemmis auróque præſignem geſtaret. Hanc poſteriorem Lupercalibus videtur habuiſſe: is enim fuit habitus triumphantium.

ADSCENDIS.] Ad Roſtra ſuccollantibus cæteris lupercis ſubleuatus. Plutarchus in Antonio.

ACCEDIS AD SELLAM.] In quò Cæſar ſedebat. aduerte quemadmodum ſingulis immoretur, vt rem clariùs oculis ſubiiciat, & grauiùs exaggeret.

ITA ERAS LVPERC.] Hæc quidem leuitas huc vſque tibi concedi potuit tanquam Luperco, vt cæteris ſodalibus lupercis ceruices ſupponentibus per eorum humeros ad Roſtra ſellámque Cæſaris adſcenderes, id tamen facere Conſulem populi Romani non decebat, qui ſi lupercus fuerit, ita debet currere per vrbem, vt interim meminerit ſuæ dignitatis.

DIADEMA OSTENDIS.] Nondum Antonius capiti Cæſaris impoſuerat diadema, ſed tantùm oſtenderat, cùm plebs ingemuit toto foro: quæ vim longè maiorem habent, quàm ſi

impoſito iam diademate gemuiſſe diceretur.

VNDE DIADEMA?] Ex alio capite ſcelus amplificat, quòd videlicet conſilium illud, non, vt dicitur, in arenâ ſumpſerit, ſed ex certâ inductione animi ſcelus illud ſuſceperit. Non enim diadema illud caſu per vicos abiectum inuenerat, ſed attulerat domo coronam lauream diademate implexam, vt eam capiti Cæſaris imponeret.

IMPONEBAS.] Non ait, *impoſuiſti*, ſed, *imponebas*, vt oſtendat id iterum & ſæpius eſſe factum.

CVM PLANGORE POPVLI.] Lamentantis imponi ſibi Regem, & opprimi ſeruitute Rempub.

ILLE CVM.] Cæſar reiiciebat illud diadema plaudente populo, quòd Cæſar oblatum ſibi regnum nollet admittere.

TV ERGO.] Graui epiphonemate rem concludit, & exaggerat, quòd vnus inuentus fuerit Antonius qui id auderet, quod omnium fugiſſet & formidaſſet audacia. Auctorem eum dicit fuiſſe regni, quia Cæſarem contra patriam armauerat, & interceſſione illa ſua nefaria facem bello ciuili ſubiecerat, quo bello ciuitatis oppreſſa libertas. Nondum tamen ſolus regnabat Cæſar, ſed aliquot regni collegas habebat, & imprimis ipſum Antonium: ſed Antonius ſeruire maluit, quàm regnare cum Cæſare, & Cæſari monarchiam deferre voluit coram populo Romano, vt experiretur vtrum populus ad ſeruitutem eſſet paratus.

NOTÆ.

I. IN ROSTRIS.] Roſtra in foro Romano: nec longè à Roſtris Lupercal. inter Capitolinum & Palatinum montes, iuxta ficus Ruminalis, vbi expoſiti Romulus & Remus, vt Varro, Feſtus, omnes alij tradiderunt. Hinc Luperci ſuæ luſtrationis initium faciebant. Plutarchus in Romulo: Ἀρχομένους τῆς περιδρομῆς τοὺς Λουπέρκους ὁρῶμεν ἐντεῦθεν, ὅπου τὸν Ρωμύλον ἐκτεθῆναι λέγουσιν. *Lupercos videmus inde ſuam circumcurſationem auſpicari, vbi Romulum depoſitum fuiſſe narrant.* Vnde & locus à germanis Remo & Romulo Germalum. Lupercalibus autem *februatur populus*, inquit idem Varro libro 5. de lingua, *id eſt, Lupercis ludis luſtratur antiquum oppidum Palatium.* In hac luſtratione per ſacram viam adſcendebant & deſcendebant. Auguſtinus lib. 18. de Ciuitate cap. 12. *Nam & Lupercorum per ſacram viam adſcenſum atque deſcenſum, ſic interpretantur, vt ab eis ſignificari dicant homines, qui propter aquæ inundationem ſumma montium petiuerunt, & rurſum eadem reſidente ad ima redierunt.* De ſacra via idem Varro lib. 4. *Oritur caput ſacræ viæ ab Streniæ ſacello, quæ pertinet in arcem, qua ſacra quot menſibus feruntur in arcem, & per quam augures ex arce profecti ſolent inaugurare. Huius ſacræ viæ pars hæc ſola vulgo nota, quæ eſt à foro eunti proxime cliuo.* Feſtus: *Ne eatenus quidem, vt vulgus opinatur ſacra via appellanda eſt à Regia ad domum Regis ſacrificuli, ſed etiam à Regis domo ad ſacellum Streniæ, & rurſus à Regia vſque in arcem.* Arx autem, vt ſuprà diximus §. 14. fuit in eodem monte Tarpeio, vbi Capitolium. Quare cùm Luperci è foro curſum inciperent, & palatium luſtrarent, pérque ſacram viam quæ ad arcem pertinebat diſcurrerent, ac proinde ter ſaltem in foro ſe ſpectandos exhiberent, commodiorem Roſtris locum Cæſar eligere non poterat, vnde Lupercos ſpectaret.

Roſtra.

Sacra via.

AMICTVS TOGA PVRPVREA.] A Plutarcho, κεκοσμημένος ἐσθῆτι θριαμβικῇ. *ornatus veſte triumphali*, à Dione. II.

Regia veſte coronâq. aureâ exornatus deſcribitur. Triplex autem fuit purpureæ trabeæ genus, quod ex Tranquillo de generibus veſtium, ita nos aliquando deſcripſimus:

Purpurei Reges mixto candore rubeſcunt,
Auguribus mixto radiatur purpura cocco,
Imbuit ætheream Diuûm mera purpura veſtem.

Iam quæri poſſet quam purpuram habuerit Cæſar, niſi Plutarchus & Dio Regiam, & triumphalem dixiſſent: Cùm tamen Orator Cæſarem excordem fuiſſe, cùm talem veſtitum admiſit, dicat; ſuſpicor eum veſtem diuinam & ὁλοπόρφυρον induiſſe. Neque enim vel Augur gereret purpuram auguralem, vel triumphalis triumphali purpura vteretur, etiam exacto triumpho, quod etiam Pompeio fuiſſe conceſſum tradit Velleius. Ciceronis verba ſunt 1. de diuinatione. *Maximo argumento eſt quod paulò antè interitum Cæſaris contigit: qui cùm immolaret illo die, quo primùm in ſella aurea ſedit, & cum purpurea veſte proceſſit, in extis bouis opimi cor non fuit.* Et lib. 2. *Tu verò quid habes, quare putes ſi paulò antè cor, fuerit in tauro opimo, ſubitò id in ipſa immolatione interiſſe? an quòd adſpexit veſtitu purpureo excordem Cæſarem, ipſe corde priuatus eſt?* De purpura Regum pro Sextio 57. De purpura ſacerdotum immò Deorum nonnihil in Piſonem 23. cùm de prætexta loqueremur: de Augurali pro Sextio & infrà. Mirum autem non eſt Cæſarem purpuram diuinam admiſiſſe, cùm alios etiam diuinos honores vt thenſam, ferculum, puluinar, flaminem, lupercos admiſerit. De ſella aurea Tranquillus, Dio, Plutarchus, & alij.

CORONATVS.] Tranquillus cap. 44. *Caluitij verò deformitatem iniquiſſimè ferre, obtrectatorum ſæpè iocis obnoxiam expertus: ideóque & deficientem capillum reuocare à vertice aſſueuerat: & ex omnibus decretis ſibi à Senatu populóque honoribus, non aliud aut recepit, aut vſurpauit libentiùs, quàm ius laureæ coronæ perpetuò geſtandæ.* III.

LVPERCVS.] Pro Cœlio 26. *Sibi in Lupercis ſodalem eſſe Cœlium dixit. Fera quædam ſodalitas, & planè paſtoritia atque agreſtis germanorum Lupercorum.* Eorum duæ ſodalitates: alteram Fabios ſiue Fabianos, Quintilios ſiue Quintilianos, alteram nominabant. Ouidius in Faſtis lib. 2. IV. Luperci.

Riſit, & indoluit Fabios potuiſſe, Remúmque
Vincere, Quintilios non potuiſſe ſuos. Fabij.

Propertius lib. 4. eleg. 1.

Verbera pellitus ſetoſa mouebat arator Quintilij.
Vnde licens Fabius ſacra Lupercus habet.

Addita tertia ſodalitas: à Iulio Cæſare nomen. Dio 43. ἱερωμένους τε ἐς τοὺς τοῦ Πανὸς τρίτην τινὰ ἑταιρείαν, Ἰουλίαν ὀνομάσας. *Tertia quædam ſodalitas ſacerdotum qui Lupercalia celebrarent inſtituta, iíque Iulij vocati ſunt.* De his M. ipſe Antonius epiſtola ad Hirtium & Cæſarem, quæ Philippica 13. fusè expenditur: *Vectigalia Iulianis Lupercis ademiſtis.* Quæritur ex qua ſodalitate fuerit Antonius? Tullius apud Dionem libro 35. huic quæſtioni faciet ſatis, Τὰ γὰρ λυκαῖα ἦν, καὶ ἐπὶ τοῦ ἑταιρ- Iulij.

κοῦ τοῦ Ἰουλίου ἐπέτυχε. *Lupercalia enim erant, & ipſe in ſodalitate Iulia erat conſtitutus.* Sic enim vertere malui, quàm cum Xylandro: *Nimirum agenda ei erant Lupercalia vni ex collegio Iulio.* Vnde autem Lupercis nomen è Varrone refert S. Auguſtinus lib. 18. de Ciuitate cap. 17. nimirum ab Arcadibus, *qui ſorte ducti tranſnatabant quoddam ſtagnum, atque ibi conuertebantur in lupos, & cum ſimilibus feris per illius regionis deſerta viuebant. Si verò carne non veſcerentur humana, rurſus poſt nouem annos eodem renato ſtagno reformabantur in homines,* &c. De iiſdem Plinius lib. 8. & Plato 8. de Repub. Addebat Varro, hinc *nomen affictum Pani Lycæo, & Ioui Lycæo,* &c. *Romanos etiam Lupercos ex illorum myſteriorum, velut ſemine dicit exortos.* Porro *Crepos*, vt ait Feſtus, *Romani Lupercos dicebant, à crepitu pellicularum, quem faciunt verberantes.*

V. VT TE CONSVLEM.] Hoc eſt quod præter cætera Noſter exaggerat apud Dionem. parco Græcis. *Nimirum Lupercalia debitâ ſuâ cerimoniâ caruiſſent, niſi tu totam vrbem eo geſtu, ne quid dicam de oratione, dedecoraſſes. Quis enim ignorat Conſulatum totius populi publicum eſſe, cuius maieſtatem vbique conſeruare, nullo modo autem denudare, turpitudinéve afficere oporteat?* Et alia plura, quibus innuit vnum & eundem, & Conſulem, & Lupercum fieri debuiſſe. At contra Plutarchus in Antonio: Διαθέουσι δὲ τῶν εὐγενῶν νέοι πολλοὶ, καὶ τῶν ἀρχόντων. *Diſcurrunt autem & ex nobilibus, & ex magiſtratibus iuuenes multi.* Imo in Cæſare: Ἀντώνιος δὲ τῶν θεόντων τὸν ἱερὸν δρόμον εἷς ἦν. καὶ γὰρ ὑπάτευεν. *Antonius autem vnus eorum erat qui ſacrum curſum peragebant. gerebat enim Conſulatū.* Quibus verbis priuatos ab eo curſu videtur excludere, quaſi ſolis magiſtratibus conueniret.

DIADEMA OSTENDIS.] Διάδημα στεφάνῳ δάφνης περιπεπλεγμένον. *Diadema corona laurea circumplicatum,* inquit Plutarchus. Quid autem ſit diadema patet è dictis in Sextianam §. 48. num. 4. *inſigne regium.* Adde Appianum 2. ciuil. ἐστεφάνωσε δάφναις ἀναπεπλεγμένης ταινίας λευκῆς. *Lauro coronauit, candidâ faſciâ implexâ.* Aduerte candidum fuiſſe diadema, quod etiam Caſaubonus aduertit ad illa Tranquilli verba lib. 1. cap. 7. *Coronam lauream candida faſcia præligatam.* Noſter lib. 3. ad Atticum: *Epicratem* (ſic Pompeium appellat) *ſuſpicor, vt ſcribis, laſciuum fuiſſe: etenim mihi caligæ eius & faſcia cretata non placebant.* Valerius lib. 6. *Pompeio candidâ faſciâ crus alligatum habenti. Non refert, inquit, qua in parte corporis ſit diadema.* quibus verbis notat Caſaubonus obiici apertè regni ſuſpicionem, non propter faſciam, ſed propter talem faſciam, hoc eſt, candidam. Candidæ enim regum faſciæ, quas diademata vocabant. Veteres Grammatici, Καυσία πῖλος ἦν πλατὺς, ὃν οἱ Μακεδονικοὶ βασιλεῖς ἐφόρουν, λευκὸν αὐτῷ διάδημα περιειλοῦντες. *Cauſia pileus erat latus, quem Macedoniæ Reges geſtabant candido diademate circumplicato.* Ælianus de animalibus lib. 15. cap. 2. Ὁ τοίνυν ἄρρην χροιὰς λευκὴν τὸ μέτωπον ταινίαν ἔχει περιθέουσαν, εἴποις ἂν Λυσιμάχου τοῦτο διάδημα, ἢ Ἀντιγόνου, ἢ τινὸς τῶν ἐν Μακεδονίᾳ βασιλέων ἄλλου. VI.

Diadema.

REIICIEBAT.] Epitome Liuiana: *M. Antonio Conſule collega ſuo inter Lupercos currente diadema capiti ſuo impoſitum in ſella repoſuit.* Imò in Capitolium Ioui Optimo Maximo miſit, aiens ſolum Iouem Regem eſſe populi Romani, vt Suetonius, Dio, Plutarchus, & alij litteris prodiderunt. VII.

ARGVMENTVM.

Rem ſuperiore ſectione narratam verbis exaggerat, nouámque circumſtantiam addit, quòd miſericordiam captans Cæſari ſupplicarit, vt Rex fieri dignaretur.

LXXII. AT etiam miſericordiam captabas: ſupplex te ad pedes abiiciebas: quid petens? vt ſeruires? tibi vni peteres, qui ita à puero vixeras, vt omnia paterere, vt facilè ſeruires. A nobis populóque Romano mandatum id certè non habebas. O præclaram illam eloquentiam tuam, cùm es nudus concionatus! quid hoc turpius? quid fœdius? quid ſuppliciis omnibus dignius? num expectas dum te ſtimulis fodiamus? hæc te, ſi vllam partem habes ſenſus, lacerat, hæc cruentat oratio. Vereor ne imminuam ſummorum virorum gloriam: dicam tamen dolore commotus: Quid indignius, quàm viuere eum, qui impoſuerit diadema, cùm omnes fateantur iure interfectum eſſe qui abiecerit?

EXPLANATIO.

AT ETIAM.] Non tibi ſatis fuit capiti Cæſaris diadema imponere, niſi etiam ſupplicaſſes, vt Cæſar miſereretur populi Romani, & regnum admitteret, miſeriáſque Reip. hoc pacto ſubleuaret.

TIBI VNI PETERES.] Petere debebas, vt tibi ſoli ſeruire liceret, tu enim qui ab ineunte pueritia impurorum hominum ætatulæ tuæ inſultantium libidinem pertuliſti, facilè ſeruire potuiſti.

OMNIA PATERERE.] Obiicit impudicitiam Antonio. Vulgare ſcortum, &c.

A NOBIS CERTE.] A Senatu populóque Romano tibi mandatum non fuerat, vt à Cæſare peteres ſeruitutem.

O PRÆCLARAM.] Exclamatio ironica.

NVDVS.] Non crimini vertit, quòd nudus fuerit: ſolebant enim Luperci nudi procedere:

ſed quòd nudus fuerit concionatus: concionans enim non Luperci, ſed Conſulis perſonam ſuſtinere debebat. cætera ſunt perſpicua: tantùm aduerte quàm acriter inſultet, & nactus occaſionem è manibus elabi non patiatur.

VIRORVM SVMMORVM.] Brutorum, Caſſij, & cæterorum qui Cæſari necem intulerunt.

DICAM TAMEN.] Ita ſcripſerat Cicero: *Dicam tamen dolore commotus. Quid indignius quàm viuere eum.* Poſteà tamen ab Attico ſuo monitus ita mutauit. *Dicam tamen dolore commotus indigniſſimum eſſe hunc viuere, qui impoſuerit diadema,* &c. Sic enim epiſtola vndecima lib. 16. ad Attic. *Libenter ea corrigam, quæ à te animaduerſa ſunt, eodem iure quo Rubriana potiùs quàm quo Scipionis,* &c. *Illud etiam malo indigniſſimum eſſe hunc viuere quàm quid indignius.* Ita Lambinus eum epiſtolæ locum emendat, cùm priùs loco *indigniſſimum*, legeretur, *indignius*

NOTÆ.

I. SVPPLEX TE AD PEDES.] Vide Sextianam 54. *Gener & Piſo gener à Piſonis Conſulis pedibus ſupplex reiiciebatur.* & 74. *Socer ad pedes abiectus.*

II. A puero. A PVERO.] Hoc Latini variis modis extulerunt. Cicero paſſim, *à pueritia.* Virgilius,

-adeo à teneris aſſueſcere multum eſt.

Catullus de coma Berenices:

A virgine. *Cognoram à parua virgine magnanimam.*

Horatius:

Ab vnguiculis. *A tenero meditetur vngui.*

Quod putauit Cicero leniẽdum lib. 1. epiſt. 6. *Præſta te eum, qui mihi à teneris, vt Græci dicunt, vnguiculis es cognitus.* Quem in locum adfert eruditus Manutius Plutarchum de liberorum educatione: Ἐξ ἁπαλῶν ὀνύχων ἀγαπῶσι τὰ τέκνα. *A teneris vnguiculis liberos amant.* Sed vſitatiſſimus loquẽdi modus *à puero*, putidum ſit exempla corradere. ne Græcis quidẽ ignotus. Theocritus eidyllio 15.

Ἵππον καὶ τὸν ψυχρὸν ὄφιν τὰ μάλιστα δέδοικα
Ἐκ παιδός.-
Me gelidus ſerpens & equus ante omnia terret
A puero.-

III. VT OMNIA PATERERE.] Hinc *perpeti turpiter*, pro Milone. Hinc *Syrorum patiẽtiſſimum genus*, apud Plautum. Hinc *pathicus Otho* apud Iuuenalem, id eſt, impudicus. Hinc apud Stratonem 2. anthologiæ cap. 2. πάσχοντες καὶ δρῶντες. Hinc eodem cap. ignoti Scriptoris nobile epigramma:

Ἀνέρας ἠρνήσαντο. καὶ οὐκ ἐγένοντο γυναῖκες.
Οὔτ' ἄνδρες γεγάασιν, ἐπεὶ πάθον ἔργα γυναικῶν.
Οὐδὲ γυναῖκες ἔασιν, ἐπεὶ φύσιν ἔλλαχον ἀνδρῶν.
Ἀνέρες εἰσὶ γυναιξὶ, καὶ ἀνδράσιν εἰσὶ γυναῖκες.

IV. NVDVS.] 8. Æneid.

Hinc exultantes Salios nudóſque Lupercos.

2. Faſtorum:

Cur igitur currant, &, cùm ſic currere mos eſt.
Nuda ferant poſita corpora veſte rogas?
Ipſe Deus velox diſcurrere gaudet in altis
Montibus, & ſubitas concipit ille fugas.
Ipſe Deus nudus nudos iubet eſſe Lupercos,
Nec ſatis ad curſus commoda veſtis erat.

Idem alij paſſim teſtantur. Non tamen omnino nudi fuerunt, ſed ſubligacula quædam habuerunt, quibus verenda tegerentur. Plutarchus in Romulo: Διαθέουσιν ἐν περιζώμασι γυμνοί. *Nudi cum ſubligaculo diſcurrunt.* Et clariùs Dionyſius Halicar. lib. 1. Antiq. Rom. modò Græca non ſunt ad manum: adfero Sigiſmundi Gelenij verſionem: *Mos erat incolas Palatini montis peracto ſacro nudos circum vicum diſcurrere, ſuccinctos tantum pudenda recens mactatarum pecudum exuuiis: id erat luſtrationis genus quoddam, vicanis receptum vſu patrio, quod nunc quoque fieri ſolet.* Hinc, vt Turnebus aduertit, *cinctutos* Ouidius, ſuccinctos Papinius appellat. Hic, Nudi Luperci.

Verbera ſuccincti formidauere Luperci.

Ille 5. Faſt.

Semicaper coleris cinctutis Faune Lupercis
Cùm luſtrant celebres verbera ſecta vias.

STIMVLIS FODIAM.] Seruile ſupplicium. V.
Plautus Aſinaria actu 2. ſc. 4.

Vtinam nunc ſtimulus in manu mihi ſit.
Qui latera conteram tua, quæ occalluere plagis.

Curculione actu 1. ſc. 2.

Etiam mihi quoque ſtimulo fodere lubet te. Stimuli.

Menæchmis actu 5. ſc. 5.

At ego te pendentem fodiam ſtimulis triginta dies.

Hinc *ſupplicium ſtimuleum*, Milite glorioſo actu 2. ſc. 6. Hinc ſeruus quidam Caſina actu 1. ſc. 9. *Stimulorum loculi.* & Staphyla anus *ſtimulorum ſeges*, actu primo Aululariæ. ſc. primâ.

A NOBIS POPVLÓQVE ROMANO.] Totum VI.
hunc locum Dio ſic expreſſit lib. 45. Ἡμεῖς, ὦ Ἀντώνιε, ἡμεῖς σοι ταῦτ' ἐπεστελλάμεθα; οἱ τοὺς Ταρκυνίους ἐξελάσαντες, οἱ τὸν Βροῦτον ἀγαπήσαντες, οἱ τὸν Καπιτωλῖνον κατακρημνίσαντες, οἱ τὸν Σπούριον ἀποκτείναντες; ἡμεῖς βασιλέα τινὰ ἀσπάσασθαί σε προσετάξαμεν; οἱ καὶ αὐτὴν τὴν ἐπωνυμίαν αὐτοῦ, καὶ προσέτι καὶ τὴν τοῦ Δικτάτορος δι' ἐκείνην ἐπάρατον ποιησάμενοι; ἡμεῖς τύραννόν τινα ἀποδεῖξαί σοι ἐκελεύσαμεν, οἱ τὸν Πύῤῥον ἐκ τῆς Ἰταλίας ἐκβαλόντες, οἱ τὸν Ἀντίοχον ὑπὲρ τὸν Ταῦρον ἀπελάσαντες; Οὐ μὰ τὰς ῥάβδους τοῦ Βαλερίου, καὶ τὸν νόμον τοῦ Πορκίου, οὐ μὰ τὸ σκέλος τοῦ Ὁρατίου, καὶ τὴν χεῖρα τοῦ Μουκίου· οὐ μὰ τὸ δόρυ τοῦ Δεκίου, καὶ τὸ ξίφος τοῦ Βρούτου. Σὺ δὲ, ὦ παγκάκιστε, καὶ ἐδέου, καὶ ἱκέτευες, ἵνα δουλεύσῃς, ὡς Ποσούμιος, ὅπως Σαυνίταις ἐκδοθῇ· ὡς Ῥήγουλος ὅπως Καρχηδονίοις ἀποδοθῇ, ὡς Κούρτιος, ἵνα ἐς τὸ χάσμα ἐμπέσῃ. *Noſne tibi, M. Antoni, nos hæc mandauimus? qui Tarquinios eiecimus, Brutum amplexi ſumus, Manlium de ſaxo deiecimus, Spurium occidimus. Nos te Regem aliquem ſalutare iuſſimus? qui illud nomen, atque huius cauſa etiam Dictatoris appellationem diris execrationibus deuouimus? Nos te tyrannum aliquem conſtituere iuſſimus? qui Pyrrhum ex Italia profligauimus, Antiochum vltra Taurum montem ſubmouimus. Non ita, non, per faſces Valerij, per legem Porcij: non, per crus Horatij, per manum Mutij: non, per haſtam Decij, per gladium Bruti. Tu autem hominum ſceleratiſſime, ſupplex factus orauiſti vti ſeruires, inſtar Poſthumij, vt Samnitibus dederetur, Reguli, vt Carthaginienſibus redderetur, aut Curtij, vt in hiatum præceps mitteretur.* Ita lego. ſublatis, opinor, mendis quæ in ſcripturam irrepſerant, ἱκέτευες ἵνα δουλεύσῃς, ὡς Ποσούμιος. ὅπως Σαυνίταις ἐκδοθῇς, ὡς Ῥήγουλος. ὅπως Καρχηδονίοις ἀποδοθῇς, ὡς Κούρτιος. &c. Quæ lectio etiam Xylandrum in fraudem induxit.

ARGVMENTVM.

A conſequentibus ſiue ex eo quòd illud inſcripſerit in faſtis, & à maiorum exemplo, qui Tarquinium eiecerant, cæteróſque qui regnum appeterent, interfecerant, Antonij ſcelus amplificat.

LXXIII. AT etiam inſcribi iuſſit in faſtis, ad Lupercalia, C. Cæſari Dictatori perpetuo, Marcum Antonium Conſulem populi iuſſu regnum detuliſſe: Cæſarem vti noluiſſe. Iam iam minimè miror, te otium perturbare, non modò vrbem odiſſe, ſed etiam lucem: cum perditiſſimis latronibus non ſolùm de die, ſed etiam in diem viuere. Vbi enim tu in pace conſiſtes? qui locus tibi in legibus & in iudiciis eſſe poteſt? quæ tu, quantum in te fuit, dominatu regio ſuſtuliſti. Ideóne L. Tarquinius exactus? Spur. Caſſius, Melius, M. Manlius necati: vt multis pòſt ſeculis à M. Antonio, quod fas non eſt, Rex Romæ conſtitueretur?

EXPLANATIO.

AT ETIAM.] Quæ in acta publica referebant, ea inſcribi iubebant in faſtis, ad illum diem, quo res euenerat. Antonius igitur non contentus Cæſari regnum obtuliſſe, rem à ſe geſtam, quaſi memoria dignum facinus, publicis conſignari monumentis voluit, poſteriſque mandari. Dio tamen lib. 43. ſcribit, id Cæſaris ipſius iuſſu factum fuiſſe, ideóque fortaſſe Noſter ambiguè loquutus eſt, iiſque verbis rem expreſſit, quæ poſſent non minùs Cæſari quàm Antonio conuenire.

IAM IAM.] Quoniam, vt ait pro Sextio 99. homines improbi *propter metum pœnæ, peccatorum ſuorum conſcij, nouos motus conuerſionéſque Reipub. quærunt*, ideo commodè inſiſtit Orator mirum non eſſe, quòd Antonius nouis rebus ſtudeat, & ſus déque omnia miſcere & perturbare moliatur, quòd Lupercalibus tantum ſcelus ſuſceperit, vt ſtante Repub. ſtare non poſſit.

CVM PERDITISSIMIS LATRONIBVS.] Fratribus Caio & Lucio, cum Cenſorino, Cæſare Vopiſco, Saxa, Caphone, Nucula, Lentone, Appulo Domitio, P. Decio, Trebellio, L. Planco, Caninio Cimbro, de quibus Philipp. vndecima à §. 10. ad 15. Lacone, Muſtella, Licinio Lenticula, Tirone Numiſio, & aliis eiuſmodi. vide Philipp. 13. §. 26. 27. 28.

DE DIE.] De die & in diem viuere dicuntur ij, qui in aſſidua ſupplicij expectatione verſantur, quaſi ſibi iam iam eſſet pereundum: atque adeò quemcumque diem tranſegerint, videntur lucro apponere, tantúmque diei præſentis habent rationem, nihil de craſtino cogitantes: quaſi putent ſe craſtinum diem non eſſe viſuros, aut *de die*, luce palam omnibus videntibus: *in diem*, rapto, ſingulis diebus, vt Manutius exponit.

VBI ENIM.] Ratio cur aſſiduè timere debeat Antonius.

DOMINATV REGIO.] Volens inſtituere Cæſarem Regem, qui leges & iudicia pro ſua voluntate & libidine ſuſtuliſſet.

IDEÓNE.] Exclamatio grauis, ab exemplo maiorum.

L. TARQVINIVS.] Superbus ſeptimus & vltimus Rex Romanorum, qui ob ſtuprum à Sexto Tarquinio filio Lucretiæ oblatum, à L. Bruto Roma exactus eſt.

SPVR. CASSIVS.] Is poſt Conſulatus tres ac duos triumphos, ob ſuſpicionem affectatæ tyrannidis damnatus, necatúſque eſt. *Sunt*, inquit Liuius, *qui patrem auctorem eius ſupplicij ferant: eum cognitâ domi causâ verberaſſe ac necaſſe, peculiúmque filij Cereri conſecrauiſſe*, &c.

MELIVS.] Epitome Liuiana: *Cùm fame populus Romanus laboraret, Sp. Melius Eques Romanus frumentum populo ſuâ impensâ largitus eſt: & ob id factum conciliata ſibi plebe regnum affectans à C. Seruilio Hala iuſſu Quintij Cincinnati Dictatoris, vel potiùs quòd à Quintio vocatus ire recuſaret, occiſus eſt.*

M. MANLIVS.] Eadem epitome lib. 6. *M. Manlius, qui Capitolium à Gallis defenderat, cùm obſtrictos ære alieno liberaret, nexos exolueret, crimine affectati regni damnatus, de ſaxo Tarpeio deiectus eſt. in cuius notam S. C. factum, ne cui de Manlia gente Marco cognomen eſſet.*

VT MVLTIS PÒST SECVLIS.] Tarquinius eiectus anno ab Vrbe condita CCXLV. VI. Kalend. Martij. Spurius Caſſius necatus anno V. C. CCLXX. Spurius Melius anno CCCXV. Manlius anno CCCLXX. Antonius autem Cæſari diadema anno DCCX. quamuis alij, vt & nos fecimus huius orationis initio, vnum annum chronologiæ detraxerint.

QVOD FAS NON EST.] Liuius initio libri 2. Brutus eiectis Tarquiniis: *Omnium primùm auidum nouæ libertatis populum, ne poſt modum flecti precibus, aut donis regiis poſſet, iureiurando adegit, neminem Romæ paſſuros regnare.* Atque hæc cæſis victimis, ſuper eis ſtantes non ſolùm pro ſe, ſed etiam pro ſuis poſteris iurauerunt, vt omnem poſteritatem hac religione adſtringerent, vt ſcribit Dionyſius initio libri quinti, & eam ob cauſſam fas non erat Regem Romæ conſtituere.

NOTÆ.

I. IN FASTIS.] Vide Sextianam 33. num. 4. Adde Feſtum Pompeium. *Faſtorum libri appellantur, in quibus totius anni fit deſcriptio.* Gloſſarium, *Faſtus*, ἡμερολόγιον. Aduertit alicubi Ioſephus Scaliger ventilatam fuiſſe inter veteres Grammaticos quæſtionem, an Faſtus etiam hoc ſenſu in quarta inflexione dicerentur, vt dixit Lucanus:

Nec meus Eudoxi vincetur faſtibus annus.

II. TE OTIVM PERTVRBARE.] Quia videlicet ſcelerati & nefarij *propter metum pœnæ*, inquit Cicero pro Sextio §. 99. *peccatorum ſuorum conſcij, nouos motus conuerſionéſque Reipub. quærunt.* Vbi vide Notas, & ad Cœlianam §. 15. *Quod tantum aut in moribus naturáque vulnus, aut in re atque fortuna?* Cùm autem finis quem intueri Reipub. adminiſtratores debent ſit *cum dignitate otium.* hinc patet idem eſſe *perturbare otium*, atque Reip. ſtatum conuellere. vnde pro domo ſua 137. *Tu procella patriæ, turbo ac tempeſtas pacis atque otij, quod in naufragio Reipub. tenebris offuſis, demerſo populo Romano, atque euecto Senatu*, &c. Otium enim eſt pax & tranquillitas. Otium. Secunda Agraria 101. *Pacem, trãquillitatem, otium.* Mox: *Non modò vos eritis in otio qui ſemper eſſe volueritis*, &c. vide. Eadem orat. 9. *Quid tam populare quàm pax? Quid tam populare quàm libertas?* &c. *Quid tam populare quàm otium? quod ita iucundum eſt, vt & vos & maiores veſtri, & fortiſſimus quiſque vir, maximos labores ſuſcipiendos putet, vt aliquando in otio poßit eſſe, præſertim in imperio & dignitate.*

III. DOMINATV REGIO.] Pulchrè Plato, vbi de ſex Reipub. formis diſſeruit, regno, tyrannide, ariſtocratia, oligarchia, democratia, ſiue ſtatu populari, & ochlocratia diſſeruit, dialogo qui Politicus inſcribitur. Μοναρχία, inquit, ζευχθεῖσα μὲν γράμμασιν ἀγαθοῖς, οὓς νόμους λέγομεν, ἀρίστη πασῶν τῶν ἕξ, ἄνομος δὲ χαλεπὴ καὶ βαρυτάτη ξυνοικῆσαι. *Monarchia coniuncta bonis litteris, quas leges vocamus; optima eſt omnium ſex Reipub. formarum: exlex verò difficilis & grauiſſima.* Et apud Dionem Chryſoſtomum oratione prima de regno Mercurius Herculi Βασιλείαν regali ſolio ſublimem oſtendit. quam hinc inde circumſiſtunt, προσορῶσα γοργόν τε καὶ πρᾶον ἐκ δεξιῶν καθημένη Δίκη, πλείστῳ δὴ καὶ φανερωτάτῳ λάμπουσα κάλλει· παρὰ δ' αὐτὴν Εὐνομία, πάνυ ὁμοία καὶ μικρὸν διαφέρουσα τὸ κάλλος. ἐκ δὲ τοῦ ἐπὶ θάτερα μέρους γυνὴ σφόδρα ὡραία, καὶ ἁβρῶς ἐσταλμένη, καὶ μειδιῶσα ἀλύπως, Εἰρήνην καλοῦσιν αὐτήν. ὁ δ' ἐγγὺς ἑστηκὼς τῆς Βασιλείας παρ' αὐτὸ τὸ σκῆπτρον ἔμπροσθεν, ἰσχυρὸς ἀνὴρ, πολιὸς καὶ μεγαλόφρων, οὗτος δὲ καλεῖται Νόμος, ὁ δὲ αὐτὸς καὶ Λόγος Ὀρθὸς, σύμβουλος καὶ πάρεδρος, οὗ χωρὶς οὐδὲν ἐκείναις πρᾶξαι θέμις, οὐδὲ διανοηθῆναι. *Quæ nos acri & miti vultu adſpicit à dextris, ſedétque, Iuſtitia eſt, maxima ſanè clariſſimáque ſplendens pulchritudine. Circa eam autem eſt Eunomia, prorſus illi ſimilis, nec admodum inferior pulchritudine. Porro in altera parte quæ ſedet mulier oppido ſpecioſa, & delicatè veſtita, & lætè ſubridens, eam vocant Pacem. Ille autem qui propè Baſileam conſiſtit, ante ipſum ſceptrum, vir fortis & canus & magnanimus appellatur* Νόμος, *id eſt, lex, idem Logos Orthos, id eſt, recta ratio locatur, à conſiliis & aſſeſſor, ſine quo nihil illis fas eſt facere, neque cogitare.* Philo lib. 2. legis allegoriarum: Βασιλεὺς δὲ ἐχθρὸν τυράννῳ, ὅτι ὁ μὲν νόμων, ὁ δὲ ἀνομίας ἐστὶν εἰσηγητής. *Rex aduerſatur tyranno, quod ille legum, hic iniquitatis ſit introductor.* Nomen aliud non occurrit, quo ἀνομίαν interpreter. Synesius de regno: Βασιλέως μὲν ἐστι τρόπος ὁ νόμος, τυράννου δὲ ὁ τρόπος, νόμος. *Regi pro moribus leges ſunt, tyranno pro legibus mores.* Regia poteſtas legione temperata.

Quare cùm dicitur Antonius leges & iudicia dominatu regio ſuſtuliſſe, verius diceretur id feciſſe tyrannico dominatu: nam legi & regi, vt litterarum, ita & poteſtatis mira conſenſio. Philo initio libri 2. de vita Moſis: Βασιλεῖ προσήκει προστάττειν ἃ χρὴ, καὶ ἀπαγορεύειν ἃ μὴ χρή. πρόσταξις δὲ τῶν πρακτέων, καὶ ἀπαγόρευσις τῶν οὐ πρακτέων, ἴδιον νόμου. ὡς εὐθὺς εἶναι τὸν μὲν βασιλέα νόμον ἔμψυχον, τὸν δὲ νόμον βασιλέα δίκαιον. *Regis officium eſt iubere quæ oportet fieri, & vetare à quibus abſtineri decet. Cæterùm iußio faciendorum, & interdictio cauendorũ propriè ad legem pertinet. atque ita conſequitur, vt rex animata lex ſit, lex vero ſit rex iuſtiſſimus.* Quamuis interdum Regi conuenit, vt alicubi notauimus ex Themiſtio oratione de humanitate Theodoſij: Ἐπανορθοῦν καὶ τοὺς νόμους, καὶ τὸ ἀπηνὲς αὐτῶν καὶ ἀμείλικτον παραδεικνύναι, ἅτε νόμῳ ἐμψύχῳ ὄντι, καὶ οὐκ ἐγγεγραμμένῳ ἀμεταθέτοις καὶ ἀσαλεύτοις. *Leges etiam ipſas moderari, & earum aſperitatem ſeueritatémque mitigare, quippe qui lex ſit animata, non in litteris poſita, quæ nec transferri, nec transmutari poßint.* Ideóque Regem νόμον ἔμπνουν καὶ ζῶντα, *legem ſpirantem & viuentem* ibidem appellat.

ARGVMENTVM.

Redit ad propoſitum de ementitis auſpiciis in comitiis Dolabellæ, vnde occaſione Lupercalium digreſſus fuerat: mox ad ea quæ necem Cæſaris ſequuta ſunt, delabitur.

SED ad auſpicia redeamus: de quibus rebus Idibus Martiis fuit in Senatu Cæſar acturus: quæro, tum tu quid egiſſes? Audiebam quidem te paratum veniſſe, quòd me de ementitis auſpiciis, quibus tamen parere neceſſe erat, putares eſſe dicturum. Suſtulit illum diem fortuna populi Romani: num etiam tuum de auſpiciis iudicium interitus Cæſaris ſuſtulit? Sed incidi in id tempus quod iis rebus, in quas ingreſſa erat oratio, præuertendum eſt. LXXIV.

EXPLANATIO.

SED AD AVSPICIA.] Quæ ſuperiùs dixeram te fuiſſe ementitum, cùm quaſi fulgur vidiſſes, aut tonitru audiſſes, ALIO DIE dixiſti, & Augur Auguri, Conſul Conſuli obnuntiaſti.

DE QVIBVS REBVS.] Cæſar, vt ſcribit Appianus, quarto poſt Idus Martias profecturus erat ad bellum Parthicum : & antequam vrbe excederet, Conſulem ſuo loco ſubſtituere decreuerat. Ideóque relaturus erat ad Senatum de auſpiciis ab Antonio nuntiatis : vtrùm videlicet obnuntiatio Antonij vim obtineret, & Conſul vitioſus eſſet Dolabella. Quærit igitur Orator ab Antonio quid egiſſet. Cæſarine, cui regnum deferre voluerat, repugnare auſus fuiſſet, an probaturus Conſulem Dolabellam, quaſi ſaluis auſpiciis creatum. Hic eſt opinor ſenſus, quamquam alia etiam de re agendum fuerat Idibus Martiis in Senatu. Nam, vt ſcribit Tranquillus cap. 79. *Proximo Senatu percrebuit fama L. Cottam Quindecimuirum ſententiam dicturum, vt quoniam libris fatalibus contineretur, Parthos niſi à Rege non poſſe vinci, Cæſar Rex appellaretur.* Quæ ſuſpicio Cæſari necem maturauit, vt Appianus, Dio, Plutarchus litteris prodiderunt. *Quæro tum tu quid egiſſes?* Eum ſine dubio Regem eſſe creandum cenſuiſſes, cui iam impoſueras diadema. Sed prior explanatio magis ad rem.

AVDIEBAM QVIDEM] Dicebaris quidem habere paratam orationem, vt mihi reſponderes, ſi dixiſſem te ementitum eſſe auſpicia, iiſque parendum non eſſe, neque Dolabellam obnuntiatione tuâ factum fuiſſe Conſulem vitioſum.

QVIBVS TAMEN PARERE NECESSE ERAT.] Quia tu obſtrinxeras populum Romanum religione, & Augur Auguri, Conſul Conſuli obnuntiaueras, vt parendum tibi eſſet, etiamſi ementireris auſpicia.

SVSTVLIT.] Liberatus es ab illo æſtu & periculo vel repugnandi Cæſari, qui Dolabellæ comitia rata eſſe cupiebat, vel confitendi te auſpicia ementitum fuiſſe, quod accidit non tam tuâ quàm populi Romani felicitate, quæ Cæſare interfecto, à ſeruitute Remp. liberauit.

NVM ETIAM.] Dolabella ſtatim poſt necem Cæſaris, non expectato Senatus decreto de auſpiciis, Conſulatum inuaſit, & paulò pòſt Antonius reconciliatus Dolabellæ. Obiter igitur obiicit inconſtantiam, quia quem viuo Cæſare vitioſum eſſe Conſulem dixerat, eum poſt Cæſaris necem, tanquam ſaluis auſpiciis creatum in conſortium Conſulatus admiſit.

SED INCIDI.] Duplex eſt huius loci ſcriptura. *quod iis de rebus*, &c. *prætereundum non ſit* vel, *quod iis rebus*, &c. *præuertendum eſt.* Neutra ſatis animo facit. non prior, quia vix cohæret oratio. Non poſterior, quia præuertere eſt ordinem dicendorum inuertere, non omnino præterire : at nihil amplius de auſpiciis dicturus eſt. viderint eruditi.

NOTÆ.

I. Ementita auſpicia.

EMENTITIS AVSPICIIS.] Suprà 69. *Tua potiùs quàm Reipub. calamitate ementitus es auſpicia.* 1. de diuinatione Appius : *Cenſor P. Atteium notauit quòd ementitum auſpicia ſubſcripſerit.* Philippica 3 §. 9. *Seruabant auſpicia Reges, quæ hic Conſul Augurque neglexit, neque ſolùm legibus contra auſpicia ferendis, ſed etiam collega vnà referente eo, quem ipſe ementitis auſpiciis vitioſum fecerat.*

II. Fortuna populi Romani.

FORTVNA POPVLI ROMANI] Vide Milonianam 19. *Ex quibus ſi me non mea, ſed Reipub. fortuna ſeruaſſet.* Et rurſum §. opinor 84. *Sed huius beneficij gratiam, Iudices, fortuna populi Romani & veſtra felicitas, & Dij immortales ſibi deberi putant.* Nota eſt Plutarchi declamatio *de fortuna Romanorum.* Demoſthenes oratione de Corona, fortunam populi diſtinguit à fortuna ſingulorum. Ἐγὼ τὴν μὲν τῆς πόλεως τύχην ἀγαθὴν ἡγοῦμαι· καὶ ταῦθ' ὁρῶ καὶ τὸν Δία τὸν Δωδωναῖον ὑμῖν, καὶ τὸν Ἀπόλλω τὸν Πύθιον μαντευόμενον· τὴν μέντοι τῶν πάντων ἀνθρώπων, ἣ νῦν ἐπέχει, χαλεπὴν καὶ δεινήν. *Equidem fortunam Reipub. veſtræ bonam eſſe iudico : idque video vobis & Dodonæi Iouis, & Pythij Apollinis oraculis declarari : ſed fortunam mortalium omnium his temporibus eſſe grauem, & acerbam.* Item : Ὁ δὲ τὴν ἰδίαν τύχην τὴν ἐμὴν τῆς κοινῆς τῆς πόλεως κυριωτέραν εἶναί φησι, τὴν μικρὰν καὶ φαύλην τῆς ἀγαθῆς καὶ μεγάλης. *Iſte autem priuatam fortunam meam communi fortuna Reipubl. valentiorem eſſe dicit : paruam & vilem bona & ampla.* vide locum. Atque ita quidem oratorum principes de fortuna philoſophati : Latino etiam Poëtæ,

Fortuna omnipotens & ineluctabile fatum,

videntur res humanas gubernare : at Poëta Græcus omnes rerum euentus adeo diuinæ prouidentiæ tribuebat, vt ne nomen quidem τῆς τύχης in eius operibus extare iampridem notauerint eruditi.

ARGVMENTVM.

Fugam & formidinem Antonij poſt necem Cæſaris, ſuámque de illo opinionem & auguria euentu confirmata exponit.

LXXV. QVÆ tua fuga? quæ formido præclaro illo die? quæ propter conſcientiam ſcelerum deſperatio vitæ? cùm ex illa fuga, beneficio eorum, qui te (ſi ſanus eſſes) ſaluum eſſe voluerunt, clàm te domum recepiſti? O mea fruſtra ſemper veriſſima auguria rerum futurarum! Dicebam illis in Capitolio liberatoribus noſtris, cùm me ad te ire vellent, vt ad

vt ad defendendam Rempub. te adhortarer: quoad metueres, omnia te promiſſurum; ſimul ac timere deſiiſſes, ſimilem te futurum tui. Itaque cùm cæteri conſulares irent, redirent; in ſententia manſi, neque te illo die, neque poſtero vidi: neque vllam ſocietatem optimis ciuibus cum importuniſſimo hoſte fœdere vllo confirmari poſſe credidi.

EXPLANATIO.

QVÆ TVA FVGA.] Antonius à Trebonio ſeuocatus dum Cæſar occideretur, audita Cæſaris nece, veritus ne ipſe quoque ad mortem peteretur, fugit & ſe occuluit, abiecta veſte Conſulari, vt ſcribit Dio, & vt Plutarchus ſeruili veſte aſſumpta.

PRÆCLARO ILLO DIE.] Idibus Martiis, quo primùm die ciuitas eſt in libertatem vindicata.

CONSCIENTIAM SCELERVM.] Duorum maximè, quòd & olim interceſſione tua nefariâ ciuili bello cauſſam præbuiſſes, & nuper impoſuiſſes Cæſari diadema.

BENEFICIO EORVM.] M. Bruti præſertim, qui deliberantibus aliis an Antonium pariter occiderent, vetuit interfici, & Trebonij qui Antonium ſeuocauit. Philippic. 13. §. 22. *Sceleratum Trebonium? quo ſcelere? niſi quòd te Idibus Martiis à debita tibi peſte ſeduxit?*

SI SANVS ESSES.] Si bene de Republ. ſentires.

O MEA FRVSTRA.] Semper vera fuit auguratus: nam & initio belli ciuilis prædixerat ea quæ exitus comprobauit, & poſt necem Cæſaris ea quæ hîc narrantur. Sed fruſtra ſemper, quia nec impetrare potuit à Pompeio, cæteriſque qui bellum cupiebant, vt res cum Cæſare componerent: nec à Bruto cæteriſque Cæſaris percuſſoribus, vt Antonio diffiderent, eúmque metu potiùs, quàm beneficiis in officio continerent.

ILLIS.] Bruto cæteriſque qui à Reipubl. ceruicibus iugum ſeruile deiecerant, quíque cæde peractâ in Capitolium, tanquam Deos comprecaturi conceſſerant, ibíque diem illum noctémque exegerunt. ad quos acceſſerunt cùm alij tum ipſe Cicero, vt cum illis agerent de Repub.

SIMILEM TE FVTVRVM TVI.] Improbum & violentum.

CÆTERI CONSVLARES.] Luc. Piſo, Luc. Cæſar auunculus Antonij, P. Sulpitius, Luc. Philippus, & alij conſulares.

OPTIMIS CIVIBVS.] Bruto, Caſſio cæteris qui erant ex eadem factione.

IMPORTVNISSIMO HOSTE.] Antonio, apud quem nulla ſecuritas, nullus portus, in quo Reipubl. nauis tot fluctibus iactata conquieſcat.

NOTÆ.

SANVS.] Suprà 39. *Ipſique C. Cæſari, ſi ſana mente eſſe velles, conſulere velletis.* Id eſt, Rempubl. amplecti, rectè de Republ. ſentire, ſequi partes optimatium. vnde pro Sextio eos dicit optimates, *quique integri ſunt, & bene de rebus domeſticis conſtituti.* §. 97. I.

CLAM TE DOMVM RECEPISTI.] Plutarchus in Cæſare: Ἀντώνιος δὲ καὶ Λέπιδος, οἱ μάλιστα φίλοι Καίσαρος, ὑπεκδύντες, εἰς οἰκίας ἑτέρας κατέφυγον. *Antonius autem & Lepidus, qui maximè Cæſari erant amici, arrepta fuga ſubrepſerunt in domos alienas.* Sed fieri poteſt, vt primò in alienam domum ſe abſtruſerit, deinde cùm percuſſores aduerteret in nullius perniciem imminere, domum ſuam ſe receperit. At non ita facilè de Lepido Plutarchum excuſare poſſumus, quem alij tradunt in ſuburbio cum militibus fuiſſe, cùm in Senatu Cæſar occiſus eſt. Sed in re quæ ad Ciceronis explanationem neceſſaria non eſt, nolim à grauiſſimo viro diſſidere. II.

AVGVRIA.] De ſuis auguriis epiſtolâ 6. lib. 6. ad famil. *Si te ratio quædam Etruſcæ diſciplinæ, quam à patre nobiliſſimo, atque optimo viro acceperas, non fefellit: nec nos quidem noſtra diuinatio fallet, quam tum ſapientiſſimorum virorum monumentis, atque præceptis, plurimúmque, vt tu ſcis, doctrinæ ſtudio, tum magno etiam vſu tractandæ Reipub. magnáque temporum noſtrorum varietate conſecuti ſumus.* Enumeratiſque iis quæ longè ante bellum ciuile prædixerat, ſubuertit. *Quare quando, vt augures & Aſtrologi ſolent, ego quoque augur publicus ex meis ſuperioribus prædictis conſtitui apud te auctoritatem augurij & diuinationis meæ, debet habere fidem noſtra prædictio. Non igitur ex alitis volatu, nec è cantu ſiniſtro oſcinis, vt in noſtra diſciplina eſt, nec è tripudiis ſoliſtimis aut ſomniis tibi auguror: ſed habeo alia ſigna quæ obſeruem*, &c. III. Auguria Ciceronis.

AXIOMATA.

Conſcientiam ſcelerum ſequitur deſperatio vitæ.

Multi quoad metuunt, omnia promittunt, ſimul ac timere deſierint, ſimiles ſunt ſui.

Nulla ſocietas optimis ciuibus cum importuniſſimo hoſte vllo fœdere confirmari poteſt.

ARGVMENTVM.

Res ab Antonio poſt Cæſaris necem partim benè, partim malè geſtas refert, vt hinc inconſtantiam & leuitatem Antonij demonſtret.

LXXXVI. POST tertium diem veni in ædem Telluris: equidem inuitus, cùm omnes aditus armati obſiderent. qui tibi dies ille, M. Antoni, fuit? quamquam mihi ſubitò inimicus extitiſti, tamen me tui miſeret, quòd tibi inuideris. Qui tu vir, Dij immortales, & quantus fuiſſes, ſi illius diei mentem ſeruare potuiſſes? Pacem haberemns, quæ erat facta per obſidem puerum nobilem Mar. Antonij filium, M. Bambalionis nepotem, quamquam te bonum timor faciebat, non diuturnus magiſter officij: improbum fecit ea, quæ, dum timor abeſt, à te non diſcedit, audacia: etſi tum cùm optimum te putabant, me quidem diſſentiente, funeri tyranni, ſi illud funus fuit, ſceleratiſſimè præfuiſti. Tua illa pulchra laudatio, tua miſeratio, tua cohortatio, tu illas faces incendiſti, & eas quibus ſemiuſtulatus ille, & eas quibus incenſa L. Bellieni domus deflagrauit. Tu illos impetus perditorum hominum, & ex maxima parte ſeruorum, quos nos vi manúque repulimus, in noſtras domos immiſiſti.

EXPLANATIO.

POST TERTIVM.] xv. Cal. Apriles, tertio die poſt C. Cæſaris necem, *in ædem Telluris conuocati ſumus*, (inquit initio Philipp.1.) *in quo templo, quantum in me fuit, ieci fundamenta pacis: Athenienſiúmque reuocaui vetus exemplum: Græcum etiam verbum vſurpaui, quo tum in ſedandis diſcordiis erat vſa ciuitas illa, atque omnem memoriam diſcordiarum obliuione ſempiterna delendam cenſui. Præclara tum oratio M. Antonij, egregia etiam voluntas: pax denique per eum & per liberos eius cum præſtantiſſimis ciuibus confirmata eſt.*

ET QVIDEM INVITVS.] Vel quòd noſſem animi tui leuitatem, tibíque fidendum non putarem: vel quòd inter armatos milites qui omnes aditus obſidebant, tutò me venire non poſſe arbitrarer. M. enim Lepidus Magiſter Equitum, vt ſcribit Dio, morte Cæſaris compertâ, noctu forum militibus occuparat, concionémque ſub auroram contra percuſſores Cæſaris habuerat.

QVI TIBI.] Antonius cum Cicerone auctor fuerat concordiæ ciuium, & vt prouinciæ Bruto & Caſſio decernerentur, ex quo magnam gloriam fuerat conſecutus. Sed ſibi paulò pòſt inuidit hanc gloriam, quia diſcordias illas paulò pòſt renouauit. Quod dolet Orator, etſi cauſa quædam ſubeſſe videbatur, lætandi inimici ſui infamiâ & dedecore: cùm præſertim Antonius nullâ laceſſitus iniuriâ ſubitò inimicus extitiſſet Ciceroni, eíque ex improuiſo inimicitias denuntiaſſet.

SVBITÒ INIMICVS.] Calendis Septembribus Senatum habuit Antonius, retulítque ad Senatum de ſupplicationibus mortuo Cæſari decernendis. Cicero non adfuit languens de via, miſítque ad Antonium, qui hanc adferret abſentiæ ſuæ rationem. Enimuerò Antonius, ita ſubitò exarſit, vt minatus fuerit ſe cum fabris iturum ad domum Ciceronis, eámque diſturbaturum, quâ iniuriâ repente Ciceroni extitit inimicus. Vide 1. Philipp. §. 11. 12.

PER OBSIDEM.] Peracto S.C. de obliuione iniuriarum in æde Telluris, inuitati ſunt Cæſaris percuſſores, vt è Capitolio deſcenderent. Illi cùm etiam tum ſibi à Lepido & Antonio metuerent, non auſi vitam ſuam illis committere, obſides ab eis petierunt. Dedit Antonius filium ſuum quem ex Fadij Bambalionis libertini hominis filia ſuſceperat.

M. BAMBALIONIS.] Dubium eſt quod prænomen habuerit Bambalio. ſuprà Q. Fadium, lib. 16. ad Att. ep. 11. etiam C. Fadium nominauit. *Tantùm, vt ſciant παῖδες παίδων, ſine vallo Luciliano, eum ex C. Fadij filiâ liberos habuiſſe.* Vide 3. Philipp. §. 16.

NON DIVTVRNVS.] Alij legunt, *non diuturni magiſter officij*. Idem ſenſus eſt. quia qui ſolâ pœnæ formidine bene faciunt, ſublato metu ad priora ſtudia reuoluuntur.

ME QVIDEM DISSENTIENTE.] Duplex ſenſus eſſe poteſt, vel enim diſſentiebat ab aliis Cicero, quòd aliis Antonium optimum putantibus, ipſe ne bonum quidem putaret, ſed eam crederet ſublato metu, primo quoque tempore ad ſuos mores & improbitatem eſſe rediturum: vel quod aliis Antonium funeri Cæſaris præficientibus ipſe præficiendum non putaret.

FVNERI TYRANNI.] Habuiſti funebrem orationem in laudem Cæſaris demortui. Vulgo legunt, *Funeri illius tyranni ſceleratiſſimi, præfuiſti.* Malui, *Funeri tyranni, ſi illud funus fuit, ſceleratiſſimè præfuiſti.* Quam lectionem Manutio, Lambino & aliis video placuiſſe.

TRIA ILLA PVLCHRA.] Ironicè pulchram appellat laudationem Antonij, quæ reuera

pernicioſa fuit Reipub. Ea funebri oratione tria præſtitit Antonius. 1. Laudauit Cæſarem, & cum Alexandro Macedone comparauit, vt ſcribit Appianus. 2. Interitum Cæſaris miſerabiliter defleuit. 3. Multitudinem contra percuſſores Cæſaris excitauit. Plebs ita ſubiectis iracundiæ facibus exarſit, vt Cæſaris corpus in forum detulerit, deinde ſtructo à ſeptis, ſubſelliis & tribunalibus rogo combuſſerit, tandem raptis è rogo torribus, ad percuſſorum reliquorúmque Senatorum ædes occurrerit, vt eas incenderet. quo in tumultu L. Bellieni domus deflagrauit.

SEMIVSTVS ILLE.] Aliàs: *Semiuſtum latus illius eſt.*

IMMISISTI.] Lib. 14. ad Attic. epiſt. 10. *Meminiſtíne te clamare cauſam periiſſe, ſi funere elatus eſſet? At ille etiam in foro combuſtus, laudatúſque miſerabiliter: ſeruique & egentes in tecta noſtra cum facibus immiſſi.*

NOTÆ.

I. POST TERTIVM DIEM.] Imò vt ſcribit Plutarchus in Bruto: Τῇ ὑστεραίᾳ τῆς βουλῆς συνελθούσης εἰς τὸ Γῆς ἱερὸν, Ἀντωνίου, καὶ Πλάγκου, καὶ Κικέρωνος εἰπόντων περὶ ἀμνηστίας καὶ ὁμονοίας, ἔδοξε μὴ μόνον ἄδειαν εἶναι τοῖς ἀνδράσιν, ἀλλὰ καὶ γνώμην ὑπὲρ τιμῶν προθεῖναι τοὺς ὑπάτους. *Sequenti die in ædem Telluris conuocato Senatu, cùm Antonius, Plancus, & Cicero de præteritorum obliuione & concordia Orationem habuiſſent, S. C. factum eſt, non ſolùm vt Cæſaris percuſſores impunitatem haberent, ſed etiam vt Conſules de eorum præmiis edictum proponerent.* τῇ ὑστεραίᾳ, inquit, ſed aliquanto maior Ciceronis auctoritas.

II. IN ÆDEM TELLVRIS.] Hanc ædem ponit P. Victor in quarta Vrbis regione. Marlianus lib. 3. de antiquæ Romæ topographia. *Telluris ædis*, inquit, *locum alij incertum, alij non longè ab Eſquiliis prope cliuum, quod ad Diui Petri in vinculis ædem ducit, fuiſſe putant, vbi nunc S. Pantaleonis templum eſt.* Pro domo 101. *Sp. Caſsij domus ob eandem cauſſam euerſa, atque in eodem loco ædes poſita Telluris.*

III. OBSIDEM.] Vide Cœlianam §. 78. nu. 3. vbi oſtendimus quæ ſit inter *vadem, prædem, obſidem, & pignus* diſtinctio.

IV. Bambalio. BAMBALIONIS.] Philippicâ 3. §. 16. *Tua coniugis bonæ fœminæ, locupletis quidem certè, Bambalio quidam pater, homo nullo numero. Nihil illo contemptius, qui propter hæſitantiam linguæ ſtuporémque cordis cognomen ex contumelia traxerit.* Quem locum exponens Petrus Victorius lib. 17. Var. lectionum c. 14. Adamantius, inquit, vetus Grammaticus, quod ſententiæ Ciceronis reſpondet, inquit, Bambalo ψελλισμός. à Græcis autem ψελλιστὰς vocatos balbos, & qui linguâ hæſitarent, notum eſt, &c. Græci Grammatici tra-

βαμβαλίζειν. dunt βαμβαλίζειν valere tremere corpore propter frigus, atque horrere: huiuſmodique aliquem dentium horrore oſtendere arbitrantur voluiſſe Homerum cùm in χ'. Iliadis de Dolone iam capto cecinit:

-ὁ δ' ἄρ' ἔστη τάρβησέν τε
βαμβαίνων.-

Tanquam metu ille impeditam linguam habeſet, & cùm vellet loqui, exprimere verba non poſſet, ſed balbutiret.

TIMOR.] Terentius Adelphis actu 1. ſc. 1. V. Timor non diuturnus magiſter officij.

Et errat longè, mea quidem ſententiâ,
Qui imperium credat grauius eſſe aut ſtabilius
Vi quod fit: quàm illud quod amicitia adiungitur.
Mea eſt ſic ratio, & ſic animum induco meum:
Malo coactus qui ſuum officium facit,
Dum id reſcitum iri credit, tantiſper cauet:
Si ſperat fore clam, rurſum ad ingenium redit.
Ille quem beneficio adiungas, ex animo facit, &c.

Noſter lib. 2. de Officiis: *Malus enim cuſtos diuturnitatis metus: contráque beneuolentia fidelis eſt, vel ad perpetuitatem.* Horatius epiſt.

-Tolle periclum
Iam vaga proſiliet frenis natura remotis.

LAVDATIO.] Vide Milonianam §. 34. num. 9. & §. 87. num. 6. laudationem Cæſaris funebrem ab Antonio dictam refert Dio libro 44. & Appianus lib. 2. exeunte de bellis ciuilibus. VI.

TVA MISERATIO.] Antonius, auctore Plutarcho, cùm in funere Cæſaris orationem haberet, cùm multitudinem oratione delinitam, & indignatione in percuſſores ſenſim accenſam videret, καὶ τὴν ἐσθῆτα λαβὼν τὴν Καίσαρος ᾑμαγμένην, ἀνέπτυξεν ἐπιδεικνύμενος τὰς διακοπὰς καὶ τῶν τραυμάτων τὸ πλῆθος. *Cæſaris tunicam ſanguine conſperſam manibus acceptam explicuit, oſtendens ictus multitudinémque plagarum.* Cuius rei ſoli antiquorum videntur Appianus, & Plutarchus facere mentionem. Non Tranquillus, non Dio, non ipſe Cicerò: à quo mirum eſt rem adeò inſignem, quæ tantam Antonio notam inuſſiſſet, taceri potuiſſe: Dio lib. 44. Antonium loquentem inducens enumeratis honoribus Cæſari delatis: Ἀρχιερεὺς μὲν πρὸς τοὺς θεοὺς, ὕπατος δὲ πρὸς ἡμᾶς, αὐτοκράτωρ δὲ πρὸς τοὺς στρατιώτας, Δικτάτωρ δὲ πρὸς τοὺς πολεμίους ἀπεδείχθη. *Pontifex Maximus Deorum reſpectu, noſtrum Conſul, militum Imperator, hoſtium Dictator eſt creatus:* Oratio funebris Antonij. *quamquam*, addit, *hæc ipſa cur enumero?* Cùm paulò pòſt eum patrem patriæ appellaueritis, vt reliqua cognomenta reticeam: Ἀλλ' οὗτος ὁ πατὴρ, οὗτος ὁ ἀρχιερεὺς, ὁ ἄσυλος, ὁ ἥρως, ὁ θεὸς τέθνηκεν. *Ceterùm, is Pater, is Pontifex Maximus, is Sacroſanctus, is heros, is Deus mortem obiit: Obiit (prô dolor) non morbo confectus, non ſenio abſumptus, non foris in bello vulneratus, non cœlitùs immiſſo aliquo caſu abreptus, ſed hîc intra mœnia dolo circumuentus periit.* Et alia plura in hanc ſententiam; in quibus ſingulis non eſt operæpretium immorari. Vide Dionem, & Zonaram ſecundo Annalium qui hanc orationis clauſulam verbatim exſcripſit. At Tranquillus cap. 8. *Laudationis*, inquit, *loco Conſul Antonius per præconem pronuntiauit SenatusConſultum, quo omnia ei diuina ſimul, atque humana decreuerat. Item iuſiurandum, quo ſe cuncti pro ſalute vnius adſtrinxerant, quibus perpauca à ſe verba addidit.* quod enucleatè narrat Appianus. VII.

ILLAS FACES.] Idem Suetonius 85. *Plebs ſtatim à funere ad domum Bruti & Caſsij cum facibus tetendit: atque ægrè repulſa, &c.* Plutarchus in Cæſare: Τῷ μὲν νεκρῷ περισωρεύσαντες ἐξ ἀγορᾶς βάθρα καὶ κιγκλίδας, καὶ τραπέζας ὑφῆψαν αὐτοῦ, καὶ κατέκαυσαν. ἀράμενοι δὲ δαλοὺς διαπύρους ἔθεον ἐπὶ τὰς οἰκίας τῶν ἀνῃρηκότων καταφλέξοντες. *Congeſtis ex foro in demortuum ſubſellis, cancellis, menſiſque, ſuccenderunt & cremauerunt cadauer: inde arreptis* VIII.

titionibus ardentibus ad domos percuſſorum inflammandas cucurrerunt.

IX. SEMIVSTVLATVS.] Vide Milonianam §. 34. *Tu ſpoliatum imaginibus, exſequiis, pompa, laudatione, infeliciſſimis lignis ſemiuſtulatum nocturnis canibus dilaniandum reliquiſti.*

X. LVC. BELLIENI.] Hic fuit non ſolùm Pompeianus, ſed etiam partium propugnator acerrimus iam tum ab initio belli ciuilis. de quo M. Cœlius ad Ciceronem epiſt. 15. *Intemelij in armis ſunt, neque de magna cauſa. Bellienus verna Demetrij, qui ibi cum præſidio erat, Domitium quemdam nobilem illic, Cæſaris hoſpitem, à contraria factione nummis acceptis, comprehendit & ſtrangulauit. Ciuitas ad arma iit,* &c. Vernam appellat quòd eſſet libertus Demetrij, Demetrius autem etiam ipſe libertus Pompeij Magni apud patronum ſuum apprimè gratioſus. De quo Plutarchus in Pompeio, & Catone Vticenſi, & Dio libro 39. Cæterùm fueritne Bellienus vnus è percuſſoribus Cæſaris, nemini, vt reor, compertum eſt. Crediderim non fuiſſe. Neminem enim, qui Senator non eſſet, in ſocietatem illius facinoris adſciuerant. nec facilè crediderim eum, quamuis præſidio præfectus eſſet, in Senatum à Pompeio allectum fuiſſe. Nullis enim libertinis hominibus Pompeius ampliſſimum ordinem inquinauit. Multò minùs à Cæſare: qui vix ac ne vix quidem in Senatum adſcripſit libertum Demetrij. Plutarchus in Pompeio Bellieni cuiuſdam Prætoris à piratis cum faſcibus & lictoribus capti facit mentionem.

XI. PERDITORVM HOMINVM.] Iudæos potiſſimùm videtur intelligere, qui maximam erga Cæſarem beneuolentiam præ ſe tulerunt. Tranquillus 84. *Præcipuaque Iudæi, qui etiam noctibus continuis buſtum frequentarunt.* Eos autem & in foro frequentes fuiſſe, & frequenter ſeditionum fluctus excitaſſe conſtat ex Orat. pro Flacco. 66. *Sequitur auri illa inuidia Iudaici. hoc nimirum eſt illud quod non longè à gradibus Aureliis hæc cauſa dicitur. Ob hoc crimen hic locus abs te, Læli, atque illa turba quæſita eſt. Scis quanta ſit manus, quanta concordia, quantum valeat in concionibus.* §.67. *Huic autem barbaræ ſuperſtitioni reſiſtere ſeueritatis: multitudinem Iudæorum flagrantem nonnunquam in concionibus, pro Rep. contemnere grauitatis ſummæ fuit.* Erant autem infenſi partibus Pompeianis, memores templi olim capti à Cn. Pompeio.

SERVORVM.] Γαμμιγές τε γάρ ἐστιν ἤδη, inquit hanc ipſam rem tractans Appianus, τὸ πλῆθος ὑπὸ ξενίας, καὶ ὁ ἐξελεύθερος αὐτοῖς ἰσοπολίτης ἐστὶ, καὶ ὁ δουλεύων ἔτι τὸ σχῆμα τοῖς δεσπόταις ὅμοιος, χωρὶς γὰρ τῆς βουλευτικῆς, ἡ ἄλλη στολὴ τοῖς θεράπουσίν ἐστιν ἐπίκοινος, &c. *Nam urbana multitudo iam mixta eſt omnigenis exteris: & libertini æquo iure degunt cum aliis ciuibus, & ſeruus cultu eodem vtitur quo & dominus, exceptáque ſenatoria veſte cæterarum vſus eſt promiſcuus.* XII.

AXIOMATA.

Miſerum eſt ſibi ipſi priſtinæ virtutis gloriam inuidere.

Timor non diuturnus magiſter officij.

Multos improbos facit, ea, quæ, dum timor abeſt, ab eis non diſcedit audacia.

ARGVMENTVM.

Res alias ab Antonio poſt necem Cæſaris è Repub. geſtas exequitur, & præcipuè S. C. de Dictatura in perpetuum abolenda.

LXXVII. IDEM tamen, quaſi fuligine abſterſa, reliquis diebus in Capitolio præclara S. C. feciſti, ne qua poſt Idus Martias immunitatis tabula, néve cuius beneficij figeretur. Meminiſti ipſe de exulibus, ſcis de immunitate quid dixeris. Optimum verò, quod Dictaturæ nomen in perpetuum de Repub. ſuſtuliſti. Quo quidem facto tantum te cepiſſe odium regni videbatur, vt eius omnem, propter proximum Dictatorem, tolleres metum. Conſtituta Reſpub. vt videbatur aliis, mihi verò nullo modo, qui omnia te gubernante naufragia metuebam. Num me igitur fefellit? aut num diutius ſui potuit eſſe diſſimilis?

EXPLANATIO.

IDEM.] Poſtquàm ſuperiùs fecit incendij mentionem, ſumit comparationem à fuligine, quòd Antonius labem & infamiam illa funebri laudatione contractam, quaſi fuliginem è facibus illis & incendio reſtantem, poſterioribus rebus à ſe præclarè geſtis abſterſerit.

PRÆCLARA S.C.] Philipp. 1. §. 2. *Aſſentiri etiam nos Ser. Sulpicio, clariſſimo viro voluit, ne qua tabula poſt Idus Martias vllius decreti Cæſaris, aut beneficij figeretur.* Cæſar ciuitatibus aut etiam ſingulis perſonis, quæ ab ipſo ſteterant bello ciuili contra Pompeium aliis immunitatem à vectigalibus, vacationem à militia aliiſque publicis oneribus, aliis beneficia conceſſerat, & immunitatum edicta in tabulas æreas incidi, atque in Capitolio figi voluerat ad memoriam futuri temporis ſempiternam. Sed Seruio Sulpicio principe ſententiæ S. C. factum eſt ne id deinceps fieret, tum ne quid detrimenti ex tot immunitatibus caperet Reſpub. tum ne Cæſaris nomine fraus obreperet, tum ne his Cæſaris etiam demortui beneficiis plebe inflammaretur ad exigendam de coniuratis vltionem.

FIGERETVR.] Leges & fœdera, decreta tabulis æreis inciſa, tum in aliis locis publicis, tum vel potiſſimùm in Capitolio clauis ad parietes aut columnas figebant.

Meministi.] Philipp. I. §. 2. *Summâ cum dignitate & conſtantiâ, ad ea quæ quæſita erant, reſpondebat,* &c. *Num qui exules reſtituti? vnum aiebat, præterea neminem. Num immunitates datæ? Nullæ, reſpondebat.*

Optimvm verò.] Vide Philipp. I. §. 3. 4. Dio lib. 44. *Legem etiam tulerunt ne quis in poſterum Dictator crearetur: execrationeſque addiderunt, ac mortem ei qui mentionem Dictaturæ feciſſet, aut eum magiſtratum in ſe recepiſſet.*

Vt eivs omnem.] Aliàs: *Vt eius omen, propter proximi Dictatoris nomen tolleres.* Aliàs: *Vt eius omne nomen propter proximum Dictatoris omen tolleres.* Aliàs etiam aliter, & aliud alio peius, intruſæ, credo, lectiones ab iis, quos παρήχησις illa delectat *omen, nomen.* Perſpicuus autem eſt ſenſus illius ſcriptionis, *Vt eius omnem, propter proximum Dictatorem, tolleres metum.* Videbatur enim Antonius odio Cæſaris, qui proximè Dictator fuerat, omnem regni metum ſuſtuliſſe, ſanciens ne quis in poſterum Dictator diceretur.

Constitvta Respvb.] Ad quietem & tranquillitatem reuocata ex illa iactatione, & ſeditione populari.

Te gvbernante navfragia metvebam.] Te Conſulatum gerente & Rempub. adminiſtrante, omnes turbas & ſeditiones metuebam.

Svi potvit esse dissimilis.] Contra naturam ſuam boni Conſulis perſonam ſuſtinere.

NOTÆ.

I. Qvasi fvligine abstersa.] Vituperationi laudes nonnullas interſerit, vt Philo in Flaccum: Ἐπαινῶ τὸν Φλάκκον, οὐκ ἐπειδὴ προσῆκεν τὸν ἐχθρὸν ἐγκωμιάζειν, ἀλλ' ἵν' αὐτοῦ τὴν μοχθηρίαν ἀειδηλοτέραν παραστήσω. τὸ μὲν γὰρ ἀγνοίᾳ τοῦ κρείττονος διαμαρτάνοντι δίδοται. ὁ δὲ ἐξ ἐπιστήμης ἀδικῶν ἀπολογίαν οὐκ ἔχει προεαλωκὼς ἐν τῷ τοῦ συνειδότος δικαστηρίῳ. *Laudo Flaccum, non quia conuenit inimicum laudare, ſed, vt eius improbitatem manifeſtius oſtendam. Et enim qui ex melioris ignoratione peccat, venia conceditur. Is autem qui ex certâ ſcientiâ facit iniuſtè, excuſationem non habet ſuæ conſcientiæ iudicio prædamnatus. Multi ſiquidem*, inquit Ioannes Saraſberienſis lib. 7. Policratici cap. 24. *vt magis noceant, eiſque credatur fidelius, laudes prædicant alienas.* Subdit exemplum ex Metamorphoſi Ouidianа. (Calumniatores etiam laudes interſerunt.)

Felix & nato, felix & coniuge Proteus,
Et cui, ſi demas iugulati crimina Phoci,
Omnia contigerant.-

Nunquid tanti parricidij labes, omnes non modò fortunæ dotes, ſed quamuis magnificos virtutis titulos grandes non oblitterat? Tale eſt illud Oratoris. Iulium fortunatum fateor virum fortem, & quem conſtat ſtrenuè egiſſe quamplurima: quo tamen pacto iudicium repetundarum apud Iudices iuſtos euaſerit, mirarer equidem ſi vis eloquij eius mihi eſſet incognita.

Figeretvr.] De more, *Nam inciſæ in æreis tabulis leges affigebantur parietibus*, vt ſcribit Seruius ad illa verba 6. Æneidos: II. (Leges figebantur.)

Fixit leges pretio atque refixit.

Vbi & Antonium noſtrum putat intelligi. Plautus Trinummo actu 3. ſc. 6.

Mores leges perduxerunt iam in poteſtatem ſuam,
Magis queis ſunt obnoxioſi quàm parentes liberis
Eæ miſeræ etiam ad parietem ſunt fixæ clauis ferreis,
Vbi malos mores affigi nimio fuerat æquius.

Ouidius I. Metamorph.

-*Non æra minantia fixo*
Ære ligabantur.-

Te gvbernante.] Vide Notas in 20. § Sextianæ. *Quis enim clauum tanti imperij tenere, & gubernacula Reipub. tractare in maximo curſu ac fluctibus poſſe arbitraretur.* III.

Navfragia.] Ibidem 14. *Reipub. naufragium exponere.* Si quidem Reſpub. paſſim cum naui comparatur. vide eandem Sextianam §. 46. *Cùm verò in hanc Reipub. nauem, ereptis Senatui gubernaculis, fluitantem in alto tempeſtatibus ſeditionum ac diſcordiarum*, &c. Vide etiam de Prouinciis Conſularibus 7. *In illo naufragio huius vrbis.* IV.

Svi potvit esse dissimilis.] Mihi reuocat in mentem ſimias Luciani in piſcatore, & apologia de iis qui mercede conducuntur, Simiæ Regis Alexandrini, ſiue Cleopatra ea fuerit ſiue quis alius, veſtibus purpureis amictæ, & perſonis velatæ pyrrhicam magnâ omnium ordinum ad id ſpectaculum confluentium celebritate ſaltitabant, donec feſtiuus aliquis nuces, quas ſinu gerebat, in mediam orcheſtram effudit: Οἱ δὲ πίθηκοι ἰδόντες, καὶ ἐκλαθόμενοι τῆς ὀρχήσεως, καὶ ὅπερ ἦσαν πίθηκοι ἐγένοντο ἀντὶ τῶν ὀρχηστῶν, καὶ ξυνέτριβον τὰ προσωπεῖα, καὶ τὴν ἐσθῆτα κατερρήγνυον, καὶ ἐμάχοντο περὶ τῆς ὀπώρας πρὸς ἀλλήλους· τὸ δὲ σύνταγμα τῆς πυρρίχης διελέλυτο, καὶ κατεγελᾶτο ὑπὸ τοῦ θεάτρου. *At verò ſimiæ videntes, ſuæque ſaltationis oblitæ, &, quod erant, ſimiæ factæ ſunt pro ſaltatoribus, & perſonas fregerunt, & veſtem diſciderunt, & de fructibus inter ſe certabant. Ordo pyrrhicæ ſaltationis turbatus, & ſpectatores in riſum effuſi.* V.

AXIOMATA.

Improbo gubernante omnia ſunt naufragia Reipub. metuenda.

Improbi non diu ſui poſſunt eſſe diſſimiles.

ARGVMENTVM.

Rebus ab Antonio bene geſtis immunitatum venditiones, imperij diminutionem, & rapinas ſubnectit, vt contraria contrariis oppoſita magis eluceant.

LXXVIII. INSPECTANTIBVS vobis in toto Capitolio tabulæ figebantur. Neque ſolùm ſingulis veniebant immunitates, ſed etiam populis vniuerſis. Ciuitas non iam ſigillatim, ſed prouinciis totis dabatur. Itaque ſi hæc manent, quæ ſtante Republ. manere non poſſunt, prouincias vniuerſas, P. C. perdidiſtis. Neque vectigalia ſolùm, ſed etiam imperium populi Romani huius domeſticis nundinis diminutum eſt. Vbi eſt ſepties millies ſeſtertium, quod in tabulis, quæ ſunt ad Opis, patebat? funeſtæ illius quidem pecuniæ: ſed tamen quæ nos, ſi iis, quorum erat, non redderetur, à tributis poſſet vindicare. Tu autem quadringenties ſeſtertium, quod Idibus Martiis debuiſti, quonam modo à te Kalend. April. debere deſiiſti?

EXPLANATIO.

INSPECTANTIBVS.] Aduerte quibus adiunctis rem exaggeret. 1. quòd luce, palam, in oculis ciuitatis, inſpectante ipſo Senatu qui paucis antè diebus ex Antonij voluntate S. C. fecerat, ne qua poſt Idus Martias immunitatis tabula, néve cuius beneficij figeretur. at ille contra S.C. à ſe factum tabulas fixit, neque quolibet in loco, ſed in Capitolio, vt non ſolùm hominibus, ſed etiam Ioui ſuam illam impudentiam oſtenderet. Neque in vno vel altero Capitolij pariete, ſed *toto Capitolio* fixit: tanta quippe vis erat illarum tabularum, vt vix ipſo Capitolio caperentur. Cætera etiam, ſi quis examinet, ſuum habent momentum, vt quòd non darentur ſed venirent, id eſt, venderentur immunitates, quòd non ſingulis venirent, ſed populis vniuerſis.

VENIEBANT.] Vendebantur.

IMMVNITATES.] Vacationes à vectigalibus pendendis, à militia, à publicis oneribus.

POPVLIS VNIVERSIS.] Infrà 81. *Nuper fixa tabula eſt qua ciuitates locupletiſſimæ Cretenſium vectigalibus liberantur: ſtatuitúrque ne poſt M. Brutum Proconſulem ſit Creta prouincia.*

CIVITAS.] Lib. 14. ad Attic. epiſt. 12. *Scis quàm diligam Siculos, & quàm illam clientelam honeſtam ducam. Multa illis Cæſar, neque me inuito, etſi Latinitas non ferenda. Veruntamen. Ecce autem Antonius acceptâ grandi pecuniâ fixit legem à Dictatore comitiis latam, qua Siculi ciues Romani, cuius rei viuo illo mentio nulla.* Id eſt, Cæſar Siculis multa priuilegia conceſſerat: & inter cætera vt Latinarum coloniarum iure fruerentur. Antonius autem accepta grandi pecunia, dedit illis ciuitatem, vt ciuium Romanorum ius obtinerent, & ea de re legem fixit, quam mentiebatur à Cæſare viuo latam fuiſſe comitiis, & pòpuli Romani ſuffragio receptam.

PROVINCIAS VNIVERSAS.] Cretam.

DOM. NVNDINIS.] Suprà 6. *Cùm domi tuæ turpiſſimo mercatu omnia eſſent venalia.*

VBI EST SEPTIES MILLIES.] Si decies HS. viginti quinque millibus aureorum noſtratium, velis æſtimare ſepties millies, efficient ſeptemdecim milliones, vt Arithmetici loquuntur, & quingenta millia aureorum. Ea verò ſumma patebat in tabulis, quæ erant in Æde Opis & Saturni, vbi ærarium, priuſquam Antonius eam pecuniam interuerteret, ad ſéque traduceret.

QVOD IN TABVLIS.] Budæus libro 4. de aſſe præiuit lectioni quam nos admiſimus. *Quod in tabulis, quæ ſunt ad Opis, patebat.* Alias *petebatur*, quam lectionem Grutterus Palatinorum codicum auctoritate confirmat. Lambinus & Manutius: *Quod eſt in tabulis, quæ ſunt ad Opis?*

FVNESTÆ ILLIVS.] Cæſaris quidem pecuniæ, cum magno luctu prouincialium, iniuſtis quidem exactionibus extortæ fuerant: ſed tamen, ſi ad iuſtos poſſeſſores non redirent, poterant nos à tributis liberare, quæ impendent exhauſto bellis ciuilibus ærario.

TV AVTEM.] Antonij rapinas à conſequenti, & tanquam è veſtigio demonſtrat, quòd videlicet paucis diebus immane æs alienum perſoluerit.

QVADRINGENTIES HS.] Vnum auri Gallici millionem, quadringenta Hiſpanicarum piſtollarum, vt vocant, millia, totidem aureos Romanos antiquos. Nam, vt alibi diximus, ſeſtertium valuit mille ſeſtertios nummos, ſiue decem aureos Romanos.

IDIBVS.] Fœneratores Idibus & Calendis ſubducebant expenſi & accepti rationes: & eam ob rem Orator ex iis diebus còmputat æs alienum Antonij.

QVONAM MODO.] Niſi quia interuertiſti pecuniam publicam, & ad priuatos vſus ſolutionémque æris alieni eam tranſtuliſti.

NOTÆ.

MANENT.] Eodem ſenſu Maro:
Atque immota manet fatis Lauinia coniux.
De Prouinciis Conſularibus. 46. *Vobis ſtatuendum eſt legem Æliam manere, legem Fuſiam non eſſe abrogatam.*

II. Septies millies HS.] De computatione rei nummariæ, vide quæ pro Rabirio Poſtumo fusè tractamus, vbi ſeſterτios Romanos ad talenta Attica reuocamus. Præter hanc pecuniam interuerſam ex ærario. Καλπουρνία, inquit Plutarchus, πισεύσασα τῶν χρημάτων τὰ πλεῖστα κατέθετο πρὸς αὐτὸν ἐκ τῆς οἰκίας, λόγον τὰ σύμπαντα τετρακισχιλίων ταλάντων. *Calpurnia* Cæſaris coniux, *magnam pecuniæ partem è domo prolatam apud eum depoſuit: cuius ſumma fuit quatuor millia talentorum.* id eſt nongenties ſexagies HS. vel noſtro modo loquendi, quadringenta millia aureorum ſupra duos milliones.

III. Ad Opis.] Vide ſuprà § 23.

IV. Fvnestæ.] Philipp. I. §. 17. *Pecunia vtinam ad Opis maneret, Cruenta illa quidem, ſed,* &c. vide locum. Tranquillus in Iulio cap. 54. *In Gallia fana templáque Deûm donis referta expilauit: vrbes diruit ſæpius ob prædam quàm ob delictum: vnde factum vt auro abundaret, ternîſque millibus nummûm in libras promercale per Italiam prouinciáſque diuenderet. In primo Conſulatu tria millia pondo auri furatus è Capitolio, tantumdem inaurati æris repoſuit*, &c. *Poſteà verò euidentiſsimis rapinis ac ſacrilegiis, & onera bellorum ciuilium, & triumphorum ac munerum ſuſtinuit impendia.* Dio libro 42. de eodẽm Cæſare: Χρηματοποιὸς ἀνὴρ ἐγένετο, δύο τ' εἶναι λέγων τὰ τὰς δυναστείας παρασκευάζοντα, καὶ φυλάσσοντα, καὶ ἐπαύξοντα, στρατιώτας καὶ χρήματα, καὶ ταῦτα δι' ἀλλήλων συνεστηκέναι. *Pecuniis conficiendis intentus erat, quòd duas res eſſe prædicaret, quibus & quæreretur, & conſeruaretur, & augeretur potentia, milites nimirum, ac pecuniam, & alterum ab altero pendere dicebat.* Addit: *Mutui nomen, cùm pecuniæ exigendæ alia probabilis ratio non extabat, prætexebat: quanquam alioquin vi eas quoque, non ſecus atque debitas ſibi poſcebat*, καὶ ἔμελλε μηδέποτ' ἀποδώσειν, *neque redditurus vnquam erat.* ἔλεγε μὲν γὰρ τὰ δημοσίᾳ τὰ οἰκεῖα δεδαπανηκέναι, καὶ διὰ τοῦτο καὶ δανείζεσθαι. *Dicebat ſuas ſe facultates Reip. impendiſſe, ideóque nunc nomina facere opus habere*, &c. Hanc igitur ob cauſam funeſtæ Cæſaris pecuniæ, quales illæ deſcribuntur à Latino Pacato paneg. Theodoſij. *Parum ille pretioſum putabat aurum, quod de montium venis aut fluminum glareis quæſitor Beſſus, aut ſcrutator Callaicus eruiſſet, illud purius ſplendidiúſque credebat quod dediſſent dolentes, quod hominum lacrymæ, non omnium aquæ abluiſſent. nec è terrenis ſpecubus egeſtum, ſed è ceruicibus iuguliſque cæſorum eſſet effoſſum.*

Cæſaris rapinæ.

V. Idibvs.] Fœneratores Idibus & Calendis ſubducebant rationes, & pecuniam à ſuis creditoribus exigebant. I. in Catilinam §. 14. *Prætermitto ruinas fortunarum tuarum, quas omnes impendere tibi proximis Idibus ſenties.* Libro 14. ad Attic. epiſt. 21. *Calendis Ianuarij debuit, adhuc non ſoluit, præſertim cùm ſe maximo ære alieno Faberij manu liberarit.* Loquitur de Dolabella, de quo rurſum epiſt. 22. *Luc. Antonij horribilis concio: Dolabellæ præclara: iam vel ſibi habeat nummos, modò numeret Idibus.* Horatius Epod. 2.

Calendis & Idibus debita exigebant.

Hæc vbi locutus fœnerator Alphius,
Iam iam futurus ruſticus,
Omnem redegit Idibus pecuniam
Quærit Calendis ponere.

S. Ambroſius de Tobia cap. 4. *Calendis, inquit, vſuras dabis: fœnus interim, ſi non habueris vnde reſtituas, non requiro.* Plutarchus de non accipiendo fœnori. *Menſam elegans* Aulis aut Tenedus fictilibus ornabit, quæ ſunt argento puriora. Οὐκ ὄζει τόκου βαρὺ καὶ δυσχερές, ὥσπερ ἰοῦ τε καθ' ἡμέραν ἐπιρρυπαίνοντος τὴν πολυτέλειαν. οὐδ' ἀναμνήσει τῶν καλανδῶν, καὶ τῆς νουμηνίας, ἣν ἱερωτάτην ἡμερῶν οὖσαν, ἀποφράδα ποιοῦσιν οἱ δανεισταὶ καὶ στυγνόν. *Non redolent grauem & faſtidioſum fœnoris odorem, rubiginis inſtar in dies ſingulos luxum maculantis: neque in memoriam reducunt Calendas & nouilunia, quos dierum optimos fœnerator infauſtos reddit & odioſos:* quia nimirum Romani Calendis & Idibus, Græci nouiluniis ſubducebant rationes, & nomina exigebant. Vnde Strepſiades ille obæratus apud Ariſtophanem in Nubibus, dies computat:

Πέμπτη, τετρὰς, τρίτη, μετὰ ταύτην δευτέρα,
Εἶθ' ἣν ἐγὼ μάλιστα πασῶν ἡμερῶν
Δέδοικα, καὶ πέφρικα, καὶ βδελύττομαι,
Εὐθὺς μετὰ ταύτην ἔσθ' ἔνη τε καὶ νέα.
Lux quinta, quarta, tertia, deinde altera,
Deinde lux quam præ diebus cæteris
Tremiſco, vereor, horreo & faſtidio.
Pridie Calendas illa confeſtim venit.

ARGVMENTVM.

De parte Galatiæ & Armeniæ Regi Deiotaro per Fuluiam Antonij coniugem, quaſi ex Cæſaris commentariis reſtituta.

SVNT ea quidem innumerabilia, quæ à diuerſis emebantur, non inſciente te: ſed vnum egregium de Rege Deiotaro populi Romani amiciſſimo, decretum in Capitolio fixum: quo propoſito nemo erat, qui in ipſo dolore riſum poſſet continere. Quis enim cuiquam inimicior, quàm Deiotaro Cæſar? æquè atque huic ordini, vt equeſtri, vt Maſſilienſibus, vt omnibus, quibus Remp. populi Romani charam eſſe ſentiebat. Is igitur, à quo viuo nec præſens, nec abſens quicquam æqui boníve impetrauit, apud mortuum factus eſt gratus, compellarat hoſpitem præſens, computarat, pecuniam imperarat, in eius tetrarchia vnum ex Græcis comitibus ſuis collocarat: Armeniam abſtulerat à Senatu datam. Hæc viuus eripuit, reddit mortuus. At quibus verbis? modò æquum ſibi vi- LXXIX

deri, modò non iniquum. mira verborum complexio: at ille nunquam (ſemper enim abſenti affui Deiotaro) quicquam ſibi, quod nos pro illo poſtularemus, æquum dixit videri.

EXPLANATIO.

SVNT EA.] Vulgatæ paſſim editiones inter verba *deſiiſti*, & *Sunt ea quidem* non pauca interebant, hoc pacto. *Ante Calend. Apriles debere deſiiſti. Quid ego de commentariis infinitis, quid de innumerabilibus chirographis loquar? Sunt ea quidem innumerabilia*, &c. Quæ oblitteranda cenſui, tum quòd non faciant ad hunc locum, tum quòd vt ſcribit Grutterus in multis manuſcriptis non compareant, tum quòd infrà §. 8. contra morem & vbertatem Ciceronis eadem planè verba repetantur, vnde huc irrepſerunt, tum denique quod non pauci viri eruditi, ea iampridem induxerint. Senſus autem eſt. Sunt ea quidem innumerabilia quæ diuerſi emebant vel à te ipſo, vel ſaltem à tuis neceſſariis non inſciente te, præſertim à Fuluia coniuge tua.

IN IPSO DOLORE.] Dolebant tam oppreſſam eſſe Remp. vt tu tuíque eam haberetis ludibrio, & immunitates & regna palàm venderetis: ridebant impudentiam veſtram ſtultitia implicatam. Probat autem riſu dignam fuiſſe impudentiam Antonij.

Ridiculum eſt nomine Cæſaris mortui in gratiam Regis Deiotari proponere edictum, ſi Cæſar dum viueret, ſemper Deiotaro fuit inimicus.

Sed Cæſar dum viueret ſemper Deiotaro fuit inimicus.

Ergo ridiculum eſt nomine Cæſaris mortui edictum in gratiam Deiotari proponere.

Huius ſyllogiſmi partes inuolutæ quidem ſunt, & ita implicatæ, vt facilè ſeparari non poſſint. Propoſitio tamen iis verbis, *Is igitur*, &c. *factus eſt gratus.* aſſumptio illis: *Quis enim cuiquam inimicior quàm Deiotaro Cæſar?* complexio denique: *quo propoſito*, &c. *poſſet continere.* videtur inuolui. Propoſitio probationem non requirit, probatur aſſumptio duplici ſyllogiſmo.

Cæſar erat inimicus omnibus iis, quibus Remp. charam eſſe ſentiebat.

Sed Deiotaro Remp. charam eſſe ſentiebát.

Ergo erat inimicus Deiotaro.

Inimicus fuit illi Cæſar cui pecuniam imperauit, cui regnum abſtulit, &c.

Sed Cæſar Deiotaro pecuniam imperauit, Armeniam abſtulit à Senatu datam, &c.

Ergo Cæſar Deiotaro fuit inimicus.

HVIC ORDINI.] Senatorio.

MASSILIENSIBVS] Quos expugnauit per Decimum Brutum & A. Trebonium legatos, & de quibus tanquam de hoſtibus triumphauit.

IS IGITVR.] Rex Deiotarus, quod gloſſema nonnulli codices in textum receperunt.

NEC PRÆSENS.] Bis poſt ciuile bellum inchoatum Cæſar in Gallogræcia Deiotari tetrarchia fuit, cùm proficiſceretur in Aſiam contra Pharnacem, & cùm inde rediret partâ victoriâ. Bis etiam abſens per patronos videtur aliquid à Cæſare petiiſſe. Eius enim cauſſam egit Nicææ M. Brutus, Romæ Cicero.

FACTVS EST GRATVS.] Aliàs *gratioſus*, quod mallem, ſi codicibus antiquis potius niteretur, quàm coniecturâ Vbaldini, vt etiam Grutterus aduertit.

COMPELLARAT.] Appellarat de pecunia Cæſar Deiotarum, cùm in eius domum hoſpitio exceptus eſt.

COMPVTARAT.] Supputarat, ſubductiſque rationibus omnibus ſummam fecerat eius pecuniæ, quæ ex tota Deiotari Tetrarchia corradi potuit, vt eam omnem imperaret.

VNVM EX GRÆCIS COMITIBVS.] Mithridatem Pergamenum, cui partem Gallogræciæ conceſſerat.

ARMENIAM ABSTVLERAT.] Oratoria auxeſis, vt videtur, partem enim tantùm Armeniæ abſtulit, vt eam Ariobarzani Cappadociæ Regi daret, vt ſcribit Dio lib. 42. Deiotarus autem Rex Armeniæ fuerat appellatus à Senatu.

HÆC.] Partem Gallogræciæ & Armeniam Cæſar viuus eripuit Deiotaro, ergo ridiculum eſt dicere ea Cæſarem mortuum reddidiſſe.

AT QVIBVS VERBIS?] Edictum illud de Gallogræciæ & Armeniæ reſtitutione perſcriptum eſt.

ILLE.] Cæſar.

AFFVI] Vel vt patronus, vel vt aduocatus. Adfuit autem Romæ: non Nicææ in Bithynia, cùm Brutus cauſam egit Regis Deiotari: non enim Cicero poſt pugnam Pharſalicam ad Cæſarem ſe contulit, ſed in Italiam nauigauit.

NOTÆ.

DE REGE DEIOTARO] Libro 14. ad 1.
Attic. epiſt. 12. *Ecce autem Antonius accepta grandi pecunia fixit legem à Dictatore comitiis latam, qua Siculi ciues Romani: cuius rei viuo illo mentio nulla. Quid? Deiotari noſtri cauſa non ſimilis? dignus ille quidem omni regno, ſed non per Fuluiam.*

MASSILIENSIBVS.] Non immeritò poſt 11.
Senatum & Equeſtrem ordinem facit Maſſiliæ mentionem, quæ & beneuolentia populi Romani, & morum grauitate florebat. vnde & eos Valerius lib. 2. *Priſci moris obſeruantiâ, charitate populi Romani præcipuè conſpicuos* appellat. Noſter pro Fonteio. 3. *Vrbs Maſſilia fortiſſimorum fideliſſimorúmque Sociorum, qui Gallicorum bellorum pericula à populo Romano copiis armiſque propulſarunt.* Et §. 35. *Ea conditione atque eo fato ſe in his terris collocatam eſſe arbitratur, ne quid noſtris hominibus illæ gentes nocere poſſint.* Pro Luc. Flacco. 63. *Neque verò te Maſſilia prætereo, quæ L. Flaccum militem Quæſtorémque cognoſti: cuius ego ciuitatis diſciplinam atque grauitatem, non ſolum Græciæ, ſed haud ſcio an cunctis gentibus anteponendam iure dicam. Quæ tam procul à Græcorum omnium regionibus, diſciplinis linguáque diuiſa, cùm in vltimis terris cincta Gallorum gentibus, barbariæ fluctibus alluatur, ſic optimatum conſilio gubernatur, vt omnes eius inſtituta laudare faciliùs poſſint, quàm imitari.* Quid? quod vt ſcribit Iuſtinus lib. 43. Vrbem Romanam à Gallis captam incenſámque *publico funere Maſſilienſes proſecuti ſunt: aurúmque & argentum publicum & priuatum contulerunt ad explendum pondus Gallis, à quibus redemptam pacem cogno-*

uerant. Ob quod meritum & immunitas illis decreta, & locus ſpectaculorum in Senatu datus, & fœdus æquo iure percuſſum. vt meritò Noſter lib. 2. de Officiis de Cæſaris in eos odio conqueratur. *Vexatis & perditis exteris nationibus, ad exemplum amiſſi imperij portari in triumpho Maſſiliam vidimus, & ex ea vrbe triumphari, ſine qua nunquam noſtri Imperatores ex tranſalpinis bellis triumpharunt. Multa commemorarem nefaria in Socios, ſi hoc vno ſol quicquam vidiſſet indignius.*

III. ÆQVI BONIVE.] *Ius eſt*, inquit Donatus, *quod omnia recta & inflexibilia dirigit, æquitas eſt quæ ex iure multum remittit.* vide dicta pro Milone 78. Eſt autem æquum bonum τὸ ἐπιεικές, id eſt mitigatio legis ſcriptæ in aliqua circunſtantia, puta rerum, perſonarum, ac temporum, cùm non ſummo iure contenditur, ſed aliquid de ſummo iure relaxatur. Sicut in Iudiciis, vt dicitur 3. de Officiis. *Hæc verba maximè excellunt in arbitrio rei vxoriæ*, MELIVS ÆQVIVS, *in fiducia* INTER BONOS BENE AGIER. Terentius Adelphis actu 1. ſc. 1.

Nimium ipſe durus eſt præter æquúmque & bonum.

Hinc illa definitio apud Vlpianum D. de iuſtitia & iure. *Ius eſt ars æqui & boni.* Suetonius in Claudio. *Nec ſemper præſcripta legum ſecutus duritiam lenitatémque multarum ex æquo & bono perinde vt afficeretur moderatus eſt.* hæc & alia Scardius ex Hotomanno.

IV. PECVNIAM IMPERARAT.] Pro Deiotaro 14. *Ille Epheſum ad eum quem tu ex tuis fideliſſimum, & probatiſſimum omnibus delegiſti, pecuniam miſit, ille iterum, ille tertiò auctionibus factis pecuniam dedit.* Libro 2. de Diuinatione: *Fugit ex prælio cum Pompeio: graue tempus. Diſceſſit ab eo: luctuoſa res. Cæſarem eodem tempore, & hoſtem, & hoſpitem vidit: quid hoc triſtius? Is cùm ei Troginorum tetrarchiam eripuiſſet, & aſſeclæ ſuo Pergameno neſcio cui dediſſet, eidémque detraxiſſet Armeniam à Senatu datam, cúmque ab eo magnificentiſſimo hoſpitio acceptus eſſet, ſpoliatum reliquit, & hoſpitem & Regem.* Pergamenus autem ille fuit Mithridates, de quo Hirtius commentario belli Alexandrini exeunte. *Mithridatem Pergamenum à quo rem feliciter celeritérque geſtam in Ægypto ſuprà ſcripſimus, regio genere ortum, diſciplinis etiam regiis educatum (nam eum Mithridates Rex Aſiæ totius propter nobilitatem Pergamo ſecum paruulum adſportauerat in caſtra, multóſque tenuerat annos) Regem Boſphori conſtituit*, &c. *Eidem tetrarchiam legibus Gallogræcorum iure gentis & cognationis adiudicauit, occupatam & poſſeſſam paucis antè annis à Deiotaro.* Suſpicatur autem Victorius lib. 3. variar. lect. cap. 23. id à multis reprehenſum fuiſſe, indignúmque Mithridatem tanto honore vulgo habitum: eóque pertinet tam accurata purgatio. Hanc ſuſpicionem eo confirmat, quod Strabo loquens de beneficiis ad eum à Cæſare collatis, quaſi miratur eum ad tantam dignitatem fuiſſe prouectum. Vide.

ARGVMENTVM.

Oſtendit reſtitutionem partis Gallogræciæ & Armeniæ emptam fuiſſe à legatis Deiotari, Rege inſcio; ac proinde ex Syngrapha, quam Antonio legati dederunt, nihil deberi.

SYNGRAPHA HS. centies per legatos viros bonos, ſed timidos & LXXX.
imperitos, ſine noſtra, ſine reliquorum hoſpitum regis ſententia facta in gynæceo, quo in loco plurimæ res venierunt & veneunt: qua ſyngrapha quid ſis acturus, meditere cenſeo. Rex enim ipſe ſua ſponte, nullis commentariis Cæſaris, ſimulatque audiuit ciues interitum, ſuo marte res ſuas recuperauit. Sciebat homo ſapiens ius ſemper hoc fuiſſe, vt quæ tyranni eripuiſſent, ea, tyrannis interfectis, ij quibus erepta eſſent, recuperarent. Nemo igitur Iureconſultus, ne iſte quidem, qui tibi vni eſt Iure conſultus, per quem hæc agis, ex iſta ſyngrapha deberi dicit pro iis rebus, quæ erant ante ſyngrapham recuperatæ, non enim à te emit: ſed prius quàm tu ſuum ſibi venderes, ipſe poſſedit. Ille vir fuit: nos quidem contemnendi, qui auctorem audimus, acta defendimus.

EXPLANATIO.

SYNGRAPHA.] Schedula obligationis, qua nomine Regis Deiotari promittebatur *centies* HS. id eſt centum Romanorum veterum aureorum millia, ſiue ducenta quinquaginta millia ſcutatorum Gallicorum, *per legatos* Regis Deiotari Hieram, Bleſamium, Antigonum, & Dorylaum, *viros bonos* & fideles Regi ſuo, *ſed timidos*, qui ſine voluntate Fuluiæ & Antonij Regem ſua bona recuperaturum eſſe non putabant, *& imperitos*, qui neſciebant ius ſemper hoc fuiſſe, vt quæ tyranni eripuiſſent, ea, tyrannis interfectis, ij quibus erepta eſſent, recuperarent, hæc inquam ſchedula obligationis *facta eſt in gynæceo*, ſiue in cubiculo Fuluiæ, me inconſulto reliquiſq; Regis hoſpitibus. Legunt multi, *ſine Sexti, ſine reliquorum hoſpitum Regis ſententia.* Sed monet Grutterus eam lectionem non eſſe à manuſcriptis, ſed à Ferrario, cui in mentem erat locus Tullij 16. ad Attic. epiſt. 3. *Ecquid amas Deiotarum, & non amas Hieram? qui, vt Bleſamius*

venit ad me, ne quid ſine Sexti noſtri ſententia ageret, neque ad illum, neque ad quemquam noſtrûm retulit. Vbi, ni fallor, Sextum Pompeium Cn. filium intelligit, qui poſt Cæſaris necem ſperabatur in Vrbem eſſe rediturus. Porrò ſiue *noſtra*, ſiue *Sexti* legamus, quæ ſequuntur *reliquorum hoſpitum* bellè quadrabunt. Nam & Deiotarus hoſpes Ciceronum fuit, & Pompeiorum. 1. de Diuinatione: *Iam quid ego hoſpitem noſtrum clariſſimum atque optimum virum Deiotarum Regem commemorem?* & pro Deiotaro 13. veniſſe dicitur ad Pompeium, *quo cum erat non hoſpitio ſolùm, ſed etiam familiaritate coniunctus.*

QVA SYNGRAPHA.] Auctor tibi ſum, vt diligenter cogites quid ſis acturus de illa ſyngrapha: nulli enim vſui erit ad pecuniam exigendam. quia Deiotarus non edicto tuo nomine Cæſaris publicato recuperauit Galatiam & Armeniam: propter quod edictum legati eius tibi pecuniam promiſerant, ſed ſuo marte & armis Mithridatem è Troginorum tetrarchia, Ariobarzanem ex Armenia deturbauit.

NE ISTE QVIDEM.] Suſpicatur Manutius inſinuari Sextum Clodium ſcribam, quem Antonius ab exilio reuocarat: vt hac ipſa oratione diximus in explanatione 7. §. qui fortaſſe Antonium & Fuluiam ſcribendis illis legibus & immunitatum tabulis adiuuabat, vt olim P. Clodio præſto fuerat legibus ſcribundis. vt dicitur pro domo 47. 48. Vide.

ILLE VIR FVIT.] Deiotarus fortiter & generosè, vt virum decebat ſe geſſit: nos verò puſillanimes ſumus, qui cùm oderimus Cæſarem auctorem, eiuſdem acta & leges defendimus, timentes eorum offenſionem, quibus Cæſar viuus aliqua beneficia promiſerat.

NOTÆ.

I. Syngrapha. SYNGRAPHA.] Eſt ſcriptura, ſiue cautio debitoris manu ſubſcripta, qua cauetur creditori. Ambroſius lib. de Tobia cap. 12. *Vna pecunia à fœneratoribus datur, & quàm multa à debitoribus exiguntur? Quanta ibi fecerunt vocabula? nummus datur & fœnus appellatur. Sors dicitur, caput vocatur, as alienum ſcribitur, multorum hoc capitum immane prodigium, numeroſam exactionem efficit. Syngrapham nuncupat, chirographum nominat, hypothecas flagitat, pignus vſurpat, fiducias vocat, obligationem aſſerit,* &c. Seneca de beneficiis lib. 7. cap. 10. *Vide iſtic diplomata & ſyngraphas, & cautiones, vacua habendi ſimulacra, vmbras quaſdam auaritiæ laborantis, per quas decipiant animum inanium opinione gaudentem,* &c. Idem etiam frequenter chirographum. Ambroſius de Sacramentis lib. 1. cap. 2. *Memor eſto ſermonis tui, & nunquam tibi excidat tuæ ſeries cautionis. Si chirographum homini dederis, tenêris obnoxius, vt pecuniam eius accipias, tenêris adſtrictus, & reluctantem te fœnerator adſtringit, atque illic tua cautione conuinceris.* Paulò pòſt: *Chirographum tuum tenetur non in terra, ſed in cœlo.* Item: *Qui pecuniam debet, ſemper cautionem ſuam conſiderat.* E quibus vides idem penè eſſe ſyngrapham, chirographum, cautionem. Gloſſæ συγγραφὴ, *conſcriptio.* Ita etiam *cautum* ἀσφαλὲς, χειρόγραφον. *Cautio* ἀσφάλεια. *Caniſti* ἠσφαλίσω, ἐχειρογράφησας. Aſconius tamen in Verrinam de præt. Vrbana. *Inter ſyngraphas & cætera chirographa hoc intereſt, quòd in cæteris tantùm quæ geſta ſunt, ſcribi ſolent, in ſyngraphis etiam contra fidem veritatis pactio venit, & non numeratâ quoque pecuniâ, aut non integrè numeratâ, pro temporaria voluntate hominum ſcribi ſolent more inſtitutóque Græcorum: & cætera tabulæ ab vna parte ſeruari ſolent, ſyngraphæ ſignatæ vtriuſque manu vtrique parti ſeruandæ traduntur.*

HS. CENTIES.] Voluſius Metianus. *Quæ olim in ære erat, poſteà & in argento feriri cœpit. Itaut omnis nummus argenteus ex numero æris poteſtatem haberet. Eo in numero ſunt hi argentei nummi: denarius, cuius eſt nota *, quinarius cuius eſt nota *, ſeſtertius cuius nota* LLS. *Victoriatus enim nunc tantumdem valet, quantum quinarius olim.* Addit: *Denarius primò aſſes decem valebat, vnde & nomen traxit: quinarius dimidium eius, id eſt, quinque aſſes: vnde & ipſe vocatur: ſeſtertius duos aſſes & ſemiſſem, quaſi ſemiſtertius.* Didymus laudatus à Priſciano libro de ponderibus. Ἴωνες καὶ Ἀττικοὶ τὰ δύο ἥμισυ, ἥμισυ τρίτον φασί. *Iones & Attici duo cum ſemiſſe ſemiſtertium appellant.* Ad quorum imitationem Romani, τὰ δύο ἥμισυ ἀσσάρια, &c. σηστέρτιον φασι, τῷ μὲν ση τὸ ἥμισυ δηλοῦντες, ὡς ἐν τῷ σημόδιον, &c. *Duos aſſes cum ſemiſſe ſeſtertium vocant, Se enim medium deſignat, vt in ſemodio.* τὰ δὲ χίλια σηστέρτια ποιεῖ διακόσια πεντήκοντα δηνάρια ἀργυρᾶ, δέκα δὲ χρυσᾶ, ἃ περ καὶ μίλλε νούμμους φασί. *Mille verò ſeſtertia faciunt ducenta quinquaginta denaria argentea, decem verò aurea, quæ etiam mille nummos appellant.* Meliùs, opinor, dixiſſet χιλίους σηστερτίους genere maſculino, & tunc ita verteremus. *Mille verò ſeſtertij faciunt ducentos quinquaginta denarios argenteos, aureos decem, quos etiam mille nummos appellant.* Aliud eſt enim ſeſtertius, aliud ſeſtertium, vt fusè oſtendimus pro Rabirio Poſtumo contra Agricolam & Hotomanum: vbi & de aduerbiis *decies, centies, millies,* affatim. II. Seſtertium centies.

HOSPITVM.] Vide pro Sextio 12. de hoſpitio tum priuato, tum publico, item de teſſera hoſpitali. III.

GYNÆCEO.] Gynæceum locus mulieribus deſtinatus à virorum conſpectu remotus. vt nomen, ita & res Græcanica. Vitruuius lib. 6. cap. 10. agens de Græcorum ædificiorum ratione. *Introrſus conſtituuntur œci magni in quibus matresfamiliarum cum lanificiis habent ſeſſiones. In proſtadis autem dextra ac ſiniſtra cubicula ſunt collocata, quorum vnum thalamus, alterum amphithalamus dicitur,* &c. *hac pars ædificij gynæconitis appellatur.* quòd ibi γυναῖκες, id eſt *mulieres* habitarent: ſicut contra quædam *periſtylia domus andronitides dicuntur, quòd in iis viri, ſine interpellationibus mulierum verſantur.* Æmilius Probus prœmio vitarum. *Quem Romanorum pudet vxorem ducere in conuiuium? aut cuius materfamilias non primum locum tenet ædium, atque in celebritate verſatur? quod multo aliter fit in Græcia: nam neque in conuiuium adhibetur, niſi propinquorum: neque ſedet, niſi in interiore parte ædium, quæ gynæconitis appellatur, quo nemo accedit niſi propinqua cognatione coniunctus.* Plutarchus de non iraſcendo: Ἔνιοι τὸν θυμὸν ἐκ τῆς γυναικωνίτιδος εἰς τὴν ἀνδρωνῖτιν οὐ μετοικίζουσιν. *Nonnulli iram ex gynæconitide in andronitidem non rectè* IV. γυναικωνῖτις. ἀνδρωνῖτις.

tranſcribunt. Dionyſius Longinus, καὶ τὴν μὲν τῶν ἐπιθυμιῶν οἴκησιν προσεῖπεν ὡς γυναικωνῖτιν, τὴν τοῦ θυμοῦ δέ, ὡς ἀνδρωνῖτιν. *Et cupiditatum ſedem vocabat vt gynæconitidem, iræ verò vt andronitidem.* Plutarchus apopht. Lacon. de Pantheda, qui arcem muris & propugnaculis egregiè munitam videns, fertur dixiſſe: νὴ τοὺς Σιούς, ὦ ξένοι, καλὴ γυναικωνῖτις. *Medius fidius, ô hoſpites, egregium gynæceum.* Sic Diogenes apud Laërtium, Lacedæmone reuertens Athenas, rogatúſque vnde & quò iter haberet: ἐκ τῆς ἀνδρωνίτιδος, inquit, εἰς τὴν γυναικωνῖτιν. Latini gynæceum quàm gynæconitidem libentiùs vſurpant. vt Cod. ad legem Iul. repet. l. 5. *Vnuſquiſque procurator præpoſitus gynæcio.* Item Cod. de murilegulis & gynæciariis. *Qui aliquem ex familiis gynæcij in latebris habere comperti ſunt, quinque librarum auri damno ſubiiciantur.* & aliquoties eodem titulo. Plautus Moſtellaria ſc. *Melius.*

Gynæceum ædificare volt hîc in ſuis Gynæceum.
Et balneas, & ambulacrum, & porticum.

Terentius Phormione actu 5. ſc. 6.

Vbi in gynæceum ire occipio, puer ad me accurrit
Mida.

Quæres, cur ſi res Græcanica fuit, & à Romanorum moribus aliena, Orator gynæcei faciat mentionem? Reſpondeo: nihil aliud ſignificari, quàm inter colos & calathos à Fuluia venditas fuiſſe pop. Rom. prouincias, aliáſque ſyngraphas inter mulierculas ſcriptas fuiſſe. nam Polluci γυναικωνῖτις eſt θάλαμος ἱστῶν. *conclaue lanificio deſtinatum.* Polluci οἶκος γυναικῶν. *domus fœminarum.*

ARGVMENTVM.

Tranſit ad commentaria & chirographa nomine Cæſaris ficta, illúdque præcipuè carpit, quòd ciuitates Cretenſium à vectigalibus liberabat, ſtatuebátque ne poſt M. Brutum Proconſulem eſſet Creta prouincia.

QVID ego de commentariis infinitis, quid de innumerabilibus chirographis loquar? Quorum etiam imitatores ſunt, qui ea tanquam gladiatorum libellos palàm venditent. Itaque tanti aceerui nummorum apud iſtum conſtruuntur, vt iam expendantur, non numerentur pecuniæ. At quàm cæca auaritia eſt? nuper fixa tabula eſt, qua ciuitates locupletiſſimæ Cretenſium vectigalibus liberantur: ſtatuitúrque ne poſt M. Brutum Proconſulem, ſit Creta prouincia. Tu mentis es compos, tu non conſtringendus? an Cæſaris decreto, Creta poſt M. Bruti deceſſum potuit liberari: cùm Creta nihil ad Brutum, Cæſare viuo, pertineret? At huius venditione decreti (ne nihil actum putetis) prouinciam Cretam perdidiſtis: Omninò nemo vllius rei fuit emptor, cui defuerit hic venditor. LXXXI.

EXPLANATIO.

QVID EGO] Senatus pacis & concordiæ cauſâ Cæſaris acta ſeruanda eſſe decreuerat, id eſt ſtatuerat vt nihil de actis Cæſaris mutaretur, ſed ſingulis magiſtratus beneficia, prouinciæ darentur quæ Ceſar viuus ſingulis contuliſſet. Necato Cæſare, Calpurnia coniux, quatuor talentorum millia, & mariti libellos ſiue commentarios diurnos ab ipſo memoriæ cauſâ conſcriptos ad Antonium detulit. Is arrepta occaſione beneficia, magiſtratûs, prouincias, immunitates vendidit, adulteratis Cæſaris commentariis ad libidinem, quaſi quæ faceret è Cæſaris memoriali peterentur. ad hæc nunc Orator delabitur.

QVORVM ETIAM.] Tanta ſubiiciendorum adulterandorúmque licentia per te inducta eſt, vt non tu ſolùm, ſed alij quoque exſcribant, vel potiùs imitentur, quæ deinde publicè venditent, vt vendi ſolent, ij libelli quibus futura proximorum gladiatorum pugna, & ſingulorum parium compoſitio deſcribitur. Antonius Auguſtinus legebat *licitatores*, vt dicat Antonium quaſi publicè auctionantem eos commentarios vendidiſſe, ad quam auctionem licitatores accurrerent, qui certatim pretium augerent, vt ei addicerentur commentarij nomine Cæſaris ſcripti, qui maius pretium obtuliſſet, qui commentarij deinde per partes à ſectoribus venderentur.

ITAQVE.] Ex hac igitur chirographorum auctione tantas pecunias coaceruat Antonius, vt ponderentur, cùm præ multitudine non poſſint facilè numerari. malim, *pendantur.*

AT QVAM CÆCA AVARITIA EST.] Quàm imprudentes ſunt auari! qui, quaſi in media luce cæcutiant, ea ſcelera committunt, quibus nullam excuſationem poſſunt prætexere.

CIVIT. LOCVPL.] Quæ vt locupletiſſimæ erant, & omni copiarum genere abundantes, ita magna vectigalia conferebant.

VECTIGALIBVS LIBERANTVR.] Fuluius Vrſinus mallet *Vectigales.* Faërnus apud Manutium hanc vocem ab omnibus ſuis libris abeſſe teſtatur. Non tanti refert vt quicquam nouitatis inducendum eſſe videatur.

POST M. BRVTVM.] Poſt necem Cæſaris, percuſſoribus datæ fuerant variæ prouinciæ, & Creta M. Bruto obuenerat. Antonius cùm amicus Bruto videri vellet, veritus eum ſpoliare prouinciâ, non auſus eſt ſtatim Cretam ab oneribus prouincialibúſ liberare, ſed tabulam fixit vt Creta prouincia non eſſet, ſuíque iuris eſſe

tum inciperet, cùm eam Brutus adminiſtrare deſiiſſet, in quo turpiter hallucinatus eſt, dum Cæſaris decretum ementiens, non aduertit pugnantia ſe loqui, & Cæſaris decreto, poſt M. Bruti deceſſum Cretam non potuiſſe liberari, cùm Creta nihil ad Brutum Cæſare viuo pertineret.

NON CONSTRINGENDVS.] Vt inſanus & furipſus.

HVIVS VEND. DECRETI.] De Cretâ liberanda. parentheſim amaram & indignatione plenam, *ne nihil actum putetis*, *interſerit.*

HIC VENDITOR.] M. Antonius.

NOTÆ.

I. Imitari. IMITATORES.] Tranquillus in Tito cap. 3. *E pluribus comperi notis quoque excipere velociſſimè ſolitum, cum amanuenſibus ſuis per ludum iocúmque certantem imitari chirographa quæcunque vidiſſet: ac profiteri ſæpe ſe maximum falſarium eſſe potuiſſe.*

II. GLADIATORVM LIBELLOS.] Opus non eſt venas rimari, cùm theſaurum inuenerim. Iuſtus ille Lipſius Saturn. lib. 2. cap. 18. *Ante pugnam*, inquit, *moris vt editor libellos proponeret, in quibus dies futuri muneris, item nomina & paria gladiatorum: ſcilicet alliciendæ plebi, & expectationi commouendæ.* Probat tum ex aliis, tum ex Seneca epiſt. 119. *Nemo qui parturienti filiæ obſtetricem accerſit, edictum & ludorum ordinem perlegit.* Deinde hoc ipſo M. Tullij loco in medium prolato, hæc verba ſubnectit: *Nec placet referri ad libellos in quibus laniſtarum dictata. Potiùs ad libellos indices ludorum, quos vendebant, deſcribebántque palàm, vt in prouincias mitterent ad amicos abſentes.* Id colligit ex illo Ciceronis loco, epiſt. ad M. Cœlium, quæ eſt 8. libri 2. ad familiares. *Quid? tu me hoc tibi mandaſſe exiſtimas, vt mihi gladiatorum compoſitiones, vt vadimonia dilata, & Chreſti compilationem mitteres, & ea quæ nobis, cùm Romæ ſumus narrare nemo audeat?* Libellum munerarium

Libelli gladiatorum. appoſitè vocat Pollio in Claudio. *At ego ſcio ſæpiùs inter gladiatores bonis pugnatoribus Aureoli nomen appoſitum. habuit proximè tuus libellus munerarius hoc nomen in indice librorum.* Alluſit Seneca lib. 4. Controuerſ. *Quod munerarij ſolent facere ad expectationem populi detinendam, qui noua paria per omnes dies diſpenſant, vt ſit quod populum & delectet, & reuocet: hoc ego facio: non omnes ſimul produco. aliquid noui ſemper habeat libellus.* Huc referri poſſent & tabulæ pictæ gladiatorum exponi ſolitæ, de quibus idem ex Plinio lib. 35. cap. 7. Horatio lib. 2. ſat. 7. Trebellio in vita Carini.

EXPENDANTVR NON NVMERENTVR.] Eodem ſenſu Horatius ſat. 1. lib. 1.

Vmidius quidam, non longa eſt fabula, diues
Vt metiretur nummos.-

Metiri nummos. Petronius ſatyrico, *Vxor Trimalcionis fortunata appellatur, quæ nummos modio metitur.* Sic apud Plutarchum in Artaxerxe Cyrus Iunior, Lacedæmonios ad opem ſibi ferendam inuitans, Ἐφη δώσειν αὐ μὲ πεζοὶ παρῶσιν, ἵππους· αὖ δ' ἱππεῖς, συνωρίδας· ἐὰν δ' ἀγροὺς ἔχωσι, κώμας· ἐὰν δὲ κώμας, πόλεις· μισθοῦ δὲ τοῖς στρατευομένοις, οὐκ ἀριθμὸν, ἀλλὰ μέτρον ἔσεσθαι. *Dicebat ſe ſi pedites accederent, equos daturum: ſi equites, currus: ſi agros haberent, vicos; ſi vicos, vrbes: ſtipendij verò militibus erogandi non fore numerum, ſed menſuram.* Et, vt prouerbium fuiſſe videas, Xenophon libro tertio de rebus Græcanicis. Βουλόμενοι οἱ παρὰ Ξενίαν τὸ λεγόμενον μεδίμνῳ ἀπομετρήσασθαι παρὰ τοῦ πατρὸς ἀργύριον. *Volens Xenias medimno, vt aiunt, argentum à patre emetiri.* Noſter à prouerbio paululùm deflexit, & ponderis quàm menſuræ maluit habere rationem, ex veteri more, nam vt auctor eſt Plinius lib. 33. cap. 3. *Libralis, vnde etiam nunc libella dicitur, & dipondius appendebatur aſſis. Quare æris grauis pœna dicta. Et adhuc expenſa in rationibus dicuntur: item impendia & dependere. Quin & militum (militarium) ſtipendiorum, hoc eſt ſtipis ponderandæ penſatores, libripendes dicuntur: qua conſuetudine in his emptionibus quæ mancipij ſunt, etiã nunc libra interponitur.*

CÆCA AVARITIA.] Arimaſpi, vt ſcribit Plinius lib. 7. cap. 2. produntur, *Vno oculo in fronte mediâ inſignes, quibus aſſiduè bellum eſſe circa metalla cum griphis: ferarum volucri genere, quale vulgo traditur, eruente ex cuniculis aurum, mira cupiditate, & feris cuſtodientibus, & Arimaſpis rapientibus, multi, ſed maximè illuſtres Herodotus & Ariſteas Proconneſius ſcribunt.* At auaros omnes & cupidos Arimaſpis ſimiles eſſe dicemus, vnde & Ariſtides Rhetor, Philippo Macedoni, quod & altero captus oculo, & auri cupidiſſimus eſſet Arimaſpos cognatos eſſe dicebat, vt notauit Dalecampius è Rhodigino cap. 8. lib. 21. Veriùs tamen dixerimus cœcos eſſe: IV.

-prædæ tam cæca cupido eſt,

inquit Ouidius 3. Metamorphoſ. quòd auaritia *ſemper hiante atque imminenti* nullus ingenio, nullus cogitationi ſuperſit locus, qualis auaritia Verris deſcribitur, de Prætura Siciliẽſi 134. quemadmodum illa Camilla 11. Æneid.

Cæca ſequebatur, totúmque incauta per agmen
Fœmineo prædæ, & ſpoliorum ardebat amore.

Commodè Diphilus apud Stobæum.

Ἆρ' ἔστιν ἀνοητότατον αἰσχροκέρδεια.
Πρὸς τὸ λαβεῖν γὰρ ὢν ὁ νοῦς ἀλλ' οὐχ ὁρᾷ.
Lucri cupido turpis amentiſſima eſt.
Nil cernit aliud animus intentus lucro.

vel vt ait Sophocles Oedipo Tyranno.

-ἐν τοῖς κέρδεσι
Μόνον δέδορκε.-
-in lucro videt
Duntaxat.-

Sic & à Philone lib. de charitate auari dicuntur ῥυπῶντες, ταῖς διανοίαις προστετηκότες ἀργυρισμῷ, καὶ θανατῶντες περὶ πᾶσαν ἰδέαν κέρδους τὸ πόθεν αὖ γένοιτο μὴ σκεπτόμενοι. *Maculoſi & inquinati, cogitationibus auaritia tabeſcentibus, omne lucri genus efflictim depereuntes, & vnde habeant penſi nihil habentes.* Sic auari frequenter cæci cupiditate dicuntur, vt pro Quintio 85. *Concedas neceſſe eſt, ita te cæcum cupiditate & auaritia fuiſſe, vt cùm poſteà quid futurum eſſet, ignorares, accidere autem multa poſſent, ſpem maleficij præſentis in incerto reliqui temporis euentu collocares.* omitto §. 60. pro domo ſua, & illud 1. Æneidos.

-auri cœcus amore. Cæca auaritia.

& addo cæcam dici auaritiam Antonij, quòd præſentis lucri cupiditate ductus, in illud duntaxat inhians non videbat in quos ſe contradictionis & repugnantiæ laqueos induceret, è quibus ſe non poſſet

poſſet expedire. Sed omniū pulcherrimè B.Chryſoſtomus in epiſtolam ad Rom. homil. 14. demonſtrat auaritiæ cæcitatem. Ἀλλ᾽ ὅμως ἔτι πρὸς τὰ παρόντα κεχήναμεν; καὶ οὐκ ἐννοοῦμεν τοῦ διαβόλου τὴν κακουργίαν, ὃς διὰ τῶν μικρῶν τὰ μεγάλα ἡμᾶς ἀφαιρεῖται, καὶ δίδωσι πηλὸν, ἵνα ἁρπάσῃ χρυσὸν, μᾶλλον δὲ ἵνα ἁρπάσῃ τὸν οὐρανόν. καὶ δείκνυσι σκιὰν, ἵν᾽ ἐκβάλῃ τῆς ἀληθείας, καὶ ἐν ὀνείρασι φαντάζει (τοῦτο γὰρ ὁ παρὼν πλοῦτος) ἵν᾽ ἡμέρας γενομένης πάντων ἀποδείξῃ πενέστερον. *Sed tamen adhuc rebus præſentibus inhiamus? neque de diaboli malis artibus cogitamus? qui paruis & friuolis rebus ineſcatos magnis priuat & pretioſis: & lutum largitur vt eripiat aurum, imò vt cœlum eripiat. Et vmbram oſtẽdit vt repellat à veritate, & in ſomniis imaginationem eludit (id enim ſunt præſentes diuitiæ) vt orto die omnium oſtendat egentiſſimos.*

V. CIVIT. LOCVPL. CRETENSIVM.] *Centum vrbes habitant magnas, vberrima regna,* inquit Maro 3. Æneidos de Cretenſibus, & Horat. lib. 3. carm. ode 27.

Quæ ſimul centum tetigit potentem
Oppidis Cretem.

VI. NON CONSTRINGENDVS.] In Piſonem 47. *Si familiam tuam dimiſiſſes, quod ad neminem niſi ad te ipſum pertineret, amici tui te conſtringendum putarent.*

II. CRETA NIHIL AD BRVT.] Verè. nam vt ſcribit Appianus initio lib. 3. de bellis ciuilibus. ἤρξων τε μὲν οἱ δι᾽ ὑπὸ τοῦ Καίσαρος ἐς τὸ μέλλον ἔτος ἡγεμονεύειν, Συρίας μὲν ὁ Κάσσιος, καὶ Μακεδονίας ὁ Βροῦτος. *Electi fuerant à Cæſare ad annum ſequẽtem, vt Caſſius quidem Syriam, Brutus verò Macedoniam obtineret.* Tamen paulò poſt mortem Cæſaris prouinciarum facta mutatio, atque Antonius & Dolabella Conſules has prouincias ad ſe tranſtulerunt. Ibidem. Κασσιός τε καὶ Βροῦτος ἀφῃρημένοι πρὸς τῶν ὑπάτων Συρίαν καὶ Μακεδονίαν, καὶ ἐς παρηγορίαν βραχύτερα ἕτερα Κυρήνην καὶ Κρήτην ἀντιλαβόντες. *Conſules Bruto & Caßio Syriam & Macedoniam eripuerant, & ſolatij loco minores prouincias Cyrenem & Cretam acceperant.* Quamuis ὡς ἑτέροις δοκεῖ, τὰ δὲ μὲν ἀμφότερα Κυρήνη, Βιθυνία δὲ Βρούτῳ. *vt aliis videtur, hæc vtraq; Caſſio, Bithynia Bruto* conceſſa eſt. Sed fruſtra videtur, vt palàm eſt è verbis Ciceronis. Paulò tamen, poſt hanc orationem, vt videtur, iidem Brutus & Caſſius, ἔγνωσαν εἰς Συρίαν καὶ Μακεδονίαν, ὡς πρὸ Ἀντωνίου καὶ Δολαβέλλα σφίσιν ἐψηφισμένας χωρεῖν καὶ βιάζεσθαι. *Statuerunt in Syriam & Macedoniam, tanquam ſibi priùs quàm Antonio & Dolabellæ decretas, proficiſci, eáſque per vim occupare.* Hæc Appianus ſparſim lib. 3. quæ rurſum libro ſequenti vnum in locum colligũtur, è quibus aduertis cur Antonius Cretam liberans, M. Bruti Proconſulatum exceperit, vt tum demùm, cùm inde deceſſiſſet Brutus, Creta non eſſet prouincia, & immunitatis libertatiſque iure frueretur, ne iuſtam cauſam daret Macedoniæ repetendæ.

AXIOMA.

Quàm cæca auaritia eſt?

ARGVMENTVM.

Legem de reſtituendis exulibus nomine Cæſaris ab Antonio fixam inuadit, & ad eiuſdem in C. Antonium patruum ſuum contumelias delabitur.

ET de exulibus legem quam fixiſti, Cæſar tulit? Nullius inſector calami- LXXXII.
tatem, tantùm queror primùm eorum reditus inquinatos, quorum cauſam Cæſar diſſimilem iudicauerit. Deinde neſcio cur non reliquis idem tribuas, neque enim plus quàm tres aut quatuor reliqui ſunt, qui in ſimili calamitate ſint. Cur tua miſericordia ſimili non fruuntur? cur eos habes in loco patrui? de quo ferre, cùm de reliquis ferres, noluiſti: quem etiam ad cenſurã petendam impuliſti, eámque petitionem comparaſti, quæ & riſus hominũ, & querelas moueret. Cur autem ea comitia non habuiſti? an quia Tribunuſplebis fulmen ſiniſtrum nunciabat? cùm tuâ quid intereſt, nulla auſpicia ſunt, cùm tuorum, tum ſis religioſus?

EXPLANATIO.

ET DE EXVL.] Eóne impudentiæ deueniſti, vt etiam legem de reſtituendis exulibus, à Cæſare, dum viueret, latam eſſe dicas, eámque nomine Cæſaris iubeas in æreas tabulas incidi, & ad parietem aut columnam appendi?

NVLLIVS INSECTOR.] Quæ dicturus ſum non in eam partem accipi velim quaſi inſecter calamitatem alicuius, & eos omnes indignos reſtitutione iudicem qui fuerunt lege tua reſtituti. Tantùm duo queror. Alterum quòd in reuocãdis exulibus nullum cauſæ diſcrimen habueris. Sic enim bonorum ciuium, qui quòd arma contra Cæſarem tuliſſent, vel ob alias honeſtas cauſas exules erant, reditus inquinatur, & quaſi labe quadam adſpergitur, ex aliorum coniunctione, qui alias ob cauſas exulabant. Sic enim fit, vt omnium cauſa putetur eſſe ſimilis, cùm Cæſar ipſe, cuius tu nomine legem fixiſti, diſſimilem iudicaret. Alterum quod queror eſt perſonarum acceptatio in reuocandis exulibus. nam cùm tres tantùm aut quatuor ſuperſint exules, eos cum aliis reſtituere debebas.

INQVINATOS.] Camerarius legit *æquatos.* Nam, vt ait Michaël Toxita, *Vt in pœnis, ita etiam in præmiis obſeruanda eſt proportio. Æquari igitur eorum reditus poſſunt, qui cauſſam habent ſimilem: qui diſſimilem, eorum etiam reditus diſſimiles eſſe debent.* Nihil muto.

LOCO PATRVI.] C. Antonius. Marci patruus, olim collega Ciceronis in conſulatu, poſt eum magiſtratũ obtinuerat Macedoniam prouinciã: & cùm eam expilaſſet, accuſante M. Cœlio de maieſtate damnatus eſt, de pecuniis repetundis. qua damnatione perculſus & infamia notatus, prohibitus eſt gerere magiſtratus, aut vllam Reip. par-

tem attingere. Antonius autem cùm legibus ſuis exules reuocaret, damnatos & infamiâ notatos in integrum reſtitueret, res iudicatas reſcinderet, nullam fecit patrui ſui mentionem. Sed quaſi reſtitutione non egeret, & priſtinum locum dignitatis in ciuitate retineret, eum ad cenſuram petendam hortatus eſt. Quæ res & riſus hominum & querelas mouebat. Ridebant eum qui fuiſſet infamia notatus, necdum eſſet in integrum reſtitutus, cenſurã petere, cuius eſt de moribus ciuium iudicare: & improbos notare virgula cenſoria. Querebantur tantam eſſe impietatem M. Antonij, vt patruum ſuum, quem patris loco colere debebat, omnib. ridendũ exponeret. Vide Notas.

Cvr avtem.] Antonius vt videtur cenſoria comitia indixerat, ſed illuceſcente die vel non acceſſit omninò, vel cùm acceſſiſſet, repentè comitia dimiſit, quòd Tribunusplebis neſcio quis fulmen ſiniſtrum nuntiabat.

Cvm tva.] Cùm aliquid tua intereſt, cùm fers legem de prouinciis tibi, & collegæ tuo Dolabellæ dandis, cùm fers legem iudiciariam, vt milites manipulares è legione Alaudarum in iudicum numerum allegantur, ad alliciendos animos: cùm fers alias leges quæ in tuum commodum redundẽt, eas maximo imbri, tempeſtate, ventis, procellis, turbinibus, inter fulmina & tonitrua ferre non dubitas, & ſic auſpicia contemnis quaſi nulla omninò ſint auſpicia. cùm autem tuorum aliquid intereſt, cùm agitur honos & dignitas patrui tui, túmne ita es religioſus, vt auſpiciis & obnuntiationi Tribunorumplebis obtemperes? Atque hic eſt ſenſus horum verborũ, prout cum Lambino, Manutio, & Gruttero edidimus. Nam vulgata lectio, *nuntiabat. Tua quid intereſt? nulla auſpicia ſunt tuorum, cùm ſis religioſus.* Inepta eſt, inquit Grutterus, licet eam in ſuis omnib. manuſcriptis extare fateatur. De legibus ab Antonio, & pleriſque earum contra auſpicia latis, vide Philippicam primam à §. 19. ad 27. Philipp. 5. à §. 7. ad 15. & alibi paſſim. Maturantius retinet vulgatam lectionem, & ſic interpretatur. *Quoniam augur tu es & religioſus tuos auſpiciis ſubeſſe non exiſtimas, & te ac tuos extra omnia auſpicia poſitos eſſe tibi perſuades. ironicè autem loquitur.*

NOTÆ.

1. Loco patrvi.] C. Antonius (vt ſcribit Dio lib. 38.) *Multa Macedoniæ, quæ Romanis parebat, cuique ipſe præerat, multa ei quæ ad Romanos non ſpectabat, damna intulerat, multa ipſe receperat.* de quo Cicero epiſt. vndecimâ lib. 1. ad Attic. *Libertum ego habeo ſanè nequam hominem, hilarum dico, ratiocinatorem & clientem tuum. De eo mihi Valerius interpres nuntiat, Chiliúſque ſe audiſſe ſcribit hæc, eſſe hominem cum Antonio. Antonium porrò in cogendis pecuniis dictitare, partim mihi quæri, & à me cuſtodem communis quæſtûs libertum eſſe miſſum.* Subdit Dio: *Neque tamen his de cauſſis in iudicium pertractus, ſed cùm Catilinariæ coniurationis conſcius accuſaretur, ob prædictas res ἑάλω damnatus eſt.* Καὶ συνέβη αὐτῷ, ὧν μὲν ἐκρίνετο, μὴ ἐλεγχθῆναι, ὧν δ' οὐκ ᾐτιάζετο κολασθῆναι. *Et euenit ei, vt quorum arceſſebatur* (maieſtatis ſiue coniurationis cum Catilina) *eorum cauſâ* (repetundarum) *de quibus ei dicta dies non fuerat, plecteretur.* Accuſatores fuerunt Q. Fabius Maximus, & M. Cœlius, patronus Cicero. de primo in Vatinium 28. de ſecundo in Cœliana 15. & apertiùs §. 74. *Accuſauit C. Antonium collegam meum, cui miſero præclari in Remp. beneficij memoria nihil profuit, nocuit opinio maleficij cogitati.* De tertio pro domo ſua. §. 41. *Cùm C. Antonium, Collegam meum defenderem.* Tranquillus in Iulio cap. 20. Dio lib. 38. Quod autem ait nocuiſſe opinionem maleficij cogitati, non certò demonſtrat coniurationis damnatum fuiſſe Antonium, vt aliqui voluerunt interpretes, ſed cohærere poteſt cum illis quæ dicebamus ex Dione, non coniurationis quidem, ſed expilatæ Macedoniæ fuiſſe damnatum: etſi coniurationis opinio quæ altè in animis hominum inſederat, plurimùm ei nocuerit, Iudicéſque ſic alienarit, vt cùm eum violatæ Reip. damnare non poſſent, damnarint ſaltem vexatæ compilatæque prouinciæ. Fieri autem potuiſſe nonnunquam, vt quis vna lege, & vno crimine poſtulatus alio plecteretur, conſtat ex eadem oratione pro Cœlio 71. *Qui quanquam lege de vi certè non tenebantur, eo maleficio tamen erant implicati, vt ex nullius legis laqueis emittendi viderentur.* Qui autem damnatus fuerat iudicio de repetundis, ſolũ exilij cauſſâ vertere nõ cogebatur, ſed pecunia duntaxat multabatur vt tantum ſolueret, quanti lis fuiſſet æſtimata. Vide Verrinam de legatione Verris 98. vbi dicit quibuſdã nominibus Cn. Dolabellæ HS *ad tricies litem eſſe æſtimatam.* & Plutarchus non caruiſſe, ſuſpicione præuaricationis noſtrum Tulliũ ſcribit, quòd C. Verri ἑβδομήκοντα πέντε μυριάδων, tricies æſtimata lis fuerat, & Noſter frumentaria 184. C. Catoni quatuor tantùm millibus litem æſtimatam fuiſſe teſtatur. Exilij inſuper irrogati ne tenue quidem veſtigium, excepto turbulentiſſimo illo tempore, quo Equites iudiciis ad ſe tranſlatis, Mummium, Cottam, ipſum P. Rutilium, per cauſſam legis repetundarum, alióſque viros primarios ſolum vertere coëgerunt. Sed de his quoque intelligendum puto, quod ait Orator pro Cæcina 98. *In colonias Latinas ſæpe noſtri ciues profecti ſunt. Aut ſua voluntate, aut legis multa profecti ſunt: quam multam ſi ſufferre voluiſſent, tum manere in ciuitate potuiſſent.* Vide Appianum primo de bellis ciuilibus. Ita tamen in vrbe manere potuerunt, vt honores petere prohiberẽtur, nec vllam, vt in explanatione monui, Reip. partem attingerent. Lactantius Firmianus de origine Erroris lib. 2. cap. 4. *Quid? quòd apud ipſum Verrem non fuit illa damnatio, ſed vacatio? quemadmodum Dionyſio Deorum ſpolia geſtanti, Dij immortales bonam dederant nauigationem: ſic etiam Verri bonam quietem tribuiſſe videantur, in qua ſacrilegiis ſuis tranquillè frui poſſet. Nam frementibus poſteà ciuilibus bellis, ſub obtentu dãnationis ab omni periculo, & motu remotus aliorum graues caſus, & miſerabiles exitus audiebat: & qui cecidiſſe ſolus omnibus ſtantibus videbatur, is verò vniuerſis cadẽtibus ſolus ſtetit, donec illũ & opibus ſacrilegio partis, & vita ſatiatum ac ſenectute confectum proſcriptio triumuiralis auferret, eadem ſcilicet quæ Tullium violatæ Deorum maieſtatis vltorem abſtulit.* Eadem Plinius lib. 33. c. 2. *Cùm tradatur, non alia de cauſſa Verrem, quem Cicero damnauerat, proſcriptum cũ eo ab Antonio, quàm quòd Corinthiis ſe ei ceſſurum negauiſſet.* Quibus verbis, ni fallor, innuitur Verres poſt damnationẽ in Vrbe ſubſtitiſſe. Quid? quòd ne Senatu quidẽ mouebantur dãnati de repetũdis, niſi præteriti fuiſſent à Cenſoribus, ſed ius veniẽdi in curiã retinebãt, donec Cæſar cõfectis iam bellis

ciuilibus, (vt narrat Tranquillus cap. 43.) *Repetundarum conuictos etiam ordine Senatorio mouit.* E dictis eas tenebras quas doctiſſimus Manutius hoc loco ſibi offuſas fatetur, facile ſit affulgente perſpicuitatis radio diſſipare. Eum in fraudem induxerat locus in Vatinium §. 28. *At nunc quidem C. Antonius hac vnâ re miſeriam ſuam conſolatur, quòd imagines patris & fratris ſui, fratriſque filiam non in familia, ſed in carcere collocatas audire maluit, quàm videre.* Item alter hac ipſa, quam nunc in manibus habemus oratione, §. 45. *Reſtituebat multos calamitoſos. In his patrui nulla mentio: ſi ſeuerus, cur non in omnes? ſi miſericors, cur non in ſuos?* Et hîc cùm dixiſſet. *Et de exulibus legem quam fixiſti Cæſar tulit?* Adiecit: *Cur eos habes loco patrui, de quo ferre, cùm de reliquis ferres, noluiſti.* E quibus omnibus colligit C. Antonium adhuc poſt mortē Cæſaris in exilio fuiſſe. Verùm ex loco Vatinianæ neceſſariò non efficitur C. Antonium exilio fuiſſe multatum, fieri enim poteſt vt recentis damnationis pudore ſe tantiſper ex hominum aſpectu ſponte ſubduxerit, vt de P. Sylla ambitûs damnato ſcribit Orator pro eodem §. 74. *Quis vnquam eſt ſuſpicatus hunc magis odio, quàm pudore hominum, aſpectum lucemque vitaſſe? Qui dum multa haberet inuitamenta vrbis, & fori propter ſumma ſtudia amicorum, quæ tamen ei ſola in malis reſtiterunt, abſuit ab oculis veſtris, & cùm lege retineretur, ipſe ſe exilio prope multauit.* Quamuis biennio poſt Syllæ damnationem in ipſo Tullij conſulatu. Ἔδοξε τῇ βουλῇ, inquit Dio lib. 37. δέκα ἐτῶν φυγὴν, τοῦ Κικέρωνος εἰς τὰ μάλιστα ἐνάγοντος, τοῖς ἐπιτιμίοις τοῖς ἐπὶ τῷ δεκασμῷ τεταγμένοις προσνομοθετῆσαι. *Senatus decreuit vt decem annorum relegatio adnitente cum primis Cicerone, reliquis legis de ambitu mulctis adderetur.* Sed priùs, qui ambitûs damnati fuerant, ius ciuitatis adeò non amittebant, vt ne veteres quidem clientelas amitterent. Eadem oratione §. 61. *Atque hoc, Iudices, ex hac frequentia colonorum honeſtiſſimorum hominum intelligere poteſtis, qui adſunt, laborant: hunc patronum, defenſorem, cuſtodem illius coloniæ, ſi in omni fortuna atque omni honore incolumem habere non potuerunt, in hoc tamen caſu quo afflictus iacet, per vos tutari conſeruaréque cupiunt.* Quid? quod illo Vatinianæ loco, innuitur vtrumlibet fuiſſe in Antonij poteſtate, vt vel diſcederet, quod fecit occaſione damnationis, vel in vrbe remaneret, dum alterum pro altero dicitur maluiſſe.

Nam quod ſpectat ad illos calamitoſos, qui dicuntur à M. Antonio reſtituti, non exilium ſolùm, ſed etiam quæuis alia multa calamitatis nomine continetur, vt vel ex iis liquet quæ proximè ſubduntur. *Licinium Lenticulam de aleâ condemnatum, colluſorem ſuum reſtituit: quaſi verò ludere cum condemnato non liceret.* Nam ſi Conſul Antonius in Vrbe manens cum damnato ludere potuit, certè non exulabat Licinius de alea damnatus: quem ille reſtituit in integrum, nullam interim faciens patrui damnati mentionem. Denique hoc loco de tribus aut quatuor exulibus, qui reliqui erant loquens. *Cur tua miſericordia ſimili non fruuntur? cur eos habes loco patrui?* Nihil de exilio C. Antonij, ſed tantùm indicat eum fuiſſe damnatum, quæcunque tandem ea fuerit damnatio, nec in integrum à M. Antonio reſtitutum. Certè quæ proximè ſequuntur indicant eum Romæ fuiſſe C. Antonium, quomodò enim & exul, & non reſtitutus ad cenſuram petendam impelli potuiſſet? Quanquam video nos fruſtra laborare: Reuera enim exulauit C. Antonius. Strabo lib. 10. ἐφ᾽ ἡμῶν δὲ καὶ ἄλλην προσέκτισε (πόλιν) Γάϊος Ἀντώνιος ὁ θεῖος Μάρκου Ἀντωνίου, ἡνίκα φυγὰς γενόμενος μετὰ τὴν ὑπατείαν, ἣν ἦρξε Κικέρωνι τῷ ῥήτορι, ἐν τῇ Κεφαλληνίᾳ διέτριψε, καὶ τὴν ὅλην νῆσον ὑπήκοον εἶχεν, ὡς ἴδιον κτῆμα, οὐκ ἔφθη μὲν τι συνοικήσας, ἀλλὰ καθόδου τυχὼν, πρὸς ἄλλοις μείζοσιν ὢν, κατέλυσε τὸν βίον. *Noſtra ætate C. Antonius M. Antonij patruus, aliam vrbem ibi extruxit, cùm poſt geſtum Cicerone collega conſulatum exul in Cephallenia degeret, totámque ſub ſe Inſulam tanquam ſuam poſſeßionem haberet. non abſoluit tamen eam, ſed reditu impetrato, maiores agitans res vitam cum morte commutauit.* Quæres, quando reditum impetrauit? Res eſt ſuſpicionibus odoranda. Cæſar primo belli ciuilis anno reuerſus ex Hiſpania, dictus à M. Lepido Dictator, τοῖς ἐπιπτωκόσι κάθοδον πᾶσι, πλὴν τοῦ Μίλωνος ἔδωκε. *Exulibus omnibus, Milone excepto, reditum liberum fecit.* Quod ait exceptum Milonem, alios etiam exceptos intellige, qui cum Milone damnati fuerant, vt Sext. Clodium ob incendium curiæ. Quo tempore C. Antonius videtur poſtliminio rediiſſe, non tamen penitus reſtitutus fuiſſe priſtino ſtatui & dignitati, quod nunc obiicit Orator M. Antonio.

Sinistrvm fvlmen.] Noſter 2. de Diuinat. *In noſtris commentariis ſcriptum habemus Ioue tonante, fulgurante, comitia populi habere nefas. Hoc fortaſſe Reip. cauſâ conſtitutum eſt. Comitiorum enim non habendorum cauſſas eſſe voluerunt. Itaque comitiorum ſolum vitium eſt fulmen: quod idem omnibus rebus optimum auſpicium habemus, ſi ſiniſtrum fuerit.* De ſiniſtro vide Feſtum & Plutarchum. II.

Religiosvs.] Feſtus. *Religioſi dicuntur qui faciendarum prætermittendarúmque rerum diuinarum ſecundum morem ciuitatis delectum habent, nec ſe ſuperſtitionibus implicant.* Maſurius Sabinus apud Gellium à *relinquendo.* deducit, Tullius 2. de natura Deorum, à *relegendo* optimè omniū Auguſtinus à *religando*, quòd hac virtute homo qui per peccatum à principio ſuo defluxerat, eidem religetur. III.

ARGVMENTVM.

Pergit ad reliquas contumelias ab Antonio in patruum ſuum irrogatas, quem & in Septemuiratu deſtituit, & filiam eius vxorem ſuam per cauſam adulterij repudiauit.

QVID? eundem in Septemuiratum nónne deſtituiſti? interuenit LXXXIII.
enim, cùm metuiſti, credo, ne ſaluo capite negare non poſſes: omnibus eum contumeliis oneraſti, quem patris loco, ſi vlla in te pietas eſſet, colere debebas: filiam eius, ſororem tuam eiecisti, alia conditio-

ne quæſita & antè perſpecta. non eſt ſatis, probri inſimulaſti pudiciſſimam fœminam, quid eſt quod addi poſſit? contentus eo non fuiſti. frequentiſſimo Senatu Kal. Ian. ſedente patruo, hanc tibi eſſe cum Dolabella cauſam odij auſus es dicere, quod ab eo ſorori & vxori tuæ ſtuprum oblatum eſſe comperiſſes. quis interpretari poteſt, impudentiórne, qui in Senatu; an improbior, qui in Dolabellam: an impurior, qui patre audiente: an crudelior, qui in illam miſeram tam ſpurcè, tam impiè dixeris?

EXPLANATIO.

QVID EVNDEM.] Turnebus Aduerſariorum lib. 4. cap. vndecimo. *Sententiam horum verborum hanc eſſe puto. Cùm Septemuir eſſes creatus agris aſsignandis, pecuniámque patruo deberes, nónne flagitantem deſtituiſti? tum enim interuenit & pecuniam petiuit: ſed tu veritus ne ſaluo capite negare non poſſes, hominem iurgio excepiſti, & pro pecunia probra, & contumelias turpiſſimas ei perſoluiſti. Deſtituere enim dicitur, qui quod promiſit non præſtat, vt qui promiſſam pecuniam non ſoluit.* Id confirmat auctoritate Ciceronis quæ in notis adferetur, & addit. *Verius ſit Septemuiratum petiiſſe Antonij patruum, eúmque in petitione ab Antonio non ſolùm deſtitutum fuiſſe, nec adiutum, verùm etiam contumeliis multis affectum.*

IN SEPTEMVIRATV.] De Septemuiratu Epulonum interpretantur Maturãtius, & Chriſt. Hegendorphinus: Manutius adſtipulatur Turnebo.

INTERVENIT ENIM.] Manutius hoc verbum è ſuperiore ſectione putat in hanc eſſe detruſum, & quaſi poſtliminio reuocandum, addendúmque poſt verbum *nuntiabat*, vt ſit ordo, *Interuenit ſiniſtrum fulmen quod Tribunus plebis ad impedienda comitia nuntiauit.* Sed vix perſuaſerit iis qui abhorrent à nouitate. quare ſequamur Turnebi ſententiam.

CVM METVISTI, CREDO.] Videtur reddere rationem cur patruum ſuum deſtituerit Antonius. quia ſi eum Septemuirum creare voluiſſet, priùs de reſtituendo patruo legem ferre debuiſſet. (neque enim qui integri capitis & exiſtimationis non erat ob damnationem, is poterat fieri Septemuir aut ad vllum vel magiſtratum, vel ſacerdotium promoueri.) At metuebat Antonius, ne ſaluo patrui capite, id eſt, patruo in integrum reſtituto debitam ei pecuniam negare nõ poſſet. Coniicit Ferrarius, aſſerit Lambinus legendum *necare*, ſed vellem interpretationem ſuam addidiſſent, vt & ij omnes qui ironiam eſſe contendunt.

SORОREM TVAM.] Antoniam patrui tui filiam, ac proinde tuam ſororem patruelem. Aduerte verò exaggerandæ contumeliæ rationem: primò rem ipſam ſuis omnibus circunſtantiis veſtitam exponit, deinde magis exaggerat. expoſitio habet incrementum rerum, exaggeratio verborum. Graue erat vxorem repudiare, grauius filiam patrui & ſororem ſuam patruelem: grauius etiam reiicere quàm repudiare. eiectio enim ſemper contumeliam habet, repudium non item. grauiſſimum autem aliam conditionem, id eſt alterius coniugis nuptias quæſiiſſe, & antè perſpexiſſe, vt Fuluiæ poſt mortem C. Curionis viduæ relictæ conditionem, & nuptias quæſierat Antonius antè quàm Antoniam abs ſe dimitteret. Iam quid illud? probri inſimulare, id eſt adulterij falsò accuſare fœminam? quid fœminam caſtiſſimam? Quid accuſare non inter priuatos parietes, ſed in Senatu, & frequentiſſimo Senatu, neque id quouis die, ſed ipſis Calendis Ianuariis, quo die vt videmus ſuprà §. 67. læta verba dicuntur.

Et damus alternas accipimúſque preces.

vt omittam quòd ſedente, & audiente patruo hæc probra in illam euomuit.

QVIS INTERPRETARI.] Hactenus expoſitio, cum rerum incremento, tranſiit ad verborum exaggerationem ſingulis circunſtantiis ſuum nomen attribuens. Impudentiæ fuit hæc dicere in Senatu coram viris grauiſſimis & reuerentia digniſſimis; improbitatis Dolabellam, honeſtiſſimum adoleſcentem adulterij labe adſpergere; impuritatis ſpurcè de filia loqui, patre audiente; crudelitatis & immanitatis famam pudicæ mulieris adulterij crimine violare.

IN DOLABELLAM.] Iam Antonius cum Dolabella in gratiam redierat, eúmque ad ſuas partes traduxerat. Prudenter igitur Orator hæc interſerit, vt eum adducat in odium Dolabellæ, concordiámque illam reſcindat, ne vterque conſpirantibus animis inuadant Rempub. quod iam tum moliri videbantur.

AN ILLAM MISERAM.] Antoniam innocentem & miſericordia dignam, quippe quæ hanc ignominiæ maculam non ſua culpa, ſed Antonij crudelitate contraxerat.

TAM SPVRCE.] Rem adeò fœdam & impuram, tam ſpurcis & inhoneſtis verbis exponens.

TAM IMPIE.] Nullam habens neceſſitudinis & conſanguinitatis rationem. Atque hactenus de contumeliis, quibus Antonius affecit Antonium patruum ſuum, vt Fuluiam duceret. Fuluiam, inquam, non Calpurniam, vt ait Franciſcus Maturantius, neque Octauiam, vt Lambinus: Sed ſi aliam quàm Fuluiæ velimus ab Antonio conditionem eſſe quæſitam: videtur Cytheridis ſiue Volumniæ conditionem quæſiiſſe: nam magiſter Equitum, quo tempore Cæſar bellum Alexandrinum & Ponticum Cæſar gerebat: inimicitias cum Dolabella exercuit: eodémque tempore Cytheridem habebant, non Fuluiam, quam innuit Plutarchus ab eo ductam, quo tempore Cæſar in Africam profectus eſt contra Scipionem.

NOTÆ.

SEPTEMVIRATV.] Noſter 3. de Oratore. *Pontifices veteres propter ſacrificiorum multitudinem tres viros Epulones eſſe voluerunt, cùm eſſent ipſi à Numa, vt etiam illud ludorum epulare ſacrificium facerent, inſtituti.* De his Liuius lib. 33. ad annum ab Vrbe Condita DLVIII.

Septemuiri epulones. *Eo primùm anno triumuiri epulones facti, &c. His triumuiris, item vt Pontifici lege datum togæ prætextæ ius.* Poſteà tamen è Triumuiris facti Septemuiri. vnde Gellius lib. 1. Noct. Atticarum cap. 12. & Plinius Iunior lib. 2. epiſt. 11. quæ eſt ad Arrianum: *Septemuir Epulonum.* Lucanus lib. 1.

Et doctus volucres Augur ſpectare ſiniſtras,
Septemuirque epulis feſtis, Titiique Sodales,

Feſtus: *Epolonos dicebant antiqui quos nunc Epulones dicimus. Datum autem eſt his nomen, quod epulas indicendi Ioui cæteriſque Diis poteſtatem habebant.* His autem Iouis epulis adhibebantur Senatores, vt notat Clarus Syluius vir eruditus lib. ſingulari in leges Regias, & XII. tabul. cap. 15. Itque ex Dione. Ἐπειδή τε ἐν τῇ τῶν Ῥωμαίων, οὐδεὶς τῶν βουλευτῶν ἐν τῷ Καπιτωλίῳ, ὥσπερ εἰώθει, εἱστιάθη, ἐν τῷ τέρατος λόγῳ καὶ τοῦτ᾽ ἔλαβον. *Quoniam in publica Romanorum celebritate, nullus Senatorum in Capitolio epulis accubuerat, vt moris eſt, id quoque prodigij loco habitum.* Atque hunc Septemuiratum, in quo C. Antonius à M. fratris filio deſtitutus fuerit, intelligunt.

Alii ſeptemuiratum agris Campano & Leontino aſſignandis poſt necem Cæſaris inſtitutum. de quo Philipp. 6. § 14. *Campus Martius reſtabat, niſi priùs cum fratre fugiſſet. Sed hæc agrorum aſſignatio paulò antè, Quirites, Luc. Cæſaris clariſſimi viri, & præſtantiſſimi Senatoris ſententiâ diſſoluta eſt. huic enim aſſenſi Septemuirûm acta ſuſtulimus.* Item Philippica 8. §. 26 *Ne fraudi ſit Septemuiris, quod egiſſent.*

II. Destitvisti.] Deſtituit debitor creditorem, cùm pecuniam, quam promiſerat, non exoluit. pro Quintio: *Deſtitutione illa perculſus Quintius, à Scapulis paucos dies aufert.* Deſtituit etiam qui candidato, vt promiſerat, non adeſt ad honores conſequendos. lib. ad Attic. epiſt. *Quid Arrius narret, quo animo ſe deſtitutum ferat.* Eodem etiam, vt videtur, ſenſu pro P. Sylla 90. *Etſi nihil aliud Syllæ, niſi conſulatum, abſtuliſſetis, tamen eo vos contentos eſſe oportebat, &c. Sed cùm huic omnia cum honore detracta ſint, cùm in hac fortuna miſera ac luctuoſiſſima deſtitutus ſit, quid eſt quod expetas amplius?* Deſtituere.

III. Conditione qvæsita.] Arnobius lib. 4. aduerſus gentes: *Vxores enim Dij habent, atque in coniugalia fœdera conditionibus veniunt antè quæſitis.* Scribit Feſtus: *Conuentæ conditio dicebatur, cùm primus ſermo de nuptiis, & earum conditione habebatur.* Vide Caium I.C. 12 de diuortiis. Ennius Thyeſte apud Nonium v. *Flaccet.*

Inflaccebunt conditiones repudiato & reddito.

Plautus Aſinaria de contrahendis nuptiis agens:

-tu conditionem hanc accipe, auſculta mihi
Atque eam deſponde mihi.- Item:
Narraui amicis multis conſilium meum
De conditione hac.-

Propertius lib. 2. eleg. 14. eodem ſenſu:

Atque vtinam non tam ſero mihi nota fuiſſet
Conditio: cineri nunc medicina datur.

Conditio. Cornelius Nepos vitâ Attici. *Effecit vt M. Lipſanius Agrippa intimâ familiaritate coniunctus adoleſcenti Cæſari, cùm propter ſuam gratiam, & Cæſaris potentiam nullius conditionis non haberet poteſtatem, potiſſimum eius deligeret affinitatem.* Frequenter Suetonius, vt in Iulio cap. 17. *Ad retinendam autem Pompeij neceſſitudinem ac voluntatem Octauiam ſororis ſuæ neptem quæ C. Marcello nupta fuerat conditione detulit, ſibique filiam eius in matrimonium petiit Fauſto Sullæ deſtinatã.* In Claudio 26. *Nec durare valuit, quin de conditionibus continuò tractaret.* In Galba 5 *Remanſit in cœlibatu, neque ſollicitari vllâ conditione amplius potuit.* Apuleius Apologia 2. *Quanquam quis omnium vel exiguè rerum peritus culpare auderet, ſi mulier vidua & mediocri formâ, at non ætate mediocri, nubere volens, longa dote & molli conditione inuitaſſet iuuenem, neque corpore, neque animo, neque fortunâ pœnitendum.* Eodem, ni fallor, ſenſu illud Tertulliani de animâ debet intelligi. *Concubitum libido non conditio fœdauit: exceſſus, non ſtatus eſt impudicus.* Huc etiam Ambroſius exhortatione ad virgines eleganter alluſit. *Quæ nupſerit ad ſeruitutem pecuniâ ſuâ venditur: meliori conditione mancipia, quàm coniugia comparantur. In illis meritum emitur ſeruituti, in iſtis pretium ad ſeruitutem additur.* Apollinaris libro ſecundo epiſt. 5. de nuptiis agens: *Sic te conditioni huic meritorum ratio præfecit, vt nec ſuperſtiti Optantio in liberos ſuos decuerit plus licere.* Quid ſit autem antè perſpicere conditionem, malo te ex Pauli Manutij in hunc locum quàm ex meis verbis addiſcere. Adeatur. Tranquillus certè in Auguſto 69. has voces coniunxit *M. Antonius ſuper feſtinatas Liuiæ nuptias, obiecit &c. conditiones quæſitas per amicos, qui matresfamilias & adultas ætate virgines denudarent, atque perſpicerent; tanquam Thoranio mangone vendente.* Vide Cœlianam.

Probri insimvlasti.] Marcellus D. de ritu nupt. l. 41. *Probrum intelligitur etiam in his mulieribus quæ turpiter viuerent, vulgóque quæſtũ facerent, etiamſi non palam.* Non tamen, opinor, Antonius inſimulauit vxorem, quòd vulgo quæſtum faceret, ſed quòd ei Dolabella ſtuprum obtuliſſet. Feſtus: *Probrum, ſtuprum, flagitium, vt Attius in Hellenibus.* IV. Probrum.

Qui niſi probrum, omnia alia indelictũ æſtimant.

Cæcilius in Dauo:

Ea tum compreſſa parit huic puerum, ſibi probrũ.

Sed poſteriore loco probrum videtur eſſe infamia quæ ex flagitio redundat, non ipſum flagitiũ. Ibidem: *probrum Virginis Veſtalis.* Notat autem alicubi Scaliger: *Vt à prohibeo prœbrum & probrum: ſic à ſtupeo ſtuprum.* Iam, vt ait idem Feſtus: *Stuprum pro turpitudine antiquos dixiſſe apparet in Nelei carmine.*

Fœdè, ſtupréque caſtigor cottidie.

Et in Appij ſententiis. *Qui animi volt ſeſe compotem eſſe, ne quid fraudis ſtupríque ferocia pariat.* Næuius:

Sicque ij perire maauolunt ibidem,
Quàm cum ſtupro redire ad ſuos populares.

Item:

Sin illos deſeritis fortiſſimos virorum,
Magnum inde ſtuprum poplo fieri pergetis.

E quibus vides idem penè eſſe probrũ & *ſtuprum*, & antiquitùs ſtuprum ſumptũ fuiſſe pro infamia, ſiue probro quod ex flagitio redundat, & vice verſa probrum pro ſtupro, ſiue flagitio, vnde infamia. Nunc ſtuprum ponitur pro flagitio, quod cũ virgine vel ſaltem cum ſoluta committitur: olim etiam pro adulterio poſuerunt, vt hoc loco: *Vxori tuæ ſtuprum oblatum eſſe comperiſſes.* & D. Ad legem Iuliam de adulteriis, nulla inter vtramque vocem diſtinctio.

Sedente patrvo.] C. Antonius repetundarum damnatus ius ad Senatum eundi non V.

amiſerat, vt iam diximus ſuperiore §. Primus enim Cæſar Dictator, vt è Suetonio retulimus. *Repetundarum conuictos etiam ordine Senatorio mouit.* Cuius, opinor, ſeueritatis occaſione factum paulò ante pugnam Actiacam, vt quæſtio de repetundis omninò tolleretur.. Dio lib. 49. Ὑπὸ δὲ τὰς αὐτὰς ἡμέρας δόγμα ἐγένετο μηδένα τῶν ἐς τὴν γερουσίαν πλουτούντων ἐπὶ λῃστείᾳ κρίνεσθαι, καὶ οὕτως οἵ τε τότε ἐν τοιαύτῃ τινὶ αἰτίᾳ ὄντες ἀφείθησαν, καὶ ἐς τὰ ἔπειτα ἄδειά τισι κακουργεῖν ἐδόθη. *Iiſdem fere diebus S. C. factum eſt, ne quis Senatorij ordinis de repetundis in ius vocaretur: eo & rei huius criminis impunitatem ſunt conſecuti, & in poſterum eorum maleficiorum licentia permiſſa eſt.* Poſteà tamen ea quæſtio non ſolùm reſtituta, ſed nouis ſanctionibus aucta. vide Interpretes Iuuenalis ad illa,

Exul ab octaua Marius bibit, & fruitur Diis
Iratis: at tu victrix prouincia ploras.

VI. MISERAM.] Innocentem, vt interpretatur Aſconius ad illa verba lib. 3. in Verrem, §. 41. *Ille miſer cùm eſſet Dolabella, tum proditione iſtius nefaria, tum improbo & falſo eius teſtimonio, tum multò ex maxima parte iſtius furtorum ac flagitiorum inuidia conflagrauit.* & §. 74. *Ille miſer defenſorem neminem reperire poterat.* pro Fonteio

Miſer eſt innocens.

35 *Venit huic ſubſidio miſero atq; innocenti Maſſilienſium ciuitas.* Sed ne longiùs exempla repetamus, habes tribus illis primis orationibus, quas nos commẽtariis explanatas in lucem emiſimus. pro Sextio 59. *Ille Cyprius miſer*, &c In Vatinium 17. de hoc ipſo C. Antonio, quem, quia defenderat, ſemper videri voluit innocentem. *Vt homo conſularis exclaſus miſer puncto temporis*, &c. Pro Cœlio 74. *Accuſauit C. Antonium collegam meũ, cui miſero præclari in Remp. beneficij memoria nihil profuit, nocuit opinio maleficij cogitati.* Sic Tibullus lib. 1. eleg. vltimâ, cùm primum enſis inuentorem accuſaſſet, eum deinde ſic excuſat & declarat innocentem.

At nihil ille miſer nocuit, nos ad mala noſtra
Vertimus, in ſæuas quod dedit ille feras.

Qui dicendi modus videtur ex eo natus, vel quòd nihil citiùs miſericordiam mouet, quàm innocentia & virtus afflicta, vel quòd imperitum vulgus exiſtimat eos eſſe miſeriores, qui innocentes cùm ſint, calumniis opprimuntur: vt ſentiebat Helena Ouidiana Paridi,

Leniter ex merito, quicquid patiare ferendũ eſt:
Quæ venit indigno pœna, dolenda venit.

Sed præclarè Socrates apud Xenophontem Apologiâ. *Cùm*, inquit, *adeſſet Apollodorus neſcio quis Socratis valdè ſtudioſus, dixit:* Ἀλλὰ τοῦτ' ἔγωγε, ὦ Σώκρατες, χαλεπώτατα φέρω, ὅτι ὁρῶ σ' ἀδίκως ἀποθνήσκοντα. *Atqui hoc ego, Socrates, ægerrimè fero quòd te video iniuſtè morientem. Hunc autem aiunt caput Apollodori manu mulcentem, ita dixiſſe:* Σὺ δ', ὦ φίλτατ' Ἀπολλόδωρε, μᾶλλον ἂν ἐβούλου με ὁρᾶν δικαίως ἢ ἀδίκως ἀποθνήσκοντα. *Tu verò, ô chariſſime Apollodore, videre me malles iuſtè quàm iniuſtè morientem?*

SPVRCE.] Vox à ſacris videtur acceiſita, nam vt auctor eſt Feſtus: *Spurcum vinum eſt quod ſacris adhiberi non licet, &c. cui aqua admixta eſt, defrutúmve, aut igne tactum eſt, muſtúmue antequam deferueſcat.* Sed huius vocis plura ſignificata, de quibus Nonius, vt *ſpurcum, ſæuum vel ſanguinarium*, adfert exempla quæ pleraque corrupta ſunt. Lucilius, VII.

Samnis ſpurcus homo, vita illa dignè locóque.

Afranius diuortio,

O dignum facinus adoleſcentis, optimas
Bene conuenientes concordéſque coniuges,
Repentè viduas facias, ſpurcitiâ patris.

Spurcum etiam, vehemens, aſperum, fœtidum (vide exempla) obſcœnum & impurum. Plautus Aſin.

Tot noctes reddat ſpurcas, quot puras habuerit.

Pomponius Proſtituta.

Quæ pedibus nubere poterãt, equites ſperant ſpurcæ.

AXIOMA.

Non ſunt contumeliis onerandi, quos patris loco colere debemus.

ARGVMENTVM.

Antonium reprehendit quòd non paruerit Senatui iubenti vt Conſules, cum quibuſdam Senatoribus delectis, & in conſilium vocatis, de actis Cæſaris cognoſcerent.

LXXXIV. SED ad chirographa redeamus. Quæ tua fuit cognitio? acta enim Cæſaris pacis cauſa confirmata ſunt à Senatu. Quæ quidem Cæſar egiſſet, non ea quæ Cæſarem egiſſe dixiſſet Antonius. Vnde iſta erumpunt? quo auctore proferuntur? ſi ſunt falſa, cur approbantur? ſi vera, cur veneunt? At ſic placuerat, vt Kal. Iun. de Cæſaris actis cum conſilio cognoſceretis: quod fuit conſilium? quem vnquam conuocaſti? quas Kal. Iun. expectaſti? an eas, ad quas te peragratis veteranorum coloniis, ſtipatum armis retuliſti? O præclaram illam percurſationem tuam menſe Aprili atque Maio! tum cùm etiam Capuam coloniam deducere conatus es. quemadmodum illinc abieris, vel potiùs penè non abieris, ſcimus cui tu vrbi minitaris, vtinam conere, vt aliquando illud PENE tollatur.

EXPLANATIO.

SED AD CHIROGRAPHA.] Quæ tu adulteraſti & falsò nomine Cæſaris ſubiecisti.

QVÆ TVA.] An recognouiſti chirographa Cæſaris cum delectis à Senatu, vt Senatus iuſſerat, ne deinde ſubiici & adulterari poſſent.

ACTA ENIM.] Cæſar ad bellum Parthicum profecturus, magiſtratus ad quinque proximos annos elegerat, ſacerdotia, prouinciarum exercituúmqe præfecturas ordinarat. Poſt eius necem factum S. C. in Ciceronis ſententiam, vt omnis memoria diſcordiarum obliuione ſempiterna deleretur, additúmque vt nihil de Cæſaris actis mutaretur, ſed, vt ijs ſacerdotia, magiſtratus, prouincias, exercitus obtinerent, quibus ea Cæſar viuus conceſſerat. Idque factum pacis & concordiæ cauſsâ, ne videlicet, qui à Cæſare beneficium acceperant, amittendi metu ſeditiones excitarent, ſopitáſque diſcordias renouarent. Appianus 2. ciuilium exeunte. Cùm autem Calpurnia vxor & pecunias, & Cæſaris libellos ad Antonium detuliſſet, ille multa chirographa nomine Cæſaris ementitus, quibus voluit beneficia conceſſit, quaſi Cæſar id facere ſtatuiſſet, & ita ſcriptum in ſuis commentariis reliquiſſet. atque hæc acta Cæſaris adulterata fraude Antonij, negat à Senatu fuiſſe confirmata.

VNDE ISTA ERVMPVNT.] Niſi ex tua domo, imò ex gynæceo, vbi immunitates nundinaris.

QVO AVCTORE PROFERVNTVR.] Quis aſſerit horum veritatem præter vnum Antonium.

SI SVNT FALSA.] Dilemma pauciſſimis verbis comprehenſum, vt vehementiùs feriat.

AT SIC PLAC.] Ita decreuerat Senatus, vt vos Conſules tu videlicet & Dolabella, conuocatis ad conſilium aliquot Senatoribus, recognoſceretis acta Cæſaris, rémque ad Senatum Cal. Iuniis referretis, ne qua fraus poſſet obrepere. Tu autem non ſolùm conſilium nuſquam conuocaſti, ſed totum menſem Aprilem & Maium peragrandis veteranorum coloniis inſumpſiſti, vt videlicet illos milites veteranos, quos aſſignatis agris, militiâ ſolutos Cæſar in colonias deduxeras, ad vlciſcendam Cæſaris necem concitaſti, & ſtipatus armis in vrbem rediiſti. Vide Philippic. 1. §. 6.

O PRÆCLARAM.] Exclamatio ironica.

CAPVAM.] Antonius, vt veteranorum animos ſibi magis obligaret, Capuanorum agros illis aſſignare voluerat, & nouam coloniam eò tranſcribere: eóque profectus erat, vt agros diuideret: ſed illi coloni veteres obſtiterunt, necémque penè intulerunt. Et eam ob cauſam Capuanis minitabatur Antonius. Vtinam, inquit Orator, quæ minaris, ea coneris ad exitum perducere, vt tandem aliquando, quod fieri iampridem oportebat, tibi nex inferatur, nec iam dicaris penè occiſus, ſed ſimpliciter occiſus, & illud penè tollatur. legebatur olim: *Quemadmodum illam adieris, vel potiùs penè non adieris.* Nullâ ſubiectâ ſententiâ.

NOTÆ.

VETERANORVM.] Vide quæ diximus §. 49. Nota 3. ne ſit opus in ſingulis immorari. I.

APRILI ATQVE MAIO.] Aprilis ἀπὸ τῆς II.
Ἀφροδίτης, quod is menſis eſſet Veneri conſecratus. Ouidius 4. Faſtorum: Aprilis.

Sed Veneris menſem Graio ſermone notatum
Auguror: à ſpumis eſt Dea dicta maris.

Quamuis alij,

Aprilem memorant ab aperto tempore dictum.

Maius vel à *Maieſtate*, vel à *maioribus*, vel à Maius.
Maia Mercurij matre, vt dicitur 5. Faſtorum: ſicut contrà

Iunius à iuuenum nomine dictus adeſt. Iunius.

Sed vide Macrobium Saturnalibus.

PENE NON ABIERIS.] Philipp. 12. §. 7. III.
Quemadmodum veſtrum hoc conſilium Capua probabit, quæ temporibus his Roma altera eſt? illa impios ciues iudicauit, eiecit, excluſit. Illi, illi inquam, vrbi fortiſſimè conanti è manibus eſt ereptus Antonius.

ARGVMENTVM.

Peregrinationem & vinolentiam Antonij, item largitiones exagitat, & præſertim aſſinationem agrorum Campani & Leontini exaggerat.

AT quàm nobilis eſt tua illa peregrinatio! quid prandiorum apparatum, quid furioſam vinolentiam tuam proferam? tua iſta detrimenta ſunt; illa noſtra. Agrum Campanum, qui cùm de vectigalibus eximebatur, vt militibus daretur, tamen infligi magnum Reipub. vulnus putabamus, hunc tu compranſoribus tuis & colluſoribus diuidebas: mimos dico, & mimas, P. C. in agro Campano collocatos. Quid iam querar de agro Leontino? quoniam quidem hæ quondam arationes Campani & Leontini in P. R. patrimonio glandiferæ & fructuoſæ ferebantur. Medico tria millia iugerum. quid ſi te ſanum feciſſet? rhetori duo; quid ſi te diſertum facere potuiſſet? LXXXV.

EXPLANATIO.

AT QVAM NOBILIS.] Quibuſdam exemplaribus alia lectio, & hoc initium ſuperioribus ita copulatur, *vt aliquando illud* PENE *tollatur, atque nobilitata ſit tua illa peregrinatio.*

TVA ILLA.] Luxus in conuiuiorum apparatu, & vinolentia tibi priuatim damnum inferunt, tuam vitam infamant, rem tuam familiarem exhauriunt: at agrorum Campani & Leontini diuiſio redundat in vniuerſam Remp.

AGRVM CAMPANVM.] De agri Campani diuiſione iam promulgata lex fuerat à Rullo Tribuno plebis, Cicero Conſul, hac lege tantùm infligi Reipub. vulnus oſtendit, vt eam populus Romanus non receperit: tamen quadriennio pòſt à Cæſare Conſule contra Senatus voluntatem, reclamante Bibulo Collega perlata eſt: *agrúmque Campanum,* inquit Tranquillus, *ad ſubſidia Reip. vectigalem relictum diuiſit extra ſortem, ac viginti millibus ciuium, quibus terni pluréſue liberi eſſent.* Suſpicor aliquid deeſſe, & ſanè hiat oratio. Fortaſſe legendum, *Diuiſit extra ſortem militibus Pompeij, ac viginti millibus ciuium,* &c. Nam militibus fuiſſe diuiſum conſtat vel ex hoc ipſo loco, voluiſſe Pompeium ſuis militibus agros aſſignare, ſed Metellum Celerem, qui proximè ante Cæſarem Conſul fuerat, obſtitiſſe, neque rem obtinuiſſe Pompeium tradit Dio lib. 37. eundem anno ſequenti præcipuum ſuaſorem fuiſſe legis à Cæſare Conſule promulgatæ ſcribunt omnes: vt dubitari vix poſſit quin ager Campanus militibus etiam Pompeij fuerit diſtributus. Eximebatur autem de vectigalibus, quia dabatur colonis qui vectigal non pendebant.

MIMOS DICO.] Epiphonema ex indignatione erumpens.

GLANDIFERÆ ET FRVCTVOSÆ.] Locus ſine dubio corruptus. Monet Hieronymus Ferrarius in aliis extare: *Glandifacere, gracifice, grandiferæ, grandifacerent.* Quarum lectionum nonnullas teſtatur Grutterus in Palatinis reperiri. Sed nihil ſani. Lambinus ait in vno ſe codice reperiſſe, *grandi fœnore & fructuoſæ.* Sed ne ſic quidem ſatis concinna eſt oratio. Si coniecturæ locus ſupereſſet, legerem: *grandes, feraces, & fructuoſæ.*

MEDICO TRIA.] Hîc etiam lectionum varietas, alij legunt: *Medico tria millia iugerum, quaſi te ſanum feciſſet. Rhetori duo, quaſi te diſertum facere potuiſſet.* Placet vtraque: ſum tamen in eam, quam edidi, propenſior. *Medico tria millia iugerum* dediſti. *Quid* tandem illi dediſſes, *ſi te ſanum feciſſet? Rhetori* Sexto Clodio Siculo *duo* millia iugerum dediſti: *quid* illi dediſſes, *ſi te diſertum facere potuiſſet?* Eſt autem dilogia iocularis à ſanitate corporis, ad animi ſanitatem.

NOTÆ.

I. VINOLENTIAM.] Vide ſuprà.

II. VVLNVS INFLIGI.] Suprà 29. *Audite, audite, P. C. & cognoſcite Reipub. vulnera.* Vbi de menſura iugeri, & de campo Leontino, déque mercede Rhetori data dictum.

III. MIMOS DICO ET MIMAS.] De mimis & pantomimis nonnulla diximus pro Cœlio §. 65. Nota 2. De his fusè Bulengerus vir haud parum eruditus lib. 1. de theatro cap. 41. *Mimus,* inquit Diomedes, *qui vel intra, vel extra ſcenam geſticulationes exercet, imitatúrque dicta, factáque & mores hominum, & naturas cum laſciuia.* ἀπὸ τοῦ μιμεῖσθαι imitari. Dicti & *ethologi,* quòd hominum mores geſtu quodammodo loquerentur. Noſter 2. de Orat. *Mimorum eſt ethologorum, ſi nimia eſt imitatio, ſicut obſcœnitas.* Qualem deſcribit Cyprianus: *Superinducetur homo fractus omnibus membris, ac vir vltra muliebrem mollitiem diſſolutus, cui ars ſit verba manibus expedire,* &c. Eleganter Poëta vetus: Mimi.

Tot linguæ quot membra viro: mirabilis eſt ars
Quæ facit articulos ore ſilente loqui.

Claudianus in Mallio:

Qui lætis riſum manibus mouiſſe facetus,
Qui nutu manibúſque loquax.

Et in Eutropium lib. 2.

Quis magis enodes laterum detorqueat artus,
Quis voci digitos, oculos quis moribus aptet.

Quare Caſſiodorus epiſt. 20. lib. 1. *Hanc partem muſicæ diſciplinæ, inquit, mutam nominauere maiores, ſcilicet quæ ore clauſo manibus loquitur, & quibuſdam geſticulationibus facit intelligi, quod vix narrante lingua aut ſcripturæ textu poſſit agnoſci.* Et lib. 4. epiſt. 51. *Orcheſtarum loquaciſſimas manus, linguoſos digitos, ſilentium clamoſum, expoſitionem tacitam* eleganter appellat, quam μίμησιν mirum eſt, quàm graphicè Nonnus expreſſerit, 7. Dionyſ. verſu 20.

-Στροφάδεσσι πέρωσας
Ὀρχηστὴρ πολύκυκλος ἑλίσσετο λαίλαπι ταρσῶν,
Νεύματα μῦθον ἔχων, παλάμην στόμα, δάκτυλα φωνήν.

-Seſe motu criſpante ferebat
Turbine plantarum reuolutos mimus in orbes,
Sermo nutus erat, manus os, digitique loquela.

Video quàm infeliciter iſta mihi verſio ſucceſſerit: quare in ſequentibus, interpretatione contentus eſto pedum vinculis abſoluta. Idem lib. 19. ver. 153.

Χεὶρ προχυτὴ, καὶ σκαρθμὸς ἕλιξ, καὶ νεῦμα προσώπου Saltatio.
Ἄστατα κινυμένοιο, καὶ ἀνδρομέη σιωπὴ
Δάκτυλα δινεύουσα, καὶ ὀρχηστῆρος ὀπωπή.

Manus verſatilis, & ſaltus volubilis, & nutus vultûs
Mobiliter agitati, & vocale ſilentium
Digitos voluens, & ſaltatoris oculus.

Et verſu 196.

Ὣς εἰπὼν ἐχόρευε Μάρων ἑλικώδεϊ ταρσῷ,
Δέξιον ἐκ λαιοῖο μετήλυδα ταρσὸν ἀμείβων,
Σιγὴν ποικιλόμυθον ἀναυδέϊ χειρὶ χαράσσων.
Ὀφθαλμοὺς δ' ἐλέλιζεν ἀλήμονας, εἰκόνα μύθων,
Νεύματι τεχνήεντι νοήμονα ῥυθμὸν ὑφαίνων.

Sic locutus ſaltabat Maron volubili planta,
Dextram ex læua aduenam plantam commutans.
Silentium varij ſermonis muta manu ſignans.
Oculos verò vibrauit vages, imaginem ſermonum
Nutu artificiali intellectualem rhythmum texēs.

Et poſtquam varias fabulas imitatione expreſſas attigit, addit verſu 217.

Τοῖα Μάρων ἐχάραξε πολύτροπα δάκτυλα πάλλων,
Καὶ ποδὸς εὐρύθμοιο σοφὴν αἰώρησεν ὁρμὴν
Ἀστάθιον πλέξας πολυκαμπέα μέτρα χορείης.

Talia Maron ſignabat multùm verſatiles digitos vibrans

Et pedis rhythmum-bene-obſeruantis artificia-
lem retraxit impetum
Mobilis perficiens multiflexas menſuras chorea.

Mox verſu 223.

Σειληνὸς δ᾽ ἐχόρευε. πολυστρέπτοιο δὲ τέχνης
Σύμβολα τεχνήεντα κατέγραφε σιγαλέῃ χειρί.
Silenus verò ſaltabat. multum-verſatilis ve-
rò artis
Symbola artificioſa ſignauit taciturna manus.

Sed de hac geſticulatione rerum imitatrice, vide Lucianum fuſè περὶ ὀρχήσεως. Hæc autem videtur mimos inter & pantomimos diſtinctio: quòd pantomimi omnia penitus ſuis geſticulationibus exprimerent: mimi etiam nonnullos verſus adhiberent, & illam nequitiarum leuitatem grauibus quibuſdam ſententiis temperarent. vt conſtat è verſibus illis Publij & Laberij pulcherrimis qui ſuperſunt, tanquam tabulæ ex naufragio. Pleraque tamen obſcœniùs ſcriptitabant. Ouidius eleg. ad Auguſtum:

Scribere ſi fas eſt imitantes turpia mimos.

Item:

Quid ſi ſcripſiſſes mimos obſcœna loquentes.

Demoſthenes Olynth. 2. Ἀνθρώπους μίμους γελοίων, καὶ ποιητὰς αἰσχρῶν ᾀσμάτων. *Homines mimos ridiculorum, & poëtas turpium cantionum.* Iure autem Noſter obiicit mimos Antonio: Saluianus lib. 6. de prouident. *Illas rerum turpium imitationes, illas vocum & verborum obſcœnitates, illas motuum turpitudines, illas geſtuum fœditates. Quo factum eſt, vt cùm artem ludicram, ſcenámque totam in probro ducerent Romani, genus id hominum non modò honore ciuium reliquorum carere, ſed etiam tribu moueri notatione cenſoria voluerint.* Æmilius Probus præfatione vitarum: *In ſcenam prodire & populo ſpectaculo eſſe nemini in Græcia fuit turpitudini, quæ omnia apud nos partim infamia, partim humilia atque ab honeſtate remota ponuntur.* Vide Auguſtinum lib. 2. de Ciuitate, cap. 14. & alibi.

IV. ARATIONES.] Arationes, vt ſcribit Turnebus libro 1. Aduerſ. cap. 6. & in lib. 1. Varronis de lingua Latina, erant agri publici, qui aratoribus colendi dabantur, & tanquam locabantur impoſitis decumis: aut denique agri etiam qui decumas populo Romano pendebant. Nec tamen aratores domini erant. Plautus actu 1. ſc. 2. Truculenti. Dinarchum & Aſtaphium, ita loquentes inducit.

Aſtaph. *Plerique idem quod tu facis faciunt rei malè gerentes.* Arationes.
Vbi non eſt ſcriptura vnde dent incuſant publicanos.
Dinarch. *Malè vertit res pecuaria mihi, apud vos nunc viciſſim*
Volo habere aratiunculam pro copia hic apud vos.
Aſtaph. *Ambituris, qui arare ſolent, ad eos ire melius eſt.*
Hunc nos habemus publicum, illi alij ſunt publicani.

Sic arationes & aratores in Verrem Cicero ſemper appellat agros decumanos, & eos qui illos agros colebant. Vide exempla quæ ab eodem Turnebo referuntur: vbi & addit; nec verò aratores domini erant, nec domini cenſebantur, eóſque à dominis Cicero in Verrem actione quinta perſpicuè diſtinguit, ſic ſcribens: *Tamen incolumis numerus manebat, dominorum atque aratorum.*

LEONTINI.] De agri Leontini vbertate dictum ſuprà §. 29. Adde Prudentium lib. 2. in Symmachum. V.

Númne Leontini ſulcator ſoluere campi
Ceſſet frugiferas Lilybæo ex littore cymbas?

Et Sidonius Apollinaris carmine 22.

Hinc veniet calidis quantum metit Africa terris,
Quantum vel Calaber, quantum colit Appulus acer,
Quanta Leontino turgeſcit meſſis aceruo.

Neque ſolùm ab vbertate & copia, ſed etiam à frugum bonitate laudatur. Idem lib. 2. epiſt. 13. *Cúmque pranſuro Sardanapalicum in morem panis daretur è Leontina ſegete confectus.*

ARGVMENTVM.

Exponit quemadmodum Antonius auſpiciorum iure turbato, Caſilinum, vbi colonia iam erat, coloniam nouam deduxerit, & Capuæ territorium minuerit.

SED ad iter, Italiámque redeamus. Deduxiſti coloniam Caſilinum, LXXXVI. quo Cæſar antè deduxerat. Conſuluiſti me per litteras de Capua tu quidem. ſed idem de Caſilino, reſpondiſſem, poſſéſne vbi colonia eſſet, eò coloniam nouam iure deducere? negaui in eam coloniam, quæ eſſet auſpicato deducta, dum eſſet incolumis, coloniam nouam iure deduci: colonos nouos adſcribi poſſe reſcripſi. Tu autem inſolentia elatus, omni auſpiciorum iure turbato, Caſilinum coloniam deduxiſti, quò erat paucis annis antè deducta, vt vexillum videres, vt aratrum circumduceres, cuius quidem vomere portam Capuæ penè perſtrinxiſti, vt florentis coloniæ territorium minueretur.

EXPLANATIO.

SED AD ITER.] Reditus ad propoſitum. Redeamus ad iter quod feciſti peragrando colonias veteranorum in Italia conſtitutas: & ad Italiam, id eſt, ad res à te in Italia geſtas, redeamus, poſt factam Campi Leontini, qui eſt in Siciliâ, mentionem.

DEDVXISTI.] Caſilinum vrbs eſt Campaniæ ad Vulturnum amnem ſita. In eam Cæſar finitis bellis ciuilibus, militum veteranorum coloniam deduxerat, agróſque ſingulis aſſignarat, mercedis loco, ob nauatam ab ipſis operam bellis ciuilibus. Cùm adhuc non pauci milites ſupereſſent, quibus agri aſſignati non fuerant, eos poſt necem Cæſaris Antonius in colonias deduxit, nouámque coloniam tranſcripſit Caſilinum: conſuluitque Ciceronem de colonia Capuam deducenda. Negauit Cicero Capuam poſſe deduci: ſi conſuluiſſet Antonius de Caſilino, idem reſpondiſſet de Caſilino quod de Capua reſponderat, quia vtriuſque coloniæ ratio par fuit. nam & Capuam & Caſilinum ſeruatis auſpiciis tranſcripti fuerant coloni, erántque adhuc incolumes, quare fas nõ erat in eas vrbes colonias nouas deducere: quamuis ſi adhuc agri diuidendi ſupereſſent, coloniæ ſuppleri, & ad veteres colonos noui accedere potuerunt.

INSOLENTIA ELATVS.] Superbia, & arrogantia.

VEXILLVM VIDERES.] Monet Grutterus ita legi in ſuis Palatinis, imò in veteri editione. Optimo ſenſu: *Tam recens erat ea colonia, vt adhuc vexillum in terra defixum viſeretur.* Colonos enim ſub vexillo deducebant, cúmque ad deſtinatum coloniæ locum peruenerant, ibi vexillum ſtatuebant. Lambinus, Manutius, & alij recentiores ediderunt, *Vt vexillum tolleres.* eâ ſententiâ opinor, vt vexillum iuberes euelli, quod te vel tantum admonebat violatæ religionis, quòd eò coloniam deduceres contra auſpicia, vbi non ita pridem colonia fuerat ſeruatis auſpiciis conſtituta.

VT ARATRVM CIRCVMD.] Hactenus de auſpiciis violatis, nunc de illata Capuanis colonis iniuria. Cùm aratrum circumduceres, ad figendos terminos illius coloniæ, & territorium definiendum ac limitandum, partem Capuani territorij Caſilinenſibus agris adiunxiſti, támque Vrbi Capuæ appropinquaſti, vt aratri tui vomere penè perſtrinxeris.

NOTÆ.

I. CASILINVM.] De Caſilino Liuius lib. 22. *Quæ vrbs Vulturno flumine dirempta Falernum à Campano agro diuidit.*

II. COLONIAM NOVAM] Turnebus aduerſ. lib. 29. cap. 13. adfert locum ex apologia Apuleij in hanc ſententiam: *ac deinceps veteranorum militum nouo conditi*, lege, *nouo conditu, ſplendidiſſima colonia ſumus.*

III. VEXILLVM.] Operæ facturus pretium videor, ſi Turnebi verba exſcripſero lib. 4. aduerſ. cap. 13. hunc locum profert, & ſic explanat: *Qui coloniam deducebat, colonos qui plerumque milites erant, ſub vexillo ducebat: & milites confectis ſtipendiis exauctorata legione ſub vexillis habebantur, dum præmia emerita acciperent, aut in agros deducerentur.* Ad hanc conſuetudinem refert, illam militum tumultuantium poſtulationem apud Tacitum lib. 1. annalium: *Vt ſingulos denarios mererent, ſextuſdecimus ſtipendij annus finem adferret, nec vltrà ſub vexillis tenerentur, ſed iiſdem in caſtris præmium pecuniâ ſolueretur.* Iterùm: *Exauctorari qui ſena dena feciſſent, ac retineri ſub vexillo cæterorum immunes, niſi propulſandi hoſtis.* Iterùm: *Veteraníque nuper miſſi ſub vexillo hiemabant.* quod indicat eos iam in legione non fuiſſe, ſed exauctoratos. Itaque qui exauctorari volunt apud eundem hiſtoricum vexillum flagitant; *Et nocte*, inquit, *concubia vexillum in domo Germanici ſitum flagitare occipiunt.* Idem alibi ex Tranquillo in Galba cap. 20. *Omneſque qui accerſerentur ſpreuiſſe nuntium excepta Germanicorum vexillatione.* Vexillationem interpretatur cohortem militum, qui confectis & emeritis ſtipendiis ſub vexillis etiamnum habebantur, vſque dum commoda & agros acciperent. Hæc Turnebus, quibus addere potuiſſet, quæ fortaſſe non minùs ad hunc locum Ciceronis. Appianus lib. 2. ciuilium: Τό τε πλῆθος τῶν ἀπεστρατευμένων, &c. ἀθρόον τότε ἐστάθμευεν ἐν τοῖς ἱεροῖς καὶ τεμένεσιν, ὑφ' ἑνὶ σημείῳ, καὶ ὑφ' ἑνὶ ἄρχοντι τῆς ἀποικίας. *Et multitudo eorum qui perfuncti fuerant ſtipendiis in templis & lucis ſubſtiterat, ſub vno vexillo & duce coloniæ.* Item 2. Agraria §. 85. *Tunc illud vexillum (vexillum*, inquam, non vt quidam legunt, *exilium) Campanæ coloniæ, vehementer huic imperio timendum Capuam à decemuiris inferetur.* Plutarchus in Gracchis de coloniâ loquens à Caio Carthaginem deducta: Ἡ τε γὰρ πρώτη σημαία, πνεύματος ἐξαρπάζοντος αὐτὴν, τοῦ δὲ φέροντος ἐγκρατῶς ἀντεχομένου συνετρίβη. *Primum vexillum corripiente vento, eo qui ferebat contra retinente, confractum eſt.* Vexilla coloniarum.

IV. ARATRVM.] De more. Varro lib. 4. *Oppida condebant in Latio, Hetruſco ritu multa, id eſt, iunctis bobus, tauro & vacca interiore aratro circumagebant ſulcum. Hoc faciebant religionis cauſa, die auſpicato. vt foſſa & muro eſſent munita. Terram vnde exſcapſerant foſſam vocabant: & introrſum factum murum. poſtea quod fiebat orbis, Vrbs*, &c. & poſt pauca: *Quare & oppida, quæ prius erant circumducta aratro, ab orbe & vrbo vrbes: & ideo coloniæ noſtræ omnes in literis antiquis, ſcribuntur vrbes, quod item conditæ, vt Roma*, &c. Cato: *Qui vrbem nouam condit tauro & vacca aret: vbi arauerit murum faciat, vbi portam vult eſſe, aratrum ſuſtollat, & portet, vt portam vocet.* Plutarchus in Romulo, cuius verbis vtpote Græcis ſuperſederem, niſi quaſdam circunſtantias adferret notatu digniſſimas: Ὁ δ' οἰκιστὴς ἐμβαλὼν ἀρότρῳ χαλκῆν ὕννιν, ὑποζεύξας δὲ βοῦν ἄρρενα καὶ θήλειαν, αὐτὸς μὲν ἐπάγει περιελαύνων αὔλακα βαθεῖαν τοῖς τέρμασι, τῶν δ' ἑπομένων ἔργον ἐστὶν, ἃς ἀνίστησι βώλους τὸ ἄροτρον, καταστρέφειν εἴσω καὶ μηδεμίαν ἔξω περιορᾶν ἐκτρεπομένην. τῇ μὲν οὖν γραμμῇ τὸ τεῖχος ἀφορίζουσι, καὶ καλεῖται κατὰ συγκοπὴν πωμήριον, οἷον ὄπισθεν τείχους, ἢ μετὰ τεῖχος. ὅπου δὲ πύλην ἐμβαλεῖν διανοοῦνται, τὴν ὕννιν ἐξελόντες, καὶ τὸ ἄροτρον ὑπερθέντες διάλειμμα ποιοῦσιν. ὅθεν ἅπαν τὸ τεῖχος ἱερὸν, πλὴν τῶν πυλῶν νομίζουσι. *Conditor aratro æreum vomerem adiungit, iunctiſque bobus mare & fœmina, ipſe circum lineamenta profundum inducit ſulcum. Sequentium munus eſt, vt excitatas ab aratro glebas*

intrò vertant, nec vllam ſinant extra ferri:ita mœnia lineâ definiunt, ídque eliſis aliquot litteris pomœrium dicitur, quaſi poſt vel pone mœnia. Vbi portam deſignare viſum eſt, vomere exempto atque aratro ſublato ſpatium relinquunt. vnde totum habent murum præter portas ſacrum. Sequor Hermanni Cruſerij verſionem. Ad hunc morem alluſit magnus Poëta 5. Æneidos:

Interea Æneas vrbem deſignat aratro.

Vide Feſtum in *Sulcus*, & apertiùs alibi Paulus ex Feſto. *Primigenius ſulcus dicitur, qui in condenda noua vrbe, tauro & vacca deſignationis cauſa imprimitur.*

ARGVMENTVM.

Aliud Antonio crimen impingit, & variis modis exaggerat, quòd videlicet in M. Varronis fundum Caſinatem ſumma cupiditate inuolarit, eúmque contra ius fáſque occuparit.

AB hac religionum perturbatione aduolas in M. Varronis ſanctiſſi- LXXXVII.
mi atque integerrimi viri fundum Caſinatem. Quo iure? quo ore? eodem, inquies, quo in heredum Luc. Rubrij, quo in heredum L. Turſelij prædia, quo in reliquas innumerabiles poſſeſſiones. & ſi ab haſtâ, valeat haſta: valeant tabulæ, modò Cæſaris, non tuæ: quibus debuiſti, non quibus tu te liberauiſti. Varronis quidem Caſinatem fundum quis veniſſe dicit? quis haſtam iſtius venditionis vidit? quis vocem præconis audiuit? miſiſſe dicis Alexandriam, qui emeret à Cæſare, ipſum enim expectare magnum fuit: quis verò audiuit vnquam (nullius autem ſalus curæ pluribus fuit) de fortunis Varronis rem vllam eſſe detractam? quid ſi etiam ſcripſit ad te Cæſar vt redderes? quid poteſt dici de tanta impudentia? Remoue gladios parumper illos, quos videmus: iam intelliges aliam cauſam eſſe haſtæ Cæſaris: aliam confidentiæ & temeritatis tuæ. Non enim te dominus modò illis ſedibus, ſed quiuis amicus, vicinus, hoſpes, procurator arcebit.

EXPLANATIO.

AB HAC.] Poſtquam auſpicia religionéſque ſic perturbaſti, vt Caſilinum, vbi iam colonia deducta fuerat à Cæſare, tu inſuper nouam coloniam tranſcriberes, & magnam partem Capuani territorij occupares, per ſummam violentiam & iniuriam in M. Varronis fundum inuolaſti. Laudat Varronem à ſanctitate morum & integritate, vt hinc Antonij iniuriam atrociorem oſtendat, quòd in eius viri fundum inuaſerit, quem propter morum ſanctitatem minimè decebat violari.

ADVOLAS.] Cupidè & violenter inuadis inſtar accipitris aut vulturij prædæ inhiantis.

CASINATEM.] A Caſſino, ſiue Caſino oppido Campaniæ.

QVO IVRE?] Scripſerat Tullius: *Quo iure? quo ore? eodem, inquies, quo in Scipionis.* Monuit Atticus, vt mutaret, neſcio quam ob cauſſam lib. 16. ad Attic. epiſt. 11. *Libenter ea corrigam, quæ à te animaduerſa ſunt, eodem iure quo Rubriana potiùs, quàm quo Scipionis, & de laudibus Dolabellæ deruam cumulum.*

QVO ORE?] Quo pudore? quo prætextu? qua ſimulatione iuris? quem potuiſti colorem tuo facto prætendere?

EODEM.] Ficta Antonij reſponſione, à præcedentibus factis ſequens factum exaggerat. Suprà 27. *Te is quem nunquam vidiſti L. Rubrius Caſſinas fecit heredem*, &c. Item de L. Turſelio: *Fratrem exheredans te faciebat heredem*, vide.

ETSI AB HASTA.] Anticipatione Rhetorica eludit reſponſionem Antonij. Reſpondebis fortaſſe fundum Varronis, quod ſecutus eſſet partes Pompeianas, ſubiectum fuiſſe haſtæ, & voci præconis, à Cæſare qui ſuorum inimicorum bona proſcripſit, te autem emiſſe, & adeò iure poſſidere. Quem fundum, ſi tu ab haſta Cæſaris emiſti, concedo te iure poſſidere, & valere haſtam debere confiteor. Notat Grutterus libros vetuſtius editos, & manu exaratos habere: *Etſi ab haſta, valeant tabulæ.* At Lambinus & Manutius, quos & ſequimur, duas voculas interſerunt. *Et ſi ab haſta, valeat haſta, valeant tabulæ.*

VALEANT TABVLÆ.] Valeant tabulæ Cæſaris, quibus debuiſti grandem pecuniæ vim pro domo, pro hortis, pro ſectione bonorum Cn. Pompeij: non autem valeant tabulæ nomine Cæſaris à te confictæ, quibus immunitates, beneficia, magiſtratus, prouincias ex adulteratis eius commentariis vendidiſti, ex qua nundinatione tantam pecuniam coaceruaſti, vt paucis diebus ære alieno te liberaris. Suprà 78. *Tu autem quadringenties LLS, quod Idibus Martis debuiſti, quonam modo ante Calendas Apriles debere deſiiſti.*

VARRONIS QVIDEM.] *Si facta eſſet publicè auctio bonorum Varronis, aliquis meminiſſet, haſtam vidiſſet, vocem præconis audiiſſet.*

Sed nemo meminiſſe ſe dicit, nemo haſtam vidit, nemo vocem præconis audiuit.

Ergo facta non eſt auctio bonorum Varronis.

MISISSE DICIS ALEXANDRIAM.] Alia

reſponſio M. Antonij, quam tribus rationibus confutat. 1. Ironicè, qua figura ſummam Antonij cupiditatem exaggerat. quaſi dicat, Adeóne cæcus auaritia & cupiditate rapiebaris, adeóne bonis ciuium inhiabas, vt magnum tibi, & difficile videretur expectare, dum Cæſar ad vrbem accederet, & inimicorum ſuorum bona ſubiiceret publicæ auctioni?

Qvis verò.] Altera confutatio, quæ ducitur à publico ciuium teſtimonio, quod nemo vllam huius venditionis mentionem audiuerit.

Nvllivs avtem.] Occupatio Rhetorica, qua reſponſioni, quæ fieri poterat, occurrit: dici enim potuit neminem audiiſſe quicquam de bonis Varronis eſſe detractum, quia nemo curabat: imò ait tam multi curabant ſalutem Varronis, vt nullius incolumitatem tam multi tanta ſollicitudine, curauerint, qui facilè audire potuiſſent, ſi quod in bonis atque fortunis vulnus accepiſſet.

Qvid si etiam.] Tertia confutatio à contrariis. Tantum abeſt, vt quicquam de bonis Varronis Cæſar quicquam detraxerit, tibíque mancipio addixerit, vt potiùs cùm Alexandriæ audiuiſſet, te in eius fundum inuolaſſe, ſcripſerit ad te vt reſtitueres Varroni. Quantæ igitur impudentiæ eſt dicere Varronis fundum tibi à Cæſare venditum fuiſſe?

Remove gladios.] Demonſtrat fundum Varronis non iure ciuili, ſed vi armata, & primò fuiſſe occupatum, & etiamnum teneri.

Qvos videmvs.] Satellites enim tuos cum gladiis in cella Concordiæ collocaſti.

Iam intelliges.] Commodè Manutius: *Intelliges quod a nobis haſtæ Cæſaris conceditur, ex qua nihil mutamus concordiæ cauſâ, id à nobis confidentiæ temeritatique tuæ non concedi. eiicieris enim ſtatim ex illo fundo temerè & confidenter occupato.*

Dominvs.] M. Varro.

NOTÆ.

I. Fvndvm Casinatem.] Bene Caſinatem diſtinctionis cauſâ: habuit enim & alterum fundum in Tuſculano, vt ipſe ſcribit lib. 3. de re ruſtica, cap. 13. *Nam quem fundum in Tuſculano emit hic Varro à M. Pupio Piſone, vidiſti ad buccinam inflatam certo tempore apros & capreas conuenire ad pabulum.* Sed de fundo Caſinate ibidem capite 5. vbi non affectatis nec ambitioſis, ſed puris & propriis verbis deſcribitur. *Cùm habeam ſub oppido Caſino flumen, quod per villam fluat liquidum & altum, marginibus lapideis, latum pedes* LVII. *& è villa in villam pontibus tranſeatur.* Vide deſcriptionem luculentam ornithonis, & aduerſaria Turnebi lib. 21. cap. 23. In eadem villa fuit mirum illud horologium, quod nos ſuperiùs §. 65. eiuſdem verbis deſcripſimus.

Fundus Caſinas Varronis.

Ab hasta.] De haſta auctionaria dictum §. 54. Item 55. Adde 2. de officiis de Sulla: *Eſt enim auſus dicere, haſtâ poſitâ, cùm bona in foro venderet, & bonorum virorum, & locupletum, & certè ciuium, prædam ſuam ſe vendere.* Item: *Nec verò vnquam bellorum ciuilium ſemen & cauſſa deerit, dum homines perditi haſtam illam cruentam, & meminerint, & ſperabunt, quam P. Sulla cùm vibraſſet, dictatore propinquo ſuo idem ſexto & triceſimo anno poſt à ſceleratiore haſta eadem non receſſit.* De quo vide epiſtolas ad Famil. epiſt. 10. lib. 9. & epiſt. 17. lib. 15. Philipp. 8. *Haſta Cæſaris P. C. multis improbis & ſpem affert, & audaciam. Viderunt enim ex mendicis fieri repente diuites: Itaque haſtam ſemper videre cupiunt ij, qui noſtris bonis imminent, quibus omnia pollicetur Antonius.* II.

Haſta auctionaria.

Confidentiæ.] Confidentia etiam in grauibus opprobriis. Plautus milite Glorioſo actu 2. ſc. 2. III.

Confidentia.

Os habet, linguam, perfidiam, malitiam, atque audaciam,
Confidentiam, confirmitatem, fraudulentiam.

Noſter 3. Tuſcul. quæſt. § 14. *Qui fortis eſt, idem & fidens, quoniam confidens mala conſuetudine loquendi in vitio ponitur: ductum verbum à confidendo, quod laudis eſt.*

Temeritatis.] Vide Piſonianam §. 39. nu. 5. vbi temeritatem ab audacia diſtinguimus. IV.

Hospes, Procvrator.] De hoſpitibus & iure hoſpitij tum publici, tum priuati, dictum in Sextiana ad §. 10. Not. 3. De procuratore fusè pro Cæcina ad illa verba edicti Prætoris. Vnde tv avt familia tva avt procvrator tvvs. §. 57. ſic interpretatur. *Vt ſiue me tu deieceris, ſiue tuorum quiſpiam, ſiue ſeruorum ſiue amicorum, vt ſeruos non numero diſtinguant, ſed appelletur vno familiæ nomine: de liberis autẽ quiſquis eſt, procuratoris nomine appelletur: non quo omnes ſint aut appellentur procuratores, qui negotij noſtri aliquid gerant: ſed in hac re cognitâ ſententiâ interdicti, verba exquiri omnia noluerunt. Nõ enim alia cauſſa eſt æquitatis in vno ſeruo & in pluribus: non alia ratio iuris in hoc genere duntaxat, vtrùm me tuus procurator deiecerit, qui legitimè procurator dicitur omnium rerum eius qui in Italia non ſit, abſítne Reipub. cauſſa, quaſi quidam dominus, hoc eſt alieni iuris vicarius.* & alia in hanc ſententiam. V.

Procurator.

ARGVMENTVM.

Antonij compotationes, luxum & temulentiam oſtendit per hypotypoſin, & à comparatione Varronis, eorúmque quæ in ea villa prius actitabantur, exaggerat.

LXXXVIII. At quam multos dies in ea villa turpiſſimè es perbacchatus? ab hora tertia bibebatur, ludebatur, vomebatur. O tecta ipſa miſera, *quàm diſpari domino;* (quamquam quomodo iſte dominus?) ſed tamen quàm ab diſpari tenebantur! ſtudiorum enim ſuorum M. Varro voluit eſſe illud, non libidinum diuerſorium. quæ in illa anteà dicebantur! quæ cogitabantur!

bantur! quæ literis mandabantur! iura P. R. monimenta maiorum, omnis ſapientiæ ratio, omníſque doctrina. At verò te inquilino (non enim domino) perſonabant omnia vocibus ebriorum: natabant pauimenta vino: madebant parietes: ingenui pueri cum meritoriis, ſcorta inter matresfamilias verſabantur.

EXPLANATIO.

AT QVAM.] Interrogatio Rhetorica non ſciſcitandi, ſed inſiſtendi cauſsâ. Singulis verbis ſuum momentum, *perbacchatus.* actio. *turpiſſimè* modus actionis. *multos dies,* tempus. *Villa*, locus in Villa Varronis Caſinate. perbacchari autem eſt temulentiæ vacare, ingurgitare ſe vino, & quaſi Bacchi orgia celebrare.

AB HORA TERTIA.] Contra morem aliorum, qui ante nonam vix ſolebant ad epulas accumbere. vtitur diſſolutis, & conciſis ad exprimendum tumultuarium conuiuium, & temporibus imperfectis, ad continuationem illius nepotationis denotandam. Sequitur exclamatio cum parodia verſûs antiqui: tum vocis correctio, quòd Antonium impropriè dominum dixiſſet, qui nullo iure in illius fundi poſſeſſionem inuaſerat.

STVDIORVM.] Varro ipſe 3. de re ruſtica cap. 5. quamdam Caſinatis villæ partem *muſæum* appellat, id eſt, vt interpretatur Turnebus, *locum Muſis & ſtudiis conſecratum.* & ibi videtur eos libros exaraſſe, quibus omnem ſapientiæ, quæ eſt rerum diuinarum & humanarum ſcientia, rationem, iura & exempla populi Romani comprehendit. & quinque quidem & viginti rerum humanarum libros, ſexdecim ſaltem rerum diuinarum, vndecim aut duodecim de vita populi Romani, de gente populi Romani quatuor, viginti de Repub. totidem de Rhetorica, octò ſaltem diſciplinarum, tres de re ruſtica, præter innumeras ſatyras, epiſtolicas quæſtiones, & alios complures libros in lucem emiſit fragmenta congeſta ſunt poſt Liuium ex editione Franciſci Modij anno 1588.

INQVILINO.] Dominus in proprio habitat, inquilinus in alieno & conducto: aduerte verò hypotypoſim conuiuij diſſoluti pulcherrimam, & ſenſus auditoris vel maximè ferientem.

MERITORIIS.] Pueris proſtitutis & ad præpoſteram conuiuarum libidinē mercede conductis.

NOTÆ.

I. Hora conuiuij.

AB HORA TERTIA.] Notum illud,

Imperat extructos frangere nona toros.

quòd hora diei nona menſis accumberent. imò, vt Perſius loquitur, etiam ſeriùs & primas epulis noctes decerperent. Hinc etiam illud Iuuenalis, vt alibi dictum,

Exul ab octaua Marius bibit, & fruitur Diis
Iratis.

Iratis, inquit, Diis fruitur, quia hoc illi confert exilium Deorum ira illatum, vt vnâ horâ maturiùs, quàm Romæ poſſit epulari. Non eſt tamen quod arbitreris eos ad horam nonam manſiſſe ieiunos. Nota veterum ientacula, cœnæ. Plutarchus conuiualium quæſt. 6. Πόθεν ἀκράτισμα, καὶ ἄριστον, καὶ δεῖπνον ὠνομάσθη; *Vbi ientaculum, prandium, cœna nomen habuerunt?* 1. Tuſcul. *Quid ille dux Leonidas dicit? Prandete animo forti Lacedæmonij: hodie apud inferos fortaſſe cœnabimus.* Sed in ientaculis & cœnis non gulæ & voluptati, ſed Soli neceſſitati ſeruiebant: vnde notatus Vitellius à Tranquillo cap. 13. quòd *Epulas trifariam ſemper, interdum quadrifariam diſpertiebat, in ientacula, & prandia, & cœnas, comeſſationéſque, facilè omnibus ſufficiens vomitandi conſuetudine: indicebat autem aliud alij eadem die: nec cuiquam minùs ſinguli apparatus quadringenis millibus nummûm conſtiterunt.*

II. QVAM DISPARI DOMINO.] Verba Poëtæ neſcio cuius. libro 1. de finibus ad finem vergente. *Ampla domus dedecori domino ſæpè fit, ſi eſt in ea ſolitudo, & maximè ſi aliquando alio domino ſolita eſt frequentari. Odioſum eſt enim cùm à prætereuntibus dicitur,*

O domus antiqua quàm diſpari domino dominaris:

quod quidem his temporibus in multis licet dicere.

III. PERSONABANT OMNIA.] Elegans conuiuij deſcriptio, vt illa Verrinâ de ſuppliciis §. 28. *Erant autem conuiuia non illo ſilentio prætorum, neque eo pudore qui in magiſtratuum conuiuiis verſari ſolet. ſed cum maximo clamore atque conuicio. nonnunquam etiam res ad manus, atque ad pugnam veniebat. Iſte enim prætor ſeuerus ac diligens, qui populi Romani legibus nunquam paruiſſet, illis legibus quæ in poculis ponebantur, diligenter obtemperabat. Itaque erant exitus eiuſmodi, vt alius inter manus è conuiuio, tanquam è prælio, auferretur: alius tanquam occiſus relinqueretur; plerique fuſi ſine mente, ac ſine vllo ſenſu iacerent, quiuis vt cùm adſpexiſſet, non ſe prætoris conuiuium, ſed vt Cannenſem pugnam nequitiæ videre arbitraretur.* Et illa eiuſdem Oratoris, quam refert Fabius lib. 8. cap. 3. *Videbar mihi videre alios intrantes, alios autem exeuntes, partim ex vino vacillantes, partim heſterna potatione oſcitantes. Verſabatur inter hos Gallius vnguentis oblitus, redimitus coronis. Humus erat immunda, lutulenta vino, coronis languidulis, & ſpinis cooperta piſcium.* Frequenter autem conuiuium luxurioſum à clamore & conuicio deſcribitur. vt à Maximo Tyrio prima concione: Ἐν συμποσίῳ μεστῷ κνίσης καὶ οἴνου ἐκχεομένου, καὶ αὐλῶν ἤχου, καὶ συρίγγων, καὶ ψαλμάτων. *In conuiuio pleno nidoris, vini effuſi, ſonitûs tibiarum, fiſtularum, cantilenarum.*

Conuiuij deſcriptiones.

IV. NATABANT PAVIMENTA VINO.] De more Horatius:

Abſumet heres Cæcuba dignior
Seruata centum clauibus, & mero
Tinget pauimentum ſuperbo,
Pontificum meliore cœnis.

Effuſio vini in pauimentum.

Plinius lib. 15. natur. hiſtoriæ cap. vltimo. *Torquati rara gloria (quando & ars ſuis legibus conſtat) non* [illegible] *ſermone*, &c. *optima fide non*

reſpiraſſe in hauriendo, neque expuiſſe, nihilque ad elidendũ in pauimentis ſonum ex vino reliquiſſe, diligenti ſcito legum contra bibendi fallacias. Noſter 1. Tuſculana. §.96. de Theramene, *qui cùm coniectus in carcerem triginta iuſſu tyrannorum, venenum vt ſitiens obbibiſſet, reliquum ſic è poculo eiecit, vt id reſonaret. quo ſonitu reddito, ridens, Propino, inquit, hoc pulchro Critiæ, qui in eum fuerat teterrimus. Græci enim in conuiuiis ſolent nominare cui poculum tradituri ſunt.* Ex Xenophonte ſecundo rerum Græcanicarum: τὸ λειπόμενον ἔφασαν ἀποκοτταβίσαντα. Hoc enim ludicri genus κοτταβισμὸν, vel etiam πίτυσμα nominabant. Pityſma Vitruuius lib. 7. cap. 4. *Conuiuiis eorum & quod poculis & pityſmatis effunditur, ſimul atque cadit, ſicceſcit: quique verſantur ibi miniſtrantes, etſi nudis pedibus fuerint, non recipiunt frigus ab eiuſmodi genere pauimenti.* Quamquam alij legunt *ſputiſmatis*, commodè tamen Scaliger in Manilium lib. 5. hinc exponit vexatiſſimum illum verſum Iuuenalis ſatyrâ, opinor, vndecimâ.

Pityſma. *Qui Lacedæmonium pityſmate lubricat orbem.*

Id eſt, pauimentum orbiculatis marmoris Laconici cruſtis ſtratum vini effuſione lubricum efficit. Terentius Heautontimor. actu 3. ſc. 1.

Pitiſſare. *Nam, vt alia omittam, pitiſſando modò mihi,*
Quid vini aſſumpſit?-

Id etiam Scaliger duorum veterum comicorum auctoritate confirmat. Alexidis:

Καὶ τὸν μὲν ὀξὺν οἶνον ἐκπιτύζομεν.

Archidici:

Διαπιτυοῦσ' οἶνον δὲ τοιοῦτον χαμαί.

De Cottabo Interpres Ariſtophanis in Nubes & rurſum in Acharnenſes, Suidas, Iulius Pollux lib. 6. cap. 19. Athenæus lib. 15. ineunte. è recentioribus Cœlius Rhodiginus cap. 5. lib. 28. Ioannes Stucchius Antiquitatum conuiual. lib. 3. cap. 13. & alij multa tradiderunt. vt pulcherrimè Nonnus lib. 33. Dionyſiac. à verſu 65. Amorem cum Hymenæo,

Cottabus. Νεκταρέας ῥαθάμιγας ἀκοντίζοντα κυπέλλου.
Guttas è patera iaculantem nectaris altè.

deſcribit. Sed hæc prætermitto, quòd cottabiſmo, vt ij tradunt, vinum non in pauimentum, ſed in peluim & caput cuiuſdam ſigni ærei mitteretur: fuit & alia fundendi meri conſuetudo, quæ magis huc quadrat, neque fortaſſe diuerſa fuit à pityſſatione. de qua Theocritus eidyllio 2. exeunte:

-Ἀτὰρ τόσον αἰὲν ἔρωτος
Ἀκράτῳ ἐπεχεῖτο.-
-At tantum ſemper amoris
Vini effundebat.-

Et rurſum eidyllio 14.

-Ἧς πότος ἁδύς.
Ἤδη δὲ προϊόντος ἔδοξ' ἐπιχεῖσθαι ἄκρατον,
Ὧτινος ἤθελ' ἕκαστος· ἔδει μόνον ᾧτινος εἰπεῖν.
Ἄμμες δὲ φωνεῦντες ἐπίνομες, ὡς ἐδέδοκτο.
-Erat potatio dulcis.
Procedente merum placuit defundere potu.
Cuius quiſque volebat: opus modò dicere cuius.
Hic ego ad arbitrium magno clamore bibebam.

Vbi interpres ad 2. Idyll. Εἰώθασι γὰρ οἱ ἐρῶντες ὑπὲρ τῶν ἀγαπωμένων πλείονας κυάθους ἐπιχεῖσθαι. *Solent enim amatores pro dilectis plures cyathos effundere.* Amatoria vini effuſio. & ad 14. Οὕτω εἰώθασι ποιεῖν ἐν τοῖς συμποσίοις, ἄκρατον λαμβάνειν, καὶ ὀνομάζειν τινὰς ἐρωμένους ἢ φίλους, ἐπιχεῖν τῇ γῇ, καὶ φθέγγεσθαι τῶν φιλτάτων τὰ ὀνόματα, &c. *Ita facere ſolent in conuiuiis, merum ſumere, quoſdam ſuos amaſios aut amicos nominare, in terram effundere, & eorum, quos plurimùm amant, nomina clamare.* Ad hunc morem trahunt nonnulli verſum illum Iuuenalis ſat. 3.

Si trulla inuerſo crepitum dedit aurea fundo.

Sed fortaſſe nodum in ſcirpo quærimus, & Orator lutulentam potiùs Antonij temulentiam, qua vinum hauſtum ſtatim euomebat, quàm has ludorum elegantias voluit deſcribere, vt & in Piſonem 22. *Quaſi aliquod Lapitharum aut Centaurorum conuiuium ferebatur: in quo nemo poteſt dicere, vtrum iſte plus biberit, an vomuerit, an effuderit.* Quod videlicet adeò vino non parceret, vt etiam illud in pauimentum reſpergeret, præter illud quod euomebat. Lepidè Iuuenalis ſat. 6.

-Tandem illa venit rubicundula, totum
Oenophorum ſitiens, plenâ quod tenditur vrnâ
Admotum pedibus, de quo ſextarius alter
Ducitur ante cibum, rabidam facturus orexim,
Dum redit & terram loto ferit inteſtino,
Marmoribus riui properant, aurata Falernum
Peluis olet: nam ſic, tanquam alta in dolia longus
Deciderit ſerpens, bibit & vomit.-

Sic, vt ſuprà, Maximus οἴνου ἐκχεομένου, Cicero *domus lutulentæ vino* fecit mentionem. Saluianus lib. 4. ad Eccleſiam. *Natant tricliniorum redundantium pauimenta vino: falerno nobili lutum faciunt: menſæ eorum ac toreumata mero iugiter madent.*

INGENVI PVERI.] Hoc ipſum eſt de quo V. queritur Seneca epiſt. 105. *Transeo puerorum infelicium greges, quos poſt tranſacta conuiuia aliæ cubiculi contumeliæ expectant. Tranſeo agmina exoletorum per nationes coloréſque deſcripta, vt eadem omnibus leuitas ſit, eadem prima menſura lanuginis, eadem ſpecies capillorum, ne quis cui rectior eſt coma, criſpulis miſceatur.*

CVM MERITORIIS.] Meritorij dicuntur VI. quæſtum corpore facientes. Tranquillus in Claudio cap. 15. *Equitem quidem Romanum obſcœnitatis in fœminas reum, ſed falsò & ab imponentibus inimicis confictο crimine ſatis conſtat, cùm ſcorta meritoria citari aduerſus ſe, & audiri pro teſtimonio videret, graphium & libellos quos tenebat in manu, ita cum magna ſtultitia & ſæuitia exprobratione ieciſſe in faciem eius, vt genam non leuiter perſtrinxerit.* & Ammianus lib. 28. *Meritorij corporis veterem lupam.*

SCORTA.] De ſcortis & lupis vide dicta pro VII. Milone. 56. *Semper ſecum ſcorta, ſemper exoletos, ſemper lupas ducebat.*

MATRESFAMILIAS.] Vide fusè Cœ- VIII. lianam §. 32. num. 2. *Si matremfamilias ſecus quàm matronarum ſanctitas poſtulat, nominamus.*

ARGVMENTVM.

Antonij ſuperbiam & inſolentiam tum in villa, tum in itinere erga eos qui ſalutatum veniebant, & crudelitatem erga nonnullos exagitat.

CASSINO ſalutatum veniebant: Aquino, Interamna: admiſſus eſt nemo. iure id quidem: in homine enim turpiſſimo obſoleſiebant dignitatis inſignia. Cùm inde Romam proficiſcens, ad Aquinum accederet, obuiam ei proceſſit (vt eſt frequens municipium) magna ſanè multitudo: at iſte opertâ lecticâ latus per oppidum eſt vt mortuus. Stultè Aquinates, ſed tamen in via habitabant. quid Anagnini? qui cùm eſſent deuij, deſcenderunt, vt iſtum, tanquam ſi eſſet Conſul, ſalutarent! incredibile dictu, tamen inter omnes conſtabat, neminem eſſe reſalutatum, præſertim cùm duos ſecum Anagninos haberet, quorum alter gladiatorum eſt princeps, alter poculorum. Quid ego illas iſtius minas, contumeliáſque commemorem, quibus inuectus eſt in Sidicinos? vexauit Puteolanos, quòd C. Caſſium, & Brutos patronos adoptaſſent, magno quidem ſtudio, iudicio, beneuolentia, charitate: non vt te, vt Baſilum, vi & armis, & alios veſtri ſimiles, quos clienteis nemo habere velit, non modò illorum cliens eſſe. LXXXIX.

EXPLANATIO.

CASSINO.] E vicinis oppidis ad villam Varronis Caſſinatem, Antonij ſalutandi cauſsâ veniebant: ſed omnes excluſi ſunt, neque quiſquam in villam admiſſus eſt. legunt nonnulli *Caſino ſalutatum:* bene ſi manuſcriptis niterentur, ſed Caſilinum quidem, etſi remotius quàm Aquinum & Interamna, non tamen adeò fuit remotum à villa Caſſinate, vt inde venire non potuerint. Quia tamen recens Caſilino diſceſſerat: & Caſſinum erat vicinius, probabilius eſt Caſſinates ad villam acceſſiſſe, vt ſalutem impertirent, obſequiúmque ſuum deferrent Antonio.

IVRE ID QVIDEM.] Iure nemo ſalutator, admiſſus eſt. Cùm enim Antonius eſſet impurus, & omni honore indignus, ſic inquinabantur & deformabantur inſignia dignitatis, vt ex eiuſmodi ſalutationibus & dignitatis inſignibus, dedecus in Antonium redundaret. legitur *obſolebant, obſoleſcebant, obſoleſiebant*, quod poſtremum retinui: tanquam vulgatius.

CVM INDE.] Hactenus de flagitiis Antonij in villa Caſſinate: nunc eiuſdem reditum, ſuperbiam, crudelitatem exagitat.

AT ISTE.] Antonius vt ſe ab Aquinatium conſpectu ſubduceret, per oppidum clauſâ lecticâ deferri voluit, vt mortui deferuntur.

STVLTE.] Stultè fecerunt Aquinates, qui tibi homini ſuperbo & faſtuoſo obuiam proceſſerint, ſed tamen excuſationem habent: ſiquidem in via Latina per quam tu facturus eras iter habitabant, vt viderentur non poſſe ſine nota Conſuli Romano, quantumuis impuro ſalutationis officium denegare. Quanto ſtultiùs Anagnini, qui cùm ad ſiniſtram Latinæ viæ, inter hanc & Valeriam viam habitarent, è monte, in quo ſitum eſt oppidum deſcenderunt, vt Antonium ſalutarent.

INCREDIBILE DICTV: TAMEN INTER.] Secutus ſum coniecturam Ferrarij, Grutteri, Manutij aliorúmque calculis approbatam. Vulgò, *Incredibile dictu, ſed tum nimis inter omnes.* Vt & paulò pòſt duas voces, *Muſtellam & Laconem*, quæ ex eruditi cuiuſdam gloſſis in textum irrepſerant, circumſcripſi: conſtat enim primam Tullij manum duabus hiſce vocibus caruiſſe: cùm Orator ipſe ad Atticum lib. 16. epiſt. 11. Attico ſuo quærenti quinam eſſent illi duo Anagnini, ſic reſpondeat: *Anagnini ſunt Muſtela ταξιάρχης & Laco qui plurimùm bibit.* ταξιάρχης gladiatorum princeps Muſtela, plurimùm bibit Laco princeps poculorum.

SIDICINOS.] Teanus Sidicinorum iuxta Interamnam. Quæ ſequuntur perſpicua ſunt: quamuis Lambinus vocem *patronos*, vt minùs neceſſariam induxerit, & Grutterus pro, *Vt Baſilum vi & alios.* legendum putet, *Vt Baſilum, vt Tamiſium, vt alios.*

NOTÆ.

CASSINO.] Operæ pretium fuerit huc verba Strabonis exſcribere ex libro Geograph. 5. Qui vias ab Vrbe ad Solis ortum ſpectantes ita deſcribit: Γνωριμώταται δὲ τῶν ὁδῶν ἥ τ' Ἀππία, καὶ ἡ Λατίνη, καὶ ἡ Οὐαλερία. ἡ μὲν τὰ πρὸς θάλατταν ἀφορίζουσα μέρη τῆς Λατίνης μέχρι Σιννέσσης, ἡ δὲ τὰ πρὸς τῇ Σαβίνῃ μέχρι Μαρσῶν, μέση δ' αὐτῶν ἡ Λατίνη ἡ συμπίπτουσα τῇ Ἀππίᾳ, κατὰ Κάσινον πόλιν διέχουσαν Καπύης ἐννεακαίδεκα σταδίους. *Nobiliſſimæ viarum ſunt Appia, Latina, & Valeria. De his Appia Latij, partes maritimas pertranſit vſque ad Sinneſſam, Valeria eſt quæ ad Sabinos pertinet vſque ad Marſos: media eſt Latina quæ in Appiam incidit ad Caſinum vrbem diſtantem à Capua nouemdecim ſtadiis.* Et poſt pauca: Ἐπ' αὐτῆς τῆς

Λατίνης εἰσὶν ἐπίσημοι κατοικίαι, καὶ πόλεις, Φερέντιον, Φρουσίνων, παρ' ἣν ὁ Κόσας ῥεῖ ποταμὸς, Φαβρατέρια παρ' ἣν ὁ Τρῆρος ῥεῖ· Ἀκουΐνον μεγάλη πόλις ἐστὶν, παρ' ἣν ὁ Μέλπις ῥεῖ ποταμὸς μέγας. Ἰντεράμνιον ὂν ἐν συμβολῇ δυοῖν ποταμῶν. Λείριός τε καὶ ἑτέρου Κασίνου, lege καὶ ἑτέρου, Κάσινον, καὶ αὕτη πόλις ἀξιόλογος ἐσχάτη τῶν Λατίνων. Τὸ γὰρ Τέανον τὸ καλούμενον Σιδικινῶν ἑξῆς κείμενον, ἐκ τοῦ ἐπιθέτου δηλοῦται δ' ὅτι τῶν Σιδικινῶν ἐστι. *In Latina via ſunt nobilia oppida ac vrbes, Ferentinum, Fruſinum, quod Coſa, amni alluitur, Fabrateria quam Treius amnis præterfluit, Aquinum vrbs magna iuxta quam Melpis flunius magnus labitur. Interamna ſita ad confluentes Liris & alterius fluuij, Caſinum ipſa quoque memorabilis & Latinorum vltima. Teanum enim Sidicinum, quod proximè ſequitur, ipſo cognomento oſtendit ſe ad Sidicinos pertinere.* Pergit vrbes quæ ſunt ad dextram & ſiniſtram Latinæ viæ deſcribere. Quæ ad dextram vergunt, nihil ad hunc locum. Ἐν ἀριστερᾷ δὲ τῆς Λατίνης αἱ μεταξὺ αὐτῆς καὶ τῆς Οὐαλερίας. *A ſiniſtro autem Latinæ viæ latere inter eam & Valeriam.* Gabios ponit & Præneſte: Εἶθ' ἡ ἐν τοῖς ὄρεσι τοῖς ὑπὲρ Πραίνεστον, ἥ τε Ἑρνίκων πολίχνη Καπίτουλον, καὶ Ἀναγνία πόλις ἀξιόλογος. *In montibus porro ſupra Præneſte cùm vrbs Hernicorum ſita eſt Capitulum, & Anagnia vrbs illuſtris.* Hæc ille, è quibus vides, quod maximè pertinet ad Ciceronem, Caſſinates, aut ſi mauis Caſilinates, Aquinates, Interamnates, Sidicinos villæ Caſſinati fuiſſe vicinos, & Aquinum fuiſſe frequens municipium, & ad viam Latinam ſitum, & Anagninos paululùm deuios in colle poſitam vrbem habuiſſe, vnde ad ſalutandum Antonium neceſſe fuerit deſcendere.

OBSOLEFIEBANT DIGN. INSIGNIA.] Neſcio quis laudatus à Saluiano lib. 4. de gubernat. Dei. *Quid eſt aliud principatus ſine meritorum ſublimitate, niſi honoris titulus ſine homine? aut quid eſt dignitas in indigno, niſi ornamentum in luto?* II.

OPERTA LECT. LATVS.] Vide planè quæ ex Lipſio diximus in Piſonem §. 53. Not. 5. *Sed vt mortuus infamis referri videretur.* III.

PVTEOLANOS.] Puteoli olim Dicæarchia inter Capuam & Neapolim. Paulus ex Feſto: *Puteolos dictos putant ab aqua calidæ putore: quidam à multitudine puteorum earundem aquarum gratiâ factorum.* Vide Strabonem & dicta in Vatinium §.12.num. 4. de celebri Puteolanorum emporio. IV.

PATRONOS ADOPTASSENT.] Vide Piſonianam 25. Notis 11. 12. *Me inauratâ ſtatuâ donarant, me patronum vnum adſciuerant.* Sextianam 9.nu.5. *Me vnum patronum adoptauit.* de Clientelis eadem Sextiana §.10.nu.2. de Clientum & patronorum inter ſe coniunctione ibidem §.8. Nota 2. V.

AXIOMATA.

In homine turpi obſoleſiunt dignitatis inſignia.

Improbos & impuros clientes nemo habere velit, non modò illorum cliens eſſe.

ARGVMENTVM.

Laudat Dolabellam Antonij collegam in Conſulatu, quòd abſente Antonio columnam in buſto Cæſaris erectam euerterit, vt ex illa comparatione Antonij ſcelera magis & magis exaggeret.

XC. INTEREA dum tu abes, qui dies ille collegæ tui fuit, cùm illud quod tu venerari ſolebas, buſtum in foro euertit? qua re tibi nuntiata, vt conſtabat inter eos qui vnà fuerunt, concidiſti: quid euenerit poſtea, neſcio. metum credo valuiſſe & arma. Collegam quidem de cœlo detraxiſti, effeciſtíque non tu quidem etiam nunc, vt ſit ſimilis tui, ſed certè vt diſſimilis eſſet ſui.

EXPLANATIO.

INTEREA.] Poſt C. Cæſaris necem neſcio quis in C. Marij nomen inuaſit, & rudem plebeculã concitauit in Senatum: plébſque, vt ſcribit Suetonius in Iulio cap. 85. *Solidam columnam propè* xx. *pedum lapidis Numidici in foro ſtatuit: ſcripſítque* PARENTI PATRIÆ. *apud eam longo tempore ſacrificare, vota ſuſcipere, controuerſias quaſdam interpoſito per Cæſarem iureiurando diſtrahere perſeuerauit.* Antonius vncum impegit illi Pſeudomario, eúmque in vinculis iugulauit. Quo facto vocatus in odium multitudinis concitatæ, in hoc rerum tumore diſceſſit ex vrbe veteranorum colonias nuper à Cæſare deductas obiturus, ſiue vt eorum animos ſibi conciliaret, ſiue vt caput ſuum præſenti periculo, multitudiníſque furori ſubduceret. Sed abſente Antonio & colonias luſtrante. *Cùm*, vt dicitur Philipp. 1. §. 4. *Serperet in Vrbe infinitum malum, idque manaret in dies latiùs, iidémque buſtum in foro facerent, qui illam inſepultam ſepulturam effecerant, & quotidie magis magíſque perditi homines, cum ſui ſimilibus ſeruis, tectis ac templis Vrbis minarentur, talis animaduerſio fuit Dolabellæ, cùm in audaces ſceleratóſque ſeruos, tum in impuros ac nefarios liberos*, vt ſeruos nonnullos in crucem egerit, liberos de Saxo Tarpeio deiecerit, *talíſque euerſio illius execratæ columnæ*, vt locum illum ſternendum locarit, ne quod extaret columnæ veſtigium, de quo epiſt. 17. lib. 14. ad Atticum: *O mirificum Dolabellam meum! anteà (crede mihi) ſubdubitabam: magnam* ἀναθεώρησιν *res habet: de ſaxo in crucem, columnam tollere, locum illum ſternendum locare.* Et epiſt. 18. *O Dolabellæ noſtri magnam* ἀριστείαν*! quanta eſt* ἀναθεώρησις*?* &c. *Mihi quidem videtur Brutus noſter iam vel coronam auream per forum ferre poſſe. Quia eum audeat violare propoſita cruce vel ſaxo? præſertim tantis plauſibus, tanta approbatione infimorum.*

D V M T V A B E S.] Meritò. quaſi præſente Antonio nihil huiuſmodi facturus fuerit Dolabella.

Q V I S D I E S.] Quantam Dolabella collega tuus in Conſulatu gloriam conſecutus eſt? Philipp. 1. §. 30. ſic alloquitur Dolabellam: *Quem potes recordari in vita tibi illuxiſſe diem lætiorem, quàm cùm expiato foro, diſſipato concurſu impiorum, principibus ſceleris pœna affectis, te domum recepiſti? cuius ordinis, cuius generis, cuius denique fortunæ ſtudia tum laudi & gratulationi tuæ ſe non obtulerunt?*

Q V A R E N V N T I A T A.] Audito facto illo Dolabellæ deſperatione concidiſti, animúmque abieciſti, ratus te, cùm tam fortem, támque omnium ordinum beneuolentiâ florentem Collegam haberes, non poſſe opprimere Remp.

Q V I D E V E N E R I T.] Quid Dolabellam ab illius diei mente abduxerit, eúmque mutarit, neſcio. Reuera autem Antonius cum pecunia corrupit, vt eum in partes ſuas adduceret.

M E T V M C R E D O.] Frigida excuſatio. Dolabellam videri vult non pecunia corruptum, ſed metu & armis à Repub. bene gerenda deterritum, poſtquam Antonius ex illa ſua peregrinatione, ſtipatus armatis, ad Vrbem acceſſit.

C O L L E G A M.] Dolabellæ gloriam minuiſti qua priùs ferebatur in cœlum, effeciſtíque non iam quidem, vt tua ſcelera imitetur, ſed vt à priſtina ſua virtute degeneret.

N O T Æ.

I. QVI DIES.] Suprà 76. *Qui tibi ille dies Mar. Antoni, fuit?* Poſt quem Papinius 1. Thebaid.

-Quis tum tibi ſaue,
Quis fuit ille dies, vacua cùm ſolus in aula
Reſpiceres ius omne tuum, cunctóſque minores,
Et nuſquam par ſtare caput?-

Plinius Panegyrico: *Ac primum qui dies ille quo expectatus deſideratúſque vrbem tuam ingreſſus es?*

II. B V S T V M.] Feſtus: *Buſtum propriè dicitur locus in quo mortuus eſt combuſtus & ſepultus: dicitúrque buſtum, quaſi bene vſtum: vbi verò combuſtus quis tantummodo, alibi verò eſt ſepultus, is locus ab vrendo vſtrina vocatur. Sed modò buſtum, eò quòd ſepelitur ſepulchrum vocamus.* Aliter Seruius in fragmentis à Scaligero citatis: *Apparatus mortuorum funus dici ſolet: extructio lignorum, rogus: ſubiectio ignis, pyra: crematio cadaueris, buſtum: locus, vſtrina: operis conſtructio, ſepulchrum: inſcriptum nomen memoriáque, monumentum.* Sed Feſto fauet quòd vſtrinam aliquando ſeparabant à ſepulchro, aliquando coniungebant, vt apud eundem Scaligerum docet duplex Romæ reperta inſcriptio. H V I C. M O N I M E N T O. V S T R I N V M. A P P L I C A R I. N O N. L I C E T. Item: A D. H O C. M O N I M E N T V M. V S T R I N V M. A P P L I C A R I. N O N. L I C E T. Gloſſarium *vſtrina*, πυρκαϊά. *vſtrina*, καύστρα νεκρῶν. Publicæ autem vſtrinæ erant in exquiliis, inquit Acro. Cicero 2. de legibus τύμβον, *buſtum* interpretatur. *De ſepulchris autem nihil eſt apud Solonem, quam ne quis ea deleat, néve alienum inferat: pœnáque eſt ſi quis buſtum (nam id puto appellari tymbon) aut monumentum, inquit, aut columnam violarit, deiecerit, fregerit.* Vide quæ diximus in 1. Philipp. *Illius execrata columna.*

Buſtum.

III. M E T V M C R E D O.] Imò auaritiam, vt per diſſimulationem oſtenditur 1. Philipp. §. 29. *Credo enim vos nobiles homines magna quadam ſpectantes, non pecuniam, vt quidam nimis creduli ſuſpicantur, quæ ſemper ab ampliſſimo quoque clariſſimóque contempta eſt, non opes violentas, & populo Romano minimè ferendam potentiam, ſed charitatem ciuium & gloriam concupiſſe.* Apertè lib. 14. ad Attic. epiſt. 22. *Cùm Dolabellæ auaritia (ſic enim tu ad me ſcripſeras) magna deſperatione affectus eſſem.* Et epiſt. 21. *O hominem pudentem! Calendis Ianuarij debuit, adhuc non ſoluit, præſertim cùm ſe maximo ære alieno Faberij manu liberarit, & opem ab eo petierit. libet enim iocari, ne me valdè conturbatum putes.* Iocus in eo conſiſtit. Faberius fuerat ſcriba Cæſaris, vt tradit Appianus, qui ſe poſt eius necem obſequentiſſimum præbuit Antonio, & eius arbitratu commentarios Cæſaris adulterauit, ne manus diuerſitas appareret. Dolabella igitur *ære alieno Faberij manu ſe liberauit*, pecuniâ videlicet, quam ex falſis Cæſaris commentariis Faberij manu conſcriptis, & *opem ab eo petiit*, id eſt, ſepties millies HS. quod erat ad ædem Opis, cum Antonio partitus eſt.

Auaritia Dolabellæ.

IV. D E C O E L O D E T R A X I S T I.] Noſter ad Dolabellam epiſtola quæ habetur libro 14. ad Attic. viceſima: *Neminem conueni, &c. quin omnes cùm te ſummis laudibus ad cœlum extulerunt, mihi continuò maximas gratias agant.* Et epiſt. 21. *Sæpius me iam agitas, quòd rem geſtam Dolabellæ nimis in cœlum efferre videar.* In cœlo eſſe, in cœlum efferri eſt valde laudari. Homerus:

-Καί μευ κλέος οὐρανὸν ἵκει.
-Cœlum mea gloria tangit.

Maro:

Fama ſuper æthera notus.
Daphnin ad aſtra feremus.-

Ennius:

Si fas endo plagas cœlorum ſcandere quemquam,
Mî ſoli cœli maxima porta patet.

Statius:

Protinus aſtriferos Capaneus tollendus in axes.

Horatius:

-ſiue mendaci lyra
Voles ſonari, tu pudica, tu proba,
Perambulabis aſtra ſidus aureum.

ARGVMENTVM.

Antonij reditum ex illa luſtratione Italiæ deſcribit, eiúſque tyrannidem comparatione Cinnæ, Syllæ & ipſius Cæſaris exaggerat.

XCI. QVI verò reditus inde Romam? quæ perturbatio totius vrbis? memineramus L. Cinnam nimis potentem, Syllam poſteà dominantem, modò regnantem Cæſarem videramus: erant fortaſſe gladij, ſed abſconditi, nec ita multi. Iſta verò quæ & quanta barbaria eſt, agmine quadrato cum gladiis ſequuntur milites: ſcutorum lecticas portari videmus. Atque his quidem iam inueteratis P. C. conſuetudine obduruimus, Kalend. Iun. cùm in Senatum, vt erat conſtitutum, venire vellemus, metu perterriti repentè diffugimus.

EXPLANATIO.

QVI VERÒ REDITVS.] Quàm turbulentus plenúſque terroris!

MEMINERAMVS L. CINNAM.] Cùm ita ciuitas Italiæ data eſſet, inquit Velleius lib. 2. vt in octo tribus contribuerentur noui ciues: ne potentia eorum & multitudo veterum ciuium dignitatem frangeret: plúſque poſſent recepti in beneficium, quàm auctores beneficij; Luc. Cornelius Cinna Conſul in omnibus tribubus eos ſe diſtributurum, pollicitus eſt. quo nomine ingentem totius Italiæ frequentiam in vrbem exciuerat. Pulſus vrbe à Cn. Octauio colle, cum Sextio Tribuno plebis, imperióque ei abrogato, corruptum Appij Claudij exercitum in poteſtatem ſuam redegit, & retinens inſignia conſulatûs, patriæ bellum intulit, fretus ingenti numero nouorum ciuium, è quorum delectu ccc. ampliùs cohortes conſcripſerat, ac triginta legionum inſtar impleuerat, Marium ab exilio reuocauit, & cum eo ſequentis anni Conſulatum inuaſit, duóſque poſtea continuauit Conſulatus. donec tandem à ſuo ipſius exercitu occiſus eſt.

SYLLAM POSTEA DOMINANTEM.] Eo ipſo, vt videtur, anno quo Cinna mortem oppetiit, reuerſus in Italiam Sylla, profligatis partibus Marianis dictaturam perpetuam inuaſit.

ISTA VERÒ.] Ex comparatione priorum tyrannorum Antonio quærit inuidiam. ſic Philipp. 5. §. 17. *Cinnam memini, vidi Syllam, modò Cæſarem: hi enim tres poſt ciuitatem à Luc. Bruto liberatam, plus potuerunt quàm vniuerſa Reſp. Non poſſum affirmare nullis telis eos ſtipatos fuiſſe: hoc dico, nec ita multis & occultis. At hanc peſtem agmen armatorum ſequebatur, &c.*

QVADRATO AGMINE.] Quaſi in aciem diſpoſito. vide Notas. Suſtuli vocem, *ſcutati*, quæ ex Lambini coniectura in pleraſque editiones irrepſerat: quod fruſtra portarentur ſcutis plenæ lecticæ, ſi iam ſcutati milites eſſent. 5. Philipp. §. 18. *Cùm autem erat ventum ad ædem Concordiæ, gradus complebantur, lecticæ collocabantur: non quòd ille ſcuta occulta eſſe vellet, ſed ne familiares ſi ſcuta ipſi ferrent, laborarent.*

VT CONSTITVTVM ERAT.] Suprà 84. *Sic placuerat, vt ex Calendis Iuniis de Cæſaris actis cum conſilio cognoſceretis.*

NOTÆ.

AGMINE QVADRATO.] Philippicâ 5. §. 20. *Agmine quadrato in ædem Concordiæ venit.* Varro apud Seruium Danielis citatus à Scaligero in Feſtum: *Duo ſunt genera agminum: quadratum, quod immiſtis etiam iumentis incedit, vt vbiuis poßit conſidere. Pilatum alterum, quod ſine iumentis incedit, ſed inter ſe denſum eſt, quò faciliùs per iniquiora loca tramittatur, &c.* Aſellio Sempronius *Quartum ſignum accedebat, ſiue pilatim, ſiue paßim iter facere volebat.* Paſſim, id eſt, agmine quadrato. At Tibullus poëmate ad Meſſalam tria genera agminum apponit, quadratum, duplex, pilatum. I.

Iam ſimul audacis veniant certamina Martis, Agmen quadratum.
Aduerſiſque parent acies concurrere ſignis:
Tunc tibi non deſit faciem componere pugnæ,
Seu ſit opus quadratum acies conſiſtat in agmen,
Rectus vt æquatis decurrat frontibus ordo:
Seu libeat duplicem, ſeu iunctum cernere Martem,
Dextérque vt læuum teneat, dextrúmque ſiniſter
Miles: ſitque duplex gemini victoria caſus.

SCVTORVM.] Scutum ſic à Polybio deſcribitur lib. 6. Θυρεός, οὗ τὸ μὲν πλάτος ἐστὶ τῆς κυρτῆς ἐπιφανείας πένθ' ἡμιποδίων. τὸ δὲ μῆκος ποδῶν τεττάρων. ὁ δὲ μείζων ἔτι καὶ παλαιστιαῖος. ἐκ διπλοῦ σανιδώματος, ταυροκόλλῃ πεπηγὼς ὀθονίῳ· μετὰ δὲ ταῦτα μοσχίῳ δέρματι περιείληπται τὴν ἐκτὸς ἐπιφάνειαν. ἔχει δὲ περὶ τὴν ἴτυν ἐκ τῶν ἄνωθεν καὶ κάτωθεν μερῶν σιδηροῦν σίαλωμα. δι' οὗ τάς τε καταφορὰς τῶν μαχαιρῶν ἀσφαλίζεται, &c. προσήρμοσται δ' αὐτῇ καὶ σιδηροῦς κόγχος, &c. *Scutum, cuius latitudo eſt in gibba ſuperficie duorum pedum & ſemis, longitudo pedum quatuor. Maius verò etiam palmo præterea excedit. Eſt ex duplici tabulatione glutino cum linteo compactum: dehinc vituli bouiſve corio tegitur exteriorem ſuperficiem. habet in curuatura circa ſuperam, inferámque partem ferreum munimentum, quo & contra enſium ictus defenditur, &c. aptatur illi & ferreus vmbo, &c.* Vide Lipſium de milit. lib. 3. dial. 2. II. Scutum.

ARGVMENTVM.

Obiicit leges ab Antonio perlatas legibus Cæſaris contrarias, & Cæſaris teſtamentum irritum factum ab eodem Antonio.

AT iſte, qui Senatu non egeret, neque deſiderauit quenquam, & potiùs diſceſſu noſtro lætatus eſt, ſtatímque illa mirabilia facinora effecit: qui chirographa Cæſaris defendiſſet lucri ſui cauſſâ, is leges Cæſaris, eáſque præclaras, vt Remp. concutere poſſet, euertit, numerum annorum prouinciis prorogauit. Idémque cùm actorum Cæſaris defenſor eſſe deberet, & in publicis & in priuatis rebus acta Cæſaris reſcidit. In publicis actis nihil eſt lege grauius, in priuatis firmiſſimum eſt teſtamentum. Leges alias ſine promulgatione ſuſtulit, alias vt tolleret promulgauit. Teſtamentum irritum fecit, quod etiam infimis ciuibus ſemper obtentum eſt, ſigna, tabulas, quas populo Cæſar vnà cum hortis legauit, eas hic partim in hortos Pompeij deportauit, partim in villam Scipionis. XCII.

EXPLANATIO.

AT ISTE.] Antonius qui ſua libidine, non publico conſilio, volebat adminiſtrare Remp. adeò neminem deſiderauit, vt potiùs lætatus fuerit, quòd cùm in Senatum Calendis Iunij venire vellemus, metu perterriti repentè diffugiſſemus.

STATIMQVE.] Eo ipſo temporis momento arripiens occaſionem noſtræ abſentiæ.

QVI CHIROGRAPHA.] Epichirema quod ita poſſit ad ſyllogiſmum reuocari.

Qui Cæſaris chirographa defendit, non debet eius leges euertere.

Sed Antonius Cæſaris chirographa defendit.

Ergo non debuit eius leges euertere.

Ad maiorem inuidiam addit vtriuſque facti rationes. Cæſaris chirographa defendit lucri ſui cauſſâ, id eſt, quia videbat fore vt multum lucraretur ex chirographorum venditione, ſi ea vim obtinerent: leges Cæſaris euertit, vt Remp. concuteret, quia ſtantibus illis non poterat vexare Remp.

NVMERVM ANNORVM.] Cæſar tulerat legem de certo numero annorũ, quo prouinciæ obtinerẽtur, eam legem non per ſe, ſed per quoſdam Tribunos plebis ſuſtulit Antonius. 1. Philipp. §. 19. *Quæ lex melior, vtilior, optima etiam Reip. ſæpius flagitata, quàm ne Prætoriæ prouinciæ plusquàm annum, ne plus quàm biennium conſulares obtinerentur? hac lege ſublatâ videntúrne vobis acta Cæſaris ſeruari?* Philipp. 5. §. 7. *Tribuni plebis tulerunt de prouinciis contra acta Cæſaris, ille biennij, iſte ſexennij.* E quibus vides Cæſarem tuliſſe, ne prouinciæ prætoriæ plus quàm annum Conſulares, ne plus quàm biennium obtinerentur: Tribunos autem plebis ab Antonio ſubmiſſos, & ſubornatos ita numerum annorum prouinciis contra legem Cæſaris prorogaſſe, vt Prætoriæ biennium, Conſulares ſexennium poſſent obtineri. Cur autem ea lex Cæſaris præclara dicatur, videbitur in Notis ex Dione.

IDEMQVE CVM ACTORVM.] Conuenerat inter percuſſores Cæſaris, Antonium & reliquos vt acta Cæſaris publica concordiæ cauſſâ ſeruarentur, Orator demonſtrat Antonium præcipua Cæſaris acta, ſiue publica illa eſſent, ſiue priuata, reſcidiſſe.

LEGES ALIAS.] Alias Cæſaris leges antiquauit, legibus contrariis, quas ne promulgauerat quidem, ſed ex improuiſo tulerat, vt legem illam de numero annorum prouinciis prorogando. Philipp. 5. §. 7. *Num etiam hanc legem populus Romanus accepit? quid? promulgata fuit? nónne antè lata quàm ſcripta? nónne antè factam vidimus, quàm futuram quiſquam eſt ſuſpicatus?* &c.

ALIAS VT TOLL. PROMVLGAVIT.] Vulgò *aliàs vt tolleret promulgatas, promulgauit.* Placuit cum Lambino & aliis viris doctis vocem *promulgatas* inducere. quod ſenſum vel obſcurare, vel vitiare videatur. Senſus enim eſt, Antonius alias leges Cæſaris ſuſtulit, cum promulgatione legis contrariæ.

SIGNA.] Statuas & ſimulacra è marmore, ære, argento, auro.

TABVLAS.] Pictas in tabulis imagines.

VNA CVM HORTIS.] Ad Tiberim poſitis.

IN HORTOS POMPEII.] Quos vnà cum Pompeij domo emerat Antonius.

IN VILLAM SCIPIONIS.] In Tiburtinum Metelli Scipionis.

NOTÆ.

CHIROGRAPHA.] Vide ſuprà 80. quæ ſit inter ſyngrapham & chirographũ diſtinctio.

NVMERVM ANNORVM.] Dio lib. 43. ὅτι αὐτὸς πολλοῖς τῶν Γαλατῶν ἐφεξῆς ἔτεσιν ἄρξας, ἔς τε τὴν ἐπιθυμίαν ἀπ' αὐτοῦ τῆς δυναστείας μᾶλλον προήχθη, καὶ ἐς τὴν παρασκευὴν τῆς ἰσχύος ἐπηυξήθη, κατέκλεισε νόμῳ τοὺς μὲν ἐστρατηγηκότας ἐπ' ἐνιαυτόν, τοὺς δ' ὑπατευκότας, ἐπὶ δύο ἔτη κατὰ τὸ ἑξῆς ἄρχειν, καὶ μηδενὶ τὸ παράπαν πλεῖον ἡγεμονίαν τινὰ ἔχειν ἐξεῖναι. *Quoniam ſeipſum nouerat propterea quòd multis continenter annis Gallias obtinuiſſet prouinciam, inde ad dominandi cupiditatem prouectum eſſe, ſéque comparatis inde viribus auctum fuiſſe, lege cauit vt qui Prætor fuiſſet non plusquàm annum, qui Conſul non plusquàm biennium prouinciam obtineret, nulliſque omninò fas eſſet imperium longiùs prorogare.* E quibus aduertis quàm præclara lex ea fuerit, quippe quæ neminem vnum ad tantam potentiam promo-

Lex Cæſaris de numero annorum in prouinciis obtinendis.

-ueri ſineret, vt plus vnus poſſet quàm vniuerſa Reſp.

III. Lex. IN PVBLICIS.] Benè lex in publicis actis numeratur. eſt enim ἀληθὲς δόγμα πόλεως, vt definit Plato. vide Milonianam §. 33. quo vno lex videtur à priuilegio diſtingui. & leges de ſingulis latas, idem Plato στασιωτείας, *ſeditionum ſeminaria* vocat. Neque ſolùm publica dicitur. quòd liget vniuerſos & publica quadam neceſſitate deuinciat, ſed etiam quòd à populo, aut à principe auctoritatem obtinente publicam ſanciatur.

IV. IN PRIVATIS FIRMISS. EST TESTAM.] Immò, vt ſcribit Papinianus D. Qui teſtam. fac. poſſ. l. 3. *Teſtamenti factio non priuati, ſed publici iuris eſt.* Gellius lib. 15. cap. 26. *Tria genera teſtamentorum fuiſſe accepimus: vnum quòd calatis comitiis in concione populi fieret: alterum in procinctu, cùm viri ad prælium faciendum in aciem vocabantur: Tertium per familiæ emancipationem, cui æs & libra adhiberetur.* Iuſtinianus 2. Inſtit. de teſtamentis ordinandis tertium hoc genus ſic explicat. *Per emancipationem, id eſt imaginariam quandam venditionem agebatur, quinque teſtibus & libripende ciuibus Romanis puberibus præſentibus, & eo qui familiæ emptor dicebatur.* Et ſuperiora quidem duo teſtamentorum genera publica videntur fuiſſe, cùm vel Calatis comitiis vel in procinctu fierent, ſed vt ibidem notat Iuſtinianus. *Ex veteribus temporibus in deſuetudinem abierunt, quod verò per æs & libram fiebat, licet diutiùs permanſerit, attamen partim & hoc in vſu eſſe deſiit.* Poſteà verò forma alia faciendorum teſtamentorum introducta eſt, quibus *ſeptem teſtium ſigna ſufficiebant*, ſine vllis aliis publicis ritibus & hoc, opinor, teſtamentorum genus ad acta priuata pertinebat.

Teſtamentū ſitne actum priuatum.

V. Teſtamentū. TESTAMENTVM IRRITVM.] *Teſtamentum*, inquit Modeſtinus D. Qui teſtam. fac. poſſ. l. 1. *eſt voluntatis noſtræ iuſta ſententia, de eo quod quis poſt mortem ſuam fieri velit.* Ex eo appellatum tradit Iuſtinianus Inſtit. poſt Seruium Sulpicium *à mentis conteſtatione.* Irritum. Irritum autem quid ſit patet ex Papiniano D. De iniuſto, rupto, irrito, &c. l. 1. *Teſtamentum aut non iure factum fuiſſe dicitur, vbi ſolennia iuris defuerunt; aut nullius eſſe momenti, cùm filius, qui fuit in patris poteſtate, præteritus eſt: aut rumpitur alio teſtamento, ex quo heres exiſtere poterit, vel agnatione ſui heredis: aut irritum conſtituitur, non adita hereditate.* Magna eſt autem teſtamentorum auctoritas, vnde & Plinius Iunior lib. 2. ep. 16. *Ego propriam quandam legem mihi dixi, vt defunctorum voluntates, etiamſi iure deficerentur, quaſi perfectas tuerer.* & lib. 4. epiſt. 10. *Puto nobis, quaſi ſcripſerit Sabina, faciendum, quod ipſa ſcripſiſſe ſe credidit. Confido acceſſurum te ſententiæ meæ, cùm religioſiſſimè ſoleas cuſtodire defunctorum voluntatem, quam bonis heredibus intellexiſſe pro iure eſt.* Item lib. 5. ep. 7. *Hoc ſi ius adſpicias, irritum: ſi defuncti voluntatem, ratum & firmum eſt. Mihi autem defuncti (vereor quam in partem Iuriſconſulti quod ſum dicturus accipiant) antiquior iure eſt*, &c. lex fuit Solonis apud Plutarchum; δόσεις κυρίαι τῶν τελευτώντων. *donationes mortuorum firmæ ac ratæ ſunto.* Vide Valerium.

VNA CVM HORTIS.] Tranquillus in Iulio cap. 83. *Populo hortos circa Tiberim publicè, & viritim trecenos ſeſtertios legauit.* Καὶ τῇ πόλει τούς τε κήπους τοὺς παρὰ τὸν Τίβεριν, καὶ δραχμὰς, ὡς μὲν αὐτὸς ὁ Ὀκταούιος γράφει, τριάκοντα, ὡς δ᾽ ἕτεροι, πέντε καὶ ἑβδομήκοντα ἑκάστῳ σφῶν δοθῆναι κεκέλευκεν. verba ſunt Dionis lib. 44. *Populo hortos ad Tiberim, ac viritim centenos vicenos, vt Octauius ipſe auctor eſt, vt alij trecentenos ſeſtertios legauit.* Idem alij ſcribunt: nullam tamen ſignorum aut ſtatuarum habes mentionem. Crediderim hortos inſtructos à Cæſare fuiſſe legatos, quibus etiam ſigna & ſtatuæ continentur, vt ſcribit Vlpianus. D. de inſtructo legato, l. 12. §. 36. *Imagines quoque hæ ſolæ legatæ videntur, quæ in aliquo ornatu villæ fuerunt.* VI.

AXIOMATA.

Qui Remp. concutere volunt, leges euertunt.

In publicis actis nihil eſt lege grauius: in priuatis firmiſſimum eſt teſtamentum.

Teſtamentum etiam infimis ciuibus ſemper obtentum eſt.

ARGVMENTVM.

Antonij demonſtrat inconſtantiam in exequendis iis quæ Cæſare viuo in eius honorem à populo impetrarat.

XCIII. ET tu in Cæſaris memoria diligens? tu illum amas mortuum? Quem is honorem maiorem conſecutus erat, quàm vt haberet puluinar, ſimulacrum, faſtigium, flaminem? Eſt ergo flamen vt Ioui, vt Marti, vt Quirino, ſic diuo Iulio Marcus Antonius. Quid igitur ceſſas? cur non inaugurare? ſume diem, vide qui te inauguret. Collegæ ſumus, nemo negabit. O deteſtabilem hominem, ſiue quòd tyranni ſacerdos es, ſiue quòd mortui? Quæro deinceps, num hodiernus dies qui ſit, ignores, neſcis heri quartum in Circo diem ludorum Romanorum fuiſſe? te autem ipſum ad populum tuliſſe, vt quintus præterea dies Cæſari tribueretur? cur non ſumus prætextati? cur honorem Cæſaris tua lege datum deſeri patimur? an ſupplicationem addendo diem contaminari paſſus es? puluinaria noluiſti. Aut vndique religionem tolle, aut vſquequaque conſerua. Quæres, placeátne, puluinar eſſe, faſtigium, flaminem: mihi verò

nihil iſtorum placet. Sed tu, qui acta Cæſaris defendis, quid potes dicere, cur alia defendas, alia non cures? niſi fortè vis fateri, te omnia quæſtu tuo, non illius dignitate, metiri.

EXPLANATIO.

ET TV.] Quia videri volebat M. Antonius diligens in honoranda Cæſaris mortui memoria, vt hoc pacto veteranos ſibi cõciliaret, eorúmque confirmatus opibus ſuam potentiam ſtabiliret, rémque publicam occuparet, prudenter Orator eum oſtendit non Cæſaris demortui, ſed ſui lucri habere rationem. hoc quaſi ſyllogiſmo.

Non eſt in ornanda defuncti memoria diligens, qui eum honorem non tuetur, quo maiorem ille dum viueret nullum fuerat conſecutus.

Sed tu non tueris honores illos diuinos ſimulacri, puluinaris, faſtigij, flaminis, quibus nullum maiorem honorem Cæſar, dum viueret, conſecutus fuerat.

Ergo non es in ornanda defuncti Cæſaris memoria diligens.

EST ERGO FLAMEN.] Summa cum indignatione Antonium inuadit, qui Cæſari tam abiectè fuerat adulatus, vt etiam ſacerdotium eius honori dicatum ambiuerit. Videtur autem Antonius id ſacerdotium Cæſare viuo petiiſſe, atque etiam impetraſſe, ſed poſt necem Cæſaris, quæ priuſquàm Antonius flamen inauguraretur, obtigerat, inaugurari noluiſſe. Notãt interpretes hinc etiam indignationem augeri, quòd Antonius Cæſaris tyrannidem vellet imitari. Sed ſtomachoſior etiam illa comparatio, vt Ioui, vt Marti, vt Quirino: qui tres Dij ſuos flamines Dialem, Martialem, Quirinalem à ſe dictos habuerunt.

QVID IGITVR CESSAS.] Hortatio ſiue potiùs inſultatio ironica.

CVR NON INAVGVRARE.] Cur non Sacerdos & Flamen Iulius per augurem certis quibuſdam ritibus conſecraris, diuinóque Cæſaris cultui dedicaris?

SVME DIEM.] Elige quo die velis inaugurari, elige vnum augurem è toto collegio qui capiti tuo dextram imponens te conſecret. Id eò faciliùs impetrabis à noſtro collegio, quòd tu ipſe es augur, & in noſtrum collegium cooptatus.

O DETESTAB.] Seriò & citra ironiam exclamat, & in indignationem erumpit.

QVÆRO DEINCEPS.] Legem tulerat Antonius, vt ad illos dies quatuor quibus ludi Romani celebrabantur in Circo, quintus dies in honorem Cæſaris adderetur, eiúſque puluinar & ſimulacrũ cum cæteris Deorum ſimulacris in pompa ferretur. Sed poſt Cæſaris necem Conſul Antonius paſſus non eſt poſt quatuor dies ludorum Romanorum, quicquam in honorem Cæſaris addi, eiúſque ſimulacrum tanquam numinis alicuius in pompa deferri. Ne tamen omnem mortui memoriam oblitteraſſe videretur, Cæſaris nomine ſupplicationem inſtituit: quod Cicero reprehendit, docétque religionem non tantùm puluinaribus & ludis, ſed etiam indictâ ſupplicatione violari.

CVR NON SVMVS PRÆTEXTATI.] Manutius ex his verbis effici putat, Senatores in ludis fuiſſe prætextatos. Vix aſſentior: neque enim ſolùm Senatores fuerunt Cicero & Antonius, ſed etiam Augures, eóque nomine prætextæ ius habuerunt.

QVÆRES, PLACEATNE.] Occupatio prudens ne has impietates & aſſentationes probare videatur, quâ ita ſibi diſplicere dicit puluinar illud Cæſari decretum, faſtigium & flaminem vt nihilo ſeciùs inconſtantiam Antonij reprehendat, qui hæc non curabat, cùm alios honores Cæſari tributos ſummâ contentione defenderet.

NISI FORTE.] Veram illius inconſtantiæ cauſſam profert, quia videlicet Antonius illos honores viuo Cæſari ſua lege dederat, vt in eius gratiam irreperet, & hac adulatione quæſtum faceret. eo mortuo nihil horum curabat, niſi quod in ſuum commodum redundare poſſet.

NOTÆ.

PVLVINAR.] Puluinaria Diis attributa, quòd eorum ſimulachra in puluinaribus ponerentur. Notum illud è Liuio, Cicerone, aliis paſſim. *ad omnia Deorum puluinaria ſupplicare.* Erant autem, vt ſcribit Seruius lecti diis dicati, qui in templis ſternebantur. Vnde lectiſternium. Liuius lib. 22. *Curatum lectiſternium, & per triduum habitum duumuiris ſacrorum curantibus. Puluinaria in conſpectu fuere Ioui & Iunoni: alterum Neptuno & Mineruæ*, &c. Lib. 5. *Duumuiri ſacris faciundis, lectiſternio tunc primùm in vrbe Romana facto, per dies octo Apollinem Latonámque & Dianam, Herculem, Mercurium atque Neptunum tribus quàm ampliſſimè tum apparari poterat, ſtratis lectis placauere. Priuatim quoque id ſacrum celebratum eſt, tota vrbe patentibus ianuis, promiſcuóque vſu rerum omnium in propatulo poſito, notos ignotóſque paſſim aduenas in hoſpitium ductos: & cum inimicis quoque benignè & comiter ſermones habitos, iurgiis ac litibus temperatum: vinctis quoque dempta in eos dies vincula: religioni deinde fuiſſe, quibus eam opem Dij tuliſſent vinciri.* Notat verò Caſaubonus in Tranquillum ex Interprete Pindari in primam Odam Olymp. ex Æmilio Probo in Timotheo, Pauſania Arcadicis & Phocicis Valerio Maximo lib. 1. idem ex Athenæo de Themiſone diuinos honores ſibi vſurpante. Notat, inquam, non Romani ſolùm, ſed etiam Græci moris fuiſſe vt Diis puluinaria ſternerentur. Addere potuiſſet Theocritum Eidyllio 14. I. Puluinar.

Ἔστρωται κλίνα τῷ Ἀδώνιδι τῷ καλῷ ἄλλα.
Ταὶ μὲν Κύπρις ἔχει, ταὶ δ᾽ ὁ ῥοδόπαχυς Ἄδωνις.
Eſt alter pulchro conſtratus Adonidi lectus.
Alterum habet Venus, alterum habet formoſus Adonis.

Torrentius tamen & Sabellicus opinantur puluinar locum fuiſſe, ad quem Circenſibus deferebãtur ſacra. Feſtus: *Tenſam vocari ait Sinnius Capito vehiculum, quo exuuiæ Deorum ludicris Circenſibus in circum ad puluinar vehuntur.*

SIMVLACRVM.] Non obiicit ſtatuas, quæ paſſim & citrà inuidiam viris illuſtribus excitatæ, ſed ſimulacra ea porrò videtur fuiſſe inter ſtatuã & ſimulacrum diſtinctio, quòd ſtatua ſiue effigies hominum eſſet, ſimulacrum Deorum. Plinius Iunior lib. 34. cap. 2. apertè diſtinguit. *Peruenit deinde ad Deũm ſimulacra, effigiémque hominum.* Cap. 2. *Romæ ſimulacrum ex ære factum Cereri* II. Simulacra Deorum ſunt ſtatuæ hominum.

primum reperio ex peculio Sp. Caßij, quem regnum affectantem pater ipſius interemerat. Tranſit & ab Diis ad hominum ſtatuas, atque imagines. Rurſum cap. 7. *Mirúmque mihi videtur, cum ſtatuarum origo tam vetus in Italia ſit, lignea potiùs aut fictilia Deorum ſimulacra in delubris dicata.* Plinius Iunior in Panegyrico: *Itaque tuam ſtatuam in veſtibulo Iouis opt. max. vnam, alterámve, & hanc æream cernimus: aut paullò antè aditus omnes, omnes gradus totáque area, hinc auro, hinc argento relucebat, ſeu potiùs polluebatur, cùm inceſti principis ſtatuis permixta Deorum ſimulacra ſorderent.* Non igitur ſtatuas obiectat Orator, quæ viris, fœminis, ciuibus, externis, amicis, hoſtibus penè ſine vllo diſcrimine ponebantur. Plinius lib. 34. cap. 6. *Extant Catonis in cenſura vociferationes, mulieribus Romanis in prouinciis ſtatuas poni. Nec tamen potuit inhibere quo minùs Romæ quoque ponerentur, ſicuti Corneliæ Gracchorum matri,* &c. *& adeò diſcrimen omne ſublatum, vt Annibalis etiam ſtatuæ tribus locis viſantur in vrbe, cuius intra muros ſolus hoſtium emiſit haſtam.* Vt meritò Caſſiodorus *ſtatuarum populum* appellet. lib. 7. *Statuas primùm Thuſci in Italia inueniſſe referuntur, quas amplexa poſteritas, penè parem populum vrbi dedit, quàm natura procreauit.* &, *Quidam populus copioſiſſimus ſtatuarum, greges etiam abundantiſſimi equorum, tali ſunt cautela ſeruandi, quali & curâ videntur affixi.* ἐξῆν γὰρ ἀνάστασιν, inquit Dio lib. 60. τοῖς βουλομένοις ἐν γραφῇ, καὶ ἐν χαλκῷ, λίθῳ τε ἀφομοιοῦσθαι. *Licebat enim omnibus qui vellent, pictura, ære, lapidéque ſuam effigiem publicare.* Simulachrum autem fuit aliquid amplius humano faſtigio, quod cum cæteris humanum modum excedentibus Tranquillus cap. 76. ei decretum fuiſſe tradit à Senatu. *Sedem auream in Curia & pro Tribunali, thenſam & ferculum circenſi pompa, templa, aras, ſimulacra iuxta Deos, puluinar, flaminem, lupercos,* &c. Fuerunt autem aliquot ſimulacra quæ Cæſarem in inuidiam adducere potuerunt. Dio libro 43. Ἅρμα τέ τι αὐτοῦ ἐν Καπιτωλίῳ ἀντιπρόσωπον τῷ Διὶ ἱδρυθῆναι ſcribit, καὶ ἐπ' εἰκόνα αὐτὸν τῆς οἰκουμένης χαλκοῦν ἐπιβιβασθῆναι, γράμμα ἔχοντα ὅτι ΗΜΙΘΕΟΣ ΕΣΤΙ. *Currum ipſi è regione Iouis in Capitolio fuiſſe collocatum, ipſum quoque imagini orbis terrarum impoſitum cum inſcriptione* SEMIDEVS EST. Item: Καὶ τότε μὲν ἀνδριάντα αὐτοῦ ἐλεφάντινον, ὕστερον δὲ καὶ ἅρμα ὅλον ἐν ταῖς ἱπποδρομίαις μετὰ τῶν θείων ἀγαλμάτων πέμπεσθαι ἔγνωσαν. *Statuámque tunc eburneam Cæſaris, ac poſt thenſam in circenſibus pompis cum Deorum ſimulacris vehi iuſſerunt.* Ἄλλην τέ τινα εἰκόνα ἐς τὸν τοῦ Κυρίνου ναὸν Θεῷ ἀνικήτῳ ἐπιγράψαντες, καὶ ἄλλην ἐς τὸ Καπιτώλιον παρὰ τοὺς βασιλεύσαντάς ποτε ἐν Ῥώμῃ ἀνέθεσαν. *Aliámque imaginem cum inſcriptione Dei inuicti in Fano Quirini poſuerunt: aliámque iterum in Capitolio inter Reges qui quondam Romæ regnauerant.* Lib. 44. Καὶ ἐν ταῖς πόλεσι τοῖς τε ναοῖς τοῖς ἐν τῇ Ῥώμῃ πᾶσιν ἀνδριάντα τινὰ αὐτοῦ εἶναι ἐκέλευσαν. *Vtque in omnibus vrbibus omnibúſque Romæ templis eius ſtatua poneretur, decreuerunt.* Καὶ ἐπί γε τοῦ βήματος δύο, τὸν μὲν ὡς τοὺς πολίτας σεσωκότος, τὸν δ' ὡς τὴν πόλιν ἐκ πολιορκίας ἐξῃρημένου, μετὰ τῶν στεφάνων, τῶν ἐπὶ τοῖς τοιούτοις νενομισμένων ἱδρύσαντο. *In ipſis Roſtris duas ei ſtatuas collocarunt, ciuica vnam, alteram obſidionali corona inſignem, quaſi & ciues ab interitu, & vrbem ab obſidione liberaſſet.* Videtur autem ea inter ſtatuas hominum, & ſimulacra Deorum fuiſſe diuerſitas, quòd ſimulacrorum capita quoddam veluti diadema radiatum circundaret, ſtatuarum non item. vnde Papinius 1. Thebaïdos,

-licet ignipedum frenator equorum
Ipſe tuis altè radiantem crinibus arcum
Imprimat.-

Tranquillus in Auguſto cap. 94. de Octauio patre. *Videre viſus eſt filium mortali ſpecie ampliorem, cum fulmine & ſceptro exuuiſque Iouis Opt. Max. ac radiata corona, ſuper laureatum currum, biſſenis equis candore eximio trahentibus.*

FASTIGIVM.] Achilles Statius obſeruationum cap. 4. Faſtigium, inquit, dici arbitror cellam Deo dicatam in qua numen eius colitur: eâ verò formâ ac figurâ, vt ad faſtigiatum apicem culménque contuigat. 9. Æneidos: III.

Suſpendíve tholo, aut ſacra ad faſtigia fixi. Faſtigium.

3. de Oratore: *Capitolij faſtigium illud & cæterarum ædium non venuſtas, ſed neceſſitas ipſa fabricata eſt.* Arnobius lib. 6. aduerſus gentes. *Quid quòd multa ex his templa quæ tholis ſunt aureis, & ſublimibus elata faſtigiis, auctorum conſcriptionibus comprobatur contegere cineres atque oſſa, & functorum eſſe corporum ſepulturas?* Id igitur Cæſaris honori delatum eſt, vt tanquam in æde ſacra ſic in eius domo faſtigium poneretur. Florus lib. 4. cap. 2. *Itaque non ingratis ciuibus omnes honores vnum in principem congeſti: circa templa imagines, in theatro diſtincta radiis corona, ſuggeſtus in curia, faſtigium in domo, menſis in cœlo.* Plutarchus in Cæſare: ἦν γάρ τι τῇ Καίσαρος οἰκίᾳ προσκείμενον οἷον ἐπὶ κόσμῳ καὶ σεμνότητι, τῆς βουλῆς ψηφισαμένης, ἀκρωτήριον, ὡς Λίβιος ἱστορεῖ, τοῦτο ὄναρ ἡ Καλπουρνία θεασαμένη καταρρηγνύμενον, ἔδοξε ποτνιᾶσθαι καὶ δακρύειν. *Erat enim domus Cæſaris ex Senatuſdecreto, impoſitum ornatûs ſplendoriſque cauſſâ quoddam velut faſtigiũ. Hoc in ſomnio Calpurnia cùm fractum vid ſet, lugere viſa eſt & lacrymari.* Suetonius in Iulio: *Calpurnia vxor imaginata eſt collabi faſtigium domus: maritúmque in gremio ſuo confodi.* E quibus infert P. Victorius lib. 17. var. lect. cap. 18. Si idem igitur eſt faſtigium, quod ἀκρωτήριον, ἀκρωτήρια Græci vocant, ſimulacra quædam hominum, aut aliarum animantium, quæ in ſummis partibus collocantur. Heſychius lexico, ἀκρωτήρια τὰ ἐπάνω τῶν ναῶν ζῴδια ἀνατιθέμενα. Plinius lib. 35. cap. 12. agens de plaſtice. *Dibutadis inuentum eſt rubricam addere, aut ex rubrica cretam fingere: primúſque perſonas tegularum extremis imbricibus impoſuit, quæ inter initia protypa vocauit. Poſteà idem ectypa fecit, hinc & faſtigia templorum orta.*

FLAMEN.] Varia fuerunt flaminum genera, IV.
de quibus Varro, ſed potiſſimi Flamen Dialis, Martialis, Quirinalis. vide Vatin. §. 25. *Flaminem Martialem.* Flamines. Quod ſpectat ad hunc locum Dio lib. 44. Καὶ τέλος Δία τε αὐτὸν ἄντικρυς Ἰούλιον προσηγόρευσαν, καὶ ναὸν αὐτῷ τῇ τ' ἐπιεικείᾳ αὐτοῦ τεμενισθῆναι ἔγνωσαν, ἱερέα σφίσι τὸν Ἀντώνιον, ὥσπερ τινὰ Διάλιον προχειρισάμενοι. *Denique ipſum Iouem Iulium palàm nominarunt, templum ei Clementiæ dedicari iuſſerunt, ſacerdotióque eius Antonium, quaſi Flaminem Dialem aliquem præfecerunt.*

VT IOVI.] De Flamine Diali & ceremoniis eidem impoſitis conſulendus Gellius cap. 15. lib. decimi noct. Attic. & Plutarchus in quæſtioni-Rom. ſub finem.

VT QVIRINO.] Duo Quirini fuerunt. V.
Dionyſius Halicarnaſſ. lib. 2. Τὸν δ' Ἐνυάλιον οἱ

Σαβῖνοι, καὶ παρ' ἐκείνων οἱ Ῥωμαῖοι μαθόντες, Κυρῖνον ὀνομάζουσιν, οὐκ ἔχοντες εἰπεῖν τὸ ἀκριβὲς εἴτ' Ἄρης ἐστὶν, εἴθ' ἕτερός τις ὁμοίας Ἄρει τιμὰς ἔχων. *Enyalium Sabini, eóſque ſecuti Romani Quirinum nominant,* Quirini duo. *nondum ſatis certi Márſne is ſit an alius quiſpiam, cui ſimiles Marti honores deferantur.* De recentiore Quirino res eſt notiſſima. Feſtus, *Curis eſt Sabinè haſta. vnde Romulus Quirinus, quia eam ferebat, eſt dictus: & Romani à Quirino Quirites dicuntur.* Ante quem Naſo verſibus illis triſtiſſimis,

-lux tertia dicta Quirino,
Qui tenet hoc nomen Romulus antè fuit.
Siue quòd haſta Quiris priſcis eſt dicta Sabinis,
Bellicus à telo venit in aſtra Deus.
Siue ſuo Regi nomen poſuere Quirites;
Seu quia Romanis iunxerat ille Cures.

VII. SIC DIVO IVLIO.] Paulò antè Δία Ἰούλιον vocatum fuiſſe dicebamus ex Dione, & ſanè Ζεὺς, ſiue *Iupiter*, idem videtur eſſe atque *Diuus.* pro eodem certè Horatius vſurpat, Ode 1. lib. 1.

-manet ſub Ioue frigido
Venator teneræ coniugis immemor.

VIII. INAVGVRARE.] Inaugurari dicuntur, qui certis quibuſdam ritibus & cerimoniis initiantur, ac ſacerdotio deputantur. Noſter initio libri de claris Oratoribus, de Hortenſio: *Interitu talis Auguris dignitatem noſtri collegij deminutam dolebam: qua in cogitatione, & cooptatum me ab eo in collegium recordabar. in quo iuratus iudicium dignitatis meæ fecerat, & inauguratum ab eodem: ex quo Augurum inſtitutis in parentis eum loco colere debebam.* Qui autem fuerint inaugurationis ritus, conſtare poteſt ex iis quæ fusè narrat Prudentius in Romano, Pontificis maximi initiationem deſcribens. quem integrum locum non pigebit exſcribere.

Summus ſacerdos nempè ſub terram ſcrobe
Acta in profundum conſecrandus mergitur.
Mitrâ infulatus, feſta vittis tempora
Nectens, coronâ tum repexus aurea
Cinctu Gabino ruſſeam fultus togam.
Tabulis ſupernè ſtrata texunt pulpita,
Rimoſa rari pegmatis compagibus:
Scindunt ſubinde vel terebrant aream,
Crebróque lignum perforant acumine,
Pateat minutis vt frequens hiatibus.
Huc taurus ingens, fronte torvâ & hiſpidâ,
Sertis reuinctus aut per armos floreis,
Aut impeditus cornibus deducitur:
Nec non & auro frons coruſcat hoſtiæ,
Setáſque fulgor bractealis inficit.
Hic vt ſtatuta eſt immolanda bellua,
Pectus ſacrato diuidunt venabulo:
Eructat amplum vulnus vndam ſanguinis
Feruentis, inque texta fontis ſubditi
Fundit vaporum flumen & latè æſtuat.
Tum per frequenteis mille rimarum vias
Illapſus imber tabidum rorem pluit:
Defoſſus intus quem ſacerdos excipit,
Guttas ad omnes turpe ſubiectans caput,
Et veſte & omni putrefactus corpore.
Inauguratio Summi Pontificis. *Quin os ſupinat, obuias offert genas,*
Supponit aureis, labra, nareis obiicit,
Oculos & ipſos perluit liquoribus:
Nec iam palato parcit, & linguam rigat,
Donec cruorem totus atrum combibat.
Poſtquam cadauer ſanguine egeſto rigens,
Compage ab illa flamines retraxerint,
Procedit inde Pontifex, viſu horridus,
Oſtentat vdum verticem, barbam grauem,
Vittas madentes, atque amictus ebrios.
Hunc inquinatum talibus contagiis,
Tabo recentis ſordidum piaculi,
Omnes ſalutant, atque adorant eminus,
Vilis quòd illum ſanguis, & bos mortuus
Fœdis latentem ſub cauernis lauerint.

Ad quem inaugurandi ritum Gregorius Nazianzenus priore inuectiua in Iulianum viſus eſt alludere. Αἵματι μὲν οὐχ ὁσίῳ τὸ λουτρὸν ἀπορρύπτεται, τῇ καθ' ἡμᾶς τελειώσει τὴν τελείωσιν τοῦ μύσους ἀντιτιθείς. *Sanguine impuro ac nefario lauacrum extergit, initiationi, quæ apud nos vſurpatur, nefariam & execrandam initiationem opponens.* Inaugurari porrò dicuntur, quòd augurem his initiationibus adhibebant, iſque augur, quantum è Plutarcho in Numa colligi poteſt, παραστὰς ἐξόπισθεν, καὶ τῇ δεξιᾷ τῆς κεφαλῆς ἐφαψάμενος αὐτοῦ, κατηύξατο. *Retrò aſſiſtens, & dextera manu inaugurandi caput attingens, precabatur*, &c. vide. Carmina verò certúmque precationum genus habuiſſe conſtat ex Iulio Capitolino in Marco Philoſopho. *Fuit in eo Sacerdotio & Præſul, & Vates, & magiſter, & multos inaugurauit, atque exaugurauit, nemine præeunte, quòd ipſe carmina cuncta didiciſſet.*

HODIERNVS DIES QVI SIT.] Videndum quo die habita hæc videatur oratio. Tullius cùm in Græciam ire ſtatuiſſet, mutato conſilio Romam repetiit menſe Sextili, qui nunc Auguſtus nominatur, & III. Nonas Septembres primam habuit in Senatu Philippicam, qua de heſterna Antonij iniuria moderatè conqueſtus eſt. Vide 1. Philipp. §. 11. 12. &c. 5. Philipp. 19. Antonius cùm decem & ſeptem dies de Cicerone declamitaſſet in villa Tiburtina Scipionis, ad decimum tertium Calendas Octobris in Senatu iuſſit adeſſe Ciceronem: non acceſſit quidem Cicero, ſed in abſentem declamauit Antonius. Quo die quartus agebatur ludorum Romanorum in circo dies, vt indicat vetus illud Calendarium Romanum antiquum è marmore, quod Romæ reperiri tradunt in ædibus Maffæiorum ad Agrippinum, & à Paulo Aldóque Manutiis, ab Huberto Goltzio, Ioanne Roſino, aliíſque paſſim deſcriptum eſt. Antonianæ autem orationi quando reſponderit Orator non liquet. Manutius orationem hanc ſcriptam tantummodò, non etiam pronuntiatam fuiſſe arbitratur, quòd eam ſerò tandem auſus fuerit in lucem emittere, epiſt. 11. lib. 16. ad Atticum. *Atque vtinam eum diem videam, cùm iſta oratio ita liberè vagetur, vt etiam in Siccæ domum introeat.* Quidquid ſit, ita ſcripta eſt, quaſi habita fuerit duodecimo Calendas Octobres, poſtridie quam in ipſum abſentem inuectus fuerat Antonius: qui dies in eodem Calendario quintus ludorum Romanorum in Circo ſignatus eſt. IX.

IN CIRCO.] Signanter ad eorum ludorum diſcrimen, qui abſolutè ludi Romani, per nouem dies eodem menſe celebrati à pridie Nonas ad Idus Septembres, vt ex eodem Calendario compertum eſt. Mox duobus tantùm diebus interiectis ludos hos Romanos in Circo fa- X.

ciebant. Quando autem hi poſteriores fuerint inſtituti, non ſatis liquet. P. Manutius act. I. in Verrem nondum fuiſſe inſtitutos, quo tempore accuſatus eſt Verres, prudenter colligit ex iis Oratoris verbis. *Nonæ ſunt hodie Sextiles: decem dies ſunt ante ludos votiuos, quos Cn. Pompeius facturus eſt: hi ludi dies quindecim auferent: deinde continuò Romani conſequentur, ita prope XL. diebus interpoſitis, tum denique ſe ad ea quæ à nobis dicta erunt, reſponſuros eſſe arbitrantur.*

ARGVMENTVM.

Concludit inſectationem aduerſario ſuo inſultans, eúmque hortatur, vt, ſi poteſt, ad obiecta reſpondeat, & ſi cæteris reſpondere non poteſt, ſaltem reddat rationem cur militum & barbarorum præſidio ſtipatus illo ipſo die ad Senatum acceſſerit.

XCIV. QVID ad hæc tandem? expecto enim eloquentiam tuam, diſertiſſimum cognoui auum tuum: at te etiam apertiorem in dicendo. Ille nunquam nudus eſt concionatus: tuum hominis ſimplicis pectus vidimus. Reſpondebíſne ad hæc? aut omninò hiſcere audebis? ecquid reperies ex tam longa oratione, cui reſpondere confidas? Sed præterita omittamus, hunc vnum diem, vnum, inquam, hodiernum diem, hoc punctum temporis, quo loquor, defende, ſi potes: cur armatorum corona Senatus ſeptus eſt? cur me tui ſatellites cum gladiis audiunt? cur valuæ Concordiæ non patent? cur homines omnium gentium maximè barbaros Ithyreos cum ſagittis deducis in forum? Præſidij ſui cauſa ſe facere dicit.

EXPLANATIO.

QVID AD HÆC.] Quid reſpondebis ad obiecta? Quæ poteſt obiectorum eſſe defenſio? *Cupio audire vt videam, vbi Rhetoris tanta merces, vbi Campus Leontinus appareat.* & cùm auum tuum M. Antonium diſertiſſimum Oratorem adoleſcens cognouerim, cupio ſcire vtrum tu illius eloquentiam imiteris.

AT TE ETIAM APERTIOREM.] Iocus ex ambiguo, quo carpit corporis nuditatem, cùm perſpicuitatem orationis laudare videatur.

ILLE NVNQVAM.] M. Antonius Orator nunquam nudus eſt concionatus, vt tu feciſti cùm Lupercalia celebrares, nudúſque per vrbem diſcurreres: tunc enim Cæſaris capiti impoſuiſti diadema, miſericordiam captaſti, ſupplex te ad pedes eius abieciſti, petiiſti vt diadema illud acciperet.

HISCERE.] Fauces aperire ad loquendum.

SED PRÆTERITA.] Verùm eſto, concedamus hoc tibi, vt non debeas ſordidæ pueritiæ, impuræ adoleſcentiæ, reliquæ vitæ ſceleratæ & nefariæ, tuæ illius interceſſionis, ex qua ciuile bellum exarſit, cæterorum facinorum & flagitiorum reddere rationem: at ſaltem aliquem excogita prætextum & colorem, cur armatos homines in Cella Concordiæ hoc ipſo die collocaris. Quod factum variis modis exponit, vt hac expolitione acriùs inſtet & vrgeat aduerſarium.

PRÆSIDII SVI.] Eam præparati præſidij cauſſam reddebat Antonius, quòd multorum appeteretur inſidiis, hinc Orator occaſione ſumpta ſenſim ad perorationem delabitur.

NOTÆ.

DISERTISSIMVM.] De eloquentia Antonij oratoris fusè, tum libris de Oratore, tum in Bruto, tum etiam alibi paſſim. Quomodo autem eloquens differat à diſerto ipſe Antonius explicat lib. I. de Oratore. *Scripſi etiam illud quodam in libello, qui me imprudente & inuito excidit, & peruenit in manus hominum, Diſertos me cognoſſe nonnullos, eloquentem adhuc neminem: quòd eum ſtatuebam diſertum, qui poſſet ſatis acutè atque dilucidè apud mediocres homines ex communi quadam hominum opinione dicere: eloquentem verò, qui mirabiliùs & magnificentiùs augere poſſet, atque ornare quæ vellet, omnéſque omnium rerum quæ ad dicendum pertinerent fontes animo ac memoria contineret.* Eadem rurſum in Oratore perfecto, non longè poſt initium. I. Diſertus, eloquens.

HISCERE AVDEBIS.] Plinius Panegyrico Traiano. *Quis antea loqui? quis hiſcere audebat?* Accius Armorum Iudicio apud Nonnium. II. Hiſcere.

Hem vereor, plùs quàm fas eſt captiuum hiſcere.

Quod ille dicit eſſe *propriè loqui.* Sed Virgilius, opinor, non paulò melior Latinitatis interpres, huius vocis proprietatem expreſſit 3. Æneidos.

-vix pauca furenti
Subiicio, & raris turbatus vocibus hiſco.

6. Æneidos:

-pars tollere vocem
Exiguam, inceptus clamor fruſtratur hiantes.

HODIERNVM DIEM.] Iam hunc modum loquendi tractauimus oratione pro Marcello §. I. diximúſque eum ex Græcorum imitatione profluxiſſe. Occurrit modò Dio Chryſoſtomus III.

Hodiernus dies. ſoſtomus orat. 47. Νῦν μὲν ἄπεισι μετὰ τὴν τήμερον ἴσως ἡμέραν. *Nunc quidem abit poſt hodiernum fortaſſe diem.* Et Polyænus ſtratag. lib. 7. de Cyro qui vno die Perſas attriuerat, ſequenti conuiuio exceperat, Καὶ μετὰ τὴν εὐωχίαν ἤρετο πότερα κρείττων ἡμέρα; οἱ δ' ὡμολόγησαν τῆς χθὲς τὴν σήμερον τόσῳ κρείττονα, ὅσῳ κακοδαιμονίας εὐδαιμονίαν. *Finito conuiuio rogauit eos vtram diem meliorem exiſtimarent, at illi hodiernam tanto meliorem, quanto felicitas miſeriis præſtet, fuiſſe confeſſi ſunt.*

IV. ARMATORVM CORONA.] Vide Notas noſtras in Milonianam §. 1. *Non enim corona conſeſſus veſter cinctus eſt vt ſolebat: non vſitata frequentia ſtipati ſumus.*

V. Valuæ. Ianua. Oſtium. Fores. VALVÆ.] Seruius: *Fores propriè dicuntur quæ foris aperiuntur, ſicut apud veteres fuit: Valuæ autem ſunt, vt dicit Varro, quæ reuoluuntur, & ſe velant: Janua verò eſt primus domûs ingreſſus, dicta quia Iano conſecratum eſt omne principium: cætera inter ianuam oſtia vocantur generaliter, ſiue valuæ ſunt, ſiue fores.* Clariùs Iſidorus lib. orig. 15. cap. 7. *Fores & valuæ clauſtra ſunt, ſed fores dicuntur quæ foras: valuæ, quæ intus reuoluuntur, & duplices complicatilésque ſunt: ſed generaliter vſus vocabula iſta corrumpit.*

VI. Templa Concordiæ. CONCORDIÆ.] Multæ fuerunt ædes Concordiæ, nobiliſſima illa poſt Gracchi necem à L. Opimio in foro excitata. de qua pro Sextio 140. *Cuius monumentum celeberrimum in foro.* Cæſari etiam, vt ſcribit Dio libro 44. Νεών τε ὁμονοίας καινῆς, ὡς καὶ δι' αὐτοῦ εἰρηνοῦντες, οἰκοδομῆσαι καὶ πανήγυριν αὐτῇ ἐτησίαν ἄγειν ἔγνωσαν. *Nouæ Concordiæ templum ædificari, annuúmque feſtum celebrari iuſſerunt, ob pacem Reip. virtute Cæſaris reſtitutam.* Sed de illa priore intelligendus Orator ex illis verbis §. 14. *Cùm in hac cella Concordiæ, ô Dij immortales, in qua, me Conſule, ſalutares ſententiæ dictæ ſunt, cum gladiis homines collocati ſtent.*

VII. ITHYREOS.] Vide ſuprà 14. *Dum confiteare hunc ordinem, hoc ipſo tempore, ab Ithyreis circumſideri.*

PERORATIO.

Peroratio partim hæret in perſona Antonij, partim ad ipſum Oratorem reflectitur.

- Antonium
  - deterret à ſceleribus
    - ab ipſa ſcelerum conſiliorúmque violentorum natura, quæ non poſſunt eſſe diuturna. 95.
    - ab ipſa Republica, quæ
      - & facultatem habet opprimendi Antonij, paratiſſimóſque duces aſſerendæ libertatis. 95.
      - & voluntatem, quia
        - populus Romanus vult propulſare ſeruitutem,
          - non ſolùm bello,
          - ſed etiam ipſa morte.
        - & multi ſunt recenti exemplo ad recuperandam libertatem excitati. 96.
    - exemplo Cæſaris, qui à ſuis occiſus eſt, cùm multis partibus Antonium ſuperaret. 98.
  - hortatur ad virtutem
    - amore ipſius honeſtatis. 97.
    - recordatione laudis, quam adeptus fuerat ſublatâ Dictaturâ. 97.
    - maiorum exemplo. 99.
- Seipſum ait
  - nec Reip. defuturum. 99.
  - nec mortem timere. 100.
  - ſed duo duntaxat optare priuſquam moriatur. 100.
    - alterum, vt moriens populum Romanum liberum relinquat.
    - alterum, vt ita cuique eueniat, vt de Repub. quiſque mereatur.

ARGVMENTVM.

Antonium ad meliorem frugem mentíſque ſanitatem reuocare ſtudens, ei comminatur, eúmque demonſtrat dum conſiliis tyrannicis & violentis vtetur non poſſe eſſe diuturnum.

NONNE igitur millies perire eſt meliùs, quàm in ſua ciuitate ſine armorum præſidio non poſſe viuere? Sed nullum eſt iſtud (mihi crede) præſidium: charitate & beneuolentia ciuium ſeptum oportet, non armis: eripiet, & extorquebit tibi iſta pop. Romanus: vtinam ſaluis nobis: ſed quoquo modo nobiſcum egeris, dum iſtis conſiliis vteris, non potes (mihi crede) eſſe diuturnus. Etenim iſta tua minimè auara coniux, quam ego ſine contumelia deſcribo, nimium debet diu pop. Romano tertiam penſionem. XCV.

EXPLANATIO.

NONNE IGITVR.] Commodè colorem ſiue defenſionem Antonij in crimen conuertit, & inde atripit occaſionem perorandi. eúmque metum oſtendit ex ſcelerum conſcientia proficiſci. quibus ille ciues ſuos oppreſſerat, & eam ob cauſſam eorum inſidias metuebat.

SED NVLLVM EST.] Delabitur ad comminationem: Fruſtra, inquit, tibi cuſtodes laterique tui ſtipatores appones: nihil illi tibi proderunt ad auertendam peſtem tuis impendentem ceruicibus.

CARITATE.] Sententia moralis qua tutiorem eſſe docet eum qui à ciuibus ſuis amatur, illo qui cuſtodum præſidio munitus & vallatus eſt.

ERIPIET.] Pop. Romanus hæc arma, quibus circumfuſus & ſtipatus es, è manibus tuorum cuſtodum eripiet. Addit *vtinam ſaluis nobis*, vt Antonium in maiorem inuidiam adducat, quaſi Senatum trucidaſſe decreuiſſet.

SED QVOQVO MODO.] Siue nos trucidabis, ſiue nobis parces, quamdiu violentis conſiliis vteris, non potes tuam potentiam ita ſtabilire, vt eam diu conſerues.

ETENIM.] Fuluia tres habuit maritos, P. Clodium, C. Curionem F. & M. Antonium, ea cùm propter inſitum animi furorem ſeditionibus, & publicis incendiis paſceretur, auctor fuerat maritis ſuis vt turbas in Rep. concitarent. Pub. Clodius cùm ſtatuiſſet omni ſcelere vexare Remp. à ſeruis Milonis occiſus eſt. Curio cùm præcipuus belli ciuilis auctor extitiſſet, in Africam miſſus Cæſaris auſpiciis à Iuba Numidiæ Rege Pompeiano cum legionibus internecione deletus eſt. Fuluiæ poſt Curionis necem nupſit Antonio. Minimè igitur auara coniux, quæ maritis ſuis non parceret, ſed eos quaſi prodigeret, eoſdémque conſiliis ſuis ad ſeditiones excitandas, pendendáſque Reip. pœnas incenderet. aiens autem deberi tertiam penſionem, ad reſtitutionem dotis alludit, quam tribus penſionibus reddebant. (vt videbitur in Notis) ſignificátque Fuluiam breui ſuis conſiliis effecturam, vt etiam Antonius debitas Reipub. pœnas exoluat, poſt Clodium & Curionem. ſuprà 9. *Quis autem meum conſulatum, præter P. Clodium, qui vituperaret, inuentus eſt? cuius quidem te fatum ſicuti C. Curionem, manet, quoniam id domi tuæ eſt, quod fuit illorum vtrique fatale.*

TERTIAM PENSIONEM.] Aliàs *penſionem tertiam*, ſed hoc pacto dicendus eſſet Orator in ſenarium incidiſſe.

NOTÆ.

NONNE IGITVR.] Plutarch. in Cæſare: I.
Τῶν δὲ φίλων ἀξιούντων αὐτὸν δορυφορεῖσθαι, καὶ πολλῶν ἐπὶ τοῦτο παρεχόντων ἑαυτοὺς οὐχ ὑπέμεινεν, εἰπὼν ὡς βέλτιόν ἐστιν ἅπαξ ἀποθανεῖν, ἢ ἀεὶ προσδοκᾶν· τὴν δ' εὔνοιαν ὡς κάλλιστον ἑαυτῷ ἅμα καὶ βεβαιότατον ἑαυτῷ περιβαλλόμενος φυλακτήριον, &c. *Monentibus eum amicis ſtipatoribus vt cingeret ſe, multiſque ad hoc ſe offerentibus, non ſuſtinuit, præſtare dicens ſemel mori quàm ſemper timere, charitate verò & beneuolentia ſepiens ſe tanquam pulcherrimo & firmiſſimo præſidio*, &c. vel vt eius dictum refert Appianus. οὐδὲν ἀτυχέστερον, ἔφη, διηνεκοῦς φυλακῆς· ἔστι γὰρ ἀεὶ δεδιότος. *Reſpondit, Nihil miſerius continuâ cuſtodia: id enim eſſe ſemper timentis.* Velleius: *dictitans mori ſe quàm timeri malle.*

Cęſar mauult mori quam timeri & timere.

CHARITATE ET BENEVOLENTIA.] II.
Plutarchus in Arato. Οὐδὲν ἴσον ἀληθινὴ καὶ βέβαιος εὔνοια φυλακτήριον ἀνδρὸς ἄρχοντος. *Nulla par ſincera & ſtabili beneuolentia viri in poteſtate poſiti cuſtodia eſt.* & alia plura, ſed operæpretium fuerit ipſum locum adiiſſe. Hac certè beneuolentiæ cuſtodia Chriſtianiſſimi Reges diu tuti fuerunt, tradit enim Franciſcus Belcarius Pequillio, primo commentario rerum Gallicarum: *Regios ſtipatores Ioanne huius nominis primo rerum potiente, ſed fremente populo inſtitutos.* Plinius Paneg. Traiani. *Quanto nunc tutior, quanto ſecurior eadem domus poſtquam eius* (lego aditus eius) *non crudelitatis, ſed amoris excubiis, non ſolitudine & clauſtris, (ſed ciuium celebritate) defenditur?* Ecquid ergo? *diſcimus experimento fideliſſimam eſſe cuſtodiam, principis ipſius innocentiam. Hæc arx inacceſſa, hoc inexpugnabile munimentum: munimento non egere. Fruſtra ſe terrore ſuccinxerit, qui ſeptus charitate non fuerit, armis enim arma irritantur.* Themiſtius Euphrades orat. 5. Δυσκαταγωνιστότερον δὲ φυλακτήριον εὔνοια φόβου· φόβῳ μὲν γὰρ εὔνοιαν οὐκ ἴσμεν καταλυθεῖσαν, εὐνοίᾳ δὲ δυνάμεις πολλάς.

Eſt autem beneuolentia timore validius atque inexpugnabilius præſidium. Nam beneuolẽtiam vincere atque euertere, quod quidem ſciamus, nunquam timor potuit: beneuolentia vires opéſque quamplurimas ſuperauit. Eadem repetit paucis mutatis orat. 9. Μηδὲν πρὸς εὔνοιαν ἐπαγωγότερον εὐεργεσίας, καὶ ὅτι βέλτιστον βασιλεῖ τὸ δι' εὐνοίας ἐπιστατεῖν, καὶ μὴ διὰ τὸν φόβον κρατεῖν. ἡ μὲν γὰρ ἑκόντων, ὁ δ' ἀκόντων ποιεῖ κυρίους, καὶ δυνάμει μὲν εὔνοιαν οὐκ ἔστιν εὑρεῖν καταλυθεῖσαν, εὐνοίᾳ δὲ δυνάμεις πολλάς. *Nihil ad alliciendam beneuolentiam efficacius benignitate, ac beneficentia: longéque id optimum eſt principi amore ac gratia ſubditos allicere, non metu ac terrore dominari. Hoc enim fit vt volentibus, illo vt inuitis ac detrectantibus dominentur. Et beneuolentiam quidem viribus nunquam, beneuolentiâ verò quamplurimas vires expugnatas atque euerſas fuiſſe comperimus.* Nec alia mens eius fuit orat. 15. Ἐγὼ δ' εὐξαίμην ἂν οὐχ ὑμᾶς, ἀλλ' ὑπὲρ ὑμῶν δεδιέναι, καὶ τοιούτῳ φόβῳ παρὰ πάντων τῶν ὑπηκόων δορυφορεῖσθαι ὑμῶν τὴν βασιλείαν, οἷον ὑπὲρ ἀλλήλων δεδίαμεν. *Optarem ego homines non vos, ſed pro vobis metuere: atque eodem timoris genere ab omnibus ſubditis imperium veſtrum, quaſi quodam ſatellitio ſtipari, quo pro nobis inuicem timemus.* Dio Chryſoſtomus orat. 1. de Regno: Τίς δὲ φρουρά; ποῖα δ' ἐρύματα; ποῖα δ' ὅπλα βεβαιότερα, καὶ κρείττω τῆς ἀπὸ τῶν εὐνοούντων φυλακῆς; *Quod præſidium? quæ munitiones? quæ arma firmiora ac meliora, quàm beneuolorum cuſtodia?* Idem orat. 3. de Regno plura in hanc ſententiam: iis contenti erimus quæ magis ad rem attinebunt. Φιλίαν γε μὴν νενόμικεν ἁπάντων τῶν αὑτοῦ κτημάτων κάλλιστον, καὶ ἱερώτατον. οὐ γὰρ οὕτως αἰσχρὸν εἶναι τὸ βασιλεύειν (lego τὸ οὐ βασιλεύειν) οὐδ' ἐπικίνδυνον χρημάτων ἀπορεῖν, ὡς φίλων. οὐδ' ἂν οὕτως τῇ χορηγίᾳ, καὶ τοῖς στρατοπέδοις, καὶ τῇ ἄλλῃ δυνάμει διαφυλάττειν τὴν εὐδαιμονίαν, ὡς τῇ πίστει τῶν φίλων. *Amicitiam cenſet omnium ſuarum poſſeſsionum pulcherrimam & ſanctiſsimam eſſe, neque ſic turpe regno priuari, neque ita periculoſum indigere pecuniis, vt amicis. Neque enim ille expenſis & exercitibus, & alia potentia cuſtodiret felicitatem ita vt amicorum fide.* Paulò pòſt: οὐκ ἔστιν ἄλλη φυλακὴ πλὴν τὸ ἀγαπᾶσθαι. *non eſt alia cuſtodia, quàm amari.* Item: Ὅπλα, καὶ τείχη, καὶ στρατεύματα, καὶ πόλεις, ἄνευ τῶν διοικούντων φίλων, οὔτε χρήσιμα, οὔτε συμφέροντα· ἀλλὰ καὶ λίαν ἐπισφαλῆ. οἱ δὲ γε φίλοι καὶ δίχα τούτων ὠφέλιμοι. *Arma & mœnia, & exercitus & ciuitates, ſine gubernantibus amicis, neque vtiles, neque conducibiles ſunt, ſed & valdè periculoſa. amici autem & ſine his vtiles ſunt.* Syneſius de Regno: Καὶ τίς ἐχυρωτέρα βασιλεία τῆς ἔρωτι τετειχισμένης; τίς δ' ἰδιώτης καὶ μακρὰ πράττων ἀδεέστερός τε καὶ ἀνεπιβουλευτότερος ἐκείνου βασιλέως οὐχ ὃν δεδίασιν, ἀλλ' ὑπὲρ οὗ δεδίασιν οἱ ὑπήκοοι; *Ecquod verò tutius imperium eſt quàm illud, quod amore & charitate munitur? Quiſnam priuatus, quantumuis mediocri conditione, ſecurior aut ab inſidiis tutior, quàm Rex ille quem non metuunt, ſed cui metuunt ſubditi?* Præclarè Cyrus apud Xenophontem libro 8. Cyri inſtitutionis. οὐ τόδε τὸ χρυσοῦν σκῆπτρον τὴν βασιλείαν διασῷζόν ἐστι, ἀλλ' οἱ πολλοὶ φίλοι σκῆπτρον βασιλεῦσιν ἀληθέστατον καὶ ἀσφαλέστατον. *Non eſt aureum hoc ſceptrum quod regnum ſeruet, ſed amici multi ſceptrum ſunt regibus veriſſimum & tutiſſimum.* Nihilo tamen minus etiam mercenarios cuſtodes neceſſarios eſſe contendit Simonides apud eundem in Tyranno. Hieron. Περὶ δὲ τῶν μισθοφόρων ἔχεις τι εἰπεῖν, ὡς μὴ μισεῖσθαι δι' αὐτούς; ἢ λέγεις ὡς φιλίαν κτησάμενος ἄρχων, οὐδὲν ἔτι δεήσεται δορυφόρων; Ναὶ, μὰ Δία, εἶπεν ὁ Σιμωνίδης, δεήσεται μὲν οὖν, οἶδα γὰρ ὅτι ὥσπερ ἐν ἵπποις, οὕτω καὶ ἐν ἀνθρώποις τισὶν ἐγγίγνεται, ὅσῳ ἂν ἔκπλεω τὰ δέοντα ἔχωσι, τοσούτῳ ὑβριστοτέροις εἶναι. τοὺς μὲν οὖν τοιούτους μᾶλλον ἂν σωφρονίζοι τὸ ἀπὸ τῶν δορυφόρων φόβος. τοῖς δὲ καλοῖς κἀγαθοῖς ἀπ' οὐδενὸς ἄν μοι δοκεῖς τοσαῦτ' ὠφελήματα παρέχειν, ὅσα ἀπὸ τῶν μισθοφόρων. *Habéſne quicquam quod dicas de ſtipendiatis, quò minus habeamur ob illos odio? an dices principi qui parauit ciuium beneuolentiam, nihil iam opus fore ſatellitio? At, hercle, inquit Simonides, opus tamen fuerit. Noſti ſiquidem quod in equis accidere ſolet, idem vſu venire in quibuſdam hominibus, vt quò copioſius ipſis ſuppetunt neceſſaria, hoc euadant ferociores. Tales igitur magis reddit ſobrios metus, quem adferunt ſatellites. Cæterùm honeſtis ac bonis nulla ex re mihi videris tantum vtilitatis præſtare, quantum præſtas ex ſatellitio.*

Charitate & beneuolentia ſeptum oportet eſſe non armis.

DIVTVRNVS.] Salluſtius orat. 1. ad Cæſarem de Repub. ordinanda. *Equidem ego cuncta imperia crudelia, magis acerba, quàm diuturna arbitror: neque quemquam à multis metuendum eſſe, quin ad eum ex multis formido recidat: eam vitam bellum æternum & anceps gerere, quoniam neque aduerſu, neque à tergo aut lateribus tutus ſit: ſemper in periculo aut metu agerei, contrà qui benignitate & clementia imperium temperauere, his læta & candida omnia viſa: etiam hoſtes æquiores, quàm aliis ciues.* III.

CONIVX.] De moribus Fuluiæ coniugis dictum §. 9. *vtrique fatale.* IV.

SINE CONTVMELIA.] Cur id adiecerit, videri poteſt è dictis in Cœlianam §. 32. *Petulanter facimus, ſi matremfamiliâs, ſecus quàm matronarum ſanctitas poſtulat, nominamus.* V.

TERTIAM PENSIONEM.] Dixi ad reſtitutionem dotis alludi, quòd viri à quibus abducebantur vxores per diuortium, ſi ſimul & ſemel totam dotem reſtituere nollent, eam tribus ſolutionibus dependerent. Libro vndecimo ad Attic. epiſt. 20. *Audimus enim de ſtatu Reipub. ô Dij! generúmne noſtrum potiſſimùm, vt hoc, vel tabulas nouas? Placet mihi igitur, & idem tibi nuntium remitti. Petet fortaſſe tertiam penſionem.* Id eſt fortaſſe petet Dolabella, vt ſibi liceat tribus penſionibus dotem reſtituere. Hinc prima, ſecunda, tertia penſio. libro 6. ad famil. epiſt. 18. *Romæ tenuit omninò Tulliæ meæ partus, ſed cùm ea, quemadmodum ſpero ſatis firma ſit, teneor tamen, dum à Dolabellæ procuratoribus exigam primam penſionem.* Libro 12. ad Atticum epiſt. 9. *Sed de prima penſione antè videamus. adeſt enim dies & incurrit.* Idem libro 11. epiſt. 4. *De penſione altera oro te omni cura conſidera quid ſit faciendum.* Et epiſt. 19. *In penſione ſecunda cæci fuimus.* Libro 16. epiſt. 2. *Hortenſius verò impudenter. Nihil enim debetur ei, niſi ex tertia penſione. quæ eſt Calendis Sextil. ex qua penſione ipſa maior pars eſt ei ſoluta aliquantò ante diem.* Exdem penſiones dictæ annua, prima, trima, quòd primo, altero, tertio anno ſoluerentur. Martialis lib. 12. ep. 33. VI. Penſio.

O Iuliarum dedecus Calendarum,
Vidi Vacerra ſarcinas tuas, vidi
Quas non retentas penſione pro bina
Portabat vxor rufa crinibus ſeptem.

Quamuis fortaſſe non ibi de reſtitutione dotis agitur, ſed de ſolutione ædium conductarum Martialis lib. 3. epigr. 3.

Vnde tibi tegula eſt & fuſcæ penſio cellæ?

Hanc autem mercedis penſionem Calendis Iuliis ſolui conſueſſe iam oſtendimus in Piſonem. 61. Quare aliunde res probanda. Iuſtinianus C. de rei vxoriæ actione. *Cùm autem in exactione dotis ex ſtipulatu quidem actio naturaliter reſtitutionem dotis à parte mariti vxori illico, & in ſolidum fieri iubebat, rei vxoriæ autem annuâ, bimâ, trimâ die, in his quæ pondere, numero, menſura conſiſtunt, exactionem pollicebatur*, &c. Quam ipſe veterem conſuetudinem mutari iubet. *Exactio autem dotis celebretur non annuâ, bimâ, trimâ die, ſed omnimodo intra annum in rebus mobilibus*, &c. Vide.

AXIOMATA.

Millies perire eſt meliùs, quàm in ſua ciuitate ſine armatorum præſidio non poſſe viuere.

Caritate & beneuolentia ciuium ſeptum oportet eſſe non armis.

Qui violentia conſiliis vtuntur, non poſſunt eſſe diuturni.

ARGVMENTVM.

Comminatus fuerat fore, vt breui populus Romanus extorqueret arma de manibus Antonij, & ipſe Antonius eodem fato quo Curio & Clodius interiret: nunc oſtendit à perſona percuſſorum Cæſaris facultatem Reipub. non deeſſe, & voluntatem non defuturam.

HABET populus Romanus, ad quos gubernacula Reipublicæ deferat, qui vbicunque terrarum ſunt, ibi eſt omne Reipublicæ præſidium, vel potiùs ipſa Reſpublica: quæ ſe adhuc tantummodo vlta eſt, nondum recuperauit. Habet quidem certè Reſpublica adoleſcentes nobiles paratos defenſores: quam volent, illi cedant, otio conſulentes, tamen à Republica reuocabuntur. Et nomen pacis dulce eſt, & ipſa res ſalutaris: ſed inter pacem & ſeruitutem plurimùm intereſt: pax eſt tranquilla libertas: ſeruitus poſtremum malorum omnium non modò bello, ſed morte etiam repellendum. Quòd ſi ſeipſos illi noſtri liberatores è conſpectu noſtro abſtulerunt, at exemplum facti reliquerunt. illi quod nemo fecerat, fecerunt. Tarquinium Brutus bello eſt perſecutus, qui tum Rex fuit, cùm eſſe Romæ licebat. Sp. Caſſius, Sp. Melius, M. Manlius propter ſuſpicionem regni appetendi ſunt necati. Hi primi cum gladiis, non in regnum appetentem, ſed in regnantem impetum fecerunt: quòd cùm ipſum factum per ſe præclarum atque diuinum eſt, tum expoſitum ad imitandum: præſertim cùm illi eam gloriam conſecuti ſint, quæ vix cœlo capi poſſe videatur. Etſi enim ſatis in ipſa conſcientia pulcherrimi facti fructus erat, tamen mortali immortalitatem non arbitror eſſe contemnendam. XCVI.

EXPLANATIO.

HABET POPVLVS.] Oſtendit facultatem Antonij in ordinem cogendi populo Romano non deeſſe, quòd habeat præclaros duces, qui poſſint Reipub. gubernaculis admoueri, eámque ab Antonij tyrannide liberare. Brutum videlicet, Caſſium, & reliquos percuſſores.

QVI VBICVNQVE.] *Patriæ liberatores*, inquit Philipp. 1. §. 6. *vrbe carebant ea cuius à ceruicibus iugum ſeruile deiecerant*, metu videlicet veteranorum, qui audita Cæſaris nece plures & plures in vrbem confluebant, & ad ſpem nouarum prædarum incitabantur ab Antonio. Eſt igitur occupatio, quaſi dicat. Neque eſt quod obiicias eos non audere ad vrbem accedere, & eam ob cauſſam non eſſe metuendos, quia *vbicunque ſunt, ibi eſt omne Reipub. præſidium, vel potiùs ipſa Reſpub. quæ ſe tantummodo vlta eſt*, pœnas ſumens de Cæſare, qui eius libertatem nefariè oppreſſerat, *nondum* recuperauit, ſéque in libertatem penitùs vindicauit, quod tum demum fiet, cùm te ipſum ſuſtulerit è ciuitate.

ADOLESCENTES NOBILISS.] Brutos, Caſſium, alios.

OTIO CONSVLENTES.] Non metu mortis, ſed pacis & concordiæ ciuium conſulentes, ne ipſorum occaſione veterani noua moliantur, & Remp. in aliquid diſcrimen adducant.

ET NOMEN PACIS.] Reddit rationem cur illi ſint primo quoque tempore in vrbem reuocandi: Illi quidem ſeceſſerunt otij, publicæque tranquillitatis cauſſa: nec immeritò, quia & *nomen pacis dulce eſt, & ipſa res ſalutaris*. Reſpub. tamen eos breui reuocabit: quia *ſeruitus*, qua à te opprimitur illis abſentibus, *eſt malorum extremum*, ad quam repellendam populus Romanus non dubitabit & bellum gerere, & mortem, ſi ita neceſſe ſit oppetere.

QVOD SI.] Hactenus de facultate opprimendi Antonij, nunc oſtendit ne voluntatem quidem defuturam, cùm Brutus & Caſſius cæte-

rique Cæſaris percuſſores exemplo ſuo reliquos ad retinendam libertatem incenderint. Eleganter autem dicit, non *diſceſſerunt*, ſed *ſe à conſpectu noſtro* abſtulerunt, eos adeò ſuis ciuibus charos eſſe, vt omnes eos cupiant intueri. vt ſuprà §. 22. *Qui locus eſt aut tam deſertus, aut tam inhumanus, qui illos, quò acceſſerint, non affari atque appetere videatur? qui homines tam agreſtes, qui ſe cùm illos adſpexerint, non maximum cepiſſe vitæ fructum putent?*

Fecervnt.] Cæſarem Reipub. inuaſorem contrucidarunt.

Tarqvinivm Brvtvs.] Nota res eſt. Sextus Tarquinius Luc. Tarquinij Superbi filius pudicitiam Lucretiæ violarat, ea vocatis patre, marito, quibuſdam aliis mortem ſibi conſciuit. *Brutus illis luctu occupatis cultrum ex vulnere Lucretiæ extractum manantem cruore præ ſe tenens. Per hunc, inquit, caſtiſſimum ante regiam iniuriam ſanguinem iuro, vóſque, Dij, teſtes facio, me Luc. Tarquinium Superbum cum ſcelerata coniuge & omni liberorum ſtirpe, ferro, igni, quacunque dehinc vi poſſim, exacturum, nec illos, nec alium quẽquam regnare Romæ paſſurum. Cultrum dehinc Collatino tradit, inde Lucretio ac Valerio, ſtupentibus miraculo rei, vnde nouum in Bruti pectore ingenium.* Hæc Liuius lib. 1. Subdit: *Incenſam multitudinem perpulit, vt imperium Regi abrogaret, exuléſque eſſe iuberet L. Tarquinium cum coniuge ac liberis.*

Spvr. Cassivs.] De Spurio Caſſio & Spurio Melio vide ſuprà §. 19. de M. Manlio Epitome Manliana lib. 6. *M. Manlius qui Capitolium à Gallis defenderat, cùm obſtrictos ære alieno liberaret, nexos exolueret, crimine affectati regni damnatus, de ſaxo Tarpeio deiectus eſt. in cuius notam S. C. factum ne cui de Manlia gente Marco prænomen eſſet.*

Hi primi.] Brutus, Caſſius & cæteri, primi cum gladiis in Cæſarem, non regnum appetentem, vt appetierant Sp. Melius, Sp. Caſſius, M. Manlius, ſed in regnantem iam impetum fecerunt: Opinor legendum, ſed *in iniuſtè regnantem.* Brutus enim fecerat in Tarquinium regnantem, ſed cùm Romæ eſſe Regem liceret. cætera perſpicua ſunt.

NOTÆ.

I. Gvbernacvla.] Pro Sextio 20. *Quis enim clauum tanti imperij tenere, & gubernacula Reipub. tractare in maximo curſu ac fluctibus poſſe arbitraretur.* Vide.

II. Adolescenteis.] Brutum etiam adoleſcentem appellat Nepos Cornelius Attici vita: *Sic M. Bruto vſus eſt, vt nemo ille adoleſcens æquali familiariùs, quàm hoc ſene vteretur.* Qui tamen iam prætor erat, ac proinde ad annum ætatis nonum ſupra trigeſimum peruenerat. Sic infrà 99. *Defendi Rempub. adoleſcens, non deſeram ſenex.* vbi videtur loqui de ſuo Conſulatu, id eſt, de anno ætatis vno & quadrageſimo. Vt adoleſcentes dici videantur ad annum vſque quadrageſimum quintum, quo dicebantur ſeniores. Certè vt Patrum noſtrorum litteris teſtatũ accepimus, Abyſſini ſe pueros appellanr, & ieiunij Eccleſiaſtici lege ſolutos eſſe contendunt, ad anunm ætatis quinquageſimum. neque ſe priùs ea teneri putãt, quàm nepotes ex ſe prognatos eſſe cognouerint. *Adoleſcens.*

III. Et nomen pacis dvlce est.] Dio Chryſoſtomus orat. 40. locum hunc præ oculis videtur habuiſſe, vbi inter alia pulcherrima. Πᾶσα γὰρ εἰρήνη κρείττων πολέμου. *Omnis enim pax bello melior,* &c. Εἰρήνη μὲν γὰρ καὶ ὁμόνοια τοὺς χρωμένοις οὐδὲν πώποτε ἔβλαψεν. ἔχθρα δὲ καὶ φιλονεικία, θαυμαστὸν εἰ μὴ σφόδρα ἀνήκεστα καὶ μεγάλα. καὶ τῆς μὲν ὁμονοίας τό τε ὄνομα εὔφημον, ἥ τε πεῖρα ἀρίστη, καὶ λυσιτελεστάτη πᾶσι. στάσεως δὲ καὶ διαφορᾶς, σκυθρωπὴ μὲν ἡ προσηγορία καὶ δυσχερής, πολὺ δὲ χείρω καὶ τὰ ἔργα καὶ σκυθρωπότερα. *Pax atque concordia vtentibus ſe nihil vnquam nocuerunt: inimicitiæ verò & contentio mirum ſi non irrecuperabilia, & maxima dederunt damna. Et concordiæ quidem & nomen plauſibile eſt, & experientia optima iuxta & vtiliſſima eſt omnibus: ſeditionis & diſſidij, tetrica quidem & moleſta appellatio eſt, multo autem peiora ſunt facta magíſque tetrica.* Vnde & apud Stobæum Ariſtophanes & Euripides, Εἰρήνην βαθύπλουτον. *Pacem profundas diuitias habentem* appellant. & hic poſterior, Καλλίστην μακάρων θεῶν. *Pulcherrimam Dearum* indigetat. & ibidem Bacchilides Pæanibus, cauſſam reddit cur nomen pacis adeò dulce ſit: Pax.

Τίκτει δέ τε θνατοῖσιν Εἰρήνη μεγάλα,
Πλοῦτον καὶ μελιγλώσσων ἀοιδῶν ἄνθεα.
Pax alma res fert maximas mortalibus,
Opes, camœnarúmque flores melleos.

Et Philemon Pacem id demum bonum eſſe ait quod à Philoſophis quæritur, neque hactenus potuit inueniri. quia nimirum Pacis commoda.

Γάμους, ἑορτάς, συγγενεῖς, παῖδας, φίλους,
Πλοῦτον, ὑγίειαν, σῖτον, οἶνον, ἡδονὴν
Αὕτη δίδωσι.
Prolem, cognatos, ſacra, amicos, nuptias,
Annonam, vinum, ſanitatem, gaudia,
Diuitias Pax fert.

Quin etiam Vulcanus, vt in Achillis clypeo Pacis ſuauitatem adumbraret, duas vrbes in eo ſculpſit, quarum altera obſidione cingeretur, & ſanguine redundaret, altera tranquilla pace frueretur, & nuptias, choreas, conuiuia celebraret. Vide Iliados τὸ σ´ ſub finem. Multa etiam Ariſtophanes comœdia quæ Pax inſcribitur, & ob hanc Pacis rerum omnium affluentiam, apud Athenienſes Pacis ſtatua Plutum opulentiæ Deum manu ſuſtinebat. Pauſanias Bœoticis: Πλησίον τύχης ἐστὶν ἱερόν. φέρει μὲν δὴ Πλοῦτον παῖδα, &c. Σοφὸν μὲν δὴ καὶ τούτοις τὸ βούλευμα ἐνθεῖναι Πλοῦτος ἐς τὰς χεῖρας, ἅτε μητρὶ, ἢ τροφῷ τῇ τύχῃ. Σοφὸν δὲ οὐχ ἧσσον Κηφισοδότου. Καὶ γὰρ οὗτος τῆς Εἰρήνης τὸ ἄγαλμα Ἀθηναίοις Πλοῦτον ἔχουσαν πεποίηκεν. *Proximè, Fortunæ ædes. fert Dea Plutum infantem,* &c. *Callidum ſanè fuit commentum, in manu fortunæ, tanquam vel matris, vel nutricis Plutum ponere. Neque minùs prudenter Cephiſodotus, qui pacem Athenienſibus fecit Plutum habentem.* (Aduerte ſyntheſin grammaticam ἄγαλμα ἔχουσαν.) Aliter etiam Pax Pacis ſimulacrum Plutum manu ſuſtinens.

Martis ſanguineas quæ cohibet manus,
Et cornu retinet diuite Copiam.

à Seneca choro primo Medeæ depingitur. Polybius lib. 12. Ὁμοιότατον εἶναι φησὶ τὸν μὲν πόλεμον τῇ νόσῳ, τὴν δὲ εἰρήνην τῇ ὑγιείᾳ. ἐν ᾗ μὲν γὰρ καὶ τοὺς κάμνοντας ἀναλαμβάνειν, ἐν ᾧ δὲ καὶ τοὺς ὑγιαίνοντας ἀπόλλυσθαι. καὶ κατὰ μὲν τὴν εἰρήνην τοὺς πρεσβυτέρους ὑπὸ τῶν νέων θάπτεσθαι κατὰ φύσιν, ἐν δὲ τῷ πολέμῳ τἀναντία. τὸ δὲ μέγιστον ἐν μὲν τῷ πολέμῳ μηδ᾽ ἄχρι τῶν τειχῶν εἶναι τὴν ἀσφάλειαν, κατὰ δὲ τὴν εἰρήνην μέχρι τῶν τῆς χώρας ὅρων. *Simillimum ait bellũ quidem morbo, pacẽ verò* Aut cornu copiæ.

ſanitati. Per hanc ſiquidem & qui ægrotant refici, per illud, etiam ſanos interire. Accedit quòd vigente pace ſenes conuenienter naturæ ſepeliuntur à iuuenibus, cuius fit contrarium in bello. omnium maximum illud eſt quod belli tempore, ne muro quidem vrbis tenus ſecuritas ſperari poteſt: pacis verò tempore ad fines vſque regionis. Libanius declamat. Vlyſſis. Εἰρήνη μὲν καλὸν, πόλεμος δὲ δυστυχές. καὶ τῆς μὲν ἀνθεκτέον, τὸν δὲ φευκτέον. ὡς ἐκείνης μὲν ὀρθούσης τὰς πόλεις, τούτου δὲ καταστρέφειν εἰωθότος. *Pax quidem pulchra res eſt, bellum verò infelix, & huic quidem attendendum eſt, illud verò fugiendum. Quòd ea pulchrè conſtituat ciuitates, illud verò eas ſoleat euertere.* Atque propter hanc pacis iucunditatem & dulcedinem veteres candida veſte Pacem induerunt. Tibullus elegia vltima, lib. I.

Pax candida.

Intereà pax arua colat. Pax candida primùm
Duxit araturos ſub iuga curua boues.

Non iniuria igitur, vt eleganter notat Polyb. lib. citato, Iupiter Marti Pacis bonorum omnium matris inimico ſuccenſens inducitur à Poëta.

Cur Mars præ cæteris Ioui odioſus.

Ἔχθιστος δέ μοί ἐσσι θεῶν, οἳ Ὄλυμπον ἔχουσιν,
Αἰεὶ γάρ τοι ἔρις τε φίλη, πόλεμοί τε μάχαι τε.
Tu mihi præ reliquis odio es cæleſtibus vnus,
Quòd tibi rixa placet, bellúmq; & prælia ſæua.

Sed finiendum cum Gregorio Nazianzeno, qui orat 14. non rem ſolùm, ſed etiam verba videtur à Tullio mutuatus. Εἰρήνη φίλη, τὸ γλυκὺ καὶ πρᾶγμα, καὶ ὄνομα. *Pax amica eſt, cuius & res ipſa dulcis eſt, & nomen.*

IV. ET IPSA RES SALVTARIS.] Quietem ſiue Pacem *Salutarem Deam* appellat Ammianus, vt meritò Polybius lib. 4. pacem his laudibus extulerit. ἧς πάντες εὐχόμεθα τοῖς θεοῖς τυχεῖν, καὶ πᾶν ὑπομένομεν ἱμείροντες αὐτῆς μετασχεῖν, καὶ μόνον τοῦτο τῶν νομιζομένων ἀγαθῶν ἀναμφισβήτητόν ἐστι παρ᾽ ἀνθρώποις, λέγω δὲ τὴν εἰρήνην. *Res quam à Diis concedi nobis omnes petimus: cuius deſiderio nihil non perferimus: quámque ex omnibus, quæ bona exiſtimantur, ſolam nemo ambigat verè eſſe bonam, pacem dico.*

V. INTER PACEM ET SERVITVTEM.] Liuius lib. 10. *Petiſſe pacem à populo Romano, cùm bellum tolerare non poſſent: rebellaſſe, quòd pax ſeruientibus grauior, quàm liberis bellum eſſet.* Polybius lib. 4. Ἐγὼ γὰρ φοβερὸν μὲν εἶναί φημι τὸ πολεμεῖν, οὐ μὴν οὕτω γε φοβερὸν, ὥστε πᾶν ὑπομένειν χάριν τοῦ μὴ προσδέξασθαι πόλεμον. ἐπεὶ τί καὶ θρασυνόμεθα τὴν ἰσηγορίαν, καὶ παρρησίαν, καὶ τὸ τῆς ἐλευθερίας ὄνομα πάντες, εἰ μηδὲν ἔσται προυργιαίτερον τῆς εἰρήνης; *Metuendum eſſe bellum equidem non abnuo: ſed non vſque adeò metuendum vt eius vitandi gratiâ omnia velis ſufferre. Quò enim iuris æquabilitas nobis, & facultas ex æquo dicendi quæ ſentias, quò libertatis nomen, ſi nihil eſt omnium quod potiùs ducamus pace?* Paucis interiectis: Εἰρήνη γὰρ μετὰ μὲν τοῦ δικαίου, καὶ πρέποντος κάλλιστόν ἐστι κτῆμα καὶ λυσιτελέστατον, μετὰ δὲ κακίας ἢ δουλείας, πάντων αἴσχιστον καὶ βλαβερώτατον. *Vt enim pace iuſta & honeſta nihil pulchrius, nihil vtilius: ſic ea quam vel ignauia, vel ſeruitus infamant, nihil neque turpius, neque magis noxium eſt.*

Libertas paci præferenda.

PAX EST TRANQVILLA LIBERTAS.] Vulgatum eſt, bellum & ſeditiones cum tempeſtatibus, pacem cum tranquillitate comparare. Pindarus à Polybio laudatus lib. 4. Τὸ κοινόν τις ἀστῶν ἐν εὐδίᾳ τιθεὶς ἐρευνασάτω μεγαλάνορος Ἡσυχίας τὸ φαιδρὸν φάος. *Pro ſe quiſque ciuium publicæ trãquillitati conſulens. Quietis magnanimæ latum iubar requirito.*

IPSA CONSCIENTIA.] *Ipſa quidem virtus pretium ſibi*, vt inquit Claudianus, & nos non paucis oſtendimus §. 97. Milonianæ. *Fortes & ſapientes viros non tam præmia ſequi ſolere rectè factorum, quàm ipſa rectè facta.* De fructu bonæ conſcientiæ, ibidem 63. *Magna vis eſt conſcientiæ, Iudices, & magna in vtramque partem.* De honore autem & immortalitate, qui fructus & præmium veræ virtutis eſt. ibidem 97.

AXIOMATA.

Et nomen pacis dulce eſt, & res ipſa ſalutaris.
Inter pacem & ſeruitutem plurimum intereſt.
Pax eſt tranquilla libertas.
Seruitus malorum omnium poſtremum, non modò bello, ſed morte etiam repellendum.
In ipſa conſcientia rectè factorum ſatis eſt fructus.
Mortali immortalitas non eſt contemnenda.

ARGVMENTVM.

Partim virtutis & honeſtatis amore, partim formidine pœnæ conatur Antonium ad meliorem frugem reuocare.

RECORDARE igitur illum, Marce Antoni, diem, quò dictaturam ſuſtuliſti: pone ante oculos lætitiam Senatus, populíque Romani, confer cum hac nummatione tua, tuorúmque: tum intelliges quàm inter laudem & lucrum interſit. Sed nimirum, vt quidam morbo aliquo & ſenſus ſtupore ſuauitatem cibi non ſentiunt: ſic libidinoſi, auari, facinoroſi, veræ laudis guſtum non habent. Sed ſi te laus allicere ad rectè faciendum non poteſt, ne metus quidem à fœdiſſimis factis poteſt auocare. Iudicia nõ metuis? ſi propter innocentiam, laudo: ſi propter vim, non intelligis ei, quid timendum ſit? Quòd ſi non metuis viros fortes, egregióſque ciues, quod à corpore tuo prohibentur armis, tui te, mihi crede, diutiùs non ferent. Quæ eſt autem vita, dies & noctes timere à ſuis?

EXPLANATIO.

RECORDARE.] Pulcherrimum Antonij factum in memoriam ei reuocat, & laudem quam ex eo adeptus eſt, vt eo veluti gloriæ ſtimulo magis ad virtutem excitetur. Philipp. 1. *Maximum autem illud quod dictaturæ nomen ſuſtuliſti. Hæc inuſta eſt à te, à te, inquam, mortuo Cæſari nota ad ignominiam ſempiternam: vt enim propter M. Manlij ſcelus, decreto gentis Manliæ neminem patricium M. Manlium vocari licet, ſic tu propter vnius Dictatoris odium nomen Dictatoris, funditus ſuſtuliſti. Num huiuſce, cùm pro Rep. tanta geſſiſſes, fortunæ te, num amplitudinis, num claritatis, num gloriæ pœnitebat?*

CONFER CVM NVMMATIONE TVA.] Neſcio an vox ſatis ſit Latina: certè *bene nummatus* dicitur, qui multas pecunias habet: vnde fortaſſe nummatio. Antiqua lectio erat, *confer cum in manum latione.* ex qua Antonius Auguſtinus, *cum hac immani nundinatione tua.* Lambinus detracto adiectiuo, immani, vt in re tam dubia & incerta legendum arbitratur, *cum hac nundinatione tua.* Hanc, inquit, lectionem adiuuat codex vnus manuſcriptus, in quo reperi ſcriptum, *cum hac numeratione tua.* Quidam malunt legi, *cum hac numulatione tua:* ipſe libenter legerem, *cum hac nummaria ratione tua.*

TVORVMQVE.] Fratrum Caij & Lucij, quorum alter Lucius Tribunuſplebis, alter Caius Prætor fuit, eo ipſo anno quo Marcus Antonius geſſit conſulatum: ſed potiſſimùm Fuluiæ coniugis, de cuius auaritia multa paſſim hiſtorici.

INTER LAVDEM.] Quam eo die conſecutus es Remp. ſuſtuliſti, *& lucrum* quod feciſti illa prouinciarum & immunitatum venditione.

SED NIMIRVM.] Sententia moralis: qua cauſſam reddit cur Antonius veræ ſolidæque laudi quæſtum anteponat.

SED SI TE LAVS.] Hortatus fuerat à virtutis pulchritudine ad virtutem, nunc terrorem incutit, & à ſcelere deterret.

IVDICIA NON METVIS.] Occupatio oratoria. Reſpondere enim potuit Antonius: fruſtra me terres, ô Cicero: non enim metuo iudicia: Contrà Cicero: ſi ius & iudicia contra te non valebunt, ad vim & arma venietur.

QVOD SI.] Alia rurſum occupatio. Dices te vim non metuere: quia militum barbarorum præſidio, te contra vim & impetum virorum fortium muniiſti: Verùm non ideò metu vacuus eſſe debes: quia etiam tui cuſtodes ſuperbiam & inſolentiam tuam, pertæſi te trucidabunt.

QVID EST.] Alij legunt, *Quæ eſt autem vita dies & noctes timeri à ſuis?* Ego nondum ſatis rem intelligo. libenter legerim, pro *timeri à ſuis,* vnicâ litterulâ mutatâ, *Quæ eſt autem vita dies & noctes timere à ſuis.* Id eſt: *An tibi vita poteſt eſſe vitalis dies & noctes timenti, ne tibi etiam ab amicis & ſtipatoribus tuis inſidiæ comparentur.*

NOTÆ.

DICTATVRAM.] Rem ita narrat Dio lib. 44. Καὶ νόμον ἐπέθηκαν μηδένα αὐτοῖς δικτάτορα γενέσθαι. ἀράς τε ποιησάμενοι, καὶ θάνατον προειπόντες, ἄν τις ἐσηγήσηται τοῦτο, ἄν τε ὑποστῇ. καὶ προσέτι καὶ χρήματ' αὐτοῖς ἀντικρὺς ἐπικηρύξαντες. *Legem etiam tulerunt,* Antonius & Dolabella Conſules, *ne quis in poſterum Dictator crearetur: execrationéſque addiderunt, ac mortem ei qui mentionem Dictaturæ feciſſet: aut eum magiſtratum in ſe recepiſſet: & inſuper pecuniam iis qui talem occidiſſent, conſtituerunt.* Appianus lib. 3. cum Cicerone legem hanc ſoli tribuit Antonio, non autem Dolabellæ. Ἐψηφίσατο μὴ ἐξεῖναι τῷ κατὰ μηδεμίαν αἰτίαν περὶ δικτάτορος ἀρχῆς, μήτ' ἐπιψηφίζειν, μήτε λαβεῖν διδομένην, ἢ τὸν ἐκ τῶν δέ τινος ὑπεριδόντα νηποινεὶ πρὸς τῶν ἐντυχόντων ἀναιρεῖσθαι. *Legem tulit, ne quis vllam ob cauſſam de Dictatore creando referret, néve quis Dictaturam oblatam acciperet: qui contra fecerit, eum liceret à quouis impunè interfici.* Vide 1. Philipp. §. 3. & 31. Dictatura abolita.

VT QVIDAM MORBO ALIQVO.] Non abludit illa ſimilitudo Varronis apud Nonnium cap. 1. & cap. 16. *Nam vt arquatis & veternoſis, quæ lutea non ſunt, æquè vt lutea videntur, ſic inſanis ſani, & furioſis eſſe videntur inſani.* Torquatum autem morbum eſſe dicit, qui regius dicitur. II.

VIROS FORTES, EGREG.] Hoc ipſum eſt, de quo queritur Hieron apud Xenophontem in tyranno. Χαλεπὸν δ' ἐρῶ σοι καὶ ἄλλο πάθημα, ὦ Σιμωνίδη τυράννων. γιγνώσκουσι μὲν γὰρ οὐδὲν ἧττον τῶν ἰδιωτῶν τοὺς κοσμίους γε καὶ σοφοὺς, καὶ δικαίους. τούτους δ' ἀντὶ τοῦ ἄγασθαι φοβοῦνται. τοὺς μὲν ἀνδρείους, μή τι τολμήσωσι τῆς ἐλευθερίας ἕνεκεν. τοὺς δὲ σοφοὺς μή τι μηχανήσωνται. τοὺς δὲ δικαίους μὴ ἐπιθυμήσῃ τὸ πλῆθος ὑπ' αὐτῶν προστατεῖσθαι. *Sed & aliam tyrannorum calamitatem tibi dicam, Simonides. Nouerunt non minùs quàm priuati probos, ſapientes & iuſtos viros. Hos cùm diligere debeant, metuunt: Fortes quidem, ne quid audeant libertatis amore: Sapientes, ne quid machinentur: iuſtos verò ne multitudo cupiat ab iis gubernari.* Vide plura in hanc ſententiam. III.

Tyranni metuũt, quos diligere debe- rent.

TVI TE.] Xenophon ibidem in perſona Hieronis: Τὸ δὲ φοβεῖσθαι μὲν ὄχλον, φοβεῖσθαι δ' ἐρημίαν, φοβεῖσθαι δ' ἀφυλαξίαν, φοβεῖσθαι δὲ καὶ αὐτοὺς τοὺς φυλάσσοντας, καὶ μήτ' ἀόπλους ἐθέλειν ἔχειν περὶ αὑτὸν, μήθ' ὡπλισμένους ἡδέως θεᾶσθαι, πῶς οὐκ ἀργαλέον ἐστὶ πρᾶγμα; *Iam verò metuere turbam, metuere ſolitudinem, metuere ſatellitij abſentiam, metuere ipſos etiam cuſtodes, ac nec inermes illos velle habere, nec armatos videre libenter, an non res eſt miſera?* Vide planè locum longè pulcherrimum. Huius veſtigiis inſiſtit Dio Caſſius in colloquio Auguſti & Liuiæ. lib. 55. vbi inter cætera, Ὥστε ἡμῖν διὰ πάντων, δεινὸν μὲν τὴν ἐρημίαν, δεινὸν δὲ καὶ τὸ πλῆθος· καὶ φοβερὸν μὲν τὴν ἀφυλαξίαν, φοβερωτάτους δὲ καὶ αὐτοὺς τοὺς φύλακας· καὶ χαλεποὺς μὲν ἐχθρούς, χαλεπωτέρους δὲ τοὺς φίλους εἶναι· φίλους γὰρ ἀνάγκη πάντας σφᾶς, κἂν μὴ ὦσι, καλεῖσθαι. *Ita ſemper nobis ſolitudo & grauis, & hominum frequentia: vacare cuſtodia periculoſum: periculoſiſſimum eſſe inter ſtipatores: hoſtes moleſti, moleſtiores amici: hoc enim eos etiam minimè dignos nomine appellare oportet.* Phalaris epiſtola quadam ad Paurolam filium: Ὁ γὰρ ἀμφοτέρων πεπειραμένος τυραννηθῆναι μᾶλλον ἂν εὔξαιτο, ἢ τυραννῆσαι. ὁ μὲν γὰρ ἕνα φοβεῖται τῶν ἄλλων χαλεπῶν ἀπηλλαγμένος, τὸν τύραννον· ὁ τύραννος δὲ καὶ τοὺς ἔξωθεν ἐπιβουλεύοντας, καὶ δι' οὓς σώζεται. ἀνάγκη γὰρ αὐτῷ μετὰ τῶν πολλῶν φόβων, καὶ ταλαιπωριῶν, πρὸ τούτου εὐλαβεῖσθαι τοὺς φυλάττοντας. *Qui enim vtrinſque conſtat experientia, is parere, quàm imperare potiùs expetit. Alter enim à reliquis periculis omnibus liber* IV.

Timor & miſeria tyrannorum.

& ſolutus, vnum tantummodo metuit tyrannum: Tyrannus verò tum extraneorum inſidias, tum etiam ſatellitum vim pertimeſcit. Neceſſe eſt enim vt inter omnes reliquos terrores & miſerias primùm cuſtodes ſatellitéſque metuat.

AXIOMATA.

Multum inter laudem & lucrum intereſt.

Libidinoſi, auari, facinoroſi, veræ laudis guſtum non habent.

Quos laus ad rectè faciendum allicere non poteſt, metus ſaltem deberet à fœdis factis auocare.

Quæ eſt vita dies & noctes inſidias timere à ſuis.

ARGVMENTVM.

Exemplo Cæſaris à ſuis interempti terret M. Antonium.

NISI verò aut maioribus habes beneficiis obligatos, quàm ille quoſdam habuit ex iis, à quibus eſt interfectus, an tu es vlla re cum eo comparandus: fuit in illo ingenium, ratio, memoria, literatura, cogitatio, diligentia: res bello geſſerat, quamuis Reipub. calamitoſas, attamen magnas. Multos annos regnare eſt meditatus: magno labore, multis periculis quod cogitarat, effecerat: muneribus, monimentis, congiariis, epulis, multitudinem imperitam lenierat, ſuos præmiis, aduerſarios clementiæ ſpecie deuinxerat. Quid multa? attulerat iam liberæ ciuitati partim metu, partim patientia, conſuetudinem ſeruiendi. Cùm illo ego te dominandi cupiditate conferre poſſum, cæteris verò rebus nullo modo comparandus es. Sed plurimis malis, quæ ab illo Reipubl. ſunt inuſta, hoc tamen boni eſt, quod didicit iam populus Romanus quantum cuique crederet, quibus ſe committeret, à quibus caueret. Hæc non cogitas, nec intelligis ſatis eſſe viris fortibus didiciſſe, quàm ſit pulchrum beneficio gratum, fama glorioſum, tyrannum occidere? an cùm illum homines non tulerint, te ferent? certatim poſthac (mihi crede) ad hoc opus curretur, neque occaſionis tarditas expectabitur. XCVIII.

EXPLANATIO.

NISI FORTE.] Alia rurſum occupatio. Dices fortaſſe me fruſtra terrorem hunc tibi denuntiare, cùm tantis beneficiis tuos illos ſatellites tibi deuinxeris, ita tibi amicos omnes obligaris, vt nemo tibi moliturus ſit inſidias. Contrà longè maioribus beneficiis ſibi deuinctos habuit Cæſar quoſdam eorum à quibus occiſus eſt, vt C. Trebonium, & Luc. Tillium Cimbrum de quibus ſuprà 19. Adderem ipſos coniurationis principes Brutum & Caſſium, quibus Cæſar victor vitam conceſſerat, niſi ſuprà beneficium latronum vocauiſſet.

FVIT IN ILLO.] Confert Cæſarem Antonio, vt argumentum à comparatis ita contexat.

Qui Cæſarem non tulerunt, multò minùs te regnare patientur.

Sed Romani Cæſarem non tulerunt.

Ergo, &c.

Probatur maior.

Qui Cæſarem non tulerunt, multò minùs eum ferent, qui cum Cæſare ne comparandus eſt quidem.

Sed tu ne quidem es cum & Cæſare comparandus.

Ergo, &c.

LITTERATVRA.] Aliàs, *litteræ, cura*, parum refert. Aduerte ordinem, primò perſonam ipſam Cæſaris conſiderat. deinde res ab eo geſtas, quæ remotè, vt loquuntur, potuerunt eum ad inuadendam Rempub. diſponere. tertiò rationes quas inierat, vt potentiam ſuam ſtabiliret.

RES BELLO GESSERAT.] Gallias domuerat, tranſierat Rhenum, in Britanniam penetrarat, Imperij Romani fines ad Oceanum vſque promouerat. Quæ res ab eo geſtæ belli ciuilis calamitatem intulerunt.

MVLTOS ANNOS.] Ab anno vrbis conditæ 690. Luc. Cæſare, C. Figulo Conſulibus, quo geſſit ædilitatem, quindecim annis ante bella ciuilia.

MVNERIBVS.] Ludorum editionibus, gladiatorúmque ſpectaculis.

MONIMENTIS.] Publicis ædificiis ad vrbis ornatum excitatis.

CONGIARIIS.] Largitionibus in plebem.

EPVLIS.] Viſcerationibus publicè exhibitis.

MVLTITVDINEM IMPERITAM.] Plebem quæ non intelligebat ſe huiuſmodi largitionibus ineſcari, vt quibuſdam quaſi retibus & pedicis intricata libertatem ſuam amitteret.

CLEMENTIÆ SPECIE.] Non veram, ſed fucatam Cæſaris clementiam fuiſſe dicit, ne eos, à quibus necatus eſt Cæſar, damnare videatur. quæ ſequuntur perſpicua ſunt.

NEC OCCAS.] Quemadmodum à percuſſoribus Cæſaris expectata eſt occaſio, de quibus Tranquillus in Iulio cap. 81. *Qui primùm cunctati vtrúmne illum in campo per comitia tribus ad ſuffragia vocantem, partibus diuiſis è ponte deiicerent, atque exceptum trucidarent: an in ſacra via vel in aditu theatri adorirentur, poſtquam Senatus Idibus Martiis in Pompeij curiam edictus eſt, facile tempus & locum prætulerunt.*

NOTÆ.

I. INGENIVM.] Cæſaris ingenium *& vigorem celeritatémque quodam igne volucrem.* Plinius lib.7. nat.hiſtor. cap.25. ita deprædicat. *Scribere & legere ſimul, & dictare, & audire ſolitum accepimus. Epiſtolas verò tantarum rerum quaternas pariter librarius dictare, aut ſi nihil aliud ageret, ſeptenas.* Antonius Oratione funebris Cæſaris apud Dionem lib. Ὁ Καῖσαρ οὗτος τότε σῶμα ἅμα ἱκανώτατος, καὶ τὴν ψυχὴν εὐκολώτατος ἐγένετο. τῇ τε γὰρ τῆς φύσεως ἰσχύι θαυμαστῇ ἐκέχρητο, καὶ παιδείᾳ παντοδαπῇ ἀκριβῶς ἤσκητο. καὶ διὰ τοῦτο οὐκ ἀπικότως καὶ γνῶναι πᾶν τὸ δέον ὀξύτατα, καὶ ἑρμηνεῦσαι πιθανώτατα, διαθέσθαι τε καὶ διοικῆσαι φρονιμώτατα ἀεὶ ἠδυνήθη. *Cæſar, & corpore firmiſſimo fuit, & animo promptiſſimo. Erat in ipſo vis quædam naturæ admirabilis, ſed eam exercitatione omnis generis ita confirmauerat, vt non immeritò omnes res & cognoſcere celerrimè, & explicare ſumma cum fide, & adminiſtrare prudentiſſimè poſſet.* Sequutus ſum Xylandri verſionem, licet in ea quædam non ſatis arrideant, vt παιδείᾳ *exercitatione*, ἀπικότως *non immeritò*, πιθανώτατα, *ſumma cum fide.*

Ingenium Cæſaris.

II. MEMORIA.] Vide pro Deiotaro §.25. Nota 2. *Memoriam tuam implorat, qua vales plurimùm.* Meritò autem memoria ingenio & litteraturæ coniungitur. Ἔστι γὰρ, inquit Philoſtratus, πλεονέκτημα φύσεως, ἢ τῆς ἀθανάτου ψυχῆς μοῖρα. *Eſt enim peculiare naturæ donum, vel immortalis animæ pars.*

III. LITTERATVRA.] Quàm deditus fuerit Cæſar ſtudio litterarum, eius lucubrationes teſtantur, de quibus Tranquillus cap.55.56. Nam præter illos commentarios, qui hodiéque ſuperſunt, & orationes aliquot. *Reliquit & de analogia libros duos, & Anticatones totidem, ac præterea poëma quod inſcribitur Iter. Quorum librorum primos in tranſitu Alpium, cùm ex citeriore Gallia, conuentibus peractis, ad exercitum rediret: ſequentes ſub tempus Mundenſis prælij fecit: nouiſſimum dum ab Vrbe in Hiſpaniam vlteriorem IV. & XX. die peruenit.* E quibus non modò facilitatem vigorémque animi, ſed etiam diligentiam mirabilem agnoſcas, qui tot occupationibus diſtrictus, ne tum quidem à ſcribendo ſibi temperarit, cùm præſertim & libros de analogia miſſurus eſſet ad Ciceronem, & ſuis illis Anticatonibus cum ipſo Cicerone certaret.

Literatura Cæſaris.

IV. RES BELLO GESSERAT.] De rebus à Cæſare geſtis omnes paſſim hiſtorici, Dio, Plutarchus, Appianus, Liuius, Florus, tum Iulianus Cæſaribus, tum Orator pro Marcello. Vide Notas in §.5.

V. MVLTOS ANNOS.] Refert Tranquillus cap.9. ex quadam Ciceronis ad Axium ipſis, vt videtur, Tullij verbis, *Cæſarem in conſulatu confirmaſſe regnum, de quo Ædilis cogitarat.* Eum certè multos antè annos de inuadenda Rep. cogitaſſe, indicio eſt, quòd cùm obtinuiſſet Gallias & Illyricum, *Gaudio elatus non temperauit, quin paucos poſt dies frequenti curia iactaret inuitis, & gementibus aduerſariis adeptum ſe quæ concupiſſet, proinde ex eo inſultaturum omnium capitibus, ac negante quodam per contumeliam facilè hoc vlli fœminæ fore reſponderit, quaſi alludens in Aſia quoque regnaſſe Semiramim, magnámque Aſiæ partem Amaſonas tenuiſſe quondam.* vt refert idem Tranquillus cap.22. de laboribus & periculis Cæſaris hiſtoriæ paſſim conſulantur.

MVNERIBVS.] Notum eſt munera dici ludorum, & præſertim gladiatorum editionem. Iuuenalis ſat.3. VI.

Munera nunc edunt, & verſo pollice vulgi Munus quid?
Quemlibet occidunt populariter.

Tranquillus in Tiberio cap.7. munus gladiatorium à ludis diſtinguit. *Munus gladiatorium in memoriam patris, & alterum in aui Druſi dedit, &c. Dedit & ludos, ſed abſens.* Et in Caligula 18. *Munera gladiatoria partim in amphitheatro Tauri, partim in Septis aliquot edidit, &c. Scenicos ludos & aſſiduè & varij generis multifariam fecit.* Rurſum in Nerone cap.11. *Spectaculorum plurima & varia genera edidit: Iuuenales, Circenſes, Scenicos ludos, gladiatorium munus.* De Cæſaris porro munerum magnificentia idem Tranquillus in Iulio cap.26. & 39. Dio lib.43. & alij conſulantur. Dio: Τοὺς δ' ἄνδρας συνέβαλε μὲν καὶ ἕνα ἑνὶ ἐν τῇ ἀγορᾷ ὥσπερ εἴθιστο· συνέβαλε δὲ καὶ ἐν τῷ ἱπποδρόμῳ πλείους καὶ ἱππέας ἱππεῦσι, καὶ πεζοὺς πεζοῖς, ἄλλοις τ' ἀναμὶξ ἀλλήλοις ἴσους, καί τινες καὶ ἀπ' ἐλεφάντων τεσσαράκοντα ἐμαχέσαντο. καὶ τέλος καὶ ναυμαχίαν οὐκ ἐν τῇ θαλάσσῃ, οὐδ' ἐν λίμνῃ τινὶ, ἀλλ' ἐν τῇ ἠπείρῳ ἐποίησε. χωρίον γάρ τι ἐν τῷ Ἀρείῳ πεδίῳ κοιλάνας, ὕδωρ τε ἐς αὐτὸ ἐσῆκε καὶ ναῦς ἐπήγαγεν. *Viros alios ſingularibus certaminibus, vt Romanæ erat conſuetudinis, in foro commiſit: alios plures ſimul in circo, Equites equitibus, peditibúſque pedites, alióſque promiſcuè, æquali vtrimque numero. nonnulli etiam ab elephantis quadraginta pugnabant.* (verterat Xylander: Erant etiam quadraginta viri, qui ab elephantis pugnarent.) *Denique prælium nauale, non in mari, neque in palude, ſed in terra exhibuit: effoſſo ad id loco in campo Martio, eóque aqua repleto, inductíſque nauibus.* Plinius lib. 8. de elephantis cap.7. *Pugnauere Cæſari Dictatori tertio Conſulatu eius viginti contra pedites quingentos: itidem totidem turriti, cum ſexagenis propugnatoribus, eodem quo priores numero peditum, & pari equitum ex aduerſo dimicante.* Et lib. 19. cap. 1. *Carbaſina deinde vela primus in theatro duxiſſe traditur Lentulus Spinther Apollinaribus ludis. Mox Cæſar Dictator totum forum Romanorum intexit, viámque ſacram ab domo ſua ad cliuum vſque Capitolinum quod munere ipſo gladiatorio mirabilius viſum tradunt.* Imò ſi Dionem audiamus, non carbaſina, ſed ἵνα μηδένα τῶν θεωμένων ὁ ἥλιος λυπήσῃ, παραπετάσματα ὑπὲρ αὐτῶν σηρικὰ, ὥς γέ τινές φασιν, ὑπερεπέτασε. τοῦτο δὲ τὸ ὕφασμα χλιδῆς βαρβάρου ἐστὶν ἔργον, καὶ παρ' ἐκείνων καὶ πρὸς ἡμᾶς ἐς τρυφὴν τῶν πάνυ γυναικῶν περιττὴν ἐσπεφοίτηκεν. *Ne quis ſpectantium à Sole moleſtaretur, ſericas cortinas, vt quidam auctores ſunt, ſuper eos extendit. Eſt autem ſericum textura barbaricæ luxuriæ, ab iiſq. ad luxC mulierum nobilium inuecta.* Cæterùm Appianus cæteris rem enucleatiùs exponit: Ἐπέδωκε δὲ καὶ θέας ποικίλας ἵππων τε καὶ μουσικῆς καὶ πεζομαχίας, ἀνδρῶν χιλίων πρὸς ἑτέρους χιλίους, καὶ ἱππομαχίαν διακοσίων πρὸς ἴσους. καὶ ἄλλην ἀναμὶξ πεζῶν τε καὶ ἱππέων ἀγῶνα. ἐλεφάντων τε μάχην εἴκοσι πρὸς εἴκοσι, καὶ ναυμαχίαν ἐρετῶν τετρακισχιλίων, ἐπιβεβηκότων ἐς μάχην χιλίων ἑκατέρωθεν. *Edita ſunt & varia ſpectacula, Circenſium, muſicorum, millenorum peditum inter ſe concurrentium prælio, ducenorum item equitum hinc inde: rurſum aliud equitum & peditum promiſcuè pugnantium. commiſſi ſunt & viceni hinc inde elephanti, & nauale prælium quater millenis remigi-*

Munera Cæſaris.

Vela Cæſaris in ſpectaculis.

bus,millenis ſociis naualibus vtrimque decertantibus. Interpres pro *quater millenis*, ponit *quadringenis*, & fortaſſe legebat τετρακοσίοις. Variat tamen in numero Tranquillus cap.39.

VII. Monumenta Cæſaris Circus. Forum Iulium.

M O N V M E N T I S.] Præcipua monumenta Cæſaris fuerunt Circus, Forum, Amphitheatrum, templum Veneris Genitricis. Plinius lib.36. cap. 15. *Circum maximum à Cæſare Dictatore extructum longitudine ſtadiorum trium, latitudine vnius, ſed cum ædificiis iugerûm quaternûm ad ſedem CCLX. millium* tradit. Et paulò pòſt: *Pyramides rerum miramur opera, cum ſolum tantùm foro extruendo HS millies Cæſar Dictator emerit.* Id eſt, decies centenis millibus Romanorum aureorum: &, vt noſtro modo ſummam faciamus, vicies millies centenis millibus aureorum Gallicorum. Immo Tranquillus cap.26. pluris etiam tradit conſtitiſſe, idque ante bella ciuilia, cùm Cæſar adhuc Gallias obtineret. *Forum de manubiis inchoauit, cuius area HS millies conſtitit.* Dio lib 43. ſignificat ab eodem fuiſſe abſolutum: Τὴν ἀγορὰν, τὴν ἀπ' αὐτοῦ κεκλημένην, κατεσκευάσατο. καὶ ἔστι μὲν περικαλλεστέρα τῆς Ῥωμαίας, τὸ δὲ ἀξίωμα τὸ ἐκείνης ἐπηύξησεν, ὥστε καὶ Μεγάλην αὐτὴν ὀνομάζεσθαι. *Forum Cæſar extruxerat, quod ab ipſo nomen obtinuit, Romano pulchrius: ſed tamen Romani ex eo dignitas aucta eſt, vt Magnum diceretur.* Pergit: Ταύτην τ' οὖν καὶ τὸν νεὼν τὸν τῆς Ἀφροδίτης, ὡς καὶ ἀρχηγέτιδος τοῦ γένους αὐτοῦ οὔσης ποιήσας καθιέρωσεν εὐθὺς τότε. *Forum verò & templum Veneris, quam ſui generis auctorem ferebat, à ſe condita Cæſar ſtatim tunc conſecrauit.* poſt bellum videlicet Africanum. Quanta autem fuerit illius ædis magnificentia, nemo quod ſciam litterarum monumentis conſignatum reliquit. Poſſumus tamen ex eo ſuſpicari, quòd, vt ſcribit Plinius lib. 7. cap. 38. *Octoginta* talentis *emit duas* tabulas *Cæſar Dictator, Medeam & Aiacem Timomachi in templo Veneris Genitricis dicaturus.* Pergit Dio: Θέατρόν τι κυνηγετικὸν ἰκριώσας, ὃ καὶ ἀμφιθέατρον ἐκ τοῦ πέριξ πανταχόθεν ἕδρας ἄνευ σκηνῆς ἔχειν, προσερρήθη. *Theatrum quoque ad venationes aptum ædificauit: quod quia vndequaque habet ſedes, ſcenâque caret, amphitheatrum nominatum eſt.* Sed haud ſcio an illud temporarium fuerit, ac proinde debeátne inter monumenta numerari, quæ vt nomen ipſum indicat, temporaria non fuerunt. Alia etiam maiora, vt ſcribunt Tranquillus cap.44. & Plutarchus, animo deſtinabat: ſed eum talia meditantem mors occupauit.

Templum Veneris Genitricis.

Amphitheatrum.

VIII. Congiarium munus Imperatoris.

C O N G I A R I I S.] Congiarium munus eſt gratuitum Imperatoris, vt ait Seneca 4. de Beneficiis. Diſtinguitur à donatiuo, quod donatiuum in milites, congiarium in plebem erogatur. Tacitus in Annalibus: *Virilis toga Neroni maturata, &c. additum nomine eius donatiuum militi, congiarium plebeiis.* Suetonius in Nerone cap. 7. *Deductus in forum tiro populo congiarium, militi donatiuum propoſuit.* Plinius Panegyrico Traiani: *Niſi verò leuiter attingi placet, locupletatas tribus, datúmque congiarium populo, & datum totum, cùm donatiui partem milites accepiſſent.* Fuit autem congiarium certa pecuniæ largitio. Suetonius in Auguſto cap. 41. *Congiaria populo frequenter dedit, ſed diuerſæ ferè ſummæ: modò quadragenos, modò tricenos, nonnunquam ducenos quinquagenóſque nummos: ac ne minores quidem pueros præteriit, quamuis non niſi ab vndecimo ætatis anno accipere conſueſſent.* E quibus poſtremis verbis obiter intelligas ante Auguſtum, &, vt reor, etiam liberâ Republicâ congiaria populo dari conſueſſe. Rurſum Tranquillus in Tiberio cap. 20. *Prandium dein populo mille menſis, & congiarium trecenos nummos viritim dedit.* Caligula, vt idem auctor eſt cap.17. *Congiarium populo bis dedit trecenos Seſtertios.* Ancyranus à Lipſio & Caſaubono productus, non ſemel congiariorum Auguſti facit mentionem, quibus quadringeni HS. immò ſexageni denarij viritim dati. Adrianus, auctore Spartiano: *Congiarium duplex præſens populo dedit ternis iam per ſingulos aureis ſe abſente diuiſis.* Sed de hac Imperatorum liberalitate plura diximus in Sextianam §.55. Nota 6. Quod ſpectat ad Iulij Cæſaris congiaria, Tranquillus cap. 38. *Populo præter frumenti denos modios, ac totidem olei libras, trecenos nummos quos pollicitus olim erat, viritim diuiſit, & hoc amplius centenos pro mora.* quod centum drachmis æſtimatur à Dione, mnâ vnâ Attica ab Appiano. Congiarium autem dicitur à congio, genere quodam menſuræ liquidorum, quæ ſextarios ſex capiebat. Inuenio tamen congiarium dici priuatorum munus. Martialis lib. 3. epig.7.

Congiarium datū populo.

Donatiuum militi.

Congiarium priuatorum.

Centura miſelli iam valete quadrantes
Ante ambulonis congiarium laſsi.

Vide Tranquillum in Iulio, cap.27.

IX. Epulæ Cæſaris.

E P V L I S.] De epulis à Cæſare Dictatore toti populo exhibitis, ita Plutarchus: Ἑστιάσας μὲν ἐν δισμυρίοις καὶ δισχιλίοις τρικλινίοις ὁμοῦ σύμπαντας. *Epulo excipiens bis mille ducentis tricliniis vniuerſos.* Dio lib.43. Τόν τε δῆμον λαμπρῶς εἱστίασε, καὶ σῖτον ἔξω τοῦ τεταγμένου καὶ ἔλαιον προσέδωκεν αὐτῷ. *Magnificum populo epulum dedit, addito extra ordinem frumento oleóque.* Plinius lib.9.cap.55. *Muranarum viuarium priuatim excogitauit C. Hirtius ante alios, qui cœnis triumphalibus Cæſaris Dictatoris ſex millia numero muranarum mutuò appendit. Nam permutare quidem pretio noluit, aliáve merce.* Et lib.14. cap.15. *Quid? non & Cæſar Dictator triumphi ſui cœnâ vini falerni amphoras, Chij cados in conuiuas diſtribuit? Idem Hiſpanienſi triumpho Chium & Falernum dedit. Epulo verò in tertio conſulatu ſuo, Falernum, Chium, Leſbium, Mamertinum: quo primùm tempore quatuor genera vini appoſita fuiſſe conſtat.* Tranquillus in Iulio cap. 38. *Adiecit epulum ac viſcerationem, & poſt Hiſpanienſem victoriam, duo prandia: Nam cùm prius parce, neque pro liberalitate ſua prabitum iudicaret, quinto pòſt die, aliud largiſsimum præbuit.* Viſceratio autem fuit crudæ carnis diſtributio. Seruius: *In Albano Latinis populis viſceratio dabatur.* id eſt, caro victimæ, vt conſtat è Dionyſio Halicarnaſſeo, Liuio, ipſo Cicerone. Varro: *Latinæ feriæ dies conceptus, dictus à Latinis, quibus ex Albano monte ius fuit carnem cum Romanis petere.* Gloſſarium: Viſceratio. ἀρτόκρεως. vnde Perſius:

Viſceratio quid?

-Oleum artocreáſque popello.

In altero tamen gloſſario viſceratio cum epulo confunditur, & tam hæc quàm illud vno εὐεργεσίας nomine continetur.

X.

L E N I E R A T.] Imò, ſi Dionem audimus, exaſperauerat. Ἔσχε οὖν καὶ ἐπὶ τῷ πλήθει τῶν φονευομένων αἰτίαν, ὅτι μήτ' αὐτὸς διακορὴς σφῶν ἐγεγόνει, καὶ τῷ δήμῳ τὰς τῶν οἰκείων κακῶν εἰκόνας ἐπεδείκνυε· πολὺ δὲ δὴ μεῖζον ὅτι ἀμύθητα χρήματα ἐς ποιητὰ

ἐκεῖνα ἀνάλωσεν· ὡς καὶ καθ' ἑκάτερον ἐπικαβοᾶσθαι ὅτι ἀδίκως αὐτῶν τὰ πλείω συνελέξατο, καὶ ὅτι ἐς τὰ τοιαῦτα αὐτοῖς κατεχρήσατο. *Cædes in iis ſpectaculis vitiis Cæſari verſæ ſunt, quod nondum ipſis ſatiatus eſſet, quódque populo malorum ſuorum imagines ante oculos repræſentaret: hoc verò longè maiorem ei inuidiam conflauit, quòd in hæc ſumptus immenſos feciſſet: itaque ad ſingula acclamabant, eum iniuſtè maximam harum pecuniarum partem quæſiniſſe, quibus in huiuſmodi res abuteretur.* Quòd autem Noſter vtitur verbo *leniendi*, videtur multitudinem cum bellua, quæ cicuratur, & obſequio manſueſcit, conferre. Siquidem plebs

Bellua multorum eſt capitum.

Nec aliud genus tranſlationis vſurpat pro Milone 96. *Infimam multitudinem, quæ P. Clodio duce fortunis veſtris imminebat, eam quo tutior eſſet vita veſtra, ſe feciſſe commemorat, vt non modò virtute flecteret, ſed etiam tribus ſuis patrimoniis deliniret.*

Invsta.] Indicat publicam ſeruitutem ad inuſtionem frontis alludens, de qua nos in Piſonem.

Occasionis.] Occaſio, inquit Feſtus, eſt opportunitas temporis caſu quodam prouenientis. vide Notas noſtras in Milonianam §.39.

AXIOMATA.

Præmiis amici, etiam aduerſarij clementiæ ſpecie deuinciuntur.

E malis & aliorum iniuriis hoc boni eſt, quòd diſcimus quantum cuique credere, quibus nos committere, à quibus cauere debeamus.

ARGVMENTVM.

Antonium obteſtatur, vt redeat ad meliorem frugem, maiorúmque ſuorum exemplo Rempubl. tueatur, ſéque Reipub. non defuturum eſſe profitetur, quantumuis eam Antonius oppugnet.

XCIX. Respice, quæſo, aliquando Rempub. Marce Antoni, quibus ortus ſis, non quibuſcum viuas, conſidera: mecum, vt voles, cum Repub. redi in gratiam. Sed de te tu videris: ego de me ipſo profitebor: defendi Rempub. adoleſcens, non deſeram ſenex: contempſi Catilinæ gladios, non pertimeſcam tuos.

EXPLANATIO.

Respice, qvæso.] Redi ad te ipſum, & reflecte oculos ad Rempub. quæ tuis ſceleribus in amittendæ libertatis periculum adducta eſt. addit *aliquando*, quaſi dicat ſatius eſt ſerò quàm nunquam ad bonam frugem & Reip. curam te conuertere.

Qvibvs ortvs sis.] Conſidera maiorum tuorum virtutem, vt eam imiteris. Maximè autem illius Marci Antonij Oratoris aui tui, qui patriam vnicè diligebat, aut ipſius etiam Herculis, à quo dicitur gens Antoniorum fuiſſe propagata.

Non qvibvs cvm vivas.] Cum Sexto Clodio, Muſtela, Saxa, Frangone, cæteríſque peſtibus ciuitatis, qui ſuam domum nullam habent, tuam exhauriunt.

Mecvm, vt voles.] Id relinquo tuæ optioni, vt vel mihi reconcilieris, vel inimicitias mecum exerceas: at illud à te peto, & pro Reipub. iure flagito, vt reconcilieris Reipub. eámque non ſolùm non oppugnes, ſed omni ratione tuearis.

Se de te ipse.] Pulchrè finem impoſiturus orationi ſuę, ab Antonio redit ad ſeipſum, ſéque non defuturum Reip. profitetur.

Defendi Rempvb. adolescens.] Prima quidem adoleſcētia, vt ſcribit Plutarchus, ſtipendia meruerat, rémque publicam defenderat: Opinor tamen auxeſi Rhetorica nomine adoleſcentiæ intelligendam eſſe ætatem conſularem, vt ſuprà Antonius in Tribunatu dictus fuit adoleſcens 41. §. & Brutus & Caſſius §. 96. adoleſcentes dicti, quamuis ætatem prætoriam, id eſt, annum trigeſimum nonum attigiſſent. Quid ni igitur & ætatis conſularis, annus videlicet primus & quadrageſimus, adoleſcentiæ nomine cenſeatur. Notanda ſunt autem hîc iſocola, quibus tota concinnata eſt oratio.

NOTÆ.

Qvibvs ortvs sis.] Hortatur à maiorum exemplo, & pudorem iniicit, quòd Antonius eorum virtuti non reſpondeat, vt Agamemnon Diomedi Iliados δ´ ver.372. I.

ΟΥ μὲν Τυδέϊ γ' ὧδε φίλον πτωσκαζέμεν ἦεν,
Ἀλλὰ πολὺ πρὸ φίλων ἑτάρων δηΐοισι μάχεσθαι.
Non ita terrori Tydeus ſuccumbere norat,
Sed longè ante alios certamina Martis inire.

Et enarratis rebus ab eo fortiter geſtis, ita concludit, verſu 400.

Τοῖος ἔην Τυδεὺς Αἰτώλιος· ἀλλὰ τὸν υἱὸν
Γείνατο εἷο χέρεια μάχῃ, ἀγορῇ δέ τ' ἀμείνω.
Talis erat Tydeus Ætolius ille: ſed armis
Peiorem natum, meliorem voce creauit.

Et Priamus Pyrrho 2. Æneidos:

At non ille, ſatum, quo te mentiris, Achilles
Talis in hoſte fuit Priamo, &c.

Antonios autem ad Herculem ipſum ſuam originem retuliſſe, iam ex Plutarcho notauimus pro Milone 41. vide etiam ſuprà 12. de maternis Antonij maioribus.

Non qvibvscvm vivis.] Eadem penè aurâ Philoctetes apud Sophoclem cùm Neoptolemo patris virtutem non ſine exprobratione degeneris animi, in memoriam reuocaſſet. II.

Οἶ' ἔργ' ὁ παῖς μ' ἔδρασεν οὑ'ξ Ἀχιλλέως.
Quantis me Achille genitus affecit malis.

aliquantò

aliquantò pòſt culpam reiicit in eos quibuſcum viuebat:

Οὐκ εἶ κακὸς σύ, πρὸς κακῶν δ' ἀνδρῶν μαθὼν
Ἔοικας ἥκειν, αἰσχρά.-
Non es malus, ſed à malis doctus mala
Videris huc venire.-

MECVM VT VOLES.] Illuſtrat hunc locum Achilles Statius Obſeruationum cap. 27. verbis Papyrij apud Liuium lib. 8. *Mecum, vt voles, reuerteris in gratiam, populo Romano, cui vitam debes, nihil maius praſtiteris, quàm ſi hic tibi dies ſatis documenti dederit, vt bello & penè pactè legitima imperia poßis.* Terentius Hecyra actu 5. ſc. 1. *Noſtra vtere amicitia, vt voles.*

AXIOMA.

Nobiles frequenter conſiderare debent à quibus orti ſint, non quibuſcum viuant.

ARGVMENTVM.

Concludit orationem mortis contemptum præ ſe ferens, duobus votis conceptis pro ſalute Reipub. ne odio priuato potiùs quàm amore patriæ inſectatus Antonium eſſe videatur.

QVINETIAM corpus libenter obtulerim, ſi repræſentari morte mea libertas ciuitatis poteſt: vt aliquando dolor populi Romani pariat, quod iamdiu parturit. Etenim ſi ab hinc annos propè viginti hoc ipſo in templo negaui poſſe mortem immaturam eſſe Conſulari, quanto veriùs nunc negabo ſeni? Mihi verò, P. C. iam etiam optanda mors eſt, perfuncto rebus iis, quas adeptus ſum, quáſque geſſi. Duo modò hæc opto. vnum, vt moriens populum Romanum liberum relinquam: hoc mihi maius à Diis immortalibus dari nihil poteſt: alterum, vt ita cuique eueniat, vt de Repub. quiſque mereatur. C.

EXPLANATIO.

QVIN ETIAM.] Commodè Lambinus particulam vnam interſerit. *Quinetiam corpus libenter eis obtulerim.* Id eſt, adeò gladios tuos non pertimeſco, vt etiam corpus gladiis tuis offerre paratus ſim, ea tamen conditione, vt morte mea repræſentari ſiue rurſum præſens exhiberi poſſit intermiſſa libertas Romanæ ciuitatis.

VTINAM ALIQVANDO.] Idem qui ſuprà Lambinus, ita legendum arbitratur. *Libertas ciuitatis poteſt, vt aliquando,* &c Hoc ſenſu. paratus ſum gladiis tuis interfici, vt dolor populi Romani, quem ex libertatis amiſſione ſuſcepit, recrudeſcat mea morte proritatus & exacerbatus, tibique tandem mortem importet, vt iam diu molitur. voces autem ἀπὸ γυναικῶν deriuat à mulieribus prægnantibus. Populus Antonij mortem iamdiu concepit, eámque, vt mulier prægnans fœtum eniti, ſic executioni mandare deſiderat: pariet cùm eam re ipſa exequetur.

ETENIM.] Hactenus à fructu quem ſperabat è morte ſua prouenturum, oſtendit ſe vitam contemnere: nunc ab antecedentibus idem probat.

NEGAVI POSSE.] Orat. 4. in Catilinam: *Si quid obtigerit, æquo animo paratóque moriar. Neque enim turpis mors forti viro poteſt accidere, neque immatura Conſulari, nec miſera ſapienti.* Habita fuit illa oratio in templo Concordiæ.

MIHI VERÒ.] Ab honoribus, rebúſque, præterita ætate, geſtis, demonſtrat mortem ſibi non ſolùm non timendam, ſed etiam optandam eſſe.

QVAS ADEPTVS SVM.] Quæſturam, Ædilitatem, Præturam, Conſulatum, Proconſulatum Ciliciæ, auguratum, ſupplicationes duas meo nomine decretas, nomen Imperatoris primi omnium Oratoris famam, gloriam, & dignitatem, honorem etiam triumphi niſi reditus meus è Cilicia in ipſam belli ciuilis flammam incidiſſet.

QVASQVE GESSI.] Maximè in Conſulatu, & Proconſulatu Ciliciæ. De rebus à ſe geſtis in Conſulatu paſſim, de adminiſtratione Ciliciæ bellicíſque eius victoriis lib. 15. ex 2. & 4. Item lib. 5. & 6. ad Atticum.

DVO MODO.] Claudit orationem cum voto duplici, vt moriens Rempub. liberam relinquat à tyrannide Antonij, &, vt boni ciues ſint florentes & beati; ſeditioſi verò & oppreſſores publicæ libertatis meritas ſcelerum ſuorum pœnas exoluant.

NOTÆ.

CORPVS MEVM LIBENTER.] Eadem à Dione lib. 55. loquens inducitur: Οὔτε γὰρ ἄλλως τὸν θάνατόν ποτε τὸν ἐκ τῆς παῤῥησίας ἐφοβήθην, &c. νῦν δὲ καὶ ἥκιστα· καὶ ὁ μὲν γὰρ θάνατος οὐκ ἂν ἄωρος, ἄλλως τε καὶ περὶ τοσούτων ἐτῶν ὑπατευκότι μοι γένοιτο. καί τοι μνημονεύετε ὅτι τοῦτο καὶ ἐν αὐτῇ τῇ ὑπατείᾳ ὑμῖν εἶπον, &c. *Cúmque in libertate dicendi ſeruanda nunquam mortem reformidauerim, &c. iam minimè eam extimeſco, non immaturam mihi, qui ante tot annos Conſul fui, futuram.* Paulò pòſt: Τὸ δὲ δὴ λέγοντά τι καὶ πράττοντα ὑπὲρ ὑμῶν ἀποθανεῖν, ἰσοστάσιον ἀθανασίᾳ ἄγω. *Mori pro vobis omnia & dicentem & facientem, immortalitati comparo.*

REPRÆSENTARI.] Repræſentare, vt aiunt Iuriſconſulti, eſt ante tempus ſoluere. Vlpianus D. de tranſact. l. *Cùm hi.* §. 6. *Idcirco fit vt quis repræſentatam pecuniam conſumat.* Cic. lib. 12. ad Attic. epiſt. 25. *Vſuram Silio pendemus, dum à Faberio vel aliquo qui Faberio debet, repræſentabimus.* epiſt. 28. *Si qua enim iactura facienda ſit in re-* 11.

Repræſentare quid? *præſentando.* Rurſum epiſt. 30. *Si enim Faberianum venderem, explicare vel repræſentatione non dubitarem.* Et epiſtola ad Tironem 24. *A Flamma ſi non potes omnem, partem aliquam velim extorqueas: in oprimis vt expedita ſit penſio Calendis Iannariis. De attributione conficies, de repræſentatione videbis.* Quibus verbis vt certum repræſentare pecuniam idem eſſe atque pecuniam ipſam, non tantùm imaginariam eius ſpeciem præſentem exhibere, ita non conſtat ſitne idem quod ante tempus ſoluere, ſiue diem ſolutionis occupare. Clariùs Seneca epiſt. 105. *Petis à me vt id quod in diem ſuum dixeram debere differri, repræſentem,* &c. Vide Marcellum Iuriſconſultum D. de condit. & demonſt. lege 36. vbi inter cætera. *Verba quidem videntur repræſentare fidei commiſſum, ſed non eſt veriſimile, vt maturiùs voluerit teſtatrix ad ſubſtitutos id transferre.* Et ſanè hoc loco repræſentare libertatem non eſt imaginem quamdam & ſpeciem libertatis, ſed libertatem ipſam exhibere, & id maturiùs quàm exhibenda fuiſſe videatur. hoc ſenſu: Certum eſt quidem fore, vt libertas aliquo tandem tempore reſtituatur ciuitati, etiamſi mortem non oppetiero pro Rep. id tamen primo quoque tempore fieri tam ardenter expeto, vt non dubitem corpus meum obiicere gladiis Antonij, dummodo morte mea libertas repræſentetur, & ante diem reſtituatur Reipubl. diéſque reſtitutionis illius occupetur. Frequenter tamen idem eſt atque rem ipſam præſentem exhibere. Tertullianus de reſurrect. carnis cap. 17. *Simplicior quiſque fautor ſententiæ noſtræ putabit carnem, idcirco repræſentandam eſſe iudicio, quia aliter anima non capiat paſſionem tormenti ſeu refrigerij.* Item. *De ſuo ſufficiet ad facultatem paſſionis & ſenſus, vt non egent repræſentatione carnis.* Et alibi paſſim, vt videbis, vel in indice Iacobi Pammelij.

III. Partvrit.] Tranſlatio à mulieribus grauidis ſiue prægnantibus, quæ conceptum in præcordiis fœtum parere cupiunt & emittere. quo tranſlationis genere & animo concipere dicimur, & cogitationes τὰ ψυχῆς κυήματα, tum apud Triſmegiſtum, tum apud alios paſſim. & Plato in Theæteto: Ὠδίνεις γάρ, ὦ φίλε Θεαίτητε, διὰ τὸ μὴ κενὸς, ἀλλ' ἐγκύμων εἶναι. *Parturis, ô amice Theætete, quod non ſis inanis, ſed grauidus.* Vbi Socrates ſe filium obſtetricis, & obſtetricari animis iuuenum dicit, & inter cætera. Πάσχουσι δὲ δὴ οἱ ἐμοὶ συγγιγνόμενοι καὶ τοῦτο ταὐτὸν ταῖς τικτούσαις. ὠδίνουσι γὰρ καὶ ἀπορίας ἐμπίμπλανται νύκτας τε καὶ ἡμέρας πολὺ μᾶλλον ἢ ἐκεῖναι· ταύτην δὲ τὴν ὠδῖνα ἐγείρειν τε καὶ ἀποπαύειν ἡ ἐμὴ δύναται τέχνη. Parturire animo. Vide fusè.

Dvo modò hæc opto] Eodem modo Demoſthenes votis concludit orationem de corona: Μὴ δῆτ', ὦ πάντες θεοὶ, μηδεὶς ταῦθ' ὑμῶν ἐπινεύσειεν· ἀλλὰ μάλιστα μὲν καὶ τούτοις βελτίω τινὰ νοῦν καὶ φρένας ἐνθείητε. Εἰ δ' ἄρα ἔχουσιν οὕτως ἀνιάτως, τούτους μὲν αὐτοὺς καθ' ἑαυτοὺς ἐξώλεις καὶ προώλεις ἐν γῇ καὶ θαλάττῃ ποιήσατε· ἡμῖν δὲ τοῖς λοιποῖς τὴν ταχίστην ἀπαλλαγὴν τῶν ἐπηρτημένων φόβων δότε καὶ σωτηρίαν ἀσφαλῆ. *Ne verò, ne, ô Dij immortales, quiſquam iſta veſtrûm annuat: ſed imprimis iſtis etiam meliorem mentem atque animum date. Sin omnino ita ſunt inſanabiles: tum ad internecionem funditus terra maríque delete: tum nobis cæteris, quamprimùm impendentibus terroribus ademptis ſalutem cum ſecuritate concedite.* Et nos pariter haſce lucubrationes, cum voto finiamus, vt ſi quid in his boni fuerit, id omne Deo bonorum omnium fonti referatur acceptum: Quicquid autem erroris obrepſit, id imbecillitati quidem meæ tribuatur, ſed non idcirco candidus lector offendatur. II.

-maculis quas aut incuria preceps
Aut humana parum cauit prudentia.

FINIS.

INDEX
RERVM ET VERBORVM
IN POSTERIOREM PARTEM COMMENTARIORVM P. NICOLAI ABRAMI
Societ. Ieſu, in Orationes Ciceronis.

Prior numerus §. *ſignificat* , *poſterior Notam.*

A

A Littera abſolutionis. Mil. 15.4.
Abſens damnari non poteſt. 2. Philip. 46.1.
Abſtinentia ciborum in luctu. Mil. 87.5.
Abuti. Mil. 6.11.
Acceſſio. Rab. 30.1.
Acetabulum. Rab. 21.1.
Acies. Lig. 16.4.
Accubitus. Deiot. 9.2.
Accuſare Deos crudelitatis. Mil. 88.1.
Accuſator quos de ſua domo produxerit ad quæſtionem non vocandi. Mil. 60.2.
Accuſatoris & rei ſubſellia. Mil. 8.5.
Addicere. 2. Philip. 41.4.
Addicere, deuouere. Mil. 57.3.
Admirari. Deiot. 11.2.
Admiſſio, admiſſionales. Marc. 7.7.
Admiſſionum varietas. 2. Philip. 35.1.
Admouere & flagitare. Marc. 14.3.
Adoleſcens. Mil. 9.9.& 2. Philip. 96. 2.
Adoleſcentes, Iuuenes. 2. Philip. 41.2.
Adoleſcentiæ ſpes. 2. Philip. 33. 4.
Adoleſcentulos mos deducendi ad viros graues ſumpta virili toga. 2. Philip. 3. 6.
Adulatio ſpecies libertatis. Lig. 5. 8.
Ædes Lepidi. Mil. 13. 9.
penes Ædiles curules erat procuratio ſacrificiorum. Mil. 86.4.
Ædiles plebeij miniſtri Tribunorum. 2. Philip. 42.3.
Ædium Romanorum amplitudo. Mil. 13.9.
Ægyptia lintea. Rab. 37.4.
Ægyptiæ chartæ. *ibid.*
Ægyptiorum fallaciæ. Rab. 30.7.
Ælia gens. Lig. 7.5.
Æliorum continentia. *ibid.*
Æliorum nobilitas. Lig. 3.
Æmulatio, Imitatio. Marc. 11. 6.
Æmulatio ſine Imitatione. *ibid.*
Æmulationis vtilitas. *ibid.*
Ænigma de anno. Rab. 21. 1.
Ænigma de literis. 2. Philip. 7.1.
Ænobarbi vnde? Mil. 22.1.
Æqualitas mater concordiæ. Lig. 20.7.
Æquitas animi. Marc. 25.2.
Ærarij anguſtiæ quando maximæ. 1. Philip. 16. 6.

ÆS.

Æs alienum. 2. Philip. 33. 1.
Æs alienum Antonij. 2. Philip. 32.1.
Æs caldarium. Rab. 16.1.
Æs coronarium. *ibid.*
Æs & libra. 2. Philip. 39. 4.
Æſchines obſcœnus. 2. Philip. 31.1.
Æſtimatio nummorum quot modis mutari poſſit. Pro Rab. Poſtumo 21.1.
Æſtimator rerum iniuſtus. Marc. 15.3.

ÆTAS.

Ætas exacta. Deiot. 17. 6.
Ætas militaris. Deiot. 22. 3.
Ætatis æqualitas amicitias conciliat. Lig. 20.7.
Ætatis gradus. 2. Philip 41. 2.
Affinitatis gradus. 2. Philip. 13. 2.
Africani minoris cædes. Mil. 16.9.
Age particulæ conſtructio. Mil. 16. 1.
Ἀγλαὸς quaſi inclytus. Mil. 17. 1.
Agmen quadratum. 2 Philip. 91. 1.
Agri immunes. 2. Philip. 29. 5.
Agri Siciliæ an omnes fuerint decumani. *ibid.*
Albanus lacus. Mil. 86. 9.
Albanus mons. Mil. 86. 6.
Albus an ater. 2. Philip 27. 4.
in Aleæ iactu canicula infelix. 2. Philip. 57. 8.
Alexandrini præſtigiatores. Rab. 30. 6.
Alexandrinorum leuitas. Rab. 30. 5
Alexandrinorum ſcurrilitas & malignitas. *ib.*
Alphonſus Neapolitanus vinum cæteris omnibus anteponit. 2. Philip. 51. 3.
Amatores pecudes. Mil. 56. 6.

AMBITIO.

Ambitio. 1. Philip. 29. 1.
Ambitio auaritiæ. Mil. 43. 2.
Ambitio iniuſta Cæſaris. Lig. 5. 8.
Ambitionis dæmon atque pictura. Mil. 43. 2.
Ambitionis timiditas. *ibid.*
Ambitionis vis. *ibid.*
Ambitioſi ſollicitudo. *ibid.*

AMICITIA. AMICVS.

Amicitiarum quatuor genera. Mil. 21. 6.
Amicitias conciliat ætatis æqualitas. Lig. 20.7.
Amicitias vulgus vtilitate probat. Mil. 32. 4.
Amicus. 2. Philip. 25. 2.
Amicus ante neceſſitatem pericli tandus. Mil 70. 3.
Amicus certus in re incerta cernitur. *ibid.*

Amicum eſſe multis, difficile. Mil.21. 6.
Amici multi ſecũdis reb. pauci aduerſis.41. 3.
Amici temporis. Mil. 70. 3.
Amicorum fides infida. Mil.70. 2.
Amicorum fugæ in aduerſis. Mil.70.3.
Amicorum nomen in teſtamento non reperiri fuit ignominioſum. 2. Philip. 27.1.
Amicorum non expectandæ hæreditates. *ibid.*
Amicorum ſimulationes. Mil.70.3.
vtrum Amicos plus nobis ipſis diligere debeamus. Mil.1.1.
Αμυντήεια. Mil. 58. 5.
Amneſtria. 1 .Philip.1. 5.
Amœnitas cãpi Martij & amplitudo.Mil.42.1.

Amor.

Amor animum aliò traducit. Mil. 4. 1.
Amor duplex. 2. Philip. 31.5.
Amor ignis. 2. Philip. 32. 9.
Amor iudicium impedit. Marc. 30. 4.
Amor nihil timet. Mil.70. 6.
Amor quid? *ibid.*
Amor Tuberonis in Remp. Lig. 11. 6.
Amor tuta timet. Marc. 21. 7.
Amoris libertas. Mil. 76.
Amoris remedium exilium eſt.2. Philip.32.2.
Amphitapæ. 2. Philip. 57.12.
Amphitheatrum. 2.Philip.98.7.
Amplificandi modus. 2.Philip. 57. 3.
Amplitudo. Lig.12. 3.
Ancilla. Mil. 28.7.
Anculare. *ibid.*
Anculi dij. *ibid.*
Ανδρεωνῖτις. 2. Philip. 80.4.
Angor. Marc. 2.1.& 35.1.

Anima.

Anima ventus. Mil. 49.7.
ex Anima diuinitas oſtenditur. Mil. 85.1.
de Anima philoſophorum opiniones. *ibid.*
Animæ & animi diſtinctio. 2. Philip. 33.5.
de Animæ immortalitate Philoſophorum opiniones. Marc. 30 8.
Animam exhalare. Mil. 49.7.
Quo ſenſu dixerint Platonici animam mortalem, animum immortalem. 2. Philip. 33. 5.

Animvs.

Animus. Marc. 8. 6.
Animus cum arcu cõparatus. 2. Philip. 36.4.
Animus auxiliatur rationi. 2. Philip.33.5.
Animus, mens. *ibid.*
Animus regius. Deiot. 10.7.
Animum frangit remiſſio, arcum intenſio. 2. Philip. 26.4.
Animi æquitas. Marc. 26. 4.
Animi æquitas Sancti Ignatij. Marc. 26. 2.
Animi & animæ diſtinctio. 2. Philip. 33. 5.
Animi latebræ. Marc. 23.1.
Animi mens. 2. Philip. 33. 5.
Animi receſſus. Marc. 23.1.
Animi remiſſio. 2. Philip. 26.4.
Animi ſedes ſecundum diuerſos Philoſophos. Marc. 23.1.
Ανήκεςον. Mil. 60.4.
Annonæ præfectus. Marc. 7.3.
Annulorum aureorum ius. Mil. 58.1.
Anteſignani. 2. Philip. 60. 4.
Anteſtari. Mil. 69.7.
Antiquum & ſtultum. 1. Philip.25. 5.

Antonivs.

M. Antonius Creticus helluo. 2. Philip. 30.4.
Antonius cuſtodes obtinuit à Senatu. 2. Philip. 15.5.
Antonius leones ſubiugauit ante & poſt pugnam Pharſalicam, etiam poſt mortem Ciceronis. 2. Phili. 48.8.
Antonius orator an à Mario, an à Cinna necatus. 1. Philip. 34. 3.
Antonius quando augur factus. 2. Philip.4.7.
Antonij liberalitas. 1. Philip. 31. 5.
Antonij nobilitas. Mil.41. 3. 2. Philip. 12. 7.
Antonij oratio funebris. 2. Philip. 76. 7.
Antonij ſtupor. 2. Philip. 21. 1.
Antonij vinolentia. 2. Philip. 21. 2.
Apega Nabidis. Mil. 58. 5.
Αποπνεῖν. Mil. 49. 7.
Apothecæ. 2. Philip. 57. 7.
Appellare debitorem. 2. Philip. 61. 5.
Appia via latrociniis infamis. Mil. 51.1.
Appianus defenſus contra Manutiũ. Rab.6.2.
Aqua luſtralis. Mil. 66. 2.
Arationes. 2. Philip. 85.4.
Arca robur. Mil 61.3.
Argenti ad æs proportio. Rab. 21. 1.
Αδιήκετος. Mil. 17.1.
Arma & tela. Mil. 11. 2.
inter Arma non eſt legibus locus. Mil. 10. 4.
Arma ſeruis non permittenda. 2. Philip.12.4.
Armorũ genera, ſcutũ, clype9, gladius, framea, rõphæa, ſparus, rumex, lancea. Mil.65.3.4.5.
Armilla Harmiones fatalis. 2. Philip. 9. 3.
Arriani inſolentia. 2. Philip. 8. 5.
Arx, capitolium. 2. Philip. 14. 2.
As argenteus quadraginta æreis æſtimatus. Rab. 21. 1.
As in re nummaria. *ibid.*
As varius. *ibid.*
Aſſis diuiſio. *ibid.*
Aſſis diuiſio in agris. *ibid.*
Aſſis & ſeſtertij duplex conſideratio. *ibid.*
Aſſis partes. *ibid.*
Aſacum. Mil. 81.3.
Aſſidui. Mil. 4. 3.
Ater quid. 2. Philip. 17. 4.
Athei. Mil. 84. 2.
Athei vix vlli ſunt. *ibid.*
Athenienſium lex de iniuriarum obliuione. 1. Philip. 1. 4.
Atrium quid. Mil. 13. 9.
Atrium aula fuit. *ibid.*
Atrium fuit laqueatum. *ibid.*
Atria pluráne fuerint in eadem domo. *ibid.*
Atriorum varij vſus, primus ad ſalutationes, ſecundus ad diſtributionem ſportularum. 3. ad ignem excitandum, 4. ad imagines maiorum ibi collocandas, 5. lectus aduerſus in atrio. 6. tela in atrio tecta. 7. conuiuia in atriis. Mil. 13. 9.
Atrox. Mil. 21. 2.

Avaritia.

Auaritia. 1. Philip. 29. 1.
Auaritia à magiſtratib. quã aliena. Mil.46. 3.
Auaritia cæca. 2. Philip. 81. 4.
Auaritia Dolabellæ. 2. Philip. 90. 3.
Auaritia dominorum nonnullos manumittebat. Mil. 58. 1.
Auctio. 2. Philip. 62. 2.
Auctionem facere. Mil. 57.3.
Auctionis tabula. 2. Philip. 62. 2.
Auctoritas Catonis. 2. Philip. 10. 5.

Auctoritas Pub. Seruilij. 2. Philip. 10. 1.
Auditorum frequētia excitat oratorē. Mil. 1. 6.
Aues præpetes. Mil. 44 3.
Aues remores, inebræ, enebræ, volſgræ. *ibid.*
Aues ſiniſtræ, arculæ cliuiæ. *ibid.*

AVGVR.

Augur in villa publica. Mil. 44. 3.
Augur lectus à Magiſtratibus qui comitiis præerat. *ibid.*
Augur præibat conſuli renuntianti magiſtratum. *ibid.*
Augur quando factus Antonius. 2. Philip. 4. 7.
Augur voce præibat conſuli auſpicanti comitia. Mil. 44. 3.
Augures ſedebant. *ibid.*
Augures tres, quatuor, nouem, quindecim. 2. Philip. 4. 2.
Auguris interrogatio. *ibid.*
in Auguriis ſilentium. *ibid.*
Augurum laterna. *ibid.*
Augurum nominatio. 2. Philip. 4. 2.
Auguria Ciceronis. 2. Philip. 75. 3.
Auguria è cœlo. Mil. 44. 3.
Augurio ſe deuouere. *ibid.*
Auguriorum ritus. *ibid.*
Auguralis trabea & purpura. *ibid.*
Auguraculum. *ibid.*
in Auguratione templi ſtella defixa. *ibid.*
Augustus. Mil. 44. 2.
Aurem vellere. Mil. 69. 7.
Aureus. Rab. 21. 1.

AVRVM.

Aurum Toloſanum. 2. Philip. 9. 3.
Aurum Viceſimarium in ſacratiore ærario ſeruatum. Mil. 58. 1.
Auri ad argentum proportio. Rab. 21. 1.
Auri quando maxima copia. *ibid.*
Auri Seſtertium. *ibid.*
Auſpicia de cœlo ſeruare non licebat comitiis. 2. Philip. 67. 8.
Auſpicia eminentia. 2. Philip. 67. 6.
Auſpicia vſurpata æuo Ciceronis. Mil. 44. 3.
in Auſpiciis vitium. 2. Philip. 67. 6.
Auunculus magnus, maior, maxim. Mil. 16. 5.
Auxilia. Marc. 6. 2.

B

BAllio. 2. Philip. 11. 6.
Balneæ ante epulas. Deiot. 9. 1.
Bambalio. 2. Philip. 76. 4.
βαμβαλίζειν. *ibid.*
Barbam auream gerebant Galli veteres parta victoria. 2. Philip. 23. 3.
Barbari immanes. Mil. 26. 1.
Barbari non eadem lingua vtentes. *ibid.*
Barbari omnes non Græci. *ibid.*
Barbari Phryges. *ibid.*
Baſilicæ. Mil. 38. 4.
Beatius eſt dare beneficium, quàm accipere. Lig. 18. 2.

BELLVM.

Bellum ciuile diuinitus excitatum. Marc. 18. 1.
Bellum ciuile Pompeianum. *ibid.*
Bellum ciuile quàm luctuoſum. *ibid.*
Bellum erumpere. Mil. 64. 5.
Bellum inteſtinum. Marc. 18. 1.
Bellum Parthicum Cæſar animo deſtinarat. 2. Philip. 67. 2.
Bellum, prælium. Marc. 5. 5.
Belli cauſa, belli auſa. 2. Philip. 42. 2.
Belli ciuilis cauſæ. Marc. 18. 1.
Belli ciuilis cladem quàm prudenter Cicero præuiderit. 2. Philip. 24. 2.
Belli ciuilis deteſtatio. Mil. 14. 1.
Belli fortuna anceps. Marc. 15. 4.
Belli indictio. 2. Philip. 1. 4.
Belli indicendi modus. Mil. 88. 3.
Bello ciuili Ciceronis ioca. 2. Philip. 26. 1.
Bello ciuili omnis pax potior. 2. Philip. 24. 4.
Bello fortuna dominatur. Marc. 6. 4.
Bellorum caſus Dei prouidentiæ ſubiecti. Mil. 57. 4.
Bellorum ciuilium atrocitas. Marc. 13. 1.
Bellorū præſides Mars & Minerua. Mil. 57. 4.
Bellicæ rei laus. Marc. 7. 1.

BENEFICIVM.

Beneficium dare quàm accipere beatius eſt. Lig. 18. 2.
Beneficium & iudicium. Marc. 3. 3.
Beneficium fuit maximum petitionem alteri concedere. 2. Philip. 4. 1.
Beneficium latronum. 2. Philip. 5. 4.
Beneficia. Mil. 14. 1.
Beneficia in dominos. Mil. 58. 1.
Beneuolentia ſeptum oportet eſſe non armis. 2. Philip. 95. 2.
Beneuolentiam parit miſericordia. Rab. 19. 2.
Beſtiæ quæ hominem necauerint, quomodo puniantur. Mil. 19. 3.
Beſtiolæ vno die viuentes. Marc. 28. 3.
Bicliniuṁ. Philip. 59. 3.

BONVM.

Bonum aliud verè, aliud apparens. Mil. 32. 2.
Bonum omnes appetunt. *ibid.*
Boni appetitio. *ibid.*
Bona, commoda. Marc. 19. 8.
Bona fortunæ non donantur, ſed commodantur. *ibid.*
Bona mens à Deo. Mil. 89. 1.
Bona vendita damnatorum Rab. 45. 4.
Bonitas, liberalitas. Rab 45. 6.
Bonitatis inſtrumentum diuitiæ. Rab. 3. 3
Brunduſij ſitus. 2. Philip. 51. 1.
Brunduſium Româ longitudo itineris. *ibid.*
Bruti genus. 2. Philip. 19. 1.
Brutorum familia an à L. Bruto propagata. 1. Philip. 13. 3.
Bulla. 2. Philip. 30. 2.
Bulla cordis inſtar. *ibid.*
Bulla cur data pueris. *ibid.*
Bulla fortunæ fuit indicium. *ibid.*
Bulla lentis aut diſci ſpecie. *ibid.*
Buſtuarij & hiſtriones. Mil. 34. 7.
Buſtum. 2. Philip. 90. 2.

C

C Littera damnationis. Mil. 15. 4.
Cadauer ad roſtra ferebatur. Mil. 34. 5.
Cadauer aquis calidis antiqui lauabant. *ibid.*
Cadauer eiectum. *ibid.*
Cadauer linquere. Mil. 34. 13.
Cadaueri locandi ritus. Mil. 34. 5.
Cadauera in veſtibulis poſita. *ibid.*

CÆSAR.

Cæſar. Lig. 1. 2.
Cæſar ad bellum excitatus quibus contumeliis. Lig. 9. 7.
Cæſar bellum Parthicum animo deſtinarat. 2. 2. Philip. 95. 1.
Cæſar & Pompeius inter ſe cōparati. Lig. 10. 4.

Cæſar & Pompeius à pacis conditionibus alieni. Marc. 14. 2.
Cæſar maluit mori quàm timeri & timere. 2. Philip. 95. 1.
Cæſar pacis amator. Lig. 9. 8.
Cæſar quos bello ciuili captos occiderit. Lig. 10. 4.
Cæſar quot occiderit. Marc. 5. 3.
Cæſar quoties conflixerit. *ibid.*
per Cæſarem Iudicia conſtituta. Marc. 24. 2.
Cæſarem necatum conſilio Ciceronis cur Antonius videre voluerit. 2. Philip. 18. 1.
Cæſari honores decreti. Marc. 11. 1.
Cæſari mortuo columna erecta. 1. Philip. 1. 15.
Cæſari qui fuerunt improbi. Lig. 10. 4.
Cæſarianorum contentio. Marc. 5. 3.
Cæſaris ara. 1. Philip 1. 15.
Cæſaris cauſſa deterior quàm Pompeij. Marc. 14. 2.
Cæſaris cauſſa mala. Lig. 10. 4.
Cæſaris celeritas. Marc. 5. 3.
Cæſaris clementia. Deiot. 20. 1.
Cæſaris eloquentia. Lig. 17. Deiot. 3. 4.
Cæſaris epulæ. 2. Philip 98. 9.
Cæſaris & Bibuli conſulatus. 2. Philip. 17. 1.
Cæſaris fortuna. Marc. 19. 4.
Cæſaris humanitas in Ciceronem. Lig. 4. 4.
Cæſaris ingenium. 2. Philip. 98. 1.
Cæſaris iniuſta ambitio. Lig. 5. 8.
Cæſaris literatura. 2. Philip. 98. 3.
Cæſaris monumenta. Marc. 29. 3.
Cæſaris monumenta circus. 2. Philip. 98. 1.
Cæſaris munera. *ibid.*
Cæſaris rapinæ. 2. Philip. 78. 4.
Cæſaris res geſtæ. Marc. 5. 3.
Cæſaris vela in Spectaculis. 2. Philip. 98. 1.

CALCEI.

Calcei & toga. 2. Philip. 64. 4.
Calcei Imperatorum purpurei vel punicei. Mil. 28. 2.
Calcei mullei. *ibid.*
Calcei mullei nigri. *ibid.*
Calcei rubri regum Albanorum. *ibid.*
Calcei Senatorij fuerunt cæteris altiores. *ibid.*
Calcei vncinati. *ibid.*
in Calceis aquilæ.
an in Calceis Iudæi lunulas habuerint. *ibid.*
Calceorum lunula. *ibid.*
Calculi albi & nigri in Iudiciis. Mil. 15. 4.
Calculi Iudiciorum alter ſolidus, alter perforatus. *ibid.*
Calculus Mineruæ. Mil. 8. 5.
Calliditas Demoſthenis. Mil. 33. 1.
Calliditas oratoria ad faciendam fidem in rebus dubiis. *ibid.*
Calliſthenis mors. Rab. 22. 5.
Caluini impudentia. Mil. 33. 1.
Calumnia. Mil. 75. 3.
Calumniatores etiam laudes interſerunt. 2. Philip. 77. 1.
Campi nomen. Mil. 44. 1.
Campus Leontinus. 2 Philip. 29. 4.
Cancellarij. Mil. 74. 5.
Candelæ & cerei in funeribus. Mil. 34. 7.
Candidati. Mil 43. 5.
Candidati ſine tunica *ibid.*
Candidatorum veſtibus creta addita. *ibid.*
Candidatos adiuuare. *ibid.*
Canes cuſtodes. 2. Philip. 32. 2.
Canibus corpora mortuorum lanianda relinquere crudelitatis eſt. Mil. 34. 12.
Caper lac habens. Mil. 95. 1.
Capite cenſi. Mil. 4. 3.
Capitolium, arx. 2. Philip. 14. 2.
in Capitolio fœdera icta. Rab. 6. 6.
Capitolinus cliuus. 2. Philip. 14. 2.
Carinæ. Mil. 87. 5.
Carnificina vltima. Mil. 58 5.
Carpere, decerpere. Marc. 7. 4.
Carpere & detrahere coronam. *ibid.*
Καρπιστής. Mil. 58. 1.
Καρπιστίαι. Mil. 75. 4.
Caſnar. 2. Philip 56. 4.
Sp. Caſſius. 2. Philip 19. 4.
Caſſius naues tradidit Cæſari. *ibid.*
Luc. Caſſij. ſeueritas. Mil. 32. 1.
Caſſiani iudices. *ibid.*
Caſtra. Marc. 31. 2.
Catamitus. 2. Philip. 65. 12.
Cataplus. Rab. 37. 1.
Cato Cn. Domitij erat auunculus. 2 Philip. 19. 8.
Cato probauit Cic. conſulatum. 2. Philip. 10 5.
Catonis auctoritas. Mil 59 1. &c.
Catonis conſtantia. Mil 59. 1.
Cauſſa. Mil. 15 2. Marc. 32. 2 Lig. 16. 2.
Cautio Marc. 21. 6.
Celebrare. Mil. 98. 4.
Cella Concordiæ. 2. Philip. 14. 3.
Cellæ. 2 Philip. 57 13.
Cenſus equeſtris. Rab. 21. 1.
Centies. *ibid.*
Centuria. Mil. 3. 1.
Centurio. Marc. 7. 2.
Centuſſis. Rab 21. 1.
Cerimoniæ. Mil. 60. 7.
Calci. Rab. 21. 1.
Charondas ſeipſum interfecit, quod imprudens gladium in forum intuliſſet. Mil. 19. 2. 3.
Charonitæ 1 Philip. 24. 1.
Chartæ Ægyptiæ. Rab 37. 4.
Charybdis. 2. Philip. 57. 1.
Charybdis vorax. *ibid.*
Chlamys. Rab. 26. 3.
Ciborum abſtinentia in luctu. Mil. 87. 5.

CICERO.

Cicero abhorrens ab obſcœnitate verborum. 2. Philip. 3. 1.
Cicero aptus ad omne genus diſciplinæ. 2. Philip. 15. 4.
Cicero Cæſari amicus. 2. Philip. 17. 2.
Cicero cauit concordiæ publicæ. Marc. 14. 5.
Cicero concordiæ & paci ſtuduit. 2. Philip. 17 3.
Cicero cuſtodes ſibi adhibebat. 2. Philip. 75. 3.
Cicero defenſus contra Dionem & Plutarchum. Marc. 14. 9.
Cicero equeſtre nomen ſtabiliuit. Mil. 95. 3. & 4. 3.
Cicero iactator eloquentiæ. 2. Philip. 11. 4.
Cicero Imperator. Lig. 4. 3.
Cicero in alienis laudibus liberalis. 2. Philip. 8. 1.
Cicero in iactanda eloquentia moderatus. 2. Philip. 11. 4.

Cicero in iactanda eloquentis moderatior ipſo Demoſthene. 2. Philip. 17. 2.
Cicero præſidium petiuit in cauſſa Milonis, & cur timuerit. Mil. 2. 1.
Cicero qualis poëta. 2. Philip. 15. 4.
Cicero quàm prudenter belli ciuilis cladem prouiderit. 2. Philip. 24. 2.
Cicero quas hereditates adierit. 2. Philip. 27. 2.
Cicero ſe laudauit vt ſe defenderet. 2. Philip. 8. 1.
in Ciceronem humanitas Cæſaris. Lig. 4. 3.
Ciceronis acta poſt pugnam Pharſalicam. 2. Philip. 5. 2.
Ciceronis Auguria. 2. Philip. 75. 3.
Ciceronis faſces laureati Lig. 4. 3.
Ciceronis ioca bello ciuili. 2. Philip. 26. 1.
Ciceronis literæ Imperio Rom. magnam laudem attulerunt. 2. Philip. 15. 4.
Ciceronis verſus. *ibid.*
Circumſcribere. Mil. 89. 2.
in Circo Popæ & Aruſpices. Mil. 66. 2.
Ciſium. 2. Philip. 65. 5.
Clamores concionum. Mil. 46. 3.
Clarus. Mil. 17. 1.
Clariſſimi. *ibid.*
Clariſſimatus dignitas. Mil. 40. 1.
Claritatis & gloriæ diſtinctio. Marc. 27. 4.
Claſſis clypeata. Marc. 6. 3.
Claſſis procincta. *ibid.*
Clauis adempta repudiatis. 2. Philip. 59. 8.
Clauis data nouis nuptis. *ibid.*
Clauis ſignum fidelitatis & cuſtodiæ. *ibid.*
Clementia diuinum quoddam. Marc. 8. 9.
Clementia facit nos ad Deum proximè accedere. Lig. 22. 2.
Clementia quid? Deiot. 24. 5.
Clementiæ laus. Marc. 7. 1.
Clodius an fuerit vnus è coniuratis. Mil. 38. 3.
Clodij & Pompeij reconciliatio. Mil. 21. 1.
Clodij ſeditiones. Mil. 39. 1.
de Cœlo ſeruare auſpicia. 2. Philip. 67. 7.
de Cœlo non licebat comitiis ſeruare auſpicia. *ibid.*
Cohors. Mil. 3. 1.
Colere. 2. Philip. 37. 1.
Collegium. 2. Philip. 4. 2.
Colles Ioui conſecrati. Mil. 86. 5.
Coloniarum vexilla 2. Philip. 86. 3.
Columna mortuo Cæſari erecta. 1. Philip. 1. 15.
Columnæ Deorum. *ibid.*
Columnæ ſepulchris impoſitæ. *ibid.*
Columnæ, virgæque pro Deo cultæ. Mil. 39. 3.
Comitiis Conſulum tributim vocatus populus Mil. 25. 2.
in Comitiis ſeditiones. Mil. 24. 2.
in Comitiis vexillum. Mil. 68. 2.
Comitiorum tempeſtates. Mil. 5. 3.
Committere. Mil. 69. 2.
Commodare. Marc. 19. 9.
Communia priuatis præferenda. Mil. 1. 1.
Concionum clamores. Mil. 46. 3.
Concordiæ cauere eſt boni Senatoris. 1. Philip. 16. 1.
Concordiæ cella. 2. Philip. 14. 3.
Concordiæ Cicero ſtuduit. 2. Philip. 17. 3.
Concordiæ mater æqualitas. Lig. 20. 7.
Concordiæ publicæ Cicero cauit. Marc. 14. 1.
Concordiæ templa. 2. Philip. 94. 6.
Conculcare. 2. Philip. 47. 2.
Conditio. 2. Philip. 83. 3.
Confidentia. 2. Philip. 87. 3.
Congiarium Marc. 24. 7.
Congiarium datum populo. 2. Philip. 98. 8.
Congiarium donatiuum militi. *ibid.*
Congiarium munus Imperatoris. *ibid.*
Congiarium priuatorum. *ibid.*
Congruere. Marc. 16. 1.
Connubia patriciorum data plebeiis. Mil. 4. 3.
Conquiſitiones. Mil. 68. 1.
Conſcendere 1. Philip. 7. 5.
Conſcientiæ bonæ fructus & ſecuritas. Mil. 63. 2.
Conſcientiæ bonæ ſignum, orationis conſtantia. *ibid.*
Conſcientiæ malæ exempla. *ibid.*
Conſcientiæ vis. Mil. 63. 1.
Conſentes, complices. 39. 3.
Conſilia euentis non ponderanda. Rab. 1. 2.
Cōſilia multata, etiamſi nullus effectus fuerit ſecutus. Mil. 19. 3.
Conſilium malum conſultori peſſimum. Rab. 31. 3.
Conſobrini amitini. Lig. 6. 6.
Conſolatio à rectè factis. Mil. 100. 1.
Conſtantia Catonis Mil. 59. 1.
Conſtellationes. 2 Philip. 1. 1.
Conſuetudo altera natura. Mil. 37. 1.
Conſuetudinis vis. *ibid*

CONSVL. CONSVLATVS.

Conſulatus Cæſaris & Bibuli. 2. Philip. 17. 3.
Conſulatus datus Plebeiis. Mil. 4. 3.
Conſules duodecim in prouinciis. Lig. 12. 6.
Conſules hoſtias in Capitolio immolabant. 2. Philip. 67. 1.
Conſules in Capitolio ius dicebant, & auſpicij cauſſa ſingula delibabant quæ toto anno erant facturi, à iurgiis abſtinebant, caricis veſcebantur, ſtipem Iano offerebant. 2. Philip. 67. 1.
in Conſules ius habuit aliquod Tribunus plebis. 2. Philip. 4.
Conſulere populum Mil. 16. 8.
Contubernium. Lig. 11. 2.
Conuentus. Lig. 14. 4.
Conuiuia in atriis Mil. 13. 9.
Conuiuij deſcriptiones. 2. Philip. 88. 3.
ante Conuiuium mos lauandi. Deiot. 11. 3.
Copiæ. 2. Philip. 56. 4.
Copiari. *ibid.*
Cops. *ibid.*
Corax & Tilias. 2. Philip. 29. 6.
Corona armatorum, item inermium. Mil. 1. 5.
Coronam carpere & detrahere. Marc. 7. 4.
Corruptela ſeruorum. Deiot 19. 1.
Corui mali malum ouum. 2. Philip. 29. 6.
Cottabus. 2. Philip. 88. 4.
Crepida Tyrrhenica. Rab. 26. 4.
Crepidæ. *ibid.*
Crepidæ Romanæ à Græcis diuerſæ. *ibid.*
Crudele eſt in corpora mortuorum ſæuire. Mil. 34. 14.
Crudelitas Cyclopica. 2. Philip. 49. 2.
Crudelitas Mithridatis. Rab. 26. 7.
Crudelitatis Deos Antiqui accuſabant. Mil. 88. 1.
Crudelitatis eſt ſummæ corpora mortuorum

canibus lanianda relinquere. Mil. 34. 12.
Crux ſeruile ſupplicium. Deiot. 16. 4.
Cupiditas. Marc. 20. 2.
Cupiditas tenebras offundit rationi. Marc. 30. 5.
Curia Calabra. Mil. 13. 6.
Curia ſenatus. *ibid.*
Curia trigeſima pars populi. *ibid.*
Curiatij & Horatij. Mil. 7. 3.
Curionis ingenium. 2. Philip. 33. 5.
Curionum familia. 2. Philip. 33. 2.
Curriculum. Marc. 2. 5.
Currus & Curruum varia genera. Carra, Carruces, Cilium, ploxemum, carpentum, plauſtrum, ploſtellum, arcera, ſarracum, couinus, harmamaxa, vehes, traha, bigæ, quadrigæ, pilentum, tenſa ſiue thenſa, arcuma, lectica, ſella, hexaphorus, octaphorus, rheda, petorretum, eſſedum. 2. Philip. 48. 1.
Currus falcati. *ibid.*
Cuſtodes Antonius obtinuit à ſenatu. 2. Philip. 14. 5.
Cuſtodes canes. 2. Philip. 32. 2.
Cuſtodes catenati. *ibid.*
Cuſtodes matronarum. *ibid.*
Cuſtos verus caſtitatis, timor Dei. *ibid.*
Cyathus. Rab. 21. 1.
Cydnus. 2. Philip. 19. 5.
Cypri fœcunditas. Mil. 74. 3.
Cypri regnum Ptolomæo ademptum. *ibid.*

D

DAmnandus nemo cauſſa inaudita. 2. Philip. 46. 1.
Damnari abſens non debet. *ibid.*
Damnatorum bona vendita. Rab. 45. 4.
Dea Matuta. 2. Philip. 63. 8.
Debita exigebantur Calendis & Idib. 2. Philip. 78. 5.
Debitorem appellare. 2. Philip. 61. 5.
Decempeda. Mil. 75. 6.
Decies. Rab. 21. 1.
Declamationes. 2. Philip. 28. 1.
Declamationes an proſint eloquentiæ. 2. Philip. 28. 1.
Declamarit quis primus Latinè. *ibid.*
qui Declamarunt magni viri. *ibid.*
Decoctores catamidiati. 2. Philip. 30. 8.
in Decoctores notæ, ſeſſio in lapide, galerus viridis, cophinus, zonæ ademptio, pecunia in zonis. *ibid.*
Decoquere. 2. Philip. 30. 3.
Decuriæ iudicum. 1. Philip. 19. 2.
Decuriæ ſenatorum decem. Mil. 4. 3.
Deductio. Rab. 31. 1.
Deiotari ſenectus. Deiot. 17. 6.
Demetrius Phalereus. Rab. 22. 6.

DEMOSTHENES.

Demoſthenes immodeſte ſe aliis anteponit. 2. Philip. 8. 1.
Demoſthenes mercenarius. Mil. 46. 6.
Demoſthenes nugis gloriatur. 2. Philip. 8. 1.
Demoſthenes odioſus ſui laudator. *ibid.*
Demoſthenes parcus in laudibus alienis. *ibid.*
Demoſthenes ſibi proſpera tribuit, aduerſa Deo. *ibid.*
Demoſthenis calliditas. Mil. 33. 1.

DENARIVS.

Denarius nummus. Rab. 21. 1.
Denarius ſub æuum Ciceronis 12. aſſibus æſtimatus. *ibid.*
Denarius HS. quatuor æſtimatus. *ibid.*
Denarij æſtimatio. *ibid.*
Denarij quot ferirentur ex ſingulis argenti libris. *ibid.*
Deſcendere. 2. Philip. 11. 5.
Deſtituere. 2. Philip. 83. 2.

DEVS.

Deus verus Mil. 84. 2.
Dei timor verus caſtitatis cuſtos eſt. 2. Philip. 34. 2.
Dei vera imitatio. Marc. 8. 9.
Dei vnitas. Mil. 84. 2.
de Dei vnitate Philoſophorum ſententiæ. *ibid.*
à Deo bona mens. Mil. 89. 1.
à Deo virtus procedit. Mil. 99. 1.
in Deum homines culpam ſuam impiè reiiciunt. *ibid.*
ad Deum proximè accedimus per clementiam. Lig. 22. 2.
Dij anculi. Mil. 28. 7.
Dij & deæ rurationis. Mil. 87. 2.
Dij hoſpitales. Deiot. 9. 4.
Dij patrij. 2. Philip. 63. 5.
Deorum ſimulachra ſunt hominum ſtatuæ. 2. Philip. 93. 2.
Diis inuidiam faciebant Antiqui. Mil. 88. 1.
Deos crudelitatis accuſabant antiqui. *ibid.*
Διχοστασία. Deiot. 19. 1.
Dictare verba. Mil. 3 4.

DICTATOR.

Dictator equo non vtebatur. 2. Philip. 48. 2.
Dictator magiſter populi. Mil. 47. 1.
Dictator magiſtrum equitum eligebat vel accipiebat à ſenatu. 2. Philip. 61 3.
Dictator vocabatur magiſter populi. *ibid.*
Dictatore creato tribunus plebis non ceſſabat. 2. Philip. 42. 4.
Dictatores quatuor & viginti in prouinciis faſces habebant. Lig. 12. 6.
Dictatoris & magiſtri equitum neceſſitudo. 2. Philip. 61. 3.
Dictatoris nomen vnde. 1. Philip. 31. 3.
Dictatorum primorum moderatio. 1. Philip. 1. 9.
Dictaturæ poteſtas. *ibid.*
Dictum bonum. dictum dicere. 2. Philip. 28. 6.

DIES.

Dies hodiernus. Marc. 1. 1. 2. Philip. 94. 3.
Dies ciuilis. 2. Philip. 65. 2.
Dies naturalis. *ibid.*
Dies ſtatus. Mil. 37. 2.
Diei in horas 12. diuiſio. 2. Philip. 65. 2.
Diei in horas 12. diuiſæ primi auctores. *ibid.*
Diei quadripartita diuiſio in primam, tertiam, ſextam, & nonam, vel in tertiam, nonam, veſperam. *ibid.*
Diem dicere, quid. Mil. 37. 2.
Diem obire. Mil. 27. 3.
Diffidentia firmum propugnaculum. Marc. 21. 5.
Dimicare, quid? Mil. c. 3.
Diſciplinæ vis. 2. Philip. 13. 5.
Diſertus, eloquens. 2. Philip. 94. 1.
Diſſidium. 2. Philip. 32. 10.
Diuidere ſententiam. Mil. 14. 5.
Diuinatio, prudentia. Rab. 1. 3.

Diuinitas ex anima oſtenditur. Mil. 85. 1.
Diuitiæ inſtrumentum bonitatis. Rab. 3. 3.
Diuturnum omne habet extremũ. Mar. 28. 3.
Dolabellæ auaritia. 2. Philip. 90. 3.
Dolabellæ ſeditiones. 1. Philip. 29. 6.
Dolor Marc 35. 1.
Doloris & laboris diſtinctio. *ibid.*
Domare, frenare. Marc. 8. 1.
Dominorum ſalutem committere ſeruis periculoſum. Mil. 60. 9.
exempla eorum qui ſeruos contra Dominos non audierunt. Mil. 60. 4.
Cn. Domitius. 2. Philip. 19. 6.
Cn. Domitij Cato erat auunculus. *ibid.*
Luc. Domitij mors. *ibid.*
Domus tutiſſimum cuique refugium. Deiot. 19. 2.
Dormitator. Mil. 9. 2.
Drachma. Rab. 21. 1.
Drachma Attica idem quod denarius Romanus. *ibid.*
Drachma merces oratorum. *ibid.*
Drachmæ centum. 2. Philip 29. 6.
Drachmæ mille ſiue decem minæ. *ibid.*
Liu. Druſi domus. Mil. 16. 1.
Druſi occiſio. *ibid.*
Druſus ſenatûs propugnator. *ibid.*
Druſorum nobilitas. *ibid.*
Duella. Rab. 21. 1.

E

Edicti & legis diſtinctio. 2. Philip. 30. 7.
Educatio. 2. Philip. 13. 5.
Educatio quanti momenti. 2. Philip. 13. 4.
Egregius. Mil. 39. 4.
Eloquens, diſertus. 2. Philip. 94. 1.
Eloquentia ſeditiones placat. Mil. 59. 1.
Eloquentiæ an proſint declamationes. 2. Philip. 28. 1.
Eloquentiæ iactatio odioſa. 2. Philip. 2. 4.
Epulæ Cæſaris. 2. Philip. 98. 9.
Epulones ſeptemuiri. 2. Philip. 83. 1.
Equeſter ordo à Cicerone ſtabilitus. Mil. 4 3.
Equeſter ordo copulatus cum ſenatu à Cicerone. 2. Philip. 14 5.
Equeſtre nomen ſtabiliuit Cicero. Mil. 95. 3.
Equeſtris. 2. Philip. 30. 6.
Equeſtris rei ſtudium in regum filiis. Deiot. 17. 5.
Equitare diſcebant regum pueri in arietibus. Mil. 58. 5.

EQVVS.

Equus publicus & priuatus. 1. Philip. 19. 8.
Equus Seianus. 2. Philip. 9. 3.
Equus Troianus. 2. Philip. 22. 3.
Equi lignei in quos tyrones diſcebant inſilire. Mil. 58. 5.
Equo merere laudatius, quàm ordines ducere. 1. Philip. 19. 8.

EQVVLEVS.

Equuleus, cataſta. Mil. 58. 5.
Equuleus corpus in poſteriorem partem curuabat. *ibid.*
Equuleus oſſium commiſſuras cum dolore diſtrahebat. *ibid.*
Equuleus quid? *ibid.*
Equulei foramina. *ibid.*
Erratorum confeſſio propriæ laudi admiſcenda eſt. 2. Philip. 8. 1.
Erroribus homines obnoxij. Marc. 13. 4.
Euathlus diſcipulus Pythagoræ. 2. Philip. 29. 6.
Euerricator, Euerræ. Mil. 66. 2.
Eunomia. Mil. 33. 3.
Euocatus. Deiot. 7. 3.
Eutrapelia. 2. Philip. 26. 5.
Excubiæ. Marc. 33. 3.
Excutere. 2. Philip. 43. 2.
Exequi. 2. Philip. 43. 3.
in Exequiis maiorum imagines. Mil. 34. 7.
Exilium amoris remedium. 2. Philip. 32. 11.
Exiſtimare. 2. Philip. 7. 6.
Exorbere ſanguinem. 2. Philip. 60. 3.
Εκπνεῖν. Mil. 49. 7.
Extraordinarius reus. Mil. 14. 4.
Extra ordinem quærere. *ibid.*

F

Fabula. 2 Philip. 22. 7.
Fabula perſonata. 2. Philip. 56. 5.
Fabula vitæ eſt actus extremus. Marc. 27. 10.
Fabulæ non quæuis pueris narrandæ ſine delectu. 2. Philip. 13. 4.
Facilitas. 1. Philip. 27. 1.
Fallaciæ Ægyptiorum. Rab. 30. 7.
Famam minuit præſentia. Mil. 43. 6.
Familia Curionum. 2. Philip. 33. 2.
Familiaris rei iactura & naufragium. Mil. 73. 2.
Famis extremæ exempla. Mil. 73. 1.
Fas eſſe. 2. Philip. 50. 4.
Faſces duos in vrbe tantùm Prætores habuerunt. Lig. 12. 6. ſex in prouinciis, conſules duodecim, Dictatores 24. *ibid.*
Faſces è lecto Libitinæ deprompti. Mil. 92. 3.
Faſces laureati Ciceronis. Lig. 4. 3.
Faſtidioſus populus. Mil. 43. 6.
Faſtigium. 2. Philip. 93. 3.
Fatigatus. Marc. 21. 1.

FATVM.

Fatum. 2. Philip. 1. 1.
Fatum anima mundi. *ibid.*
Fatum & natura. 1. Philip. 7. 10.
quæ præter Fatum eueniant. *ibid.*
an Fatum voluntati neceſſitatem importet. 2. Philip. 1. 1.
præter Fata mors. 1. Philip. 7. 10.
ſecundum Fata mors. *ibid.*
Fati variæ definitiones. 2. Philip. 1. 1.
de Fato Philoſophi deſſerentes quatenus verum dicant. *ibid.*
Fax ſeditionis. 2. Philip. 35. 2.
Felicitas. Mil. 84. 1.
Felicitas Dea. Mil. 6. 3.
Felicitas Timothei. Marc. 6. 4.
Feneſtras humano in pectore momus requirebat, Marc. 23. 1.

FERIÆ.

Feriæ conceptiuæ. Mil. 46. 1.
Feriæ Latinæ. Mil 86. 4.
Feriarum Latinarum ritus. *ibid.*
Feriis Latinis homo immolatus. *ibid.*
Feriis Latinis præfectus vrbis. *ibid.*

FIDES.

Fides amicorum nitida. Mil. 70. 2.
Fides iudici neceſſaria. Mil. 22. 6.
Fides menſariorum. Marc. 24. 3.
Fides publica. *ibid.*
Fidelitatis & cuſtodiæ ſignum, clauis.
Fidiculæ. Mil. 58. 5.

Filij vlciſcuntur patrum iniurias. Mil. 8. 3.
Flagitium. Mil. 14. 6.
Flamines. 2. Philip. 93. 4.
Flamines varij. Mil. 47. 2.
Flos. Lig. 19. 3.
Flos ætatis. 2. Philip. 7. 2.
Fluctu vulgus mobilius. Mil. 5. 3.
Foci. 2. Philip. 63. 7.
Fœdera icta in Capitolio. Rab. 7. 6.
Follis. Rab. 21. 1.
Forti patria eſt omne ſolum. Mil. 101. 1.
Fortuita non ſunt noſtra. Marc. 19. 1.

FORTVNA.

Fortuna. Rab. 1. 5. Mil. 6. 3. Mil. 84. 1.
Fortuna belli anceps. Marc. 15. 4.
Fortuna cæca. Mil. 88. 2.
Fortuna Cæſaris. Marc. 19. 4.
Fortuna cum gubernaculo. Mil. 96. 4.
Fortuna domina. Marc. 7. 5.
Fortuna hera. *ibid.*
Fortuna in bello dominatur. Marc. 6. 4.
Fortuna Populi Romani. 2. Philip. 74. 4.
Fortunæ bona non donantur, ſed commodantur. Marc. 19. 9.
Fortunæ modus ſeruandus. Marc. 1. 3.
Fortunæ poteſtas. Mil. 6. 3.
Fortunæ varia cognomina. *ibid.*
Fortunæ volubilitas. Mil. 70. 2.

FORVM.

Forum. Lig. 14. 4.
Forum Iulium. 2. Philip. 98. 7.
Forum quid? Mil. 3. 2.
Forum triplex. *ibid.*
Fraudes contexere. Deiot. 10. 1.
Fraudes ſuere. *ibid.*
Fructus. 2. Philip. 21. 9.
Frugalitas. Deiot. 16. 5.
Frugalitas virtus maxima. *ibid.*
Frugi homo. *ibid.*
Fuluia virilis animi fœmina. 2. Philip. 9. 3.
Fuluiæ mores. Mil. 56. 2.
Fumarium 2. Philip. 57. 7.
Fundus Caſinas Varronis. 2. Philip. 87. 1.

FVNVS.

Funeræ. Mil. 34 8.
in Funere liberti corpus deferebant. *ibid.*
in Funere liberti erant. *ibid.*
in Funere mimus erat. *ibid.*
in Funeribus tibicines. Mil. 87. 4.
Funebres laudationes apud Romanos. *ibid.*
Funebres laudationes à quibus originem habuerunt. *ibid.*
Fur. Mil. 9. 2.
Fur diurnus. Mil. 9. 3.
Furem nocturnum licet occidere. Mil. 9. 2.
Furciferi, quid? Deiot. 16. 1.
Furiæ mortuorum. Mil. 92. 4.
Furioſus. Mil 14. 3.
Fuſum neceſſitatis. 2. Philip. 1. 1.

G

GALLI.

GAlli veteres barbam auream gerebant parta victoria. 2. Philip. 23. 3.
Gallorum feritas. Marc. 8. 2.
Gallorum luxus in veſtitu. *ibid.*
Gallorum magnitudo. *ibid.*
Galliarum opulentia. *ibid.*
Gallicæ. 2. Philip. 64. 5.
Geſtire. Marc. 10. 6.
Geſtum humeris exprimere indecorum. Rab. 30. 9.
Giſconis vltio memorabilis. Mil. 8. 4.

GLADIATOR.

Gladiator Commodus. Mil. 93. 2.
Gladiatores. 1. Philip. 36. 1.
Gladiatores à Senatu. Mil. 93. 2.
Gladiatores ex equeſtri ordine. *ibid.*
Gladiatores infimæ conditionis. *ibid.*
Gladiatores mulieres & pueri. *ibid.*
Gladiatores quando rudem accipiant. 2. Philip. 63. 2.
Gladiatoribus fauendo pollicem premere. Mil. 93. 5.
Gladiatorum fortitudo. Mil. 93. 2.
Gladiatorum libelli. 2. Philip. 81. 2.
Gladiatorum mortem verſo pollice expetebant ſpectatores. Mil. 93. 2.
Gladiatorum palmæ. 1. Philip. 36. 7.

GLADIVS.

Gladius. Lig. 5. 3. & 2. Philip. 39. 6.
Gladius ad dextrum latus prętorianis. Lig. 5. 3.
Gladius Hiſpanenſis. *ibid.*
Gladius quando primùm in forum illatus. Mil. 19. 2.
Gladij. Mil. 65. 3.
Gladiorum vſus. Mil. 10. 2.

GLORIA.

Gloria debet eſſe diffuſa & latè vagari. Marc. 27. 3.
Gloria duplex. Mil. 97. 3.
Gloria quid? Marc. 27. 3.
Gloria ſempiterna, vita breuis. Mil. 97. 5.
Gloria ſolida. 1. Philip. 31. 6.
Gloria vani. *ibid.*
Gloria virtutis præmium. Mil. 97. 3.
Gloria virtutis vmbra. *ibid.*
Gloriæ & claritatis diſtinctio. Marc. 27. 3.
Gloriæ pater, labor. Mil. 64. 3.
Gloriæ tres gradus. Marc. 27. 3.
Glaucia homo Impurus. Rab. 11. 5.
Tib. Grarchus Octauio collegæ tribunatum plebis abrogauit. Mil. 73. 3.
Gradationis exempla. Mil. 62. 3.
Gradus ætatis. 2. Philip. 41. 2.
Gradus affinitatis & conſanguinitatis. 2. Philip. 13. 2.
Græcorum res nummaria. Rab. 21. 1.
Græculi. Mil. 56. 3.
Gratia. 2. Philip. 3. 2.
Gratiam non poſſe referre miſerum eſt. Mil. 102. 1.
Gratitudo. 2. Philip. 5. 1.
Gratulari. Mil. 98. 3.
Grauitas fucata Conſtantij. Mil. 22. 4.
Grauitas in iudice requiſita. *ibid.*
Gynæceum. 2. Philip. 80. 4.
Γυναικωνῖτις. 2. Philip. 80. 4.

H

HÆRES. HÆREDES.

HÆredes bona defuncti non vendunt. Mil. 50. 1.
Hæredes honorarij. Mil. 49. 5.
Hæredes poterant teſtamentum obſignare. Mil. 49. 2.
Hæredes primi & ſecundi. *ibid.*
Hæreditates amicorum non expectandæ. 2. Philip. 27. 2.

Hæreditates quas Cicero adierit. *ibid.*
Hala Seruilius. 2. Philip. 27. 3.
Harmiones armilla fatalis 2. Philip. 9. 3.
Harmodij. melos. Mil. 81. 3.

HASTA.

Haſta auctionaria. 2. Philip. 87. 2.
Haſta auctionis. 2. Philip. 55. 1.
Haſta centumuiralis *ibid.*
Haſta locationis vectigalium. *ibid.*
Haſta poſita in funere cæſorum. Mil. 8. 4.
accedere ad Haſtam. 2. Philip 55. 1.
Haſtæ pro Deo cultæ Mil. 39.
Haſtæ res vendibiles ſubiiciebantur. 2. Philip. 54. 2.
Hebetes & tardi. 2. Philip. 33. 5.
Hebræorum ſiclus. Rab. 21. 1.
Helluo 2. Philip. 56. 2.
Helluo erat M. Antonius Creticus. 2. Philip. 30. 4.
Hercules Sanctus. Mil. 86 8.
Heres. 2 Philip 52 4. *vide* hæres.
Hippia furitne mimus an matrona 2. Philip. 52. 2.
Hiſcere 2 Philip. 94. 2.
Hiſpani numeroſi. Marc. 8. 3.
Hiſpaniæ opulentia. *ibid.*
Hiſtriones & Buſtuarij Mil. 34. 7.
Hiſtrionum palmæ. 1 Philip. 36. 7.
Hodiernus dies. Marc. 1. 1.
Hœdos mulgere Mil 95 1.
Holoſerica. 2. Philip. 31. 8.
Homo non ſibi, ſed patriæ natus. Mil. 103. 1.
Homo vmbra. Mil 70. 1.
Homines in Deum culpam ſuam impiè reiiciunt. Mil. 89. 1.
Homicidæ inuoluntarij. Mil. 19. 3.
quibus caſibus liceat Hominem occidere. Mil. 9. 4.
Honeſtatem qui amittebant, luce priuabantur. Rab. 45. 7.
Honor, præmium virtutis. Mil. 97. 3.
Honores Cæſari decreti. Marc. 11. 1.
conciliantur Euangeliſtæ de Hora Paſſionis. 2. Philip. 65.
Horæ Eccleſiaſticæ. 2. Philip. 65. 2.
Horarum ratio apud Ciſalpinas nationes. *ibid.*
Horarum ratio apud Italos. *ibid.*
Horarum ratio apud Romanos veteres. *ibid.*
Horatij & Curiatij. Mil 7. 3.
Hoſpitales dij. Deiot. 9. 4.
Hoſpitalis Iuppiter. *ibid.*
Hoſpitalis Venus. *ibid.*
Hoſtia ſuccidanea. Deiot. 25. 1.
Hoſtem iudicari. 2. Philip. 40. 1.
Hoſtis. Mil. 40. 5.
Humanitas an iudici conueniat. Mil. 22. 5.
Humeris geſtum agere indecorum. Rab. 30. 9.

I.

IActantia Ciceronis 2. Philip. 8. 1.
Iactatio ſui eſt odioſa. *ibid.*
Iactura & naufragium rei familiaris Mil. 73. 2.
Iactura opum, conſcientiæ ex alea. 2. Philip. 46. 8.
Iactura temporis. *ibid.*
Iacturæ ex alea. *ibid.*
Ianitores catenati. 2. Philip. 65. 6.
Ianua. Mil. 18. 8.
S. Ignatij animi æquitas. Marc. 26. 2.
Imago mortui cum lictoribus. Mil. 34. 7.
Imagines cereæ 2. Philip. 19. 2.
Imagines maiorum exequiis. Mil. 34. 7.
Imaginum vſus apud oratores. 2. Philip. 44. 1.
Imitari. Marc 2. & 2. Philip 81. 1.
Immanitas, Marc. 8. 2. & 2. Philip. 26. 3.
de Immortalitate animæ Philoſophorum opiniones. Marc. 30. 8.
Immunitas à quæſtione. Mil. 58. 2.
Imperator debet noſſe ſuos milites. Lig. 19. 4.
Imperatoris & Quæſtoris coniuncti. 2. Philip. 61. 2.
Imperatoris munus, congiarium. 2. Philip. 98. 8.
Imperium Rom. cur dictum orbis terrarum. Mil. 74. 3.
Imperium Romanum an æternum. 2. Philip. 40. 2.
Imperij Rom magnitudo. Mil. 84. 3.
Improbus. Mil. 9. 8.
Inceſtus Mil. 13. 3.
in Inceſtu ſerui poſtulantur in quæſtionem. Mil 60. 4
Incolumitas. Deiot. 24. 6.
Inconſtantia maiorum. Mil. 32. 4.
Indagare. Mil. 103. 2
Indi Senectus Mil. 16. 11.
Ineptum quid ? 2. Philip. 7 2.

INGENIVM.

Ingenium Curionis. 2. Philip. 33. 5.
Ingenium quid ? *ibid.*
Ingeniorum diuerſitas. *ibid.*
Ingenij & eloquentiæ iactatio odioſa. 2. Philip. 2. 4.
Ingenioſi. 2. Philip. 33. 5.
Ingrati animi vitium ſitne iniuſtitia. Marc. 32. 1.
Inimici crudas carnes manducare & ſanguinem ſorbere eſt odij ſummi. Mil. 64. 2.
Inimici arbitrio mori miſerum eſt. Mil. 59. 4.
de Iniuriarum obliuione lex Athenienſium. 1. Philip. 1. 4.
Iniuriarum obliuio. Lig. 21. 2.
Iniuſtus rerum æſtimator. Marc. 15. 3.
Inſania. Mil. 14. 3. & 46. 2.
Inſanium, valdè magnum. Mil. 54. 2.
Inſidiator Mil. 19. 1. & c. 11. 3.
Inſolentia Arriani. 2 Philip. 8. 1.
Inſolentia Pompeianorum. Marc. 16. 2.
Intercedere. 2 Philip. 32. 7.
Interceſſio tribunitia fuit Senatuſconſultis, legibus ferendis, triumphis delectui, profectioni magiſtratuum, iudiciis & quæſtionibus, executioni prolatæ iam ſententiæ, actionibus collegarum. 2. Philip. 42. 3.
Interdiarius. Mil. 9 2.
Interitus Romæ. 2. Philip. 40. 2.
Interrex primus comitia non habebat. Mil. 13. 8.
Interregni dies quinque. *ibid.*
Interuertere. 2. Philip. 66. 5.
Intimi. 2. Philip. 35. 1.
Intueri. Deiot. 11. 2.
Inuidia. Mil. 98. 2. & Marc. 30. 7.
Inuidiam antiqui diis faciebant. Mil. 88. 1.
Inuolutum caput. 2. Philip. 65. 5.
Ioui colles conſecrati. Mil. 86. 5.

IRA.

Ira auxiliatur rationi. 2. Phili. 33. 5.
Ira delectat : cur ? Mil. 99. 2.

Ira & cupiditas cum equis, ratio cum Auriga comparatur. Mil. 77. 7.
Ira habet aliquid rationis. Marc. 9. 5.
Iraſcimur faciliùs in familiares. 2. Philip. 61. 6.
Iratorum oculi ardentes. Lig. 5. 6.
Irrogare. Mil. 37. 4.
Iuba Cæſaris inimicus. Lig. 14. 1.
Iubæ potentia. *ibid.*

IVDEX.

Iudex. Mil. 1. 1.
Iudex debet eſſe iuſtus & ſapiens. Mil. 23. 1.
in Iudice grauitas requiſita. Mil. 22. 4.
an Iudici conueniat humanitas. *ibid.*
Iudici fides neceſſaria. *ibid.*
Iudicis collo apud Ægyptios appenſa Veritatis imago. *ibid.*
Iudicis ſapientia & virtus. Rab. 11. 1.
Iudicis virtus. Mil. 22. 4.
Iudices. Mil. 22. 2.
Iudices pecunia non corrũpendi. 2. Phil. 46. 4.
Iudices ſine manibus. Mil. 22. 4.
Iudicum decuriæ. 1. Philip. 19. 1.
Iudicare, diem dicere. Mil. 37. 4.
Iudicandi poteſtas quando primùm populo data. Mil. 7. 3.

IVDICIVM.

Iudicium amor impedit. Marc. 30. 4.
Iudicium de rebus ſenſu carentibus, quæ quempiam occiderint. Mil. 19. 3.
Iudicium & beneficium. Marc. 3. 3.
in Iudicium multi reges vocati apud Romanos. Deiot. 1. 4.
Iudicia per Cæſarem conſtituta. Marc. 24. 2.
Iudiciis vis non inferenda. 2. Philip. 46. 4.
Iudiciorum & legum coniunctio. Mil. 78. 2.
Iudiciorum laquei. Mil. 41. 4.
Iudiciorum noua forma à Pompeio conſtituta. Mil. 1. 4.
Iugulum dare. Mil. 31. 2.
Iugum ſeruitutis. 1. Philip. 1. 16.
Iuno Soſpita. Mil. 27. 1.
Iuppiter hoſpitalis Deiot. 9. 4.
Iuppiter ſtator. 2. Philip. 54. 3.

IVS.

Ius ad magiſtratus & prouinciæ. Marc. 24. 7.
Ius, æquitas Mil. 78. 3.
quod Ius Auguſtus eluſerit. Mil. 60. 3.
Ius aut conſenſus facit, aut neceſſitas, aut conſuetudo. Mil. 9. 5.
Ius C[a]ligula penitus ſuſtulit. Mil. 60. 3.
Ius [C]laudius reſtituit. *ibid.*
Ius dicere. Mil. 22. 2.
Ius & leges vincula Marc. 24. 7.
Ius hæreditatis cuiuſlibet adeundæ. *ibid.*
Ius loci honeſtioris in ſpectaculis. *ibid.*
Ius naturale, ius gentium. Mil. 10. 3.
Ius prætorium. 2. Philip. 5. 4.
quod Ius Tiberius eluſerit. Mil. 60. 3.
Ius trium liberorum. Marc. 24. 7.

IVSTITIA.

Iuſtitia verecunda. Mil. 22. 3.
Iuſtitia virgo incorrupta. *ibid.*
Iuſtitia virgo ſeuero vultu. *ibid.*
Iuſtitiæ imago. *ibid.*
Iuſtitiæ oculus. Mil. 86. 10.
Iuuentutis princeps. Rab. 3. 1.

L

Labor gloriæ pater. Mil. 64. 3.
Laboris & doloris diſtinctio. Marc. 35. 1.
Lac capri. Mil. 95. 1.
Lacerare Mil. 24. 4.
Lacerna. 2. Philip. 64. 6.
Lacrymæ conſolantur. 2. Philip. 54. 4.
Lacus Albanus. Mil. 86. 9.
Lacus Talæ miraculum. *ibid.*
Lætitia in publica non eſt lugendum. 2. Philip. 16. 1.
Laminæ candentes. Mil. 58. 5.
Lancea. Mil. 58. 5.
Lara, Larunda. 2. Philip. 63. 8.
Lares agreſtes. *ibid.*
Lares hoſtilij, permarini, querquetulani. *ibid.*
Lares viales. *ibid.*
Laruæ. *ibid.*
Larunda. *ibid.*
Latebræ animi. Marc. 223. 1.
Latebræ pectoris. *ibid.*
Latro. Mil. 9. 11. & 2. Philip. 6. 1.
Latrones, ſtipatores. Mil. 1. 7.
Latronum beneficium. 2. Philip. 5. 4. 2. Philip. 50. 2.
Latrociniis infamis via Appia. Mil. 51. 1.
Lauandi mos ante conuiuium. Deiot. 11. 3.
Lauabantur mortui. Mil. 87. 7.

LAVS, LAVDATIO, LAVDARE.

Laudantes ſeipſos debent Deo laudem tribuere. 2. Philip. 8. 1.
Laudare ſeipſum licet defenſionis cauſſa. *ibid.*
Laudans ſimiles ſui, ſeipſum laudat. *ibid.*
Laudans ſe debet hanc laudem aliis communicare. *ibid.*
Laudator ſui odioſus erat Demoſthenes. *ibid.*
Laudatio mortuorum duplex. Mil. 87. 6.
Laudationes funebres apud Romanos. Mil. 34. 9.
Laudationes funebres à quibus originem habuerunt. *ibid.*
Laus. Marc. 4. 3. & 27. 6.
Laudi propriæ eſt admiſcenda erratorum confeſſio. 2. Philip. 8. 1.
Laudi propriæ non eſt admiſcenda reprehenſio aliorum. *ibid.*
Laudibus alienis parcus erat Demoſthenes. *ibid.*
Laudibus ſuis obiurgationem iudicum admiſcebat Demoſthenes. *ibid.*
Lectica aperta & operta. 2. Philip. 48. 4.
Lectus aduerſus. Mil. 13. 9.
Lecti argentei & aurei. 2. Philip. 59. 3.
Lecti eburnei. *ibid.* teſtudinei. *ibid.*
Lecti triclinares. *ibid.*
Lectuli tres in Triclinio. *ibid.*
Legio in aciem directa. Mil. 3. 1.
Legiones. 2. Philip. 50. 1.
Legiones quot milites haberent. Mil. 3. 1.
Lemures. 2. Philip. 63. 8.
Lentuli Suræ mores. 2. Philip. 13. 3.
Leones ſubiugauit Antonius ante pugnam & poſt pugnam Pharſalicam. 2. Philip. 48. 8.
Leuitas Alexandrinorum. Rab. 30. 5.

LEX.

Lex. 2. Philip. 92. 3 Mil. 33. 3.
Lex Athenienſium de iniuriarum obliuione. 1. Philip. 1. 4.
Lex Cæſaris de numero annorum in prouinciis obtinendis. 2. Philip. 92. 2.
Lex Cornelia de ſicariis. Mil.
Lex de ſicariis. 2. Philip. 16. 3.

Lex duodecim tabularum. Mil. 9. 1.
Lex æterna. Mil. 10. 3.
Lex Lætoria. 2. Philip. 30. 8.
Lex Maria nummaria. Rab. 21. 1.
Lex Roſcia. 2. Philip. 30. 7.
Lex ſuprema ſalus populi. 2. Philip. 25. 3.
Leges ab Antonio latæ, prima de Siculis ciuitate donandis, 2. de Armenia Deiotaro reddenda, 3. Agraria, 4. de prouinciis, 5. Iudiciaria, 6. de actis Cæſaris ſeruandis, 7. de abolenda dictatura. 2. Philip. 6. 4.
Leges affigebantur. 2. Philip. 77. 2.
Leges annales. Mil. 24. 3.
Leges de alea. 2. Philip. 46. 8.
Leges de prouocatione. 1. Philip. 21. 2.
Leges de repetundis. Rab. 8. 4.
Leges & fœdera in æs inciſa. 1. Philip. 16. 4.
Leges & fœdera initio in tabulas quernas inciſa. *ibid.*
Leges fundamentum libertatis. Mil. 78. 4.
Leges in æs inciſæ, in lignum, in lapidem. Mil. 88. 6.
Leges iudiciariæ populi. Rab. 6. 2.
Leges ſcriptæ, leges non ſcriptæ. Mil. 10. 3.
Leges ſilent inter arma. 10. 4. *ibid.*
Legibus quibuſdam tenebantur Senatores, quibus alij ordines erant ſoluti. Rab. 11. 9.
Legibus ſolui quid? 2. Philip. 21. 7.
Legis & edicti prætorij diſtinctio. 2. Philip. 30. 7.
Legis variæ definitiones. Mil. 33. 3.
Legum & iudiciorum coniunctio. Mil. 78. 2.
Legum ſanctio. Mil. 86. 8.
Legum vtilitas. Mil. 33. 3.
Libella. Rab. 21. 1.
Liberalitas Antonij. 1. Philip.
Liberæ hominum actiones ad diuinæ prouidentiæ finem diriguntur. Mil. 89. 1.

LIBERI, LIBERTAS.

Liberi. 1. Philip. 1. 6.
Liberi venditi pro ære alieno parentum. 2. Philip. 23. 3.
Liberorum commemoratio vtilis ad miſerationem. Mil. 92. 2.
Liberorum triumphus. Marc. 24. 7.
Libertas paci præferenda. 2. Philip. 96. 5.
Libertatis atrium. Mil. 60. 1.
Libertatis ſpecies adulatio. Lig. 5. 5.
quæ à Libertate noſtra dependent, noſtra ſunt. Mil. 92. 2.

LIBERTI, LIBERTINI.

Liberti corpus mortuorum patronorum deferebant. Mil. 34. 7.
Liberti in funere. *ibid.*
Liberti pileati in exequiis. Mil. 58. 1.
Libertini dedititij. *ibid.*
Libertini Latini Iuniani. *ibid.*
Libertini referebantur in tribum. *ibid.*
Libertini Romani. *ibid.*
Libertinorum tribus vrbanæ. *ibid.*
Libra Attica. Rab. 21. 1.
Libra & æs. 2. Philip. 39. 4.
Librorum capſæ. Mil. 33. 5.
Licentia. Mil. 79. 1.
Lictores quibus anteibant. Mil. 34. 7.
Lictores ante imagines mortuorum. *ibid.*
Ligna infelicia. Mil. 34. 10.
Limus. Mil. 66. 2.
Lintea Ægyptia. Rab. 37. 4.
Litis æſtimatio. Rab. 8. 1.
Littera longa quid apud Plautum. Mil. 15. 4.
Litteræ ſunt amicorum abſentium colloquia. 2. Philip. 7. 1.
Litterarum commoda. *ibid.*
Litterarum vox. *ibid.*
de Literis ænigma. *ibid.*
Loculi ebenini & eburnei. Mil. 33. 5.
Loculi lignei. *ibid.*
Locus Conſularis & Prætorius dicendæ ſententiæ. 1. Philip. 14. 1.
Lucem intueri quid? 7. 1.
Luci. Mil. 86. 3.
Lucro improbi ducuntur. Mil. 32. 4.
in Luctu abſtinentia ciborum. Mil. 87. 5.
Ludorum Apollinarium origo. 2. Philip. 21. 8.
Ludorum Apollinarium ritus. *ibid.*
Lugendi mos. Mil. 87. 5.
Lugendum non eſt in publica lætitia. 2. Philip. 16. 1.
Lupa. Mil. 56. 6.
Lupercalia. 2. Philip. 70. 1.
Lupercalia quo die celebrata. *ibid.*
Lupercalia vnde nomen. *ibid.*
Luperci Fabij, Quintilij, Iulij. 2. Philip. 71. 4.
Luperci vnde? 2. Philip. 72. 4.
Luſtrare. 2. Philip. 47. 3.
Luſtrare, illuſtrare. Marc. 5. 6.
Luxus Gallorum in veſtitu. Marc. 8. 6.
Luxus Luernij. *ibid.*

M.

MAchina quinque foraminum. Mil. 58. 5.
Magiſter populi Dictator vocabatur. 2. Philip. 61. 3.
Magiſtratus coercebantur notâ Senatus, circumſcriptione, remotione, à rep. expulſione. 2. Philip. 42. 5.
Magiſtratus qui ſibi obnuntiarent. 2. Philip. 69. 6.
Magnum. Lig. 12. 3.
Magnum pro arduo & difficili. Deiot. 10. 5.
Maiorum imitatio. Deiot. 17. 1.
Malè qui agit, odit lucem. Mil. 51. 2.
Maleficij nuda voluntas legibus humanis non punitur. Mil. 19. 3.
Malleoli deſcriptio. Mil. 65. 8.
Malorum inconſtantia. Mil. 31. 4.
Mancipare. 2. Philip. 39. 4.
Manipulus. Mil. 3. 1.

MANVMITTERE, MANVMISSIO, MANVMISSVS.

Manumittens ſeruum manu tenebat. Mil. 58. 1.
Manumittebant Conſules. Mil. *ibid.*
Manumittebant Prætores. *ibid.*
Manumittebat nonnullos auaritia dominorum. *ibid.*
Manumittebat quoſdam vanitas teſtantium. *ibid.*
Manumittendi iniuria rapiſmata. *ibid.*
Manumittendi ſerui caput percutiebatur. *ibid.*
Manumiſſio fiebat aut cenſu, aut teſtamento, aut vindicta. *ibid.*
Manumiſſio, quid? *ibid.*
in Manumiſſione capitis raſio. *ibid.*
in Manumiſſione lictor virgulâ caput tangebat, feſtucam in ſeruum iaciebat, dominus ſeruum circum agebat, circumactũ è manu dimittebat, tũ liber à Prætore nũtiabatur. *ib.*

Manumiſſionum cauſſæ. *ibid.*
Manumiſſionum varij modi. *ibid.*
Manumiſſi ſedebant in templo Feroniæ. *ibid.*
Manumiſſi pileum ferebant. *ibid.*
Manumiſſorum corona. *ibid.*
Manufactum. Marc. 11. 4.
in Manu eſſe, quid? Mil. 58. 1.
Manus. Marc. 11. 4.

MARS.

Mars communis. Mil. 57. 4.
Mars cur Ioui odioſus præ cæteris. 2. Philip. 96. 3.
Mars & Minerua præſides bellorum. Mil. 57. 4.
Mars, Mauors, Mamers. Marc. 17. 2.
Mars noſter. Mil. 57. 4.
Martij cāpi amœnitas & amplitudo. Mil. 42. 1.
Martio in campo ſepta. *ibid.*
Matronarum cuſtodes. 2. Philip. 32. 2.
Matronarum papillas nudari vetat Muhammedes. 2. Philip. 31 8.
Medius fidius. Marc. 10. 4.
Μείωσις. 2. Philip. 24. 9.
Melos Harmodij. Mil. 81. 2.
Memoriæ felicis exempla. Deiot. 25. 2.
Mendacium an licitum. Lig. 8. 3.
Mens animi. 2. Philip. 33. 5.
Mens, animus. *ibid.*
Mens bona à Deo. Mil. 89. 1.
Menſæ rotundæ. 2. Philip. 59. 3.
Menſis Aprilis. 2. Philip. 84. 1.
Menſis Iunius. *ibid.*
Mens Maius. *ibid.*
Mercurius Triſmegiſtus. Mil. 84. 2.
Meretrix. Mil. 56. 6.
Meretricum auditas. 2. Philip. 31. 8.
Metiri nummos. 2. Philip. 81. 3.
qui Metuitur, plus ipſe timet. 1. Philip. 34. 4.
Militaris ætas. Deiot. 22. 3.
Militaris rei peritia. Mil. 71. 1.
Milites cauſſa victoriæ. Marc. 6. 1.
Millies Rab. 21. 1.
Milonis æs alienum. Mil. 96. 3.
Milonis largitiones. *ibid.*
Mimi. 2. Philip. 85. 3.
Mimus in funere. Mil. 34. 7.
Mina. Rab. 21. 1.
Minerua bellorum præſes. Mil. 57. 4.
Minerua ſapientiæ præſes. Mil. 8. 6.
Mineruæ calculus. Mil. 8. 5.
ad Miſerationem vtilis eſt liberorum commemoratio. Mil. 102. 2.
Miſer eſt innocens. 2. Philip. 83. 6.
Miſeria eſt ſuam miſeriam non cognoſcere. 2. Philip. 43. 1.
Miſeria Tyrannorum. 2. Philip. 97. 3.
Miſericordia beneuolentiam parit. Rab. 19. 2.
Miſericordia eſt virtus. Deiot. 24. 5.
Miſericordia vitiúmne ſit. *ibid.*
Mithridatis crudelitas. Rab. 26. 7.
Mitra. Rab. 26. 2.
Mnæ quinque. 2. Philip. 29. 6.
Mœnia muri, parietes. Marc. 10. 3.
Mœſtitia. 2. Philip. 26. 5.
Momus feneſtram in humano pectore requirebat. Marc. 23. 1.
Monetæ antiquæ ad recentem reductio. Rab. 16. 1.
Monumentum, quid? Marc. 29. 3.
Morbi rerum publicarum. Mil. 69. 1.
Morbus. 1. Philip. 13. 5.
Mors & natura. Marc. 19. 2.
Mores Lentuli Suræ. 2. Philip. 13. 3.
Moroſitas. 2. Philip. 26. 3.

MORS, MORI.

Mors Calliſthenis. Rab. 22. 5.
Mors C. Curionis patris. 2. Philip. 10. 4.
Mors Lucullorum. *ibid.*
Mors naturæ finis, non pœna. Mil. 101. 3.
Mors neceſſaria. Mil. 16. 11.
Mors ſecundum naturam. 1. Philip. 7. 10.
Mors ſecundum fata. *ibid.*
Mori arbitrio inimici miſerum eſt. Mil. 59. 4.
Mori extra Patriam miſerum putabant Antiqui. Mil. 104. 2.
Mortalitas virtuti non nocet. Mil. 16. 10.

MORTVVS.

Mortuorum corpora canibus lanianda relinquere crudelitatis eſt ſummæ. Mil. 34. 12.
in Mortuorum corpora ſæuire crudele eſt. *ibid.*
Mortuorum furiæ. Mil. 92. 4.
Mortuorum laudatio duplex. Mil. 87. 6.
Mortuorum reſurrectio. Mil. 80. 2.
Mortuos lauandi mos. Mil. 87. 6.
Mucro. Lig. 5. 5.
Mulcta. Deiot. 21. 1.
Mulgere Hœdos. Mil. 95. 1.
Mulier canis domeſtica. 2. Philip. 59. 8.
Multa. Mil. 37. 3.
vnus ouis in Multa. *ibid.*
Multare. *ibid.*
Multitudo, multi pro malis. Mil. 2. 6.
Mundus quando ſit periturus. 2. Philip. 40. 2.
Munerum impenſæ. Mil. 96. 3.
Munus. Marc. 29. 3.
Munus quid. 2. Philip. 98. 6.
Muri, parietes. Marc. 10. 3.
ad Myrthum cantata ſcolia. Mil. 81. 3.

N.

N Littera ampliationis. Mil. 15. 4.
N. Nænia ad Tibias cantata. Mil. 87. 6.
Næniæ. *ibid.*
Narbo. 2. Philip. 64. 1.
Nati non nobis ſumus tantùm, ſed aliis. Marc. 26. 2.
Natura & mores. Marc. 19. 2.
ſecundum Naturam mors. 1. Philip. 7. 10.
Nebulo. 2. Philip. 62. 4.
Neceſſitas, Deiot. 18. 2.
Neceſſitudo. *ibid.*
Neceſſitas & vis. Rab. 26. 10.
Neceſſitas excuſat. Lig. 3. 2.
Neceſſitatis fuſum. 2. Philip. 1. 1.
Nefarius. Mil. 87. 3.
Nerui. Mil. 61. 3.
Neuroſpata. 2. Philip. 32. 4.
Nitrum. Rab. 37. 4.

NOBILIS. NOBILITAS.

Nobiles minùs puniuntur ob delicta pœnis corporalibus, pecuniis non item, cauſſæ huius diſcriminis. Mil. 18. 1.
Nobilium peccata magis apparent. *ibid.*
Nobiliſſimatus. Mil. 41. 3.
Nobilitas Marcellorum. Marc. 4. 1.
Nobilitas vnde. *ibid.*
ex prima Nobilitate capi ſolitæ Veſtales. Mil. 73. 5.
Nomen dare. 2. Philip. 12. 9.

Nouitas fugienda. Mil. 35. 1.
Nox intempeſta 1. Philip. 7. 6.
Nox ſcelerum adminiſtra. Mil. 51. 2.
Nox tollit pudorem. 2. Philip. 32. 3.
Nubere. 2. Philip. 31. 8.
Nudari matronarum papillas vetat Muhammedes. 2. Philip. 31. 8.
Nuditas meretricum. *ibid.*
Nugæ. Mil. 56. 4.
Numellæ. Mil. 61. 3.
Numera Senatum. Mil. 14. 5. & 2. Philip. 34. 3.
Numerandi ratio apud antiquos. Rab. 21. 1.
Numerus ad S. C. neceſſarius. 2. Philip. 35. 3.
Numinis ſera vindicta. Mil. 86. 2.
Nummaria res Græcorum. Rab. 21. 1.
Nummus idem quod ſeſtertius. Rab. 21. 1.
Nummus variatus admixtione metalli. *ibid.*
Nummorum æſtimatio quot modis mutari poſſit. *ibid.*
Nummos metiri. 2. Philip. 81. 3.
Nundinæ. 2. Philip. 23. 7.
Nundinæ dicuntur emptiones & venditiones.
Nundinæ faſtæne fuerint, an nefaſtæ. *ibid.*
Nundinis fuit religioſum vngues reſecari, etiam religioſum ſi nundinæ in Cal. Ianuarias incidiſſent. *ibid.*
Nuptiis nouis data clauis. 2. Philip. 59. 8.

O.

OBolus. Rab. 21. 1.
Obolus ſexta pars Drachmæ. *ibid.*
Obſcœnitas verborum vitanda. 2. Philip. 34. 1.
ab Obſcœnitate Cicero abhorrens. 2. Philip. 31. 1.
Obſcœnus Æſchines. *ibid.*
Obſecrare. Marc. 33. 2.
Obſeruare. 2. Philip. 37. 2.
Occaſio, quid? Mil. 39. 2.
argumentum ab Occaſione. Mil. 4. 2.
Occaſionis vis Mil. 39. 2.
Oceanus. Marc. 29. 2
Oculus iuſtitiæ. Mil. 86. 10.
Oculus Senatûs. Mil. 21. 4.
Oculi iratorum ardentes. Lig. 5. 6.
Odium. Marc. 30. 6.
Odij ſummi ſignum velle crudas inimici carnes manducare ſanguinémque ſorbere. Mil. 64. 2.
Odio habentur proditores. Lig. 13. 2.
Officium Marc. 20. 4.
Omen prærogatiuum. Mil. 44. 3.
Omina. *ibid.*
Onera Senatorij ordinis. Rab. 11. 9.
Ονυχες. Mil. 58. 5.
Opinari. Mil. 63. 5.
Opitulari. Marc. 23. 5.
Ops terra. 2. Philip. 23. 5.
Opis varia templa. *ibid.*
Optimus. Mil. 39. 3.
Opulentia Galliarum. Marc. 8. 6.
Opulentia Hiſpaniæ *ibid.*
Opulentia Luſitaniæ. *ibid.*

ORATIO. ORATOR.

Oratio funebris Antonij. 2. Philip. 76. 7.
Orationis conſtantia ſignum bonæ conſcientiæ. Mil. 63. 4.
apud Oratores imaginum ſiue ſimilitudinum vſus. 2. Philip. 44. 1.
Oratori locus non eſt inter arma. Mil. 11. 3.
Oratoris virtus. Mil. 22. 3.
Oratoria calliditas ad faciendam fidem in rebus dubiis. Mil. 33. 1.
Oratorum merces, drachma. Rab. 21. 1.
Oratorum palmæ. 1. Philip. 36. 7.

ORDO.

Ordo equeſter copulatus cum Senatu à Cicerone. 2. Philip. 14. 5.
Ordo libertinorum omnium infimus. 2. Philip. 3. 5.
Ordo Senatorius cogebatur venire in Senatum. Rab. 11. 9.
Ordines. 2. Philip. 30. 6.
Ordines militares. Mil. 3. 1.
Ordines varij populi. 2. Philip. 3. 5.
Ordines vrbani. Mil. 4. 3.
Ordinis Senatorij commoda. Rab. 11. 9.
Ordinis Senatorij onera. *ibid*
Ordinum ductores. Mil. 3. 1.
Oreſtes. Mil. 8. 5.
Oreſtis cauſſam vtrum dij an homines iudicarint. *ibid.*
Os. 2. Philip. 58. 4.
Oſcedo. Mil. 57. 8.
Oſcitantes cur ſignum crucis imprimant. *ibid.*
Oſcitatio ſignum furoris. *ibid.*
Oſcitatio ſignum pigritiæ. *ibid.*

P.

PÆan. Mil. 81. 3.
Φαίδιμος, Φαίδιμοι heroes quaſi illuſtriſſimi. Mil. 17. 1.
Palladium. Mil. 33. 6.
Pallij & togæ diſtinctio. Rab. 26. 1.

PALMA.

Palma victoribus pretium. 1. Philip. 36. 7.
Palmæ gladiatorum. *ibid.*
Palmæ hiſtrionum. *ibid.*
Palmæ oratorum. *ibid.*
Palmæ poëtarum. *ibid.*
Palus Pomptina. Mil. 51. 1.
Paphus duplex. 2. Philip. 25. 4.
Parcæ. 2. Philip. 1. 1.
Parentalia 1. Philip. 13. 1.
Parentalibus faba exhibita. *ibid.*
Parietes, muri, mœnia. Marc. 16. 3.
Parricida. Mil. 18. 6. & 87. 9.
Partes. Rab. 3. 6.
Parturire animo. 2. Philip. 100. 3.
Pathos ab eo quòd præter ſpem. Mil. 5. 2.
Patres Conſcripti. Mil. 4. 3. 2. Philip. 1. 2.
Patres minorum gentium. Mil. 4. 3.
Patres, patricij. *ibid.*
Patrum iniurias vlciſcuntur filij. Mil. 8. 3.

PATRIA.

Patria eſt forti ſolum omne. Mil. 101. 1.
Patriæ cedendum. Mil. 64. 4.
Patriæ charitas. 2. Philip. 42. 6.
Patriæ natus homo, non ſibi. Mil. 104. 1.
extra Patriam mori miſerum putabant Antiqui. *ibid.*
Pauperes frequenter aduerſus diuites inſoleſcunt. Mil. 11. 5.
Pauperes non armandi contra remp. *ibid.*

PAX.

Pax. 2. Philip. 96. 3.
Pax candida. *ibid.*
Pax omnis bello ciuili potior. 2. Philip. 24. 7.
Paci præferenda libertas. 2. Philip. 96. 5.
Pacis commoda. *ibid.*
Pacis ſimulachrum Plutum manu ſuſtinens. *ib.*

Peccandi voluntas quando puniatur. Mil. 19. 3.
Pectoris latebræ. Marc. 23. 2.
Pecunia non corrumpendi iudices. 2. Philip. 46. 4.
Pedem ponere quid 2. Philip. 36. 2.
Penates Mil. 39. 2.
Penſio. 2. Philip. 95. 6.
Penula ſcortea. Mil. 55. 1.
Penula ſtrictum veſtimenti genus. *ibid.*
Penula villoſa. *ibid.*
Penulæ ad imbrem & frigus arcendum. *ibid.*
Penulæ in funeribus. *ibid.*
Percellere. Marc. 17. 3.
Perduellio. Mil. 37. 5.
Peregrinari. Mil. 33. 2.
Perfungi Marc. 31. 4.
Periculum & ſumptus, commendat virtutem. Mil. 83. 1.
Περίστια, περιστίαρχος. Mil. 66. 2.
Periſtromata Babylonica. 2. Philip. 57. 12.
Perſona. 2. Philip. 56. 5.
Perſonata fabula. *ibid.*
Pertinacia. Marc. 32. 4.
Perturbare. 2. Philip. 42. 1.
Petilus Mil 45. 2.
Petitionem alteri concedere magnum fuit beneficium. 2. Philip. 4. 1.
Phæcaſium. Mil. 84. 2.
Picturæ inuentio. Rab. 41. 4.
Pignoribus coacti Senatores. 1. Philip. 11. 4.
Pigritiæ ſignum oſcitatio. Mil. 57. 8.
Πῖνος orationis, quid? Mil. 11. 7.
Pitiſma. 2. Philip. 88. 4.
Pitiſſare. *ibid.*
Platonis doctrina. Rab. 22. 3.
Platonis in Siciliam trina profectio. *ibid.*

PLEBS. PLEBEII.

Plebis & populi diſtinctio. Mil. 4. 3.
Plebeij. *ibid.*
Plebeiis connubia Patriciorum conceſſa. *ibid.*
Plebeiis ad patricios tranſitus. *ibid.*
Plebeiis aditus ad conſulatum. *ibid.*
Plebeiis aditus in Senatum datus. *ibid.*
Plebeiis aditus ad cæteros magiſtratus & ſacerdotia. *ibid.*
Plebeiis interdictum quibuſdam rebus. *ibid.*
Plebiſcitum. Mil. 15. 1.
Πλέθρον, iugerum. 2. Philip. 29. 2.
Pœnæ contra extruentes in alieno. Mil. 75. 8.
Pœnæ in cœlibes. Marc. 24. 7.
Poëtæ doctrinæ patres. Mil. 8. 2.
Poëtarum palmæ. 1. Philip. 36. 7.
Politica vita per tunicam polymitam Ioſephi repræſentata. Mil. 2. 2.
Polliceri. Marc. 33. 5.
Pollice verſo gladiatorum mortem expetere. Mil. 93. 3.
Pollicē premere fauēdo gladiatorib. Mil. 93. 5.
Pomœrium. Mil. 44. 3.
Pompa circenſis. Mil. 34. 8.
Pompa funebris. *ibid.*
Pompa triumphalis. *ibid.*

POMPEIVS.

Pompeius vnde Magni nomen habuerit. 2. Philip. 54. 4.
Pompeij auorum inſolentia. Marc. 16. 2.
Pōpeij cauſſa melior quā Cæſaris. Marc. 14. 6.
Pompeij & Clodij reconciliatio. Mil. 21. 1.
Pompeij quantum fuerit nomen. Deiot. 6. 2.
Pompeij victoria. *ibid.*
Pompeiani ſpe victoriæ elati. 2. Philip. 24. 8.
Pomptina palus Mil. 51. 1.
Pontifices voce præibant Magiſtratibus. Mil. 3. 4.
Pontificis ſummi inauguratio. 2. Philip. 93. 8.
Popa. Mil. 66. 1.
Popa ſuccinctus. *ibid.*
Popæ & Aruſpices in Circo. Mil. 66. 2.
Popinæ. 2. Philip. 59. 4.
Popona. Mil. 66. 1.
Popularia. 2. Philip. 30. 6.

POPVLVS.

Populus cum fluctu comparatus. Mil. 5. 3.
Populus quando primùm iudicandi poteſtatem acceperit. Mil. 7. 3.
Populus vocatus tributim in comitiis Conſulum. Mil. 25. 2.
Populi & plebis diſtinctio. Mil. 4. 1.
Populi ſalus ſuprema. 2. Philip. 25. 3.
Populi ſeceſſiones. Lig. 10. 2.
Populi ſeruati. Rab. 8. 3.
Populi varij ordines. 2. Philip. 3. 5.
Porca præſentanea. Mil. 66. 1.
Porta. Mil. 28. 8.
Poſteritatis iudicium incorruptū. Marc. 30. 3.
Poteſtas regia legibus tēperata. 2. Philip. 73. 3.
Poteſtas ſenatus. 2. Philip. 12. 2.
Poteſtati ſeruiendum. Marc. 30. 3.
Prædes. Rab. 8. 2. & 37. 1.
Prædes vendere. 2. Philip. 65. 15.

PRÆFECTVS.

Præfectus annonæ. Marc. 7. 3.
Præfectus caſtrorum. *ibid.*
Præfectus fabrorum. *ibid.*
Præfectus legionis. *ibid.*
Præfectus ſociorum. *ibid.*
Præfectus turmarum. *ibid.*
Præfectus vrbis feriis Latinis. Mil. 86. 4.
Præficæ. Mil. 87. 5.
Præmia propoſuit Sylla iis qui proſcriptos occiderent. Lig. 7. 3.
Præmiator. Mil. 9. 2.
Prænomina. Mil. 34. 2.
Prænominis ius. Mil. 58. 1.
Præpes quid? Mil. 44. 3.
Præpetes aues. *ibid.*
Præſidia in montibus. Mil. 68. 2.
Præſtigiæ. præſtigiatores Alexand. Rab. 30. 6.
Præſtites. 2. Philip. 63. 8.
Prætexta. 2. Philip. 30. 2.
Prætexta ingenuitatis *ibid.*
Prætextatæ puellæ. *ibid.*
Prætextatus. *ibid.*

PRÆTOR.

Prætores. Mil. 22. 2.
Prætores in vrbe duo tantùm faſces habuerunt. Lig. 12. 6. ſex in prouinciis. *ibid.*
Prætores vrbanus, ſiue maior. Mil. 22. 3.
Prætorum ſortitio. Lig. 13. 2.
Prætorum tria genera. Mil. 22. 3.
Principes ciuitatis. 1. Philip. 1. 7.
Principum ſollicitudo. Mil. 67. 1.
Priuilegium. Mil. 15. 1.
Probrum. 2 Philip. 83. 4.
Probus. Mil. 9. 8.
Procurator. 2. Philip. 87. 5.
Proditores odio habentur ab omnib. Lig. 13. 2.
Proletarij. Mil. 4. 3.

Propagatio. Marc. 24. 5.
Propago. *ibid.*
Proſcriptos qui occiderent, iis præmium propoſitum. Lig. 7. 3.
Proſtibulum. Mil. 56. 6.
Prouidentia. 2. Philip. 1. 1.
Prouidere. Marc. 21. 2.
Prouinciarum ſortitio. Lig. 13. 2.
Prudens & ſciens. Marc. 14. 9.
Prudenter facere, prudentem facere. *ibid.*
Prudentia, diuinatio. Rab. 1. 3.
Pſeudomarius. 1. Philip. 1. 11.
Ptolomæus cur Auletes dictus. Rab. 26. 9.
Ptolomæi reditus Lentulo mandatus. Rab. 6. 5.
Ptolomæo regnum Cypri ademptum. Mil. 74. 3.
Publicani. Rab. 3. 3.
Publicarum rerum morbi. Mil. 69. 1.
Pudor, pudicitia. 2. Philip. 12. 1.
Pudor pudicitiæ cuſtos. Mil. 78. 5.
Pudorem nox tollit. 2. Philip. 32. 3.
Puellaſcere. Mil. 28. 7.
Pueri pro ſeruis. *ibid.*
à Puero. 2. Philip. 72. 4.
Pugio. Philip. 10. 3.
Pugna Pharſalica. Lig. 5. 2.
Puluinar. Mil. 73. 4. & 2. Philip. 93. 1.
in Purgationibus felem, ſcyllam, catulum circumferebant. Mil. 66. 3.
Puniri. Mil. 34. 3.
Pyrrhus, aquila. Marc. 6. 1.

Q.

QVarære. Mil. 13. 1.
Quærere extra ordinem. Mil. 14. 4.
Quæſitor. Mil. 13. 1.
Quæſitor claudens oculos. Mil. 22. 2.
Quæſitores. *ibid.*

QVÆSTIO.

Quæſtio de inceſtu Clodij quomodo impedita. Mil. 13. 1.
in Quæſtionem ſerui poſtulantur in inceſtu. Mil. 60. 2.
ad Quæſtionem vocandi non ſunt, quos accuſator de ſua domo produxerit. *ibid.*
Quæſtiones decernebat Senatus. Mil. 13. 1.
Quæſtionibus verum inuenitur. Mil. 60. 2.

QVÆSTORES.

Quæſtores. Mil. 22. 2. Lig. 21. 1.
Quæſtores ex lege. 2. Philip. 38. 1.
Quæſtores ex S. C. *ibid.*
Quæſtores extra ordinem. *ibid.*
Quæſtores ſorte. *ibid.*
Quæſtores vrbani, & prouinciales. *ibid.*
Quæſtoris & Imperatoris coniunctio. 2. Philip. 61. 2.
Quæſtura. 2. Philip. 38. 1.
Quatuordecim gradus. 2. Philip. 30. 6.
Querela. Marc. 11. 1.
Quirini duo. 2. Philip. 93. 5.

R.

RApinæ Cæſaris. 2. Philip. 78. 4.
Ratio cum auriga cōparatur. Mil. 77. 7.
Rationi auxiliatur ira. 2. Philip. 33. 5.
Rationi tenebras offūdit cupiditas. Marc. 30. 5
Recipere. 2. Philip. 54. 1.
Recreationi magis indulgendum in turbidis rebus. 2. Philip. 26. 2.
Redimere. 2. Philip. 33. 3.
Refugiū omnib. tutiſſimū domus. Deiot. 19. 2.
Reges agricolæ. Deiot. 16. 11.
Reges appellabantur à Senatu. Deiot. 5. 1.
Regiæ. Mil. 38. 4.
Regnum Cypri Ptolomæo ademptum. Mil. 74. 3.
Religio ſepulturæ. Mil. 104. 3.
in Religione non facilè recedendum à maioribus. Mil. 84.
Remiſſio animi. 2. Philip. 26. 3.
Remiſſio animum frangit, arcum intenſio. *ib.*
Repræſentare quid? 2. Philip. 100. 3.
Repudium. Marc. 14. 4.

RESPVBLICA.

Reip. adminiſtratio. Mil. 69. 4.
Reip. peritia quàm neceſſaria. Mil. 71. 1.
Reip. vulnera. 2. Philip. 29. 1.
Reip. vulnus. Mil. 14. 2.
in Remp. amor Tuberonis. Lig. 11. 6.
Reſtitutio in integrum. 2. Philip. 46. 9.
Reſurrectio mortuorum. Mil. 80. 2.
Retexere. 2. Philip. 22. 1.
Reus extraordinarius. Mil. 14. 4.
Rheda. Mil. 28. 5. & 55. 2.
Rhegium. 1. Philip. 7. 4.
Rhetor, ſophiſta. 2. Philip. 28. 3.
Rhetoribus merces conſtituta. 2. Philip. 29. 6.
Rhetorum merces. *ibid.*
Ridiculi materia. 2. Philip. 28. 5.
Rogatio. Mil. 15. 1.
Roma immortalis. Marc. 23. 6.
Roma quando ſit peritura. 2. Philip. 40. 2.
Romæ interitus. *ibid.*
Romani habuerı́ntne notitiā orbis. Mil. 74. 3.
Romanum Imperium an æternū. 2. Phili. 40. 2.
Roſtra. 2. Philip. 71. 1.
Roſtra poſtibus affixa. *ibid.*
Rudis. 2. Philip. 63. 1.
quando Rudem accipiant gladiatores. *ibid.*
Rurationis dij & deæ. Mil. 87. 2.

S.

SAbelli. Lig. 19. 1.
Sabinorum nomen. *ibid.*
Sabinorum origo. *ibid.*
Sabinorum vis. *ibid.*
Saccus. Rab. 21. 1.
Sacerdotes à collegio ſuffecti. 2. Philip. 4. 6.
Sacerdotes per populum creati. *ibid.*
Sacerdotia plebi communicata. Mil. 4. 3.
Sacerdotij ius non habebant, qui ſoluendo non erant. 2. Philip. 4. 4.
Sacra agreſtia. Mil. 87. 2.
Sacramentum. Mil. 75. 5.
Sacramentum iuſtum. *ibid.*

SACRIFICIA.

Sacrificia ſtata. Mil. 46. 1.
Sacrificij ritus. 2. Philip. 70. 1.
Sacrificiorum procuratio penes ædiles curules. Mil. 86. 4.
Sacrificiorum ſuperſtitio vtrum tempore Ciceronis viguerit. Mil. 86. 4.
Saltat nemo ſobrius. Deiot. 16. 2.
Saltatio. 2. Philip. 85. 3.
Saltem. Mil. 6. 5.
Salus populi, lex ſuprema 2. Philip. 25 3.
Sanctitas Senatus. Mil. 91. 2.
Sanguinem exorbere. 2. Philip. 60. 3.
Sanitas. Marc. 33. 1.
Sapientia diuina. Marc. 1. 4.
Sapientia & virtus iudicis. Rab. 11. 1.

Satelles. Mil. 91. 1.
Saxa Rubra. 2. Philip. 65. 3.
Scelera deteꝺta in ſolitudinibus perpetrata. Mil. 51. 2.
Scelerum nox adminiſtra. *ibid.*
Scolia ad Myrthum cantata. Mil. 81. 3.
Scolium. *ibid.*
Scortum. Mil. 56. 6.
Scriptio. 2. Philip. 57. 6.
Scrupulum. Rab. 21. 1.
Scutum. 2. Philip. 91. 2.
Scutum à Græco σκύτους. Mil. 65. 2.
Scuti & clypei diuerſitas. *ibid.*
Scutus. *ibid.*
Scylla. 2. Philip. 57. 1.
Secare debitorem. 2. Philip. 55. 3.
Seceſſiones populi. Lig. 10. 2.
Sector. 2. Philip. 55. 3.
Securis. 2. Philip. 39. 6.

SEDITIONES.

Seditiones Clodij. Mil. 39. 1.
Seditiones Dolabellæ. 1. Philip. 29. 6.
Seditiones eloquentia placat. Mil. 59. 1.
Seditiones in comitiis. Mil. 24 2.
Seditiones ſolâ magnorum virorum præſentiâ compreſſæ. Mil. 59. 1.
Seditionis fax. 2. Philip. 35. 2.
Seditioſi cum vento comparati. Mil. 5. 3.
Sembella. Rab. 21. 1.

SENATOR.

Senatores initio centum fuerunt, deinde cc. poſt ccc. Mil. 4. 3.
Senatores legibus quibuſdam tenebantur, quibus alij ordines ſoluti erant. Rab. 11. 9.
Senatores pignoribus coacti. 1. Philip. 11. 4.
Senatores tributa maiora pendebant quàm alij. Rab. 11. 9.
Senatoris boni eſt cauere concordiæ. 1. Philip. 16. 1.
Senatorum decem decuriæ. Mil. 4. 3.
Senatorij calcei fuerunt cæteris altiores. Mil. 28. 2.
Senatorij ordinis commoda. Rab. 11. 9.

SENATVS.

Senatus auctoritas. Mil. 14 7. 2. Philip. 30.
Senatus decernebat quæſtiones. Mil. 13. 1.
Senatus dimittendi formula. Mil. 28. 1.
Senatus habitus calendis Ianuarij. 2. Philip. 67. 1.
Senatus in æde Telluris. 1. Philip. 1. 3.
Senatus initio fuit è ſolis patriciis conſtitutus. Mil. 4. 3.
Senatus multorum regum conſeſſus. Mil. 91. 3.
Senatus portus omnium gentium. *ibid.*
Senatûs poteſtas. 2. Philip. 12. 2.
Senatus pro Pompeio. Deiot. 5. 4.
Senatus quibus verbis factum improbaret. Mil. 12. 1.
Senatus ſanctitas. Mil. 91. 3.
à Senatu reges appellabantur. Deiot. 5. 1.
quando plebeiis aditus in Senatum patefactus. Mil. 4. 3.
numera Senatum. Mil. 14. 5.

SENATVS CONSVLTVM.

Senatus conſultum Macedonianum. 2. Philip. 32. 8.
ad Senatus conſultum numerus neceſſarius. 2. Philip. 35. 3.
ad Sénatus conſultum requiſitæ conditiones. *ibid.*
Senatus conſultum ſenatúſque authoritas. *ibid.*
Senatus conſultis littera T. ſubſcripta quid ſignificet. Mil. 14. 7.
Senatus conſultis intercedebant Tribuni plebis. *ibid.*
Senectus Deiotari. Deiot. 17. 6.
Senectus Indi. Mil. 16. 11.
Sententiam diuidere. Mil. 14. 5.
Septa ab Agrippa magnificè ornata. Mil. 42. 2.
Septa in campo Martio. *ibid.*
Septa mercibus & ambulationibus celebris. *ibid.*
in Septis comitia. *ibid.*
Sepulturam concedere etiam inimici ſolent. Mil. 87. 8.
Sepulturæ religio. Mil. 104. 3.
Seræ antiquorum exemptiles. 2. Philip. 57. 6.
Sergeſtre. Mil. 55. 1.
Seruiendum tempori. Mil. 2. 2.
P. Seruilij mors & auctoritas. 2. Philip. 10. 1.
Seruitutis iugum. 2. Philip. 1. 16.

SERVVS.

Serui poſtulantur in quæſtionem in inceſtu. Mil. 60. 4.
Serui ſe peculio redimebant. Mil. 58. 1.
Seruis arma non permittenda. 2. Philip. 12. 4.
Seruis dominorum ſalutem committere periculóſum. Mil. 60. 4.
de Seruis in dominum quæri non poteſt. Mil. 60. 3.
Seruorum corruptela. Deiot. 19. 1.
Seruorum fidelitas. Mil. 59. 3.
Seruorum inuſtio. Mil. 33. 4.
Seruorum multitudo. Mil. 10. 1.
exempla eorum qui Seruos contra dominos non audierunt. Mil. 60. 4.

SESTERTIVM.

Seſtertia duo. 2. Philip. 29. 6.
Seſtertij & aſſis duplex conſideratio. Rab. 21. 1.
Seſtertium. *ibid.*
Seſtertium centies. 2. Philip. 80. 2.
Seſtertius. Rab. 21. 1.
Seſtertius & ſeſtertium quomodo differant. *ibid.*
Sicæ nomen vnde. Mil. 38. 1.
Siciliæ an agri an omnes fuerint decumani. 2. Philip. 29. 5.
Siciliquus. Rab. 21. 1.
Siclus Hebræorum. *ibid.*
Sigilla & obſignatio. 2. Philip. 57. 6.
Sigma. 2. Philip. 59. 3.
Sigonius defenſus cõtra Baronium. Mil. 58. 5.
Silentium in auguriis. Mil. 44. 3.
Similitudines. 2. Philip. 44. 2.
Similitudinum vſus apud oratores. 2. Philip. 44. 1.
Simulachra Deorum ſunt hominum ſtatuæ. 2. Philip. 93. 2.
Sirenes. 2. Philip. 1. 1.
Siſapo. 2. Philip. 36. 3.
Soboles. Marc. 24. 6.
Sobrius nemo ſaltat. Deiot. 16. 2.
Socci. Rab. 26. 8.
Sol. Mil. 84. 4.

Sol ſyderum rex & princeps. Mil. 84. 4.
à Sole temporum varietas. *ibid.*
Solarium Romanis quando primùm. 2. Philip. 65. 2.
in Solitudinibus detecta ſcelera. Mil. 51. 2.
Solum omne forti patria eſt. Mil. 101. 1.
Sortis coniectio. Lig. 11. 5.
Sortis eductio manu pueri. *ibid.*
Sortis verſatio. *ibid.*
Sortitio Prætorum & Prouinciarum. Lig. 13. 2.
in Spectaculis antiqui non ſedebant, poſtea ſederunt etiam ſubiectis puluillis. 2. Philip. 30. 5.
Spectio. 2. Philip. 67. 4.
Sperare. Marc. 21. 4.
Spes. Mil. 32. 2.
Spes fallaces. Mil. 95. 2.
Splendidi. Mil. 17. 1.
Spolia affixa non emptori domus refringere licebat. 2. Philip. 58. 7.
Spolia poſtibus affixa. *ibid.*
Sportula. Rab. 21. 1.
Sportularum diſtributio. Mil. 9. 9.

STATVA.

Statua Cæſaris inter reges. Deiot. 20. 1.
Statuæ. Deiot. 20. 4.
Statuæ clarorum virorum in templis. Rab. 26. 5.
Statuæ Deorum ſunt, hominum ſimulachra. 2. Philip. 93. 2.
Statuæ è lapide aut metallo. 2. Philip. 19. 2.
Statuæ in veſtibulis. *ibid.*
Stella defixa in templi auguratione. Mil. 44. 2.
Stemma. 2. Philip. 19. 2.
Stimuli. Mil. 58. 5. 2. Philip. 72. 5.
Stola. 2. Philip. 31. 8.
Stola matronarum. *ibid.*
Stratum, ſtragula, ſterniator. 2. Philip. 57. 14.
Strenuitas. 2. Philip. 66. 1.
Studia. Marc. 31. 1.
Stultus quis? Mil. 7. 2.
Stuprum. Mil. 13. 3.
Subceſiuum. 2. Philip. 15. 7.
Subiectionis oratoriæ exempla. Rab. 8. 4.
Subiectionis rhetorices exempla. Mil. 15. 3.
Subornatus teſtis. Deiot. 9. 3.
Subſeſſæ. Mil. 50. 2.
Subſellia accuſatoris & rei, contumeliæ & impudentiæ. Mil. 8. 5.
Subſidere. Mil. 50. 2.
Subſtructiones inſanæ. Mil. 54. 2.
Succidanea hoſtia. Deiot. 25. 1.
Suere fraudes. Deiot. 10. 1.
Sullæ crudelitas. Lig. 7. 1.
Sullæ crudelitatem Cæſar vindicauit. *ibid.*
Supplicatio. 2. Philip. 11. 1.
Supplicatio quibus verbis decreta Ciceroni. *ibid.*
Supponere. Deiot. 25. 1.
Suppoſititius. *ibid.*
Suſtentare. Rab. 3. 7.
Sutelæ. Deiot. 10. 1.
Syderum rex & princeps ſol. Mil. 84. 4.
Syngrapha. 2. Philip. 80. 1.

T

TAbellæ, licentia. Rab. 11. 2.
Tabellarij. 2. Philip. 65. 9.
Taberna. 2. Philip. 16. 1.
Tabernaculum capere. Mil. 44. 3.
Tablina. 2. Philip. 19. 2.

TABVLA.

Tabula auctionis. 2. Philip. 62. 2.
Tabulæ æreæ. Mil. 9. 1.
Tabulæ duodecim *ibid.*
Tabulæ pictæ. 2. Philip. 19. 2.
Tabularum XII. præſtantia. Mil. 9. 1.
Tabularum publicarum penes quos fuerit cura. Mil. 74. 5.
Tabularum publicarum varia genera. *ibid.*
Talentum. Rab. 21. 1.
Talentum Atticum viginti ſeſtertia continebat. *ibid.*
Talentorum varia genera. 2. Philip. 32. 6.
Tardi & hebetes. 2. Philip. 33. 5.
Tarraco. Deiot. 23. 1.
Telum. Mil. 9. 3. 11. 2.
Telluris in æde Cicero nomine Græco vſus eſt. 1 Philip. 1. 3.
Telluris in æde Senatus. *ibid.*
Telluris varia nomina. 2. Philip. 23. 5.
Temeritas. Marc. 7. 6.
Tempeſtates comitiorum. Mil. 5. 3.

TEMPLVM.

Templum capere. Mil. 44. 3.
Templum Veneris. 2. Philip. 98. 7.
Templa Concordiæ. 2. Philip. 94. 6.
in Templi auguratione ſtella defixa. Mil. 44. 3.
Templorum deſcriptio per lituum facta. *ibid.*
in Templis ſtatuæ clarorum virorum. Rab. 26. 5.
Tempus pater veritatis. Marc. 30. 3.
Tempori ſeruiendum. Mil. 2. 2.
Tenebrio. 2. Philip. 62. 4.
Tergemini ſumptu publico educati. Mil. 7. 3.
Tergiuerſari. Mil. 55. 4.
Teruntius, quadrans. Rab. 21. 1.
Teſſera frumentaria. Mil. 58. 1.

TESTAMENTVM.

Teſtamentum. 2. Philip. 92. 5.
Teſtamentum hæredes poterant obſignare, quod poſteriori iure vetitum eſt. Mil. 49. 2.
Teſtamentum ſitne actum priuatum. 2. Philip. 92. 5.
Teſtamentis teſtes ſubſcribebant, & eadem obſignabant annulo vel ſuo, vel etiam alieno. Mil. 49. 2.
Teſtamento amicorum præteriri ignominioſum fuit. 2. Philip. 27. 1.
Teſtamentorum captatores. Mil. 49. 2.
Teſtantium vanitas quoſdam manumittebat. Mil. 58. 1.
Teſtimonia ſcripto tradita. Mil. 47. 4.
Teſtis ſubornatus. Deiot. 9. 3.
Tetrarchia Galatiæ. Deiot. 16. 10.
Theatrales ſignificationes. 1. Philip. 36. 2.
Theatralis plauſus. *ibid.*
Theta Θ, nota damnationis. Mil. 15. 4.
Tiberius quod ius eluſerit. Mil. 60. 3.
Tibicines in funeribus. Mil. 87. 4.
Timere, cauere. Mil. 67. 2.
Timor Dei verus cuſtos caſtitatis. 2. Philip. 33. 2.
Timor & amor. 2. Philip. 56. 3.
Timor non diuturnus magiſter officij. 2. Philip. 97. 5.
Timor tyrannorum. 2. Philip. 97. 3.
Timothei felicitas. Marc. 6. 4.
Titulus rerum vendibilium. 2. Philip. 54.

TOGA.

Toga & calcei. 2. Philip. 64. 4.
Toga laxa diuitibus, arcta pauperibus. 2. Philip. 31. 2.
Togâ ſumptâ virili mos deducendi adoleſcentulos ad viros graues. 2. Philip. 3. 6.
Toga virilis & muliebris. 2. Philip. 31. 2.
Togæ & pallij diſtinctio. Rab. 26. 1.
Togæ matronarum. 2. Philip. 31. 2.
Togæ meretricum. *ibid.*
Togæ puellarum. *ibid.*
Tormentorum genera. Mil. 58. 5.
Tragœdias excitare. Mil. 18. 4.
Triarij. Mil. 3. 1.
Tribum ferre. 2. Philip. 4. 6.

TRIBVNVS PLEBIS.

Tribunus plebis an equo vteretur. 2. Philip. 48. 2.
Tribunus plebis creato Dictatore non ceſſabat. 2. Philip. 42. 4.
Tribunus plebis cum legatis miſſus extra Italiam. *ibid.*
Tribunus plebis habitu & inceſſu plebeius. 2. Philip. 48. 2.
Tribunus plebis ius aliquod habuit in ipſos Conſules. 2. Philip. 42. 4.
Tribunus plebis ius relationis habebat. *ibid.*
Tribunus plebis lictores non habebat. 2. Philip. 48. 2.
Tribunus plebis non potuit ab alio Magiſtratu impediri. 2. Philip. 42. 4.
Tribunus plebis non potuit impedire ne reus cauſſam diceret. 2. Philip. 3. 3.
Tribunus plebis Sacroſanctus. Mil. 16. 6.
Tribunus plebis Senatum conuocabat. 2. Philip. 42. 4.
Tribuni ærarij. Mil. 4. 3.
Tribuni è Senatu lecti. Mil. 14. 8.
Tribuni plebis iuſtitium indicebant, bona conſecrabant, non parentes ſuis interceſſionibus deuouebant. 2. Philip. 42. 4.
Tribunis plebis octo. Mil. 40. 4.
Tribuni plebis Sacroſancti. 2. Philip. 42. 4.
Tribuni plebis tempus concionum limitabant. *ibid.*
Tribuno interfari. *ibid.*
qui Tribuno plebis nocuerat eius caput ſacrum Ioui. *ibid.*
Tribunorum Iuriſdictio. *ibid.*
Tribunorum plebis interceſſio. Mil. 14. 8.
Tribunatûs multa iura. 2. Philip. 42. 3.
Tribunatûs ſanctitas. *ibid.*
Tribunatum plebis Tib. Gracchus abrogauit Octauio. Mil. 73. 3.
Tribunitia poteſtas etiam in Conſules. Mil. 14. 8.
Tributa maiora ſenatores pendebant quàm alij. Rab. 11. 9.
Triclinia. 2. Philip. 59. 3.
Tricliniares lecti. *ibid.*
in Triclinio. *ibid.*
Triclinium pro ipſo loco conuiuij. 2. Philip. 59. 3.
L. Tuberonis amor in remp. Lig. 11. 6.
Tunica moleſta. Mil. 58. 5.
Tunica polymita Ioſephi vitam politicam repræſentat. Mil. 11. 2.
Tunicæ antiquorum purpureæne an albæ. Mil. 43. 5.
Turbo. 2. Philip. 57. 3.

V.

Valere. Mil. 94. 2.
Valuæ, ianua, oſtium, fores. 2. Philip. 94. 5.
Vanitas punita. 2. Philip. 18. 2.
Varronis fundus Caſinas. 2. Philip. 87. 1.
Vehicula iter metientia & horas monſtrantia. 2. Philip. 48. 1.
Vehiculorum varia genera. Mil. 28. 5.
Vela. 2. Philip. 35. 1.
Velia. 1. Philip. 7. 8.
Vellicatio. Mil. 58. 5.
Vendibilia haſtæ ſubiiciebantur. 2. Philip. 54. 2.
Vendibilium rerum titulus. *ibid.*
Venundare. Mil. 57. 3.
Venus duplex, Popularis & Cœleſtis. 2. Philip. 31. 5.
Venus Hoſpitalis. Deiot. 9. 4.
Verbera. Mil. 58. 5.
Verborum obſcœnitas vitanda. 2. Philip. 34. 1.
Veritas in vino. Mil. 66. 2.
Veritatis imago appenſa collo iudicis Ægyptij. Mil. 22. 4.
Veritatis imago è ſaphiro. *ibid.*
Veritatis pater, tempus. Marc. 30. 3.
Verſari. Marc. 2. 2.
Verſus Ciceronis. 2. Philip. 15. 4.
Verum quæſtionibus inuenitur. Mil. 60. 8.
Veſta. 2. Philip. 5.
Veſtales ex prima nobilitate capi ſolitæ. Mil. 73. 5.
Veſtes conchyliatæ. 2. Philip. 57. 11.
Veſtibula. 2. Philip. 58. 5.
in Veſtitu Gallorum luxus. Marc. 8. 6.
Veterani. 2. Philip. 49. 3.
Vexilla coloniarum. 2. Philip. 86. 3.
Vexillum in comitiis. Mil. 68. 2.
Via Appia latrociniis infamis. Mil. 51. 1.
Via ſacra. 2. Philip. 71. 1.
Viæ ſacræ celebritas. Mil. 67. 1.
Viarum cauſſæ celebritatis. *ibid.*
Victoria inſolens. Marc. 9. 6.
Victoriâ partâ Galli veteres auream barbam gerebant. 2. Philip. 23. 3.
Victoriæ cauſa, Milites. Marc. 6. 1.
Victoriæ ſpe elati Pompeiani. 2. Philip. 24. 8.
Victoribus pretium palma 1. Philip. 36. 7.
Victoriatus. Rab. 21. 1.
Villa publica. Mil. 42. 2.
Vim vi repellere licet. Mil. 9. 5.
Vindiciæ. Mil. 75. 3.
Vindicta datum ius ciuitatis. Mil. 58. 1.
Vindicta numinis ſera Mil. 86. 11.
Vindictæ nomen. Mil. 58. 1.
Vinum Alphonſus Neapolitanus cæteris omnibus anteponit. 2. Philip. 51. 3.
Vini amatoria effuſio. 2. Philip. 88. 4.
Vini effuſio. *ibid.*
Vini numerus. 2. Philip. 56. 7.
in Vino veritas. Mil. 66. 3.
Vir. 2. Philip. 23. 3.
Vir à viro lectus. Mil. 56. 8.
Virgæ pro Deo cultæ. Mil. 39. 3.
à Virgine. 2. Philip. 72. 2.

VIRTVS.

Virtus à Deo procedit. Mil. 99. 1.
Virtus acquiratúrne an innaſcatur. Mil. 101. 4.

Virtus eſt facultas benefactiua. Marc.27.9.
Virtus & ſapientia iudicis. Rab. 11.1.
Virtus ipſa ſibi pretium. Mil. 97.1.
Virtus ſola bonum. Marc. 19.5.
Virtutem commendat periculum & ſumptus. Mil. 83 1.
Virtus regiæ Deiot. 16.7.
Virtutis præmium gloria & honor. Mil.97.3.
Virtutis vmbra, gloria. *ibid.*
Vis & neceſſitas. Rab.26.10.
Viſceratio, quid? 2. Philip. 98.9.
VITA.
Vita breuis, gloria ſempiterna. Mil. 97. 5.
Vita conuiuium. Marc. 27.11.
Vita humana. Mil. 70.1.
Vita longiſſima in quot annos poſſit propagari. Mil. 97. 4.
Vita præſens ſitne mors, an vita. Mil. 70. 1.
Vita ſomnium eſt. *ibid.*
Vitæ breuitas. Mil. 97. 4.
Vitæ fabula & actus extremus. Marc. 27.10.
Vitæ fructus. Marc. 3.2.
Vitæ longiſſimæ exempla. Mil. 97.4.
Vitam politicam repræſentat tunica Polymita Ioſephi. Mil. 2. 2.
Viuere diu. Marc. 28.2.
Viuere & eſſe. *ibid.*
Viuere ſatis. *ibid.*
Viuentes beſtiolæ vnico die. *ibid.*
Vitium in Auſpiciis. 2. Philip. 67. 6.
Vitiúmne ſit miſericordia. Deiot. 24.5.
Vitrum. Rab. 37.4.
Vlciſcuntur filij patrum iniurias. Mil. 8.3.
Vltro. Mil. 8.4.
Vncia. Rab. 21.1.
Vnciæ ponderalis diuiſio. *ibid.*
Vncus. 1. Philip. 1. 12.
Vngulæ. Mil. 58.5.
ab Vnguiculis. 2. Philip. 72.2.
Volumina rerum geſtarum quo loco ſeruata. 2. Philip. 19. 2.
Voluntas nuda maleficij legibus humanis non punitur. Mil. 19.3.
Voluntas peccandi quando puniatur. *ibid.*
Vomere in menſas. 2. Philip. 64.2.
Vox literarum. 2. Philip. 12. 10.
Vrbs æterna. 2. Philip. 40.2.
Vulgus fluctu mobilius. Mil. 5.3.
Vulnus reip. Mil. 14.2.
Vultus. Mil. 62.2.
Vxores Antonij. 2. Philip. 15.3.
Z.
ZOnaræ error. Mil. 28.2.

FINIS.

SVMMA PRIVILEGII A CHRISTIANISSIMO *Galliarum Rege conceſſi.*

LVDOVICI XIII. Galliæ & Nauarræ Regis auctoritate ſancitum, atque patentibus literis cautum eſt, ne quis in regno ſuo aliiſve locis ditioni ſuæ ſubiectis, intra ſex proximos annos à die impreſſionis primæ inchoandos ac numerandos, excudat, vendat, excudendum vendendúmque quouis modo & ratione curet librum, qui inſcribitur, NICOLAI ABRAMI *è Societate* IESV *Commentarius in M. T. Ciceronis Orationes*, præter Sebaſtianum Cramoiſy Bibliopolam Iuratum Pariſienſem, aut illos quibus ipſemet conceſſerit. Prohibitum inſuper eadem auctoritate Regia omnibus ſuis ſubditis, eundem Librum extra Regni ſui limites imprimendum curare, vel quempiam vbicumque fuerit ad id agendum impellere, ac inſtigare, ſine conſenſu dicti Sebaſtiani Cramoiſy, idque omne ſub confiſcatione librorum, aliiſve pœnis originali diplomate contra delinquentes expreſſis. Datum Pariſiis 12. Decembris 1629.

Signatum, De mandato Regis, SENAVLT.

Hæc prima Editio perfecta fuit 1. die Auguſti 1631.

APPROBATIO R. P. PROVINCIALIS *Societatis* IESV, *in Prouincia Campaniæ.*

EGO IOANNES FORERIVS Prouincialis Societatis IESV in Prouincia Campaniæ, poteſtate ad id mihi ſpecialiter facta à Reuerendo admodum Patre noſtro MVTIO VITELLESCO, Præpoſito Generali eiuſdem Societatis, concedo, vt liber inſcriptus, *Commentarij in tomum tertium Orationum M. T Ciceronis*, à Patre NICOLAO ABRAMO noſtræ Societatis IESV compoſitus, & eiuſdem Societatis grauium doctorúmque hominum iudicio approbatus, in communem vtilitatem typis mandetur: in quorum fidem has litteras manu noſtra ſubſcriptas, & ſigillo noſtro munitas, dedimus. Muſſiponti die 28. Maij, anno 1628.

IOANNES FORERIVS.

French
Jesuit

ALEPH 169102 01-26217